Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est. 10
Plút. 5

241 "15/16"
San z t
347180
Cop. 432275

40000432275

Universidad de Deusto
Biblioteca

4.00

EST. 5 PLUT. 3.

R. P.
THOMÆ
# SANCHEZ
CORDVBENSIS,
E SOCIETATE IESV,
# CONSILIA,
*SEV*
OPVSCVLA MORALIA.
TOMI DVO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

R. P.

THOMÆ

# SANCHEZ

CORDVBENSIS,

SOCIETATIS IESV,

# CONSILIA,

*SEV*


## OPVSCVLA MORALIA

duobus Tomis contenta.

OPVS POSTHVMVM,

nunc primum in lucem editum.

25549



LVGDVNI,

Sumptibus PETRI PROST.

M. DC. XLIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eminentissimo Principi

# FRANCISCO CARDINALI BARBERINO,

S.R. ECCLESIÆ VICECANCELLARIO,

*Prouincialis, & Prouincia Bætica Societatis Iesv, fel. &c.*

PROPTER aquam ingenui fontis, riuulúmque per amœna gramina fugientem apibus optat ſedem, EMINENTISSIME PRINCEPS, quicumque frugifer colonus *aërij mellis cœleſtia dona* deſiderat. Et enim ad Apum nouam coloniam, vrbémque frequentandam niſi fons perennis inducatur; (vt ait ille) *neque mella, neque faui, neque pulli, figurantur.* Quid ergo miramur in Thoma Sancio tam vberem ex doctrinarum melle vindemiam, qui planè infans, & integer vitæ ſceleriſque purum corpus, animumque Mariæ Virginum integerrimæ dedicauit. Hoc eſt hauriendæ ſapientiæ vas, & alueare mundiſſimum virginalium *ſecus decurſus aquarum*, & apud fontem vitæ collocauit. Hanc ob rem Granatenſe Collegium Sancio ſuo Patronam in cælo Virginem adoptauit: Collegia verò multa te Patronum eiuſdem in terris alterum, & quaſi collegam magnæ Virginis ſalutant. Deuouit illud Virginem Virgini, & eius *Moralia Conſilia* Prouincia Bætica Societatis Ieſu, cum ſuo Prouinciali, dedicat Tibi, qui in magnæ cultu Virginis ingenium Thomæ, geniúmque virginalem imitaris. Quid enim illa tua græcarum, & latialium amœniſſima literarum humanitas? Quid caſtiſſima nouem ex ore virginum hauſta Poëſis?

Virg. 4. Georg.

Columel. l. 9. c. v.

Pſalm. 1.

Quid humani diuiníque prudentia iuris? Quid moralis, naturalísque Philosophia? Quid diuina Theologia sunt aliud tibi, quàm Apes tuæ, nutrices illæ, non Iouis, sed optimi Principis, Rempublicam humanam iuuantis altrices? Hæ virgines, hæ charites, hæ Apes operosæ Bibliothecam tibi regiam lectissimorum voluminum multis millibus exstruunt, an mellificium ingeniorum, Apiariúmque mentium immortalium mellis diuini liquoribus stipant? Quid enim aliud esse videtur, ordinatim armaria multa distinguere, quàm Apiaria multa disponere? Quid libros in pluteis, quàm fauos in alueis collocare? Quid ingenia præstantissima quærere, quàm flores exquisitissimos legere? Quid sapientiæ succos in publicum ferre, quàm cœleste mel, priuatámque Domus BARBERINÆ dulcedinem bonum publicum facere? Iure tuis hisce laboriosis Apibus occinerent Græci,

Theocr. Idyll. 7. Antiph. anthol. lib. 1. cap. 60.

Πωτῆσθ' ἑσσαὶ θεὶ πίδακας ἀμφὶ μέλισσαι
Αἰθρείης πίωσαι νέκταρ & ἐργατίδες.

Quod si magni Cæsares augusta templa Bibliothecis addere decorum existimabant; Franciscus Barberinus eodem tempore dum Bibliothecas ingeniis, & Parthenones virginibus exstruit, Cæsares imitatur an Cælites? Si virginum corpora, castitatis sunt templa; quot tu, Princeps Eminentissime, virgines ære tuo maritas Deo, tot templa diuinitatis ædificas. Sancius ergo noster, qui virginis aquæ fontem, & violaria libauit diu; fœlix erit omnino, si non tam Hermatenæ tuæ recipietur in thalamum, quàm vt Apis virginalis, ingenij tui recondatur in sinum. Vale, Princeps Eminentissime, & inter cæteras tuas vniuersæ Christianæ Reipublicæ iuuandæ curas, libros, & literas propagando, vicissim ab ingeniis accipe æternitatem, & largire.

LICENCIA

## *LICENTIA DEL ORDINARIO DE GRANADA.*

NOs el Doctor don Alonso Garcia de Villamayor, Canonigo Doctoral de la Santa Yglesia de la Ciudad de Granada, Consultor del santo Oficio de la Inquisicion, Cathedratico de prima in Canones en la Vniuersidad de la dicha Ciudad, y Canciller della, Prouisor, y Vicario General en la misma Ciudad, y su Arçobispado, sede vacante. Vistas las censuras, y aprobaciones de personas doctas aquienes las cometimos del libro intitulado, *R. P. Thomæ Sanchez Cordubensis è Societate* IESV, *Theologi, Opuscula Moralia, seu Consilia in duos tomos distincta.* Y certificados no hallarse en el cosa que repugne a nuestra santa fe Catholica, antes auerse luzgado por muy vtil y prouechoso assi para los Theologos, como para los doctos in vtroque iure por la presente damos licencia para que se pueda imprimir. Dada en Granada, a diez y seys dia del mes de Abril de milly seys cientos y treinta y tres.

El D. Don ALONSO GARCIA, de Villamayor.

Por su mandado IVAN RODRIGVEZ, Not.

## *APPROBATIONES THEOLOGORVM.*

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magister, in Ecclesia Parochiali Sanctæ Crucis apud Cathedralem & Metropolitanam Lugdunensem Custos, Officialis ordinarius Metropolitanus Vicegerens, atque in hac Diœcesi Vicarius Generalis Substitutus: Ficem facimus non opus esse consilio de admittendis ad prælum hisce *R. P. Thomæ Sanchez è Societate* IESV, *Consiliorum Moralium, duobus Tomis*, cùm (vt olim respondit Iubentius Celsus Domitio Labeoni) *stulta sit consultatio quæ fiat de iure nimis aperto & indubitabili*: quinimò capiendum illicò prudens consilium de illis amicè & benevolè amplexandis typísque mandandis, quippe quæ sint eruditione affluentia, sana, Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ salutari doctrinæ, veróque iuri germana. Sic visum nobis. Lugduni, nonas Octobris, 1633.

DEVILLE.

NOs infrà scripti in sacræ Theologiæ facultate Magistri, fidem facimus nos perlegisse *Consilia, seu Opuscula Moralia R. P. Thomæ Sanchez Societatis* IESV, nihilque in eis fidei Orthodoxæ contrarium reperisse. Lugduni die 10. Octobris 1633.

Fr. CL. COCHET, Ord. Præd.

Fr. BERN. MOLLIASON, Licentiatus Theologus Parisiensis.

*Facultas R. P. Pruincialis Societatis* IESV, *in Prouincia Bætica.*

FRANCISCVS DE ALEMAN, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Bætica, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Nostro Mutio Vitelleschi, Generali Præposito eiusdem Societatis; facultatem concedo, vt *R. P. Thomæ Sanchez Societatis* IESV *Opuscua Moralia, seu Concilia in duos Tomos distributa*; vt virorum grauium, atque sapientium iudicio eiusdem Societatis examinata, & approbata, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & nostri officij sigillo munitas, dedimus Hispali, decima die Maij, anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio,

FRANCISCVS DE ALEMAN.

HERNAND. DE POBLACIONES, Secret.

## *SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.*

REGIS Christianissimi Priuilegio, dao Parisiis vigesima septima Decembris, millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, cautum est, ne quis in Prouinciis suæ ditioni subiectis, præter IACOBVM PROST Bibliopolam Lugdunensem, aut de illius facultate, opus hoc, cui itulus est *Consilia Moralia R. P. Thomæ Sanchez Cordubensis, è Societate* IESV, intra sexennium, à die editionis primæ computandum, mandare typis queat, sub pœnis in eo contentis.

*De mandato Regis.*

FARDOIL.

Prima editio finita fuit vltimo Ianuarij die, 1634.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# SERIES LIBRORVM

In Opuſculis moralibus, ſeu Conſiliis R. P. Thomæ Sanchez contentorum.

TOMO PRIORI.

LIBER
- I. Circa ius, & iuſtitiam commutatiuuam.
- II. Circa ius, & iuſtitiam diſtributiuam.
- III. Circa ius, & iuſtitiã iudicatiuam, atque ordinem iudiciarium

TOMO POSTERIORI.

LIBER
- IV. De conſiliis, ſeu caſibus particularibus circa vltimas vo tes, vbi de illegitimis.
- V. Circa ieiunium, & obſeruationem feſtorum.
- VI. Circa iudices, aliáque iudicialia.
- VII. Circa Ordines.

IN



# THOMÆ SANCHEZ,

E SOCIETATE IESV,

Opuſculorum moralium, ſeu Conſiliorum,

TOMVS PRIOR.

## LIBER PRIMVS

*Circa ius & iuſtitiam commutatiuam.*

### CAPVT I.

*De dominio, ſeruitute, ac patria poteſtate.*

SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An ſerui poſſint habere proprium, vel quidquid habent, ſit dominorum.*

2. *An ſeruus ſine licentia domini promittens aliquid, vel aliter contrahens, obligetur naturaliter, & in foro conſcientiæ.*

3. *Quibus titulis poſsit iuſtè quidam homo redigi in alterius ſeruitutem.*

4. *An licita ſit negotiatio, qua Luſitani emunt, & vendunt Æthiopes tanquam ſeruos, & an etiam quilibet priuatus emens, aut vendens aliquem ex his peccet.*

5. *An ſerui Chriſtiani poſsideri poſſint ab infidelibus, vel hæreticis, vel eis vendi, vel donari, aut quouis alio titulo eis tradi.*

6. *An ſeruis captis in bello iuſto liceat fugere, non ſolùm in patriam, ſed quocumque.*

7. *An vernaculis filiis ſeruarum captarum bello iuſto liceat fugere.*

8. *An aliquid interſit inter ſeruos bello iuſto captos, & alios, qui à ſe, vel à patre venditi ſunt, quoad poſſe fugere, id eſt, an omnibus his fas ſit fugere.*

9. *An ſi dominus impetat ancillam ad abutendum ea turpiter, poſsit fugere, vel ſit libera.*

10. *An ſit opus pium concedere ſeruis libertatem.*

11. *Quid ſit patria poteſtas, & quo iure inducta ſit.*

12. *Qui habeant dictam poteſtatem in filios, & in quales filios, ſcilicet an in illegitimos, vel filios adoptiuos.*

13. *Qui ſint effectus patriæ poteſtatis, id eſt, quod ius competat patri in filios ratione patriæ poteſtatis.*

14. *Per quæ liberetur filius à patria poteſtate.*

15. *An ratione dignitatis, & per contractum matrimonij eximatur filius in omnibus, etiam in odioſis, à patria poteſtate.*

16. *An ſacer ordo liberet filium à patria poteſtate.*

17. *An filij fugientes à parentibus, vel habita facultate gratia quærendi victum, recedentes, liberè poſsint conſumere, quæ lucrantur.*

18 *An filius, qui ſemel eſt extra patriam poteſtatem,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*statem, possit aliquo casu ad eandem potestatem restitui, & an possit pater aliquando cogi ad emancipandum filium, & sic à sua potestate liberandum.*

## DVBIVM I.

*An serui possint habere proprium, vel quidquid habent, sit dominorum.*

1 QVADRVPLEX est sententia.

Prima tenet eos, qui se vendiderunt, vel venditi sunt à parentibus, quidquid sunt, domini esse, & nihil posse tanquam proprium possidere; sed teneri domino restituere: at bello iusto captos, non quidquid sunt, esse dominorum, nec teneri in conscientia reddere dominis quod dono suscipiunt, vel ludo, vel titulo hæreditario, vel quauis alia via huiusmodi comparant, quia cùm non propria sponte in has angustias, & seruitutem redacti sint, non sunt ita coarctandi. Sic Soto *libro 4. de iustitia quæstione 2. articulo 2.* Ludouicus Lopez *1. parte instruct. capite 153. folio 347. & libro 2. de contractibus capite 40.* & quoad captos in bello iusto dicit esse omnium neotericorum, Salon. *quæstione 3. de dominio, articulo 1.* & docti iuniores.

2 Secunda sententia de seruitiis emptitiis sic distinguit: aut bona, quæ hi acquirunt, præter lucrum laboris quotidiani (nam hæc in omnibus seruis omnes conueniunt esse domini,) sunt permanentia, aut consumuntur vsu, vt sunt vestes, &c. Si primum, sunt dominorum, & sic dicunt intelligi leges dicentes, quidquid acquirunt serui, esse dominorum: si secundum, non sunt dominorum, sed seruorum, quia cùm in his vsu consumptibilibus vsus non distinguatur à dominio, sicut possunt habere vsum, sic dominium. Ita aliqui recentiores, & refert Salon. *secunda secundæ quæstione 3. de dominio, articulo 1. sub finem. fol. 358.*

3 Tertia sententia est aliorum (vt refert *ibi* Salon eos sequens) qui relinquunt tanquam claram, & certam sententiam Sori positam suprà *numero primo.* circa seruos bello captos; circa emptitios verò dicunt, quòd ad nihil aliud tenentur, quàm ad permanendum apud dominum, & quæ labore quotidiano lucrantur, suo domino exhibendum, aut quæ lucrantur ludo diebus, quibus laborandum erat: cætera autem sunt ipsorum. Vnde ipsorum est, quod lucrantur diebus festis, vel aliis diebus expleta opera, ad quam talibus diebus tenebantur, vel quæ dono, vel hæreditate accipiunt; nisi quando se vendiderunt, vendiderunt simul omnia iura, & actiones; quia seruitus cùm sit odiosa, est restringenda ad ea, quæ seruus in venditione domino expressit.

4 Quarta sententia omnino tenenda, docet, quòd regulariter quidquid acquirunt serui, siue capti in bello iusto, siue quia sunt venditi, &c. est dominorum; ius enim tribuit dominis ius ad omnes seruorum operas, quas recta ratio postulat, vt pro eorum conditione ac viribus præstent, & ad omnes eorum fructus, vt ad partus ancillarum, & ad reliqua emolumenta, quæ ex eis commodè percipi potuerint, vsque adeò, vt si quid vel donatione, vel testamento, vel ab intestato, vel quacumque alia ratione acquirant, non sibi, sed dominis, iuxta leges ciuiles, id acquirant. Nam quando iure gentium introductum est, vt capti in bello iusto essent serui, temporali morte, quæ poterat iustè infligi in perpetuam seruitutem commutata, eo pacto intellexit seruitutem, vt ex legibus ciuilibus, & consuetudine ipsa constat, vt dominium in seruos ea omnia iura comprehenderet, & reliquæ seruitutes quocumque alio titulo posteà introductæ, cùm ad instar illius primæ sint, eodem modo intelliguntur, nisi in earum aliqua sit iure ciuili facta aliqua exceptio. Probatur hoc, quia sic habetur *Institut. per quas personas nobil acquir. paragrapho item vobis, & lege 7. titulo 21. parte 4.* vbi sic dicitur: *Todas las cosas, que el sieruo ganare por qualquier via, que las gane, deben de ser de su señor.* & dicto *paragrapho item vobis*, sic dicitur: *Vobis acquiritur, quod serui vestri nanciscuntur, siue quid stipulentur, vel ex donatione, vel legato, siue ex qualibet alia causa acquirant; seruus enim nil suum habere potest.* Ecce quomodo leges vniuersaliter hoc de seruis discernant, cùm tamen compertum sit ferè semper seruitutem, quæ est in vsu, esse captorum in bello iusto; sicque vniuersaliter hoc de seruis docent Gregorius Lopez *dicta lege 7.* Diuus Thomas *2. 2. quæstione 32. articulo 8. ad 3.* Abulensis *capite 6. Matth. quæstione 56.* Syluest. *donatio 1. quæstione 1. dicto 5.* Armilla *verbo donatio, numero 3.* Angelus *donatio 1. numero 9.* Tabiena *donatio 1. numero 3. casu 2.* Nauarr. *in omnibus summis capite 17. numero 105.* Petrus Couarruuias *libro de remedio luxorum 2. parte capite 1.* Aragon. *2. 2. quæstione 32. articulo 8.* Matienzo *lib. 5. ordinat. titulo 11. lege 16. glossa 1. numero 2.* Nauarra *libro 3. de restitutione capite 1. numero 218. fol. 75.* atque adeò hanc nostram sententiam expressè, & vt hîc iacet, tenet P. Molina *tomo 1. de iustitia tractatu 2. disputatione 38. initio.* Denique multi Iurisperiti docti à me consulti hoc ipsum asseuerauerunt.

5 Nota quòd licèt hoc verum sit regulariter; at sunt aliqui casus, in quibus serui sibi ipsis acquirunt, verúmque dominium comparant: non enim pugnat cum iure ciuili, immò ipsi consonat, posse seruos aliquando habere proprium, vt patet ex *lege 1. paragrapho seruos. digestis de officio præfecti vrbis. & lege vix. ff. de iudic.* in quibus iuribus fit mentio, quando serui sua se redimunt pecunia: ergo supponunt posse seruos habere dominium pecuniæ.

6 Primus ergo casus, in quo seruus sibi ipsi acquirit, est, si interueniat pactum inter ipsum, & dominum vt sit quotidie contentus, verbi gratiâ, duobus argenteis, & reliquum sit seruo: quia licèt inter seruum vt sic, & dominum non sit propriè iustitia, nec contractus; est tamen inter seruum, vt homo est: vt docet Atistoteles 8. *Ethicorum capite 11.* & patet etiam ex *lege non solum*, quæ est 49. *paragrapho si ignorante. versiculo debitor. digestis de peculio*, vbi sic dicitur, *vt debitor, vel seruus domino, vel dominus seruo intelligatur, ex causa ciuili computandum est.* vbi textus supponit posse esse debitum domini ad seruum. Et ibi glossa *versiculo ex causa ciuili*, sic explicat, quæ causa obligaret ciuiliter vnum liberum alteri libero, eadem seruum domino, & econtrà obligat: non autem quòd dominus seruo ciuiliter obligetur. & licèt *lege nec seruus 41. digestis eodem titulo.* videatur negare talem obligationem, dicens seruum non posse debere, nec illi deberi, explicat illic glossa *verb. seruo*, de obligatione ciuili, secus de naturali, sic tenet Ludouicus Lopez *libro secundo de contractibus capite 40. folio 487.* Molina *dicta disputatione trigesima octaua folio 304.* vbi benè infert teneri tunc dominum stare contractui, nec posse vsurpare, quæ sibi seruus eo modo acquisiuit.

7 Secundus



7 Secundus est, si ea conditione expressa, vel tacita, bona aliqua sint seruo donata, vel relicta, vt non acquirantur domino, tunc sibi ipsi acquirit, nec tenebitur domino communicare. Ratio, quia eo ipso, quod domino communicaret, non essent ei donata, vel relicta, quiuis enim rei suæ conditionem apponere potest. Sic Nauarra *ibi numero 216. & 217.* & patet etiam, quia aliàs seruus nunquam posset pro sua redemptione pretium offerre, cùm illud semper esset domini. Idem Molina *primo tomo de iustitia tractatu 2. disputatione 38.* vbi & alios casus proponit.

8 Tertius casus est, si detur ancillæ ab amasio aliquid, esse suum, eo quòd tacita amasij voluntas ea sit: & quia donatur pro vsu corporis, quæ domino non subditur, atque hic casus ponitur à Patre Molina *suprà.*

9 Quartus casus est, si quid dominus tacitè, vel expressè donet suo seruo, vel velit sibi habere seruum vndecumque acquirat, tunc enim distinguendum est, an solùm ad vsum id concedat dominus, tunc enim seruus non fit illius dominus; an etiam vt sit serui, ita vt de illo possit seruus disponere: tunc enim id acquirit seruus, nec potest dominus reuocare, nisi iusta causa intercedat: sic Molina *suprà.*

10 Quintus est, quando seruo vel à domino, vel ab alio restituitur aliquid pro damno, aut iniuria sibi illata in iis, quæ domini potestati non subiacent, quia enim restituitur pro iniuria sibi illata, qua homo est, & quod ad ea, quæ domino non subiacent, verè acquirit dominium. Sic Molina *ibidem.*

11 Sextus est, si seruus bonis suis, quorum seruus est dominus, ludo, aut aliqua negotiatione sine vllo præiudicio obsequiorum domini aliquid lucretur; id enim sibi comparat. Molina *ibi*; similiter si seruus peculio suo aliquid acquirat, potest ita expendere, ac ipsum peculium; latè probat Nauarr. *cons. 4. num 68. de regular.*

12 Septimus est, si seruus haberet pecunias ad vestitum, vel vsum proprium necessarium; tunc enim non est illicitum seruo eas habere, quia hoc cedit in domini vtilitatem. Nauarra *ibi num. 217.* quod intelligo, quando dominus non suppeditaret necessaria, vel ægrè hoc ferret.

13 Nota quòd si non deficiendo debito seruitio domini, nec notabiliter vires diminuendo, seruus vigilaret tempore, quo somno vacaturus erat, & sic tunc aliquid acquireret, vel parcè viuendo subtraheret sibi aliquid de cibis, & id venderet, posset sibi retinere. Nauarra *ibi numero 219. 220.* Ludouicus Lopez *libro 2. de contract. cap. 40. initio.*

14 Sed hoc intelligo duplici limitatione. Prima est, vt procedat ex præsumpta domini voluntate: vnde si dominus expressè nollet, & vellet sibi illud, teneretur ei dare. Patet, quia nullus damnaret dominum, qui illud auferret à seruo: at dum dominus hoc non exprimit, præsumitur eum velle. Secunda est, quando destinata est certa portio ciborum, id est, *quando se da por racion.* tunc enim præsumitur dominum velle, vt quod seruus sibi subtrahit, non deficiendo debito seruitio, nec notabiliter vires minuendo, sibi acquirat. At quando non destinatur certa portio, id est, *no se da por racion*; non potest seruus sibi retinere, quod ob defectum appetitus relinqueret: si verò ex eo quod ipse apetebat, & re vera erat manducaturus, aliquid sibi detraheret, non minuendo notabiliter vires, posset sibi retinere. Atque sic visum est quibusdam viris doctis.

15 Hinc patet solutio ad hunc casum, scilicet, an famuli, quod ex cibis ipsis supersit, possint sibi retinere; dicendum enim est quòd si cibus illis tributur sub destinata quantitate & portione, id est, *por racion*, totum quod illis supersit, est suum: sin verò quod supersit, est domini. Sic docti recentiores, quod intellige, nisi illi sibi auferant ex eo, quod comesturi erant, vt dixi.

16 Tandem nota quòd seruus hæreditatem sibi relictam potest non acceptare, si tamen acceptet, domini est, *lege cum proponas. Cod. de hæred. instit.* & docet ibi glossa *versicul. potuit.* Tello *lege 4. Taur. numero 53.* Matienç. *libro 5. ordinament. titulo 3. lege 1. gloss. 2. num. 5.*

17 Ex dictis fit famulos nunquam, vel rarò peccare mortaliter, si accipiant, vt edant cibaria communia ex domo herorum; tum quia dominus non est inuitus, tum etiam, quia alij ex ordinario cibo sumptus excusantur, minus enim hora consueta comedunt. Sic Nauarra *ibi numero 221.* & refert Nauar. *capite 17.* Hispan. *numero 139.* Latina noua *numero 138.* Sed Nauarrus non ita absolutè loquitur, vt Nauarra, sed dicit non peccare mortaliter, sed venialiter, quando credunt illa dominum concessurum esse si ab eo peterent, licèt nollent, vt se inscio accipiant, quia tunc est tantùm furtum, quo ad modum. Vnde quando famulis tribuitur certa, ac determinata portio, id est, *si les da racion*, cùm credatur dominum nolle eos aliquid furari, nec ob hoc excusetur ex alia parte, id quod illis daturus erat ad manducandum, censendum est de his furtis ac si fierent ab iis, qui non sunt famuli, nisi essent tam modica, vt credatur Dominum velle. Similiter quando minimè crederetur dominum velle, etiamsi illis non detur cibus sub certa quantitate, & portione; si tamen ipsis ciboria congruentia impertiuntur, nec ob ea, quæ furantur, aliquid excusatur ex cibo. iudicandum est similiter ac si talia furta fierent ab iis, qui non sunt famuli, nisi, vt dixi, essent tam modica, vt rationabiliter deberet dominus velle.

## DVBIVM II.

*An seruus sine licentia domini promittens aliquid, vel aliter contrahens obligetur naturaliter, & in foro conscientiæ.*

1 REspondetur affirmatiuè, vt est textus expressus *leg. naturaliter, ff. de condict. indebiti, & lege 5. titulo 12. part. 5.* & ibi Gregorius Lopez *versiculo Tenudo.* gloss. *leg. 2. ff. de fideiussoribus & mandator. versiculo pusillum*, & ibi Bartolus *numero 2. gloss. Institut. de fideiussorib. §. in omnibus. versicul. pro seruo.* Panormitanus *cap. ex rescripto, de iureiurand. numero 1.* & ibi Felinus *numero 1.* Ancharan. *numero 5.* Nauarr. *cap. non dicatis 12. quæstione 1. numero 74. versiculo 15.* Molina *tom. 5. de iustit. tract. 2. disp. 140. fol. 763.*

2 Hinc fit, quòd in omnibus casibus, in quibus liber homo teneretur naturaliter, & ciuiliter, tenetur seruus naturaliter; sic glossæ, Bartolus, Gregorius Lopez *ibidem.*

3 Secundò fit quòd si seruus se obliget dando fideiussorem, tenetur fideiussor naturaliter & ciuiliter, quia fideiussio potest accedere naturali obligationi; sic habetur *ea l. 5. partita, & dicto §. in omnibus Institut. de fideiuss.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM III.

*Quibus titulis possit iustè quidam homo redigi in alterius seruitutem.*

1 SIt prima conclusio : duplici titulo potest quidam homo in alterius seruitutem redigi, ita vt vetus illius seruus efficiatur, scilicet propria voluntate, vel per leges. Propria voluntate redigitur quis in seruitutem, quando quis se ipsum vendit, siue ad tempus, siue in perpetuum, vel quando cùm sit sub patris potestate, ab ipso venditur, eadem enim reputatur patris, ac filij voluntas. Per leges verò fit seruus ille, qui bello iusto captus est : item qui per iustam sententiam iudicis ad seruitutem damnatus est.

2 Secunda conclusio, seruitus, qua quis seipsum vendit, licita est, dummodo viginti annos natus sit, & liberè, & seruitutis conscius, & pretium verè participans seipsum vendat. Patet *Exod. 21. & Leuitic. 25.* vbi permittitur vt Hebræi egestate compulsi se ad tempus vendant ; Gentiles verò in perpetuum. Et hæc conclusio habetur *Institut. de iur. person. §. serui autem. & lege 1. titul. 21. part. 4.* & ratio est, quia fas est inter mala pœnæ minus, maioris vitandi gratia, eligere. Ergo ad vitandam mortem, vel aliquid aliud, potest quis se libertate priuare. Item, quia homo dominus est suæ libertatis. Ita Sylvester *verbo seruitus, quæst. 3.* Soto *lib. 4. de iust. q. 2. artic. 2.*

3 Nota conclusionem intelligi, modò non id vergat in alterius dumnum ; si enim is aliquibus obligationibus, quibus manens liber satisfacere posset, constrictus esset, non posset se in seruitutem redigere.

4 Tertia conclusio, seruitus, qua filius sub patris potestate constitutus ob inopiam venditur, licita est. de hac conclusione latè dicam infrà *dubio 13.*

5 Vltima conclusio, seruitus, in quam bello iusto capti rediguntur, licita est. patet *Institut. de rerum diuis. § item ea, quæ ex hostibus, & l. naturalem. §. fin. de acquirend. rer. domin. l. hostem. ff. de captiu. leg. 1. tit. 29. part. 2.* & ratio est, nam bello iusto capti possunt vita priuari : ergo libertate.

6 Nota conclusionem hanc habere verum, nisi Christianus capiatur à Christiano, tunc enim quantumuis iustum sit bellum, non efficitur seruus ; sic enim generalis consuetudo obtinuit propter charitatem, quæ in Christo omnibus Christianis communis est. Sic definit *dicta lex 1. titul. 29. part. 2.* & ibi Gregorius Lopez *versiculo Alguna.* Perez *libro 1. ordin. tit. 12. leg. 3. folio 316.* Simancas *libro Institut. tit. 6. num. 2.* & plures, quos ibi refert Conradus *de contract. quæst. 74.* Baëza *lib. de inope debitore cap. 2. num. 20. 30.* Soto *vbi suprà ad 1.* Armil. *verbo seruitus, num. 22.* Bart. Panorm. Salic. Ægidius, Bellamera, Ioannes de Terrarubea, quos refert, & sequitur Couarr. *regula, peccatum, 2. part. §. 11. num. 6.*

7 Hinc infertur Christianum bello iusto à Christiano captum non possidendum esse ac mancipium, sed seruandum esse ; & præstita pecunia in redemptionis pretium dimittendum esse. Sic Salicet. Gregorius Lopez, Bañez 2 2. *quæst. 40. artic. 1. dub. 12.* Couarr. *ibidem*, tanquam ille qui aliquem à captiuitate redimit, illum retinere potest, donec redemptionis pretium sibi soluat, cæterùm non pro seruo, vt disponit *l. 11. titulo 29. part. 2.*

8 Secundò sequitur, bona Christiani, qui ab alio Christiano bello iusto capitur, non esse capientis, nisi ea, quæ tunc in bello in prædam deuenerint. Ratio, quia Christianus ille captus reuera non est seruus ; sic Soto *vbi suprà.*

## DVBIVM IV.

*An sit licita negociatio, qua Lusitani emunt, & vendunt nigros Æthiopianos tanquam seruos? & an etiam quilibet priuatus emens, aut vendens aliquem ex his seruis peccet.*

1 HAc in re primò supponendum est, ex quibus titulis hi Æthiopes iustè possint in seruitutem redigi ; ij enim sunt quinque. Primus titulus est, quia inter ipsos sunt aliqua bella, & aliqua erunt iusta saltem ex parte illorum, qui se defendunt ; si qui ergo in bello iusto capiuntur, licitè fiunt serui, & venduntur, & emuntur. Hic titulus est manifestus, & ab omnibus conceditur, vt patet ex dictis *dub. 3.* Secundus titulus est, quia aliquando venduntur à parentibus in graui necessitate constitutis, qui etiam titulus iustus est secundùm omnes, vt patet ex *dicto dubio tertio*, & ex infrà dicendis *dubio decimo tertio.* Tertius titulus est, quia inter ipsos sunt aliquæ leges iustæ imponentes pœnam seruitutis contrahentibus aliqua delicta, sicut inter nos damnatur ad triremes, & sic in pœnam delicti damnantur à iudice, vt vendantur in seruos. Et hic etiam titulus est iustus secundùm omnes, & patet ex *dicto dubio tertio.* Quartus titulus est, quando ipsi sua voluntate se vendunt in seruos, qui etiam titulus est iustus secundùm omnes, modò liberè, & scientes quid faciant, se vendant, & pretium iustum ipsis detur, & id non cedat in alterius præiudicium, vt quia sunt coniugati : vt patet ex *dicto dubio tertio* ; & licèt ibi dixerim requiri, vt nati sint viginti annos : at cùm id tantùm probetur lege regni, & etiam lege Romanorum Imperatorum, quæ apud Æthiopes non obligant, sat erit, si habeant sufficiens iudicium ad cognoscendùm quid faciant, vt bene notauit quidam doctus neotericus, & hos titulos ponit Mercado *libro secundo de contractibus, capite vigesimo.* Quintus titulus est, quòd isti Æthiopes de Congo sunt vicini alteri regno quod dicitur *de los Pumbos*, qui gerunt cum illis bellum, & omnes, quos capiunt, vendunt in macello publico ad vescendum sicut carnes animalium, & si accedat aliquis mercator ad emendum Æthiopem offerens maius pretium quàm in macello appensus venundaretur, ei venditur in seruum : hic titulus non est adeò certus, ac præcedentes, quidam enim negant esse iustum, tum quia carnifices vendentes iniustè vendunt, & ipsi Æthiopes non se vendunt, sua sponte. Secundò, quia cùm illa sit extrema necessitas, tenetur mercator illi subuenire : ergo iniustè emit. Sic quidam docti iuniores. Idem Franciscus Garcia *de contractibus, parte prima, capite decimo septimo.* At dicendum est, esse iustum titulum. Ratio, quia illi Æthiopes possunt iure naturali se vendere, & tradere in seruos ; sed hoc in hoc casu licèt id non explicent verbis, at certum est, quòd volunt saltem interpretatiuè. Vnde nisi expresè potius velint eligere mortem, censendum est velle illam seruitutem. Nec obstat, quòd illa est extrema necessitas, quia etiam in extrema necessitate est opinio valde probabilis, quòd non tenetur quis gratis dare patienti extremam necessitatem, quando potest ei aliter subuenire, scilicet commodando, vel emendo, quod ipse potest vendere, & hic potest vendere seipsum : item quia licèt hæc opinio non esset probabilis, sed teneretur quis gratis dare, at certum videtur, quòd mercatores non tenerentur tantam multitudinem gratis redimere, quia census Regis non sat esset ad hoc : nec tenentur exire proprias domos, & exponere se tantis laboribus



laboribus, & periculis, vt adeant redempturi illos Æthiopes : vnde necessariò hæc debet fieri negotiatio, vt mercator illuc tendat cum aliquo interesse. Et sic hunc titulum esse iustum, docent Nauarrus in omnibus summis *cap. 23.* Hispan. *numero 95. 96.* Latinæ *numero 96.* & docti recentiores, quorum quidam satis peritus, præcipuè in rebus moralibus, addit, quòd in hoc casu non est necessarium explicare eis statum perpetuæ seruituris, cui se subdunt, sicut quando non constituti in hoc periculo se vendunt ; quia in plurimum omnes mallent hunc statum, quàm mori, propter naturalem propensionem ad vitam. Nec etiam est necessarium, vt pretium sit iustum, quia non datur pretium ipsis seruis, respectu quorum est licitus contractus, sed tyrannis, qui iniustè illos vendunt. Atque sic sentiunt nostri temporis nonnulli admodum docti Theologi.

2 Secundum fundamentum sit, licèt dicti tituli sint iusti, vt hi redigantur in seruitutem, at miscentur multæ iniustitiæ his titulis, ob quas iniustè fiunt serui : nam primo titulo belli iusti miscetur, quòd cùm illi sint barbari, nec ratione moueantur, sed passione, nec consultent ius, quod habent indicendi bellum, sæpè mouent bella iniusta, etiam ex qualibet leuissima causa ; immo cùm norint Lusitanos mercari huiusmodi seruos, & commutare pro iis res, quas afferunt, se inuicem capiunt, vt venari solent feras, & habent hoc, ac quoddam negotiationis genus. Secundo titulo admiscetur, quòd sæpè venduntur à parentibus non constitutis in graui necessitate, sed ex leui qualibet ira? Tertio titulo admiscetur, quòd multæ leges illorum sunt tyrannicæ, & iniustæ : sæpè etiam ex odio, vel ira damnantur in seruitutem, cùm illi barbari sint. Quarto titulo miscetur, quòd illi cùm ita rudes sint, non intelligunt seruitutem, cui se destinant, nec mercatores illis eam explicant. Sæpe etiam sunt coniugati, & sic non se possunt vendere. Vnde fama communis orta est in plurimum, hos Æthiopes iniustè, & fraudibus in seruitutem redigi. Hæc Mercado vbi suprà.

3 Tertium fundamentum ; quoties quis bona fide in alicuius rei possessionem ingressus est, licèt deinceps dubitet æquali probabilitate ad vtramque partem rem esse suam, si facta sufficienti diligentia non potest vincere dubium, non tenetur restituere, sed potest retinere, quia in dubio melior est possidentis conditio. Sic Sotus *lib de secreto, membro 3. quæstione 2. versiculo & quamuis. & 4. distinct. 27. quæstione 1. articulo 3. versiculo ad huiusmodi.* Burgos de Paz *§. parte legis 3. Tauri, numero 1482.* Medina *cap. de restitut. quæstione 23. & quæstione 17. §. Corollarie sequitur non esse indistincte verum.* Ledesma *2. 4. quæst. 8. articul. 4. fol. 69. col. 1. in medio* ; & hæc est communis ferè omnium sententia, de qua re latè dixi *lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 12.*

4 Hinc fit minus bene sensisse Adrianum *4. mat. de restitut. quæst. de præscriptione § hoc supposito*, vbi dicit dubitantem, an res sit sua, peccare detinendo.

5 Secundò fit minus bene sensisse Cordub. *lib. 3. quæstionarij quæst. 6. §. vltimo*, & Sotum *lib. 4. de iustit. quæst. 5. artic. 4. vers. ad rationem autem.* & Ledesm. *2. 4. quæst. 18. art. 1. dub. 14 fol. 231. pag. 1.* vbi dicunt in hoc dubio teneri partem dare ei, de quo dubitat magis, vel minus secundùm qualitatem dubij ; & si talis dominus, de quo dubitat est incertus, teneri dare partem pauperibus.

6 Tertiò fit, quòd si tempore dubij, an res sit mea quam possideo, alter de quo dubito, surriperet, & non possum certus esse, an res sit mea, vel sua, possum occultè me compensare, quia contra iustitiam in illo dubio alter me surripuit, cùm melior esset mea conditio ratione possessionis.

7 Quartò infertur, quòd dubitans, an res quam alius possidet, sit sua, nullo modo potest vti compensatione, sed requiritur ad hoc vt omnino sit certus, in dubio enim melior est conditio alterius possidentis ; sic omnes Doctores citati.

8 Quartum fundamentum sit, qui dubitans, an aliqua res sua sit, illam acciperet, non tantùm peccaret, sed etiam teneretur restituere, dum non est certus esse suam, quia in dubio melius ius habebat ille possidens ; sic Nauarr. in omnibus summis *cap. 17. num. 117.* Corduba *summa quæst. 111. ort. 2. La tercera condicion.* Et quidam doctus recentior, contra Metinam *cap. de restit. quæst. 20. vers. secundum quia* ; vbi dicit quòd accipiens rem, quam dubitat esse suam, vel possidentis, peccat accipiendo, sed non tenetur restituere manente dubio.

9 Quintum fundamentum sit, quòd non tantùm est peccatum mortale emere rem, quam probabiliter credo, vel dubito esse furto ablatam ; sed etiam, quando est fama à fide dignis orta, quòd magna pars rerum, quas ille vendit, est furtò ablata, licèt certum sit aliquas res esse inter eas quæ non sunt furto ablatæ ; esset (inquam) mortale emere tunc propter periculum, & probabile dubium emendi res furtiuas. Sic Mercado ibi. His suppositis sit

10 Prima conclusio : hæc contractatio Lusitanorum, vel aliorum mercatorum, qua adducunt Æthiopes è suis regnis ad nostra vendendos tanquam seruos, est illicita, & peccatum mortale, & tenentur tales mercatores eos manumittere ; probatur, quia licèt aliqui horum possint iustè esse serui, at in plurimum iniustè capiuntur, vt patet ex secundo fundamento : ergo intromittens se in contractationem tam dubiam & periculosam, communicat in peccato, & peccat mortaliter ; & confirmatur, quia si quis afferret nauim onustam mercibus, & esset publica vox, & fama, quòd magna pars illarum mercium erat furto habita, nullus posset licitè emere, licèt non esset dubium quin simul afferret aliquas merces non furto habitas, vt dixi in quinto fundamento. Sed est publica vox, & fama à fide dignis orta quòd magna pars horum Æthiopum sunt iniustè capti, vt docent Mercado *vbi suprà*, & Franciscus Garcia *dicto capite decimo septimo, folio 491.* Nauarr. *capite vigesimo octauo addition. ad numerum 96. cap. 23.* & in summa Latin. *capite vigesimo tertio, numero nonagesimo sexto.* & hæc fama habet maximum fundamentum, vt probari in secundo fundamento ; ergo Confirmatur secundò, quia propter hoc damnamus cælatores, & obsoletarum vestium, atque tritarum sutores, quando emunt ea, quæ probabiliter credunt esse furto ablata, & obligamus eos ad restituendum, quia nullus potest emere quod credit probabiliter esse alienum, nisi vt restituat proprio domino : ergo multo minus licebit emere hos Æthiopes, de quibus constat maiorem partem iniustè capi. Item quia cùm possessio libertatis sit naturalissima, & magis antiqua in homine, & sit magna causa ad præsumendum hos esse iniustè captos, vel saltem ad dubitandum de hoc, potiùs est præsumendum pro libertate illorum, dum non constat contrarium. Sic tenent Mercado *dicto capite vigesimo*, Nauarra *libro tertio de restitut. cap. 1. numero 215. folio 74.* & dicit Mercado se consuluisse de hoc viros doctos, Salmanticæ, Hispali, Olisipone, & apud Mexicanam prouinciam, tenuere non pauci, neque parum docti recentiores Magistri de hac re consulti : Pro eadem est Nauarrus in summa Hisp. *capite 23. numero 96.* & Latina *numero 95.* vbi dicit, peccare mortaliter, & teneri manumittere ementem hos Æthiopes, cùm credat, vel credere debeat esse iniustè captos, & *capite 28. addit. ad dict. num. 96.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



& Latina *capite* 23. *numero* 96. dicit malam fidem habere, qui credit esse famam publicam à fide dignis ortam, esse malè captos. Et Ledesma 2. 4. *quæstione decima octaua, articulo primo, dubio vndecimo, folio* 225. *pagina secunda*, vbi dicit, mortaliter peccare, qui scientes, vel dubitantes emunt, & teneri manumittere, & hoc idem Franciscus Garçia *dict. cap.* 7. *folio* 489. & 490.

11 Secunda conclusio: si mercatores, qui ibi emunt prædictos Æthiopes, essent timorati, & exactissimè examinarent omni via possibili qualiter sint Æthiopes hi capti, licita esset hæc contractatio. Sic Mercado *ibi*; dicit tamen hoc esse moraliter impossibile, & ad summum facere quasdam interrogationes generales, & quandam protestationem coram tabellione, quòd emunt Æthiopes bono iure, & bello iusto captos, sin minus, venditionis contractum dissoluere tenebuntur. Optimum sanè solatium pauperi Æthiopi, qui exulat, ac remouetur à patria sua, mille, aut bis mille leucis ad quærendum remedium & probandam vim, atque hoc idem placuit nonnullis recentioribus.

12 Tertia conclusio: mercatores, qui in magna quantitate & numero emunt ab iis qui hos Æthiopes trahut ex Æthiopia, peccant mortaliter, & tenentur manumittere, nisi sufficienti facta indagine moraliter constet Æthiopes esse iustè captos. Probatur omnibus rationibus factis pro prima conclusione, & quia licèt bona fide emerent, quia scilicet aliquis doctus dixit eos posse emere, & possent allegare pro se possessionem bona fide inchoatam, qua stante dubium superueniens non obligat restituere, vt dixi in tertio fundamento; at hic non est dubium, sed probabilissimum est maiorem partem iniustè capi; at quando est talis probabilitas, bona fides non excusat à restitutione. Sic colligitur ex sententia Nauarr. allegati pro prima conclusione, & tenuit quidam satis doctus Magister, dicens, se non videre quomodo oppositum possit iure defendi: videtur etiam tenere Nauarra, & Mercado vbi citati sunt pro prima conclusione, & Ledesma *ibi*.

13 Quarta conclusio, qui emit Æthiopem vnum, vel alterum ab iis mercatoribus, qui afferunt ex Æthiopia, tenetur diligentiam adhibere ad videndum, an Æthiops, quem emit, sit iustè captus; at post vnam, vel alteram venditionem factam non videtur teneri emptor diligentiam talem adhibere. Ratio, quia in primo casu videtur possibilis diligentia, & est probabile dubium maiorem partem iniustè capi: at postea est impossibilis diligentia, & nullo modo potest constare; vt qui emeret ex afferente nauim onustam mercibus, quarum magna pars esset furto ablata, teneretur diligentiam adhibere; at post vnam, vel alteram venditionem, qui emeret aliquam rem, non teneretur ad hanc indaginem.

14 Quinta conclusio, qui emit vnum, vel alterum Æthiopem bona fide, licèt postea superueniat dubium, an fuerit iustè captus, non tenetur illum manumittere. Ratio, quia in dubio melior est conditio possidentis, vnde si est possibile facere diligentiam, & hic fiat, nec possit certificari, potest turus manere; ita docui *libro secundo de matrimonio, disputatione* 41. *numero* 28 sic Nauarra *libro* 3. *de restitut. cap.* 1. *numero* 216. Franciscus Garçia *dicto cap.* 17. *in fine*. Palacios *libro* 2. *contract. cap.* 8. *folio* 155. & omnes Magistri citati pro prima conclusione. Licèt Mercado ibi citatus, dubius maneat, nec audeat approbare, nec damnare.

15 Sexta conclusio: si verò mala fide emit, vt cum dubio an iustè, vel iniustè fuerit captus, & sic possit emere, tunc peccat mortaliter: & si non potest deponere dubium aliquibus rationibus probabilibus, tenetur manumittere. Ratio, quia possessio nihil illum iuuat, cùm sit mala fide habita, & sit alius, qui potius ius habeat, scilicet ipse Æthiops, qui ius naturale, & possessionem naturalem suæ libertatis habet. Sic Nauarra, Ledesma *ibi*, & Magistri citati.

Nota, hoc limitandum esse iuxta doctrinam, quam docui *libro* 2. *de matrimon. disput.* 41. *num.* 28. & tenet Molina *ibidem* citatus, nisi is, à quo hic emit hac dubia fide, haberet bonam fidem, tunc enim non teneretur hic manumittere, quia cùm succedat in iure, quod alius habebat, à quo emit, & ille habeat bonum ius, scilicet possessionem bona fide, quæ in dubio ius præbet, potest illo iure se tueri. Atque hæc omnia sic resoluta multis viris doctis, quibus ea nota feci, maximè placuerunt.

Hinc fit, minus bene Palacios *vbi suprà*, dixisse emptorem horum Æthiopum postquam ad nos adducti sunt, & publicè venduntur, non teneri ad ampliorem inquisitionem, sed posse opinari licitè vendi, quia (vt probaui) est fama communis in oppositum.

## DVBIVM V.

*An serui Christiani possideri possint ab infidelibus, vel hæreticis, vel eis vendi, vel donari, aut quouis alio titulo eis tradi.*

1 REspondetur negatiuè: sed vel ad libertatem reducendi sunt, vel eis auferendi, ne religio Christiana istis subiecta polluatur. Vt enim Euripides inquit, serui plerumque dominorum moribus inficiolent. Sic cautum est *cap. mancipia, cum sequentibus*, 54. *distinct. cap.* 1. *& 2. de Iudæis, l.* 1. *Cod. ne Christiana mancipia*. & III. Concilio Aurelianensi *canon.* 10. & IIII. Cocil. *canone* 18. & I. Matisconensi *canone* 10. & IV. Toletano *canone* 64. *& l.* 13. *tit.* 9. *part.* 6. *& l. penultim. tit.* 24. *part.* 7. & Gregorius Lopez *super eas*. Simancas *lib. de institut. tit.* 61. *num.* 10. Bañes 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 12.

2 Hinc fit, quòd si seruus Christianus legetur Iudæo, vel cuiuis alio infideli, vel hæretico, non valebit legatum. sic expressè *lege* 13. *titulo* 9. *part.* 6. vbi notat Gregorius *versic. No es valedera*, quòd in hoc casu non habebit legatarius æstimationem serui. Licèt enim quando legatarius & incapax legati ratione alicuius statuti, & non ratione delicti, est habiturus æstimationem, vt si per statutum sit prohibitus forensis acquirere immobilia, & legetur forensi aliquod immobile, habebit æstimationem, vt tenet communis *in l. apud Iulianum* § *constat. ff. de legat.* 1. contra Bartolum *ibi*, vt est videre apud Alexandr. *ibi*. at quando est incapax ratione delicti, vt in nostro casu, neque etiam æstimationem habiturus est. Hæc Gregorius Lopez *ibi*.

3 Immo si serui Christiani sint, & eorum dominus labatur in hæresim, manent ipso iure liberi. *l. Manichæos. Cod. de hæreticis, & cap. vltim. de hæretic. & l. finali, tit.* 21. *part.* 4. nec seruorum dominium obtinebunt, licèt ad fidem catholicam reuertantur, & Rex illis omnia bona concedat; quia libertas quocunque modo data, non est reuocanda, neque beneficium Principis cuiquam damnosum esse debet. Sic habetur prima instructione Hispalensi, *cap.* 24. *& l.* 1. *cum sequentibus. Cod. si aduersùs libert. & l.* 2. §. *si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico fiat*. Hæc Simancas *suprà numero* 8. *&* 9. & alij: de hoc latè dixi *lib.* 2. *summæ, cap.* 24. *à num.* 9.

4 Immo si infidelis, vel hæreticus habeat seruum infidelem, & hic conuertatur ad fidem, manet ipso iure liber, licèt postea etiam dominus conuertatur ad fidem, vt habetur, *dicta lege finali titulo vigesimo primo parte* 4. vbi Gregorius Lopez *versic. dessa*, notat, quòd si simul cum seruo conuertereturdominus ad fidem, non perderet dominium serui: & limitandum est hoc, quòd seruus talis conuersus ad fidem acquirat libertatem, quando emptus fuerat à domino ad retinendum eum; secus si emit causa negotiationis ad reuendendum, tunc enim, quid faciendum sit, disponit *d. lex finalis tit.* 21. *part.* 4.



## DVBIVM VI.

*An aliquid interfit inter seruos bello iusto captos, & alios, qui à se, vel à patre venditi sunt, quoad posse fugere, id est, an omnibus his fas sit fugere.*

1 HAc in re aliqua sunt certa.

Primò certum est, eum qui se vendidit, fugere non posse. Ratio, quia sua sponte se libertate priuauit, & facultate fugiendi. Sic Sotus, & Iosephus Angles *vbi infrà*. Bañes 2. 2. *quæst.* 40 *art.* 1. *dub. penult.* Ludouicus Lopez 2. *part. instruct. cap.* 3. *fol.* 24. Nauarra *vbi infrà*, & quidam docti iuniores.

2 Secundò certum est, eum, qui à patre venditus est, fugere non posse. Ratio, quia voluntas filij, dum sub patria est potestate, reputatur voluntas patris. Sicut ergo, quia propria voluntate se vendidit, fugere nequit: ita quando voluntate paterna, quia reputatur eadem voluntas. Nauarr. *lib.* 3. *de rest. cap.* 1. *num.* 212. & quidam docti recentiores, idem dicit Molina *inf. a.*

3 Tertiò certum est, seruos bello captos, si à dominis fugiant, ad patriámque redeant, ad pristinam reduci libertatem. patet *Institut. de rerum diuis.* §. *item ea, quæ ab hostibus*; vbi sic dicitur: *Liberi homines capti in bello iusto in seruitutem nostram reducuntur: qui tamen si euaserint, ad suos que reuersi fuerint, pristinum statum recipiant.* Idem habetur *lege* 23. *titulo* 29. *part.* 3. *& libro* 23. *titulo* 14. *part.* 7. vbi dicitur, quòd vbi semel redit ad suos, sit liber, nec potest capi à domino, licèt postea redeat.

At dubium est, an serui bello iusto capti peccent fugiendo: Duplex est sententia.

4 Prima tenet peccare fugiendo. Probatur, seruus tenetur domino obedire; ergo nequit fugere, quia non sunt compatibilia. Item, quia fugiendo surripit rem domini, hanc tenet Turrecrem. *capite ius gentium, distinctione prima, quæstione* 4 *fine*. Hugo & glossa *ibi*. Diuus Anton. 3. *parte titulo* 3. *capite* 6. §. 4. Anchar. *reg. peccatum. de regulis iuris in* 6. Aretinus *leg. qui à latronibus. ff. de testamentis*. Nauarr. *cap.* 17. Latinæ & Hispanæ *numero* 103. Felinus *cap.* 1. *de constitut. numero* 64. Panormitanus *cap. sicut, de iureiurand.* Patet Molina *tomo* 1. *de iustitia tractatu secundo disputatione* 37. Syluester *verbo, seruitus, quæstione* 3. Sed Syluester limitat, nisi captus sit Christianus, quam limitationem negat Nauarr & dicit teneri sic fugientem semetipsum domino restituere, vel pretium sui ipsius. idem P. Molina.

5 Secunda sententia docet non peccare fugiendo. Probatur, quia non aliter acceptatum est ius gentium de seruitute captorum bello iusto, quàm cum prædicta fugiendi libertate: & sic leges citatæ explicant libertatem acquirere fugiendo, quod non fieret, si fugientes delinquerent contra iustitiam, cùm per iniustitiam nullum ius acquiratur. Item, quia sicut licebat illi seruo ante captiuitatem, ita & pòst, non enim ius suum amisit. Ita Sotus *libro* 4. *de institit. quæstione secunda, articulo* 2. Menchaca *libro* 1. *controuersiarum frequentium, cap.* 10. *num.* 52. Iosephus Angles *in floribus quæst. theologic.* 2. *part. quæst. de dominio. difficult.* 4. *artic.* 2 *folio* 134. 135. Salon 2. 2. *quæstione* 3. *de dominio. articulo* 1. Couarruuias *libro* 1. *variarum cap.* 2. *numero* 10. Bañes, Ludouicus Lopez *supra*. Nauarra *supra numero* 200. & quidam recentiores docti, communiterque Neoterici; & hæc sententia est probabiliior. Nec placet limitatio Nauarræ, scilicet, quòd si est diues, tenetur soluere pretium suæ redemptionis. Hinc infertur, si captus bello iusto alteri vendatur, & ab eo emptore fugiat, non teneri restituere pretium, quia eodem titulo dicitur seruire emptori, quo capienti. Sic Iosephus Angles *ibidem* Nauarra *num.* 209.

6 Nota hanc secundam sententiam limitandam esse, nisi capti bello iusto promiserint se non fugituros, tunc enim tenentur fidem seruare. Sotus & Iosephus, Angles *ibidem*. Salon *ibidem*. Ludouicus Lopez *suprà*.

7 An liceat consulere seruis, qui possunt fugere, vt fugiant, & ad id iuuare; quidam doctus iunior, & Salon tenuit, quòd non, & Ludouic. Lopez 2. *p. instr. c.* 3. *fol.* 24. per *cap. si quis seruum* 17. *quæst.* 4. Sed contrarium est tenendum, & videtur tenere Bañes, Soto *suprà*. Nauarra *num.* 20. explicant enim illud caput de seruis, qui se vendiderunt, & docti nonnulli iuniores.

## DVBIVM VII.

*An liceat seruis bello iusto captis fugere non solum in patriam, sed quocunque.*

1 NOta certum esse, non licere illis ita fugere; vt intra hostium confinia commorentur; cùm enim eo tempore serui sint, nec libertatem acquisierint, tenentur domino obedire. Sic Couarruuias *libro* 4. *variarum cap.* 2. *num.* 10. *& regul. peccatum* 2. *part.* §. 11. *num.* 6. & apertè constat ex hic allegandis Nauarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *num.* 200. *&* 201.

2 At dubium est, an tantum liceat his fugere in patriam, vel etiam quocunque, modò sit extra hostium confinia, & in locum, in quo acquiritur libertas. Quòd enim tantùm in patriam possint fugere, facit *Institut. de rerum diuisione*, §. *item ea, quæ ab hostibus*. Vbi dicitur, seruos acquirere libertatem, si ad suos reuersi fuerint. Et Gregorius Lopez *l.* 23. *titul.* 29. *part.* 3. reddens rationem, quare serui fugientes acquirant libertatem, dicit, quia redeunt ad suos. Et Couarruuias *locis citatis* dicit posse seruos fugere à confinibus hostium, & ad patriam redire. Ex quibus videtur colligi tantùm ad patriam posse fugere.

3 Sit conclusio; seruus bello iusto captus potest fugere in patriam, vel in eam regionem, in qua seruus sit liber, vt Galliæ & Romæ sit. hanc renuerunt doctissimi Magistri recentiores, quos ego consului; colligiturque ex *lege* 23. *titulo decimoquarto, parte septima. & libro* 25. *titulo* 29. *parte tertia*. vbi leges hoc asserunt, seruos ad terram Maurorum confugientes libertatem acquirere. Ecce quomodo lex non exigit vt ad patriam fugiant, sed ad locum extra hostium confinia, in quo libertas acquiritur. Et Couarruuias *vbi suprà*, post verba citata subdit, *dum verò intra hostium confinia commorantur, peccatur*; vbi tantùm videtur damnare seruos fugientes intra locum, in quo serui manent. Faciunt etiam pro hac sententia Doctores citati dubio præcedenti, qui absolutè docent, seruos hos posse fugere. Et tenet Nauarra *suprà*, vbi dicit posse tam in patriam, quàm in alia distincta regna à loco captiuerij.

4 Nota quòd si seruus intra fines, in quibus est seruus,

Universidad de Deusto Biblioteca

nus, bona fide credens se liberum, viuat vt liber, inter præsentes præscribit decennio, inter absentes viginti annis. sic habetur *lege 23. tit. 29. part. 3.* & docet Gregorius Lopez *lege 23. fine titul. 14. part. 7.* Nauarr. *numero 210.* si verò mala fide, dicitur *in lege 23. titul 29. part. 3.* præscribere triginta annis. Sed hoc iure canonico est correctum, vt docet ibi Gregor. Lopez, & Nauarra *num. 210.* quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit. *reg. possessor. de reg. iur. in 6.*

## DVBIVM VIII.

*An vernaculis filiis seruarum bello iusto captarum liceat fugere.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet non posse fugere. Ratio, quia non habent patriam libertatis ad quam confugiant. Sic Henriquez in quadam epistola de hac re consultus. Angles *floribus 2. part.* materia, *de dominio, folio 135.* Ludouicus Lopez *2. part. instruct. cap. 3.* & alij.

2 Secunda sententia docet, posse fugere. Ratio est, quia domini nullum aliud ius in hos vernaculos habent, nisi quia matres eorum sunt seruæ; partus enim ventrem sequitur, quo ad conditionem seruitutis, vel libertatis, *l. seruorum. ff. de statu hominum.* Ergo dominus idem ius habet in vernaculos, quod in matres eorum; sed in has tantùm habent ius, dum non fugerint, & hac legè, vt liceat eis fugere. Ergo nihil amplius habet in hos vernaculos, atque adeò licitum est eis fugere, sicut & eorum matribus. hanc tenent Nauarra *libro tertio de restitutione capite 1. numero 209.* & alij viri docti à me consulti.

## DVBIVM IX.

*An si dominus impetat ancillam ad abutendum ea turpiter, possit fugere, vel sit libera? & quid si eam in lupanari, vel alio loco prostituat.*

1 DIco primò, quòd talis ancilla potest tuta conscientia fugere, & stare, ac si esset libera, & implorare officium Episcopi, vt manumittatur, & potest ipse ad hoc compellere; quia dominus abutitur sua potestate. *l. si lenones. C. de Episcop. audientia. l. finali. C. de spectaculis, lib. 10.* Syluest. *verbo seruitus, quæstione 5. dicto 7.* Angelus *ibi num. 2.* & Nauarrus *summa cap. 16.* Hispan. *num. 22.* Latina noua *num. 21. 22.* dicit, quòd potest fugere, si putat, quòd propter suam fragilitatem non potest resistere, & potest eum dominum compellere, vt alteri vendat: siquidem ob crudelem corporis cruciatum potest ad id compellere. Et quòd possit fugere, tenet P. Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 38. fol. 302.* & addit non teneri reuerti, nisi cesset periculum, & dominus paratus sit nullam pœnam, nullúmque grauamen ob id illi inferre, quia cùm iustè fugerit; non est digna pœna.

2 Secundò dico, quòd si dominus prostituat publicè seruam in lupanari, vel in quouis alio loco, vt turpiter abutendo suo corpore lucretur, manet libera. Sic habetur *l. 2. tit. 22. part 7. & l. 36. tit. 5. part. 5. & l. 4. tit. 22. part. 4.* & refert Gregorius Lopez *in his locis*, plures leges iuris communis idem disponentes.

## DVBIVM X.

*An sit opus pium concedere seruis libertatem.*

REsponderur, quòd licèt iura faueant libertati, at cùm omnes ferè serui hodie stolidi, ac improbi sint, nec pia, nec vtilis est, nisi fortè serui sint boni, & industria sua facilè alimenta quærere possint, aliter enim fiunt otiosi, & fures, ac in carceribus, & furcis vitam finiunt. Sic Simancas *lib. instit. titulo 61. num. 7.* & alij.

## DVBIVM XI.

*Quid sit patria potestas, & quo iure inducta sit.*

1 PRima conclusio: patria potestas est ius quoddam, quod habet pater in filios, & in eorum bona. Ita definit *lex 1. tit. 17. part. 4.*

2 Secunda conclusio: hæc patria potestas non est de iure naturali, vel diuino, sed iure ciuili inducta fuit. *l. item in potestate. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris.* & docet ibi Bart. & Montal. *part. 4. titul. 17. l. 3. fine.* Suarez *lege 9. tit. 11. lib. 1. legum fori, initio.* Syluest. *verbo, Patria potestas.* Ang. Tab. *ibi.*

3 Hinc fit iuri huic per consuetudinem derogari posse, & sic de facto in Gallia, & Aragonia contingit, quibus in locis filij sub patria potestate constituti non sunt. Ita docet Suarez *vbi suprà versic. Tenebis etiam mente.* Perez *lib. 5. ordinam. titulo 2. folio 62. ante versic. Est tamen* Segura *in repetit. l. Imperator. ff. ad Trebellian. num. 91.* Glossa *Institut. de patria potestate, in princip. versic. ciuium.*

## DVBIVM XII.

*Qui habeant dictam potestatem in filios, & in quales filios, scilicet an in illegitimos, vel filios adoptiuos.*

1 PRima conclusio: mater non habet filios in potestate. ita habetur expresè. *Institut. de adoptionibus. paragrapho fœminæ.* glossa *ibi versic. habent. & lege 2. titulo 17. parte 4.* Gregorius Lopez, & Montaluus *ibi.* glossa *digestis de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, lege nam ciuium, versiculo cæteri.* Montaluus *libro 1. fori. titulo vndecimo lege octaua principio.* Paludanus *4. distinctione 38. quæstione 4.* Suarez *lege 51. Tauri. paragrapho de su padre.* Metina *quæstione 30. de restitutione versicul. Primò igitur.* Sylueſter *verbo empt. quæstione 4. dicto 6.* Nauarr. *summa Hisp. cap. 17. numero 146.*

2 Hinc fit, auos ex linea materna non habere nepotes sub sua potestate. Ratio, quia ius, quod habent in nepotes, oritur ratione matris; ergo non est maius, quàm id, quod habet mater. Sed hæc non habet filios in potestate. Ergo. Ita expresè habetur *parte 4. tit. 17 l. 2.* & ibi Gregor. Lopez, & Montaluus & glossa *dicto vers. cæteri.*

3 Secunda conclusio. Pater, & ascendentes per lineam rectam ex parte patris, vt aut proaui, &c. habent filios, & nepotes sub sua potestate. Ita habetur expresè *lege 1. part. 4. tit. 17.* & conclusio est omnium.

4 Nota tamen, quòd cùm ius, quod aui paterni habent in nepotes, sit ratione patris ipsorum nepotum, quando pater est sub sui patris potestate, vel dum obiit, erat sub sui patris potestate, nepotes sunt similiter, & manent sub aui potestate. Ita habetur *ff. de his qui sunt sui. lege nepotes,* & docet ibi glossa *vers. & in familia.* ita etiam habetur *parte 4. titulo 18. lege 1.* Gregor. Lopez, & Montal. *ibi.* Antonius Gomez *lege 47. Tauri num. 3.*

5 Hinc fit nepotem natum ex patre coniugato, qui tamen



tamen nondum recepit Ecclesiæ benedictiones (quas *velationes* vocant,) manere sub aui potestate; si tamen pater receperat Ecclesiæ benedictiones, non esse dictum neporem sub aui potestate. Ratio, quia (vt instà dicam) filius liberatur à patria potestate per matrimonium, secutis Ecclesiæ benedictionibus; non verò antequam recipiantur hæ. Ita Ant. Gomez *ibi*, & Hugo de Celso *recopil. legum, verbo, Poderio paternal. vers. el hijo.*

6 Tertia conclusio. Filij omnes illegitimi non sunt sub patria potestate. Patet, quia patria potestas iure humano inducta est, at ius tantùm filios ex legitimo matrimonio natos decernit esse sub patria potestate: vt patet *lege item in potestate, & lege nam ciuium Romanorum. ff. de his, qui sunt sui, & titulo 17. parte 4. lege 2.* & docent ibi Gregorius Lopez, & Montalbus, Bartolus *dicta lege item in potestate*, glossa *capite statutum 2. de hæretic. in 6. versiculo ad primum.* Pinellus *de bonis maternis secunda parte numero 9.* Perez *libro tertio ordinament. titulo 8. lege 1. folio 1028.* Seguta *lege vnum ex familia. §. sed si fundum ff. de legat. 2. numero 142.* Suarez *lege 9. titulo 11. lib. 1. legum fori, versic. vnum tene.*

7 Vltima conclusio: filij etiam arrogati, seu adoprati transeunt in potestatem patris arrogantis. *lege 2. §. fin. ff. de adopt.* ita glossa *ibi, vers. hoc vero.* Suarez *vbi suprà vers. Adde quòd.* Sed hoc intelligitur (vt colligitur ex illa lege, & notat ibi glossa) de filio per Principem adoptato.

## DVBIVM XIII.

*Qui sint effectus patriæ potestatis, id est, quod ius competat patri in filios ratione patriæ potestatis.*

NOta tres esse effectus.

1 Primus est, pater habet proprietatem in peculio filij profectitio, & habet vsumfructum in peculio filij aduentitio, vt patet *parte 4. titulo 17. lege 5.* de qua re ex professo disseram infrà.

Secundus est, pater in castro obsessus, potest, ne fame pereat, impunè (intellige in foro exteriori) filium edere. *eadem parte lege 8.*

Tertius est, pater potest filium, qui in sua potestate constitutus est, vendere, & impignorare, propter famis necessitatem, quam patitur, cui aliter consulere non potest. Et ita *2. Esdræ 5.* populus fame oppressus inquit, *Filij nostri, & filiæ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.* Ratio est, quia filius est quædam res patris, & voluntas patris reputatur voluntas filiorum, qui ab eo reguntur: & quòd hoc possit pater, habetur *lege 2. Codice de patribus qui filios distrax. & parte 4. titulo 17. lege 8.* & docent ibi Gregorius Lopez, & Montalbus *in lege septima.* Sotus *libro 4. de iustitia quæstione 2. articulo 2.* Nauarr. *capite 23. summæ.* Hispan. *numero 95.* Latinæ *num. 96.* Couarruuias *3. var. capite 14. num. 4.* Metina *quæst. 30. de restit. vers. primò igitur.* Sylvest. *verbo empto. quæst. 4. dicto 6.* Perez *libro 1. ordinam. tit. 2. lege 1. folio 100. vers. Filius*, & alij antiqui, quos hi referunt. Franciscus Garcia *parte 1. de contract. cap. 17.*

Circa hunc effectum sunt aliqua notanda.

2 Primum est, hanc facultatem non habere matrem; quia non habet filios in potestate. Ita habetur *eadem lege 7.* & docent Gregor. Lopez & Montal. & Metin. Sylvest. *ibidem.*

3 Secundum est, hanc facultatem non habere auum respectu nepotis, licet aliquando sub sua ipsum potestate habeat. Ratio, quia cùm permissio huius legis sit contra id, quod ius naturale dictabat, secundùm quod liberam personam vendere non licet, extendi ad auum non debet. *l. si vero. §. de viro ff. soluto matrimonio.* Montalbus notat *vbi suprà*, & Baldus *dicta l. 2.* atque duplicis huius notati doctrinam docui *lib. 7. de impedimentis matrimonij disp. 24. num. 16.*

4 Tertium est, hoc etiam priuilegium non competit patri ob aliam quamcumque similem causam, quam ob famis necessitatem. Ratio, quia cùm sit res odiosa, & ob hanc solam causam ius id concedat, ad alias extendi non debet. Ita Couarruuias & Gregorius Lopez *ibidem.* Azo, Accursius, Dynus, & Alciatus per hos citati. Franciscus Garcia *1. part. de contract. cap. 17.* dicit idem posse patrem ob necessitatem tuendi vitam, quando alio modo nequit tueri.

5 Quartum est, si filius sit sacerdos, non potest vendi à patre, etiam ob famis pressuram. Ita Gregorius Lopez *dicta lege 8. versic. puede.* Immò id etiam procedit in filio in sacris constituto, hoc enim est priuilegium constituti in sacris, vt vendi à patre nullo modo possit: vt testantur Hostiens. Ioannes Andreas, & communis *capite indecorum, de ætate & qualitate.* Hippolytus & Gerardus, quos referunt, & sequuntur Couarr. & Perez, *vbi suprà.*

6 Quintum est, si filius à patre ob famis necessitatem vendatur, tenetur emptor ipsum manumittere, quoties vel venditus, vel alius in eius gratiam pretium, quo emptus est, reddiderit: quòd si tamen emptor docuit talem filium aliquam artem, non tenetur ipsum redimere pretio, quo sibi constitit, nisi etiam reddatur vnà cum tali pretio valor, quo pluris æstimatur ob artem acquisitam, vel saltim expensæ addiscendo consumptæ. Ita habetur *parte 4. titulo 17. lege 9.* Franciscus Garcia *suprà*, & Gregorius Lopez *ibi*, & Montalbus *lege 8.* & aduertit Gregorius duo. Primum est, ex venditione à patre facta filium non effici seruum, sed obligatum seruire. Idem notant Baldus, & Paulus de Castro *lege 2. Codice de patribus, qui filios distrax.* Secundò notat regulariter, quando filius venditurus est, & postea edoctus aliquam artem, soluendas esse, dum à seruitute redimitur, expensis in addiscendo factas, nisi forsan inutiliter factæ essent, quia tardioris erat ad addiscendum ingenij, vt essent excessiuæ, tunc enim fortè tantum soluendum esset, quantum propter artem vtilior redditus est. *lege sed an vltro. §. 1. ff. de negot. gestis.*

7 Vltimò nota, filium à patre venditum vrgente dira fame posse cogere ipsum patrem, vt eum redimat, si pater felicioremem nactus fuerit fortunam: notant Bald. Felin. Hippol. & Decius, quos refert, & sequitur Couarr. *vbi suprà.*

## DVBIVM XIV.

*Per quæ liberetur filius à patria potestate.*

REspondetur quatuor modis, scilicet:

1 Per mortem naturalem patris, vel ciuilem: dicitur autem mors ciuilis, cùm quis damnatus est, vt perpetuò in Regis operibus laboret, vel est deportatus, vel in perpetuum exilium missus ad aliquem locum, vt intra illum contineatur, vel eius bona publicata sunt, ita habetur *part. 4. tit. 18. lege 2.* Gregor. Lopez, & Montalbus *ibi* latè.

2 Secundò liberatur filius à patria potestate ratione alicuius dignitatis, quam sortitur; huiusmodi verò dignitates sunt duodecim, scilicet si filius creetur patritius, id est, Regis consiliarius. Secundò, si creetur proconsul, id est, supremus iudex Regis, vel Imperatoris curiæ.

Tertiò,

Tertiò, si fiat præfectus prætorio, id est, *Adelentado mayor de la corte, que es puesto en lugar del Rey: y es mayo, que los otros officiales para juzgar, y librar todos los pleytos del Reyno, y las alzadas de los juezes de la corte, que venieron ante el.* Quartò si fiat præfectus vrbis, id est, supremus iudex vrbis, quæ est caput Regni alicuius. Quintò, si fiat præfectus Orientis, id est, supremus iudex totius terræ Orientalis. Sextò, si fiat quæstor, id est, receptor (Hispanè *cobrador*,) tributorum, & reddituum Regis, non tanquam gabellarius, id est, *arrendador*, sed tanquam Curiæ regiæ officialis. Septimò, si fiat Magister militum, id est, *Alferez mayor, y maestro de caualleria del Rey.* Octauò, si fiat patronus fisci, id est, *abogado para defender en juizio las cosas, y derechos, que pertenecen a la Camera del Rey.* Nonò, si fiat princeps agentium in rebus, id est, *Mayordomo, o prouecdor de la corte del Emperador, o del Rey.* Decimò, si fiat Magister scrinij sacri libellorum, id est, *Chanciller del Rey.* Vndecimò, si fiat Magister scrinij memoriæ Principis, id est, *notario, o secretario.* Vltimò, si fiat Episcopus. Per has omnes dignitates eximitur filius à patria potestate: verùm per quatuor ex istis, scilicet, dignitatem patritij, Præfecti prætorio, Consulis, & Episcopi, liberatur per solam electionem; per alias verò non nisi cœpta administratione. Hæc omnia desumpta sunt ex iure communi, & habentur *part.* 4. *tit.* 18. *à l.* 7. *usque ad* 14. *inclusiuè.*

3 Tertiò liberatur filius à patria potestate per emancipationem, *eadem part. & tit.* 15. Gregorius Lopez, & Montalbus *ibi.* Sylu. *verbo, Emancipatio*; & ibi alij summistæ.

4 Quartò per professionem in religione approbata, tunc enim cum incidat filius in Abbatis potestatem, liberatur à patria potestate. Atque idem dicendum est de votis biennij in Societate emissis, scilicet per ea liberari filium à patria potestate, vt latè probaui *libro* 5. *summæ capite* 5. *numero* 31. cum limitatione tamen ibi posita. Similiter liberatur, si pater ipse profiteatur in religione approbata, *l. si arrogatæ, ff. de adopt.* ita Syluest. & omnes summistæ, *verbo, patria potestas.* Couarruu. plures citans, *cap. quia nos, de testament. num.* 5. *& cap.* 2. *num.* 8. Anton. Gomez *l.* 48. *Tauri n.* 7.

Sed circa hæc notanda sunt aliqua.

5 Primò nota, Cardinalatum Romanæ Ecclesiæ in hoc æquiparari Episcopali dignitati, quia scilicet vtraque eximit à patria potestate. Ita Couar. *cap. quia nos, de testam. num.* 5.

6 Secundò nota, propter crimen hæresis, vel schismatis patris liberari filios ab eius potestate. *Authent. Cazaros, Cod. de hæret. & cap. quicumque, de hæret. §. fin.* ita Baldus, & Andreas Siculus, quos refert, ac sequitur Suarez *libro* 1. *legum fori, tit.* 11. *l.* 9. *vers. vnum nota.* glossa *dict. cap. quicumque, vers. desierint.* Sylvest. *hæresis l.* 1. §. 14. Angel. *verbo hæreticus num.* 10. Armil. *ibid* glossa marginalis Bartoli *l. patre furioso. ff. de his qui sunt sui.*

7 Tertiò nota, quòd licèt secundùm ius commune filius, vel filia est in patris potestate, etiam post contractum matrimonium; at secundùm ius nouum huius regni eximitur à patria potestate, postquàm contraxit matrimonium, & recepit benedictiones Ecclesiæ, id est, *velationes*, secus antequam eas receperit. *l.* 47. *Tauri, & libro* 5. *ordinament. titulo* 1. *l.* 8. notant Gomez, Arias *lege* 45. Antonius Gomez, Castillo, Cisuentes *dicta lege* 47. Couarruuias 4. *decretal. 2. part. capite* 7. §. 1. *numero* 13. Perez *libro* 4. *ordinament. tit.* 11. *l.* 3. *fol.* 1522. Gregorius Lopez *part.* 4. *titulo* 17. *l.* 5. *versicul. El vso.* Hugo de Celso recipil. legum, *verbo, Poderio, versiculo el hijo,* Gutierrez *repetitione de hæredum qualit. & different.* §. *sui numero* 120.

8 Ex dictis infertur ob solam ætatem, etiamsi filius senex sit, & longæuus non eximi à patria potestate. Ratio, quia ius instituit patriam potestatem in omnes filios, & tamen nullibi excipit senem. Ita Antonius Gomez *lege* 47. *Tauri numero* 1. Perez *libro* 3. *ordinament. titulo* 8. *lege* 1. *fol.* 1028. Suarez *dicta lege* 9. *initio.* glossi. & Ang. *lege finali*, §. *pupillus ff. de verbor. oblig.*

9 Secundò infertur, militiam non eximere à patria potestate, neque etiam doctoratum; id enim iure non cauetur, ita probat Suarez *vbi suprà vers. conclusio igitur.*

10 Vltimò infertur, etiamsi pater furiosus sit, habere filios sub sua potestate. *lege patre furioso, digestis de his, qui sunt sui*, & ibi Bart. Suarez *vbi suprà initio.*

## DVBIVM XV.

### *An ratione dignitatis, & per contractum matrimonij eximatur filius in omnibus, etiam in odiosis, à patria potestate.*

1 NOta certum esse ratione dignitatis non eximi filium à patria potestate in omnibus, sed tantùm in his, in quibus vtile est ipsi filio à patria potestate liberum esse; in iis verò, in quibus hæc libertas esset ei damnosa, & grauis, non censetur extra patriam potestatem, sed intra. Ratio, quia exemptio hæc in filiorum fauorem inducta fuit; ergo non debet eis esse damnosa, & grauis. Ita Xuarez. *libro* 1. *legum fori, titulo* 11. *de los pleytos, numero* 25. 26. *lege* 9. §. *Considera vltra.* Couarruuias plures referens *capite quia nos de testam. numer.* 5. Antonius Gomez *tomo variarum resolutionum capite* 9. *numero* 13. Gomez Arias *lege* 45. *Tauri, numero* 56. Gutierrez *repetitione de hæred. qualitat. & different.* §. *sui, numero* 11. 12. 29. Mieres *libro de maioratu.* 4 *parte quæstione prima limitatione prima numero quinto.* Gratianus *regul.* 198. *numero* 6. Bernardus Diaz *regul.* 235. Gregorius Lopez *lege* 14. *titulo* 18. *parte* 4. Tiraquellus & plures alij, quos refert Gratianus. vnde infert Xuarez cum pluribus aliis, quos refert, si statuto caueatur, vel consuetudo habeat, vt si pater decedat absque filiis in sua potestate constitutis, succedat in bonis dominus loci: si pater cum decedit habeat filium Episcopum, reputabitur hic in patria potestate constitutus, ad hunc effectum, vt excluso domino loci, in paternis bonis succedat, quia hoc casu exemptio à patria potestate in filij damnum cederet.

2 Secundò notandum; dicendum esse de exempto à patria potestate per professionem, scilicet intelligi in fauorabilibus sibi Xuarez, & Antonius Gomez *ibi*, Gomez Arias *lege* 45. *Tauri, numero* 35. Couarruuias *capite quia nos, numero quinto de testamentis.*

3 Tertiò nota, quando aliquod beneficium attribuitur filio ob malorum morum suspicionem, vt est Macedonianum filio facto sui iuris quomodocunque beneficium hoc non competit, quia cessat suspicionis ratio. Xuarez *ibi versic. sed vnum.*

4 At dubium est, an idem dicendum sit de exempto à patria potestate per contractum matrimonij. Duplex est sententia.

Prima



Prima tenet idem dicendum esse, & sic tantùm censeri sui iuris in iis, quæ ipsi fauorabilia sunt. Sic Xuarez *ibi.* Boschius *libro secundo de nuptiis.* & Pirrhus, quos refert Baëza *libr. de non meliorandis filiabus capite decimosexto. numero trigesimo quinto.* ipse tamen Baëza dubius manet. Idem tenet Mieres *vbi suprà.* Barahona in additionibus ad Ioannem Lupum *vbi infrà.*

5 Secunda sententia tenet in omnibus, etiam odiosis, esse liberum, qui per matrimonium à patria potestate exemptus est. Ratio, quia *dicta lex* 47. *Tauri*, dicitur talem in omnibus, & in perpetuum esse liberum à patria potestate; ergo etiam in odiosis. Sic Antonius Gomez *lege* 47. *Tauri, numero* 3. & Castillo *ibi numero vnico, verbo, Por emancipado*, Azeuedo *libro* 5. *recopilat. titulo* 1. *lege* 8. *numero* 50. & Matienzo *eodem libro quinto recopilat. titulo* 1. *lege* 8. *glossa* 3. *numero* 1. etiam *ibi* cum Antonius Gomez *lege* 47. *numero finali*, quod nascitur in potestate aui. Gutierrez *vbi suprà numero* 121. idem innuit Gomez Arias *lege* 45. *Tauri, numero* 77. & hæc sententia videtur probabilior; idem tenent Gratianus *reg.* 198. *numero* 2. Ioannes Lopez *rubrica de donatione* §. 43. *numero* 2.

## DVBIVM XVI.

### *An sacer ordo liberet filium à patria potestate.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet liberare. Ratio, dignitas sacri ordinis præstat dignitati sæculari; sed hoc liberat filium à patria potestate, vt dignitas patricia: ergo. Ita glossa *cap. indecorum. de ætate, & qualit. versic. qui seipsos.* Sylvest. & Arm. *verb. patria potestas.* glossa *cap.* 1. *versic. Magistris* 25 *quæst.* 5. Ang. *auth. constitutio. quæ de dignitatibus.*

2 Secunda sententia docet, non liberare, quæ probabilior videtur. Ratio, quia id iure non cauetur. Immo *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi*, tanquam quid speciale decernitur de Episcopo, quòd de patria potestate exemptus sit. Ergo hoc non competit cuicumque clerico in sacris constituto. Ita Sylvest. reprobans glossam citatam. *verbo peculium prima quæstione* 2. *fine.* Panormitanus Innocentius & communis *dicto capite indecorum.* Couarruuias *cap. quia nos de testament. numero* 5. Antonius Gomez *lege* 48. *Tauri, numero* 7. Perez *libro primo ordinament. titulo* 3. *lege* 1. *folio* 112. *versicul. clericus præterea.* Montalbus *parte* 4. *titulo* 18. *lege* 14. *initio.*. Gregorius Lopez *ibi versiculo. Para Obispo, & titulo* 15. *lege* 4. *vers. en cuyo. sub finem.* Gutierrez §. *sui, de hæred. qualitate, & different. numero* 6. Tabiena *verbo peculium, numero* 1. & habetur expressè *auth. Presbyteros, C. de Episcopis.*

## DVBIVM XVII.

### *An filij fugientes à parentibus, vel habita facultate gratia quærendi victum recedentes liberè possint consumere quæ lucrantur.*

1 REspondetur negatiuè, si se conferunt absque facultate parentum, sed adhuc pater retinet vsumfructum, etiamsi filius longè, à patre degat, quia distantia locorum non tollit ius patriæ potestatis. *lege Pomponius, in princip. ff. de procurat.* & docent Pinellus *lege* 1. *C. de bonis mater.* 1. *parte numero* 34. Matienzo *libro* 5. *recopil. titulo* 1. *lege* 9. *glossa* 1. *numero* 2. & tenet expressè Nauarra *de restitutione cap.* 1. *num.* 71. vbi dicit, quòd filij, qui sunt absentes, licèt non sustententur à patre, tenentur mittere ad patrem, quod lucrantur vltra id, quod ad suam decentem sustentationem, & honestam recreationem, & alias eleemosynas est necessarium. At verò si habita parentum benedictione, & licentia profecti sint, talibus verbis prolatis ab eisdem parentibus, quibus significant se liberam proficiscentibus filiis facultatem committere dispensandi, ac disponendi de iis, quæ lucrati fuerint, potuerunt hæc lucra liberè consumere, vt dicam *capite sequenti, dubitatione* 15.

## DVBIVM XVIII.

### *An filius, qui semel est extra patriam potestatem, possit aliquo casu ad eandem potestatem restitui, & an possit pater aliquando cogi ad emancipandum filium, & sic à sua potestate liberandum.*

1 SIt prima conclusio; in quatuor casibus cogi potest per iudicem pater eximere filios à sua potestate. Primus est, si in filiorum punitione nimis inhumana sit. Secundus, si filias ad meretricium prostituëret. Tertius est, si quid patri legeretur hac lege, vt filium emancipet: tunc enim si legatum admittat, emancipare cogetur. Quartus est, si aliquis priuignum, id est, *fuentenado*, dum impubes est, adopret, si vbi hic pubertatem nactus fuerit, recipiat sibi damnum adoptionem parere, & probet coram iudice, cogetur adoptans à sua potestate eximere. Hi quatuor casus desumpti sunt ex iure communi, & eos docet *lex* 18. *titulo* 18. *part.* 4. & *ibi* Gregor. & Montalb.

2 Secunda conclusio: filius à patre emancipatus, si ingratum se præbeat, scilicet, si iniuriam verbis, aut factis, patri irroget, potest ad patriam potestatem reduci. Ita disponit *lex* 19. *eodem titulo.* quod intelligitur, quando filius voluntariè est à patre emancipatus: tunc enim cùm emancipatio fuerit gratuita, & gratiæ huic filius ingratus fuerit, meretur propter ingratitudinem hac gratia priuari. Si verò coactus à iudice emancipasset, non ob id reduceretur filius in patriam potestatem. Ita aliqui, quos refert, & sequitur Gregorius Lopez *ibi.* Similiter non redit in patris potestatem per ingratitudinem, quando non ab ipso patre, sed à lege est emancipatus. Sic Gurtierrez *de hæred. qualit. & differ.* §. *sui, numero* 122. Orosius *lege qui liberos, numero* 4. *& 5. ff. de adopt.*

---

# CAPVT II.

## *De peculio, eiusque generibus.*

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *Quid, & quotuplex sit peculium, & quid differat inter peculia.*

2. *Quid sit peculium castrense, & quasi castrense, profectitium, & aduentitium:*

&

Universidad de Deusto
Biblioteca



*& quæ peculia in speciali dicantur castrensia.*
3. *Quæ peculia sint quasi castrensia.*
4. *Quæ peculia sint aduentitia.*
5. *An patri fas sit distrahere aduentitia filij.*
6. *An teneatur pater inuentarium facere, cùm aduentitia filij recipit.*
7. *Quæ peculia sint profectitia.*
8. *An filio, qui patri præ cæteris filiis ministrat, ac rei familiaris paternæ curam gerit, eámque administrat, teneatur pater laborum mercedem, seu salarium soluere, & si ipse non soluat, an ipso mortuo, teneantur soluere reliqui fratres: salarium (inquam) quod extraneo similiter ministranti solueretur.*
9. *An quidquid filiusfamilias pecunia patris acquirit, vel in rebus patris, censendum sit profectitium.*
10. *An quando viuente patre, filius aliquot acquisiuit, nec constare potest, cuius ex bonis parta sint, censenda sint profectitia.*
11. *An si pater dilapidet bona aduentitia filij, & illa consumat, possit filius, defuncto patre, petere à reliquis fratribus cohæredibus hoc damnum sibi restitui.*
12. *An pater in aliquibus casibus non habeat vsumfructum in bonis aduentitiis filiifamilias.*
13. *An in his casibus pater recipiat vsusfructus commoditatem.*
14. *An donatio, vel remissio vsusfructus per patrem filio facta possit reuocari per alios fratres, tanquam inofficiosa, & talis filius teneatur in diuisione hæreditatis eam conferre cum aliis fratribus.*
15. *An remissio tacita vsusfructus sat sit, vt filius illum sibi capiat, & talis remissio seu donatio valeat statim, & sit irreuocabilis, vel sit reuocabilis vsque ad mortem patris.*
16. *An in legitima debita à matre, vel ascendentibus ex linea materna, & similiter in tertio bonorum possit mater, vel ascendentes hanc conditionem ponere, & vsusfructus non acquiratur patri.*
17. *An si extraneus simul patrem, & filiumfamilias instituat hæredes pro dimidia parte quemlibet, pater acquirat vsumfructum in parte illa relicta filio.*
18. *An quando filius eximitur à patria potestate per mortem ipsius filij, vel ipsius patris, amittat pater vsum fructum in eius aduentitiis.*
19. *An quando filius eximitur à patris potestate ratione dignitatis, vt Episcopalis, patritiæ, &c. amittat pater vsumfructum.*
20. *An quando filius eximitur à patria potestate, quia emancipatur à patre, amittat pater vsumfructum.*
21. *An quando filius liberatur à patria potestate per matrimonium, sequutis Ecclesiæ benedictionibus amittat pater vsumfructum.*
22. *An si filius, ad quem pertinebat vsusfructus, scilicet coniugatus, receptis Ecclesiæ benedictionibus, videat patrem percipere vsumfructum aduentitiorum, nec petat ab eo aduentitia, censeatur vsumfructum remittere, & sic defuncto patre non teneãtur hæredes dictum vsumfructum illi restituere.*
23. *An filiusfamilias per testamentum, vel renunciationem possit patrem vsufructu priuare.*
24. *An in primogenio, Ducatu, Comitatu, &c. obueniente filiofamilias ex matre, vel linea materna, vel aliunde pater habeat vsumfructum.*
25. *An si pater sit morti proximus, filiusfamilias ipsi acquirat.*
26. *An casu, quo aufertur patri administratio bonorum aduentitiorum filij, reseruetur ei vsusfructus, quando aufertur propter dilapidationem; item an in dote aduentitia filiæ acquirat pater vsumfructum.*
27. *An in vsufructu relicto filiofamilias acquirat aliquid pater.*
28. *An in feudo filiifamilias pater habeat vsumfructum.*

## DVBIVM I.

*Quid, & quotuplex sit peculium, & quid differat inter peculia.*

NOTA primò, peculium esse pusillam substantiam, vel pecuniam separatam à rebus, & ratiocinijs patris, vel domini, datam, vel promissam filio, aut seruo. *lege depositi, digestis de peculio.* Syluest. & reliqui Summistæ; *verbo peculium initio.*

2 Secundò nota, peculium, seu bona filiorum esse quadruplicia, scilicet castrensia, quasi castrensia, aduentitia, profectitia. Ita habetur ex *d.l.peculium, & part. 4. tit. 17. l. 5.* & notant omnes Summistæ, & omnes Doctores.

3 Tertiò nota, hoc distare inter ista peculia, quòd in castrensi, vel quasi castrensi filius habet plenum dominium, & vsumfructum, & censetur in eo quasi paterfamilias. Vnde in his bonis nihil habet pater. *Cod. de inoffic. testament. leg. fin. & ff. ad Macedon. leg. 1. §. vltimo, & lege 2. & part. 4. titul. 17. leg. 6.* in aduenti



aduentitio verè filiusfamilias habet proprietatem, & dominium, sed pater habet vsumfructum, dum viuit, ratione patriæ potestatis. *l. non solum, & l. cum oportet. C. de bonis, quæ liber. & part. 4. eodem tit. l. 5.* in profectitio autem pater habet proprietatem, & vsumfructum; filius verò nihil iuris habet. *Instit. per quas person. nobis acquir. §. 1. & ead. l. 5.* ita notant vniuersi Doctores.

4 Sed dubitabis, cui ergo vsui est hoc peculium filio. Respondetur ad hoc tantùm deseruire, ne publicetur casu, quo alia patris bona propter delictum publicantur. *l. 3 §. sed vtrum. ff. de minoribus.* Ita Syluest. *vbi suprà.* Couarr. *lib. 2. variar. cap. 6 n. 7. vers. hinc apparet.* Angel. *verbo, peculium, num. 16.* Tab. *num. 17.*

## DVBIVM II.

*Quid sit peculium castrense, & quasi castrense, profectitiũ, & aduentitiũ, & quæ peculia in speciali dicantur castrẽsia.*

1 NOta in genere loquendo, peculium castrense dicitur, quod castris, seu bello partum est, & sic dicitur castrense, quasi castris acquisitum. Quasi castrense dicitur, quod per officia publica stipendium publicum habentia quæsitum est. Et dicitur quasi castrense, quia quasi in castris acquiritur, isthæc enim munia, quasi militaria censentur. Aduentitium dicitur, quod nec bello, nec ratione officij publici partum est, nec ex paternis bonis, nec ex patris occasione, sed aliunde, vt donatione, legato, &c. & dicitur aduentitium, quasi aliunde, quàm ex paterna substantia, prouenies. Profectitium est, quod ex pecuniis, aut rebus patris, aut patris occasione acquiritur: dicitur verò profectitium, quia proficiscitur à paternis bonis. Ita definiunt leges, & omnes Doctores, vt ex dicendis constabit.

2 Quoad secundum, scilicet, quæ peculia sint castrensia. Primo nota, castrense peculium est quidquid filiusfamilias ratione alicuius officij militaris in bello acquirit, & hoc, siue per mare, siue per terram, vt si sit miles, Dux, &c. *l. castrense. ff. de peculio castrens. & part. 3. tit. 2. l. 2.* Gregorius Lopez, & Montalbus *ibi.* Sylvester *peculium 1. quæst. 1.* Angelus *n. 2.* Armill. & Tabien. *num. 1.* Nauar. *cap. 17.* Latinæ, & Hisp. *num. 141.* & omnes id tenent.

3 Secundò: etiam est castrense, quod filius acquirit ratione officij, siue per mare, siue per terram exerceatur, ad bellum necessarij. Ita colligitur ex eisdem legibus, & notant Sylvest. *ibidem*, & Nauarr. in Hispan. *d. n. 141.*

4 Hinc fit castrense esse, quod nautæ, remiges, patroni, siue alij officiales in triremibus, vel nauibus acquirunt ratione horum muniorum. Ratio, quia isthæc munia ad bellum necessaria sunt. Sic colligitur ex dictis legibus, & notat Nauarr. Hisp. *dicto n. 141.* Sylvest. *peculium 1. q. 11.* Armill. *ibi n. 7.* Tabien. *ibi n. 7.* Ang. *n. 4.* Gregor. Lopez *part. 4. tit. 17. l. 6. vers. de estos lugares.* Vbi vniuersaliter docet lucra quæsita in mari per milites maris castrensia esse. Patet etiam ex *l. 7 ff. de bonor. possess. ex testam. milit.* Hoc tamen intelligendum venit, quando ex causa publica officium hoc obeunt, secus quando ex priuata causa, vt pro mercibus, & huiusmodi. Ita Sylvest. Tab. Ang. Arm. *ibidem.* Item intelligitur, quando non esset in bello iniusto, sed iusto, quia iniustum bellum non est publica causa, nec ad bonum commune ordinatur. Sylu. Tab. Arm. *ibi.*

5 Tertiò castrense est, quidquid filius in militia acquirit, aliàs nisi militasset, minimè parturus, si enim aliàs sine militia parturus esset, non erit castrense. Colligitur ex *dicta l. castrense*, cum ibi notatis. Sic Sylvest. *q. 1. Ang. num. 3.* Tabien. & Armill. *num. 2.*

6 Quartò, castrense est, quod filius ratione custodiæ alicuius castelli, vel arcis, id est, *fortaleza*, lucratur. *l. 6. tit. 17. part. 4.*

7 Tandem castrense est; quidquid filiofamilias militi datur à parentibus cognatis, vel aliis quibuscunque *l. miles, & l. castrense ff. de pecul. castrens.* Ratio, quia hoc donum tatione militiæ comparatur. Ita Nauar. Hisp. *dicto num. 141.* Gregor. Lopez *part. 3. tit. 2. l. 2. vers. De las soldadas.* Montalb. *part. 4. tit. 17. l. 6. versic Castra, & lib. 3. legum fori, tit. 4. l. 7. versic. el Rey.* Segura *l. Imperator. ff. ad Trebell. n. 87.* Bart. *l. si forte ff. de castrens. pecul. & tract. de duobus fratribus*, Sylu. *q. 4.* Ang. *n. 8.* Tab. & Arm. *n. 4.*

8 Nota tamen hoc intelligendum esse cum limitatione quadam; in triplici enim differentia sunt, quæ militi donantur: quædam manifestè ad eius obeundum munium conferunt, vt sunt arma; & hæc castrensia sunt, vt patet ex *legibus citatis*; quædam verò ad id minimè præstãt: vt si bona aliqua immobilia militi conferantur, & talia non sunt castrensia, nec quasi, nisi in duplici casu; alter est quando donans ratione solius militiæ ductus dedit. Alter quando dedit, vt vendatur, & necessaria ad militare munium pretio emantur. Extra hos duos casus castrensia, vel quasi, non erunt, etiamsi donans expresserit, vt sit castrense, vel quasi. Alia verò donata sunt media, quæ scilicet, ad huiusmodi militaria munia, & ad alia conferunt, vt seruus, &c. & hæc etiam castrensia non sunt, neque quasi, nisi expressè, & nominatim ad officium illud militare largiantur, vel saltim ab eo, quia solùm ex militia notus est *l. si militi. ff. de castrensi pecul.* ista omnia docent Bartol. Sylvest. Tab. Ang. Arm. *vbi suprà.*

## DVBIVM III.

*Quæ peculia sint quasi castrensia.*

1 PRimò nota peculium quasi castrense esse, quod filius ratione munij alicuius publici acquirit, propter quod munium stipendium publicum habet. *l. cum multi. C. de bonis, quæ liber. & l. cum antiquis. C. de inoffic. testam.* Ita Nauarr. *cap. 17.* Latinæ, & Hisp. *n. 142.* Sylvest. *peculium 1 quæst. 1.* Ang *n. 2.* Arm. & Tab. *n. 1.* & omnes. Vnde iuxta has leges, & Doctores, duo exiguntur vt sit quasi castrense, scilicet causa publica, & publicum stipendium, vel saltim secundum Sylu. vt debeatur publicum stipendium.

2 Secundò nota, quasi castrense esse, quod iudices ratione officij lucrantur, quia officium est publicum. *l. 2. tit. 2. part. 3.* Greg. Lopez *ibi vers. los iuezes.* Bart. *l. si mulier. ff. de castrens. pecul.* & notat vterque similiter esse quasi castrense, quod iudici donatur causa eundi per officia.

3 Aduerte hic duo, alterum est, salarium iudicum arbitrorum non esse quasi castrense, sed aduentitium. Ratio, quia cùm infames possint esse arbitri, non dicuntur hi militare, nec munium horum dicitur publicum. Ita Bald. *l. cum oportet, in princ. num. 16. C. de bonis, quæ liber.* Greg. Lopez *part. 4. tit. 17 l. 7. vers. A otros qualesquier.*

4 Alterum est, stipendium Assessorum iudicum esse quasi castrense; quia reputatur officium publicum. Ita habetur expressè *l. velut. C. de assessoribus*, & docet *ibi* glossa, quæ etiam docet idè *l. fori. C. de aduocatis* vbi etiam Bartol. Sylvest. *peculium 1. quæst. 10.* Arm. *ibi num. 3.* Tab. *n. 3.* Ang. *num. 7.* & hoc non tantùm verum est, si salarium publicum habeant, sed etiam si id non habeant, sed à priuatis, quia debetur eis salarium publicum. Sic Arm. *ibi*, & idem apertè videtur dicere Sylvest. nam rogat vtrùm stipendium Assessorum non habentium salarium publicum sit quasi castrense. Et respondet absolutè, stipendium Assessorum esse quasi castrense.

5 Tertiò nota, quasi castrense esse quod Aduocati ratione huius munij lucrantur. *l. fori. C. de aduocatis*, quia officium publicum est. Ita asserunt vniuersi, & indubitatum est, si ex publico stipendium est, vt si fisci, vel pauperum sint Aduocati.

6 At sub iudice versatur, an non tantùm stipendium, quod ex publico, sed etiam quod à clientulis, quorum causas agunt, percipiunt, sit quasi castrense. Duplex est sententia.

Prima tenet, quod à clientulis percipiunt, non esse quasi castrense. Ratio, quia deest secũda conditio ad quasi

castrense requisita, scilicet vt stipendium de publico sit. Sic Speculator *tit. de actionibus. vers. Nec intelligatur.*

7 Secunda sententia tenet, esse quasi castrense. Ratio, quia Aduocatis salarium de publico debetur, & stipendium hoc clientulorum loco publici, quod debebatur, atque antiquitus soluebatur, successit. Ita Bart. & glossa *dicta l. fori* Sylvest. *peculium* 1. *quæst.* 10. Armill. & Tab. *num.* 3. Ang. *num.* 7. Baldus *l. finali. C. de inoffic. testam. & l. cùm oportet, in principio num.* 16. *C. de bonis. quæ liber.* Ant. Gabr. *de communibus opinio. tom.* 1. *in thesauro receptarum sentent. vers. Aduocatus.* Iason dicens esse communem *dicta l. fin.* Viuius *lib.* 1. *opinione* 240. Greg. Lopez *part.* 4. *tit.* 2. *l.* 2. *vers. ic. en las escuelas.* Montalb. *l.* 6. *tit.* 17. *part.* 4. *vers. Castra, & lib* 3 *legum fori, tit.* 4 *l.* 7. *vers. circa.* & hæc sententia est multo verior.

8 Quartò nota; stipendium Procuratorum quasi castrense minimè esse, sed aduentitium. Ratio, quia munium hoc publicum non est, sed vile. *Institut. de excep. in fine.* Sic Bald. *dicto n.* 16. Arm. & Tab. *dicto n.* 3. Gregor. Lopez *part.* 4. *tit.* 17. *l.* 7. *vers. A otros.*

9 Quintò nota, esse graue dubium de stipendio Notariorum, seu tabellionum (idem enim est in iure Notarius, & tabellio, vt notat Sylvest. *verbo, tabellio, in principio.*) Triplex est sententia.

Quidam absolutè dicunt esse quasi castrense; quia officium est publicum. Sic gloss. *l. fin. vers. Memorabilibus. C. de inoffic. de testam.* Nauarr. Lat. & Hisp. *c.* 17. *n.* 142.

10 Secunda sententia distinguit, & dicit acquisitum per Notarios communes non esse quasi castrense, benè tamen acquisitum per Notarios, seu scribas communitatis, vel dominorum, vel officialium, qui salarium ex publico deberent habere, & hoc tenet non tantum de salario publico, sed etiam de stipendio. quod tales scribæ à priuatis acquirunt. Sic Sylvest. *peculium* 1. *quæst.* 10. Tab. *num.* 9. & 3. Armill. *n.* 9. & 3. Ang. *n.* 4. sed Angelus non explicat id procedere etiam de salario, quod à priuatis acquirunt; cæteri verò id explicant. Et quoad hanc partem, scilicet etiam, quod à priuatis acquirunt, esse quasi castrense, probari potest, quia non videtur maior ratio de Aduocatis, quàm de scribis, sed quòd illi à clientulis loco stipendij accipiunt, est quasi castrense: ergo.

11 Tertia sententia docet id, quod scribæ acquirunt ratione munij ex stipendio publico, vt si sint fisci, vel pauperum scribæ, esse quasi castrense: quod tamen acquirunt pro stipendio à priuatis non esse quasi castrense, sed aduentitium. Ratio, quia reputatur officium quodàmodo vile. Sic Baldus. *l, cùm oportet, in principio n.* 16. *C. de bonis, quæ liber.* Speculator *tit. de actionibus, vers. Nec intelligat.* Greg. Lopez *part.* 4. *tit.* 17. *l.* 7. *vers. ic. eallos escriuanos. & l.* 2. *tit.* 2. *part.* 3. *vers. los escriuanos.* & dicit illam legem pro hac sententia facere. Dicit enim esse quasi castrense. *lo que ganan los escriuanos en razon de las soldadas, que ganan en las cortes de los Reyes, o en las ciudades, o en las villas.* Et hanc sententiam viso Baldo, Gregorio Lopez, iudicauit Hispali quidam vir valdè doctus probabiliorem, & consului de hac re Patrem Doctorem Henriquez, qui in quadam epistola ad me suo nomine subscripta respondit hæc verba: *Dura videtur hæc sententia Baldi, & Gregory Lopez. sed est vera. quia in his, quorum actus reducuntur ad opus seruile in festis prohibitum, vt quod tabellio scribat, vel transcribat, stipendium non debet censeri quasi castrense, ad est, quasi liberale, & priuilegiatũ, nisi quando stipendium est publicum. scilicet pro causa fisci, & pauperum designatum à lege, vel iudice.* Quare hæc sententia, vt probilior tenenda est.

12 Sextò, quasi castrense est stipendium Magistrorum alicuius ex septem artibus liberalibus. Ratio est, quia munium hoc publicum, & liberale est. *l. cùm multa. C. de bonis, quæ liber. & l. cum antiquis. C. de inoffic. testament. & part.* 3. *tit.* 2. *l.* 2. Gregor. Lopez *ibi, vers. ic. las escuelas.* Nauarr. *c. citato*, Lat. & Hisp. *num.* 142. Sylvest. *peculium.* 1. *q.* 1. Ang. *num.* 4. Armill. & Tabien. *num.* 3. Similiter stipendium Medicorum est quasi castrense, vt patet ex eisdem legibus, & eadem ratione: & tenent iidem Doctores, norantque Tab. & Arm., non tantùm stipendium publicum, quod Medici, vel Magistri docentes artes liberales habent; esse quasi castrense, sed etiam stipendiũ, quod à priuatis percipiunt, quia debetur eis stipẽdium publicũ.

13 Septimò stipendium artificum mechanicorum, vt fabri lignarij, latomi, cæmẽtarij, &c. licèt publicum esset, non est quasi castrense. Ratio, quia officium non est publicum, & liberale, sed vile, & seruile: licèt in operibus communibus laborarent. Sylvest. *peculium* 1. *q.* 9. Arm. *n.* 3. Salizetus *l. fin. C. de inoffic. testam.* Tab. *verbo peculium. n.* 3. Angel. *n.* 6. Baldus, quem refert ac sequitur Gregor. Lopez *part.* 3. *tit.* 2. *l.* 2. *vers. En las escuelas, & part.* 4. *tit.* 17. *l.* 7. *vers. A otros.*

14 Aduerte tamen hîc stipendium architectorum, seu ingeniariorum dominorum, vel communitatis esse quasi castrense, quia officium est scientiæ liberalis, scilicet mathematicarum Sic Sylvest. Angel. Tab. Arm. Salizetus *ibi.*

15 Octauò, quasi castrense dicuntur habere officiales Episcoporum, Comitum, & Baronum, licèt salaria non recipiant à Principe. Ratio, quia officium est publicum. Ita Ioannes Faber, quem refert, ac sequitur Gregor. Lopez *part.* 4. *tit.* 17. *l.* 7. *vers. A otros.*

16 Nonò, quasi castrense est quidquid ab Imperatore, vel Imperatrice, Rege, vel Regina donatur filiofamilias. *l. cum multa. C. de bonis quæ liber. l.* 7. *tit.* 17. *part.* 4. & *ibi* Greg. Lopez *vers. donatio.* Montalb. *lib.* 3. *fori, tit.* 4. *l.* 7. *vers. O quele de.* Suarez *q. maioratus, n.* 4. Segura *l. Imperator. ff. ad Trebel. n.* 92. Nauarr. *cap.* 17. Lat. & Hisp. *n.* 142. Sylu. *peculium* 1. *q.* 1. Arm. & Tab. *n.* 13. Ang. *n.* 2. Ant. Gomez *l.* 48. *Tauri num.* 3. & 4. plures referens.

17 Sed dubitatur circa hoc, an si Rex donet aliquid filiofamilias patris contemplatione, sit profectitium, vel quasi castrense. Montalb. *ibidem*, dicit esse profectitium, & in dubio dicit præsumi datum contemplatione filij, & sic esse quasi castrense.

18 At verius est esse quasi castrense, licèt patris contemplatione Rex donauerit. Ratio, quia dicta *l. cùm multa*, absolutè dicit donata à Rege esse quasi castrensia; imò cùm *l. cùm oportet*, quæ præcesserat, docuisset donata filio ipsius contemplatione esse aduentitia, & patris contemplatione profectitia: postea *l. cùm multa, eodem tit.* dicit indistinctè, quæsita filiò per Regis donationem esse quasi castrensia; ergo videtur intelligere de donatis cuiusuis contemplatione. Ita tenet Ant. Gomez *vbi suprà.* Aretinus *l. sed si plures. §. in arrogato ff. de vulgar. & pupil.*

19 Aliqua alia notari possent circa donata à Rege an sint quasi castrensia, de quibus infrà, vbi de vsufructu quem pater habet in bonis filij.

20 Vltimò quasi castrense est, quidquid donatur siue à parentibus, siue ab aliis, filiofamilias Aduocato, vel habenti quoduis aliud officium publicum: in qua re cum distinctione, quam posui *dub præcedenti, fine*, circa donata militi, tenendum est: idem enim prorsus dicendum est in hoc, vt notant Bart. Tab. Ang. Arm. *ibi* citati, & Sylvest. 1. *quæst.* 6.

21 Hinc infertur, donatum Aduocato ad libros emendos, vel equum, vt per officia eat, esse quasi castrense. Ratio, quia hæc ad eius munium obeundum conferunt. Sic Bart. *l. si mulier. ff. de castrens. pecul* Sylu. *peculium* 1. *quæst.* 10. Ang. *n.* 7. Tab. *n.* 3 Greg. Lopez *part.* 4. *tit.* 17. *l.* 7. *vers. A otros.* Similiter etiam est quasi castrense, quod filiofamilias, vt ad doctoratum promoueatur, elargitur. Patet *l.* 3 *§. secundum quæ ff. de donat. inter vir. & vxor.* & docet Segura *l. Imperator ff. ad Trebell. num.* 87.

22 Hîc esset disputandum, quale peculium sint libri donati à patre filio, vt studeat, & quale peculium sint bona per clericos acquisita: sed de hoc latè dixi *lib.* 7. *summæ cap.* 13.

DVBIVM



## DVBIVM IV.

*Quæ peculia sint aduentitia.*

1 NOta primò, aduentitium esse quodcunque per filium acquisitum, quod non est castrense, vel quasi, nec à patre, vel de eius bonis, vel eius contemplatione principaliter partum: sed aliunde acquisitum, vel ex successione materna, vel propinquorum ex linea materna, vel donatione, vel industria, vel labore, vel artificio, vel euentu, vel fortuna, vt si inueniret thesaurum, vel aliquid aliud, vel quouis alio modo. *l.* 5. *titulo* 17. *part.* 4. notant *ibi* Gregor. Lopez, & Montalb. Nauarr. Latin. & Hisp. *cap.* 17. *num.* 142. 143. 144. Sylvest. *peculium* 1. *quæst.* 1. Angel. *num.* 1. Arm. *num.* 1. & 13. Tab. *num.* 3. & omnes.

2 Secundò donatum filiofamilias per extraneos, si solius patris contemplatione datum sit, erit profectitium; si verò solius filij contemplatione, aduentitium: si tamen vtrius intuitu largitum sit, minimè constet, ad coniecturas recurrendum est, vt ad futurum euentum; si enim largiatur filio, vt dum suus pater vixerit, eo dono fruatur, non autem post patris obitum, censetur patris intuitu largitum: si verò largitur filio, vt etiam post patris obitum habeat, censetur filij intuitu donatum. Ita Bart. *tract. de duobus fratribus.* Sylvest. *peculium* 1. *quæst.* 18. Arm. *num.* 14. Angel. *num* 13. Tabien. *n.* 14. Nauarr. Lat. & Hisp. *cap.* 17. *num.* 162. Consule etiam dicenda *infrà*, vbi de peculio profectitio; ibi enim disputandum est in dubio, an præsumatur peculium profectitium, vel aduentitium; datum tamen non filiofamilias, sed filio iam emancipato, nullo pacto censetur profectitium, quia filius hîc non patri, sed sibi acquirit, siquidem iuxta patriam potestatem est. *l. sed etsi quid. ff. de vsufructu.* Nauarr. *ibi.*

3 Aduerte hîc adhuc esse aduentitium donatum filiofamilias per extraneum, licèt donans explicet, se velle esse tali filio castrense, vel quasi. Verùm voluntas ista donantis sic expressè operabitur, vt in tali aduentitio pater vsumfructum non acquirat, vt infrà dicemus. Sic Bartol. *vbi suprà, & l. si forte. ff. de castrensi pecul.* Sylu. *quæst.* 4. 5. 7. Angelus *num.* 8. Tabiena & Arm. *num.* 4. Molina *tom.* 1. *de iustitia tract.* 2 *disput.* 8.

4 Tertiò nota, circa donata filiis per patrem, certum esse, esse aduentitia, quando in meritorum remunerationem largiuntur, quæ si extraneus fecisset, simili modo remuneraret. Ratio, quia talis non est donatio simplex sed remuneratoria. Sic Bart. *vbi suprà.* Sylvest. *quæst.* 19 Angelus & Arm. *num.* 15. Tab. *n.* 16. Anton. Gomez *l.* 29 *Tauri n.* 23. Greg Lop. *p.* 5. *tit.* 13. *l.* 24 *vers. de parte.* Montalb. *l.* 7. *vers. quæritur lib.* 3. *legum fori.* Quando verò nulla filij præcesserunt merita, dicunt Sylu. Arm. Angel. Tab. quod talis donatio non valet, & sic nullum ius in sic donatis acquirit filius. Cæterùm hoc verum est iure communi, at iure Regni talis donatio valet, modo tertium, & quintum bonorum patris non excedat, & non cõputabitur in legitima, sed in ea censebitur filius melioratus. Sic disponit *l.* 26. *Tauri*, & aduertit Anton. Gomez *l.* 29. *n.* 29. de qua re infra latius; quare sic donatum filio, censebitur modò aduentitium. Sic nonnulli docti recentiores.

5 Quartò nota circa donata nepoti per auum paternum plures Doctores absolutè dicere esse aduentitia. Ita Alciatus *de præsumptionibus reg.* 1. *præsumpt.* 18. *num.* 2. *fine.* Anton. Gabriel. dicens esse communem *tomo* 1. *commun. opinion. lib.* 4. *fol.* 55. Gregor. Lopez *part.* 5. *tit.* 13. *l.* 24. *vers. de parte.* & plures alij, quos refert Perez *vbi infra.*

6 An verò communis hæc doctrina cum distinctione hac intelligenda est, quando auus largitur aliquid nepoti ipsius contemplatione, & non patris, tunc est aduentitium: quia non ex patris bonis, nec eius intuitu procedit; quando verò largitur patris contemplatione, est profectitium. Ita Segura *§. cum filiæ. l. coheredi. ff. de vulgar. & pupill. substit. num.* 119. 120. 173. Perez *in additionibus ad Seguram, in illo numero* 119. Anton. Gomez *l.* 29. *Tauri num.* 41. Censebitur tamen donatio intuitu ipsius patris facta, quando ad patris instantiam facta est, & quando non nisi ob patrem fieret, quia scilicet nulla nepotis merita præcesserunt, sed patris. Sic Segura *dicto num.* 120. 173. Item censetur facta patris intuitu, quando auus largitur aliquid nepoti ad causam necessariam, ad quam pater largiri teneretur; & non habet, vnde tribuat: verùm si pater haberet, vnde tribueret, vel sponte, & non ob causam eius auus largitur aliquid nepoti, contemplatione ipsius nepotis datum censetur: & sic erit aduentitium. Sic Bart. quem refert, & sequitur Perez *vbi suprà.* Itaque vbi tacitè, vel expressè non constat patris intuitu datum, censetur in dubio datum intuitu nepotis, & esse auduentitium. Sic Antonius Gomez *vbi suprà* plures referens.

7 Aduerte hic, hæc omnia intelligi, quando nepos donationis tempore erat sub patris potestate, nam si esset emancipatus, non videtur datum nepoti, vt acquirat patri, quia hoc non patitur ratio ciuilis. Ita Baldus *l. cùm oportet. C. de bonis, quæ liberis*, & Segura *dicto n.* 120.

## DVBIVM V.

*An patri fas sit distrahere aduentitia filij.*

1 REspondetur non licere: ita enim definitur *part.* 5. *tit.* 13. *l.* 24 quod limitat Gregor. Lopez *vers. ic. en ninguna manera*; nisi ad soluendum æs alienum, quod est in ipsa hæreditate, quia hæreditas, & substantia alicuius, dicitur detracto ære alieno, & ad soluendum legata, quæ sunt in hæreditate, & quando res sunt damnosæ, & onerosæ hæreditati. *l. finali. §. fin autem as alienum. & §. ipsum autem. C. de bonis, quæ liberis.* & aduerte in his casibus posse patrem distrahere, vendendo, seu aliàs alienando res filij sine decreto iudicis, licèt in tutore id decretum requiratur; quia patria potestas, quæ naturalis est, & primitiua, potest plus, quàm tutoris potestas. Sic Azo *C. de bonis. quæ liber. colum. finali. vers. & pro conseruatione.* & Gregor. Lopez *ibi*, & plures alij, quos refert Anton. Gomez *l.* 48. *Tauri num.* 18. & ipsos sequitur *ibi in fine.*

## DVBIVM VI.

*An teneatur pater inuentarium facere cùm aduentitia filij recepit.*

1 REspondetur negatiuè: tum quia id lege cautum non est, imò vsu receptum est, vt non teneatur; tum quia non est nudus administrator, imò magnum ius in his bonis habet. Sic Marsilius, quem refert, & sequitur Sylvest. *peculium* 1. *quæst. vltima*; dicitque ita decisum Bononiæ Anton. Gomez *l.* 48. *Tauri numero* 16. Cynus, & Baldus ab ipso relati. Molina *lib.* 1. *de primogen. cap.* 15. *numero* 34. nec tenetur satisdare. *l. cùm oportet. §. non autem. C. de bonis; quæ liber. & l. fin. eodem tit §. fin autem, in fine.* Sic Molina *numero* 33. Matienzo *lib.* 5. *ordinament. tit.* 1. *l.* 3. *glos.* 2. *num.* 16. Tiraquell. *l. si vnquam, in præfatione, numero* 29. multos refert. addit Matienzo, multos textus, & Doctores referens, quòd si pater transeat ad secundas nuptias, teneatur satisdare. An verò teneatur ad maiores expensas, quàm alij vsufructuarij, & ad expensas litis, vide Molinam *tomo* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 8. & *disp.* 7. *tract. de aliis vsufruct. ad quas expensas teneantur.*

2 Aduerte hic duo: alterum est, teneri ad petitionem filiorum pati describi talia bona; quod generale est in omnibus, qui inuentarium facere non tenentur. Ita Molina *ibi*, & Cuman. *consil.* 88.

3 Secundò nota eo casu, quo pater vsumfructum non habet in aduentitiis filij, posse esse eius tutorem, vel cu-

ratorem, & teneri rationem reddere, & inuentarium facere. *l. liber. C. ad l. falcidiam.* Sic Anton. Gomez *num.* 17. plures referens Tiraquell. *dicto num.* 29.

## DVBIVM VII.

*Quæ peculia sint profectitia.*

1 NOta profectitium esse acquisitum per filiumfamilias ex rebus, & substantia patris, vel ei largitum patris occasione. *l. cùm oportet. C. de bonis, quæ liberis, & ibi* glossa. Baldus *ibi in principio num.* 5. idem definit *l.* 5. *tit.* 17. *part.* 4. Gregor. Lopez, & Montalb. *ibi* Nauarr. Lat. & Hisp. *c.* 17. *num.* 144. Sylueſt. *peculium* 1. *q.* 1. Ang. *num.* 2. Tabien. & Arm. *num.* 13.

2 Nota hîc, tunc dici occasione patris aliquid obuenire filiis, quando aliàs dandum non erat, nisi patris respectu, id est, ad patris vtilitatem: quod præsumitur, si solius patris merita, & nulla filij interuenerunt. Et hoc, quando filius est in potestate. Sed si est emancipatus, non videtur consideratione acquirendi patri datum filio, quia hoc non patitur ratio ciuilis, & ideo erit filij, quia ei acquiri debet; cui de iure potest acquiri *l. adhuc, §. quæstionis. ff. de vsufructu.* Sic Baldus *ibidem.* Segura *§. cum filius l. hæredi. ff. de vulg. & pupill. substit. num.* 120.

3 Secundò nota circa hoc, dupliciter posse patrem esse causam, vt aliquid filiofamilias conferatur, scilicet proximam, & remotam. Proxima est, quando taliter pater est causa, vt non donaretur filio, nisi propter ipsum, & sic donatum est profectitium. Remota verò est, quando donans occasione patris venit in filij notitiam, verùm non propter patrem proximè donat, sed quia plus, vel æquè ac patrem ipsum diligit. v. g. si filius pecunia patris negotians, negotiationis gratia amicitiam alicuius adipiscatur, rationéque amicitiæ aliquid sibi donetur, pater est causa remota doni, & sic donatum est aduentitium: requiritur enim ad profectitium, vt occasione patris proximè acquiratur. Sic contra Speculatorem tenet Sylueſt. *peculium* 1. *q.* 15. Tabien. *num.* 14. Angel. *num.* 13. Bart. *l. cum oportet. C. de bonis, quæ liber.* Castillo *l.* 52. *Tauri. §. ad. de quòd.* Nauarr. *c.* 17. Lat. & Hisp. *n.* 164. Montalb. *lib.* 3. *fori tit.* 4. *l.* 7. *versic. otro.* vbi etiam notat, quòd si negotiatio esset causa proxima, quia scilicet alter ratione negotiationis donauit, volens societatem cum ipso in negotiatione contrahere est profectitium. Notat etiam Castillo, quod si daret filio, quia est puer, verùm non daret, nisi propter patrem, est profectitium, quia pater est quasi causa proxima.

## DVBIVM VIII.

*An filio, qui patri præ cæteris filiis ministrat, ac rei familiaris paternæ curam gerit, eámque administrat, teneatur pater laborum mercedem, seu salarium soluere, & si ipse non soluat, an ipso mortuo teneantur soluere reliqui fratres. salarium (inquam) quod extraneo similiter ministranti solueretur.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet teneri soluere salarium dictum. Ratio, quia licèt filius teneatur patri obedire, ipsúmque reuereri, at non tenetur ipsi ministrare, nec ad operas industriales; sic Fulgosius *l. illud. C. de collat.* Anton. Gomez *l.* 29. *Tauri num.* 24. Baëza *lib. de decima tutori danda, c.* 2. *num.* 4. 5. 9. 10. & 11. qui hoc limitat, quando operæ filij essent alicuius momenti, illisque substantia paterna aucta fuisset. Hæc sententia colligitur ex pluribus aliis *dubio sequenti* allegandis, qui dicunt, dum filius pecunia patris aliquid acquirit, vel in rebus patris, esse aduentitium id, quod operis filij correspondet; si enim aduentitium est, erit proprium filij, & sic ipsi præstandum saltim post obitum patris.

2 Secunda sententia docet, non esse præstandum salarium tali filio. Ratio, quia operas etiam industriales debet filius patri ratione alimentorum, & curæ paternæ. *l.* 3. *tit.* 20. *part.* 2. & *l. finali, fine tit.* 7. *part.* 2. & *l.* 36. *tit.* 12. *part.* 5. *l. Nonsennius. ff. de negot. gest. l. si alimenta, & l. si paterno. C. de negot. gest.* Item quia filius non repetendi animo, sed magis ratione pietatis, & debiti obsequij, & honoris iure negotia patris gessisse videtur. Sic Iason *l. illud. C. de collat.* Papienses, quos refert, & sequitur Castillo *l.* 27. *Tauri §. nunquid talis* D. Muñoz, dum publicè Salmanticæ profiteretur, quem refert, & sequitur Parlad. *de rebus quotid. cap.* 19. *num.* 2. Gregor. Lopez *l.* 3. *tit.* 20. *part.* 2. *vers. que son suyos.* Nauarro summa Lat. & Hisp. *cap.* 17. *num.* 144. 148. ibi Gutierrez *lib. de iuramento confirmat.* 1. *part. c.* 5. *n.* 7. & 8. Saliceto *l. certum. C. famil. herciſc. n.* 5. & *ibi* Bald. *num.* 11. Pinellus *C. de bonis mater. l.* 1. *part.* 3. *n.* 62. *vers. Infertur vndecimò*, dicit rarò deberi salarium, quia quæcunque seruitia, obsequia, curationes in infirmitatibus debet filius patri: sic etiam fuit publica sententia prolatum in quadam lite super hoc agitata, vt refert Fulgosius *vbi suprà*; sic etiam colligitur ex pluribus dubio sequenti allegandis, dicentibus, filium, qui pecunia patris, vel in re patris aliquid acquirit, patri acquirere, & tale lucrum esse profectitium, & sic totum patris. Idem tenent alij, quos Doctores citati referunt. Sit.

3 Prima conclusio; hæc secunda sententia est multo probabilior, scilicet filio sub patris potestate constituto ministranti patri nullum salarium deberi.

4 Nota conclusionem esse limitandam, nisi filius tacitè, vel expressè protestetur salarium operarum præstandum sibi esse à patre: nam quando hoc protestaretur deberetur sibi salarium. Sic Gutierrez *vbi suprà num.* 8. Parlad. & Nauarr. *vbi suprà.* Imò hæc protestatio non sat est, vt salarium filio præstandum sit, cùm sit contra id, ad quod filius tenetur, nisi casu quo filius non tenetur alere patrem, eo quòd diues est. Nauarr. & Gutierrez *ibi.*

5 Secundò nota intelligendam esse conclusionem de filio sub patris potestate constituto: nam si filius sit emancipatus, salarium temporis, quo post emancipationem seruiuit patri, recepturus est; quia diuersa in hoc est ratio respectu operarum artificialium, quia iam est separatus, & eiectus à manu patris, & ipsius potestate. Sic Gutierrez *vbi suprà num.* 10. Sylueſt. *peculium* 1. *quæſt.* 12. Perez *lib.* 1. *ordinam. tit.* 2. *l.* 1. *sub finem fol.* 28. §. *quæritur etiam, vtrum debitum causa seruitij.* vbi hæc dicit: *Debitum ex causa seruitij non est filio in legitimam imputandum, quando tale seruitium erat æstimabile, & filius impendens erat emancipatus, qui has operas patri impendere non tenetur, tunc enim debetur ei salarium, vt cuilibet extraneo.* Et in hoc casu verum tenet prima sententia citata.

6 Hinc infertur idem dicendum esse de filio illegitimo ministrante patri, scilicet deberi sibi salarium, quia non est in patris potestate, vt suprà dictum est. Si tamen pater ei alimenta, & vestitus præstitit, dum ei ministrabat, in seruitio imputabitur. *l. finali, tit. l.* 12. *part.* 5. & *l.* 2. *tit.* 23 *lib.* 4 *fori.* Sic Gutierrez *vbi suprà n.* 11.

7 Sed quid dicendum de filio seruiente matri, Parlad. *vbi suprà* dicit, non deberi sibi salarium, imo nec filio seruienti auis. Et Gregor. Lopez *vbi suprà* dicit, idem videri de filio seruiente matri, ac de filio seruiente patri; quia illa lex de vtrisque videtur loqui; relinquit tamen cogitandum.

8 Secunda conclusio: probabile est filio seruienti matri deberi salarium, quando seruitium est dignum æstimatione, & considerabile, sicut dictum est de filio emancipato seruienti patri, qui filius non est in matris potestate. Sic Faber, quem refert, & sequitur Gutierrez *vbi suprà numero* 12. & in hoc etiam casu tenet verum opinio suprà citata.

DVBIVM



## DVBIVM IX.

*An quidquid filius familias pecunia patris acquirit, vel in rebus patris, censendum sit profectitium.*

1 HOc dubium pendet à præcedenti, & ferè eadem est vtriusque resolutio. Certum est totum esse profectitium vbi in acquisitione nullus filij labor, & industria intercederet, vt si fundum locaret, vel mercatori, vt negotiaretur; pecuniam paternam traderet, vel censum ex illa constitueret.

2 At dubium est, quando filijfamilias labor, & industria simul cum pecunia paterna concurrit. Duplex est sententia.

Prima, totum lucrum esse perfectitium, quia leges absolutè docent acquisitum pecunia patris esse perfectitium. Sic Speculator, quem refert, ac sequitur Sylu. *peculium* 1. *q.* 1. *fine, & q* 12. gloss. *l. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberis* Iason *l. illud. C. de collat.* Azo, & Fulgosius, quos refert, & sequitur Gregor. Lopez *p.* 4. *tit.* 17. *l.* 5. *vers. con los.* Nauar. Lat. & Hispan. *cap.* 17. *num.* 144. cum limitatione infrà ponenda.

3 Secunda sententia docet, lucrum illud esse mixtum, scilicet partim perfectitium, quatenus à pecunia patris procedit: partim verò aduentitium, scilicet quatenus ab industria, & filij labore proficitur. Ratio, quia solùm id, quod ex pecunia patris procedit, dicitur profectitium, sed tantum pro illa lucri parte tribuitur pecuniæ patris; ergo. Item quia quod filiusfamilias in aliis sua industria, & labore acquirit, est aduentitium; ergo & in hoc. Sic Anton. Gomez *l.* 29. *Tauri, n.* 24. Bart. Iacobus de Buttio, Ang. Baldus, Paulus, & communis *dicta l. cum oportet.* Montalb. *l.* 7. *tit.* 4. *lib.* 3 *legum fori. vers. Quæritur.* Segura *l.* 1. *§. si vir. ff. de acquir. possess. n.* 69. Tabien *verbo peculium. n.* 18. Angel. *n.* 11. Rosella *n.* 7. & alij per hos citati. Sit

4 Prima conclusio: regulariter prior sententia est verior, quia filius ad eas operas tenetur patri, vt dictum est præcedenti dubio.

5 Secunda conclusio; quando filius non teneretur alere patrem, & tacitè, vel expressè protestaretur mercedem operarum sibi præstandam; vera est secunda sententia, vt dixi *dubio præcedenti*, & tenet Nauarrus *vbi suprà.*

6 Tertia conclusio; si filius esset illegitimus, vel emancipatus, est etiam vera secunda sententia, vt probaui *dubio præcedenti*, & tenet Sylu. *vbi suprà* & quos *ibi* allegaui.

7 Quarta conclusio; si quando filius non negotians pecunia paterna nomine patris sui, sed nomine proprio, vel nomine patris, & proprio, tunc etiam est vera secunda sententia, scilicet peculium esse mixtum. Sic Gregor. Lopez *vbi suprà*, plures referens.

8 Tandem nota, si non constet, quantum lucrum pecuniæ, quantum labori, industriæve tribuendum sit, dimidium pecuniæ, & dimidium labori tribuendum est: sicut cùm duo societatis contractum ineunt, dimidium pecuniæ, & dimidium industriæ in dubio tribuitur: vt est gloss. iuncto textu *l.* 1. *C. pro socio, & §. quod autem, Instit. per quas person. nob. acquir.* Sic Segura, Anton. Gomez, Nauarr. *vbi suprà.*

## DVBIVM X.

*An quando filius aliquot, viuente patre, acquisiuit, nec constare potest cuius ex bonis parta sint profectitia.*

1 GLossa *l. cum oportet. C. de bonis, quæ liberis*, tenet ex qualitate personarum, & patrimonij id pensandum esse.

2 Sed Bart. Bald. & communis, vt refert, & sequitur Anton. Gomez *l.* 29. *Cauri n.* 24 dicunt sententiam glossæ procedere, vbi filius patris bona administrabat: at vbi non administrabat, præsumuntur in dubio aduentitia. Quod intellige cum Bart. quem refert, ac sequitur Sylu. *peculium* 1. *q.* 17. Ang. 24. nisi suspicio delicti oriretur, si præsumeretur filium non ex patris bonis acquisisse, scilicet quia præsumeretur filiam turpiter acquisiuisse, cùm alter habere nequiuerit: tunc enim, vt illa suspicio euitetur, præsumetur ex bonis patris comparasse. Idem docet Tabien. *verbo peculium n.* 15. & notant Sylu. Ang. & Tabien. idem omnino seruandum esse in Prælato, tutore, & vxore, & huiusmodi, qui circa bona aliorum versantur in conscientia, quando dubitatur, cuius ex bonis acquisierint.

## DVBIVM XI.

*An si pater dilapidet bona aduentitia filij, & illa consumat, possit filius defuncto patre petere à reliquis fratribus coheredibus hoc damnum sibi restitui.*

1 SIt prima conclusio: si pater ex talibus aduentitiis non habeat vsumfructum, vt potest contingere iuxta dicenda in dubio sequenti, tenetur pater, & per consequens hæredes restituere hoc damnum. Ratio, quia est res aliena, & in talibus bonis censetur filius, ac si sui iuris esset. Sic Saliz. *l. filia. C. famil. herciſ. n.* 24. & alij, quos refert, & sequitur Gutierrez *de iuramento confirmatorio, 1. p. cap.* 4. *n.* 20.

2 Secunda conclusio: si pater in talibus bonis habeat vsumfructum, & dilapidatio, & consumptio concernat fructus tantùm, ad nihil tenetur pater, & per consequens neque hæredes, quia fructus erant patris. Si verò dilapidatio, & consumptio concernat rei substantiam, si est modica, de illa non curatur inter patrem, & filium; si verò est magna, & enormis; pater tenetur filio, & patre non restituente, tenentur hæredes, quia damnum illatum fuit in re aliena, sic iidem Doctores.

## DVBIVM XII.

*An pater in aliquibus casibus non habeat vsumfructum in bonis aduentitiis filijfamilias.*

1 HIc ponam, quæ iure constant, & dubiis sequentibus. quæ circa casus hîc ponendos dubia fuerint.

2 Quod est certum apud authores, & iure constat, est in septem casibus patrem non habere in aduentitiis vsumfructum.

3 Primus casus, si pater remittat talem vsumfructum filio, talis enim remissio valet. Ratio, licet enim donatio inter patrem, & filiumfamilias non valeat, id tamen tenet, quando pater aliquid de suo patrimonio diminuit, hîc verò non diminuit aliquid, sed tantùm renunciat lucro legali. hic casus habetur *l. cum oportet. C. de bonis quæ liberis, & ibi* Bart. Cynus, Ang. Paulus, & omnes. Anton. Gomez *l* 48. *Tauri num.* 9. vbi plures refert. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 145. Sylu. *peculium* 1. *quæſt.* 3. Ang. *num.* 2. Tab & Arm. *num.* 13.

4 Secundus casus est, quando bona relicta sunt filiofamilias hac lege, vt vsusfructus non acquiratur patri; quia voluntas disponentis est seruanda. *Auth. excipitur. C. de bonis, quæ liberis.* Ant. Gomez *ibi num.* 10. Sylu. Ang. Tab. Arm. *ibi* Nau. *num.* 14.

5 Tertius si pater vnà cum filio succedat alteri filio in aduentitiis, vterque enim secundùm ius commune succedit. *Auth. defuncto. C. ad Tertull.* hoc casu pater non acquirit vsumfructum in ea parte, qua succedit alter filius, *Auth. item hæreditas. C. de bonis, quæ liberis.* Sic Ant. Gomez citans plures *num.* 12. Sylu. Ang. Tab. Arm. Nau. *ibi.*

6 Sed nota cum Nau. & Ant. Gomez, hunc casum secundùm huius regni ius locum non habere, quia eo cauetur, filio defuncto solos patentes succedere, *l.* 7. *Tauri.*

7 Quartus casus, quando pater noluit assentiri filio aduenti aliquam hæreditatem, in illa enim pater non habebit vsumfructum.

Quintus casus est, quando pater incestas nuptias contraxit.

Universidad de Belgrano
Biblioteca



Sextus, si patre minus legitimè diuortium faciente bona filiis applicentur.

Septimus, si filiis accipiat dotem patre non consentiente, nec se obligante. Hos casus ponunt referentes leges Sylu.& Ang.Tab.*vbi supra*,& Sylu.*donatio* 2. *q.*7.

## DVBIVM XIII.

*An his casibus pater recipiat vsusfructus commoditatem.*

1 QVidam enim dicunt filium esse vsufructuarium, id est,habere ius ad vsumfructum, at verò pater recipere commodum talis vsusfructus.Ita Ang.*Instit.per quas person. nobis acquir.*quem sequitur Iason, vt referunt Molin.& Gregor.Lopez *vbi infrà.*

2 Verùm hanc sententiam meritò improbant alij, quia tunc parum prodesset filio ius, nisi commodum etiam recipiat; quare dicendum est in his casibus omnino filium acquirere vsumfructum, & commoditatem. Sic Molina *lib.*1.*de primog.cap.*17.*num.*33. Gregor.Lopez *p.* 4.*tit.*17 *l.*5.*vers.el vsufructo.*Xuarez *quæst.maioricatus, n.* 15.16. & alij per hos citati, Vide Molin.*ibi n.* 23. *&* 19. 20.Ioannem Garciam *de expensis,*6.10.*n.*45

## DVBIVM XIV.

*An donatio, vel remissio vsusfructus per patrem filio facta possit reuocari per alios filios tanquam inofficiosa, & talis filius teneatur in diuisione hæreditatis eam conferre cum aliis fratribus.*

1 PRima conclusio : talis donatio, vel remissio vsusfructus nequit reuocari per alios filios tanquam inofficiosa,id est, legitimæ nocens, quia non diminuitur de patrimonio aliquid ; nec computabitur in tertio, & quinto bonorum,sed vltra eam potest pater in aliis bonis in tertio, & quinto illum filium, vel quemlibet alium meliorare ; quia talis vsusfructus remissus non censetur esse de bonis,& patrimonio patris,vt docui *lib.* 6.*de matrim.disp.*4.*num.*18.cum Doctoribus ibi citatis, Anton. Gomez *l.*48.*Tauri num.*10. Molina *tom.* 1.*de iust.tract.*1. *disp.*8.

2 Secunda conclusio:talis filius,cui remissus est vsusfructus,non tenetur in diuisione hæreditatis eum conferre cum aliis fratribus : patet *l.cùm oportet.*§.*sin autem. C. de bonis,quæ liberis.* Ratio,quia non est propriè donatio, & diminutio de patrimonio patris, sed remissio iuris sibi competentis in filij bonis.Sic Anton.Gomez *eodem num.* 10.Molin.*ibi* Baldus *Auth.ex testamento.C.de collat.vers. Nouum.*licèt ibi Iason contrarium teneat.

3 Tertia conclusio : talis expressa donatio, & remissio vsusfructus statim valet,éstque donatio irreuocabilis. Sic Paulus, & Boëtius, quos refert, & sequitur Gutierrez *de iuramento confirmat.*1.*p.cap.* 4. *num.* 16. Tello dicens communem *l.*13.*Tauri num.*63.

## DVBIVM XV.

*An remissio tacita vsusfructus sat sit, vt filius illum sibi capiat, & talis remissio, seu donatio valeat statim, & sit irreuocabilis,vel sit reuocabilis vsque ad mortem patris.*

1 NOta remissionem tacitam dici, quando patre vidente,& tacente filius percipit vsumfructum.

2 Secundò nota,certum esse, talem remissionem tacitam satis esse, vt vsusfructus sit filij, sic enim habetur expressè *l.cùm oportet,vers.sin autem.C.de bonis,quæ liber.* & docent omnes doctores citandi.

3 At dubium est, an talis remissio statim valeat & fiat irreuocabilis, vel reuocari possit per patrem, dum vixerit.Triplex est sententia.

Prima tenet non valere statim eam remissionem, & sic posse quouis tempore à patre reuocari tam respectu vsusfructus percipiēdi in futurum à filio,quàm respectu percepti : non enim talis tacita remissio vim habet, donec morte patris confirmetur. Probatur ex *dict.* §. *sin autem*, vbi habetur; ex tacita remissione lucrari filium vsumfructum post mortem patris; ergo antea non erat firma.Sic videtur tenere glossa *dicto vers.sin autem.* idem tenent Azo, Iacobus Buttrio, Faber, quos refert Tello *l.*17.*Tauri n.*59.& eos sequitur *num.* 62.63.64.

4 Secunda sententia docet talem tacitam remissionem esse ab initio irreuocabilem, tam respectu temporis præteriti,quàm futuri. Sic Bald.*dicto* §.*sin autem*, *n.* 5.

5 Tertia sententia docet hanc tacitam remissionem ab initio validam esse, nec posse à patre reuocari respectu fructuum,quos patre sciente, & tacente percepit filius : at poterit pater reuocare pro tempore futuro, scilicet ne filius ex tunc percipiat vsumfructum.Ratio, quia scientia & patientia patris non extendit effectum suum vltra tempus quo præstatur, ergo poterit pro tempore futuro reuocari, non autem pro tempore quo iam habuit effectum.Et hoc est,quod *dict.*§. *sin autem*, appellat hanc diuturnam donationem,id est,quasi de die in diem, & morte patris confirmari, quo ad totum scilicet vsumfructum.Sic Paulus de Castro *dicto* §. *sin autem*, *num.*4. Bart. Cynus, Vitalis,quos refert, & sequitur Gutierrez *de iuram.confirmat.*8.*p.cap.*4.*n.*14. 15. Ant.Gomez *l.*48. *Tauri n.*9.10.*& l.*29.*n.*29.Molina *tom.*1.*de iust.tract.* 2. *disp.*8.

6 Sit conclusio : hæc tertia sententia videtur probabilior.

## DVBIVM XVI.

*An legitima debita à matre,vel ascendentibus ex linea materna, & similiter in tertio bonorum possit mater,vel ascendentes hanc conditionem ponere,vt vsusfructus non acquiratur patri.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit posse.Ratio,quia *Auth. excipitur, C de bonis,quæ lib.*absolutè permittit talem conditionem. Item quia ea conditio non est onerosa, immo fauorabilis filio. Sic glossa *Auth.vt liceat matri, & auiæ,in principio, vers.Participium.*& *ibi* Angel.dePerusio,Iacobus de Bellouiso,Paulus,Saliz.Iacobus de Butrio,Iason, Bald. quos refert Anton.Gomez *l.* 48. *Tauri n.* 11. & eam dicit esse communem Gutierr.*cap.quamuis pactum* §.*nullum ad bona paterna,num.*19. 20. & refert pro ea Menchacam, & Suarez,& ipse dicit absque dubio esse veram, quando malè suspicatur mater de moribus viri : at quando non suspicatur malè, licèt dubius,tenet non posse apponere tale grauamen.

2 Secunda sententia asserit non posse talem conditionem apponere in legitima, sed tantùm in legitimæ residuo,quod extraneis prælegare poterat. Patet *Auth. vt liceat matri,& auiæ,in principio,*vbi sic dicitur : *Sancimus licentiam esse matri,& auiæ,aliisque parentibus, postquam reliquerunt filiis partem,quæ lege debetur, quod reliquum est suæ substantiæ,donare sub hac conditione,vt vsusfructus non quæratur patri;hoc enim extraneo relinquere poterant:vnde nulla parentibus vtilitas nasceretur.* Hæc ibi. Ita Ant.Gomez *eodem num.* 11. Segura §.*sed si fundum. leg.vnum ex familia.ff.de leg.*2. *num* 169.Xuarez *leg.quoniam in prioribus. Cod. de inoffic. testament. num.* 11. Bart. Paulus de Castro, Fulgosius, Philippus Corneus, *Auth. excipitur.Cod.de bonis quæ liber.* Alexandrin. & Fabianus relati per Antonium Gomez; & hæc sententia est multo verior ac tenenda ; idem Molina *tomo* 1.*de iust.tract.*2. *disput.*8.

DVBIVM



## DVBIVM XVII.

*An si extraneus simul patrem & filiumfamilias instituat hæredes pro dimidia parte quemlibet,pater acquirat vsumfructum in parte illa relicta filio.*

1 DVplex est sententia.

Prima non acquirere : tum quia *Auth. Item hæreditas,C.de bonis,quæ lib.*statuit,vt dum filius, & pater succedunt alteri filio, pater non acquirat vsumfructum: sed iste est casus similis;ergo : tum etiam, quia ex dispositione, & voluntate defuncti ista videtur regularis intentio, & effectus institutionis, vt vterque hæres æquè succedat in proprietate, & vsufructu. Sic glossa, Saliz. Paulus de Castro *dicta Auth.Item hæreditas.*

2 Secunda docet patrem habere vsumfructum in illa parte filij. Ratio, quia cùm *Auth.Item hæreditas,*correctoria sit iuris communis, quo debetur patri vsusfructus in omnibus filij aduentitiis,non est de casu ad casum extendenda : sed illa solùm loquitur de casu, quo pater & filius succedunt alteri filio ; ergo. Sic Iacobus de Aretio, Cynus, Albericus, Ang.Philippus Corneus *dicta Auth. Item hæreditas,* & communis, vt refert, & sequitur Anton.Gomez *l.*48.*num.*13. & hæc est verior.

## DVBIVM XVIII.

*An quando filius eximitur à patria potestate per mortem ipsius filij, vel ipsius patris, amittat pater vsumfructum in eius aduentitiis?*

1 RAtio dubitandi, quia vsusfructus effectus est patriæ potestatis ; ergo hac cessante,ille cessabit.An verò quando publicantur bona patris, vel filij ob crimen hæresis,vel aliud,publicetur hic vsusfructus, vide Molinam *vbi infrà disp.*9.de quo latè dixi *lib.*2. *operis moralis in præcepta Decalogi cap.*16.

2 Prima conclusio : per filij mortem non finitur vsusfructus, quem pater in eius bonis habebat, sed retinebit quandiu ipse pater vixerit. Ratio, quia licèt patria potestas requiratur ad vsusfructus acquisitionem,non tamen,vt semel acquisitus duret.Et patet hoc *l.finali, vers. penult.C.ad Tertul.* sic Anton. Gomez 48 *Tauri n.* 5. Tello *l.*5. *Tauri n.*6.*&* 8.Molina *lib.*1.*de primog.cap.*19.*n.* 20.*& lib.*2.*cap.*9.*n.*23.Pinellus *C.de bonis mater. l.*1.*p.*1. *n.*39.Menchaca *de successio progress.lib.*1. §.1.*n.* 39. Bart. Odofr.Albert.Ang. Saliz.Paulus Corneus,& communis *dicta l.finali* Montalbus *lib.*3.*fori tit.*4.*l.* 7. *vers.est etiam notandum.*Molina *tom.*1.*de iust.tract.*2.*disput.*9 hanc conclusionem probaui *lib* 7.*in præcepta Decalogi cap.*13.*n.*5.

3 Hinc infertur, licèt pater & mater iure huius regni æquè succedant in bonis filijfamilias defuncti; id tamen intelligendum est, quoad proprietatem : nam etiam in illa parte bonorum, in qua mater succedit, retinebit pater vsumfructum,dum vixerit. Ratio, quia hoc non priuatur per mortem filij : ergo sicut habebat ipso viuo, debet habere ipso defuncto. Sic Pinellus *ibi*, Tello *dicto n.* 6.Ant.Gomez *l* 6 *Tauri n.*11.12.

4 Secundò infertur, si deficientibus parentibus succedant nepoti auus paternus, & maternus, & illi habeant vsumfructum in bonis nepotis viuentis, quia scilicet natus est ex filio coniugato, qui nondum Ecclesiæ benedictiones receperat : retinebit etiam post mortem in ea parte,in qua succedit auus maternus. Patet eadem ratione. Sic Ant.Gomez *eodem n.*12.

5 Secunda conclusio : quando filius eximitur à patris potestate per mortem ipsius patris, constat filium deinceps habere vsumfructum. Nota tamen, quòd si pater eius non receperat benedictiones Ecclesiæ,non habebit talis filiusfamilias vsumfructum, si auum paternum habeat, sed auus habet. Ratio, quia cùm sit in aui potestate, iuxta suprà dicta, habebunt in hoc nepote respectu aui locum omnes partiæ potestatis effectus, cuius vnus est habere vsumfructum in aduentitiis. Sic Antonius Gomez *dicta l.*6.*n.*12.*& l.*47.*Tauri n.*3.

## DVBIVM XIX.

*An quãdo filius eximitur à patris potestate ratione dignitatis,vt Episcopalis,patritiæ,&c.amittat pater vsumfructũ.*

1 ANton. Gomez *l.*48. *Tauri n.*6.*& l.*6.*n.* 11. dicit non amittere patrem vsumfructum, nec totum, nec partem, quem in aduentitiis eius habebat. Ratio, quia ad retinendum vsumfructum, quem antea pater acquisierat, non requiritur patriæ potestatis perseuerantia,sed sat est principio acquisitionis adfuisse, nec iure inuenitur cautum his in casibus amittere patrem vsumfructum acquisitum,

2 Sed Pinellus *cap.de bonis maternis,l.*1.*p.*1. *n.*42. melius hoc nullibi esse in vsu,& fauet Gregor.Lopez *l.*5.*tit.* 18.*part.*4.*vers.Retener.*vbi dicit nullam vsusfructus partem retinere patrem, quando emancipatio legibus inducta est : at constat ex supradictis ratione dignitatis Episcopalis, & aliarum emancipatum esse filium per leges.

3 Aduerte tamen, in bonis acquisitis postquam filius exemptus est à patris potestate per talem dignitatem, non acquirere patrem vsumfructum. Ratio, quia vt acquiratur vsusfructus, requiritur vt saltem acquisitionis tempore sit patria potestas, sed tempore acquisitionis non erat patria potestas,ergo. Sic Ant. Gomez *vbi supra.*

## DVBIVM XX.

*An quando filius eximitur a patria potestate,quia emancipatur à patre,amittat pater vsumfructum.*

1 SIt conclusio : dimidia pars vsusfructus manebit apud patrem in præmium emancipationis, & alia dimidia erit apud filium : sic enim cauetur *l. cùm oportet,* § *cum autem. C. de bonis quæ liberis.* & *ibi* notat Odofr. Cynus,Iacobus de Buttrio,Bart. Albert.Bald. Ang. Saliz. Paulus, & communiter Doctores. Ita etiam definitur *l.* 15.*tit.*18.*part.*4.& notat *ibi* Gregor.Lopez *vers. Retener.* Montalb.*ibi.*Anton. Gomez *l.*48.*Tauri n.*6. Sylu. *peculium* 1.*q.*3.Tabien.*n.*13. Ang *n* 2.

Circa hoc notanda sunt quatuor.

2 Primum, si in emancipatione pater vellet retinere sibi vsumfructum bonorum de cætero per filium acquirendorum,non valeret;quia non potest tale onus imponere.Sic Gregor. Lopez *ibi vers,ita mentad.* Albert. *l. penultima.C.de emancipat.*

3 Secundò,si pater emancipet filium ; qui postmodum nubit,& recipiat Ecclesiæ benedictiones, deinceps nullam vsusfructus partem retinebit pater, per infrà dicenda ex *l.*48.*Tauri* Sic Ant.Gomez *eodem n* 6.

4 Tertiò, si non ex dispositione patris, sed legis filius esset emancipatus,qualiter est per matrimonium, nullam partem vsusfructus haberet pater. Ratio, quia, vt patet ex legibus citatis, dimidia vsusfructus pars tribuitur patri in præmium,quòd filium emanciparet ; ergo vbi non ipse, sed lex. tale præmium non concedetur. Anton. Gomez *ibi*, & Greg. Lopez *ibi vers.Retener.*

5 Quartò, dictæ leges concedentes dimidiam vsusfructus partem patri emancipanti filium, intelliguntur de bonis ante emancipationem acquisitis:secus de acquisitis post, quia totus vsusfructus illorum pertinebit ad filium, cùm tempore acquisitionis non sit sub patris potestate.Sic Ant.Gomez *ibi.* Alexander per eum citatus.

## DVBIVM XXI.

*An quando filius liberatur a patria potestate per matrimonium sequutis Ecclesiæ benedictionibus, amittat pater vsumfructum*

1 SIt conclusio ; certum est secundùm ius huius Regni patrem teneri testituere bona aduentitia filio-

si quæ habebat, & ex tunc filium percipere vsumfructum. Sic enim cauetur *l.*48. *Tauri*, quæ est hodie *l.*8. *tit.* 1. *lib. ordinam.* & notat Ant. Gomez *eadem l.* 48. *num.* 6. Castillo, Cifuentes, Gomez Arias *ibi* Gregor. Lopez *part.* 4. *tit.* 18. *l.* 15. *vers. Retener.* Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 9. *num.* 25.

Circa hanc legem nota tria.

2 Primum est, licèt sine nuptiarum solemnitate quoad omnes alios iuris effectus matrimonium solo consensu efficiatur, at quoad mancipationis, & requisitionis vsusfructus effectum, requiruntur benedictiones Ecclesiæ, vt patet ex legibus citatis. Sic Ant. Gomez *ibi.* Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 1. *n.* 13. Perez *lib.* 4. *ordinam. tit.* 11. *l.* 3. *fol.* 15. 22. Greg. Lopez *p.* 4 *tit.* 17. *l.* 5. *vers. El vso.*

3 Secundò nota, dispositionem *dictæ l.*48. procedere, licèt filius, vel filia contrahat inuitis parentibus matrimonium; adhuc enim acquirent vsumfructum, & à patris eximentur potestate, quia lex indistinctè loquitur. Sic Ant. Gomez *eodem n.*6. & Cifuentes *l.*48. *Tauri.*

4 Tertiò nota, dum dicta l.48. Tauri disponit, vt post contractum matrimonium cum Ecclesiæ benedictionibus pater teneatur restituere filio vsumfructum, intelligi non de percepto antea, sed de illo, quem perceperit à tempore, quo filius suscepit Ecclesiæ benedictiones, quia ex tunc acquiritur filio. Sic Castillo *eadem l.*48. *vers. à restituir.*

## DVBIVM XXII.

*An si filius, ad quem pertinebat vsusfructus, scilicet coniugatus, receptis Ecclesiæ benedictionibus, videat patrem percipere vsumfructum aduentitiorum, nec petat ab eo aduentitia, censeatur vsumfructum remittere, & sic defuncto patre non teneantur hæredes dictum vsumfructum illi restituere.*

DVplex est sententia.

1 Prima tenet videri remittere vsumfructum, Ratio, quia pater per hoc, quòd videt filium percipere vsumfructum ad patrem pertinentem, & tacet, censetur tacitè remittere, & ille vsusfructus erit filij, vt dixi suprà *dubio* 15. ergo à contrario idem erit dicendum, quando filius videt patrem percipere vsumfructum ad se pertinentem, & tacet, censeri remittere: maximè cùm pater & filius sint correlatiua, & dispositum in vno correlatiuo, censeatur dispositum in alio. *l. finali. ff. de acceptil.* & tradit Bernardus Diaz *regula* 158. Hanc sententiam docet Castillo *l.*48. *Tauri, vers. à restituir. num.*11.

2 Secunda sententia docet, non censeri filium remittere vsumfructum, & sic esse sibi restituendum. Ratio differentiæ est, quia quando filius percipit vsumfructum patris ipso sciente, & tacente, pater, qui id patitur, possidet prædicta bona: vnde cùm ipse possideat, & videat, & patiatur filium frui vsufructu, censetur donare: at in nostro casu pater adhuc retinet bona aduentitia filij, & fruitur eis, & ideo non mirum, si filius patiatur patrem frui, quia nondum possidet dicta bona, & ideo non videtur per hoc donare. Secundò, quia nihil est, quod patrem prohibeat reclamare, dum videt filium potiri vsufructu; & ideo, si non reclamet, censetur donare: at filium reclamare prohibet metus reuerentialis patris, & ideo non est eadem ratio, & dispositum in vno correlatiuo, censetur dispositum in alio, vbi est eadem ratio. Sic tenet Gutierrez *de iuramento confirmat. 1. p. cap.* 4. *à n.* 18. per plures: & in alio simili, scilicet patrem recipientem fructus beneficij filij, illi restituere; tenent idem Perez *l.*1. *tit.*8. *lib.*3. *ordinam.* Palacios Rubios *rubrica de donat.* §. 42. *n.*9. & hoc est verius.

## DVBIVM XXIII.

*An filius familias per testamentum, vel renuntiationem possit patrem vsufructu priuare.*

1 SEnsus huius dubij est, an filiusfamilias, cui hodie de tertia bonorum parte testari permittitur, *leg.* 5 *Tauri*, quæ hodie est *lex* 4 *tit.* 4. *lib.* 5. *ordin. & l.* 6. *Tauri.* quæ hodie est *lex.* 1. *tit.*8. *lib.*5. possit præiudicare iuri paterno, testando non tantùm de illius tertij proprietate, sed etiam de vsufructu, qui conuenit patri ratione patriæ potestatis? Similiter etiam an possit mattis legitimam renunciare in præiudicium vsusfructus quærendi à patre in illa?

Circa primum duplex est sententia.

2 Prima docet posse etiam testari de vsufructu illius tertij Probatur, quia *d. l.* 5. *Tauri* sic dicitur: *pueda facer testamento, como si estubiera fuera de su poder.* Sed si essent extra patris potestatem, possent etiam de illo vsufructu testari; ergo. Sic tenet Ant. Gomez *l.* 6. *Tauri n.* 14. Molin. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 232. *fol.* 1443. Menchaca *de succes. progres. lib.* 1. §. 1. *num.* 31.

3 Secunda sententia docet tantùm posse testari de proprietate aduentitiorum in tertia parte, seruato vsufructu patri, dum vixerit. Ratio, quia quando facultas testandi conceditur illi, qui testari non potest, intelligitur, seruatis aliis regulis iuris, quia tantùm dispensat lex cùm illa qualitate potestatis patris, non tamen in cæteris *l. si quando. C. de inoffic. testam.* & confirmatur, quia licèt iure communi filiusfamilias clericus permittebatur etiam de acquisitis ante clericatum testari, id tamen intelligitur sine præiudicio vsusfructus quæsiti patri in talibus bonis, vt docent plures, quos refert, & sequitur Cou. *c. quia nos num.* 2. *testament.* & Pinellus *Cod. de bonis mater. l.* 1. *par.* 1. *num.* 43. & fatetur ipsemet Anton. Gomez *l.* 48. *Tauri, num.* 7. ergo similiter in nostro casu. Hanc sententiam tenent Greg. Lopez *l.* 13. *tit.* 1. *par.* 6. *vers. que esta es su poder.* Tello, *l.* 5. *Tauri num.* 3. *& infrà*, & dicit esse communem Perez *lib.* 5. *ordinam. tit.* 2. *l.* 1. *fol.* 62. *vers. intellige tamen*, & addit ad Seguram *l. Imperator. ff. ad Trebell. num.* 78. *vers. adde.* Royas *de successione ab intestato, cap.* 29. *à num.* 23. Mieres *de maioratu* 1. *par. quæst.* 1. *num.* 46. Auendaño *l.* 5. *Tauri. glossa fin. n.* 1. Gutierrez *lib.* 2. *q. pract. q.* 40. *n.* 4. Matienzo *l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 5. *recop glossa* 3. *n.* 4. Spino *speculo testament. glossa.* 4. *fine.* Molina *dict. tract.* 2. *disp* 138. *fol.* 740. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 9 *num.* 24. Peralta *rubrica. ff. de hæred. inst. n.* 181. Idem docent alij afferentes statutum, vt filiusfamilias possit testari, intelligi absque præiudicio vsusfructus quæsiti patri. Hi sunt Bald. *l. si quaramus, fine ff. de testam* Immola *c. quia ingredientibus, n.* 28. *de testam.* Ang. *ir. de testam. n.* 12 Francus *rubrica de testam. in* 6. 45. Guillelmus *c. Raynutius, de testam. n.* 24. Bart. *l.* 1. *C. de sacrosanct. Eccles. n.* 21. & fauent Cou. & Pinellus *vbi suprà*. quare hæc sententia, vt probabilior, tenenda est.

4 Nota parentes quantumcunque habeant alios filios legitimos, posse in eorum præiudicium concedere filio licentiam testandi, vt possit ad libitum disponere; & poterit relinquere parentibus, vt liberè disponant inter filios, vel extraneos. Sic Gutierrez *c. quamuis pactum, de pactis, initio, n.* 19. & 43. vbi latissime probat. Hæc tamen licentia debet esse cum iuramento, aliàs non valet, quia renuntiatio hæreditatis viuentis, quæ absque iuramento non valet, vt docet alios referens Molina *lib.* 2. *de primog. c.* 3. *num.* 49. & 50. Tello *l.* 6. *Tauri n.* 65. & quidam admodum doctus neotericus à me consultus, qui dixit non posse vxoratam dare filio hanc licentiam sine licentia viri, quia est contractus.

5 Quo ad secundum sit conclusio: si filiusfamilias renunciet hæreditatem maternam, etiam iuramento præstito, non consentiente patre, non nocet patri quoad vsumfructum: sed si mater viuente patre, & manente patria potestate obierit, retinebit pater vsumfructum in hæreditate



hæreditate materna. Ratio, quia ea renuntiatio sortitur effectum eo tempore, quo mater defuncta est, quo patri acquiritur vsusfructus, cui iuri patris filius nocere nequit. Sic tenent Paulus de Castro *in principio l. fin. C. de bonis, quæ lib.* Tello *l.* 6. *Tauri n.* 55. Cou. *cap. quamuis pactum.* 3. *q.* §. 2. *n.* 3. *vers. secunda probatio*, quamuis dubius.

## DVBIVM XXIV.

*An in primogenio, Ducatu, Comitatu, &c. obueniente filiofamilias ex matre, vel linea materna, vel aliunde, pater habeat vsumfructum.*

1 RAtio dubitandi, quia in bonis donatis à Rege pater non habet vsumfructum, cùm sint quasi castrensia, sed bona maioratus videntur à Principe donata, cùm saltim Rex faciendi ex eis maioratum licentiam tribuat: ergo.

2 Nota maioratum dupliciter constitui posse, scilicet, vel de bonis priuati, præuia tamen Regis facultate, vel de bonis à Rege donatis absolutè, aut titulo maioratus.

3 Prima conclusio: si maioratus sit de bonis priuati, etiam præuia Regis facultate constitutus, pater habet vsumfructum in eo. Hæc conclusio est certissima. Ratio, quia ista bona non donantur à Principe, sed tantùm licèt ia primogenium constituendi: ergo non dicentur ex hac parte quasi castrensia; cùm ergo aduentitia sint, pater in eis habebit vsumfructum. Sic Greg. Lopez *part* 4. *tit.* 17. *l.* 7. *vers. donatio.* Ant. Gomez *l.*48. *Tauri num.*34. Castillo *d. l.*48. *Tauri.* § *mandamos.* Molina *lib.* 1. *de primog. cap.*19. *n.*18. Tello *l.*5. *Tauri n.* 8. Xuarez *q. maioricatus num.* 9. Gomez Arias *l.*46. *num.*5.

4 Aduerte aliquos ex his, scilicet Tello, & Castillo dicere filium habere verum ius vsusfructus, & patrem commoditatem: idem Gomez Arias. Sed hoc optimè improbat Molina *num.*19. dicens etiam verum ius vsusfructus habere patrem: idem Ant. Gomez *ibi.*

5 Secunda conclusio: si maioratus sit constitutus ex bonis à Rege absolutè donatis, quæ Rex absolutè alicui pro se, & suis descendentibus donauit, nulla facta maioratus mentione, & is donatarius ex eis maioratum instituat, licèt pater ipsius donatarij non habeat in eis vsumfructum, eo quòd in illo quasi castrensia sunt, vtpote à Rege donata: tamen cùm postea maioratus hic ad successorem peruenerit, pater talis successoris habebit in eo vsumfructum. Ratio, quia successor non dicitur habere per donationem à Rege, & mutatione personæ iam non dicuntur castrensia, vel quasi. Sic Xuarez *n.* 23. 24. Molina *n.* 24. Ant. Gomez *n.*4.

6 Tertia conclusio: si bona maioratus non sint liberè, & absolutè à Rege donata; sed ea lege vt perpetuò sint bona maioratus in eisque iure maioratus succedatur: tunc pater eriam successorum non habebit in eis vsumfructum. Ratio, quia tunc omnes successores à Rege, non verò à prædecessoribus ea bona capere censentur; & sic erunt in omnibus successoribus, quasi castrensia ac donata à Principe, iuxta suprà dicta. Sic Molina *n.* 24. Ant. Gomez *n.*4. Xuarez *n.*18. 19. 20. 21.

7 Vltima conclusio: licèt in aliis bonis vsusfructus non finiatur filij morte, at in maiorata sic. Ratio, quia, cùm dominium bonorum maioratus filiofamilias competens ad vitam eiusdem restrictum sit, & eo moriente in sequentem maioratus successorem pertranseat, consequens est, vt etiam parentis vsusfructus, qui ab eius dominio pendet, cessare debeat. Sic Molina *num.*20. Ant. Gomez *n.*4. Tello *l.*5. *Tauri n.*8.

## DVBIVM XXV.

*An si pater sit morti proximus, filius familias ipse acquirat.*

DVplex est sententia.

1 Prima tenet non acquirere; probatur *l. finali, in fine. C. de bonis, quæ liber.* vbi sic dicitur. *Qualis vsusfructus potest. ei acquiri, qui momentarius esse ostenditur.* Et ratio est, quia cùm patria potestas sit tunc quasi consumpta, nihil operatur; quo ad acquisitionem sibi faciendam. Sic Segura *l. cohæred.* §. *cum filiæ. ff. de vulg. & pupill. n.*92. *fine*, Gomez Arias *l.* 46. *Tauri.* Baldus *l. finali ff. de condit. instit.* Franciscus de Aretio *cons.* 161. Iason *l. quoniam, ad finem. C. de testam.*

2 Secunda tenet acquirere patri. Sic glossa *ff. de condit. instit. l. finali. vers. subst itutos.* & *ibi* Bart. *n.*4. & hoc dicit videri verius Xuarez *lib. legum fori. tit.* 11. *l.*9. *vers. tenebis etiam mente.*

3 Sit conclusio: quo ad vsumfructum probabilius est non acquirere filium patri in extremis constituto, vnde si tunc acquirat aliqua aduentitia, non acquiret pater vsumfructum, & sic videtur loqui prima sententia: & hoc probat lex finalis, quam pro se adducit, quia inutilis esset ea vsusfructus acquisitio, si statim pater mori debet, & sic cessare; at verò, quo ad proprietatem, benè acquirit patri: quare si tunc bona aliqua profectitia acquireret filiusfamilias, patri acquireret. Patet, quia dicta lex finalis apertè solùm loquitur de vsufructu: nec etiam eius ratio in proprietate procedit, illa enim etiam patri morienti vtilis est, quia transmitteret ad hæredes; ita docet Bart. *dicto num.*4. vbi totam hanc conclusionem docet.

## DVBIVM XXVI.

*An casu, quo aufertur patri administratio bonorum aduentitiorum filij, reseruetur ei vsusfructus, quando aufertur propter dilapidationem? Item an in dote aduentitia filiæ acquirat pater vsumfructum.*

1 SIt prima conclusio. In priori casu non reseruatur patri vsusfructus, sed tantùm alimenta. Sic Ioann. Andr. *addit. ad Speculatorem tit. de dote restituenda, addit. finali.* Gregor. Lopez *part.* 3. *tit.* 2. *l.* 2. *fine.* dicens patere hoc ex illa lege.

2 Secunda conclusio: pater non habet vsumfructum in dote aduentitia filiæ, nec etiam in dote, acquiritur filio propter iniuriam violati tori. Sic Bald. No uellus *tr. de dote, fol.* 18. 19. & Gregor. Lopez *part.* 4. *tit.* 17. *l.* 5. *vers. El vsufructo.* Quæ planiùs dicit procedere in hoc regno, cùm per matrimonium liberetur filius à patris potestate.

## DVBIVM XXVII.

*An in vsufructu relicto filiofamilias acquirat aliquid pater.*

1 PLures Doctores asserunt patrem non acquirere in illo vsumfructum. Ratio, quia non est dabilis vsusfructus ipsius vsusfructus, sicut nec seruitus seruitutis. Sic Sylu. *donatio* 2. *q.*7. Molina *lib.* 1. *de primog. c.* 19. *n.*18. glos. *Auth. idem est. C. de bonis quæ liber. & Auth. vt liceat matri. & auiæ in principio.* Albert. Bart. *d. Auth. idem est, & l.* 1 *C. de bonis maternis, vers. quod si filio*, glossa *l. fin. ff. de vsufructu.*

2 Aduerte tamen, quòd licèt hoc ita sit, verù m commoditatem illius vsusfructus percipet pater, ita vt filius sit vsufructuarius, id est, habens ius ad vsumfructum: at pater dum vixerit, rebus ex vsufructu prouenientibus vtetur, & fruetur. *l. finali. C. de vsufructu.* Licèt enim vsusfructus non sit dabilis ipsius vsusfructus, benè tamen est dabilis commoditas. *l arboribus* §. 1. *ff. de vsufructu.* Sic Ant. Gomez *l.*48. *Tauri, num.*2. Bart. Odofr. Cynus, Iacobus de Buttio, Alber. Bald. Ang. Saliz. Paulus, Corneus, & communis, teste Antonio Gomez *l. finali. C. de vsufructu.* Azo *in summa. C. de bonis, quæ liberis.* Xuarez *q. maioricatus à n.*11. *vsque ad* 15.

3 Secundò aduerte ad sciendum quando vsusfructus relictus filio finiatur, quod aut relinquitur filio ipsius contemplatione; & tunc proprietas erit filij, & commoditas patris, & parte mortuo, manet apud filium, & finitur is vsusfructus per filij mortem; quia in hoc casu filius

Universidad de Deusto
Biblioteca



filius est verus vsufructuarius. Aut relinquitur filio patris contemplatione, & tunc proprietas, & commoditas eius est apud patrem, quia talis vsusfructus censetur tunc profectitius: quare cùm hoc casu pater sit verus vsufructuarius, per solam ipsius mortem finietur; non verò per filij mortem: aut nequit constare vtrius contemplatione relictus sit; & tunc non extinguitur alterius morte, sed vtriusque, & ita mortuo filio, remanet apud patrem, & mortuo patre apud filium. Neque obstat, quòd in dubio bona relicta filio, vel ipsi acquisita, quæruntur sibi, quo ad proprietatem, & patri quo ad vsumfructum: id enim in aliis bonis mobilibus, vel immobilibus procedit, secus in vsufructu, quia in illo specialiter est dispositum, vt in dubio acquiratur superuenti *l.fin.C.de vsufructu.* Hæc omnia notat Ant. Gomez *l.48.Tauri num.2.* & affert plures leges, & Doctores.

## DVBIVM XXVIII.

*An in feudo filiifamilias pater habeat vsumfructum.*

1 NOta ex Sylu. & Summistis *verbo feudum, in principio, & q.1.* feudum esse concessionem, rei immobilis factam pro aliquo seruitio exhibendo, manente dominio directo apud feudum concedentem, vtili verò apud feudatarium. Vnde de feudi natura est primò quòd dominus sibi retineat directum dominium, & proprietatem, & vtile dominium transeat in vasallum. Secundò, quòd consistat, in re immobili. Differt verò ab emphyteusi, quòd vasallus nequit sine domini voluntate feudum impignorare: at emphyteuta potest. Item emphyteusis datur pro aliqua pensione soluenda in pecunia, vel aliquo alio consistente: at feudum datur pro obsequio exhibendo. Cætera de feudo vide in Sylu.

2 Hoc supposito dicendum est, patrem non acquirere vsumfructum in feudo concesso filiofamilias, etiamsi sit aduentitium (nam in feudo quasi castrensi, vel castrensi, quale esset virtute armorum feudum acquisitum, vel à Principe feudum concessum, manifestum est.) Ratio, quia feudum est seruitus quædam, & feudatarius est velut vsufructuarius. Item, quia pater non succedit filio in feudo. Ita Gregor. Lopez *part.4.tit.17.l.5.versic. El vsufructo.* Bald. *si vxorem, in fine. Cod. de condit.* Bart. *l. si quis, in fine, Cod. ad Tertull.* glossa *l. si patria. C. de vsufructu.* Cæpola *de cognit. feudi, cap.1. different.10.*

3 Aduertendum tamen (vt dixi *dub. præced.* de vsufructu) acquirere patrem commoditatem in feudo aduentitio filijfamil. Sic Iacobus de Bellouisu, & Baldus *l. cum oportet, fine. C. de bonis, quæ lib.* Xuarez *q. maioricatus n.16.*

4 Tandem in ista materia de vsufructu nota non priuari patrem vsufructu, licèt transeat ad secundas nuptias Pater. *l. finali. C. de bonis mater. & ibi* Bart. Odofr. Cynus, Iacobus Butrio, Albert. Bald. Ang. Saliz. Paulus Corneus, & communis, vt refert, & sequitur Ant. Gomez *l.48, Tauri num.1.*

## CAPVT III.

*De iniuriis, & damnis in bonis animæ, déque congrua restitutione.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An qui malo exemplo, vel consilio inducit aliquem ad peccandum, teneatur restituere.*

2. *An retrahens volentem ingredi religionem, vel iam ingressum ante, vel post professionem, teneatur aliquid restituere.*

3. *An retrahens filium, ne subueniat patri indigenti, & subtrahens magistro scholasticos, aduocatus suos litigantes, idémque in aliis officiis, peccet mortaliter, & teneatur ad aliquam restitutionem.*

4. *An damnificans in bonis spiritualibus, intrinsecis, naturalibus, siue a natura ingenita sint, vt intellectu, vel memoria infatuando aliquem, vel memoria priuando aliquo veneno, siue sint acquisita, vt sunt scientia, & artes, teneatur restituere.*

5. *An Confessarius, vel Medicus, vel Aduocatus, vel quius alius docens falsum, dansque malum consilium, ex quo damnum petendi consilium, aliisque sequitur, quando id bona fide, & inculpatè fecit, teneatur, si postea comperiat veritatem, lege iustitiæ docere verum, & sic si non doceat, teneatur restituere.*

6. *An qui tenetur ex officio docere verum, vt Confessarius, vel alius Doctor consultus, si doceat falsum ex negligentia, & culpa lata, ac mortali circa rem, quæ non obligabat ad soluendum lege iustitiæ, teneatur restituere.*

7. *An audire detractionem sit peccatum mortale, quando ipsa detractio peccatum mortale est.*

## DVBIVM I.

*An qui malo exemplo, vel consilio inducit aliquem ad peccandum, teneatur restituere.*

DVplex est sententia.

1 Prima docet teneri restituere, inducendo scilicet eum ad pœnitentiam, fundendo pro eo preces, petendóque ab aliis, vt pro eo fundant. Ratio, quia lædens in temporalibus minus nocet, cùm spiritualia sint potiora bonaria: hic tenetur restituere; ergo. Sic tenent Scotus *dist.15.q.3.art.1.* Richar. *ibi art.5 q.2. & 4.ad 8.* Palud. *ibi q.2.art.2.conclus.1.* Maioris *ibi q.17 dubio vltimo* Gabr. *ibi q.17.a.2.* D. Ant. 2 *p.tit.2.c.2.§.1.* Ang. *restit. 1. verb. Animam ladens.* Tab. *verbo restit.q.10.* Rosel. *resol.2.§. 1.* Adr. *4.mat. de restitut. sub finem, q. speciali de hac re.* idem tenet Caietan. *verbo restitutio, cap.7. fine*, quando consultò inducit ad peccandum.

2 Secunda sententia omnino tenenda, quam docui *lib. 1. in præcepta Decalogi cap.6.num. 5.* asserit; quòd si citra vim, & fraudem induxit ad peccandum, non tenetur lege iustitiæ ad aliquid, sed sola charitatis, præcepto scilicet correctionis fraternæ, monere ad bonum, si est spes emendæ, sicut tenetur alios peccatores, maiori tamen vinculo ita vt obligatio hæc corrigendi non sit specie distincta ab ea, quam alius habet, vel ipse haberet, si non induxisset; sed est maior in eadem specie, cùm peccati causa fuerit: si tamen vi, vel fraude, vel metu induxit ad peccandum, tenetur lege iustitiæ restituere.

Probatur prima pars, quia scienti, & consentienti non fit iniuria *c. volenti, de reg. iur. in 6.* sed ille sciens, & volens nec seductus, nec coactus peccauit; ergo. Et confirmatur, quia si alius à me furaretur centum, & ego quando volo, & eo modo, quo volo, possum recuperare, alius non tenetur restituere: at inductus ad peccandum potest, quando voluerit, ad pristinum reduci statum; ergo.

Probatur secunda pars, quia semper fit iniuria cùm ratione deceptionis, & metus extorquetur cõsensus, quia dolus, & metus tollunt voluntarium, & sic fit iniustitia, Sic tenent Mercado *lib.6.de contract.cap.2.* Soto *lib. 4.de iustit.q.6.art.3, ad 1.* Ledesm. *2.4.q.18.art.2.dub.1.f.240. pag.2.* Nauarr. *summa cap. 14.* Hisp. *num.32.* Lat. *num.45.* Sylu. *restitutio 3 quæst.1.* Nauarra *lib. 2.de restitut. cap. 2. num.1 fol.47.* Cord. *summa quæst.172.* Pedraza *5.præcepto. §.7.* Aragon *2.2.quæst.62. art.2 fol.176. & ibi* Salon *controuers.2.*

3 Nota primò, quòd quando metu reuerentiali inducit quis alium ad peccatum, vt si pater, vel dominus, vel superior, aut propinquus maior, quem alius reueretur, inducat ad inimicitias cum alio, vel ad aliud peccatum, Nauarra *ibidem num.2.fol. 49.* inclinat magis in hoc, quòd non teneatur lege iustitiæ restituere. Sed contrarium tenendum est cum Nauarro & Sylu. *ibid.* quia hic metus



metus impedit liberam voluntatem, sufficiensque est ad votum solemne annullandum, vt constat ex dictis *lib. 4. sum. cap.3.num.26. & lib.4.de matrimon. disp. 6. à num. 1. vsque ad 35.* & sic iniuriam causat. Extendit etiam hoc Sylvest. quando manet in peccato, vt complaceat alteri, quod alter teneatur restituere. Sed hoc intelligendum est, vt benè Nauarra *eo num. 2.* quando ea complacentia causaret merum reuerentialem, vt quando peccat, ne amittat gratiam Principis, secus quando esset æqualis is, cui complaceret peccando, quia tunc nullum inuoluntarium causatur.

4 Secundò nota, non constare inter Doctores huius secundæ sententiæ, quo pacto teneatur restituere, qui vi, vel metu induxit ad peccandum, quidam enim censent non satisfacere auferendo vim, & metum, vel docendo veritatem, si decepit, sed teneri inducere ad bonum ex lege iustitiæ, & pro eo fundere preces, vt ab illo peccato desistat, vt docebat prima sententia citata. Probatur, quia hic tenetur non tantùm ad reparanda peccata futura, quod reparatur tollendo vim, &c. sed etiam ad reparandum peccatum commissum, id enim damnum sua iniustitia intulit: sed hoc damnum non reparatur auferendo tantùm vim; ergo. Sic tenent Aragon. & Cordub. *vbi supra.* & expressè etiam Nauarr. Sylvest. Nauarra, *supra.* Dicunt enim primam sententiam, quæ docebat teneri, inducere ad bonum, & pro eo fundere preces, esse veram, quando quis vi, vel metu induxit ad peccatum: imo addit Aragon aliquando etiam teneri bona temporalia conferre, quando scilicet in eo statu constitutus est peccator vi, & metu, vt reuocari nõ possit absq; eo, quòd matrimonium cõtrahat, ad quod necessaria est dos aliqua,

5 Cæterùm verius esse credo sat esse auferre vim, vel metum, vel dolum, in sua pristina libertate relinquendo inductum ad peccatum. Probatur quia tota ratio iniustitiæ in sola vi, vel metu, vel deceptione consistit, hæc enim causa cessante omnino voluntarie persistit in peccato: volenti autem non fit iniuria; ergo sublata hac iniustitia, nulla obligatio iustitiæ ad restituendum supereſt. Confirmatur ex ratione adducta ab iisdem Doctoribus secundæ sententiæ contra primam: nã sublata vi hac, potest peccator, quando voluerit, & eo modo, quo voluerit ad pristinũ reduci statum; ergo alius non tenetur amplius restituere. Et sic ad rationem contrariæ sententiæ distinguenda est minor: auferendo vim non reparatur, id est, non restituitur omnino ad pristinum statum, concedo; id est, non sufficienter reparatur, quoad iniustitiam illatam, ita vt constituatur in eo statu, in quo liberè, & quando voluerit, potest ad pristinum statum redire; nego. Hanc videtur tenere Soto *supra*, & Salon *supra*, explicans enim hanc restitutionem ad quam tenetur, dicit teneri auferre vim, vel metum, vel deceptionem; & clariùs Ledesm. *supra*, dicit enim perseuerante causa, scilicet vi, & metu teneri restituere: quasi expressè dicat, illa cessante ad nihil lege iustitiæ teneri, sed sola lege charitatis ad correctionem fraternam. Et confirmatur, quia si ego vinculis constringerem aliquem, ne adiret consecutum beneficium, satisfacerem vincula soluendo, nec tenerer inducere ad adeundum, cùm solutis vinculis liber maneat ad hoc.

## DVBIVM II.

*An retrahens volentem ingredi religionem, vel iam ingressũ ante, vel post professionem, teneatur aliquid restituere.*

1 QVidam asserunt, quod retrahens iniquo animo volentem ingredi religionem, vel iam ingressum, tenetur restituere, suadendo ipsi, quòd intret, & si nolit, substituendo alium, qui intret, & si eum non inueniat, tenetur ipse ingredi. Probant primò exemplo Raymundi, qui ob hanc causam monachus factus est. Secundò, quia potens restituere rem sublatam, vel æquiualentem, tenetur ad id; ergo tenetur retractum reducere, vel alium, vel seipsum, si idoneus sit, religioni tradere. Sic tenent Adrian IV. *mat. de restitut sub finem, quæst. de bonis animæ restituendis*, Passarellus super priuilegia Minimorum *cap. 40.* D. Anton. 2 *part.tit.2.cap 2.§.1.* Maioris 4. *distinct. 15. quæst.17. dub. vltimo.* Palud *ibi quæst.2. art.2.* Scotus *ibi quæst.3. artic.1.* Gabr. *ibi quæst 17. artic.3.* Rosel. *restitutio 2.§.1.* Sylu. *restitutio 3. quæst. 1.* idem tenet, de extrahente professum Tab. *verb. restit.q. 10.* addit retrahentem volentẽ ingredi teneri prudentis arbitrio restituere.

2 Alij verò, dicunt, quod inducens ne intret animo nocendi religioni, tenetur religioni, arbitrio prudentis restituere: si verò non hoc animo, non tenetur religioni, sed ipsi restituere retracto. Sic Richard. 4. *dist. 15. art.5. quæst.4. ad 8.* Ang. *verbo Religiosus, num.63.* vbi addit, quòd si extraxit professum, satisfaciat ipsi, & religioni, at non tenetur intrare.

3 Vt tamen quid tenendum sic clarè explicemus, nota quòd hac in re considerandum est, an retractus sit volens ingredi, vel nouitius, vel professus: secundò an retractus sit solis precibus, vel vi, dolo, aut metu: tertiò an restituendum sit aliquid ipsi retracto, & an etiam religioni aliquid sit restituendum. Sit ergo

4 Prima conclusio: qui sine vi, & fraude etiam animo nocendi retraxit ab ingressu volentem ingredi, vel nouitium, non tenetur lege iustitiæ aliquid ipsi, vel religioni restituere, sed tenetur lege charitatis ipsi consulere bonum, quando absque iusta causa id persuasit. Probatur, quòd non ipsi, quia volenti, & consentienti non fit iniuria: quòd non religioni, quia non fit ei iniuria, ante votorum enim acceptionem, quæ per professionem fit, nullum ius habet in illum: nec animus nocendi inducit restituendi obligationem, quando exterius non infertur damnum contra iustitiam: quòd autem lege charitatis teneatur, patet, quia deliquit contra charitatem auertendo à profectu spirituali absque iusta causa. Sic tenent Soto *lib.4.de iustit. quæst.6.art.3 ad 2.* Bannes 2.2.*q.43.art.4.* Aragon 2.2. *quæst.62.art.2 art.4.fol.178.* Ledesm. 2 2. *quæst.18. art. 2. dub.1.fol.239.pag.4 & sequenti.* Nauarra *lib.2 de restit.c.2. num.13.14 15.fol.52 53.* Salon 2.2.*quæst.62.art.2. controuers.3.* & docti recentiores.

5 Hinc fit non teneri in hoc casu restituere damna temporalia inde secuta; quia non fuit per iniustitiam illorum causa. Colligitur ex eisdem Doctoribus, & tenet Nauarra *ibi num.20.*

6 Secunda conclusio: qui sine vi, & fraude extraxit professum à religione, nihil tenetur restituere ipsi, nec religioni. Probatur, non ipsi, quia scienti, & volenti non fit iniuria: quòd non religioni, probatur primo: non tenetur lege iustitiæ restituere personam illam; quia religio non habet ius iustitiæ ad personam; non enim per professionem se obligat monasterio ex iustitia, sicut obligatur seruus suo domino, sed obligat se ex voto obedientiæ, quod religionis actus est, cuius signum est, quòd seruus est propter dominum, in eúsque vtilitatem, & sic ab ipso vendi potest: at religiosus non est propter religionem, sed hæc propter bonũ spirituale illius. Quòd non teneatur restituere lucrum cessans, vel damnum sequutum, probatur, quia monasterium non habet maius ius ad lucrum, quàm ad personam, ex qua proueniebat; ergo sicut ad personam non habet ius iustitiæ, sed solùm obedientiæ, & religionis; ita ad lucrum: qui ergo causa est, vt cesset lucrum, vel sequatur damnum, non violat ius iustitiæ, & sic non tenetur restituere. Et confirmatur, quia ipse professus, qui efficacior est causa huius damni, si apostataret, vel in monasterio nollet laborare, non delinqueret contra iustitiam, nec teneretur restituere; etiamsi postea per dispensationem obtineret aliquod beneficium, vnde posset satisfacere: ergo à fortiori non tenetur suadens ipsi, ne laboret, vel vt apostatet. Item, quia licèt religio habeat ius spirituale ad præcipiendum religioso, vt legat, vel alia ministeria obeat: at ad horum ministeriorum prouentus exigendum ius non habet,

nisi

Universidad de Navarra Biblioteca

nisi supposita illius voluntate legendi, & efficaci lectione; ergo Sic Soto, Salon, Ledesm. *fol.* 240. *pag.* 1. Aragon *fol.* 178. *pag.* 2. *fine*, & *seq.* Nauarra *dicto c.* 2. *n.* 22. 23. 24. *fol.* 55 56. Lessius *lib.* 2. *c.* 8. *dubitat.* 3. *n.* 16. & alij viti docti. Addit tamen Nauarr. *eo n.* 24. non esse improbabile dicere teneri ad aliqualem restitutionem.

6 Tertia conclusio: qui vi, metu, vel fraude (explicat Soto *fraudem*, vt dicendo nō esse bonam religionem) retraxit volentem ingredi, vel nouitium, vel professum, tenetur restituere lege iustitiæ ipsi retracto, tollendo vim, vel veritatem docendo, si decepit. Probatur, quia ille patitur inuoluntarium, & sic fit ei iniuria. Sic Soto, Ledesm. *fol.* 240. *pag.* 1. Aragon *fol.* 178. *dicto* 2. Nauarra *n.* 17. *fol.* 54. addit Soto fortè etiā teneri ratione iniuriæ illatæ procurare, vt admittatur in religionem: quod sine *fortè* asseuerat, Ledesm. *ibidem*, & alij recentiores magistri.

8 Sed quid si nolit redire. Aragon *ibi* dicit teneri lege iustitiæ inducere illum, vt intret, & preces fundere Deo, vt ipsum reducat ad saniorem mentem. Sed decipitur, nihil enim tenetur tunc facere lege iustitiæ, quia tunc iam sciens, & volens patitur damnum illud spirituale. Sic Soto, Ledesm. *ibi* & alij.

9 Maius autem dubium est, an in hoc casu violentiæ, vel fraudis, teneatur aliquid restituere religioni.

10 Quarta conclusio: qui nouitium, vel professum vi, vel fraude extraxit à religione, non tenetur ipse intrare in vllo euentu. Probatur, quia vota religionis spontanea esse debent, iuxta illud: *Si vis perfectus esse*, &c. item quia esset intolerabile onus inuitum ad religionem cogere, & ad profitendum, ob idque datur annus nouitiatus: vnde quod fecit Raymundus, fuit consilium. Sic contra Doctores primæ sententiæ tenent Ang. *verbo religiosus n.* 63. Nauarr. *cap.* 12. Hisp. *n.* 44. Lar. *num.* 45. Nauarra *fol.* 54. *n.* 17. *vers. quinto.* Ledesm. *supra fol.* 240. *pag.* 1. & 2. Soto *supra*, Aragon *supra fol.* 178. *dicto vltimo*, Salon *supra*, & alij docti neoterici.

11 Sed an teneatur alij suadere, vt intret in illam religionem, Nauarra *supran.* 18. *fol.* 54. dicit, quòd si alter non libenter ingreditur, non tenetur illum subrogare, quia professio libera esse debet: si verò in animo habet, & meo consilio efficaciter ingredietur, tunc lege iustitiæ teneor inducere, quia religio passa est inuoluntarium iniustè: ergo damnificans, tenetur, si facilè potest, illud personale damnum resarcire: non autem (inquit) tenetur quærere ingressuros per ciuitatem; sed si alicuius notitiam haberet, vel facilè quærere posset, qui esset ad religionem propensus, tenetur eum inducere: & quòd teneatur alium inducere, tenet Nauarr. *cap.* 12. *in omnibus summis, n.* 44. vltra Doctores primæ sententiæ.

12 At verius credo ad id non teneri; quia hæc non sunt media ordinata ad restituendum, sed ingressus religionis debet esse omnio spontaneus, & ex Dei vocatione. Sic Aragon, Ledesm. Sot. *vbi supra*, citati sunt in quarta conclusione Salon *supra*, & alij docti viri.

13 Addit tamen Aragon *ibi*, quòd licèt nunquam teneatur ingredi religionem, at quando tantum est nocumentum temporale, quod intulit, vt id restituere non possit, tenetur se tradere religioni vt seruiat: sed decipitur, nunquam enim tenetur aliquis se mancipare alicui perpetuò in seruum, ad hoc vt restituat, & sic alij Doctores ad id non obligant.

14 Quinta conclusio: qui vi, vel fraude extraxit professum à religione, qui erat illi vtilis in temporalibus, tenetur satisfacere religioni damnum illud temporale: vt si erat lector Theologiæ, ex quo religio prouentus capiebat, vel erat artifex alicuius officij, ob idque laborabat in religione, & erat ei vtilis; compendium enim faciebat religio sumptuum, quos facturus erat cum alio artifice. Ratio, quia cum vis, & fraus causent inuoluntarium, & sic iniustitiam, hic extrahens est causa iniusta huius damni. Sic Soto *supra*, & Ledesm. *supra, fol.* 240. *pag.* 2. etsi mbo dicant hoc non esse omnino certum, idem determinatè tenent Arag. *supra fol.* 178. *dicto* 1. Nauarr. *suprà num.* 21. *fol.* 55. Salon *supra*, & alij recentiores.

15 Nota, quòd Ledesm & Soto *ibi* dicunt non teneri in integrum restituere, sed ad prudentis arbitrium: at Aragon, Salon, & Nauarra *ibi* dicunt teneri in integrum, quia causam totius damni dedit efficaciter, idque iniustè, quod verius est, & credo non esse contra Sotum, & Ledesmam, hi enim benè dicunt non teneri restituere integrum illud lucrum cessans; poterat enim multis modis impediri, scilicet morte, morbo religiosi, contraria voluntate ipsius, &c. & sic quantum valeat hoc lucrum in spe, & tam incertum arbitrabitur prudens, at quantitatem hanc, quam arbitrabimur integram debet restituere, sicut comburens messes, quando sunt in spe, non tenetur integrum valorem restituere, sed quod prudens iudicauerit valere in ea spe.

16 Secundò nota id, quod dixi de extrahente professum, habere etiam verum, quando quis vi, vel fraude extrahit è Soc. Iesu eum, qui biennio expleto emittit in ea tria vota; quia licet hæc vota sunt simplicia at per ea verum ius acquirit religio, ac per professionem: vt latè dixi *lib.* 5. *in præcepto Decalogi, c.* 1. *num.* 26. *& lib.* 7. *de matr. diff.* 25. *n.* 11. *&* 15. Sic Nauarra *supra num.* 19. *fol.* 54.

17 Tertiò nota, quòd monachus ipse professus non potest huius damni restitutionem remittere. Ratio, quia per votum paupertatis abdicauit à se omne dominium, omne ius pecunia compensabile, & transtulit in monasterium, vt dixi *lib.* 7. *summæ*. Sic docti recentiores à me consulti.

18 Quartò nota conclusionem, quòd scilicet *teneatur restituere illud damnum vi extrahens professum*. habere verum quantum ad lucrum, quod amisit monasterium, antequam vi vel dolo extrahens aperiat veritatem, & tollat vim; quia per iniustitiam est causa illius damni. Cæterùm talis extrahens si manifestet veritatem, & tollat vim religioso extracto, & religiosus nolit redire ad monasterium, non est certum an lucrum deinde cessans, vel damnum, quod deinde sequitur, teneatur talis extrahens restituere. Quidam aiunt teneri: nam verè per iniustitiam fuit causa huius damni: ergo si professus non restituit, tenetur extrahens restituere; sicut qui fuit causa, vt alter iniustè tolleret beneficium, non satisfacit consulendo, vt restituat, licèt possit restituere; sed si nolit, tenetur ipse restituere. Sic quidam vir valdè doctus, quem ego consului.

19 At multo probabilius esse credo non teneri. Ratio, quia in hoc casu ita se habet, sicut si à principio simplici suasione induceret; tota enim iniustitiæ ratio consistebat in violentia, & dolo; ergo hac sublata respectu damni sequentis non est causa per iniustitiam. Item si impedirem vi, vel dolo volentem legare alicui, teneor restituere; at si vim auferam, veritatemque doceam, & testator nolit id legare, non teneor restituere, quia tota iniustitia consistebat in dolo, & vi illata: non autem ea cessante est iniustitia in voluntate non legandi; sic in nostro casu tota iniustitia est in vi & dolo, non autem in voluntate non redeundi ad monasterium: sed in hoc solùm peccatur contra obedientiam, & religionem. Vnde simile, quod affert contraria sententia, est omnino dissimile, quia ille peccat contra iustitiam retinendo beneficium, cuius ego fui causa: & sic non tota iniustitia consistebat in acceptatione. Quare licèt suasionibus absque vi & dolo fecissem, vt acciperet beneficium, teneretur restituere, quod non contingit in extrahente professum absque vi, & dolo. Sic ex iunioribus multi viri docti.

20 Sed nunquid extrahens vi, vel fraude nouitium, vel retrahens, vi, vel fraude volentem ingredi, teneatur religioni restituere, sicut diximus te teneri restituere extrahentem vi, vel fraude professum. Quidam, & satis probabiliter dicunt teneri, quia religio passa est inuoluntarium, idque iniustè extrahendo vi vel fraude nouitium, vel retrahendo volentem ingredi, licèt enim non habeat ius aliquod in nouitium, vel in volentem ingredi; habet



habet tamen ius iustitiæ ne fiat sibi iniuria impediendo liberam donationem illius lucri, quod ex ingressu prouenire debet; sicut ego nullum ius habeo, vt alius mihi leget, at habeo ius iustitiæ, ne alius vi, vel fraude impediat, ne mihi leget; & ideo vi, vel fraude impediens tenetur mihi restituere, vt dicemus infrà. Sic Nauarr. *suprà n.* 18. *fol.* 54. Aragon *suprà fol.* 178. *dicto* 1. Salon *suprà*, & alij non pauci, nec parum periti recentiores.

21 Addunt tamen aliqui ex his Doctoribus, quòd non tanta restitutio facienda est, ac quando extractus est professus; quia lucrum est minus in spe, & adhuc minor erit restitutio, quando nondum erat nouitius, sed ingredi proposuerat. Sic Aragon, Salon *ibi*, & alij. & sic dicit Aragon quod vi, vel dolo impediens ingredi volentem, vel extrahens vi, vel dolo nouitium, tenetur etiam restituere hæreditatem paternam, in qua successurum erat monasterium, si erat successionis capax, non tamen in totum, quia pendebat ex futuro euentu, erit que (inquit) minus restituendum quando nondum ingressus fuerat.

22 Cæterùm satis probabile est nou teneri restituere monasterio extrahentem vi, vel dolo nouitium, vel volentem ingredi, quia cùm religio non habeat ius ad illud lucrum, nisi mediante professione huius; & hic nondum professus sit; & est valde contingens nolle profiteri, valde remotum, & nimis præter intentionem extrahentis, videtur, quòd cesset illud lucrum monasterio, & nouitius non est propter monasterium: quod non accidit in impediente legatum, quia immediatè, & per se impeditur ibi vtilitas legatarij; & confirmatur, quia, vt *infrà* dicemus, occidens debitorem non tenetur eius debita soluere, licèt ob id creditores non possint debita recuperare, quia valde remotè se habet occidens ad hoc damnum. Item, quia Soto, & Ledesm. citati in quinta concluf. qui de extrahente vi professum dubitarunt, an teneatur aliquid religioni restituere, in hoc casu non dubitarent, quin non teneatur. Atque hæc fuit sententia cuiusdam Magistri satis docti, qui dicebat, se hoc tenere sine scrupulo.

## DVBIVM III.

*An retrahens filium ne subueniat patri indigenti, & subtrahens Magistro scholasticos, Aduocato suos litigantes, idémque in aliis officiis peccet mortaliter, & teneatur ad aliquam restitutionem.*

EX dictis dubio præcedenti infertur aliquorum casuum decisio.

1 Primò quid dicendum sit de eo, qui est causa, vt filius suo labore sustentans patrem inopem, fugiat, vel retrahatur à tali subuentione; dicendum enim est idem, quod dixi de retrahente monachum professum: quòd si absque vi, & fraude id faciat, peccat mortaliter contra charitatem, non tamen tenetur restituere, quia filius non tenetur subuenire patri lege iustitiæ, sed ex pietatis virtute, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 101. *art.* 2. *corpore*, *& ad* 1. Si verò vi, aut fraude, tenetur patri restituere damnum, sicut diximus de vi auferente professum, & colligitur ex Doctoribus citatis, & tenent Salon citatus *dub præcedenti*, & alij: vnde sublata vi, vel aperta veritate per vim, vel dolum inferentem, si filius nolit subuenire, ad nihil amplius tenetur, sicut diximus de extrahente professum.

2 Secundò infertur, quid dicendum sit de subtrahente alicui magistro scholastico, ob quod lucri, ac honoris iacturam patitur. D. Anton. 2. *p. tit.* 2. *cap.* 2. § 1. & Ioannes de Ripol, quem refert *ibi*, & Sylu. *restitutio* 3. *q.* 1. *dicto* 3. *iuncto dicto* 2. dicunt, quòd si sine fraude retrahat gratia suæ vtilitatis, vel scholasticorum ipsorum, non tenetur restituere: secus, si ex odio, & sine causa iusta, & hoc siue retrahat iam audientes, siue audire volentes, licèt (inquit D. Ant. & Ripol.) quando retrahit audire volentes, non tanta restitutio facienda est. Et Nauar in omnibus summis *cap.* 25. *num.* 57. absolutè dicit teneri restituere, quando cum notabili damno magistri, vel ipsorum scholasticorum subtrahit. Sed dicendum est, sicut de extrahente professum, quòd si extraxit tales scholasticos, absque vi, & fraude, non tenetur restituere, quia non infert ipsis damnum per iniustitiam, cùm scienti, & volenti non fiat iniuria: nec magistro, quia non habebat ius iustitiæ ad ipsos: si verò vi, & fraude, tenetur tam ipsis, quàm magistro nocumentum illatum restituere, vt benè dixit Nauarr. quia causatur tunc inuoluntarium, & sic iniustitia: at si auferat vim, & fraudem, & scholasticus nolit audire ex illo magistro, nihil amplius tenetur restituere.

3 Sed an sit mortale subtrahere magistro scholasticos absque vi, & fraude.

Dico primò, si id faciat consulens vtilitati, scholasticorum, quia reuera multo vtilius est ipsis audire ab alio magistro, non peccat, quia ad id ex causa iusta mouetur: sic Ripol, quem refert; ac sequitur D. Anton. 2. *part. tit.* 2. *cap.* 2. § 1.

4 Secundò dico, si id faciat consulens suæ vtilitati, quia scilicet ipse est magister, vel vtilitati alterius magistri consulens, quia scilicet vult, vt ab illo audiant, tunc si scholastici illi se nulli magistro dedicarant, qui eos sibi, vel alij magistro absque vi, & fraude procurat, non peccat, nisi id fit in notabile ipsorum scholasticorum damnum. Ratio, quia illi scholastici sunt vagi, & sub nullo magistro, & licitum est vnicuique suam vtilitatem mediis licitis procurare. D. Anton. & Ripol *ibi*.

5 Tertiò dicò, iam illi scholastici addicti erant alicui magistro, à quo audiebant, est peccatum mortale illos sic retrahere cum notabili damno præceptoris; est enim contra proximi charitatem, qui quoddam ius in illos discipulos habebat, illos subtrahere cum notabili iactura honoris, & lucri temporalis ipsius. Sic Ripol, & D. Anton. *ibi*, facit pro hac sententia Nauarr. in omnibus summis *cap.* 25. *num.* 57. vbi hæc dicit: *Peccat mortaliter magister subtrahens alij magistro discipulos cum notabili damno profectus eorum, vel honoris doctoris.* & Alcozer *summa c.* 27. *fol.* 90. vbi de peccatis doctorum, & magistrorum hæc dicit: *Peca mortalmente el maestro, que quita los eyentes à otro maestro con dano notablo suyo.* & Caiet. *verbo magistrorum peccata*, & Arm. *verbo Magister, n.* 1. dicunt peccare mortaliter auferentem alij discipulos in damnum notabile ipsorum auditorum, & magistri.

6 Tandem ex his infertur, quid dicendum sit in casibus similibus, v. g. eius, qui Aduocato subtrahit suos litigantes, tonsori, aut alij cuiuscunque sit officij, suos parochianos, mercatori suos correspondentes, & emptores, qui ad ipsum semper concurrunt, atque hoc est iam maximè stabilitum, ac de more, &c. in omnibus enim his eadem est ratio quod ad peccatum, & restitutionem, ac in subtrahente magistro scholasticos.

## DVBIVM IV.

*An damnificans in bonis spiritualibus intrinsecis naturalibus, siue à natura ingenita sint, vt in intellectu, vel memoria infatuando aliquem, aut memoria priuando aliquo veneno, siue sint acquisita, vt sunt scientiæ, & artes, teneatur restituere.*

1 Sit conclusio: eadem est ratio de lædente in his bonis, ac de lædente in bonis corporalibus; quare sicut hic tenetur restituere, ita & ille. Sic Nau. *lib.* 2. *de restit. c.* 2. *n.* 3. *fol.* 48. Ledes. 2. 4. *q* 18. *art.* 2. *dub.* 1. *fol.* 241. *pag.* 1. Hinc fit.

2 Primò quòd qui hominem dementaret, vel venenis memoria priuaret, vel per vim, & fraudem à literarum studio auerteret, teneretur arbitrio prudentis damnum resarcire. Sic Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *fol.* 179. *pag.* 1. Ang. *restitutio* 1. *vers. animam lædens.* Soto 4. *de iust. quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 1. Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 3. vbi addit, quòd pro damno dementationis vltra alia damna sequuta tenetur aliquid restituere: sed in hoc idem dicendum est, quod dicemus infrà pro damno vitæ ablatæ,

tenetur insuper expensas facere pro Medico,& medicinis, vt ad sanitatem restituatur, & alia damna restituere , vt si se & familiam sua arte, & labore sustentabat, &c. vt benè Mercado *ibi*.

3 Secundò infertur, quòd qui falsam doctrinam docuit, tenetur lege iustitiæ reuocare proximum ab errore, quia iniuriam irrogat decipiendo. Sic Nauarra *eo n.3. fol.49.*Caietan.*verbo restit.cap.7.fine.*Sylu.*restit.3.quæst.1.* Nauarr.in omnibus summis *cap.14. num.vltimo,* Aragon. *dict.art.fol.177.pag.2.ad 3.*Ledesm. *dict.art.2. dub.1. fol. 241. pag. 1. & 2.*vbi idem dicit de docente falsum etiam in speculabilibus : & addit, quòd si iam non potest reuocare falsam doctrinam , tenetur pecunia ad arbitrium prudentis compensare errorem , sicut famam , vel vitam ablatam : sed an hoc sit verum, videbimus *infra* , vbi disputabimus, an damnum vitæ , vel famæ ablatæ sit pecunia compensandum. An verò corollarium habeat verum, quando quis inculpatè falsum docuit , dicam dubio sequenti.

4 Nota primò , quòd Caiet.*dict.cap.7.fine* , dicit teneri hunc restituere docendo veritatem , vel significando falsa esse,quæ docuerat ; sed hoc sic accipiendum est, si ex officio tenebatur docere , non sat est dicere esse falsa, quæ docuit , sed tenetur lege iustitiæ docere veritatem, vt si erat confessarius, Aduocatus, &c. Si verò ex officio non habet,satis est significare esse falsa , quæ docuit. Sic Nauarra *suprà num.4.fol.49.50.*

5 An verò ex lege charitatis teneatur docere verum hic, qui non tenetur ex officio : dic , quòd si esset cognitio ad salutem , & finem supernaturalem necessaria , tenetur ex præcepto correctionis fraternæ,& sic ex charitate;si verò esset cognitio naturalis artis, vel scientiæ, nulla lege tenetur:vnde non peccat,qui suam artem, vel vtilem cognitionem prudenter occultat;& tantùm suis filiis eam tradit,quia non tenetur lege iustitiæ , cùm non accipiat stipendium pro ea docenda:nec lege charitatis tenetur eam omnes docere,nisi fortè , quando talis est ars , vt esset in republica simpliciter necessaria, & communibus remediis , vel alia via succurri non potest. Sic Nauarr.*supra n.4.5.6* immeritò tamen reprobat *ibi* Metinam *C. de restit.q.30.sub finem.fol.96.pag.4.* quasi dicat esse monopolium; & peccatum nolle docere suam artem nisi filios, id enim non dixit Metina, sed esse monopolium,& contra iustitiam, si qui aliquam artem,aut medicinam norũt, inter se conueniant,vt eam non nisi filios,aut nepotes doceant:quod verissimum est , & habetur etiam *partita 5. tit.7.l.2.*nec est contra dicta, quia aliud est nolle me vendere,nisi tali modo,& pretio, quòd potest esse licitum:& aliud est conuenire cum reliquis venditoribus,vt non nisi tali modo;& pretio vendant:quod monopolium, & iniustum est.Sic aliud est nolle me docere meam artem nisi meos filios, quod vt dixi, est licitum:aliud me conuenire cum reliquis,ne doceamus,nisi nostros filios , quòd monopolium,& iniustum est.

6 Secundò nota quòd dum diximus in secundo corollorio docentem falsum teneri reuocare ab errore , intelligitur quando esset veritas alicuius momenti : vnde qui mentiuntur seminando nouitates,falsósque rumores,non tenentur docere verum , vel ab errore reuocare , si aliud damnum inde non sequatur , quia de his homines parum curant,nisi forsan haberet ex officio, aut stipendium acciperet; vt assolent nonnulli domini pretium aliquod Matriti,aut Romæ alicui exhibere, eo quòd ipsos moneat retũ, quæ de nouo contingunt. Sic Nauarr. *supra, n.7. fol.50.* At si res leuis esset,non tenetur restituere,etiam qui tenetur ex officio, vt si in re aliqua puræ logicæ , vel philosophiæ docuit falsum.Ira docti recentiores magistri.

7 Tertiò infertur,quòd habens docendi officium,si sua negligentia ignorantem discipulum parit , & qui accipit famulos, vt suam artem doceat, vel scribere, &c. non benè docet, tenetur damna inde sequuta resarcire , & illam artem,vel scientiam,ad quam tenebatur ex officio,docere. Sic Nauarra *ibi num.3.& 4.fol.49.* Ledesm.*suprà fol.241. pag.1.*

8 An verò sit mortale scienter docere falsum in speculabilibus. Quídam dicunt non esse mortale. Sic videtur tenere Nauarrus in omnibus summis *cap. 23. n. 34.* vbi dicit , quòd scienter impugnare veritatem spectantem ad fidem , vel ad salutem animæ , vel corporis , esse mortale,alias autem veritates,solum esse veniale.Sic etiam videtur tenere in omnibus summis *c.25.n.57.*vbi dicit esse mortale magistrum scienter docere falsum quando est in notabile damnum temporale,vel spirituale.

9 Alij verò nimis strictè loquuntur , dicúntque esse mortale scienter impugnare veritatem, & falsum docere, quia talis nocet intellectus perfectioni. Sic Arm. *verbo Magister n.1. & verbo contendere. num. 1.* Alcozer *summa cap.27.* vbi de peccatis magistrorum : & Caiet. *verbo Magistrorum peccata* , vbi dicit esse peccatum mortale in omnibus scibilibus docere falsum:secus in aliquo singulari, quia singularia non sunt scibilia , nec spectant ad intellectus perfectionem.

10 Dico tamen primò,quòd docere falsum in speculabilibus,vel veritatem speculatiuam impugnare non spectantem ad fidem , vel mores,iudicandum est iuxta naturam veritatis, quæ impugnatur:& si veritas est talis,quòd eius mendacium esset perniciosum, erit mortale , secus autem veniale.Sic Caiet.*in summa.verbo contentio.*

11 Hinc infero, quòd docere falsum circa veritates speculatiuas vniuersales , quæ sunt velut principia , & fundamenta , ex quibus multæ veritates particulares pendent , est mortale : ratio , quia ( vt ait Caiet. *in summa, verbo Magistrorum peccata* ) mentiri in his quæ ad intellectus perfectionem spectant, est valdè pernicioſum.*quia nocumentum*(inquit)*in bonis intellectus non est minus quam in bonis temporalibus,*& in hoc conuenio cum Arm.Alcozer,Caiet.*verbo Magistrorum peccata* , citatis pro secunda opinione,& tenent etiam Caiet.*2.2.q.38. art.1.* & Bañes *ibi.*

12 Secundò infero , quòd communiter , & frequenter docere falsam doctrinam in his speculabilibus, est mortale,quia non est modicum intellectus damnum,sicut contraria scientia est magna ipsius perfectio , pro hoc sunt Doctores citati in præcedenti corollario , & tenent etiam Victoria,& alij,

13 Tertiò infero,quòd impugnare vnam,vel alteram veritatem,vel docere vnum , vel alterum falsum in his speculabilibus , quæ non sunt fundamenta multarum veritatum,non est mortale,sed veniale : & in hoc conuenimus cum Nauarr.citato pro prima sententia , quia non sit graue damnum intellectui.Sic Victoria,& alij; colligitúrque ex Caiet.*locis citatis.*

14 Secundò dico, quòd docere falsum in scibilibus non ex proposito , & scienter, non est mortale , nisi sequatur magnum damnum ex incuria , & temeritate Doctoris: tunc enim reducet actum in naturam mendacij pernicioſi voliti , tanquam non curauerit in aliorum damnum mentiri.Sic Caiet.*summa verbo,magistrorum peccata.*Arm. *verbo magister num.1.*

## DVBIVM V.

*An Confessarius, vel Medicus, vel Aduocatus , vel quiuis alius docens falsum , dánsque malum consilium , ex quo damnum petenti consilium, aliísque sequitur , quando id bona fide,& inculpatè fecit, teneatur.si postea comperiat veritatem,lege iustitiæ docere verum,& sic,si non doceat, teneatur restituere.*

1 ALiqui censent respectu ptistini erroris tantùm teneri ex charitate docere verum:at respectu nocumenti futuri teneri ex iustitia , aliàs teneri restituere damna quæ sequuntur. Ratio, quia est causa illorum : & licèt à principio fuerit materialiter & præter intentionem causa , at vbi resciuit veritatem , iam est formaliter, & ex



& ex intentione causa , cùm potuerit docere verum. Sic Aragon *2.2.q.62.art.2.fol.177.pag. 2.in solutione ad 3.* & teneri ex iustitia dicit Salon *eodem art.2.contr. 1. fol.621.*

2 Cæterùm verius esse credo non teneri docere verum lege iustitiæ,sed sola charitatis lege , & sic , si non doceat,non teneri restituere:& hoc quando dum cognouit veritatem,cessaret iam consulentis officium ; quia scilicet iam absoluerat confessionem,vel iam non ipsi medebatur ; vel non erat iam suus Aduocatus. Ratio , quia hic non tenetur ratione rei acceptæ , vt patet, cùm nihil alienum sit apud ipsum , nec ex re aliqua accepta sit factus locupletior, nec etiam ratione iniustæ acceptionis: quod probatur,quia hic duplex interuenit actio , altera positiua,scilicet dandi consilium , & hæc manifestè non obligat restituere,quia non fuit iniusta,sed inculpata : altera negatiua,scilicet tacendi post cognitam veritatem; & quod hæc non obliget ex iustitia , probatur , quia tacens,& non obstans,non tenetur restituere , nisi quando tenebatur ex officio loqui & obstare , at hic non tenetur ex officio,quia iam functus erat officio suo:vnde falsum est,quòd sit causa formaliter,& ex intentione , quia actio positiua non fuit nisi materialiter, & præter intentionem causa,& post cognitam veritatem nulla est actio positiua, sed negatiua,scilicet tacere , quæ etiam non èst causa voluntaria,& ex intentione,quia licèt posset loqui , at non tenetur ex iustitia;& sic damna non censentur volita contra iustitiam. Et confirmatur , quia si bona fide accepissem à fure vas furatum donatione , & alij id ego donassem ea occasione,quæ nisi ocurreret , nil eram donaturus,si postea cognita veritate non manifestarem domino apud quem erat vas,non tenerer restituere , quia in acceptione non peccaui,nec vas erat apud me, nec ex illo factus sum locupletior,nec ex iustitiæ cogebar me manifestare,apud quem erat:ergo similiter in nostro casu. Sic colligitur ex Caietano *verbo restitutio c.7. fine,* vbi sic dicit:*si data opera docuit falsũ,tenetur docere verum,vel aperire falsitatem lege iustitia ; si verò docuit falsa,putans esse vera,non tenetur lege iustitia.*Idem Nauarr.*lib.2.de rest.c. 2.n.2 fol.49.*& Sylu. *restitutio 3.q.1.*Solùm obligat dãrem consilium malum,non adhibita diligentia , quia ignorantia crassa est prope dolum,licèt non explicet Sylu. an cognita veritate teneatur ex iustitia deinceps cauere damna.

3 Hinc infertur , quòd Medicus , qui inculpatè dedit consilium alicuius medicinæ sumendæ infirmo , quam postea,cùm non est Medicus eius , videt esse lethalem,& non admonet , non est irregularis , licèt alter moriatur, quia tantùm peccat non admonendo contra charitatem, vt probaui , at non impediens mortem , tunc tantùm est irregularis, quando ex iustitia,& officio tenebatur impedire: vt constat ex sententia communi in materia *de irregularitate* ; & si infirmus sit clericus, non erit excommunicatus,nisi concurrant conditiones requisitæ,vt non defendens clericum , quando ex officio non tenebatur defendere, sit excommunicatus , de quibus conditionibus in materia de excommunicatione.

## DVBIVM VI.

*An qui tenetur ex officio docere verum,vt Confessarius, vel alius Doctor consultus.si doceat falsum ex negligentia, & culpa lata , ac mortali circa rem , quæ non obligabat ad soluendum,lege iustitiæ teneatur restituere.*

1 EXemplum esse potest: dixit Confessarius pœnitenti non teneri implere aliquod votum de danda eleemosyna,vel malè commutauit , vt de danda eleemosyna centum aureorum commutauit in orationem Dominicam,& Angelicam quinquies recitandam,& hæc putans benefaecere,sed cùm ignorantia sit crassa ; peccauit mortaliter,& iam alteraḃiit,nec poterit Confessor ipsum inuenire, vt doceat verum , an teneatur Confessor restituere illam eleemosynam,quam alter uouerat.

2 Et videtur teneri , quia si dolo , vel metu faceret,vt votum non impleret,tenetur restituere : licèt enim alter non teneatur lege iustitiæ,sed religionis,votum implere, & sic pauperes non habeant ius iustitiæ ; at habent ius iustitiæ,ne fraude obligatio voti impediatur , vt dixi in præcedentibus , at hic Confessor, vel Doctor fraudem fecit ; illa enim fraus fuit , & alter malo consilio deceptus putans sibi licere non implere,non impleuit. Et sic videtur tenere Sylvest. *restitutio 3.q. 1.* vbi dicit , quòd dans alicui consilium non adhibita diligentia , si est peccati alterius occasio , tenetur restituere , quia ignorantia (inquit)crassa prope dolum est. Et confirmatur , quia si ex tali culpa, & ignorantia faceret vt alter non restitueret , casu , quo restituere tenetur , teneretur secundùm omnes restituere,vt infrà dicemus.

3 Nihilominus dicendum est, quòd licèt,quando alter tenebatur lege iustitiæ restituere , vel ad aliquid aliud, consulens non excusabitur à restitutione ex lata culpa, & mortali,vt infrà dicemus : at quando alter non tenebatur ad id lege iustitiæ , vt in casu proposito voti , & aliis huiusmodi,malè consulens , vel retrahens à bono,ex lata culpa,& ignorantia,quæ est culpa mortalis , non tenetur restituere illi,quem damnificauit , v.g. pauperibus eleemosynam illam promissam , legatum faciendum, à quo retraxit , &c. Ratio differentiæ, quia in priori casu peccat consulens contra iustitiam in ordine ad damnificatum,perinde enim est,ac si sciens, & volens malè consuleret , cùm ignorantia illa crassa non tollat voluntarium : at in posteriori nulla est ratio iniustitiæ in ordine ad damnificatum , quia sola ratio iniustitiæ interuenit, quando per vim , & dolum tollitur libertas volenti legare,vel implere votum , quia tunc iniuriosè consensus ab inuito extorquetur : at consulens malè , ex ignorantia crassa,nec intendit decipere,nec iniuriosè consensum ab inuito extorquere. Et sic tenet Nauarra *lib.2.de restit. c. 2.num.3.fol.49.*

4 Secundò tamen dico , quòd tenetur docere verum lege charitatis,quando consulens non tenebatur ex officio ; si verò tenebatur ex officio,vt Confessarius , tenetur lege iustitiæ. Ratio,quia in ordine ad petentem consilium in confessione tenebatur Confessor lege iustitiæ docere quid facere tenebatur , illúmque ad id obligare, cùm officium Confessarij sit hoc , à quo non excusatus est,quia illa ignorantia fuit culpabilis ; ergo.

## DVBIVM VII.

*An audire detractionem sit peccatum mortale , quoties ipsa detractio peccatum mortale est.*

1 SIt prima conclusio: vt in plurimum solùm est peccatum veniale audire detractionem , & non restistere detrahenti ex verecundia , vel leui timore , vel alia minus sufficienti causa. Ratio , quia leuis iniuria irrogatur proximo ex sola auditione , quando non complacet audiens,nec est detractionis causa. Ita D.Thom. *2. 2. q. 73.art.4.*Nauarr.*cánter verba,coroll.40.n.547.* Caiet. *verbo,detractio.*Arm.*ibi n.3.*Sotus *lib.5.de iust.quæst.1.c.art.4.* Cord.*in addit.ad Sotum,de tegendo secreto,membro 4.q.4.*

2 Secunda conclusio : In aliquibus casibus est peccatum mortale. Primus casus est , quando delectatur propter odium,detractione alterius. Ratio , quia congaudet de graui detractione famæ proximi , quæ peccatum mortale est. Secundus est, quando inducit ad detractionem, requirendo,inſtigando,vel signa gratificationis exhibendo,propter quæ detractio verisimiliter futura est. Tertius , quando videt damnum notabile imminere proximo,vel reipublicæ , vel alteri ex detractione cui ipse potest resistere. Ratio, quia charitas obligat sub mortali ad defendendum rem familiarem proximi,si possumus, nedum famam. Quartus, quando tenetur ex officio impedire,quia scilicet detrahenti,præest , vt si est ipsius Prælatus. Hos omnes casus docent D.Thomas Caiet. Soto, Arm. Nauarr.*toto coroll.40.locis citatis* , & Nauarr. Latin

Universidad de Deusto
Biblioteca



& Hispan. *summa cap.* 18. Latin. *n.* 37. Hispan. *n.* 36. Caiet. 2.2. *p.* 73. *art.* 4. Sylvest. *verbo detractio. q.* 2. Ang. *num.* 5. Pedraza 8. *præcepto* §. 5. Insuper duos priores casus docet Cord. *vbi supra*, & Adrianus *quodl.* 11. *art.* 2. *lit.* C. Alcoz. *in summa cap.* 22. vbi etiam ponit tertium casum.

Circa hos casus nota aliqua.

3 Primò nota in secundo casu teneri audientem detractionem ad famæ restitutionem eodem pacto, quo ipse detrahens. Ratio, quia est causa talis damni. Sic Cord. Adrian. *vbi supra*. Nauar. *dicto coroll* 40. *n.* 545.

4 Secundò nota circa tertium casum. Alcozer *vbi supra* ponit exemplum, quando ex iis, quæ detrahens incipit dicere, credit alter aliquid graue contra proximum dicendum, quod ipse impedire posset. Insuper potest esse exemplum, si proximus coram aliis me audiente grauiter infametur, ita vt coram illis grauiter eius fama lædatur, & possum obuiare. Ita Ledesm. 2. 4. *quæst.* 18. *art.* 2. *fol.* 247. *pag.* 3. Caiet. *verbo detractio.* vbi addit; *quoniam hic tantum materialiter, & per accidens est causa auditionis aliorum scilicet non resistendo, non statim præcipitandam esse sententiam, & damnandum ad mortale, licet fama proximi fuerit notabiliter læsa, quoniam si audientis animus purus fuit, non apparet hæc negligentia mortalis, cuius malum si aduertisset cauisset.* Hæc Caiet. *ibi.*

5 Tertiò nota circa quartum casum, inter eos, qui tenentur ex officio resistere detractioni, numerare Nauarra summa Latina, & Hispana *vbi supra* patrem respectu filij, magistrum respectu discipuli, & iudicem respectu subditorum: & Pedraza refert etiam patrem respectu filij, & herum respectu famulorum.

6 Tandem nota aliquos addere alium casum, in quo dicunt esse peccatum mortale audire detractionem, scilicet quando ex timore humano non resistitur. Ita D. Thom. Sylvest. *vbi supra*. Sed hic casus non differt à positis, intelligitur enim tunc esse mortale non resistere ex timore humano, quando tenebatur ex præcepto sub mortali resistere, quòd tantùm euenit in casibus positis. Sic Sotus, Caiet. Arm. Ang. *vbi supra*. Sylvest. *verbo timor.*

## CAPVT IV.

*De iniuriis, & damnis in corpus proximi per homicidium, & mutilationem.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An pro damno naturali illato in vita, vel membris corporis teneatur illud inferens aliquid restituere, vel an solum, quando in bonis temporalibus inde damnũ aliquod sequutum est.*
2 *An homicida, vel mutilator teneatur restituere damna inde sequta, & lucrum cessans.*
3 *Quibus hæredibus defuncti teneatur homicida restituere damnum, & lucrum cessans.*
4 *An homicida teneatur soluere debita, quibus occisus astrictus erat, quæ poterat probabiliter viuens creditoribus soluere, at morte subsequta, non poterit soluere.*
5 *An si homicidium quod Petrus commisit, imputetur alteri innocenti, qui ob illud est captus, vel damnatus, teneatur homicida aliquid satisfacere illi innocenti, cui ipse homicida nihil imposuit, nec cõsuluit, vt imponeretur.*
6 *An si homicida pœnam talionis subeat, id est, morte damnetur, adhuc teneatur restituere.*
7 *An sit compellendus homicida restituere damna illata, licèt constituatur in grani necessitate restituendo.*
8 *An qui ignorantia concomitante aliquem occidit, teneatur restituere.*
9 *An qui se defendens, excedẽs moderamen inculpatæ tutelæ, occidit, ita vt peccet mortaliter, teneatur restituere.*
10 *An quando aliquis prouocat alium ad singulare certamen, si prouocatum occidat, vel lædat, teneatur illi, vel hæredibus damna dicta restituere? & quid si prouocatus interficiat prouocantem?*
11 *An quando homicida non restituit ante mortem damna, quæ tenebatur restituere, teneantur eius hæredes ea restituere.*
12 *An possit percussus remittere homicidæ damna antequam moreretur.*
13 *An fœmina cancro, vel alio morbo grauissimo in verendis laborans, teneatur sustinere curari à chirurgis.*

### DVBIVM I.

*An pro damno naturali illato in vita, vel membris corporis teneatur illud inferens aliquid restituere, vel an solum quando in bonis temporalibus inde damnum aliquod sequutum est.*

Vplex est sententia.

1 Prima dicit teneri restituere. Probatur, quia ad iustitiam commutatiuam pertinet non tantùm reddere iustum, quod consistit in indiuisibili, id est, æquiualens, sed etiam reddere possibile, quando non valemus reddere æquiualens, & hoc aut in eodem genere rerum, vel in alio, maxime cùm pecunia sit pretium omnium rerum, v.g. quis debet infinitam pecuniam, nequit totam soluere, tenetur soluere partem sibi possibilem: & si debet equum, quem iam non habet, tenetur soluere pretium pecuniarum; ergo licèt vita inæstimabilis sit ad æqualitatem, tenetur restituere occidens, vel mutilans id, quod potest arbitrio boni viri. Sic tenent D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1. Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 3. Adrian. 4. *q. finali, de restit.* Maioris 4 *dist.* 15. *q.* 14. Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. Soto 4. *de iustit. q.* 6. *art.* 3. *ad* 3 Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 2. & paulo ante dubium 2. Caiet. *verbo restitutio, cap.* 2. Arm. *ibi num.* 21. Ang. *restitut.* 1. §. *homicida.* Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controuers.* 4. Aragon *ibi circa solutionem ad* 1. D. Thomæ *fol.* 183. *pag.* 2. Metina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 30. *fol.* 159. *pag.* 2. Angles *floribus* 2. *p. q. de restit. fama, fine, fol.* 218 Ludouic. Lopez *lib.* 8. *instruct. noui cap.* 72. *per totum.* Couarr. 2. *variar. cap.* 10. *num.* 7. *vers. tenetur item.* Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 6. Vigu. *lib. Instit. c.* 5. §. 1. *vers.* 9. Cord. *lib.* 1. *quæst.* 31. *art.* 3. *fol.* 252. *vers. secundum dictum.* Sylu. *restitutio* 3. §. 2. *particula* 1. & multi ex neotericis doctis magistris.

2 Nota iuxta hanc sententiam idem esse dicendum de percutiente fustibus, vel alapa aliquem, tenetur enim restituere pro iniuria illa pecuniam aliquam arbitrio boni viri, vltra damna temporalia, si quæ inde sequuntur. Sic Angles, Mercoda *ibidem*, Alcozer *summa cap.* 15. Salon *d. art.* 3. *controuers.* 12.

3 Secundò nota idem dicere aliquos Doctores huius sententiæ de deformitate causata ex vulnere, quòd scilicet vulnerans vltra damna temporalia tenetur aliquid pro ea restituere. Sic Soto *ibi*, Cord. *ibidem, vers. & idem iudicium est.* Salon *ea controuers.* 12.

4 Tertiò nota inter hos Doctores non conuenire de modo restituendi. nam Scotus *supra* dicit, sufficienter restituere, si pœnam talionis subeat, & quòd si eam non subeat, securiùs ageret, eique expediret subiicere se iustæ morti; siue apud iudicem pœnæ se committendo, siue iusto in bello pugnando: quòd si hanc tantam satisfactionem nolit subire, tenetur lege iustitiæ orationibus, & piis operibus iuuare defunctum. Vnde iniustè attribuitur communiter Scoto, quòd senserit teneri pœnam talionis subire, vel vitam periculo exponere pugnando contra infideles: quòd apertè falsum erat; non enim homicida ad id tenetur, vt benè Sotus, Ledesm. *ibidem.* Salon *d. art.* 2. *controuers.* 4. Sylu. *restitutio* 3. *quæst.* 2. Nauarr. *cap.* 15. Hisp. *num.* 21. Lat. *num.* 23. Corduba *ibidem, versic. Quod si quæratur. & versic. quoad satisctionem*, vbi bene addit, quòd licèt non teneatur, potest tamen licitè feruore contritionis ductus, vel animo satisfaciendi in hac vita committere se iudici, vt occidatur. At Scotus non tenet oppositum, sed dicit esse sufficientem satisfactionem, quòd si illam eligere nolit, nec alia via possit, vt bonis temporalibus, tenetur orationibus, & piis operibus satisfacere: & quantum ad hoc, quòd quando alia via satisfacere non potest, siue damnum vitæ, siue cætera, tenetur orationibus, & piis operibus, docent etiam Angelus *restitutio* 1. §. *homicida.* Adrian. *q. vltima, de restit.* Gabr 4. *dist.* 15. *q.* 15. *art.* 1. *fine.* Iulius Clarus *pract. criminali lib.* 5. §. *homicidium vers. tenetur etiam.* Vigu. *lib. Instit. cap.* 5. §. 1. *vers.* 9. Rolandus *consil.* 39. *lib.* 2. Capua *lib.* 2. *decisionum cap.* 66. *n.* 3. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *circa solutionem D. Thom. ad* 1. *fol.* 184. *pag.* 1. *fine, & fol.* 185 *pag.* 2. *versic. ad secundum, & versic. ad tertium.* Salon *ibi, controuers.* 4. *conclus.* 3. *fol.* 636. *& fol.* 638. dicit, quòd si defunctus non consuluit sibi de sacrificiis, & suffragiis, quia, v.g. intestatus obiit, restituendum est non hæredibus pro læsione vitæ, sed ipsi defuncto per suffragia, & orationes; & *fol* 639. dicit, quòd in hoc casu non possunt hæredes hanc satisfactionem suffragiis, & orationibus faciendam remittere. Imò in fine illius controuersiæ dicit, quòd occidens seruum vltra pretium, quod tenetur domino satisfacere, tenetur pro seruo facere suffragia. Et Cord. *lib.* 1. *q. q.* 31. *art.* 3. *fol.* 252. *vers. quoad satisfactionem*, dicit quòd tenetur saltim ex charitate.

5 Cæterùm meritò impugnatur primum, quod dicit Scotus, nempe sufficienter satisfacere, si vitam exponat homicida pugnando contra infideles: nam nihil refert parti læsæ ad sui damni reparationem, quòd ille morte voluntaria velit occumbere. Sic Nauarra *lib.* 4. *de restitut. cap.* 1. *num.* 97. *fol.* 439. meritò etiam impugnatur ab aliquibus, qui tenent primam sententiam positam, secundùm quod dicit Scotus, quem reliqui citati sequuntur, nempe quòd aliquando teneatur orationibus, & suffragiis restituere, quia cùm res spirituales, & sacræ preria vitæ, honoris, aut alterius temporalis rei non sint, non tenetur quisquam in eis restituere, restitutio enim tendit ad faciendam æqualitatem in rebus eiusdem ordinis. Item quia quod debetur ex natura restitutionis pro iniuria, omnibus est debitum, quibus similis fit iniuria, sed restitutio in spiritualibus nequit omnibus occisis fieri, vt infidelibus. ergo. Sic tenent Nauarr. *lib.* 4. *de restit. c.* 1. *num.* 98. *fol.* 439. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. noui, cap.* 71 *vers. præter damna.* Soto 3. *de iust. q.* 6. *art.* 3. *ad* 3. *vers. Quando vero.* Nauar. *summa c.* 15. Hisp. *num.* 21. Latina noua *n.* 23. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 2. *fol.* 242. *pag.* 2. Licèt aliquantulum sub dubio, dicit enim, *forte non tenetur.* & alij recentiores. Nec approbo etiam quod dicit Cord. teneri ex charitate, quia nullibi tale præceptum inuenio; & sic Soto & Ludouicus Lopez, & quidam eruditi magistri dicunt tantùm esse saluberrimum consilium: & Nauar. dicit non esse præceptum, & Ledesm. *forte non esse.* Non placet etiam quod addit Nauarra *ibi num.* 99. dicens fortè concedi posse non per viam restitutionis vitæ, vel rei temporalis ablatæ, sed in damni spiritualis compensationem teneri satisfacere orationibus, si verisimile erat, quòd ille viuens pro suis peccatis satisfaceret, in meliorique statu decessisset. Sed hoc non placet, quia tale damnum non solet restitui: & sic cæteri absolutè dixerunt esse tantùm consilium.

6 Alij autem authores huius sententiæ alium modum restituendi docent, nempè pro damno naturali vitæ, vel membri esse restituendam aliquam pecuniæ quantitatem arbitrio prudentis taxandam, considerata conditione occisi, quo enim illustrior fuerit, seu literis insignior, eo maior restitutio est facienda, quia vita eius est magis æstimabilis; & considerato etiam occidendi modo, an scilicet per insidias, &c. Sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 1. Aragon *d. art.* 2. *circa solutionem D. Thom. ad* 1. *fol.* 181. *pag.* 2. Soto *supra vers. his ergo præmissis.* Ledesm. *d. dub* 2. *fol.* 242. *pag.* 1. Ludou. Lopez *d. cap.* 71. Cord. *lib.* 1. *quæst. q.* 31. *art.* 3. *fol.* 252. *vers. vnde constat.* Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *controu.* 4. *fol.* 638. quam rem *dub. sequenti* latè examinabimus.

7 Secunda tamen sententia, quæ probabilior est, licèt prima sit satis probabilis, docet nihil esse de necessitate restituendum pro damno naturali, nempe pro iniusta ablatione vitæ, vel membri, &c. Probatur primò ex multis legibus, nempe ex *l. ex hac ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur.* vbi habetur, quòd si percussus est homo liber, agi potest, non vt deformitatis ratio habeatur, cùm liberum corpus æstimationem non recipiat, sed impensarum, & operarum amissarum, &c. Idem habetur *l. liber homo. ff. ad legem Aquil. & l. finali, ff. de his, qui deiec. vel effud.* Et ratio huius sententiæ est, quia vita, & membra hominis liberi non sunt pretio æstimabilia, & pecunia tantùm instituta est, vt pretium rerum eiusdem ordinis, quæ sunt pretio æstimabilia: vnde sicut lædens in bonis temporalibus, quæ restituere non potest, non tenetur exhibendo honorem restituere, quia bona temporalia non sunt eiusdem ordinis cum honore sic lædens in vita, vel membris, cùm hæc longè alterius, ac altioris ordinis sint, quàm pecunia compensari possint, non tenetur damnum hoc naturale pecunia compensare. Nec obstat ratio in contrarium adducta pro prima sententia, quòd non potens æquiualens, tenetur quod potest restituere, vt debens infinitam pecuniam, &c. nam id verum est in rebus eiusdem ordinis, & habentibus inter se proportionem: & licèt inter finitum, & infinitum non sit proportio; est tamen inter pecuniam solutam, & partem infinitæ pecuniæ debitæ proportio, & commensuratio: at inter vitam, & bona temporalia nulla est. Sic tenent glos. *l. ex hac. ff. si quadrup. paup. vers. non recipiat.* & Albericus *vbi glos. c.* 1. *de iniur. vers. operas.* vbi Panor. *num.* 7. Azo. *summa tit. ad leg. Aquil.* Hostiensis *summa tit. de damno dato, num.* 5. Anton. Gomez alios referens *tomo* 3. *var. c.* 6. *num.* 12. Nau. *summa c.* 15 Hisp *num.* 19. 20. Latina noua *num.* 22. Aimo *consil.* 119. *num* 5. Nauarra *lib.* 4. *de rest. c.* 1. *a num.* 80. *fol.* 433. Angles *floribus* 2. *p. q. de rest.* 1. *bonorum corporis, dub.* 4. *fol.* 334. & multi ex recentioribus, vt refert dicens esse satis probabilem sententiam Salon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *controu.* 4. *fol.* 635. 639. & ex recentioribus quamplurimi, & licèt Nauar. videatur sibi contradicens tenere contrarium in omnibus summis *c.* 18 *num.* 434. at *c* 17. *n.* 90. in omnibus summis se explicat, quòd intelligit esse recompensam faciendam pro damno temporali tantùm inde sequuto.

8 Hic fit contra primam sententiam, quòd vulnerans, vel fustibus, vel alapa percutiens aliquem, non tenetur pro iniuria compensationem pecunia facere, sed tantùm pro damnis temporalibus, si quæ inde sequantur. Sic Nau *ibi num.* 80. & omnes Doctores huius secundæ sententiæ idem debent dicere, licet tantùm loquantur de vulnere. Idem tenent aliqui, vt refert Salon *dicto art.* 2. *controu.* 12. & ratio est eadem, quia hæc damna non sunt eiusdem ordinis cum pecunia, & sic non possunt ea compensari.

9 Aduerte tamen, quòd quando in his læsionibus miscetur iniuria in honore, ea compensanda est iuxta modum quo dicemus infrà læsionem in honore restituendam esse, vt petendo veniam, &c. quod omnes fatentur, etiam Doctores primæ sententiæ, dicentes læsionem naturalem esse pretio compensandam, aiunt enim præter hanc compensationem, etiam honorem compensandum esse, quando is læsus est. Sic Soto *dicto art.* 3. *in solutione ad* 3. *vers. secundo præter.* Cou. 2 *var. cap.* 10. *num.* 7. *vers. tenetur.* Ledesm *dicto dubio* 2. Cord. *lib.* 1. *quæst.* 31. *art.* 3. *vers. quo ad satisfactionem.* Caiet. 2. 2. *q.* 72. *art.* 3.

10 Secundò infertur contra Doctores etiam primæ sententiæ non esse maiorem restitutionem faciendam, quo dignior est persona occisa: immo plus tenetur restituere, qui sutorem, aut alium artificem necat, quàm qui nobilem virum. licèt hic grauiùs peccet: ratio, quia hæc restitutio non est pro damno vitæ ablatæ; sic enim maior esset facienda pro vita hominis literati, & nobilis, eius enim

Universidad de Deusto
Biblioteca



enim vita est pretiosior: sed sit pro damno temporali inde sequuto, & communiter hoc maius est, quando artifex mechanicus necatur. Sic tenentur dicere Doctores omnes secundæ sententiæ, & tenent expresè Nau. *summa c.*15. Hisp. *num.*22. Lat. *num.*24. Maioris 4. *dist.*11. *q.*19. *fine* Nauarra *lib.*4. *de restitut. c.*1. *n.*93.

11 Tertiò infertur contra Doctores primæ sententiæ, nihil esse restituendum homini libero pro deformitate resultante ex vulnere; quia hoc est damnum corporale, quod in homine libero non est æstimabile: patet ex *l. ex hac ff. si quadr. paup. vbi* glossa. Albericus Rauenas, Panor. *c.*1. *de iniur. n.*7. Nauarrus *cap.*15. Hisp. *n.*2. Lat. *num.*22. Anton. Gomez 3. *var. cap.*6. *num.*12. Nauarra *d. c.*1. *num.*90. immo idem tenent Couarr. 2. *var. cap.*10. *num.*7. *vers.* 4. *fine*; & Ludou. Lopez *lib.*1. *instruct. noui, cap.*71. licèt teneant primam sententiam. Idem Angles *floribus* 2. *p. q. de restitut. bonorum corporis, dub.*4. *fol.*334. Quod intelligitur, nisi inde damnum temporale resultet: tunc enim non ratione fœditatis, sed ratione damni tenetur illud compensare: vt si deformitatem faciat in fœmina nubili, quæ ob id matrimonio copulari nequit, vel ampliori indiget dote. Sic Albericus, Rauenas, Couarr. Angles, Nauarra, Ludouic. Lopez, Anton. Gomez *ibi*, Aragon 2. 2. *q.*62. *art.*2. dicens esse omnium. *fol.*183. Similiter si deformitas facta esset in seruo, ob quod minus valeret, tenetur faciens hoc damnum domino restituere. Sic Nauarrus, Anton. Gomez, Panor. Angles *ibi*, & est certum.

## DVBIVM II.

*An homicida, vel mutilator teneatur restituere damna inde sequuta, & lucrum cessans.*

1 HAc in re certum est teneri restituere damna omnia subsequuta, & lucrum cessans. Ratio, quia iniusta sua actione causam efficacem damni huius, cessationisque à lucro dedit, & habetur expresè *l. ex hac ff. si quadrup. paup. & c.*1. *de iniuriis*, vt tenetur restituere impensas in curatione factas, &c. à quibus tamen deducendum est, quod alioquin expensurus erat, v.g. comedit in infirmitate gallinas, comessurus caprum prospera valetudine vtens, non est illi integrè restituendus gallinarum valor, sed inde capri valor, quem comessurus erat, deducendus est. Sic nonnulli recentiores.

2 Nota primò quòd Maioris 4. *dist.*15. *q.*9. *dub. vltimo*, dicit aliquid minus soluendum esse percusso quiescenti, quàm ei laboranti deberetur, & sic censet aliquid deducendum esse, quia non laborat: sed hoc defendi nequit; sed dicendum est mercedem operarum ei soluendam esse iuxta eandem æstimationem, quam ipse, si verè operaretur, consequutus foret; ratio, quia totam hanc æstimationem percutientis culpa amittit: item, quia cùm totam mercedem illam suo labore acquirat, si labor deducendus est, nihil restituetur. Sic Couarr. *lib.*2. *variar. cap.*10. *num.*7. *vers. quarto*. Nauarra *lib.*4. *de restit. c.*1. *num.*68. *fol.*429. *& eodem lib.*4 *c.*1 *p.*1. *dub.*10. *num.*59. Ledesm. 2. 4. *quæst.*18. *art.*2. *dub.*2. *fol.*241. *pag.*4. Salon 2. 2. *q.*62. *art.*2. *controu.* 6. Soto 4. *de iustit. q.*6. *art.*3. *circa solutionem* 3. Mercado *lib.*6. *de contract. c.*6.

3 Secundò nota, quòd inter expensas restituendas ab homicida aliqui numerant expensas factas in funere occisi: sic Nauar. *summa c.*15. Hisp. *num.*20. Lat noua *n.*22. At contrarium tenendum est, quia in his non est damnificatus, cùm necessariò tempore mortis naturalis faciendæ sint: nisi ex acceleratione mortis maiores expensæ fierent, tunc enim excessum illum teneretur homicida restituere, cùm illius fuerit causa. Sic Nauarra *dicto c.*1 *n.*73. *fol.*431. & tenent docti recentiores.

4 Tertiò, certum esse debet, quòd licèt in restitutione amissi lucri difficultas sit, an in integrum sit facienda: at damna, quæ læsus incurrit, vt sunt expensæ infirmitatis, & si quæ alia damna incurrit, sunt integrè restituenda, quia quantitas hæc certa est. Sic Nauarra *eo cap.*1 *n.*67. *fol.*429.

5 Hinc fit, quod si interfectus perdidit quoddam officium. v.g. erat scriba, & nondum viginti dies post renunciationem elapsi erant quos, vt officium non amittatur, lex elabi iubet, homicida tenetur integrum officij valorem restituere, quia verè actione sua iniusta huius damni causa fuit: nec refert quòd ignorarit hoc damnum subsequendum fore, quia eo ipso, quòd iniustè occidit, exposuit se obligationi soluendi omne damnum inde subsequens, licèt ab ipso ignoratum. Sic nonnulli valde docti magistri, quos ego consului.

6 At dubium est, an teneatur homicida integrum lucrum cessans restituere; quidam enim affirmant teneri integrum: probatur ex *cap.*1. *de iniur & l. ex hac ff. si quadrup. pauper. fec. dic.* vbi dicitur teneri restituere stipendia quæ occisus tempore totius vitæ, & ægritudinis erat lucraturus. Sic tenent gloss. *eo c.*1. *vers. operas.* & *ibi* Panor. *n.*5 glossa *d. l. ex hac*. Capua *lib.*2. *decis. cap.*66. *n.*2. Anton. Gomez 3. *var. c.*6. *n*9. Maioris 4. *dist.*15. *q.*9. *dub. vltimo*. Nauar. *summa c.*15. Hisp. *n.*23 clariùs Lat. *n.*26.

7 Sit tamen conclusio: non tenetur homicida integrum lucrum cessans restituere. Ratio, quia lucrum in spe, quod multis modis impediri potest, non valet tantum, quantum lucrum in re: vnde attentis omnibus circunstantiis personæ, loci & temporis, &c. quantum valet illud verisimile lucrum periculis vitæ subiectum, & illud restituendum est, vt de comburente segetes communis ait sententia. Vnde sunt pensanda multa, scilicet, ne in tali computatione numerentur dies festiui, cùm in illis non esset operaturus: item si percussus erat iuuenis, & benealens, & sic diutiùs esset victurus: item si erat bonus artifex, & maximè labori incumbens. Sic D. Thom. 2. 2. *q.*62. *art.*2. *ad* 1. Salon *ibi controuers.*6. Aragon *eodem art.* 2. circa solutionem D. Thom. *ad* 1. *fol.*181. *pag.*2. Cord. *lib.* 1. *quæst. q.*31. *art.*3. *vers. quòd si quaratur*. Nauarra *d. c.*1. *n.* 70. 71. 72. *fol.*430. Ledesma *d. dub.*2 *fol.*242. *p.*1. Soto *d. solut. ad* 3. *vers. his ergo præmissis*. Mercado *lib.*6. *de contract. c.*6. Ludouic. Lopez 1. *p. instruct. noui c.*71.

8 Nota aliquos dicere attendendum esse, an occisus sit diues & nobilis. nam quo grauior est persona, eo magis restituendum est. Item an occidens sit pauper, an diues. nam diuiti maior restitutio est iniungenda. Item modus occidendi attendendus est. nam si per insidias vel atrox fuit, magis restituendi debet. Sic Soto Ledes. Ludouic Lopez, Cordub. Aragon. *ibidem*, Salon *eo art.*2. *controuers.*4. *fol.*638. at primum iam reprobaui *dub. præced.* secundum verò, quòd diuiti maior restitutio sit iniungenda non credo, quia obligatio maior, vel minor restitutionis non respicit facultates damnificantis, sed quantitatem damni illati, cùm restitutio ad hoc sit, vt æqualiter damnum illatum compensetur. Tertium verò, nempe attendendum esse modum occidendi, benè reprobat Nauarra *dicto cap.*1. *num.*91. *vers. Tertio*, quia siue hoc, siue illo modo homicidium fiat, damnum est æquale; ergo & restitutio.

9 Hinc infertur primò, minus benè Nauarr. *summa cap.*15. Hisp. *num.*22. Lat. *num.*24. cum Hostiensi, quem refert dicere hoc lucrum æstimandum esse quinquaginta aureis. *l.*1. §. 1 *ff. de iis, qui deiec. vel effud.* quem benè reprobat Nauarra *d. cap.*1. *num.*72. quia potest esse maius vel minus, iuxta probabilem spem maioris, vel breuioris vitæ, &c.

10 Secundò infertur, malè alios hoc tempus vitæ dicere computandum esse vsque ad centum annos, quia quãdo est talis casus, vbi à principio facta æstimatione secundùm computationem *l. hæreditatum. ff. ad l. falcid.* non potest postea reparari ex futuro euentu, quia scilicet si viueret diutius, quàm computatum est, posset pro illo tempore noua computatio fieri, non habet ea locum, sed præsumetur victurum vsque ad centum annos, iuxta *l. finalem, C. de sacrosanct. Eccles. & l. an vsusfruct. ff. de vsufruct.*



*fruct.* Sic Xuarez *l. quoniam in prioribus, ampliatione* 3. *num.*11. Florianus, & Iason, quos refert. Anton. Gomez. Sed hoc minus verum est, & sic computatio annorum vitæ facienda est, iuxta *l. hæreditatum ff. ad l. falcid.* nempe secundùm tempus, quo verisimiliter victurus creditur, attenta maiori, vel minori ætate, valetudine, viribus, &c. sic vltra Doctores citatos in conclusione posita tenent Bart. Bald. Albericus, Palacios, Rubios, & multi alij, quos refert, ac sequitur Anton. Gomez *tomo* 3. *var. c.* 3. *num.* 38. Ang. *verbo restitutio.* 1. §. *homicida.* Cou. 2. *var. c.* 10. *num* 7. *vers. quarto.* Panorm. *cap.* 1. & *c. olim de iniuris*, Speculator *tit. de iniur.* §. 2. Anton Gomez *eodem tomo* 3. *cap.*6. *num.*11. vbi benè addit, quòd quando læsus remanet viuus cum membri abscissione, vel perpetua debilitate, non oportet hanc computationem annorum vitæ facere, sed potest solui annuatim, dum vixerit quolibet anno certa summa pro illo lucro, quod habiturus erat.

11 Aduerte tamen, quòd is, qui occidit eum, qui iustè occidendus erat à iudice, licèt peccet mortaliter contra iustitiam, quia ad id authoritatem non habet: at nihil tenetur restituere, quia ea damna, quæ hæredes ex occisione incurrerunt, erant statim incursuri, cùm ille iustè occidendus esset: si tamen ex acceleratione illa mortis incurrerent damna, ea tenetur restituere, quia per iustitiam illorum fuit causa. Sic Nauarra *d. c.*1. *n.*77. 78. *fol.*432.

12 Hinc infertur, quid dicendum sit in hoc casu, si quis alteri imputauit membrum iniustè, qui postea alio morbo pressus obiit, & nullo modo occasione vulneris, quia scilicet iam plenè conualuerat, &c. an mutilator teneatur aliquid restituere hæredibus prætet impensas in curatione membri abscissi factas, & lucrum cessans illius temporis, quo vixit, etsi fortè tunc aliquod damnum incurrit ex mutilatione, vel potiùs teneatur aliquid restituere pro abscissione membri, etiam stando in prima sententia dubij præcedentis, quòd scilicet pro hac est aliquid restituendum. Respondetur, quòd si antequam is obiret, facta est conuentio certæ summæ pro membro abscisso, & lucro cessante, vel lata est sententia certæ summæ restituendæ, tenetur illam restituere, quia iam est debitum reale contractum, & fuit contractus fortunæ, vterque enim se exposuit lucri, & iacturæ periculo; si enim ille multo diutius, quàm arbitratum est, viueret, non teneretur mutilator amplius conuento pretio restituere: si verò non est facta talis conuentio, nec sententia præcessit, non tenetur, quia membrum illud eodem modo erat perituru, & damna post mortem sequuta, eodem modo erant incursuri. Et, vt dicemus infrà ex multis Doctoribus, quando res periit apud furem eodem modo, quo erat apud dominum peritura, non tenetur fur restituere, nisi damna incursa eo tempore, quo iniustè detinuit. Sic nonnulli viri docti à me consulti.

## DVBIVM III.

*Quibus hæredibus defuncti teneatur homicida restituere damnum, & lucrum cessans.*

1 NOta primò quòd duplices sunt hæredes, quidam sunt necessarij, vt filij, parentes: & in eodem loco debet computari vxor respectu mariti, quia licèt propriè non sit hæres, pertinet tamen ad familiam necessariò, & ex debito matrimonij sustentandam à viro: alij verò sunt non necessarij, vt fratres, & reliqui consanguinei, quos non tenebatur defunctus instituere, at succedunt ei ab intestato; & alij quos voluntate sua defunctus in testamento instituit. Sic Salon 2. 2. *quæst.*62. *art.* 2. *controu.*7. & alij.

2 Secundò nota, quòd duplici via possumus disputare de obligatione hac restituendi hæredibus, aut scilicet titulo alimentorum, quia scilicet defunctus aliquos alebat, aut titulo debiti realis contracti cum defuncto, & ius successionis hæreditariæ.

3 His suppositis hac in re, certum esset debet, quòd titulo debiti realis contracti cum defuncto, & iure successionis hæreditariæ, quibuscunque est restituendum hæredibus, id est, quando aliquid ratione homicidij debeatur defuncto ante obitum, vt si aliquid expendit in curatione; vel vixit aliquo tempore post vulnus acceptum, quo ei lucrum, quod suo labore acquirebat, cessauit, vel conuenit cum occisore de aliqua pecunia soluenda, eo quòd illi remisit iniuriam: & hoc non est solutum defuncto ante obitum; vel si incurrit aliquod damnum, hoc (inquam) debitum est restituendum quibuscunque hæredibus defuncti. v. g. necessariis, si eos reliquit, vel hæredibus ab intestato, si non erant necessarij, nec testamentum fecit, vel si fecit testamentum, hæredibus, quos in testamento reliquit. Ratio est, quia hoc est debitum reale quod debebatur ipsi defuncto, & hæres quicunque sit, succedit in omni debito defuncti, sicut succederet proprius filius, si extaret. Hoc est certissimum, & tenet Salon *suprà*, & docti recentiores.

4 At grauis difficultas est, an titulo alimentorum teneatur homicida restituere, non solùm hæredibus necessariis, quos alere tenebatur, sed etiam quibuscunque aliis, quos defunctus ex sua liberalitate alebat.

Triplex est sententia.

5 Prima ait, teneri omnibus, quos etiam ex liberalitate alebat. Ratio, quia omnes hi per iniustitiam eo commodo priuati sunt; & licèt ad illud non haberent ius iustitiæ, at habebant ius iustitiæ, ne per vim impediretur hoc commodum: sicut tenetur restituere per vim impediens volentem mihi aliquod beneficium conferre, licèt is ex liberalitate conferebat: at homicida vi illata impediuit. Sic Scotus 4 *dist.*15. *q.*3. Adrian. *quæst. finali, de restitut.* & refert Speculatorem, & Panormitanum: idem Rosel. *restitutio* 3. *in principio.* Ang. *restitutio* 1. §. *homicida.* Capua *lib.*2. *decisionum c.*66. *num.*2. Nauarr. *cap.*15. Hisp. *num.*22. Lat. *num.*24. Nauarra, licèt aliquantulum dubitans, *lib.*4. *de restit. cap.*1. *num.*74. 75. 76. dicit tamen his non integrè restituendum esse, quia liberalis illa voluntas poterat multis modis impediri: vnde eo plus restituendum est, quod defuncti voluntas erat magis firmata ad beneficium illud præstandum.

6 Secunda sententia dicit, tantùm hæredibus necessariis, & etiam fratribus, licèt hæredes necessarij non sint, quia in iure datur actio fratribus ad petendum fratris homicidium. Sic Mercado *lib.*6. *de contract. c.*6.

7 Tertia sententia dicit, quòd tantùm hæredibus necessariis, vt parentibus, filiis, & vxori, tenetur restituere, dando illis ad alimenta, quod occisus per totam vitam suam illis præberet, & lucraretur, considerando iuxta dicta *dub. præcedenti* illud lucrum esse in spe. Ratio, quia hi læduntur in propriis bonis, quia filius est aliquid patris, & vxor viri, & pater est quoddam totum respectu filiorum, & ita bonum vnius reputatur bonum alterius. Secundò, quia occisus tenebatur hos alere, si egerent: & quamuis (vt benè notat Salon *dicta controu.*7.) obligatio hæc non sit ex iustitia, sed ex pietatis vinculo, & sic non tenentur restituere, quando in præstandis alimentis negligentes sunt, obligatio enim restituendi ex sola iustitiæ violatione oritur: at est fortior hæc obligatio vinculo iustitiæ, & sic præfertur debito iustitiæ; ita vt non teneatur pater soluere debita ex bonis, quibus indiget ad alendos filios, vel vxorem: nec est simile (ait benè Salon) de monacho extracto à monasterio, quia bona, quæ ille suo monasterio parare poterat, non sunt propria monasterij, donec acta, & reuera essent acquisita: at filij & vxor in bonis propriis damnificantur. Sic tenent Salon *d. controu.*7. Soto *lib.*4. *de iust. quæst.*6. *art.*3. *ad* 3. *vers. Restat autem.* Ledesm. 2. 4. *quæst.*18. *art.*2. *dub.*2. *fol.* 242. *pag.*3. Cord. *lib.*1. *quæst. quæst.*3. *art.*3. *fol.*252. *vers. ad omnia:* Aragon 2. 2. *quæst.*62. *art.* 2. circa solutionem D. Thomæ *ad* 1. *fol.*182. *pag.*1. Angles *floribus* 2. *p. q. de restit. bonorum corporis. fol.*333. Ludou. Lopez 1. *p. instruct. noui. c.*72. & docti recentiores.

Universidad de Deusto
Biblioteca



8 Limitat benè Ludou.Lopez *ibi*, nisi per iudicem compulsus esset homo occisus alere fratres, tunc enim homicida teneretur etiam fratribus ad alimenta, quia iam erat debitum iustitiæ.

9 Notant Sotus *dicta solutione ad 3.paulo ante vers. His ergo prætermissis*, & alij docti iuniores contra Maiorem, teneri homicidam restituere his hæredibus necessariis tale lucrum, etiamsi sint diuites, & aliunde victum habeant; quia iustitia commutatiua non respicit, an damnificatus sit diues, vel pauper, sed tantùm, vt restituatur, quantum ablatum est, seu damnificatum; addunt etiam prædicti iuniores, quòd si occisus non habeat hæredes necessarios, pro lucro, quod cessauit à tempore mortis occisi, nil tenetur homicida illis restituere, quia id non erat debitum reale defuncti.

10 Secundò notant Ludouic.Lopez *ibi*, & alij, colligiturque ex Soto, Ledesm. *suprà*, quòd cognati, quibus datur actio in foro externo ad procedendum contra homicidam, possunt pecuniam recipere, vt ius hoc remittant: patet, quia hoc ius est pretio æstimabile.

11 Sit conclusio: hæc tertia sententia est vera regulariter, quia regulariter homicida non aduertit per id impediri bonum, & alimenta, quæ ex liberalitate aliquibus præstabat occisus: quando verò id aduerteret, credo teneri etiam iis restituere, vt docet prima sententia: & vt ibi dixi ex Nauarra, non integrè, sed quod valebant ea alimenta in spe. Probatur prima pars, quòd scilicet, quando non aduertit, non teneatur primò, quia tunc tantùm materialiter dicetur impediri, cùm ignorauerit. Secundò, quia illud impedire non est voluntarium directè. cùm id ignorauerit: nec etiam indirectè, quia homicida non tenebatur scire; quod secus est respectu parentum, vxoris, & filiorum, quia hi omnes sunt quid quasi vnum cum occiso, & bonum vnius est alterius, vt explicaui, & sic eo ipso quòd quis interficit aliquem, damnificat hos in propriis bonis, & sic respectu horum tenebatur aduertere damnum, sicut respectu occisi. Et confirmatur, quia si euntem ad legandum aliquid ignorans vi detinerem, quo fui causa, vt ille non legaret, ar ignoranter, & præter meam intentionem, quis me cogeret ad restituendum legatum, quod impediui: cùm reuera non tenerer id scire? Probatur secunda pars, quòd scilicèt teneatur, quando aduertit, quia contra iustitiam impedit per vim: nec excusatur, quia est inuoluntarium, cùm adfuerit aduertentia. Item, quia si malo animo interficeret, vt alij eo emolumento carerent, teneretur restituere: at malus animus nihil causalitatis ponit in actu externo, nec quando actus externus non obligat restituere, malus animus talem obligationem efficit, vt suprà probaui.

## DVBIVM IV.

*An homicida teneatur soluere debita quibus occisus astrictus erat, quæ poterat probabiliter viuens creditoribus soluere; at morte subsecuta non poterit soluere.*

1 QVidam absolutè dicunt teneri; quia ideo teneretur homicida restituere alimenta, quæ perdunt filij, quia occisus tenebatur illos alere, sed etiam tenebatur, & vinculo iustitiæ soluere creditoribus debita; ergo. Sic tenent aliqui, vt refert Salon *vbi infrà*, quos sequuntur docti recentiores à me consulti.

2 Alij verò dicunt, quòd si eo iniquo animo interfecit debitorem, vt suis debitis creditores defraudarentur, tunc tenetur homicida illis restituere: si verò nihil cogitauit de creditoribus, non tenetur. Sic Salon 2.2.*quæst.* 62.*art.*2.*controuers.*8. & nonnulli viri docti: & hanc credo esse veram, præterquam in eo quod dicit de malo animo. Sed dicendum est, quòd si aduertit ad damnum creditorum, licèt non eo animo, vt ipsi damnificarentur, occidisset, tenetur creditoribus: si verò nihil de ipsis cogitauit, non tenetur; & patet eisdem rationibus quas in simili casu posui *dub præcedenti, fine*; & *ibi* posui differentiam inter damnum illatum filiis, & aliis.

3 Aduerte, quòd casu, quo tenetur homicida soluere hæc debita, non tenetur integrè, quia poterat multis viis impediri, vt morte naturali, vel bonorum iacturam faciendo.

## DVBIVM V.

*An si homicidium, quod Petrus commisit, imputetur alteri innocenti, qui ob illud est captus, vel damnatus, teneatur homicida aliquid satisfacere illi innocenti, cui ipse homicida nihil imposuit, nec consuluit, vt imponeretur.*

1 HAc in re certum est quòd si innocens ille soluit expensas in curatione, & damna ex morte sequuta, iniuriam & lucrum cessans tenetur homicida huic innocenti restituere hæc. Ratio, quia in conscientia ea tenebatur restituere occiso, & alter innocens pro eo ea soluit, & sic succedit in iure damnificati. Sic Pedrasa *5.præcepto.*§.6.Nauarra *lib.*2.*de restitut. c.*1.*num.*77. 78.*fol.*45.Ludou.Lopez *p.*1. *instruct.noui, c.*63. *fol.* 166. *vers.in casu.*Cord.*summa quæst.*174.

2 At dubium est de aliis damnis, quæ passus est ille innocens occasione homicidij, vt si damnatus est ad pœnam pecuniariam, vel exilij, vel suspensus est.

3 Triplex est in hac re dubium. Primum, an teneatur ad hæc damna homicida, quando ea non præuidit, scilicet quando non præuidit posse suum homicidium illi imputari: secundum est, an teneatur, quando præuidit verisimiliter alteri imputandum, at non eo animo homicidium fecit, vt alteri imputaretur: tertium, an teneatur, quando eo malo animo fecit, vt alteri imputaretur.

4 Circa primum quidam dicunt adhuc teneri, dant enim hanc regulam generalem, quòd quotiescunque quis dat operam rei illicitæ, tenetur ad omnia damna sua occasione inde sequuta, licèt omnem adhibuerit diligentiam, ne sequantur, quia culpa illa omnia damna secum trahit. Sic glossa *c.sicut, de testibus, & attestat. vers.dederunt.* Syluest. *verbo, causa, q.*8. & *ibi* Ang.*num.*1.

5 At omnino tenendum est contrarium, quia fuit inuoluntarius respectu illius damni, & sic in materia *de irregularitate* multi reprobant eam doctrinam: & Nauarra *lib.*2. *de restit. c.*1.*num.*79.80. tenet non teneri ad aliquid, licèt quando fecit, eo esset affectus animo, vt veller illi imputari, non tamen cogitauit verisimiliter esse imputandum; quia illa mala voluntas non est causa illius damni, sed concomitanter se habet, & casualiter accidit.

6 Circa secundum dubium Nauarra *eo num.* 79. & 80. dicit teneri tunc restituere, quia causam efficacem illi damno dedit voluntariè.

7 Cæterùm probabilius credo non teneri: ratio, quia hic non est verè causa illius falsi testimonij, cùm id non imposuerit, nec consuluerit, vt imponatur, nec aliquem influxum habuerit respectu impositionis illius, quia actio iniusta tantùm fuit causa illius homicidij, at quòd sibi imponatur, fuerunt causæ indicia, quæ ipse præbuit, sed tantùm homicidium est occasio, & non tenetur quis restituere damna sua occasione sequuta, quorum verè ipse non est causa, vt benè Cordub. *summa quæst.*65.*prope finem.fol.*189.*pag.*1.§. *Tambien.* vbi dicit, testem falsum non teneri ad damna sequuta ex rixis ortis occasione sui falsi testimonij, quia eius falsum testimonium non fuit propriè, & immediatè causa illorum damnorum, sed solùm per accidens, & occasionaliter, & causa vera rixantes ipsi fuerunt, & ipsorum impatientia Hanc sententiam expresè tenent Pedraza, Ludouic. Lopez *suprà*, Cordub. *summa quæst.*174.& *lib.*1.*quæst. quæst.*31. *art.*3. *fol.*251.*pag.*2.*fine, & sequenti*, Angles *vbi infrà*. vbi tantùm obligant hunc, quando malo animo fecit: & dicunt expresè Cordub. & Ludouic. Lopez, quòd non est causa illius damni, sed tantùm occasio. Ad idem sunt Soto 4.*de iustit.quæst.*6.*art.*3.*in solutione ad* 4 *paulo ante vers. quid autem.* & Ledesm.2.4.*quæst.*18.*artic.* 2.*dub.* 4.*fol.*244.*pag.*1.*conclus.*4.*fine.* Salon 2.2.*quæst.*62. *artic.* 2. *controuers.*16 *fol.*688.689. Nauarr. *summa cap.*15. *in omnibus summis num.*17. vbi licèt non agant de restitutione, at dicunt non teneri hunc homicidam se prodere, licèt alter suspendendus sit: in quo apertè tenent, non esse causam, & per consequens non teneri restituere, quia si esset verè causa, non dubium, quin teneretur cum periculo vitæ eripere innocentem à simili periculo, quòd apertiùs indicant verba Soti, quæ ibi subdit, reddens rationem huius sententiæ, quæ sunt hæc: *Si tu illi non imposuisti, quid tua refert?* & Salon *ibi* expresè dicit hæc: *Non tenetur se prodere, quia non est causa illius falsi testimonij, & illius periculi.* & expresè tenent alij neoterici.

8 Circa tertium dubium quidam dicunt teneri restituere, quia eo animo committens homicidium, perinde est, ac si suo facto induceret alios ad testificandum, & sic est verè causa. Sic Cord. *loco vtroque citato*, scilicet *summa q.illa* 174.*& dicta q.*31.*citata*, Ludou.Lopez, & Pedraza *locis citatis*, & nonnulli recentiores.

9 At probabilius credo non teneri. Ratio, quia mala illa voluntas nil causalitatis potuit imprimere in actum externum, cùm mala voluntas intus maneat: ergo si actus externus sine illa mala voluntate non fuit causa, nec erit accedente mala voluntate; ergo. Item quia, vt *suprà* probaui, quando actus externus non est contra iustitiam, nec inducit restituendi obligationem, mala voluntas, & nocendi intentio non efficit, vt sit contra iustitiam, & causet obligationem restituendi; & sic Doctores pro ea parte allegati, sunt pro ea sententia: & in propriis terminis videtur tenere Angles *floribus* 2.*p.* 4. *Quis teneatur restituere.fol.*165. vbi relata sententia, quod faciens homicidium eo malo animo tenetur restituere, dicit oppositum tenere Soto, & non improbat, & sic videtur cum hac sententia manere.

## DVBIVM VI.

*An si homicida pœnam talionis subeat, id est, morte damnetur, adhuc teneatur restituere.*

1 SCotus 4.*dist.*15.*q.*3. negat teneri, hanc enim putat esse sufficientem satisfactionem.

2 Cæterum tanquam certum tenendum est adhuc teneri damna omnia, & lucrum cessans restituere: sicut fur vapulans tenetur furtum restituere. Ratio, nam homicida duobus est debitor, nempe reipublicæ, eo quòd ipsam perturbauit, supplicium mortis; & parti læsæ damna: ergo licet soluat reipublicæ, tenetur parti: item, quia pari pœnam legis, verè, & propriè loquendo, non est restituere, quia restitutio importat redditionem eius, quod fuerat ablatum: at ex eo quòd homicida suspendatur, nil vtilitatis redundat in partem læsam. Sic tenent Mercad. *lib.*6.*de contract. c.*6. Gabr.4.*dist.*15.*q.*15. *art.* 2. *concl.*3. Ludou.Lop.1 *p.instruct.noui c.*72. Nauarr. summa Hisp.*c.*28 *addit.ad n.*12.*c.*15 Lat.*c.*15.*n.*25. Capua *lib.*2. *decisionum c.*66.*n.*4 Panorm.*c.*1.*de iniuriis n.*6. Speculator *tit.de iniur.*§.2. Innocent.& Iason, quos refert Nauar. *ibi.* Aragon 2.2.*q.*62.*art.*2. circa solutionem D. Thomæ, *ad* 1.*fol.*180 Ant.Gomez 3 *part.var. c.*3.*n.*37.*& c.*6.*n.*9. Couarr.1.*var.c.*10.*n.*7.*vers.quarto.* Nauarr.*lib.*4 *de restit. c.*1.*n.*91.& alij recentiores magistri.

3 Vnde non placet distinctio Salon 2.2.*q.*62.*art.*2.*controuers.*10. vbi dicit, quòd si iudex ex officio damnauit, tenetur parti restituere damna; si verò damnauit ad instantiam partis, quæ rogata nullo modo voluit remittere; non tenetur, quia eo ipso videtur omnem aliam satisfactionem remittere. Sed hoc non credo, sed sæpè vtrumque vult, & sic etiam in foro externo vltra pœnam mortis damnatur ad aliquam pecuniam parti læsæ applicandam: & sic videtur hoc contra reliquos Doctores, quia absolutè nostram sententiam docent: verum est tamen non teneri ad aliam satisfactionem, quando intelligitur de parte læsa nullam aliam velle, vt contingit inter diuites, Sic Nauarrus, Aragon, Ludouicus Lopez *ibi.*

4 Maius autem dubium est de damno vitæ; an scilicet homicida, qui suspenditur, teneatur aliquid pro damno naturali oblationis vitæ restituere, stando in ea opinione, quòd pro hoc damno est aliqua pecunia restituenda? Quidam dicunt pro hoc damno non teneri homicidam, qui suspenditur, aliquid restituere, quia satisfacit sustinendo mortem, cùm reddat æquale. Sic Mercado *suprà.* Salon *d.art.*2.*controuers.*4.*fol.*635.*& fol.* 634. dicit hoc à nullo negari. Et Nauarra *lib.*4.*de restit. c.*1.*num.*83. *fol.* 434. dicit hos omnes tenere.

5 Sed optimè Nauarr. *ibi* redarguit hos Doctores; quòd non loquantur consequenter ad suam sententiam, ipsi enim tenent pro damno naturali vitæ esse restituendum aliquid: quòd si ita est, adhuc in casu, quo homicida suspenditur; teneretur pro eo damno restituere, quia quòd homicida suspendatur, nullius est vtilitatis, & satisfactionis damni alterius. Vnde [illegible] consequenter sensit Aragon *suprà fol.*186.*pag.*1. [illegible] tenet etiam tunc teneri satisfacere pro hoc damno naturali: at cùm nos teneamur pro hoc damno restituere, à fortiori id dicemus in hoc casu.

## DVBIVM VII.

*An sit compellendus homicida restituere damna illata, licet constituatur in graui necessitate restituendo.*

1 DVplex est sententia.

Prima ait esse compellendum, modò non constituatur in extrema necessitate. Sic Ledesm. 2. 4. *q.*18. *art.*2.*dub.*2.*fol.*242.*pag.*1.

2 Secunda sententia tenet, non teneri, quando constituitur in graui necessitate, quia non tenetur tanto dispendio suo restituere. (non agimus hîc quando hæredes occisi essent etiam in graui necessitate, quia de hoc est habenda quæstio infrà an scilicet, quando creditor est in simili necessitate, teneatur debitor restituere.) Et hæc sententia verior est, & eam tenent Soto 4.*de iustit. quæst.* 6.*art.*3.*in solutione ad* 3.*vers. His ergo prætermissis.* Cordub.*lib.*1.*quæst.q.*31.*art.*3.*fol.*252.*versic. Quod si quæratur.* Ludou.Lopez 1.*p.instruct. noui. cap* 71. §. *Hæc igitur omnia*, & nonnulli docti neoterici magistri.

## DVBIVM VIII.

*An qui ignorantia concomitante aliquem occidit, teneatur restituere.*

1 CAsus est quando aliquis facit homicidium ignorantia inuincibili, sed si sciret, libenter fecisset, quia iam facere decreuerat v.g. quis proiecit sagittam omni adhibita diligentia, & casu peremit hostem, quem aliàs necare optabat, & si sciret, necaret.

2 Quidam dicunt teneri restituere, quia ignorantia hæc non excusat à peccato ratione prauæ voluntatis, teste D. Thoma 1.2.*q.*76.*art.*1.& 3. Sic Mercado *lib.* 6.*de contract.cap.*5.

3 Cæterum oppositum dicendum est. Ratio, quia sola voluntas iniqua non potest restituendi vinculum inducere, cùm ea proximo nequeat nocere, nec etiam exterius opus, cùm ex ignorantia inuincibili proficiscatur: nec illud opus ex ea mala voluntate processit, tantùm enim intendebat venari, cùm sagittam proiecit. Sic Nauarra *lib.*2.*de restit.cap.*1.*num.*72.*fol.*43. Enriquez *lib.*11. *de matrimon.c.*10 *initio, commento littera A.*

4 Hinc infertur, quid dicendum sit de ebrio, & dormiente occidente in somnis, si enim in culpa lata fuit, quia præuidere potuit, & debuit, nec adhibuit diligentiam ad vitandum, tenetur restituere; secus si culpa vacauit. Sic Nauarra *ibi num.*73.& 74.

DVBIVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM IX.

*An qui se defendens excedens moderamen inculpatæ tutelæ, occidit, ita vt peccet mortaliter, teneatur restituere.*

1 CErtum est ad nil teneri, quam cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia iustè fecit: similiter est certum teneri aliquid restituere, quando ita illud excessit, vt peccarit mortaliter. At dubium est, an tunc teneatur integrè restituere.

Duplex est sententia.

2 Prima dicit non teneri integrè restituere, sed aliquid minus arbitrio prudentis. Ratio, quia hic minus peccauit, ergo minus tenetur restituere. Pro hac sententia faciunt Soto 4. *de iust. quæst. 6. artic. 5 in solutione ad 3. versic. his ergo prætermissis.* Ledesm. 2. 4. *quæst.* 18. *artic. 2. dub. 2. fol. 242 pag.* 1. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. noui cap. 72.* Aragon 2. 2. *quæst. 62. art. 2. circa solutionem ad* 1. D. Thomæ *fol.* 181 *pag.* 2. Salon *ibi art. 2. controuers. 4. fol.* 638. Cord. *lib.* 1. *quæst. quæst.* 31. *art.* 3. *fol.* 252. *versic. Quòd si quæratur.* vbi dicunt plus esse restituendum, quo modus occidendi atrocior fuerit, vt si per insidias, &c. Et in propriis terminis hanc sententiam docent Syluest. *restitutio* 3. *quæst.* 2. Rosell. *restitutio* 3. *num.* 4. Ang. *restitutio* 1. *§. homicida.* Ant. Gomez 3. *variar. cap.* 3. *n.* 38. Patres Lusitani contra Nauarrum.

3 Secunda sententia dicit, teneri integrè restituere: quæ probabilior est. Ratio, quia restitutio non attendit, quòd sit maior, vel minor culpa, sed cum sit actus iustitiæ commutatiuæ instituta ad æqualitatem constituendam, respicit quantitatem damni illati ad illud resarciendum: sed siue maior, siue minor culpa sit, idem damnum infert; ergo est eadem restitutio facienda: sicut qui centum, vi & metu mortis incusso abstulit, multo grauius peccat, quàm qui clam, non tamen tenetur amplius restituere. Sic tenent Nauarr. summa Hisp. *cap.* 15. *num.* 24. & latiùs Lat. *num.* 27. Ludouic. Lopez 1. *p. instruct. noui cap.* 72. Nauarra *lib.* 4. *de restit. cap.* 1. *num.* 92. & alij.

## DVBIVM X.

*An quando aliquis prouocat alium ad singulare certamen, si prouocatum occidat, vel lædat, teneatur illi, vel hæredibus damna dicta restituere? & quid, si prouocatus occidat prouocantem.*

1 PRimò dico, quòd quando duo se inuicem prouocant ad certamen sine aliqua iniuria, sed ita vt vterque volùntariè descendat ad certamen, vel vnus prouocat alium simplicibus verbis, ita vt prouocatus lubens descendat ad illud certamen, tunc neuter, si alium lædat, vel occidat, tenetur restituere. Ratio, quia per hoc, quod accedunt voluntariè, nulli fit iniuria, & faciunt implicitè pactum, vt neuter teneatur de damno illato. Sic contra aliquos neotericos, vt ibi refert, tenet Salon 2. 2. *q. 62. art. 2. contro.* 11. & nonnulli docti recentiores magistri.

2 Hinc fit, quòd si pars læsa apud iudicem peteret, & reciperet restitutionem, ageret contra iustitiam, & teneretur restituere. Sic Salon *ibi*, & docti recentiores.

3 Secundò dico, quando alter prouocat alterum cum iniuria, ita quòd si ille prouocatus non acceptet pugnam, reputabitur vilis, & pusillaminis, iacturámque sui honoris faciat, tunc si prouocans occidat, vel lædat, tenetur omnia damna restituere; quia ille accessit inuoluntariè ad certamen, id est, voluntate mixta inuoluntario, metu scilicet amittendi honorem: sicut qui metu mortis merces proiicit in mare; sic Salon, & illi docti neoterici.

4 Tertiò dico, quòd in hoc casu, si prouocatus occidat, vel lædat prouocantem, nil tenetur restituere, quia iam alter cessit iuri suo tacitè, & virtualiter prouocando voluntariè alium. Hoc est contra Salon *suprà*, & tenent, Aimon *cons.* 119. *num.* 11. referens alios; vbi dicit quòd quando occisus incepit pugnam, & sic fuit in culpa, occidens non tenetur de aliquo damno; multíque docti magistri à me consulti.

## DVBIVM XI.

*An quando homicida non restituit ante mortem damna, quæ tenebatur restituere, teneantur eius hæredes ea restituere.*

1 CErtum est apud omnes teneri damna omnia temporalia restituere iuxta quantitatem hæreditatis, Ratio, quia hoc erat debitum reale defuncti: at hæres tenetur omnia debita iuxta hæreditatis, in qua succedit quantitatem. Sic omnes Doctores citandi.

2 At dubium est de damno naturali ablationis vitæ, stando in ea opinione, quòd pro hoc damno est aliquid restituendum: nam sequendo nostram, scilicet homicidam nihil teneri pro hoc damno, manifestum est hæredes non teneri.

3 Quidam Doctores, qui tenent homicidam teneri restituere pro damno naturali vitæ, dicunt, quòd ipso non restituente, non tenentur ad id hæredes, nisi homicida ante mortem esset damnatus ad hoc: & idem, licèt non explicent, tenentur dicere, quando homicida ante mortem iniisset pactum de aliqua quantitate danda pro damno vitæ, quod intulit. Ratio huius sententiæ est, quia restitutio pro damno vitæ est debitum personale, nisi homicida esset damnatus, vel pacto se obligasset, tunc enim transit in debitum reale: at hæredes non tenentur ad debita personalia defuncti, sed tantùm ad realia. Sic Soto 4. *de iustit. quæst 6. art. 3. in solutione ad 3. fine*, Ledesma 2. 4. *quæst.* 18. *art. 2. dub. 2. fol.* 242. *pag.* 3. Cord. *lib.* 1. *q. q.* 31. *art.* 3. *fol.* 252. *versic. ad omnia.*

4 Sed contrarium est verius, quia illud debitum reale est, cùm homicida non teneatur illud restituere, vitam exponendo, sed aliqua pecunia compensando. Sic Salon 2. 2. *quæst. 62. art. 2. controuers. 4. fol.* 640. *ad 5. & contro. 7 fol.* 653. *& controuers. 12. fol.* 663.

5 Ad eam tamen satisfactionem, quæ facienda est, per petitionem veniæ, non tenentur hæredes, quia ea est debitum personale, & pars satisfactionis pro delicto commisso, nisi antequam occisor obiisset, conuenisset cum hæredibus occisi de aliqua pecunia in recompensam illius damni, quia iam esset debitum reale: Sic Salon *ea controuers. 7. fol.* 653.

6 Nota quòd non tantùm hæredes homicidæ tenentur soluere damna, sed etiam ipse fiscus, si bona homicidæ fuerint publicata, sicut tenetur ad alia debita, *l. in summa. ff. de iure fisci.* & latè dixi *l. b.* 2. *in præcepta Decalogi, cap. 22. à num.* 74. *vsque ad* 84. Sic Aragon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. circa solutionem D. Thom. *ad* 1 *fol.* 180 *pag.* 1. Nauarr. summa Hisp. *cap.* 28. *addit. ad num.* 22. *cap.* 15. Lat. *c.* 15. *n.* 25. Bertrandus *cons.* 117. *lib.* 8. Iulius Clarius *pract. crimin. §. homicidum, versic. tenetur etiam.* dicit tamen malè in practica obseruari.

## DVBIVM XII.

*An possit percussus remittere homicidæ damna, antequam moreretur.*

1 SIt prima conclusio: Non excusat homicidam à restitutione, quòd occisus remisit iniuriam in foro animæ, qualem remissionem communiter petere solent confessarij à læso, nec per eam remissum censetur ius accusandi, & iniuriam referendi ad externum iudicem. Ratio, quia ea intelligitur intra limites charitatis, & quoad non habendum odium, qualis requiritur, vt aptus sit, vt sacramentaliter absoluatur. Sic Bart. Alex. Felin. Iason, quos refert, & sequitur Couar. 2. *var. cap.* 10. *num.* 7. *versic. tertium.* Vnde ad hoc, quòd extendatur ad exteriorem iniuriæ querelam, oportet vt plana, & generalis facta fuerit remissio. Sic Couarr. Alex. Iason. Felin. *ibi.*

2 Secunda



2 Secunda conclusio: si offensus simpliciter remisit iniuriam, etiam quoad forum externum, & exteriorem accusationem, atque etiam pretio dato, non videtur remississe damna, expensas, & interesse: sed tantùm iniuriam, & pœnam ciuilem, vel criminalem vindictæ, nisi specialiter vtrumque remittatur. Ratio, quia ex iniuria oritur duplex actio, vna ad pœnam, alia ad damna, expensas, & interesse: ergo vna sublata, remanet alia. Sic Bald: Iacobus de sancto Gregorio, Card. Iason, & communis, quos refert, ac sequitur Anton. Gomez 3. *var. cap.* 6. *nnm.* 13. Anchar. & Panorm. *cap.* 1. *de iniur. num.* 7. Speculator *tit. de accusatore §.* 1. *vers. quid si vulneratus, num* 8. *gloss. cap. si Canonici, de offic. ordin. in* 6. Couarr. *d. num.* 7. *versic. quarto.* Salon 2. 2. *quæst.* 62 *art.* 2. *controuers.* 9.

3 Tertia conclusio: quando Rex iusta de causa condonat homicidæ delictum, non ob id liber manet à restitutione, quia tunc solam vitam, qua in pœnam priuandus erat, censetur condonare; nec Rex poterat damna remittere, cùm iure naturæ debita sint. Sic Salon *dicto artic.* 2. *controuers.* 4. *fol.* 640. *ad* 4.

4 Sed an occisus, quando habet hæredes necessarios, possit remittere damna, & expensas, & alimenta debita hæredibus necessariis, quos alebat. Salon *d. controuers.* 9. dicit, quòd stando in iure naturæ, potest, attento iure regni Castellæ, quo pater tantùm potest defraudare quinta bonorum parte filios, non potest, si quintum excedant.

5 Quarta tamen conclusio sit: Benè potest remittere damna illa, & expensas, & alimenta, ita vt factum teneat licèt peccabit pater, si filij non habeant aliunde alimenta. Ratio, quia hoc non dicitur propriè debitum, sed quasi debitum, descendens ex delicto, nec filij hoc petunt tanquam hæredes, sed tanquam filij: ita vt si pater posset eos exhæredare, exhæredarétque, adhuc haberent actionem ad perendum hæc damna; & sic non dicitur propriè priuare filios hæreditate, dum remissionem hanc facit. Item quia filij non habent maius ius, quàm pater; ergo si patèr remittat, nullum ius habent filij. Item, quia pater non tenetur ad alimenta præstanda filio ex iustitia, sed tantùm ex charitate, & virtute pietatis; ergo si remittat, factum tenet. Sic docti magistri, quos ego consului.

6 Vltima conclusio: Non tenetur quis ad has restitutiones; quando certò credit hæredes non admissuros, immo dedecori habituros, vt contingit inter diuites, & nobiles. Ratio, quia censetur tacitè remittere. Sic Mercado *lib. 6. de contract. cap. 6. paulo ante §. finalem.* Salon *d. art. 2. contro. 4. fol.* 639. vbi hæc dicit: Nobiles, & diuites ex communi vsu videntur renunciasse, & peperciisse huic iuri. Pro hac etiam sententia Cordub. *lib.* 1. *quæst. q.* 31. *art. 2. fol.* 252. *vers. Notetur.* Soto 4. *de iustit. quæst. 6. art.* 3. *ad* 3. *vers. ex hæ fit.* Ledesm. 2. 4. *quæst.* 18. *art. 2. dub. 2. fol.* 242. *pag. 2. initio*, vbi dicunt, quòd inter illustres hæ restitutiones non petuntur, nam damna facilè condonant; solámque iniuriam memoria tenent. Pro eadem sunt Aragon 22. *quæst. 62. art. 2.* circa solutionem D. Thomæ *ad* 1. *fol.* 180. Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. c.* 27. Nauarr. *addit. ad num. 22. cap.* 15. Lat. *cap.* 15. *num.* 25. vbi dicunt, quod quando creditur de parte læsa nullam velle satisfactionem præter supplicium, vt inter nobiles, non teneri homicidam ad illam exhibendam: hanc etiam tenent nonnulli iuniores valdè docti à me consulti.

## DVBIVM XIII.

*An fœmina cancro, vel alio morbo grauissimo in verendis laborans, teneatur sustinere curari à chirurgis.*

REspondetur non teneri, quia cùm pudicitia sit tantum bonum, potest illam præferre vitæ, licèt possit sine peccatis permittere curari. Sic Nauarra *cap. si cui, de pœnit. distinct.* 1. *numer.* 12. 13. P. Emanuel Sà *summa. verbo infirmus, fine*, Lessius *de iustit. libr.* 4. *cap.* 3. *numero* 60.

---

## CAPVT V.

*De iniuriis fortunarum per furtum dammumve illatum, ac de congrua restitutione.*

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *An cadentes ligna ex nemoribus vetitis teneantur restituere.*

2. *An index, cui custodes agri aliquod damnũ denunciant, si id ille notificari non facit parti damnificatæ, vt sibi satis fieri exposcat, sed solum pœnæ condemnat, teneatur compensare parti damnum, vel hoc illi notificari facere, vt satisfactionem petat.*

3. *An teneatur dominus de damno dato per proprium seruum, vel per propria animalia circa omnem domini culpam.*

4. *An puerum exponere sit licitum in aliquo casu.*

5. *An is, ad cuius tanuam puer exponitur, possit ad alterius tanuam illum exponere, vel peccet, & teneatur illi educationis expensas restituere.*

6. *An tonsores inuenientes aliquas raritates, Hispanè razas, in pannis, & non admonentes pannorum dominum, peccent, & restituere teneantur: & quid si mercatorem moneant, & eidem postulanti pannum tradunt, vt ita raritas occultetur, & dissimuletur.*

7. *An œconomi, & quinus alius, cui à domino redditus frumenti a colonis exacti seruandi traduntur, possit, si quæ postea incrementa reperiantur, sibi retinere, an potius domino restituere teneatur.*

8. *An qui conducit mulam ad iter faciendum ab vno oppido in aliud, designatis. v. g. octo diebus ad eiusmodi iter, possit ad oppidum distantius transire, dum tamen non plures, quam assignati sunt dies, consumat in itinere.*

9. *An liceat alicui in quouis casu erigere in altum suas ædes, vel fenestras aperire, licet inde sequatur damnum religiosis domibus, quia scilicet patebunt secretiora illarũ.*

10. *An si maritus dissipauit multa bona acquisita constante matrimonio, ludis, & aliis prauis vsibus, vt cum meretricibus, &c. teneatur soluto matrimonio, sic malè consumpta in sua parte imputare.*

11. *An liceat Christianis bona infidelium in terris vsurpatis, quæ erant Christianorum habitantium furari, v. g. Maurorum bona.*

## DVBIVM I.

*An cædentes ligna ex nemoribus vetitis teneantur restituere.*

1 [illegible]Ic non agimus quando ligna sunt propria hominis industria plãtata, & culta, vt sunt oliueta, & vites: de his enim manifestum est ea cædentem teneri restituere. Sed nota quòd quando arbores plantatæ parua hominis industria, & labore nascuntur, vt sit peccatum mortale requiritur notabilis quantitas. Sic Bañes 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. *dub.* 4. & quidam docti neoterici, & ait Bañes *ibi* talem esse cædere arborem, quia priuatur dominus annuo fructu; at ramos ex his arboribus cædere vix erit mortale, nisi sit frequens cæsio.

2 Sed dubium est quando sua sponte nascuntur: & vt claritatis obseruatores simus, aliqua dubia sub hoc proponemus.

3 Primum ergo dubium sit, an sit licitum prohibere scissionem lignorum ex sylua communi totius oppidi, & pascua communia incolis oppidi.

4 Sit prima conclusio: licitum est cuilibet communitati syluam suam communem prohibere sub quibusdam pœnis etiam incolis illius ob bonum publicum, ne scilicet

in eius

Universidad de Deusto
Biblioteca



in eius perniciem dissipetur. Ratio est, quia publica potestas ad omnia se extendit, quæ ad communem vtilitatem, meliorémque reipublicæ & bonorum ipsius conseruationem spectant. Sic Soto *lib.4 de iustit. quæst.6. art.4. versf.nonnulla.* Azebed *lib.7.recopil. tit.7. l.5. n.4. & l.5. tit.7.lib.3.* Ledesm.2.4.*q.18.art.3 fol.259.pag.4.* Aragon *2.2.q.62 art.3 fol.235.pag.1.* Molina *tomo 1. de iust. tract. 2.disp.58.pag.376.& seq.* & supponunt id omnes Doctores citandi.

5 Hoc tamen inrellige modò aliunde possent cõmodè ligna asportari, & pascua haberi: si enim non relinqueretur oppidanis locus, vnde ea commodè possent asportare, iniusta, & irrationabilis esset prohibitio, & sic non posset iustè infligi pœna, & possent licitè asportare ligna à ciuibus ad omnes, & quotidianos vsus necessaria, & possent vti pascuis necessariis. Sic Molina *ibi pag.* 377. & colligitur ex Soto, & Ledesm. *conclusione sequenti* citandis: dicit tamen, & benè, Molina *ibi*, quòd posset tunc prohibere certam scissionem, quæ plus nocumenti plantis affert, plúsque syluam ipsam deuastat.

6 Secunda conclusio: quando Rex largitur alicui domino oppidum cum nemore, vel nemus ipsum, quod antea erat commune (non enim per hoc solum, quòd ipsi vendit, dat ei nemus, vt postea dicemus) non plus potest is dominus prohibere lignorum cæsionem, quàm Rex ipse posset. Vnde quando sylua totius erat oppidi, oppidanísque alius locus non suppetit, vnde possent asportari ligna ad necessarios vsus, prohibere hoc non potest, modò sylua ad hoc sufficiat: quòd si non sufficiat, solùm potest illis præscribere certas, ac rationabiles leges prohibitorias, quatenus postulat bonum commune, vt sylua in bonum publicum melius conseruetur. Ratio, quia Rex non concessit, nec concedere potuit plus iuris quàm ipse haberet. Sic Soto, & Ledesm. *ibi.* Molina *ibi pag.* 380. *fine*, & nonnulli recentiores magistri.

7 Vnde dicit Molina *ibi, & fol.* 381. *initio*, quòd ex titulis, & originibus, vnde domini syluas possident, videndum est, prohibere ne possint oppidanos à lignorum cæsione in syluis circumiacentibus; & quidam docti iuniores, quos ego consului, dicunt, quòd quando non scitur, quòd nemus plantatum fuerit ab ipso domino, vel ab eius antecessoribus, iudicandum est de eo, sicut de aliis communibus eiusdem oppidi; quia cùm dominus oppidi acquisiuit illud, acquisiuit cum illa conditione, quam habebat, quando erat commune, siue illud acquisierit per priuilegium, siue per emptionem.

8 Tertia conclusio: licèt nemora propria sint domini, non est imponenda corporalis pœna, nec grauis pecuniaria, scindentibus ligna, sed moderata pecuniaria. Ratio, quia cum hæc sua sponte nascantur, & sic iure gentium communia esse deberent, non æstimandum est horum furtum, ac furtum rerum omnino propriarum, & sic nullibi hi infamia furum denotantur. Sic Soto, & Ledesm. *ibi*, & quod non imponenda sit pœna corporalis, tenet etiam Aragon *d.art.3.fol.235.pag.2.*

9 Quarta conclusio: Quilibet priuatus potest in suis prædiis, & syluis stando in iure communi prohibere ligna, & pastum pecorum, & sic facere sua prata prohibita, id est, *de hesas.* Sic contra aliquos, quos ibi refert, dicentes non posse collectis frugibus prohibere conciues, & alios habitatores, & incolas, ne propria animalia in eos agros immittant ad pascendum herbam, & sic facere illos prata prohibita, tenet Couar. *quæst.pract.cap.37. n.2. & 3.* Molina *tom.1.de iust.tract.2.disp.59.concluf.7.* & patet, quia minus dominium habet in feras sui nemoris, & tamen potest ibi prohibere venationem.

10 Quinta conclusio: Potest nihilominus Princeps in reipublicæ commune bonum statuere, vt fructibus collectis, nullus possit aliis prohibere pastum in suis prædiis, modò prædia non sint vineæ, & similia alia, quæ magnum detrimentum patientur, si omnibus sint quoad pastum communia. Ratio, quia cùm commune bonum sit priuato præponendum, potestas publica, cui omnes in ordine ad commune bonum subiacent, potest contrarium statuere, si eidem communi bono id expedire iudicauerit: maximè quòd hoc singulis reipublicæ partibus prodest, cùm singuli possint in alienis agris sua pecora pascere, & per accidens sit, plura, vel pauciora habere prædia, & possit temporis progressu contrarium euenire. *Sic P.Molina, vbi in conclusione præcedenti.*

11 Sexta conclusio: in Hispania lege definitum est non posse priuatos agrorum dominos absque speciali priuilegio Regis, vel legitima præscriptione ex suis *agris* facere prata prohibita, quæ *dehesas*, vocamus, ad hoc vt possit herbam vendere, vel locare: sed cuilibet integrum est ex concitibus, & incolis sua animalia in eis pascere, collectis iam frugibus, & fructibus: & sic pastus est communis. Sic habetur *l.8. & 14 tit.7.lib.7. nouæ recopil.* & docent Azebedo *ea l.8.num.5.* Couarr. *quæst.pract.cap.37.num.3.versic.quidquid.* Molina *dicta disp.59.concluf.8.*

12 Septima conclusio: licitum est tamen priuatis agrorum dominis in eis vites, & oliueta, & quæcunque plantare; etiamsi per hanc plantationem pastus communis omnium conciuium animalibus impediatur, cùm in oliuetis, & vineis nullo anni tempore permitti possit absque arborum læsione animalium pastus: nec potest ciuitas iure ordinario, nisi aliud lege regia cautum sit, prohibere dominos ab hac plantatione; quia lex tantùm hanc pastus communionem tribuit, dum non nocet arboribus. Sic Couarr. *eo cap.37.num.3.versf.Hinc sunè sit.& num.4. 5.* P.Molina vbi in conclusione præcedenti Cæpola *de seruitut. rustic. præd.c.de seruitute iuris pascendi, num.26.*

13 Nota primò hoc esse verum, licèt pascua sint communia incolis ciuitatis illius, & alterius, adhuc enim potest priuatus dominus agri illum noua cultura colere, licèt impediatur pastus communis. Sic Couar. *ibi n.7. versf. igitur.* & videndus est, *toto eo num.7.* vbi declarat in quibus casibus hoc sit verum.

14 Secundò nota conclusionem esse veram in his agris, qui dominium priuatum habent: nam in communibus, & publicis ius pascendi absolutè competit omnibus incolis, & habitatoribus territorij: & ideo non poterit hoc ius illa cultura impediri absque consensu eorum, qui iure illo vti possunt. Sic Couarr. *eo num.7.versic.igitur.*

15 Tertiò nota, quòd Granatæ in pago, qui *Vega* dicitur, est regium edictum, quo prohibentur priuati domini nouellare, vt sit vberior, ac facilior pastus animalibus, quæ ad eam vrbem ducuntur pro publico carnium victu, & maior frumenti copia. Sic Couarr. *d.cap.37.num.4.*

16 Quartò nota, quòd hoc distat inter agrum, in quo quis habet ius pascendi absolutè seruitute, vel alio titulo, & illum, in quo habet ius pascendi, vt incola, ciuis, vel habitator collectis frugibus; nam in primo casu non potest ager taliter coli, vt impediatur pastus; in posteriori verò potest. Sic Cæpola citatus *in 7. concluf.* & Couarr. *dicto cap.37.num.4.initio.*

17 Quanto verò tempore possit præscribi, ne pastus sit communis, & vt aliquod nemus sit proprium, consule Couarr. *dicto cap.37.num.8.& regula Possessor.2. part.§.3. num.2. & 9. & lib.1 variar cap.17.n.11.*

18 Secundum dubium sit, an casu quo licita est prohibitio syluarum, scindentes ligna contra talem prohibitionem peccent, & teneantur restituere.

19 Hac in re certum est apud omnes Doctores, quòd quando sylua est totius communitatis, qui ciuis est, aut incola illius communitatis, si ligna cædat contra præscriptam legem, non tenetur restituere, nisi notabilem faciat stragem, sed tantùm tenetur ad pœnam, cùm damnatus fuerit: si autem magnam faciat stragem, tenetur restituere damnum communitati. Ratio, quoniam non est credendum communitatem eo rigore cum iis, quibus ligna sunt communia, velle vti, vt tencantur illa restituere, quando strages non est magna, immo ea lege suis ciuibus censetur ligna distribuere: vt qui capiatur, pœnas det,



det, qui verò euaserit, gratis sibi acquirat. Quod autem teneatur restituere, quando facit notabilem stragem; ratio est, nam ea ligna sunt distribuenda toti communitati, & eius sunt propria: ergo qui talem stragem facit, sibi appropriando, vt notabiliter damnificet communitatem, tenetur ipsi restituere; cùm tantum sibi posset appropriare, vt pars illius communitatis, seruata debita proportione ad alias partes, Sic tenent Molina *tomo 1.de iustit. tract.2.disp.58.pag.377.* Soto *lib.4.de iustit.quæst.6. art.4. versf.dubium autem hic proprium.* Ledesm.2.4. *q.18.art.3. fol.259.pag.3.* Aragon *2.2.quæst.62.art.3 fol.235.pag.2. concluf.2.* & *ibi* Salon *controuers.3.concluf.1.* Ludou. Lopez *1.p.instruct.noui c.149 fol.337.concluf.1.2.4.* Cord. *summa quæst.71.* Palacios *lib.2. de contract. cap.9. sub finem.* Angles *floribus 2.p.materia de restit.quæst.de cædentibus ligna, fol.235.* Manuel *tomo 1 summæ, cap.38.num.3.* Bañes *2.2. quæst.62.art.3.dub.4.* & aliqui maximè docti recentiores.

20 Nota primò idem omnino esse dicendum, si sint duo oppida propinqua, quorum quoduis suam propriam habet syluam, mutuóque oppidani vnius oppidi soleant scindere ligna ex sylua alterius, excusantur enim scindentes à peccato mortali, & restitutione, nisi notabilem stragem faciant: sed tantùm tenentur ad pœnam, si damnentur. Ratio, quia communitates ipsæ sola pœna videntur esse contentæ, reliqua verò esse volunt in mutuam compensationem. Sic P. Molina *ibi concluf. 4. pag.* 378. Soto, Ledesm. Salon, Ludouic. Lopez *ibi*, Aragon *ibi, concluf.3.* Angles *ibi*, Manuel *ibi n.5.* Cordub. *dict.q.77.* & nonnulli docti Magistri.

21 Secundò nota dubium esse, an quando incolæ non faciunt notabilem stragem in monte communi, vel quando duo oppida vicina habent syluas, & oppidani vnius soliti sunt cædere ligna ad inuicem ex sylua alterius, sicut diximus secundùm omnes, nec peccare mortaliter, nec teneri restituere: an sit saltem peccatum veniale. Quidam dicunt esse veniale. Ratio, quia omnis lex iusta, etiam pœnalis, obligat ad culpam. Item, quia pœna infligi iustè nequit sine culpa: at transgressoribus iustè infligitur pœna; ergo. Sic tenet Aragon 2. 2. *quæst. 62. art.3.fol.235.pag.2. concluf.* 2. & clarè Molina *tom. 1. de iust.tract.2. disp.58.pag.377. concluf.2. fine*, dicit enim, quòd in hoc casu iustè infligitur pœna, & quòd, vt iustè infligi possit, culpam supponit: & videntur tenere aliqui, quos infrà agentes de venatione citabimus, asserentes venantes contra prohibitionem, aliquam contrahere culpam.

22 At verius est non esse veniale, quia hæ non sunt propriè leges, sed potiùs quædam pacta conuentionalia disiunctiua, vt scilicèt non cædant, vel si cædant, sint obnoxij pœnæ post damnationem, sicut etiam regulæ D. Dominici non obligant transgressores ad culpam, sed ad pœnam. Sic tenet Salon *2.2.quæst.62.art.3.controu.3. concluf.2.* & 4. Cordub. *summa q.71.* Angles vbi citatus est *supra*, & Soto & Ledesm. & Ludouic. Lopez *ibi* citati clarè hoc significant: idem tenet Mercado *lib.6. de contractib.c.16.fol.201.pag.2.* Merina *1.2.q.96.art.4.fol.878. ad 3.* & quidam docti recentiores.

23 Tertiò nota, quòd quidam limitant, vt secans ligna de talibus syluis non teneatur restituere, quando cædit ad proprios vsus: secus quando cædit ad vendendum. Sic Manuel *tom.1.summæ c.37.n.2.* Perez *in proœmio ordinam.quæst.o.*

24 At verius est esse licitum etiam ad vendendum; quia quod diues accipit in vsum calefaciendi, hoc pauper accipit in vsum venditionis, vt inde vitam transigat: item, quia hoc cedit in vsum totius populi, cùm non omnes possint adire syluam ad scindendum. Sic tenent Salon *concluf.* 1. & Mercado *vbi supra* citati, & alij docti neoterici.

25 Quartò nota, quando dicetur magna strages ad hoc vt illam faciens scindendo ligna teneatur restituere: dicendum enim est in his statutis prohibentibus cæsionem lignorum & venationem, non esse attendendam grauitatem, vel leuitatem materiæ absolutè. & in se iudicando, quantum talis res valet; quia res hæ non sunt sub dominio alicuius è republica, sed sunt totius communitatis; quare attendendum est damnum toti communitati illatum. Pro hac parte est Molina *tom.1.de iust. tract.2 disp.58 fol.377.* vbi dicit debere esse extraordinarium damnum, & *pag.378.* dicit hæc: *An damnum datum notabile sit, arbitrio prudentis attentis omnibus circunstantiis est iudicandum: nam vbi sylua est modica, & admodum parcè solet concedi facultas ad scindẽda ex ea ligna, censetur minor quantitas, quàm vbi sylua est vastissima, & facilè concedi solet talis licentia.* Et Ledesm. *2.4.quæst.18.art.3.fol. 259.pag.3.* vbi hoc damnum notabile his verbis explicat. *Quando infigne est nocumentum, vnde aliis incolis malum notabile prouenit.* Et eodem modo explicat Ludou Lopez *1.part.instruct.noui,c.149.concluf.4.* & Soto *lib. 4. de iust. q.6.art.4.versf.Dubium autem hic proprium*, dicit his verbis: *Quando est insignis deprædatio.* & Salon *2. 2. quæst.62. art.3. controu. 3. fol.749.* his verbis. *Quando sic deuastat syluam, vt non maneant ligna aliis incolis.* & Manuel *tom.1. summæ cap.38.num.3.* his verbis: *Hoc relinquitur arbitrio prudentis, qui debet considerare magnitudinem montis, & quid similes personæ ad vsus suos soleant scindere.* Et P.D. Enriquez à me consultus Granatæ anno 1579. censuit scindere vnicam sarcinam lignorum singulis diebus vsibus suis non esse peccatum, etiamsi scindens sit diues, & possit illam emere; dummodo non scindantur arbores, sed rami: nec similiter esse peccatum duas scindere sarcinas singulis hebdomadis ad vendendum.

26 Vnde non est vniuersaliter verum, quod ait Cord. *d.q.71.* esse notabilem quantitatem, quando quis cædit ligna grossiora ad fabricandas domos: sed dicendum est, quòd si sylua est lata, & patens, & respublica solet conniuere suis ciuibus, vt accipiant ad fabricandas domos necessarias, non superbas, non reputatur notabilis quantitas, secus si sylua sit modica. Sic Ludouic. Lopez proximè citatus *d.c.149 concluf.3.* & 4.

27 Quintò nota, quòd quando oppidanus facit damnum notabile in sylua communi, & sic tenetur restituere, non tenetur integrè, quia partem poterat cædere, sed incrementum damni supra id quod poterat scindere tenetur restituere. Sic P.Molina *1.tom.de iust. tract.2. disp. 58.concluf.3.* Cord. *summa q.71.* Manuel *1.tom.summæ cap. 38.num.4.* Addit P.Molina, *non esse restituendum quantum valent ligna iam scissa, & asportata; sed quantum valent in ipsa sylua, antequam scindantur: si tamen damnum illatum longè maius sit, quam valor lignorum cæsorum, & asportatorum, eo quod noua plantæ scissa sint, aut aliqua alia ratione, tunc in restitutione faciendo ad latitudinem damni dati est respiciendum, non verò ad lignorum cæsorum valorem.* Hæc P.Molina.

28 Sextò nota quòd aliqui limitant, quòd dans damnum notabile in sylua communi, teneatur restituere, nisi id compenset pœna pecuniaria, quam soluit, quæ scilicet æqualis est damno. Sic Cord. *sum.q.71* Lud.Lop. *d.c.149. concl.4.* Sed hoc intelligi debet, quando communitas læsa sola pœna contenta est, quia scilicet à tali inferente dãnum solam pœnam exigit, aliàs vltra pœnam tenetur damnum restituere: vt in quibusuis aliis delictis contingit, maximè cùm pœna non cedat in commodum communitatis, sed pars sit iudici, & pars denunciatori. Sic colligitur ex P.Molina *d. disp.58. concl.3.* vbi in eo solo casu excusat hunc à damni restitutione, quando communiter sola pœnæ solutione contenta est.

29 Septimò nota, quòd vsus pascuorum, lignorum, & terminorum syluæ communis debet esse pro indigentia cuiuscunque vicini, taliter quòd vsus communis sit pauperi, vt pauperi, diuiti vt diuiti. Ita probatur *l.9.tit.18. part.3.* ibi, *Tambien à los pobres, como à los ricos.* & tenent multi, quos refert ac sequitur Auendaño *capit. 4. Prætor, num.25.versf. Istud autem.* Burgos *1. part. l. 3. Tauri*

*n.*59. Gregor. Lopez *ea l.9.verf.Como à los.* Quod tamen intelligè, quando vſus paſcuorum, & terminorum ſufficeret omnibus, ſi enim non ſat eſſet, non licebit diuitibus pro eorum indigentia: ſed ita vt aliis præiudicium non fiat; & ita poſſent pauperes adire iudicem, vt taxet diuitibus numerum pecorum, ita quòd omnes poſſint vti paſcuis, & non diuites cum iniuria aliorum. Sic Gregor. Lopez *ibi*, Burgos, *ibi n.*509. vbi textus, & alios Doctores referunt.

30 Quis verò dicatur incola oppidi, vt poſſit frui ſylua communi, dicam *infra* ſub hoc eodem dubio.

31 At dubium eſt potiſſimum, quando ſylua eſt prorſus aliena, quia ſcilicet eſt alterius oppidi non vicini, vel ſi vicini, non participant mutuò vicini ligna vtriuſque oppidi ſyluæ; quia forſan aliud oppidum ſyluam non habet, vel ſylua eſt alicuius priuati, an ſcindens ligna ex tali ſylua, peccet mortaliter, & teneatur reſtituere.

Duplex eſt ſententia.

32 Prima dicit teneri reſtituere: ratio, quia res illa eſt aliena, poteſt enim dominus vendere, vel locare ſciſionem arborum, & paſtum illius agri, quod vtique non poſſet, niſi eſſet dominus. Quòd ſi opponas, quòd venans ex nemore alieni domini ipſo inuito, quando induſtria humana non eſt circundatum, non tenetur reſtituere; ergo nec cædens ligna. Reſpondetur diuerſam eſſe rationem, quia cùm feræ nemoris illius liberæ ſint ad egrediẽdum, ſub nullius ſunt dominio; at arborum, & herbarum, cùm firmas radices habeant in ſolo, eo quòd quis eſt dominus ſoli, habet dominium, vt benè probat P. Molina *tom.1.de iuſt.tract.2.diſp.57.fol.375. & diſp.59.fol.385.* Couarr. & Nauar, *vbi infa.* Hanc tenent Soto *lib.4.de iuſt. q.6.art.4.verſ.Dubium autem.* Ledeſm.2.4.q.18.*art.3.fol.* 259.*pag.*3. Aragon 2.2.*quæſt.*62.*art.*3.*fol.*236.*pag.*1.*concluſ.*4. Anglez *floribus* 2 *p. materia de reſtit. q. de cadentibus ligna*, *fol.*236. Cord. *ſumma quæſt.*71. Ludou. Lopez 1.*p.inſtruct.noui.c.*149.*fol.*338. & addit idem eſſe, quando pertinet ad propria ciuitatis nemus, & non ad communia. Palacios *lib.3.de contract.c.9.fol.*165 *pag.*1. Metina C.*de reſtitut.q.*12.§.*eſt tamen dubitatio, in fine*. Caſtro *lib.*1.*de lege pœnali, cap.*10.*corol.*1. Mercado *lib.6. de contract.c.*16.*fol.*202.*pag.*1. Auendaño *C. Prætorum, lib.*1.*c.*4. *num.*28.*initio & verſ.ſed mihi aliter.* Manuel *tom.*1. *ſummæ, c.*38.*n.*2. Perez *prælectiu ordinam.q.*10. P. Molina *tom.*1. *de iuſt.tract.*2.*diſp.*58.*pag.*378. *& ſequenti.* facit Couarr. *quæſt.pract.c.*37.*num.*2. vbi latè probat dominum ſoli habere dominium herbarum, & lignorum: & facit etiam Nauarra *lib.*3.*de reſtit.c.*1. *n.*300. vbi dicit non eſſe eandem rationem de feris nutritis in nemore, & de herba, & lignis quia hi fructus iam ſunt apprehenſi, & appropriati, quòd de feris liberis ſecus eſt dicendum.

33 Nota primò, quòd aliqui ex his doctoribus limitant hanc ſententiam, niſi ex præſumpta voluntate domini colligatur nolle reſtitutionem, ſed ſola pœna contentum eſſe: quòd ex vſu deprehenditur. Vnde ſi quando aliquis deprehenditur, ſolùm ſolet exigi ab eo pœna, non verò aliquid vlterius pro damno daro, & is nihil amplius pro damno tenetur reſtituere. Sic Mvtina, Ludouic. Lopez, P. Molina *ibi pag.*379. Soto, Ledeſm. *ibi.* Addit P. Molina, quòd ſi non deprehendatur, tenetur reſtituere damnum; niſi præſumptio ſit oppoſitæ voluntatis domini; at ceſſaret hæc obligatio, quando dominus ſciret, qui cædant ligna, & tamen ſuſtineret, vel ſaltem damnum nullum exigeret, eſto grauiter queratur, & minas iaceat.

34 Secundò nota, quòd hæc ſententia idem omnino dicit de paſcente ſua pecora in paſcuis veritis, quod de ſcindente ligna: vnde tenet, quòd qui communitatis loca ſibi cum aliis ad paſtum communia depaſcit contra prohibitionem, non tenetur reſtituere, ſed tantùm ad pœnam, ſi damnetur: niſi damnum valdè notabile inferat: & idem ſi qui ſunt ex vicinis oppidis, mutuò depaſcere ſoleant communia oppidorum paſcua: at ſi aliena ſint paſcua, tenetur paſcens reſtituere, & peccat mortaliter: & probant Doctores huius ſententiæ iiſdem rationibus. Sic P. Molina *ibi diſp.*59.*concluſ.*2. *&* 6. Sotus & Ledeſm. *ibidem.* Ludouic. Lopez *d. c.*149. *fine.* Angles *ibi fol.*236. Metina *illo §.eſt tamen dubitatio, in fine*, Caſtro & Auendaño *ibi.*

35 Secunda ſententia ſatis probabilis (licèt prima probabilior ſit) tenet cædentem ligna ex tali nemore proprio alicuius communitatis, vel priuati, quando ab ipſo non eſt plantarum, vel à ſuis maioribus, nec peccare, nec teneri reſtituere, niſi magnam ſtragem faciat, ſed tantùm ad pœnam poſt iudicis ſententiam; ſicut diximus de cædentibus ligna ex ſylua communi. Probatur primò, quia nec Rex, nec reſpublica transferens ſyluam in illum priuatum, dedit illi maius ius, quàm ipſe Rex, vel reſpublica habebat: at quando ſylua erat communitatis, cædentes tantùm tenebantur ad pœnam: ergo. Secundò, quia ſi à principio, quando facta eſt diuiſio, & appropriatio rerum, facta eſſet ſub hac conditione, vt ſi aliquis cæderet ligna in prædictis ſyluis, non teneretur reſtituere, ſed tantùm ad pœnam poſt ſententiam iudicis, proculdùbio haberet verum hæc ſententia, ac talis conditio videtur appoſita à principio diuiſionis rerum, vel poſtea, vt patet ex vſu, nam (vt dicit Nauar. *vbi infra*) conſuetudo ferè vbique terrarum eſt, vt id liceat abſque peccato, & reſtitutione cum obligatione ſubeundi pœnam, ſi deprehendatur. Et P. Molina autor contrariæ ſententiæ *diſput.* 58. *pag.* 379. fatetur regulariter cædentes ſolùm damnari ad pœnam, non autem ad reſtitutionem damni; ergo. Nec obſtat quòd dominus poſſit vendere licentiam paſcendi, & cædendi ligna, quia vendit, vel locat ius quod habet, nempe, quòd impune id poſſint facere, ſicut etiam poteſt vendere ius venandi in ſuo fundo non circundato, cùm tamen ſecundùm omnes non ſit dominus ferarum. Sic tenent Nauar. *in tract. de lege pœnali*, qui habetur in fine conſiliorum antiquorum Nauarri *à num.* 33. *vſque ad* 40. Salon 2.2. *quæſt.*62. *art.*3. *fol.*747. *& ſequenti.* Bañes *dub.*4. Enriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*35. *num.* 7. iuncto commento *littera C.* & nonnulli docti recentiores magiſtri.

36 Hanc ſententiam limita, niſi nemus humana induſtria eſſet circundatum, tunc enim ſcindens ex eo ligna tenetur reſtituere: quod certiſſimum eſt. nam feras in tali nemore tenetur ſecundùm omnes reſtituere, & tamen conſtat minus dominium habere in feras, quam in arbores. & ſic fatetur Salon *ibi fol* 748. *concl.*4. *&* 749. *concl. vltima, &* 750. *verſ.eodem modo*, & tanquam certum ponit Palacios *lib.2.de contract.c.9.fol.*162. *pag.*2. *verſ.Prima ſit concluſio.* Bañes, & Enriquez *ibi*, & nonnulli docti iuniores.

37 Secundò nota, idem quod dictum eſt in hac ſecunda ſententia, de ſcindente ligna in nemore alieni domini non circundato, ſcilicet non peccare, nec teneri reſtituere, niſi magnam ſtragem faciat, dicendum eſt de intromittente pecora ad paſcendum in prata non circundata alicuius communitatis, vel priuati, patet iiſdem rationibus, & tenent Nauarr. Salon *concluſ. vltima fol.* 749. Bañes *ibi* & docti neoterici.

38 Tertiò nota, idem omnino eſſe de fructibus arborum ſylueſtrium: vbi enim licet ſine peccato, & obligatione reſtituendi cædere ligna licebit à fortiori colligere hos fructus, vt glandes, &c. quia eadem militat ratio; immo maioris pretij ſunt ipſa ligna. Sic Salon *ibi concluſ.* 5. *fol.* 749. Bañes *ibi*, & nonnulli docti iuniores magiſtri.

39 Tertium dubium ſit, an domini oppidorum poſſint frui paſcuis communitatis, ciuſque ſylua, ſcindendo ex ea ligna ad ſuos vſus quotidianos, ac intromittendo ſua pecora in paſcua communitatis.

40 Sit prima concluſio: dominus alicuius oppidi, villæ, & caſtri habens in eo iuriſdictionem etiam ciuilem, & criminalem, nullum habet ex hoc iure dominium in paſcuis,



paſcuis, & nemoribus publicis illius: ſed hæc pertinent ad vniuerſitatem, & ſub eius dominio cenſetur. Sic multas leges, & multos Doctores allegans tenet Couar. *quæſt. pract.cap.*37.*num.*1. Molina *tomo* 1.*de iuſt. tract.*2. *diſp.* 59.*pag.*382.383. Valaſcus latè probans, *de iure emphyteotico.q.*8.*num.*40. per plures Palacios *lib.* 2. *de contract. cap.*9.*propè finem.fol.*165 vnde (inquit) dominus emens à Rege hæc oppida, non emit eo ipſo hæc communia oppidi bona, ſed iuriſdictionem, & tributa Regi debita.

41 Secunda concluſio: ſi dominus non ſit incola, ſeu habitator oppidi, cuius dominium habet, non poteſt frui paſcuis, vel ſylua illius oppidi, ſicut nec alij extranei. Ratio, quia hæc ad habitatores tantùm pertinent, non ad originarios, ſi alibi domicilium habent; vt patet ex l. 9. tit.28, part.3. *Ca todo home, que fuere morador, puede vſar de todas eſtas coſas dichas.* & tenet ibi Greg. Lopez *verſic. Como a los. Nec poteſt* (inquit Greg. Lopez) *dicere contra regulas iuris communis ſe in pluribus locis habere domicilium, cum ibi non ſe æqualiter collocet. Nec obſtat quod dicit gloſſa, & Immola c.* omnes Principes de maior. & obedien. *quod ſcilicet, Principes dicuntur habere tot domicilia, quot terras habent ad eorum manſionè paratas, licèt in vna parte habeant principalius domicilium: quia loquuntur aliis reſpectibus, & non in tangentibus commodum, in his enim inſpiciendus eſt locus, vbi inhabitat, & principalem larem habent, vt ibi declarat Innocentius.* Hæc Gregorius Lopez. & idem quòd ſcilicet requiratur ibi habitare, tenent etiam Auendaño *lib.*1. *Prætorum, c.*4. *num.*25. Cou. *quæſtio. pract. c.*37. *num.*1. Manuel *tom.*1. *ſummæ cap.*38. *num.*4. Cord. *ſumma quæſt.*118. Ludouic. Lopez 1.*p.inſtruct.noui c.*150. Burgos de Paz relatè ad vtramque partem diſputata 1. *p.legis.*3. *Tauri à num.*432. tenent hoc *num.*492.509.510. quod ampliat Greg. Lopez *ibi*, & Burgos *ibi n.*492. licèt monaſterium, vel Eccleſia habeat dominium talis loci, tantum enim habet ius ciuis vbi eſt ſituata, & refert Greg. Lopez *ibi* ad hoc Bartolum.

42 Limita concluſionem, niſi domini à tempore immemorabili vſi fuerint paſcuis, nemoribus ac montibus ſuorum oppidorum, licèt in illis non inhabitarent; & hoc in terris, in quibus ea conſuetudo inualuit, & non in aliis; Burgos alios referens *ibi num.* 493. 509. 510. vbi addit conſuetudinem hanc nouiſſimis pleriſque ſententiis iam eſſe intermiſſam.

43 Hinc fit, quòd incola, ſeu habitator ad hunc effectum vt poſſit frui paſcuis, & ſylua oppidi, dicitur qui cum familia inibi habitat focum ibi faciens, & omnia alia quæ incolæ ibi facere conſueuerunt. *l.*1.*§.habitare ff. de his qui deiec.* Baldus multos referens, quem refert, ac ſequitur Burgos *ibi n.*464 461.466.

44 Nota primò, non fas eſſe, vt dicatur incola eſſe originarium loci, niſi ibi habitet, vt probaui *ſupra hoc tertio dubio, §.ſecunda concluſio.* Nec quòd habeatur, ac ſi eſſet vicinus, hoc enim operabitur alios affectus: at licèt actu non commoretur, ſi tamen habeat ibi ſuum domicilium cum omnibus bonis ſuis, morari videbitur, & vt incola reputabitur; vt bene Bart. *l.*1. §.1. *num.*7. *ff de lib.agnoſc.* Hæc Auendaño *lib.*1. *Prætorum, c.*4. *num.* 25. in nouiter ſuperadditis.

45 Secundò nota, quòd incolarum nomen hac in re non eſt ſumendum latè propter damnum, quod veris habitatoribus imminet. Sic Couarr. *q.pract.c.*37.*n.*1.

46 An verò ſi vicinus eximitur à ciuitate quoad iuriſdictionem, & ſubiicitur alicui domino, vel coronæ regiæ, poſſit vti paſcuis, & communi nemore ciuitatis, & habere officia ſolita diſtribui inter ciues, conſule Couar. *dicto cap* 37.*n.*7.

47 Tertia concluſio. Talis dominus ſi habitet in ſuo oppido, poteſt vti paſcuis publicis, & nemore oppidi vt habitator & incola illius loci: patet, quia non debet eſſe peioris conditionis, quàm alij incolæ. Sic Cou. *eo cap.* 37.*n.*1. P. Molina *ea diſput.*59.*concluſ.*3. *&* 4. Manuel. Cord. Ludouic. Lopez, Greg. Lopez Auendaño, Burgos *n.*507.508. citati in ſecunda concluſ. Palacios *lib.* 2. *de conract.c.*9. *prope finem.*

48 At dubium eſt, an poſſit vti paſcuis, & nemore communi, vt quilibet priuatus ciuis, vel pro ſua indigentia. P. Molina *illa diſp.*59.*concl.*3. *&* 4. dicit, quòd poteſt vti in ſuo gradu, & ordine, ita vt non excedat proportionalem cum aliis de populo æqualitatem, id eſt, vt non multũ excedat alios in vſu paſcuorum, & ſyluæ. Cou. *eo c.*37. *n.*1. ſic dicit; Poteſt vti eo numero pecudum, qui ſit arbitrio boni viri moderatus iuxta territorij, & paſcuorum; qualitatem, ita vt maximè attendenda ſit hac in re vicinorum aliorum læſio. Manuel. Cord. Ludou. Lop. citati in ſecunda concluſione, dicunt poſſe vti iuxta ſuam indigentiam.

49 At apud prætoria Hiſpana ex forenſi vſu receptum eſt, poſſe dominum tot propria animalia in paſcua intromittere, quot poſſunt duo vicini, quibus lege, vel moribus plura immittere licebit. Sic Manuel *2.tomo c.*20. *n.*1. Cou. *ibi*, Ludou. Lopez, Greg Lopez vbi citati ſunt in ſecunda concluſione, & Palacios *lib.*2. *de contract.c.*9. dicit poſt longam litem ſic deciſum eſſe ſententia. Et P. Molina *d. diſp.*59. *concl.*3. limitans cùm Greg. Lopez *l.*9. *tit.*28. *part.*3 *verſ.como, in fine.* & Auend. *lib.*1. *Prætorum, c.*4. *num.* 25. *verſ.immo etiam.* quando ſpectatis cæteris circunſtantiis non ſequitur inde notabile grauamen populo, quale eſſet paſcua pecoribus commmunitatis non ſufficere, ſi domino concedatur duplum pecorum immittere, tunc enim minuere teneretur numerum, vt omnibus de populo ſufficeret.

50 At Burgos de Paz 1.*p.legis* 3 *Tauri n.*507.508.509. licèt fateatur hanc praxim, cenſet tamen verius eſſe pro eorum dominorum indigentia poſſe vti paſcuis, & ſylua communi, tum quia (vt diximus) generale eſt, quòd quilibet pro ſua indigentia poſſit vti tum etiam, quia minus concederetur dominis quàm eorum vaſallis, quia proportionaliter cuilibet vaſallo plus eſt vnica portio, quàm domino duæ: at *n.*509. dicit hoc faciendum eſſe ſine iniuria aliorum: nam ſi non ſat eſſent domino, & aliis, non pro ſua indigentia poſſet vti, ſed taliter vt aliis non fieret iniuria.

51 Quarta concluſio: ſi dominus oppidi in paſcuis communibus, vel ſylua populi communi damnum notabile dederit, tenetur reſtituere, non ſecus, ac de quolibet priuato diximus. Sic Manuel. Cord. Ludou. Lopez citati in ſecunda concluſione P. Molina *d. diſput.*59. *concl.*5. vbi addit, non excuſari, ſi communitas non petit, quia non audet: nec ex eo quod remittat, niſi remiſſio ſit omnino libera, hoc idem Manuel *2.tom.c.*20. *n.*1.

52 Hinc fit, quòd ſi dominus oppidi depaſcat loca deputata pecoribus eius, cum quo contractus eſt initus, vt certo pretio carnes neceſſarias populo vendat, qui ob hoc obligatus eſt ad id, huic facienda eſt reſtitutio; ſi verò quia ille expetimento didicit dominum oppidi paſcere ea paſcua ſibi peculiari pacto aſcripta ea de cauſa ſequentibus annis pretium carnium auxit, ſanè dominus oppidi reſtituere tenetur oppidanis damnum illius incrementi; & ſi ob id, quòd ea paſcua occupat, quæ locanda erant ad ſumptus aliquos publicos, in cauſa ſit, vt vel minori pretio, vel nullo locentur, tenetur id damnum communitati reſtituere: quòd ſi conſueto pretio eſſent locata, damnum reſtitui debet ei, qui habet illa conducta: quòd ſi ob id damnum aliis oppidanis inferat, vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis, id totum vnicuique eorum reſtituere tenetur; niſi emiſſione omnino libera remittatur. Hæc P. Molina *ea diſput.*59. *concl* 5 Manuel *2.tom.c.*20. *num.* 1. dicit etiam quòd in hoc caſu tenetur reſtituere.

53 Vltima concluſio: ſi dominus oppidi ſuis pecoribus damnum inferat priuatorum prædiis, tenetur totum reſtituere, eſto ipſe non ſit in culpa, ſed paſtores, vel quando nulla eſt culpa, tradere pecora: poteſt tamen cogere paſtores, qui fuerunt in culpa, vt reſtituant; at ipſis non reſtituentibus, tenetur dominus. Patet, quia ad hoc quilibet priuatus tenetur, quia tamen oppidani

Universidad de Navarra Biblioteca

sæpe,ne dominum infestum habeant, aut ex verecundia non audent de his damnis conqueri, & cum illo expostulare,eaque exigere,tenentur domini in suis locis, cùm verisimile est sua pecora damnum dare: id diligenter inquirere, vel ex pastoribus ipsis iureiurando interposito, vel promulgatione in Ecclesiis oppidi facta, vt qui damnum aliquod fuerit passus,illud parocho detegat, aut alteri,vt ipsi integrè soluatur. Sic P. Molina *d. disp.59. concluſ.5.*Ludouic. Lopez, & Cord. vbi in secunda conclus. citati sunt.

## DVBIVM II.

*An iudex,cui custodes agri aliquod damnum denunciant si id ille notificari non facit parti damnificatæ, vt sibi satisfieri exposcat,sed solum damnat ad pœnam, tenebitur cõpensare parti damnum,vel hoc illi notificari facere, vt satisfactionem petat.*

1 QVòd non teneatur facit quia iudex argui nequit de negligentia, nisi fuerit requisitus à parte, vt bene Matienzo *lib.5.recopil.tit. 7.l.10.glos.12.num.2.* & multos referens Auiles *c.1.*Prætor *glos.fiel.num.43.*& expresè colligitur ex *l.vt fundus.ff.communi diuidundo,*vbi sic dicitur:*vt fundus hæreditarius fudo non hereditario seruiat: arbiter disponere non potest,quia vltra id,quod in iudicium deductum est,excedere potestas iudicis non potest.*Item facit,quia officium iudicis non procedit sine partis petitione,*l.4 §.hoc autem iudicium, ff.de damno infecto*, adeò vt si iudex aliquid debeat facere, intelligitur, si à parte petatur, vt latissimè multis citatis prosequitur Grat. *reg.* 329.ergo cũ pars hîc nihil petat, ad nihil tenetur iudex.

2 Cæterùm dicendum est teneri iudicem facere intimari parti vt exigat,si velit damnum. Probatur, quia iudex videns damnum inferri, & non impediens, tenetur restituere,quia tenebatur ex iustitia impedire, vt docent omnes Doctores de non obstante, & tacente. Sed aliquis respondere poterit hoc locum habere, antequam damnum fiat. Hoc non obstat, quia damnum dum non reparatur,semper est in fieri, & semper alter dicitur fur, & inferre damnum, & sic cùm iudex teneatur ex officio impedire damna,& hoc est damnum, quod parti fit, vidente,& sciente iudice,& non impediente, vel intimante parti ad hoc vt exigat, dicendum est teneri restituere; & sic Nauarra *lib.3.de restit.c.4.num.* 121.dicit teneri restituere ministrum iustitiæ non impedientem damnum postquam datum est,vel non admonentem, vt recuperetur. Et Nau.in omnibus summis *c.17.num.136.* dicit iudicem,qui non facit parti damnum restitui, teneri restituere. Secundò probatur, quia respublica custodes non ponit ob iudicum, vel custodum emolumentum, qui duas tertias partes accipiunt;sed ad euitanda damna,quæ particularibus in suis prædiis inferuntur: ergo iudex ex officio tenetur curare,vt quitentur,puniendo delinquentes,& intimando parti, vt petat satisfactionem. Tertiò, quia minus delinquit custos, qui damnum inferentem non denuntiat,quàm iudex, qui contra talem denunciatum non procedit; & tamen de custode fatentur omnes teneri refarcire damnum illatum parti læsæ, licèt de pœna sint opiniones;ergo à fortiori iudex, qui non adhibet diligentiam,vt hic restituat damnum, tenebitur ad damnum.Nec obstant adducta in contrarium, quia hic iudex non procedit ex officio,sed requisitus à custode, cui vices suas commisit respublica ad denunciandum damna; & hoc duplici fine. Primus, & potissimus, vt damna reficerentur, & vitarentur in posterum. Secundus accessorius, vt delinquens puniatur, vt sic timore pœnæ cesset à damno Non obstat etiam secundum argumentum, quia hîc non dicimus quòd iudex teneatur facere, vt parti satisfiat,hoc illa non perente, sed tantùm vt illi intimetur;efficere, vt si satisfactionem voluerit, exposcat. Sic etiam visum est cuidam Iurisperito admodum docto, quem ego consului.

3 Secundò dico,quòd si iudex bona fide omisit hactenus facere prædicta m intimationem,eo quòd videret in praxi obseruari illam non fieri,aut quia eius Assessor, vel Iurisperiti sic illi consuluerunt, tenetur nunc circa præterita remedium adhibere, faciendo nunc partibus intimari,vt si voluerint, exposcant; in casu verò, quo hoc efficere non possit, eo quòd scire non potest, quæ sint partes damnificatæ, excusabitur à restitutione ratione bonæ fidei, sicut in simili dicit Salon 2. 2. *q. 62. art.7. contr.5.pag.*906 de iudice remittente pœnam, ad quam tenebatur damnare credens bona fide, non ob id teneri eam restituere:& ratio est, quia hic non teuetur ratione rei acceptæ,cùm nil habeat apud se,nec factus sit ditior, nec ratione iniustæ acceptionis, ab ea enim excusauit bona fides.

## DVBIVM III.

*An teneatur dominus de damno dato per proprium seruum vel per propria animalia extra omnem domus culpam.*

1 SVpponendum est quid iure statutum sit in hoc,est enim statutum,quòd si culpa domini animal damnum dedit,tenetur dominus totum damnum refarcire;& similiter, quando seruus culpa domini damnum dederit, tenetur dominus totum damnum refarcire:quando verò sine culpa domini,tenetur dominus dare animal, vel seruum, vel soluere damnum; ita quòd in hoc casu licèt damnum sit multo maius,satisfaciat dominus,qui in nulla fuit culpa tradendo animal, vel seruum:& hæc appellatur actio pauperiei; quando verò interuenit culpa, dicitur actio noxalis. Sic expresè de seruo disponitur, quando furatur,vel quoduis aliud damnum dat, *Instit. de noxal.action.§.1.& l.si seruus.C.de noxal.action.& l.2.ff.de noxal & l.4.tit.13.part.7.& l.5.tit.15.part.7.*De damno autem dato per animalia habetur *c.finali,de iniur.& damno dato,& Instit.si quadrupes pauper.fecisse dicatur.§.1.& l.1.ff.eodem tit.*§.1.vbi expresè dicit idem esse, siue quadrupes corpore suo, siue media alia re, quam tetigit, ponitur ibi exemplum culpæ hominis, vt si propter loci iniquitatem(glos.*vers.iniquitatem.*id est, asperitatem, & duritiem, & sic culpa hominis vehentis) aut si plus iusto onerata bestia in aliquem onus euerterit. Et aduertes quòd licèt illa lex 1.dum dicit teneri dare animal, vel soluere damnum, videatur ponere exemplum, quando dominus est in culpa,exemplum enim est,vt si equus calcitrosus calce petierit,vel bos cornuperere solitus, &c. at reuera ibi loquitur lex,quando dominus in nulla est culpa,quia talis equus, & bos damnum dant contra naturam,& consuetudinem sui generis, licèt sua consuetudo talis sit, vt bene explicat Rosel. *restitutio 13.num.11.* & clarè constat ex lege illa, quia postea subdit, *quod si propter loci iniquitatem*; vbi,vt explicui, agit,quando interuenit culpa hominis. Qualis autem culpa domini debeat esse, vt teneatur soluere integrum damnum, dic, quòd eadem, quæ requiritur, vt damnificantes alij teneantur,nempè lata culpa,vt bene Nauarra *lib.2. de rest. c.1.num.65 fol.*40.

2 Hinc venit intelligendum *c.si bos,de iniur. & damno dato,* vbi dicitur, quòd si meus bos occidit alienum,teneor dare bouem æquiualentem viuo, & capiam mihi cadauer:hoc enim intelligitur, quando dominus fuit in culpa, vt pater ex textu, vbi ponderatur, quòd erat cornupeta ab heri,& nudiustertius, & dominus non custodiuit:& sic explicat glossa *ibi vers.Non custodiuit*, & Panor.*ibi.*Sylu.*restitutio 3.q.4.*Rosel.*restitutio 13.num.11.* quare si dominus non fuit in culpa, satisfaciet reddendo bouem,qui læsit,vel soluendo damnum, iuxta dicta. Sic Sylu.Rosel.& Panor,*ibi.*

3 Hoc ergo supposito,dubium graue est, an dispositio hæc iuris canonici,& ciuilis tantùm habeat locum in foro externo,& præcedente iudicis sententia, vel etiam in foro





foro conscientiæ ante omnem sententiam,id est, an dominus serui,vel animalis damnificantis absque culpa domini, teneatur in foro conscientiæ, vel soluere damni æstimationem,vel tradere animal, aut seruum, si apud ipsum sit,pro damno illo: nam quando dominus fuit in culpa, quòd teneatur in foro conscientiæ ad damnum, certum est apud omnes.

Duplex est sententia.

4 Prima docet hoc non habere locum in foro conscientiæ, sed tantùm dari actionem in foro externo aduersùs dominum animalis,aut serui, & sic ad nihil tenebitur, donec condemnetur. Probatur primò, quia talis dominus non tenetur ratione iniustæ acceptionis, vt patet,cùm omni culpa vacarit;nec ratione rei acceptæ, cùm nihil alienum habeat,nec ex re aliena factus sit locupletior;ergo non tenetur restituere. Secundò, quia non est maior ratio de rebus inanimatis, quàm de sensibilibus animalibus,cùm vtraque sint prorsus culpæ expertia, & incapacia,& vtraque quidquid acquirunt,domino acquirunt,vt patet de domo locata:& tamen si insensibilia citra culpam domini damnificent,vt si domus corruës perimat hominem,dominus ad nihil tenetur; ergo. Et confirmatur,quia etiam filiusfamilias acquirit patri, & religiosus religioni, & tamen pater non tenetur de damno dato per filium,vt habetur *Instit.de noxal.§.finali,& l.5. tit.15.part.7.*& tamen Sylues.*restitutio 2.vers.* 16. tenet, nec religio tenetur de damno dato per religiosum. Ergo licèt seruus,& animal acquirant domino,non tenetur dominus de damno illato per illa. Tertiò,quia iniustum videtur punire dominum in re sua, nempe, vt teneatur perdere animal,vel seruum suum,cùm omnino inculpatus sit.Quartò,quia D. August.*ad Publicolam* inquit,Absit,vt ea, quæ propter bonum, aut licitum habemus, si quid per hæc contra nostram voluntatem cuique mali contigerit, nobis imputetur: aut ideo non debent boues Christiani habere cornua,&c.Hanc tenent Angles *floribus 2.p.*materia *de restitut.fol.*163. & aliqui docti Lusitani Societatis Iesu, dicentes esse leges pœnales. Nauarra *lib.2.de restit.c.1.à num.35.fol.*30.*vsque ad num.* 42. *fol.* 33.Vega *lib.1.summæ casu* 213.Enriq *lib.13.de excomm.c.* 17.*in commento.fine.*Rosell. *restitutio 13.num.* 15. vbi dicit,quòd hæc actio pauperiei procedit tantùm in foro externo, quia in foro conscientiæ tantùm tenetur dominus, quando est in dolo, vel lata culpa: & videtur tenere Ang.*restitutio 1.§.quid de tenentibus columbas*, vbi dicit dominum columbatij debitè pascentem columbas non teneri de damno per illas illato. Et videtur tenere Sylu. *restitutio* 2.§.17. nam postquam dixerat dominum, qui est in culpa,teneri de damno; quando verò vacat culpa, teneri damnum reficere,vel tradere animal, subdit hæc. *Sed in foro conscientiæ non tenetur quis in huiusmodi,nisi de dolo*, & *lata culpa.* Sed reuera non est huius sententiæ Sylu.sed hoc dictum correspondet iis, quæ præmiserat, nempe de qua culpa teneatur damnificans culpa sua, vt proiiciens regulam, &c. Et quia retulerat aliquos dicentes teneri de leuissima, subdit id posse esse verum in foro externo, at in foro conscientiæ tantùm tenetur de dolo, & lata culpa. Et patet hoc,quia postea *verb. restitutio* 3. *q.4.* repetit damnificantem per seruos, vel animalia inculpatè teneri ad damnum, vel tradere seruum, aut animalia. Et *ibi dicto* 3. tenet contra Angelum,quòd dominus debitè pascens suas columbas, tenetur de damno per illas illato,vel tradere columbas,licèt in nulla sit culpa.

5 Secunda sententia docet has leges obligare in conscientia ante iudicis sententiam, & sic teneri dominum dare animal, aut seruum, vel soluere damni æstimationem. Quæ sententia, vt simul probetur, & explicetur, oportet notare aliqua, vt sciatur cui fundamento innitantur leges hoc disponentes.

6 Primò ergo nota has leges hypothecare, seu obligare seruum,vel animal illud pro noxa, & sic manet realiter obligatum,vt constat ex *l.1.ff.si quadrupes paup. fec. dicatur.§.& cùm etiam.* vbi dicitur, quòd hæc actio pauperiei sequitur ipsum animal damnificans: quare si transeat in tertium possessorem, aduersùs illum datur hæc actio ratione animalis,quod possidet. Et clariùs *Institut. de noxalibus*, §. *omnis autem*, vbi hæc verba habentur: *omnis autem noxalis actio caput sequitur, nam si seruus tuus noxam commiserit, quandiu in tua potestate sit,tecum est actio:si autem in alterius potestatem peruenerit, cum illo incipit actio esse:at si manumissus fuerit,ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio.* Hæc ibi; ecce quàm clarè sit hæc hypotheca.

7 Hinc fit, quòd si fera, quæ mea existens damnum dedit,iam euasit,cùm desierim esse dominus illius, & ratione rei possessæ tantùm tenebar,ad nil teneor, quando me inculpato damnificauerat. Sic habetur *Institut.si quadrupes.§.1.& l.1.ff.eodem.tit.*

8 Hinc secundò fit non teneri dominum quærere seruum,vel animal,si fugerit, & in læsi potestatem mittere, sed sat est,si animal, vel seruum deferat, vt ex eo læsus reparationem accipiat; secus contrà si apud se detineret. Sic Nauarra *lib.2.de restit.c.1.n.35. fol.*30. Vega *lib.5.summæ casu* 213.

9 Secundò nota has leges fundari in culpa ficta animalis, licèt enim incapax veræ culpæ sit, at fingit in eo ius culpam, quando scilicet animal sua sponte, & non instigatum ab alio damnum dat: quo casu, si veræ culpæ capax esset; veram culpam contraheret, & sic in eo ponit,seu fingit ius culpam, quæ culpa ficta in causa est, vt maneat obligatum. seu hypotheecatum animal pro eo damno. Probatur, quia quoties alter est in culpa, quòd animal hoc damnum inferat, ad nil tenebitur dominus animalis, sed qui causam damni dedit, vt expresè habetur *l.1.ff.si quadrupes pauper.* vbi dicit lex quòd si equus dolore concitatus (id est, ab aliquo alio, vt dicit ibi glossa, *vers.concitatus*) calce petierit ( glossa *vers.percusserit*,inquit, & sic culpa est in homine) cessabit hæc actio, & tenebitur is, qui equum percusserit; & si instigatu alterius fera damnum dedit, cessabit hæc actio: & si canis cùm duceretur per viam, sua feritate euaserit, & damnificarit, si contineri firmiùs à ducente potuit, vel per eum locum non duci debuit, cessabit hæc actio,& tenebitur qui canem ducebat: secus si cùm equum permulsit quis, vel calcatus est, calce eum percusserit,quia tunc erit actioni locus,vbi glossa *vers. permulsit*,ait,quia hæc non est culpa permulcentis, vel palpantis. Hæc illa lex, in qua clarè, quando alter est in culpa,excusatur animal à culpa ficta, & per consequens etiam dominus animalis, Et tenet *ibi* glos. *vers. iniuriæ.* Idem Hostiens. *summa tit. de pauperie, num.* 3. immo quando animal tuum incitauit meum,& læsit meum me, vel alium, læsus potest agere contra te, quia tuum animal fuit in culpa. Sic habetur expresè *l. illa* 1. & tenet Rosell.*restitutio* 13. *num.* 12. Speculator 4. *part.tit. de iniuriis.*§. 2. *num.* 14. Item quia ob id, quando quoddam animal alterum aggreditur, si pereat aggrediens, ad nil tenetur dominus aggressi, vt disponitur *eadem l.1.vers.cum arietes*, quia dominus aggressi ad nil tenetur, eo quòd culpa fuit aggredientis, & suum animal aggressum vacauit culpa. Immo stante dabio, quòd aggressum fuerit, neuter dominus ad damnum, nec ad dandum animal tenetur.*l.scientiam.§. cum stramenta. ff. ad legem Aquilam*;vt docent gloss. *d.l. 1. vers. sibi.* Panorm.*cap si bos,de iniur.& damno dato*, & *ibi* gloss. *vers. reddet.*Sylu.*restit.3.q.4.*Rosel.*restit.13.n.* 11. Abul.*c.* 21. *Exodi,fine.*Ioan,Andr. addit. ad Speculatorem 4.*part.tit. de iniuriis.§.2.n.13.vers.& vtraque.*Item quia hoc etiam colligitur ex *l.6.tit.15.part.7.* vbi dicitur, quòd si quodam agitante equum per loca consueta ( scilicet cursui ) aliquis transiret, & casu contra intentionem equitantis, & hic interficeretur ab equo, ad nil tenetur equitans, vel dominus equi;secus quando per locum inconsuetum, per quem multi solebant transire; addit lex

Universidad de Deusto Biblioteca

5.tit.8.part.7. *si alguno corri esse cauallo en lugar que non fuesse à vos sombrado para correr le,y no à percicbiessen los omes,que se guardassen*, &c. ( quod intellige debere prænenire opportunè,vt benè Gregor. Lopez *ibi vers. à percibiessen.*) tunc teneri;& *l.13.tit.23 lib.8. noua recopilatio.* dicit,quòd si in loco deserto agitaret equum ; non tenetur:si verò in via publica cum sonaliis , similiter non tenetur;secus si sine illis , quando enim affert sonalia , iam est culpa transeuntis.

10 Hinc fit , quòd si animal naturaliter damnum dedit,vt si corruit,& necauit hominem , vel seruus omnino inculpatè dominus ad nil tenetur , quia illa non est actio serui , nec actio animalis , & sic cessat culpa ficta , & est prorsus ac si lignum corrueret ; & patet , quia seruus, si esset liber , in hoc casu ad nil teneretur. Hoc patet ex omnibus §. præcedenti adductis , & doctus recentior Iurisperitus , quem ego consului , dixit esse certum.

11 His suppositis,probatur hæc sententia secunda,quia quando lex non est pœnalis , sed dispositiua , obligat in conscientia ante sententiam,sed huiusmodi est hæc, quia nulla hîc interuenit culpa domini,vt propter illam pœna sibi imponatur in re sua;ergo. Et confirmatur , quia *cap. finali,de iniuriis*,dicitur, si animal absque tua culpa damnificarit,teneris dare animal,vel ad damnum : ergo manifestè est lex dispositiua , & obligans in foro conscientiæ. Secundò, quia vbi sententia iudicis non innitur falsæ præsumptioni,nec est in pœnam delicti damnans , idem prorsus dicendum est in foro conscientiæ , quòd iudicaret iudex in foro externo , vt probaui *lib. 1. in præcepta Decalogi,cap.10.num.11. & 13.* Sed hic cognita omnino veritate,& non in pœnam , vt probaui , damnaret ad soluendum damnum,vel ad tradendum animal; ergo. Patet maior ex his,quæ *ibidem* diximus , & quia aliàs talis sententia iudicis esset iniusta. Tertiò , quia tales dispositiones sunt valde rationi naturali conformes, quia cùm animal,vel seruus non sint sui iuris , sed totum , quod sunt, domini sunt,iniustè leges disposuerunt,vt sicut omnis vtilitas eius domini est,ita etiam & damnum domini sit , & pro eo subiicitur hypotechæ , seu obligationi animal , & seruus : nam qui sentit commodum, debet sentire & onus,*reg.qui sentit.de reg. iur.in 6.*& hanc sententiam videntur expressè tenere multi Doctores , qui absolutè dicunt teneri dare animal,vel seruum, aut damnum soluere.Sic Speculator *4.part.tit.de iniur § 2.num.12.*Panorm. *cap.si bos,num.1.& cap.finali,num.3.de iniuriis, & damno dato*,glos.*d.cap.si bos,fine*,Angel.*restitutio 1.§.ladens proximum.*Paludan.*4.dist.15.quæst.2.art.2.fine, n. 15.*Gabr. *4.dist.15.quæst.14 art.3.dub.2.& quæst.15.art. 3. dub. 2.* Platea *tract.de restit.part.1.§.90.*Sylvest.*restitutio 3.quæst. 4.* atque hanc eandem sententiam tenet expressè Nauarr. Lat. noua *cap. 15. num. 27.* quæ etiam est sententia multorum grauium,tum Theologorum, tum Canonistarum Doctorum recentiorum.

12 Sit conclusio,licèt prior sententia probabilis sit ; at posterior est multo probabilior : & sic qui tenuerit priorem sententiam, debet soluere argumenta secundæ , dicendo leges illas esse pœnales, puniréque culpam veram serui , vel fictam animalis , vt explicui , & sic requiritur sententia.Sed tenendo posteriorem , respondetur ad argumenta prioris. Ad primum teneri ratione rei acceptæ, quia retinet animal,quod gerit vicem debiti damni,cùm pro illo sit hypothecatum : sicut qui ignorans emit domum censui hypothecatam , tenetur ad censum ratione rei acceptæ , quia habet domum gerentem debiti vices. Ad secundum , quòd in insensibilibus nulla prorsus est culpa,cùm non agant se,sed impellantur : at in sensibilibus est culpa ficta,vt explicui , quæ quando etiam deest, ad nil tenetur dominus. Ad confirmationem, filius tantùm profectitium acquirit patri , & aduentitium , quoad vsumfructum : & religiosus non ex vinculo iustitiæ , sed religionis tenetur laborare ; & non quidquid sunt , sunt patris , vel religionis , cùm non possint venundari, &c. Ad tertium patet ex dictis. Ad quartum , quod Diuus Augustinus intelligit de imputatione ad culpam, & peccatum.

13 Nota tamen , quòd quando dominus vult tradere seruum pro noxa,potest seruus æstimationem damni soluendo effici liber,inuito domino , & hoc fauore libertatis. Sic habetur.*Instit.de noxalibus,§.2 & ibi* glossa,& Faber,Greg.Lopez *l.4.tit.13.part.7.vers.desamparar.* Vega *lib.5.summæ,casu 213.*Nauarra *lib.2.de restit. cap. 1, num. 41.fol.33.*addit. Nauarra *ibi num. 40.* etiam lata sententia, vt soluat dominus damnum,vel tradat animal,non teneri tradere animal,sed sat est,si det animalis pretium, quia nequit dominus esse rationabiliter inuitus : sed fallitur etiam ante latam sententiam, quia leges obligant ad soluendum damnum,vel dandum animal pro noxa , & inuito creditore vnum pro alio solui nequit.*l.2.§.mutui, ff. si cert.petat.*at in seruo,quando, si traderetur , esset damnandus pœna corporali , sat esset dare pretium. Sic quidam doctus Iurisperitus à me consultus.

14 Tandem nota,quòd læsus à bruto potest illud tenere,donec sciat quis sit dominus , contra quem agat , non verò potest tenere loco pignoris , donec ei satisfiat. Sic Bart. & Specul.quos refert, ac sequitur Sylu. *restitutio 3. quæst.4.*Rosell.*restitutio 13.num.9* Panorm. *cap. si læserit, de iniuriis,fine.* & *ibi* glossa,*vers.æstimationem.*

## DVBIVM IV.

### *An puerum exponere sit licitum in aliquo casu.*

1 SVpponendum priùs est, quid iure statutum sit circa hanc infantum expositionem : est enim iure statutum,vt perdat pater,vel mater infantem exponens patriam potestatem,nec possit eum ab alimentante repetere:& similiter quando alius exponit ipso sciente , & non contradicente,vel postea,quando sciuit , ratum habente: & similiter si infans est seruus , fit liber per talem expositionem : & si est libertus,perdit exponens ius patronatus. Si habetur *cap.vnico.de infant.expos.& l.2.& 3. C. de infant.expositi.& l.finali tit.20.part.4.*idémque definitur *eo cap.vnico*,de exponente languidos , cuiuscunque sint ætatis;& de negantibus alimenta , quòd scilicet tali casu filius eximitur à patria potestate,& seruus fit liber.

2 Nota primò circa hoc , quòd hæc expositio infantis intelligitur vsque ad septennium , quia vsque tunc durat infantia.Sic Panorm.*d.cap.vnico,n.2.*

3 Secundò nota graue dubium esse,an textus *d.c. vnic.* quoad eam partem quòd filius eximatur à patria potestate,& seruus fiat liber , quando denegantur eis alimenta, intelligatur indistinctè.scilicet,siue eis sanis, siue languidis alimenta denegentur. Quidam enim sic intelligi asserunt,quia videntur constitui tanquam diuersi casus, quando languidi exponuntur , & quando denegantur alimenta, Sic Goffredus,& Buttrio *dicto cap.vnico,num.7.* At multo verius est intelligi , quando eis languidis denegantur alimenta. Et ratio est , quia ius infantibus , & languidis,qui per se ipsos ad iudicem non possunt recurrere,voluit pinguiùs prouidere. Secundò probat Anchar. *vbi infrà*,quia si seruis sanis dominus negat alimenta,non fiunt liberi,sed pro derelictis videntur haberi , & conceduntur occupanti.*l.quod seruus. ff. de stipulat.seruorum*, secundùm Azorem *vbi infrà.* Sic tenent *d. cap. vnico*, Anchar.*num.4.*Panorm.*num.2.*Innocent. Hostiens. Vincentius *ibi.*Azo.*summa tit.de infant. expos.* Rosell.*verbo expositus , num. 1.* glossa *cap. finali 87, distinct. versic. expositus.*

4 Tertiò nota, quòd hoc damnum incurrit pater exponens,nisi coactus necessitate exponat,quia scilicet non poterat alere , nec erat hospitale pueros pauperes alens. Sic glossa *cap.finali 87.distinct. versic. expositus,* & *ibi.*



& *ibi* Hugo,& Turrecrem. Buttrio *d.cap.vnico, num. 5.* Sylvest. *verbo expositus , quæst.2.* & *ibi* Angel. *num. 3.* Tabien.*ibi quæst.3.*Rosell. *ibi num. 3.* At de domino exponente in tali necessitate seruum, dicunt glos. Sylvest. Tabien. Angel. Armill Rosell. non excusari , quia potiùs eum debuit vendere,vel donare ; sed contrarium dicam in fine huius dubij.

5 Quartò nota , quòd alimentans filium , siue seruum expositum nullum acquirit ius in personam,vel bona alimentati,nisi à principio id protestetur : tunc enim potest repetere expensas ab alimentato , quando fuerit soluendo. Sic habetur expressè *l.3.tit.20.part.4.& cap. vnico, de infant.expos.& l.fin.C.de infant.expos.*licèt *in eo cap.& l. finali.*non addatur id de repetitione expensarum, quando præcedit protestatio : at id habetur *eal.3.tit.20.part.4.*

6 Quintò nota quòd si patre ignorante , vel domino, expositus est filius , potest pater , vel dominus repetere, cùm sciuerit,intra decem dies,vt habetur *c.fin.dist.* 87. & *ibi* glos.*vers. intra.* & Turrecrem. *ibi.*Qui dies cutrunt à die scientiæ,vt tenet *ibi* glossa ; & explicat lex finalis *tit. 20.part. 4.* & *ibi* Gregor. Lopez *vers. quelo supiessen.* & Sylvest.*verbo expositus , q.1.* dicit quòd restituat repetens expensas intra decem dies post epistolam contestationis factam;& idem tenet Ang.*verbo expositus,initio.* Tabien. *q.1.*glos.*cap.vnico,de infant.expositi.vers.liberatus.*

7 Sextò nota,quæ expensæ possint peti per alimentantem ; quod quia difficile est , aliquibus dictis exponam.

8 Primò dico , quòd potest alimentans repetere expensas , quas fecit cum exposito in addiscenda aliqua arte. Sic fatentur omnes, & habetur *l.1.C.de infant. expos.* & *ibi* glos. *vers.restituas.* Greg. Lopez *l.finali,tit.20. par. 4.vers.las despensas.*Sylvest.*verbo expositus,quæst.3.*Rosel. *num 2.*Angel.*num.2.*Tabien.*quæst.3.*Anchar. *cap. vnico, de infant.expos.num.8.*& *ibi* Buttrio *num. 5.* Panorm. *n. 3.* glos.*cap. fin.87.dist.*

9 Secundò dico,quòd expensas alimentorum , si causa pietatis fecit , id est , ex amore Dei,repetere non potest; quia iam animus ipsius fuit donandi. Sic expressè *l. finali tit.20.part.4.* & tenent omnes Doctores pro præcedenti dicto citati. Excipiunt tamen omnes illi casum contentum *in l.patrem. C. de nuptiis* , nempè quando pater expositi filiam, & is , qui aluit , vult illam copulare matrimonio cum filio suo, & pater expositæ renuit: tunc enim propter ingratitudinem potest alimentans causa pietatis repetere à patre alimenta. Quietiam casus habetur *l. 35. tit. 14 part. 5.* vbi Gregor. Lopez *versic. feria* , dicit , quòd d. lex *patrem* , loquitur , quando pater exposuerat ; at lex Partitæ non facit in hoc fundamentum , sed tantùm in hoc quòd nutritor nutrierat causa pietatis ; additque ad legem *patrem* , vt procedat, etiamsi nutritor ipse velit cum exposita contrahere , & ipsa , vel eius pater recuset. Quod ( inquit Greg.Lopez) procedet,quando talis nutritor esset æqualis ætatis , vel parum vltrà cum illa.

10 Tertiò dico,quòd si non tenebatur alimentans alere , & non fecit causa pietatis , sed animo repetendi , vt quando protestatus , id est , tunc potest tales alimentorum expensas repetere. Sic omnes Doctores,& leges pro primo dicto citatæ.

11 Aduerte,quòd hæc protestatio est ad forum externum. nam in foro conscientiæ sat est à principio habuisse animum repetendi. Sic Sylvest. Ang.Rosel.Tabien. *n. 1.dicto* citati. Armill.*verbo expositus n 3.*

12 Secundò aduerte , quòd vbi talis protestatio non fit ex coniecturis deprehendi debet an causa pietatis fecerit eas expensas. Sic Gregor. Lopez *l.fin.tit.20.part. 4. vers. por amor.* Buttrio , & Panorm. *in 1.dicto* citati.Et hi duo ponunt has coniecturas , si est coniunctus alimentans, præsumitur in dubio causa pietatis fecisse : nisi aliæ coniecturæ oppositum suadeant ; si verò non sit coniunctus, præsumitur non causa pietatis fecisse, & sic potest repetere.

13 Quartò dico , quòd si alimentans tenebatur alere, vt si est hospitale deputatum pauperibus expositis alendis,& reuera talis expositus est pauper , tunc licèt protestetur,non potest expensas repetere. Sic Anchar. Buttrio, Panorm.Ang.Rosel.Tabien.Sylvest. *ibidem,* Dixi,quando expositus est pauper , id est , parentes , exponentes, quia,vt statim dicam, quando parentes sunt diuites , tenentur hospitali restituere expensas , cùm eæ solis pauperibus deputatæ sint.

14 Septimò nota , quòd expositus præsumitur esse de illa patria,in qua exponitur. Sic Bart. *l.1.ff. ad municip.* Platea *l.ciues.in fine,C. de incolis,lib.10.*Gregor. Lopez *l. finali,vers.Echandolos,tit.20.part.4.* vbi etiam videndus, est ad sciendum, quis succedat ab intestato his expositis remittit enim se ad aliquos Doctores,quos *ibi* refert.

15 His ergo suppositis , veniendo ad dubium initio propositum,an scilicet sit licitum in aliquo casu filios exponere.

Dico primò manifestum esse quòd ex natura rei , id est, seclusis circunstantiis,quæ iuxta duo dicta sequentia excusant , est grauissimum peccatum mortale,cùm omni iure teneantur parentes alere filios : & patet ex pœnis contra illos statutis,& tenent omnes.

16 Secundò dico , quòd quando puer exponeretur, mittendo illum secretò in hospitale , si quod esset expositis alendis destinatum , vel hoc deficiente exponendo ad ianuam alicuius , curando ne periclitetur quousque recipiatur ab aliqua pia persona : si hoc ( inquam ) fiat ad tegendum parentum delictum ; nempe adulterium , est licitum. Sic Caietan.*summa verbo Adulterium, fine.*& *ibi* Armill. *num.8.* fauétque Iulius Clarus *pract. criminali §. finali q.85.versic.Partum exponens*,vbi dicit , quòd senatus in facti contingentia quandam nuptam absoluit, quæ infamiæ vitandæ gratia filium exposuit ; tenet etiam Enriquez *lib.11.de matrimonio cap.19.n.3.*

17 Nota tamen quòd si adulteri exponentes filium nutriendum in hospitali pauperes non sint , tenentur restituere hospitali impensas; quia hospitalia sunt nutriendis pauperibus destinata. Sic Armill. & Caietan.*ibi.*Sylu. *verbo Adulterium.quæst.5.*& *ibi* Rosel.*fine* , & Tabien.*ibi num.6.*Gabr.*4.dist.15.q.2.art.2.vers.de adulterio.* D.Ant. *2.part.tit.2.cap.24.fine,& tit.2 cap.7 fine.* Nauarr.in omnibus summis *cap.16.n.42.* sed Enriquez *eo n.3. in commento litera Z.* negat in rigore , quia qui dotat hospitale ad hoc,hoc vi detur intendere.

18 Tertiò dico , parentes exponentes filios , quando nullo modo eos alere possunt ; in hospitali expositis deputato , vel si illud non sit , ad ianuam alicuius potentis alere , si taliter exponant , vt nullum infantibus periculum immineat , non peccant ; quia cessat in hoc casu obligatio , quam parentes habent alendi , & consulunt fœtui meliori modo,quo possunt. Sic colligitur ex Buttrio *cap.vnico,de infant.expos.num.5* & ex glossa *cap. fin. versic.expositus,dist.* 87. & ex Hugone, Turrecrem. *ibi;* & hoc dicunt fortè esse verum , Sylvest. *verbo expositus, quæst* 2.Angel.*num.3.*Tab.*quæst.3.*Rosell.*num. 3.* & hoc etiam tenent Guillermus , quem refert , & sequitur D. Anton.*2.p.tit.1.cap.24.fine,* Armill. *verbo expositus,n.3.*& tenet Enriquez *d num.3.*

19 Nota quòd aliqui horum censent non excusari à culpa sic exponentem seruum infantem, quia potiùs debebat eum vendere, vel donare. Sic glos. Buttrio *ibi,* & cùm hoc videntur transire Sylvest. Angel. Tabien. Rosel.*ibi.*

20 Sed verius est excusari ; quia non tenebatur dominus eum donare,nec tam facilè inueniri potest qui infantem emat,& si inueniret,vili venderet, ad quod non tenetur ; quare inuitus exponit. Sic Guillermus , D.Ant. & Turrecrem. *ibi,* additque Turrecrem. in hoc casu non effici seruum liberum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

## DVBIVM V.

*An is, ad cuius ianuam puer exponitur, possit ad alterius ianuam illum exponere, vel peccet, & teneatur illi educationis expensas restituere.*

1 VIdetur enim peccare, cùm infans ille sit in extrema necessitate constitutus, tenebatur saltem ex charitate illi subuenire alimenta ministrando; & ex alia etiam parte videtur contra iustitiam, cùm enim possit, & teneatur puerum alimentare, obligationem illam in alterum transfundit, & est causa expensarum, quas in puero educando facit.

2 Hoc dubium debet tractari tam quoad obligationem iustitiæ, quàm etiam charitatis; & quia pendet ex obligatione præcepti eleemosynæ, ideo illud præmitti debet.

3 Dubitatur ergo, quando obliget præceptum eleemosynæ.

4 Supponenda sunt aliqua. Primò supponendum est, quòd triplex est necessitas; quædam est extrema, quædam grauis, & quasi extrema; alia verò communis. Extrema non tantùm dicitur, quando homo est iam in promptu, vt moriatur, tunc enim non poterit iam illi prouideri: sed extrema dicitur, quando est in illa dispositione, quòd si illi non subueniatur, apparent euidentia signa, quòd breui morietur. Sic docent Angles *floribus* 1. *part. mat. de eleemosyna, q. 3. difficult. 2 fol.* 457. Bañes 2.2. *q.* 32. *art. 6. pag.* 1152. Sylvest. *verbo eleemosyna, q.* 1. Armill. *ibi num.* 2. Tabien. *q.* 6. Spino *speculo testam. gloss. 6. num.* 15. Nauarr in omnibus summis *cap.* 24. *num.* 5. Sarmiento *de reddit. 4. part. cap. 5. num.* 9. D. Anton. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 24. § 3. Caietan. *in opusc. tomo* 1. *tract.* 16. *de indulg. quæst.* 3. & *tomo* 2. *tract.* 5. de præcepto eleemosynæ, *cap.* 2. Aragon 2.2. *quæst.* 32. *art.* 5. *fol.* 735. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 6. *fol.* 96. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 13. *art.* 3. *fol.* 114. *pag.* 3. D. Thom. 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 1. 4. Couarr. *regula peccatum* 2. *part.* § 1. *n.* 3. Metina C. *de eleemosyna, q. de necessitate faciendi eleemosynam*, Cordub. *lib.* 1. *q. q.* 26. *initio*. Caiet. *summa verbo eleemosyna*. Rosel. *eleemosyna* 1. *initio*. Abul. *cap.* 16 *Matth. q.* 34. *ad* 5. Gabriel 4. *dist.* 16. *q.* 4. *art.* 2. Palud. n. 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. & Ledesm. explicat illud breue tempus, vt in vna hyeme, vel in vno vere moriatur. Immo Caiet. *q. illa* 3. *de indulg.* dicit esse extremam, quando non apparet alia via, qua illi subueniatur, si à me non sibi succurritur, licèt longè sit à morte.

5 Similiter extrema necessitas est, quando frater periculo appropinquat incurabilis morbi, aut alterius miseriæ, quæ homines solet conficere. Sic Soto *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 3 *art.* 4 *vers. circa tertiam*. Immo Palud. & Gabr. proximè citati appellant extremam necessitatem, quando est in periculo grauis morbi. Sed hæc non est extrema, sed grauis, & quasi extrema, vt mox dicemus.

6 Similiter est extrema necessitas, quando est in periculo, nisi illi subueniatur, amittendi membrum aliquod principale, vel sensum sui corporis, quia priuatio horum membrorum reducitur ad homicidium. Sic Angles & Bañes *ibi*. & similiter idem est eadem ratione, quando est periculum incidendi in amentiam. Bañes *ibi*, immò Angles *ibi* dicit esse extremam, quando est in periculo perdendi honorem. Sed meritò Nauarr. *supra* tenet contrarium, & Soto *supra* appellat talem non extremam, sed grauem necessitatem.

7 Nota, quòd, vt sit extrema, requiritur, vltra pericula dicta, quòd non sit alius in promptu, qui tali necessitati subueniat; & latè explicabo statim in dubio primo tractando sub hoc eodem dubio.

8 Quasi extrema verò necessitas est, quæ tanta est, quòd si illi non subueniatur, verisimile est quòd vita illius notabiliter abbreuiabitur, vel in aliquem notabilem morbum incidet. Sic Cordub. *lib.* 1. *q. q.* 26. *initio*. Metina *quæst. de necessitate faciendi eleemosynam, fol.* 166. *p.* 2. *vers. sic. quod autem*. Angles *floribus* 1. *par. materia de eleemosyna q.* 3. *difficultate* 6. *fol.* 462. & Couar. *lib.* 3. *variar. c.* 14. *n.* 5. dicit necessitatem quasi extremam esse, quando est talis & tanta, vt sit paulo minus, quàm extrema. Sed hanc eandem necessitatem alij appellant, necessitatem grauem, vt Aragon 2.2. *q.* 32. *art.* 5. *fol.* 733. vbi dicit necessitatem grauem, & valde vicinam cum extrema esse, cùm aliquis versatur in magno & certo periculo incidendi in grauissimum morbum propter inopiam, vel aliam eiusmodi calamitatem: & Nauarra *lib.* 3. *de rest. c.* 1. *n.* 358. *fol.* 122. appellat etiam necessitatem grauem hanc; dicit enim eam esse, vt ad leuandum aliquem ab aliquo graui, & notabili morbo, aut longo, vel ab aliqua notabili infamia, vel ne cadat ab statu, aut de captiuitate iniusta liberetur, aut ne aliquod malum magnum incurrat: & Soto proximè citatus appellat grauem, quæ in graui periculo hominem constituit honoris amittendi: licèt Cord. *ibidem* ponat necessitatem grauem distinctam à quasi extrema, & dicit eam esse quando quis secundum suum statum decenter viuere nequit, sed miseram, & abiectam vitam agit præ aliis suæ conditionis.

9 Tertia est necessitas communis, qua laborant pauperes, qui ostiatim mendicant. Sic Aragon *eo fol* 735. Cord. *ibidem*, additque, siue publicè, siue priuatim, & occultè mendicent.

10 Secundum fundamentum est: tria sunt genera bonorum ex parte dantis eleemosynam, quædam necessaria ad sustentationem naturæ dantis, & suorum, sine quibus scilicet vitam suam, & suorum conseruare nequit: & hæc dicuntur necessaria ad naturam, & quæ his demptis superfluunt, dicentur superflua naturæ. Alia sunt necessaria ad statum, scilicet quæ desiderantur ad vitam statúmque decentem suum, & suorum, habita ratione non omnium casuum possibilium, sed eorum qui probabiliter timeri, & expectari debent, & quos recta prudentia considerat. Sic D. Thom. 2.2. *q.* 32. *art.* 5. *ad* 3. Greg. Lop. *part.* 1. *tit.* 23. *d.* 11. *vers. cuitado*, Bañes 2.2. *q.* 32. *art. 6. fol.* 1148. Caiet. *opusc. tomo* 2. *tr.* 5. *de præcepto eleemosynæ, c.* 2. & 6. Angles *floribus* 1. *par. mat. de eleemosyna, q.* 3. *difficult.* 2 *fol.* 456. 457. Viguer. *lib. instit. c.* 12. § 2. *vers.* 5. Sylvest. *verbo eleemosyna, q.* 1. & *ibi* Tabien. *q.* 6. D. Ant. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 24. § 3. Lyra in id 1. Ioannis 3. *Qui habuerit substantiam*. Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 26. *fol.* 220. *versic. secundo necessaria*. Nauarr. in omnibus summis *cap.* 24. *n.* 6. & omnes.

11 Hinc fit nomine decentiæ status comprehendi conuiuia honesta, munera honesta, magnificentias moderatas, iuxta suum statum. Sic Angles, Nauarr. Cordub. *ibidē*. Caieran. *eo cap.* 6. Armil. *verbo eleemosyna, num.* 2. Bañes *eo art. 6. fol.* 1151. *versic. ad tertium*. & Caiet. *in summa verbo eleemosyna*, dicit, quòd sicut multis ablatis ab aliquo non censetur quis indigens, ita multis adiunctis non propterea superfluit: vnde superfluum considerandum est consideratis sumptibus honorabilibus, etiam filiorum familiæ status munificentia, communibus euentibus, hæredibus, & aliis huiusmodi.

12 Secundò infertur non dici superflua statui ea, quæ quis reseruat ad dotes filiarum, & ad communiter occurrentes necessitates morborum, bellorum, & famis. Sic Bañes *eo art. 6. fol.* 1148. Palacios 4 *d.* 15. *disp. 6. fol.* 94. Immo quod reseruat consanguineis, vel alumnis indigentibus, non est superfluum, vt bene Ledesm. *dicto art.* 3. *fol* 116. *pagina* 2.

13 Tertiò infertur dici superflua statui ea, quæ supersunt, attento statu suo, & suorum, consideratis casibus communiter occurrentibus. Sic constat ex omnibus Doctoribus citatis.

14 Sic ergo bona sunt triplicia: aut necessaria ad naturam sui, & suorum; aut superflua naturæ, necessaria tamen ad statum; aut superflua statui.

15 Maius autem dubium est, an bona, quæ attento præsenti



senti statu, superflua statui sunt, at ea reseruat quis ad ascendendum ad altiorem statum, censeantur superflua, & similiter, quæ reseruat ad dotandum capellanias, vel erigendum Ecclesias, ita vt ex illis teneatur facere eleemosynas casu, quo infrà dicemus, teneri dare de superfluis, vel verè non sint superflua, & possint ad hoc reseruari.

16 Et quidem quando non sunt graues necessitates, fatentur omnes posse ad hoc reseruare, modò sit probabilis talis ascensus, id est, sit idoneus, & habilis ad illum procurans: si enim agricola vellet fieri Comes, ridiculum esset, vt bene ait Bañes *vbi infrà*.

17 At quando sunt graues necessitates, multi & satis probabiliter docent non posse ea bona reseruare ad ascendendum ad altiorem statum; quia reuera ea bona superflua sunt, licèt secundum quid non sint superflua, scilicet respectu status altioris intenti. Sic Bañes *dicto art. 6. fol.* 1152. *vers. ad secundum*. Aragon *d. art.* 5. *fol.* 741. Caiet. 2.2. *quæst.* 118. *art.* 3. *fine*. Cord. *lib.* 1. *quæst. q.* 26. *fol.* 226. § *respondeo negando*, & Ledesm. *d. art.* 3. *fol.* 115. *pag.* 4. dicit hoc esse probabile.

18 Similiter dicit Aragon *ibidem*, & Ledesm. *eo art.* 3. *fol.* 118 *pag.* 4 non posse erigere Ecclesias, vel dotare capellanias ex talibus superfluis, existentibus grauibus necessitatibus, nisi quando cultus diuinus maximè periclitatur ex defectu harum rerum.

19 At satis probabile est etiam contrarium, scilicet non censeri superflua, quando non ex libidine auaritiæ, aut in fraudem pauperum, sed vult augere, aut mutare statum, quia sincerè iudicat sibi conuenire ob aliquos honestos fines, maiorem familiam habere, aut opulentiùs viuere, aut ad altiorem statum conscendere. Itaque sola eius determinatio sat est, vt quæ ad hoc deseruiunt, dicantur necessaria statui, & non superflua. Sic ad pedem litteræ Nauarra *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *num.* 364. Vnde (inquit) quia rari sunt, qui nolunt, vel statum maiorem habere, vel in infimo opulentiùs viuere; ideo rari sunt, qui de superfluis statui teneantur. Idem tenet Caietan. 2.2. *quæst.* 32. *art.* 5. vbi hæc dicit: *Is, qui alias licitè potest mutare statum, & hoc probabiliter expectat, non habet superfluum secundum statum præsentem, quidquid sibi in statu huiusmodi expectationis opportunum censetur: vnde potest licitè, & futuro statui opportuna seruare, & pro illo habendo exponere, quia præceptum de eleemosyna superflui præsupponit superfluum, non vetat mutationem status*. Hæc Caietan. *ibi*, & *in summa verbo eleemosyna*, dicit tarò contingere, vt homo secundùm statum gloriosè viuens superfluum habeat. Et Ledesm. *dicto art.* 3. *fol.* 115. *pag.* 2. clarè censet hoc probabile, cùm oppositum tantùm vocet probabile, & *fol.* 116. *pag.* 2. dicit raros esse diuites, qui superflua habeant. Item tenet Nauarr. *summa c.* 24 Lat. *n.* 6. Hisp. *n.* 7. vbi dicit non facilè iudicandū esse sæcularem habere superfluum statui; quia potest congerere pecunias ad aliquod dominium emendum, & mutandum statum sùum in aliquem altiorem, ad quem idoneus est. & *cap.* 23. in omnibus summis *numero* 74. dicit hoc idem, & quòd tunc non iudicatur id superfluum status, vt teneatur eleemosynam dare, aliàs nullus potest mutare statum. Idem Cordub. *lib.* 1. *quæst. quæst.* 18. *fol.* 172. § *secundò sæculares*. vbi hæc dicit: *Intra ambitum decentiæ status sæcularis includuntur omnes vsus aliàs licitè, etiam thesaurizare ad dotandum filios, & propinquos, etiam ad subleuandum se, & suos ad statum aliàs licitum: & sic* (inquit) *rarò dicuntur in eis esse superflua decentiæ simpliciter, & consequenter, rarò contingit tempus, quo sub mortali peccato teneantur pauperibus erogare superflua decentiæ suæ*. Hæc Cordub. *ibi*. Idem Palacios 4. *dist.* 15. *disput.* 6. *fol.* 94. vbi hæc dicit: *non est censendus habere superflua, qui seruat ad promouendum se ad altiorem statum, vel ad dotandum capellanias, vel ad construendum hospitale*. & *fol.* 100. dicit quòd, si paret multa, quæ pro præsenti sunt superflua; si animo subit se promouere ad statum altiorem, ædificare basilicas, &c. non erunt superflua, quæ in præsenti sunt. Vnde infert *fol.* 95. paucos esse, qui superflua habeant. & *fol.* 101. dicit non esse cur solicitentur confessarij diuitum de præcepto eleemosynæ, quia rati sunt habentes superflua simpliciter.

20 Tertium fundamentum sit; aliqua sunt certa circa hoc eleemosynæ præceptum.

21 Primò certum est, & de fide esse præceptum eleemosynæ: patet *Matth.* 25. & 1. *Ioan.* 3. & *Deut.* 15. & latè probatur à Doctoribus citandis.

22 Secundò certum est, non teneri quempiam ad eleemosynam de his, quæ sibi, & familiæ suæ sunt necessaria, quo ad naturam; quia iuxta ordinem charitatis magis tenetur homo sibi, & suis subuenire, quàm aliis, excepto, nisi illi alij adeò reipublicæ necessarij sint, vt nisi illis subueniatur, respublica peribit: tunc enim persona priuata debet se, & sua exponere, vt reipublicæ subueniat. Sic D. Thom. 2.2. *q.* 32. *art.* 6. quem omnes Doctores citandi sequuntur: & dicunt esse certum Bañes *eod. art.* 6. *dub.* 2. circa tertiam conclusionem *fol.* 1152. Metina C. *de eleemosyna, q. de necessitate faciendi eleemosynā*, & ratio est, quia prius debet quis sibi, quàm aliis prouidere.

23 Tertiò est certum non teneri ad eleemosynam de superfluis ad naturam, necessariis verò ad statum, quando pauper non laborat extrema, nec graui necessitate: etiamsi sit in communi necessitate. Sic dicit esse certum Metina *ibi*, & patet ex dicendis.

24 Quartò est certum teneri hominem de superfluis ad naturam, & statum dare eleemosynam pauperi extremè indigenti; quia cùm in hoc casu sit omnimoda superfluitas, & summa necessitas, si in hoc casu non obligaret, nullus daretur obligationis casus. Sic dicit esse certum Metina *ibi*, & omnes, & Bañes *ibi fol.* 1152. dicit esse adeò certum, vt contrarium sit erroneum.

25 Septem autem veritantur in dubium. Primum est, an in extrema necessitate teneatur quis ad eleemosynam de necessariis ad statum, superfluis verò ad naturam. Secundum est, an de superfluis naturæ, & statui teneatur quis ad eleemosynam citra extremam necessitatem. Tertium, quæ sit necessitas citrà extremam, in qua tenetur de superfluis naturæ & status ad eleemosynam. Quartum dubium, an de necessariis ad statum teneatur aliquando ad eleemosynam circa extremam. Quintum an quando tenetur quis ad eleemosynam, satisfaciat præcepto mutuando; vel teneatur gratis dare. Sextum, an in extrema necessitate teneatur quis lege iustitiæ, vel sola charitatis lege ad eleemosynam. Septimum an iudex cogere possit diuites ad eleemosynam.

26 Primò ergo dubitatur, an in extrema necessitate teneatur quis ad eleemosynam de necessariis ad statum, quæ ad naturam superflua sunt.

Duplex est sententia

27 Prima dicit non teneri; ratio, quia aliàs teneretur homo aliquando consumere totum patrimonium opulentum in vsus pauperum, immo & dignitatem maximam maioricatus, existente alto in extrema egestate. Sic tenet Viguerius *lib. instit. c.* 12. §. 2. *vers. Quinto*. Rosel. *eleemosyna* 1. *in principio*, & *ibi* Pisana *n.* 1. Petrus de Tarantasia, & summa confess. (vt referunt Couarr. & Cord. *ibi*) & in hanc magis inclinat D. Ant. 2. *p. tit.* 1. *c.* 24 § *quinto*; & nituntur hi hanc esse sententiam D. Thom.

28 Secunda sententia omnino tenenda docet teneri de superfluis ad naturam, licèt ad statum necessaria sint, quia ordo charitatis postulat, vt magis diligamus vitam proximi, quàm propria bona, quæ ad vitam necessaria non sunt. Sic tenent latius quàm probant D. Thom. 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. Bañes 2.2. *q.* 32. *art.* 6. *dub.* 2. *circa tertiam conclusionem, fol.* 1152. & *ibi* Arag. *art.* 5. *fol.* 736. *pag.* 2. Metina C. *de eleemosyna, q. de necessitate eā faciendi*, & dicit esse certam Caiet. *opusc. l. tomo* 2 *tr.* 5 *de præcepto eleemosynæ, c.* 2. & 6. Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2.

Margar.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Margar.confess.vbi de auaritia, *fol.*108.Ledesma 2. 4. *q.* 15. *art.* 3. *fol.*113. *pag.*4.Cordub. *lib.*1. *quæst.q.*26. *fol.* 221. *propositione* 2.Palac.4. *dist.*15. *disp.*6 *fol.* 96. Angles *floribus* 1. *part.mat.de eleemosyna, quæst.*3. *difficult.* 2. *fol.*457. *& difficult.*3 *fol.*458.Nauarr.in omnibus summis *cap.* 24. *num.*9.& etiam Hispan.*num.*5. Latin. *num.* 3. Sarmiento *de redditibus part.*4. *cap.*5. *num.*8.Sylu. *verbo eleemosyna, q.*1.Arm.*ibi num.*2.*&* 3. Ang. *num.* 1. Tabien. *quæst.* 5. Turr. *cap. singulis.d.*86. *num.*6.Gerson 2. *p. tract. de cognitione peccat.consideratione* 10. *fine*, quæ alphabetus 32. *littera O. & eadem* 2. *p. regulis moralibus, cap.de auaritia*, quæ est alphabetus 24 *littera V.* licèt enim videatur dicere teneri in graui, at statim se explicat de extrema Idem Rosel.*verbo mutuum,num.*2.*&* 3. *eleemosyna* 1. *initio.* Lyræ in illud Lucæ 6. *omni petenti te tribue.* Alensis 4. *p.q.* 113. *memb.*1.Caiet.2 2. *q.*71. *art.*1.*& opusc.tomo* 1. *tr.* 16. *de indulg.q.*3. Præpositus *c.sicut hi* 47. *dist.* Panorm. *c. si verò, de iniuriis,n.*6.Maioris 4 *dist.*15 *q.*7. Ludolphus de Saxo Carthus.1 *p.n.*17.Anton.de Burgis *cap.*1 *n.* 29. *de emptione,& vendit.*Arm.*verbo aduocatus,n.*12.Nauarr.*c.* 25.Hisp.*n.*30.Lat *n.*29.Gabr.4. *dist.*16. *q.*4. *art.*2. Viguer. *lib.Instit. cap.*12. *§. secundo, vers. quinto.* & hanc reputant probabilem D.Anton.2. *part.tit.*1. *cap.*24. *§ quarto.* Conradus *de contract.q.*19. *concluſ.*6.& Durand.4 *dist.*15. *q.*6. neutri enim sententiæ adhærere audent, quasi vtramque probabilem reputantes. Et hanc censet probabilem Couar.3 *var.cap.*14. *n.* 5. oppositam enim sententiam tantùm vocat tutiorem. Hanc etiam reputat probabilem. Cord. *lib.*1. *q.q.*26. *fol.* 223. *§. nos etiam*; vbi dicit quòd neutram sententiam reprobat: at censet probabiliorem oppositam.& Palacios 4. *dist.* 15. *disp.*6. *fol.* 106. videtur sentire esse probabilem, dicit enim oppositam non esse certam,sed tantùm admodum probabilem. Et Metina *C. de eleemosyna,quæst.de necessitate eam faciendi.fol.*165. *pag.* 4. *ante §.* pro qua sententia dicit,quòd qui velit, non temerè huic sententiæ adhærebit. Itaque iuxta hanc sententiam non tenetur dines ratione superfluí naturæ & statui,quod habet, elargiri eleemosynam, sed requiritur extrema necessitas ex parte pauperis. Et conantur patroni huius sententiæ eam D.Thom. attribuere 2 2. *q.*32. *art.* 5.*&* 6.Sed optimè Doctores oppositæ sententiæ, & maximè Caiet.*loco* statim *citato*,respondent ad loca D. Th. & probant eum esse oppositæ sententiæ,vt verè est.

34 Secunda sententia tenenda docet, non tantùm in extrema necessitate teneri quempiam ad eleemosynam de superfluis naturæ, & statui; & sic ratione superflui huius teneri, licèt pauper non extremè laboret. Hanc probant eius patroni multis Sanctorum testimoniis,& rationibus,& ex Scriptura,quæ possunt videri specialiter in Caietan.Bañes,& Aragon statim citandis.Hic autè vnam rationem subiiciam,quia amicorum omnia sunt communia,& charitas est amicitia ad omnes: at si amicus in humanis haberet superflua, & suus amicus indigeret, licèt non extremè; esset sufficiens ratio ad soluendam amicitiam: ergo qui proximis non dat superflua, dissoluit amicitiam christianam, & per consequens amittit charitatem: & hoc est,quod dicit D.Ioan.1. canon.3. *qui habuerit substantiam huius mundi,& viderit proximum suum necessitatem habere,& clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo.* Ité quia ordo charitatis est in præcepto,at secundùm ordinē charitatis magis debet homo diligere congruētiam status proximi,quàm suas opes superfluas:ergo ex eo præcepto tenetur eas erogare. Pro hac sententia est D.Thom.2. 2. *q.*32. *art.* 5. *fine, corpore. & q.*118. *art.* 4. *ad* 2. vbi duplicem rationem assignat dandi eleemosynam,scilicet,aut ratione extremæ necessitatis pauperis,aut quia alius habet superfluum. Et idem Caiet.*eo art.*5.& Gregor.Lopez *part.* 1. *tit.*23. *l.* 11. *vers. ciuitado.*& tenent expressè D.Thom. 4. *dist.*15 *q.*2. *art.* 4. *quæstiuncula* 1.Caiet.*opusc.tom.*2. *tract.*5. *de præcepto eleemosynæ.per totum,*& maximè *c.*2.3.*&* 6.Bañes 2.2.*q.* 32. *art.* 6. *dub.* 1. *&* 2.Metina *quæst. citata,de necessitate faciendi eleemosynam. fol.* 166. *pag.*2. *§. quod autem.* Couarruu. 3. *var.*



*var.cap.*14. *n.*5.Angles *floribus* 1. *p.mat.de eleemosyna q.*3. *dub.*6. *fol.*461.Palacios *summa verbo eleemosyna,& 4. dist.* 15. *disp.*6 *fol.*97.Honcala *opusc.de rebus Ecclesiast.cap.*13. Caiet.*summa verbo eleemosyna.*Lyra, & Dionys.Carthus. in illud 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi.* Altisiodor. *lib.*3. *summæ tract.*8. *cap.*1. *quæst.* 2. Richard. 4. *distinct.*15. *art.*2. *quæst.*2. Abul. *cap.*6. *Matth. quæst.*34. Salon 2. 2. *quæst.*71. *art.* 1. *controuers.*1. *in solutione ad* 1. *fol.*1675.Soto *lib.*5. *de iustit.quæst.*3. *art.*4. *vers. circa tertiam.& tract. in causa pauperum, cap.*8. Palud. 4. *dist.*15. *quæst.*3. *art.*2.Margar. *confess.* vbi de auaritia, *fol.*108. Ledesm.2.4. *quæst.*15. *art.*3. *fol.*113. *pag.*4 Aragon 2.2. *quæst.* 32. *art.*5. *fol.*737. *pag.*1.Sylvest. *verbo eleemosyna, quæst.*1. vbi Tabien *q.*5. Arm. *n.*2.*&* 3. Ang. *num.* 1. Nauarr. *cap.* 24.Hisp. *num.*3. Lat. *num.*5. Sarmiento *de redditibus part.* 4. *cap.*5 *n.*8. *&* 9.Turrecr. *cap. singulis* 86. *dist.n.*6.Felinus citatus per Couarr. Spino *speculo testam. gloss.*6. *n.* 11. *&* 15.Alensis 3. *p. quæst.*65. *membro* 4. *§.* 1. Cord. *lib.*1. *quæst. q.*26. *fol.*223. *vers. nos etiam. & fol.* 221. *propositi.* 3. Nau. *lib.*3. *de restit.cap.*1. *num.*358.

35 Ad primum primæ sententiæ respondetur, quòd quando quis habet superflua statui, tenetur prouidere proximo, non tantùm vt sit, sed etiam vt benè sit, id est, vt vitam absque notabili necessitate transigat.

Ad secundum negatur maior, quia ipse potest cedere iuri suo, vt potest pati notabilem infamiam: at ego teneor ipsum defendere, si possum, nec iuri, quod alter habet,cedere possum.

36 Tertiò dubitatur, qualis debeat esse necessitas citra extremam, vt teneatur habens superflua statui eleemosynam facere, id est, an tantùm teneatur in necessitate, quasi extrema, vel graui, aut etiam teneatur in communibus necessitatibus.Duplex est sententia.

Prima docet tantùm teneri in necessitate quasi extrema,vel graui.Probatur,quia aliàs esset multos diuites defectu eleemosynæ damnare.Item nullus dines posset mutare statum, cùm necessitates communes pauperum tot, ac tam frequentes sint. Et hæc sententia est satis probabilis. Sic tenent Metina *quæst. de necessitate faciendi eleemosynam.fol.*166 *pag.*2. *§. quod autem,& §. sequenti.*& clariùs *sub finem illius quæstionis in solutione ad* 5. *fol.* 167. *pag* 4. Couarr. 3. *var.cap.*14. *num.*5. Angles *floribus* 1 *part.mat. de eleemosyna quæst.*3. *difficult.*6. *fol.*461. Nauarra *lib.*3. *de restit. cap.*1. *num.*358. *fol.* 222. *& fol.*123. *num.* 362. Salon 2. 2. *quæst.*81. *art.*1. *fol.*1674. *& sequenti* Soto *lib* 3. *de iust. q.*8. *art.*1. & videtur tenere Dionysius Carthus. in illud 1.Ioan.3. *Qui habuerit substantiam huius mundi*,&c. vbi dicit teneri tantùm in notabili, vel extrema. Fauent etiam Alensis 3. *part.q.*65. *membro* 4. *§. primo.* & Altisiodorus *lib.*3. *suæ summæ,tract.*8. *cap.*1. *q.*2. vbi dicunt teneri, quando alter est valdè indigens, & dicit probabilem Bañes *infrà* 1151.

37 Secunda sententia probabilior docet teneri in necessitatibus communibus. Probatur ex rationibus secundæ sententiæ dubij præcedentis, quæ omnes hoc probant: & ex multis Sanctorum, ac Scripturæ testimoniis,quæ afferunt Bañes & Aragon *vbi infra*, fauent Doctores citati pro secunda sententia dubij præcedentis, asserentes habentem superflua teneri ratione superflui ad eleemosynam. Sic videntur tenere Palacios 4. *d.* 15. *q.*6. *fol.*97.Nauarr.*summa cap.*24.Hisp *num.*3 Lat.*num* 5. Margar.confess. vbi de auaritia *fol.*108. Caiet. *opusc. tom.* 2. *tract.*5. *de præcepto eleemosynæ cap.*3. Sylvest. *verb. eleemosyna,quæst.*1.Armil.*ibi num.*2.*&* 3.Turrecr. *cap. singulis* 87. *dist.n.*6. *concluſ.*5. dicunt enim teneri, licèt alter non patiatur necessitatem naturæ, sed status. Et tenent expressè Honcala *opusc.de rebus Ecclesiast. cap.*13. Bañes 2.2.*q.*22. *art.*6. *dub.*2. *fol.*1149. & dicit idem tenuisse in suis prælectionibus Victoriam, Sotum, Cano, Sotum Maiorem. Idem tenent Arag.2.2.*q.*32. *art.*5. *fol.*737. *pag.* 1.*& q.*71. *art.*1. *fol.*538.*& seq.*Abul. *c.*6. *Matth.q.*34. Ledes.2.4. *q.*25. *art.*3 *fol.*115. *pag.*4. Sarmient. *de redditibus p.* 4. *c.*5. *n.*8.9.Spino *speculo testam.gloss.*6. *n.*15. Cordub. *lib.* 1. *q.q.*26. *fol.*222. *propos it.*3.& in hanc valdè inclinat Soto *tract. an causa pauperum,cap.*1.

38 Est tamen valdè notandum, quòd licèt diues teneatur huic, vel illi hæc superflua dare; at non tenetur determinatè dare huic pauperi petenti, saltem si non laboret extrema,vel, graui necessitate; sed potest alij pauperi dare: vt benè docent D.Thom.2.2. *quæst.*66. *art.*7. & *ibi* Caiet.D.Thom. *quodlibeto* 8. *art.*13. Spino *ea gloss.*6. *n.*11.Sarmiento *eo n.*8. Sylu. *ea q.*1. Nauarr. *c.*24. Hispan. *n.*4.*&* 10. Lat. *num.*5. Bañes *eo art.*6. *dub.*2 *fine*, *fol.*1152. Alensis,& Altisiodor. *proximè citati.*Ledesm. *eo art.*3. *fol.* 118. *pag.*4. Metina Nauarr.Cordub. *statim citandi.* Vnde infert benè Ledesm. *eo art. fol.*115. *pag.*3. quòd habens superflua statui,non tenetur erogare statim omnia illa pauperibus,sed aliquando modo humano,& morali,ita,quòd habeat curam pauperum, vt quòd aliquando pauperibus largiatur: vnde si dines formaliter, aut virtute statueret apud se non dare eleemosynam in communibus necessitatibus, vel esset notabiliter negligens, peccaret mortaliter.

39 Immo quidam nunquam teneri dare huic determinato pauperi, nisi extremè egeat:ita licèt dines ratione superflui teneatur ad eleemosynas, at ratione necessitatis tantùm tenetur dare extremè indigenti: quare vbi non est extremè indigens, nulli determinato tenetur dare,sed huic,vel illi,quem malit.Sic D.Thom. *quodl.*8. *art.* 13.Nauarr.Caiet.Bañes,Alensis:Altisiod. Sarmiento,Spino *§. præcedenti* citati.Aragon *d.art.*5 *fol.*743.

40 At verius est teneri etiam in graui necessitate dare huic determinato pauperi, quia contra amicitiam proximi, & amorem ipsius est non fauere illi grauiter indigenti.Sic Nauarra *lib.*3. *de restit.c.*1. *num* 373. *fol.*127.Metina *q. de necessitate faciendi eleemosynam fol.*166. *pag.*2. *§. quod autem.* Ad idem sunt Doctores asserentes in graui necessitate licere furari, scilicet Sylu. *verbo furtum. q.* 5. *dicto* 2.Ang. *ibi num.*37.38. in hoc enim fundantur, quòd dines tenebatur huic dare eleemosynam, & sic consentit actu debito.

41 Ad argumenta primæ sententiæ,an possit dines mutare statum, dixi suprà secundo fundamento, *num.* 19. *& ibi in fine*, dixi raros habere superflua;& sic raros damnari, eo quòd non faciant eleemosynam, quod mirè explicat Metina *q.illa de necessitate faciendi eleemosynam, fine*,quia(inquit) est nimis difficile iudicare, quis, cui, & quantum sub mortali teneatur dare, quia incertum est per quid necessaria à superfluis distingui possint: & quæ, & quanta necessitas in paupere requiratur:quantum etiā vnicuique ad naturam, & statum sit necessarium: & an vera sit, vel simulata pauperis necessitas: & an sint alij dinites, qui velint illi succurrere; multaque alia incerta sunt, ob quorum ignorantiam non sunt facilè condemnandi. Hæc Metina *ibi*,& parent ex dictis, idem Cordub *d.q* 26. *fol.*227.

42 Quartò dubitatur, an de necessariis ad statum teneatur aliquis aliquando ad eleemosynam citra extremam necessitatem.

Duplex est sententia.

43 Prima ait teneri in quasi extrema, seu graui, quia videtur contra pietatem christianam non subuenire tunc. Et hæc sententia est satis probabilis. Sic tenet Metina *C. de eleemosyna,q.de necessitate eam faciendi,fol.*166. *pag.*2. *§.quod autem.*Cord. *lib.*1. *quæst.*26. *fol.*121. *propos it.*2. Palacios 4. *d.*15. *disp.*6. *fol.*96. *pag.*1. Angles *floribus* 1. *p.mat. de eleemosyna,quæst.*3. *difficult.*6. *fol.*462. Victoria, Soto, Cano, Soto Maior, vt refert,& sequitur Bañes 2.2. *quæst.*32. Arm.6. *dub.*4. *fol.*1156.& limitat *fol.*1157. teneri, vel dando gratis,vel saltem mutuando.

44 Secunda sententia probabilior dicit non teneri; quia non tenetur quis indecenter suo statui viuere, nisi vt subueniat extremè indigenti. Sic Nauarra *lib.*3. *de restit.cap.*1. *num.*358. *fol.*122. Soto *lib.*5. *de iust. q.*8. *art.*1.

*sub*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sub finem*, Sal. 2.2.q.71.*art*.1.*fol*.1175. *ad primum*. Caiet. *opusculo* 2.*tract*.5.*de præcepto eleemosynæ*, c.2. D.Thom. 4.*d*.15.q.2.*art*.4.*quæst*.1. Nauarr.*summa c*.14. Hisp. *num*. 3 Lat.*num*.5.Abul.*cap*.6.*Matth*.q.34. Sarmiento *de redditibus*,*p*.4.*c*.5.*n*.8.Sylu.*verb*.*eleemosyna*,*quæst*.1.Ledesm. 2.4.q.18.*art*.3.*fine*,& communis.

45 Quintò dubitatur, an cùm tenetur quis ad eleemosynam,teneatur gratis dare,vel satisfaciat mutuando.

46 Supponendum, quòd necessitas extrema est duplex; quædam est simpliciter, quando scilicet pauper nullibi habet bona: alia secundùm quid, quando scilicet habet alibi bona,at hîc indiget.

47 Hac ergo in re primò certum est,quòd si non est extrema necessitas, nisi secundùm quid, quia scilicet alibi habet bona, satis est illi mutuare. Ratio, quia reuera ille non est pauper: & sic expresè docent omnes Doctores pro omnibus sententiis citandi.

48 Immo idem est, quando alibi non habet bona, & habet vires, quibus solitus est victum quærere, aut artem, seu spem probabilem proximè habendi; quia hic non est verè, & simpliciter pauper, sic Metina *C. de eleemosyna*,*quæst*.*an extremè indigenti sit eleemosyna facienda donando*. Arag.2.2.q.32.*art*.5.*fol*.739.*pag*.2.Ledes. 2.4.q. 15.*art*.3.*fol*.117.*pag*.3.& 4.Bañes 2.2.q.32.*art*. 6.*dub*.3. *fol*.1155.Nauarra dicens esse omnium *lib*.3. *de restit*.*cap*. 1.*num*.371 *fol*.125.

49 Nota quòd in hoc casu, si huic subueniatur de superfluo status,non potest absolutè pactum inire mutuans, vt inops reddat mutuum, scilicet obligando illum, vt acquirat ad soluendum, sed sub conditione reddat, scilicet si nactus fuerit pinguiorem fortunam; quia non est tam graue onus imponendum alteri propter amissionem rei patum, vel nullo modo necessariæ, & ordo charitatis id videtur postulare: si verò de necessario statu est illi subueniendum, æquum est, vt pauper det operam,cùm possit, peruenienti ad pinguiorem fortunam, nisi vellet religionem ingredi; quia non est æquum, vt propter extremam necessitatem, quam ille nullo modo vitare potest,sic peioris conditionis,& magis inhabilis reddatur ad perfectionis statum, quàm esset antea. Sic Nauarra *numero* 369.370

50 Secundò debet esse certum, quòd si res non sit vsu consumptibilis, satis est commodare in extrema necessitate. Ratio, quia ad indigentiam subleuandam non eget ille dominio,v.g.equi,vel vestis, sed vsu, & consumpto vsu manet salua res. Sic Soto *lib*.4.*de iust*.*q*.7.*art*.1.*ad* 4. Nauarra *num*.366. & clarè colligitur ex Sarmiento *in defensione ad lib*.*de reddit*.2 *p*.*monito* 4.*n*.6.

51 Nota hoc intelligi, quando proximus eget ipsa re vsu non consumptibili. nam si non indiget, nisi re vsu consumptibili, vt cibo,& proximus nihil habet, quo subueniat,nisi equum,vel pallium,tunc tenendo sententiam, quòd in vsu consumptibilibus tenetur dare gratis, tenetur donare,vt alter vendat, & pretio emat cibos. Ratio quia tunc illa res non datur ad proprium vsum, sed vt substituatur loco rei vsu consumptibilis, quare sicut tenebatur dare gratis pecuniam, si haberet: ita illum equum, qui est virtute pecuniæ.Sic Nauarr. *ibi n*.367.

52 At dubium est, quando est extrema necessitas simpliciter,& est res vsu consumptibilis, an qui tenetur dare eleemosynam, teneatur dare gratis, vel satisfaciat mutuando.

Quadruplex est sententia.

53 Prima absolutè docet, satis esse mutuare. Ratio, quia tantùm tenetur ille subuenire illi necessitati, sed satis subuenit mutuando; ergo. Sic tenent Couarr. *reg*. *peccatum* 2.*p*.§.1.*num*.4. Adrianus 4.*mat*.*de rest*.*q*... quia dictum est de lucro ex turpi actu, *sine in paruis*.*fol*.160. *& quodlib*.1.*art*.2. *in paruis*, *columna* 4. Nauarrus *summa c*.24.Hisp,*n*.4.Lat.*nmm*.5.*& c*.17.Hisp.*num*.60. Lat.*num*. 61.*& apolog*.*ad librum de reddit*.*q*.2.*monito* 3,Metina *C*.*de rest*.*q*.4.*causa* 1.licèt tandem se remittat ad id,quod dixerat,q.citata de eleemosyna, quod est secunda sententia ponenda.

54 Secunda sententia docet, quod si res erat necessaria ad statum dantis, vel si superflua statui, at erat in rebus reipublicæ,aut aliis necessariis, seu valdè vtilibus expendenda, & est in notabili quantitate, tunc sat est mutuò dare, non absolutè, vt maneat liber ad ingressum religionis, vel ad viuendum in paupertate euangelica, sed conditionatè, scilicet si pinguem adeptus sit fortunam:si verò erat superflua statui, nec reseruatur ad alios fines vtiles, sed tantùm ad augendum diuitias, tenetur dare gratis. Sic Metina *q*.*illa de eleemosyna citata*. & Ledesma *suprà*.Cordub. *l*.1.*quæst*.26.*in solut*.*ad* 7.*fol*.227.*pag*.1.*in principio*, vbi addit hoc esse verum non tantùm in extrema necessitate, sed etiam in aliis, in quibus tenetur ad eleemosynam.

55 Tertia sententia docet, quòd si habet superflua statui, tenetur dare gratis, siue alter sit in extrema necessitate, siue non, & licèt res sit notabilis; si verò non habeat superflua statui, & est res notabilis, sat est mutuare etiam patienti extremam, secus si sit res modica; sic Aragon *supra*.

56 Quarta sententia tenenda docet non satisfacere præcepto eleemosynæ mutuando, sed teneri donare. Ratio, quia non satis est subuenire necessitati,sed tenetur subuenire dando eleemosynam: at eleemosyna licèt non sit actus liberalitatis, supponit tamen donationem liberalem, sicut genus addita indigentia pro differentia, aliàs vocaretur eleemosyna quod datur mutuo diuiti, quod est ridiculum: & sic communis vsus loquendi nomine eleemosynæ donationem gratuitam intelligit. Sic tenent Angles *floribus* 1.*part*.*mat*.*de eleemosyna*,*q*.3.*difficult*. 7. *fol*.463.Palacios 4.*dist*.15.*disp*.6.*fol*.104. Viguer. *lib*. *instit*.*cap*.12.§.*secundo*,*vers*.*quinto*.Soto, & Bañes *proximè citati*.& Bañes appellat primam sententiam falsissimam, Metina verò appellat eam falsam, & Nauarra *dicto cap*.1. *n*.365.*fol*.124.dicens hanc esse verissimam sententiam, & dicit habere verum,siue in necessitate extrema,siue in graui necessitate.

57 Nota tamen, quòd in necessitatibus communibus potest diues mutuare huic, cùm enim non teneatur dare huic determinato eleemosynam, potest huic mutuare animo dandi gratis aliis alio tempore. Sic Bañes *ibi*, Ledesm.*eodem art*.3.*fol*.115.*pag*.4.

58 Sextò dubitatur, an in extrema necessitate teneatur quis lege iustitiæ, vel sola charitatis lege ad eleemosynam.

Duplex est sententia.

59 Prima, & satis probabilis ait teneri lege iustitiæ. Probatur primò ex dictis sanctorum Patrum, qui diuites non largientes superflua, appellant raptores, & aliena possidentes. Secundò ex D. Thom.2.2.q.18.*art*.4. *ad* 2. vbi dicit teneri diuitem ex dubio legali, vel propter inopiam alterius, vel propter superflua bona, quæ habet ad eleemosynam. Tertiò, quia iudex potest cogere tempore extremæ necessitatis diuites ad eleemosynam: ergo tenentur lege iustitiæ; non enim potest cogere iudex nisi ad id,quod lex iustitiæ obligat. Quartò, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, non ad hunc sensum, quòd prior dominus amittat dominium,vel quòd dominium sit vtriusque, sed in hoc sensu, quo mutuator dicitur dominus rei mutuatæ. Licèt enim verè dominium sit mutuatarij, at est reddibiliter; ita vt mutuator habeat ius iustitiæ, vt suo tempore sibi reddatur. Sic in præsenti cùm iure naturali res essent communes, & per ius gentium factæ sunt propriæ per apprehensionem, sic factæ sunt propriæ scilicet reddibiliter, vt scilicet necessitate extrema existente res esset reddenda ipsi indigenti à vero domino, sicut illi debita, quæ conditio fuit, & debuit esse implicita in rerum diuisione, vt iusta esset: ergo sicut mutuatarius tenetur ex iustitia reddere mutuum, sic, &c. Quintò, quia qui impediret vsum rei communis,peccaret contra iustitiam; sed in extrema necessitate omnia sunt communia: ergo qui non dat eleemosynam, peccat contra iustitiam, quasi impediens vsum rei communis.Sextò,quia secundùm omnes constituitur in extrema necessitate potest furari, ego habebat ius iustitiæ, quia ius charitas non dat ius ad furandum. Hanc videtur tenere D.Thomas *q*.13.*de malo*,*art*.2.*ad* 4. licèt possit explicari de debito iustitiæ legalis. Et clarè hanc tenent Spino *speculo testam*.*gloss*.6.*n*.8.Caiet.2.2.*q*.118.*ar*. 3.Aragon 2.2.*q*.32.*art*.5.*fol*.742. Sarmiento *de redditib*. 3.*p*.*c*.4.*n*.3.4.5.6. & in defensorio illius *lib*.2.*monito* 3.*n*. 1.Nauarra *lib*.3.*de restit*.*c*.1.*à n*.344 *per plures*,*fol*.117. & aliqui alij,vt refert Metina *C*.*de rest*.*q*.3.*causa prima*,*fol*. 11.§.*est alia quæstio*.

60 Aduerte tamen quòd licèt ij, quos refert Metina dicant, quòd qui in extrema non succurrit dando eleemosynam, tenetur illi eleemosynam illam restituere, transacta ea necessitate,& Bañes 2.2.*q*.32.*art*.6.*fol*.1154. dicit quòd hoc asserens nihil absurdi diceret: at oppositum dicendum est etiam iuxta Doctores huius sententiæ; & probat efficacissimè *ibi* Metina, quia (inquiunt) hæc non est obligatio simpliciter iustitiæ commutatiuæ, sed iustitiæ subsidiariæ,id est, in subsidium illius necessitatis: quare transacta cessat obligatio iustitiæ, sicut & obligatio charitatis. Sic fatentur Nauarra *ibi num*. 354. Aragon *ibi* Sarmiento *ibi*. At dicit Nauarra *n*. 353. teneri restituere damna subsequuta ex eo quòd non subuenit tempore extremæ necessitatis. Quod si illi opponatur,quòd priuatus non defendens proximum à morte iniusta cùm possit, peccat, & tamen non tenetur restituere, cùm tamen illa sit extrema necessitas. Respondetur, quod si defensio erat, quia fame moritur, vel veste, aut medicina infirmus eget, vel dando illi ensem,vel aliam rem similem, vt se defendat, & hoc quando extremè his indiget, tenetur non defendens ad damna, & tenebatur ex iustitia reddere rem illam; si tamen res, qua indiget,est meum testimonium, vel meæ vires,vel industria nõ teneor ad damna,nec ad rem ipsam ex iustitia reddendam.Ratio, quia res hæ non sunt iure naturæ communes,sicut res corporales,vt aqua, panis in extrema necessitate. Et sic concludit *n*.355. oportere, quòd vt sit obligatio iustitiæ, indigentia extrema sit bonorum corporalium; & quòd sit indigentia extrema simpliciter,ita vt nullibi habeat bona, nec artem, nec vires,quibus acquirit.

61 Secunda sententia probabilior docet non teneri in extrema necessitate lege iustitiæ, sed tantùm charitatis, & sic si nõ subueniat,nec rem ipsam, nec damna tenetur restituere. Probatur primò, quia actus eleemosynæ est suapte natura elicitus à misericordia, imperatus verò à charitate: ergo vbi est maior indigentia, vt est extrema, erit maior ratio eleemosynæ, & misericordiæ, at id, quod est debitum ex iustitia, non est eleemosyna, nec actus misericordiæ: ergo. Item quia Doctores, vt vidimus *dubio primo*, dicunt in extrema necessitate obligare præceptum eleemosynæ; ergo tunc est vera eleemosyna,& non debita ex iustitia. Item probatur destruendo fundamenta oppositæ sententiæ: primum enim nil probat, Sancti enim largè appellant raptores, & aliena possidentes,quia tenebantur lege charitatis dare pauperibus, & constat quòd sic loquantur, quia loquuntur etiam extra extremam,& tunc constat apud omnes non esse obligationem iustitiæ. Nec secundum argumentum aliquid probat, quia iustitia illa legalis, de qua loquitur *ibi* D.Thomas,nõ est vera iustitia,& specialis virtus, quæ versatur in his, quæ sunt ad alterum ad reddendum debitum secundùm æqualitatem, sed est iustitia generalis, virtúsque generalis, quæ versatur in referendo omnes actus virtutũ in commune bonũ humanum. Sicut charitas generalis virtus refert omnes actus virtutum in bonũ, & amorem diuinum,vt docet idem D. Thom. 2.2.*q*.58. *art*.6.& patet hoc, quia D. Thom.*in illa q*.118.*ar*.4.*ad* 2. vbi dicit esse hoc debitum legale, loquitur etiam extra extremam, quando diues habet superflua: vt patet expresè ex verbis citatis: in quo casu aduersarij etiam fatentur non esse iustitiæ debitum. Non obstat tertium, quia falsum est solùm ad obligationes iustitiæ posse iudicem compellere,loquendo de iustitia, vt est virtus specialis:nam potest compellere ad seruandas omnes leges, at leges feruntur de actibus omnium virtutum, teste D. Thoma 1.2.*q*.95.*art*.1.& meliùs *q*.96. *art*. 3. iuxta illud Philosophi Ethic.5.*Præcipit lex*, *quæ debent fortes opera facere*, *& quæ temperati*,&c. Sed erit hæc iustitia legalis: Sic respondet Nau.*Apolog*.*ad lib*.*de reddit*.*q*.2. *monito* 1. *n*.2.3. & patet etiam hoc, quia iuxta aliquos oppositæ sententiæ, vt mox dicemus, potest etiam iudex cogere in graui necessitate, & tamen tunc non est obligatio iustitiæ. Non obstat quartum, quia illa expositio est minus vera, sed ad hunc sensum sunt omnia communia, quòd potest extremè indigens rem alienam, qua indiget, accipere, & per illius apprehensionem, & consumptionem fit sua: vt benè exponunt Soto 4. *de iust*.*q*.7.*art*.1.*ad* 4.& Ledesm.2.4.*q*.18.*art*. 5. *dubio* ferè *vltimo*, & alij: nec talis conditio, nec lex iustitiæ apposita fuit in rerum appropriatione, sed mansit lex charitatis præcipiens eleemosynam non tantùm in illa extrema, sed etiam in graui necessitate. Non obstat etiam quintum, quia vera est maior, quando res ita est communis, vt sit sub vtriusque dominio, secus quando tantùm est communis ad hunc sensum, quòd est lege charitatis communicanda, & per apprehensionem, ac consumptionem illius fit propria extremè indigentis, at ante talem apprehensionem est reuera possidentis, & tantùm lege charitatis tenetur illam communicare. Non obstat etiam sextum, quia licèt tantùm sit ius charitatis, potest furari, quia alter tenebatur dare, & manet etiam ius naturæ in sua vi; iuxta quod omnia erant communia. Et patet etiam hoc, quia Nauarra, & aliqui alij prioris sententiæ Doctores cum aliis fatentur licere furari in graui necessitate, cùm tamen censeant in ea non esse obligationem iustitiæ ad eleemosynam. Et sic hanc sententiam tenent Soto *l*.5.*de iust*.*q*.3.*art*.4.*vers*.*at vero*. Ledesm.2 4.*q*.15.*art*.3.*fol*.115.*pag*.2. Metina *q*.3. *de restit*.*causa* 1. & clariùs *q*.9.*fol*.38.*pag*.4. *vers*.*secunda etiam propositio*. Nauarr. *summa c*.24. Hispan. *n*.5. Lat.*n*.7.& *Apolog*.*ad lib*.*de redditibus*,*q*.2.*toto monito* 1. 2.& 3 Salon 2.2.*q*.62.*art*.7.*controu*.2.*vers*.*Probatur efficacissimè*. Bañes 2.2.*q*.32.*art*.6.*fol*.1154. Idem expresè colligitur ex multis, quos referam *dubio sequenti*,sub hoc dubio ponendo, quos refert & sequitur Couarruuias, *var*.*c* 14.*num*.5, dicunt enim in extrema necessitate nullam esse actionem pauperis in diuitem, vt ei subueniat, sed tantùm posse implorare officium iudicis, vt cogat diuites, ita quòd hæc actio iudicis officio, & non iure actionis sit. Sentiunt ergo clarè non teneri diuitem ex lege iustitiæ: si enim debitum esset iustitiæ, haberet actionem pauper. Quare malè Nauarra refert pro se Couarruuiam, cùm expresè sit huius sententiæ: & quando hoc vacat ibi debitum iustitiæ intelligitur legalis, vt clarè se explicat, & ne sibi contrarius sit.

62 Septimò dubitatur, an iudex possit cogere diuites ad dandam eleemosynam pauperibus quando ad hoc tenentur.

63 Certum est apud omnes Doctores citandos posse iudicem cogere tempore extremæ necessitatis: quod vltra Doctores citandos tenet etiam Bañes 2.2.*q*.32. *art*. 6.*dub*.2.*fol*.1154.Ledesm.2.4.*q*.15.*art*.3.*fol*.118.*pag*.4.& dicit *ibi* Bañes posse ad hoc compellere iudices Ecclesiasticos,& sæculares.Et quòd possint Ecclesiastici, tenet Greg.Lopez *p*.5.*tit*.1.*in proœmio*,*gloss*. 1.& multi, quos refert,& sequitur Tiraquellus *de nobili*.*c*.29.*n*. 46.*gloss*. *c sicut* 47.*dist*.*vers*.*Esurientium*.

64 Duo verò vertuntur in dubium: alterum est, an

Universidad de Deusto
Biblioteca



extrà extremam necessitatem possit iudex compellere ad talem eleemosynam, Duplex est sententia.

Prima negat, quia nullum acquiritur ius huic, vel illi pauperi, cùm possit diues extra extremam non dare huic, sed alij reseruare. Sic tenent Sarmiento *de reddit.bus* 3. *p.c.*4.*n.*34.5. Soto *lib.*5. *de iust.q.* 3. *art.* 4. *vers.primam.* Spino *speculo testam.gloss.*6.*n.*8. Couar. 3. *var. c.*14. *n.* 5. *vers.vtcumque*, additque tantùm habere locum, quando etiam diuites habent superflua statui,

65 Secunda sententia probabilior docet posse etiam citra extremam, scilicet in grauibus necessitatibus, quando diuites habent statui superflua. Ratio, quia licèt non sit acquisitum ius etiam charitatis huic, vel illi pauperi; potest enim diues in vnum, vel alium dispensare: at communi hominum bono quæsitum est ius, vt quæ supersunt vni, dentur indigentibus. Sic tenent Caiet. 2. 2. *q.* 118. *art.*3. Palacios 4.*d.*15. *disp.*6 *fine fol.*106. Nauar. *Apologia ad lib.de reddit.q.*2 *monito* 2.*num.*2. Nauar. *lib.*3.*de restit.c.*1.*n.*374. Aragon 2.2.*q.*32. *art.*5. *fol.* 743. faciunt alij Doctores, qui absolutè docent posse cogere ad eleemosynam. Sic glossa, & Tiraquellus citati, & quos ipse refert; & Palacios *cap. per vestras*, *not.* 3.§.12.*n.*2. Auiles *c.*17. *Prætorum.gloss.arazonables*, *n.*12. Gregor. Lopez *suprà* faciunt etiam ad hoc Sylvest. *verb. eleemosyna quæst.* 6. Ang. *ibi num.* 11. & etiam docent posse cogere, quando est præceptum de danda eleemosyna.

66 Alterum, quod vertitur in dubium, est, an pauperes habeant actionem contra diuites, vt dent eis eleemosynam in extrema necessitate, in graui enim certum videtur non habere actionem, sed posse implorare officium iudicis, vt eos cogat, cùm (vt dixi) certum sit extra extremam non esse hoc iustitiæ debitum.

67 In extrema verò necessitate dicunt quidam actionem contra diuites habere pauperes: & fundantur in hoc, quia lege iustitiæ tenentur diuites in tali necessitate ad eleemosynam. Sic Sarmiento, Spino *proximè citati*, & Aragon *fol.*742.

68 At dicendum est, non habere talem actionem, sed tantùm posse implorare officium iudicis, vt cogat, & sic hæc coactio iudicis officio, non iure actionis fit: quod sic probatur, quia (vt dixi) hoc debitum non est lege iustitiæ pauperibus. Sic tenet glossa *c.sicut vers. Esurientium*, 47. *dist.* Tiraquellus multos referens *d.n.*46. Couar. multos etiam referens *d.n.*5. Sylvest. & Ang. *proximè citati.* Butrio, Immola, Panor. Anton. de Burgis *c.*1. *de emptio.* Greg. Lopez *supra*, & hæc sententia est communis.

69 His ergo de præcepto eleemosynæ præmissis, veniendum est ad solutionem quæstionis initio propositæ, an Petrus, ad cuius ianuam infans expositus fuit, ad alterius ianuam poterit exponere.

70 Hic casus potest dispurari iuxtà leges iustitiæ, & charitatis.

71 Primò dico: quòd hic Petrus exponens ad ianuam alterius illum puerum ad suam expositum, non peccat contra iustitiam, & sic non tenetur alteri restituere expensas educationis Probatur, quia non tenetur ex iustitia eum alimentare: & licèt diceremus cum aliis teneri ex iustitia, quia hæc est extrema necessitas: at iidem fatentur esse iustitiam subsidiariam, & sic non obligare ad restitutionem. vt dixi *hìc dubio* 6. Item quia illum exponendo alteri suam rem familiarem non abstulit, nec ad educandum coëgit, benè enim poterat, saltem non violando iustitiam, nolle eum educare, & ad Ecclesiæ canabula, seu alterius ianuam exponere.

72 Secundò dico, quòd licèt iudex eo quòd non sit locus publicus ad talium puerorum educationem deputatus, cogeret hunc, ad cuius ianuam puerum exposuit Petrus, vt educaret illum, eò quòd illum ibi inuenerit commodiùs, vt diximus *hìc dubio* 7. posse cogere: adhuc Petrus, qui exposuit, non tenetur restituere expensas. Nec est simile de eo, qui exponeret ad ianuam alterius aliquem, qui occisus fuit, vnde orta est suspicio, & indicium aduersùs cum, ad cuius ianuam inuentus est, ipsíque hoc damnum est subsecutum: tenetur enim hoc damnum restituere; quia in hoc casu cogitur quis ad id, ad quod aliàs non tenebatur. & sumpto indicio ex tali expositione, ita vt iudex teneretur procedere contra illum: at in priori casu tenebatur ille ex lege charitatis, vel saltem alius de oppido ad alimentandum illum expositum, nec iudex constringitur compellere hunc, ad cuius ianuam inuenit expositum, sed hunc, vel alium de populo debebat compellere; & sicuti, si iudex vellet me compellere, vt educarem puerum, & ego illum rogarem, aut subornarem, ne ad meam, sed ad Ioannis ianuam, puerum exponerer, non essem iniustus, nec teneret restituere Ioanni, quia vtor iure meo, nec iniustè cogitur Ioannes, à fortiori in hoc casu, in quo non rogo iudicem, sed hic potius manet omnino liber, & spontaneus, & poterat cogere hunc, ad cuius ianuam erat, vel alium quemlibet diuitem ex ciuitate, quamuis propterea quòd illum inuenerit ad illius ianuam, ipsum compulit, & coëgit: quandoquidem magis concurro in eo casu, quo ab ipso iudice contendo, vt puerum tradat educandum Ioanni, v.g.

73 Tertiò dico, quòd licèt sit maior difficultas, an scilicet peccet contra charitatem, cùm sit illa extrema necessitas illius pueri, vt patet ex dictis, sunt enim in eo euidentia signa proximæ mortis, nisi ei succuratur, & sic videtur, quòd tenebatur ex charitate illum alimentare: at dico quòd si hic, qui ad portam alterius exposuit, non habebat superfluum naturæ sibi, & suis, nullo modo deliquit; quia non tenetur secundùm omnes, vt diximus, de necessario naturæ sibi & suis facere eleemosynam, etiam in extrema necessitate.

74 Quartò dico, quòd si erat hospitale, vel locus alius pueris expositis alendis deputatus, exponens ibi taliter, quòd puer nullum subiret periculum, non peccat in charitatem, licèt superflua naturæ, & statui haberet, sicuti non excipiens aliquem ægrorum, sed mittens illum in xenodochium, non peccaret. Ratio, quia ille non patitur extremam, nec grauem necessitatem, tollitur enim necessitas, si est alius, qui occurrat ei, vt diximus ex Nauarro in omnibus summis *c.*24.*n.*5. & in Lat. etiam *n.*17. & amplius patet ex dicendis *dict. sequenti*; & etiam, quia licèt ille teneatur superflua pauperibus erogare, at non tenetur huic, vel illi, modò non laboret extremè, vel grauiter, vt diximus *hìc.*

75 Quintò dico, quòd licèt non esset talis locus, si esset aliquis alius in promptu, qui puero sic exposito subueniret, non peccaret etiam contra charitatem ad portam illius exponens. Ratio, quia licèt in extrema necessitate sit præceptum de eleemosyna ratione necessitatis, ita vt non sufficiat dicere, si non dedero huic, dabo alij pauperi; sicut sat est in communibus necessitatibus: at id intelligitur quando non est in promptu alius, quem valdè probabiliter credo illi subuenturum, vt dicemus *hìc.*

76 Sexto dico, quòd si non esset alius in promptu, qui subueniret puero sic exposito, peccaret talis mortaliter contra charitatem, si haberet superflua naturæ; quia hæc est necessitas extrema, in qua de necessariis ad statum, superfluis verò ad naturam, tenetur ad eleemosynam, vt dixi.

77 Septimò dico, si ex receptione huius pueri probabiliter immineret infamia, aut huius periculi, vt si esset honestus quidam presbyter, aut quædam virgo, vel vidua honesta, de qua possent alij suspicari esse suum, non peccaret exponendo puerum ad alterius ianuam, quamuis non adeò certò sciret illum esse in promptu ad subueniendum puero; quia si propria mater ad tegendum proprium delictum potest puerum exponere, vt benè Caiet. *sum. verbo Adulterium.* & *ibi* Arm. *n.*8. nedum poterit extraneus, ne falsò sibi imputetur delictum, ac per hoc grauem infamiam contrahat, lex enim charitatis non obligat tanto periculo, ac dispendio.

78 Vltimò



78 Vltimò dico, quòd, moraliter loquendo, non peccat hic, exponens ad alterius ianuam, contra charitatem; quia valde probabiliter est certus, se non subueniente, esse alios, qui his expositis subueniant, & sanè nunquam contigit puerum ita destitui, quin ab hoc, vel illo excipiatur, dummodo sit illi cura, & prospiciat ne puer tandiu ibi moretur, quin ab alio excipiatur, vt immineret illi aliquod periculum; fauet Enriquez *lib.*7. *de matrim. c.*19.*n.* 7. vbi dicit rarò esse hanc necessitatem extremam.

## DVBIVM VI.

*An tunsores inuenientes aliquas raritates Hispanè razas, in pannis, & non admonentes pannorum dominum, peccent, & restituere teneantur; & quid si institorem certiorem faciant, & eidem postulanti sarciendum pannum tradant, vt ita raritas occultetur, ac dissimuletur.*

1 DIco primò quòd eo ipso, quòd dominum non admoneant, peccant, tum contra legem iustam regni, quæ est *lex* 16. *tit.*12. *lib.*5. *nouæ recopil.* quæ iubet, vt dominos certiores faciant, & non institorem: tum etiam peccant contra legem charitatis, quæ obligat ad vitandum damnum proximi. Quod intelligitur, nisi proprium damnum immineat, videlicet fore, vt lædantur ab institore, & malè tractentur: aut quòd hic procurabit, ne illis aliquid tundendum committatur; non enim lex charitatis cum tanto dispendio proprio obligat: at non tenentur restituere, violata lege, vel præcepto charitatis, quia non tenentur ex officio ad talem monitionem, cùm ob id stipendium non recipiant, & transgressio legis, vel præcepti charitatis non obliget restituere.

2 Secundò dico, quòd si à tunsoribus tradatur pannus institori, qui vendidit scientibus illud velle sarcire, & occultare, ac dissimulare damnum, tenentur hoc restituere; tum quia exhibent rem alienam ei, quem sciunt velle dánum inferre suo domino, súntque in causa cum eiusmodi rei exhibitione, quòd damnum inferatur, maximè quia iuxta communem sententiam, tradens, vel etiam vendès rem alteri, qua scit abusurum contra iustitiam, tenetur restituere.

## DVBIVM VII.

*An œconomi, aut quiuis alius, cui à domino redditus frumenti à colonis exacti seruandi traduntur, possint, si quæ postea incrementa reperiantur, sibi retinere, an potiùs domino restituere teneantur.*

1 IOsephus Angles *in floribus quæst. theolog.* 2.*p. mater. de restit.q.de œconomis, & deposito fol.*337. dicit teneri restituere. Ratio, quia hoc est lucrum ex aliena re acquisitum ex natura rei absque industria personæ. Quòd si allegetur, ideo œconomum triticum illud accipere suo periculo, & si auferatur à fure, soluit ipse. Respondetur satis à domino compensari pecuniis periculum, cui subest œconomus, ideo enim dat illi competens stipendium œconomi officio, aut soluit ei certam pecuniæ quantitatem, vt triticum recolligat, ac recipiat.

2 Nihilominus contraria sententia est probabilis, quæ tenet talem œconomum posse sibi retinere prædicta incrementa, dummodo mensuram bonam, ac iustam exhibeat, quin aliquid desideretur ex eo, quod accepit, nullaque fraus intersit faciendo quòd crescat, ac intumescat triticum, vt collocando illud in locis humidis, aut rigando horreum, aut ipsum triticum adaquando. Quamuis enim, in rigore loquendo, illud augmentum competat domino, vt conuincit argumentum oppositum, veruntamen probabile est posse œconomum eiusmodi augmentum sibi retinere eo titulo, quòd id soleat esse emolumentum eorum, qui custodiunt, & accipiunt illud in mensura suo periculo: & per consensum tacitum consuetudine interpretatum, &c. vsus enim hoc augmentum illis impertitur: nam omnes, qui tradunt triticum custodiendum, aut recolligendum, norunt esse incrementa, quæ nunquam exposcunt, sed eo solùm contenti sunt, quòd bonam mensuram plenámque exhibeant. Item quia cùm hoc triticum sit vsu consumptibile, transfertur dominium in depositarium, atque ita damnum, & emolumentum ad illum debet pertinere, iuxta *legem* 2. *tit.*3. *part.*5. in qua dicitur, quòd quando deponitur res vsu consumptibilis numero, pondere, & mensura, transfertur dominium in depositarium, illíque tanquam vero domino damnum imputatur, & tenetur de casu fortuito, & per consequens etiam ad illum emolumentum spectat: immo etiam in casu, quo præfatus œconomus non esset depositarius, sed merus agens, probabile est futurum esse suum emolumentum, & augmentum, supposito, quòd ille est obligatus ad diminutionem, & detrimentum, quamuis absque sua culpa contingat, quandoquidem hoc excedit limites agentis, nisi speciale iniretur pactum de reddendis incrementis, atque ob hoc periculum supra se acceptum plus stipendij daretur illi, quàm de more illi conceditur ratione œconomi officij: sic responderunt mihi docti Magistri à me per literas consulti.

## DVBIVM VIII.

*An qui conducit mulam ad iter faciendum ab vno oppido in aliud, designatis, v.g. octo diebus ad eiusmodi iter, possit ad oppidum distantius transire, dummodo non plures, quam assignati sunt dies, in itinere consumat.*

1 CLaritatis gratia specialiter loquamur de eo, qui conduceret multam ab Hispali, exempli causa, ad Marcenam nouem leucas distantem, pro quò itinere designari solent tres dies, vnus ad eundem, alius ad requiescendum, & vltimus ad redeundum: ita quod licèt prius veniat, quàm præterierint prædicti tres dies, soluturus est pretium illorum: dubitatur, si volens quis ab Hispali ire in aliquod oppidum Marcena distantius, conduceret mulam solùm ad Marcenam, vt ita excusaret pretium plurium dierum, an peccet, & teneatur restituere illud pretij, quod solueret, si ad illud oppidum distantius conduceret.

2 Et videtur teneri, quia contractus est iustus ex parte locatoris, quandoquidem sub hac ratione, & modo est in more conducere, & fraudulenter auferetur illud pretium, quod ampliùs acciperet dominus mulæ, si diceretur illi ad illud oppidum distantiùs, & non tantùm ad Marcenam mulam duci.

3 Nihilominus respondeo, nullam iniustitiam committere eiusmodi conducentem, nec teneri restituere, modò id opinato eueniret, quia quando conduxit mulam, minimè cogitabat Marcenam transgredi, modò ea intentione conduceret vlteriùs transeundi, dummodo alia ex parte nulla interueniret iniustitia, seu damnum locatori, propter magnam mulæ defatigationem. Ratio est, quia si post factum iter diebus, qui supersunt conductionis, possum vti eiusmodi mula ad laborem domesticum, asportando stercus, aut aliam rem, videnter ipso domino; quare non potero iter agere non nimis defatigando mulam, quandoquidem est labor vel minor, aut æqualis cum illo, quem subiret domi.

4 Item quia quando absque fraude conduxit mulam ad Marcenam, & vlteriùs transiuit, ad nihil eum obligabimus, dummodo intra designatos tres dies redeat; ergo idem est dicendum, licet fraus intercedat, si quidem bona fides nullum in hoc iustitiæ titulum præbet. Item quia quando conducitur mula hinc ad Marcenam per tres dies in illis est, quasi esset sua, & non alterius; ergo si illam facit laborare per eiusmodi tantùm tres dies, nil tenetur restituere: nec obstat ratio in oppositum; tum quia hæc positio non est legalis, quæ consistit in indiuisibili, & ita recipit magis, & minus: tum etiam, quia conducere mulas ad talem locum, & non ad alium, &c.



E 2 deseruit

Universidad de Deusto
Biblioteca



deseruit ad hoc, quòd si vlteriùs transeat, & perit, non pereat domino, sed conducenti. Sic quidam docti recentiores, qui hinc intulere, quòd si interfuit aliquod mendacium, vel fraus, dicendo conduci ad vnum locum, cùm tamen conduceretur ad alium; fuit tantùm leue, & veniale, quod ego quoque probo.

## DVBIVM IX.

*An liceat alicui in quouis casu erigere in altum suas ædes, vel fenestras aperire, licèt inde sequatur damnum religiosis domibus, quia scilicet patebunt secretiora illarum.*

1 SIt prima conclusio: stando in iure communi, & regulariter licet cuique domum suam altiùs, & vsque ad cœlum tollere, licèt inde vicinis damnum sequatur, & lux vicinis domibus tollatur, ac secretiora earum propalentur. *l. altius. C. de seruitut. & aqua.* quando altiùs tollitur non ob vicini æmulationem, sed ad suam vtilitatem, vt expressè habetur *l. 19. tit. 32. part. 3.* & *ibi* Gregor. Lopez *versic. maliciosamente*, Paulus de Castro, Petrus Cynus, Salizetus, Baldus *dicta l. altius*, vbi etiam Padilla *n.* 18. Couarr. 3. *variar. cap.* 14. *n.* 8. *vers. vltima prioris*, Anton. Gomez *l.* 46. *Tauri, n.* 6. 7. Alexand. *consil.* 174. *volum.* 2. *& consil.* 9. *n.* 3. *in* 6. *volum.* Aimon *consil.* 94. Cæpola *de seruitut. vrban. prædio. cap.* 39. *&* 62. Dueñas *regul.* 33 Sozinus *regula* 101.

2 Nota primò præsumi quemquam altiùs tollere domum, vel aperire fenestram ob vicini æmulationem, quando inde nulla vtilitas sibi prouenit, at vicino resultat damnum. Sic Paulus de Castro, Gregorius Lopez, Couarr. Cæpola, Anton. Gomez *n.* 8. 9. *ibidem.* Padilla *ibidem n.* 22. alios referens, Dueñas *vbi suprà n.* 7.

3 Secundò nota, idem præsumi, quando sibi modica sequitur vtilitas, & magnum damnum vicino; quia quod parum est, pro nihilo reputatur. Anton. Gomez *ibi*, Sozinus, Decius, Aimon, quos refert, & sequitur Padilla *dicto n.* 22. Cæpola *dicto cap.* 39. *contra Alciatum*, quem refert, & carpit Padilla *dicto n.* 22. quia parum, & nil æquiparari iure solent *l. quamuis ff. de condit. & demonstrat. l. illud §. minus. ff. de trib.*

4 Tertiò nota, in dubio non præsumi facere, vt vicino noceat, sed vt sibi prosit; quia in dubio non præsumitur delictum, *l. meritò. ff. pro socio.* Sic glossa *l. fluminum. §. finali, vers. non tenet. ff. de damno infecto.* Cæpola, Ant. Gomez & alij, quos refert, & sequitur Padilla *dicto n.* 22.

5 Quartò nota, quòd conclusio posita patitur aliquas limitationes.

Prima limitatio est, nisi esset seruitus imposita per pactum, vel consuetudinem, vel legem, vt altiùs non tolleretur. Sic Cæpola *dicto cap.* 39. plures textus, & Doctores allegans, Anton. Gomez *n.* 6. Dueñas plures referens *dicta regula* 33.

6 Secunda limitatio; quando quis habens plures domos, legat vsumfructum alterius cuidam, non potest hæres alteram extollere: & sic obscurare domum vsum fructuariam in totum, sed saltim modicum lumen, quod habitantibus sufficiat; relinqui debet. *l. si is, qui binas. ff. de vsufruct.* Cæpola, Dueñas *vbi suprà.* Padilla *n.* 26. & 27. dicit idem esse in donatore volente altiùs erigere domum suam, ita vt domus, quam donauit, lumina prorsus obturentur, & id probat.

7 Tertia limitatio: in donatario volente obturare lumina ædium donatoris erigens, res donatas; non enim ferendus videtur ingratus hic donatarius. *l. ad res donatas. ff. de ædilit. edicto*, ibi, *Ne eo casu liberalitatis suæ pœnam donator patiatur.* Sic Padilla *n.* 29.

8 Quarta limitatio, in locatore, non enim potest lumina domus, quam locauit, prorsus obturare, *l. si merces. §. si vicino. ff. locati.* Cæpola *dicto c.* 62. *n.* 9. Padilla *n.* 30.

9 Quinta limitatio, fauore scholarum, nam iuxta scholas, quis ædificare nequit, ita vt luminibus earum officiatur. Sic Anton. de Butrio, quem refert, & sequitur Cæpola *dicto c.* 39. Dueñas plures allegans *vbi suprà. Padill. n.* 28.

10 Sexta limitatio, quando ædificium impediret ventum in area necessarium ad euentilandum, vel in prædiis rusticis impediret solem necessarium ad fructus, & hoc fauore agriculturæ. Cæpola *dicto cap.* 39. Ant. Gomez *n.* 7. Dueñas *vbi suprà* plures allegans, Anton. Gomez *tomo* 2. *var. c.* 2. *n. vltimo, vers. Quartus casus.*

11 Septima limitatio, quando ædificaret supra re communi ipsius ædificantis, & alterius, cui officit, Cæpola *dicto cap.* 39. Dueñas *vbi suprà* plures referens,

12 Octaua limitatio, quando quis iure communi posset ædificare, quia solum est suum; secus si ex priuilegio generali vel speciali alicui concederetur à Principe, vel superiore, vt posset in loco publico ædificare; quia intelligitur sine damno alterius. *l. 2. §. merito, & §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publico*, & *ibi* glossa, & Cæpola *dicto c.* 39 plura allegans Anton. Gomez *l.* 46. *Tauri, n.* 6. Padilla *vbi suprà n.* 30.

13 Secunda conclusio: dominus fundi, vel soli potest in domo sua, vel pariete suo de nouo facere, vel aperire fenestram; licèt maximè tendat in præiudicium vicinorum, & per eam possit eorum secreta videre, & hoc stando in iure communi, modò ad vtilitatem suam faciat. Sic Bald. Paulus, Salizetus *dicta l. altius* Ant. Gomez *l.* 46. *Tauri, n.* 7. vbi plures allegans probat id verum esse, etiamsi per tempus immemorabile non fuisset ibi talis fenestra, vel ædificium. Quod est verum, nisi illo volente ædificare, vel fenestras apetire, vicinus eum prohibuerit, & ex tunc decem anni inter præsentes, & viginti inter absentes præterierint, quia præscribitur hoc tempore contra alium seruitus altiùs non tollendi, vel ædificandi, vt docent Anton. Gomez *dicto n.* 7. & glossa, & communis *l. qui luminibus. ff. de seruit. vrban. prædio.*

14 Sed dubium est, an conclusiones positæ procedant, etiamsi fenestras aperientes possint per eas videre secretiora domuum religiosarum. Couar. *vbi suprà*, dicit forsan propter publicam vtilitatem, quæ à religiosis domibus prouenit, non poterit quis altiùs tollere, vel fenestram aperire, licèt non faciat ad æmulationem, quoties inde domui religiosæ grauissimum imminet damnum.

15 Padilla *vbi suprà n.* 19. tenet respectu monachorum erigi posse ædes, vel aperire fenestras, licèt secretiora eorum videantur: at respectu Monialium non posse per textum *l. finali. C. de custod. reor. & c. mulieres, de iudiciis in* 6.

16 Tertia conclusio. Probabilius est, conclusiones positas habere locum, etiamsi secretiora domus Monialium propalentur. Probatur, quia non est textus concedens id priuilegium monasteriis. Sic tenent Baldus *dicta l. altius*, Cæpola *dicto c.* 62. & id indistinctè dicit de monasteriis. Anton. Gomez *d. c.* 6. & refert Cynum, Petrum, Albericum, Paulum de Castro, Salicetum.

17 Nota tamen, quòd Padilla *dicto n.* 20. dicit, si monasterium offendatur, potest vicinum compellere, vt vendat ipsi monasterio seruitutem altiùs non tollendi, & refert Ant. Gomez *dicta l.* 49. *Tauri, n.* 9. Sed Ant. Gomez non id dicit absolutè, sed si vtilitas, quam domus sentiret, esset longè maior, quàm damnum, quod resultat monasterio, vel Ecclesiæ ex ædificio, non posset cogi vendere hanc seruitutem: si verò damnum Ecclesiæ esset longè maius, teneretur dominus, & esset cogendus vendere seruitutem. Et ratio eorum est, quia monasterium pro domo sua extruenda, vel etiam amplianda compellere potest vicinum, vt proprias ædes ipsi vendat. Sed hoc fundamentum valde dubium est, & id impugnat Couarr. *vbi suprà n.* 7. & ideo doctrina, quæ super ipsum fundatur, dubia est, licèt sit valde probabilis.

18 Quarta conclusio; licèt iure communi conclusiones positæ sint veræ, at attento iure Regni non potest quis ita ædificium suum in altum tollere, vel fenestram aperire, vt secreta domorum vicini pateant. Probatur ex *l.* 25. *tit.* 32. *part.* 3. vbi sic dicitur: *Puede vno alzar su casa quanto*





*to quisiere guardando toda via, que no descubra mucho las casas de sus vecinos.* Vbi Gregor. Lopez *verbo mucho* dicit hæc: *Hæc lex notanda est, iure enim communi libertas erat extollendi, quantum vellet: at hæc lex vult, quòd etiam quãdo non debetur seruitus, vel cessaret consuetudo, vel statutũ, immo adesset libertas, & commoditas ædificanti, adhuc carere debet, ne nimis ædes vicini pateant.* Et Padilla *vbi suprà num.* 31. dicit hæc: *Licentia altiùs ædificandi restricta est per l. Partitæ: vnde nemini iam sic licet erigere suas ædes, vt secretiora domus vicini possit penetrare.* Et Parlad. *lib.* 1. *de rebus quotid. c.* 15. *fine* dicit hanc l. Partitæ notandam, quia iure communi id expressum non erat.

19 Nota nullam iuris rationem habere, quod quidam vulgò dicunt, si via publica media intersit, posse vicinum in altum tollere ædificium, licèt vicini domus pateant; secus verò si domus contiguæ sint; quia hæc distinctio nullo iure fulcitur. Sic Padilla *n.* 19.

20 Vltima conclusio: si ædificia sint in plateis, vel in viis, quæ ædificia impediunt eas, talia ædificia impeditiua exturbantia decorem locorum publicorum omnino demolienda sunt, nec sunt retinenda, vt constat ex pragmatica Burgis condita 1496. & docet Auendaño *de exequendo mand. reg. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 17.

## DVBIVM X.

*An si maritus dissipauit multa bona acquisita constante matrimonio, ludis, & aliis prauis vsibus, vt cum meretricibus, &c. teneatur soluto matrimonio sic malè consumpta in sua parte computare.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet teneri in sua parte computare; quia hæc est quædam societas inter virum, & vxorem, & in omni societate hoc est commune, vt si socius aliqua malè expendat, teneatur in sua parte imputare. Sic Montalbus *lib.* 3. *fori, l. tit.* 3. *de las ganancias, vers. por medio.* Matienzo *lib.* 5. *ord. tit.* 9. *l.* 5. *glossa* 6. *n.* 12. & *ibi*, quando est notabilis pars, quam malè expendit: & præter quam si ludo amiserit, quia ludus est quidam contractus lucro, & iacturæ expositus. Idem Aiora *de partit. 1. part. c.* 8. *n.* 10. Nauarra *lib.* 3. *de restit. c.* 1. *à n.* 15. Cord. *summa q.* 125 *dicto* 6. & dicit quòd vxor potest occultè compensari.

2 Secunda docet, quòd licèt in iuris rigore sit vera sententia posita, at contraria est vera, scilicet non teneri virum in sua parte imputare malè consumpta, attenta practica, & consuetudine recepta; non enim solent fieri hæ considerationes, quando soluto matrimonio lucra diuiduntur. Nec valet argumentum de aliis societatibus, quia alij socij non valent inuito socio, alienare: & esset nimis restringere virorum potestatem, & cùm ipsi principaliter lucrentur, & labores subeant, magis est concedendum ipsis, quàm aliis administratoribus. Nec obstat *lex* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *nouæ recopil.* in quantum dicit. *Con tal que no sea en fraude de la muger*, quia vir non facit hæc, vt fraudet vxorem. Sic tenet Gregor. Lopez *l.* 13. *tit.* 10. *part.* 5. *versic. ganancias.* Gutierrez 2. *pract.* 121. *n.* 7. Nauarrus summa Latin. *c.* 17. *n.* 155. Anton. Gomez *l.* 51. *Tauri n.* 73. Azebedo *lib.* 5. *recopil. tit.* 9. *l.* 5. *n.* 10. Baëza *de decima tuto cap.* 27. *n.* 28. Xuarez *lib.* 3. *fori l.* 1. *tit.* 3. *de las ganancias n.* 57. Ioann. Garcia *de conug. ac quæstu, n.* 66. Burgos de Paz iunior *q.* 8. *ciuili n.* 29.

3 Sit conclusio: Prima sententia probabilior est, stando in rigore iuris: at secunda est probabilis, & in praxi magis recepta.

## DVBIVM XI.

*An liceat Christianis furari bona infidelium habitantium in terris vsurpatis quæ erant Christianorum, v.g. bona Maurorum.*

1 SIt prima conclusio: Priuata autoritate nullus nostrûm per terras infidelium transitum faciens potest eorum bona accipere, vel deprædari, vel damnum aliquod suis bonis inferre, aut eos decipere in numero, pondere, vel mensura: sed vltra peccatum, tenetur restituere illis damnum. Ratio, quia præter regna, quæ occupant iniustè, cætera bona, quæ sua in dustria comparant, sua sunt. Item quia tempore treugæ hosti fides seruanda est, *c. noli* 23. *q.* 1. at qui per hos translitus faciunt, vel in terris horum infidelium negotiantur, habent treugas, & vt ferunt *van de paz.* sic tenet Metina consultus de hac re quem refert, ac sequitur Cord. summa casuum *q.* 66. Soto *lib.* 5. *de inst. q.* 3. *art.* 5. Angelus *verbo furtum n.* 39. Sylu. *ibi q.* 8. Armill. *num.* 12. Rosel. *n.* 24. Host. Raynerius, Pisana, quos refert, & sequitur Tabien. *verb. furtum, n.* 8. Diuus Anton. 2. *part. tit.* 1. *c.* 15. *§.* 1. *fine.*

2 Secundà conclusio: Tempore belli fas est horum bona deprædari; patet, quia tunc interuenit authoritas publica: constat etiam ex experientia, & praxi receptissima, cùm tunc etiam eos in seruitutẽ redigere fas sit. Sic Sylu. Arm. Tab. Rosel. Rayn. Pisana, Ang. Host. D. Anton. *ibid.*

3 Hinc infertur, Christianum iustè captum à Sarracenis, non posse furari, & si furetur, teneri restituere, dempto casu extremæ indigentiæ: at iniustè captum posse furari, nec teneri restituere. Probatur prima pars, quia est illic quasi tempore treugæ. Hispanè, *de paz.* Et respectu ipsius est tempus treugæ; & nulla ipsi in captiuitate irrogatur iniuria. Patet secunda pars, quia contra iustitiam priuatur sua libertate, & duram nimis seruitutem, & vitam patitur, quæ magna digna sunt mercede Sic D. Ant. Host. Raynerius, Pisana *vbi suprà.* Rosell. *num.* 25. Sylueſt. *q.* 9. Tabien. *n.* 8.

4 Nota huiusmodi Christianos iniustè detentos ab infidelibus posse furari ab eis tantùm, qui in captiuitatem ipsos redegere, vel ipsos captiuos habent, & tantum quantum sui redemptio, & famulatus, & iniuria, & damna inde secuta merentur, quia hi sunt causa: at à reliquis infidelibus non possunt furari, quia non sunt causa illius damni, nec iniustitiæ.

5 Sed licèt ea quæ diximus *n.* 1. 3. 4. vera sint, loquendo ex natura rei, & secluſa Christianorum Principum voluntate: at de facto ex iure belli, & ex præsumpta voluntate Christianorum Principum, cum quibus Mauri habent bellum iniustum, licitum est quibuscunque Christianis, siue in illis terris commorantibus, siue per illos transeuntibus, aut siue iustè, siue iniustè ibi detineantur quæcunque bona, à quocunque Mauro furari (cessante, tamen scandalo.) Sic P. Molina *tom.* 1. *de iustitia disp.* 37. *pag.* 294.

6 Tandem nota casu, quo quis Christianis contra iustitiam iuxta dicta furaretur bona Sarracenorum iniustè Christianorum Principum terras occupantium, quo casu tenetur restituere, sufficeret facere restitutionem Principi Christiano, ad quem pertinet illa terra: vnde si manifestet furtum Principi Christiano, & ille remittat omnino, vel cum aliqua compensatione; manet, qui sic furatus est, tutus in conscientia, quia Princeps ille potest illa bona, & alia plura ab infidelibus auferre, & illis bellum indicere, & eos in seruitutem redigere. Sic colligitur ex Metina & Cordub. *vbi suprà*, & ex Soto *vbi suprà*, dicit enim priuata autoritate non licere ab his furari, & sic videtur sentire, quod publica liceat: & tenent alij viri docti. Et videtur hoc intelligendum, nisi Princeps pacem iniisset cum istis; quia tunc non potest frangere pactum, nec ab his bona eripere.

# CAPVT VI.

*De promissione, & donatione.*

## SVMMARIVM.

DVB. 1. *An donator possit conditionem, modumve adiectum donationi in vtilitatem alterius, pacto cum ipso donatario*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*rio tempore contractu inito, reuocare postmodum, altero minimè consentiente.*

2 *De speciali quadam donatione à quodam Generali Societatis* IESV *in fauorem quorundam benefactorum facta, dubitatur, an fuerit valida, & expirauerit morte ipsius.*

3 *An contractus gestus ab vxore sine licentia viri, qui inualidus est iuxta legem 55. Tauri, &c. firmetur iuramento.*

4 *An mulier coniugata possit donare causa mortis absque viri licentia.*

5 *An mulier coniugata possit eleemosynas inscio viro facere.*

6 *An vxor possit viro inuito aliqua parentibus, aut filiis prioris matrimonij, vel aliis consanguineis suis indigentibus dare ad eos alendos.*

7 *An ex bonis constante matrimonio acquisitis solus maritus valeat absque vxoris consensu, cui dimidia eorum pars debebatur, viuente eadem vxore contractus, & donationes, ac eleemosynas quasuis facere.*

8 *In quibus rebus possint expendi bona ciuitatis, vel oppidorum, Hispanè,* los proprios del concejo.

## DVBIVM I.

*An donator possit conditionẽ, modumve adiectum donationi in vtilitatem alterius, pacto cum ipso donatario tempore cõtractus inito, reuocare postmodũ, altero minimè consentiẽte.*

1 EXempli causa ponamus casum, quo quis donauit Petro mille aureos, vel fundum hac lege, vt post eius mortem succedat in his bonis talis persona, an possit donator pœnitere, & reuocare donationem, aut modum illum in fauorem illius personæ adiectum, antequam illa accepret, non obstante principalis donatarij, scilicet Petri acceptatione.

2 Hac in re duplex est sententia, & vtraque appellatur communis.

Prima dicit non posse reuocare etiam consentiente donatario, quia per acceptionem ipsius est acquisitum ius irreuocabile illi tertio, in cuius fauorem ille modus, vel conditio cadit. Sic renent multi per multos textus, quos omnes allegant Couarr. *1. variar. c. 14. n. 7. & 8.* Molina *lib. 4. de primog. c. 2. n. 74.* idem tenent Dueñas *regula 216. fine.* Auendaño *l. 40. Tauri gloss. 5. n. 7.* Anton. Gomez *eadem l. 40. Tauri num. 29. & 2. tomo variar. cap. 4. num. 1. 3. fine.* Villalobos *in antinomia iuris ciuilis, & regy, fol. 6. n. 26.* Azebedo *lib. 5. recopil. tit. 6. l. 11. num. 19.* Salzedo *in addit. ad Bernardum Diaz, regula 211.* Gratian. *regula 410.* dicens eam semper vidisse obseruari in iudicando, & consulendo. Mieres *tract. de Maioratu, 1. p. q. 13. num. 13.* cum aliis præcipuè *n. 20.* Perez *lib. 3. ordin. tit. 8. l. 3.* Angulo *de meliorationibus l. 1. gloss. 8. n. 21.* Costa *de patruo & nepote, pag. 9.* Menchaca *c. 62. controuers. vsu frequentium,* Gutierrez *c. quamuis pactum, in principio, n. 60.* dicitque sic consuluisse alios Aduocatos illius ciuitatis. Idem Xuarez *allegat. 19. & l. quoniam in prioribus*, in declaratione legis Regni *9. 8. n. 2* & omnes hîc dicunt esse communem.

3 Secunda sententia docet posse reuocari, nisi à tertio acceptata sit; & hæc est probabilior. Ratio, quia ex hac dispositione duæ donationes resultant, vt fatentur Paulus de Castro *l. si pecuniam, ff. de condict. ob causam. n. 3.* Suarez *d. q. 8. n. 6* Tello *l. 27. Tauri, n. 2.* Molina *lib. 1. de primog. c. 1. n. 17.* Gutierrez *lib. 2. pract. q. 52. n. 3.* nempe vna in fauorem primi, alia erit in fauorem secundi: constat, vtrumque donationem eodem iure censendam esse, ita vt sicut prima necessariò acceptanda fuit, ita, & secunda; quando verò ab illo acceptata fuit, reuocari non potest. Sic Bart. & multi alij, quos refert Couarr. *dicto num. 7.* idem Molina *lib. 4. de primogen. cap. 2 num. 73. & 74.* Iulius Clarus *lib. 4. recept. §. donatio. quæst. 13. versic. Secundus est articulus.* Gregor. Lopez *part. 5. tit. 4. l. 7. versic. el otro.* Gomez Arias *l. 25. Tauri, num. 30.* & Nauarr. *Apologia pro lib. de reddit. moni. 60. num. 2.* & Gutierrez *lib. 2. practic. quæst. 52. num. 6.* & multi ex his hanc vocant communem. Et hanc mihi dixit quidam doctus Iurisperitus esse veriorem, illámque omnino admittendam esse dicit Couarr. *ibi n. 8.* quando modus adiectus est in fauorem hæredis ipsius donantis.

4 Nota primò hoc habere verum, etiam quando modus adiectus est in fauorem Ecclesiæ, vel piæ causæ, potest enim reuocari ante ipsius acceptationem. Sic Molina *num. 74.* Couarr. *num. 15. 16.* alios referentes. Nauarr. *supra* contra alios, quos refert Couarr. & Molina. Item habet verum, licet notarius nomine absentis accepret, nisi alter acceptationem ratificauerit. Hæc enim acceptatio non sat est, vt donatio fiat irreuocabilis, vt dixi *lib. 1. de matrim. disp. 7. num. 3.* Sat autem erit tacita acceptatio: & quando in fauorem infantis, vel nondum nati fit, non requiritur ipsius acceptatio. Sic Molina *n. 75.*

5 Secundò nota, quòd etiam inuito donatario potest donator reuocare talem modum, quando nihil interest donatarij modum seruari, vel non: at si donatarij quidquam interesset modum non reuocari, non posset sine ipsius consensu reuocari; quia intercedit pactum etiam cum illo, & cùm sit acceptatum ab eo, non potest ipso inuito reuocari. Sic Couarr. *ibi num. 9. fine*, & quidam doctus Iurisperitus, quem ego consului. Et Conarr. allegat Lexrus, & Doctores, & subdit idem Couarr. quòd quoties aliquid traditur alicui, vt alteri det, potest pœnitere, & reuocare eo inuito, quando quod reuocatur, gratia tantùm dantis, & pœnitentis agendum erat.

6 Tertiò nota, limitandam esse hanc secundam sententiam, quam amplectimur, multipliciter.

7 Prima limitatio est, nisi interueniat iuramentum donatoris, per tale enim iuramentum redditur irreuocabilis illa donatio acceptata à solo donatario, etiam quoad modum in tertij fauorem adiectum. Sic Couarr. dicens esse omnium, *dicto cap. 14. num. 10.* & latè fundat post plures Peralta in allegatione pro comitatu de Roda *num. 49. & 73. cum sequentibus.* Idem quidam doctus recentior à me consultus. Immo Greg. Lopez *l. 7. tit. 4. part. 5. vers. el otro*, idem dicit quando donator feciſſet promissionem de non reuocando, seu ex verbis apparet hoc promisisse in fauorem secundi donatarij.

8 Secunda limitatio est, vt intelligatur secunda sententia posita quando donatio secunda inclusa in illo modo taliter facta est, ita vt eo morientе in alium vel alios transferretur, nec ad vlteriores protrahenda sit: secus quando facta est iure maioratus. vel aliter perpetuò familiæ, tunc enim proculdubio dicendum est, subsequuta primi acceptatione nullo pacto posse reuocari respectù sequentium: cùm enim ea donatio perpetua futura sit, atque in totius familiæ fauorem facta fuerit, consequens est, vt nomine familiæ à primo acceptata fuisse censeatur; ita vt vlteriorem acceptationem non exigat: non enim est possibile, vt ab omnibus acceptaretur. Et sic *l. 17. & 44. Tauri* decisum est, quòd per solam traditionem factam primo vocato ad maioratum efficiatur maioratus irreuocabilis tam respectu ipsius, quàm sequentium. Sic Molina *lib. 4. de primog. cap. 2. num. 75.* Gutierrez *lib. 2. q. pract. quæst. 52. num. 4. & 6.* Mieres *tractatu de maioratu 1. p. q. 24. per totam.* Anton. Gomez *l. 40 Tauri n. 33. 34.* & quidam doctus Iurisconsultus.

9 Hinc infertur decisio huius casus. Quædam Marchionissa cuiusdam Collegij Societatis IESV fundatrix, id pactum, & conditionem, in fundationis scripturis apposuit, vt eam partem decimarum, quæ ad Marchiones illius oppidi pertinebat (in illo enim oppido medietatem decimarum percipiunt domini illius status, & clerici alteram medietatem) Societatis illius solueret, atque etiam eorum successoribus. Quam fundationem simul cum pacto, & conditione acceptauit Societatis per publicum instrumentum à Societate, & ab ipsa Marchionissa iuratum, inscio tamen marito prædictæ conditionis. Modò verò ob amorẽ, quo afficitur erga Societatẽ de licentia sui viri, vult conditionem auferre, & remittere Societati partem illam decimarum. Dubitatur, an id possit facere. Respondetur negatiuè: tum quia ratione iuramenti facta est irreuocabilis illa conditio; tum etiam, quia non fuit facta in fauorem vnius, vel alterius, sed totius familiæ in perpetuum: quo casu etiam sat est acceptatio primi. Et licèt hîc non fuit Marchionis acceptatio, quia ignorauit, Marchionissæ tamen acceptatio fuit totius familiæ nomine. Cæterùm has decimas illis remittere poterit Marchio, quoad vixerit. Sic respondit quidam doctus Iurisperitus.



10 Tertia limitatio est, modò res sit integra: si enim res non sit integra, quia scilicet tradita est secundo donatario aduenіente die, quo tradenda erat, nequit reuocari. Sic Iulius Clarus *supra.* Couar *d. cap. 14. n. 13. vers. principaliter, & quintò.* Idem dicit Iulius Clarus, si euenisset casus, in cuius euentum donatio in illum tertium collata fuerat, nam tunc nequiret reuocari. Idem Gutier. *lib. 2. practic. q. 52. n. 3.* & adducit ad hoc probandum *l. 7. tit. 4. part. 4.* vbi disponitur, quòd si alicui donatur aliqua res, ita vt post certum tempus perueniat ad alium, post illud tempus statim possessio, & dominium transit in eum, qui est vocatus post dictum tempus, & sic consequenter reuocari nequit. Quam legem sic intelligit etiam Tello *l. 27. Tauri n. 2.* Suarez *allegatione 9.* licèt circa illius intellectum vacillauerit Anton. Gomez *l. 4. Tauri, n. 25. 28.* & licèt Couarr. *dicto n. 13. vers. Quamobrem*, dicat posse, etiam aduenіente die reuocari, si nondum tradita est.

11 Quarta limitatio, quòd licèt donator possit reuocare eam conditionem in fauorem tertij adiectam, at eo defuncto eius hæres reuocare nequit, quia videtur donatio ipsa confirmata donantis morte, ita vt res non possit ampliùs dici integra, & consequenter non possit ampliùs reuocari. Sic contra Baldum; & Romanum tenet multos allegans Couarr. *lib. 1. var. cap. 14. num. 17.* Iulius Clarus *dicta quæst. 13. fine.*

12 At verò pacta, & conuenta inter duos pace, hac lege, vt qui eam violauerit, ipso iure mille aureorum pœna plectatur, & ea vel fisco, vel Ecclesiæ applicetur, in quam pace rupta possint sibi mutuò hanc pœnam remittere. Consule Couarr. *lib. 1. variar. c. 14. n. 18.*

## DVBIVM II.

*De speciali quadam donatione à quodam Generali Societatis* IESV *in fauorem quorundam benefactorum facta: an fuerit valida & expirauerit morte ipsius.*

1 QVidam Generalis Societatis IESV iussit cuidam Prouinciali, vt duabus quibusdam sororibus centum aureos quotannis largiretur, attento eas esse pauperes, & fratrem earum resignasse beneficium pingue in fauorem cuiusdam collegij Societatis: obiit Generalis Societatis IESV: ac modò dubium est, an hæc donatio, quæ viuente Generali, cœpta est executioni mandari, expirarit eius morte?

2 Circa hoc quinque difficultates moueri possunt. Prima est, an potuerit prædictus Generalis Societatis eam donationem facere. Secunda, esto potuerit, an post motum proprium Clementis VIII. quo interdixit Religiosis munera dare, possit continuari. Tertia, esto non sit contra motum proprium, an cessarit morte ipsius Generalis. Quarta, esto non cessarit, an possit reuocari per Patrem Generalem successorem. Quinta, esto cessarit, an possit per P. Generalem præsentem confirmari, non obstante dicto motu proprio.

3 Circa primam difficultatem videtur non potuisse donare, quia Prælatus monasterij non est dominus, sed procurator, seu dispensator bonorum monasterij, & sic conditionem Ecclesiæ, seu monasterij potest facere meliorem, non verò deteriorem: vt habetur expressè *cap. 2. de donat. & cap. finali, 16. quæst. 6.* donare enim dilapidare, ac perdere est *l. filius familias, la primera. ff. de donat. l. cùm de indebito. ff. de probat:* Ergo nequit donare. Item. quia tutor, procurator, & administrator, donare nequit, *l. 1. §. 1. ff. de offic. procurat. Cæsaris l. finali ff. de curat furiosi* & docent Ioan. Lupus *rubr. de donat. §. 66. n. 29.* Matienzo *lib. 5. recop. tit. 3. l. 3. gloss. 2. n. 3.* Ioan. Garcia *de donat. remunerat. n. 22.* Caldas *l. si curatorem. C. de in integrum restit. verb. sine curatore, n. 120.* Et de Rectoribus ciuitatis, qui administratores sunt, tenet idem Bart. *l. ambitiosa, n. 2. ff. de decretis ab ordine faciendis.* Curia Pisana *lib. 2. cap. 20. num. 4.* Cuius ratio est, quia ad bonam administrationem non pertinet donare, cùm perdere, & dilapidare sit, vt diximus. Et sic in propriis terminis, quòd Prælati donare nequeant, tenent Innoc. *cap. 1. de depos. num. 2. initio*, Cynus, Baldus; & communis, *l. 1. C. etiam per procuratorem.* Ioan. Garcia *de expensis c. 20. num. 9.* Ioan. Lupus *rubr. de donat. fine*, explicans, nec minima donare posse, nisi id consuetudo obtinuisset, & eodem modo glossa, *cap. 2. de donat. vers. non debet*; & licèt alij Doctores non ita strictè loquantur, at solùm concedunt posse Prælatos minima donare; vt colligitur à contrario sensu ex *cap. 2. de donat.* ibi, *Graues donationes.* & docet *ibi* glossa *vers. graues.* Innocent. *ibi statim in principio.* Immola *c. 3. de donat. fine.* Sed in hoc casu non fuit donatio rei minimæ, sed grauis. Ergo non potuit fieri à Generali Societatis.

4 His non obstantibus, dico esse validam. Primò, quia Prælatus non est propriè procurator; potest enim latiùs, & liberiùs de rebus Ecclesiæ disponere, quàm procurator: dicitur autem procurator eo quòd non liberè, vt dominus disponit, sed tenetur Ecclesiæ vtilitati consulere, vt benè docent Panorm. *cap. 2. de donat. n. 2.* glossa *c. finali. quia vers. fine, 5. q. 3.* Item quia hæc non fuit propriè, & verè donatio; sed remunetatio conueniens beneficij accepti à fratre; at donatio renumeratoria potiùs est permutatio, ac debiti solutio: & hoc non tantùm quando merita pariunt actionem ex iustitiæ lege, sed etiam quando eius sunt naturæ, vt deceat hominem probum gratum esse, ac ad antidota obligat, vt probo *lib. 6. de matrim. disp. 6. num. 2.* ergo prohibita donatione Prælatis, non censetur prohibita donatio remuneratoria. Item tertiò, quia tutor, & curator, qui donare non possunt, benè possunt causa remunerationis donare, per *l. cum plures, 13. § cum tutor ibique* Bart. *initio. ff. de administrat. tutor. l. qui filium. ff. vbi pupillus educari debeat.* Et docent Cumanus *consil. 101.* Roman. *consil. 50.* Ioan. Garcia *de donat. remuner. n. 22.* Panormit. *c. 3. de donat. n. 2.* Rectores etiam oppidi, quæ donare nequeunt, possunt tamen causa remunerationis donare; per *l. diuus. ff. de bonis damnat.* & docent Alex. *consil. 43. n. 10. volum. 4.* Bart. *l. ambitiosa, num. 2. ff. de decretis ab ordine faciendis.* Rolandus à Valle *consil. 5. num. 9. volum. 1.* Curia Pisana *lib. 2. cap. 20. num. 12.* Loazes in allegat. pro oppido de Mula pro Marchione de los Velez *fundamento 3.* pro ipso Marchione *1. part. a num. 2.* & maximè *n. 9.* Iason, Felin. Albericus, quos refert, & sequitur Tiraquell. *l. si vnquam, verbo donatione largitus. n. 32. C. de reuoc. donat.* Auendaño *cap. Præstorum 2. part. c. 10. n. 11. & 43.* & in propriis terminis, quòd Prælati possint donare causa remunerationis, docet Panorm. *cap. 3. de donat. fine.* At in nostro casu concurrit duplex causa, altera iustæ remunerationis, ob quam donatio non est prohibita Prælatis: altera eleemosynæ, erant enim illæ donatariæ pauperes, & etiam causa eleemosynæ facit, vt non dicatur vera, & propria donatio, vt benè docet Immola *cap. 3. de donat. num. 6.* non enim mouet pura liberalitas, sed pietas: ergo donatio hæc firma, & valida fuit. Quòd si obiicias, Doctores tantùm concedere posse Prælatos causa remunerationis, & eleemosynæ moderatè donare: at hæc donatio excessiua videtur, cùm sit centum aureorum quotannis, dum eæ fœminæ superstites fuerint. Ad hoc dico non esse præsumendum Patrem nostrum Generalem, qui præmatura consultatione habita id fecit excessisse iustam beneficij recompensationem: & sic in dubio pro eo standum est,

Universidad de Deusto
Biblioteca



cùm fuerit legitimus superior, & administrator, qui se solo secundùm constitutionem Societatis potest legitimè administrare, & dispensare bona eiusdem Societatis. Secus in aliis Religionibus, in quibus nullus Prælatus potest donationem in aliqua notabili quantitate facere absque consensu Capituli, vel Definitorum.

5 Ex dictis patet ad argumenta contraria solutio.

6 Quoad secundam difficultatem, videtur non posse continuari post motum proprium; quia hæc donatio, cùm annua sit, habet tractum successiuum; & sic quoad id quotannis post motum proprium datur, videtur extendi, nec ob hoc dicetur extendi ad præterita, cùm non dicamus comprehendere donata anteactis annis.

7 At dicendum est posse continuari, non obstante motu proprio, quia constitutio noua non extenditur ad præterita, nisi in in ea expresè caueatur, vt expresè dicitur *cap. finali, de constitut.* At in motu proprio non dicitur extendit ad præterita. Quod non tantùm verum est de præteritis omnino antea consummatis, sed etiam quando antea incepta sunt, & tempore constitutionis non sunt consummata, vt optimè docet multos referens Menchaca *succes. creatione lib.* 3. §. 18. *num.* 280. & probat optimè *lex finalis, fine, tit.* 14. *part.* 3. ibi, *Esto es porque el tiempo, en que son comenzadas y fechas las cosas, deue siempre ser catado.* Sed hæc donatio annua ante motum proprium concessa est; ergo motus proprius ad eam non extenditur, licèt executio eius non omnino ante motum proprium sit consummata. Et confirmatur, quia hæc donatio omnino ante motum proprium perfecta fuit, & plenè ius acquisitum donatariis, & tantùm eius executio quotannis præstatur: & sic post motum proprium quoad aliquot annos, vt statim 3 *difficultate* clariùs apparebit: ergo motus proprius non extenditur ad illam. Quod insuper confirmatur duplici doctrina: altera est Panormitani *cap. fin. de constit. n.* 11. & *ibi* Felin. *n.* 1. *versic. ampl. a quarto*, & *ibi* Immolæ *n.* 13 Bartoli *l omnes populi, n.* 4 *ff. de iustit. & iure*, vbi docent, quoties constitutio emanat de nouo solemnitatem actui præscribens, si actus perfectus sit, licèt pendeat in futurum quoad effectum, non extenditur ad illum, vt est textus *l. iubemus. C. de testam. versic. quo in posterum*, vbi asseritur formam ibi testamentis præscriptam non extendi ad testamenta ante eam legem facta, licèt testator non obierit, ex cuius morte effectum sortitur testamentum: at in præsenti casu idem contingit, dum enim motus proprius editus est, iam donatio facta erat, & perfecta, licèt in futurum penderet, quoad parrem effectus, & executionis: ergo motus proprius ad eam donationem non extenditur. Altera doctrina est Felini *eodem cap. finali num.* 1. post quartam ampliationem, & *ibi* Immolæ *num.* 13. *versic. sed aduerte*; vbi docent, si constitutio edatur, vt vxore filiis orba obeunti vir dotem comparet, non extendi ad nuptam ante eam constitutionem, licèt habeat effectum mors vxoris; ex qua dos comparanda est post eam constitutionem editam. Et reddunt rationem, quia ex dotis contractu fuit quæsitum ius vxoris hæredibus, quibus soluto matrimonio morte vxoris sobole carentis, dos restituenda erat: & sic statutum superueniens non debet tollere obligationem alteri quæsitam, licèt nondum effectum sortita sit. Hæc illi. Ergo similiter in nostro casu, cùm per eam donationem ius donatariis acquisitum sit, licèt donatio nondum quoad omnes annos executioni mandata sit, motus proprius superueniens non tollit obligationem, ac ius illis quæsitum. Adde, quòd ille motus proprius in Hispania non fuit receptus, atque adeò non vrget contra solutionem nostram.

8 Quoad tertiam difficultatem, quæ cæteris difficilior est, videtur obitu Patris nostri Generalis concedentis donationem cessasse, quia id fuit mandatum Prouincialibus Bethicæ, & Aragoniæ prouinciæ iniunctum, vt scilicet quotannis contribuerent illam summam, at mandatum morte mandantis finitur, *cap. gratum, & cap. relatum, de offic. deleg. l. mandatum. C. mandati.* Dices id intelligi re integra: at hìc non est res integra, cùm cœptum sit executioni mandati, superstite prædicto Generali. Hæc solutio omnino vana est, ea enim distinctio, an res sit integra, nec ne, tantùm locum habet in mandato iurisdictionis, ne lites diu protrahantur. Secus de mandato præcisè obligatorio ad aliquid faciendum, aut non faciendum: id enim semper, siue res sit integra, siue non, mandantis morte spirat, nisi mandatum per modum constitutionis fiat, vt optimè Sylu. *verbo mandatum, quæst.* 3. Secundò probatur, idem enim est rem fieri tempore inhabili, & referri ad tempus inhabile. *l. in tempus. ff. de hæred. instit.* Et sic eadem ratione, qua non valet donatio inter coniuges, non valet etiam quando fit ante initum matrimonium hac lege, vt contracto matrimonio solùm acquiratur *l. quod sponsæ, C. de donat. ante nuptias*; sed in nostro casu videtur Patrem nostrum Generalem disposuisse pro tempore inhabili, in quantum donatio illa annua executioni mandanda est post eius obitum, dum donatariæ vixerint: administratio enim Patris nostri Generalis pro tempore viræ est, ciùique obitu cessat. Tertiò probatur ex *l. finali. ff. de pœnis, initio*, vbi sic dicitur: *Præses vltra administrationis suæ tempus interdicere alicui arte sua vti non potest.* vbi glossa *versic. administrationis, & l. 1. C. de postulando. versic. obtempera.* & *ibi* Bart. *num.* 2. Salzetus *num.* 1. & 4. Baldus *num.* 1. Paulus de Castro *num.* 1. vbi dicunt intelligi, quando per sententiam interlocutoriam, secus quando per definitiuam prohibitio sit, quia hæc fit cum causæ cognitione, & magna solemnitate: ergo in nostro casu cum Pater noster Generalis, qui administrationem bonorum Societatis habet, disposuerit per modum cuiusdam mandati, cessabit præceptum eius obitu, sicut & eius administratio.

9 At dicendum est non cessasse eius obitu. Cuius rei intelligentia pendet ex cognitione, an ea donatio annua censeatur vna, vel multiplex: nam de annuo legato, quòd censeatur multiplex, & quotannis distinctum, expresè habetur *l. si in singulos, & l. cum in annos. ff. de annuis legatis.* si enim donatio annua censeatur multiplex donatio, plures inde consurgent actiones, & quolibet anno habilitas attendenda erit, cùm quolibet anno sit distincta donatio. Si autem vna donatio sit, tantùm sui initium inspiciendum erit, & habilitas tunc temporis consideranda est: vt benè docet glossa *l. si Stichum*, §. *finali, versic. stipulatio, ff. de verb. obligat.* & *ibi* Bartolus *num.* 1. & melius *ibi* Iason *num.* 1. qui optimè dicit adeò hoc esse verum, vt si filiofamilias relinquatur legatum annuum, acquiret patri pro illis tantùm annis, quibus filiusfamilias fuerit; at vbi emancipatus fuerit, ex tunc legata futuris obuenientia sibi acquiret, quia sunt distincta legata: at verò si per stipulationem annuam aliquid acquirat filiusfamilias, quia stipulatio annua vna est, vt dicitur expresè *ea l si Stichum*, §. *finali*, acquiret patri integrè, licèt filiusfamilias postmodum emancipetur, quia initium acquisitionis, cùm vna tunc fuerit pro singulis annis stipulatio, solùm attendendum est. Similiter stante statuto, vt ex legato, & stipulatione soluatur gabella, & ex annuo legato soluatur quotannis sua gabella, eo quòd quotannis est distinctum legatum; at ex ea stipulatione annua semel tantùm debebitur gabella; iuxta hæc ergo, si hæc donatio facta à Patre nostro Generali vna fuit, dicendum est non extinctam esse eiusdem obitu. Quòd autem vna fuerit, patet ex *dicta l. si Stichum. ff. finali*, vbi dicitur, licèt legata annua plura sint: at stipulationem annuam vnam esse: at nomine stipulationis, seu contractus etiam clauditur donatio, vt patet: nam secundùm ferè omnium sententiam mulier per leges Tauri prohibita contrahere, nequit etiam donare: ergo donatio annua vna est. Secundò, quia de donatione annua causa mortis facta expresè habetur esse vnam *l. senatus. §. finali. ff. de donat. causa mortis.* vbi



vbi sic dicitur: *Si quis mortis causa in annos singulos pecuniam stipulatus est, non est similis ei cui in annos singulos legatum est: nam etsi multa legata sint, stipulatio tamen vna est, & conditio eius, cui expromissum est, semel intuenda est.* vbi glossa *vers. multa*, dicit vnam esse donationem, quia semel inspicitur, an acquiratur. Vbi etiam pondero, quòd donationem causa mortis appellat Iurisconsultus stipulationem, ad confirmandum id, quod diximus, nomine stipulationis, seu contractus comprehendi etiam donationem; & *l. sancimus §. finali. C. de donat.* vbi legislator disputat, an donatio annua facta ad vitam donantis, vel donatarij vna sit, & dicit sic in vers. *Nos autem si huiusmodi fuerit donatio, vt intra vitam personarum stetur, vel donantis, vel donatarij, multa intelligantur donationes*; vbi glossa *vers. multa*, ait esse multas ad hunc tantùm effectum, vt insinuatione indigeant, si excedant quingentos solidos, at quo ad alios effectus est tantùm vna; & id probat ex *dicta l. si Stichum. §. finali.* Idem dicit glossa *dicta l. senatus, vers. multa, fine*, & *ibi* Bart. *fine.* Iason *dicta l. si Stichum*, §. *finali, n.* 1. & glossa *l. si vxorem. C. de condit. insert. vers. competentem*, ponit idem discrimen inter contractus & legata, quòd in illis tantùm initium inspicitur; in his verò dies, quo cedit legatum & *ibi* Bald. *num.* 9. dicit etiam in donatione causa mortis tantùm initium inspici: & reddit rationem differentiæ, quia contractus regulatur essentialiter à voluntate duorum, quæ cùm à principio interueniat, tunc absoluitur, semel enim tantùm contrahitur, non successiuè. *l. si Stichum. § si stipulatio. ff. de verb. oblig.* & argumento *l. Pomponius, la primera. ff. de negot. gestis*; ergo cùm hæc donatio vna sit, & perfecta in sui initio, tunc tantùm donantis potestas inspicienda est, & factum legitimè retractari non debet, licèt postea casus eueniat, à quo incipere non potuit. *Regula, factum legitimè 73. de regul. iuris in 6.* vbi Dynus *n.* 5. & 6. & Bart. *l. penultima*, §. *& si placeat, initio. ff. de verb. oblig.* explicant id esse, quando factum iam erat perfectum, & legitimè consummatum.

10 Sed dices, textus, & Doctores citatos tantùm disponere habilitatem donatarij, vel stipulatoris inspiciendam esse tempore, quo perficitur donatio: at nihil dicere de habilitate donantis. Respondeo donantem, & donatarium esse correlatiua, vt de mandante, & mandatario: emptore, & venditore, docet Euerardus *in suis topicis loco à correlatiuis, n.* 4. & sic dispositum in vno, censetur in alio dispositum, *l. finali. ff. de indicta viduit.* & per alia iura, quæ adducit *ibi*, Euerardus *n.* 3. & patet etiam ex *l. finali. C. communia prædi.* vbi dicit textus ad inducendam seruitutem in re plurium dominorum, oportet vt omnes cedant; & subdit. Idem iuris est, si vni ex dominis cedatur. Præterea probatur non extingui obitu Patris nostri Generalis, nam *cap. quamuis, & cap. prohibemus, de decimis*, interdicitur decimas laicis in feudum concedi, & tamen olim concessas ante ea decreta, vt defenderent Ecclesias, licitè retinent laici, & eorum successores, eo quòd constitutio non ligat actus antea factos, licèt habeant tractum successiuum. Sic docent glossa *eo cap. quamuis, vers. concesserit ad finem.* Panorm. *cap. cum Apostolica, de his, quæ fiunt a prælat. num.* 11. & *ibi* Anton. *n.* 14. Host. *ibi ad finem*, Henricus *num.* 1. Card. *oppos. 5. & 6.* Innoc. *n.* 4. Sylvest. *verbo decima, q.* 10. *dicto* 2. Ang. *ibi n.* 15. Tabien. *q.* 24. *n.* 25. Rosel. *num.* 15. Idem supponunt Ioan. Andreas *dicto cap. cum Apostolica, n.* 9. Archid. *cap.* 2. *de decimis in 6. ad finem, super vers. concesse*; & *ibi* Francus §. *sanè, n.* 3. tantùm enim disputant, an in dubio præsumantur antea concessæ, vel post: & sic supponunt antea concessas licitè possideri à laicis. Quam doctrinam ad præsentem casum pondero primò, quia causa illius concessionis iam cessarat, vt docet glossa *dicto vers. concesserit*; secundò, quia Pontifex non est dominus, sed administrator decimarum Ecclesiæ: sicut Pater Generalis administrator bonorum Religionis: tertiò, quia decimæ illæ habent tractum successiuum, cùm quotannis soluantur; & tamen; quia semel facta est perfecta donatio, non extinguitur morte Papæ concedentis: ergo similiter in nostro casu: nec noua constitutio superueniens Clementis octaui, ne regulares dent munera, extenderetur ad hunc casum: cùm iam semel donatio perfecta sit; licèt executio pendeat in futurum: vltimò, quia quoties aliqua facta iam est gratia, & perfecta, datúrque mandatum executori, vt illam exequatur, hoc mandatum non cessat mandantis morte, sicut nec gratia, cui est accessorium; vt expresè his verbis habetur *cap. si super gratia, de off. deleg. in 6.* at sic contingit hìc, nam Pater noster Generalis perfectè fecit gratiam, concessitque donationem: & Prouinciales, quibus mandauit executionem, fuerunt merè executores; ergo hoc mandatum non exspirauit obitu mandantis. Minor patet, quia merus executor est, qui nullam habet causæ cognitionem, sed meram executionem, *l. executorem. C. de execut. rei iudic.* & colligitur ex *l. 52. tit. 8. part. 3.* vbi Gregor. Lopez *vers. senalado. fine*, dicit cum Bart. *l. à diuo Pio, in principio. ff. de sentent. & re iudic.* & communi Doctorum, *cap. de cætero, eod. tit.* quando fuit cognitum super executione, & commissa fuit alicui executio, hic commissarius dicitur merus executor; quod contingit hìc.

11 Ex dictis patet solutio ad primum argumentum contrarium. Ad secundum dico, non dispositisse pro tempore inhabili, statim enim perfecit donationem. Ad tertium dico, id esse mandatum prohibens, & sic administratione finita extingui; at in nostro casu gratia est perfecta, & tantùm datur mandatum exequendi.

12 Circa quartam difficultatem, an scilicet possit generalis successor reuocare, respondetur negatiuè, cùm enim fuerit ab initio donatio perfecta, & ius acquisitum donatariis, non potest hoc ius acquisitum auferre generalis successor. Quod de Principe, nempe non posse reuocare donationem ab antecessore factam, docet Gregor. Lopez *part. 2. tit. 5. l. 14. vers. dono deuen.* Item quia Princeps tenetur promissiones, & pacta cum eo, vel antecessoribus vnita seruare. Felin. *cap. quæ in Eccles. num.* 62. *de constit.* Matienzo multos referens *in dialogo Relatorum 4. p. q.* 12. *n.* 7. per *l.* 6. *ff. de publicanis, & vectigal.*

13 Ad quintam difficultatem respondeo esto cessasset morte Patris nostri Generalis ea donatio, posset Generalis præsens eam confirmare, non obstante motu proprio Clementis octaui; hæc enim non est donatio, solùm remuneratoria, nec liberalis, quas solùm prohibet motus proprius, sed pro bono pacis, & ædificationis, moueretur enim lis, & scandala consurgerent, si modò cessaret donatio. Et facit ad hoc confirmandum, quòd cùm donatio sit prohibita inter virum, & vxorem, pro bono tamen pacis inter consanguineos vtriusque coniugis valet, vt docet Ioan. Lupus *rub. de donat.* §. 32. *n.* 9. per *l. creditor* §. *Titius ff. mandati*, vbi promissum pro pace consequenda occasione matrimonij nequit à muliere reperi, vt commendat Bald. Sed esto illius donationis confirmatio fuisset prohibita illo motu proprio Clementis octaui: iam diximus illum non fuisse receptum in Hispania, & ideo prædictis non obstare.

## DVBIVM III.

*An contractus gestus ab vxore sine licentia viri, qui inualidus est, iuxta legem 55. Tauri, &c. firmetur iuramento.*

1 ALiqui affirmant; quia contractus minoris, qui non valet absque licentia tutoris, firmatur iuramento. *Auth. sacramenta puberum, C. si aduersus vendit.* Sic tenent Anchar. & Aretinus, quos refert, & sequitur Ioan. Lupus *rubr. de donat.* §. 68. *num.* 30. Cassanæus *in consuet. Burgundiæ, rubr.* 4. § 1. *num.* 38. & in simili tenet multos allegans Tiraquell. *l.* 15. *connub. glossa* 4. *num.* 28. nempe stante statuto, vt vxor non contrahat absque consensu propinquorum. Ergo idem dicendum est de contractu vxoris.

2 At

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 At dicendum est,non firmati iuramento , quia contractus aliàs inualidus , quando prohibetur ob contrahentis præiudicium, tantùm firmatur iuramento, vt contingit in contractu minoris ; secùs verò quando prohibetur ob tertij damnum : nam in tertij præiudicium non firmatur iuramento, *cap.cùm contingat,de iureiur.fine* , *& cap.quamuis pactum,de pactis in 6.fine.* at contractus vxoris absque licentia viri prohibetur ob viri præiudicium. Vnde (inquit Couar.) non facit ad rem doctrina Tiraquelli, quia quòd vxor non contrahat absque consensu propinquorum , est ad vitandum tantùm vxoris damnum, vnde non mirum , quòd talis contractus firmetur iuramento. Sic tenent multi allegati per Tiraquell. *dicta glossa 4.num.27.* Azebedo *lib.5.recopil. tit.3. l.2. num.87. & ibi* Matienzo *glossa 1.n.18.* Anton. Gomez *l. 55. Tauri num.8.& ibi* Ioannes Lupus sibi contrarius *n.18.* Castillo *ibi num.26.* Cifuentes *l.56.Tauri. vers. quod primò limita.* Gomez Arias *l.52.Tauri num.84.* Couarr. *4.dec. 2.p.cap. 7.§.1.num.3.* Molina *tomo 2.de iust. disput.343. colum. 2. vers. de vxore.* Menchaca *de succes. creat. §. 30. num.56.* Auendaño *c.prætorum 2.p.cap.27.num.15.& in suo dictionario,verb.otor gamiento.* Perez *lib.3.ordinam.tit.8. l.1.fol. 601.pag.2.§.præterea,& eius fine.* Gutierr.*dicta Auth. Sacramenta puberum n.41.& de iuram.confirmat.1.p. cap.1. n.34.* Villalobos *in erario communium opin.litera I.n.206.* Mexia *l.Toleti,de los terminos.2.p.7 fundamento, n.27.* & est communis sententia.

3 Limita, nisi quando contractus talis non est in præiudicium viri, vt quia alter non est potiturus bonis , nisi post mortem vxoris, & sic soluto matrimonio,tunc enim firmatur iuramento, vt contingit in donatione causa mortis facta ab vxore sine licentia viri , vel donatione inter viuos facta , vt alteri dentur bona post mortem vxoris, vel viri. Ratio, quia cessat omnino præiudicium viri , & sic ratio , ob quam non firmatur iuramento. Sic tenet alios referens, & dicens communem, Burgos de Paz *consil.2.num.97.* Gutierr.*de iuram.confirmat.1. p.c.1.n.34.* & faciunt Ant. Immola , & Alciatus , quos referunt, & sequuntur Azebedo, Mexia,Couarr.*ibidem* ; dicunt enim talem contractum iuratum valere in præiudicium vxoris, ad hunc sensum, quòd nequit contra contractum à se iuratum agere.

## DVBIVM IV.

*An mulier coniugata possit donare causa mortis absque viri licentia.*

1 DVplex est sententia.
Prima ait posse. Primò qui potest testari , potest donare causa mortis. *l.finali,tit.4.part.5.* at vxor potest secundùm omnes testari absque licentia viri ; ergo. Secundò , quia *l.55.Tau.* quæ est *l.2.tit.3. lib.5. recopil.* tantùm prohibet contrahere absque viri licentia , at donatio causa mortis potius assimilatur vltimæ voluntati, quàm contractui : & ad hoc multas rationes , & textus, ac Doctores allegat Tiraq.*de legibus connub. l. 16. gloss.5. à num.64 vsque ad 74.* Sic tenet Menchaca *lib.1. controu. vsu freq.c.12.n.5.* Matienzo *lib.5.recopil.tit.10.l.7 glossa 2. n.32.& ibi* reprobat distinctionem Gregor.Lopez , quam mox subiiciam ; & *n.31.* tenet similiter minorem posse donare causa mortis absque curatoris authoritate, & Gregorius Lopez *part.5.tit.4.l.11.vers. Donationes*, dicit,fortè potest dici , quòd si hæc donatio fiat pacto , vel stipulatione,exigatur viri consensus , quia tunc magis accedit contractui ; si verò fiat sine pacto, tunc non exigatur, quia magis accedit vltimæ voluntati. Et Matienzo *lib.5. recopil. tit.3.l.2. glossa 1.num.2.* dicit quòd potest donare causa mortis,quando donatio fit sine pacto , vel stipulatione; quia viro non fit præiudicium ex huiusmodi donatione, nisi res donata fuerit tradita : tunc enim poterit vir reuocare,vt non valeat donatio,quo ad vsum fructum eius,quo vti debet vir.

2 Secunda sententia ait non posse donare causa mortis absque licentia viri. Ita Molina *tomo 2.de iust. disput. 288.num.16.* citans alios contra Nauarrum *lib.3. consil. 3.tit.24.* quæ probabilior est. Ratio, quia donatio causa mortis , pro vt est in fieri, & sic quo ad ipsius ordinationem,& solemnitatem , æquiparatur contractui , eiúsque naturam sequitur : postquam verò est iam facta , & sic quoad effectus æquiparatur vltimis voluntatibus, vt plures congregans testatur Molina *lib.1. de primog. cap. 12. num.16.*& Gutierrez *super l.vnica.C.quando non pet.part. num.28*,ergo cùm nequeat vxor absque licentia viri contrahere, non poterit etiam donare causa mortis ; alias rationes,& Doctores allegat Tiraq.*supra à num.75.vsque ad 86.* Nec obstat *l.finalis tit.4.part.5.* dicens eum,qui potest testari , posse donare causa mortis , quia intelligitur de personis sui iuris , quæ possunt contrahere absque aliorum consensu , quales non sunt vxor , & minor habens curatorem.Hanc tenent Tiraq. *ibi* , Couarr. multos referens *rubr.de testam.3.p.num.12.* Anton.Gomez *2.var.c.4. numero 16.illatione 4.* Cifuentes *l.55. Taur.dub.11.* Menchaca sibi contrarius *lib.1.controu.vsu freq.c.60. num.34.* Molina *lib.2.de primog.cap.9.num.4.* Baëza *de non melior. fal.causa dotis.cap.20.n.20.& 21.* Azebedo *lib. 5. recopil. tit.3.l.2.num.66.* Gutierrez *lib.2.pract.quæst.21.n.5. & de iuram.confirm.1.p.cap.13.num.8. & 9.* vbi multos refert, & vtrobique reprobat distinctionem positam Matienso, & Gregor.Lopez, & *toto cap. 13.* probat minorem etiam non posse donare causa mortis absque authoritate curatoris;& idem docet *ea quæst.21.num.7.* & Molina *dicto c.9. num.8.& 9.*

## DVBIVM V.

*An mulier coniugata possit eleemosynas inuito viro facere.*

1 HAc in re duo dubia agitanda sunt:alterum est,an possit de bonis dotalibus:alterum , an possit de paraphernis facere eleemosynas.
Circa bona dotalia sit.

2 Prima conclusio : mulier coniugata nequit de bonis dotalibus eleemosynas facere sine voluntate expressa, vel præsumpta viri. Ratio , quia constante matrimonio dominium rerum dotalium , vel saltem administratio pertinet ad maritum. *l. doce ancillam , C.de rei vendicat.* Item, quia viro graue damnum inferretur , cùm dos ad sustentanda matrimonij onera collata sibi sit , & soluto matrimonio tenetur integram vxori restituere. Sic tenent D.Thom.2.2.*q.*32.*art.*8.*ad* 2.& *ibi* Caiet.Ang. *verbo eleemosyna,n.*7. Tab.*n.*12. Arm.*n.*6. Rosel. *eleemosyna 2.n.3.* Sylu.*q.*5. D.Aug.*Epistola ad Editiam* , & habetur *cap.quod Deo* 33.*q.*5.vbi & glossa *verbo hunc*,& Hugo,& Turrecr.*ibi*,Montalbus *l.12.tit.24.part.1.*Cordub.*summæ q.125.vers.lo sexto.*Panor. *cap.si quis, de furtis, n.4.* Host. *tit.de pœniten.§.quibus,& qualiter,vers.quid de facientibus.* Metina *C.de eleemosyna , q.de quibus bonis eleemosyna facienda est.*Palacios Rub.*rubr.de donat.§.45.n.3.lex.12.tit. 23.part.1.*Ledesm.2.4.*q.*15.*art.6.* Aragon 2.2.*q.*32.*art.*8. Nau.*cap.*17.Lat.& Hisp.*n.*154.Paiud.4.*dist.*15.*q.*3. Abul. Matth.*6.quæst.*57.Ex hac conclusione

3 Infertur primò posse vxorem eleemosynam conferre,quando pauper est in magna necessitate, & non est recursus ad virum. Ratio,quia est præsumpta viri voluntas. Sic Angel.*n.6.7.*Tabien.*n.9.*Sylu.*q.*5.Arm.*n.*5. Panorm. *dicto cap.si quis*,glossa *cap.non dicatis*,12.*q.*1.

4 Secundò infertur , quando vxor de licentia viri peregrinaretur , posset eleemosynas , quas aliæ peregrinæ honestæ faciunt,conferre; quia est præsumpta viri voluntas.Sic Ang.Tab.Sylu. Arm. *ibidem.*

5 Tertiò infertur posse vxorem de pane,& vino & aliis huiusmodi eleemosynas facere,iuxta consuetudinem aliarum coniugatarum eiusdem qualitatis ; quia est præsumpta viri voluntas.Sic Ang.*n.*7. Tab.*n.*12. Nau.*num.*153. Sylu.*q.*5.*dicto* 5.Arm.*n.*6.Rosel.*n.*3.Metina *vbi supra.*

6 Quartò



6 Quartò infertur posse vxorem eleemosynas conferre quando vir est absens,vel amens,& non est alius dispensator ; quia tunc dispensatio vxori commissa est, & sic rationabilis,& præsumpta viri voluntas est,vt aliquas eleemosynas conferat. Sic Palacios 4.*d.* 15.*disp.* 7. Sylvest. Rosel.Palud.*vbi supra,n.*39.Tabien.*n.* 12. Arm. *num.* 6. Nauarr. *num.* 154. qui optimè hoc limitat , modò vxor eas tantùm eleemosynas conferat , quas vir , cùm esset sanæ mentis, vel præsens , solebat elargiri ; quia quo ad has tantùm est tacita viri voluntas. Nau. *lib.*3. *de rest. cap.*1. *num.*86.87. reprobat hanc limitationem , quia quando vir est absens , mulier habet administrationem, nisi aliud vir prohibeat,& quando est amens , dum non est alius tutor , habet mulier ordinariam administrationem.

7 Quintò infertur, si vxor habeat bonorum administrationem , posse eleemosynas impertiri; quia est præsumpta viri voluntas , vt patet ex *l.filiusfamilias.§.1 ff. de donat.*Sic Arm.*num.*6 Ang.*n.*6.& 7.Tab.*num.* 9. vbi benè hoc limitat, posse scilicet vxorem inquantum vir dedit illi commissionem , quia in hoc est præsumpta viri voluntas.

8 Tandem infertur , eas posse eleemosynas conferre, quas probabiliter præsumit vxor virum suum velle iuxta omnes Doctores citatos.Quare cùm matiti distinctarum sint conditionum, alij enim parciores , alij verò liberaliores sint,non potest quota certa destinari , de qua vxor disponere possit : sed id prudentis arbitrio relinquendum est , attenta mariti qualitate , conditione , & possibilitate.

9 Hinc fit non omnino audiendum esse Nauar. summa Hispana *cap.*28. *addit.ad num.*153. *capitis* 17.& Lat. *cap.*17.*num.*155.quem sequitur Cord.*dicta q.*125 *vers.de loquo dicho*,dum dicit vxorem,cui in dotem decem mille numi aurei collati sunt, non posse nutrici in eleemosynam quadraginta numos aureos conferre : si hoc intelligit inuito viro,benè quidem dicit ; si verò vir non sit manifestè inuitus , pensandum est prudentis arbitrio, an sit præsumpta viri voluntas , & tunc poterit , sin minus , non. Vnde Bañes 2.2.*q.*31. *art.*8 inquit mulierem diuitis posse dispensare , nesciente viro vigesimam partem lucri annualis, quia debet esse interpretatiue volita : Sed hæc regula non est certa.

10 Secunda conclusio : in triplici casu potest mulier coniugata eleemosynas impertiri absque viri voluntate. Primus est,quando pauper extremè indiget ; quia in extrema necessitate omnia sunt communia. Sic D. Thom. Caiet.Ledesm.Metina,Abul.Palud. Sylu. Palacios Arm. Rosel. Tabien. Ang. *vbi supra lex 12.tit.23 part.1.*& *ibi* Gregor. Lopez Panorm. *dicto cap.si quis*,Montalbus *dict. l.12.*Nauarr *num.*153.Cord.*summa q.* 125. *dicto* 9. Nauarra *lib.3.de restit.cap.1.n.*82.vbi dicit idem de graui necessitate , si habet superfluum ; quia in hoc casu obligat præceptum eleemosynæ. Secundus casus est, quando vxor vtiliter gerit viri negotium , quia scilicet vidit virum esse crudelem,& seeleratum, & vt Deus ipsi lumen præbeat,& ne puniat , eleemosynas moderatas facit , vt fecit Abigail 1 *Regum.c.*29. quæ liberauit virum à morte propter panes datos Dauid contra voluntatem viri sui. Sic Palac. Rosel.Metina,Palud. Sylu. *vbi supra.* Ang.*n.*7. Tabien.*n.*12.Nauarr *n.*84.85.Arm.*n.*6.Nauarra *n.* 154. Tertius casus est , si vir ,destinasset vxori certam summam pro victu,& ipsa abstineret, ac sumptibus parceret, id quod ex victu sibi subtraheret , posset in eleemosynas distribuere.Ratio,quia illud est suum.Sic Ang.*n.*7. Tab. *n.*12.Arm.*n.*6.Rosel.*n.*3 Nauar. *n.* 154. Palac. Sylvest. Palud. *vbi supra.* Cordub. *vbi supra.* Nauarra *num.* 88. limitans quando illa parcitas non esset in præiudicium familiæ,sed suæ personæ.

11 Tertia conclusio : extra hos tres casus , si vir prohibeat vxori,ne eleemosynas faciat , probabiliter præsumere potest nolle virum simpliciter ipsam ab eleemosynis coërcere , sed à superfluitate eleemosynarum ; quare posset etiam hoc casu communes , & modicas eleemosynas conferre,vt de pane & vino , & aliis huiusmodi. Sic D.Thom. 4.*dist.*15.*q.*2.*art.*5.*quæstiuncula* 1. Ledesm.Montal *ibi supra.*Arm.*n.*6.Angel.*n.*7. Tab. *n.* 12. Rosel.*n.* 3. *lex* 12.*tit.*23.*p.*1.Sylu. Abul. *supra.* Nauarra *d.n.*153 vbi expressè dicit,quòd etiamsi expressè prohiberet eleemosynas de pane , & vino , intelligitur ipsam coërcere à superfluis tantùm eleemosynis de huiusmodi faciendis & non à modicis , & communibus. Nauar. *supra num.*82.83.

12 Quarta conclusio:si apertè constaret vxori per verba viri parentissima nolle virum , vt ipsa etiam communes , & modicas eleemosynas conferat , nequit vxor habens tantùm bona dotalia,has modicas eleemosynas facere : patet , quia iuxta dicta in prima conclusione vxor nequit de his bonis eleemosynas dare , nisi ex voluntate expressa,vel præsumpta viri, sed hoc casu cessat præsumpta voluntas,immo est expressa in contrarium: ergo.Hanc tenent expressè Montal. Arm. Rosel. Tabien. Nauarrus, Nauarra,*n.*83.Sylu.Abul. vbi in tertia conclusione ; & colligitur expressè ex D. Thoma 4. *dist.* 15.*q.* 2. *art.* 5. *quæstiuncula* 1.vbi ait posse vxorem communes,& modicas eleemosynas dare, si constet,quòd viro placeret : ergo vbi oppositum constat,non poterit. Colligitur etiam expressè ex omnibus Doctoribus citatis in prima conclusione , qui omnes docent nullam habere vxorem in bonis dotalibus potestatem ad faciendum eleemosynas absque consensu expresso, vel tacito viri : ergo vbi expressissimè dissentitur , non potest vxor , &c. Nau. *dicto n.*85,dicit non omnino improbabile esse , quòd extante vsu dandi has minutas eleemosynas posset contradicente viro , quia vsus habet vim legis

13 Nota tamen huiusmodi prohibitionem viri non esse consentaneam : æquum enim est vt vir permittat vxori communes , & modicas eleemosynas erogare. Ledesm. *vbi supra.*

14 Hactenus de potestate vxoris ad faciendum eleemosynas de bonis dotalibus : superest de bonis paraphernis disputare; & sic dubium est , an vxor habens paraphernа,possit de illis absque voluntate expressa , vel tacita viri eleemosynas facere , vel potiùsidem dicendum sit de paraphernis,quod de dotalibus dictum est,quo ad potestatem vxoris ad faciendum eleemosynas.

15 In primis si ius commune,immo ius regium Partitarum attendamus,potest vxor de paraphernis , & de iis, quæ proprio manuum labore acquirit, facere eleemosynas , etiam contradicente marito; quia hæc bona sunt vxoris,vt patet *l.hac lege.C.de pactis,& l.maritus,C.de procurat.& l.12.tit.23.part.1.*& docent omnes Doctores citati,nemine discrepante.

16 At verò iuxta ius recentius huiùs regni Hispaniæ est grauissima difficultas , an vxor possit de bonis paraphernis eleemosynas conferre absque viri consensu. Et difficultatem facit,quia *l.13.tit.finali lib.3.legum fori , & l.finali lib.1.tit.11.& l.55.Tauri*,quæ hodie est *lex 2. tit. 3.lib.5.in noua recopil* , cauetur , vt vxor nequeat facere contractum,vel alium actum obligatorium sine facultate viri,& *l.5.tit.9.lib.5. noua recopil.* cauetur, vt in Hispania fructus omnes quorumcunque bonorum constante matrimonio acquisiti diuidantur inter virum,& vxorem.

Duplex est sententia.

17 Prima docet vxorem de paraphernis posse eleemosynas facere,sine licentia viri. Pro hac sententia in primis facit doctrina quædam Baldi , & plurium aliorum, quæ docet quòd extante statuto,quòd mulier non possit contrahere sine consensu propinquorum , hoc non obstante poterit donare Ecclesiæ sine illa solemnitate,quia pia causa est priuilegiata , & contra hoc priuilegium, quod respicit Deum , vel Ecclesiam , nequit fieri statutum.Hanc doctrinam docet Baldus *l. generali. C. de sacrosanct.Eccles. num.* 3. & *ibi* Paulus Fulgosius, Alciatus,

Felin.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Felin. *cap. Ecclesia, de constit. num.* 83. Panor. *in repetit. super cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. num.* 38. Anchar. *c.* 1. *de constit.* Alex *consil.* 105. *n.* 11. *lib.* 4. Aretinus *l. mutuum, ff. de acquir. hæred.* Iason *l. si vnus, §. patium. ff. de pactis* & plures alij, quos refert Tiraq post leges connubiales, *gloss.* 8. *num.* 163. immo Bald. *consil.* 93. *lib.* 2. idem docet, stante statuto requirente consensum viri. Et propter hanc doctrinam tenent expresè hanc sententiam Perez addit. ad *Seguram l.* 3. *§. finali ff. de liberis. & posthum. n.* 75. Cifuentes *l.* 55. *Tauri q.* 17. vbi dicunt vxorem posse donare ad pias causas sine viri licentia: & probant hoc ex doctrina Baldi allegata, & Palacios *rubr. de donat.* §. 48. *n.* 3. relinquit cogitandum. si dici possit, quòd non obstantibus regni legibus possit vxor inuito viro de paraphernis eleemosynas facere propter doctrinam Baldi citatam. Item Lara *l. si quis à liberis ff. de liber. agnosc.* §. *si quis ex his, num.* 261. 262. 269. vide *a num.* 235. tenet in his locis, in quibus lucra non communicantur inter virum, & vxorem, vt Cordubæ, posse vxorem de paraphernis pro arbitrio vti sine viri licentia, & in quosuis vsus; & *num.* 297. 298 concludit in iis locis, in quibus lucra cõmunicantur, posse vxorem ex fructibus dotis prodigere quod superfsit, alita familia: posse (inquam) dimidiam lucri partem, quæ sibi obuenit, & in eleemosynas, & quosuis alios vsus conuertere: & probat, quia aliàs non erit bona societas, cùm non sit æqua viri, & mulieris conditio, sed ad imparia iudicentur.

18 Secunda sententia docet non posse in Hispania vxorem absque viri licentia de paraphernis disponere, vel eleemosynas facere; quare secundùm hanc sententiam idem dicendum est de paraphernis quoad posse vxorem eleemosynas facere, quod de bonis dotalibus dictum est. Et innititur hæc sententia legibus regni citatis, quibus cautum est, lucra constante matrimonio, ex quibuscuis bonis, etiam paraphernis acquisita diuidenda esse inter virum, & vxorem, cui iuri mariti præiudicium inferret vxor, si parapherna expenderet; priuaretur enim vir ea lucri parte, quæ sibi ex paraphernis obuentura erat. Item quia eisdem legibus cauetur administrationem bonorum ad virum pertinere, & non ad vxorem, & sic vxoris contractum absque licentia viri initum esse nullum, quia bona administrare ad solum virum pertinet: ergo non potest vxor parapherna administrare, & in eleemosynis expendere; si enim contrahere prohibetur, ne viro noceat, à fortiori prohibebitur donare ad pias causas; quia plus per donationem læditur vir, quàm per contractum, cùm per illam nihil in commutationem recipiat; per hunc verò recipit aliquid pretij. Pro hac sententia est Baeza *de non meliorandis filia. c.* 11. *n.* 59. vbi expresè dicit vxorem, inscio viro, non posse eleemosynas dare, etiam de paraphernis. Idem omnino Bañes 2. 1. *q.* 32. *art.* 8. & Nau. *c.* 17. Lat. & Hisp. *n.* 155. vbi hæc inquit, non potest vxor eleemosynam facere de iis quæ proprio manuum labore acquirit, vbi lucra cõmunicantur, & administratio pertinet ad virum; & Greg. Lopez *l.* 12 *tit.* 23. *p.* 1. *vers. apartadamente.* vbi hæc dicit, *Iuxta leges Regni non potest vxor etiam de parte lucri ad se pertinente eleemosynã facere, quia administratio pertinet ad virum.* Hoc idem Nauarra *suprà n.* 90. & dicit donarium teneri restituere. Quòd si arguas, quòd mulier habet dominium suæ partis lucrorum: ergo si accipiat occultè, non tenetur restituere, sicut si pupillus à tutore. Respondet *n.* 91. 92. negando consequentiam, quia tutor habet vsumfructum non in sui, sed in pupilli vtilitatem. At vir in sui vtilitatem, vt onera matrimonij sustentet, & dicit *n* 85. contra Nauarrum, quòd de suo labore, & filiarũ & famularum quotidiano, quãdo lucrum non est magni momenti, potest eleemosynas facere, quia suum est, siue ex tacito consensu maritorum, siue ex consuetudine huius regni. Et Palacios *verbo eleemosyna*, vbi hæc dicit. *non potest vxor de paraphernis eleemosynas facere in magna quantitate propter leges regni.* Et idẽ prorsus dicit Aragon 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. & addit omnes donationes factas ab vxore esse irritas. Et Cord. *summa q.* 125. *vers. lo sexto*, vbi hæc dicit. *No puede la muger casada disponer de la parte de sus ganancias.* Et Xuar. *super l.* 13. *tit.* 3. *de las deudas, n.* 1. & 8. licèt aliquantulũ dubius, dicit non posse vxorem contrahere etiam ad pias causas sine viri licentia. Et Alcozer *lib. de ludo cap.* 14. inquit, *En Espana no puede donar la casada de los paraphernales, propter l.* 55. *Taur.* & Gomez Arias *l.* 55. *Tauri n.* 49. vbi inquit, non potest vxor donare sine speciali licentia viri: & Anton. Gomez *eadem l.* 55 *n.* 1. & Couar. 4. *decr.* 2 *p. c.* 7. § 1. *n.* 1. docent in paraphernis non posse vxorem aliquo modo agere, nec contrahere sine licentia viri; quia fructus paraphernorum ad ipsum spectant, & administratio. Pro eadem sententia sunt Sylu. *verbo vxor. q.* 7. & Rosel *ibi num.* 1. vbi dicunt, quando vir habet administrationem in bonis communibus, non posse vxorem facere eleemosynas; cùm ergo in Hispania vir habeat administrationem, non poterit vxor, &c. Pro eadem sententia sunt alij plures Doctores docentes, quòd prohibita venditione, censetur donatio prohibita, & omnis actus per quem dominium transfertur. Hi sunt Anchar. Panor. Alex. Anton. Ripa, quos refert, & sequitur Couar. *de testam.* 3. *p. rubrica num.* 12. & glossa *l.* 2. *iuncto textu C. de vsucap.* quam *ibi* commendant scribentes, Bald. *cap. literæ, de dilat.* Iason *l. filius familias, §. diui num.* 71. & *ibi* alij moderniores. *ff. de legat.* 1. Gratian. *in regula iuris* 482. *n.* 11. Castillo *l.* 69. *Tauri num.* 7. Anton. Gomez *l.* 53. *Tauri. num.* 73. Matienzo *lib.* 5. *nouæ recopil. tit.* 9. *l.* 5. *gloss.* 6. *num.* 6. Immo Couarr. *ibi* propter hanc doctrinam docet non posse vxorem donare causa mortis absque viri licentia. Cùm ergo per *l.* 55. *Tauri* prohibitum sit vxori vendere, & contrahere etiam circa parapherna, prohibitum etiam erit dare in eleemosynam, cùm sit actus, per quem dominium tranfertur. Item pro hac sententia sunt alij Doctores, qui docent, quòd prohibita contrahere absque viri licentia, non potest etiam ad pias causas contrahere. Hi sunt Salizetus *Auth. cassa quæst. penultima. C. de sacrosanct. Eccles.* Albert. 2. 3. *statutorum q.* 2. Cardin *cap. perpendimus, q.* 9. *de sent. excomm.* Roman. *consil.* 166. Barba *consil.* 14. *lib.* 2. Decius *cap. Ecclesia, de constit.* Molinæus ad Alex. *consil.* 105. *num.* 11. *lib.* 4. Tiraquell. plures referens post leges connubiales. *gloss.* 8. *num.* 172. 173. 174. Baeza *lib de non melior. filia. cap.* 11. *num.* 57. 58 59. Cùm ergo mulier sit prohibita per *l.* 55. *Tauri*, contrahere, non poterit etiam ad pias causas contrahere. Tandem pro hac sententia est doctrina Bartoli, & aliquorum, qui docent, quòd qui fauore alterius ptohibetur contrahere, non potest etiã ad pias causas contrahere. Sic Bart. *l.* 1. *C. de sacrosanct. Eccles.* Panorm. *consil.* 63. *lib.* 1. & probat ex *cap. licet. §. finali, de sepult. in* 6. sed per *l.* 55. *Tauri* prohibetur vxor contrahere, & hæc prohibitio est in viri fauorem, ne scilicet vir lædatur propter fœminæ imbecillitatem, vt docet Xuarez *vbi suprà*, & *l.* 13. *tit.* 20. *lib.* 3. *fori.* Baeza *d. c.* 11. *num.* 60. Palac. Rubr. *rubr. de donat. §.* 68. *num.* 3. *l.* 55. *Taur. n.* 18. vbi & Ant. Gomez, & Castillo *n.* 1. Salzed. *in addit. ad Bernar. Diaz super regula* 455. Tiraq. *vbi suprà n.* 174. Bald. & Saliz. *l.* 1. *C. vnde vir, & vxor.* Couar. 4. *decr.* 2. *p. cap.* 7. §. 1. *n.* 3. & patet, quia *l.* 45. *Tauri* dicit *durante el matrimonio no puede la muger contraer.* Non est ergo propter imbecillitatẽ vxoris, quia hæc soluto matrimonio durat, & tamẽ tunc potest contrahere. Cùm ergo hæc prohibitio sit in fauorem viri, non poterit vxor iuxta doctrinã allegatam absque viri facultate, siue ea expressa sit, siue tacita, iuxta dicta suprà, etiam ad pias causas contrahere.

19 Nec obstat doctrina Baldi, & aliorum citata pro contraria sententia, quia (vt bene respondent Xuarez & Couarruuias, *locis citatis*) lex 55. Tauri loquitur in casu diuerso à casu Baldi, quia in casu Baldi requiritur consensus propinquorum in fauorem vxoris, propter eius imbecillitatem, quæ videtur cessare contrahendo ad pias causas pro anima: at lex Tauri exigit consensum viri in ipsius fauorem, vt probatum est.

20 Vltima



20 Vltima conclusio sit. Multo probabilior est hæc secunda sententia, scilicet non habere ampliorem potestatem mulierem coniugatam ad conferendum eleemosynas de paraphernis in Hispania, quàm de suis bonis dotalibus: vnde in iisdem casibus, in quibus dictum est posse de dotalibus, poterit de paraphernis, & non in aliis casibus: probatur ex adductis pro hac secunda sententia.

21 Nota tamen duplex posse esse paraphernorum genus: quædam enim sunt, quorum vxor est domina, at vir administrator, & eiusmodi sunt communiter parapherna in Hispania. Alia sunt parapherna, quorum dominium, & administratio est apud vxorem, vt si tempore, quo contractum est matrimonium, vxor reseruauit sibi, conscio viro, aliqua bona, vt de ipsis posset ad libitum disponere. Hanc distinctionem paraphernorum ponit Greg. Lopez *l.* 17. *tit.* 11. *p.* 4. *vers. todos.* & Baldus *consil.* 278. *volum.* 5. De paraphernis ergo primi generis intelligitur conclusio posita, & hæc secunda sententia: nam de paraphernis posterioris generis potest mulier ad libitum disponere; sic enim voluit vir dum contraxit cum hac matrimonium, vt optimè notat Cord. *dicta q* 225. *§. verdades.*

## DVBIVM VI.

*An vxor possit inuito viro, aliqua parentibus, aut filiis prioris matrimonij, vel aliis consanguineis suis indigentibus dare ad coalendos.*

1 HAc in re certum est non posse dare de bonis viri, nisi secundùm quod potest facere eleemosynas, scilicet de voluntate expressa, vel tacita viri, vel in extrema necessitate, vt dubio præcedenti dictum est. Sic Ang. *verbo vxor. num.* 8. Sylu. *q.* 7. Rosel. *num.* 1.

2 De bonis verò viro; & vxori communibus, vel dote vxoris, duplex est sententia.

Prima docet non posse vxorem aliquid dare, etiam ad alendos filios prioris matrimonij egentes, quando vir habet administrationem, nisi quando filij habent aliquam actionem contra matrem, vt quia possidet bona eorum, vel sunt impuberes: sed potest vxor procurare vt ad hoc per iudicem compellatur vir; quando verò vir non habet administrationem, posset vxor, sicut vir. Sic Guillelmus de Maranta, quem refert, & sequitur Sylu. & Rosel. *ibidem.* Cùm ergo in Hispania vir habeat administrationem omnium bonorum, non poterit iuxta hanc sententiam vxor inuito vito, adhuc de bonis communibus dare aliquid parentibus, aut filiis indigentibus.

3 Secunda sententia docet, quod casu quo filij vxoris ex priori matrimonio, vel eius parentes magnam paterentur necessitatem, licèt non extremam, sed talem, vt ali non possint, nisi notabiliter à statu deciderent, posset vxor virum compellere iudicis auctoritate, vt ipsi permitteret aliquid dare parentibus, aut filiis ad ipsos alendos, vt intelligitur ex *l.* 4 *tit.* 3. *lib.* 5. *nouæ recopil.* in quo etiã prima sententia conuenit, quòd si tixas viri, aut odia, & inimicitias timeret, posset vxor inscio viro aliquid dare, scilicet id, quod necessarium est parentibus, aut filiis prioris matrimonij alendis, modo vxor habeat animum compensandi post viri obitum, & ex suis bonis extrahendi, quæ parentibus, aut filiis alendis dederit; at non posse id facere ad alendos alios consanguineos, etiamsi proprij fratres sint. Probatur prima pars, quia ius naturale, quo vxor tenetur ad alendos parentes, vel filios prioris matrimonij, præferendum est iuri ciuili, quod bonorum administrationem concedit viro. Sicut ius etiam naturale facultatem dat vxori, vt in extrema necessitate, viro inuito, pauperi subueniat: at fratres non tenentur ex iure naturali vxor alere, sed ex iure ciuili, quando indigent; hoc autem ius ciuile intelligitur, saluo alio iure ciuili, quo mulier coniugata nullam habet bonorum administrationem. sed vir. Hinc tenet Cord. *summa q.* 125. *§. y en caso, & §. lo nono digo.* In hac 2. parte tenet Nau. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *numer.* 162. 163. vbi idem dicit

*Th. Sanchez Consil. moral. Tom. I.*

de fratribus, scilicet, quòd potest vxor accipere ad eos alendos.

4 Sit conclusio. Hæc secunda sententia est probabilior: vt eam tuetur Nauarra, scilicet quòd etiam licet vxori ad alendos fratres accipere.

## DVBIVM VII.

*An ex bonis constante matrimonio acquisitis solus maritus valeat absque vxoris consensu, cui dimidia eorum pars debebatur, viuente eadem vxore, contractus, & donationes, ac eleemosynas quasuis facere.*

1 HAc in re certissimum est posse virum sine vxoris licentia, hæc bona per viam contractus alienare, modò non faciat dolo, & in fraudem vxoris scilicet, principaliter animo fraudandi vxorem dimidia parte horum lucrorum. Sic habetur expresè *l.* 205. *stili*, & *l.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *nouæ recopil.* vbi sic dicitur: *Puede enagenar el marido sin licencia de la nuger los bienes constante el matrimonio ad quiridos, y el tal contracto de enagenamiento valga, saluo si fuere probado, quefehizo cautelosamente, por damnificar à la muger.* Et ratio est, quia vir est horum bonorum legitimus administrator, & per contractum exponitur lucro, & iacturæ: & sic tenẽt omnes Doctores citãdi.

2 Dubium graue est, an possit vir sine vxoris licentia de bonis communibus acquisitis constante matrimonio donationes facere. Duplex est sententia.

Prima docet posse. Probatur quia legibus citatis datur potestas viro alienandi bona communia, & sicut prohibita alienatione, intelligitur donatio prohibita, ita concessa alienatione, intelligitur donatio concessa, præcipuè in materia fauorabili; quæ reducit ius particulare ad ius commune, vt est ista; quia iure communi omnia lucra erant viri, & poterat de ipsis liberè disponere. Item quia *dicta l. stili* conceditur marito, vt possit remittere debita constante matrimonio acquisita; sed remittere est donare, vt doc et Bart. *l. si quis delegauerit. ff. de nonat.* Ergo potest maritus has donationes facere. Sic tenet Anton. Gomez *l.* 51. *Tauri, num.* 73. Anchar. Cassanæus, & Boërius, vt refert Molina *vbi infrà.* Huic fauet Gomez Arias *l.* 14. *Tauri, n* 5. 6. 7. vbi vniuersaliter docet posse virum alienare: & reddit rationem, quia non est necessarius debitor mulieri medietatis, cùm de iure non teneatur id augmentum facere, & factum pro dimidia parte vxori conseruare. Hæc Gom. Arias, idem tenet Aiora *de partit. 2. par. quæst.* 41. *num* 46.

3 Secunda sententia tenet non posse has donationes liberales facere. Sic Doctores citandi. Quæ sententia ac multo verior amplectenda est, & quia difficilis est, ad eius explicationem subiiciam aliquot fundamenta, & mox aliquot conclusiones.

4 Sit primum fundamentum: donandi potestas non venit in generali, & libera administratione alicui concessa, vnde vt possit aliquis donare, oportet vt specialiter concedatur illi hæc potestas *l.* 1. §. 1. *ff. de solut.* Et ratio est, quia libera administratio datur ad vtiliter expendendum, & non ad dilapidandum, & perdendum; at donare perdere est. Sic Xuar. *l.* 1. *tit. de las ganancias. lib.* 3. *legum fori, n.* 52. Matienzo *lib.* 5. *ordinam. tit.* 9. *l.* 5 *glos.* 6. *n.* 4. Padilla *l. præses, C. de transact. n.* 11. Perez *lib.* 5. *ordin. tit.* 4. *l.* 4. §. *Pueda enagenar.* Anton. Gomez *l.* 51. *Tauri, n.* 73. Sagura *tract. de bonis constante matrim. acquisitis, n.* 108. Palac. Rubios *rubr. de donat. §.* 66. *n.* 29. Pinellus *C. de bonis mater. l.* 1. 3. *p. n.* 56. vbi etiam alios Doctores refert Gutierrez *lib.* 2. *pract. q.* 121. *num.* 3.

5 Nota Pal. Rub. *vbi sup.* limitare hoc fundamentum, vt habeat locum in habente liberam administrationẽ à lege; secus si haberet liberam administrationẽ ab homine, quia tunc donare posset. Et refert pro sua sententia Baldũ, sed malè refert, quia potiùs cõtrariũ dicit. Sed hanc distinctionẽ meritò improbat plures referẽs Pin. *vbi sup.* & Matiez. *vbi sup.* & ita fundamentũ positum generaliter approbat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



6 Secundum fundamentum : in commissione,& mandato, quòd quis possit disponere de aliqua re tanquam propria, non censetur commissa donandi facultas, sed oportet, vt specialiter concedatur donandi licentia *l. creditor. §. Lucius. ff. mandati.* Sic Segura, Perez *vbi suprà*, Matienzo *vbi suprà n.*11. His suppositis, sit

7 Prima conclusio: non potest maritus de bonis communibus liberales donationes facere. Hæc est cõtra Doctores primæ sententiæ. Probatur, quia in generali concessione administrandi,& disponẽdi de aliqua re, ac propria, non clauditur donandi potestas, vt probaui; ergo licèt leges concedant marito liberam bonorum communium administrationem, non per hoc concessa videtur donandi facultas. Item, quia leges concedentes viro posse alienare, ac liberè administrare, limitant, nisi id malitiosè fiat animo damnificandi vxorem, at cùm liberè donat, verè defraudat; ergo. Item quia *l.*205. *Stili*, concedens viro posse alienare, subdit, *Con tal que no sea dissipador*. Hanc conclusionem tenet Bald. & Iason, quos referunt,& sequuntur plurimi,& grauissimi Iurisperiti, scilicet Gutierr. *d.q.*121. *à n.*2. Pelacz *de maior.*1 *p.q.*23.*n.* 14. Royas *de succes. ab intest.c.*33.*n.*25. Azebedo *lib.* 5. *recop. tit.*9.*l.*5.*n.*9.10. Peralta *l.*1 *n.*74 *ff. de legat.*2. Auend. *l.*17. *Tauri. glossa* 4.*n.*4. Cifuent. *l.*16. *Tauri n.*13. Quemada *lib. de bonis confiscatis hæretic.q.*6. Segur. *d.n.* 108. *& n.* 160. Palac. Aub. *rubr. vbi supra, & l.*56. *Taur. n.*5. Xuar. *vbi sup. à n.*52. *vsque ad* 55. Nau. summa Hisp. *c.*28. *add. ad n.* 193. *c.*17. & Lat. *c.*17.*n.*155. Simancas *lib. Instit. tit* 9.*n.*86. Perez *lib.*5. *ordin. tit.*4. *l.*4. §. *Pueda enagenar*. Immola *l. illa autem. ff. de hæred. instit.* Tello *l.*19. *Tauri à n.*2. *vsque ad* 6. Matienzo *lib.*5. *ordinam. tit.*9. *l.*5. *glos.*6. *num.*19. *& infra.* Couarr. 3. *var. c.*19 *n.*2. Cordub. *summa q.*125. §. *loquinto*. Plaza *epitome de delictis, lib.*1. *cap.*29. *n.*1. §. *secundò ad Regiam constitutionem*. Molina (licet cum limitatione, quam mox subiiciam) *lib.*2. *de primog. c.*10. *à n.*65. *vsque ad* 68. Et hæc est communis sententia. Nauarra *lib.* 3. *de restit. c.*1. *à n.*14. Burgos de Paz iunior *q. ciuilibus q.*9. *num.* 23. Ioan. Garc. *de coniugali acquæstu, num.*65. Angulo *de melior. l.*3. *glos.* 4. *num.*2.

8 Circa hanc conclusionem nota primò, intelligendam esse de donationibus excessiuis, & magnis, quæ sunt in communis patrimonij dissipationem, secus de donationibus moderatis, potest enim has facere, vt consanguineis famulis, vel amicis, modica, & consueta largiri. Patet, nam tutores, & cæteri administratores ex bonis alienis donare possunt ea, quæ à dominis ex eorum qualitate, & consuetudine donare conuenientia, & solita sunt, *l. filiusfamilias ff. de donat. l. cum plures. § finali. ff. de admin. tutor.* Ergo à fortiori id poterit maritus, cùm non sit, sicut cæteri administratores, immo rerum communium dominium habeat. Sic Molin. *n.*67. Burgos de Paz *ibi* Ioan. Garcia, Auendaño. Gutierrez, Azebedo, & Corduba *vbi suprà*, dicit namque posse absque vxoris licentia virum aliquas liberalitates exercere. Nec hoc est contra reliquos autores conclusionis positæ; nam (vt videbitur in secunda conclusione) fatentur posse ex causa donare, & iusta causa est, vt quis moderatè liberalem se ostendat.

9 Secundò nota, si vir faciat donationem excessiuam de bonis communibus, donatio valebit, sed tenetur vir computare in parte luctorum sibi competenti, & donatarius, si probabiliter credat id virum non facturum, tenetur certiorem facere vxorem, vt sibi de bonis viri compensatio fiat. Nau. *suprà*. Aduerte hoc habere difficultatem, quando est de re immobili, de quo vide *hic corol.*3.

10 Secunda conclusio: Maritus potest sine licentia vxoris donationes facere, non proprias, id est, quæ merè liberaliter fiunt, sed improprias, scilicet ex iusta causa absque dolo, & fraude, vt donationes remuneratorias. eleemosynas, &c. Probatur, quia est liber administrator; immo dominium habet talium bonorum communium constante matrimonio; ergo potest ex iusta, & rationabili causa alienare. Sic Couarr. Simancas, Palacios Rubios *n.* 25. Perez, Cordub. Plaza, *vbi suprà*, Rojas *n.* 26. Peralta, Azebedo *supra*.

11 Nota quòd ista conclusio intelligenda etiam venit de donationibus ob causam, moderatis tamen, nam excessiuas non potest vir de bonis communibus facere absque vxoris beneplacito; quia esset ipsam sua parte lucrorum defraudare. Sic colligitur ex Cord. Pal. Rub. & & Mol. *vbi suprà* quia (vt in corollariis videbitur) donationes aliquas ex iustissima causa, immo obligatoria, factas à viro dicunt esse in parte lucrorum viri computandas. Quòd si inferas nullum esse discrimen inter donationes liberales,& donationes ex causa. Respondetur esse differentiam, quia maiores, & ampliores donationes potest facere ex causa, quàm liberales. Hinc

12 Infertur primò, si vir habeat filios alterius matrimonij, non posse ipsis dotem constituere, aut alimenta præbere de bonis communibus, sed tenetur id præstare de lucrorum parte sibi obueniente; quia soluit debitum suum,& est donatio in quantitate. Sic Cord. *vbi sup. vers. lo octauo*. Palac. Rubios *§.66.n.*18. *&* §.62.*n.*32. Aiora *de partit.*3 *p.q.*18.*n.*38. Burgos de Paz *sup.q.*8.*n.*18. multos refers. Baëza *de non melio.c.*11.*n.*120. Quemada *vbi sup.* Et similiter idem dicendum est, si parentes viri indigeant, tenetur enim de suis bonis virum ipsos alere, & non potest de communibus: patet ex eadem ratione. Sic Cord. *ibi*. Nau *d.c.*1.*n.*161. 162. & idem dicit de fratribus Gut. 2. *pract.q.*129. licèt Matienzo *lib.*5 *recopil. tit.*9 *l.*3. *glos.*7.*n.* 10. dicat teneri alere matrem de bonis communibus, quia debita de bonis communibus soluenda sunt. Sed bene respondet Gut. quòd intelligitur de debitis respicientibus matrimonium, & communem ipsorum societatem. Similiter dicit *ibi* Gut. teneri in suam partem computare, si aliquid expendat pro vtilitate filiorum prioris matrimonij, vt pro recuperando ipsorum debito, &c.

13 Secundò infertur, si vir delictum contrahat, vt si hominem necet, & aliqua pœna pecuniaria damnetur, soluendam esse de bonis viri, & non posse virum soluere de bonis communibus. Sic Palac. Rub. *d.* § 66. *præcipuè à n.*18. Cifuentes, Quemada, Segura *vbi sup.* Villalob. *lib. communium opin. verb. vxor. in fine*. Ioan. Garc. *de expensis cap.*13.*n.*19. Matienzo *d. glos.*7.*n.*11.

14 Tertiò infertur non posse virum in persona filij sui, & vxoris primogeniti maioratum ex bonis multiplicatis, & communibus absque licentia vxoris instituere; quia primogenij institutio maximæ quantitatis donatio in plurimum solet esse. Nec obstat quòd vir potest filiam communem absque vxoris licentia de bonis communibus dotare *l.*53. *Taur.* quæ hodie est *lex* 8 *tit. lib.* 5. *nouæ recopil.* quia dotare filiam communem est onus necessarium, & quasi debitum commune viro, & vxori; & ideo de bonis communibus soluendum: at primogenij institutio est actus voluntarius. Sic Mol. *dicto c.*10. *num.* 67. & fauet Tello *vbi suprà*, docet enim non posse solum maritum assignare vni ex filiis communibus meliorationem tertij, vel quinti in rebus constante matrimonio acquisitis Videantur de hoc *c.*14. & 15. *summæ lib.*1.

15 Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd prohibita alienatione censetur prohibita donatio, quia verè est alienatio; at illa concessa, non conceditur hæc, nisi specialiter exprimatur, vt probaui in primo, & secundo fundamento; maximè, quia lex. *Stili* citata dicit, *Con tal que no sea dissipador*. at donare est dissipare; & *l.*15. *tit.*9 *nouæ recopil.* vbi dicitur: *Pueda enagenar*; subditur, *y el tal contrato de enagenamiento valga*, vbi nomine *alienationis* videtur solos contractus intellexisse, at donatio contractus non est.

16 Ad secundum respondetur cum Molina, & Xuarez, quòd leges Stili non habent vim, nisi vbi vsu comprobatæ sunt: & ipsamet lex subdit, *Con tal que no sea dissipador*.

DVBIVM



DVBIVM VIII.

*In quibus rebus possint expendi bona ciuitatis, vel oppidi, Hispanè* los propios del Concejo.

1 SIt conclusio: hæc communia bona in communem vtilitatem omnium vicinorum eroganda sunt. Sic habetur expressè *l.*10. *tit.*28 *part.*3 vbi dicitur sic, *De vender gastar en pro comun de toda la ciudad, o villa, cuyas fueren las cosas, como en labor de los muros, puentes, fortalezas, tenencia de los castillos. & l.*22. *tit.*6. *lib* 5. *noua recop.* vbi sic dicitur, *Las rentas de los propios solamente se gasten en cosa de prouecho comun, y no en interesses de los Regidores, ni de aquellos aquen quieren hazer gracias, ni se gasten en dadiuas ni en ayudas de costa, ni presentes, ni fiestas, ni alegrias, ni comidas, ni bebidas, ni nostras cosas no necessarias albien comũ de la ciudad, o villa ni den alos porteros, ni reposteros, y aposentadores, y otros officiales de nuestra corte cosa alguna, salvo lo contenido en las leyes*. & sic etiam docent Auendaño *de exequend. mand. reg. lib.*2.*c.*10.*n.*2. Auiles *c.* 30. *Prætorum. §. iusta*. vbi ponit optimam huius rationem, quia defensor ciuitatis fungitur vice tutoris. *l. orphanotropes, C. de Epsc. & cler. Authent. de Eccles. tit. in fine, collat.*9. tenet Platea *l. rempublicam, C. de iure reipub. lib.*11, at tutor non potest conuertere bona pupilli, nisi in ipsius fauorem.

2 Hinc fit primò, bona, & redditus populorum iustè expendi in solutione salarij, quod debetur Prætoribus, & aliis officialibus, quos mittit Rex ad ciuitates, villas, & oppida, excepto quando mittit Rex aliquem Prætorem, aut quæstorem ad puniendum aliquod delictum, tunc enim soluendum est salarium impendio eorum, quibus crimen imponitur; & in casu quo Concilium, seu senatus, vulgo, *Concejo*, non habeat propria ad soluendum hoc salarium Prætorum, soluendum est ab illis, qui res omnes, quæ in senatus emolumentum, aut oppidi cedunt, soluere solent. Sic expressè disponitur *l.*5. *tit.*5. *lib.*3. *nouæ recopilat.* Ratio, quia in solutione huius salarij communis vertitur vtilitas: & per hanc legem nouæ recopilationis corrigitur *lex* 7. *tit.*17 *p.*3. quæ statuebat salaria iudicibus, quos quæstores Hispanè *pesquisidores* vocant præstanda esse à Rege; vt dicit Auendaño *vbi suprà*. Quòd si obiicias hanc legem esse iniustam, quia Regi ideo soluuntur tot redditus, ac tributa à vasallis, vt eis administret iustitiam: ergo tenetur suis sumptibus illam administrare. Respondet bene Auendaño, quòd *dicta l.*5. *ordinam.* lata fuit ad petitionem subditorum huius regni, & consuetudine inuiolabili recepta: at volenti populo non fit iniuria. Item quia cùm Rex Castellæ, sit verè dominus huius regni, ipséque dotauit respublicas, vt haberent bona communia, de qua dotatione fit mentio *l.*4. *tit.*28. *p.*3. *vers. ic. pro communal* potuit eas grauare, vt prædictum salarium soluant, & sic soluendum esse tenet Greg. Lopez *l.*10. *tit.*28. *p.*3. Auend. *dicto c.*10.*n.*3. & 4 Auiles *dicto §. iusta*.

3 Nota tamen, quòd l. illa 5. nouæ recop. tantùm disponit soluendum salarium correctoribus, quos Rex mittit, de bonis communibus populi, vt probant ea verba, *Corregidores, que nos embiamos*. vnde sequitur illam l. correctoriam iuris communis locum non habere in oppidis dominorum Regè inferiorum, ibi enim non à populis ex redditibus, vel per collectam, sed ab ipso domino soluenda sunt hæc salaria; nisi concilia horum dominorum ex immemorabili consuetudine soleant soluere aliquod salarium huiusmodi dominorum iudicibus. Sic Auend. *ibi num.*5.

4 Secundò infertur licitè expendi hæc bona communia in ædificatione carceris, vel domus concessus, vel senatus, vulgo *ayuntamiento*; quia cedit in bonum commune. Et idem est in fabrica macelli, id est, *arneceria, & pescaderia*. Auend. *n.*6. & 7. Auiles *dicto §. iusta*.

5 Tertiò infertur, quòd salarium deputandum Magistris liberalium artium, vel Medicorum, & de communibus bonis dandum; quia cedit in commune bonum. *l. ambitiosa, §. fin. ff. de decretis ab ord. faciendis*. Sic Greg. Lopez *suprà*. Auendaño *n.*8. addens idem esse de salario ferratiorum.

6 Quartò infertur, quòd quando aliquis ex decurionibus ciuitatis senio confectus labitur in paupertatem, sunt ei alimenta, vt viuat, danda ex talibus bonis communibus, *l. decurionibus. ff. de decurio*. Dicit tamen Auend. *n.*10. nunquam audisse hoc praxi receptum esse.

7 Quintò infertur, quòd licèt ciuitas donare non possit (immo, vt dicit Auiles *dicto c.*3. §. *gracias, n.*1. & 2. alios referens, non potest remittere debitum liquidum, nec pœnas statutorum, licèt possit transigere super debito non liquido) at Nunciis Regiis bona nunciantibus moderatum quid in remunerationem potest donare. *l. vna. C. publicæ lætitia, lib.*12. quod vulgo *albricias* vocat. Sic Auend. *n.* 11. Auiles *eodem c.*30. *versic. alegrias, n.*3. & 9. Et sic dicit intelligendam dictam l. 5. nouæ recopil. quatenus dicit hæc bona publica non esse consumenda in iucunditatibus, & lætitiis magni pretij, secus si modicum consumatur pretium arbitrio iudicis: & ponit exemplum Auiles *n.* 3. quòd hæc nuncia sint, pro quibus potest dari remuneratio, vt cùm nunciatur populis quòd bella cessant, & facta est pax, vel victoria obtenta à Principe: vel quòd Princeps obtinùit nouam dignitatem, vt quòd factus est Rex Portugaliæ, &c. vel quòd Princeps tenebit ibi publicam curiam per multos dies, & notat Auiles *n.*8. Quòd si sint plures Nuncij, non sunt omnes gratificandi, sed primus; & si plures simul veniant, gratificandus est pauperior; vt probat glossa *l. vnica. C. publicæ lætitiæ, lib.*12. *verb. numerariis*, & *ibi* Platea *n.*2.

8 Sextò infertur posse expendi quid moderatum ex his bonis communibus in expensis ludorum publicorum licitorum, quorum finis est publica ciuium lætitia, vt sunt æquatis hastis certamina, agitatio taurorum, &c. nisi alia maior vrgeat necessitas scilicet defensæ terminorum fabricæ, reparationis publicorum ædificiorum. Auend. *n.*12. & notat *n.*13 quòd perfecto ludo publicæ lætitiæ, quod reliquum est, debet obseruari, & vendi, & quod inde redigitur, est pretium reipublicæ tanquam ex re sua acquisitum. Et eadem ratione (inquit) quando in Principis ingressu solent vestes ex publica pecunia dari Rectoribus, vt ei obuient, finito ingressu debent reipublicæ restitui, & latè probat.

9 Septimò infertur posse expendi in salario præstando Aduocato ciuitatis, & in similibus salariis; possunt enim sine licentia Regis ex huiusmodi pecunia publica deputari. Auendaño alios referens *n.*16.

10 Octauò infertur, si tempore caristiæ, vel abundantiæ respublica vult emere frumentum, oleum, &c. in succursum annonæ publicæ, vt respublica abundet, potest destinare personam, vt hæc emat, & dare ei salarium de publico. Item oppidi depositario potest dari salarium de publico: & sumptus pro amplianda ciuitate, vt sit maior numerus vicinorum, debent fieri de publico. Item si incarcerati famem patiuntur, ex qua indigentia mors sequi posset, adiuuari possunt, ne moriantur, de bonis communibus. Hæc Auend. *dicto n.*17. latè probans, & alios referens.

11 Nonò, si concilium consueuit ab antiquissimo tempore de bonis communibus expendere aliquid in eleemosynas monasteriorum, vel hospitalium, vel alterius rei in Christianæ pietatis splendorem, vt in alendis clericis, cantoribus, sacrista, & aliis Ecclesiæ ministris in aliquibus diebus, quibus solent processiones comitari, potest hoc facere. Sic Auendaño alios referens *n.* 18. At cessante hac consuetudine, non potest, sed debet peti à Rege licentia. Greg. Lopez *vbi suprà*.

12 Decimò cùm quis se nobilem, id est, *Hidalgo*, asserit, cùm intersit aliorum vicinorum reipublicæ, ne grauentur supportando onera contributionum, debet ex bonis communibus, id est *de los propios del pueblo*, lis contra ipsum nobilem defendi, etiam inuito, & nolente concilio, etiam si hoc negotium tangat aliquo modo bonum Regis. Sic Otalora *lib.*3. *de nobilitate c.*1. Auendaño *suprà num.*19. &

Universidad de Deusto
Biblioteca



addit *ibi*, quòd si deficientibus bonis communibus, imponenda esset collecta per vicinos, ipse assertus hidalgus contribuet contra se ipsum, vt alij vicini, & refert Baldum idem dicentem.

13 Vndecimò hæc bona communia possunt expendi pro defensione honoris liquidi, ac certi iam acquisiti, qui competit reipublicæ: nam honor ille proprium patrimonium est reipublicæ; si verò honor nondum est acquisitus, sed vult eum pecunia acquirere respublica, si talis honos continet commodum pecuniarium, vt quòd fiat liber populus à soluendis muneribus, &c. dabitur licentia à Rege consentiente maiori parte vicinorum, vt in hoc expendatur pecunia publica; si verò non contineat commodum pecuniarium, sed solùm vanum honorem, vt ius sedendi, vel portandi vexillum ante alios, &c. non potest in hoc pecunia publica expendi. Hæc Auendaño latè probans *num.*20.

14 Duodecimò infertur, quòd licèt puerorum pauperum educatio, vt eorum, qui in aliqua communi domo sub cura alicuius clerici eruditur in doctrina Christiana, & Hispanè vocantur *los niños de la dotrina*, & nutritio puerorum expositorum honorem ciuitatis respiciat; at quia est in commodum certarum personarum, & non in commodum vniuersale totius ciuitatis, non potest pecunia publica in hoc expendi. Auendaño *n.*21. Vnde iudex potest compellere diuites, vt dent eleemosynam pro hoc exposito nutriendo, ne fame pereat, vt docet glossa *c. sicut* 47 *dist.* & Panorm. *c. si quis propter necessitatem, de furtis* Auendaño *n.*19. subdens, quòd interim dum exquiruntur eleemosynæ, fiet mutuum de bonis communibus, quando est periculum mortis in mora: & similiter dicit Auendaño *eodem n.* 19. cum Cæpola *cautela* 2. si mater pueri damnetur ad mortem, alendus est puer non ex bonis communibus oppidi, sed ex eleemosynis diuitum.

15 Decimotertiò infertur hanc pecuniam publicam non posse insumi in solutione exactionum regalium, id est, *pechos, y seruicios Reales*; quia hoc non concernit bonum omnium, sed illorum, quos dicimus *pechores*, qui de suo patrimonio id soluere debent. Sic Auendaño *n.*22. Greg. Lopez *lib.*10 *fine tit.*18. *part.*3.

16 Decimoquartò infertur, quòd salarium, quod præstari debet custodibus messium, vinearum, &c. vicinorum alicuius loci, non potest solui ex hac pecunia publica, sed ex pecunia vicinorum habentium vineas, vel segetes, quia licèt vtilitas communis sit, vt in loco adsit abundantia vini, & frumenti, ob idque compelli possint vicini, vt vineas, & oliueta plantent, agrósque colant, vt notant Bart. Pureus, Florianus, & habetur *l.*4. *&* 5. *tit.*20 *part.*2. iuncta *l.* 1. *tit.* 11. *p.*2. at hæc vtilitas vniuersalis est secundaria; principalis verò vtilitas est priuata dominorum illorum agrorum, vel vinearum. Sic Auendaño latiùs probans *n.*23. 24. 25.

17 Vnde pulsationes campanarum, quæ fiunt ob fugandа nubila tempore, quo sunt fructus pendentes in agro, debent fieri non de bonis communibus, sed expensis eorum, qui fructus habent. Auendaño *n.*25.

18 Decimoquintò infertur, quòd si graculi, vel vermes, vel locustæ nascantur in vineis, vel messibus alicuius, potest cogi, vt suis expensis occidat hæc, tum ne re sua abutatur, tum etiam ne inde procedant ad aliorum vineas, & messes: si verò hæc nascerentur in agris publicis compascuis, Hisp. *baldios*, esset commune bonum consumi has locustas, & cùm sint in prædiis publicis, deberent mundari expensis publicis, deficientibúsque bonis publicis debet imponi collecta iuxta patrimonium cuiuslibet. *l. omnes C. si sine censu.* Auendaño *n.*26.

19 Decimosextò infertur, quòd licèt regulariter ciuitas non possit facere gratiam, vt habetur *dicta l.*22. *nouæ recopil.* at si aliquis seruiuit multum reipublicæ in aliquo negotio, nec habuit conueniens salarium, & respublica bene fuerata est propter singularem illius industriam, & laborem, bene potest vltra paruum salarium iam præstitum aliquid remunerare iuxta seruitij meritum, de bonis communibus. Sic latè probat alios referens Auendaño *numero* 43.

20 Decimoseptimò infertur, non posse de bonis publicis solui eleemosynam prædicatoribus, qui ad instantiam populorum vocantur in quadragesima; quia cùm hoc munus sit Episcoporum, & Parochorum, ab ipsis petenda est hæc eleemosyna, Auendaño *n.*27.

21 Decimooctauò infertur, quòd expensæ, quæ fiunt in processionibus, non de bonis communibus extrahendæ sunt: si tamen ex consuetudine clericis, sacristis, & aliis gestantibus cruces soleat dari aliquid ad comedendum de bonis communibus, potest dari: & similiter si aliqua moderata erogari solent in tripudiis, & aliis in honorem festi, licèt de bonis publicis fiant, iustè erogantur. Et id generali Hispaniæ vsu admissum est. Sic latè probans Auendaño *n.*28.

22 Decimononò infertur, quòd si Ecclesia non habet sufficientes redditus, vt reparetur, si vna est tantùm Ecclesia parochialis, potest subueniri ex bonis communibus, quia commodum spirituale, quod in Ecclesia percipitur, omnes tangit. Sic alios referens Auendaño *n.*29.

23 Vigesimò infertur, quòd licèt de bonis communibus non possint Correctores, seu prætores facere conuiuia inter se, at si Concilium ciuitatis inuitat ad prandiũ Magnatem transeuntem, bene possunt facere expensis ciuitatis; secus si aliqui ex Concilio per se, Concilio non vocato, id faciunt. Sic habetur *l.*226. in legibus Stili: dicit tamen Auiles *cap.* 30. *Prætorum. §. ni comidias*, quòd nunquam vidit eam vsu seruari, bene tamen vidit aliquando, quòd quando senatores Concilij Regij transitum faciunt per aliquam ciuitatem, Concilium ciuitatis eis donat aliqua parua comestibilia.

24 Præterea nota quòd ea quæ sunt publica, & ad publicum vsum destinata, non potest Rex minuere. Sic alios referens Auiles *cap.*1. *Prætorum, §. tierra, n.*2. Perez *libr.* 3. *ordin. tit.*14 *l.*9.

25 Tandem nota, quòd erogatio huius pecuniæ publicæ in omnibus casibus dictis facienda est de mandato iudicis, & Rectorum ciuitatis copulatiuè, vt expressè habetur *lib.*3. *tit.*6. *l.*2. *nouæ recopil.* ibi, *con libramiento librado de la justicia, y regidores.* licèt de iure communi soli Rectores poterant sine Præsidis arbitrio. Sic alios referens, & textus, Auendaño *dicto cap.*10 *num.*29.

---

## CAPVT VII.

*De emptione, venditione, & locatione.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An si minor existens sub potestate patris, vel curatoris aliquid ad creditum emat, contractus sit omnino nullus.*

2. *An qui habet licentiam Papæ, vel Episcopi ad petendam eleemosinam vno anno per se, vel per alium, vt sua necessitate consulat, possit hoc ius locare alteri pretio aliquo.*

3. *An liceat emere à sartoribus, vel ab eorum officialibus fragmenta, quæ supersunt ex vestibus, quas conficiũt: aut etiam a textoribus vnam, vel alteram serici gausapini vlnam vendentibus.*

4. *An licitum sit vendere triticum pluris, quàm per pragmaticam regiam taxatum est.*

5. *An sit obligatio seruandi pragmaticam in anno sterili, quando sterilitas est vniuersalis in omni prouincia, adeóque magna, vt certum sit agricolas non excepturos sumptus illam seruando.*

6. *An in casu quo pragmatica tritici non obliget, possit vendi triticum eo pretio, quod habuerit in ciuitate, aut seruanda sit aliqua moderatio ratione pragmaticæ.*

7. *An quando in diuersis regni partibus diuersa vigent pragmaticæ, possit venditor conuenire cum emptore, quod ipse portabit suis expensis.*

8. *An illi, quibus panem pinsere prohibitum est, si illum subigant, & coctum vendant cum lucro moderato, peccent mortaliter, & teneantur restituere.*

9. *An quando iudex, vel is, ad quem spectat taxare pretia apponit pretium exorbitans pani subacto, excusabuntur vendentes tali pretio.*

10. *Quod censebitur moderatum lucrum, excepto valore tritici, quod cõcedit pragmatica pistoribus panẽ pinsẽtib.*

11. *Quod sit pretium iustum panis deforis asportati.*

12. *Virum vendentes triticum vltra pretium taxæ pistoribus, & artocrearijs, & agasonibus extrahentibus illud ad alia loca, teneantur restituere excessum pretij, quando constat hos pistores, & agasones excepisse totum illud pretium, & insuper moderatum lucrum ex venditione tritici, vel panis cocti.*

13. *Virum agasones, & pistores non inuenientes triticum iuxta pretium taxæ, possint illud emere vltra taxã, & iterum vendere, & excipere totum illum excessum, & insuper moderatum lucrum, & expensas adportationis.*

14. *An possint molendinary illam tritici mensuram, quæ pro pretio solet illis solui, vendere eodem pretio, ac venditur triticum deforis asportatum.*

15. *An liceat carius vendere pecunia credita, quàm numerata saltem in iis mercibus, quæ communiter pecunia credita vendi solent.*

16. *An liceat vilius emere anticipata solutione saltem quando communis emendi modus est eiusmodi, vt contingit in venditione lanarum.*

17. *An liceat debitum aliquod emere minori summa, quam illud sit.*

18. *An fas sit ipsi debitori emere debitum, quod ab hinc vno anno debet, minori pretio, quàm sit ipsum debitum.*

19. *An censum iam impositum liceat minori pretio emere, quàm per leges regias taxatus est.*

20. *An eidem, qui soluit censum, liceat redimere viliori pretio, quàm census constitutus est. sicut cuidam tertio licèt viliori pretio emere.*

21. *An liceat alicui vendere fundum, vel domum, & reseruare sibi fructus, vel redditus domus, vel fundi, donec soluatur sibi fundi pretium.*

### DVBIVM I.

*An si minor existens sub potestate patris, vel curatoris, aliquid ad creditum emat, contractus sit omnino nullus.*

1 RAtio dubitandi, quia *in l.*22. *tit.*11. *lib.*1. *nouæ recopil.* huiusmodi contractus declaratur nullus. Cæterùm dicendum est, quòd quando filius, licèt sit sub paterùm dicendum est, quòd quando filius, licèt sit sub patria potestate, est extra patris curam seorsum habitans, sibique extra patris auxilium victum quærens, validus est huiusmodi contractus, nam ad contrahendum non attenditur, quòd sit sub patria potestate, sed quòd sit extra patris curam, seorsum habitans, sibique ex patris auxilium victum quærens. Nec oppositum decernit lex citata, quæ tantùm annullat contractus à minore factos, qui non solùm sit sub patria potestate, sed etiam sit sub patris cura, simul habitans. Sic tenet Perez alios referens *lib* 3. *ord. tit.*8. *l.*1. *fol.*603. *versic. fallit secundo*; & *ibi versic. fallit tertio*. dicit etiam fallere in filio coniugato, & velato, quia iam est extra patris potestatem, & alias limitationes ponit, ad quas se remittit Gut. *authent. sacramenta puberum, n.*48. *fine*, & dicit eas esse vtiles, & sic videtur eas probare.

### DVBIVM II.

*An qui habet licentiam Papæ, vel Episcopi ad petendam eleemosynam vno anno per se, vel per alium, vt suæ necessitati consulat, possit hoc ius locare alteri pretio aliquo.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit non posse, & teneri alterum restituere, quod acquisierit vltra pretium locationis, quod dedit, & suam sustentationem, vel illi, cuius erat licentia, si nondum consultum erat suæ necessitati; si autem consultum iam erat, aliis pauperibus; quia intentio Pontificis concedentis hanc licentiam non est, vt locetur. Sic Manuel Rodriquez *in Bulla compositionis n.*51. *fine.* Cordub. *summa quæst.* 98.

2 Secunda sententia probabilior dicit posse, nec causari obligationem restituendi; quia expresso aliquo iure non prohibetur locare: nec fit inhabilis ad pretium locationis recipiendum; & locat illud ius, quod habet, estque contractus fortunæ, quo vterque lucri, & iacturæ periculo exponitur. Sic Enriquez *lib.*7. *de indulg. c.*55. *n.*5.

### DVBIVM III.

*An liceat emere à sartoribus, vel ab eorum officialibus fragmenta, quæ supersunt ex vestibus, quas conficiunt, aut etiam a textoribus vnam, vel alteram serici gausapini vlnam vendentibus.*

1 RAtio dubitandi est, quia talia fragmenta, quæ supersunt, sunt furto ablata ex eo quod illis superest ex vestibus, quas faciendas accipiunt: & ad minus etiá, quod vendunt ipsi magistri; est dubium an illud furentur; solent enim aliquando plus petere ad vestem conficiendam, quàm sit necessarium: res autem, quæ sub dubio est, an iustè possideatur ab altero, non potest emi.

2 Quòd autem ad textores attinet, ratio dubitandi in eo consistit, quia certum est eam vlnam, vel vlnas, quas textores vendunt, abscindere ex telis, quas ipsis institores texendas tradunt: & quod in ipsorum fauorem allegant, qui ab illis emunt, est, quòd in singulis quibusque libris bombycis est pactum, quòd exhibeatur plus, vnus quadrans textori pro dispendiis. Quòd si aliqui quadrantes supersunt propter suam ipsorum diligentiam ad ipsos pertinent: pactum enim est quod modò supersit, modò desit, non plus, nec minus reddant, quàm ipsum pondus, exceptis talibus quadrantibus, atque ita quidquid desit, soluũt institori, quando textor reddit telam: dicunt ergo fieri posse, vt istæ vlnæ, quas vendunt, supersint ex quadrantibus prædictis, vel si non supersunt, textor soluit institori quidquid deest. Sed in contrarium est, quòd potest textor vti fraude ad non soluendum hunc defectum immittendo mel, aut in loco humido telam constituendo, aut postea iureiurando affirmantes se nihil surripuisse institori aut alios prætextus quærendo, quibus motus institor aliquid remittat.

3 Dico primò, si ea, quæ supersunt, essent adeò modica, quæ, moraliter loquando, à dominis haberentur pro derelictis, illisque displiceret, quòd eiusmodi fragmenta ipsis redderentur: non tenentur etiam officiales sartorum restituere, & sic licitum erit ab illis emere. Sic respondit mihi in quadam epistola suo nomine subscripta quidam satis doctus Magister à me consultus. Et facit pro hoc quod docent Nauarra *lib.*4. *de rest. c.*1. *num.*18. *fol.*412. & Metina *lib.*1. *summæ c.*148. *fol.*663. *pag.*1. nempe quòd si homo diues habeat in vinea aliquos manipulos, qui ei nihil prosunt, nec ad aliquid deseruiunt, immo nil curat de illis, capiens eos clam, non tenetur restituere, quia illi videntur haberi pro derelictis.

4 Secundo dico, si prædicta fragmenta, quæ supersunt, essent magna, & magni valoris, licitũ est ea emere à sartoribus magistris, non verò ab officialibus, quia illis communiter minus soluitur, quàm merentur facturæ: atque ita mihi dixerunt multi ex timoratis, & rectæ conscientiæ, cum quibus hoc contuli: & sic sibi compensant, & satisfaciunt his, quæ supersunt. Quæ ratio non procedit in officialibus, hi enim pactum iniere cum magistro sub certa quantitate, & modo in integrum soluatur magistro, modò non hic illis in integrum soluit. Sic idem præfatus recentior Magister.

5 Vltimò dico, quòd nisi sciatur textorem aliquem in

Universidad de Deusto
Biblioteca



rebus sui officij iniustè, ac perperam procedere, potest tuta conscientia ab illo emi, quâdoquidem id, quod emitur, potest pertinere ad quadrantes, vel si ita non est, leue, aut ferè nullum est damnum institoris, si quidem soluendum est illi integrum suum pondus; ex eo autem quòd aliqui sint, qui furentur variis vtentes modis, & industriis, non est, cur macula iniiciatur in omnibus, & apponatur dubium; sic prædictus neotericus, & Enriquez in alia epistola à me consultus.

## DVBIVM IV.

*An licitum sit vendere triticum pluris quàm per pragmaticam regiam taxatum est.*

1 AD huius resolutionem oportet supponere, quid per pragmaticas regias circa tritici venditionem decretum sit. Et quidem variæ sunt circa tritici venditionem pragmaticæ: nam anno 1571 & 1582. iussit Philippus Hispaniarum Rex, neminem Ecclesiasticum, aut sæcularem vendere triticum pluris quatuordecim argenteis: fanecam verò farinæ quatuordecim argenteis, & insuper triginta marauetinis: atque hæ pragmaticæ fuerunt postremæ.

2 Item quod attinet ad panem coctum, renouata fuit pragmatica anni 1568. & 1558. scilicet, vt veneat pretio moderato iuxta pretium grani, cum lucro modiocri, & proportionato, illo scilicet, quod taxatum sit per iudices in suis territoriis.

3 Item cõfirmata fuit epistola anni 1568. videlicet, quòd nemo, qui non sit pistor, aut in hoc tractare consueuerit, nec talis sit, qui sit intermittendus, aut vsurus similibus lucris, possit per se, nec per pistrices, aut personas alias, nec alio medio, aut pacto, modo, aut cautela panem coctum vendere, nec simili cõmercio vti sub statutis pœnis contra eos, qui vendunt triticum præter taxam. Quas quoque incurrunt pistores, aut quicunque alij prædictum panem in grano accipientes ad subigendum, coctúmque vendendum ab eis, quibus prohibitum est, quolibet modo, pacto, aut conditione acceperint, vt lucrum asportent, vel interesse in integrum, aut ex parte.

4 Item confirmatum fuit decretum Imperatoris Caroli Quinti, quòd videlicet nemo cuiuscunque qualitatis sit, emat panem, triticum, aut hordeum, aut typham, nec auenam sub parua vel magna quantitate, vt iterum vendat. Et quòd hoc non extendatur ad agasones, seu ad alias personas, quibus sit officium hinc illuc merces asportare, & loco illarum prædicta frumenta emunt, vt iterum vendant; nec ad illos, qui emunt panem ex aliis ad alia loca asportandum, vt reuendant, dummodo hi maneant obligati ad vendendum statim, ac illum attulerint ad loca, ita vt non claudant in horreis, ibique reponant, ac reseruent, vt catiùs reuendant.

5 Item reuocarum fuit in dicta pragmatica anni 1571. quod erat prohibitum, scilicèt, quòd conductores reddituum tam ecclesiasticorum, quàm sæcularium non possent locare panem ad vendendum, & illis fuit concessum posse hoc facere, dummodo non venderent triticum vltra pragmaticam.

6 Item fuit confirmatum decretum illud anni 1568. scilicet, quòd qui deforis asportarent triticum vendendum, possint accipere vltra taxam sex marauetinos pro singulis leucis in vnaquaq; faneca tritici, & typhæ, & quinq; marauetinos pro leuca, in qualibet faneca hordei, & auenæ.

7 Item in prædicta pragmatica anni 1582. taxata fuit faneca hordei pretio sex argẽteorum, & faneca typhæ octo argenteorum pretio. Quod attinet ad auenam, & panicum, nihil fuit immuratum, atque ita obseruanda est pragmatica anni 1566 scilicet, quòd vendatur auenæ faneca centum marauetinis, & panici ducentis & quadraginta duobus marauetinis.

8 Tandem fuit confirmatum, quod fuerat dispositum in pragmatica anni 1558. scilicet, quòd hæc taxa non intelligatur in locis, quæ in pragmatica excipiuntur sequentibus verbis, scilicet *in Galizia, Asturias de oniedo, e santillana, e las quatro facadas con las villas de gangas, y Tineo, e los Arguellos, e merindades de valdeburõ Ebabia deiuso Viscaia, encartaciones, e prouincias de Guipuscoa, ni en la Merindad de Trasmiera, e cinco villas, ni a las otras villas, e lugares, e Merindades, e valles, e tierras, que estan cerca dellos hasta dies leguas de la mar, y quanto al pan, que viene por la mar de fuera de ostos Reynos.* Hæc in pragmatica.

9 Circa hanc ergo pragmaticam dubitatur in genere, an licita sit, & trãsgressores ad culpã, & restitutionẽ obliget.

10 Circa hoc Nauarrus summa Hispana *c.23.n.84.* dicit superexcedentem pragmaticæ pretium peccare mortaliter ex mente aliquorum, & teneri restituere excessum. At ex proprio marte *n.86* dicit pragmaticam non obligare ad culpam illius transgressorem, quia iuxta ipsum, lex humana pœnam imponens transgressoribus non intendit obligare ad culpam, sed ad pœnæ solutionem.

11 Sed pro resolutione oportet duo supponere fundamenta.

Primum est ad publicam potestatem pertinere rebus venalibus, his potissimum, qnæ ad vitam sunt necessariæ, cõpetens pretium designare, & eos qui cariùs vendiderint punire. Ratio, nam ad publicam potestatem spectat vtilitati ciuium, & reipublicæ consulere. *l.1. de offic. præsid. & l. 1. ff. de officio præfecti vrbis. §. cura carnis, & l annonam ff. de extraord. crim.* sed maximè vtile, & necessarium est reipublicæ tempore annonæ, rebus ad victum necessariis pretium taxari, aliàs plures pauperes fame perirent; ergo Ita Metina *q.36. de restit.* Sotus *lib.6. de iust. q.2. arr.3. vers. 3. concl.* Merc. *lib.2. de contr. c.6.* Cast. *lib.1. de lege pœnali, c. vltimo. vers. alia sunt.* Mexia *pragmatica tritici concl. 1. n.4.*

12 Secundum fundamentum, pretium legale, id est, per Principem, vel rempublicam taxatum, si iustum sit, consistit in indiuisibili; ita vt in quantumuis paruo excessu, vltra illud vendatur, peccet venditor, & restituere teneatur. Si paruus excessus sit, erit peccatum veniale; si verò magnus, erit peccatum mortale, sic Sotus, & Mercado *vbi suprà*, Palacios *vers. emptio.* Gabr. *4. d. 15. q.10. art.1.* His suppositis, sit

13 Prima conclusio, iure optimo Princeps taxam posuit tritico in pragmatica. Ratio, quia ex primo fundamento Principis est taxam rebus venalibus necessariis imponere, at triticum est valde necessarium vitæ humanæ conseruandæ; ergo. Item quia cùm ita simpliciter necessarium sit, vt omnes illud emere cogantur, possent agricolæ ex necessitate tritici ansa desumpta, ita pretium tritici tempore annonæ augere, vt pauperes fame perirent, hanc conclusionem docent ferè omnes Doctores pro sequenti conclusione allegandi.

14 Secunda conclusio, vendens triticum, vel aliam rem pragmatica taxatam vltra taxam, tenetur, & si notabilis sit excessus, peccat mortaliter. Ratio, quia qui rem vendit plus iusto pretio, tenetur restituere, & peccat; talis enim est, qui triticum vltra taxam vendit, nam Princeps magna præhabita consultatione id pretium tritico statuit, & pretium legale (vt dixi in secundo fundamento) consistit in indiuisibili, ita docent Metina, Castro *vbi suprà*, Mercado *lib.3 de contract. c.4.* Soto *4. d.25. q. vltima, art. vltimo, vers.4. concl.* Corduba *summa casuum q.78.* Nauarr. *summa Latina c.23. num.88* Mexia *pragmatica tritici. tota concl. 1. maximè n.104. & concl. 2. num.6.* Gutierrez *lib. 2. pract.* 1582. Aragon *2.2. q.11. art.3 fol.351.*

15 Tertia conclusio pretium cuiusuis rei per pragmaticam taxatam intelligitur, modò bona sit, si enim defectum habeat, tantum pretij illius minuendum est, quantum defectus æstimatur. Sic Mercado *lib.2. c.7. & 8.*

## DVBIVM V.

*Vtrùm sit obligatio seruandi prædictam pragmaticam in annis sterilibus.*

1 ESto prædicta tritici pragmatica in genere obliget, vt dixi *dubio præcedenti*, dubitatur adsit ne obligatio illam



illam seruandi in sterilibus annis, quando sterilitas est vniuersalis in tota prouincia, & adeo magna, vt sit certum, agricolas non excepturos sumptus, si illam seruent: talis fuit anno 82. in prouincia Bæticæ, in quo dicunt omnes agricolæ sibi stetisse tritici fanecam triginta argenteis.

De hac re variæ sunt sententiæ.

2 Prima est aliquorum, quos tacito nomine refert Metina *vbi infrà*; qui affirmant quòd si vrgente necessitate, & sterilitate, Rex non augeat taxam, pragmatica non obligat. Rationes huius sententiæ refert Metina, & soluit. Præcipua est dicere non esse iustum, quòd idem sit pretium tritici in anno abundante, & sterili, quando adest parcitas tritici, & multa petitio illius; sicut enim reliquarum mercium pretium augetur vrgente illarum paucitate, ac defectu, præsentéque petitione illarum, similiter est æquum, vt idem seruetur in tritico. Hanc etiam sententiam, scilicet, quòd quando est sterilitas, & agricolæ pluris stat triticum, quàm taxatum est, possit pluris vendi; renet Mexia *pragmatica tritici tota concl. 2. in textu, & glossa.*

3 Secunda sententia dicit, quòd in annis etiam valde sterilibus obligat pragmatica tritici. Probatur primò, quia non fuit posita pragmatica ad annos fertiles, tunc enim non est necessaria, sed ad annos steriles. Secundò probatur, quia Rex, visa sterilitate, non auget pretium. Ergo censetur velle, vt taxa obliget. Tertiò probatur, quia munus agricolæ, sicut & mercatoris, expositum est lucro, & detrimento, quod sentiant necesse est in annis sterilitatis, illúdque recompensatur lucro fertilium annorum: sicut enim in sterilibus pluris est numo aureo, sic in fertilibus minus valet. Quartò probatur, quia aliter melior esset agricolæ sterilitas, quàm abundantia, quandoquidem tunc vendit pretio trium, vel quatuor numorum aureorum. Vltimò probatur, quia Rex potest obligare venditorem, vt vendat suam mercem minori pretio, quàm illi est, scilicet ob commune bonum reipublicæ; vt docet Bart. *l. 1. § cura carnis. ff. de offic. præf. num.2.* quem plures sequuntur, quos refert Couarr. *lib. 2. variarum, c.3. n.5.* ergo, &c.

4 Tertia sententia docet oppositum huius secundæ. Pro resolutione sit

Prima conclusio, non semper ac annus est aliquantulum sterilis, adestque necessitas, ac defectus tritici, dicendum est non obligare pragmaticam. Ratio, quia potuit Princeps ob commune bonum, & vniuersale, taxam imponere rei adeò necessariæ, quale est triticum, limitémque ponere nimiæ cupiditati pecuniarum. Quòd si in hoc casu non obligaret pragmatica, foret frustranea. Ita Doctores citandi pro secunda conclusione

5 Secunda conclusio, quando prudentium, ac expertorum virorum iudicio constat sterilitatem esse vniuersalem, non in vno oppido, duobus, aut quatuor, nec in decem, aut viginti agricolis, sed in vna prouincia, & adeò magna, vt sit certum agricolas in tali prouincia vendentes iuxta taxam, non elicituros sumptus, non obligat pragmatica. Probatur hæc sententia.

6 Prima ratio est, quia ad hoc vt taxa sit iusta, opus est habeatur ratio sumptuum, ac expensarum, detúrque aliquod moderatum lucrum, est liquidem iustum, quòd qui inseruit reipublicæ, nihil amittat, sed potiùs habeat aliquod stipendium; atque hæc est communis sententie, vt retuli ex Couar. ergo quando non in vno, aut altero particulari, sed communiter in tota prouincia multo maior esset sumptus tritici, quàm taxa, non obligaret pragmatica. Nec satis est dicere fore recompensationem in hoc quòd sicut in annis sterilibus pretium tritici maius est, sic in abundantibus minus; quia si pragmatica esset pro omnibus annis, quæ, v. g. vndecim argenteis, & non paucioribus triticum vendi iuberet, hoc esset optimum effugium: at pragmatica nihil fauet agricolis in annis abundantibus; tunc enim non valet triticum vndecim argenteis, sed multò paucioribus, atque ita nulla est recompensatio. Rursus non satisfacit, si dicatur, quòd, sicut suprà allegaui ex Bart. & aliis, potest Rex taxare mercem minori pretio, quàm valet, ob bonum commune. Respondet enim Couar. *ibi* citatus tria. Primum est, illud Bartoli dictum non desumi ex legibus, quas ipse allegat. Secundum est, quòd solùm intendit Regem posse cogere agricolam, vt maiori pretio vendat quàm posset: ita vt non tantum lucraretur, quantum posset lucrari, non verò minori, quàm sit iustum pretium; & addit hæc verba: *Nunquam licebit cogere quem venderet rem propriam pretio iniusto, etiam fauore reipublicæ.* Tertium denique est, quòd Bartoli dictum tunc procedat, quando necessitas est publica, & ad bonum commune, velut ad aliquod bellum, &c. & non sit pecunia in republica ad emendum triticum iusto pretio, in tali enim euentu etiam gratis potest Rex facere, vt detur merces. Deinde dico, quòd esto dictum Bartoli foret vniuersaliter verum, id sanè esset, quando constat de bono communi, quia hoc præponderat particulari: at de hoc non constat; immo oppositum est manifestum, quia si agricola non elicit sumptus, & expensas, nec volet, nec poterit seminare: quod est multo maius detrimentum communis boni, vt latissimè declarat Rex Philippus in pragmatica anni 71.

7 Secunda ratio est, quia si pro hoc anno tam sterili ederetur pragmatica taxans fanecam tritici vndecim argenteis, manifestè taxa esset iniusta; quia hoc pretium esset multo inferius sumptibus: ergo eadem iniustitia erit prædictam taxam conseruare. Consequentia constat, quia eadem æquitas, & iustitia requiritur ad conseruandam legem in sua vi, ac ad illam de nouo ferendam.

8 Tertia ratio est, quia cessante fine, & ratione legis non in vno, aut in altero particulari, sed in communi, cessat obligatio legis; vt in materia de legibus docent omnes Doctores *cap. cum cessante, de appellat. & l. adigere §. quamuis ff. de iure patron.* & latè Mexia, *in pragmatica tritici, concl.2.* Sed in hoc casu cessat finis, & ratio legis quæ fuit, vt agricolæ haberent moderatum lucrum ex venditione tritici, quo possint se ipsos sustentare, & conseruare agriculturam: nam si hoc anno fanecam tritici venderent vndecim argenteis, non solùm non lucrarentur aliquid, verùm potiùs multum amitterent, & breuiter eorum substantiæ consumerentur: ergo hoc anno omnino cessat obligatio prædictæ legis. Et in hoc casu locum habet, quod ait S. Thom. *2. 2. quæst.60 art. 5. ad 2.* videlicet leges, etiam iustas, aliquando non obligare; quia scilicet in aliquibus casibus illas seruare esset contra ius naturale, in quibus potius attendenda est mens legislatoris, quàm verba legis: nam in casu præsenti agricolæ habent ius naturale ad percipiendos ex venditione tritici tot sumptus, quot in illo colligendo fecerunt, & insuper moderatum aliquod lucrum tanquam stipendium sui laboris.

9 Quarta ratio est, quia annis præcedentibus dum taxa tritici minor esset, Rex per suam legem pretium auxit ad vndecim argenteos; quia meritò iudicauit taxam præcedentem non esse iustam pro illis annis, eo quòd agricolæ non poterant percipere sumptus factos, & moderatum lucrum; ergo quotiescunque hoc idem accidat censendum est Regem velle taxam illam non obseruari; hìc enim locum habet quod ait glossa *lege tale pactum. paragrapho finali, versic. Per exceptionem, ff. de pactis*, quod habetur pro statuto in casu omisso, quòd legislator verisimiliter statueret, si de eo fuisset interrogatus, quam glossam Iurisperiti auream vocant.

10 Vltima ratio, quia ipsa pragmatica auget pretium tritici iis, qui deforis adsportant propter expensas factas in adsportando, & vt aliquod moderatum lucrum percipiant: ergo si manifestè, & absque vlla fraude,

Universidad de Deusto
Biblioteca



constat expensas factas ab agricolis maiores esse, quàm pretium taxæ, iustum, & licitum illis erit ex quadam tacita dispositione legislatoris pretium augere. Quam rationem latiùs prosequitur Mexia *pragmatica tritici, concluſ.2.n.8.9.& 10.*

11 Hanc sententiam videntur tenere plures authores, quorum verba referam. In primis Metina *C. de restit. q. 31.verſ.Prædictis tamen non obſtantibus*, hæc dicit: Ad Rectores reipublicæ spectat pretia rebus venditioni expositis determinare, copiam, vel penuriam attendentes, vt taxatio per eos facta continuetur, vel etiam mutetur: & si continuetur, eorum taxationi standum est; nisi notabilis causa taxationem mutandi appareat, quia tunc taxatio est iniusta, nec illi necessariò standum, ex quo incipit esse irrationabilis: & ita si Rectores taxationem per eos factam non mutent, tuti erunt in conscientia, qui exigunt aliud pretium, licèt fortè in foro externo à pœna immunes non sint. Quæ autem maior causa esse potest in casu præsenti ad augendum pretium, quàm quòd in tota prouincia expensæ excedant taxam. Vnde quando ipse Metina *quæst. 36.* ait pragmaticam obligare tempore penuriæ, intelligendus est, quando non est notabilis sterilitas in prouincia, vt innuit ipsemet *eadem quæst. ad 2.* vbi sic inquit: Intra tempus, pro quo posita est pragmatica, non est liberum venditoribus in pretio ascendere: etiamsi aliquantulum sint præfatæ circunstantiæ variatæ. Vbi dicens, *aliquantulum*, solùm denotat, quòd si circunstantiæ non sint notabiliter mutatæ, licita erit taxa; non verò quando sunt notabiliter mutatæ, vt contingit in annis magnæ sterilitatis. Item Nauarr. summa Lat. *cap. 23. numero 88.* dicens taxam panis ad culpam, & restitutionem obligare, hæc subdit: Superueniente maxima necessitate tollitur omnino taxa. Item Mercado *lib. 3. de contractibus cap. 6. §. quanto a esto*, licèt toto illo libro acerrimè pragmaticam defendat, inquit, *No es licito por el costo particular de vno quebrantar la tasa*; vbi innuit, quòd si sumptus communiter excedant taxam, liceret. Et *ibi* paulo inferiùs ait, *si en vna prouincia, o reyno entero valiesse el trigo comunmente à los labradores de modo, que no les que dasse ganancia, destos se podria dudar, si estarian obligados à la tasa*; ergo à fortiori, quando non solùm nullum perciperent lucrum, sed magnam partem expensarum amitterent, non tenebuntur seruare taxam. Item Iosephus Angelus *floribus quæſt. theologic. 2.p.mat. de contractu emptionis fol. 320.* sic inquit: Omnes vendentes frumentum vltra pretium pragmaticæ, tenentur restituere; sed cessante ratione legis taxantis, cessat lex v. g. raritas, seu abundantia merciũm, & emptorum est ratio variandi pretium; &, vt experientia constat, quia superueniente abundantia, minuitur eius pretium, ita superueniente maioripenuria, quàm fuerat tempore, quo lex condita est, debet frumenti pretium augeri; aliàs lex illa esset iniqua, si magis emptori, quàm venditori faueret; nam vt lex olim facta, si modo fieret, esset illicita, ita esset quoque, si nunc seruaretur. Item Mexia *lib. de taxa panis, tota concluſ.2.* in textu, & glossa hoc latè defendit. Item Couarr. *lib.2.var.cap.3.num.5.* inquit. Ad hoc quòd pretium taxatum à Rege, vel republica rebus necessariis, vt frumento, vino, &c. sit iustum, & obliget in conscientia, desumendum est consideratis sumptibus, & expensis, & laboribus venditorum, & præterea boni viri arbitrio data aliqua quantitate, quæ ipsis venditoribus lucro cedat, *l. venditor, §. ſi conſtat, ff. communia præd.* Ergo quando non tantum lucrantur agricolæ, immo magnam facerent iacturam, si frumentum pretio taxato venderent, non tenentur seruare pragmaticam. Item hanc sententiam, scilicet non obligare pragmaticam, quando sterilitas est magna, & communis renuerunt plures viri docti iussu Episcopi Cordubensis super hac re congregati. Item omnes nostri Cordubæ, & Granatæ anno 1582. & plures Doctores Salmantini de hac re consulti, & alij docti recentiores.

12 Tertia conclusio hoc casu, quo pragmatica non obligat, etiam ij, quibus triticum viliori pretio, quàm taxato per pragmaticam steterit, non tenentur ad taxam, sed possunt pretio communi vendere: sicut econtrà, quando in communi obligat prgmatica, nihil refert, si alicui priuato multo carius triticum steterit, quominus ad pragmaticam teneatur: quia communi pretio æstimatione existente, nil refert venditori priuato carius, vel vilius stetisse, quominus pretio communi possit, & teneatur vendere. Sic Couarr. *2.var.resolut.cap.3.n.4.* Metina *quæſt.31.de restit. verſ.prædictis, in fine*, Sotus *lib.6. de iustit.q.2.art.3.verſ.sequitur tertio.* Conradus *quæſt.56. de contract.concluſ.3.* Nauarr. *c. 17.* Lat. & Hisp. *n. 288.* Sylvest. *verbo emptio.q.10.* Mercado *lib.2.de contract.c.11.*

13 Supereſt soluere rationes primæ, & secundæ sententiæ.

Ad argumentum primæ respondetur rationem locum habere, vbi pretium non est à Principe taxatum tunc enim ob mercium sterilitatem crescit pretium; at vbi taxatum est, non ob quamcunque sterilitatem augendum est.

Ad argumenta secundæ sententiæ.

14 Ad primum, & secundum respondetur taxam legis solùm factam esse pro annis mediocris sterilitatis, & non pro annis magnæ, & excessiuæ sterilitatis: quod si aliquo anno notabilis sterilitatis Rex non auget pretium, id contingit propter siniſtram informationem, & quia singulis annis non expedit taxam variare, id relinquit arbitrio prudentum, & doctorum virorum, vt attentis circunstantiis iudicent quod iustum fuerit.

15 Ad tertium, verum est officium agricolarum esse expositum amissioni, & lucro, quando aliqui solùm particulares exiguos fructus percipiunt; secus quando omnes communiter in prouincia. Ad illud de recompensatione patet ex dictis.

16 Ad quartum argumentum negatur sequela; quia in anno sterili est notabilis diminutio fructuum, qui colliguntur.

17 Ad vltimum patet ex dictis. Vide circa hoc Nauarr. *lib.3.de restit.cap.2.num.3.*

18 Sed iam quod attinet ad agricolas, hæc difficultas cessat, post pragmaticam editam à Philippo III. *in fine dubij sequentis* referendam; quoad omnes verò alias personas extat iam pragmatica ab eodem Philippo III. edita anno 1613. in qua auget pretium tritici, & statuit, vt illud sit decem, & octo argenteorum pro faneca tritici, & nouem pro faneca hordei circa cuius obligationem, vel in annis sterilibus, de obligatione idem dicendum est, quod diximus circa alias pragmaticas *hoc dubio, & præcedenti*, & dicemus *in sequentibus.*

## DVBIVM VI.

*An in annis, in quibus pragmatica taxans pretium tritici non obligat iuxta ſupradicta, poſsit vendi pretio cõmuniter currente in ciuitate ſine vlla attentione ad legem taxantẽ.*

1 DVplex est sententia,

Prima docet in prædictis annis non esse licitum vendere triticum pretio communiter currente in ciuitate sed pretio, quod arbitrio prudentum, & expertorum debuisset Rex, vel respublica augere: & illud solum pretium debere tunc iustum reputari. Ratio est, quia finis. & voluntas Principis, vel reipublicæ est, quòd semper sit aliqua taxa in tritico; neque id relinquatur auaritiæ agricolarum, & ita communiter est receptum, quòd sit aliqua taxa in tritico: & ita supposito, quòd taxa non obliget pro illis annis; quia pro illis non est iusta, voluntas reipublicæ tacita est, vt loco taxantis succedat illud pretium, quod viri prudentes experiti iudicant esse iustum, & quòd deberet augeri per pragmaticam: & hæc est quædam taxa à Principe tacitè imposita. Ita tenent viri docti, & videtur fauere Molina *tom.1.de iust.disp.83.* vbi



vbi inquit, quando pretium legale est iniustum, non potest vendi pretio naturali cuiquam, sed tantùm pretio pio; quia si illud taxaret lex, esset iustum.

2 Secunda sententia docet nullatenus esse attendendum pro illis annis ad pretium taxatum à pragmatica; sed tunc seruandum esse pretium naturale, atque ita vendi posse quolibet pretio currente in ciuitate, quod pro illo inueniri possit. Ratio est, quia tantùm est duplex pretium rerum, scilicet legale, & naturale: ergo quando non est pretium legale, quia lex non obligat, standum est pretio naturali; sed quando pretium legale non obligat, quia iniustum est, perinde est, ac si non esset; ergo tunc standum est pretio naturali; nec enim priuatæ personæ possunt, nec debent se habere, tanquam Princeps ad pretium taxandum: ita vt vendentes non possint illud excedere, cùm nulla priuata persona ad id habeat authoritatem; sed ideo recurrendum est ad pretium naturale. Ita docti recentiores.

3 Sit conclusio: Hæc secunda sententia est probabilior.

4 Quæ hactenus diximus de taxa tritici, procedunt iuxta pragmaticas generaliter taxantes pretium tritici omnibus vendentibus; iam tamen anno 1620. edita fuit pragmatica à Philippo III. per quam aufertur taxa agricolis, & conceditur eis facultas, vt possint suum triticum vendere, quocunque pretio currente, quod potuerint inuenire.

## DVBIVM VII.

*An quando in diuersis regni partibus diuersæ vigent pragmaticæ, poſsit venditor cum emptore conuenire, quod ipse ſuis expenſis aſsportabit.*

1 EXemplum esse potest: si Toleti valeat faneca tritici quinque, Cordubæ verò decem, dubitatur, an possit Toletanus cum Cordubensi conuenire pro decem, hac lege, quòd ipsemet Toletanus portabit suis expensis triticum Cordubam: & generaliter potest quæri in qualibet alia re, quando in diuersis locis diuersæ vigent pragmaticæ, vel diuersa pretia. Sit

2 Prima conclusio: si venditor erat alioquin triticum suum, vel alias merces portaturus in eum locum, in quo cariùs venduntur & ibi venditurus, iustus est contractus, licèt Toleti celebretur. Ratio, quia excessus ille non datur in pretium, sed ratione interesse; quia scilicet venditor tantundem lucraturus erat, & expensas facturus, & periculà itineris subiturus. Si autem non erat portaturus, est contra iustitiam: quia Toleti, vbi celebratur contractus, & sit venditio, non tantum valet. Sic Metina *C. de restit.q.36.verſ.aliud dubium, & verſ.ſi autem.*

3 Secunda conclusio: si venditor nolit contractum celebrare Toleti, sed vult suis expensis, & periculo Cordubam portare, ibi venditurus, iustus est contractus, vt patet; quia iam vendit pretio, quo æstimatur in loco, in quo venditur.

## DVBIVM VIII.

*An illi quibus panem pinſere prohibitum eſt, ſi illum ſubigant, & coctum vendant cum lucro moderato, peccent mortaliter, & teneantur reſtituere.*

1 DVplex est sententia.

Prima ait non peccare. Ratio, quia pragmatica non prohibet panem pinsere absolutè, sed ne pinsant ad vendendum pretio excessiuo. Atque ita docet hæc sententia, quemlibet posse panem pinsere, & moderato pretio vendere. Ita tenet Mexia pragmatica anni 1568. *verſic. defraudatur.*

2 Secunda sententia docet has personas peccare mortaliter, & teneri restituere illud moderatum lucrum, quod persona non prohibita pinsere, iustè lucraretur. Ratio est, quia pragmatica taxans pretium tritici est generalis, & ad omnes personas se extendit, & solùm excipit personas infimæ notæ, quæ ex officio habent panem pinsere, & pistores vocantur, Hispanè *Panaderos.* Et his tantùm concedit non obstante taxa tritici posse aliquod moderatum lucrum vltra pretium tritici in grano pro pane cocto vendendo, accipere: ergo reliquæ personæ, quæ non habent ex officio pinsere panem, & illum coctum vendunt cum moderato lucro, excedunt taxam pragmaticæ: atque ideo peccant mortaliter, & tenentur restituere. Ita tenuerunt plures viri docti de hac re consulti.

3 Sit tamen prima conclusio: Non licet equitibus, seu personis nobilibus, nec personis Ecclesiasticis, nec per se, nec per interpositas personas panem pinsere, & illum coctum vendere, etiam cum moderato lucro: sed id tantùm est licitum pistoribus, qui id habent ex officio; aut aliis personis tam infimæ qualitatis, vt non sit præter earum statum, seu qualitatem hoc officium habere. Probatur, quia ita prohibet pragmatica Philippi III. anno 1568. & adhuc regidiùs pragmatica anni 1571. sub pœnis grauibus. Ita tenent omnes doctores statim referendi contra Mexiam.

4 Possunt tamen prædictæ personæ nobiles, & Ecclesiasticæ prohibitæ panem pinsere, excusari à mortali propter paruitatem materiæ: erit autem paruitas materiæ in hac re etiam vsque ad quinquaginta fanecas panem pinsere; quia damnum, quod reipublicæ infertur ex pistura prædictarum fanecarum, valde modicum est. Immo etiamsi nobilis aliquis vir, aut fœmina etiam nobilis, pauperes, per se, vel per interpositas personas pinserent panem vsque ad centum fanecas, & illas sic vendant cum moderato lucro, non peccarent mortaliter. Ita docti Theologi.

5 Sit secunda conclusio personæ prohibitæ panem pinsere, peccant mortaliter illum in magna quantitate pinsentes ad vendendum. Probatur, quia pragmatica anni 1571. id seuerè prohibet, & sub grauibus pœnis, quæ indicant legislatorem velle obligare sub mortali, & lex ipsa iustissima est; & in bonum publicum, & illius transgressio redundat in graue reipublicæ damnum, vt ipsa pragmatica declarat: quando autem lex est iusta, & materia grauis obligat sub mortali, iuxta communem sententiam Doctorum in materia *de legibus.* Quòd autem hæc materia sit grauis, colligitur primò, quia inde prouenit, vt omnes velint seruare triticum, vt illum subactum vendant pretio panis cocti, quòd superat pretium taxæ tritici in grano tribus argenteis: & nullus vellet triticum in grano vendere, quia compellerentur vendere iuxta taxam pragmaticæ. Vnde fit, quòd multa oppida, quæ ex tritico aliunde adsportato prouideri solent, graue damnum patiantur.

6 Secundò, quia multæ personæ honestæ conditionis, quæ ex propriis messibus triticum non habent, nec possunt quotidie panem coctum emere, necesse est, vt suis domibus prouideant, triticum emendo in grano: quod facere nequeunt, cùm non reperiatur, qui triticum in grano vendat; omnes enim, qui illum habent, fiunt pistores, ita vt neque illi, qui hoc officium habent, possint mediocre lucrum percipere, propter copiam volentium panem pinsere. Vnde respublica graue damnum patitur, & pragmatica defraudatur. Hanc conclusionem tenet Mercado *lib.3.de contract.c.3. fol.1.* illius capitis, & Enriquez cum aliis viris doctis à me consultis.

7 Tertia conclusio: Triticum, quod respublica habet in deposito ad subleuandas necessitates populi, licitè potest emi, vt pinsatur, & reuendatur moderato pretio vltra taxam tritici in grano, hoc est, cum aliquo moderato lucro; quia hoc cedit in bonum commune, & ita renouatur singulis annis triticum depositi, ne corrumpatur: & ita etiam augetur triticum, vt subueniatur necessitatibus occurrentibus. Sic Mexia *in pragmatica tritici, concluſ.1.n.53.& 54.* vbi etiam notat, quòd licèt sine licentia superioris nequeant Senatores constituere alicui salarium

rium de publico, *l.1.C. de præb. salario, lib.*10. At quando in prouincia est, vel speratur sterilitas, possunt vnum, vel plures ex eis eligere, qui pro frumento comparando se conferant ad alienas prouincias, & illis constituere salarium de publico absque Principis licentia.

8 Quarta conclusio: non potest Præror ciuitatis facultatem concedere, vt personæ prohibitæ possint panem pinsere, & vendere coctum. Ita statuitur in pragmatica anni 1571. in qua iudices inferiores dispensare non possunt. Posset tamen necessitas reipublicæ talis esse, & quòd non possit commodè prouideri ex habentibus triticum; quia illud abscondunt, vt iustè Prætor permitteret personas etiam prohibitas panem pinsere, & coctum vendere, quando aliunde facta diligentia non posset aliter prouidere reipublicæ, compellendo pistores, vt triticum emant iuxta taxam pragmaticæ, & illum subactum, & coctum vendant cum moderato lucro. Hæc tamen permissio non excusaret à culpa personas prohibitas, quæ contra pragmaticam panem pinserent. Sic docti iuniores.

9 Quinta conclusio: Probabilius est, vt licèt personæ prohibitæ panem pinsere, peccent illum pinsendo, & vendendo cum moderato lucro, nil tamen teneantur restituere. Ratio est, quia in pragmatica anni 1538. statutum est, vt pretium panis cocti esset cum moderato lucro vltra pretium taxæ, quod triticum habet in grano, à quocunque venderetur: & in pragmatica anni 1568. statutum fuit, vt non pinserent omnes personæ, sed pistores, vel aliæ personæ eiusdem qualitatis, iuxta dicta *in conclusione prima*. Vnde prædictum pretium non statutum est tanquam priuilegium pistorum, sed tanquam pretium iustum panis cocti, à quocunque ille vendatur, quia panis coctus plures sumptus habet, & ita auctiori pretio debet recompensari: ergo quicunque illum vendit, potest moderatum lucrum percipere, quamuis peccet contra pragmaticam illum coctum vendendo; quia non peccat contra iustitiam: sicut prohibitus vendere argentum viuum, & alia eiusmodi, si pretio communi vendat, licèt peccet, non tamen tenetur restituere. Sic docti recentiores.

10 Sed circa personas prohibitas panem pinsere, & illum coctum vendere, notandum est hanc prohibitionem iam non habere locum in agricolis post pragmaticam editam à Philippo III. anno 1619. in qua illis concedit facultatem, vt licitè possint vendere panem coctum ex tritico suæ agriculturæ, non verò ex alio tritico empto ad hunc finem, vel ab aliis personis accepto.

## DVBIVM IX.

*An quando iudex, vel is, ad quem spectat pretia taxare, pretium apponit exorbitans pani subacto, excusabuntur vendentes tali pretio.*

1 VIdetur, quòd sic, quia pragmatica regia concedit iudicibus facultatem imponendi pretium pani cocto.

2 Sit prima conclusio: vendentes panem coctum pretio excessiuo etiam per iudicem taxato, deductis expensis, peccant mortaliter, & tenentur restituere excessum iusti pretij. Ratio est, quia pragmatica reuera imponit pretium pani cocto, decernens illum vendendum esse ad pretium tritici deductis expensis, & addito moderato lucro: nec aliter concedit facultatem iudicibus imponendi pretium pani cocto, nisi iuxta prædictum modum moderari lucri: ergo quando est manifestus excessus pretij, non excusantur vendentes à peccato, & restitutione. Ita tenet Mexia *in pragmatica tritici concluſ.4.num.*22.23.24.25 & alij plures docti recentiores.

3 Secunda conclusio: quando excessus lucri moderati non est manifestus, potest vendens se conformare pretio taxato à iudice, quia iudici incumbit iustum pretium imponere, & in dubio standum est pro iudice, præsertim cùm hoc moderatum lucrum non consistat in indiuisibili, sed habeat latitudinem. Ita docti iuniores.

## DVBIVM X.

*Quod censebitur moderatum lucrum excepto valore tritici, quod concedit pragmatica pistoribus panem pinsentibus.*

1 PRæmittendum est, attendendum esse ad sumptus, & expensas, quæ communiter fiunt ab agricolis in colligendo tritico, & non ad expensas, quæ casu, seu per accidens in aliquo particulari sunt maiores, vel minores, propter aliquam specialem causam, seu circunstantiam; sicut in reliquis mercibus contingit, in quibus non attenduntur sumptus facti ab aliquo particulari, sed qui communiter fiunt ab adsportantibus, & vendentibus illas.

2 Hoc præmisso circa positum dubium, Ponze *in suo opusculo de pragmatica tritici, conclus.4. num.*25. ait, hoc lucrum debere esse quintam partem, ex *lib.2. de ordinam. regal. tit.*21. *l.*14.

3 Mercado *lib.*3 *de contractibus, c.*2. *in fine*, docet, quòd si pretium tritici esset nouem argenteorum, æquitas esset excipere quatuordecim argenteos ex singulis fanecis panis cocti, duos argenteos cum dimidio propter expensas, & alios duos cum dimidio propter laborem.

4 Quidam vir doctus de hac re consultus dixit moderatum lucrum esse vnum, vel duos marauetinos in singulis panibus.

5 In quadam consultatione viginti Iuristarum, & Theologorum Hispali facta conclusum est illud esse moderatum lucrum, quod mercenario propter laborem vnius diei deberetur, deductis omnibus expensis. Et ita ferè omnes conueniunt moderatum lucrum esse in his prouinciis pro his temporibus duos, vel tres argenteos, deductis expensis. Et ita tenendum est pro his temporibus; vbi verò successu temporum maius pretium deberetur mercenario propter laborem vnius diei, quàm duo argentei, quia omnium rerum pretia aucta sunt, tunc totum illud esset moderatum lucrum.

## DVBIVM XI.

*Quod sit iustum pretium panis cocti aliunde adsportati.*

1 SI attendatur pragmatica, videtur pretium esse taxandum à iudice, aut quando non taxatur à iudice, ipsos vendentes teneri vendere iuxta pretium pragmaticæ tritici cum moderato lucro, deductis expensis, iuxta dicta *dubiis præcedentibus*.

2 Ex alia parte videtur immemorialis consuetudo Hispali, Cordubæ, & Granatæ, vt licèt pistoribus harum ciuitatum vendentibus panem coctum imponatur pretium à iudice, at pani adsportato ex oppidis vicinis nullum imponatur pretium à iudicibus, sed vendentibus permittatur vendere pretio naturali currente: quod pretium solet esse maius, vel minus ob penuriam, vel abundantiam panis, vel emptorum: nec in his attenditur ad pragmaticam, nec iudices de hac re aliquid curant: & hoc ipsum accepi Matriti obseruari. In cuius confirmationem facit, quòd lite mota de hac re quidam oppidani Hispani, vicini obtinuerunt per sententiam non esse taxandum pretium pani cocto deforis adsportato, sed vendendum esse pretio concurrente.

3 Quare propter hæc dicendum existimo pretium iustum panis cocti aliunde adsportati esse illud, quod communiter currit citra fraudem, & vim, siue pretium augeatur, siue minuatur propter abundantiam, vel penuriam panis, vel emptorum, neque taxam pragmaticæ in hoc genere panis fuisse receptam. Immo si benè pragmatica inspiciatur, non videtur loqui de hoc genere panis aliunde asportati, sed de illo, quem pistores ciuitatis in illa pinsunt, & vendunt. Ita docti recentiores.

DVBIVM



## DVBIVM XII.

*Vtrùm vendentes triticum vltra pretium taxæ pistoribus. & artocrearijs, & agasonibus extrahentibus illud ad alia loca, teneantur illis restituere excessum pretij quando constat hos pistores, & agasones excepisse totum illud pretium, & insuper moderatum lucrum ex venditione tritici, vel panis cocti.*

1 SIt conclusio. Prædicti vendentes pistoribus & agasonibus, & artocrearijs non tenentur restituere illum excessum pretij ipsis pistoribus, artocrearijs, & agasonibus, sed pauperibus. Ratio est, quia nec pistores, nec agasones sunt damnificati in aliquo, cùm totum illud pretium, & insuper moderatum lucrum ab emptoribus acceperint: & ita resarcitum est damnum quod acceperunt à vendentibus triticum illis vltra pretium taxæ: sed solùm remanent damnificatæ illæ personæ, quæ ab ipsis emerunt triticum, vel panem coctum maiori pretio, quàm iustum erat, atque ita istis personis facienda erat restitutio: cùm autem istæ personæ sint incertæ, faciendа est restitutio pauperibus, sicut de aliis bonis malè acquisitis incertorum dominorum. Sic Mexia *pragmatica tritici, conclus.5. num.*127. Et idem dicendum est de vendentibus triticum vltra taxam non solùm pistoribus, & artocrearijs, sed etiam quibuscunque aliis, qui idem pretium excessiuum, & moderatum lucrum ab aliis emptoribus excipiunt, cùm eadem sit ratio.

## DVBIVM XIII.

*Vtrùm agasones & pistores non inuenientes triticum iuxta pretium taxæ, possint illud emere vltra taxam, & iterum vendere, & excipere totum illum excessum, & insuper moderatum lucrum & expensas asportationis.*

1 SIt conclusio: si omnes prædicti facta sufficienti diligentia non inueniunt triticum iuxta pretium taxæ, possunt illud emere pretio, quo inueniant, & illud postea vendere, excipiendo omnes expensas, quas fecerunt in nullo emendo, vltra taxam, & in itinere, & insuper moderatum lucrum. Ratio est, quia prædictæ personæ vtiliter gerunt negotium reipublicæ, & eius necessitatibus subueniunt, & quasi œconomi illius; & ita æquum non est, vt damnum aliquod sentiant. Sic Mexia *pragmatica tritici. concl.6.n.*10.11.12. & quidam docti recentiores.

## DVBIVM XIV.

*An possint molendinarij illam tritici mensuram, quæ pro pretio solet illis solui, vendere eodem pretio, ac venditur triticum de foris asportatum.*

1 REspondetur non posse, quia molendinarius nullos fecit sumptus in asportatione tritici; atque ita non potest pretium augere ad illos extrahendos: secus esset si ex mensura tritici, quæ sibi debetur ob pretium molendini, detraheret tantum tritici, quantum valent prædicti sumptus; tunc enim potest illos sumptus percipere ex venditione tritici, augendo pretium.

2 Atque idem dicendum est quando quis permutat triticum non adsportatū pro alio adsportato: non enim potest illud vendere iuxta pretium tritici adsportati; quia in illo adsportando nullas fecit expensas. Ita docti recentiores.

## DVBIVM XV.

*An liceat carius vendere pecuniā creditā, quàm numeratā, saltem in iis mercibus, quæ communiter pecunia credita vendi solent.*

1 HAc in re certissimum est licere carius vendere pecunia credita, quàm numerata, modò latitudo iusti pretij non excedatur: cùm enim triplex sit pretium naturale iustum, nempe pium, medium, & rigidum, potest pecunia numerata vendi pretio pio, credita autem pretio rigido secundum omnes.

2 At dubium est an vltra latitudinem pretij rigidi liceat vendere pecunia credita; ita vt duo constituenda sint pretia, alterum pecunia credita, alterum autem numerata, quando maior pars mercatorum vendere solet pecunia credita, & differenti pretio, ac maiori, quàm numerata?

Duplex est sententia.

3 Prima docet esse vsuram carius vendere pecunia credita, quàm numerata. Probatur primò ex *c. consuluit, c. in ciuitati, & c. nauiganti, de vsur.* vbi id definitur. Secundò probatur, quia pretium augere ratione dilationis solutionis perinde est, ac vendere rem pretio, quod valet præsenti pecunia, & illud mutuare emptori, & ratione mutui excessum illum portare, quod est vsura. Tertiò probatur, quia valor rei comitatur ipsā rem, dum est, tunc enim vsibus deseruit humanis: ergo iustum rei pensari debet, dum res venditur, ac statim soluitur pretium: ergo augere pretiū ratione expectationis solutionis est iniustū. Quartò probatur, quia ratione expectationis solutionis merces non creseit: ergo nec pretium. Hanc sententiam tenet Panor. & omnes Doctores iuris canonici *in capitibus citatis*. S. Thom. 2.2.*q.*78. *art.*2. *ad* 7. & *ibi* Caiet. & *in summa verbo vsura c.de vsura ex mutuo illicito*. Sotus *li.*6. *de iust. q.*4. *art.*1. Metina *C. de restit. q.*38. *per totam*, maximè *causa* 6. Nauar. Lat. & Hispan. *cap.*17. *num.*206. 228. & 243. Ang. *vsura* 1. *num.*58. 59. Gabr. 4. *dist.*15. *quæst.*11. *dub.*9. Tab. *vsura* 5. *a num.*1. *vsque ad* 7. Arm. *verbo emptio. n.*8. Conrad. *lib. de contract. q.*59. 60. Metina *lib.*1. *de instruct. conf. ſſ. c.*14. § 23.25. Mercado *lib.*2. *de contract. c.*11. Adrian 4. *mat. de restit. q. aggredior. vers. occurrit insuper*. Sylu. *vsura* 2. *q.*4. *d.*3. Francisc. Garc. *lib. de contract.* 1. *p. c.*23. vbi etiam reprobat sententiam Soti *infrà* citandam. Nauar. *lib.*3. *c.*2 *n.*99 *vsque ad* 136. Lud. Lop. *lib.*1. *de contract. c.*35 & 2 *p instruct. c.*64. Palacios *lib.*4. *de contract. c.*3. *fol.*244. & Nauarra *eodem c.*2. *à n.*154. reprobat modum quem hic sequitur.

4 Secunda sententia docet licere carius vendere pecunia credita, quàm numerata, in iis mercibus, quæ communiter à maiori mercatorum parte pecunia credita venduntur, idque differenti pretio, & carioti, quàm numerata. Probatur primò, quia vnaquæque res valorem habet iuxta vendendi modum, ita vt diuersus vendendi modus diuersum constituat pretium: & ita in publicis subhastationibus ratione modi vendendi potest res tutò maiori, & minori pretio vendi, saltem vsque ad dimidium iusti pretij. vt docent Metina *q.*31. *de restit.* Mercado *lib.*2. *de contract. c.*12. Iosephus Angles *in floribus quæstionum theolog.*2. *p. mat. de emptione, fol.*331. Sed communis vendendi modus constituit modum peculiarem vendendi: ergo quando communis vendendi modus est credita pecunia, & non numerata, modus vendendi credita pecunia attendendus est, & iustum erit pretium, quod communiter res valet, & æstimatur hoc vendendi modo, scilicet credita pecunia, & non, quòd valet numerata. Secundò probatur, multitudo emptorum, & cupiditas emendi auget pretium, sed sunt plures emptores, qui pecunia credita emant, & auidiores, ac proniores sunt ad hoc modo emendum: ergo hæc augent pretium venditionis pecunia credita. Tertiò probatur, quia pretium commune, quod in casu præsenti est pecunia numerata, non est iustum absolutè, sed ex suppositione, scilicet supposito rarò vendi pecunia numerata, rarósque esse, qui sic emant, & frequentiùs multo vendi pecunia credita, & sic auidos esse mercatores vendendi pecunia præsenti, atque ideo paruo lucro, vel nullo contentos esse, quando pecuniam numeratam vident; & quia illa pecunia iterum lucrantur, at si frequentiùs emeretur pecunia numerata, auctius esset pretium; ergo non est attendendum pretium præsens numeratæ pecuniæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca



pecuniæ, iuxta ea, quæ dicit Sylu. *infrà*, referêdus. Quartò probatur, iustum est, vt mercatores, qui reipublicæ, & valdè vtiliter seruiunt, lucrum reportent, & seruitij præmiũ, at si in præsenti casu non liceret auctiori pretio pecunia credita, quàm numerata vendere, nullum lucrum reportarent, imò magnam rei familiaris iacturam facerẽt, quia pretio illo pecuniæ numeratæ, quod vile est contenti sunt, quia statim pecuniam illam expendunt, ac negotiationi exponunt, ac iterum lucrantur, & ex multis lucris, quanquam minima sint, lucrum mediocre consurgit: at si pecunia credita illo pretio venderent, cùm lucrum minimum sit, nec pecunia statim illis conferatur, vt iterum ea negotientur, nil lucrarentur, & gratis reipublicæ deseruirent, imò cum iactura propriæ rei familiaris; ergo iustum est, vt in præsenti casu aliud, & auctius sit pretium pecunia credita, quàm numerata. Tandem probatur, quia rationes oppositæ sententiæ nihil contra hanc probant; quia textus, & secunda, & quarta ratio tantum probant non licere auctius esse pretium pecunia credita, quàm præsenti ratione dilationis solutionis, hoc enim esset pretium reportare ratione mutui impliciti, quod manifesta vsura est, & nos fatemur: at hæc sententia non dicit hoc licere ratione dilationis solutionis, sed quia quando frequentior est modus vendendi pecunia credita, est distinctus vendendi modus, distinctúmque forum, & sic distinctum sortiri debet pretium. Nec obstat etiam tertia ratio, quia iustum rei pretium est, quod valet res, dum venditur eo vendendi modo, quo venditur. Pro hac sententia sunt Salizetus *Auth. ad hæc. C. de vsur. q. 9. circa finem, vers. Considerandum est etiam.* Decius *consil. 111. n. 8. & 11.* Ananias *c. in ciuitate de vsuris, num. 3.*, vbi hi tres dicunt; quando venditores non reperiunt emptores, qui soluant pretium in numerato de præsenti, vt est in quibusdam ciuitatibus, in quibus portantes merces non reperiunt emptores, nisi ad terminum, si illis vendatur maiori pretio ad tempus, quàm si pretium incontinenti solueretur, vsura non est. Pro hac etiam sententia est Cou. *lib. 2. var. resol. cap. 3. n. 6. in principio*, vbi hæc dicit: *Defendi potest non esse damnandos mercatores, qui in nundinis merces, quæ solent frequentius vendi pecunia credita, quam numerata, vendunt carius pretio ad certum diem soluendo, quam si statim id numeraretur; nam in his mercibus iuxta communem hominum æstimationem, cum ad tempus pretio soluendo venduntur, iustum pretium illud sumendum est, quod ad pecuniam creditam pertinet.* Fauet S. Thom. *opusc. 67.* vbi hæc dicit: *Si vendentes ad terminum plus recipiant propter expectationem temporis, est vsura: si autem non plus quam valeant secundum communem forum, sed quantum valent secundum commune forum, plus tamen accipiunt, quàm si eis statim solueretur, non est vsura.* Et idem S. Ant. *2. p. tit. 1. cap 8. §. 4. & §. 3.* hæc dicit: *Recipere ratione expectationis temporis est vsura, si autem secundum quantitatem iusti pretij vendatur, licèt terminus tradatur, & pro termino pretio maiori vendi videatur, non est vsura, licet tali termino plus vendatur, quàm denariis numeratis vendi posset.* Nec contrarius est huic sententiæ S. Thom. *2. 2. q. 68. art. 1. ad 7.* tantùm enim ibi negat ratione expectationis solutionis posse pluris vendi. Fauet Sylues. *vsura 2. q. 2.* vbi referens aliquos ait; si aliqui mercatores pecuniosi vendant res suas ad terminum, vt plus lucrentur, & boni non possint vendere iusto pretio ad numeratum; vel quando alicubi est mala consuetudo propter pecuniarum paucitatem, vt penè omnes vendant ad tempus, & sic ad numeratum non inuenitur illud pretium, quod cessante tali consuetudine esset iustum, potest quis carius vendere pecunia credita, quàm præsenti inueniretur. Idem Ang. *vsura 1. n. 59.* vbi inquit, si quis esset in tali loco, in quo communiter ementes non habent pecunias, sed emerent ad tempus, posset quis vendere aliquid plus iusto pretio occurrenti sine vsura. Fauet Sot. *lib. 6. de iust. q. 4. art. 1.* & Ant à Corduba *q. 85. de casibus conscientiæ*, licèt dubius, vbi dicit: dum maritimæ merces in maxima veneunt quantitate, vt nauis mercibus onusta, tunc enim iustum pretium non est, quod præsenti valent pecunia, sed quod credita. Ludou. Lopez *in instructorio supra*, dicit esse probabile, & tenuisse Victoriam. Et in hoc casu tenent idem nonnulli valdè docti recentiores Magistri, licet aliqui illorum in mercibus minutim venditis oppositum teneant. Ratio, quia cùm non possint in plurimum reperiri, qui illas præsenti pecunia emant, non tantùm ob mercatorum penuriam, sed quasi ex natura rei propter tantam mercium copiam, inde fit, vt quasi natiuus huiusmodi merces distrahendi modus sit credita pecunia, ac proinde pretium illarum iustum, quod credita pecunia currit, nam pretium rei iustum est, quod suo modo venditionis communiter currit. Ita multi viri docti ex Societate à me consulti, & alij Salmantini, quorum auctoritate diuulgati, & practicari cœpit Vallisoleti, & Burgis.

5 Sit prima conclusio: quando maior pars mercatorum vendit pecunia præsenti, licèt alij vendant pecunia credita, iustum pretium mensurandum est iuxta id, quo pecunia præsenti venditur, idque erit pretium rerum, quia pecunia credita venduntur, nec licebit auctiori pretio vendere, quàm præsenti pecunia valeat. Ratio, quia cùm tunc communis vendendi modus sit pecunia præsenti, iuxta eum venditio pecunia credita mensuranda est, & ita tenent omnes authores citati.

6 Nota non posse mercatorem carius vendere pecunia credita, quàm præsenti, eo quòd aliàs non posset sumptus, quos fecerat, reficere, & quia pluris sibi steterunt merces. Ratio, quia negotiationis natura est, vt fortuitis exponatur euentibus, & iacturæ, sicut lucro. Sic Sotus *dicto art. 1. vers. secundo id patefit.* D. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 8 §. 2.* Armilla *verbo vsura. n. 11.* Sylu. *vsura 2. q. 1. dicto 1.* Nauarr. *cap. 17.* Lat. & Hisp *n. 228.* Mercado *lib. 2. de contract. cap. 11.* Metina *C. de restit. quæst. 38. causa 1.* Franciscus Garcia *vbi supra.*

7 Secundò nota, quando magna mercium copia simul venditur pecunia credita, non id iustum pretium existimandum est, quo res illæ sigillatim, seu minutatim venduntur præsenti pecunia, sed quo simul præsenti pecunia venduntur. Ratio; quia res sigillatim venditæ plus valent, quàm cùm simul magna mercium copia venditur. Sic Mercado *lib. 2. de contractibus cap. 14.* Franc. Garcia *vbi supra.*

8 Secunda conclusio: quando maior pars mercatorum vendit pecunia credita, iustum pretium censendum est rerum, quæ pecunia credita venduntur, id, quo pecunia credita communiter venduntur, licèt auctius sit pretio pecuniæ præsentis, modò non multum excedat illud, & quo magis differtur solutio non sit maius pretium (esset enim manifesta vsura ratione temporis augere pretium) Probatur ex omnibus adductis pro secunda sententia, quam probabiliorem existimo.

## DVBIVM XVI.

*An liceat vilius emere anticipata solutione saltim, quando communis emendi modus est huiusmodi, vt in emptione lanarum contingit.*

1 SVpponendum est hoc fundamentum; dum res non traditur de præsenti, sed in posterum tradenda est, iustum illius pretium est, quod tempore traditionis valebit numerata pecunia. *cap. vltimo, & penultimo, de vsuris.* Ratio, quia cùm res emantur propter vsum, tunc autem veniant in vsum emptoris, cùm ei traduntur, iustum illarum pretium est, quod tunc valent. Sic Sotus *lib. 6. de iust q 4. art. 1. vers. secundò id.* Sylu *vsura 2. quæst. 1. dicto 1.* Mercado *lib. 2. de contract. cap. 12.* Metina *quæst. 38. de restit. causa 6. vers. est itaque.*

Hoc supposito duplex est sententia.

2 Prima docet esse vsuram aliquid vilius emere anticipata solutione, quàm sit valiturum tempore traditionis, valiturum (inquam) infimo pretio. Ratio, nam est velut mutuum anticipatæ illius pecuniæ, & ratione huius mutui reportatur lucrum. Ita omnes Doctores citati dubio præcedenti, qui dicunt esse vsuram carius vendere pecunia credita, quàm numerata. Et specialiter in lanarum venditione id docet Iosephus Angles *in floribus quæstionum moralium, 2. part.* vbi de vsura in emptione, & venditione, *fol. 267. 271.* Pedraza *in summa præcepto 7. §. 13.* Francisc. Garc. *lib. de contractib. 1. p. c. 24* Sarauia *lib. de instr. mercatorum fol. 39* Ioan. Metina *d. causa 6. vers. sequitur amplius.* Mercado *lib. 5. de contract. cap. 9. vers. dose sigue.* Metina *lib. 1. instruct. c. 14 §. 23.* Ludou. Lopez *secunda p. instruct. c. 65* Palacios *lib. 4. de contract. c. 3. fol. 243.* Ludou. Lopez *lib. 1. de contract. c. 41.* Gutierrez *quæst. canonicis c. 39. n. 44.* Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 2. n. 236. vsque ad 148.*

3 Secunda sententia docet licere vilius emere anticipata solutione, quando communis emendi modus est huiusmodi, vt in emptione lanarum contingit. Ratio, quia hæc diminutio pretij non est ob solutionis anticipationẽ, esset enim tunc manifesta vsura, sed quia sub tali emendi modo res illa non plus valet; vt latè probaui *dub. præced.* probans secundam opinionem ibi posità. Item quia plus valere lanas tempore, quo traduntur, euenit, quia magna illarum copia est vendita anticipata solutione: si enim sic non vendita esset, cùm traditionis tempore magna esset lanarum copia, minùs valerent. Sic Doctores omnes citati *dubio præced* pro secunda opinione: eadem enim est vtriusque quæstionis difficultas. Idem Soto *lib. 6. de iust. quæst. 4. art. 1. sub finem*, Cordub. *summa casuum quæst. 85.* Palacios *verbo emptio.* Et dicit Nauarra *num. 147.* vitum doctissimum hoc tenuisse. Hanc dicit probabilem Lud. Lopez *suprà.* Hanc etiam tenent nonnulli docti recentiores in suis scriptis, quorum alter dicit eam esse sententiam Victoriæ, & communem Salmanticorum.

4 Sit conclusio. Probabilius est licere vilius emere anticipata solutione, quando communis emendi modus est anticipata solutione, & vilius etiam infimo pretio, quod res tempore traditionis valebit, emitur communiter in illo vendendi modo, dummodo non sit multo vilius illud pretium anticipatæ solutionis, & dummodo non sit vilius, quo magis solutio pretij anticipatur: probatur ex dictis.

## DVBIVM XVII.

*An liceat debitum aliquod emere minori summa, quam illud sit.*

1 EXemplum esse potest, vt si Petro debetur centum aureorum debitum ab hinc vno anno soluendum, liceat mihi emere hoc debitum numerata pecunia minori pretio, v. g. nonaginta aureis.

2 Hac in re certissimum est id licere, quando debitum non est liquidum, vel versatur in periculo. Ita omnes Doctores citandi.

3 At quando debitum est certum, & liquidum, nullique periculo expositum, duplex est sententia.

Prima docet non posse absque vsura minori pretio emi, quàm sit debitum Ratio, quia ille emit centum aureos ab hinc vno anno soluendos, & centum aurei tunc soluendi non valent minus, quàm centum aurei, cùm ratione solutionis præsentis, vel futuræ non minuatur valor; aliàs venderetur tempus. Sic Soto *lib. 6. de iust. q. 4. art. 1. ad 3.* Metina *C. de restit. q. 38 causa 6 à vers. sequitur amplius quid.* Mercado *lib. 2. de contract. c. 16.* Iosephus Angles *floribus quæstion. theologic. 2. p.* vbi de vsura in emptione, *fol. 271.* Ang. *vsura 1. n. 63. 64.* Gabr. *4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 4.* Tab. *vsura 5. n. 10.* Sylu *vsura 2. q. 14.* Franciscus Garcia *lib. de contract. 1. p. c. 19.* Adr. *4. mat. de rest. q.* quæ incipit *aggredior. vers. occurrit insuper.* Salas *tract. de vsuris, dub. 27. n. 6.* vbi pro eadem sententia plures refert.

4 Secunda sententia docet, licere emere minori pretio debitum, & nullam ibi inueniri rationem vsuræ. Probatur, hic non est explicitum, nec implicitum mutuum, sed vera emptio, quia non ipsa pecunia debita, sed ius ad illam emitur: hoc autem ius minus valet, quàm ipsa pecunia debita, vt statim probabitur; ergo nulla est vsura, nec iniustia. Probatur prima pars maioris, quia is, à quo emo debitum, nil mihi restituere tenetur, sed illud ius assignare. Item, quia quidquid periculi hic est, apud me ementem restat, quod est contra mutui naturam Probatur secunda pars maioris, quia alter non tenetur mihi tradere debitum, sed ius suum ad illud, & si transferat ad me ius illud, licèt pereat postea debitum, dum tamen ius fuerit certum, mihi perit: at quod venditur, tradendum necessariò emptori est, vt si vendo mille oues, eas traditurus sum: cùm ergo alter non teneatur tradere emptori debitum, sed ius ad debitum, constat non vendere debitum, sed ius ad debitum. Probatur minor, scilicet quòd hoc ius minus valeat, quàm debitum; quia actio ad rem minus valet, quàm ipsa res *l. minus est habere. ff. de reg. iuris.* Item quia pretium iustum secundùm communem æstimationem pensandum est, & secundùm vsum humanũ: at secundùm hæc minus est ius recipiendi mille aureos ab hinc vno anno, quàm mille aurei. Item, quia res venalis inutilis per annum, minus valet se ipsa vtili ab hodierna die: sicut terra fertilis statim plus valet terra per annum sterili: at ius illud est per annum inutile, mille aurem aurei ex nunc sunt vtiles: ergo. Hanc sententiam docet Innoc. *cap. in ciuitate, de vsuris.* Nauarr. *c. 17. Latin.* & Hisp. *n. 230. 231.* Caiet. *verb. vsura, sub finem*; vbi agit de monte Genuensi. Arm. *verbo vsura, n. 33.* Rosella *vsura 2. n. 8.* Conradus *q. 67. de contractibus.* Palacios *in summa, verbo emptio.*

5 Sit conclusio: vtraque sententia est satis probabilis: at secunda videtur mihi probabilior, eámque tenent Sà *verbo debitum n. 20.* Azor. *tom. 3. lib. 10. c. 7. q. 3. littera D.* cum aliis multis.

## DVBIVM XVIII.

*An fas sit ipsi debitori emere debitum, quod ab hinc vno anno debet, minori pretio, quàm sit ipsum debitum.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit id licere. Ratio, quia non videtur: ratio, cur liceat alteri minoris emere, & non ipsimet debitori. Sic Bernardinus Bustius *serm. 34.* Nauarr. summa Lat. & Hisp. *cap. 17. n. 230. 231.* Conradus *lib. de contract. quæst. 67.* Arm. *verbo vsura num. 33.* Rosel. *vsura 2. num. 8.* Idem tenet Francisc. Garc. *lib. de contract. 1. p. c. 19.* in hoc tantùm casu, quando debitum originem trahit ex emptione alicuius rei, quæ iustè poterat à principio minori illo pretio emi, v. g. emi quasdam æde pretio iusto rigoroso mille aureis ab hinc vno anno soluendis, vili pretio valebant mille aureos, hoc debitum mille aureorum ipsemet debitor nongentis potest emere, vt ab initio iustè poterat his nongentis eas emere.

2 Secunda sententia docet non licere ipsimet debitori, sed esse vsuram minori pretio emere debitum, quod debet. Ratio, quia debitor ratione præcedentis contractus totam summam debet, & tenetur saluam ab omni periculo reddere, & non emit ius ad debitum, sed ipsum debitum, quia ipse debitum tenebatur tradere, at debitum ipsum ratione anticipatæ solutionis non minus valet; aliàs esset vsura ratione venditionis temporis: at tertius, qui nihil debebat, non emit debitum, sed actionem ad debitum, & non debebat reddere debitum illud ab omni periculo immune: ergo est latum discrimen inter ipsum debitorem, & quendam tertiũ. Ita Sot. *lib. 3. de iust. q. 4. art. 1. ad 3. vers. arg. autem.* Pedraza *præcep. 7. §. 24.* Pal. *in summ. verbo emptio.* D. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 8 §. 13, & §. 4.* D. Thomas *opusc. 67. & opusc. 73. cap. 8.* Iosephus Angles *in floribus, quæstion. theolog.* vbi de vsura in emptione, *2. part. fol. 271.* Mercado *lib 2. de contractib.*





G cap. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*c.16,*Tabien.*vsura 5.n.12.*Caiet.*verbo vsura, c. de vsura ex mutuo implicito,vers.tertius casus.*Sylu,*vsura 2. q. 14.* Conradus *q.66.de contractibus.*Gabriel *4.dist.15.q.11. art. 3.dub.4.*& à fortiori idem tenebunt Doctores citati *dub. precedenti,*qui nec alteri à debitore id licere tuentur.

3 Sit conclusio: Hæc secunda sententia videtur mihi multo probabilior.

## DVBIVM XIX.

*An censum iam impositum liceat minori pretio emere, quàm per leges regias taxatus est.*

1 NOta pretium censuum redimibilium esse taxatum in hoc regno Hispaniæ ad rationem quatuordecim mille pro milliario, *l. 4. & 6.tit.15.lib 5.nouæ recopil.* vbi etiam prohibetur constitui, & emi redditus in frugibus, seu fructibus.

2 Est ergo dubium, an hæc lex intelligatur de censu creando,& instituendo,vt institui non possit, nisi ad rationem quatuordecim mille pro milliario, vel etiam de iam impositio, vt emi non possit minori pretio, vt ad rationem duodecim,&c.

Duplex est sententia.

3 Prima docet intelligi etiam de censu iam imposito, & sic non posse minori pretio emi, quia leges citatæ videntur indistinctè loqui de censibus. Hanc tenet Mercado*lib.4.de contract.c.vltimo.§.sabida,sub finem illius.*Corduba*summa q.79.*Metina*summa instruct.confess.libro.cap.* 14.§. 26. Nauarr. recantans palinodiam propter motum proprium Pij Quinti,summa Latina recentiori *cap.23.n.* 91.idem Lud.Lopez *lib.1.de contract.c.58.fol.* 228. *pag.* 1.Gurierrez *q.pract.lib.2.q.173.n.7.*Azebedo *lib 5.recop. tit.15.l.finali,n.1.*& nonnulli docti iuniores Magistri.

4 Secunda sententia docet solùm intelligi legem de censu nouè instituendo, & sic censum impositum posse minori pretio emi. Probatur tum, quia praxis timoratorum sic explicuit legem:tum quia *dicta l. 6.* expresè agit de censu nouè imponendo,vt patet ex verbis illius, quæ sunt hæc: *De aqui adelante no se puedan instituir,* &c.Sic tenet Qlanus *in concordia iuris littera A.n.*113.114.115. 116.117.118.Petrus de Salazar *lib.de vsu,& stilo curiæ,c.* 11.*n.*93.Nauarr.summa Hisp.*addit.ad n.*82. *capitis* 23. & Lat.*cap.23.num.*91.Palacios *lib.4.de contract.c.7.fol.* 320. §.*Ioannes.*Satmiento *lib.7.select.c.1.n.*40.§.*sed quid si Rex,* & multi docti iuniores,& magistri Salmantini, & alij ex Societate à me consulti, atque hæc sententia tenenda est.

5 Post hæc autem edita est noua pragmatica à Philippo III. in qua statuit pretium census redimibilis debere esse ad rationem vnius pro viginti, & præcipit vt nullus census redimibilis imponatur, nisi ad prædictum pretium,videlicet à viginti mille pro vno milliario; hæc tamen pragmatica non tollit quo minus census ante illam constituti non possint minori pretio emi, propter rationes antea dictas circa pragmaticam antiquam, quia hæc non est noua impositio census, & pragmatica solùm loquitur de censibus de nouo imponendis, atque adeò non se extendit ad iam impositos,vt latiùs *suprà* probaui.

## DVBIVM XX.

*An eidem qui soluit censum, liceat redimere viliori pretio, quàm census constitutus est, sicut cuidam tertio licet viliori pretio emere,vt dixi dubio precedenti.*

1 QVòd liceat redimere, videtur persuadere, quia redemptio est,velut iterata emptio, & non emùtur redditus ipsi,nec etiam emitur principale, quia debitor census non debet principale, sed emitur ius ad percipiendum redditus: hoc autem ius semel impositum minus valet, quàm ad rationem quatuordecim; ergo. Pro hac sententia est Nauar. cum reliquis citatis *dub.*18. qui dicunt posse debitorem ipsum minori pretio emere debitum, quod debet.

2 Sit conclusio: Nullo pacto potest debitor census minori pretio censum redimere. Ratio, quia licèt absolutè non debeat principale,at debet ex suppositione, scilicet si vult censum redimere, & ita principale, quòd debet minori summa,quàm ipsum sit, redimit, quod *suprà dub.*18.ex pluribus probaui esse illicitum. Secundò probatur,quia qui vendit censum redimibilem, eúmque imponit super suam rem familiarem v.g. mille aureos quotannis reddendos pro quatuordecim mille,vendit eo pacto,quòd possit redimere,quando voluerit, quod acceptat emptor hac conditione implicita,vel explicita, quòd quando ille venditor redemerit, soluturus sit totum pretium,quod dedit pro tali cēsu:modò hic census plus,minúsue valeat,atque hoc pacto ab vtroque acceptato perficitur venditio; ergo quamuis aliquis tertius possit minori pretio illum emere,non poterit,qui vēdidit,quia est contra pactum acceptatum ab vtroque. Præterea, quia si eiusmodi census augeretur, visísque optimis hypothecis quas habet,æstimaretur duobus de viginti millibus, essentque multi, qui tanto pretio illum emerent, non est dubium,quin si venditor vellet eum redimere,nō sit redditurus decem, & octo millia, sed id tantùm pretium, quod accepit, nec alter tuta conscientia illa duo de viginti millia accipiet, quamuis ab altero tertio accipiat; ergo idem erit, quando census æstimaretur minori pretio,quàm fuit institutus,quòd scilicet poterit alter minus dare; non autem debitor, qui redimit. Ita tenuit Enriquez à me consultus,& alij docti recentiores.

## DVBIVM XXI.

*An liceat alicui vendere fundum, vel domum, & reseruare sibi fructus,vel redditus domus,vel fundi,donec soluatur sibi fundi pretium.*

1 RAtio dubitandi est, quia sunt variæ leges hoc concedentes,scilicet *lex curabit,C.de actionib.empti,& venditi,* vbi sic dicitur:*Curabit Præses compellere emptorem,qui nactus possessionem fructus percepit,partem pretij quam penes se habet,cum vsuris restituere.*Item *l.2.C.de vsuris,*vbi sic dicitur:*Vsuras emptor,cui possessio rei tradita est,si pretium venditori non obtulerit,quamuis pecuniam obsignatam in depositi causam habuerit,æquitatis ratione præstare cogitur.*Item *l.Iulianus.§.ex vendito.ff.de actionib.empti,& vendit,*sic dicitur: *Ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda,quæ ei ab emptore præstare oportet.* scilicet pretium, quanti res venit, & vsuræ pretij post diem traditionis nam cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum vsuras pretij vendere. Ecce quo pacto leges hæ videntur dictum contractum approbare.

Duplex est sententia.

2 Prima docet contractum hunc regulariter esse illicitum,& vsurarium, nisi in vno è tribus casibus. Primus est, quando venditor non statim transfert dominium rei venditæ in emptorem, sed pactum fit de pretio, & manet fundus venditoris, & eius periculo substat, donec pretium soluatur:tunc enim fructus ante pretij solutionē percepti,sunt venditoris,cùm fundus etiam tunc sit suus. Secundus casus est, quando venditor reportaret fructus ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, scilicet quia ad instantiam emptoris vendit, cùm essent alij emptores, qui pecunia numerata emere volebant, & venditori cessat lucrum; vel sequitur damnum ex solutionis dilatione,vtpote qui ea pecunia negotiaturus esset. Tertius casus,cùm emptor non soluit pretium tempore statuto,sed est in mora,ex qua cessat lucrum, vel damnum sequitur venditori. Extra hos verò casus docet hæc sententia nullo modo licere venditorem prædij, vel domus, eámque tradentem dato certo termino ad pretij solutionem,fructus,vel redditus prædij, vel domus sibi reseruare,donec soluatur sibi pretium. Probatur primò, quia res fructificare debet domino suo, & cuius periculo substat, sed à die traditionis fundus est emptoris, & eius periculo substati



subst:ergo fructificare debet emptori. Maior ex ratione naturali nota est, & habetur *l.fructus.C.de act.empt.* Secundò probatur,quia fructus illi percipientur ab ipso venditore ex eo,quòd emptor non statim soluit pretium, sed differt solutionem:at aliquid accipere ratione anticipatæ, vel dilatæ solutionis, est vsura,cùm sit ibi mutuum implicitum;ergo. Tertiò, quia si ex eo quòd statim trado fundum, cùm non teneat donec pretium mihi soluatur, possit accipere fructus tanquam vsuras pretij non soluti; similiter esset dicendū, dum vendo alias quascunq; merces,cùm eadē sit ratio. Hanc sententiam tenet D. Anton. *2.p.tit.1.c.7.§.20.* Gabr.*4.dist.15.q.11.art.2.* post quartam conclusionem. Rosel. *vsura 1.n.47.* Arm. *verbo vsura,n.15.* D.Bern. quem refert, & sequitur Sylu. *vsura 2. q.11.*Maioris *4 dist.15.* & cōmuniter Theologi, vt refert Palacios rubios *c per vestras,de donat inter virū,& vxor. not.ab.6.§.6.n.2.* idem tenent aliqui ex Iurisperitis,scilicet Panorm.*consil.76.lib.1.dub.2.& cons.66.* Alex. *cons.*119. 120. 121. *lib.4* Cæpola *cautela* 125. Socinus *consil.* 176. *lib.2.& consil.*103.& 88.*lib.4.*Decius *consil.*119.*n.4.*

3 Secunda sententia docet licere vendere fundum, vel domum,& tradere, reseruando sibi fructus,vel redditus, donec soluatur fundi,vel domus pretium,licèt emptor nō sit in mora soluendi pretium tempore statuto, & licèt vēditor ex pretio statim soluto nihil lucraturus esset. Ratio, quia vsuræ lucratoriæ omni iure reprobæ sunt; at vsuræ recompensatoriæ omni iure licitæ sunt, quia dantur in compensationem eius, quod iustè competebat, & debitū erat eas recipienti, quòdque ipse iustè habiturus esset: at in præsenti casu hæ vsuræ,id est,hoc lucrum fructuū fundi,non sunt lucratoriæ,non enim dantur vt lucrum pretij non soluti,hoc enim esset vsura, cùm pecunia non pariat; sed dantur in compensationem, & vt seruetur æqualitas, cùm enim alter contrahentium impleat tradendo rem, debet alter vicissim implere tradendo pretium,vel implēti soluere fructus rei receptæ, ne sequatur inæqualitas. Item quia cùm venditor rem tradat liberè, cùm tamen eā tradere non teneretur,donec soluatur pretium,iustum est, vt emptor hoc recompenset dando venditori fructus rei sibi traditæ. Item probatur,quia leges omnes in principio citatæ, quæ naturali rationi innituntur,hoc docent. Item hoc constabit ex solutione argumentorum oppositæ sententiæ. Ad primum enim respondetur, maiorem esse verā, quando dominus soluit pretium rei fructiferæ sibi venditæ:at dum non soluit pretium, si emptor,& venditor pactum inierint, vt interim sint fructus venditori, non tenet maior verum in hoc casu. Ad secundum respondetur negando maiorem, non enim recipiuntur hi fructus ob dilationem solutionis;sed in compensationem, vt explicatum est. Ad tertium respondetur negando similitudinem, quia cùm vendo res mobiles,vt lanam,triticum, &c. res hæ non sunt fructiferæ,nec pretium non solutum est fructiferum.& sic nulla est ratio recompensationis, & si aliquod lucrum daretur venditori,dum non soluitur pretiū, essent vsuræ lucratoriæ, vt dixi. Hanc sententiam tenent Nauarr.*in commentariis super c.1.14.q.3.n.61.* Angel.*verbo emptio.n.5.*Bart.& Bald.*dicta l.curabit.* Salizet.& Ang. *dicta l.Iulianus.*Anan.*c.conquestus,de vsuris.*Tabien.*vsura 2.n.9.*Mexia *super l.Toleti 2.part fundamento 2.à n.22.*per plures numeros.Paul.de Castro,& Salizet *l.2.C.de vsuris.* Alexand.*consil.121.lib.5.n.5.& lib.1.cons.69.n.4.*Philipp. Dec.*1.part.consil.111.n.6.sub finem,vers.tertio iurā. &c. cùm venerabilis,de except.n.14. fine.* Cou.alios plures referens *lib.3.variar.c.4.*per totum,& maximè *n.1.2.4. & vltimo,*vbi dicit hanc sententiam vtroque in foro seruandam esse. Idem tenent communiter Iurisperiti, vt refert Palac.Rubius.

4 Sit conclusio: vtraque sententia est satis probabilis, & in praxi tuta, cùm vtraque rationes habeat, & authores grauissimos pro se.

5 Circa secundam sententiam nota primò,intelligendam esse,vt emptor det fructus rei sibi venditæ venditori, donec soluat pretium,vsque ad quantitatem fructuum,quos venditor percepisset, non enim est habenda ratio in hac æstimatione fructuum,quos percepit emptor,licèt is vberiores,ac maiores fructus perceperit; sed habenda est ratio fructuum, quos venditor percepisset, in his enim tantum venditor damnum passus est. Sic Couarr. *vbi suprà, n.2.*dicens idem sentire ferè omnes, qui hac de re sermonem faciunt.

6 Hinc infertur minus verum esse,quod aliqui Iurisperiti sentiunt,scilicet hos fructus rei venditæ deberi, etiāsi emptor nullos percipere fructus potuisset, nec ipse venditor percepisset, si rem nondum tradidisset.Hi Doctores sunt Bald.*l.2.C.de vsuris,*Mexia *vbi suprà,n.30.* & plures alij Iurisperiti,quos refert,sed optimè improbat cum pluribus aliis Doctoribus,Cou.*vbi suprà n.3.* immo dicit hoc adeò verum esse,vt etiamsi venditor sit minor, adhuc in eo casu vsuras pretij non soluti percipere minimè iure valeat;quia vsuræ alioquin reprobæ non permittuntur fauore minorum,*c.super eo,de vsuris.*

7 Secundò nota hos fructus rei vendi deberi,etiamsi ob temporis qualitatem excedant pretij conuenti quantitatem.Item etiamsi inter emptorem, & venditorem promissio tantùm vendendi,& emendi fuerit facta, modò certū fuerit pretium statutum, & venditor emptori rem ipsam, vti promiserat,tradiderit;quia ex hac promissione,& traditione facta ex causa promissionis, satis censetur venditio effectum sortita. Item si venditor tantùm pro parte tradiderit rem, potest iustè petere vsuras pretij non soluti pro illa parte: & si tradiderit rem integram, & emptor pro parte tantùm tradidit pretium, potest venditor petere vsuras pro parte pretij non soluti. Sic Couarr. *n.2.4.6.8.* Mexia *vbi supra,n.29.& 31.*

8 Tandem nota;si venditor non paciscatur cum emptore,vt dum non soluit pretium,reddat sibi fructus,non tenebitur ad id emptor;quia cùm venditor traditioni,& dilationi consenserit,renunciasse videtur,*d.l.curabit.*Sic Couarr.plures referens *n.5.*

---

## CAPVT VIII.

*De ludo,& sponsionibus.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An per ludos legibus tam iuris communis,quàm huius regni Hispaniæ prohibitos,quando sunt pecunia præsenti,id est,* de contado, *transferatur dominium, ita vt qui lucratur non teneatur restituere.*

2. *An si ille,qui ludo amisit,ita vt habeat ius repetendi coram iudice,petat non coram iudice, sed priuatim, teneatur alter restituere? & quid si petat coram iudice, sed iudex non condemnet,vt soluatur, vel qui lucratus est,neget coram iudice lucrum.*

3. *An qui amittit ludo pilæ,vel alio quocunque ludo permisso,vno die plusquam triginta numos aureos, vel gemmas, seu alia pretiosa, aut quod interponitur ludo (Hispanè, se atra viesa, o rifa en el juego) teneatur soluere, & si soluit,teneatur alter restituere.*

4. *An si is, qui pecunia credita amisit in ludo pecuniam amissam,soluat lucrani,teneatur hic restituere illam pecuniam sibi solutam,& reddere soluenti iuxta leges huius regni Hispaniæ.*

5. *An qui lucratur ab alio pecuniam præsentem, & ipse tantum perdebat pecunia credita,& habebat propositum non soluendi propter leges id sibi concedentes,vel si iuranit soluere,habebat propositum petendi relaxationem, & sic non soluendi, teneatur restituere pecuniam præsentem,quam lucratus est.*

6. *Quando stando etiam in iure naturæ per ludum non transferatur dominium,ita vt lucrans teneatur restituere lucrum?*

7. *Qui sunt ij, qui non possunt alienare in ludo,ita vt hac*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratione, qui lucratur, teneatur illis restituere.
8. An possit filius familias quidquid ludo acquirit, ludo exponere, ita vt lucrans non teneatur restituere.
9. An trahens alium ad ludum teneatur lucrum restituere.
10. An vi tractus ad ludum, si iam ibi ad ludum applicatus, concipiat animũ portandi lucrum si lucratus fuerit, ex tunc censeatur voluntarius ludere, & ex tunc qui ipsũ traxit acquirat ius lucrãdi, quo antè carebat.
11. An si tractus ad ludum lucretur à trahente, teneatur ipsi lucrum restituere, sicut si trahens lucraretur, teneretur restituere.
12. Quando lucrans in ludo tenetur restituere lucrum, eo quòd interueniant fraudes in ludo.
13. An quando aliquis notabiliter excedit alium in arte ludendi, teneatur lucrum restituere.
14. An si quis videat alterum, cum quo ludit, non numerare omnia puncta, quæ habet, quæ si numeraret lucraretur, & alter perdit, & ipsum non admonet, teneatur restituere lucrum.
15. An teneatur restituere, qui dolosè subripit primam manum, id est, el que juega con otro, y le toma la mano por su descuido.
16. An si pluribus oppositoribus concurrentibus ad cathedrã, Petrus spopondit cũ vnoquoq; eorum triũ seorsim, quòd non adepturus esset illam, vbi certũ est, quod lucrabitur à duobus, & perdet cũ vno, teneatur restituere.
17. An qui volens acceptare auctionem, id est, el embite, ab altero collusore propositam, accepi auti admonitus à tertio inspectore ludi, teneatur auctionem illam si eam lucratus est, restituere.
18. An si lusores vna manu exponant suum restans, id est, su resto, quorum vnum est maius altero quia alterum, v.g. constat ex decem aureis, alterum vero ex quatuordecim aureis, an si lucratur, qui minus restans habet, possit totum restans alterius lucrari.
19. An possit fieri compensatio si is, qui lucratus est cum obligatione restituendi, perdat tantundem cum eo, cui restituere tenetur.
20. An qui tenetur restituere ludo acquisita, quia scilicet fraudibus acquisiuit, vel à non potente, vel à tracto ad ludum, possit deducere, qua consumpsit inter assistentes, vt in donationibus, quas fecit Hispanè baratos, & in soluendis domo lucernis, chartis, saccharo conditis, &c. aut ad elargiendum parasito, &c.
21. An aleatores, seu habentes mensas alearias, id est, tablajeros, teneantur restituere, quando ludentes tenentur, nec restituunt, & peccent mortaliter.
22. Quid dicendum sit de iis, qui alteri numos præbent, vt vice amborum ludat.
23. An quando quis ludit pro se, & pro altero si sic pacificatur cum illo vice cuius ludit, scilicet, vt si perdiderit, soluat dimidium perditi, si verò lucratus fuerit, portet tantum tertiam lucri partem, sit hoc pactum iustum.
24. An stando in iure naturali, seclusis legibus, & canonibus humanis, sit illicitũ, & peccatum mortale ludere. quãdo non interueniũt fraudes, vel vi trahitur aliquis ad ludendum, vel ludit cum eo, qui non est sui iuris.
25. An attento iure communi ciuili, vel Ecclesiastico, peccent mortaliter laici ludentes.
26. An laici ludentes contra leges Regni Hispaniæ prohibentes ludum peccent mortaliter.
27. An scolastici Salmantini peccent mortaliter, ludendo contra præceptum Magistri scholarum, & sint excommunicati, teneanturque lucrum restituere.
28. An clerici Antistites, & religiosi peccent mortaliter ludendo.
29. Qualiter peccent clerici, vel Religiosi insficientes ludos fortunæ.
30. An laici peccent mortaliter aspiciendo eos, qui ludendo peccant mortaliter.
31. An ludus agitationis taurorum sit peccatum mortale.
32. An sponsiones, id est, las apuestas, licitæ sint, & illis acquisitum possit retineri.
33. An officium parasitorum, id est, truhanes, sit licitum, & tales non teneantur restituere, quæ ipsis dantur.
34. An torneamenta sint licita, & illis acquisitum sit obnoxium restitutioni.
35. An ludi saltandi, & tripudiandi, Hisp. baylar, y danzar, & comedia, & ludi præstigiarum, Hispanè juegos de pasa pasa, & ludi personarum, Hispanè mascaras aliique ludi, qui Hispanè vocantur matachines, sint licitis & in eis acquisitum sit obnoxium restitutioni.
36. An sortes sint licitæ, & eis acquisitũ non sit restituendũ.
37. Quæ informatio satis erit ad hoc, vt iudices possint procedere contra eum, qui ludis prohibitis lusit.

## DVBIVM I.

*An per ludos legibus tam iuris communis, quàm huius regni Hispaniæ prohibitos, quando sunt pecunia præsenti, id est,* de contado, *transferatur dominium, ita vt qui lucratur non teneatur restituere.*

Triplex est sententia.

1 Prima dicit quòd quicunque lucratur aliquid ludo quocunque, qui non seruiat viribus exercendis, tenetur restituere lucrum, non perdenti, sed pauperibus. Ratio, quia turpe est ludis otiosis lucrari. Sic Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 5.

2 Secunda sententia tenet teneri lucrantem aliquid ludis per leges vetitis, vt aleis, &c. statim restituere. Probatur ex *l. alearum. C. de relig.* vbi sic dicitur; *si contrà factum fuerit, nulla sequatur condemnatio. sed si soluerit, solutum reddatur.* Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Richard. 4. *dist.* 35. *art.* 8. *q.* 5. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 23. §. 3. Arm. *verbo ludus n.* 5. Sylu *ibi q.* 13. Tab. *ibi n.* 8. Paris de Puteo materia *de ludo, n.* 31. Stephanus Costa *de ludo, art* 3. *n.* 3. Baptista *q.* 10. *de ludo*, Host. Rain. Bernard. citati per Sylueſtrum, Hugo, & Placentius citati per eundem Sylueſt. Et hanc dicit probabilem Ledesm. 2. 4. *q.* 15. *art.* 5. eam tenet Abul. *c.* 6. *Matth. q.* 56. Turrecr. *cap. Episcopus, dist.* 35. & multi alij, quos refert Azebedo *infrà n.* 90.

3 Tertia sententia omnino tenenda docet non teneri restituere ante iudicis condemnationem. Probatur, quia leges non impediunt dominij translationem, sed concedunt repetitionem coram iudice, vt patet *l.* 10. *tit.* 23. *p.* 1. & *l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 8 *nouæ recopilat.* Nec obstat dicta lex *alearum*, quia id, quod dicit, *solutum reddatur*, exponitur per sequentia verba, scilicet, & actionibus competentibus aliis, &c. Et sic intelligitur post iudicis sententiam. Sic tenent Bañes 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *pag.* 180. & *sequenti*, Arag. *ibi art.* 7 *fol.* 66. Ludou. Lopez 2. *p. instruct. c.* 33. *pag.* 224. Angles *floribus* 2. *p. q. de ludo fol.* 288. Metina *lib.* 1. *summæ c.* 14. §. 29. *fol.* 153. *pag.* 2. Adria. 4. *mat. de restit. q.* quæ incipit, *quia in superioribus*, Soto *lib.* 4. *de iust. quæst.* 5. *art.* 2. Ledesm. 4. *q.* 18 *art.* 8. Nauart. summa Hispan. & Lat. antiqua, *c.* 19. *n.* 9. Latina noua *c.* 20 *n.* 19. Alcozer *lib. de ludo à c.* 22. *vsque ad* 28. Couar. *reg. peccatum*, 2. *p.* §. 4 *n.* 1. & 2. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, c.* 2. *coroll.* 3. Maioris 4. *dist.* 15. *q.* 13. Metina *C. de restit. q.* 22. Angel. *verbo ludus, n.* 7. Rosel. *ibi n.* 4 Colmas pragmatico Sanctio. *tit. de spectaculis, verbo ludibria.* Perez *lib.* 4. *Ordinam. tit.* 3. *l.* 9. *vers. ni tablas* Padilla *l. de fideicommisso, C. de transact. n.* 7. & refert Bald. Panorm. Decium, & communem. Idem tenet Petrus de Couarr. *lib. de remedio luxorum* 3. *p. c.* 9. Auiles *c.* 29. *Prætorum. glossa leyes, n.* 5. Azebedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 7. *l.* 2. *n.* 93. vbi multos refert. Idem Philiar. *de offic. Sacerd. tom.* 2. *p.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. & Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 513. & docti recentiores.

4 Nora primò, quòd excipiendus est quidam casus ab hac sententia, nempe quando milites dum in locis in quibus vigent leges huius regni Hispaniæ, militant, aleis, id est, *à los dados*, vel tabellis, id est, *à las tablas*, ludunt, tunc enim lucrans ab illis tenetur ante iudicis sententiam restituere: quia *lex* 1. *tit.* 7. *lib.* 8. *nouæ recopil.* impedit dominij



nij translationem; sic enim dicit, *Mandamos, que quando los nuestros vasallos nos vienen à seruir à la guerra, que en tanto, que durare la guerra, y estuuieren en nuestro seruicio en ella no juegen dados, ni tablas, y qualquiere que alguna cosa ganare, sea venido de lo tornar luego a aquel, a quien lo gano.* Quod non tantùm in fauorem militum, sed etiam in fauorem totius regni institutum est: nam si milites huic ludo incumberent in bello, nõ possent ita commodè rebus bellicis vacare. Item exponerent se periculo perdendi arma, & cætera bellica instrumenta. Hoc est contra Perez *dicta l.* 9. *vers. sea tenido*, vbi sentit non teneri restituere: & explicat *dictam l.* 1. vt teneatur reddere, si pars petierit coram iudice intra dies octo: sed minus bona est hæc expositio, quia expressè dicitur, *sea tenido de lo tornar luego*, & sic tenent Soto *suprà* Alcozer *c.* 29. Bañez *dicto art.* 7. *fol.* 1181. Arag. *dict. art.* 7. *fol.* 768. Ludouic. Lopez 2. *p. instruct. c.* 34. *n.* 255. & *lib.* 2. *de contract c.* 22 *fol.* 387. Angles *suprà fol.* 292. Enriquez *l b.* 7. *de indulg. c.* 35. *n.* 6. & 7. *in commento litera Q* & alij. Dixi quando bellum est intra hoc regnum, vbi leges illius vigent, quia si milites seruirent in bello nostro Regi extra hoc regnum, vel in prouincia, quæ licèt sit nostri Regis, non gubernatur legibus huius regni, vt in Aragonia, Valentiæ, Catalauniæ, &c. non tenentur seruare hanc legem citatam, sed leges, quæ sunt in vsu in illa prouincia. Sic Enriquez *vbi suprà*, & nonnulli docti recentiores.

5 Secundò nota, aliquos dicere, quòd si illi milites essent alienigeni & pretio conducti, vel sua sponte seruirent nostro Regi in hoc regno in bello, non tenerentur seruare illam legem. Sed oppositum videtur verum, quia *lex* 1. *citata* non excipit alienigenas: item in illis etiam procedunt rationes factæ. Sic prædicti recentiores.

6 Tertiò nota, quòd ex hoc quòd ista lex ab hinc multis annis non fuerit mandata executioni, quia non occurrit casus, in quo esset bellum intra regnum, non ob id est censendum esse abrogatam; quia per consuetudinem merè negatiuam non abrogatur lex, sed per consuetudinem contrariam. Sic Enriquez *suprà*, & recentiores prædicti.

7 Quartò nota quòd secundùm leges nostri regni, qui perdit in ludo chartarum, id est, *de naypes*, vel alearum, id est, *de dados*, potest repetere coram iudice contra octo dies, & si perdens non repetierit intra illud tempus, potest, quicunque alius repetere, & beneficio legis acquirere sibi tale lucrum. Quòd si alius non repetierit, potest iudex ex officio repetere, & applicabitur Cameræ. Sic habetur *lib.* 8. *recopil. tit.* 7. *l.* 2. quod intelligitur intra spatium duorum mensium, quo transacto, nulli conceditur repetitio, vt habetur *l.* 11. *tit.* 7 *lib.* 8. *recop. l.* quæ esse in vsu dicit Padilla *suprà n.* 2. Sed iam per pragmaticam anni 1575. non conceditur hæc repetitio perdenti, nisi sit minor 14. annis.

8 Quintò nota, quòd hæc repetitio pecuniæ perditæ in ludo vetito seruanda est inter Clericos, iuxta *Auth. alearum vsus, C. de relig. & sumptibus fun.* quam etiam inter clericos procedere testatur, dicens communem, Couarr. *regula peccatum* 2. *p.* §. 8. *n* 3. & Paris de Puteo, & Costa, quos *ibi* refert. Bernard. Diaz *practica crimin. c.* 70. Salzedo *ibi*. Idem glossa *c. clerici, & 2. vers. ad aleas, de vita, & honest. cleric.* Circa tempus verò, in quo conceditur repetitio, attendendum est, quoad clericos, quid sit in vsu in tali diœcesi, Abbatia, vel vniuersitate, non enim gubernantur legibus ciuilibus, præcipuè in non fauorabilibus. Et sic Magister scholarum Salmanticensis concedit repetionem post octo dies, & etiam punit ludentes; etiam post duos menses. Sic prædicti recentiores, i nmo Salzedo *suprà*. Perez *lib.* 8. *tit.* 19. *l.* 37. *Ordi* 1. *fol.* 386. dicit quocunque tempore concedi repetitionem Salmanticæ inter Sholasticos.

## DVBIVM II.

*An si ille, qui ludo amisit ita, vt habeat ius repetendi coram iudice, petat non coram iudice, sed priuatim, teneatur alter restituere? & quid si petat coram iudice, & iudex non condemnet, vt soluatur, vel qui lucratus est, neget coram iudice lucrum.*

1 Sit prima conclusio. Si is, qui perdidit, repetat extra iudicium, non tenetur alter restituere sibi lucrum. Ratio, quia tantùm tenetur restituere facta iudicis condemnatione: in legibus enim concedentibus repetitionem, quas retuli *dub. præced.* ponuntur verba, quæ verè significant repetitionem in iudicio vt *auth. alearum. C. de relig.* dicitur, *& actionibus competentibus repetatur.* Sic Soto *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. licèt aliquantulum dubius: immeritò tamen, cùm sit res certissima Alcozer *lib. de ludo, c* 42. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, c.* 2. Metina *C. de restit. q.* 22. Aragon 2. 2. *q* 32. *art.* 7. *fol.* 767. & Bañez *eodem art.* 7. *fol.* 1181. dicens oppositum esse improbabile. Et quidam docti neoterici, qui dicunt esse certum.

2 Secunda conclusio. Si perdens petit lucrum coram iudice, & iudex iniquè non ferat sententiam, vt alter restituat, adhuc non tenetur, qui lucratus est, illud lucrum restituere. Ratio, quia perdẽs nullam habet actionem, vt lucrum illud sibi reddatur, nisi facta condẽnatione: vnde ea non facta, nec ipse potest occultè compẽsationem facere, nec aliter tenetur restituere. Sic Alcozer, Castro, Metina, *ibidem.*

3 Maius autem dubium est, quãdo, qui lucratus est, vocatus à iudice, repetente parte, negat lucrum. & sic non condemnatur, vt restituat, an teneatur restituere. Quidã enim dicũt teneri, quia hic contractus est velut contractus gestus cum minori, cui datur restitutio: sed si minori petenti restitutionem alter negaret contractum, & sic defectu probationis non damnaretur, absque dubio teneretur ad restitutionem; ergo. Ita Molina *tom.* 2. *de inst. disput.* 514.

4 Sit tamen tertia conclusio: Probabilius est non teneri adhuc restituere, quia hæc repetitio, & restitutio non conceditur in fauorem ludentium, sicut restitutio minoris, sed in odium, & pœnam eorum, vt bene Couarr. *reg. peccatum. 2. p* §. 4. *n.* 2. & 8. & Metina *q.* 22. *de restit.* vocat eam pœnam: at reus, qui iuridicè rogatus negat veritatem, non tenetur restituere pœnã, qua damnandus erat, iuxta probabiliorem sententiam, quam probaui *lib.* 2. *summæ c.* 22. *n.* 22. ex multis Doctoribus, & *lib.* 10. *de matrim. disp.* 8. *n.* 14. ergo. Sic præfati recentiores.

5 Hinc fit minus bene sensisse Adrianum 4. *mat. de rest. q. de rest. ludi*, quæ incipit, *quia in superioribus*; vbi dicit, quòd si is, qui ludo amisit rem aliquam, ita vt ius habeat repetendi coram iudice, & præ pudore non audet, potest propria authoritate illam compensare, tantundem furando, vel si tantundem debebat, non soluendo, quod dicit probabile Angles *floribus p.* 2. materia *de rest. ludi, fol.* 293. & sic dicit non cogendum esse restituere, qui hac compensatione vsus est. Sed oppositum est omnino tenendũ, scilicet nõ posse vti tali compensatione. Ratio, quia cùm translatio dominij verè per talem ludum facta fuerit, non potest perdens recuperare lucrum illud, nisi legis beneficio: lex autem tantùm concedit, vt repetat coram iudice, & post condemnationem restituatur sibi. Sic Aragon *dicto art.* 7 *fol.* 768. Metina *lib.* 1. *summæ, c.* 14. §. 29. *fol.* 153. Ludouic. Lopez 2. *p. instruct. c.* 33. *pag.* 242. *& sequenti.* Ledesm. 2. 4 *q.* 18 *art.* 8. *fine.* Metina, Alcozer, Castro *loco citato*, & Molina *supra citatus*, & prædicti recentiores.

## DVBIVM III.

*An qui amittit ludo pilæ, vel alio quocunque ludo permisso, vno die plusquam triginta numos aureos, vel gemmas, seu alia pretiosa, aut quod interponitur ludo (Hispanè* se atrauiesa, o trifa en el juego*) teneatur soluere, & si soluit, teneatur alter restituere.*

1 Ratio dubitandi est, quia omnia hæc prohibentur *l.* 9. *tit.* 7. *lib.* 8. *nouæ recopil.* & simul *ibi* prohibetur

Universidad de Deusto
Biblioteca



ludus pecunia credita, & in fine totius legis subditur. *Por la presente damos por ningunas, qualesquier obligaciones, cedulas, escrituras, promessas, que sobre esto se ayan hecho, o hizieren.* Tunc sic, hæc verba legis cadunt super omnia, quæ præcesserant in ea, sed propter hæc verba, qui perdit pecunia credita, non tenetur soluere, & si soluat, est probabile, teneri alterum restituere; ergo.

2 Sed dicendum est teneri sic perdentem soluere, nec alterum teneri restituere ante iudicis sententiam. Ratio, quia ea verba, *por la presente damos*, &c. non cadunt super omnia, quæ præcesserant, sed supra lucrum pecunia credita. Et patet hoc, quia illis verbis annullantur schedulæ, promissa, sed cùm quis ludit præsenti pecunia, non interueniũt schedulæ, promissa; ergo. Sic Alc. *lib. de ludo, c.* 35.

## DVBIVM IV.

*An si is, qui pecunia credita amisit in ludo, soluat pecuniam amissam lucranti, teneatur hic restituere illam pecuniam sibi solutam, & reddere soluenti, iuxta leges huius regni Hispaniæ.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit teneri restituere: probatur primò, quia *l* 8. *tit.* 7. *lib.* 8 *nouæ recop.* talis contractus ludi omnino redditur irritus; ergo per illum non transfertur dominium. Secundò probatur, qui lucratus est, nullum ius habet ad lucrum; ergo si alter soluat, tenetur restituere. Probo antecedens, quia ideo qui amisit, non tenetur soluere. Hanc docent Alcozer *lib. de ludo, c.* 30. Sotus *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. *fine*, ante solutionem argumentorum: & dicit esse tutiorem Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 22. *fol.* 287. & eam tenet Metina *lib.* 1. *summæ, cap.* 14. §. 29. Gutierrez *de iuram confirm.* 1. *p. c.* 53 *n.* 1.

2 Secunda sententia docet, non teneri restituere. Ratio, quia *dicta l* 9. *nouæ recopil.* non irritat contractum ludi, sed tantùm promissionem soluendi, quod est dicere, non tenetur, qui amisit, adimplere promissum, & soluere, quod nos fatemur: at non ponit aliquod verbum, quo importetur impediri dominij translationem: & cùm sit lex pœnalis, non est extendenda. Nec obstat argumentum in contrarium, quia respondetur non habere ius ad illud lucrum ante solutionem: quia promissio est cassata per legem, & sic qui amisit, non tenetur soluere: at post solutionem, qui lucratus est, ius habet ad retinendum, cùm nullo iure huiusmodi retentio prohibeatur: sicut iuxta opinionem Soti *lib.* 4 *de iust. q.* 5. *art.* 3. & aliquorum aliorum, legatarius, qui recepit legatum in minus solemni testamento sibi relictum, non tenetur illud restituere, licèt hæres non teneretur illi soluere hoc legatum. Hanc sententiam tenet Bañez 2. 2. *q.* 32. *art* 7. Azebedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 7. *l.* 8. *n.* 8 Salon 2. 2. *ante quæst. onem* 62. *q. de dominio, art.* 6 *colum.* 560. & 561. Manuel 1. *tomo summæ c.* 189. *n.* 9 Vega *lib.* 3. *summæ casu* 288. Molina *tomo* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 515. §. *quoad secundum*; & dicit satis esse probilem, & tutam Ludou. Lopez, Aragon 2. 2. *q.* 38. *art.* 7. & videtur tenere Nauar. Lat. antiqua *c.* 19. *n.* 19. noua *c.* 20. *n.* 19. Perez *lib.* 8. *Ordinam. tit.* 4. *l.* 9. *versic. sea tenedo.* Idem tenent quamplurimi docti neoterici, tum Theologi, tum Iurisperiti, vt refert Alcozer *vbi suprà*, & ipse dicit esse probabilem. Et hæc sententia est multo probabilior, & tenenda.

3 Nota hanc sententiam esse veram, licèt soluens ignoret se non teneri soluere. Sic nonnulli docti neoterici Magistri.

4 Ex dictis fit quòd ille, qui soluit quod perdidit pecunia credita, nõ poterit recompensari, tantundem occultè subripiendo, tum quia translatum est dominum in alterum: tum etiam, quia licèt sit probabile, etiam alterum teneri mihi restituere pecunias solutas, at cùm sit hoc dubiũ, & satis probabile oppositũ, in dubio melior est conditio illius possidentis, non enim est licita compensatio, nisi quando certissimum, & omnino liquidum est debitum.

5 At si qui perdidit pecunia credita, tantundem occultè deberet alia via eidem, qui lucratus est, posset fingere se soluere numos perditos habens animum non soluendi illos, sed alios, quos occultè debebat: nulli enim in hoc iniuriam irrogat, cùm verè eos numos non debeat, sed sponte soluat: sed (vt dixi) si soluit absque hoc animo, sed animo soluendi perditos pecunia credita, non posset retinere debitum, quod alia via debebat, quia hic non est locus compensationi.

6 Similiter, si antequam solueret numos hos perditos pecunia credita, haberet animum non soluendi, sed præpudore, vel alio respectu fingeret se soluere, animum habens se compensandi, quando ei supperet facultas, posset vtique se compensare; quia tunc reuera non visus est soluere, sed mutuare.

7 An verò stando in iure communi ludentes pecunia credita, teneantur pecuniam amissam soluere? dixi *lib.* 6. *de matrim. disp.* 38. *n.* 34.

## DVBIVM V.

*An qui lucratur ab alio pecuniam præsentem, & ipse tantum perdebat pecunia credita, & habebat propositum non soluendi, propter leges id sibi concedentes, vel si iurauit soluere, habebat propositum petendi relaxationem, & sic non soluendi, teneatur restituere pecuniam præsentem, quam lucratus est.*

1 QVidam & satis probabiliter tenent, teneri restituere, quia de natura contractus, qualis est ludus, est vt in eo seruetur æqualitas, quæ hîc seruari nõ videtur, cùm hîc exponatur lucro, non autem periculo perdendi, cùm animum habeat pecuniam perditam non soluendi. Sic tenuit Victoria, quem refert & sequitur Ludou. Lop. *l.* 2. *de contr. c.* 22. *fol.* 388 in solutione ad 3. argumentum.

2 Sit tamen prima conclusio. Probabilius est non teneri restituere. Ratio, quia hic vtitur beneficio legis sibi concedentis, ne teneatur soluere, & alter sibi imputet, cùm velit pecunia credita ludere, cùm hæc sit lex talis ludi, vt perdens non teneatur soluere: nec est aliqua inæqualitas in hoc contractu, quia etiam alter potest vti eodem legis beneficio, & non soluere. Item etiamsi perdidisset pecunia præsenti, & haberet propositum statim illam repetendi in iudicio, posset lucrari cum illo proposito: nulli enim facit iniuriam, sed vtitur iure suo. Sic docti recentiores.

3 Secunda conclusio: si tamen ludus sit pecunia præsenti, & alter ludentium fingat se habere pecuniam præsentem, cùm tamen non habeat, nec habeat etiam animum soluendi, cùm tamen soluendo sit, si lucratur, credo non teneri lucrum restituere. Ratio, quia ludus hic censetur pecunia præsenti, nec fraus, aut prauus animus alterius ex ludentibus debet illi patrocinari: & sic si perderet, teneretur pecuniam perditam soluere, ac si perderet pecunia præsenti; ergo si lucratur, posset lucrum retinere, cùm vtrinque seruetur æqualitas. Et confirmatur, quia si apponeret pecuniam adulterinam, id est, *monedafalsa*, teneretur veram pecuniam soluere, & si lucraretur, posset retinere lucrum, ergo similiter si fingat se habere pecunias. Et quòd fingens se habere numos, vel ponens adulterinos, teneatur soluere, & possit lucrari, docet Petr. de Couarr. 3. *p. c.* 14. *lib. de ludo.*

## DVBIVM VI.

*Quando stando etiam in iure naturæ per ludum non transferatur dominium, ita vt lucrans teneatur restituere lucrũ.*

1 REspondetur secundùm omnes Doctores, quòd in triplici casu. Primus est, quando qui ludo perdidit, non poterat alienare rem ludo perditam. Secundus, quando fuit tractus ad ludum à lucrante. Tertius, quando fraus aliqua interuenit in ludo: de quibus casibus latè agendum est *dubiis sequentibus.*

DVBIVM



## DVBIVM VII.

*Qui sint ij, qui non possunt alienare in ludo, ita vt hac ratione, qui lucratur, teneatur illos restituere.*

1 SIt conclusio: hi sunt, qui non habent dominium illorum bonorum, quæ ludunt, vel saltem non habent liberam administrationem, vt sunt serui, Religiosi, filijfamilias, minores viginti quinque annis, vxores. Ratio, quia personæ hæ non sunt sui iuris. Hæc conclusio est omnium; & specialiter quòd lucrans à minoribus tenetur restituere, docet D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Bañes *eodem art.* 7. *fol.* 1175. Aragon *eodem art.* 7. *fol.* 766. Angles *floribus* 2. *p. q. de ludo, fol.* 289. Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 21. *paulo post principium.* Alcozer *lib. de ludo. cap.* 14. Metina *C. de restit. q.* 22. *vers. vt igitur in summa dicam.* Couarr. *reg. peccatum*, 2. *p.* §. 4. *num.* 4. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 23. §. 3. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali cap.* 2. *corol.* 3. Sarmiento, dicens esse omnium 1. *p. de reddit. bus cap.* 2. *num.* 5. Innoc. *cap. quia plerique, de immunit. Eccles.* Sylu. *verbo ludus q.* 11. Soto *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. & de muliere coniugata idem dicunt Castro, D. Anton. Sylu. Alcozer, Bañes, Aragon *supra*, Ludou. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 33. *fol.* 247. Nauarr. summa Hisp. & Latina antiqua *cap.* 19. *num.* 9. Lat. noua *cap.* 20. *num.* 12. Petrus de Couarr. qui etiam idem dicit de minoribus *lib. de remedio luxuriæ*, 3. *p. cap.* 1. Sed hoc pacto distinguendum, si minor sit pupilles, & curatore careat, non tenetur lucrans restituere, donec minore restiturionem petente, iudex lucrantem ad eam cogat, quod latè prosecutus sum *lib* 7. *de matrim. disp.* 38. *n.* 30. Et idem dicendum est de prodigis, quibus ratione prodigalitatis datus est per iudicem tutor. & sic impedita administratio. Sylu. Nauarr. D. Anton. Alcozer. Petrus de Couarr. *ibi*; & hæc omnia colliguntur ex Angelo *verbo, ludus, n.* 7. & Metina *lib.* 1. *summæ cap.* 14 §. 28. *fol.* 152 vbi dicunt non posse per ludum transferre dominium, qui non possunt validè donare: at omnes dicti non possunt validè donare, vt constat ex omnibus summistis, *verbo donatio*, & ex pluribus legibus, quas allegant.

2 Nota primò, quòd licèt stando in iure communi possent coniugatæ ludere paraphernа, quia erant sua quoad dominium, & dispensationem liberam: at stando in iure regni nequeunt, quia in hoc regno Hispaniæ est illis interdicta administratio. *l.* 55. *Tauri*, & sic non possunt validè eam donare; immo nec de eis elemosynam facere, vt latè *supra cap. de promis. & donat. dub* 5. Sic Alcozer *ibi*, Lud. Lopez *in instruct. vbi supra.*

3 Secundò nota conclusionem esse limitandam quoad filiosfamilias, minores, & coniugatas, quando quis lucratur ab eis notabilem quantitatem, considerata qualitate ludentis & diuitiis, & tempore, in quo luditur; si enim res est patua, considerata hac qualitate, nec hi peccant ludendo, nec lucrans tenetur restituere: quia tunc pater, tutor, & vir virtualiter, & interpretatiuè consentit, cùm hæc recreatio ludi sit necessaria ad transigendum hanc vitam, & perferendos labores illius. Sic Soto, Nauarr. Alcozer, Sarmiento, D. Anton. Sylu. Bañes, Aragon, Ludouic. Lopez *supra in instructorio.* Angles, Metina, *supra*, Maior. 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. Ledesm. 2 4. *quæst.* 15. *articul.* 5. & nonnulli recentiores docti. Et exemplificat Soto hanc moderatam quantitatem, vt filius, qui est in studio, vel curia, cui pater mittit quotannis centum aureos, pro sua sustentatione, potest quatuor, & quinque ludere. Idem Nauar. Alcozer, Metina, Bañes, Aragon *ibidem*, & prædicti recentiores. Idem dicit Metina *ibi* de filio, qui est in paterna domo, & illi rationabiliter prouidetur. Immo Sarmiento *vbi supra* dicit, quòd licèt Theologi scrupulosiùs loquantur, si quis à minori ditissimo dono, vel ludo acquirat viginti aureos, nec peccat, nec tenetur restituere. Et idem, inquit, dicendum de filiosfamilias, & vxore, quibus diues pater, vel vir solent in alimenta notabilem quantitatem concedere; & probat ex *l. si filiusfamilias, ff. de donat.* Immo filiis Dominorum, vt Marchionum, Comitum, &c. & aliarum personarum multorum reddituum, amplior licentia concedi potest; quia quantitas, quæ in aliis personis est magna, in his extat moderata: & sic debet intelligi Speculum conscientiæ *lib.* 1. *cap.* 77. dicens non teneri restituere, quia ab his lucratur, scilicet quando ludunt moderatè, attenta sua qualitate, licèt esset immoderatum in personis inferioris notæ; si enim hi luderent immoderatum, attenta sua qualitate, lucrans tenetur restituere, nullum enim priuilegium alienandi habent filiifamilias dominorum. Sic Alcozer *eodem cap.* 14.

4 Sed quid, si pater, vel vir nolit, vt etiam quid moderatum ludat filiusfamilias, vel vxor, videtur enim quòd tunc, qui lucraretur, teneretur, restituere, quia communiter Doctores, vt Soto, Ledesm. Nauarr. Alcozer, Metina, Sarmiento, Bañes, Aragon, Sylueštr. D. Anton. dũ dicunt non teneri restituere, quia lucratur ab his, quid moderatum; quia præsumitur patrem, vel virum velle. Et huic fundamento innititur dicta lex, *si filiusfamilias*; ergo quãdo pater, vel vir explicat velle vt nil ludant, non potest quis etiam quid moderatum ab his lucrari.

5 Sed dicendum est, quòd quando pater, vel vir dicit velle, vt non ludant; intelligitur nolle in totum fores illis claudere, sed ad moderandum, & ne nimiam quantitatem ludant. Et sic possunt quid moderatum ludere: at si expressò contradicerent etiam ad rem minimam, licèt quoad eleemosynas non posset tunc vxor, at quo ad ludum credo posse non tantam quantitatem, vt dixi, sed aliqualem; quia dare eleemosynam est opus supererogationis, & non pertinet ad necessitatem vitæ humanæ: at aliqualis ludus videtur pertinere ad hanc necessitatem, & sic pater, vel vir tenetur consentire: & in hoc sensu credo verum, quod dicit Angles *supra fol.* 288. vbi dicit posse filium ludere quid moderatum, licèt pater non consentiat, quia tenetur consentire. Et Manuel 1. *tomo summæ in nona, cap.* 89. *num.* 1. dicit teneri consentire.

6 Tertiò nota aliquos sentire non posse filiumfamilias totam illam quantitatem, quam diximus esse moderatam, v.g. quatuor, vel quinque aureos ludere vna vice, etiamsi animum habeat non ludendi iterum in toto anno, & velit cedere iuri suo, sed quòd possit hodie ludere duos, vel tres argenteos, & alio die totidem, &c. Ratio, quia hanc licentiam nos arbitramur ex quadam æquitate & voluntate interpretatiua patris: illa autem est vt filius recreetur per totum annum. Vnde inferunt: quòd qui ab illo luciatur vna vice triginta argenteos, tenetur restituere, licèt filius non soleat alias ludere. Hæc quidam neotericus valde doctus. Sed probabilius est posse, quia potest cedere iuri suo sumendi illam recreationem per totum annum; secus quando habet consuetudinem ludendi cum aliis; quia tunc si ego scirem, quòd cum aliis non amisit eam quantitatem, quam potest perdere, si lucratus fuero ab eo, non teneor restituere: secus si scirem amisisse: & ita qui ab istorum aliquo lucratur congruo modo, scire tenetur ab eo, vel ab alio, à quo scire potuerit, quid talis eo anno amiserit, quia si antea perdidit quod poterat ludere, tenetur restituere lucrum: & si hoc sciri non potest, eo quòd qui perdidit, absens sit, aut alia de causa, benè poterit id retinere, quia melior est conditio possidentis. Sic nonnulli docti recentiores Magistri.

7 Quartò nota aliquos dicere quòd lucrans ab iis, qui non sunt sui iuris ad perdendum, vt à filiofamilias, coniugata, &c. notabilem quantitatem, tenetur totam restituere, nec sat est restituere illam, quam non poterant perdere. Ratio, quia totus ludi contractus redditur tunc vitiosus, & sic per illum non transfertur dominium. Sic Alcozer *lib. de ludo, cap.* 16. & colligitur ex Metina in alio simili, *quæst.* 10. *de restit.* Sed tenendum est tantùm teneri restituere illum excessum, nec totus contractus redditur nullus, sed tantùm quo ad illum excessum. Sic nonnulli docti neoterici.

Universidad de Deusto
Biblioteca



8 Quintò limitanda est conclusio, nisi filius habeat peculium castrense, vel quasi, in eo enim reputatur pater familias, & est sui iuris, & sic potest quamcunque quantitatem perdere. Hoc est omnium: sic Petrus Couarr. *supra*. Alcozer *lib. de ludo, c.* 14. Sylvest. *verbo ludus, q.* 11. Bañes *dicto art.* 7. *fol.* 1179. Angles *suprà fol.* 288. immo idem dicendum est de aduentitiis, quando is, qui donauit, concessit, non expectata patris licentia, administrationem. Bañes *ibi*.

9 Sextò nota, quòd filius familias maior, qui scilicet natus est viginti quinque annos, potest ludere bona aduentitia quoad proprietatem: hæc enim est sua, dummodo pater habeat vsum fructum toto tempore, quo leges ipsi concedunt; quia in hoc nulli iniuriam irrogat. & iam habet ætatem requisitam, vt contractus facere possit. Sic Alcozer *dicto c.* 14. Sed an sit hoc omnino verum, dixi *suprà c.* 1. *de seruit. ac patr. potest. dub.* 17.

10 An verò filius familias absens à patre possit disponere de bonis, quæ suo labore comparat, & sic illa ludere, cùm tunc non sustententur à patre, dixi *loco citato*.

11 An verò Religiosus possit aliquam quantitatem ludere, latè dixi *ib.* 7 *summa, cap.* 19. *a n.* 79.

## DVBIVM VIII.

*An possit filius familias quidquid ludo acquirit, ludo exponere, ita vt lucrans non teneantur restituere.*

1 SIt prima conclusio: Quando est in eodem numero ludo, id est, continuo, antequam consultò ad aliquid aliud exsurgat, non est dubium, quin possit: & sic alter, à quo lucratus est, potest totum; quod filius familias luctatus est in illo ludo, iterum lucrari. Itaque potest filius familias in eodem numero ludo perdere totum, quod in eo lucratus est, licèt sit magna quantitas, nec alter tenebitur restituere. Ratio, quia lucrum dicitur, quod in fine ludi reportatur. Sic Sylvest. *verbo ludus, q.* 17. *dicto* 3. *fine*. Angelus *ibi n.* 8. Alcozer *lib. de ludo, c.* 41. § *la quarta doctrina*. Gabr. 4. *dist.* 15 *q.* 13. *art.* 3. *dub.* 6. Metina *lib.* 1. *summæ, c.* 14. § 28. *fol.* 152. Franciscus Garcia *p.* 2. *de contract. c.* 19. *fol.* 578. Ludou. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 35. *fol* 264. 265. *& lib.* 2. *de contract. c.* 21. *fol.* 383. Nauarr. summa Hisp. & Lat. antiqua *c.* 19. *n.* 16. Lat. noua *c.* 20. *num.* 19. & nonnulli docti recentiores.

2 Secunda conclusio: si ludus sit alius, quia, v. g iam à ludo recessit filiusfamilias, & se contulit, alteráque die ad ludendum rediit, licèt de subtilitate iuris non possit ludere totum, quòd lucratus est, quia filiusfamilias patri acquirit; at si ludat cum eodem, à quo lucratus est, & perdat, de æquitate conscientiæ potest alter compensare id, quod perdiderat, & sic non tenetur restituere hoc, quod lucratus est. Ratio; quia æquitati rationis innititur, quòd si patri filius acquirit in ludo, quòd etiam, si totidem perdiderit cum eo, à quo lucratus fuerat, eius collusor possit cum hoc vltimo lucro sibi recompensare totidem, quod perdiderat, ex æquitate enim naturali pater qui sentit hoc commodum, debet sentire hoc onus. Hæc est contra Arm. *verbo ludus, num.* 8. & Gabr. *supra*. Rosel. *verbo ludus, num.* 8. Sed nostram conclusionem tenent Sylvest. Nauarr. Angel. Ludou. Lopez *in instruct. suprà*. Tabien. *verbo ludus, q.* 10. Philiar. *de offic. Sacerd. tomo* 2. *p.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. & nonnulli docti neoterici. Quod benè limitat Ludou. Lopez *in instruct. vbi suprà*, nisi filius lucrum primum dissipasset, & prodigè insumpsisset; cùm enim non cesserit in patris vtilitatem, nec lucrum exter, non est æquum, vt pater sentiat damnum, & possit filius in eius dispendium perdere.

3 Tertia conclusio: immo videtur, quòd filiusfamilias possit cum quocunque voluerit, ludere, & perdere totam illam quantitatem, quam ludo lucratus est, simul cum eo, quod ipse poterat aliàs ludere. Ratio, quia licèt totum illud lucrum cedat statim patri, at hîc æquitas non extet, quæ in eodem extat, qui perdidit, vt quod amisit, lucretur; est tamen voluntas interpretatiua patris, quando enim concessit tacitè, vel expressè filio facultatem, aliquid ludendi, videtur tacito consensu dare illi facultatem ad ludendum totum lucrum: vt docet Bañes 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *fol.* 1179. §. *respondetur*; & ita expressè videtur tenere hanc conclusionem; etiam eam tenent præfati recentiores.

## DVBIVM IX.

*An trahens alium ad ludum teneatur lucrum restituere,*

1 D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art* 7. *ad* 2. *& 4 dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *quæstiuncula* 3. *ad* 2. dicit quòd trahens alium ad ludum ex lucri cupiditate, tenetur restituere illi lucrum. Quam sententiam, sic vt iacet, sequuntur Innoc. *cap. quia plerique, de immunit. Eccles. n.* 4. Turrecr. *c. Episcopus, dist.* 35. *n.* 8. Abul. *c.* 6. *Matth. q.* 56. Palud. 4 *dist.* 15 *q.* 2. Gabr. *dist.* 15. *q.* 13. Immo Tabien. *verbo ludus, q.* 8. ampliat hoc ita, vt intelligatur de quocunque modo tractionis, seu inducendi ad ludum aliàs non lusurum. Sed Adrian. *in* 4. materia *de restit. q. de ludo*, & Maioris 5. *dist.* 15. *q.* 13. putantes eam esse mentem D. Thomæ, eam impugnant.

2 Vt tamen certiora à minus certis secernamus, sit prima conclusio: quando aliquis blanditiis, & lenibus precibus alium trahit ad ludum, non tenetur lucrum restituere, nec in hoc casu loquitur D. Thomas. Ratio, quia hæ preces non causant inuoluntarium. Sic omnes Doctores citandi contra Tabienam *suprà*, & credo esse certissimam.

3 Secunda conclusio: quando trahit illum vi, vel metu, vt minans aliquod malum, vel se illi non soluturum pecunias, quas debet, cùm sint alicuius momenti, certum est teneri restituere illi lucrum. Ratio, quia contractus est inuoluntarius. Sic omnes Doctores citandi.

4 At dubium est, quando nimiis importunitatibus trahit ad ludum aliàs non lusurum, quibus non potest resistere alter sine nota, si enim resisteret, haberetur nimium durus, & agrestis.

Duplex est sententia.

5 Prima dicit non teneri restituere communiter ob solam importunitatem, & ex eo quòd illi obiciat ob miseriam non ludere, & damnum illi inferre, eo quòd ludum non sustentet, licèt tot, ac talia verba esse possent, vt vim incuterent, & teneretur restituere. Ratio, quia hæc nimia importunitas non videtur auferre voluntarium requisitum ad contractum: & esto dicamus auferre voluntarium requisitum ad donationem, est diuersa ratio, quia qui donat, amittit, quod donat, sine spe illud recuperandi, quod non contingit in ludo, siquidem ludit cum spe lucrandi, sicut alter collusor, sic Alcoz. *lib. de ludo, c.* 21. Garc. *part.* 2. *de contractibus c.* 19. *fol.* 592. & est satis probabilis & tuta, vt dixi *lib.* 4. *de matrim. disput.* 10. *num.* 10.

6 Secunda sententia, quæ probabilior, & communior est, docet teneri restituere lucrum. Ratio, quia huiusmodi commutationes, quæ fiunt in contractu ludi, cùm recreationis gratia institutus sit, debent esse omnino ex libera voluntate, vt per eas transferatur dominium. Item quia quidquid sit in foro exteriori, in quo ad vitandas lites tolerantur contractus, qui non fiunt ex metu graui, at in foro conscientiæ donatio, & omnis contractus ex metu leui celebratus, non valet, & parit restituendi obligationem, vt latè dixi *lib* 4. *de matrim. disp.* 9. *a n.* 4. Sic tenent Caiet. 2. 2. *c.* 32. *art.* 7. Vig. *lib inst. c.* 7. § 5. *vers.* 12. Bañes 2 2. *q.* 32. *art.* 7. *pag.* 1176. 1177. Arag. *ibi fol.* 765. Angles *floribus* 2. *p. q. de ludo, fol.* 291. Metina *lib.* 1. *summæ, c.* 14. § 28. *fol.* 151. Sylvest. *verbo ludus, q.* 11. D. Anton. 2. *p. tit.* 1 *cap.* 23 § 3. Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 2. *corol.* 3. Ledesma 2. 4. *quæst.* 18. *art.* 8. *fol.* 273. *pag.* 4. *& quæst.* 35. *art.* 5. *fol.* 123. *pag.* 4. Cord. *lib.* 1. *quæst. q.* 13. *fine*. Nauar. summa Hispan. & Lat. antiqua *cap.* 19. *num.* 15. Latina noua *cap.* 20 *num.* 13. Soto *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. Couar. *reg. peccatum,* 2. *p.* § 4. *num.* 7. Ludou. Lopez 2. *p. instruct. c.* 34. *pag.* 250. *& lib.* 2. *de contract. c.* 22. *fol.* 390. Metina *q.* 22. *de restit.* Palacios *in summa, verbo ludus*. Petrus de Cou. *de remedio luxorum.* 3 *p. c.* 3. & est communis Canonistarum, vt refert Couarr. *dicto num.* 7. vbi etiam refert Alciatum pro eadem. Idem Manuel *in bulla compositionis*, § *vnico, n.* 39. Gutierr. *quæst. canonic. c.* 37. *n.* 18. Innoc. Immola, Palacios Rubios, quos refert, & sequitur Padilla *l. interpositus, C. de transact. num.* 32. & tenet Azebedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 7. *l.* 2. *n.* 80. 81. Philiar. *c. de offic. sacerd. tom.* 2. *p.* 2. *lib.* 5. *cap* 2. *num.* 7.

7 Nota primò idem dicendum esse, quando in medio ludi faceret similem violentiam, quia scilicet alius vellet dimittere ludum, & non finit. Alcozer, Nauarr. Sylu. D. Anton. Petrus de Couarr. Ledesm. *in vtroque loco vbi supra*. Azo. quem refert, & sequitur Tabien. *verbo ludus, quæst.* 8. Ponit exemplum Alcozer, vt quando dicit ille se non soluturum, quod à semetipso lucratus fuit, nisi ludum sustineat, & id, quod lucratus fuerat, est alicuius momenti, seu considerationis. Idem Ledesm. & exemplificat etiam quando cùm alius vult surgere, dicit, non surges, quia teneris sustentare ludum, & alter ex verecundia, & confusione perseuerat. Nauarr. exemplificat, quando si à ludo discederet, vilis haberetur.

8 Secundò nota limitandam esse hanc sententiam secundam, quando his importunitatibus, & exprobationibus infestatur is, qui aliàs ludum exercere renuit, quia illum exosum habet, vel quia sibi detrimentum honoris, vel bonorum parat: secus quando fiunt hæ importunæ preces, & exprobationes hominibus, qui valdè proclines sunt ad ludum, illúmque crebrò exercent, & si aliquando renuunt ludere, id non est, quia desit ludendi voluntas, sed quia pro tunc aliis intendunt, vel ludere non vacat, quia aliàs parati sunt ludere. Ratio, quia hi huiusmodi importunitatibus & exprobationibus magis alliciuntur, quàm trahuntur, cùm eas parui facere soleant. Sic Ludou. Lop. *lib.* 2. *de contractibus, c.* 22 *fol.* 390 *pag.* 1.



## DVBIVM X.

*An vi tractus ad ludum, si iam ibi ad ludum applicatus concipiat animum portandi lucrum, si lucratus fuerit, ex tunc censeatur voluntarius ludere, & ex tunc, qui ipsum traxit, acquirat ius lucrandi, quo antè carebat.*

1 ALiqui tenent partem affirmantem. Ratio, quia eo ipso, quòd vi tractus iam in ludo constitutus decreuit inde capere lucrum, visus est in ludum, & in omnes eius leges consensisse, quarum potissima est æquali sorti perdendi, & lucrandi se exponere: sicut si coactus à principio emere, postea contendisset, vt res sibi tradatur, videtur apertè consentire in emptionem. Secundò probatur ex *cap. ad id, de sponsalibus*, vbi mulier vi coacta ad matrimonium, si postea in domo viri patienter habitat, vitam coniugalem ducens, censetur in matrimonium consentire, & sic matrimonium initio irritum conualescit; ergo similiter, qui vi tractus ad ludum, perseuerans postea in ludo tam spontaneè, quòd inde intendat lucrum habere, censendus est consentire validè in ludum. Sic Franciscus Garcia *p.* 2. *de contractibus, c.* 19. *fol.* 194.

2 Sed dicendum est, quòd dupliciter vi tractus ad ludum potest decernere iam ludere, & lucrari: vno modo ex vi priùs sibi illata virtualiter adhuc manente, quia scilicet ex rubore, & exprobatione iniectis, nisi ludat, pergit ludere, & velle lucrari: & hoc si modo perseuerat in ludo, licèt concipiat animum portandi lucrum, non potest alter, si lucratur, lucrum retinere. Secundo modo potest contingere, quando non ex illo pudore, & vi perseuerante, sed ex alia noua causa acceptat iam ludere liberè, & spontaneè: & in hoc casu vera est sententia Franciscí Garcia, quòd ex tunc, qui traxit, acquirit ius ad lucrum subsecutum, si deinceps lucretur. Itaque dicendum est, quòd in vi pertracto ad ludum non est per se fidele argumentum accedens voluntas lucrandi, quod in ludū, & leges ludi absolutè, & liberè consentiat: ita vt lucrandi ius pertrahenti sit concedendum, nisi causa aliunde se offerat, quæ sic pertractum vi, de nouo ad ludendum alliciens liberum eius nouum consensum protestetur. Probatur prima pars, quia talis consensus in ludum est virtualiter coactus ratione violentiæ prioris adhuc manentis, & non absolutè, sed exsuppositione eligit ludere: & supposito quòd vi coactus est ludere, mauult lucrari, quàm perdere, cùm iuxta probabiliorem sententiam (vt dicemus *dub. sequenti*) possit lucrari, licèt non perdere; nam aliàs coactione cessante, nec ludum, nec lucrum incertum cum periculo perdendi acceptare vellet. Secundò, quia si puella meru graui coacta profiteri tempore professionis bona sua causa professionis daret monasterio, talis donatio, sicut & professio, esset inualida; quia ex radice violentiæ priùs illatæ vtraque claudicaret, illa enim puella neutrum vellet: at supposito quòd cogitur profiteri, vult talem donationem facere; ergo similiter in nostro casu, quia hic vi tractus perinde se habet, ac illa, puella, quia perinde nollet ludere, nec lucrari ex ludo cū periculo perinde: at esto cogitur ludere, mauult lucrari. Patet secunda pars, quia iam ludus est liber. Sic tenet Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 22. *à fol.* 390.

3 Ad primum oppositæ patet ex dictis. Ad secundum dico, quòd per cohabitationem illam diutinam tantùm in foro externo præsumetur nouus consensus: at in foro conscientiæ, si is non adsit, non conualidatur matrimonium.

## DVBIVM XI.

*An si tractus ad ludū lucretur à trahente, teneatur ipse lucrū restituere sicut si trahens lucraretur, teneretur restituere.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet teneri restituere. Ratio, quia cùm ludus sit quidam contractus, debet in ipso omnimoda æqualitas seruari, ita vt vel vterque, vel neuter ludentium lucrari possit. Et hæc est probabilis. Eam tenet Victoria, vt refert, & sequitur, dicens esse tutiorem. Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 22 *fol.* 390 *pag.* 2. *& 2. p. instruct. cap.* 34. *pag.* 250. vbi etiam dicit fuisse Bañez huius sententiæ. Eandem tenet Franciscus Garcia *p.* 2. *de contract. cap.* 19. *fol.* 593. Alcozer *lib. de ludo, cap.* 21. Azebedo *lib.* 8. *nouæ recop. il. tit.* 7. *l.* 2. *num.* 83. & quidam ex neotericis viri docti.

2 Secunda sententia probabilior docet non teneri. Ratio, quia ex culpa alterius ludentis potest esse hæc inæqualitas in ludo, at si quis falsis chartis ludat, non potest lucrari, quia impedimentum præstat lucro ex parte sua, & tamen hoc non obstat, quin eius collusor possit lucrari, quia impedimentum non apponit ex parte sua. Hanc tenent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art* 7. *ad* 2. & 4 *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4 *quæstiunc.* 3. *ad* 2. Abul. *c.* 6. *Matth. q.* 56. Turrecr. *C. Episcopus, distinct.* 35. *n.* 9. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 23. § 3. Rayner. quem refert, ac sequitur Sylvest. *verbo ludus, q.* 13. Innoc. *cap. quia plerique, de immunit. Eccles. n.* 4. Ioan. Andr & Calder. quos refert, & sequitur Tabien. *verbo restitutio q.* 17. Petrus Couarr. *de remedio luxorum,* 3. *p. c.* 12. *&* 13. & videtur tenere Angles, quia recitata altera sententia, ponit hanc in vltimo loco *floribus* 2. *p. q. de ludo, fol.* 292. Et hanc dicit esse probabilem Ledesm. 2. 4. *q.* 15. *art.* 5 *fol.* 124. *pag.* 2. & eam vocat satis probabilem, & securam, Lud Lop. *vtroque loco citato*, & dicit eam tenuisse valdè doctos recentiores Magistros. Idem tenet Manuel Rodriq. *in bulla compositionis* § *vnico. n.* 40 Enriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 25. *num.* 6. Palacios Rubios *rubr. de donat.* § 81. *num.* 6. Rebuff. 2. *tomo, const. reg. tract. de rescript. art.* 2. *glos.* 3. Auiles *c* 29. *Prærogat. glos. leyes, num.* 4. & dicit probabilem Azebedo *ibi*.

3 Nota

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Nota quòd aliqui ex his Doctoribus dicunt, quòd quando ludus est prohibitus per leges ciuiles, tenetur, vbi illæ vigent, qui tractus est, restituere pauperibus. Sic D. Thom in 2.2. Abul. Turrec. Rayner. D. Anton. Sed hoc est, quia sequuntur sententiam, quam *supra dub.*1. reprobaui per ludos prohibitos non transferri dominium; & sic nec pauperibus esse in hoc casu restituendum, docent expressè Sylu. Tabien. Perrus de Couarr. *supra*, & cæteri citati absolutè dicunt non teneri restituere.

## DVBIVM XII.

*Quando lucrans in ludo tenetur restituere lucrum, eo quòd interueniant fraudes in ludo.*

1 Conclusio est certissima. & omnium, quòd tenetur quis iure naturæ restituere, quæ lucratur in ludo, quando interueniunt fraudes in ludo. Ratio est, quia acquirit inuito domino, cùm voluntas ludentium sit transferre dominium, quando secluſa omni fraude ludirur.

2 Nota non fieri fraudem in ludo, cùm quis vtitur cautelis, quæ iuxta leges ludi licitæ sunt, eæ enim tacito ludentium consensu receptæ sunt, eásque ludi natura patitur. Vnde quando fuerit dubium, an sit fraus contra ludi leges, standum est iudicio peritorum in ludo. Sic Couarr. *reg. peccatum*, 2. *p.* §. 4. *num.* 4. Alcozer *lib. de ludo*, *cap.* 19. Gabr. 4. *distinct.* 15. *quæst.* 13. *notabili* 3. Stephanus, Paris de Puteo, Ioan. Baptista, quos refert Alcozer, Bañes 2.2. *quæst.* 32. *art.* 7. *fol.* 1177. Aragon *eodem artic.* 7. *fol.* 765. Metina *quæst.* 22. *de restitut. fine*, Azebedo *lib.* 8. *recopil. titul.* 7. *l.* 2. *num.* 85. Philiarc. *de offic. sacerd. tomo* 2. *p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. & alij.

3 Hinc fit quòd qui habet potiores ludi partes, quique necessariò victor euasurus est, v. g. si vndeuiginti de manu habet, id est, *si tiene veynte y vna de mano*, potest augere sponsionem, id est, *embidar*, & licitè lucratur, quia hæc cautela est iuxta leges ludi, & tacito ludentium consensu approbata, & æqualis est vtrique ludenti. Sic Metina *dicta q.* 22. *fine.* Couarr. *ibi n.* 5. Alcozer *c.* 20. Ludou. Lopez 2. *part. instr. cap.* 35. *pag.* 263. Metina *libro primo summæ, capite* 14. §. 29. *fol.* 154. *pag.* 1. Aragon *dicto articul.* 7. *fol.* 765. Azebed. *numero* 79. & 85. & Philiare. *ibi.*

4 Secundò fit, quòd si quis sciat appositam pecuniam certò perdidisse, quia habet peiorem ludi euentum, potest cautè, & simulatè augere sponsionem, id est, *embidar*, vt alter inscius cadat, & illam recuset, & sic numos perdat. Ratio, quia hæc fraus est secundùm leges ludi. Sic Alcozer *dicto c.* 20. Couar. *supra n.* 6. Aragon *supra.*

5 Tertiò fit quòd si duobus ludentibus ludo, qui Hispanè vocatur *la primera*, & vtrique obtigit maior punctorum numerus, qui iuxta leges huius ludi requiritur ad lucrandum, videlicet quinquaginta quinque, qui primas habet Hispanè, *lamano*, inuitat, seu prouocat alium collusorem ad nouam quantitatem pecuniæ lucro exponendam, alter suspicatus est puncta, quæ collusor habebat, finxítque se dubitare, an deberet admittere, vel acceptare prouocationem, petiit tandem ab altero, vt sibi duo puncta donaret, & ea conditione se acceptaturum, concessit alter illa puncta, & ita lucratus est summam pecuniæ expositam, fit, inquam, ex dictis illam licitè lucrari, & retinere.

6 Quartò fit, quòd si ludens, qui scit se potiores ludi partes obtinere, fingat se dubitare, an augeat sponsionem, vt fingat se nolle acceptare, vt alter plus augeat, licitè lucratur. Sic Alcozer *dicto cap.* 20. & alij.

7 Quintò fit, quòd si habens optimum ludum, simulatè dicat, transeat, id est, *vayal el naype*, ad effectum decipiendi socium, vt sic eum inciter ad augendum sponsionem, licitè lucratur. Sic Perez *lib.* 8. *ord. tit.* 19. *l.* 37. *fol.* 388.

8 Sextò fit, quòd potest quis numerare pauciora puncta, quàm habet, & postquam contrarius exhibuerit plura, potest ipse licitè exprimere, quæ habet, & sic lucrari Alcozer *dicto cap.* 20 & alij.

9 Septimò fit, quòd licitè quis lucratur, quando videt, chartas alterius absque fraude ex sola negligentia alterius, quia nullam facit fraudem, secus si videat, quia eo modo se ponit, vt videre possit, vel quia habet alium videntem ludum alterius, qui ipsum admonet; quia hæc est aperta fraus. Sic Alcozer *cap.* 19. & alij.

10 Octauò fit, quòd si quis signet chartas, vt eas cognoscat, vel adeò ingeniosus, vt facilè cognoscat chartas, & alter hoc eius ingenium ignorat, tenetur restituere, quod ratione huius lucratur, iuxta dicenda *dub. sequenti.* Si verò non signet chartas, & ambo sunt pares, vel ferè pares industria facilè cognoscendi chartas, vel chartæ nimio vsu ita signatæ sunt, vt facilè ab vtroque cognoscantur, non tenetur restituere, quia ex vtraque parte est æqualitas: nisi alter eorum priùs chartas nouit, tunc enim, quia notabiliter alium excedit, tenetur restituere. Sic Alcozer *cap.* 19. & alij.

11 Nono fit, quòd quando socij faciunt sibi ad inuicem signa, si leges talis ludi sint, vt socij possint sibi adinuicem facere signa, vel signa non sunt clara, sed secundùm modum ludendi, vel acceptionem sponsionis, id est *Conforme al responder de la carta, ò del embite.* cognoscitur pars ludi socij, non est obligatio ad restitutionem, quia hæ fraudes sunt secundùm ludi leges. Si verò lex ludi sit, vt non fiant signa extraordinaria tali ludo, est obligatio ad restituendum Sic Alcozer *cap.* 20.

12 Decimò fit, quòd quando alter minus soluit, quàm perdiderat, & quàm erat in sponsione ex negligentia lucrantis, tenetur restituere, est enim lex recepta in ludo, quòd in pecunia non debet esse fallacia. Sic Alcozer *dicto cap.* 20. & alij.

13 Vndecimò fit, quòd si iudex ludi iudicet contra veritatem etiam bona fide, vt in ludo pilæ non esse bonam, quæ est, id est, *sin falta, la que no lo es*, in cuius fauorem iudicatum est, tenetur lucrum illud restituere, cognita rei veritate; quia sententia fuit ex falsa præsumptione. Sic Alcozer *cap.* 20. & alij.

14 Duodecimò fit, quòd est fraus in ludo obligans ad restitutionem furari chartas, vt quando quis accipit aliquam chartam, vel aliquem calculum vltra eos, qui sibi sorte obueniunt, vel si occulter chartas superfluas. Sic Alcozer *c.* 19. Ledesm. 2.4. *q.* 15. *art.* 5. *fol.* 123 *p.* 4. Francisc. Garcia *p.* 2. *de contract. c.* 19. *fol.* 581. 582. & alij. Similiter est dicendum, quando aliquis reiicit chartas superfluas, vel occultat chartas superfluas. Alcozer *ibi.* & alij. Similiter quando aliquis numerat sibi plura puncta, vel alteri pauciora. Alcoz. *ibi.* Ledesm. 2.4. *q* 18. *art.* 8. *fol.* 273 *p.* 4. Lud. Lop. 2. *p. instruct. c.* 35. *fol.* 263. Nau. sūma Hisp. *c.* 28. *addit. ad n.* 11. *c.* 15. Latina noua *c.* 20. *n.* 17. Similiter est fraus, quando aliquis ita ordinat chartas, vt semper sibi sors felix contingat, vel in lucrum facilè eleuentur. Alcozer *ibi* & alij. Similiter est fraus, quando in ludo qui Hispanè vocatur *la primera* vnus ex ludentibus dixit se habere omnes chartas diuersi generis, Hispanè *primera*, cùm eas chartas non haberet, & alter collusor non curauit illas aspicere, sed statim credidit, & ita iniustè lucratus est, & tenetur lucrum restituere. Item Ledesm. 2.4 *quæst.* 18. *art.* 8. *fol.* 273. *pag.* 4. Philiar. *de offic. sacr. tom.* 2. *pag.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 9. Alcozer *cap.* 20. qui benè addit, quòd si ludus iam finitus erat, & alter collusor lucraturus erat, quia habebat plura puncta, tenetur non tantùm lucrum illud restituere, sed etiam quod in illa manu erat perditurus. Similiter est fraus, quando tres coadunantur ad ludendum contra eum, cui ludus infeliciter succedit, Hispan. *juegan al mohino*, Sic Franciscus Garcia *supra* Metina *lib.* 1. *summæ cap.* 14. §. 28. *fol.* 150. *pag.* 2. Similiter est fraus, cùm quis ludit taxillis aliquo pondere grauatis, sic Franciscus Garcia *ibi*; similiter est fraus cùm quis fingit se parum scire de ludo, & petit ab altero



altero aliqua sibi præberi puncta, cùm tamen satis ludere sciat, sic Ledesm. 2.4. *quæst.* 15. *art.* 5. *fol.* 123. *pag.* 4.

15 Decimotertiò fit, quòd lucrum, quod acquiritur ludo tabularum, & taxillorum, ratione eius quod Hispanè dicitur *de los burros* licitè lucrari, quia est secundū ludi leges, vtrique ludenti communes, sic Alcozer *c.* 20.

16 Decimoquartò fit quòd ille, qui in latrunculorum ludo, Hispanè *juego del Alquerez*, promisit se victurum, Hispanè *dar mate*, cum pedite latruneulo, Hispanè, *peon*, non adimplet promissionem vincendo cum pedite latrunculo facto latrunculorum domina, Hispane, *con peon, hecho dama*, siue id promiserit facere cum aliquo pedite latruneulo in genere, siue cum aliquo designato Ratio est, quia victoria acquisita non est cum pedite, sed cum domina, & ita non potest lucrari, sic Alcozer *lib. de ludo*, *cap.* 20. & Cynus, Immola, Decius, quos *ibi* refert Alcozer, & docti recentiores.

## DVBIVM XIII.

*An quando aliquis notabiliter excedit, alium in arte ludendi tenetur lucrum restituere.*

1 Hac in re aliqua sunt certa.

Primò certum est, quòd si ipse certò sciat hunc excessum, alter verò nesciat, tenetur restituere. Ratio, quia contractus non est æqualis. Sic omnes Doctores citandi.

2 Secundò est certum, quòd si vterque sit ignarus de industria, & arte alterius, licèt alter alterum notabiliter excedat, non tenetur lucrum restituere, dum non constat de notabili illo excessu: at si postquam cognoscit illum notabilem excessum, aliquid lucraretur, tenetur hoc lucrum pòst acquisitum restituere. Probatur prima pars, vterque ignarus de arte alterius exponit se periculo perdendi: & sicut lucranti occurrit imperitior, poterat occurrere peritior, & sic contractus fuit fortunæ, & ex vtraque parte æqualis. Item, quia conuenientes ad ludum hoc animo conueniunt, vt ea omnia, quæ lucrati fuerint, dum non constat de notabili excessu, retinere possint. Probatur secunda pars, quia iam contractus non est æqualis. Sic etiam omnes Doctores citandi.

3 Nota quòd Alcozer *vbi infrà*, benè limitat primam partem huius dicti, nisi quis adeo artis lusoriæ peritus sit, vt vix sit aliquis, quem non excedat, tunc enim tenetur restituere, quod ab altero lucratur, licèt alter de industria alterius sit ignarus. Ratio, quia mortaliter scit se excessurum alium.

4 Hinc fit, quòd qui se fingit ludi ignarum, manifestúmque suum excessum occultat, tenetur lucrum restituere. Sic Ludouic. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 21. *fol.* 385. Sylues. *verbo ludus, quæst.* 11. Aragon 2.2. *quæst.* 32. *art.* 7. *fol.* 765. Franciscus Garcia *p.* 2. *de contract. cap.* 19 *fol.* 586. Ledesm. 2.4. *quæst.* 15 *art.* 5. *fol.* 123. *pag.* 4. Nauarr. *vbi infra.* Azebedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 7. *l.* 2. *num.* 78. Philiar. *de offic. sacerd. tom.* 2. *p.* 2. *lib.* 5 *cap.* 2. *num.* 8.

5 Dubium tamen est, quando alter colludentium nouit excessum notabilem alterius, quia aliàs illum nouit, vel alter admonet ipsum, & contestatur, quòd excedit ipsum notabiliter, an adhuc lucrum, quod lucratur hic excedens, teneatur restituere.

Duplex est sententia.

6 Prima dicit teneri restituere, nisi lucrum adeò paruum sit, attenta alterius ludentis, qui perdit, qualitate, vt censeatur donare. Ratio, quia alter non cedit iuri suo, sed nimia ductus cupiditate ludit. Sic Alcozer *lib. de ludo*, *c.* 19. Ludou. Lopez *d. cap.* 21. *fol.* 384 Franciscus Garcia *d. cap.* 14. *à fol* 583.

7 Secunda sententia probabilior dicit non teneri restituere. Ratio, quia violenti, & consentienti non fit iniuria. Sic Metina *C. de rest. quæst* 22. *vnico fol. ante finem.* Perrus de Couarr. *de remedio lusorum*, 3 *par. cap.* 14. Manuel Rodriquez *in bulla compositionis* §. *vnico*, *num.* 38. Merina *lib.* 1. *summæ*, *cap.* 14. §. 28. *fol.* 151. Ludou. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 35. & alij. Ad idem est Nauarr. summa Hisp. & Lat. antiqua *cap.* 19. *num.* 15. Latina noua *cap.* 20. *num.* 17. vbi dicit tunc teneri restituere, quando alter ignorabat excessum. Et hæc est communis, & constabit magis ex dicendis *corol. sequenti.*

8 Hinc infertur, quòd in sponsionibus, id est, *las apuestas*, vt sint licitæ, debet vterque esse dubius de futuro euentu, aliàs si alter esset certus, teneretur lucrum restituere; quia contractus non est æqualis. Sic omnes Doctores citandi, & Philiar. *de offic. sacerd. tom.* 2. *p.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. *ad finem.*

9 Nota quòd tunc dicitur quis esse certus, quando scit per scientiam, vel experientiam certam, vel etiam per diuinam reuelationem. Dixi, experientiam certam, quia est experientia fallax, siquidem existimamus vidisse, & audiuisse, quod reuera nec vidimus, nec audiuimus, atque ita, vt quis sit dubius, & incertus in sponsionibus, opus est, quòd non sit certus aliquo ex dictis modis, & ita non excluditur, quòd habeat aliquam suspicionem, aut credulitatem, vel fidem humanam, quòd ita sit, quod spondet. Immò quamuis alicui videretur se esse certissimum, quod ita est super quod spondet, si tamen adhuc fallitur, & iuxta modum, quo illud scit, iudicio hominum prudentum exponitur periculo lucrandi, & perdendi, peccabit quidem spondendo propter conscientiam erroneam, at non tenebitur lucrum restituere, quia reuera contractus fuit æqualis, & expositus est periculo lucri, & iacturæ. Sic Franciscus Garcia *p.* 2. *de contract. cap.* 18. *à fol.* 544. *vsque ad* 548. & totum hoc etiam docet Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contractibus, cap.* 15. limitans benè primam partem, nisi opinio, vel fides humana, quam alter sponsionem habet, sit ita probabilissima, vt, moraliter loquendo, rarò posset ei subesse falsum. Et vtrùm liceat spondere multo plus apponendo contra minus, vide Philiarcum *eo cap.* 2.

10 Dubium tamen est, quid dicendum quando is, qui certus est, alterum contestatur se scire certò; & adhuc alter contendit, & vult spondere non adhibens illi fidem. Quidam dicunt etiam in hoc casu eum, qui certus est, teneri lucrum restituere, nisi tam parua sit quantitas, vt censeatur donare; quia non vult amittere, sed censetur deceptus spondere. Sic Alcozer *lib. de ludo*, *cap.* 47. Franciscus Garcia *dicto cap.* 18. *à fol.* 548. Ludouic. Lopez *dicto c.* 15. nisi alter irrationabiliter non adhibuit fidem.

11 Cæterùm probabilius est licitè facere sponsionem, nec teneri luerum restituere, quia tunc nulla est fraus, & alter sibi imputare debet suam temeritatem. Sic Metina *vbi supra*, Ludou. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 35 *fol.* 266. Nau. summa Hisp. *cap.* 19. *n.* 18 & alij.

12 Immò quando res, de qua est sponsio, talis est, vt alteri, cum quo spondeo, potest constare, quod certò scio, non oportet, quòd illi contester me certò scire, vt si sponsio sit circa meum proprium factum, quia tunc rationabiliter alteri debet constare me esse certum. Sic Alcozer *dicto cap.* 47. Franciscus Garcia *dicto capit.* 18. *fol.* 549.

13 Nota tamen, quòd si sponsio esset ad rem prandij paruæ quantitatis, licèt is, qui certus est, non contestaretur se certò scire, non teneretur restituere, quia cùm sit in parua quantitate, & ad res comestibiles, verisimile est partes consentire tacitè, vt alter possit retinere. Sic Alcozer *dicto cap.* 47.

14 Tandem infertur, quòd etiam in sponsionibus, quando duo spondent super rem consistentem in ingenio, vt ille recitat plures versus, & alter notabiliter excedit, dicendum est penitus idem, quod dixi in hoc dubio, quando alter ludentium excedit alterum in arte ludendi. Sic Alcozer *dicto cap.* 47.

DVBIVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XIV.

*An si quis videat alterum, cum quo ludit, non numerare omnia puncta, quæ habet, quæ si numeraret, lucraretur, & alter perdit, & ipsum non ad monet, teneatur lucrum restituere.*

DVelex est sententia.

1 Prima dicit teneri restituere, quia accipit ab ignorante numos, quos non perdidit, & non dat numos, quos reuera lucratus fuerat. Sic Nauar. summa Hisp. *c.28. addit. ad n.11.c.19.* Latina noua *c.20.n.17.* Ludou. Lopez *2.p.instruct.c.35.fol.263.* Philiar. *de offic.sacerd.tom. 2.p.2.lib.5.cap.2.num 9.*

2 Secunda sententia probabilior dicit non teneri restituere, quia licèt tenetur alterum non defraudare, non tamen tenetur alterum de sua negligentia, vel errore admonere; hæc enim est lex ludi. Et confirmatur; quia in aliquo ludo chartarum est in vsu quòd si aliquis est oblitus numerare, vel apponere calculos, si recordetur postquam distributæ sunt chartæ, non potest secundùm leges ludi numerare, vel apponere. Hanc tenet Alcozer *lib.de ludo, cap.20.* & alij.

3 Nota tamen quòd si is, qui videt duos ludere, & aduertit alterum malè numerare puncta, & ob id perdere, si non admoneat ipsum, non tenetur restituere, nisi hanc curam accepisset, quia non peccat contra iustitiam, sed contra charitatem, quando commodè posset admonere. Sic Nauarra, Ludou. Lopez *ibi.*

## DVBIVM XV.

*An teneatur restituere, qui dolosè subripit primam manum in ludo, id est,* el que juega con otro, y le toma la mano por su descuido.

1 Respondetur quòd tenetur restituere non totum lucrum, sed id, quod valebat ius illud præeundi in ludo, id est, in quantum ob hoc est factus alter melioris conditionis. Probatur, quòd tenetur restituere, quia tollit proximo ius suum, scilicet præire in ludo, id est, *lleuar la mano*, quod maximè cõfert ad lucrum. Probatur, quòd non tenetur integrum lucrum restituere, quia fortè, licèt alter præiret, perderet; ergo non tenetur integrè restituere: sicut qui comburit messes dum sunt in herba, non tenetur restituere granum, quod erant laturæ, sed quantum in herba valebant. Sic Nauarr summa Hispan. *cap.28.addit.ad num. 11.cap.19.* & Latina noua *cap. 20. num.17.* Ludou. Lopez *2.p.instruct.cap.35.fol. 265. & lib. 2. de contract.cap.22. fine.* Quod teneatur restituere, docet Philiar. *de offic. Sacerd.tom.2.p.2.lib.5.cap.2.num.9.*

2 Nota quòd si ludus esset talis, vt præire in ludo non esset valoris notabilis, non esset peccatum mortale subripere primam manum. Sic Nauarr. *ibi.*

## DVBIVM XVI.

*An si tribus oppositoribus concurrentibus ad cathedram, Petrus spopondit cum vnoquoque eorum trium seorsim, quòd non adepturus esset illam, vbi certum est, quòd lucrabitur à duobus, & perdet cum vno, teneatur restituere.*

1 NOn defuit quidam satis doctus Theologus qui dixit esse iniustum, quia in sponsionibus industria carentibus, non licet lucrum euidens: secus lege ludi, quando exponunt reliquum, Hispanè, *echan el resto*, certi de ludo, quia est lex ludi vtrique æqua: & ita dicit, quòd tenetur restituere duobus, & petere à tertio, quod perdidit.

2 Sed verius est nullam fieri iniuriam, & sic non teneri restituere. Ratio, quia cum omnibus his tribus est dubius de futuro euentu; & sicut potest à quolibet lucrari, ita potest cum quolibet perdere. Sic nonnulli docti recentiores.

## DVBIVM XVII.

*An qui volens non acceptare auctionem, id est, el embite, ab altero collusore propositam acceptauit admonitus à tertio inspectore ludi, teneatur auctionem illam, ac, si eam lucratus est, restituere.*

1 PRimò dico, quòd si ante hanc admonitionem iam obfirmauerat intra animum suum non acceptare auctionem, at quia admonitus est, illam acceptauit, si taliter fuit admonitus, vt constitutus sit in tuto, tenetur auctionem illam restituere, & tantum poterit sortem principalem lucrari; si verò adhuc post monitionem circa iacturam, & lucrum auctionis, potuit varium euentum habere ludus, quia talis inspector, qui admonuit, non satis aduertebat, vel callebat conditionem ludi vtriusque partis, vel ob rationem aliam, non tenetur auctionem illam restituere. Probatur prima pars, quia admonitio illa inspectoris vtriusque partis chartarum illum in tuto lucrandi eam auctionem posuit; sic ergo tenetur illam restituere. Probatur secunda pars, quia per talem monitionem non fuit constitutus in tuto, sed adhuc ludus mansit anceps. Sic Ludou. Lopez *lib.2. de contractibus cap.22. sub finem.*

2 Secundò dico, si adhuc erat dubius, & in æquilibrio, an auctionem illam acceptaret, & quia admonitus est ab inspectore, acceptauit, & per talem monitionem constitutus est in tuto, non tenetur totam auctionem restituere, quia licèt non esset admonitus, fortè acceptasset, & sic lucratus fuisset; tutius tamen est, vt partem aliquam restituat, quia admonitio illa illum aliàs vacillantem inflexit ad acceptandum: & ponendum se in tuto. Sic Ludou. Lopez *ibi.*

## DVBIVM XVIII.

*An si lusores, vna manu exponant suum restans, id est,* su resto, *quorum vnum est maius altero, quia alterum, v.g. constat ex decem aureis, alterum vero ex quatuordecim aureis, an si lucratur, qui minus restans habet, possit totum restans alterius lucrari.*

1 PRimò dico, quòd qui habet minùs restans, non potest lucrari integrum restans alterius, sed quantum erat suum restans, attenta æqualitate seruanda in ludo, aliàs contractus esset inæqualis. Sic Ioannes Baptista *de ludo, quæst.9.num.40.* Paris *de ludo num 27.* Alcozer *lib.de ludo, c.16.* Ludou Lopez *lib. 2. de contract. cap. 21. pag.384. vers. hinc corollarie.* Franciscus Garcia *part. 2. de contract. cap 19. pag.179.*

2 Secundò dico, quòd si velint celebrare contractum fortunæ, exponendo scilicet se fortunæ, exponant sua restantia siue maiora, siue minora, neutri constando, quale restans maius sit, tunc quilibet licitè lucratur integrum restans alterius, licèt maius sit, sicut licitè quis exponeret pecuniam suam contentam in marsupio incluso pro pecunia contenta in bursa alterius, committendo se fortunæ, quando neutri constaret, quæ esset maior summa. Ratio, quia vtrinque contractus est æqualis, & vterque periculo lucri iacturæ exponitur. Sic Ludouic. Lopez, & Franciscus Garcia *ibi.*

## DVBIVM XIX.

*An possit fieri compensatio, si is, qui lucratus est cum obligatione restituendi, perdat tantundem cum eo, cui restituere tenetur.*

1 SIt prima conclusio: quando persona, cum qua perdo, est diuersa ab ea à qua malè lucratus sum, non est compensatio. Hæc est manifesta, quia non restituitur res sua decepto, sed alteri. Sic Sylvest. *verbo ludus, quæst. 17.* Rosel. *verbo ludus, num.8.* Nauarr summa Hispan. & Latina antiqua *cap.19.num.16.* Latina noua *cap. 20. num. 19.* Alcozer *lib.de ludo, cap.41.* Gabr. *4. dist. 15. quæst. 13. art.3. dub.6.* Tab. *verbo ludus. n.10.* Ludou Lopez *2.p. instruct.cap.35.fol.164.*



2 Secunda conclusio: quando est cum eadem persona, & vterque ludus est eiusdem qualitatis, scilicet licitus, vel vterque illicitus, & ambo ludentes sunt pares, quia scilicet, vel ambo sunt sui iuris, vel neuter, potest fieri compensatio, siue ludus sit interruptus, siue non; quia in hoc seruatur æqualitas iustitiæ, cùm vterque ludens sibi inuicem restituere tenebatur: ergo potest fieri compensatio. Hæc est contra Rosel. *verbo ludus, num.8.* vbi dicit non esse compensationem, quando ludus est in alio tempore. Sed eam tenet Nauarr. Sylvest. Alcozer, Tabien. Gabr. *ibidem*, Supplementum *verbo ludus fine.*

3 An verò quando alter non est sui iuris, vt filius familias, & aliquis ab eo lucretur, qui est sui iuris, & pòst perdat cum eodem, sit compensatio, dixi *suprà dub.8.*

4 Tertia conclusio: si per alterum ludum transfertur dominium, per alterum verò non, non est compensatio, v.g. fraudibus lucratus sum à Petro decem, ipse totidem à me lucratur iustè, non potest fieri compensatio. Ratio, quia quod lucratus sum, non mihi debebat Petrus; ego verò debeo illi, quod lucratus est. At debiti ad indebitum nulla est compensatio, & æqualitas. Sic omnes Doctores citati.

5 Nota quòd Arm *verbo ludus, n.7.* limitat hanc conclusionem, nisi hoc fieret in eodem ludo, & in eodem tempore, scilicet antequam à ludo surgerent ludentes; quia lucrum dicitur, quod in fine ludi reportatur. Et hæc limitatio est probabilis, eamque innuunt Nauarr & Sylu. *sup.* & alij viri docti eam tenent. Probabilius tamen est, quòd tunc non est compensatio; quia verè quod fraudibus lucratus sum, tenebar restituere statim, quod verò alter etiam in illo numero ludo lucratur à me licitè, non tenetur restituere, sed verè est illi debitum: illa verò regula, lucrum dicitur, quod in fine ludi reportatur, est vera quo ad hoc, quòd filius familias, qui aliàs non potest ludere, quidquid lucratur, sine consensu expresso, vel tacito, possit, antequam surgat à ludo, perdere, quia non dicitur lucrari ita vt patri acquirat, nisi quod in fine ludi reportat, vt dixi *sup. dub. 8.* & sic hanc limitationem non ponunt reliqui Doctores, imò Alcozer eam reprobat.

6 Quarta conclusio: licèt alter ludus sit licitus, alter verò illicitus, eo tantùm, quia est prohibitus, est compensatio, v.g. Ego heri benè, & licitè perdidi ad ludum pilæ decem argenteos, qui ludus licitus est, illos non solui, sed mihi retinui, hodie ad ludendum cum eo redeo, & lucror ab illo aleis, id est, *alos dados*, qui ludus illicitus est, decem argenteos nulla interueniente fraude: his decem argenteis, quos aleis lucratus sum, compensare, & soluere possum alteros decem, quos ex ludo pilæ illi debebam. Ratio, quia verè acquisiui dominium lucri acquisiti ad aleas, donec condemner, ergo possum hoc lucro soluere quod debebam. Hoc est contra Sylvestrum *verbo ludus, q.17.* vbi tenet non posse compensari: nec mirum, quia ipse tener per ludos prohibitos non transferri dominium, & sic loquitur consequenter ad suam sententiam. Et cum Sylu. videtur tenere Nauar. summa Hisp. *cap.19.num.16.* vbi dicit non esse compensationem, quando alter ludus est licitus, alter verò illicitus: sed credo per illicitum intelligere eum, in quo interuenit aliqua circunstantia obligans ad restitutionem: & sic summa Latina noua *cap.20. num.19.* tenet expressè hanc conclusionem, & eandem tenent Alcozer, & Ludouic. Lopez *suprà.*

7 Nota tamen, quòd si postea, qui perdidit ad aleas, repetat coram iudice, & condemnet, vt illi soluam, tenetur soluere, seu reddere, quod lucratus sum ad aleas, & etiam, quod ad pilam perdideram: vnde non possum compensare. Ratio, quia iam hoc lucrum est obnoxium restitutioni: & sic licèt illo compensaueram prius debitum; fuit alia via debitum, quia scilicet iusto ludo perdideram.

## DVBIVM XX.

*An qui tenetur restituere ludo acquisita, quia scilicet fraudibus acquisiuit, vel à non potente, vel à tracto ad ludum, possit deducere quæ consumpsit inter assistentes, vt in donationibus. Hispanè* baratos, *quas post ludum fecit, & in soluendis domo, lucernis, saccharo conditis, chartis, &c. aut ad elargiendum parasito, &c.*

1 NOta, quòd hæc quantitas altero ex duobus modis deducitur: primus est deducendo eam ex communi pecunia, vt ex aliquibus manibus, in quibus erat exposita aliqua pecuniæ copia antequam videretur, seu cognosceretur lucrans. Et in hoc euentu non habet locum hoc dubium, quia illud nec est benè, nec malè lucratum, sed vterque ludens ex communi consensu, & de communi pecunia dat: & si alter non erat sui iuris ad alienandum, non onerat hoc alterum ludentem, siquidem nec illud accepit, neque dedit, sed ad recipientem spectabit videre, an possit recipere, nec ne. Altero modo deducitur prædicta summa, scilicet ex pecunia lucrantis pòst acquisitam, seu lucratam manum, atque in hoc casu procedit præsens dubium; hic enim ludens, qui lucratur, videtur largiri ex lucri factis, quæ iam ad ipsum pertinebant.

2 Sit ergo prima conclusio: Quidquid consumptum est in ludo, vel datum alicui de communi consensu ludentium, v.g. quod exhibetur ad communem vsum vtriusq; vt ad soluendũ ludi iudici, chartas, candelas, domum, aut alteri illic inseruienti, aut etiam ad soluendum saccharo condita, de quibus emendis, ac dandis à lucrante pactum inter se iniere, &c. deducendum est ex restitutione, ad quã tenetur lucrans, quia iniustè, aut fraudibus lucratus est, atque ita hoc minus debet restituere. Ratio, quia lucrum dicitur illud tantùm, quod lucranti supereſt, dẽpto eo, quod ex communi amborum consensu consumptum est. Item quia illud datum est vtroque consentiente. Sic Alcozer *lib.de ludo, c.58.* Perez *lib.8.ordin.tit.19. lib.37. fol. 186.* Ioann. Garcia *de expensis, & meliorat. cap.21.n.39.* & alij.

3 Nota quòd idem dicit Alcozer, quando, qui perdidit, non est sui iuris ad alienandum, modo consumpta sint in ea quantitate, de qua ille, qui non erat sui iuris, poterat disponere.

4 Secundò limitanda est hæc conclusio, nisi quis lucraretur ab eo, quem traxit ad ludum: tunc enim non posset deducere has expensas, imò nec in priori casu, quando deducta fuit ex cumulo pecuniarum, antequam lucraretur; cùm enim ille minus luserit, inuitus etiam consensit in illas expensas: & omnino liber, & indemnis constituendus est, quin aliquid amittat, nec aliquod damnum incurrat; is enim, qui iniustè est causa damni, tenetur damnum resarcire.

5 Tertiò limitanda est hæc conclusio, quando partim benè, & partim malè lucratus est; tunc enim non sunt prædictæ omnes expensæ deducendæ ex malè lucratis, sed pro rata eæ, quæ ad ipsum spectant.

6 Quartò limitanda est, quando non sunt deducendæ omnes expensæ ex ea parte, quæ ad malè, & mediis fallaciis alterius amittentem pertinebat, cui proinde totius lucrati erat restitutio facienda; quando quidem chartæ, lucernæ, domus, &c. non tantùm illi, verùm & alteri ludenti, malèque lucrantiinseruierunt: atque adeò hic etiam debet suam partem soluere, aliam verò partem, quæ ad alterum spectabat, à quo mediis fallaciis lucratus est, exceptur us est à restitutione lucri malè acquisiti, v.g. lucratus sum à Petro fallaciter centum aureos, consumpti sunt decem in soluendis chartis, lucernis, &c. non debet soluere omnes decem aureos, qui perdidit, quandoquidem hæ expensæ sunt factæ in vtriusque vtilitatem, & ex communi consensu, & nemo lucratus est, nam lucrum fraudibus acquisitum non est verè lucrum: atque ita dimidium expensarum quisque debet soluere; & ita tenebor illi restituere nonaginta quinque.

7 Secunda conclusio: id quod consumptum est non

Universidad de Deusto
Biblioteca



ex communi consensu ludentium expresso, vel virtuali, vt quod ego post ludum amico liberè donaui, id est, *de barato*, &c. ad videndum an deducendum sit ex lucro malè habito, quod teneor restituere, distinguendum est: aut enim bona fide lucratus sum, scilicet habens iustam credendi causam benè lucratum fuisse, tunc enim non teneor restituere id, quod bona fide sic consumpsi, nisi in quantum factus sum ditior ratione illius lucri, v. g. si non daret id, nisi lucratus esset, non tenetur restituere id, quod dedit, quia in eo non factus est ditior: si verò alia via erat daturus id ex suis opibus, licèt non lucraretur, tenetur illud etiam restituere, quia in eo est factus ditior: si verò mala fide consumpsit, quia scilicet non habebat iustam credendi causam, quod benè acquisiuit, sine restituendi obligatione, tenetur restituere perdenti, quidquid sic dedit, quia non ex communi consensu dedit, nec de re aliena possum donationem facere. Patet conclusio ex iis, quæ dici solent in materia *de restitutione*, de differentia inter consumentem rem alienam bona, vel mala fide. Sic tenet Alcozer *suprà*, de quo latè dixi *lib.2.summæ cap.23.*

## DVBIVM XXI.

*An aleatores, seu habentes mensas alearias, id est*, tablajeros *teneantur restituere, quando ludentes tenentur, nec restituunt, & peccent mortaliter.*

1 SIt prima conclusio: Hi aleatores, id est, *tablajeros*, peccât mortaliter, tum quia id multis iuribus est interdictum, vt *l.1.ff. de aleæ vsu, l.3. & 5. tit.7 lib 8. nouæ recopil. l.6. tit.14.p.7.* tum etiam, quia graue scandalum ibi datur, & inde innumera peccata, & blasphemiæ, rixæ, & furta oriuntur. Item quia adeò odiosi hi sunt, vt *l.1. ff. de aleæ vsu, & l.6. tit.14. part.7.* in huius delicti odium cautum sit, vt si aliquis hos aleatores percusserit tempore ludi (intellige citra interfectionem, vt explicat *dicta l.6. tit.14 p.7. & ibi* dicit Gregor. Lopez, idem esse dicendum, si mutilaret, quia mutilatio, & occisio æquiparantur. *§. ad hoc. auth. de collatio.9.*) vel ab eis aliquid fuerit furatus, non possint coram iudice aliquid exposcere. Hanc tenent Alcozer *lib. de ludo, cap.45.* & Perez *lib. 8. ordin. tit.10. l.4. vers. tablero*, dicit hos grauissimè peccare: & & plures alias pœnas contra hos adducit Sylvest. *verbo ludus, q.9.*

2 Nota primò quòd licèt non detur actio in foro externo ad tale furtum exigendum; at in conscientia tenetur, qui furatus est restituere: quia leges citatæ tantùm negant repetitionem. Sic tenent Alcozer *ibi.* Sylvest. *verbo ludus, quæst.9. & ibi* Angel. *n.9.* Castro *lib.2. de lege pœnali, cap.10. §. sed vt fortius.*

3 Non tamen conueniunt hi Doctores, cui sit furtum illud restituendum, nam Sylu. & Ang. dicunt pauperibus, quia lex in pœnam priuat dominio ipsos aleatores. Sed multo meliùs Castro *suprà*, dicit restituendum ipsismet aleatoribus, quia eos non priuat lex dominio, sed tantùm actione ad petendum in iudicio.

4 Secundò nota, qui dicantur aleatores: dicuntur enim qui habent paratam domum, & mensam, vt homines ad ludum inuitentur, vbique ludant. Sic Perez *lib.8. ordin.tit.10.l.4.vers. Tablero, fol.234.* Ad idem est Alcozer *dict.cap.45.* vbi explicat esse eos, qui in suis domibus sustinent ludum, & præbent necessaria ad illum. Ad idem sunt Azo *C.de relig. & sumptibus funer. in summa, n.24.* & Greg. Lopez *l.6.tit.14.p.7. vers. porque jugassen.* vbi dicunt, quòd aleatores sunt apud quos ludus aleæ consueuit exerceri causa sui emolumenti, secus si incidenter apud eos ludatur: sicut *l.1 §. caupones. ff. naute, caupones, stab.* dicuntur caupones, qui cauponam exercent.

5 Secunda conclusio: quando hi admittunt eos, qui non sunt sui iuris ad perdendum, vt filiosfamilias, &c. vel eos, qui fraudes faciunt, vel eos, qui ludunt cum his, quos ad ludum traxerunt, tenentur restituere quidquid hi tenebantur restituere, nisi hi restituant: immo idem est dicendum de iis, qui dederunt instrumenta, vel domum, vel lumen. Ratio, quia omnes hi sunt causa iniustæ acceptionis, vt si quis daret ensem ei, qui vult illum ad percutiendum hominem. Sic Alcozer *ibi*, Lud. Lopez *2.p. instr. cap.32.* Angles *floribus 2.p.q.de ludo, fol.292.*

## DVBIVM XXII.

*Quid dicendum sit de iis, qui alteri numos præbent, vt vice amborum ludat.*

1 DIco primò, quòd in omnibus casibus, in quibus ille, qui vice amborum ludit, licitè acquirit, & non tenetur restituere, idem est de eo, cuius vice ludit, & in omnibus casibus, in quibus ille tenetur restituere, tenetur etiam hic. Ratio, quia perinde se habet ad iustam, vel iniustam acquisitionem, ac si ipsemet luderet, cùm alter vice amborum ludat. Sic Sylu. *verb. ludus, q.15.* Gabr. *4. dist.15.q.13.art.13.dub.6.* Alcozer *lib. de ludo, cap.43.*

2 Secundò dico, si ille qui ludit, vel is cuius vice ludit, non sit sui iuris, ad alienandum, tunc pars illius, qui est, sui iuris, quam ludit cum altero sui iuris, non manet obnoxia restitutioni, siue perdat, siue lucretur, quia ludit is, qui potest perdere, & lucrari cum æquali sibi: de parte verò illius, qui non est sui iuris, siue quam perdit, siue quam lucratur, sentiendum est iuxta dicta *suprà dub.7.* quando qui non est sui iuris, perdit, vel lucratur in ludo. Sic Alcozer *ibi.*

3 Tertia conclusio: quando quis ludit pro altero quantitatem, quam non poterat ludere, quia non erat sui iuris, v.g. quia erat filius familias, tenetur ad restitutionem, ad quam tenetur, qui lucratus est partem filijfamilias, vel ad lucrum, quod comparauit filiusfamilias in casu, in quo filiusfamilias tenetur restituere illud lucrum, quando scilicet is, qui tenetur restituere, non restituit. Ratio, quia est causa, & cooperator illius damni. Sic Alcozer *cap.45.*

4 Rogabis, quid dicendum sit in eo casu, quo quis ab altero furatur, & nullam aliam pecuniam habens prætet furto ablatam, hac eadem ludit cum illo, an teneatur restituere lucrum. Respondeo, cum distinctione, si enim hic, qui furatus est, habeat alias pecunias, cum quibus posset restituere furtum, non tenetur restituere lucrum, quandoquidem nullam intulit iniuriam alteri, nam quod ille amitteret, restituturus erat, insuper, & quod furatus est: si verò erat adeò pauper, de quo non speraretur, vt posset alteri soluere, tenebitur lucrum restituere; est enim certum eum facere contra voluntatem alterius, qui existimabat illum habere pecunias ad ludendum, & cùm non habeat hic alter exponitur periculo amittendi, & non lucrandi.

## DVBIVM XXIII.

*An quando quis ludit pro se, & pro altero, si sic pacisca tur cum illo vice cuius ludit, scilicet, vt si perdiderit soluat dimidium perditi; si vero lucratus fuerit, portet tantùm tertiam lucri partem, sit hoc pactum iustum.*

1 VIdetur enim pactum iniustum, cùm non seruetur æqualitas, is enim vice cuius luditur, exponitur periculo perdendi dimidiam partem, & tantùm lucrandi tertiam.

2 Sit prima conclusio: si ludus sit prohibitus, & sic pœnæ subiectus, nec feciffet pactum, vt alter vice cuius ludit, soluat dimidium pœnæ, iustus est contractus, quia exponit se ludens periculo dandi pœnas legis, quas solus, qui ludit, perfert, & alter vice cuius ludit, non tenetur ad aliquam partem pœnæ soluendam, nisi de hoc fecisset pactum. Si tamen qui pecunias amisit, reperat coram iudice, & iudex iubeat restitui, tenetur qui partem lucri portauit restituere, quia hæc non est propriè pœna, sed restitutio lucri ludo acquisiti, quòd alter habet ius repetendi. Sic Alcozer *lib. de ludo. cap.34.*

3 Secunda



3 Secunda conclusio: si alter vice cuius luditur, obligaret se ad persoluendum dimidium pœnæ, vel esset talis ludus, vel in talibus regnis vbi non esset iniuncta pœna tali ludo, sed tantùm concederetur alteri ius repetendi, pactum tale esset iniustum; quia non seruatur æqualitas iacturæ, & lucri: vnde sic restituendum est, quòd sicut ille, vice cuius luditur, perditurus erat dimidium, ita recipiat dimidium lucri. Sic Alcozer *suprà.*

## DVBIVM XXIV.

*An stando in iure naturali seclusis legibus, & canonibus humanis, sit illicitum, & peccatum mortale ludere, quando non interueniunt fraudes, vel vi trahitur aliquis ad ludum, vel luditur cum eo, qui non est sui iuris.*

1 NOta, quòd triplex est ludus, quidam scilicet religiosus, & pius spectans ad cultum diuinum, procedens ex quodam deuotionis erga Deum affectu; qualis fuit ludus Dauid saltantis coram arca; & hic manifestè est pius: alius, qui admixtas habet res inhonestas, & turpes, vt ludus gladiatorum, & torneamentorum, de quo *infrà* in speciali dubio de hoc: alius est ordinatus ad animum leuandum, qui potest esse vel in verbis, vt in facetiis, vel in factis, vt ludus pilæ, &c. & de hoc quæritur modò.

2 Sit prima conclusio: ludus in verbis, vel factis vestitus debitis circunstantiis est actus virtutis eutrapeliæ, id est, *iucunditatis & affabilitatis.* Ratio, quia cùm homo limitatæ virtutis sit tam quoad corpus, quàm quoad animum, indiget otio, & leuamine aliquo. Hæc est D. Augustin. *2.lib.musicæ*, Aristot. *2. Ethic.* Ciceronis *lib. de officiis*, D. Thomæ *2.2.q.168.art.2.* & omnium.

3 Nota quòd huiusmodi circunstantiæ sunt, prima, ne aliquid misceatur in ludo, quod scandalum generet: secunda, ne omnino soluatur animi grauitas in ludo, vt admonent D. Ambrosius *1.lib. de officiis*, & Cicero *1. de officiis*: tertia, vt seruentur circunstantiæ temporis, loci, & personæ. Sic D. Thom *suprà.*

4 Secunda conclusio: Potest in ludo, sicut in qualibet alia virtute peccari per excessum, & per defectum: qui per excessum peccant, dicuntur Hispanè *Tahures*; qui verò per defectum, dicuntur agrestes, & inamœni: vt benè Philosophus *2. & 4. Ethic.c.7.* D. Thom. *suprà art.3. & 4.* & omnes. Subdit tamen D. Thom. defectu ludi rarò peccari, excessu verò sæpè. Et ratio est Philosophi *9. Ethic.c.13.* quia parum delectationis sat est ad vitam quasi pro condimento, sicut parum salis sat est ad cibum; teste enim Tullio *1. de offic.* ludi sunt necessarij ad vitam, sicut sal ad cibos.

5 Tertia conclusio: Excessus in ludo: vt plurimum est peccatum veniale: at potest esse mortale ex circunstantia adiuncta. Sic D. Thom. *ibi*, Nauar. summa Hisp. & Lat. antiqua *c.19 n.2.* Lat. noua *c.20.n.2.* Alcoz. *lib. de ludo, c.6.* Ledesm. *2.4.q.18.art.8.fol.274.*

6 Sed an sit circunstantia reddens ludum mortalem, quòd perdatur magna quantitas in ludo. Adrian. *4.q. de ludo*, ait esse mortale, quia est contra ius naturale perdere talem quantitatem prodigè consumendo, immo quidam dicunt, quòd si quis lucretur ab alio plusquam quingenta solida, tenetur ipsi restituere illum excessum; quia donatio excedens hanc summam, nisi cum insinuatione fiat, est inualida, *l. penultima, C. de donat.* Hi sunt Ang. *verbo ludus, n.7.* Speculum conscientiæ *lib.1.c.76.* Immo Metina *q.22. de restit. §. vt igitur in summa dicam*, dicit, quòd qui ab alio lucratur tantam quantitatem, vt perdentis patrimonium maneat notabiliter diminutum, & ipse notabiliter depauperatus tenetur restituere.

7 Sit tamen quarta conclusio. Quantumuis magnam quantitatem quis perdat in ludo, dummodo nulli præiudicet, non peccat mortaliter stando in iure naturali (nam quid sit dicendum iure humano, dicam *dubio sequenti.*) Probatur, quia prodigalitas non est peccatum mortale, nisi sit in damnum tertij, vt filiorum, &c. vt benè Caiet. & Armill. *verbo prodigalitas.* Nauarr. *c.23.* Hisp. *n.71.* Latina noua *n.74.* Sic Alcozer *lib. de ludo, c.6. & c.40.* Soto *lib.4. de iustit. q.5. art.2. vers. Quod autem rem.* Palacios *in summa, verbo ludus.* Ludou. Lopez *2.p. instruct. c.31. pag.231. 232.* Nauarr. summæ Hisp. & Latina antiqua *cap.19. n.3.* & Latina noua *cap.20.n.3.*

8 Nota tamen quòd tunc erit peccatum mortale ludere multum, & magnam quantitatem, quando hoc fit cum detrimento notabili filiorum, & vxoris, subtrahendo eis alimenta debita, vel ob hoc fit impotens ad soluendum debita. Sic Ludou. Lopez, Palacios, Soto *ibi*, Alcozer *dicto c.6.* Nauar. *dicto n.3.* Metina *lib.1. summæ cap.14. §.28. fol.150. pag.2. & cap.13 fol.69.* Ad idem sunt Caiet. & Arm. *verbo prodigalitas*, & Nauar. *dicto c.23. vbi suprà*, vbi dicût prodigalitatem esse peccatum mortale, quando cedit in damnum alendæ familiæ. Similiter erit mortale, quando quis est causa propter lusum, vt exponantur filiæ, vel vxor periculo amittendi pudorem, vel in vsu habet admiscere fraudes in ludo, vel peierare, vel blasphemare, dum malè cedit alea, vel odio prosequi, & iniuriis afficere lucrantem: vnde huiusmodi non sunt absoluendi, donec desistant. Sic Ludou. Lopez *ibi*, Metina *d.c.13. fol.69.*

9 Quinta conclusio: Non tenetur quis restituere perdenti eo quòd lucratur ab illo magnam quantitatem, nisi alia circunstantia concurrat reddens ludum iniustum. Ratio, quia cùm ludentes sint veri domini illius quantitatis, possunt illam ludo exponere, & transferre dominium. Sic Alcozer *lib. de ludo, c.40.* Adrian *4 q. de ludo.*

10 An verò ludus reddatur illicitus, quia fit in festis, vel in Aduentu, vel in Quadragesima, dicemus agentes de præceptis Ecclesiæ.

11 Sexta conclusio: non redditur ludus mortalis ex eo, quòd quis principaliter ludat auiditate lucri. Hæc contra Gabr. *4 dist.15.q.13. coneluf.3.* & Abul. *c.6. Matth. q.53. & 55.* dicentes esse mortale eo fine ludere: addítque Abul. illa *q.55.* licèt parua quantitas ludatur; quia est contra proximi charitatem velle ab ipso lucrari. Cæterùm conclusio nostra ac certa tenenda est, quia auaritia, quæ non opponitur iustitiæ, sed liberalitati, non est peccatum mortale, nisi aliam prauam mortalem circunstantiam habeat, vt docet D. Thom. *2.2.q.118.art.2. & 4.* Sic tenent Ang. *verbo ludus, n.2.* Sylvest. *q.6.* Caiet. *2.2.q.168.art.3.* Metina *q.22. de rest.* Soto *suprà.* Alcozer *dicto c.6.* Nau. summa Hisp. & Lat. antiqua *c.19.n.3.* Lat. *c.20.n.3.* Ledesm. *2. 4.q.18.art.8.fol.274.* Ludouic. Lopez *2.p. instruct. c.31.*

12 Nota tamen quòd erit peccatum veniale auaritiæ sic ludere, vt bene Ang. Soto, & Caiet. Nauart. *ibi.* Aduertunt tamen Ledesm. & Caiet. non dici ludere ex auaritia, nec peccare, qui non luderet, nisi crederet se lucraturum, naturaliter enim omnis ludens appetit lucrari, sed is, cuius principale motiuum ad ludendum est lucrari, dicitur ex auaritia ludere.

13 Hinc fit à fortiori non esse mortale ludere propter recreationem, quæ sentitur in ludo, contra Hugonem, & Matthæum, quos refert Alcozer *dicto c.6.* quia hic finis non est mortalis. Sic Metina *q.21. de restit.* Alcozer *dicto c.6* qui benè addit quòd si talem delectationem ordinet ad leuandos corporis, vel spiritus labores, nullo modo peccat: si verò in ea delectatione sistatur non ordinando expressè, nec virtute ad hoc, est veniale.

14 An verò licitum sit ludere preces sacras, id est, *Aue maria*, Ludou. Lopez *2.p. instruct. c.32. fine*, dicit esse in hoc effigiem irreuerentiæ, immò esse simoniam, quando ciuiliter vellent se obligare: at subdit non intendere se obligare.

15 Sed meliùs Nauarr. summa Lat. antiqua *cap.19. num.7.* Lat noua *c.20.n.7.* hunc ludendi modum approbat: nec est aliqua irreuerentia, immo potiùs fit ob harum rerum spiritualium æstimationem: & sic est in vsu inter Religiosos, & personas deuotas. Nec esset simonia, etiamsi se obligare intenderent, quia non est commutatio

Universidad de Deusto
Biblioteca



spiritualis pro temporali, vt ludere sacras preces, id est, *Ave Marias*, contra aliquam temporalem rem, quòd esset aperta simonia, sed est ludus rei spiritualis pro spirituali: quod non est simonia, nisi in beneficiis, vt constat ex materia *de simonia*.

16 An verò ludus reddatur mortalis ex circunstantia loci sacri, in quo luditur, Angel. *verbo ludus*, §. 2. dicit esse mortale ludere in Ecclesia, nisi sit quid modicum, quia prohibetur *c. cum decorum, de vita & honest. cleric. & c. decet, de immunit. Eccles. in 6.* Sed decipitur, vt benè notat Sylu. *vbi infrà*; quia cap. *cum decorem*, loquitur de ludis theatralibus, qui erant cum quodam ludibrio, & turpitudine; & *cap. decet*, non est præceptiuum, cùm etiam vetet in Ecclesia confabulationes, cùm tamen clarum sit has non esse peccatum mortale.

17 Sit ergo septima conclusio: ludere in Ecclesia ludis, qui specialiter non sunt in ea prohibiti, ex aliqua causa rationabili, non est peccatum, vt ad recreandum infirmũ ibi existentem, aut quia sunt ibi aliqui qui ad Ecclesiam confugerunt, & ludunt ob honestam recreationem, &c. Sic Caiet. 2.2.q.168. *art.* 3. Alcozer *lib. de ludo, c.* 12. *fine.* Nauarr. summa Hisp. & Lat. antiqua *c.* 19. *n.* 4. Latina noua *c.* 20. *n.* 3. Qui addunt, & bene, esse veniale, quando sine causa id fit, modò absit scandalum, & ludatur sine actibus indecentiam loco facientibus; & concordant Sylu. *verbo ludus, q.* 2. *dicto* 3. & Ludouic. Lopez 2. *p. instruct. c.* 31. vbi dicunt hoc non esse mortale: & ponit exemplum Alcozer, sicut si duo possint alibi ludere, & eant in Ecclesiam lusuri animo recreandi se, non autem faciendi irreuerentiam Ecclesiæ.

18 Octaua conclusio: exercere in Ecclesia ludos specialiter in ipsa prohibitos, vt sunt tragœdiæ, in quibus inhonesta repræsentantur, est mortale, quia id prohibetur *dicto cap. cum decorem*. Sic Caiet. Nauarr. Alcozer, Sylues. Ludouic. Lopez *vbi in conclusione præcedenti*.

19 Hinc fit, quòd quando repræsentantes amasium, & amasiam in Ecclesia, se amplexantur intermiscentes lasciua & turpia, peccant mortaliter. Patet ex dictis. Sic Ludou. Lopez *ibi*.

20 Nona conclusio. Si aliqua vana, & solatiosa, non tamen multum turpia, aut lasciua repræsentantur in Ecclesia, non in opprobrium Ecclesiæ, non est mortale. Ratio, quia tunc non irrogatur magna irreuerentia Deo, & Ecclesiæ. Ludou. Lopez *ibi*.

21 Decima conclusio: ludere in Ecclesia cum magno scandalo, vel magna irreuerentia, est etiam mortale, Caiet. & Nauarr. *vbi est septima concluſ.*

22 Sed quid de mulieribus choraizantibus in Ecclesia, & cum viris ibi saltantibus. Dic cum Ludou. Lopez *dicto c.* 31. quòd si fiat inter personas alioquin honestas, & absit scandalum, & mala intentio, verbaque lasciua, & turpia incitantia ad malum non est mortale, quia non est magna irreuerentia,

23 Vndecima conclusio: deuota in Ecclesia repræsentare, vt præsepe Domini, &c. est licitum; quia non derogat dignitati Ecclesiæ. Sic glossa *dicto cap. cum decorem*, Sylu. *verb ludus, q.* 2. *dicto* 3. Ang. *ibi n.* 2. Tabien. *ibi q.* 4.

24 Tandem nota, quòd non redditur ludus mortalis stando in iure naturali ex circunstantia personæ: possunt enim Clerici, & Religiosi stando in iure naturali ob honestam ludere recreationem; Nauar. summa Latina noua *c.* 20. *n.* 3.

## DVBIVM XXV.

*An attento iure communi ciuili, vel Ecclesiastico, peccent mortaliter laici ludentes.*

1 NOta quòd triplex est ludus: quidam est consistens in industria ipsius hominis, & scientia, & nihil, aut parum consistit in fortuna, vt est ludus pilæ, ludus paxillorum, id est, *de los bolos*, ludus calculorum, id est, *del axedrez*, ludus exercendi balistam, &c. alius est, qui consistit in fortuna, aut casu, & parum, aut nihil in industria, vt ludus taxillorum, id est, *de dados*, & aliqui ludi chartarum, vt *de las quinolas*, &c. alius est qui partim in scientia, & industria consistit, partim verò in fortuna, vt est ludus tabularum, & aliqui ludi chartarum, vt *del trunfo*, &c.

2 Secundò nota, quòd iure communi est prohibitus laicis omnis ludus, qui consistit in fortuna, vel mixtus, scilicet qui consistit in fortuna & industria, vt patet ex *cap. Episcopus 35. dist.* vbi habetur quòd laicus ludo aleæ deseruiens communione priuetur, id est, excommunicetur, *deseruiens* explicat in glossa, id est, valde seruiens, vt illa præpositio *de*, augmentet. *l. 1. in tio. ff. depositi.* & etiam prohibetur *l. 2. ff. de aleæ vsu, & auth. alearum vsu, C. de religiosis, & sumptibus funer.* Sic Bañez 2.2. *quæst.* 32. *art.* 7. & omnes Doctores citandi.

3 Tertiò nota quòd res comestibiles possunt ludi his ludis prohibitis iure communi, vt patet ex *l. finali. ff. de aleæ vsu.* Quod intelligitur, modò sit quid moderatum, attenta qualitate personæ ludentis. Sic Sylues. *verbo ludus, quæst.* 4. Ang. *ibi num.* 5. Alcozer *lib de ludo. cap.* 10.

4 Quartò nota, quòd iure communi est permissus ludus consistens in industria, & scientia, vt patet *d. auth. alearum vsus, & l. finali. ff. de aleæ vsu.* In dicto tamen auth. *alearum vsus*, imponitur modus huic ludo quoad quantitatem pecuniæ, quæ potest in illo deperdi, tantùm enim permittit vnum solidum, Hispanè sexcentos, quinquaginta, & quinque maruetinos, & aliquid amplius, vt dicit Alcozer *dicto cap.* 10. ex Budæo, Otalora, & Couarr. quos *ibi* refert, & nulla alia apponitur pœna, nisi quòd reddatur lucrum. Vnde decipitur Speculum conscientiæ *lib.* 1. *cap.* 75. vbi dicit vnum solidum esse decem & octo maruetinos. Et licèt Aug. *verbo ludus, n.* 2. Gabr. 4. *dist.* 15. *q* 13. *notab.* 3 limitet hanc permissionem, quando ludentes sunt diuites; at verius est idem permittere pauperibus. Alcozer *dicto c.* 10. Sylues. *verbo ludus, n.* 7.

5 Sit ergo prima conclusio, laici ludantes contra præscriptum harum legum iuris communis, non peccant mortaliter, quia recepræ non sunt, sed per contrariam consuetudinem derogatæ. Sic Metina *lib.* 1. *summæ, c.* 14. §. 28. *fol.* 151. Soto *lib.* 4. *de iust. q* 5. *art.* 2. *post tertiam concl.* Nauar. summa Hisp. *c.* 19. *n.* 6. & 7. Latina noua *c.* 20. *n.* 6. 7. 9 & 10. Alcozer *lib. de ludo, cap.* 10 Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, c.* 2. *coroll.* 3. vbi subdit raros etiam esse, quos possent illæ leges obligare: nam Hispani, Galli, & Angli non subduntur legibus Imperatoris. Hanc tenent docti recentiores.

6 Nota quòd Alcozer sentit, quòd esset mortale vbi leges hæ Imperatoris essent receptæ, nisi esset parua quantitas, quæ luditur; quia prohibent ludos ob maxima inconuenientia inde sequuta. Idem Castro *lib.* 1. *de lege pœnali c.* 12. Sed meliùs Soto, & nonnulli recentiores docti censent, quòd non esset peccatum mortale, quia ludus hic non est materia adeò grauis, cùm non sit contra charitatem, nec contra iustitiam: & si aliqua inconuenientia accidant ludo, id non ex natura ludi, sed ex circunstantiis extrinsecus contrariis naturali iuri contingit: at leges ciuiles tantùm prohibent substantiam ludi. Et quòd non obligent ad mortale, censet etiam, licèt diuerso innitens fundamento, Nauarr. summa Hisp. *c.* 19. *n.* 7. & 12. Latina noua *c.* 20. *n.* 10.

7 Secunda conclusio; laici dediti ludo alearum contra *c. Episcopus, dist.* 35. *ciuitatum, notabili* 2. non peccant mortaliter. Ratio, quia illud caput non est receptum, in quantum prohibet hoc laicis. Sic Nauarr. summa Hisp. *c.* 19. *n.* 6. Caietan. 2.2. *q.* 168. *art.* 3. *dub.* 3. *fine.* Alcozer *lib. de ludo dicto c.* 10. & alij. Subdit Alcozer bene, quòd si illud caput esset in vsu contra laicos, peccarent mortaliter laici nimis dediti illi ludo, si admoniti non corrigerentur, quia iuxta illud caput possent excommunicari.

DVBIVM



## DVBIVM XXVI.

*An laici ludentes contra leges regni Hispaniæ prohibentes ludum, peccent mortaliter.*

1 PRimò nota: quòd, vt dixi *dubio præced.* tantùm est permissus ludus consistens in sola industria, prohibitus verò consistens in sola fortuna, vel mixtus, scilicet in fortuna, & industria consistens: & sic *lib.* 8. *nouæ recopil. tit.* 7. *l.* 2. prohibetur ludus alearum, id est *de dados*, chartarúmve, id est, *de naipes*. & sic etiam tenet Bañes citatus *dub. præced. notab.* 1.

2 Secundò nota: quòd *eodem titulo* 7. *l.* 5. facultas conceditur ad chartis ludendum res statim comedendas, aut pecunias, quibus aliquid statim comedendum ematur; & *in l.* 10. hoc limitatur vsque ad duorum argenteorũ quantitatem: & *in l.* 11. dicitur hos duos argenteos ludi posse, licèt ad res comestibiles non sint. Et in omnibus his legibus excipitur extra alearum ludum. Vnde colligitur, quòd in Hispania aleis ludere non licet, quamuis sit à saccharo condita, & licèt sint duo argentei. Cæterùm reliquis aliis ludis duos argenteos ludere licet, vt bene colligit Alcozer *lib. de ludo c.* 12. Per pragmaticam tamen nouam anni 1575. nec hoc, nec aliquid officiales cuiuscunque officij possunt ludere.

3 Nota tamen, quòd permissis ludis, vt ludo pilæ, & aliis, qui in industria consistunt, non potest quis ludere, cuiuscunque ipse qualitatis sit, vltra triginta aureos vna die. Sic habetur *eodem tit. l.* 9.

4 Quarto nota etiam prohiberi supellectilia pretiosa, vt aurea catena, gemma, & alia eiusmodi ludo exponere, vel ludere aliquid supra pignus: sic enim disponitur *eadem l.* 9. & *in l.* 12. prohibetur ne sortes mittantur super rem emptam ex pecunia ludo exposita, Hispanè *rifar*. Item *dict. l.* 9. prohibetur ne vnus ex colludoribus spondeat cum alio ex colludoribus, vel circunstantibus, Hispanè *atra vesar*. Hæc autem lex prædicta prohibet ipsis solùm colludoribus inter se, vel alicui ex illis cum alio, vel aliis non ludentibus, non verò prohibet, ne circunstantes, qui non ludunt, possint spondere in quacunque quantitate, etiam pecunia credita. Sic Alcozer *lib. 6. de ludo, c.* 46. *concluſ.* 8. & *c.* 46. *concluſ.* 6.

5 Tandem prohibetur quicunque ludus etiam ex permissis, etiam in quauis quantitate, pecunia credita, id est, *alfiado*. Sic habetur *eadem l.* His suppositis.

Duplex est sententia.

6 Prima dicit has leges obligare ad mortale, & sic peccare mortaliter, qui in regno hoc Hispaniæ ludit taxillis, id est, *a dados*, nisi sit parua quantitas animi recreandi gratia; & qui ludit pecunia credita, & qui ludit eadem die vltra trigintos numos aureos, & qui ludit gemmas, & alia huiusmodi, & qui in ludo spondet, Hispanè *atra viesa*; quia hæc omnia prohibentur legibus citatis, & materia est grauis: cedunt enim in maximum reipublicæ damnum. Hanc tenet Alcozer *lib. de ludo, c.* 12. & de taxillis, id est, *de dados*, quòd peccet mortaliter illis ludens contra leges Hispaniæ; tenet Castro *l.* 1. *de lege pœnali, c.* 12. §. *secunda pars*.

7 Secunda sententia omnino tenenda docet, has leges non obligare ad mortale: tum quia non omnino, nec eo rigore vsu receptæ sunt: tum etiam quia materia non est adeò grauis, vt dixi *dub. præced.* Sic Metina *lib.* 1. *summæ c.* 14 §. 28. *fol.* 151. Nauar. summa Hisp. *c.* 19. *n.* 6. 7. 12. Lat. noua *cap.* 20. *n.* 10. Soto *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. & quidam neoterici docti.

6 Nota quòd milites dum militant in locis in quibus leges Hispaniæ vigent, peccant mortaliter ludendo taxillis, id est, *a dados*, aut tabulis; id est, *à las tablas*, & etiam, qui cum illis ludunt. Ratio, quia per talem ludum non transfertur dominium, vt dixi *supra dub.* 1. & sic est contra iustitiam ludere animo lucrandi tali ludo. Sic Alcozer *dicto c.* 12. & alij.

*Th. Sanchez Consil. moral. Tom. I.*

## DVBIVM XXVII.

*An scholastici Salmantini peccent mortaliter ludendo contra præceptum Magistri scholarum, & sint excommunicati, teneanturque lucrum restituere.*

1 NOta primò, quòd condere leges non spectat ad Rectorem Vniuersitatis Salmantinæ, nec ad Magistrum scholarum, sed ad Vniuersitatem: sed Magister scholarum tantùm habet facere, vt leges Vniuersitatis, & aliæ obseruentur à scholasticis, nouásque addere pœnas contra transgressores. Vnde nequit nouam edere legem de ludo, nec impedire quin per ludum transferatur dominium; at habebit perdens repetitionem. Sic Soto *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. *vers. an verò scholasticus.* Alcozer *lib. de ludo, c.* 37. & alij.

2 Secundò nota, quòd Magister scholarum Salmantinus quotannis fert excommunicationem latæ sententiæ contra scholasticos ludentes vltra duos argenteos, & reseruat sibi absolutionem. Sic Alcozer *ibi*.

3 Prima conclusio: scholastici ludentes vltra hanc summam, peccant mortaliter, & sunt excommunicati; quia excommunicatio ferri nequit, nisi pro culpa mortali. Sic Alcozer, & Sotus *ibi*, & nonnulli docti recentiores.

4 Secunda conclusio: non tamen tenentur ob hoc restituere lucrum, si lucrentur à potenti ludere. Patet ex dictis *in primo notabili in fine*. Sic iidem.

## DVBIVM XXVIII.

*An clerici, Antistites, & Religiosi peccent mortaliter ludendo.*

1 SVpponendum est, qui ludi prohibeantur Ecclesiasticis, non enim prohibetur eis omnis ludus, sed ludus potissimum in fortuna consistens, vt patet ex *cap. Episcopis, dist.* 35. & *cap. clerici, el* 2. *de vita. & honest. cler.* quos canones & omnes prohibentes clericis ludum cum pœnis in eis contentis, licèt iam in desuetudinem abiissent, renouat Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de reformat.* & licèt capita illa tantùm loquantur de aleis & taxillis; at vsus iam recepit, vt intelligantur de omni ludo, potissimum in fortuna consistente, vt est ludus chartarum, &c. Sic Nauarr. summa Hisp. *c.* 19. *n.* 8. & 12. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 23. §. 2. Sylues. *verbo ludus, quæst.* 2. Palacios in summa *verbo ludus*.

2 Hinc fit licere clericis ludum consistentem in sola industria, vt est ludus calculorum; id est, *de la xedrez*, &c. quia nullibi prohibetur. Sic Sylu. D. Anton. *ibi*. Greg. Lopez *l* 57. *tit.* 5. *part.* 1. Iulius Clarus *lib.* 5. *recept.* §. *ludus, vers. quæro nunquid.* Alcozer *lib. de ludo, cap.* 11. Ioan. And. *dicto cap. cleric.*, vbi Panorm. dicit esse communem. Idem glossa §. *interdicimus, auth. de sanctiſſimis Episcop. collat.* 9. & *auth. interdicimus, C. de Episcopis & cler.* vbi Odofred. & Alberic. Idem Archid. & Præpositus *dicto c. Episcopus*, & alij, quos refert, & sequitur Salzedo *in pract. crim.* Bern. Diaz *c.* 70. *super verſic. Prohibitum eſt.* §. *ſed an clerico*. Idē Innoc. *cap. lator, de homicid.* licèt aliqui, quos refert Sylu. dicant oppositum. Immo Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 13. *art.* 3. *dub.* 2. dicit non esse tutum dicere clericis ludere.

3 Dubium ergo est de ludis prohibitis, qualiter peccent clerici illis ludentes.

4 Quidam dicunt non esse mortale, quantum est ex præcepto iuris positiui. Sic Caiet. in summa, *verbo clericorum peccata*, & Enriquez; quia non videtur materia tam grauis hæc.

5 Alij verò dicunt esse mortale: quia graues pœnæ imponuntur *canonibus citatis*. Item quia ludus his non qua ratione sæcularibus, sed quia contra eorum est honestatem, prohibetur. Sic glos. *dicto* §. *interdicimus*. Hugo *dicto cap. Episcopus*. Et de sacerdotibus, Præsulibus, & Religiosis vix citra mortale posse vti ludis prohibitis, dicunt Sot. *lib.* 4. *de iust. q.* 5. *art.* 2. Salzedo *super d. vers. Prohibitum eſt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Immo adeò acriter ludum prohiberi clericis censet Bern. Diaz *pract.crim.c.70.n.3.* vt censeat posse iudices procedere contra clericos ludentes ludis prohibitis duos argenteos: quod valde rigidum vocat Alcoz. *lib.de ludo, c.* 12.

6 Alij verò dicunt esse mortale, quando luditur notabilis quantitas, principaliter, ob lucrum ludis prohibitis. Sic Nauarr. summa Hisp.*c.*19.*n.*12.13. Lud. Lop. 2.*p. instruct. c.*31.*pag.*233. Abul. *Matth.*6.*q.*52.54. Gutierr. *de iuram. confirmat.*2.*p.c.*55.*n.*2. Sylu. *verbo ludus, q.*4. D. Anton. *supra.* & sic explicant hi duo *dictum c. Episcopus,* & quòd nõ damnet ad mortale clericos propter continuationem ludi, probant Sylu. & D. Anton. quia consuetudo, licèt aggrauet peccatum, at non mutat speciem, ita vt de veniali fiat mortale. Quòd autem sit mortale propter intentionem principalem lucri, probant, quia esto talis intentio non faciat mortale, quando ludus non est prohibitus, secus quando est prohibitus; quia in illo ludens intendit spoliare proximum medio licito, in hoc verò medio illicito; sed meritò Alcozer *dicto c.*11. hoc reprobat, & Nauar. summa Lat. *c.*20.*n.*9. sustulit eam limitationem, quando principaliter intendit lucrum; quia principaliter intendere lucrum non facit mortale, quando ludus est talis, vt per ipsum possit transferri dominium; quia sic ludens medio iusto, & licito in ordine ad alterum colludorem, & in ordine ad iustè comparandum lucrũ intendit lucrari, licèt alia via ludus illicitus sit, quia scilicet lege vetitus.

7 Sit ergo prima conclusio. Tunc clerici peccant mortaliter ludendo ludis prohibitis, quando sæpe his ludis ludunt; secus quando citra scandalum semel, vel iterum his ludunt. Probatur prima pars, quia scilicèt consuetudo non faciat de veniali mortale, id est, quando non speciali lege prohibetur sub grauibus pœnis consuetudo, vt contingit hic; quia *dicto c. Episcopus* prohibetur grauiter hæc consuetudo; vbi enim dicitur, *deseruiens ludo*, & explicat glossa, id est, valde seruiens, & Turrecr. & Hugo *ibi.* Item id intelligitur, quando consuetudo non mutat materiam actus prohibiti, vt contingit hic; cùm enim hi ludi prohibeantur clericis, propter honestatem, & decentiam status, cui non est valde indecens, & inhonestum semel, vel iterum ludere; est tamen tale frequenter ludere, fit, vt illud non sit mortale, hoc verò sit mortale: & hinc manet probata secunda pars. Sic Alcozer *lib.de ludo.c.*11. Caier. 2.2.*q.*168.*art.*3.*dub.*3. Ang. *verbo ludus, n.*4. Palacios in summa *verbo ludus,* & alij Fauent Turrec. *dicto c. Episcopus, n.*12. & *ibi* Hugo, vbi dicunt ob illius canonis prohibitionem esse mortale clericos ludere ludis prohibitis, & explicant illum canonem, quòd prohibeat frequentiam horum ludorum vetitorum.

8 Nota primò quòd Alcozer *dicto c.*11. dicit hoc intelligi de quibusuis clericis, & solis minoribus ordinibus initiatis, quia canones citati, & Sylu. Ang. Turrecr. Caiet. Hugo, Abul. & cæteri Doctores citati indistinctè loquũtur de clericis. At meliùs Ludou. Lopez *suprà*, & Nauar. summa Lat. noua *c.*20.*n.*9. & 10. dicunt intelligi de beneficiariis, & de clericis sacro ordine insignitis: vnde de aliis perinde censendum esse dicunt, ac de laicis.

9 Secundò nota, quòd Alcozer *dicto cap.*11. absolutè de Episcopis dicit mortaliter peccare; quando ludunt his ludis vetitis, excepto quando hoc faciunt, eo quòd ipsi Episcopi, vel aliæ nobiles personæ, sint infirmi, in carcerémve coniecti, aut in alio spiritali, aut corporali labore: & de Religiosis dicit, quòd si taxillis ludunt, aut aliis vetitis ludis, vbi consuetum est absque paruo sæcularium exemplo ob leuandum, seu consolandum aliquem infirmum, in carcerémve coniectum, vel ob aliud simile motiuum, non peccant: & quando aliquid paruum luderent, & ob solam animi recreationem non esset mortale ratione paruitatis materiæ: extra hunc casum dicit esse peccatum mortale, & sic credo esse verum, quia hi ludi sunt valde indecentes statui Episcoporum, & Religiosorum: & est conforme doctrinæ Soti, & Salzedo *suprà* dicentium vix posse excusari à mortali; & doctrinæ Metinæ *lib.*1.*summæ c.*14.§.28 *fol.* 151. vbi dicit peccare mortaliter Episcopos, & Religiosos his ludis sæpè ludentes, secus quando semel ob recreationem.

10 Secunda conclusio. Si actus, qui assumitur in lucrum, repugnet clerico, vt assumere arma, laruas, & huiusmodi, tunc iudicandum est de mortali, vel veniali, iuxta naturam assumptorum ad ludum, pensando an inducant contemptum interpretatiuum clericalis dignitatis, & canonicæ legis. Sic Caiet. 2.2.168.*art.*3.*dub.*3.

11 Nota quòd clericis, & multo magis Religiosis prohibetur ludus cum armis, *c.continebatur, de homicid.* & ludus histrionalis, *c.donare, dist.*86. & generaliter prohibetur ratione honestatis clericalis omnis ludus, in quo ex propria persona facerent ludum in publico, vt saltatio, choreizatio, &c. *c.pro dilectione, in fine, de consecrat. dist.* 2. & ludus larualis, quia habitum mutare nequeũt sine iusta causa. Hæc Sylvest. *verbo ludus, q.* 2. & subdit esse mortale, si clericus saltet. vel choreas exerceat in publico, secus si in secreto cum aliquibus domesticis: & *verbo ars, q.*7. dicit peccare mortaliter, si ludum histrionalem exerceant.

## DVBIVM XXIX.

*Qualiter peccẽt clerici, vel Religiosi inspiciẽtes ludos fortunæ.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit, quòd si hic ludus sit mortalis, & notabili tempore inspiciant, est peccatum mortale; quia hoc est ipsis interdictum, *cap. clerici, el 2. de vita, & honest. clericor.* Sic Nauarr. *c.*19. in summa Hisp. & Lat. antiqua *n.*4. & 14. Latina noua *c.*20.*n.*14. Ludouicus Lopez 2.*p. instruct.c.*31.*à fol.*233. & idem videtur tenere gloss. §.*interdicimus, Auth. de sanctiss. Episcop.*

2 Secunda sententia probabilior dicit non peccare mortaliter, nisi ludi causa sint, vel omittant corrigere, quando tenentur, vel secundùm Sylvestrum, nisi complaceant in ludo mortali; quia materia non videtur tam grauis. Sic Sylvest. *verbo ludus, q.*8. Ang. *ibi num.*6. Caiet. *summa verbo Clericorum peccata.*

3 An verò peccent mortaliter Clerici, qui intersunt agitationi taurorum, & similiter Religiosi, & beneficiarij, dicemus agentes de censuris: Interim vide, quæ dicemus *dub.*31.*in fine.*

## DVBIVM XXX.

*An laici peccent mortaliter, aspiciendo eos, qui ludendo peccant mortaliter.*

1 Respondetur, quòd non peccant mortaliter, nisi eius aspectus fuit causa ludi, vel potuerunt prohibere corrigendo, & non correxere, vel gauisi sunt, eo quòd talis ludus exercebatur, vt ipsi sic viderẽt. Sic Gabr. 4 *dist.*15.*q.*13.*art.*3 *dub.*3. Nauarr. summa Hisp. & Latina antiqua *c.*19.*n.*14. Latina noua *c.* 20. *n.* 14 Ludou. Lop. 2.*p. instruct.c.*31.*fol.*231. Alcozer *lib.de ludo, cap.*59. Sylu. *verbo ludus, q.*8 Arm. *ibi n.*11. Ang *ibi n.*6.

2 Nota quòd si non gaudent de ludo, sed dato, quòd ludunt, gaudent videndo industriam, & bonam, vel malam fortunam ludentium, non est mortale. Sic Nauarr. Alcozer, Ludou. Lopez *ibidem.*

3 Secundò nota, quòd etiam esset mortale inspicere ludos, quando ob id exponeret quis se periculo probabili peccandi mortaliter, vt si repræsententur turpia, ex quibus ipse inciretur ad venerea. Sic Sylu. Arm. *ibi.* D. Ant. 2.*p.tit.*3.*cap.*7.§.11.

## DVBIVM XXXI.

*An ludus agitationis taurorum sit peccatum mortale.*

1 QVidam dicunt esse peccatũ mortale, quia in plurimum inde sequuntur mortes, & plurima damna. Sic Speculum conscientiæ *lib.*1.*c.*74. & Nauar. vtraque summa Lat. *c.*15.*n.*18. dicit se antea fuisse in hac opinione, & sic audiuisse à suis præceptoribus doctissimis: & eam damnant Greg. Lopez *l.*57.*verf. lidiar. tit.*5.*p.*1. & Auendaño 2.*p.cap. Prætorum, c.*10.*num.*12.



2 Sit tamen prima conclusio: loquendo de se, & ex natura rei, licita est taurorum agitatio, modò caueatur ne in platea sint pueri, vel senes, mulieres, vel claudi, &c. quibus imminere potest mortis periculum. Ratio, quia nullo iure est prohibita, immo expresè modò est permissa, vt mox dicam, & iam consulitur iis, quibus mortis periculum imminere posset. Sic Nau. *d. c.*15.*n.*18. Metina *C de restitut.q.*21. Alcozer *lib.de ludo, c.*53. Nauarra *lib.* 3. *de restit.c.*3.*n.*300. & 302. Lud. Lopez 2.*p.instruct. c.* 31. *fol.* 234. Gutierr. *quæst. canonicis, cap.*7.*num.*14.

3 Hinc fit, quòd si aliquis ibi moriatur, sepeliendus est, in loco sacro, stando in iure cõmuni, scilicet secluso motu proprio Pij Quinti, de quo postea. Ratio, quia nullo iure cauetur oppositum. Sic Alcozer *ibi* contra aliquos.

4 Secunda sit nõ peccare mortaliter pedestres, vel equestres, qui lanceis tauros inuadunt, vel eos mutilant, modò non se opponant probabili mortis periculo. Sic Alc. *ibi.*

5 Secunda conclusio, si loquamur post motum proprium Pij Quinti, quem edidit circa hoc prima die Nouembris. anno 1567. quem refert Nauarr. *dicto c.*15.*n.* 19. & dicemus agentes de censuris, est peccatum mortale: immo magistratus, vel rectores reipublicæ illam permittentes in circo, vel in foro incurrunt excommunicationem, prohibet enim *ibi* Pius V. talem agitationem taurorum in circo, vel in foro, & excommunicat Principes, tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, Communitates, & Respublicas, earũmque rectores, illam ibi permittentes, & præcipit nullo modo eos agitari, & neminem pedestrem, vel equestrem in circo, vbi agitantur, incedere: & si aliquis ibi decesserit, careat Ecclesiastica sepultura; & iubet vt iudex Ecclesiasticus procedat aduersùs dictos permittentes talem agitationem taurorum, pœnam aliquam arbitrariam eis imponendo. Vnde licèt laici sint, non poterunt in hoc casu Ecclesiarum tribunal declinare, vt bene Gutierrez *dicto cap.*7.*num.*12.

6 Nota tamen, quòd Greg. Decimus tertius *à n.* 1575. die 25. Augusti edidit motum proprium auferens has pœnas, & censuras quoad permittentes, & mandantes fieri has agitationes taurorum, assistentes illis, modò non sint clerici in sacris, vel beneficiarij, vel Religiosi, & modò non fiant hæ agitationes taurorum in diebus festis, & etiam abstulit, quoad milites quarumuis militiarum, modò in sacris non sint; quem motum proprium ad pedem literæ affert Salzedo *practica crimin.* Bernard. Diaz *cap.*72.*fine.*

7 Hinc fit, quòd si in festis, vel Dominicis tauri agitarentur in circo, vel in foro incurrerentur dictæ pœnæ contentæ in motu proprio Pij V. Ratio, quia cùm casus diei festi sit expresè in reuocatione exceptus, manfit illa reuocatio in pristino vigore. Sic Nau. *d.c.*3.*n.*304. Gutier. *d. c.*7.*n.*10. Roja *de iuribus Principis defœdeis.q.*5.*n.*15. & 14.

8 Sed an per diem festum intelligantur soli dies festi iure communi indicti, vel etiam, qui ex speciali voto, vel populi vsu seruantur: cùm enim hoc sit ius commune, videtur loqui de festis iure communi indictis. Sed dicendum est de omnibus intelligi; nam absolutè motus proprius excipit dies festos, & ratio legis, quæ est velut iudicium obligationis legis, non cessat, sed æquè reperitur in his festis, scilicet ne homines retrahantur illis diebus à Dei cultu. Sic Nauarra *suprà n.* 305. contra Roja *suprà num.* 14. & 18.

9 Secundò nota, quòd Nauar. *suprà n.*304. dicit, quòd si agitentur tauri in diebus festis, etiam laici aspicientes peccant: sed fallitur, non enim laicis prohibetur aspectus in motu proprio, nec sequitur aspicientes peccare, per hoc, quòd agitantes peccent, vt patet ex dictis *dub. præcep.*

10 Tertiò nota quòd Nauar. *c.*15. Latina antiqua *n.*18. *n.*21. quem videtur sequi Ludou. Lop. *suprà*, limitat hos motus proprios, ne procedant in agitatione taurorum ita moderata, vt probabiliter credi possit ex ea non sequuturа notabilia damna; quia tunc cessat ratio legis. Sed bene hoc reprobat Gutierr. *dicto c.*7. *n.* 13. quia ex ea, licèt moderata, sequuntur frequenter plurima damna. Item quia generalis, & indistincta est prohibitio.

11 Tandem nota, quòd extra forum, vel circum clausum callibus agitari tauros cordis ligatos non est prohibitum dictis motibus propriis; quia tãtùm prohibent agitari tauros non ligatos per medios calles ciuitatis, portis ipsius clausis, quia hoc est agitari in circo, licèt latiori, & inde plura sequuntur damna: si verò portæ ciuitatis essent apertæ, ita vt possit taurus exire, non esset contra motum proprium; quia cessant dicta incõuenientia, & agitatio modicum durare potest, idque non est in circo agitare. Sic Gutier. *d.c.*7.*n.*14.15. & quòd tantùm prohibeatur in circo clauso, tenet etiam Roja *suprà n.*18.

12 Denique post hæc omnia nouissimè edita est constitutio à Clem. VIII. 13. Ianuar. ann. 1596. in quo adhuc ampliùs moderatur motum Pij V. *suprà* citatum. Sic enim ait, excommunicationes, cæterâsque pœnas in literis Pij V. contentas circa Principes, & Magistratus, qui taurorum agitatationem permittunt, aut circa eos, qui illi intersunt, quoad omnes in illis expressos in regnis Hispaniarum dumtaxat (Monachis, & fratribus medicantibus, cæterisque cuiuscunque ordinis, & instituti, regularibus exceptis (tollimus, & amouemus, easdémque Pij literas ad terminos iuris communis, cui per præsentes non intendimus in aliquo derogare perpetuò, reducimus ac restituimus. Volumus autem vt prædicta taurorum agitatio non fiat in diebus festis, & vt prouideatur, ne alicuius, quo ad fieri poterit, mors ex ea sequatur; clericos verò sæculares, & beneficia Ecclesiastica obtinentes, vel in sacris ordinibus, aut in Ecclesiastica dignitate constitutos, ne hac nostra benignitate abutantur, vt nihil quod à propria dignitate, & à sua, & aliorum salute se vnquam admisisse arguantur. Hactenus Pontifex. Circa quam constitutionem vide Gutierrez *lib.*1.*canon.qq.c.* 7. vbi illam affert, & latè explicat, an clericis sæcularibus in sacris constitutis, vel beneficia Ecclesiastica obtinentibus sit ablata per hanc constitutionem prohibitio interessendi taurorum agitationi; vel solùm sit ablata excommunicatio, & docet non esse ablatam prohibitionem, sed solùm censuram, atque adeò peccare mortaliter, si illi intersint, licèt in Hispania excommunicationem non incurrant.

## DVBIVM XXXII.

*An sponsiones, id est, las apuestas, licitæ sint, & illis acquisitum possit retineri.*

1 Aliqui asserunt esse turpe lucrum, non tamen restitutioni obnoxium, quod videtur colligi ex *l. solent, & seq. ff. de aleæ vsu.* Sic tenet Sylu. *verbo ludus, q.*6. Gabr. 4 *dist.*15.*q.*13.*art.*3 *dub.*8. D. Ant. 2.*p.tit.*1.*c.*23.§.9.

2 Sit tamen prima conclusio: sponsiones licitæ sunt, & per eas acquisitum non est obnoxium restitutioni, modò nulla circunstantia occurrat, quæ si occurreret in aliis ludis, obligaret ad restitutionem: si enim interuenirent fraudes, vel sponsio fieret cum eo, qui non est sui iuris ad perdendum, vel cum vi tracto ad spondendum, manifestum est esse obligationem restituendi, sicut in cæteris ludis esse diximus *in superioribus dubiis.* Probatur conclusio, quia est contractus quidam fortunæ, quo vterque ludens periculo lucri, & iacturæ expositus est: initur inter eos, qui ludere possunt, nullâque lege prohibetur, immo est permissus, & approbatus, *l. si quis ita stipulatus fuerit, ff. de verbor. obligat. & l. si pater. C. de in offic. testam.* Nec obstat *dicta l. solent, cum sequenti.* quia *ibi* reprobantur sponsiones, quæ fiunt circa corporis certamina causa odij, vel æmulationis, vel libidinis, & non causa exercendi vires corporis. Hanc tenent Anton. Decius, Baldus, Paulus, Alexand. quos refert, & sequitur, Padilla *l. de*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*fideicommisso.C.de transact.n.*9.Anton.Gomez *lib.*2.*var.c.* 11.*n.*4.Petrus Saterna *de sponsionibus mercat.* 2.*p.n.* 17. Couar.*reg.peccatum,*2.*p.*§.4.*n.*2. Alcozer *lib.de ludo.cap.* 46.Merina *q.*22.*de restit.*Soto *lib.*6.*de iustit. q.*7. *art.* 1. Iulius Clarus *lib.*5. *receptarum, verbo ludus , vers. quæro etiam.*Nauarr.summa Latina noua *c.*20.*n.*18.

3 An verò quando alter est certus, vel vincit industria aliuus,sit obligatio restituendi,dixi *supra dubio* 13.

4 Secunda conclusio : Scholastici Salmantini facientes sponsiones circa cathedras peccant mortaliter , at non tenentur lucrum inde acquisitum, nisi concurrat alia circunstantia, restituere. Probatur prima pars, quia sunt ipsis veritæ sub excommunicatione latæ sententiæ ob maxima inconuenientia,quæ inde oriri solent. Probatur secunda pars,quia licèt peccent contra obedientiam, at non peccant contra iustitiam. Sic Alcozer *dicto c.*46. *concluf. vltima,&* c 47.*concluf. vltima.*

5 Tertia conclusio : licitæ sunt etiam sponsiones super euentu futuro , ex quo damnum subsequetur proximo, datúrque occasio illud optandi : vt si duo spondeant , an Petrus intra tot dies morietur. Probatur, quia spondens, quòd morietur,potest non optare mortem , & si optet,id sua culpa euenit.Item quia communis Doctorum approbat census vitalitios ; & tamen eadem occasio datur soluenti redditus optandi mortem. Hæc est contra Petrum de Couar.*lib.de ludo.part.*1.*c.*7. Sed eam tenet Couarr.*supra.* Alcozer alios referens *dicto c.*46.Soto *supra.*

6 Quarta conclusio : quando duo spondent, quòd Petrus faciet , vel non faciet tale peccatum , non peccant, nisi spondens optet , vt alter contrahat tale peccatum, vel ipsi opem ad contrahendum præster. Sic Alcozer *dicto c.*46.*&* c.37.& benè dicit,quòd siue optet peccatum, siue non,nulla est restituendi obligatio.

7 Quinta conclusio : si alter spondet cum altero,quòd non committet tale peccatum mortale , & hìc spondeat se commissurum,peccat ille grauiter, quia decernit apud se peccare mortaliter : sed ille si sua sponsione inducit hunc ad peccatum perpetrandum , peccat mortaliter , vt benè Alcozer *dicto c.*43.vbi subdit , quòd si spondendo non inducit alterum ad peccati commissionem , vt si qui affirmat se peccaturum prouocet , vt inducat ad sponsionem,non peccat.Cæterùm probabilius est peccare , quia reddit animosiorem ad peccatum contrahendum.

8 At quo ad obligationem restituendi in hoc casu, dicit Alcozer *d.c.*47. quòd quando qui spondet cum altero , quòd non committet tale peccatum , attendenda est ponsionis materia,& sic propter eiusmodi materiam possit accipi pretium , non est obligatio restituendi lucrum acquisitum tali sponsione , vt si peccatum non cedit in damnum tertij. Cæterùm si propter eiusmodi materiam non potest accipi pretium , v. g. si est contra iustitiam,vt quòd non occides, quòd non inferes tale damnum , &c. est obligatio restituendi lucrum tali sponsione paratum. Et quòd in hoc casu sit obligatio restituendi , dicit esse admodum probabile Angles *floribus* 2. *part. materia de ludo.fol.*292.*& sequenti.*

9 Cæterùm licèt sentiremus cum Alcozer pretium ob hominis occisionem , & cætera peccata contra iustitiam, esse restituendum (cuius tamè contrarium *infrà* dicemus) at dicendum est lucrum tali sponsione acquisitum non esse restituendum. Ratio,quia lucrum,quod sponsionib. comparatur , nullo modo respicit materiam sponsionum, immo ea omnino impertinens est : sed iustitia talis lucri solùm respicit , vt contractus fortunæ sit vtrinque æqualis, vt manifestè patet;si enim duo sponderent, quòd Petrus obtinet , vel non obtinet beneficium , absque dubio lucrum tali sponsione acquisitum non esset restituendum : cuius est ea ratio,quia pecunia in sponsione apposita non est pretium materiæ sponsionis: ergo impertinens est sponsionis materia ad iustè acquirendum , vel non acquirendum lucrum. Hanc sententiam tenet , vt probabiliorem , Angles *vbi supra* ; & dicit esse probabilem Ludouic. Lopez 2.*p.instruct.cap.*35.*fol.*267.

## DVBIVM XXXIII.

*An officium parasitorum,id est,*truhanes.*sit licitum,& tales non teneantur restituere,quæ ipsis dantur.*

1 VIdetur enim,quòd illicitum sit , quia in iure habentur hi ac infames,*c.*1.4 *q.*1. & D.Cyprianus, & habetur *cap.pro dilectione, de consecr.dist.*2.dicit talibus denegandam esse communionem,& D. Aug. & habetur *c.donare,dist.*86. *& cap. qui venatoribus , eadem dist.*dicit esse vitium talibus aliquid dare.

2 Sit tamen prima conclusio : Officium hoc licitum est, dummodo moderatè fiat , & reliquæ seruentur circunstantiæ.Patet,quia hoc officium est ad animi relaxationé. Sic tenent D Thom.2.2.*q.*168.*art.*3.*ad* 3.Caiet. in summa,*verbo histrionatus.*Sylvest.*verbo ars,q.*7.Arm.Ang.& Tab.*verbo histrio,n.*1.Præpositus, & Card.*dicto c.donare,* Alc.*lib.de ludo,c* 50.Couar.*regula peccatum.*2.*p.*§.2.*n.* 5.

3 Nota quòd circunstantiæ vitiantes hoc officium,sunt, si ad suum officium assumant verba Religionis , vel Scripturæ ; hoc enim esset mortale : tum quia valde prohibitum est in Trident.*sess.*4.*cap.de editione , & vsu sacrorum librorum in fine* ; tum etiam , quia grauis iniuria infertur rebus sacris. Sic Alcozer *ibi* , Sylvest. Ang. Arm. Caiet. *ibi.*qui limitat , nisi paruitas offensæ excusetsquia modicum pro nihilo reputatur. Secunda circunstantia est , si vterentur officio cum grauiniuria aliorum , præferendo scilicet verba iniuriosa, grauia , vel grauiter diffamatoria, vel mendacia valde pernicioſa ; esset enim mortale , iuxta eosdem Doctores : extra hos verò casus communiter peccatum est veniale ; vt benè Alcozer *ibi.*

4 Secundò nota,quòd quamuis hi parasiti non habeant aliud munus,& viuendi normam , possunt absolui ; quia licèt appareat illos non habere aliud munus , si cum aliis hominibus comparentur , at si secum ipsis conferantur, & facta ratione inter Deum , & illos , habent alia opera, & occupationes studiosas,vt orare , sacrum audire , confiteri,&c Sic D. Thomas. Alcozer, Tabien.*ibi.*

5 Secunda conclusio : Clerici hoc officium exercentes, peccant mortaliter. Ratio , tum quia hoc dedecet statum clericalem,tum etiam,quia *c.*1 *de vita, & honestat. Clericorum* 6.id eis grauiter interdicitur , & statuitur , quòd si per annum exercuerint hoc officium , ipso iure careant omni priuilegio clericali : si autem breuiori tempore , si tertiò moniti non resipuerint, careant etiam omni priuilegio clericali. Sic Alcozer,& Sylvest.*supra.*

6 Nota quòd hic annus continuus esse debet , vt pœnam prædictam quis incurrat. Sic Ioan. Monachus, Ioan. Andreas, Archid.& Dominicus *dicto c.* 1. vnde si in diuersis mensibus diuersorum annorum , qui simul iuncti vnum facerent integrum annum , quis vteretur prædicta arte, non haberet locum hæc pœna. Sic Anchar.& Domin. *d. c.*1.Bern.Diaz *practica criminc.*68 *n.*1. *&* 2. & *ibi* Salzedo *super verbo,debet esse*, vbi id ampliùs confirmat ; quia in dubio tempus à lege præfixum continuum esse debet, vt tenent multi Doctores,quos *ibi* allegat.

7 Secundò nota quòd licèt Ioan. Monachus *ibi* teneat clericos in sacris non amittere priuilegium in hoc casu: at verius est amittere,vt tenent Archid. Ioan. Andr. Anchar.Dominicus,& Philippus *ibi*,& Bern. Diaz *supra n.* 3 qui addit posse tamen recuperare hoc priuilegium per dispensationem Episcopi, quando in hoc delinquens esset pœnitens , & verè contritus , secundùm Ioan. Andr. Anchar.& Dominicum *ibi.*

8 Tertia conclusio.Qui dat aliquid his parasitis, vt exerceant suum officium,vt magnates,qui muneribus fouent eos, quando parasiti in hoc exercitio peccant mortaliter, peccat mortaliter, quia est causa peccati mortalis.Si tamen suis muneribus non est causa,vt hi in suo officio presseuerẽt,nõ peccat mortaliter. Sic D.Th.2.2.*q.*168.*art.*3.& *ibi* Caiet.Arm.*vbi supra n.*2.Tabien.Ang.& Sylvest.*supra.*

9 Quinta conclusio : Qui dat his parasitis iustè exercentibus



centibus suum officium aliquid moderatum, non peccat, nec ipsi parasiti tenentur restituere. Sic D. Thom. Tab. Alcozer *ibidem* ; si verò dat immediatè , est prodigalitas: at verò ipsi parasiti non tenentur restituere , siue licitè, siue illicitè suum obeant munus , nisi alia circunstantia obligans ad restitutionem occurrat;quia nulla lex diuina, vel humana obligat restituere in hoc casu , cùm nulla hìc concurrat iniustitia.Sic Alcozer *supra.*

10 Quinta conclusio : Qui dant parasitis aliquid , ne eos infament, vel ne aliam iniuriam eis inferant, non peccant mortaliter , quia contra nullum præceptum faciunt. Sic Alcozer,Præpositus,Cardin.*supra*,Sylvest.Tabien.& Angel.*supra.*Immo nullo modo peccant , Armill. *num.*2. quia potiùs vtuntur iure suo, suámque redimunt vexationem : at ipsi parasiti tenentur restituere sic accepta , quia recipiunt ad abusum,scilicet ne iniustitiam inferant dantibus, iuxta dicenda *infrà.*

11 Vltima conclusio : Parasiti non tenentur restituere, quæ ipsis dantur , vt patiantur inter ludicra , & iocos aliquot alapas , & verbera , licèt aliquando in hoc peccent mortaliter , quia est hoc pretio appretiabile. Sic Alcozer *supra*,& Couart.*reg. peccatum.* 2. *part.*§.2. *n.*5. vbi addit contra Zasium etiam iudicem cogere in hoc casu ad soluendum moderatam actus mercedem.

12 Ad testimonia Sanctorum in principio adducta respondetur intelligi de parasitis exercentibus malè, & peccando mortaliter hoc munus.

## DVBIVM XXXIV.

*An torneamenta sint licita , & illis acquisitum sit obnoxium restitutioni.*

1 PRima conclusio:Torneamenta,ex quibus vt plurimum cædes,vel grauia vulnera reportantur,qualia sunt,quæ ab æquitantibus fiunt , sunt peccatum mortale, grauiter enim prohibentur *c.*1.*de torneament.* prohibetúrque sepultura Ecclesiastica iis, qui in talibus torneamentis decedunt.Quando tamen vt plurimum non est tale periculum , licèt quandoque accidat mors,non est peccatum ea exercere ; qualia sunt ea , quæ à pedestribus fiunt ; ea enim fiunt, vt homines exerceantur in arte militari. Sic Nauarr,in omnibus summis,*c.*15 *n.*9 Sylu. Angel. Tabien. Armill.*verbo Torneamentum*, omnes Doctores iuris Pontificij *dicto c.*1. & Alcozer *lib.de ludo,c.*51. vbi bene addit peccare etiam mortaliter fauentes his torneamentis , quia sunt causa : vt sunt iudices torneamentorum, patrini, comitantes hos.

2 Secunda conclusio : lucrum in his torneamentis acquisitum non est obnoxium restitutioni,licèt torneamenta illicita essent. Ratio, quia non prohibetur per ipsa dominium transferri. Sic Alcozer *ibi.* Alensis 4.*p.q.*86.*meb.* 3 *art.*6.§.1.Richard.Palud.& Maior.4.*dist.*15.Sylu.*verbo ludus,*q.16.& *ibi* Tabien.§. 9.Arm.§.6.

3 Tertia conclusio:idem omnino dicendum est de hastiludiis,id est,*iuegos de cañas,sortija,esgrima,justa.*si enim exercentur cum probabili mortis periculo,sunt peccatum mortale:si verò secus,sunt licita. Patet eadem ratione. Sic Alcozer *c.*52.Ang.*verb.Torneamentum,* & *ibi* Sylvest. *& verbo sepultura.q.*9.*verb.ludus,q.*2.Caiet.&c Arm.*verb.hastiludium*, Greg Lopez *l.*10. *tit.*13. *part.*1. *vers.Enrasen.* Ioan. Andr.& Host.*c.*1.*de torneamentis*,Nauar.*supra.*

4 Hinc fit,eo modo,quo fiunt in Hispania,non esse hæc hastiludia,id est,*justas*, illicita, quia fiunt sine tali periculo.Sic contra speculum conscientiæ *lib.*2.*c.*74.dicens esse mortale,tenet Alcozer *dicto c.*52.

5 Quarta conclusio:Acquisita tamen per hos ludos, licèt illicitè exerceantur,non sunt obnoxia restitutioni. Patet eadem ratione,qua secunda conclusio.Sic Alcozer *eodem c.*52.Abul.*c* 6.*Matth.q.*52.

6 Vltima conclusio : Funambuli super funes in altissimis locis suum corpus volutantes , si frequenter sequatur mors,peccant mortaliter,quia exponunt se periculo mortis probabili:secus quando ea arte, & industria pollent,vt sine periculo probabili mortis eam artem exerceant, vt quando rarò,& casu accidit mors.Sic Nauarr.in omnibus summis *cap.*15.*n.*8.Tabien.*verbo histrio, n.*1.Sylvest.*verbo ars,q.*8.Alcozer *cap.*55.vbi bene addit acquisitum per hunc ludum, licèt cum peccato exerceatur, non esse obnoxium restitutioni,vt patet ex dictis.

## DVBIVM XXXV.

*An ludi saltandi,& tripudiandi , Hispanè* baylar y danza, *& comœdiæ , & ludi præstigiarum , Hispanè,*juegos de pasapasa,*& ludi personarum, Hispanè,*mascaras, *aliique ludi,qui Hispanè vocantur* matachines, *sint liciti , & in eis acquisitum sit obnoxium restitutioni.*

1 DIco primò hos saltus,& comœdias,licèt sint profanæ,non esse peccatum mortale,dummodo non misceantur ibi res directè, & per se prouocantes ad luxuriam : tunc enim essent peccatum mortale. Sic Alcozer *lib.de ludo,c.*54.Sylu.*verbo ludus,q.*8.Angelus *ibi,n.*3. D. Anton.2.*part.tit.*3.*c.*7.§.11 & dicunt hi tres similiter peccare mortaliter eos ludos aspicientes,quando directè prouocant ad luxuriam propter periculum probabile , cui se exponunt. Vnde videtur , quòd cessante hoc periculo in videntes,non peccaret mortaliter hos ludos videns.

2 Secundò dico,quòd licèt Petrus de Couarr.*de remed. lusorum,part.*1.*cap.*16.hos ludos personarum, Hispanè,*de mascaras,*damnet,at verius est non esse de se illicitos; erũt tamen peccatum mortale , si in ipsis fiant res per se,& directè prouocantes ad luxuriam.Sic Alcozer *c.*54.& quòd sint de se liciti, tenent Caiet.*summa verbo laruarum vsus,* & Armil.*verbo larua.*

3 Nota quòd Carolus Quintus in quadam pragmatica prohibuit,quòd nemo personatus incedat,nec ignotus,& habetur *l.*7.*tit.*15.*lib.*8.*noua recopil.*& credo intelligi hoc præterquam in ludis publicis , quia in his cessant inconuenientia , quæ aliàs sequebantur : & ita videtur habere consuetudo.

4 Tertiò dico ludos præstigiarum, id est,*de pasapasa,* & alios ludos,quos homines dexteritate , & subtilitate manuum exercent,& alios ludos,qui Hispanè vocantur *Matachines*,esse licitos.Ita Alcozer *c.*55.

5 Vltimò dico,quòd acquisitum his ludis , licèt illicitè fiant,non est obnoxium restitutioni,vt patet ex dictis. Sic Alcozer *dict.cap.*55.

## DVBIVM XXXVI.

*An sortes sint licitæ, & eis acquisitum non sit restituendum.*

1 DE sortium variis generibus satis dictum est *lib.*2. *summæ , c.* 38.*&* 39. Tantùm superest hìc agendum de quodam casu,an sit licitus.

2 Est autem casus hic : solent aliquæ personæ inter se conuenire,vt sortes mittant super rem aliquam pretiosam singuli , contribuentes aliqua pecuniæ summa ad rem illam,quæ sortienda est,emendam: assignantúrque iudices arbitri,qui rei illi vendibili sortiendæ pretium iustum assignent , & tabelliones , vt scripto testimonium ferant de sorte,vel de sortibus, quæ vnicuique obtigit,vel obtigerunt (solent enim aliqui pluribus contributionibus plures sortes emere ) vt fideliter fiat , & voce præconis publicatur,vt qui voluerint,concurrant ad sortes:immo aliquando promittitur præmium ei,qui intra tot dies plures sortes voluerit emere:solet etiam aliquando ex toto illo contributionum cumulo extrahi certa pecuniæ quantitas ad aliqua opera pia , vel quia ita partes inter se conuenerunt, vel quia præter ciuitatis sub ea conditione facultatem dedit ad prædictas sortes mittendas. Dubitatur ergo de hoc contractu,an sit licitus,& omnia illo acquisita possint tuta conscientia retineri.Sit

3 Prima conclusio:si agamus de contractu venditionis, qui in hoc contractu interuenit ex parte domini iocalium cum mittentibus sortes,vt iustus sit , requiritur quòd seruetur iustum pretium:vnde si interueniat iniustitia in pretio, quia scilicet plus iusto pretio æstimantur iocalia , tenebitur excessum restituere.Sic Alcozer *lib.de ludo c.*49.

Franciscus

Franciscus Garcia *p.2. de contract.c.20.* Lud. Lopez *lib.2. de contract.cap.23.*

4 Nota tamen quòd quamuis Rex, vel respublica præciperet, vt pro re illa vendibili,quæ sortienda est,daretur maius pretium domino,quàm ipsa valet, non excusaretur à peccato iniustitiæ : sicut etiam si nollet facultatem dare ad prædictas sortes,nisi sub illa conditione,vt ex toto cumulo extraheret certa summa pecuniæ , vt ex illa daretur domino rei vendibilis maius pretium pro ipsa , quàm reuera valet ; quia quamuis illa conditio licita sit, quando quantitas extrahenda esset , vt distribueretur inter pauperes,vel in aliud bonum commune reipublicæ, non tamen licita est ad hunc finem , vt illa quantitas detur domino rei vendibilis vltra iustum pretium,quod valet. Sic docent iidem Doctores.

5 Secunda conclusio : Eiusmodi sortes licitæ sunt , & is cui euenit sors,potest tuta conscientia iocale, quod lucratur retinere , si cesset omnis fraus , & mittantur sortes à personis sui iuris ad perdendum. Patet , quia contractus hic nullo iure prohibetur , & est contractus fortunæ , in quo omnes ludentes æquali se lucri , & iacturæ periculo exponunt. Sic iidem Doctores.

6 Nota primò, quòd licèt Franciscus Garcia *suprà* teneat non posse has sortes mitti sine licentia Regis,vel reipublicæ , at verius est quod tenet Alcozer *suprà* ; scilicet posse fieri sine tali licentia;quia id nullo iure prohibetur. At potest,& rectè respublica( vt benè docent Garcia , Alcozer , Ludou. Lopez *suprà* ) prohibere,ne mittantur hæ sortes sine sua licentia.

7 Secundò nota quòd fraus hîc interueniet , cum ita res disponunt , vt sors eueniat personæ certæ , ac determinatæ , & tunc qui lucratur , tenetur restituere iocale per fraudem acquisitum, iterum sortes mittendo , aut restituendo vnicuique pecuniam , quam posuit. Sic Alcozer,& Franciscus Garcia *ibi.*

8 Tertia conclusio : Salarium , quod officialibus confertur , scilicet iudicibus , & tabellionibus , licitè percipiunt , & retinere possunt , dummodo nulla detur fraus plures dies consumendo,quàm sunt necessarij, vel dummodo non multiplicentur plures ministri, quàm necessarij sunt,vel salarium sit immoderatum.Sic Alcozer, Franciscus Garcia,& Ludou.Lopez *ibidem.*

9 Quarta conclusio : Huiusmodi salarium soluendum est non expensis domini iocalium , sed expensis mittentium sortes : & licèt Alcozer *vbi suprà* , hoc limitet, nisi dominus iocalium facturus erat expensas in venditione iocalium : tunc enim in ea quantitate , qua ab iis sumptibus est releuatus , soluturus est salarium ministris sortium : at verius est etiam in hoc casu soluendum esse expensis mittentium sortes , quia ipse contractus sortium magis cedit in vtilitatem mittentium sortes , quàm in vtilitatem domini iocalis , qui nil aliud inde accipit, quàm rei suæ iustum pretium,quia hi officiales assumuntur ad hoc, vt contractus sortium debita rectitudine fiat, & absque fraude aliqua.Quod autem dominus iocalium soluere tenetur , est solùm impositio pretij, seu actio illa, vel occupatio taxandi pretium iocalium, hoc enim tantùm redundat in eius emolumentum. Sic Ludou Lopez, & Garcia *supra.*

10 Quinta conclusio : Pars designata pauperibus , vel piis operibus,iustè acquiritur , siue desumatur à sortientibus,siue à domino iocalium,siue ab vtrisque. Ratio,quia respublica poterat negare licentiam mittendi sortes : ergo potest eam concedere hac lege , vt signetur aliqua pars pro pauperibus,vel piis operibus. Sic Alcozer , Garcia,Ludou.Lopez *suprà.*

11 Sexta conclusio. Præmium , quod promittitur iis, qui intra certum terminum voluerint plures sortes emere , licitè acquiritur , dummodo si extrahatur ex re sortienda , publicetur hæc conditio à principio contractus, antequam sortes mittantur : nam si postea designaretur eiusmodi præmium, iniuria inferretur , aliis sortientibus, nisi omnes in id sponte consentirent. Sic Ludou. Lopez, Alcozer,& Garcia *vbi suprà.*

## DVBIVM XXXVII.

*Quæ informatio erit sufficiens , vt iudices procedant contra ludentes ludo prohibito.*

1 SIt conclusio , iudices priusquam incipiant facere processum contra ludentes ludo prohibito,debent accipere summariam informationem facti , id est, quòd illi essent ludentes ludo prohibito , præterquam si ipse index inuenit eos ludentes , tunc enim non erit necessaria alia summaria informatio ; quia loco illius sat erit eos inuenisse ludentes ludo prohibito : non possunt autem iudices , nec eorum ministri capere numos ludentium ludo prohibito , possunt tamen cogere illos, vt deponant apud aliquem eam summam pecuniæ, quæ statuta est à legibus in pœnam ludentium tali ludo. Sic habetur *l.11. tit.7.lib. 8. nouæ recopil.* & docet Alcozer *lib. de ludo,cap.62.conclus 5.& 6.*

# LIBER SECVNDVS

## Opusculorum moralium , seu Conciliorum , circa ius, & iustitiam distributiuam.

### CAPVT I.

*De acceptione personarum.*

### SVMMARIVM.

Dvb.1. *Quid sit acceptio personarum,& quale peccatum.*

2. *An peccent mortaliter peccato acceptionis personarum conferentes Ecclesiastica beneficia dignis , omissis dignioribus.*

3. *An obligatio eligendi digniorem ita arctà intelligatur, vt sit dimouendus dignior ab alia Ecclesia minus pinguis cui præst, vt ad pinguiorem promoueatur.*

4. *An teneatur eligere digniorem , etsi videat suo suffragio nihil profuturum,immo obfuturum.*

5. *An teneatur patronus etiam præsentare digniorem ad beneficium.*

6. *An Episcopi confirmantes electionem , & præsentationem digni,omisso digniori,peccent mortaliter.*

7. *An renuncians, permutans,vel regressans beneficium in minus dignum,omisso digniori, & Prælatus acceptans peccent.*

8. *An vsque adeò procedat hæc obligatio eligendi digniorẽ vt teneatur electo cõferre digniori,qui externus est,vel fas sit præferre dignũ naturalẽ Regni digniori extraneo? & sic*



*& sic licita sint statuta , vt beneficia alicuius regni non conferantur,nisi Regnicolis.*

9. *Quis dicatur naturalis regni Hispaniæ , vt in eo possit beneficia,vel pensionem obtinere.*

10. *An ex proprijs bonis fundans beneficium,possit eam legem statuere , vt ad illud electio fiat ex certo genere personarum , vel ex instituentis familia,seu consanguinitate,&c. Item vt ad illud non teneatur patronus præsentare digniorem,sed satisfaciat præsentando dignum.*

11. *An quando fundator beneficij nullam apposuit conditionem,& præsentantur duo ad illud ab æquali numero patronorum,sit præferendus ille,qui est de sanguine fundatoris,vel optio detur Episcopo.*

12. *Quam diligentiam tenentur adhibere electores,& patroni ad inquirendum digniorem.*

13. *An sicut peccat eligens minus dignum, omisso digniori, ita,& peccet minus dignus acceptans.*

14. *An pater & filius possint simul in eadem Ecclesia beneficium obtinere.*

15. *An filius illegitimus clerici possit obtinere beneficium in Ecclesia,in qua pater habuit,vel habet beneficium.*

16. *An possint filij siue legitimi,siue illegitimi habere pensionem super fructibus beneficiorum , quæ eorum parentes obtinent,vel obtinuerunt.*

17. *Quis possit dispensare cum filijs legitimis , vel illegitimis & succedant in beneficio paterno.*

18. *An sicut filij non possunt succedere in beneficio patris, ita vt nepotes in beneficio auorum , & sic de reliquis descendentibus? & quid de collateralibus.*

19 *An sicuti in parentum beneficijs nequeunt succedere filij,ita neque parentes in beneficijs filiorum.*

20. *An qui possedit beneficium triennio pacifici colorato titulo,non tamen vero,& legitimo, sit tutus in vtroque foro,ita vt post non teneatur resignare.*

21. *An regula de triennali locum habeat in foro conscientiæ , ita vt qui pacifice possidet beneficium triennio absque vero, & legitimo titulo , sed tantum colorato, possit transacto triennio illud tuta conscientia retinere , an tantum denegetur actio in foro externo aduersario ad repetendum illud.*

22. *An procedat hæc regula de triennali contra minorem quatuordecim annis.*

23. *An non tantum possessor beneficij triennalis gaudeat beneficio huius regulæ,vt molestari non possit,sed etiam is,cum quo talis possessor permutauit,& is qui de nouo habet beneficium possessum triennio per permutantem.*

24. *Quæ conditiones exigantur,vt triennalis possessor tutus sit virtute regulæ de triennali.*

25. *Circa primam conditionem,an in possessore triennali requiratur bona fides,vt possit se tueri hac regula.*

26. *Circa secundam conditionem,* Quæ est possessio, *quomodo intelligatur.*

27. *Circa tertiam conditionem, scilicet,* vt possessio illa per triennium sit pacifica, *quid intelligatur per* pacificã.

28. *Circa quartam conditionem , scilicet* vt possessio illa pacifica sit per triennium , *qualiter hoc* triennium *intelligatur.*

29. *Circa quintam conditionem,scilicet,* vt possessio illa sit beneficij Ecclesiastici,*quid per hoc intelligatur.*

30. *Circa sextam conditionem,scilicet,*vt adsit titulus,*qualiter hoc requiratur.*

31. *Circa septimam conditionem scilicet,* vt titulus sit coloratus,*quid hic sit,& qui censeantur illam habere.*

32. *Circa octauam conditionem,scilicet,*vt possessor triennalis non sit simoniacus , *id est, non obtinuerit illud beneficium per simoniam,quomodo intelligatur.*

33. *Circa nonam conditionem,scilicet,*vt possessor triennalis non sit violentus,*quid per hoc intelligatur.*

34. *Circa vltimam conditionem, scilicet* , vt talis possessor non sit intrusus in beneficio , *quid intelligatur hic per intrusum.*

### DVBIVM I.

*Quid sit acceptio personarum,& quale peccatum.*

1 PRima conclusio. Acceptio personarum sic definitur: *Est iniustitiæ crimen, quo in distributione aliquorum bonorum non causæ ad rem pertinentis, sed personæ aliarúmque qualitatum ad rem non pertinentium ratio habetur.* Dicitur *iniustitiæ crimen* , quia acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuæ. Ad cuius intelligentiam oportet notare aliqua.

2 Primò nota ex D.Thom. *2.2.q.61. art. 1.* & 2. quòd est differentia inter iustitiam commutatiuam , & distributiuam , quòd distributiua est totius ad partes , vt cùm bonum commune debitum distribuitur inter partes communitatis, vt sunt partes communitatis,& secundùm proportionem boni communis ad dignitatem personarum,vnde licèt constituat æqualitatem,hoc enim est proprium iustitiæ,ob idque iustitia dicitur, at non constituit æqualitatem simpliciter , & secundùm proportionem arithmeticam , sed secundùm proportionem geometricam , quia in illa non attenditur per se , & principaliter æqualitas rei ad rem, sed per se , & principaliter habetur respectus ad personas, inter quas est facienda distributio, & minus principaliter , ac deinde ad res distribuendas,vt scilicet inter ipsas res, quæ distribuuntur, eadem proportio seruetur , quæ est inter personas , inter quas fit distributio. At verò iustitia commutatiua est partis ad partem, & per se respicit æqualitatem rei ad rem secundùm proportionem arithmeticam , vt tantum des, quantum debes , nullo habito per se respectu , vel consideratione ad personas, nisi aliquando per accidens in quantum augetur, vel minuitur aliquando valor rei, aut operis ex qualitate personæ;& respicit bonum partis quasi inter æquales. Vnde per accidens est ad iustitiam commutatiuam, quòd contractus sit inter rempublicam , & aliquem priuatum , quia hæc se habent tanquam inter æquales. Item licèt commutatiua, & distributiua in hoc conueniant, quòd vtraque reddit alteri quod suum est ; differunt tamen in eo,quòd aliter est suum , quod redditur alicui per distributiuam,per hanc enim distribuuntur bona communia reipublicæ,quæ non sunt propriè, & simpliciter ciuium, inter quos distribuuntur , nec redditur propriè , & simpliciter suum , sed tantùm secundùm quid , in quantum scilicet bona totius sunt aliquo modo partium , & aliter est suum , quod redditur per iustitiam commutatiuam, est enim propriè,& simpliciter suum,vnde quod per hanc redditur , est simpliciter debitum ; quod verò per illam redditur , non est simpliciter debitum , sed in quantum illi sunt partes reipublicæ,cuius sunt ea bona,quæ distribuuntur, & sic est debitum secundùm quid , vt hæc omnia optimè explicat Aragon *2.2. quæst.62. art.2. fol.207. 208.*

3 Secundò nota , quòd cùm iustitia distributiua consistat in hoc , quòd diuersis personis diuersa tribuantur secundùm proportionem ad merita personarum , & acceptio personarum in hoc consistat , quòd non attenduntur merita, & vera causa in ea , sed aliæ rationes ad rem non pertinentes,directè opponitur iustitiæ distributiuæ.

4 Tertiò nota , quòd id quod respectu vnius distributionis est causa debita , potest respectu alterius esse motiuum impertinens. Vnde quicunque considerat in distributione illam qualitatem personæ propter quam id, quod confertur,est ei debitum , non est acceptor personarum , secus si consideret aliam rationem ad rem , quæ confertur,non congrentem, licèt sit conueniens respectu alterius. Sic Aragon *2.2.q 63.art.1.* D.Thom.*161.*

5 Quartò hinc infertur,quòd in his , quæ non ex iustitia debentur , sed ex mera liberalitate dantur , non habet locum acceptio personarum. Patet, quia acceptio personarum est contra iustitiam ; ergo tantùm habet locum in debitis ex iustitia. Et hinc fit,quòd in Deo dum ex duobus

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus peccatoribus æqualibus alterum efficaciter vocat; alterum verò non, nulla est personarum acceptio, vt optimè D. Thom. *dicto art. 1. ad 3.* quia est gratuita vocatio Dei; & quòd in Deo non sit acceptio personarum, est de fide, vt patet *Deuter. 10. & 2. Paralip. 19. Iob. 34. Actu 10. ad Romanos 2. ad Ephes. 6.*

6 Quintò infertur deceptum esse Abulensem *cap. 22. Matth. quæst. 113.* vbi dicit esse acceptorem personarum, qui dimisso extremè indigenti, confert eleemosynam amico non indigenti, quia hic non peccat contra iustitiam, sed contra charitatem, & sic non est hic acceptio personarum. Sic Salon 2. 2. *q. 63. art. 1.*

7 Sextò infertur, quòd si quis ex propriis bonis inuitet ad cœnam omnes ciues, & solùm excluderet inimicum, non peccaret peccato acceptionis personarum, sed tantùm peccato scandali; quia hoc non est contra iustitiam: sed si donaret pretium illud communitati, vt distribuat ciuibus pro meritis, vel paret illis conuiuium; etiamsi reseruaret sibi talem distributionem, tunc si excluderet inimicum, peccaret peccato acceptionis personarum, quia postquam donauit communitati, iam illi debetur tanquam ciui. Sic docti recentiores.

8 Septimò nota quòd dicitur in diffinitione acceptionis personarum, *in distributione bonorum*, quia in tali distributione frequenter tale crimen committitur, vt in distributione beneficiorum, & officiorum sæcularium: at potest & in aliis contingere, vt in honoribus exhibendis, in distribuendis oneribus, vt in tributis in administranda iustitia, &c.

9 Secunda conclusio, acceptio personarum ex suo genere est peccatum mortale: at potest esse veniale ex paruitate materiæ. Prima pars patet, quia peccatum iniustitiæ est mortale ex suo genere, vt optimè D. Thom. 2. 2. *q. 59. art. 4. corp. & ad 2.* item quia grauiter prohibetur in sacris litteris, *Deuter. 1. & 16. Leuit. 19. Prouerb. 18. 24. 28. Eccles. 24. Iacob 2.* & patebit magis *dub. sequenti.* Secunda verò pars etiam constat quia commune est omnibus præceptis virtutum moralium, vt in illorum transgressione reperiatur paruitas materiæ, neque hîc datur aliqua specialis ratio, quare non reperiatur. Vnde minus bene Abul. *cap. 12. Matth. q. 110.* dixit semper esse peccatum mortale, quia cùm consistat hoc peccatum in consideratione personæ, & non causæ, vt causæ, non potest in illo intervenire inconsideratio, ratione cuius quod est peccatum mortale ex genere, sit aliquando veniale: sed non obstat ratio hæc Abulensis, quia licèt semper interueniat consideratio personæ: at potest hoc contingere circa materiam ita exiguam vt talis acceptio non excedat culpam venialem. Et sic hanc conclusionem tenent Soto *lib. 3 de iust. q. 6. art. 1.* Aragon & Salon *dicto art 1.* Gerson 1. *part. Alphabeto 24. littera T.* Sylu. *verbo acceptio personarum, q. 1.* & *ibi* Arm. *n. 1.*

## DVBIVM II.

*An peccent mortali peccato acceptionis personarum conferentes Ecclesiastica beneficia digniis, omissis dignioribus.*

1 HAc in re supponenda sunt aliquot fundamenta. Primum est bona communia, quæ distribuuntur in republica, sunt in duplici differentia: alia sunt, quæ instituta sunt principaliter, & immediatè in bonum, & vtilitatem particularem ipsorum ciuium, vt si in hoc oppido esset aliqua pecunia in ærario publico singulis annis distribuenda ciuibus secundùm eorum indigentiam, vel dignitatem: alia sunt principaliter, & immediatè pro ministerio, & bono communi instituta, vt beneficia, & officia publica in republica sæculari, vt exponam fundamento sequenti.

2 Secundum fundamentum est, beneficia Ecclesiastica, & officia publica in republica sæculari primariò, & principaliter instituta sunt in vtilitatem Ecclesiæ, & reipublicæ, vt scilicet sint stipendia ministrorum, vt Ecclesia & respublica idoneos habeat ministros: secundariò autem, & minus principaliter, vt præmia conuenientia eorum, qui de Ecclesia, & republica propter eorum virtutes, & litteras bene meriti sunt. Probatur prima pars, quia fideles non contribuunt primò, & per se decimas, ex quibus constantur beneficia, vt sint præmia bonorum, sed vt Ecclesia habeat sufficiens stipendium, quo alat ministros, qui ipsi seruiunt: & similiter ciues contribuunt Principi, vt destinet bonos ministros, qui rempublicam administrent. Item quia *Num. 18.* dicitur, *filijs Leui dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo*, & Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua.* & 1. *ad Tim. 5.* dicit D. Paulus, *qui bene præsunt, duplici honore digni sunt*, vbi non dixit, qui boni sunt; & in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess 9.* dicitur, *beneficium dari propter officium.* Ergo præcipuè sunt ob Ecclesiæ vtilitatem, & ministerium ipsi impensum. Probatur secunda pars, quia alàs cessaret studium, & honestissima æmulatio, nisi quisque intelligeret ad suos labores, & merita esse recipiendum. Item quia si essent duo beneficia non æquè pinguia, & Ecclesiæ æquè indigentes, certum est pinguius esse conferendum digniori, & tunc non ratione Ecclesiæ, pari tunc vtraque æquè indiget: ergo ratione eligendorum; ergo. Tandem, quia alàs nulla esset personarum acceptio, si non gratia ministrorum, sed tantùm gratia Ecclesiæ instituta essent, si minus dignis conferentur, cùm ipsi nullum ius habeant; quod est contra omnes. Sic tenent Nauarr. *lib. 2. de rest. c. 2. n. 141. 142. fol. 95. & n. 177. fol. 107. & num. 153. fol. 99.* Aragon 2. 2. *q. 62. art. 2. fol. 201. pag. 1.* Salon *ibi q. 63. art. 2. contro. 3. fol. 1102.* Soto 3. *de iust. q. 6. art. 2. & lib. 4 q 6. art. 3. circa solutionem D. Thom. ad 6.* Ledesm. 2. 4 *q 18. art. 2. dub. 9. §. His notatis.*

3 Hinc infertur, quod hæc bona distribuens duo tenetur attendere, alterum est vtilitas Ecclesiæ, vt scilicet illum eligat, qui aptus sit exercendo muneri, siue spirituali, siue temporali, ad quod eligitur, & hoc tenetur facere ex iustitia commutatiua, faciendo scilicet æqualitatem inter ministrum, quem eligit, & stipendium, quod confert Ecclesia, vel respublica ad ministerium, ad quod eligitur. Alterum est meritum illorum, inter quos fit electio, ad quod tenetur ex iustitia distributiua, quia cùm beneficia non tantùm sint stipendia pro idoneis ministris, sed etiam præmia, quæ secundùm iustitiam distributiuam sunt melioribus conferenda. fit, vt qui distribuit, non tantùm teneatur habere rationem sufficientiæ ministrorum, quòd scilicet distribuat dignis, & sufficientibus ministris, quod ad iustitiam commutatiuam pertinet, sed etiam meritorum, quæ ministri habent, vt scilicet det dignioribus, quod pertinet ad distributiuam: & quia principaliùs instituta sunt hæc in vtilitatem Ecclesiæ, & minus principaliter, vt præmia ministrorum, fit, vt in horum distributione magis locum habeat iustitia commutatiua, licèt etiam concurrat minus principaliter distributiua, sic Sotus, Ledesma, Salon, Aragon *proximè citati.* Et idem Aragon *quæst. 63. art. 2. fol. 310.*

4 Tertium fundamentum sit; quatuor conditiones pensandæ sunt ad videndum quis sit dignus, & dignior. Prima est habilitas, seu capacitas iuridica, id est, conditiones, quas postulat ius, vt ætas legitima; quòd sit ex legitimo matrimonio, &c. Secunda, honestas morum, id est, quòd habeat mores honestos, & probos. Tertia, scientia competens ad ministerium, ad quod eligitur. Quarta, prudentia, & industria rerum agendarum, & eo magis quis dignus habebitur, quo magis de his conditionibus participauerit: nec ad colligendum quis sit dignior, sat erit vnam conditionem aduertere, sed opus erit omnes attendere, & ponderare omnes illas in ordine ad principalem finem beneficij, vel dignitatis, quæ confertur. Potest enim contingere, quòd minus bonis moribus, si præmineat scientia, vel industria rerum agendarum, sit dignior, ac præferendus ad beneficium, quia est vtilior bono communi. Sic D. Thom. & Caiet. 2 2. *q. 62. art. 2.* vbi Arag. *fol. 306. p. 2.*; Salon



Salon *eodem art. 2. tota controuersia 1.* Soto *lib. 2. de iust. q. 6. art. 2.* Ledesma 2. 4. *q. 18. art. 2. dub. 9.* Abul. *c. 22. Matth. 116.* Couar. *regula peccatum, 2. p. §. 7. num. 4.*

5 Nota primò quòd hæ conditiones non sunt metaphysicè attendendæ, hoc est, non attendenda maior dignitas ministri ex solis qualitatibus eligendorum metaphysicè consideratis, sed moraliter, & practicè ex qualitatibus executioni mandatis, & redactis in opus, quia cùm beneficia, & officia principaliter instituta sint, vt Ecclesiа idoneos habeat ministros, ille minister simpliciter censendus est dignior, qui huic fini consequendo practicè, & moraliter iudicatur aptior: vnde quando prudenter iudicat electo minus doctum, & minus sanctum diligentiùs laboraturum, & continuam residentiam facturum, vt quòd alius doctior, & sanctior non ministrabit Ecclesiæ, quia præsens non aderit, ille minus doctus, & minus sanctus est dignior, quia in hoc casu hic futurus est vtilior Ecclesiæ suo labore, & residentia. Sic Ledesma *dicto dub. 9.* Salon 2. 2. *q. 63 art. 2. controuersia 3. fol. 1004.* Aragon 2. 2. *q. 62. art. 2. fol. 203. pag. 1.* vbi benè addit, quòd in hoc casu illo doctior, & sanctior erit indignus: quod limitat Ledesma, nisi aliunde Ecclesiæ vniuersali esset multo vtilior. Soto *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2.*

6 Aduerte, quod dixi in hoc fundamento, & in notabili posse aliquando eligi minus sanctum propter excessum in aliis conditionibus, & non dixi malum præferri bono, quia qui non est bonus nunquam est dignus ad ecclesiastica ministeria, maximè quando eligeretur ad beneficia curata, quia qui non diligit dominum, non diligit gregem suum, nec habebit curam illius. Et sic *Ioan. vltimo*, volens Christus eligere Petrum in pastorem, interrogauit, *diligis me?* &c. & hæc est communis sententia Sanctorum *ibi*, & tenent omnes Doctores statim citandi.

7 Sed dubitatur qualiter accipienda sit hæc morum honestas, scilicet an sit peccatum mortale eligere ad beneficium eum qui est in peccato mortali. Quidam enim Doctores id videntur significare. Sic D. Thom. *quod l. 8. art. 6.* vbi hæc dixit, *per quodcunque peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodcunque spirituale exequendũ.* Et D. Dionys. *in epist. ad Demophilum*, vbi loquens de sacerdote malo, inquit, *non est ille sacerdos, sed inimicus dolosus, & lupus super dominicum populum* Et Arm. *verbo elect. n. 21.* vbi hæc dicit, *eligens quem credit esse in mortali, peccat mortaliter*; sed in ratione, quam assignat, clarè loquitur de electione ad prælaturam. Et Ang. *verb. acceptio personarum, n. 6.* vbi hæc dicit, *eligens malũ, peccat mortaliter.* Et Guillelmus, & author summæ virtutum, quos refert, & sequitur Dionys. Carthus. *opusc. de vita canonicor. art. 2. sub finem* vbi hæc dicunt. *Peccat mortaliter, qui est in mortali, quo ies cupit, aut acquirere nititur ecclesiastica bona, quia est indignus.* Et Turr. *c. sin. dist. 25. n. 1.* vbi dicit de necessitate præcepti esse, vt promouendus in Episcopatum, vel aliam dignitatem ecclesiasticam, actu sit sine peccato mortali, & Palacios super id Matth. 18. *Nisi conuersi*; vbi hæc dicit, *qui est in mortali, est iure diuino inhabilis ad prælaturam.* Faciunt etiam ad hoc alij Doctores dicentes, malum indignum esse; hi sunt Ang. & Arm. *verb. elect. n. 23.* Tab. *elect. 1. q. 16.* Rosel. *elect. 1. n. 36.* Syluest. *elect. 1. q. 14.* Panorm. *c. dudum 2. de elect.* Albertus Magnus, quem refert, ac sequitur Gabr. 4. *dist. 15. q. 6. art. 3. dub. 1. concluſ. 1.* Caiet. 2 2. *q 63, art. 2. & q. 185. art. 2.* D Anton. 2. *p. tit. 1. c. 20 §. 1.* Palacios *summ. verbo acceptio personarum*, Mercado *lib. 6. de contract. c. 17.* Alensis 2. *p. q. 136. membro 2. §. 1.* Felin. *in c. quamuis de offic. de leg.* Abul. *c. 22. Matth. q. 116.* at secundùm omnes (vt mox dicemus) peccatum mortale est confere beneficium indigno. Et Caiet. *verbo electio, initio*, dicit esse mortale, eligere prælatum, qui est in mortali.

8 At dicendum est per aliquod peccatum mortale ex fragilitate commissum non dici ministrum indignum, si alias sit benè morigeratus, sed qui diu durat in peccato mortali: pro hac parte est Ledesma 2. 4. *quæst. 18. art. 2. dub. 9.* & Aragon 2. 2. *q. 62. fol. 203. art. 2 pag. 1.* vbi ambo dicunt, quòd bonus minister dicitur ille, qui est talis, de quo communiter habetur opinio, quòd regulariter, & vt plurimum non est in peccato mortali. Et idem Aragon *quæst. 63. art. 2. fol. 306. part. 1.* dicit quòd est ille, qui non est improbus, & vitiosus saltem per modum habitus, & consuetudinis in peccato mortali. Et Corduba *summa quæst. 31.* vbi dicit certum esse dantem curatum ei, qui est in statu peccati mortalis, & recipientem peccare mortaliter. Et Nauar. *miscel. 39 num. 64.* vbi hæc dicit, *mortaliter peccat, si accepit beneficium sciens esse in statu peccati mortalis.* Pro hac parte est etiam Soto *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2. concluſ. 6.* vbi dicit, indignum ministrum esse, qui prauus est, & corruptis moribus: at non dicitur talis per peccatum mortale semel admissum. Et *lib. 10. de iust. q. 2, art. 2. ad 3.* vbi hæc dicit, *ille qui cum animo perseuerandi in peccato mortali Episcopatum acceptat, peccat mortaliter*; vbi non dicit, qui est in peccato mortali transeunter.

9 Sed an sit peccatum mortale eligere ad beneficia huiusmodi malos, qui scilicet frequenter sunt in peccato mortali. Dico ad beneficia curata esse mortale, vt ex tot Doctoribus probaui, & etiam tenet Aragon 2. 2. *q. 63. art. 2. fol. 307.* vbi addit quòd ad simplicia beneficia non est ita certum, at est probabilissimum. Sed ego probabilius credo non esse mortale ad simplicia, & ferè omnes Doctores citati in beneficio curato loquuntur: neque est ratio, quæ vrgeat ad dicendũ esse mortale in simplicibus.

10 Item nota quòd licèt quando sunt cætera paria, ille, qui est industrior, & diligentior ad temporalia gubernanda, est præferendus, at quando pro temporalibus est optimus, in spiritualibus verò minus diligens, præferendus est diligentior in spiritualibus, quia hæc sunt principalia, cætera verò accessoria. Sic Caiet. 2. 2. *q. 63. art. 2.* Abul. *cap. 22. Matth. q. 116.*

11 Item nota quòd licèt in promotione ad prælaturas, & officia spiritualia sit simpliciter præferenda scientia nobilitati generis, & potentiæ sæculari, quia plus confert ad Ecclesiæ regimen, at in aliquo casu præferenda est nobilitas personæ ad hoc vt arceantur lupi, qui non tantùm pacem temporalem, sed etiam spiritualem Ecclesiæ impediunt. Ratio, quia in Ecclesia non tantùm debent esse oculi, id est, sapientes ad dirigendum; sed etiam manus, id est, viri nobiles, & potentes ad defendendum, & operandum, & ita secundùm varios casus, & dispositiones Ecclesiæ variæ personarum conditiones præferendæ sunt. Sic Alensis 2. *p. q. 136. membro 2. §. 1.* Gabr. 4. *dist. 15. q. 7. art. 3. dub. 1.* Ang. *verbo Acceptio personarum, num. 5.* & Syluest. *ibi quæst. 6.*

12 Quartum fundamentum sit. Certissimum est in hac re peccare mortaliter conferentem beneficia indignis. Ratio, quia facit contra iustitiam commutatiuam, ob id enim fideles decimas pendunt, vt sibi idonei ministri assignentur, qui sacramenta conferant, prædicent, &c. facit & contra distributiuam, quia non distribuit beneficia, quæ bona communia sunt, secundùm merita personarum: in hoc conueniunt omnes Doctores citandi.

13 Nota, quòd indignus dicitur, qui non habet qualitates requisitas ad ministerium, cui præficitur; dignus verò dicitur, qui suum munus exequi scit, & solet, quamuis literatus non sit, sic habetur *in c. graue, de præbendis* & docent Spino *speculo test. glos. 4. principali, n. 88.* Nauarr. *lib. 2. de restit. c. 2. n. 149. fol. 98.*

14 His ergo suppositis, dubium principale est, an peccet mortaliter conferens beneficium digno, omisso digniori.

Duplex est sententia.

15 Prima docet non peccare; sed satis esse conferre digno. Probatur ex *c. cum nobis olim, & c. inter canonicos. de elect.* quibus confirmari præcipitur, qui non habet legitimum impedimentum, licèt non sit eminentior. Et ex *c. monasterium 14. q. 7.* vbi dicitur patronum posse nominare, quem voluerit, modo is malus non sit; ergo. Secundò, quia beneficia sunt in vtilitatem Ecclesiæ, vt illis veluti

Universidad de Deusto
Biblioteca



stipendiis prouideantur in Ecclesia idonei ministri, sed hoc satis impletur per bonos, & dignos ministros; ergo non facit contra iustitiam, vel fidelitatem, qui dignos præficit, licèt omittat digniores, neque est vlla personarum acceptio, cùm illis nihil debeatur, sed Ecclesiæ, & acceptio personarum, vt dixi *dubio præcedenti*, tantùm habet locum in debitis ex iustitia. Sic tenent glossa *cap. constituit, el 2. de appel. vers. magis, & c. 2. de offic. custodis, vers. sanctiores, & cap. quoniam, de iure patron. vers. qui maioribus*, glos. & Hugo, & Apparatus *cap. licet ergo* 8 *q.* 1. idem glos. *dict. cap. monasterium*. Perusinus *dicto cap. constituit is*. Ioan. Andreas, vt refert Audrian. *infrà*.

16 Secunda sententia omnino tenenda docet peccatum mortale esse eligere dignum ab beneficium, omisso digniori. Probatur multis testimoniis sacræ Scripturæ, & decretis, quæ videre potes in Soto *vbi infrà*, & in Lessio *vbi infrà*. Item probatur ex *c. vnico, vt ecclesiastica beneficia*, vbi sic dicitur, *Debuisti eccl. siastico beneficium in persona magis idonea dispensare*. Et in Trid. *sess. 24. cap. 18. de reformat.* vbi sic dicitur. *Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit*. Et paulò pòst, *Patronus dignioremi nter probatos ab examinatoribus Episcopo præsentare teneatur*. Item quia, vt probaui secundo fundamento, licèt beneficia primò, & per se instituta sint in vtilitatẽ Ecclesiæ, at etiam sunt præmia eorum, qui in Ecclesia proficiũt, ne doctrina, & virtus neglecta iaceat, sed de ratione præmij est, vt digniori conferatur; ergo ex iustitiæ distributiuæ ordine, & præcepto sunt dignioribus conferenda; ergo cùm materia sit grauis, violans hunc ordinem peccat mortaliter. Et confirmatur, quia si omittatur dignior, iam non attenditur causa, quæ reddit hominem digniorem; ergo est acceptio personarum. Neque obstant adducta in oppositum, quia duo priora capita tantùm volunt electionem digni omisso digniori, esse validam, quod nos dicemus *infrà*. Et caput *monasterium*, petit speciem quæstionem de parrono, de qua nos infrà. Ad rationem patet ex dictis, quòd sunt debita dignioribus ex præcepto iustitiæ distributiuæ. Hanc tenent D. Thomas 2 2. *q.* 63. *art.* 2 & *q.* 185. *art.* 3. & *Ioan.* 21. *lect.* 3. *quodlibeto* 6. *art* 9 *quodlib.* 8. *art.* 6. Cajet. 2. 2 *q.* 62. *art.* 2. & *quæst.* 185. *art.* 3. & *summa verbo electio*, vbi & Palacios, D. Ant. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 20. § 1. Arm. *verbo acceptio personarum, n.* 2. 3. & *verbo electio, n.* 3. 4. Tabien. *electio* 1. *n.* 13. Ang. *verbo acceptio personarum. n.* 6. 10. & *verbo electio, num.* 21. Sylvest. *verbo acceptio personarum q.* 2. & 4. & *verbo elect.* 1. *q.* 16. Nau. *lib.* 2. *de rest. c.* 2 *n.* 133 *fol.* 99. Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *controuers.* 3. *fol.* 1005. Arag. *ibi fol.* 311. & *q.* 62. *art.* 2. *fol.* 203. & *fol.* 208. dicit etiam ipsum Papam peccare mortaliter conferendo beneficium minus digno. Gabr. 4. *dist* 15. *q* 7. *art.* 2. *dub.* 1. Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 17. Lira in illud Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me*. Alensis 2. *p. q.* 136 *membr.* 2. § 2. Rosel. *verbo acceptio personarum*. Abul. *c.* 22. *Matth. q.* 116. *corp.* & *ad* 2. Altisiod. 2. *p. tract.* 33 Sotus 3. *de iust. q.* 6. *concluf.* 9. *in art.* 2. Henricus, & Gofredus per eum citati, Ledesma 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 9. *fol.* 253. *colum.* 1. Couarr. *reg. peccatum*, 2. *p.* § 7. *n.* 4. Panor. *cap. constitutis el* 2. *de appellat*. Rochus *de iure patron. verbo honorificum, q* 15. Ludou. Gomez *c.* 2. *de consit. in* 6. *n.* 12. Maior 4. *dist.* 24. *q* 8. & 9. Adr. 4. materia *de rest. q. Quia iam determinatum est, concl.* 1. Ioan. Lupus *c. per vestras, notabili* 3 § 26. *n.* 12. Lambert. *de iure patron. 2. lib. part.* 1. *quæst.* 10. *art.* 2. Molina *in differentiis inter forum contentionum & animæ, differ.* 13 Nauar. *miscellaneo* 43 *n.* 76 & *cap. si quando, de rescr. pr. excepti.* 1. 1. *ad* 2. Turr. *cap licet* 8 *q.* 1. *n.* 6. Olchor *super cap.* 9. *Sapientiæ, lect.* 19. *litera B.* Perez *lib.* 1. *ordinament. tit.* 6 *fol.* 253. Gerson 2. *p. Alphab.* 24 *litera K.* Niem *summa tit.* 14 & 48. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 5. *num.* 50 & 66 Padilla *l. cùm quidam, ff. de legat.* 2. *num.* 19. & Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 14.

17 Nota quòd hæc sententia limitanda est primò, nisi excessus sit exiguus inter ipsa beneficia, licèt sit excessus notabilis inter personas, (vt inquit Salon) si beneficium, vt centum, conferatur digno, digniori vero beneficium, vt sexaginta & sex, tunc enim est veniale propter leuem excessum, qui æquiualet leuitati materiæ; licèt enim, vt mox dicam, ab excessu, qui est inter personas, sumenda sit radix grauitatis materiæ, at quia, quando inter beneficia excessus est exiguus, damnum, quod infertur digniori, est exiguum, ideo ex paruitate materiæ est tunc veniale. Similiter est veniale, quando licèt excessus inter beneficia sit notabilis, at excessus inter personas est exiguus Quòd si opponas, quòd tunc irrogatur grauis iniuria, & graue damnum, digniori omisso, id negatur, quia irrogari grauem iniuriam, & grauitas materiæ non est attendenda ex qualitate beneficij, sed ex excessu magno, vel paruo in meritis, & quia ratio, vnde emanat illud ius manus digni oris, est modica, scilicit exiguus excessus in meritis: ideo non est mortale prætermittere digniorẽ, sicut licèt magis coniunctis sit facienda eleemotyna, at si quis subueniat consanguineo in quarto gradu, dimisso consanguineo in tertio, aut matri relicto patre, tantùm peccat venialiter, quia ratio potius subueniendi vni, quam alij. quæ est consanguinitas maior est exigua. licèt res, in qua subueniret, esset grauis, vt vita, &c. Sic tenent Soto *lib.* 3. *de iust. quæst.* 6. *art.* 2. *post* 9. *concluf. vers. at vero*. Nau. *lib.* 2. *de restit. c* 2. *n.* 162. *fol.* 102 Arag. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *fol.* 311. Salon *eodem art.* 2. *controu.* 3. *fol.* 1001. 1002. Nauarr. *miscellaneo*, 43. *n.* 77. Sylu. *est. electio* 2. *q.* 16. Gerson 2. *p. alphab.* 24. *litera R.* & iuniores docti, quos ego consului.

18 Notat tamen benè Salon *ibi*, quòd excessus hic inter beneficia non tantùm est attendendus, quoad redditus pecuniarios, sed etiam quoad dignitatem, honorem, & alia, quæ efficiunt beneficium præstantius, potest enim beneficium parum excedere alium in redditibus, multum tamen in dignitate & honore, & tunc si admeretur digniori notabiliter, esset peccatum mortale, quia fieret grauis iniuria in honore, in quo apud viros cordatos est grauior iniuria, v. g. si habens cathedram opponit se alteri vacanti, & non confertur, ei cùm sit dignior, est peccatum mortale; etiamsi ea, quam habet, sit æqualis stipendij illi, cui se opposuit, quia cadere in oppositione cathedræ est multi honoris, & dignitatis; sic Salon *ibi*.

19 An verò elector. qui simpliciter iurauit se electurum dignioremi, peccet mortaliter, eligens minus dignum, quando excessus alterius est exiguus, pendet ex ea q. An frangere iuramentum promissorium in materia leui, quando est materia totalis & integra, sit peccatum mortale. Et qui dicunt esse peccatum mortale, dicent in hoc casu peccare mortaliter; qui verò dicunt non esse mortale, dicent in hoc casu non esse mortale, vt bene dicit Salon *d. art.* 2. *fol.* 1002 & docti iuniores. Quare nos, qui *in lib.* 3. *summæ c.* 4. *n.* 23. cum multis aliis Doctoribus tenuimus non esse mortale frangere iuramentum in tali materia, dicimus, nec in hoc casu peccare mortaliter. Sic docti recentiores à me consulti, & Nauarr. *lib.* 2. *de rest. cap.* 2. *n.* 161. & 162.

20 Secundò limitanda est hæc sententia, vt intelligatur in beneficiis curatis, nam in aliis simplicibus, vt canonicatibus, &c. personatibus, & dignitatibus, quæ beneficia simplicia sunt, tantùm est veniale omittere digniorem, modò dignus eligatur: ratio, quia in his non grauem iacturam patitur Ecclesia, si dignus eligatur, omisso digniori. Hoc est contra Molinam *lib.* 2. *de primog. c.* 5. *n.* 66. & Nau. *miscellaneo* 43 *n.* 77. vbi dicunt esse mortale. Sed nostram sententiam tenent Nau. *lib.* 2. *de restit. c.* 2. *n.* 146. & 147. immo *ibi* nullum esse peccatum dicit, sed meliùs cæteri solùm excusant hoc à mortali culpa. Aragon 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *fol.* 311. Salon *ibi controu.* 3. *fol.* 1010. Soto *lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *columna penult. vers. igitur conclusio*, Nauarr. *summa* Hisp. *cap.* 28. *addit. ad num.* 140. *cap.* 25. Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. *concluf.* 2. Ang. *verbo acceptio personarum, n.* 6. & *verbo elect. n.* 21. vbi malè limitat, hoc verum esse, quando id facit ex affectione, si enim faciat tantùm, quia vult, peccat mortaliter: sed falsa est hæc





est hæc limitatio. Alensis 2. *p. q.* 136. *memb.* 2. §. 2. & docti iuniores, quos ego consului, & innuit Abul. *c.* 22. *Matth. q.* 116. *corpore, & ad* 1. vbi dicens esse mortale præferre minus dignum ad beneficia, semper limitat ad habentia curam animarum.

Hæc tamen limitatio patitur tres exceptiones, in quibus est mortale præferre minus dignũ ad beneficia simplicia.

21 Prima est, quando ea talia sunt, quæ requirunt maiorem sufficientiam in ministro, quàm curata, vt tres canonicatus, qui sunt in Ecclesia cathedrali, vnus ad explicandam sacram Scripturam, alius ad concionandum, tertius canonicatus pœnitentiariæ; sic Nauarr. *ibi*, Salon. *ibi fol.* 1024. *controuers.* 4 *sine*. Lessius *supra n.* 64.

22 Secunda exceptio est, nisi ex collatione beneficij simplicis facta minus digno, queretur notabile damnũ. Sic Nauarr. *dicto c.* 28. *addit. citata*, & docti recentiores.

23 Tertia exceptio est, quando beneficia simplicia dantur per viam oppositionis, tunc enim esset mortale dare digno prætermisso notabiliter digniori, quia magnam iacturam in honore, & æstimatione patitur dignior victus in oppositione: vt dixi in notabili posito post primam limitationem, vbi dixi id esse verum, licèt haberet aliam æqualis stipendij cathedram. Hoc est contra Nauarr. in omnibus summis *cap.* 25. *n.* 57. vbi dicit, *secluso iuramento non esse mortale eligere minus dignum ad cathedras, quæ per oppositionem dantur*. Sed nostram sententiam in beneficiis simplicibus, quæ per oppositionem dantur, tenet idem Nauarr. *summa c.* 28. *addit. ad n* 140. *c.* 25. Aragon *dicto art.* 2. *fol.* 311. *q.* 63 Nauarr. *dicto n.* 148. & docti recentiores à me consulti. Et in cathedris, quæ per oppositionem dantur, quòd sit mortale eligere minus dignum, tenent vltra citatos Nauarr. *eodem c* 2. *n* 333. *fol.* 92. & *n.* 161. Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 4 *fine. fol.* 1125. Soto 4. *de iust q.* 6 *a.* 1. 3. *sub finem, versic. postremũ denique*. Ledef. 2. 4. *q.* 18. *art.* 1. *dub. vlt.*

Tertiò limitanda est sententia, nisi quis eligat dignum omisso digniori, eo quòd breui expectatur locupletior præbenda pro illo digniori: tunc enim non peccaret, quia consulit maiori, & Ecclesiæ, & ipsius digniori vtilitati. Sic Soto 3. *de iustit. q.* 6. *art.* 2. *argum.* 1. quod ponit post 9. *concluf.*

24 Quartò limitanda est hæc sententia, nisi bonum Ecclesiæ exposcat, vt beneficium detur digno, v. g. si vacent duo beneficia, quorum pinguius est simplex, vel si sit curatum, habet pauciores parochianos, vel minus indigentes, tunc digniori conferendum esset minus pingue. Ratio, quia cùm beneficia in vtilitatem Ecclesiæ primatiò instituta sint, hæc semper bono prtiuati ministri præferenda est. Hoc est contra Ledesm. 2. 4 *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 9. *fol.* 256. *pag.* 2. vbi tenet etiam in hoc casu pinguius beneficium esse dandum digniori, quia est minister Ecclesiæ vniuersalis; & magis benemeritus de ea. Sed nostram sententiam tenent Aragon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *fol.* 312. *pag.* 2. Salon *ibi controuersia* 3. *fol.* 1001. & 1003. Soto 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *in solut* 2. quod ponit post 9. *concluf.* Nauarr. *lib.* 2. *de rest. c.* 2. *n.* 140. *fol.* 95. & docti recentiores.

25 Quintò limitant aliqui hanc sententiam, vt teneatur quis ad beneficia eligere digniorem, si consideretur beneficium formaliter, id est, quatenus est honoris, & prouentus rerum temporalium, quia sic ad regulas distributionis communium bonorum spectat; si tamen attendatur ad principale, quod reperitur in beneficiis, scilicet officium pascendi, ministrandi diuina: satis est si conferatur digno, quia sic non est distributio honoris, seu oneris, & alias rationes affert Salon *vbi infrà* pro hac sententia quam tenent multi recentiores, vti refert *ibi* Salon, & eam tenet Cajet. *in summa, verbo electio, & verbo beneficium. § penult. & tentaculo* 12. *q* 4. & alij docti recentiores.

26 Cæterùm benè Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *controu.* 3. *fol.* 1004. & 1005. dicit non oportere inter hæc distinguere, quia licèt opere intellectus secerni possint, at id ad rem moralem nihil confert, cùm actu, & re ipsa semper inseparabilia sint. Et Couarr. *reg. peccatum*, 2. *p.* § 7. *n.* 4. *versic. igitur*, bene reprobat Cajet. defendens vtro ex illis modis considerentur beneficia esse danda dignioribus, saltem ex virtute fidelitatis, qua tenetur dispensator fideliter dispensare præficiendo Ecclesiæ, & reipublicæ digniorem ministrum suis muneribus obeundis.

27 Sextò extendenda est hæc sententia ad religiosos, illi enim tenentur in suum Prælatum eligere digniorem, & hoc sub mortali. Ratio, quia est res maximi momenti, & eligitur ille ad prælaturam, quæ habet curam animarum regularium. Sic Salon 1. 2. *q.* 63. *art.* 2. *controu.* 3. *fol.* 1008. Nauarra *lib.* 2. *de restit. c.* 2. *n.* 159. *fol.* 101.

28 Tandem nota, hoc præceptum eligendi digniorem esse de iure diuino, & naturali, id enim exposcit, vt bona communia, & meritorum præmia conferantur dignioribus, & vt dispensans fidelitatem seruet, præficiendo Ecclesiæ, & reipublicæ digniorem ministrum, hoc est contra Nauarram *lib.* 2. *de restit. c.* 2. *n.* 147. *fol.* 92. sed id tenent Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *contr.* 3. *fol.* 1009. Soto 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *concl.* 9. Abul. *c.* 22. *Matth. q.* 116. *ad* 1. & 2.

## DVBIVM III.

*An obligatio eligendi digniorem ita arctè intelligatur, vt sit dimouendus dignior ab alia Ecclesia minus pingui, cui præest, vt ad pinguiorem promoueatur, v. g. an vacate pinguissimo beneficio, vel Episcopatu, teneatur electo promouere, & eligere digniorem inter ipsos, qui alia beneficia, vel Episcopatus minus pingues habent.*

1 PRimò dico, quòd regulariter non tenetur, imò hæ mutationes ratò faciendę sunt, quia electio dignioris intelligitur, nisi communis vtilitas Ecclesiæ aliud exposcat, & communiter expedit Ecclesiis, ne mutentur Episcopi. Primò, quia ob tales mutationes Episcopi sunt semper animo pendentes, expectantes pinguiorem Ecclesiã, quo fit, vt quam habent, non ament, vt debent, nec curẽt, vt sibi dilectam sponsam, sed vt concubinam ad tempus, cùm vera, & firma dilectio oriri soleat ex perpetuo nexu. Secundò, quia propter has mutationes totum ferè tempus, quo in vnaquaque existunt Ecclesia, debent consumere in cognoscendo grege, & ingenio suarum ouium, antequam incipiant illas debitè pascere. Sic Soto *lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *post* 9. *concl. verùm ex hoc tamen*. Aragon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2 *fol.* 312. *pag.* 1. Salon *ibi controu.* 3. *fol.* 1020 & docti iuniores, & Vasquez latè, & optimè *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 241. *c.* 2. & 3. vbi eiusmodi translationem Episcoporum vetitam esse iure naturali, diuino, & positiuo ostendit. Et *c.* 4 & 5. explicat capita iuris, quæ in contrarium afferuntur: & argumenta soluit, ac denique *in c.* 7. docet, ex quibus causis licita sit talis translatio: & *in fine* addit translationem sine causa iusta factam etiam à Pontifice, non tantùm esse illicitam, sed irritam, & inanem.

2 Secundò dico, quòd aliquando expediet, nempe quando Ecclesiæ vacanti non potest commodè prouideri, nisi sumpto alterius Ecclesiæ pastore, vt patet est *c. mutationes*, 7. *q.* 1. Sic Soto, Salon, & Vasquez *illo cap.* 7. Aragon *ibi*, addítque, & posse benè contingere casum, in quo id sit sub præcepto.

## DVBIVM IV.

*An teneatur eligere digniorem, etiamsi videat suo suffragio nil profuturum, immo obfuturum.*

1 SIt prima conclusio pro indigno, nemo potest suffragari, licèt sciat suo suffragio nil profuturum, nec post electionem potest consensum præstare, quia indignus per puram iniustitiam intromittitur. Sic Soto *lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *post* 9. *concl. versic. sequitur post hæc*. Cajet. *verbo restitutio, c.* 1. *versic. attende ergo*. dicens peccare mortaliter, & docti iuniores.

2 Secunda conclusio. Quando si quis eligat digniorem suo casu suffragio oberit, potest eligere dignum, omisso digniori, v. g. sunt tres oppositores, quidam dignior, alius dignus, si ego suffragor digniori, indignus vincet, sed me accedente ad dignum ipse eligetur, tunc licitum est mihi

Universidad de Deusto
Biblioteca



eligere dignum: Ratio, quia electo[r] solùm tenetur eligere dignior[em] in possibilibus, at in hoc casu eligitur dignior ex possibilibus. Secundò, quia propter maius bonũ Ecclesiæ licitum est dignior[em] omittere, vt diximus *supra ad dub.*2. Sic tenent Soto *supra*, Caiet. *summa verbo electio, fine*, Palacios *ibi* Nauarr. *lib.*2. *de restit. c.*2. *n.*159. *fol.*101 Aragon 2.2.*q.*63 *art.*2 *fol.*312. *pag.*2. Salon *ibi controu.*4. *a fol.*1021. & Lessius *lib.*2.*c.*34.*dub.*13.*n.*60.

3 Immo in hoc casu tenetur electo[r] omittere dignior[em], quia sic consuleret bono Ecclesiæ. Sic Nauar. & Aragon *ibi.*

4 Imò hoc est verum, licèt iurauit eligere dignior[em], quia intelligitur de possibilibus, sic Soto, Nauar. Arag. *ibi.*

5 Sed quid quando sunt duo oppositores, vel plures; & videam maiorem partem velle suffragari digno, & sic si suffrager digniori, meum suffragium erit inutile, in hac re Thomistæ varij sunt (vt refert Salon *supra*) quidam dicunt peccare mortaliter, si non suffragor digniori: alij verò esse veniale, alij verò dicunt non peccare. Et Soto *vbi supra*, ac docti recentiores tenent in hoc casu teneri suffragari digniori, dicúntque hi recentiores esse mortale non suffragari digniori, quia magni æstimat habuisse aliquod suffragium pro se, & maiorem actionem habebit ad sequentem præbendam, & hoc maximè in cathedris. Sed Caiet. *verbo electio, fine*, expresè sentit oppositũ, dicit enim, quòd si is, qui verè est dignior, non potest præponi, quia aliis non placet, eligendus est dignior inter eos, qui possunt haberi. Idem Syluest. *electio* 3. *q.*2.

6 Tertia tamen conclusio sit, si electio est de aliquo Prælato, vel gubernatore, nullum est peccatum tunc eligere dignum. Ratio, quia electus communi consensu, & desiderio subditorum multo suauiùs, & melius gubernat, & melius, ac promptiùs illi obeditur, & cum suauis, ac pacata gubernatio sit vtilior Ecclesiæ, vel reipublicæ, hic dignus in hoc casu erit vtilior, & consequenter dignior, vt bene Caiet. *verb. electio. versic. & scito*, & se conformando huic electioni, verè consulitur bono communi: & licèt aliquale damnum patiatur dignior, debet illud pati ob bonum commune, & in hoc casu tenemus cum Caiet. Sic Salon *supra*, & docti recentiores.

7 Vltima conclusio extra hunc casum, vt si electio sit de aliquo canonicatu, vel cathedra, tenetur suffragari digniori, quia tunc suffragari digno, non est vtile bono cõmuni, & damnificatur dignior, qui iustè, & rationabiliter vult habere aliqua suffragia, & fiet aptior per hoc sequenti cathedræ, ad illámque maiorem actionem habebit; sic Salon *ibi*, & in hoc casu tenemus cum Soto, & doctis iunioribus à me consultis.

## DVBIVM V.

*An patronus teneatur etiam præsentare dignio-rem ad beneficium.*

1 NOta quòd prouidentes beneficia sunt in multiplici differentia, quidam sunt electores generales, qui ex officio suo eligunt, vt Papa in toto orbe, & Episcopi in suis diœcesibus, & de his iam diximus teneri sub mortali eligere dignior[em]. Alij sunt qui hoc habent iure aliquo speciali, vt quia ex suis bonis dotauerunt Ecclesias, vel propter aliquod seruitium concessum est illis ius præsentandi, quod est ius patronatus, vt habet Rex Hispaniæ in omnibus Episcopatibus sui regni: & quidam alij in aliquibus capellaneis & beneficiis; & hi patroni tantùm habent præsentare, at instituere, seu confirmare pertinet ad Papam, vt in Episcopatibus vel ad Episcopum, vt in aliis beneficiis. Alij sunt renuntiatores particulares, qui resignant, vel permutant beneficium in fauorem alicuius tertij. Et de singulis horum agendum est. Et sic in præsenti dubitatur de patronis, an teneantur sub mortali præsentare dignior[em], sicut *supra dubio* 2. diximus teneri electorem sub mortali eligere dignior[em].

Duplex est sententia.

2 Prima dicit non teneri præsentare dignior[em], sed possepræsentare dignum. Probatur ex *c. monasterium* 16.*q.*7. quod est Romanæ Synodi, vbi habetur, eum, qui construxit monasterium, vel oratorium, posse præsentare quem voluerit, modò is malus non sit. Et in Concil. Trid. *sess.*24.*c.*18.*de reform.* vbi dicitur, quòd patronus Ecclesiasticus teneatur eligere dignior[em]. Si tamẽ beneficium sit iuris patronatus laicorum, præsentatus examinetur à deputatis, & non nisi idoneus repertus admittatur. Secundò, quia patronus laicus censendus est quasi institutor beneficij ex propriis bonis, quia vel verè dotauit, vel si habet ex priuilegio Papæ ius præsentandi, tot obsequia præstitit in vtilitatem Ecclesiæ, ob quæ gratia ea sibi concessa est, vt perinde sit, ac si illam Ecclesiam dotasset, & construxisset. Et sic tenet Lambertinus *de iure patron. lib.*2.1 *part q* 10.*art.*3.*n.*17.18.19.20. P. Doctor Henriq. *in suis manuscriptis*, & per hoc dixit excusari Regem Hispaniæ præsentando ad Episcopatus dignum, omisso digniori, & hanc dicit esse valde probabilem. licèt oppositam probabiliorem, de patronis laicis, qui ideo habent ius præsentandi, vel quia construxerunt, vel dotauerunt Ecclesiam de propriis bonis, non verò de illis, qui hoc priuilegio gaudent ex sola Pontificis concessione. Aragon 2.2.*q* 63.*art.*2. *fol.*313. *pag.*1. & eandem tenet, quoad benefic. simplicia, non verò quoad curata, Nauarra *lib.*2. *de restit. c.*2 *n.*150 *fol.*98.

3 Secunda sententia probabilior docet teneri etiam patronum laicum ex iustitia distributiua sub mortali præsentare dignior[em] eodem modo, quo *supra dubio* 2. diximus hoc de electoribus. Probatur, quia hi patroni ex priuilegio speciali habent hoc ius præsentandi loco priorum electorum, scilicet Papæ, & Episcopi, quibus in hoc succedunt ex gratia speciali: ergo tenentur in eligendo seruare modum, quem priores electores seruare tenebantur, scilicet eligere dignior[em]. Item quia qui ex propriis bonis dotarunt Ecclesias, iam ea bona transtulerunt in ius, & potestatem Ecclesiæ: & sic ratio postulat, & ea lege virtualiter ab Ecclesia acceptata sunt, vt dispensare debeant veluti cætera bona Ecclesiastica, scilicet dignioribus. Item quia Episcopatus sunt bona communia, & alia beneficia ex decimis instituta sunt bona communia, vt ex decimis totius populi constituta; ergo debent restitui secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ, licèt dignioribus. Item quia omnia incommoda, quæ sequuntur ex hoc, quòd electores non eligant dignior[em], sequuntur etiam ex hoc quòd patronus non præsentet dignior[em]. Nec rationes oppositæ probant, quia iura ibi citata tantùm probant talem electionem digni admittendam esse in foro externo, ac validam, & sic teneri Episcopum confirmare, vt dicemus *dubio sequenti*. Et falsum est, quòd patronus ex priuilegio censeatur quasi institutor ex propriis bonis: & licèt hoc esset, iam diximus etiam hunc teneri eligere dignior[em]. Hanc tenent Couarr. *reg. peccatum*, 2 *p.*§. 7.*n.*5. Federicus *cons* 95. Molina *lib.*2. *de primogen. c.*5. *n.*96 Spino *speculo testamentorum. gloss.*4. *principali*, *n.*85. Mandosius *addit ad Lagum alleg.*22. Arag. 2.2. *q* 93. *art.*2 *fol.*312. *pag.*2. *fine.* & 313. *pag.*1. & *q.*62. *art.*2. *circa solutionem ad* 4. *fol.*208 Salon 2.2 *q.*63. *art.*2. *controu.*3. *fol.*1010. 1011. Mercado *lib.*6. *de contr. c.*17 *fol.*205. 208. & docti recentiores, quos ego consului. Et videtur expresè tenere Caiet. *in summa verbo electio.*§. *& scito*, vbi postquàm dixit esse mortale eligere ad prælaturam minus dignum, dicit idem esse dicendum de eo, qui per viam prouisionis absque electione facit pastorem.

## DVBIVM VI.

*An Episcopi confirmantes electionem & præsentationem digni, omisso digniori, peccent mortaliter.*

1 QVæstio hæc pendet ab alia priùs disputanda scilicet an electio digni, omisso digniori, valida sit in foro externo: quidam enim excipiunt tres casus, in quibus dicunt non valere. Primus casus est, cùm electio non ex hominis, sed ex legis beneficio competit. Sic Petrus de Bellapertica, quem referunt Immola, Paulus de Castro, & Padilla *infra*. Secundus casus est, quando plures Episcopo præsentantur ab vno, eodémque patrono. vel æquali patronorum suffragio, & Episcopus minus dignum, omisso digniori, eligit. Sic Panor. *c. cum autem, de iure patronatus*, Immola & Cardin. *Clement. plures, eodem tit.* Rochus *de iure patron. verbo honorificum*, *q.*13. Gregor. Lopez *part.*1 *tit.*15. *l.*5 *vers. digno*. Tertius casus est quando ante lectionem, quæ de certis facienda est, denunciatur electoribus, vt digniorem eligant, & à contraria electione, si facta fuerit, ab initio proposita est appellatio. Sic Panormit. & Decius *c constitutis el* 2. *de appellat.* glossi. *pragm. sanctio. tit. de election.* § *ego N. versic. vtiliorem.* Lambertinus *de iure patron.* 2. *lib. part.*1. *q.*10. *art.*3.

2 Cæterùm dicendum est talem electionem validam esse in foro externo (& etiam interno, vt bene Couarr. & Aragon *vbi infra*) licèt electores peccauerint eligendo, quod probat *c. cõstitutus, el* 2. *de appellat. & c. quia propter, iuncto capite cum in cunctis, de elect. c. nisi cum pridem.*§ *ne pro defectu, de renunciat.* & Trident. *sess.*24. *c.*1. & 18. *de reformat.* vbi digniorem esse eligendum dicitur, vt à culpa electo[r] immunis sit: at nõ statuit electionem digni omisso digniori, esse rescindendam. Item quia si locus esset digniori appellandi, & in discrimen adducendi electionem, magna oriretur litium conturbatio, & quæuis electio pateretur calumniam. Hanc tenent D. Thom. 2.2.*q.* 63. *art.*2. *ad* 3. vbi Salon *controu.* 3. *fol.*998. 999. Aragon 2.2.*q.*62. *art.*2 *fol.*207. *lex* 5. *tit.*15 *part.*1. Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de simonia, consil.*21. *n.*1. Spino *speculo testam. glossa* 4. *principali*, *n.*85. Soto 3. *de iust. q.*6. *art.*2. *concl.*8. Gab. 4. *distinct.*15 *q.*7. *art.*3. *dub.*1. Padilla *l. rem quidam*, *ff. de leg.*2. *ni* 8. & *ibi* glossi *vers. qui non*, & *ibi* Bart. Immola, Paulus de Castro *n.*6 Baldus *ibi* allegans Dynum, Angel. *verbo electio, n.*21. Syluest. *elect.*1. *q.* 16. Perez *lib.* 1. *or din. tit.*6. *l.*2. *fol.* 255 Molina *lib.*2. *de primog. c.*5. *n.*46. 47. 48. Pinellus *lib.*2. *C. de rescind. vendit.*2. *part. c.*1. *n.*39. Nauar. *lib.*2. *de restit. c.*2. *n.*115 156. *fol.*109. D. Ant. 2 *part tit.*1. *c.* 20 §. 1. Lyra in id Ioan. 21. *Simon Ioannes diligis me.* Abul. *c.*22. *Matth. q.*116. *ad* 1. Caiet. *summa verbo beneficium.* §. *penultim.* Adrian. 4. *materia de restit. c quia iam determinatum est ad* 1. *contra* 1. *concl.* Couarr. *reg peccatum*, 2. *par* §. 7. *n.*3. 4. Francus, & Immola *dicto constitutis.* Hostiensis, Ioan. Andr. Buttrio, Cardin. *c. cum autem, de iure patronat.* Decius *consil.*129. Lambertin. *de iure patron. lib.*2. *part.* 2. *q.*7. *art.*26. & 3. *part. q.*5. *art.*2. Et specialiter primum casum oppositæ sententiæ improbant Immola, Bald. Paulus de Castro, Padilla *ibidem*. Et secundum casum probant Couarr. Host. Ioan. Andreas, Buttrio, Cardin. Decius, Francus, Lambertinus, Spino *ibidem*. Et tertium casum reprobant Couar. Francus, Immola, Molina, *ibidem, n.*48.

3 Immo hoc verum est, licèt electores iuramentum de digniori eligendo præstitetint, erunt enim periuri, si minus dignum elegerint, at manebit valida electio. Couar. *ibid. m n.*4. Cosmas *pragmatica sanct. tit. de elect* § *Ego N. versic. vtiliorem*, & *ibi* Probus *in addit. n.*6. Salua *de benefic.* 3. *part. q.*27.

4 Hæc tamen sententia intelligenda est secundùm ius commune, quia secundùm statuta aliquarum religionum, vt S. Dominici, potest Prouincialis cassare electionem digni, si viderit dimissum digniorem. Sic Salon *dicto fol.*998.

5 Secundò nota, quòd licèt hæc vera sint stando in iure antiquo, at iure nouo Concilij Trident. *sess.*24. *c.*17. *de reforma.* est maxima difficultas, an electio digni ad beneficia parochialia, digniori omisso, sit valida: & similiter præsentatio patroni facta de digno ad hæc beneficia parochialia, omisso digniori, sit valida. Quod enim non sit valida probatur, quia ibi decernit Concilium, quòd Episcopus teneatur ex examinatis eligere digniorem ad hæc parochialia; & quòd patronus Ecclesiasticus teneatur præsentare dignior[em], & in fine concludit hæc verba: *alias*





*prouisiones omnes, seu institutiones præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur*, & Pius Quintus anno 1566. edidit motum proprium super collatione parochialium, vbi confirmans hoc decretum Tridentin. hæc dicit: *omnes & singulas collationes, prouisiones, institutiones, & quasuis dispositiones parochialium Ecclesiarum ab eisdẽ Episcopis, & Archiepiscopis, ac quibusuis aliis collatoribus tam ordinariis, quam delegatis, etiam Cardinalibus, & sedis Apostolicæ Legatis, ac Nuncijs, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentin. præscriptam, factas, aut in futurum faciendas nullas, irritas, ac nullius momenti fore, & esse, nullumque prouisis eius, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, & parochiales Ecclesias huiusmodi, vt prius ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, ac declaramus.* Et *in fine* concludit: *Quòd si Episcopus minus dignum elegerit, possit dignior reiectus appellare ad Archiepiscopum, vel si eligens sit Archiepiscopus, vel alias exemptus, ad vicinorem Ordinarium, vel alias ad sedem Apostolicã, qui examinet præelectum coram suis examinatoribus, & si alter dignior inuctus fuerit, iudex appellationis reuocet acta, & conferat parochialem digniori, quatenus collatio spectabat ad Episcopum, à quo appellatum fuit: si verò collatio non spectabat ad illum Episcopum, sed examen, & approbatio resultarent illi, ad quem spectabat conferre, vel instituere, vt conferat magis idoneo per iudicem appellationis approbato. Et hæc appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim executioni mandetur: & prouisus causa appellationis pendente ab eadem Ecclesia, ne amoueatur; & si quis à sententia per iudicem appellationis lata voluerit appellare, ad sedem Apostolicam appellabit.* Hæc *ibi*. Quare ductus hoc decreto Concilij, & motu proprio Aragon 2.2. *quæst.*63. *articul.*2. *fol.*314. *pag.*2. dicit corrigitius commune. Et sic quando patronatus est Ecclesiasticus non debere admitti ab Episcopo præsentationem minus digni, tanquam inualidam, propter dicta: & *quæst.*62. *artic.* 2. *fol.*207. dicit, quòd si Episcopus eligat in parochum minus dignum, debet declarari irrita electio per Metropolitanum, iuxta motum proprium Pij Quinti.

6 At dicendum est Concilium, & per consequens motum proprium Pij Quinti, qui in eodem casu loquitur, noluisse in aliquo facultati patronorum derogare: & sic præsentatio patroni facta de digno est valida, & per consequens admittenda est necessario à Prælato. Probatur, quia à iure antiquo recedendum non est, nisi à iure nouo expressis verbis recedatur. *l. vlt. C. de appellat.* at in hoc decreto Trident. non irritatur præsentatio de digno facta, quæ tamen iure communi valebat. Sed tantùm præcipitur, vt eligat digniorem patronus, quod etiam iure antiquo tenebatur facere. Secundò, quia expresè Concilium, & motus proprius dum irritant electionem ad parochiale beneficium de minus digno factam, loquuntur in Ecclesiis parochialibus, & curatis liberis (vt bene Spino explicat *vbi infra*) quæ à solo Episcopo absque patroni præsentatione conferuntur, præcedente examine per concursum, quo casu debet dignior eligi, aliàs electio erit nulla, vt constat ex dicto decreto Tridentini *versic. peracto*, iuncto motu proprio Pij Quinti, in quo motu proprio nulla mentio fit de præsentatione patroni: & quando Concilium in eo decreto loquitur de patroni præsentatione, *ibi versic. Quod in patronatus*, tantùm dicit, quòd patronus clericus teneatur digniorem præsentare. Quòd si obiicias, quòd etiam laicus ad id tenetur, & tamen tantùm dicit quòd præsentet idoneum potest responderi, quòd hoc est sub dubio, & ideo Concilium noluit definire. Vnde verba posita in fine illius decreti Trident. quòd scilicet *institutiones præter dictam formam factæ sint surrepticiæ*, referenda sunt ad edicta præponenda in examinatione per concursum facienda, vt constat ex finalibus verbis decreti, *versic. Hac summa forma*, & verba motus proprij Pij Quinti, quæ pro forma videntur re-

Universidad de Deusto
Biblioteca



quitere, vt dignior præsentetur Episcopo, procedunt quoad ipsum Episcopum eligentem, non verò agitur ibi de patronis præsentantibus: & sic circa præsentationem illorum, cùm sit casus omissus, seruandum est ius commune. Sic tenent Nauar. *lib. 3. consil. tit. de iure patronatus, consil. 5. num. 2.* Spino *speculo testam. gloss. 4. principali, num. 86.* vbi subdit, *quod si plures fuerint à patronis præsentati in numero æquali, si Episcopus non eligat dignorem, collatio, seu institutio erit nulla, iuxta dictum motum proprium.* Sed hoc est minus verum, quia ipse fatetur *ibi* quòd loquitur in curatis liberis, quæ ad nullius patroni præsentationem prouidet Episcopus. Et Nauarr. expresè tenet in nullo derogare patronis, at derogaret, si non valeret electio, & præsentatio digni, quam iure communi diximus valere, licèt æqualibus suffragiis præsentetur alius dignior.

7 Ex solutione quæstionis positæ infertur solutio dubij initio propositi: & sic pro clariori resolutione statuam conclusiones. Sit

8 Prima conclusio, si dignus præsentetur à patrono, etiam digniori omisso, non peccat Episcopus confirmans, immo confirmare tenetur, & si nollet, posset cogi à superiori. Probatur, quia confirmatio est actus exterior, & iuridicus ab habente iurisdictionem ad confirmandum exercendus, sed talis electio est valida in foro externo; ergo. Sic tenent Soto *dicta concl. 8. D. Ant. 3. part. tit. 22. cap. 2. §. 2.* Arm. *verbo electio, num. 4* & *ibi* Caietanus & *verbo beneficium §. penultim.* Couarr. *reg. peccatum, 2. part §. 7. num. 4.* Aragon *2. 2. quæst. 62. artic. 2 fol.* 207. Salon *2. 2. quæst. 63. art. 2. controu. 3. fol. 999.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 6. l. 2. fol. 255.* Cucus *lib. 2. institut. tit. 11.* Bernardus *cap. 3. de iure patron.* Panor. *cap. cùm autem. eodem tit.* Immola, & Cardin. *Clement. plures, eodem tit.* Spino *dicta glossa 4 principali, n. 85. lex 10. tit. 1. part. 1.*

12 Tertia conclusio: si plures fuerint Episcopo præsentari ab vno patrono, vel æquali patronorum suffragio, tenetur Episcopus in conscientia eligere digniorem. Ratio, quia tunc potest digniorem instituere; ergo tenetur ratione iustitiæ distributiuæ. Sic *lex 10. part. citata.* Cou. Spino, Arm. Immola, Cardin. Panor. *proximè citati,* Caiet. *summa, verbo electio.* Salon *2. 2. q. 63. art. 2. controuers 3. fol. 999. & 1000.* Aragon *ibi fol. 314. & q. 62. art. 2. fol. 207.* Rochus *de iure patron. verb. honorificum, q. 13.*

13 Quarta conclusio. Pluribus se opponentibus ad Ecclesiam parochialem iuris patronatus, & inuentis æquè dignis, non potest Episcopus, cui maluerit, eam dare, sed patronus debet præsentare vtrum ex duobus malnerit, & sic præsentatum tenetur Episcopus eligere. Probatur, quia præsentatio pertinet ad patronum, & nullo iure ei negatur. Nã *c. cùm autem, de iure patronatus,* quod pro Episcopo facere videtur quatenus habet Episcopum instituere posse vtrum voluerit ex duobus æquè dignis præsentatis è patrono, quod *ibi* Panorm. & communis. & Lamb. *de iure patron. lib. 2. 3 part. q. 4. art. 11.* sic intelligunt: non facit, quia agit de perfectè iam præsentatis Episcopo, & casus propositus agit de nondum præsentatis, sed tantùm examinatis & approbatis ad præsentandum. Nec Trid. *sess. 24. c. 18. de reformat.* est cõtra hoc, quia à iure antiquo non est recedendum, nisi iure nouo apertè recedatur, *l. præcipimus, C. de appellat.* at iure antiquo poterat patronus digniorem, vel æquè dignum præsentare, & *dicto c. 18.* Trident. non tollitur ei hæc potestas, immo confirmatur, quatenus ei reseruat potestatem præsentandi. Sic latiùs probans Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de iure patron. consil. 5. & 6.*

14 Quinta conclusio: indignum tenetur confirmator repellere. Patet ex Trid. *sess. 24. c. 18. de reform. & sess. 25. c. 9. de reform.* & tenent Mercado *lib. 6. de contr. c. 17.* Arag. *2. 2. q. 63 art. 2. fol. 314.* D. Ant. *3. part. tit. 22 c. 2. §. 12.*

15 Immo eligentes indignum, & præsentantes scienter, priuati sunt pro ea vice potestate eligendi, & præsentandi, *c. cum in cunctis, de elect. §. finali, & c. innotuit, eodem tit. & c. perpetuò, de elect. in 6.* & electores sunt suspensi à beneficiis per triennium, vt patet ex eisdem capitibus: & insuper sunt inhabiles durante illo triennio ad obtinendum beneficia, *c. per inquisitionem, de elect.* possunt tamen eligere, vt patet ex *c. cum Vintonien sis, eodem tit.* quia, vt notat *ibi* Bald. suspensio à beneficio non includit, quòd suspensus eligere nequeat.

16 Circa has tamen pœnas sunt aliqua notanda. Primùm nota, quòd sunt omnes pœnæ latæ sententiæ, ita vt non requiratur sententia aliqua ad illas incurrendum sed statim ipso iure priuati sunt potestate eligendi, & hæc potestas transiit ad superiorem, si erat electio ad beneficiũ inferius Episcopatu, vel ad Papam, si erat ad Episcopatum, vel eo superius beneficium, iuxta *c. quanquam, de elect. in 6.* Probatur ex *c. bonæ, & c. dudum el 1. de elect.* nam *ibi* electio facta à paucioribus qui non deliquerant, præualuit electioni maioris partis, quæ deliquerat, nulla præcedẽte super delicto priuationéve, sententia priuatiua, vel declaratoria. Probatur etiam ex *c. quanquam de elect. in 6.* vbi sic dicitur; si electores, vel ipso iure priuentur potestate eligendi, vt cùm eligunt scienter indignum, vel per sententiam, vt cùm non seruant formam traditam in generali Concilio, gloss. *ibi verbo generali, 1. c. quia propter, de elect.* Ergo in priori casu nulla requiritur sententia. Et sic tenent Panormit. *c. cùm Vintonien sis, de elect. n. 6. & cap. innotuit, eodem tit. n. 19.* vbi gloss. contra Tancredum, quẽ *ibi* refert dicentem, *quoad priuationem eligendi non esse latæ sententiæ, sed ferendæ.* Sed nostram sententiam tenent etiam Immola *eo c. innotuit, n. 3. sub finem, & ibi* Hostiẽsis, & quoad suspensionem, quòd sit latæ sententiæ, colligitur ex Syluest. *verbo suspensio, q. 6. verbo 6.* Nauarr. *c. 27. n. 155.* in summa Latina, vbi inter casus suspensionis, in quibus incurritur ponunt hunc: decuriones autem eligentes inhabilem non priuantur potestate eligendi. Ripa *de peste, in remediis ad conseruandum vbertatem, n. 199.*

17 Secundò nota, quòd ad incurrẽdum has pœnas oportet scienter eligere indignum, vt patet ex *c. innotuit, de elect. cap. quanquam, eodem tit. in 6.* & ibi glossa Panorm. *c. cùm in cunctis, §. finali, de elect. n 2.*

18 Tertiò nota, quòd non debet esse indignus electus quocunque modo, sed debet esse indignus, quia patitur defectum in natalibus, scientia, ætate, & moribus, quia de his tantùm fit sermo *dicto cap. cùm in cunctis, §. finali.* Sic tenent Nauarr. & Syluest. *proximè citati, dicto cap. cùm in cunctis*



*cunctis, §. final. n. 6.* Ioannes Andreas *reg. odia, in mercurialibus.* Immo quando ob talem indignitatem electio est omnino nulla. Sic colligitur ex *cap. dudum, el 1. de elect.* quia *ibi* dicitur, si pateretur in scientia, vel in ætate defectum, qui eum iuxta canonum sanctiones impediret ad huiusmodi officium promoueri. Vbi glossa *verbo ordinibus,* dicit, quòd talis electio nulla est. Item quia *cap. quanquam, de elect. in 6.* quasi irrita sit electio dicitur, quòd deuoluitur eo ipso potestas eligendi ad superiorem. Et sic Panorm. *dicto §. final. n. 6.* & Immola *dicto cap. innotuit, n. 3.* dicit nullam electionem patientis tales defectus.

19 Quartò nota, opus esse, vt sit consummatum delictum, quia si quis nominauit indignum, & recessit ab ea nominatione, antequam præueniretur ad electionem, non incurrit. *c. perpetuò, de elect. in 6.* Pan. *dicto §. finali, n. 2. & 3.*

20 Quintò nota, quòd pœna suspensionis à beneficiis intelligitur à beneficiis, quæ quis habet in ea Ecclesia, ad quam fuit facta electio: vnde ad alia beneficia non extenditur: vnde si in illa Ecclesia non habet beneficia, punietur pœna extraordinaria. Patet ex *c. si compromissarius, de elect. in 6.* & *ibi* gloss. *verbo in illius.* Francus *ibi in fine.* Ioan. Monachus, Ioan. Andr. Panor. *dicto c. cùm in cunctis, §. finali, n. 1.* licèt Archid. *dicto c. si compromissarius,* dicat, quòd quando non habet beneficium in illa Ecclesia, suspenditur ab aliis, quæ in alia habet. Similiter etiam sicut suspensio quoad beneficia habita restringitur ad beneficia illius Ecclesiæ; ita & inhabilitas ad habenda intelligitur etiam ad habenda in ea Ecclesia: vnde in alia Ecclesia poterunt sic eligentes promoueri, durante etiam illo triennio suspensionis, quia inhabilitas ad obtinenda venit accessoriè ad suspensionem ab habitis, vt colligitur ex *c. per inquisitionem, de elect. vers. cum igitur.* Ergo debet regulari secundùm naturam illius suspensionis. Sic Panorm. *dicto cap. per inquisitionem, n. 8.* gloss. *cap. cupientes, §. cæterum, versic. beneficiis, de elect. in 6.*

21 Sextò nota, quòd triennium hoc suspensionis à beneficiis incipit statim post delictum, id est, talem electionem, vt tenent omnes statim citandi: si verò durante hoc triennio iterum delinquat, dubium est an secundũ triennium incipiat finito primo, quod dubium generale est, an scilicet quoties quis est suspensus, vel alia pœna affectus ad certum tempus, an si durante eo tempore incurrat aliam suspensionem, vel pœnam ad certum tempus, hoc secundum tempus incipiat finito primo. Bart. in simili *l. in senatus, §. finali, ff. ad Turpil.* distinguit, quòd si imponatur pœna, vt species, id est, cum determinatione temporis à quo procedit, vt sit suspensus per triennium à die delicti, tunc triennium secundum incipit à die commissi delicti, & confunditur cum priori tempore. Quando verò pœna apponitur generaliter, & indeterminatè, vt dicendo, sit suspensus per triennium, tunc incipit secundum triennium finito primo; quare cùm *cap. cum in cunctis, §. finali, de elect.* absolutè dicatur, quòd sit suspensus per triennium, secundum triennium incipiet finito primo. Sic Syluest. *verbo suspensio, quæst. 6. dicto 6.* Pan. *dicto cap. cum in cunctis §. final. n. vlt.* Sed verius est, vtroque casu incipiat statim a commisso delicto triennium, & sic confundetur cum primo triennio. Ratio, quia licèt nó adiiciatur, tacitè intelligitur, cùm debeat intelligi de primo triennio. *l. eum qui Kalendis ff. de verb. oblig.* & quia in pœnis est mitior interpretatio adhibenda *c. in pœnis, de reg. iur. in 6.* Et si dicas, quid operabitur secunda suspensio durante tempore primæ. Dic quòd satis operabitur, quia multiplicabit vinculum, adeò quòd si tolleretur prima suspensio, non intelligeretur sublata secunda, nisi hoc exprimatur, vt quando multiplicantur excommunicationes. Sic Immola *dicto cap. cum in cunctis, fine,* & *ibi* Ioan. Andr. & Florianus.

22 Septimò nota quòd eligentes, seu præsentantes indignum, non sunt absolutè priuati potestate eligendi, sed tantùm pro illa vice, quia *dict. c. cum in cunctis §. finali,* dicitur esse eligendi tunc potestate priuatos: & tenet *ibi* gloss. *versic. tunc,* & *ibi* Panorm. *n. 1.* vnde non sunt priuati potestate eligendi per totam illam vacationem, sed in prima electione, quæ occurrit facienda tantùm, siue ea habet effectum, siue non; satis enim est, quòd illi fuerunt priuati eligendi potestate in prima electione: & idem est dicendum in casu priuationis propter negligentiam, quando scilicet patronus non præsentauit tempore sibi à lege præstituto, scilicet si sit Ecclesiasticus, intra sex menses, & si sit sæcularis intra quatuor, quo casu priuatur præsentandi potestate, in prima scilicet electione, seu collatione, quæ occurrit facienda, siue ea habeat effectum, siue non, quia si in priuatione propter delictum hoc contingit, à fortiori idem dicendum est in priuatione propter negligentiam, quia dolus præpoderat culpæ, seu negligentiæ, *c. super litteris, de rescript.* sic contra Vincentium dicentem intelligi per totam vocationem, tenet Panorm. *c. cum Vintonien sis, de elect. in 6.* dicens esse communem; & glossa *c. si electio, de elect. in 6. verbo integrum.* Nota tamen Panor. *ibi n. 13.* & benè, quòd si illa electio non habuit integritatem suam, quia solùm electores peruenerunt ad tractatum electionis, & non facta electione recesserunt, non dicetur purgatum vitium patroni præsentantis priuati pro ea vice, quia ius priuat prima vice potestate eligendi, verba autem debent intelligi cum effectu, vt *cap. relatum, de cler. non resid. & l. 3. ff. quod cuiusque.* Ergo requiritur quòd peruentum fuerit ad electionem cum integritate sua, licèt ex aliquo accidenti non habuerit effectum. Idem Anton. *ibi* contra Tancredum *ibi.*

23 Octauò nota, esse graue dubium, an hæc pœna priuationis potestate eligendi, eo quòd eligit indignũ, habeat locum in patrono laico, vel tantùm in Ecclesiastico, quidam enim affirmant habere etiam locum in laico, quia hoc inuenitur expresè de eisũ *§ si quis oratorij, Auth. de sanct. Episc. collat. 9* cui legi ciuili standum est, cùm oppositum non inuenitur in iure canonico, argum. *c. 1. & 2. de noui operis nunciat.* Alias rationes afferunt Panor. & Padilla *vbi infra,* sic tenent Host. *c. cum vos, de offic. ordin.* & *ibi* Panor. referens Lignauo & Dominos de Rota. Idem Panor. *c. 2. §. final. de suppl. neglig.* Paulus de Citadinis, Aret. Ripa, quos refert, & sequitur Padilla *l. cum quidam, ff. de leg. 2. n. 17.* Rochus de Curte dicens esse communem, *de iure patron. verbo honorificum, q. 4. versic. limita tamen, n. 15.* Probus *c. si tibi absenti, de præb. in 6. n. 53.*

24 Cæterùm oppositum est probabilius, scilicet tantùm habere locum in patrono Ecclesiastico: vnde patronus sæcularis scienter præsentans indignum, poterit iterum præsentare. Ratio, quòd diuersitas est, quia laici sunt minus expertes rerum Ecclesiasticarum, & habent minus tempus ad eligendum & possunt variare, at patronus Ecclesiasticus nequit variare, & habet longius tempus. Item quia in iure canonico, cui in hac re standum est, & non legi, quæ circa Ecclesiastica nihil potest disponere, non inuenitur talis pœna, nisi contra patronum Ecclesiasticum, vt patet ex *cap. cum in cunctis §. finali, de elect.* maximè quia *§. si quis oratorij,* quod oppositi allegant pro se, tantùm dicit quod indigno præsentato Episcopus procuret, quòd instituatur idoneus; quod potest intelligi sollicitando patronum. Et sic respondet Ioan. Andr. *infrà.* Item quia *l. 5. tit. 15. part. 1.* expresè probat hanc sententiam. Sic tenent glossa *c. cum vos, de offic. ordin. versic. minus, & c. pastoralis, de iure patron. versic. robur.* Ioan. And. *dicto cap. cum vos,* & *ibi* Anchar. *n. 4.* Immola *n. 7.* Cardin. *ibi.* Archid. *cap. 1. de præb. in 6. num. 2* Oldradus *cons. 13. n. 6.* Immola *l. serui, in principio ff. de legat. 1.* Beroius *cap. quad autem, de iure patron.* dicens esse communem *n. 10.* Castaldus *tract. de Imperatore, q. 15. l. n. 3.* Lambert. *de iure patron. lib 1. p. 1. q. 10. art. 2. num. 15.* Perez *l. 2 tit. 6. lib. 1. ordinam.* Spino *speculo testam. gloss. 4. principali, n. 87.* Francus *cap. si electio, in 6. n. 4.* Angel. *verbo ius patronatus, n. 18.* Syluest. *ibi quæst. 7.* Tab. *q. 16.* Arm. *num. 9.* & in hanc, licèt dubius, magis inclinat Gregor. Lopez *l. 5. tit. 15. part. 1. versic. otro.* & hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca



est commune. Et in pœna suspensionis hoc tenet Nauar. *cap. 27. num. 155.*

4 Nonò nota, quòd pœna suspensionis triennij à beneficiis, tantùm habet locum in eligentibus indignum ad Episcopatum, vel dignitatem Episcopatu superiorem, vt patet ex *cap. si compromissarius, de electione in 6.* & etiam glos. *c. quanquam. de elect. in 6. versic. secus.* Panorm. *c. cum in cunctis. §. finali, de elect. n. 4.* vbi Immola *n. 7.* idem Pan. *cap. per inquisitionem, eodem tit. n. 8.* Nauar. *cap. 27. n. 155.* immo Panor. vtrobique idem sentit de aliis pœnis, scilicet priuatione potestatis eligendi; sed dicit, quòd eligentes ad beneficia inferiora indignum, punientur pœna arbitraria, & videtur tenere *ibidē* Immola. dicit enim, quòd tantùm incurrunt, quando eligunt Episcopum, saltem, quoad suspensionem. At glos. *dicto versic. secus*, dicit hanc pœnam etiam habere locum in aliis electionibus ad beneficia inferiora, quod expressè ex eo *c. quanquam*, colligitur, & ex *cap. dudum. el 1. de elect.*

26 Decimo nota, non incurrere illam suspensionem Cardinales eligentes indignum in Papam. Nauar. *dicto n. 115.*

27 Tandem nota, quòd Episcopus confirmans indignum talem, est priuatus ea vice facultate conferendi, *dicto cap. cum in cunctis. § final.* vbi Panorm. *n. 6.* dicit esse ipso iure, videtúrque tenere Syluest. *verbo suspensio, q. 6. versic. 6.*

## DVBIVM VII.

*An renunctans, permutans, vel regressans beneficium in minus dignum, omisso digniori, & Prælatus acceptans, peccet.*

1 CErtum est, & tenent omnes Doctores citādi peccare mortaliter quando in indignum, quia tenera est causa iniustæ collationis, & damni illati Ecclesiæ, & præter Doctores citandos tenet etiam Soto *3. de iust. q. 6. art 2. fin. versic. alterum dubium.*

2 Nota tamen quòd licet peccent conferentes indigno beneficium, siue conferens sit electo r, siue patronus, siue resignator, hoc tamen distat inter hos, quòd electo r, siue patronus peccat etiam contra iustitiam commutatiuam, tenebatur enim ex officio consulere vtilitati Ecclesiæ: & contra distributiuam, quia cùm sit persona publica, & vt talis distribuens bona communia, debet ea conferre dignis: at resignator peccat contra commutatiuam, quia eo ipso quòd fuit beneficiatus, tenebatur consulere vtilitati Ecclesiæ, & illi non nocere; quod facit sumpto indigno. at non peccat contra distributiuam, quia non est persona publica, ad quam pertinet distribuere pro meritis. Sic Salon *2. 2. q. 63 art. 2. controuersia 3. fol. 1017.* & docti recentiores à me consulti.

3 Dubium autem est de renunciante in minus dignum, omisso digniori, aliqui enim censent teneri sub mortali eligere digniorem, sicut ipsum cōferentem, quia verè est causa illius collationis. Sic tenet Nauarr. *miscellaneo 43.* Palacios *in summa verbo, beneficium, c. 4* Nauarra *lib. 2. de restit. c. 2. n. 173. initio fol. 106.* limitat Nauar. *eo miscellaneo 43.* nisi renunciet in æquè dignum, ac ipse possidens erat, etiam omisso digniori; quia sicut poterat ipsemet retinere, sic in æquè dignum, ac ipsum renunciare. Immo Palacios addit etiam peccare mortaliter Episcopum admittentem renunciationem in minus digni fauorem.

4 Prima tamen conclusio sit, non peccat renuncians beneficium in fauorem minus digni. Probatur, quia hic renunciator non est distributor boni communis, quia beneficium non est tunc bonum commune, sed appropriatum illi, & sic non tenetur seruare leges iustitiæ distributiuæ. Secundò, quia iura tantùm loquuntur de præsentante, & conferente per viam vacationis; & sic seruatur in praxi, non enim dignioris inquisitione, & concursu cō. runtur beneficia renunciata etiam curata, nec aliquis experientia teste conqueritur, quòd hæc beneficia renunciata dentur minus dignis. Sic tenent Salon *supra*, dicens esse communem inter Thomistas, & Nauarra *supra*, postquam dixit teneri in digniorem, subdit, licèt possit dici sat esse indigno renunciare: & sic dicit praxi seruari etiam in curatis. Idem tenet Mercado *lib. 6 de contract. cap. 17. fol. 216. 217.* & docti recentiores, quos ego consului.

5 Hinc à fortiori fit, non peccare Episcopum conferentem illi digno, in cuius fauorem renunciatum est Ratio, quia collatori sat est, quòd electio sit valida, qualis est ista. Sic Salon *ibi* Caiet. *verbo beneficium, cap. vltimo*, & quidam doctus recentior à me consultus.

6 Secunda conclusio idem omnino dicendum est in permutante. Patet ex isdem rationibus, sic doctus quidam iunior, quem ego consului.

7 Tertia conclusio: idem dicendum est de faciente regressum. Ratio, quia facere regressum est idem, quod renunciare, præterquam quòd regressans renunciat post suum obitum: renuncians verò renunciat statim. Sic Mercado *ibi*, & quidam docti recentiores, inter quos D. Henriquez *in suis manuscriptis.*

8 Nota tamen hoc distare inter regressantem, & renunciantem, quòd regressans longam expectans vitam, potest facere regressum in puerum præbentem de se spem futurum esse, qualem oportet, at renuncians, cùm statim conferat, tenetur in eum, qui actu est dignus. Sic Mercado *ibi.*

## DVBIVM VIII.

*An vsque adèo procedat hæc obligatio eligendi digniorem, vt teneatur electo r conferre digniori qui extraneus est, vel sit præferre dignum naturalem regni digniori extraneo. & sic licita sint statuta, vt beneficia alicuius regni non conferantur nisi regnicolis.*

1 ALiqui Doctores damnant huiusmodi statuta, & docent iis non obstantibus eligendū esse digniorem vndecunque sit. Probatur ex *c. ad decorem. de iur.* vbi Innoc. Tertius reprehendit Patriarcham Constantinop. eo quòd tantùm ex Veneris eligeret ministros Ecclesiæ suæ. Affert duas rationes; prima est, quia *Act. 10.* habetur, *in omni gente faciente iustitiam acceptus est iustus Deo.* Secunda est, quia videtur esse successio hæreditaria eligere tantùm ex hac natione ad beneficia, quā abhorrent maximè beneficia Ecclesiæ. Secundò probatur ex D. Greg. & habetur *c. nos qui dist. 40.* vbi sic dicit: *Nos qui præsumus, non debemus innotescere loco, aut dignitate generis, aut vrbium claritate.* Sic tenet Maioris *4. dist. 24 q. 9.* Addidē sunt aliqui dicentes, talia statuta non impedire, quin si extra illam Ecclesiam inueniatur dignior, non possit eligi. Hi sunt D. Ant. *2. part. tit. 1. c. 20. §. 1.* Gabr. *4. dist. 15. q. 7. art. 3. dub. 1* Abulens. *c. 22. Matth. q. 119.* vbi addit non teneri eligere digniorem illum extra illam Ecclesiam.

2 Sit tamen conclusio iustissima & sanctissima sunt talia statuta, & omnino seruanda, ita vt nullo modo possit eligi dignior alienigena, sed eligendus sit dignior inter naturales. Et sic in Hispania cauetur *l. 14. 18. 25 lib. 1. tit. 3. nouæ recop.* ne ad beneficia huius regni qualiacunque sint etiam præstimonia, nec etiam ad pensiones constituras super huius regni beneficiis admittantur alienigenæ, qui scilicet non sunt huius regni naturales; & asseritur *ibi* esse immemorialem consuetudinem in Hispania de hoc, & esse priuilegium Papæ Sixti concessum Regibus Hispaniæ, vt sine illorum licentia non admittantur exteri ad Hispaniæ beneficia. Et quòd sint iusta hæc statuta, probatur primò, quia hoc statutum est valdè conforme iuri diuino, & valdè ad bonum Hispaniæ regimen expediens. Patet Deut. 18. *Prophetam de gente tua, &c. &* 17. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem.* Item est valdè conforme iuri Canonico & ciuili; in Trid. *sess. 25. c. 5. de reform.* iubetur, vt seruentur qualitates, & conditiones, quæ secundùm aliquas constitutiones exiguntur in beneficiis. & *cap. bonæ, el 2. de postul. versic. Quia verò*, sic dicitur: *Non poteramus saluā conscientia eidem Ecclesiæ de persona alterius regni prouidere* Idem *c. ne pro defectu de elect. cap. nec e meritis, & c. nullus 61. dist. c. finali, de cler. peregr. cap. Alphros. 98 dist. cap. neminem 70. dist. & l. in Ecclesiis*, ibi, *in vico natus. C. de Episc. & Cler. & l. vna. C. non licere*



*licere habitat. lib. 11.* Immo adeò intendit Papa vnicuique in sua patria prouidere, vt prouisio facta extero, non facta mentione originis, sit irrita, & surreptitia, propter capita allegata, vt optimè docent Rebuffus *praxi benef. tit. de rescript. mixtis, regula 20 glos. de pacificis possess. num. 217.* & glossa *c. si proponente, de rescript. versic. de hoc.* Panorm. *ibi n. 3.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 18. versic. Que ningun.* Greg. Lopez *l. 13. tit. 15. part. 1. vers. de aquel.* Felinus *cap. sicut tuis, de simon.* Corsetus *singulariter incipienti, surreptio.* Selua *de benef. 3. part. q. 26.* Roma. *l si vero §. de vino fallentia 14. ff. solut. matrim.* Barbat. *cons. 23. volumine 1.* Salzedo *practica c. 54. nouæ addito n. 3.* Spino *speculo testam. glos. 3. num. 34.* Auendañ o *cap. Prætorum. n. 32. vers. Item ex eadem, lib. 1.* Item hoc est conforme rationi, & bono reipublicæ regimini. Et ita ferè apud omnes orbis nationes est tale statutum, vt referunt Doctores citandi, quia extranei secreta regni pandenti: communiter non residebunt: extrahent pecunias regni: corruptis alienæ prouinciæ moribus, vel parum aptis Hispanos inficient: minus affecti erunt subditi, vt parochiani erga illos, & non ita admittent eorum doctrinam. Item, quia cùm in Hispania tot sint digni non est iustum panem filiorum eripere, & dare alienigenis. Item quia ex redditibus Hispanorum sunt fundata beneficia Hispaniæ, fraudarentur autem fundatores vltima voluntate, si bona illa à naturalibus ad extraneos transferrentur: maximè quia, vt dicemus *infra*, ij præferendi sunt ex quorum bonis sunt fundata beneficia: & sic tale statutum ac optimum approbant vltra Doctores citatos, qui dicunt prouisionem aliter factam esse surreptitiam. Iunoc. *cap. quia diuersitatem, de concess. prabend.* Panorm. *cap. ad decorem de iur.* Decius *cons 541. n. 14. & 695. n. 23.* Parisius *cons. 38. n. 13. & 14. lib. 4.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 2 l 18.* Couarr. *quæst. pract. c. 35. n. 5.* Spino *speculo testament. glossa 3 à n. 32* Azebedo *lib. 1. nouæ recopil. tit. 3. l. 14. per totam* Nauar. *miscellaneo 43. n. 76.* Mandosius latissimè, & optimè *reg. 16. Cancel. q. 49.* Dueñas *reg. 202. fine.* Salon *2. 2. q. 63. artic. 2. controu. 3. fol. 1019.* Soto *lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. proximè ante decimam conclus.* dicens in Trident. fuisse consultum eo præsente, summo omnium consensu, vt omnia beneficia fierent patrimonialia. Lud. Gomez *regula 20. Cancellariæ q. 1.* Ledesm. *2. 4. q. 18. art. 2. dub. 9. fol. 256. pag. 2. glos. cap. hortamur. 71. dist.* Rochus *de iure patron. verbo honorificum, q. 18.* & multi alij, quos Doctores citati referunt.

3 Nota primò adeò hoc verum esse, vt etiamsi Cardinales sint, non possunt obtinere beneficium in Hispania, si naturales non sint. Azeb. *dicta l. 14. n. 55.* & sic seruari in Gallia, docet Rebuff. *praxi benef. regula 20. Cancellariæ.*

4 Secundò nota, etiam beneficium non posse dari in commendam non naturalibus. Sic Rebuff. *ea regula 20.* & *ibi* Gomezius *q. 5.* Azebedo *dicta l. 14. n. 52. 53.* & ratio est, quia commenda, licèt temporalis sit, vetus est canonicus beneficij titulus, vt optimè dicit Nauar. *cap. quando. Latin. c. 20. n. 16.* vbi addit, quòd si apud aliquem inueniatur, non esse titulum, intelliget per titulum id, quod multa iura intelligunt, scilicet ius per quod id beneficium sit habentis illud, quale non est commenda, præsertim cùm non sit perpetua, & quòd sit titulus canonicus, docet etiam late Rebuff. *de pacifica possess. num. 36.* vbi multos Doctores, & textus refert, & multa, quæ dicuntur de beneficiis, dicit intelligenda etiam de habentibus ea in commendam, vt si est curatum, quia tenetur promoueri intra annum: quod potest permutare commendam illam cum habente proprietatem alicuius beneficij. & plura alia. Et quòd sit titulus, tenet etiam Gomezius *regula de triennali possess. q. 5. & regula de impetrantibus beneficia vacantia. q. 6.* Azebedo *dicta l. 14. n. 53.* gloss. *cap. nemo, de elect. in 6 versic. commendare*, & sic dicit *ibi* non vacare, dum est commendata; & si impetret aliud beneficium, teneri facere mentionem de commenda; & vocandum esse patronum, & alios, qui læduntur, ad talem commendam.

5 Tertiò nota, quòd neque regnicolæ ipsi per ius habitum ab extraneo possunt habere beneficium, vel pensionem in Hispania, v.g. per renuntiationem exteri. Sic habetur *l. 25. tit. 3. lib. 1. recop.* Azebedo *dicta l. 14. num. 54. & l. 18 eod. tit.*

6 Quartò nota, quòd licèt is, qui literas naturalitatis impetrauit à Rege, fruatur huius regni priuilegiis, & immunitatibus: vt multis citatis Doctoribus tenet Salzedo *pract. canon. c. 54. nouè additio n. 14* vbi etiam dicit cum Menchaca per eum citato, *de testam. lib. 3. 1. part. §. 3. n. 295.* quòd talis potest admitti ad collegia habentia statutum, vt exterus ad ea non admittatur: at ex simplici concessione literarum naturalitatis non potest beneficium consequi in Hispania, nisi hoc sibi expressè concedatur, quia generalissima ea concessio ad hunc casum specialissimum extendi non debet. Quod potest etiam probari ex iis, quæ tradit Baldus *l in vrbe. ff de statu hominum*, vbi ait, adoptiuum ciuem, qui scilicet ex priuilegio receptus est, admittendum non esse ad honores, ad quos tantùm naturales admitti consueuerunt. Sic tenent Salzedo *eo n. 14.* Azebedo *dicta l. 14. n. 56.* Greg. Lopez *l. 2. versic. mager, tit. 24 part. 4* Perez *l. 10. tit. 3. cuarto.*

7 Quintò nota quòd si exterus ex Principis dispensatione obtineat beneficium, non potest illud cum alio permutare. Ratio, quia dispensatio est stricti iuris, & sic non vlteriùs, quàm ad beneficium habitum ex priori collatione debet extendi. Item quia per permutationem vacat prius beneficium. *cap. vnico, de rerum permutat. in 6.* ergo necessaria est noua collatio sequentis beneficij, ad quam externus non est dispensatus. Et confirmatur ex iis, quæ tradit Arch. *c. 1. de filiis presbyt. in 6 fine, & ibi* Fr̄ācus *n. 12.* & Dominicus *ibi*, vbi dicunt illegitimum dispensatum ad obtinendum beneficium non posse illud deferendo, aliud acquirere, quia iam in obtentione primi beneficij dispensatio est consequuta suum effectum. Sic tenent Salzedo *dicto c. 54. n. 16.* dicens esse verissimam & Perez *lib. 1. ordin. tit. 6. l. 3.*

8 Hinc ex dictis defenditur iustitia legum *21. 22. 23. lib. 1. tit. 3. nouæ recopil.* quibus cauetur, vt seruetur consuetudo Episcopatus Palentini, & Caleguritensis, id est, Calahorra, vt beneficia sint patrimonialia illius dioecesis, id est, originariis tantùm dentur illius dioecesis, & quòd dentur mandata regij senatus super hac consuetudine obseruanda. Et quòd tale statutum iustum sit, patet ex omnibus adductis, & quia est valde conforme iuri canonico, *cap. nullus 61. dist.* quod est Cælestini Papæ, sic habetur: *Non eligatur in Episcopum de altera Ecclesia, nisi dignus non inueniatur in eadem ciuitate, cui est præficiendus.* Idem omnino *cap. obtum, eadem dist.* quod est D. Gregor. Papæ, & *cap. Metropolitano*, quod est D. Leonis Papæ, *63. dist.* sic dicitur. *Ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ optimus in Episcopum eligatur*, &c. *sacrorum. dist 63.* dicitur, *de eadem diœcesi in Episcopum eligatur.* & sic hoc statutum approbat D. Thom. *2. 2. q. 63. art. 2. ad 4.* Couar. dicens, quòd *vtinā vbique locorum fieret, quia Ecclesiis, ac sacerdotiis, ac diuino cultui sanctius, ac diligentius exhiberetur ministerium, q. pract. c. 36. n. 3. versic. olim* Soto, & Salon *supra* citati. Azebedo *lib. 1. recop. tit. 3. l. 21* Auendañ o *lib. 1. c. prætorum. c. 1. n. 32. vers. Item ex eadem.* Guillelmus *cap. Raynutius, de testam. verbo absque literis, n. 52.* & confirmatur ex Trid. *sess. 25. c. 5. de reformat.* vbi præcipitur, vt obseruentur omnes qualitates requisitæ ad beneficia ex quacunque erectione, seu fundatione, seu aliis constitutionibus, aliàs prouisio illorum sit nulla. Et sic dicit *ibi* Auendañ o, quòd impetratio erit surreptitia, nisi facta mentione, & derogatione talis constitutionis.

9 Nota tamen circa hæc decreta in hoc notabili adducta, quibus præcipitur, vt originarius illius Ecclesiæ tantū eligatur in Episcopum, iam esse per contrarium vsum abolita, & sic passim videmus fieri: sic Host. Ioan. Andr. *cap. significasti. de iure patron.* Lambertinus *de iure patron. lib. 2. 1. part. quæst. 7. principali, art. 24. n. 35.* Nauarr. *lib. 2. de restit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sestit. c.2. n.168.169. fol.*104. Dueñas *regula* 202. *limit.* 3.

10 Hinc secundò deducitur, quid dicendum sit de statuto, quod est in aliquibus Ecclesiis, vt qui priùs promouetur ad sacerdotium, accipiat priùs beneficium, ex beneficiarisque antiquior sit curatus, quale est in Collegio Ecclesiastico Granatensi, quod habet annexa aliquot beneficia simplicia, quæ cùm vacant, dantur antiquiori, dicendum enim est, quòd in beneficiis curatis est intolerabile statutum, cùm ad illa tantùm expediat eligere digniorem: at in beneficiis simplicibus est tolerabile statutum, modò ille dignus sit, cùm in his non tanti momenti sit dignior em eligere: & ex alia parte incitantur homines ad collegium illud, vel ordines. Patet hoc etiam ex Doctoribus quos *infra* referemus, qui etiam non admittunt posse fundantem ex suis bonis, Ecclesiam statuere, vt ex certo genere personarum eligantur parochi, sed benè de simplicibus beneficiatis, nedum in hoc casu. Et sic tenet quidam doctissimus recentior in suis manuscriptis, qui asserit Complutenses consultos sic respondisse.

11 Tandem ad argumenta respondetur, ad *cap. ad decorem, de instit.* dico cum glossa *ibi versic. undecunque*, & communi, ideo reprehendisse illum, quia nec Veneti erant naturales, sed extranei, & eo ipso quòd exteros eligebat, debebat ex omni natione eligere, cùm non esset maior ratio vnius, quàm alterius nationis. Ad primam rationem dico, quòd non est acceptio personarum, nec etiam successio hæreditaria, quia non eligitur naturalis, vt naturalis est, sed quia cùm sit naturalis, est multo vtilior Ecclesiæ, ex qua tota dignitas ministri attendenda est, Et per hoc patet ad cætera.

## DVBIVM IX.

*Quis dicatur naturalis regni Hispaniæ, vt in eo possit beneficia, vel pensionem obtinere.*

1 OPortet præmittere verba legis Hispaniæ, hoc disponentis, nempe *lib.* 1. *nouæ recopil. tit.* 3. *l.* 19. his verbis: *Aquel se diga natural, que fuere nacido en estos Reynos y hijode padres, que ambos a dos, o alomenos el padre nacido, y natural en estos Reynos, o aya contraido domicilio en ellos, y demas desto aya viuido por tiempo de diez años, con que si los padres siendo ambos, o alomenos el padre nacido, y natural en estos Reynos, estando fuera dellos en seruicio nuestro, o por nuestro mandado, o de paso, y sin contraer domicilio fuera destos Reynos, vuieren algun hijo fuera dellos, este tal sea auido por natural destos Reynos, y esto se entienda en los hijos legitimos, y naturales, o en los naturales solamente: pero en los espurios disponemos que las qualidades, que conforme alo suso dicho se requieren en los padres, ayan de concurrir, y concurran en las madres.* hæc ibi.

2 Ex hac lege colligitur duas conditiones exigi, vt quis dicatur naturalis huius regni, vt possit in eo obtinere beneficia, altera requiritur ex parte obtenturi beneficium, altera verò ex parte eius parentum; quæ claritatis gratia seorsum ponentur.

3 Prima conditio, quam exigit lex ista ex parte obtenturi beneficium, est quòd in his regnis natus sit: atque in hac conditione declarat, quòd si foris nascatur, dum eius parentes obiter, & casu alicuius negotij causa extra hæc regna versantur, in his eisdem regnis ortus censeatur (de quo nonnulla dixi *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 23. *n.* 3.) Duplex autem conditio debet concurrere: prima est, quòd parentes casu ibi adessent, quin domicilium contraherent. Secunda quòd si sit filius legitimus, aut naturalis, eius pater sit ortus, & naturalis in his regnis: si verò sit spurius, ipsius mater orta sit, & naturalis in illis.

4 Secunda conditio in dicta lege petita ex parte parentum aspirantis ad beneficium, est quòd si fuerit filius legitimus, aut naturalis, pater eius natus sit, & naturalis in his regnis, vel in illis domicilium contraxerit, simúlque per decennium habitauerit; si verò sit spurius, hoc matri competat.

5 Circa primam conditionem nota primò, & similiter circa secundam, quòd dum requirit in eis lex natiuitatem, vel naturalitatem in his regnis, per hæc regna non intelligit omnia subiecta Regi Hispaniæ, sed regnum Castellæ, & Legionis, id est, *de Leon.* Quare nati in regno Aragonis, & Nauarræ exteri sunt. Ratio, quia licèt dicta regna fuerunt regiæ coronæ adiuncta, tamen hoc in modum submissionis factum est, sed pristino in robore remanserunt suis propriis legibus, & moribus regendi. Sic Perez *l.* 18. *tit.* 3. *lib.* 1. *ordin.* §. 1. asseuerans, sic nostris temporibus fuisse sententia iudicum declaratum. Burgos *l.* 1. *Tau. n.* 451. Salzedo *pract. can. cap.* 54. *nouæ, addition.* 24. vbi aduertit cum Burgos *ibidem*, & Olano *in concordiæ iuris proœmio*, *n.* 20. quòd iam peculiari concessione indultum est originariis regni Nauarræ, vt censeantur naturales, quoad beneficia; & sic multa illius regni obtinent iam beneficia.

6 Secundò nota circa primam conditionem non sat esse in prætendente beneficium, quòd in his regnis contraxerit domicilium, & habitationem decennalem, quia expressè petit lex, vt in eis natus sit. Sic Azebedo *lib.* 1. *nouæ recop. tit.* 3. *l.* 19. *n.* 1. item quia naturalis distinguitur contra habentem domicilium. *lege* 32. *tit.* 2. *part.* 3. & ita Greg. Lopez *ibi, verbo natural.* explicans, quis dicatur naturalis, ait ratione originis propriæ, vel paternæ, vel auitæ.

7 Tertiò nota circa eandem conditionem, quod Rebuff. *de pacif. possess. n* 267. *in nouis*, dicit quòd si infidelis baptizetur in regno, dicitur naturalis illius, cùm per Baptismum renatus videatur. Sed hoc parum refert ad nostram legem considerantem naturalem natiuitatem, & quòd pater sit naturalis &c sic Azebedo *ibi n.* 11.

8 Quartò nota circa eandem conditionem, quòd si naturalis huius regni in extraneum non subditum Regi transferat regnum, ibique domicilium constituat, iam non censetur naturalis, vt tenet gloss. *l. in adoptionem. C. de adopt.* Bald. *Auth. sed omnino. C. ne vxor pro marito*; quare talis non potest habere regni beneficia. Sic tenent, & respondent ad leges, quæ contrarium probare videntur, Azebedo *dicta l.* 19. *num.* 3. Salzedo *supra num.* 36. 37. Gregor. Lopez *l.* 5. *tit.* 24. *vari.* 4. *versic. Son quarto.*

9 Quintò nota circa eandem conditionem, graue dubium esse, an filius, qui nascitur extra ciuitatem, in qua parentes non habent domicilium, quia scilicet ibi erant parentes ad tempus, causa alicuius negotij pertractandi, dicatur oriundus, & naturalis loci natiuitatis, vel loci, vbi parentes habent domicilium, in quem reuersuri erant.

Duplex est sententia.

10 Prima dicit esse originarium, & naturalem loci, in quo reuera natus est. Sic tenet Paulus de Castro *in lectura Patauina l. huiusmodi. §. legatum. ff de legat.* & *ibi* Ioan. de Immola, Raphaël, & Alexand. Ang. §. *si quis igitur. Auth. quibus modis naturales effici mur sui.* Cagnolus, & Balogninus, quos refert Salzedo *supra num.* 27.

11 Secunda sententia dicit non esse originarium loci, in quo casu natus est, sed fingi natum in ciuitate, in qua parentes habitabant, habentes ibi domicilium, quod apertè probare videtur *l. filios. C. de municipibus lib.* 10. & *l. ciues. fine. C. de incolis*, vbi, *vnde cum profectus est, peregrinari videtur.* Item quia ex quo quis habet animum se transferendi ad alium locum, fingitur non esse in eo loco, in quo habitat de præsenti. *l. quæsitum. in fine. ff. de legat.* 3. facit *l. hæres absens. ff. de iudic.* & *cap. Romana, de foro comp in* 6. & *l. si quis post. C. de adific. priuat.* & mater, quæ habebat animum reuertendi, fingitur semper fuisse in ciuitate, & sic ibi perperisse. *l.* 1. & *l. retro. ff. de capt.* sic tenent Rebuf. *rubrica de collat.* §. *cum verò. versic. natus*, vbi *nisi alibi tempore pestis* Ripa dicens esse communem *tract. de peste in* 2. *part.* 8. *pestis priuilegio.* Panorm. *cap. Rodulphus de rescript. num.* 9. vbi Felin. *num.* 14. Azebedo *dicta l.* 19. *n.* 1. & 2. Salzedo *dicto cap.* 54. *num.* 27. Ang. *verbo ciuis, num.* 3. Sylvest. *verbo ciuitas, quæst.* 4. Greg. Lopez dicens sic sententia regij senatus Pinciani declaratum esse,





& hoc videri sibi verius, licèt quia dubium est, relinquat cogitandum, *l.* 2. *versic. Mager, tit.* 24. *p.* 4. Bart. *dicta l. filios, n.* 4. licèt sub dubio. Barb. *d. c. Rodulphus, n.* 97. & *cons.* 32. *volum.* 2. Paulus de Castro sibi contrarius *in lectura Bononiensi l. huiusmodi, § legatum. ff. de legat* 1. vbi Bald. Ang. Alber. Cynus, Petrus Nicolaus de Neapoli. idem Decius *dict. hæres absens*, § *proinde*, Iacobus de sancto Georgio, Iason. Matth. de Afflictis, Boër. quos *ibi* refert Salzedo. Idem Nauar. *lib.* 3. *cons. tit. de præbendis, cons.* 41. Gutierrez *cons.* 7. *num.* 7.

12 Aduerte hanc sententiam esse veram, licèt parentes per decennium, & vltrà ibi exiterint, adhuc enim, si filium ibi habeant, nõ dicitur ibi natus, sed in loco vbi parentes habẽt domiciliũ, quia quando quis recessit à loco, animo redeundi, non dicitur loci illius, etiam si vltra decennium ibi exiterit, vt latè dixi *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. *n.* 3. Sic Salzedo, Gregor Lopez *ibi*, Azebedo *ibi n.* 1.

13 Aduerte secundò hanc sententiam habere verum, adeò vt si statutum petat, vt sit originarius loci admittendus in aliquod collegium, si mater casualiter abest, & parit ibi, fingitur filius natus in ciuitate, in qua parentes incolatum habent, & sic si sit ibi collegium, potest admitti ad illud, neque obstat, quòd verba statuti sunt propriè intelligenda *l.* 3. § *hæc verba. ff. de negot. gest.* at hic fictè est oriundus illius ciuitatis. Nam respondet Felin. *d. n.* 14. quòd quando statutum loquitur de materia iuris communis, & ab eo non exorbitat, tunc si ius commune æquiparet casum verum, & casum fictum, idem erit in statuto, vt declarat Immola *c. ad audientiam, not.* 1. *de cleric. non resid.* per illum textum. & Alex *l.* 1 §. *lex fulcidia. ff. ad. l. falcid.* Hoc notabile tenet Paulus de Castro § *legatum, n.* 2. vbi dicit, ita vidisse in facti contingentia, & Felin. *d. c. Rodulphus, n.* 14. dicens, se vidisse seruari in multis Doctoribus, & in semetipso, qui admissus est ad collegium Ferrariense habens statutum, vt soli Ferrariæ originarij admitterentur, cùm ipse casu natus sit in Felino oppido, quia eius parentes erant Ferrariæ incolæ. Idem Salzedo *supra num.* 28. & inde refert *n.* 29. quòd cùm in quodam collegio D. Ildefonsi Compluti sic statutum, vt ad id non admittatur oriundus Compluti, si mulier Complutensis alibi in transitu pareret, filius sic natus dicetur natus Compluti, nec posset admitti ad tale collegium.

14 At quidquid sit de hac re, quod tamen attinet ad nostram *l.* 19. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil.* manifestè disponit esse naturalem regni ad obtinendum in eo beneficia, qui extrà natus est ex parentibus regni naturalibus, cùm essent extra regnum non animo ibi constituendi domicilium. Salzedo *num.* 27. & Azebedo *num.* 1. & dicit vterque id verum esse, licèt vltra decennium ibi parentes habitauerint, animo tamen redeundi in regnum, & non contrahendi ibi domicilium.

15 Aduerte etiam quòd si talis filius natus extra regnum obiter ibi etiam habitasset cum patre animo redeundi in regnum, dicetur naturalis regni: si verò vellet ibi contrahere domicilium, etiam redeunte patre, non dicetur naturalis regni, quia iam huic iuri renunciauit, & paret ex dictis *notab.* 4. vbi id diximus esse verum, licèt filius esset in regno natus. Sic Azebedo *ibi n.* 3.

16 Sextò nota circa secundam conditionem per illam definiri in hac lege 19. quæstionem satis controuersam inter Hispanos, vt potest videri in Burgos 1. *par legis* 3. *Taur. à num.* 374. *vsque ad num* 381. quibusdam dicentibus requiri, vt filius sit naturalis ad beneficia obtinenda vt vterque parens sit naturalis, quos sequitur *ibi* Burgos *num.* 381. propter pragmaticam Henrici III. anno 1596. editam; aliis verò dicentibus sat esse, vt patet sit naturalis huius regni: sed iam nostra lex definit sat esse patrem, quando filius est legitimus, vel naturalis. Sic Salzedo *dict. c.* 54. *n.* 25. 26. Azebedo *dicta l.* 19. *num.* 1. quod est conforme iuri communi, iuxta quod filius paternam originem, non verò maternam sequitur *l. assumptio.* §. *filius. ff. ad municipalem, & l. filios, C. de municipibus lib.* 10. & docet Salzedo *num.* 25. vbi multos refert ad hoc, & Gutierrez multos referens, *cons.* 7, *n.* 1.

17 Septimò nota circa eandem conditionem, quòd quando pater non est oriundus illius ciuitatis, sed est externus, vt filius dicatur naturalis regni, non sat est habitatio decennalis patris in regno, nec etiam sat est domicilium in regno acquisisse, sed requiritur, vt vtrumque habeat, scil. domicilium, & habitationem decennalem in regno, quia lex copulatiuè loquitur. Salzedo *ibi num* 35.

18 Octauò nota, quòd licèt pater externus, qui in hisregnis contraxit domicilium, & per decennium habitauit, in eisque habuit filium, quod sat est vt filius dicatur naturalis huius regni, postea ad regnum externum cum filio redeat, ibique contrahat domicilium, & moriatur, adhuc filius dicetur naturalis huius regni, si filius hic vsque ad mortem patris semper sub eius potestate mansit, eóque mortuo ad nostrum regnum rediit: sicut si eo mortuo ibi, remansit ibidem tacitè, vel expressè domicilium constituendo, vt constat ex dictis Azebedo *num.* 4.

19 Nonò nota, quòd non sat est, vt pater sit naturalis huius regni ex priuilegio, vt filius dicatur naturalis ad beneficia, sed requiritur quod postulat lex, nempe, vel esse originarium, vel domicilium contraxisse, & habitasse decennio. Sic Azebedo *ibi num.* 12. Pelaëz de Mieres *de maiorat.* 1. *part. quæst.* 51. *n.* 28. & 29. & decennium illud habitationis in regno debet esse continuum; quia quando requiritur in iure aliquod tempus, id debet esse continuum, & non interpolatum. Sic Azebedo *ibi num.* 13. neque sufficiet origo, & naturalitas aui, si pater est extraneus à regno, neque in eo contraxit domicilium, & habitationem decennalem, quia *d. l.* 19. huius regni petit expressè hæc in patre; sic Azebedo *ibi n.* 12. & 11.

20 Decimò nota, dubium esse, an vt filius sit naturalis huius regni, quando nascitur ex patre alienigena, requiratur, vt tempore natiuitatis filij concurrant in patre conditiones *d. l.* 19. petitæ, nempe vt pater iam contraxerit domicilium in hoc regno, in eóque decennio iam habitarit, vel sufficiat, quòd durante hoc medio tempore filius nascatur, & pòst antequam obtineat beneficium, impleatur, quòd deerat. Videtur enim requiri quòd ante filij natiuitatem hæc impleta sint, quia loquitur lex per verbum præteriti temporis perfecti, ibi, *aya ouido, aya contraido*, & sic perfectionem actus denotat. Item quia quando lex vnum disponit, & alterum præsupponit, vt habeat locum dispositum, debet verificari præsuppositum glossa *l. mancipia, C. de seruis fugit.* ad quod plures allegat Mexia *l. de Toledo in* 4 *fundamento*, 2. *par. num.* 4. idem Decius dicens esse communem *consil.* 101. *num.* 1. Menochius *de recuper. possess. remedio* 9. *num.* 161. sed lex nostra disponit, quando filius sit naturalis regni, & præsupponit qualitates in patre requisitas; ergo.

21 Sed dicendum est adhuc esse naturalem regni filium, licèt nascatur ante constitutum domicilium, vel impletum decennium, dummodo tempore collationis beneficij omnia hæc impleta sint. Probatur ponderando ordinem literæ legis, dum priùs natiuitatem filij in regno requirit: pòst verò ponit in implementum supradictorum. Quòd argumentum ab ordine literæ validum est in iure, vt patet per Euerendum *in centuria locorum, loco, ab ordine literæ.* Item quia verba illa, *aya contraiao, aya viuido*, referenda sunt ad tempus collationis beneficij, & tunc sat esse, dicendum est, quòd sint impleta. Sic Azebedo latiùs probans *dicta l.* 19. *n.* 9. & 10. Salzedo *dicto cap.* 54. *num.* 38.

22 Tandem nota, quòd Rex benè potest concedere litas naturalitatis etiam ad beneficia obtinenda in suo regno, quia impedimentum hoc non ex iure canonico, cùm hoc (vt dixi *dubio præcedenti*) quantum ad hoc sit iam vsu derogatum: sed est impedimentum ex mero iure regio, in quo potest Rex dispensare: quare intelliguntur tales literæ, nisi adsit aliud impedimentum canonicum, quia in

eo nequit Rex dispensare. Vnde si est beneficium regulare, & ipse est sæcularis, & contrà, vel nescit loqui idiomate linguæ,&c. indiget dispensatione etiam Papæ: intellige in hoc casu, quando nescit loqui idiomate linguæ patriæ,in qua prouidetur,si est beneficium curatum, propter regulam Cancellariæ de idiomate, quæ est decimanona. Et ratio est, quia per tales literas tantùm tollit Rex impedimentum iuris regij, scilicet defectum naturalitatis. Sic Rebuff *tomo 2.constit. Franciæ,tract.de literis naturalitatis, glossa 2.a n.2.vsque ad 7.* similiter, si Rex tantùm dispenset in iis literis naturalitatis ad beneficia sæcularia,non poterit obtinere regulare, licèt Papa dispenset ad regulare;quia Papa per talem dispensationem non tollit regni inhabilitatem. Sic Rebuff.*ibi num.6.*

## DVBIVM X.

*An ex propriis bonis fundans beneficium possit legem statuere, vt ad illud electio fiat ex certo genere personarum, vel ex instituentis familia, seu consanguinitate, &c. item vt ad illud non teneatur patronus præsentare digniorem, sed satisfaciat præsentando dignum.*

1 CIrca primum quidam censent non posse fundatorem apponere conditionem, vt electio fiat ex certo personarum genere, vel ex suis consanguineis. Primò,quia licèt bona,ex quibus instituitur beneficium, ante talem institutionem,propria sint illius fundatoris, at instituto beneficio iam sunt cõmunia, at bonum commune est distribuendum iuxta leges iustitiæ distributiuæ. Secundò,quia nullus potest apponere conditiopem contra ius naturale, aut diuinum, quod prohibet acceptionem personarum, ad quam pertinet non habere rationem dignioris in collatione beneficiorum, sed personæ, aut consanguinitatis. Sic tenent Maioris *4.dist.24.quæst.9.& quæst.3.ad 4.*& Philippus de Sarra,& Iacobus de Zochis, quos refert Lambert *de iure patron.lib.1. part. 1. quæst. 9. principali,art.1.num.*37.38. addúntque,quòd si apponatur censetur omnino quasi non apposita. Ad idem est Panormit.*cap.Venerabilem, de elect. num.*5.vbi appellat eos laicos improbos instantes, vt beneficium semper detur aliquibus de sua familia.

2 Alij verò distinguunt, si beneficium est simplex, licita est talis conditio;si verò sit curatum, vel habens gubernationem,est illicita,& non seruanda, vtpote contra bonum commune animarum,sicut si quis fundet monasterium. vel beneficium curatum hac lege, vt Prior, vel Abbatissa, vel parochus,quamuis dignus sit, semper sit ex sua familia. Sic Salon *2.2.q.63. art. 2. controu. 3. fol.* 1009.*vsque ad* 1012.Soto *lib.3.de iust.quæst.6.art. 2. proxime ante decimam conclus.* & docti iuniores, quos ego consului.

3 Similiter circa secundum quidam dicunt non posse fundatorem apponere conditionem, vt satisfaciat dando beneficium digno: & probant eisdem rationibus. Sic Maioris *4.dist.24.q.3.ad 4.* Ledesm. *2.4 q.18.art. 2. fol. 256.pag.2.*Salon verò distinguit eodem modo,& concedit in beneficio simplici, negat verò in curato, vel habente gubernationem. Et eodem modo distingueret Soto,& in capellaniis id concedit Corduba *lib.1.quæstionarij,quæst.54 fol.*458.*pag.2 versic.& tandem notetur.*

4 Antequam statuam,quid tenendum sit, oportet supponere hoc fundamentum, quòd licèt testator, seu fundator in donatione rei suæ non possit apponere conditiones contra ius commune,immo si pœnam apponat, si eæ non seruentur, v.g. quòd conuertantur bona in alios vsus,nec conditiones,nec appositio pœnæ valent. At potest eas apponere ex consensu Episcopi. Itaque potest propria authoritate apponere quascunque conditiones, & reseruationes iuri communi consonas, etiam cùm rem tradit Ecclesiæ *cap.verum,de condit. appos.* si verò disponant circa spiritualia, vel sint contra ius commune, requiritur consensus Episcopi, quo accedente potest apponere; quia licèt solus Papa sit supra ius commune, in eóque dispensare valeat:at ratio, quæ induxit iuris latores ad sustinendum patronos, scilicet vt Ecclesiæ ædificentur,*cap.3.de iure patronatus*, eadem induxit legislatorem,vt permitteret Episcopum posse apponere huiusmodi reseruationes,& conditiones, etiam contra ius commune,ad supplicationem patronorum; vt multò facilius inducantur ad Ecclesias fundandas. Sic Rochus *de iure patron.verbo pro eo quod,quæst.*12. Lambert.*de iure patron. lib.1.part.1.quæst.9.principali,art.1.num.*38.39.*& à n.*65. per plures Gutierr.*l.nemo potest ff.de leg.1.num.*451. Panorm.*cap.nobis,num.5.de iure patron.& cap.cùm dilectus, num.5.de consuet.* per illum textum Innoc. *cap.in Lateranensi de præb.num.*5.

5 Nota primò non sat esse, vt valeant hæ conditiones contra ius commune positæ à fundatore, consensum Episcopi, qui exhibetur ad fundandum capellam, vel Ecclesiam, vel habendum ius patronatus, sed requiri consensum,qui reddat, & efficiat validas has conditiones, vnde fundator debet supplicare Episcopo, vt eas statuat, quia Ecclesiam dotat ipse fundator vel fundat, de consensu tamen Episcopi: at verò has conditiones apponit Episcopus de consensu tamen patroni, & ad eius supplicationem, & sic fundator debet supplicare Episcopo, vt eas apponat.Sic Rochus & Lambert.*ibi num.* 66. 67. addítque Lambertinus *eadem quæst.9.art.3.num.*19.quòd si non apparet consensum Episcopi interuenisse, ex diuturnitate temporis, scilicet ex transcursu decennij præsumitur.Et idem dicit 2.*quæst principali.art.*7.quibus in locis plurima ad hoc comprobandum, & multos Doctores affert.

6 Secundò nota, oportere, vt hæ conditiones valeant, quòd approbentur ab Episcopo in limine fundationis, nam post Ecclesiam fundatam non possunt apponi. Si Panorm. *cap.cùm dilectus, n.3.de consuetud.* Rochus *supra.*& multi alij,quos refert,& sequitur Lambert. *de iure patron.lib.1.part.1.quæst.9 principali,art. 1. num.*71. Gutier,*l.nemo potest. ff. de leg. 1. num.* 451. vbi benè explicat hoc sic,potest Episcopus tempore, quo conditur testamentum,in quo erigitur, vel construi iubetur capellaniam, oratorium, vel hospitale, consentire dispositioni testatoris præcipientis aliqua contra ius commune, ac post testamentum conditum non potest in præiudicium iuris iam quæsiti.Hæc dicit *ibi*, & intelligo ego post testamentum morte testantis confirmatum, vt patet ex ratione, quam subdit de iure quæsito, nam ante mortem testatoris nullum ius per testamentum acquiritur.

7 Tertiò nota, quòd si vellet fundator has conditiones apponere contra ius commune, & nollet Episcopus approbare potest fundator appellare ad superiorem, vt cogat Episcopum ad consentiendum illis, vel vt ipse superior consentiat.Sic Lambert. *de iure patron.lib. 1. p. 1. quæst.9.principali,art.1. num.*112.Innoc.*c.in Lateranensi, de præb. num.* 5. vbi loquitur de patrono apponente conditionem, vt iura Episcopalia minuantur: quod est contra ius commune, & tamen vult ibi posse nolentem, Episcopum consentire cogi per superiorem.

8 Hinc fit primò, quòd potest testator, seu fundator apponere sine consensu Episcopi hanc conditionem, quòd masculi tantùm succedant in iure patronatus; & quòd bona in dotem capellaniæ data non alienentur, & modum circa Missas dicendas, quia cùm hæc non sint contra ius commune, sed ipsi consona, non est necessaria licentia Episcopi. Sic Lambert.*de iure patron.lib.1.part.1 quæst.9.princip.art.2.num.*43.

9 Secundò infertur,quid dicendum sit in hoc casu, an scilicet possit fundator beneficij apponere conditionem cum consensu Episcopi, quòd possit patronus remouere beneficiarium,quando voluerit:videtur enim non posse, primò ex *cap.1.de capel.monach.in 6.* vbi habetur,institutos in capellis ex nulla consuetudine, vel statuto posse amoueri, nisi per Episcopum ex causa iusta, cùm debeant esse perpetui: sed consuetudo, & pactum æquiparantur; ergo.Secundò,quia Episcopus non debet concedere, vt spiritualia iudicio laicorum tractentur *cap.2.de iudic.& c. Messana,& cap.sacrosancta,de elect.*sed si institutio amouerentur ad voluntatem patroni per pacta prædicta, iam spiritualia iudicio laicorum tractarentur; ergo. Patet minor,quia institutio est res spiritualis. Tertiò, quia ad eum spectat restitutio,ad quem institutio, *cap.cum ex iniuncto, de hæret. cap.nullus* 15.*q.*7.sed patrono laico nullo modo potest competere institutio, cùm sit ius spirituale, cuius laicus est incapax;ergo.Quartò,quia nemo potest facere, vt leges non habeant locum in sua dispositione, *cap.requisisti,de test.l.nemo potest,ff.de leg.* 1. ergo. Quintò,quia cùm laici sint infesti clericis, singulis mensibus mutarent capellanos:quæ esset maxima confusio. His rationibus,vt refert Lambert.*de iure patron.lib.1.part.1.quæst. 9. principali,art.2.in principio,*Episcopus Andriæ sententiam tulit non valuisse hanc conditionem positam cum consensu Episcopi.Sed dicit Archiepiscopum in causa appellationis, existente ipso Lambertino consultore reuocasse sententiam,& *num.*16. dicit, quòd priorem sententiam videntur tenere Rofrensis, Beneuentus, & Stephanus Gai.quos *ibi* refert.

10 Sed tenendum est posse cum consensu Episcopi, quia( vt diximus ) potest fundator apponere pacta contra ius commune cum consensu Episcopi. Sic tenet Lambert.*ibi n.*17. dicens hoc esse ipsammet veritatem. Idem latè probat Gut.3 *pract.q.*11.*a num* 18. & defendit nullam requiri causam,& affert pro hac Felin.*c.ex parti. el* 2. *de rescript. n.* 3. *fine*, recitantem dictum Thomæ Fatioli *dub.*56.*Rotæ*, qui dicit standum esse voluntati eius, qui ita capellam ordinat,vt non sit habitura specialem rectorem,quod intelligit *ibi* Lambert.cum consensu Episcopi. Et eodem modo intelligit Felinus,& dicit Lambertinus quòd per specialem rectorem intelligunt, id est, perpetuum.Addit Lambert.*eod.n.* 17.18. iustam causam apponendi hanc conditionem esse, vt capellaniæ melius seruiatur,vel ad prouidendum suis consanguineis, licèt( inquit *n.*18.)etiam nulla existente causa poterat id apponere fundator. Vnde ad argumenta respondet.Ad primum, cap.illud intelligitur,quando statutum, vel consuetudo intro ducerentur post Ecclesiam fundatam:secus quando illæ conditiones, & pacta apponuntur in limine fundationis. Sic respondet Lambert. *n.*30. Ad secundum respondet *n.* 31. quòd ille textus loquitur, quando laici tractarent spiritualia propria authoritate, vt *ibi* probatur per verbum,*præsumant*, at hic est cum authoritate Episcopi. Ad tertium respondet *ibi n.*41.quòd institutio, & destitutio non possunt laico competere, cùm sint iura spiritualia,quasi laicus instituat ,vel destituat, sed competunt ipsi authoritate Episcopi,qui approbando hæc pacta censetur instituere, & destituere:neque ad hanc destitutionem requiritur sententia declaratoria,quia sic non diceretur posse patronum mutare ad suam voluntatem. Ad quartum respondet *n.* 42. quòd solus fundator nequit, secus accedente Episcopi authoritate. Ad quintum respondet *n.* 21. quòd hæc potestas mutandi concessa patrono,intelligitur de prima tantùm capellani mutatione, per *l.boues*, § *hoc sermone, ff. de verbor.signific.*& multa *ibi* affert ad hoc comprobandum. Sed hoc latè reprobat *ibi* Gutierrez *num.*27.

11 Tertiò infertur, quòd potest fundator cum consensu Episcopi apponere hæc pacta,quòd Ecclesiæ illius institutio non spectet ad Episcopum, & quòd ea Ecclesia illi non subsit. Sic Lambert.*de iure patron.lib.1. p.1.q. 9. principali,art.2.num.*43 Panorm.*cap.nobis,num. 5. de iure patron. & cap. cum dilect.u,n.5.de consuet.* & idemmet Lambert.*ibi art.3.per totum*, & maximè *num.*16. *&* 20. concludit posse apponi conditionem de consensu Episcopi, quòd nulla requiratur institutio Episcopi ad beneficium,sed tantùm prædecessor eligat sibi successorem, nulla sequuta institutione ordinarij; & latissimè probat.





Quòd si opponatur,esse de ratione beneficij institutionẽ canonicam, & nulla via absque institutione canonica Episcopi posse obtineri,*cap.1.de reg.iuris in 6. & cap. ordinary,de offic.ordin.in 6.& cap.ex frequentibus, de institt.* respondet *num.*61.interuenire hîc, quia illa electio habetur pro institutione ordinarij, cùm eius consensu, & authoritate fiat pro institutione.

12 Quartò infertur posse cum consensu Episcopi tollere regimen, & administrationem capellæ Episcopo. Sic tenet Panorm.*proximè* duobus locis *citatus*, & Lambert. *d.art.2.num.*43.

13 His ergo suppositis, sit prima conclusio,nullo modo potest fundator apponere conditionem,quòd ad tale beneficium non admittatur aliquis, nisi de tali natione, vel de sua familia, licèt sit indignus; quare nullo existente in ea digno aliunde eligi debet.Ratio, quia nemo etiam ex suis facultatibus potest beneficium contra ius diuinum, & naturale instituere, contra quod est indignum præficere ministerio Ecclesiæ.Item quia nequit disponere cum Ecclesiæ detrimento, at indignus est Ecclesiæ nociuus:Sic Aragon *2.2.q.63.art.2.fol.*315.*pag.1.ad vltimum.*Salon *eodem art.3 controuers.3.fol.*1010. Soto *lib.3. de iust.q.6.art.2.ante* 10 *conclus.*Spino *speculo testam.gloss. 30.31.*Nauar.*miscel.43 n.*76.Ledesm.*2.4.q.*18.*art. 2. fol. 256.pag.*2.& omnes hi dicunt hoc esse certum.

14 Secunda conclusio, benè potest fundator etiam in beneficiis curatis instituere, vt ad Ecclesiæ ministerium electio fiat ex certo genere personarum, vel ex instituentis familia, & tunc patronus nequit præsentare etiam digniorem, si non sit ex illis, quos primus Ecclesiæ conditor nominauit,& Ecclesiæ præfici mandauit, sed ex eo genere personarum tenetur eligere digniorem, & existente in eo digno aliquo, nequit extra illud dignior eligi. Probatur primò, quia in hoc nulla iniuria irrogatur Ecclesiæ,cùm ipsi minister dignus præficiatur, nec ciuibus,quia assignatur ipsis minister dignus,& idoneus, nec est acceptio personarum,quia hæc est,quando bona communia non dantur digniori, at illud beneficium non est ex bonis communibus,nec post eius erectionem est bonum commune simpliciter, sed cum conditionibus per testatorem positis. Vnde tantùm est contra ius naturæ, & diuinum,quando bona communia simpliciter non distribuuntur dignioribus. Secundò, quia de suis bonis non tenetur aliquis facere, quod melius est, sed tantùm id quod est bonum. Tertiò,quia ideo ius naturale, & diuinum adstringit Episcopos, vt beneficia communia dent dignioribus, quia non sunt domini bonorum illius beneficij,sed dispensatores,sed hic fundator est dominus; ergo non cogitur ita fundare, vt sint quærendi vndecunque digniores. Sic tenet expressè etiam in beneficiis curatis Aragon *2.2.q.63.art.2.fol.* 313.*p.*2. & idem colligitur ex aliis Doctoribus,qui absolutè docent, & non distinguendo an beneficium sit curatum,vel simplex, quod est licita talis conditio.Hi sunt Couarr.*reg. peccatum.* 2.*p.* §.7.*num.*5. Nauar.*miscel.43.num.*76. Laurentius, & Zenzelinus, quos refert, & sequitur Anchar. *Clement. quia contingit,de relig.domibus, notabili* 9.Dominicus *cap.cùm in Ecclesia,notab.vltimo,de præbend.in* 6.Cardin.*consil.*11. Azebedo *l.*14 *tit.*3.*lib.*1.*recop.n.*13.Spino *speculo testam. gloss.*3.*num* 30.31.Ledesm.*2.4 quæst.*18.*art.2.fol.*256.*pag.* 2. Rochus *de iure patronat. verbo honorificum, quæst.* 18. Lambert.*de iure patron.lib.1.part.1.quæst.9.principali, act.* 1 *num.*37.38.*& num.*109.110.111.

15 Nota primò quòd si talis conditio apponatur sic, vt semper præsentetur aliquis de sua familia eo existente, non est opus consensu Episcopi:si verò apponatur negatiuè,quòd scilicet non possit præsentari: nisi de sua familia,non potest apponi sine Episcopi consensu, qui reducat eum ad honestum, scilicet vt intelligatur, quando existit aliquis idoneus de sua familia, & eo non existente, alter: & nullo modo teneret conditio aliter intellecta, sequeretur enim absurdum, quòd scilicet nullo existente

Universidad de Deusto
Biblioteca



de sua familia, nullus deberet præsentari. Sic Lambert. *eodem art.1.num.*109.110.111.*& lib.2.3.part.quæst.5.principali art.4.num.*13.

16 Secundò nota, quòd si testator præsentandum esse de sua familia voluit, de illa debet esse. Si verò dixit de progenie, de genere, vel de linea ab eo descendente, sufficiet præsentandum ab eo descendisse quocunque modo, siue agnationis, siue cognationis: & si duo reperirétur eiusdem generis, esset præferendus magis propinquus testatori, vel patrono. Sic Lambert. *ea q.5.principali, art.4. num.*15.

17 Tertiò nota, quòd si præsentator posuit legem, vt non possit præsentari, nisi existens de illo gremio, & capitulo, est seruanda, licèt sine consensu Episcopi sit apposita, quia est conformis iuri communi, vt patet ex dictis *dub.præced.* Sic Lambert. *lib.2.de iure patr.p.1.q.7.principali, art.24.num.*35.

18 Tertia conclusio sit, similiter credo posse fundatorem apponere conditionem in beneficij etiam curati institutione, vt satisfaciat patronus conscientiæ suæ præsentando dignum omisso digniori. Quod in beneficiis simplicibus aliquos Doctores tenere retuli *in principio huius dubij*; sed idem credo in curatis, quia nec Ecclesiæ, nec ciuibus fit iniuria, nec est acceptio personarum, cùm hæc non sint bona communia. Et sic, credo, tenerent authores citati pro 2.concl. & etiam, quia non apposita hac conditione aliqui Doctores, vt retuli *suprà*, dicunt non teneri patronum præsentare digniorem.

## DVBIVM XI.

*An quando fundator beneficij nullam conditionem apposuit & præsentantur duo ad illud ab æquali numero patronorum, sit præferendus, qui est de sanguine fundatoris, vel detur Episcopo optio.*

1 ROchus *de iure patron. verbo honorific. q.*18. tanquam probabile relinquit dari Episcopo optionẽ.

2 Sit tamen prima conclusio, si vterque præsentatus ab æquali numero patronorum est æquè idoneus, non datur Episcopo optio, sed præferendus est, qui est de sanguine fundatoris, propter gratitudinem exhibendam fundanti beneficia: & colligitur ex *c.hortamur,*72.*dist.* & sic tenet tanquam probabilius *ibi* Rochus, Idem tenet Greg. Lop. *p.1.tit.15.l.6.vers.peor.* Spino *speculo testiam glossa 3.n.*40. Azebedo *l.14.tit.3.lib.1.recopil.num.*12. gloss. *c. neminem, dist.*70.*vers.sine possessionis,* & *ibi* Arch. Præpositus, Lambert. *lib.2.de iure patran.3.p.quæst.5.principalis, artic.2. à num.*11.*per plures.* Et dicit *ibi num.* 10. nullum contradicere huic opinioni, & *num.* 14. quòd ita vidit millies obseruari, & iudicauit existens iudex, & consuluit existens Aduocatus, & sic etiam obtinuit existens Aduocatus.

3 Hoc limitat Rochus *ibi*, vt non procedat, quando prædecessores instituti erant in eo beneficio, etiam de familia fundatoris; quia tunc si de nouo præsentetur vnus de familia, & alter æquè idoneus non de familia, est præferendus ille alter, ne denotetur successio hæreditaria in beneficiis: quod idem videtur tenere Panorm. *cap.ad decorem.de institut.*

4 Sit tamen secunda conclusio, patroni non tenentur, quando id non cautum est à fundatore, præsentare aliquem de eius familia, sed possunt præsentare quos velint idoneos, sed si concurrerent duo præsentati æquales numero patronorum & idoneitate, & vnus esset de genere fundatoris, licèt teneat præsentatio vtriusque, at Episcopus tenetur præferre eum, qui est de genere fundatoris, & hoc quotiescunque accidat. Vnde non est vera limitatio Rochi. Nec hìc datur successio hæreditaria, cùm vtraque præsentatio valida sit. Patet etiam ex dicendis *infrà cap.2. de benefic.dub.*26. vbi dicemus, quòd est tam fortis ratio, esse de familia testatoris, quòd potest Episcopus ob hanc solam causam dispensare in qualitate per fundatorem requisita. Sic Lamb. *ibi n.*11. vbi hæc omnia dicit.

## DVBIVM XII.

*Quam diligentiam teneantur adhibere electores, & d atronus ad inquirendum dignorem.*

1 PRima conclusio, si e ligat, aut præsentet ignotum, peccat. Patet, quia exponit se periculo eligendi indignum, vel minus dignum. Item quia electio est actus voluntatis præsupponens iudicium intellectus. At intellectus de re sibi ignota nequit iudicare. Patet etiam ex *c.bonæ, el 2. de post præl* Neque obstat *c.vnicum, de scrutinio in ordine faciendo*, vbi dicitur, scrutatorem ordinandorum eum debere iudicare dignum, quem indignum esse non nouerit, quia loquitur de testimonio exteriori, quod reddit Archidiaconus interrogatus ab Episcopo tempore, quo ordines celebrantur; tunc enim debet approbare, modò ei non constet esse indignos, cùm iam sint in particulari examinati de scientia, moribus, & vita. Sic tenent Panorm. *dict.cap.bonæ,* Salon 12.*q.*73.*art.2. controuers.1. fol.*982. Arag 2.2.*q.*62.*art.2.fol.*209. Sylueſt. *electio* 1.*q* 16. Angel. *verbo electio, num.* 23. Armilla *ibi n.*21. Mercado *lib.6.de contract.cap.*17.

2 Secunda conclusio, tenetur adhibere mediocrem quandam diligentiam ad inquirendum digniorem. Probatur, quia qui tenetur ad finem, tenetur adhibere media necessaria ad illum finem obtinendum; sed hic ex officio tenetur eligere digniorem, & res hæc est grauis; ergo tenetur saltem mediocrem adhibere diligentiam. Pro hac est Caiet. 2.2.*quæst.*63.*art.*2. *fine*, vbi dicit teneri eligere meliorem ex possibilibus moraliter. Ad idem est Soto *lib.3.de iustit.p.6.art.*2.*in* 1.*ratione nouæ conclus.* vbi dicit eligendum esse optimum, qui rationabili diligentia potest inueniri. Et Aragon 2.2.*q.*63.*art.*2.*pag.*1.*fol.*312. vbi dicit sat esse moralem, & commodam diligentiam. Et Salon *eodem art.*2.*controuers.*3 *fol.*1003. vbi inquit, non tenetur exquirere per orbem digniores; sed ex his, quos habet in promptu, & facilè potest nominare. Ad idem est Nauar. *lib.2.de restitut.cap.*2 *num.*174. vbi sic inquit, non tenetur Rex explorare omnes meliores, & digniores in regno, sed sat est, digniori ex cognitis humana diligentia dare Episcopatum. Vnde sat est Regi ex sibi oblatis à secretario, vel ab eo, qui hoc munus habet, eligere digniorem. Et Couar. *regula peccatum,*2.*part.*§.7.*num.* 5. vbi inquit, tenetur eligens, vel patronus præmittere mediocrem inquisitionem, ac diligentiam ad inquirendum digniorem. Et Mercado *d.cap.*17.*fol.*208.*&* 209. vbi dicit, *que no basta hacer vna informacion superficial, y por ceremonia con vnas preguntas generales, sino que es menester hazer las en particular, y mas de veras.* Idem tenent quidam recentiores doctissimi, quos ego consului.

3 Nota quòd hic dignior debet esse secundùm statuta & leges iustas alicuius Ecclesiæ, vbi enim est statutum, vt eligatur aliquis ex concurrentibus ad examen intra certum tempus publico edicto designatum, non tenetur, nec potest eligere elector digniorem, qui eo termino non concurrit, sed ex iis qui concurrerunt, est dignior eligendus, iam enim illi, vt ipsis, & non aliis beneficium conferatur, ius habent. Sic Aragon 2.2.*q.*63.*art* 2.*fol.*312.*pag.* 2.

4 Tertia conclusio, si quis electo habet amicum, vel familiarem, quem certissimè scit esse dignum, potest eligere illum, quando non videt certissimè, & euidenter alium esse digniorem, sed probabiliter tantùm. Ratio, quia ea certitudo, qua nouit suum familiarem esse dignũ habita longa experientia præferenda est opinioni, quæ habetur de maiori alterius dignitate, éstque electo securior, quando nouit hunc certò dignum, de dignioti verò est dubius. Sic Salon *dicta controuers.*3 *fol.*1003. *& sequenti.* & docti iuniores.

5 Vltima conclusio: qui adhibita mediocri diligentia elegit eum, quem putabat esse digniorem; & postea inueniat non esse, non peccauit, quia fecit, quod in se est. Sic Mercad. *sup.* Gabr. 4.*dist.*15.*q.*7.*art.*3 *dub.*1 Soto 3.*de iust. quæst.*6.*art.*2.*post nonam conclus. ante* 1.*argum. contra ipsa, vers.*



*vers. Præterea maximè.* Metina *lib.*1.*summæ, c.*14.§.32.*fol.* 165.*regula* 2. Sed notat *ibi regula* 4. (quem sequitur quidam doctissimus iunior à me consultus) *que los que examinan estan obligados sub peccato mortali, à dezir al Opispo qual es el mas digno, porque decir el Obispo, que no le dugan qual es el mas digno, sino que digan si son dignos, es en buen romance decir, que lo quiere proueher, a quien quisiere.*

## DVBIVM XIII.

*An sicut peccat eligens minus dignum omisso digniori, ita etiam peccet minus dignus.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit peccare eodem modo, & respondet ad simile, quod solet adduci pro secunda sententia, quòd quando pater, & extraneus laborant extrema necessitate, non peccat extraneus accipiens panem sibi à filio porrectum, quia ius habet ad tuendum vitam suam, at dignus in concurrentia dignioris nullum ius habet ad beneficium: immo peccat contra iustitiam alter sibi conferens. Sic Nauarr. *lib.2.de restit.c.2.n.*163.164.*fol* 102.

2 Secunda sententia verior, dicit non peccare acceptando. Primò, quia etiam in concurrentia dignioris habet ius ad acceptandum, si sibi conferatur, licèt conferens peccet, quia collatio in vtroque foro est valida; sicut quãdo pater, & extraneus extremè laborant, extraneus recipiens panem à filio non peccat, & habet ius ad acceptandum sibi collatum, licèt conferens peccet. Secundò, quia recipienti beneficium non incumbit conferre illud, nec aliorum merita explorare, sed tantùm verè, & prudenter sibi conscium esse de sua sufficientia. Sic videtur tenere D.Th.2.2.*q.*185.*art.*3.& tenet etiam *ibi* Caiet. *& q.*62.*art.*2.§. *Ad confirmationem vltimam,* Sotus 3. *de iust. q.*6.*art.*2.*post.*9.*concl.vers. contra hæc tamen cõtinuo.* Salon 2.2.*q.*63.*art.*2.*contr.*3.*fol.*1016. Molina *lib.2.de primog.c.* 5.*n.*75. Perez *lib.*1.*ordin.tit.*6.*l.*2.*fol.*151.*vers.ic. dignus autem.* Adrianus 4.*materia de restit.q.* quæ incipit, *quia iam determinatum est.* Ad confirmationem secundi contra 1. conclus. *fol.*138.*in paruis pag.* 2. Couarr. referens Ricardum, & Scotum 4.*dist.*15, *in regula peccatum,*2.*part.*§.7. *n.*4.*vers.ex his autem.* Maior 4.*dist.*24.*q.*8.*&* 9. & alij doctiiuniores à me consulti, inter quos D. Henriquez in suis etiam manuscriptis. Idémque à viris doctis resolutum est Compluti.

3 Immo idem dicit Soto *ibi*, quando dubitaret de sua dignitate, quia non tenetur se examinare, sed electores ad hoc tenentur: quando verò sciret se indignum esse, manifestum est non posse acceptare; quia nullum prorsus habet ius. Sic Nauarr. *ibi*, Gabr. 4.*dist.*15.*q.*7.*art.*3.*dub.*1. Ecclesm. 2. 4. *q.*18.*art.*2.*dub.*9.*fol.*251.*pag.*4.*vers.ic. terzium dictum.*

4 An verò minus dignus possit pro se procurare beneficium, & se opponere videns ex hoc impediri digniorem, dicemus *infrà dub.*47.

## DVBIVM XIV.

*An pater & filius possint simul in eadem Ecclesia beneficium obtinere.*

1 HOc dubium potest tractari de filiis legitimis & illegitimis: & de vtrisque respondendum est. At in hoc tantum de legitimo.

2 Sit prima conclusio. Filius legitimus sacerdotis potest esse beneficiarius in Ecclesia, in qua pater eius fuit, immo & succedere illi in eodem beneficio mediatè, id est, dummodo aliqua persona media inter patrem, & filium illud beneficium obtinuerit: non tamen in beneficio paterno immediatè succedere, id est, ita vt nullus mediet inter patrem, & filium in eo beneficio. Patet prima pars, quòd scilicet possit mediatè, ex *c.ex transmissa, & c.ad extirpandas, de filiis presbyt.* Patet secunda pars, scilicet, quòd non possit immediatè, ex *c.ad extirpandas, & c. constitutus, eo-*



*dem tit.* Et ratio huius prohibitionis fuit, ne videretur esse successio hæreditaria in beneficiis. Sic tenent gloss. *d.c. ad extirpendas, vers. Amouere.* Tab. *beneficiũ* 2.*q.*3. Sylu. *beneficium* 3.*q.*6. Armilla *verbo beneficium, n.*21. vbi Ang. *n.*16 Ripa *c.inter cæteras, de rescripti.n.*18.17. gloss. *c. Apostolica* 8.*q.*1. *vers.ic. Prabend.us,* & *ibi* Turrecrem. *n.*4.*&* 2. Bernardus Diaz *pract.c.*49 *n.*3. Panorm. *d. c.ad extirpandas.n.*5. Host. *summæ tit de filiis presbyt.n.*5. Rebuff. *praxi, tit. de dispensat. super defectu natalium, n.*19.22.23. Nauar. *c.si quando, de rescript.* in auctario, quod nouè apposuit in fine totius illius capitis, *n.*4.*&* 3. Archid. Dominicus, & Præpositus *d.c. Apostolica,* Anton. & Host. *c.ad hac, de filiis presbyt.* Decius *d.c.inter cæteras, n.*4. Innoc. *d.c.ad extirpãdas,* Præpositus *in summ.*56.*dist. fine,* Mendosius *de signatura gratiæ, tit. de dispensat. ad beneficium in Ecclesia, in qua pater & omnes.*

3 Nota primò hoc habere verum etiam post Trident. *sess.*25.*c.*15.*de reform.* quia circa filios legitimos nihil immutauit Trident. vt patet ex ipsius contextu: & sic standum est iuri veteri, *l. præcipimus, C. de appellat.* Sic Nauar. *d.auctario, n.*3. Salzedo *d.pract.* Bern. Diaz *c.*49.

4 Secundò nota esse intelligendum, quòd possit filius mediatè succedere, quando illa media persona obtinuit possessionem, & ministrauit: secus, si statim resignaret, fieret enim fraus. Sic Rebuff. *ibi*, & dicit censuisse senatum Parisiensem.

5 Tertiò nota, quòd si post patrem successit filius in beneficio, & postmodum alter filius frater huius, si prior filius non ex legitima dispensatione successit, posterior adhuc dicetur succedere immediatè, & sic non potest illud obtinere: si verò prior successit ex legitima dispensatione posterior non dicetur succedere immediatè, & sic poterit obtinere. Ratio, quia in priori casu collatio ea fuit nulla, & sic censenda est, ac si facta non fuisset: at in posteriori, cùm fuerit valida, iam verè mediauit alius. Sic Host. *ibi n.*5. *fine.* Panorm. *d.c.ad extirpandas, n.*10. D. Anton. 3.*p.tit.*28.*c.*4.§.2.

6 Quartò nota, quòd *d.c.ad extirpandas*, expressè dicitur non posse etiam filium legitimum succedere immediatè in præbenda, in qua pater fuit vicarius, hoc tamen intelligitur, quando pater fuit vicarius perpetuus, secus quando fuit vicarius temporalis, & vt conductus nomine alieno. Et ratio est, quia quando fuit vicarius tẽporalis, pater nullũ habuit titulum, vel ius in re, & sic cessat ius successionis. Sic habetur expressè *c. constitutus, de filius. presbyt.* & *ibi* gloss. *vers. perpetuus,* & Panorm. *ibi n.*5. glos. *d.c.ad extirpandas, vers. vicari,* & *ibi* Innoc. Rebuff. *vbi suprà num.*21.

7 Quintò nota, quòd si dum pater possedit beneficium erat portio, & ex priuilegio, eo mortuo, factum est canonicatus, reputatur aliud beneficium; & sic potest filius legitimus in eo succedere. Sic Mandosius *suprà*, dicitque sic declarasse Rotam.

8 Sextò nota, quòd si Ecclesiæ patris, & filij propter suam tenuitatem, & non in fraudem vniantur, decedente patre potest filius in vtraque manere, quia tunc non datur ratione successionis, sed ratione illius. Sic Vincent. & Host. quos refert, & sequitur Panorm. *c. ex transmissa, de filiis presbyt.n.*7.

9 Secunda conclusio: filius legitimus potest simul esse beneficiarius in eadem Ecclesia, in qua tunc eius pater habet beneficium. Patet ex *c.ad hæc, de filiis presbyt.* & tenet *ibi* gloss. *vers. obtinere,* Host. *eodem tit. n.*5. Sylu. *beneficium* 3.*q.*6. gloss. *c.ad abolendã, de filiis presbyt. vers. in sæcularibus,* & *ibi* Innoc. Ripa *c.inter cæteras, de rescript.n.*19. Dominicus, Turrecrem. Præpositus *cap. Apostolica* 8.*q.*1. Bernard. Diaz *pract.c.*49.*n.*4. Felin. *c.in nostra, de rescript. n.*13.*coroll.*3. Calder *de filiis presbyt. consil.*1. Salzedo *d. c.* 49. Panorm. *d.c.ad abolendam,* Rebuff. *praxi benefic. tit. de dispensatione super defectu natalium, n.*37.38.39. Decius *c. inter cæteras, notab.*2.*de rescript.*

10 Sed contrà vrget *c.ad abolendam, de filiis presbyt.* vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca



prohibetur filiis canonicorum, maximè spuriis, esse canonicos in Ecclesiis sæcularibus, in quibus patres fuerunt: si maximè spuriis; ergo quibuscunque etiam. Et sic videtur tenere glos. *c. cùm decorem, eodem tit. versic. illegitimus*, & tenet *ibi* Panorm. & sic dicit videri determinari glos. *c. Apostolica 8. q. 1. versic. præbendas.*

11 Ad tenendum est, quod dixi, & illud *maximè spurij, d. c. ad abolendam*, intelligitur respectu aliorum filiorum illegitimorum: vt benè glos. *d. c. ad abolendam, versi. in sæculanibus*, & *ibi* Innoc. Rebuff. & Host. vbi citati *in 2. concl.*

12 Nota aliquos Doctores dicere, non posse simul esse, quando beneficium est, quasi vel penitus simile, nec etiam mortuo patre posse filium legitimum succedere immediatè in beneficio; quasi, vel penitus simili, vt si pater fuit canonicus, non potest filius immediatè esse canonicus in illa Ecclesia. Sic Panorm. *c. cùm decorem, de filiis presbyt. n. 1.* Mandosius *de signatura gratiæ, tit. de dispensatione ad beneficium in Ecclesia, in qua pater.*

13 Sed contrarium est verius, immo, quòd potest simul esse canonicus cum patre; quia oppositum nullo iure probatur, & cessat ratio prohibitionis, quia illegitimus scandalum præbet, quando cum patre ministrat, quod non præbet legitimus. Sic tenent Felin. Calder. Salzedo, Rebuff. vbi citati sunt *in 2. conclusione.*

## DVBIVM XV.

*An filius illegitimus clerici possit obtinere beneficium in Ecclesia, in qua pater habet, vel habuit beneficium.*

1 CIrca hoc ponam priùs, quid iure communi dicendum sit, & mox quid stando in quadam constitutione Clementis VII. quam de hoc edidit, referámque eam Nauar. *c. si quando, de rescript. el nueuo, exceptione 21. initio*, & decreto Trident. *sess. 25. de reformat. c. 15.* Sit

2 Prima conclusio: Filij illegitimi clericorum poterant stando in iure communi succedere mediatè in beneficio patris, id est, quando aliqua persona media obtinuit illud beneficium post patrem. Sicut idem diximus *dubio præcedenti* de filiis legitimis. Patet ex *c. ex transmissa, de filiis presbyt.* & tenet *ibi* Panorm. *n. 5.* Nauarr. *in auctario*, quod ponit *in c. si quando, de rescript. el nueuo, in fine totius capitis, n. 4.* Ripa *c. inter cæteras, de rescript. n. 18.* Spino *speculo test. glos. 3. n. 20.* Mandosius *de signatura gratiæ, tit. de dispens. ad beneficium in Ecclesia, in qua pater.* Et fatetur Clemens VII. *in constitutione citata.*

3 Secunda conclusio. Non poterant tamen quicunque illegitimi etiam non spurij, stando in iure communi simul habere beneficium in Ecclesia, in qua pater actu habebat beneficium aliud, poterant tamen eo mortuo, modò non succedant in beneficio paterno. Sic colligitur ex *c. ad abolendam, de filiis presbyter.* Et ratio prohibitionis est quia illegitimus scandalum præberet vnà cum patre ministrans. Sic Nauarr. *d. auctario, n. 4* Ripa *d. c. inter cæteras, n. 20.* Bernardus Diaz *practica, c. 49. n. 4.* Sylu. *beneficium 3. q. 15.* glos. *d. c. ad abolendam, versic. in sæcularibus*, & *ibi* Innocent. Hostiens. *summa, tit. de filiis presbyt. n. 5.* Rebuff. *praxi benefic. tit. de dispensat. super defectu natalium, n. 37. 38. 39.* Panormit. *dicto c. ad abolendam.*

4 Tertia conclusio: stando tamen in constitutione dicta Clementis VIII. correcta est prima conclusio, & sic non poterant etiam mediatè succedere in beneficio paterno. Sic Nauarr. *d. auctario, n. 4.* Spino & Mandosius *in prima conclusione* citati. At per constitutionem Clementis VIII. non est correcta secunda conclusio: & sic illa stante poterat illegitimus esse beneficiarius in Ecclesia, in qua fuit pater, modò non succederet in eodem beneficio. Sic Nauarr. *n. 4.*

5 Quarta conclusio: per decretum Trident. *d. c. 15.* correcta est vtraque conclusio: & sic definitur *ibi.* quòd nullo modo filij illegitimi clericorum possint in Ecclesia, in qua eorum patres beneficium aliquod habuerunt, beneficium aliquod etiam dissimile obtinere: nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare; nec possint beneficia antea obtenta, scilicet ante publicationem illius decreti Trident. in Ecclesia, in qua pater habet beneficium, retinere, sed teneantur intra trium mensium spatium beneficia resignare, aut cum alio permutare extra illam Ecclesiam, aliàs ipso iure eis priuati existant, & super iis quæcunque dispensatio surrepti tia censeatur. Sic Nauarr. *d. auctario, n. 4.* & insuper definitur *ibi*, vt reciprocæ resignationes, quæ deinceps à parentibus clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius beneficium consequatur; & quæcunque aliæ factæ in fraudem huius decreti, illis non suffragentur. Vnde beneficia antea habita non vacant ante trimestre, ac collatio postea facta est nulla. Nauarr. *lib. 1. consil. in antiquis, & nouis, tit. 1. de constit. cons. 1. q. 18. n. 47. & q. 17. n. 46.* dicit non posse filium in Ecclesia, in qua pater habuit beneficium, fungi officio subdiaconi, cantoris, vel sacristæ, nec aliquando tanquam externum, & peregrinum ibi ministrare in his, vel facere sacrum.

Circa quod decretum sunt aliqua notanda.

6 Primò nota, procedere, licèt pater, qui habuit beneficium in illa Ecclesia, è viuis decesserit ante huius decreti publicationem, adhuc enim non poterit filius post illius publicationem beneficium in ea Ecclesia acquirere, etiàsi omnino dissimile sit. Patet ex decreto, *In Ecclesiis, in quibus eorum patres habent, vel habuerunt beneficium, nec in illis quoquo modo ministrare* Et sic Nauarr. *dicto auctario, n. 12.* dicit per hæc verba, non posse talem illegitimum habere beneficium in Ecclesia, in qua habuit pater etiam post. 20. & 30. annos à morte illius elapsos. Sic tenuit Couarr. *in quibusdam annotationibus manuscriptis.*

7 At grauis est difficultas, quid dicendum sit, si filius ante huius decreti publicationem obtinuit legitimè beneficium in Ecclesia in qua pater habebat, sed tempore publicationis huius decreti non habet, quia iam obierat, vel resignarat beneficium, an scilicet possit filius illud retinere beneficium. Quidam enim dicunt non posse retinere, sed teneri intra tres menses resignare, vt disponitur *ibi.* Probatur ex proœmio illius decreti, ex quo colligitur causa finalis *l. finali ff. de hæred. inst. cap. quia propter, de elect.* in quo proœmio sic dicitur: *Vt paternæ incontinentia memoria à locis consecratis longissimè arceatur.* At constat memoriam illam refricari, quoties cernitur filius in ea Ecclesia beneficium habere, in qua pater, siue obierit, siue resignarit, habuit. Secundò probatur ex illis verbis decreti, *nec in dictis Ecclesiis*, (scilicet in quibus pater fuit beneficiarius) *quoquo modo ministrare*; & sic verat eos filios in beneficiis iam habitis ministrare, nec disponit de re præterita, sed de vsu rei præteritæ, qui est futurus: nam si intelligeretur, quòd deinceps obtinere nequirent, essent ea verba superflua, cùm iam id ibi dispositum esset: quod tamen non est dicendum, *c. si Papa, de priu. in 6. & l. si quando, C. de inoffic. test.* Sic tenent Nau. *d. auctario, n. 12.*

8 Sed verius est contrarium, nempè posse filium illud beneficium retinere, modò pater obierit ante huius decreti publicationem, vel intra tres menses ab illius publicatione: & similiter si pater suum beneficium antè dimiserat, vel dimisit intra illos tres menses. Probatur, quia Tridentini decretum dum dicit, *Non liceat*, &c. non loquitur de collationibus antea factis, sed de futuris. Quod inde probatur primò, quia de antea factis expressè disponit *ibi* paulo inferiùs in illis verbis, *Quod si in præsenti*, &c. Secundò, quia lex hæc est pœnalis; ergo non est extendenda, sed restringenda. Tertiò, quia lex non extenditur ad præterita. *c. finali, de constit. l. leges la 2. C. de legibus, l. de vsuris, C. de vsuris, c. ante triennium, 31. dist. c. proposuisti, 82. dist.* Bartol. *l. omnes populi. q. 5. principali. ff. de iustit. & iure.* Felin. *c. cognoscentes, in principio, n. 7. de constit.* Parisius *cons. 49. num. 3. volum. 4.* Mandosius *de signatura gratiæ, tit. de dispensat. ad beneficium in Ecclesia, in qua pater. §. Rursus secundum est.* Baldus, & Salizetus, *l. testium, C. de testibus.* Felin *cap finali. de constit.* Nauarr. *cap. si quando, de rescript. excepi. 21. a num. 1. vsque ad 5.* quod procedit etiam quando ratio legis habet locum in præteritis, adhuc enim non trahitur ratio ad tempus antecedens, sed tantùm ad futurum. Quòd si opponatur glos. *Clement. 1. de conces. prebend. versi. censemus*, communiter recepta, vt ait Nauar. *ibidem n. 3.* quæ dicit, dispositioni illius Clement. locum esse in præteritis, quoniam ratio illius æquè respicit præterita & futura. Respondet Felinus hoc intelligi, quando lex est iuris antiqui declaratoria, secus quando est lex noua, & Nauarr. *ibi n. 5.* respondet intelligi in dubio, quando scilicet non apparet aliunde legem illam tantùm futura respicere. Præterea, quia Trident. in eo decreto quándo agit de collationibus præteritis, tantùm disponit, quòd non sint simul beneficiarij pater, & filius in eadem Ecclesia, sed quòd filius intra tres menses teneatur dimittere beneficium; ergo si ante hoc decretum, vel ante tres menses dictos pater obiit, vel dimisit beneficium, iam omnino seruatur intentum Concilij quòd non sint simul in vna Ecclesia. Neque obstat quod Trident. *ibi* dicit, quòd filius renunciet beneficium: & sic non videtur satis fieri, si pater renúciet; quia cùm huius decreti mens ea fuerit, vt pater & filius simul in eadem Ecclesia non sint, quod optimè seruatur, quouis eorum renunciante, satis est, vt pater renuncier. Neque obstant fundamenta Nauarri, non primum, quia licèt ratio illius decreti habeat etiam locum in præteritis, non ob id extendendum est ad præterita, vt probaui, maximè cùm circa præterita; quod velit, expressè disponat. Non obstat etiam secundum, quia vult *ibi* Concilium non tantùm, quòd filius non obtineat titulum beneficij in Ecclesia, in qua pater; sed etiam, vt non habeat in ea quodcunque ministerium. Sic tenuit ad pedem literæ Couarr. *in dictis annotationibus*, & quòd filius possit retinere tale beneficium, quando pater obiit ante publicationem illius decreti Trident. tenet etiam Salzedo, *pract. cap. 49.* & affert declarationem Cardinalium, qui hoc ita declararunt.

9 Hinc fit, quòd hoc Trident. decretum non improbat dispensationes præteritas, sed illas restringit, scilicet vt non possint pater, & filius in eadem Ecclesia simul ministrare, sed futuras omnino reprobat; quare si filius ex legitima dispensatione obtinuerat ante hoc decretum etiá beneficium paternum, potest post hoc decretum illud retinere, modò pater iam non habeat beneficium in ea Ecclesia, patet ex dictis. Sic Cou. *in illis annotationibus.*

10 Secundò infertur quòd si filius illegitimus clerici prùs obtinuit beneficium in aliqua Ecclesia, & postea pater in ea obtinuit aliud etiam dissimile beneficium, nõ esset cogendus tunc filius dimittere beneficium, sed pater, quia ideo vult hoc decretum Trident. cogi filium beneficium dimittere, quia illud contra honestatem publicam, quam veteres canones seruandam esse censuerunt, in eadem Ecclesia, in qua pater ministrabat, obtinuit. Quod in hoc casu non contingit in filio, sed in patre. Sic Couarr. *in eisdem annotationibus.*

11 Tandem nota, quid dicendum sit, si filij clericorum illegitimi habebant accessus, regressus, vel coadiutorias ad aliquod beneficium in Ecclesia, in qua parentes habuerunt beneficium, an possint per eos accessus, vel regressus, vel coadiutorias assequi ea beneficia, videtur enim posse, tũ quia hoc decretum nõ loquitur de præteritis, vt dixi, in casu quo simul patet, & filius ministrant, quod in casu non contingit, & filius assequitur beneficium per ius, quod habebat ante Trident. nempè ratione illius regressus antea habiti Secundò Tridentinum *eadem sess. 25. c. 7. de reform.* non tollit regressus, & coadiutorias præteritas, sed tantùm futuras post Concilium: ergo non dicendum est d. cap. 15. esse contrarium, & tollere futuras. Sed dicendum est, non posse: tum quia consequutio illius beneficij non est præterita, sed futura, & post decretum Concilij, licèt sit exequutio quædam actus præteriti; quia ij, qui habent accessus, regressus, & coadiutorias, non habent beneficia, nec vllum ius in eis, sed tantùm ad ea; & ita postea dicentur ea quærere: at hoc decretum prohibet illegitimos post illud acquirere beneficium aliquod in Ecclesia, in qua pater habuit. Tum etiam, quia Concilium *eadem sess. cap. 7.* dum non improbauit accessus, regressus, & coadiutorias, intellexit in omnibus legitimè natis, & etiam in illegitimis, quando per eas non prætendunt beneficia in Ecclesia, in qua parentes obtinuerunt. Sic tenet Nauarr. *in auctario*, quod ponit post *cap. si quando, de rescript. el nueue à n. 5. vsque ad 11.* & Couarr. *in annotationibus dictis.*





## DVBIVM XVI.

*An possint filij, siue legitimi, siue illegitimi habere pensionem super fructibus beneficiorum, quæ eorum parentes obtinent, vel obtinuerunt.*

1 HÆc quæstio tractari potest stando in iure communi antiquo, & stando in decreto Trident. *25. c. 15. de reformat.*

2 Et stando in iure communi antiquo quidam dicunt non posse. Et probatur arguẽdo de toto ad partem, quod argumentum valet, *l. quæ de tota. ff. de rei vendicat.* Si enim filius excluditur à toto beneficio, sic & à parte, scilicet à pensione, super parte fructuũ. Sic Gigas *de pensionibus. q. 16.* Gauara *lib. 6. de potestate Legati, num 284.* vt eos refert Spino *vbi infrà.*

3 At multo verius est, posse, quia nullibi reperitur talis prohibitio; neque argumentum de toto ad partem valet, quando in parte militat diuersa ratio, quàm in toto, vt bene Socin. iunior *cons. 187. n. 22. lib. 2.* Sic Gigas *in addit. ad suam, q. 86. de pensionibus*, vt eum refert, & sequitur Mandosius *de signatura gratiæ, tit. de dispensatione ad beneficium in Ecclesia, in qua pater, §. Quæro an constitutio.* Spino *speculo testam glos. 3. n. 22.* Paleotus, & Gomesius per ipsum citati *ibi.*

4 Sed Trident. *d. c. 15.* statuit ne filij clericorum possint habere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, quando non sunt habiti ex legitimo matrimonio; quare cùm hoc decretum loquatur de futuris (vt dixi *dub. præcedent.*) filij clericorum, qui ante illud decretum obtinuerant pensionem super beneficiis paternis, possunt etiam modò retinere. Sic Spino *ibi*, dicens sic esse declaratum per Cardinales: & modò multos clericorum filios obtinere pensiones super beneficiis patrum obtẽtas ante hoc decretum.

5 Similiter cùm Trident. *ibi* (vt dixi *supra dub. 14.*) nihil innouet circa filios legitimos, poterunt etiam hodie obtinere pensiones super beneficiis paternis.

## DVBIVM XVII.

*Quis possit dispensare cum filiis legitimis, vel illegitimis, vt succedant in beneficio paterno.*

1 CErtum est cum illegitimis solùm Papam posse, vt patet ex *c. dilectus, de filiis presbyt.* & tenent omnes citandi.

2 Nota, quòd Sylvest. *beneficium, q. 15.* Tab. *beneficium 2. q. 19.* Angel. *verb. beneficium, n. 28.* Arm. *n. 33.* dicunt, quòd licèt Episcopus nequeat cum his dispensare, vt succedant in beneficio paterno, nec vt simul cum patre sint in eadem Ecclesia beneficiarij, at potest dispensare, vt mortuo patre in eadem Ecclesia habeant aliud beneficium. Sed, vt dixi *supra, dub. 15. concl. 2* ad hoc nulla requirebatur dispensatio stando in iure communi antiquo, iuxta quod loquuti sunt hi authores. At post Trident. *sess. 25. c. 15. de reformat.* certum est cum filiis illegitimis clericorum non posse Episcopum dispensare, vt obtineant beneficium in Ecclesia, in qua eorum patres iam defuncti beneficium aliquando obtinuerunt, quia id grauissimè prohibetur *ibi*, & improbantur dispensationes futuræ, at Episcopus nequit dispensare in lege generalis Cõcilij.

3 De filiis verò legitimis dubium est, an possit Episcopus dispensare, vt immediatè succedant in beneficio paterno. Duplex est sententia.

Universidad de Deusto Biblioteca

Prima dici posse Episcopum dispensare ex causa iusta, concernente scilicet vtilatatē Ecclesiæ, absque causa verò non. Et probant per *c.ex tua,& c.veniens, de filiis presbyt.* Sic Host.*tit.de filiis presbyt.n.6.* Raynerius *in sum.eodē tit.* Pan.*c.finali,eod.tit.n.2.* Tácred.Goffred.& Ioan. quos refert, & sequitur Archid.*c.de filiis presbyt.in 6.n.4.*

4 Secunda tamen sententia tenenda docet non posse, quia expressè *d.c. dilectus*, dicitur non posse Episcopum, neque Legatum Papæ, & non fit distinctio de filiis legitimis, vel illegitimis. Item,quia hæc prohibitio est de iure communi Pontificio,in quo Episcopus nequit dispensare, cùm inferior non possit in l. superioris dispensare. Hanc tenent Ripa *c.inter cæteras,de rescript.n.17.* glos.*c.1. §6.dist. 6.fine,& c.Apostolica 8.q.1.vers. Prabendas.* Mandosius *de signatura gratia,tit.de dispensat ad beneficium in Ecclesia,in qua pater.* glos.*d.cap.dilectus,vers.non obstante.* Rebuff.*praxi benef.tit.de dispensat.super defectu natalium, n.32.* Ioan. Andr. *c.penult. de filiis presbyt.* Ioan. Monach, & Domin.*c.1.de fil.presbyt.in 6.* vbi Francus *n.7.* Speculator.*tit.de dispensat.§.Nunc de Episcoporum,fine.*

## DVBIVM XVIII.

*An sicut filij non possunt succedere in beneficio patris, ita & nepotes in beneficio auorum,& sic de reliquis descendentibus? & quid de collateralibus.*

1 CErtum est collaterales posse,quia nullibi habetur talis prohibitio, & non militat eadem ratio, quæ in descendentibus, nempe, ne detur successio in beneficiis: & sic tenent omnes Doctores citandi.

2 Sed dubium est de nepotibus, & aliis descendentibus, triplex est sententia.

Prima ait non posse nepotes succedere in beneficio auorum. Ratio, quia appellatione filiorum nepotes continentur,*l.liberorum.ff.de verb.signif.& §.sui, Inst.de hæred. qualit.* Item quia fieret manifesta fraus canonicis decretis, qui enim nequit filio dare beneficium, minimo negotio nepoti concedet. Sic tenent glos.*c.ad extirpandas, de filiis presbyt.vers.filij,* & *ibi* Innoc.Immola.*c.ex parte el 1.de offic.deleg.fine.* Butrio *d.c.ad extirpandas,n.7.* dicens communem esse,Salzedo *pract.Bernadi Diaz,c.59.* Guill. *c.Raymutius, d.test.verbo & vxorem,n.693* Rebuff.*praxi benef.tit dispensat.super defectu natalium, n.25.* & Card. & Archid.quos *ibi* refert,& *n.27.* dicit,(ipsúmque sequitur Salzedo *suprà*) hoc habere verum etiam in nepote legitimo ex spurio,vel spuria,& sic dicit Rebuff. censuisse senatum Tolosanū,& *n.26.* dicit,hoc esse verū,licèt pater sit viuus.Idem tenent de nepotibus, immo & de omnibus descendentibus dicunt idem Laur. & Alanus.quos refert Turrec, *vbi infra.*

3 Secunda sententia sic distinguit, si pater est viuus,potest nepos in beneficio aut immediatè succedere, quia tūc cessāt ratio prohibitionis: nam si iure successionis haberetur, non nepos, sed eius pater esset successurus; si verò pater obiit, nequit nepos in eo beneficio immediatè succedere,quia tunc nepos,tanquam proximior succedit, & sic manet ratio pohibitionis. Sic tenent Host. *summa tit. de filiis presbyt.n.5.* Turrec.*c. Apostolica 8.q.1.n.8.* Syluest. *beneficium 3.q.6.* Tabien.*beneficium 2.q.13.* Ang.*verbo beneficium,n.16.* Arm *n.22.*

4 Immo idem dicunt de omnibus descendentibus Host. Syluest. Tabien. Ang.*ibi,* Arm.*ibi,n.21.*

5 Tertia sententia cæteris probabilior dicit posse nepotes immediatè succedere in beneficio aui. Ratio, quia cū hæc decreta pœnalia sint,sunt restringenda: cùm ergo de solis filiis loquantur, non sunt extendenda ad nepotes, maximè, quia tantùm in fauorabilibus nepotes veniunt nomine filiorum, non autem in odiosis.*l.lege Iulia, §.hoc capite,ff.de ritu nu.l patri, ff.de adult.* Batt. *t.liberorum,n.6. ff.de verbor.signif.* communiter receptus, vt testatur Cou. *lib.2.variar c.8 n.2.vers.primum.*& Spino *vbi infrà.* Item, quia licèt filij clericorum ab hæreditate paterna omnino excludantur, non tamen nepotes, Hanc tenent glos.*c.1 dist.56.& c.Apostolica 8.q.1.vers.præbendas.* D.Ant.*3.p. tit. 28.c.4.§ 2.* Rayner. & Brixiensis, quos refert Turrec. *suprà.* Bellamera *d.c. Apostolica,n.3.* dicēs communem, & *ibi* Præpositus,*n.20.* & *ibi* Archid. Panorm.*c.accedens, de accus.n.2.& c.ex transmissa,n.7.de filiis presbyt,& c.ad extirpandas,eodem tit.n.8.* vbi Ioan.Andr.Gauera,dicens sic practicari,*lib.7.de potest. Legati,n.313.* Spino *speculo test. gloss 3.n.23.*

## DVBIVM XIX.

*An sicut in parentum beneficiis nequeunt succedere filij, ita nec parentes in beneficiis filiorum.*

DVplex est sententia,

1 Prima dicit non posse etiam parentes succedere in filiorum beneficiis, quia cùm eadem ratio sit in vtroque casu, idem ius esse debet, *translationes, de const. & c.inter cæteras,de rescript.* maximè,quia sumus in correlatiuis, quorum idem est ius,*l.finali,* & *ibi* Bart.*notab.vltimo ff.de acceptil.* sic Archid & Host.quos refert Panor. *infra.* Idem tenet Turrec.*c. Apostolica 8.q.1.n.5.*& cum hac videtur manere Mandosius *de signatura gratiæ, tit de dispensat.ad benef.in Ecclesia, in qua pater.fine,* & refert *ibi* Gigantem,*q.86.de pensionibus*, dicere fortè hoc posse sustineri.

2 Secunda sententia probabilior ait, posse succedere: ratio, tum quia hoc non inuenitur expressè prohibitum,& cùm sit pœnale, potiùs est restringendum. Tum etiam, quia non militat eadem ratio, nempè quòd detur successio hæreditaria in beneficiis, cùm rarum sit, vt filij thesaurizent parentibus, & eis beneficia resignent. Sic tenent Rebuff.*praxi benef.tit.de dispensat.super defectu natalium,n.29.* Gigas *vbi supra*, dicens esse communem Bernardus Diaz *practica canonica,c.49.n.4.* Ioan.Andr.quem refert,ac sequitur Panor. *c.ex transmissa,de filiis presbyt.n.7.* Præposit.*c. Apostolica 8.q.1.* dicens esse communem,& *ibi* glos.*vers.c. Præbendas,* dicit fortè hanc esse veram.

3 Hinc non est tenendum, quod decretum est in congregatione prouinciali Toletana *anno 1582. n.70.* nempe non posse parentes succedere in beneficiis filiorum illegitimorum. Sed contrarium hîc probaui,

## DVBIVM XX.

*An qui possedit triennio pacificè beneficium colorato titulo, non tamen vero, & legitimo, sit tutus in vtroque foro, ita vt post non teneatur resignare.*

1 HOc dubium, quod grauissimū est, mouetur propter regulā Cancellariæ de triennali, quæ est 33. quæ sic se habet. *Si quis quacunque Ecclesiastica beneficia, qualiacūque sint, absque simoniaco ingressu ex Apostolica,vel ordinaria collatione, vel electione, & electionis huiusmodi confirmatione seu præsentatione, & institutione illorū,ad quos beneficiorum huiusmodi collatio,prouisio, electio, & præsentatio,seu quauis alia dispositio pertinet,per triennium pacificè possederit,dummodo in beneficiis,si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reseruatione generali in corpore iuris clausa,reseruata fuerint,se nō intruserit, super eisdē beneficiis taliter possessis molestari nequeat. Necnō impetrationes de beneficiis ipsis,sic possessis factas,irritas,& inanes censeri debere decreuit,antiquas lites super illis motas penitus extinguentes.* Hæc *ibi.* Hęc regula ortum habuit ex quodam decreto Concilij generalis Basilienſis incipiente. *Quicunque non violentus,* vt notat Ludou.Lopez *suprà regula,de triennali,in proœmio,* & Felinus *c.sicut, de sententia, & re indic.num.31.* hoc autem decretum habetur in Concilio Basilienſi *sess. 22. paulo post principium, tit.de pacificis possessoribus.* Et sic se habet, *Quicunque non violentus, sed habens coloratum titulum,pacificè,& sine lite prælaturam,dignitatē beneficium, vel officiū triennio proximo hactenus possedit, vel in futurū possidebit,non possit postea in petitorio,vel possessorio à quoquā etiam etiam ratione iuris nouiter impetrati molestari, excepto hostilitatis casu,vel alterius legitimi impedimenti,de quo protestari,& illud intimare teneatur.* Hæc *ibi.* Et ratio huius regulæ est, vt notat Ludouic.Gomez *ibi q.28.* propter negligentiam non potentium ius suum intra triennium, denegatur postea illis actio: ne beneficia sub incerto titulo possideantur.

2 Hinc fit,quòd quamuis in aliis currat præscriptio cōtra legitimè impeditum: at hæc præscriptio beneficij pacificè triennio possessi non procedit contra legitimè impeditum: sed si prætensor beneficij talis ab alio triennio pacificè possessi est legitimè impeditus, quia scilicet ingruit bellum, vel pestis in loco beneficij,vbi debet citari possessor, vel actor est captus ab hostibus,nec potuit constituere procuratorem,tempus illud, quo durat impedimentum,est deducendum de medio, & dicitur dormire, adeò quòd finito impedimento, tempus sequens continuatur cum præcedenti. Patet ex d. decreto Concilij Basilienſis, à quo deducta est hæc regula, vbi excipitur casus hostilitatis,vel aliud legitimum impedimētum. Sic tenent multi,quos refert,& sequitur Lud. Gomez *regula de triennali,q.57.* Rebuff.*de pacific.possess.àn.301 vsque ad 310.* & limitat *n.302.* nisi tempore belli posset adire locum,in quo redditur ius cum saluo conductu. Et *n.304. vsque ad 309.* dicit idem esse, si actor esset infirmus, vel absens causa reipublicæ, vel effectus furiosus, vel iniustè excommunicatus. & non fuerit in mora petendæ absolutionis. Et *n.39.* dicit idem esse in quocunque impedimēto, quando impeditus non poterat remouere illud, vt constat ex dicto decreto Concilij Basilienſis,debet tamē impeditus (vt *ibi* dicitur) protestari impedimentum, & possessori intimari facere, quod intellige in casu, in quo posset fieri intimatio: si enim esset actor incarceratus, vel vi detentus, excusandus esset. Sic Rebuff.*ibi n.3.10.* Gomez *ibi q.57.* immo hæc protestatio non est necessaria, quando probatur postea impedimentum: vt docet idem Lud. Gomez *regula de annali, q.75.76.* ad quam se remittit *d.q.57.* & dicit,sic iudicasse Rotam.

3 Hæc in summa continet illa regula *de triennali*, quæ quia difficilis est, & multa habet pertractanda; quatuordecim dubiis sequentibus summatim perstringam.

## DVBIVM XXI.

*An regula* de triennali *locum habeat in foro conscientiæ, ita vt qui pacificè possidet beneficium triennio absque vero, & legitimo titulo,sed tantùm colorato,possit transacto triennio illud tuta conscientia retinere,an tantum denegetur actio in foro externo aduersario ad repetendum illud.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit nō reddere tutum in foro conscientiæ, & sic licèt triennalis possessor non possit molestari per viam actionis, at potest per viā denunciationis euangelicæ,ratione peccati, quòd contrahit retinendo; immo posset Prælatus ex officio priuare illum eo beneficio. Probatur ex verbis regulæ, vbi expressè dicit, super talibus beneficiis sic triennio possessis nequeant molestari,& nullibi dicit, posse retinere, Ergo expressè tantùm denegat actionem aduersario: sic tenet Cosmas *pragm. sanctio, tit.de pacif.possess.super verbo Triennium,& verbo molestari.* Et pro hac sententia refert Nauarr. statim citandus Ludouicum Gomez *regula de triennali,q.58.* Sed malè,quia oppositam sententiam tenet, vt mox dicam, & ipse Nau. fatetur in sua lectura semper mansisse ancipitem super hac quæstione. Idem tenet Couarr. *reg. possess.2.p.§.10.n.10.concluſ.7.*

2 Secunda sententia probabilior docet reddere tutum possidentem in vtroque foro, & sic transacto triennio posse tuta conscientia retinere, seruatis conditionibus, de quibus statim. Ratio,quia, vt dicit Lud. Gomez *illa q.58.* illud triennium æquialet præscriptioni, & sic possessor debet gaudere eadem securitate, ac præscribens 40. ann.

Item quia licèt titulus esset inualidus: at Papa ad vitandas lites, & scrupulos reualidauit titulum per illam possessionem triennalem. Et si in foro conscientiæ id non prodesset, non satis consultum esset scrupulis. Hanc tenet Lud.Gomez *regula de triennali,q.4.* Nauar.*lib.3. conſ. tit.de præbendis,conſ.41.fine,& 42.per totum.* Glossa antiqua, quæ est Guillermi de Monte Ferrato *reg. de triennali,* Philippus Probus *addit.ad Cosmam pragm.sanctio.tit. de pacif.possess,super verbum coloratum,glos.13.* Rebuff.latè probans *de pacif.possess.an. 7.vsque ad 28.*

3 Nota tamen quod Gomez *ea regula* de triennali,*q.58. & 42.* dicit, eam regulam non dare titulum possessori, sed tantùm exceptionem & possessionem ad vitam possidentis, & hoc etiam in foro conscientiæ. Vnde si alter habet ius ad illud beneficium, eius ius per hanc regulam non annūllatur, sed suspenditur durante vita triennalis possessoris,qua finita potest prosequi suum ius.Idem Fel. *cap.sicut,de sententia, & re iudic.n.31.* dicens sic iudicasse Rotam.Idem Couarr. alios referens, *regula possess.2.p.§. 10.n.10.* ad quod confert,quod dicit Panorm. *cap.contingit,de dolo,& contum.n.14.* quòd possessio decennalis defendit possessorem beneficij, excludendo alium, sed non dat possidenti titulum propter dictum glos. *eodem cap. contingit,vers.constituatur,* vbi ait,quòd titulus beneficij nunquam præscribitur. Hinc infert idem Ludou. Gomez *q.60.* quòd licèt triennalis possessor cum coloraro titulo fructus legitimè retinere possit, & agentem exceptione huius regulæ expellere, at nequiuit agere contra habentem verum titulum ad recuperationem aliquorum fructuum perceptorum, quia hæc regula non defendit, nisi possessorem, & ad hoc tantùm concedit exceptionem, at in petitorio nihil tribuit.

4 Sed contrarium est verius, scilicet concedere verum titulum,& actionem ad agendum, vt latè probat Rebuff. *ibi n.21.& 29.*& idem Lud.Gomez *q.illa 58.* refert quandam decisionem Rotæ, & Gasparem quendam Rotæ Auditorem tenuisse, quod confert verum titulum.

5 Immo habet tantam vim hæc regula *de triennali,* quòd si quis impetret beneficium detentum per aliquem per plures annos cum clausula quòd habetur tempus detentionis pro expresso, non obstantibus regulis Cancellatiæ, non derogatur huic regulæ, quia detentio supponit merum factum sine titulo: at hæc regula loquitur de triēnali possessore cum titulo colorato. Sic Lud.Gomez *regula de triennali,q.17.* licèt aliquantulum dubius.

## DVBIVM XXII.

*An procedat hæc regula* de triennali *contra minorem quartuordecim annis.*

1 DIfficultas est,an qui pacificè possedit triennio beneficium, quod debebatur minori, iuuetur hac regula,ita vt minor nequeat restitui.

2 Rebuffus *de pacif.possess.num.307.* latè probat iuuari, nec minorem posse restitui, qui in beneficialibus reputatur maior.*cap.ex parte.de restit.spoliat.& cap.si annum,de iudic. in 6.* faciunt multi Doctores asserentes, in beneficialibus non esse restituendum minorem grauiter læsum, quos refert Couar.*1.variar.c.5.n.1.*& multi alij,quos *ibi* refert dicentes, saltem hoc esse verum, quando illud beneficium renunciatum à minori, in quod restituendus erat, alteri collatum fuerat. Quod contingit in præsenti, & fauet,quòd plerique,quos refert *ibi* Couar. *n.3.vers. quinto*, annotarunt, scilicet non esse locum rescissioni contractus, etiamsi in beneficialibus deceptio vltra dimidiam contigerit maioribus ætate, vt in permutatione beneficiorum.

3 Sed Gomez *regula de triennali,q.15.* dicit,quòd licèt de rigore iuris ita sit, at de æquitate, quæ multum attenditur in beneficialibus, sic distinguendum est, si agitur de damno vitando, restituitur minor, non obstante pacifica triennij possessione; si verò agitur de lucro

Universidad de Deusto
Biblioteca



captando, tunc non restituitur, vt si minor plura beneficia haberet, & de vno posset viuere, vel si vnum haberet quod tam onerosum esset ei, quàm vtile, tunc enim non restitueretur. Idem Cosmas *pramag. sanctio, tit. de pacif. possessor. verbo impedimenti.* facit quod tenet Couarr. *eo c. 5. n. 3. versic. contrariam*, alios referens, scilicet. quòd minor læsus in beneficij Ecclesiastici renunciatione, etiamsi id beneficium post eam renunciationem alteri collatum sit, est restituendus. Et hæc sententia est probabilis, at prima est probabilior.

## DVBIVM XXIII.

*An non tantùm possessor beneficij triennalis gaudeat beneficio huius regulæ, vt molestari non possit, sed etiam is, cum quo talis possessor triennalis permutauit, & is qui de nouo habet beneficium possessum triennio per permutantem.*

DVplex est sententia.

1 Prima non gaudere nisi solum possessorem, quia est priuilegium personale, quod personam non egreditur. *c. priuilegium, de regulis iuris in 6.* Item quia in beneficialibus nulla datur successio respectu tituli. *cap. 1. de præscript. & c. Moyses 8. q. 1* nam titulus prædecessoris extinguitur omnino per eius mortem, vel renunciationem, nec aliquid de iure mortui ad successorem transmittitur, cùm nihil ex iure primi habeat, sed ex noua electione, & collatione, vt notant Ioan. Monachus, Ioan. Andr. & Guillermus, quos refert Ludou. Gomez *regula de triennali, q. 13.* vbi hanc sententiam tenet, & eandem tenet Cosmas *pragm. sanctio, tit. de pacif. possess.* & glossator regulæ *de triennali.*

2 Sed contrarium est verius; primò, quia prædecessor possidens beneficium cum colorato titulo per triennium, vel per decem annos secundùm dispositionem iuris cõmunis, præscribit ius cuicunque competens, vt notat Panor. *c. constringit, de dolo, & contum.* Ergo tali iure potest vti successor, quia sat est in beneficialibus excludere actorẽ per exceptionem iuris non sui; & in tali materia licitum est vti iure prædecessoris: vt docent Compostel. Ioan. Andr. Card. *c. mandatum, de rescript.* Felin. & Imola *c. capitulum, eodem tit.* Rebuff. *vbi infrà*, & respondet ad rationem oppositam, quòd non potest successor in beneficio vti iure prædecessoris, quando vult ex solo titulo, & possessione prædecessoris ius suum fundare sine nouo titulo; secus verò, quando se fundat in proprio titulo nonè acquisito, & ad excludendum alterius titulum excipit de iure sui prædecessoris. Secundò, quia regula generaliter dicit non posse possessorem molestari, at molestato successore, molestaretur, quia euicto successore, cogetur prædecessor reddere beneficium, quod habuit ex permutatione. Hanc tenent Rebuffus *de pacif. possess. n. 157. 158.* Ripa *lib. 1 respons. conf. 17.* Staphilæus *de literis gratiæ fol. 91.* & multi excellentes viri, & Cancellariæ iuris Romani; vt refert Gomez *ea q. 13.*

3 An verò, si defunctus triennalis possessor cœperat se defendere contra actorem molestãtem, transferatur hoc ius in subrogatum in iure, & ad omne ius, quod quomodolibet defuncto competebat, consule Gomez *q. 14.*

## DVBIVM XXIV.

*Quæ conditiones exigantur, vt triennalis possessor tutus sit virtute regulæ de triennali.*

DIco, exigi decem conditiones. Prima est, bona fides. Secunda, possessio. Tertia, vt sit pacifica. Quarta, per triennium. Quinta, vt possessio hæc sit beneficij Ecclesiastici. Sexta, vt adsit titulus. Septima, vt titulus sit saltem coloratus. Octaua, vt non sit simoniacus possessor. Nona, vt non sit violentus. Decima, vt non sit intrusus in beneficio dispositioni Apostolicæ ex aliqua reseruatione generali in corpore iuris clausa reseruato. De quib. conditionibus seorsum agendũ est in decẽ dubiis sequentib.

## DVBIVM XXV.

*Circa primam conditionem, an in possessore triennali requiratur* bona fides, *vt possit se tueri hac regula.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit, non requiri bonam fidem. Ratio quia per hanc regulam aliquid de nouo inducitur vltra ius cõmune, at nihil operaretur, nec de nouo induceret, si ad eam exigeretur bona fides. Itẽ quia regula tantùm petit titulum coloratum, & duos casus malæ fidei excipit, scilicet simoniacum, & intrusum in beneficio vacante apud Sedem. Item, quia in temporalibus in præscriptione agitur de maiori præiudicio, cùm per præscriptionem verum ius, & dominium acquiratur, & sic non mirum, si requiratur bona fides: at per hanc regulam tantùm acquiritur possessio ad vitam possidentis duratura. Sic Ludou. Gomez *regula de triennali, q. 42.* & dicit bis in Rota sic esse decisum: & dicit hanc exceptionem etiam mala fide post triennij possessionẽ reddere tutũ etiam in foro conscientiæ possidentem. Quia Papa ad vitandas lites, & scrupulos, hoc potuit facere, immò, & dare verum ius, & dominium propter plenissimam in beneficialibus potestatem, quam habet. Idem Couarr. *regula, possess. 2. p. §. 10. n. 10.* at dicit non reddere tutum in conscientia.

2 Secunda sententia verior tenet requiri bonam fidem possidentis; quia non est credibile velle Papam fauere peccanti, ac malæ fidei possessori. Item, quia regula generalis est, malæ fidei possessorem nullo tempore præscribere. *c. possess. de regulis iuris in 6.* quod etiam in spiritualibus procedit, vt benè gloss. *c. contingit, de dolo & contum. versic. constituatur*; & dicendo hoc, aliquid vltra ius commune operatur hæc regula, quia de iure communi semper poterat possessor molestari, nec præscribebatur titulus, vt benè Rebuff. *vbi infrà.* Hanc tenent Nau. *lib. 3. consil. tit. de prabend. conf. 42. in 2. conf. 30* Rebuff. *de pacif. possess. n. 28.* Guillermus quem refert Lud. Gomez *d. q. 42.* dicitque Rotam, re sæpiùs disputata, nunc in hanc, nunc in aliam partem declinasse.

## DVBIVM XXVI.

*Circa secundam conditionem, quæ est* possessio, *quomodo intelligatur.*

1 DIco, sat esse, siue per se, siue per alium pacificè possideat eo triennio; quia qui possidet per alium, ipse videtur possidere. *l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata.* Sic Rebuff. *de pacif. possess. n. 84.*

2 Hoc tamen intelligitur, quando alius meo mandato accepit meo nomine possessionem; si enim id fecit absque meo mandato, licèt postea ratum ego habeam, tantùm computabitur tempus triennij à die meæ ratihabitionis, & non à die, qua alter accepit possessionem; puta ratihabitio non potest retrotrahi in præiudicium tertij, sed tantùm ratificantis, vt concludunt Doctores, & gloss. *cap. ratum, & cap. ratihabitio, de reg. iuris in 6.* Sic Gomez *regula de triennali, q. 59.* dicens sic decidisse Rotam.

## DVBIVM XXVII.

*Circa tertiam conditionem, scilicet,* vt possessio illa sit pacifica, *quid intelligatur per* pacificam.

1 SIt prima conclusio: hîc pacifica possessio sumitur, id est, sine lite. Et sic licèt sit controuersia verbalis, si non fuerit peruentum ad citationem, dicetur pacificè possidere. Sic Rebuff. *de pacif. possess. n. 165.* Bonif. *Clement. vnica, de sequest. possess.* vbi & glossa *vers. antea*, explicat, quòd ante litem motam possidetur pacificè; postea verò non. Et *ibi* Immola *n. 18.* Guido Papa *q. 85.*

2 Secunda conclusio: non perturbatur pacifica possessio, licèt reus per suas literas fateatur habuisse notitiam citationis contra eum ante triennium decretæ, nisi peruentum sit ad litem. Sic Gomez *regula de triennali, quæst. 55.*

3 Tertia conclusio; per citationem nullam, vt quia defuit



fuit iurisdictio, non interrumpitur pacifica possessio. Sic latè probãs, & adducens plures decisiones Rotæ Gomez *regula de triennali, q. 34. & regula de annali, q. 43.* vbi multos Doctores refert, & Cosmas *pragmat. sanctio, tit. de pacif. possess. verbo iudicio.*

4 Hinc fit, quòd si quis falsè assertus meus procurator citauit possessorem, qui pòst possedit triennio, iuuatur hac regula, & dicetur pacificus possessor, licèt postea ratificem gesta per illum, quia citatio fuit nulla, nec ratihabitio potest retro præiudicium tertij trahi: vt probani *suprà*. Sic Gomez *regula de triennali, q. 59.* dicens sic decidisse Rotam.

5 Quarta conclusio: si possessor conuenitetur ab aduersario ante triennium, & ipse declinat forum, & antequã constituantur iudices, labitur trienniũ, non dicitur pacificè possidere, quia non stetit per actorem, nec requiritur ad hoc litis contestatio. Sic Rebuff. *pacif. possess. n. 170.*

6 Quinta conclusio: dicitur pacificè possidere possidens triennio, licèt Episcopus, vel alius recipiat fructus primi anni, Rebuff. *ibi n. 85.*

7 Sexta conclusio, vt non dicatur pacificè possidere, sat est, turbetur eius vicarius, quem reliquit, intra triennium, quia aliàs fieri posset fraus recedendo. Sic Rebuff. *n. 85.* Milis *in repertorio, verbo possessio pacifica, q. 131.*

8 Septima conclusio: sat est, quòd moueatur lis super possessione intra triennium, vt nõ dicatur pacificus, quoad proprietatẽ: vnde non dicitur pacificus, quando mouetur ei lis tã super possessione, quàm super proprietate. Sic alios referens, & dicens ita seruari in forensi iudicio, Rebuff. *n. 166.* contra Gomez *regula de triennali, q. 53.* vbi dicit non esse pacificam tantùm, quando mouetur lis super proprietate, secus quando super possessione.

9 Aduerte tamen, quòd si mota lite super possessione, & obtenta sententia super possessione, aduersarius taceret per triennium, non posset postea lis moueri super proprietate, quia hic pacificè possedit triennio. Rebuff. *ibi num. 167.*

10 Octaua conclusio: quando partes intra triennium fecissent compromissum, licèt alter possideret triennio, non dicetur, durante compromisso pacificè possidere: vt colligitur ex *Clement. quandiu, de appellat.* Et quia non potuit pars durante compromisso adire iudicem, & prosequi causam sine pœnæ incursione positæ in compromisso. Sic Rebuff. *ibi n. 292.* contrarium Nauarr. *lib. 3. consil. in antiquis. tit. de præbendis, conf. 40. n. 6.*

11 Nona conclusio: si litiget quis aduersùs vnum per illud triennium, & aduersùs alios, non dicetur pacificus quoad alios. Sic contra Gomesium *quæst. 22.* vbi dicit, & latè probat etiam quoad alios, non esse pacificum, & sic semper seruasse Rotam, tenet Rebuff. latè probans *num. 165. 167.* Cosmas *pragmat. sanctio, tit. de pacif. possess. super verbo terminorum, versic. quæritur amotio iuris.*

12 Vltima conclusio, per appellationem extraiudicialem intimatam possessori, siue fuerit interposita in principio, siue in medio triennij, licèt appellatio, & desertio præcesserit possessionem triennalem, interrumpitur pacifica possessio, quia non dicitur cessare lis in beneficialibus, donec sit sententia. Gomez *ibi q. 54.*

## DVBIVM XXVIII.

*Circa quartam conditionem scilicet vt possessio pacifica sit per triennium, qualiter hoc triennium intelligatur.*

1 PRimò dico, quòd hoc triennium debet esse omnino complerum, quia vbicunque lex requirit certum tempus, oportet quòd sit completum, & computatur de momento ad momentum. *l. 3. §. minorem, ff. de minoribus.* Sic tenent Rebuff. *de pacif. possess. n. 266* Gomez *regula de triennali, q. 20.* Cosmas *pragmat. sanctio, tit. de pacif. 1. c. possess. verbo triennio.*

2 Secundò dico, hoc triennium debet esse continuum, quia semper quando in iure requiritur aliquod tempus, debet esse continuum: vt probaui cum multis Doctoribus *lib. 5 summæ, c. 4. n. 31.* Sic Gomez *d. q. 20.* Excipe tamen casum, quo medio eo tempore actor fuit impeditus, vt dixi *suprà dubio 20. n. 2. in principio.*

3 Hinc fit, quòd si quis possedit beneficium pacificè biennio, & obiit, vel renunciauit, & successor per annum pacificè, non coniungentur hæc duo tempora, quia in beneficio non succeditur iure hæreditario. Item quia titulus prædecessoris morte, vel renunciatione fuit penitus extinctus. Sic Rebuff. *ibi*, latiùs probans *n. 267.* Gomez *ea q. 20.* Cosmas *ibidem, verbo possedit.*

4 Si tamen quis possedit per vnum annum beneficium, nũc, ad quod reuersus fuerat, iuxta *cap. si beneficia, de præbendis in 6.* quia scilicet renunciatio fuit nulla, vel metu extorta, & antea possederat biennio, licèt de rigore iuris verius videatur, hoc non sat esse, quia possessio semel demissa nõ restituitur, nisi apprehẽdatur. *l. denique ff. ex quibus causis.* Et ideo necessarium videtur de nouo triennio possidere: at de æquitate videtur hoc sat esse, quia postquam liberè potest redire ad suum beneficiũ, debet esse sine aliquo detrimẽto. Item quia non videtur amisisse titulum, nec possessionem, post quam liberè sine noua collatione potest redire ad ipsum. Sic Rebuff. *ibi n. 270. 271. & n. 143* vbi dicit, sic iudicatum esse Burgundiæ.

5 Tertiò dico, quòd si quis triennio continuo possidet vigore duorum titulorum, nempe priùs vno titulo, deinde alio, satis est, quia per superuenientiam secundi tituli primam possessionem amisit, nisi effectualiter illam dimitteret, & alteri traderet. Sic Gomez *ibi q. 46.*

## DVBIVM XXIX.

*Circa quintam conditionem, scilicet, vt possessio illa sit beneficij ecclesiastici, quid per hoc intelligatur.*

1 PRimò dico, quòd hoc intelligitur, siue habeat beneficium in titulum, siue in commẽdam ad vitam, quia talis commenda est titulus. Sic Cosmas *pragm. sanctio, tit. de pacif. possess. verbo titulum.* Boërius *in addit. ad Dynum, reg. 1. de reg. iuris in 6.* Rebuff. *de pacif possess. n. 35. vsque ad 48.* vbi dicit sic vidisse seruari in forensi iudicio; & latissimè Gomez *regula de triennali, q. 5.* secus dicens esse quando commenda est ad tempus. & refert aliquas decisiones Rotæ ad hoc, licèt etiam in contrarium, nempè non habere locum etiam in commenda perpetua, nec esse titulum, referat multos.

2 Secundò dico, quòd habet locum hæc regula, licèt quis possedisset beneficium per triennium cum simplici signatura, quia ex sola signatura perficitur gratia, nec requiritur scriptura ad essentiam gratiæ. Sic latè hoc probans Rebuff. *de pacif. possess. n. 50* immo possessio canonicè ex simplici signatura capi potest. Et sic seruat Rota, vt firmat Gomez *regula de non indicãdo iuxta formam supplicationis. quæst. 5.* neque obstat (inquit Rebuff *n. 51.*) quod Felin. *c. in nostra, de rescriptis, & c. veniens, de accus.* asserit, adipiscentem possessionem cum simplici signatura esse intrusum, id enim non est ita, quia intrusus dicitur, qui non intrat per ostium, at hic per ostium intrat, cùm habeat à Papa prouisionem.

3 Tertiò dico, quòd non habet locum in officiis, & dignitatibus sæcularibus, seu temporalibus, & profanis; quia regula loquitur de beneficiis, & officiis ecclesiasticis. Rebuff. *ibi n. 300 versic. 8.*

4 Quartò dico, quòd habet locum in quolibet titulo, siue possessor habuerit collationem beneficij possessi per triennium, siue electionem non requirentem confirmationem, vt quando electio fit ab eo, qui potest confirmare, vbi enim hæc requiritur, non sat est sola electio, quia hic titulus beneficij largè accipitur pro quolibet modo à iure approbato obtinendi beneficia. Vnde procedit etiam in præsentato & instituto, cùm institutio sit ecclesiastici beneficij, & Ecclesiæ collatio. Idẽ in permutatione per superiorem approbata. Idem in translato authoritate

Papæ;

Universidad de Deusto
Biblioteca



Papæ; quia translatio sic facta dicitur canonicus titulus. Hæc Rebuff. *à num. 52. vsque ad 58.* latiùs probans, & alios referens.

5 Quintò dico, quòd habet locum tam in beneficio principali, quàm vnito; quia possidendo principale per triennium, non potest etiam super vnito molestari, quando facta est valida vnio, & vocatis iis, quorum interest, & fuit facta vnio de vno beneficio alteri accessoriè, & possedit principale: secus quando possedit accessorium, vel facta est vnio æquè principaliter. Hæc Rebuff. *num. 62.* latiùs probans.

6 Si tamen post vnionem ritè factam, quis impetret illud beneficium vnitum, & possideat triennio, non iuuatur hac regula, quia beneficium non vacabat. Sic Rebuff. *ibi num. 62.* Gomez *regula de triennali, q. 8.* Siue (inquit) esset vnio perpetua, siue ad vitam illius qui habebat.

7 Sextò dico, quòd habet etiam locum in prælatura, sub qua comprehenduntur etiam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, & qui iurisdictionem habent ordinariam, non recognoscentes superiorem Episcopum. Et procedit tam in dignitate sæculari, quàm regulari, quando dignitas est ecclesiastica: secus quando est sæcularis, & temporalis. Hæc Rebuff. *à n. 63. vsque ad 75.* & quia numerauí Abbatissam, aduerte, quòd fœmina etiam iuuatur hac regula in ea dignitate, cuius est capax, vt quando fœminæ conceditur dignitas per Papam in titulum, vel administrationem: vt in Abbatissa, vel Priorissa perpetua. Sic Rebuff. *n. 3.* Gomez *regula de triennali. quæst. 3.* Cosmas *pragmat. sanctio, tit. de pacif. possess.*

8 Septimò dico, quòd licèt vicarius Episcopi dignitatem habere dicatur, gloss. *Clement. & si principalis, de reseriptis*, At non iuuabitur hac regula; quia illa dignitas potiùs est Episcopi, cuius vices gerit. *cap. 1. de offic. vicarij, in 6.* Rebuffus *ibi n. 79.*

9 Octauò dico, quòd non habet locum in feudis ecclesiasticis, licèt aliquando nomine beneficij veniant. Sic Gomez *q. 4.* latè probans.

10 Nonò dico, quòd intelligitur . etiamsi Capitulum, collegium, vel conuentus beneficium possideat, quia hæc etiam comprehenduntur sub ea particula, *quicunque*, posita in Concilio Basilienssi, vnde desumpta est hæc regula. Rebuff. latè probans *n. 6.*

11 Decimò dico, quòd habet locum in capellaniis collatiuis, & præstimoniis, quia sunt verè beneficia. Rebuffus *num. 87. & 90.*

12 Vndecimò dico, quòd non habet locum in pensionibus; vnde non soluens pensionem per triennium, siue sibi, siue suo prædecessori imposita fuerit, non iuuatur hac regula. Sic Rebuff. *n. 92.* Gomez *q. 50.* addens idem esse quando consensit pensioni, & regressui ob non solutionem.

13 Duodecimò dico, quòd habet locum in officiis ecclesiasticis, quia sic dicitur in decreto Concilij Basilienssis, vnde originem trahit hæc regula: secus in officiis temporalibus, licèt solita sint dari clericis. Sic Gomez *q. 6.* etsi (inquit) dici posset includi ratione illius dictionis, *quæcunque*, positæ in regula.

14 Decimotertiò dico, quòd habet locum, licèt beneficium sit sequestratum, quia sequestratio necessaria non priuat quem possessione sua. Rebuff. *n. 86.*

15 Decimoquartò dico, quòd habet locum in hospitali, quando datur in titulum beneficij, secus quando non datur in beneficij titulum, sed ad hoc vt eius redditus distribuantur in vsus pauperum, de quibus tenetur reddere rationem rector. Sic contra Felinum *cap. de quarta de præscript.* dicentem etiam in hoc secundo casu habere locum, docent Gomez multa allegans *q. 7.* Rebuff. *n. 81. 82.* Cosmas *pragm. sanctio, tit. de pacif. possess. verbo beneficium.* Milis *in suo repertorio, verbo Hospitalia, versic. antepenultimo, & verbo beneficium.*

16 Decimoquintò dico, quòd regula loquitur de possidente beneficium, non verò de possidente ius conferendi, vel præsentandi ad beneficium, hic enim transacto triennio potest molestari. Rebuff. *n. 283.*

17 Decimosextò dico, quòd possidens beneficium triennio non potest postea molestari: intellige super titulo beneficij, secus super decimis, vel aliis rebus beneficij. Rebuff. *n. 293.*

18 Vltimò an habeat locum in beneficiis iuris patronatus; dic quòd sic, vt patet ex verbis regulæ, *præsentatione*, &c. Gomez *q. 9.* At maius dubium est, quando quis possedit triennio beneficium ex collatione ordinarij, quod prætenditur esse de iure patronatus, & conuenitur possessor elapso triennio à præsentato per patronum, an possessor iuuetur hac regula. Gomez *ibi* se remittit ad *q. 27.* super regula *de triennali*, vbi valdè obscurè loquitur, & videtur tenere (ni fallor) quòd iuuatur, & ita mihi videtur.

## DVBIVM XXX.

*Circa sextam conditionem, scilicet vt adsit titulus, qualiter hoc intelligatur.*

1 PRimò dico necessarium esse titulum. Patet ex illis verbis regulæ, *ex Apostolica, vel ordinaria collatione.* Et Concil. Basil. vnde regula desumpta est, expressè dicit, *possidens cum titulo colorato*; ergo iam aliquis titulus requiritur, & fatentur omnes.

2 Secundò dico, quòd non requiritur omnino titulus verus, sed sat est coloratus. Patet ex decreto Concilij Basil. à quo habuit originem hæc regula, in quo expressè dicitur, sat esse titulum coloratum, quia regula hæc indistinctè loquens debet capere interpretationem à matrice, & fonte, *l. in testamento, ff. de condit. & demonstrat.* Baldus *l. finali, C. de fide instr.* & Bart. *l. librarius. ff. de regulis.* Item, quia si possessor triennalis haberet omnino titulum verum, & validum, nil sibi prodesset priuilegium huius regulæ, cùm per titulum suum satis esset sibi consultum, etiam ante triennium. Sic Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de præbendis, conf. 42.* Gomez *regula de triennali, q. 26.* Cosmas *pragm sanctio, tit. de pacif. possess. verbo coloratum.* Rebuff. *de pacif. possess. n. 30.* Cassadorus *decis. 3. rubrica, de causa possess.*

3 Vnde fit, quòd elapso triennio habens coloratum titulum beneficij præfertur habenti verum, quia (vt diximus) præscribit eo triennio. Sic Rebuff. *n. 30.*

4 Tertiò dico, quòd sufficit titulus præsumptus, qui inducitur per possessionem decennij: vnde, qui possederat decennio absque titulo, & postea triennio requisito per hanc regulam, posset illa iuuari, quia sat est titulus ille præsumptus Sic latè Gomez *q. illa 26.* dicens sic decisum esse in Rota. Hoc tamen est contra Rebuffum *n. 57. & 204.* vbi dicit possidentem centum annis falso titulo, quem verum putabat, non iuuari hac regula. Tum quia falsus titulus non est titulus. Tum etiam, quia capiens beneficium absque titulo est intrusus, iactruso verò non prodest hæc regula. Sed vetior est sententia Gomesij, quia non oportet, quòd sit titulus absolutè, quia etiam coloratus titulus non est verè titulus, sed apparenter: nec etiam quicunque intrusus expellitur ab hac regula, vt statim dicemus.

5 Ex dictis fit, quod si is, qui resignauit beneficium, etiam causa permutationis, permaneat in eo beneficio per triennium, nõ iuuatur hac regula, quia non habet titulum, sed est merus detentor: quod inde patet, quia si permutatio non haberet effectum, non posset redire ad primum beneficium, sine noua collatione, vt latè probat Gomez alios referens *supra q. 24.* Sic Gomez *ibi*, Rebuff. *n. 291.* immo si hic resignans secundo resignauerit, & resignatarius secundus possederit triennio, nõ iuuabitur hac regula, quia nullum habuit titulum: illud enim non vacabat, postquam fuerat primo resignatario de eo beneficio prouisum: & Papa non confert beneficium non vacans, *cap. 2. de conces. præbend.* Sic latiùs probans Rebuff. *n. 291.*

DVBIVM



## DVBIVM XXXI.

*Circa septimam conditionem, scilicet, vt titulus sit coloratus, quid hic sit, & qui censeantur illum habere.*

DE hoc dixi *lib. 3. de matr. diss. 22.* nunc autem pro vt ad præsens attinet breuiter perstringam.

1 Dico primò, quòd titulus coloratus dicitur, id est, figuratus, quia non est verus titulus, sed tantùm habet figuram, & colorem tituli, éstque quando est habitus ab eo, qui habet potestatem conferendi, & nisi obstitisset aliquod impedimentum, fuisset iustus. Sic Rebuffus *de pacif. possess. num. 32.*

2 Nota quòd Rebuff. *ibi n. 32.* dicit hoc esse verum, siue ille habeat iure communi, siue iure speciali potestatem conferendi. At Ludouic. Gomez *reg. de triennali, q. 37.* sic decidisse Rotam, ait ad effectum huius regulæ debere esse factam ab Episcopo, vel alio natiuo ordinario, qui de iure communi iurisdictionem ordinariam habeat: nec sufficere collationem factam esse ab alio, vel à Capitulo virtute alicuius priuilegij, vel iure alio extraordinario; quia regula loquitur de collatione ordinaria. Addit tamen *q. 38* dicens sic decisum esse à Rota, quòd si de hoc prouiso à Capitulo, etiamsi absens esset, impetrata esset noua prouisio in curia, dat titulum coloratum, quia ex quo impensa fuit magna in impetranda prouisione, præsumitur impetrata de eius consensu.

3 Secundò nota, quòd est intelligendum hoc primum dictum, nisi titulus ab eo datus, qui potuit dare, esset contra formam datam, tunc enim non esset coloratus. Sic Butrio, *c. litteris, in fine, de conces. præb.* Gomez *reg. de triennali, q. 27. fine*, dicitq; sic esse decisum à Rota. Inde fit, quòd quando procurator constitutus alio modo resignasset, quàm ei mandatum est, vt si habet potestatem resignandi retenta pensione, & resignat ea non retenta: tunc is, cui facta est collatio virtute huius resignationis, non iuuabitur hac regula. Sic Gom. *ibi q. 33.* Rebuff. *ibi n. 155.*

4 Tertiò nota, habere verum primum dictum, licèt ille, qui iure ordinario poterat conferre, quando contulit, esset ex aliquo accidenti impeditus, v.g. si Episcopus conferens beneficium esset excommunicatus denunciatus, quo casu manifestum est collationem esse nullam: at is, cui collatum est beneficium, licèt quoad effectus iuris communis non dicatur habere titulum coloratum, vt tenent multi, quos refert Gomez *vbi infra*; quoad effectum tamen huius regulæ habet titulum coloratum, & sic elapso triennio iuuabitur hac regula. Ratio, quia quoad effectum huius regulæ omnis ille dicitur habere titulum coloratum, qui habet ab eo, qui originaliter potest conferre, eligere, & confirmare, licèt ex aliquo accidenti sit impeditus; quia regula tantùm excipit duos casus, in quibus vult titulum non haberi pro colorato, scilicet in simoniaco, & in prouiso de beneficio reseruato: ergo in reliquis casibus manet regula firma. Sic tenet dicens sic decidisse Rotam Gomez *quæst. 28.* Philippus Probus *addit. ad Cosmam, pragmat. sanctio, de pacif. possess. super verbo coloratum, gloss. 10.*

5 Hinc infertur primò, quòd collatio facta ab ordinario de beneficio litigioso, id est, quando erat inter duos lis mota super aliquo beneficio, & mortuo possessore dedit Episcopus illud beneficium tertio cuidam non litiganti, licèt nulla sit, quia est contra *cap. 2. ne lite pendente in 6.* quod habet decretum irritans titulum, & possessionem: at præbet titulum coloratum quoad effectum huius regulæ, & sic si ille triennio pacificè possideat, iuuabitur hac regula. Ratio, quia habet titulum ab eo, qui originaliter poterat conferre, & ex accidenti non potest. Sic Gomez *quæst. ill. a 28. & quæst. 41.*

6 Secundò infertur, quòd ordinarius conferens beneficium contra inhibitionem exequutoris, & contra omnia decreta regularum, tribuit titulum coloratum, Gomez *ea quæst. 28.*

7 Tertiò infertur; quòd prouisio facta per ordinarium, in mensibus expectantium, tribuit titulum coloratum: & contrà acceptatio, & prouisio in mensibus ordinariorum tribuet eundem colorem, cùm tamen eæ prouisiones sint nullæ. Gomez *ea quæst. 28.*

8 Quintò infertur prouisionem ordinarij de beneficio vacanti, cuius regressus pertinebat ad alium, dare titulum coloratum, non obstante, quòd regressus habeat decretum speciale appositum illi certo beneficio. Sic Gomez *q. illa 28. & q. 49.* dicens sic tenuisse sæpè Rotam; quia non est de casibus hîc exceptis.

9 Quintò infertur, quòd si resignatio beneficij sit facta in manibus inferioris Episcopo, & per talem inferiorem admissa, & pars, cui collatum est beneficium, possideat triennio, non iuuatur hac regula, nisi Episcopus ratam habuerit illam resignationem, & collationem, quia fuit nulla defectu potestatis *c. admonet. & c. quod in dubiis, de renunciat.* Sic Rebuff. *ad pacific. possess. num. 311.*

10 Sextò infertur, quòd si titulus coloratus reducatur ad non titulum, non suffragatur hæc regula, v.g. si possessor triennalis pro colore suæ possessionis alleget titulum sibi quæsitum per renunciationem alterius, quam tamen esse inualidam probatur. Sic re latè disputata tenet Gomez *q. 18.* dicens sic decidisse Rotam. Idem Rebuff. *n. 290.*

11 Septimò infertur, quòd si quis permutauit beneficium suum cum alio, quod post triennium euictum est, licèt is, qui dedit non suum beneficium, possederit pacificè triennio beneficium alterius, non iuuabitur hac regula. Et idem est, licèt hic possessor cum alio permutauerit, qui etiam pacificè triennio possedit. Sed non obstante hac triennali possessione, potest alter liberè reuerti ad suum primum beneficium, euicto beneficio, quod ei est datum, iuxta *c. si beneficia de præbend. in 6.* Ratio, quia Episcopus qui confert huic beneficium, intendit sibi cõferre hoc beneficium loco dimissi; sed hic nihil dimittit, cùm non habeat ius: ergo etiam nihil consequitur, quia Episcopus non contulit simpliciter, sed ex causa permutationis. Item, quia resoluto iure datoris, resoluitur ius acceptoris. *l. lex de vectig. ff. de pignor.* & facit *l. empti actio. C. de euict.* vbi emptor non impeditur agere, licèt post longa tempora res sit euicta: ergo sic non impedietur agere permutans elapso triennio, quia neutri permutantium ius acquiritur, nisi quilibet ipsorum ius habuerit in beneficio sic resignato. Sic Rebuff. *n. 290.*

12 Secundò dico, quòd licèt multi dicant dari titulum coloratum per solam electionem, quos refert Gomez *infrà*. At dicendum est, quòd si fiat electio ab eo, qui potest confirmare, datur titulus coloratus; quia datur plenum ius in re: si verò ab eo, qui confirmare nequit, non, quia tantùm datur ius ad rem. Sic Gomez *quæst. 35.* alios referens.

13 Tertiò dico, quòd hic titulus coloratus ad effectum huius regulæ necessariò debet esse toto illo triennio possessionis: vnde si biennio absque titulo colorato possedit, & in tertio anno superuenit titulus coloratus, non sat est, sed incipiet hoc triennium ab eo tempore tituli colorati. Sic Cosmas *pragmat. sanctio, de pacif. possess. verbo coloratum.* Rebuff. *n. 34.* Gomez *quæst. 45.* addit Cosmas, quòd quando superuenit titulus coloratus, non requiritur noua possessio.

14 Quartò dico, possessorem triennalem ad petitionem partis non teneri ostendere, nec probare titulum esse coloratum; sed actor tenetur probare contra eum: vt docent Compostell. & Archid. quos refert, & sequitur Gomez *q. 43.* at verò ad requisitionem iudicis bene tenetur possessor titulum ostendere, & probare. Sic Panormitan. *c. cum nostris, sine, de conces. prabend.* Archid. & Gomez *ibidem*, Cosmas *pragmat. sanctio, titul. de pacific. possess. verbo coloratum*, & reddit rationem Gomez, quia quoad superiorem inquirentem de titulo nil impedit triennalis possessio: vt tradit Felin. *cap. licèt Heli. de simonia, & cap. illud, de præsumpt.* Idem Couarr. alios referens, *regula possessor. 2. p. §. 10. n. 29.* contra Rebuffum *num. 20.*

15 Quintò dico, quòd quando non est expressus verus

valor

Universidad de Deusto
Biblioteca



valor beneficij in impetratione, licèt collatio sit nulla, at si possessor pacificè possedit triennio, iuuatur hac regula, quia non est de casibus exceptis. Sic Gomez *quæst.* 51. dicens sic decidisse Rotam.

16 Sextò dico, quòd impetrans beneficium viuentis, si eo viuente possideat quocunque tempore, non iuuatur hac regula, dum alter viuit, quia caret omnino titulo, ac si eo mortuo possideat triennio pacificè, licèt non dicatur habere titulum coloratum quo ad alios iuris effectus: at dicitur quo ad huius regulæ effectum habere, & sic ea iuuabitur. Hoc est contra Rebuffum *de pacific. possess. a.* 260. vbi dicit non iuuari hoc decreto, nisi post mortem de nouo impetrarit exprimendo vitium, & post triennium possederit. Sed nostrum dictum est verius, & illud tenet Gomez *quæst.* 44.

17 At dubium est, an quando titulus est inualidus defectu habilitatis recipientis beneficium, vt quia erat illegitimus, vel aliàs irregularis, excommunicatus, &c. sit titulus coloratus ad effectum huius regulæ. Quidam enim negant, & sic dicunt posse molestari post triennium. Ratio, quia possessio longi temporis non habilitat incapacem, *cap. causam, & cap. accedentes*, vbi Panorm. & Felin. *de præscript.* Nec obstat quòd regula de triennali, tantùm duos casus excipiat, & sic in aliis videatur manere firma regula; quia casus excepti etiam cum dictione taxatiua, recipiunt extensionem ad alios casus similes. Quis enim diceret, non tonsuratum, bigamum, coniugatum, possidentem triennio beneficium, iuuari hac regula: & tamen non sunt de casibus exceptis. Ergo regula recipit extensionem ad casus similes exceptis, at quoties possidens est inhabilis ad beneficium, est casus similis exceptis, ideo enim excipiuntur violentus, & simoniacus, quia sunt inhabiles; ergo. Sic Rebuff. Boërium referens *de pacif. possess. a.* 162 per plures numeros. Et solutionem positam ad regulam Cancellariæ ponit idem Rebuff. *n.* 225. pro hac etiam sententia videtur esse Cosmas *pragm. sanctio. titul. de pacific possess. verbo quicunque*, vbi dicit intelligi, quando recipiens est habilis, & refert Felinum.

18 Hinc refert Rebuffus *à n.* 174. *vsque ad* 184. possidentem beneficium ante ætatem iure requisitam ad ipsum, non iuuari hac regula, quia est inhabilis ad illud.

19 Secundò infert Rebuff. *n.* 185. furiosos, & cæteros, qui curatorum ope iuuantur, non iuuari hac regula, quia sunt inhabiles; & *num.* 191. *vsque ad* 197. *inclusiuè*. dicit idem de ordinato à non suo Episcopo, quia non debet gaudere priuilegio tonsuræ. Et de eo, qui ordinem intrauit, quia est irregularis, vel extra tempora, vel per saltum, vel ante ætatem legitimam ordinatus est, vel plures ordines recepit eodem die; quia hi omnes sunt suspensi, & *à num.* 201. *vsque ad* 204. dicit idem de irretito crimine læsæ maiestatis; & de sortilego, quia hæretico comparatur, & de sacrilego, & bannito; & *à num.* 204. *vsque ad* 208. dicit idem de falsario litterarum Apostolicarum, quia est excommunicatus, & de quocunque excommunicato, & suspenso, & apostata, & *n.* 210. dicit idem de homicida, quia est irregularis; & *n.* 216. dicit idem de illegitimo; & *num.* 226. de quocunque irregulari; & *num.* 260. dicit idem de eo, qui interdictum non seruauit, quia est irregularis; & *num.* 208. dicit idem de sodomita, quia est peccatum homicidio grauius; & *num.* 209. dicit idem de publico concubinario, qui per iudicè monitus, vt dimitteret concubinam, non dimisit, & *num.* 212. dicit idem de detento morbo epileptico, & *n.* 213. de omnino illiterato dicit idem, & *n.* 216. dicit idem de extero; vbi est statutum, vt ad beneficia tantùm naturales admittantur, *num.* 218. & 221. dicit idem de petiuro, quando esset per sententiam condemnatus, & declaratus periurus; & *num.* 227. dicit idem de vsurario publico, quia est infamis.

20 At dicendum est, omnes eos habere titulum coloratum ad effectum huius regulæ, qui in ea non excipiuntur, scilicet qui non habent titulum per simoniam, & per vi olentiam: nec habent beneficium reseruatum reseruatione in corpore iuris clausa. Et quando de pluribus aliis dicunt Doctores non habere titulum coloratum, intelligendi sunt quoad alios iuris communis effectus, secus quoad effectum huius regulæ. Ratio, quia cùm hæc regula tantùm excipiat hos tres casus, in reliquis manet firma. *l. nam quod liquidæ ff. de penn legat.* Sic tenet Philippus Probus *addit. ad Cosmam prag. sanctio. tit. de pacif. possess. super verbum molestari, glossa* 3. vbi hæc verba dicit, quoad regulam de triennali, omnis ille dicitur habere titulum coloratum, qui non excluditur in regula: & soli illi, qui in regula excluduntur, dicuntur habere titulos discoloratos, licèt aliud sit, quoad effectus iuris communis; & Ludouicus Gomez *regula de triennali, quæst.* 26. §. *quibus non obstantibus*, vbi hæc verba dicit, vt triennalis possessio locum habeat, sat est titulus ex alio capite, quàm ex defectu potestatis conferentis inualidus; illa enim infirmitas sanatur, & adiuuatur per triennalem possessionem: & dicit ita seruare quotidie Rotam sine aliqua dubitatione. Et *eadem quæst.* §. sed breuiter, hæc dicit, regula hæc requirit capacitatem personæ recipientis titulum, vt quòd non sit merè laicus, vel Iudæus, aut fœmina simplex: & habilitatem in conferente titulum, & licèt titulus quacunque alia ratione inualidus fuerit, sat est esse ad regulam hanc, & *quæst.* 27. hæc dicit, regula posita à Panorm. Immola, & aliis de titulo colorato procedit quoad effectus iuris communis, at quoad effectus huius regulæ tantùm illi dicuntur non habere coloratum titulum qui excluduntur in regula, scilicet in tribus casibus in ea exceptis. Et *q.* 10. dicit ad Rebuff. rationem, nempe, quòd regula debet extendi ad casus similes. Primò, non esse similes, nã casus simoniæ superat omnes alios: vt dicitur *c. tanta, de simonia.* & casus intrusionis in beneficium reseruatum est etiam multum odiosus. Item secundò respondet, id habere verum, quando statutum, vel regula continet materiam iuris communis: secus quando disponit contra, vel præter ius, quia tunc casus excepti non extenduntur ad similes: vt bene Panor. *cap. ad audientiam, notab. 1. de cler. non resid.* at hæc regula est contra ius, vel saltem præter, in quantum inducit præscriptionem triennalem in beneficiis; eandem sententiam tenet Parisius *volum. 4. consil 96. num. 2.* vbi hæc dicit: *Veritas est, quod patiens quemcunque defectum, exceptis duobus in regula de triennali expressis, iuuatur ista regula.* Pro eadem sententia est Nauar. *cap. si quando, de rescript. el nueuo, excepto. 10. n. 8.* vbi reprobans Rebuffum dicentem excommunicatum, qui tempore excommunicationis recepit beneficium, nõ gaudere priuilegio regulæ de triennali, dicit, *quod licèt talis excommunicatus careat titulo colorato quoad alios iuris communis effectus, non tamen caret quoad effectum illius regulæ, per ea, quæ dicit Ludouicus Gomez quæst. 27. & 28. super illa regula.* Hæc Nauar. *ibi*, vbi clarè se remittit ad doctrinam Gomesij in hac re; & sic illam approbat, & expresse in excommunicato, qui est inhabilis. Et sic excluso, iuxta doctrinam Rebuffi tenet procedere.

21 Aduerte tamen, quod si coniugatus, vel merè laicus, vel bigamus recipiat beneficium, & possideat triennio, non iuuatur hac regula. Ratio, quia licèt non excipiantur hi in regula, at regula loquitur de capacibus beneficij Ecclesiastici, hi verò sunt omnino incapaces, in cuius signum nec accipere possunt beneficium, & si antea acceperant, nempe ante matrimonium, vel bigamiam, eo ipso perdunt, quia sunt incapaces acquirendi, & retinendi: at excommunicatus, vel irregularis non est omnino incapax. Et sic licèt non possit tempore excommunicationis obtinere beneficium, vel tempore irregularitatis; potest tamen obtentum antea retinere. Et sic tanquam rem notam tenet Rebuffus *num.* 225. 186. 188 193. & hoc est, quod dicit Gomez *quæst. 26. §. breuiter*, quòd hæc regula requirit habilitatem in recipiente, vt quòd non sit laicus, &c.

22 Item hæreticus acceptans beneficium, & possidens triennio,



triennio, non iuuatur hac regula, quia in hunc non cadit vera possessio. Item quia ob id repellitur simoniacus, quia reputatur, vt hæreticus: ergo à fortiori hæreticus, Sic Rebuffus *num.* 195. Gomez *quæst.* 52.

23 At verò alij excommunicati non repelluntur ab hac regula, vt ex Nau adduxi *supra*, & colligitur ex Gomez, & Philippo Probo, siquidem dicunt, omnes gaudere priuilegio illius regulæ; demptis tribus casibus in ea exceptis.

24 Hinc infertur primò contra Rebuffum *supra*, illegitimum obtinentem beneficium, & possidentem triennio iuuari hac regula; quia non est de casibus exceptis in ea. Sic Gomez *q.* 2. Parisius *volum 4. cons. 96. n. 2.* & idem dicendum est de quolibet alio irregulari, cùm non excipiatur in regula. Et quia hi autores, vt dixi, vniuersaliter docent prodesse regulam hanc omnibus, demptis tribus casibus in regula exceptis. Gomez *q.* 12. *fine*, dicit idem de homicida, & periuro.

25 Secundò infertur, quòd si beneficium aliquod, quod ex fundatione conferendum est promoto ad talem gradum, vel habenti aliam qualitatem, detur carenti illa, & ille triennio pacificè possideat, iuuatur hac regula. Sic Rebuffus *num.* 83.

26 Tertiò infertur, quòd si sæcularis absque dispensatione possideat beneficium regulare triennio pacificè, vel è contra regularis sæculare, iuuatur hac regula. Nec obstat *c. cùm de beneficio, de præb. in 6* vbi habetur non esse solitum beneficium sæculare regi per regulare, vel è contra, nisi fuerit sic possessum per 40. annos. Tum quia hæc regula Cancellariæ est nouior, tum etiam, quia sensus est non præscribi nisi 40. annis, vt alteretur natura beneficij, vt scilicet regulare iam sit sæculare, & possit deinceps sæcularibus dari, secus vt possessor ille triennij possit retinere. Sic Rebuffus *n.* 139. & 259.

27 Quartò infertur, quòd recipiens beneficium ante legitimam ætatem ad ipsum requisitam, vt minor recipiens curatum, si triennio pacificè possideat, iuuatur hac regula, quia non est de casibus exceptis. Sic contra Rebuffum *à num.* 174. *vsque ad* 184. tenet Gomez *quæst.* 15. dicitque sic tenuisse Rotam.

28 Quintò infertur, quid dicendum sit de priuato à iure, vel ab homine beneficio, quod possidet postea triennio, an iuuetur hac regula, vt si recipiat duo incompatibilia, contra *extrauag. execrabilis, de præb.* quo casu à iure est priuatus altero. Quidam dicunt non iuuari hac regula, licèt possideat triennio; quia Panor. Calder. Immola. Ant. *c. cum nostris, concess. præb.* dicunt generaliter coloratum titulum esse vbicunque non est defectus in conferente, nec inducitur priuatio à iure, vel ab homine. Sic quoad hanc regulam tenent Cosmas *pragm. sanctio, tit. de pacific. possess. verbo coloratum*; & *ibi* eius additionator Philippus Probus post *n.* 21. *glossa* 3. Rebuff. *n.* 159, vbi idem dicit de non promoto intra annum ad sacerdotium, cùm receperit beneficium curatum, cùm enim illum perdat, iuxta *c. commissa, de elect. in 6.* non habet titulum coloratum. Et sic licèt pacificè possideat postea triennio, non iuuabitur hac regula.

29 Sed verius est contrarium, scilicet in vtroque casu iuuari hac regula, & habere, quoad hunc effectum titulum coloratum, licèt eo careat quoad alios effectus iuris communis, quia hic non est de casibus exceptis in ea regula. Sic glossator antiquus regulæ de triennali, & Cassiodorus, & alij. Et bis sic est decisum in Rota præmissa longa disputatione, vt refert, & sequitur Gomez *q.* 10.

30 Limita tamen hoc, quando post acquisitionem vtriusque beneficij sequutum est triennium; secus si antea possedit vnum beneficium, & post acquisitionem alterius non sequitur triennium, quia non iuuatur hac regula. Sic Gomez *q.* 10. *fine*, dicens sic decidisse Rotam.

31 Secundò limita, nisi esset declaratus per sententiam esse priuatus titulo: tunc enim non iuuaretur hac regula, Sic Gomez alios referens *ea q.* 10. *versic. Primus est.*



## DVBIVM XXXII.

*Circa octauam conditionem, scilicet, vt possessor triennalis non sit simoniacus, id est, non obtinuerit illud beneficium per simoniam, quomodo intelligatur.*

1 DIco primò quod intelligitur de simonia reali: vnde quando obtinuit beneficium per simoniam mentalem, vel conuentionalem, iuuatur hac regula. Ratio, quia sola simonia realis reddit inualidum ipso iure titulum. Sic Gomez *regula de triennali. quæst.* 12. *fine*, licet in principio dixerat idem de conuentionali, sed in fine se corrigit. Idem Nauarr. *cap. si quando, de rescript. except.* 4.

2 Secundò dico, quòd intelligitur in simoniaco, scienti, secus in ignoranti: vt quia pater, vel frater aliquid dedit pro dãdo beneficio filio, vel fratri, eo penitus inscio: licèt enim hic teneatur illud relinquere, nec acquirat verum titulum, at si possedit triennio, iuuatur hac regula, quia hic habet titulum coloratum, vt expresse dicunt Ant. Cardin. & Innoc. & alij *c. nisi cum pridem, de renunc.* Sic Gomez *ea q.* 12. Rebuff. *de pacific. possess. n.* 198.

3 Tertiò dico, quòd si à principio habuit titulum, licèt pòst commitatur simonia, iuuatur hac regula. Sic contra Rebuffum *num.* 159. tenet Gomez *ea q.* 12.

4 Quartò dico, quod licèt committatur ante simoniam, si post simoniã commissam superueniat aliquis nouus titulus coloratus, cum quo triennio pacificè possedit, iuuatur hac regula; quia iam non possidet virtute tituli simoniaci, sed virtute noui tituli. Sic Gomez *ea q.* 12. dicens sic tenuisse Rotam.

## DVBIVM XXXIII.

*Circa nonam conditionem, scilicet, vt possessor triennalis non sit violentus, quid per hoc intelligatur.*

1 DIco primò, quòd violentus possessor non iuuatur hac regula, quia licèt in regula de triennali non excipiatur, at excipitur expresse in decreto Concilij Basilensis, à quo hæc regula ortum habuit, & consequenter recipit interpretationem ab illo, quia posteriores leges per priores declarantur *l. nam posteriores, ff. de legib.* etiamsi priores fuerint reuocatæ: vt notat Bart. *l. 1. ff. de coniungendis cum emancip.* Sic Ludou. Gomez *reg. de triennali, q.* 11. Cou. *reg. possessor, 2. p. §. 10. n. 10. concl. 5.* Nau. *lib. 3. cons. tit. de præb. cons. 41. 42.* Rebuff. *de pacif. possess. n.* 228.

2 Immo etiam spoliator non violentus non iuuatur hac regula, vt latè probat *ibi* Gomez, quem sequitur Couar. An verò si spoliatus agat contra successorem spoliantis, vel subrogatus in ius spoliati agat contra spoliantem, vel successorem eius, possessor iuuetur hac regula. Consule *ibi* Gomez.

3 Hinc infertur, quòd si metu in fauorem alicuius est renunciatum beneficium, ille post triennium non est tutus, si per illud triennium duraret metus, quia renunciatio est nulla, & violenta. Sic Rebuff. *n.* 230.

4 Secundò infertur, quòd non iuuatur hac regula, quando quis apprehendit possessionem beneficij possessi per alium, inuito, & contradicente possessore: siue possessor eam dimiserit dubitans siue non dimiserit. Rebuff. *n.* 232. 233. & idem dicit *n.* 234. 235. 236. quando apprehendit violenter procurator per ipsum constitutus cum speciali mandato, sic faciendi, vel absque tali mandato, si postea expresse ratificatur, vel tacitè, quia scilicet sciebat procuratorem suum dicta possessione vti, vel suo nomine primum possessorem molestare, & non prohibet. Secus verò quando tantùm mandatum generale habebat procurator, nec postea dominus ratum habuit, quia mandatum generale non extenditur ad illicita *c. cum in generali, de offic. vicary in 6 l. si procurator. ff. de condict. indebit.* ideo per eum non priuabitur iure suo dominus, qui ad hoc potestatem procuratori non dedit.

5 Secundò dico, quòd quando quis violentiam non

Universidad de Deusto
Biblioteca



commisit, licèt propria authoritate ingrediatur beneficium, non priuatur iure suo, si præcedat iustus, & legitimus titulus: & similiter si sententiam habuerit pro se, licèt propria authoritate, sine vi tamen occupauerit possessionem: vel quando vis fieret superioris authoritate. Sic alios pro se referens contra alios tenet Rebuffus *n.* 237. 238 239. Idem Gomez *q.* 48. quando propria authoritate sine vi cœpit possessionem.

## DVBIVM XXXIV.

*Circa vltimam conditionem, scilicet, vt talis possessor non sit intrusus in beneficio, quid intelligatur hic per intrusum.*

1 ALiqui dixerunt, quo ad effectum huius regulæ dici intrusum omnibus modis, quibus iure communi dicitur aliquis intrusus: quos modos refert Gomez statim citandus, & sic quocunque illorum modorum intrusum non iuuari hac regula.

2 At dicendum est, hoc esse verum, quoad effectus iuris communis: & similiter, quod dicit Cosmas *pragmatica sanctio, titul. de pacif. possess.* & glossator *regulæ de triennali*, nempe esse intrusum, qui ingreditur possessionem beneficij cum titulo præter authoritatem superioris, est verum quoad effectus iuris communis: at quo ad effectum huius regulæ, tripliciter tantùm dicitur quis intrusus, primò quando quis non habet titulum verum, vel præsumptum: secundò quando quis habet titulum, sed non ab eo, qui habet potestatem conferendi; quia hic non est titulus: tertiò, quando quis habet beneficium simoniacè, vel est prouisus de beneficio reseruato reseruatione in corpore iuris clausa, non facta mentione huius regulæ, quia hi tantùm casus excipiuntur in ea. Sic Gomez latè probans *regulæ de triennali, quæst.* 47. & *q.* 48.

3 Nota, quòd licèt variæ reseruationes inueniantur in iure, quas latè refert Gomez *quæst.* 31. at in hac regula nomine reseruationis in corpore iuris clausæ tantùm intelligitur ea, de qua *in c.* 2. *de præb. in* 6. nempè, quando beneficium vacat per obitum alicuius apud Sedem Apostolicam; quia collatio, & prouisio huius beneficij magis est reseruata Papæ, quàm omnia alia reseruata: vt bene Gomez *q.* 31. vbi multa priuilegia huius reseruationis affert. Item probatur ex communi stilo signaturæ, qui illa verba communiter in supplicationibus, scilicet *non obstante reseruatione in corpore iuris clausa*, intelligit de hac reseruatione. Sic Gomez *q.* 31. & nomine curiæ ad effectum huius reseruationis intelligitur, vbi residet Papa: vt bene Mandosius *reg.* 5. *reseruat. mittio*, & *q.* 2. *n.* & 3. & Gomez *illa q* 31 vbi dicit, quòd curia ratione residentiæ extenditur per duas dietas, iuxta *cap. præsenti, de præb. in* 6. & quòd de sola hac reseruatione intelligatur, tenet etiam cum Gomez *gloss. regulæ de triennali.*

4 Et quando dicatur beneficium vacare in curia videndus est latè Mandosius *ea regula* 5. *per totam.* & Gomez *ea q.* 31 & Doctores *c.* 2. & *c. præsenti, de præb. in* 6.

5 Hinc infertur, quòd possidens pacificè triennio beneficium per collationem ordinarij, quod est reseruatum per regulas Cancellariæ, vel extrauagantes, est tutus per hanc regulam: aliàs si contrarium diceremus, facilè redderetur hæc regula frustatoria, & omnino inutilis, cùm hodie in quibuscunque prouisionibus etiam de vacantibus apponatur decretum irritans. Sic Gomez *quæst.* 49. *§. nec obstat quòd casus.*

6 Secundò infertur quòd habens collationem ab ordinario beneficij vacantis in curia, dicitur habere titulum non coloratum, quoad hanc regulam, propter decretum *cap.* 2. *de præb. in* 6. in ea approbatum. Sic Gomez *q.* 27. Rebuff. *de pacific. possess. n.* 288.

7 Imm ò hoc est verum, licèt impetrauerit à Papa tale beneficium vacans in curia, hoc non expresso. Ratio, quia regula excipit hunc casum de beneficio reseruato, non obstante, quòd in principio præsupponit impetrantem habuisse titulum ex collatione Apostolica, vel ordinaria; ergo casus excepti debent intelligi retento eodem themate, scilicet etiamsi habuerit titulum à Papa, quia casus excepti debent esse de regula: vt dicit Dynus *in rubr. de regul. iuris in* 6. Bart. *l.* 1. *ff. de regulis iuris*; non enim esset bona exceptio dicere omnes homines currunt, dempto equo. Sic Gomez *q.* 29. dicens, sic ter decisum esse in Rota. Idem Guillelmus *regula de triennali.* Immo vult amplius non iuuari, etiamsi Papa proprio motu, & ex certa scientia faciat talem prouisionem: sed Gomez *ibi* tenet contrarium, & dicit sic seruare Rotam, quia talis habet ab eo, qui potest conferre, & sic non potest dici intrusus.

8 Nota, non sufficere generalem mentionem huius reseruationis, sed oportere, vt fiat specifica. Sic Dominicus Francus, Lapus *rap.* 2. *de prabend. in* 6. Immo Dominicus *consil.* 12. dicit hoc procedere, licèt dicatur, non obstante quacunque reseruatione. Sed Gomez *quæst.* 31. *§. quartum speciale, & §. sequenti*, alios referens, & dicens sic esse decisum in Rota, dicit, quòd licèt verum sit requiri specialem mentionem: at quando diceretur non obstante quacunque reseruatione, vel non obstante reseruatione in corpore iuris clausa, sat esset, quia in primo casu dictio illa vniuersalis, *quacunque*, comprehendit ea quæ aliàs sub generali sermone non comprehenderentur, vt dicit idem Gomez *q.* 2. In secundo verò casu ex proprietate sermonis, & vsu, hæc sola dicitur reseruatio in corpore iuris clausa, maximè, quia verba in dubio debent intelligi de potentiore significato.

9 Secundò nota, quòd si Papa semel contulit beneficia vacans in curia alicui, qui deinde moritur extra curiam, & ordinarius prouidet alicui illud, & possidet pacifice triennio, iuuatur hac regula; quia eo ipso quòd Papa disponit de illo beneficio, cessat reseruatio, adeò quòd ordinarius potest postea de illo prouidere: sicut potest de litigioso, cessante lite, vt *in cap.* 1. *vt lite pendente in* 6. quòd est verum, scilicet, cessare reseruationem per collationem Papæ, licèt collatio Papæ ex causa sua fuerit inutilis. Limita tamen, quando super tali collatione litteræ sunt expeditæ; secus si collatio maneat in sola supplicatione; quia per solam supplicationem non dicitur adhuc reseruatio extincta. Secundò limita, nisi Papa contulerit suo familiari: tunc enim non expirat reseruatio, quia incipit ex hoc creari noua reseruatio, adeò quòd ordinarius de eo nequit disponere. Tertio limita, nisi prouisus per Papam ante acceptationem moriatur, quia tunc non expirat reseruatio: at si prouisus post prouisionis acceptationem moreretur, non accepta possessione, expiraret reseruatio, quia solus consensus tribuentis, & & recipientis perficit gratiam, & dat ius plenum, *cap. si tibi absenti, de præbend. in* 6. Quartò limita, nisi prouisio Papæ per modum, & viam commendæ facta fuerit: tunc enim reseruatio non expirat. Et quod dictum est per collationem Papæ cessare reseruationé, est verum, licèt Papa non conferret, sed mandaret executoribus, vt talem ponerent in possessione. quia hoc æquipollet collationi. Hæc omnia latiùs probãs, & multos referens tenet Gom. *q.* 30.

10 Tandem ex his omnibus infertur decisio casus, de quo consultus fum, nempe quidam consuluit aborsum fœtus animati, & sic sequutus est, & à quodã viro habito pro docto absolutus est ab ea irregularitate virtute bullæ Cruciatæ, & sic hac bona fide absolutus obtinuit canonicatum in Ecclesia cathedrali, quem septennio pacificè possedit, an teneatur fructus restituere, & beneficium dimittere.

11 Dico primò stando in iure, & secluſa præscriptione manifestum est, hunc teneri beneficium dimittere, & fructus restituere aliis canonicis interessentibus, in quantum scilicet ex eis factus est locupletior. Probatur, quia virtute bullæ est certum non posse absolui, quia hæc non est irregularitas ex mera pœna, sed etiam ex significatione, vt dixi in expositione bullæ; ergo cùm collatio facta irregulari sit nulla secundum omnes, talis collatio fuit nulla, & sic tenebitur restituere beneficium, & fructus, in quan





in quantum est factus locupletior, quia fuit possessor bonæ fidei, & aliis canonicis interessentibus, quia cùm reuera beneficium illud vacaret, & fructus præbendæ Ecclesiæ cathedralis vacantis distribuantur inter interessentes, illis restituendi sunt, vt notat Nauarr. summa Latina, *c.* 25. *n.* 123. Sic etiam respondit quidam doctissimus recentior de hoc consultus.

12 Vtrùm autem ratione residentiæ, seu assistentiæ, quã facit in choro, possit aliquid recipere: alicui videretur non posse, qua licèt in curatis concedamus eum, qui non habet legitimum titulum, posse aliquid percipere ratione ministerij, quod exhibuit, id tamen euenit, quia illud beneficium ratione vacationis erat administrandum per vicarium, cui illud stipendium ratione seruitij tribuendum erat: at canonicatus non erat per alios administrandus; ergo ratione illius assistentiæ nihil percipere potest.

13 Sed dico secundò, verius est, posse percipere distributiones toto tempore, quo bona fide residebat. Ratio est, quia etiam in curatis illud stipendium non conceditur curato non habenti legitimum titulum ex eo præcisè, quòd illud dandum erat alij administranti tale beneficium, sed quia reuera exercet illud ministerium in vtilitatem Ecclesiæ, & quia labor ille, à quocunque proueniat, dignus est mercede: sed in nostro casu dictos canonicus exercet ministerium assistentiæ, & cantus in choro in vtilitatem Ecclesiæ, & diuini cultus, idque bona fide, quod ministerium, & labor dignus est etiam stipendio. Ergo licitè potest percipere distributiones, quas alij canonici ratione huiusmodi residentiæ percipiunt.

14 Tertiò dico, quòd si timeretur magnum scandalum ob beneficij illius dimissionem, quia scilicet aliquod grauemalum alij de illo suspicarentur, eo quòd nullus appareret color, quare beneficium tale dimittat, potest illud retinere. Ratio, quia non tenetur restituere cum damno, & graui famæ iactura. Sic quidam doctissimus iunior, quem ego consului.

15 Quartò dico, quòd secluſa præscriptione, nullo modo potest recuperare fructus illius, seu grossam (secus distributiones pro residentia, vt dictum est) licèt constituatur in graui necessitate, sed statim ac recuperat, tenetur eos secretè aliis canonicis, quibus accrescebant, restituere: at verò fructus iam perceptos, si non extant in propria specie, non tenetur pro tunc restituere, si constituatur ob id, vel sit constitutus in magna necessitate; & idem est dicendum, quando extant in propria specie, sed mixti iam cum aliis rebus similibus, quarum erat dominus ille canonicus; ita vt ab illis discerni non possint: si verò extent, & immixti, vel taliter mixti, vt discerni possint, tenetur illos restituere, licèt constituatur in graui necessitate, vel in eo sit constitutus. Ratio est, quia restituere non tenetur quis, constituendo se in magna necessitate: at furari non potest constitutus in graui necessitate, sed tantùm in extrema, quia tunc omnia sunt communia, id licet, vt constat ex *mater. de furto*: at respectu fructuum, quos debet recuperare, vel qui extant in propria specie, aut immixti, vel taliter mixti, vt discerni possint, cùm ille canonicus non sit dominus, si modò vellet eos consumere ad vitandum grauem necessitatem, esset furati illos, & sic non licet; respectu verò consumptorum, vel extantium taliter mixtorum, vt discerni non possint, cùm iam factus sit dominus, eos consumere non est furati, cùm verè consumat rẽ suam: & licèt teneatur tantundem restituere, at excusatur pro tunc ratione grauis necessitatis, in qua constituebatur. Et licèt communis sententia habeat beneficiarium excommunicatum, & suspensum casu, quo tenetur fructus restituere, posse retinere, vnde viuat, id est specialiter in illis casibus cautum, quia est verè beneficiarius, & retinet verum beneficij titulum: at in casu nostro hic non est verè canonicus, nec habet titulum. Sic etiam quidam doctissimus iunior à me consultus. Et quia tales fructus beneficiarij excommunicati, vel suspensi sunt restituend pauperibus: at cùm in hoc casu, eo quòd sit canonicus non sint restituendi pauperibus, sed aliis interessentibus, iste canonicus non potest vti illis, vt pauper.

16 Quintò dico, quòd cùm iste canonicus septennio possideret bona fide, & illo titulo colorato collationis factæ ab Episcopo, est valde probabile, posse tuta conscientia retinere beneficium, & omnes fructus, quos transacto triennio percepit; qui scilicet sunt fructus horum quatuor annorum posteriorum. Patet ex dictis in hoc dubio contra Rebuffum, quia cùm hic non sit casus ex exceptis in regula triennij, debet iuuari illa regula: & sic transacto illo triennio præscripsit beneficium, & sic facit suos fructus exinde percipiendos. Et quamuis verum sit prædictum canonicum, adhuc manere irregularem, at irregularis non tenetur fructus restituere, quando habet verum titulum beneficij. Et licet etiam verum sit, quòd irregularis tenetur beneficium resignare, id verum est, quando non potest exercere per se ministeria illius beneficij principalia, vt contingit in beneficio curato, secus quando est beneficium simplex, & aliqua sui officij potest beneficiarius per se exercere, vt contingit hîc, potest enim talis interesse choro, & recitare, & facere vt sacra, ad quæ tenetur, per alium fiant, atque hoc visum est cuidam iurisperito valde docto, quem ego consului.

17 Vltimò dico, quòd non tenetur restituere fructus ante expletum triennium perceptos. Ratio, quia licèt ex natura rei teneretur eo quòd tunc beneficium non erat suum: at iam præscripsit, iam enim plusquam triennium transactum est à possessione talium fructuum etiam vltimo anno illius triennij perceptorum, & licèt contra Ecclesiam non præscribatur, nisi 40. annis: at id procedit in rebus immobilibus; in rebus verò mobilibus præscribitur contra Ecclesiam triennio, sicut contra alios priuatos. *Auth. quas actiones, C. de sacrosanctis Eccl.* quæ est lex finalis illius tituli, *& l.* 26. *tit.* 29. *part.* 3. quæ leges licèt iuris ciuilis sint, quia tamen possunt esse vtiles, sicut & damnosæ Ecclesiis, in foro canonico etiam admittendæ sunt: & sic tenet Panorm. *c.* 1. *de rest. in integr. n.* 13. & *ibi* Innoc. Imola, Gregorius Lopez *d. l.* 26. *versic. Cosas*, glossa *d. Auth. quas actiones, versic. duratibus, & Instit. de vsucap. §. res fisci, versic. Non potest*, vbi Ang. *n.* 9 Iason *d. auth. quas actiones, n.* 4 Bald. *l.* 2. *C. ne rei domin.* Dynus *regula possess. de regulis iuris in* 6. *n.* 18. glossa *c. de reddit. bus* 12. *q.* 2. Speculator, Card. Balbus, quos refert, & sequitur Couar. *regula possessor*, 2. *p.* §. 2. *n.* 5. Sylvest. *præscriptio* 1. *q* 6. *dicto* 3. Felin. *c. de quarta, de præscript. fine*, vbi alios refert. Sic quidam doctissimus Iurisconsultus, quem ego consului, immo id esse verissimum reputo.

---

*De acceptione personarum in distributione officiorum, & rerum temporalium.*

## SVMMARIVM.

35. *Quis sit dominus officiorum secularium reipublicæ.*
36. *An officia hæc secularia sint ex iustitia distributiua conferenda dignioribus.*
37. *An Princeps possit vendere officia publica, vt Rex, & alij non recognoscentes superiorem in temporalibus, vt sunt aliqui Duces in Italia.*
38. *An alij citra Regem, & Principem non recognoscentem superiorem in temporalibus, possint officia secularia reipublicæ vendere, seruatis conditionibus positis dubio præced. requisitis in Principe ad licitè vendendum, siue hi sint domini titulares, vt Duces, Marchiones, siue alij priuati, qui à Rege emerunt hæc officia.*
39. *An Prælati Ecclesiastici teneantur eligere digniorem ad hæc officia secularia, possintque illa vendere.*
40. *An in honoribus exhibendis committatur acceptio personarum.*
41. *An in iudiciis locum habeat acceptio personarum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



42. *An in tributis exigendis cõmittatur acceptio personarũ.*
43. *An in dispensationibus concedendis, vel negandis contingere possit acceptio personarum.*
44. *An peccet pater præferendo, seu meliorando filium indignum, vel minus dignum in tertio, & quinto bonorum.*

## DVBIVM XXXV.

*Quis sit dominus officiorum sæcularium reipublicæ.*

1 ADrianus 4. *materia de restit. q.* quæ incipit, *ex his subnitur alia dubitatio, an mutuans Principi sub pacto accipiendi officium temporale*, quæ habetur, *fol.* 119. *pag.* 2. *in fine illius quæstionis*, dicit non esse dominum, sed dispensatorem.

2 Sed pro resolutione supponendum est, rempublicam, quando elegit Regem, transtulisse in ipsum omnem suam potestatem, & dominium: Rex enim non est Vicarius reipublicæ, vt Dux Venetus, qui semper pendet à reipublica in omnibus, sed habet plenissimam potestatem à reipublica, ita vt iam non possit ab ea deponi, nec filij eius, nisi Rex per tyrannidem opprimeret regnum, & tunc solo beneficio iuris naturalis, quo vim vi repellere licet. Sic habetur *l.* 1 *ff. de constit. Principum*, vbi habetur pppulum transtulisse in Regem omnem potestatem, & imperium, quod habebat. Sic Soto *lib.* 3 *de iust. q.* 6. *art.* 4 *circa solutionem ad* 2. *versic. aliam verò.* Aragon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *fol.* 322. Salon *eodem art.* 2. *contr.* 7. *fol.* 1045.

3 Sit ergo prima conclusio: ipsa respublica est verè domina per se horum officiorum, & magistratuum. Probatur primò, quia homo priuatus habet dominium suorum actuum; ergo ipsa respublica suæ ditionis. Secundò, quia hæc officia eum temporalia sint, & pretio æstimabilia, sunt capacia dominij passiui: at non videtur, per se loquendo, in aliquo possibilis maior titulus dominij, quàm in ipsa republica. Sic quidam doctissimus iunior *in suis manuscriptis*, vbi asserit esse communem, & colligitur expressè ex Soto, Aragon, & Salon citatis: ideo enim probant Regem esse dominum, quia respublica in Regem transtulit omne suum dominium.

4 Secunda conclusio: Rex habet dominium horum officiorum. Ratio, quia respublica habet dominium horum officiorum, sed transtulit omnem suam potestatem, & omne suum imperium in Regem; ergo. Sic Soto *ibi*, Arag. *ibi fol.* 3 4. *in solutione ad* 1. *& vltim.* Salon *eadem contr.* 7. & quidam docti iuniores à me consulti.

5 Nota quòd Rex non habet ita absolutum dominium, sicut ipsa respublica: quia respublica habet illud propter se ipsam; Rex verò non propter se, sed propter rempublicam. Vnde Rex non habet absolutum dominium horum officiorum alias posset ea pro libito in quoscunque etiam indignos distribuere sine violatione iustitiæ: sed habet dominium gubernatiuum illorum ad distribuendum ea in reipublicæ vtilitatem. Sic Aragon *ibi*, Salon *ibi*, malè tamen putat hoc esse contra Sotum. Sic etiam tenent docti recentiores.

6 Hinc fit quòd si respublica hæc officia non benè dispenset, peccabit contra charitatem, quia tenetur bonum commune diligere, & curare: non tamen contra iustitiam, quia iustitia est ad alterum: at respublica malè dispensans sibi ipsi nocet: at Rex malè dispensans peccabit non tantùm contra charitatem, & iustitiam legalem, quibus tenetur bonum commune diligere, & curare: sed etiam contra commutatiuam, qua ex officio ad id tenetur; transtulit enim respublica dominium in Regem sub hoc pacto implicito, & virtuali, vt eius vtilitati in gubernatione consulat, vt latiùs dicemus *dub. sequenti.* Sic Salon *eadem controu.* 7.

7 Secundò hinc fit, quòd Princeps teneatur seruare leges, & pacta, quæ contraxit cũ reipublica, quando electus est ipse, vel præcessor eius: nec potest transferre regnum in quem voluerit, sed ad modum contractum cum republica; respublica verò poterat à principio tradere se cui voluisset. Sic docti quidam iuniores.

8 Aduerte tamen, quòd si respublica eligeret indignos ministros, si ex tali electione sequeretur damnum hospitibus, & peregrinis, & aliis, qui in talem electionem non consenserunt, respectu illorum peccant eligentes contra iustitiam commutatiuam, & sic tenentur damna restituere, quod est maximè notandum pro electionibus, quæ fiunt à communitate per suffragia voce Concilij, seu Senatus, vulgo, *a voz de concejo*. Sic docti iuniores.

9 Tertia conclusio: magnates, vt duces, Marchiones Regi subiecti (qui enim sub nullo Rege sunt, vt aliqui Domini Italiæ, habent potestatem regiam, & in ipsos transtulit respublica omnem suam potestatem, sicut respublica Regi subiecta in Regem) non habent ex natura rei dominium horum officiorum. Ratio, quia respublica non transtulit in hos dominium horum officiorum: nec Rex quando eis vendidit, vel donauit oppida, dedit eis dominium horum officiorum; sed fecit eos tantùm dispensatores. Sic Soto, Salon *ibi*, & docti recentiores. Addit Salon ex consuetudine esse dominos, cùm iam ex consuetudine sit vt illa vendant; sed de hoc *infra.*

10 Quarta conclusio: Senatores, id est, *veintiquatros, y jurados*, vel prætores, qui aliquando eligunt ad aliquot officia, non sunt illorum domini, sed dispensatores. Sic Soto *ibi*, Ludou. Lopez 1. *p. inst. noui, c.* 130 *fol.* 294. *& lib.* 1. *de contract. c.* 6. *fol.* 17. & docti iuniores.

11 Vltima conclusio: emens à Principe officium, est dominus illius; quia iam officium illud commune factum est huius per venditionem. Sic docti illi iuniores, quos ego consului.

## DVBIVM XXXVI.

*An officia hæc sæcularia sint ex iustitia distributiua conferenda dignioribus.*

1 OPortet priùs proponere conclusiones, in quibus minor est difficultas, & ab omnibus receptas. Sit

2 Prima conclusio: nullo modo licèt indignos ministros eligere, immo quicũque sit illum eligens, etiam Rex peccat mortaliter: & tenetur damna restituere. Probatur primò, quia cùm electio indigni sit semper in damnum aliorum, est intrinsecè mala, & cùm sit in re graui, est peccatũ mortale. Secundò, quia eligens indignum, quicunque ille sit, peccat contra charitatem, & iustitiam legalem; tenetur enim ex his bonum commune diligere, illique consulere. Peccat etiam contra iustitiam commutatiuam, quia cùm persona publica sit, sibique ex officio incumbat eligere, tenetur ex officio bono reipublicæ consulere, illiusque rectæ gubernationi; ergo si in hoc deficiat eligendo illi ministros indignos peccat mortaliter contra iustitiam cõmutatiuam, & per consequens tenetur damna reipublicæ illata illi restituere. Sic Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ante contr.* 7. *fol.* 1040. Arag. *eodem art.* 2. *fol.* 322. Soto 3. *de iust. q.* 6. *art.* 4. Mercado *lib.* 9. *de contr. c.* 17. Ledesm. 2 4 *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 9. *fol.* 253. Perez *lib.* 1. *ordin. tit.* 6. *fol.* 257. Armil. *verb. dominium, n.* 7. vbi Syluest. *q.* 4 *dicto* 1. *& rest.* 3. *q.* 5. *dict.* 5. *& rest.* 2. §. 16. *& electio* 1. *q.* 16. Nauarr. *in omnibus summis, c.* 25. *n.* 8. Corduba *summa, q.* 117. Nau. *lib* 2. *de rest. c.* 2. *n.* 155. vnde minus bene Angel. *verbo electio. n.* 2. dicit non esse mortale eligere indignum ad hæc officia, nisi sequatur notabile damnum, vt si eligatur scriba nesciens dictare instrumenta, quem reprobat Sylvest. *electio* 1. *quæst.* 16.

3 Nota primò, conclusionem hanc habere verum etiam in priuato renunciante officium in fauorem alicuius: tenetur enim sub mortali eligere idoneum, & dignum, aliàs tenetur damna restituere. Ratio, quia eo ipso quòd vult illud officium sibi commissum alteri conferre; tenetur ex officio prouidere de persona digna, aut committere superiori, vt ipse prouideat, sicut in absentia sua; quando loco sui substituit aliquem, tenetur idoneum substituere ex iustitia commutatiua: ergo à fortiori quando perpetuò substituit per renunciationem, siue donando, siue vendendo officium suum. Item quia quilibet œconomus tenetur ex officio prouidere idoneos ministros domino, sed quilibet officialis reipublicæ, quantumuis priuata persona, eo ipso quòd est officialis, & minister reipublicæ, est velut œconomus eius; ergo tenetur ex iustitia commutatiua dignos eligere. Sic Salon *ibi*, & quidam docti iuniores.

4 Secundò nota hoc etiam habere verum, si ille qui renunciat, aut locat officium vendendo, aut locando carius, quàm par erat, est in causa, vt alter furetur, exigendo ampliora stipendia, eo quòd stipendium, quod sibi relictum est, non sufficiat ad propriam sustentationem in tali officio, tenetur enim damna restituere. Sic Corduba *ibi*, & alij recentiores.

5 Tertiò nota, non sat esse electori ignorare, esse indignum electum, sed tenetur scire electum positiuè esse dignum, aut per se ipsum, aut testimonio fide dignorum: & aliàs peccat mortaliter, & tenetur restituere damna, quia exponit se periculo eligendi indignum. Sic Salon *ibi fol.* 1041. & quidam docti iuniores, quorum nonnulli notant in suis manuscriptis, hoc habere verum etiam in priuatis renunciantibus, & vendentibus hæc officia, & in vendentibus eanomine Regis: non enim vendere debent maius offerentibus pretium, sed idoneis.

6 Secunda conclusio; ad officia publica, siue quæ habent iurisdictionem, vt officia iudicum, siue quæ adiuncta sunt his, vt instrumenta iudicis, vt officium tabellionis, fiscalis, alguazelli; siue quæ sunt velut instrumenta remota iudicum, & institura ad reipublicæ ministerium, vt officia, quæ nullam habent administrationem, vt præconum, satellitum, carceris, præfectorum, id est, *Alcaides*, custodũ, & ianitorum, requiritur probitas morum suo modo, maximè scilicet in officiis primi, & secundi generis, & dexteritas in suo officio, & conditiones legibus requisitæ, scilicet scientia ad officium necessaria, &c. & ad officia primi generis maximè etiam confert nobilitas, & denique dignitas in his officiis non est attendenda tam in ordine ad ipsum eligendum, quàm in ordine ad subditos, & ministerium, ad quod eligitur. Sic Soto, & Salon *ibi*, Mercado *suprà*, & licèt Caietanus *verbo electio sine*, & Nieua *summa, tit.* 48. & Aragon *suprà.* videantur tenere oppositum: dicunt enim non requiri, quòd eligendus ad hæc officia sit absque peccato, cùm non fiat pastor ouium Christi, sed custos pacis humanæ in reipublica: at verè non sunt contrarij, quia Caietanus, quem reliqui sequuntur, tantùm vult, non requiri tantam bonitatem in eligendo ad hæc officia, quanta in eligendo ad beneficia Ecclesiastica: & sic quod non obstaret ad officium esse in aliquo peccato mortali non contrario officio. Sic Salon *ibi fol.* 1040. & sic se explicat Aragon *ibi.* Sic quidam docti recentior, quem ego consului, addens cum Soto requiri, quòd aliàs sit bonis moribus habitualiter imbutus, & quòd nemo, qui improbis est moribus, est promouendus ad hæc officia, quantumuis prudentia polleat, quòd latè *ibi* probat Soto.

7 At tota difficultas huius quæstionis consistit, an huiusmodi officia sint necessariò distribuenda dignioribus iuxta leges iustitiæ distributiuæ, ita vt aliter fit acceptio personarum.

8 Quidam absolutè dicunt, non violari iustitiam distributiuam, si ad hæc officia non eligatur dignior, sed satis esse dignum eligere. Sic Burgos *proœmio leg. Taur. n.* 175. & potest probari fortissimis argumentis. Primò, quia ad iustitiam distributiuam requiritur, vt bona sint debita, quando quis enim propria bona distribuit, nulla est ibi iustitiæ distributiuæ ratio, cùm bona ea debita non sint; & etiam, vt bona illa sint communia: at hæc officia non sunt debita, sed propria reipublicæ, & Regis, in quem respublica transtulit dominium: nec sunt bona communitatis, cùm ad ea possit Rex alienigenas eligere; ergo. Secundò, quia Rex potest hæc officia vendere; ergo non sunt debita; ergo non est ibi ratio iustitiæ distributiuæ.

Tertiò, quia hæc officia non instituta sunt, vt ministrorum præmia, sed ad bonum reipublicæ regimen, ipsiúsque fauorem; ergo in eorum distributione non interuenit iustitia distributiua.

9 Alij verò in alio extremo docent esse peccatum mortale acceptionis personarum eligere ad officia sæcularia alicuius momenti, quæ scilicet annexam administrationem iustitiæ habent, minus dignos, dignioribus omissis, qualitercunque fiat electio, siue per plura suffragia, siue ab vno electore, siue fieri debeat de partibus eiusdem communitatis, siue non. Probatur, quia dupliciter tenetur elector seruare formam iustitiæ distributiuæ; aut simpliciter, & per se ratione bonorum, quæ distributurus est. Quod contingit, quando bona sunt communia, & debita partibus illius communitatis: aut non simpliciter, & per se ratione bonorum, sed ratione officij, vel finis, quod accidit, quando licèt bona non sint debita, tenetur tamen elector ad distribuenda illa propter aliquem finem, & causam ad distribuenda illa, perinde ac si essent debita, quod contingit in distributione horum officiorum. Item, quia ex bona horum officiorum distributione pendet bona regni gubernatio. Sic tenent Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *tota controu.* 9 Aragon *eodem artic.* 2. *fol.* 323. *& q.* 62. *art.* 2. *in solutione ad* 4. *fol.* 203. Perez *lib.* 7. *ordin. tit.* 2. *l.* 22. *paulo post principium, ante versic. Quæritur primò.* Molina *lib.* 2. *de primog. c.* 5. *n.* 66.

10 Sed pro resolutione supponendum est, quòd eligendus ad huiusmodi officia, aliquando debet esse pars illius communitatis, vel reipublicæ: aliquando verò id non est necessarium, sed potest etiam esse ex alia prouincia. Rursus huiusmodi electiones aliquando fiunt per pluta suffragia, aliquando verò ab vno tantùm electore.

11 Tertia ergo conclusio sit; in officiis, quæ non habent annexam gubernationem, vel administrationem iustitiæ, sed eorum ministri sunt mera instrumenta aliorum ex eorum nutu, & præcepto pendentes, satis est, qualitercunque fiat electio ad vitandum peccatum mortale eligere dignos. Ratio, quia non videtur restanti momenti, cùm perinde in his seruiant digni, sicut digniores. Et confirmatur, quia electio ad beneficium simplex de digno, omisso digniori, non est peccatum mortale, vt *suprà* diximus, quia in ratione beneficij hæc non sunt tanti momenti: ergo similiter cùm hæc officia non sint tanti momenti, non erit peccatum mortale ad illa eligere dignos. Sic Salon *ea controuersia* 9.

12 Quarta conclusio: eligere ad officia habentia administrationem iustitiæ, vel gubernationem minus dignos, quando electio sit per plura suffragia, & debet fieri de partibus ipsius communitatis, est peccatum mortale acceptionis personarum. Ratio, nam ipsa plura suffragia sunt indicium, quòd illud bonum sit commune, & distribuendum secundùm regulas iustitiæ distributiuæ, scilicet dignioribus talis communitatis. Item quia licèt respublica, vel Rex habet dominium horum officiorum: at etiam in distributione propriorum bonorum, quando quis ea facit communia, & debita partibus communitatis, contingit acceptio personarum, si non distribuantur dignioribus secundùm regulas iustitiæ distributiuæ: at supposito, quòd vult respublica hæc officia partibus illius communitatis distribui, & ad plura suffragia, iam illa bona propria facit communia, & debita; ergo. Item quia licèt hæc officia sint principaliter instituta ad gubernationem reipublicæ, at consequenter sunt etiam instituta ad bonum ciuium, & vt præmia bonorum: sicut beneficia principaliter instituta sunt ad bonum ministerium Ecclesiæ; secundariò tamen, vt præmia ministrorum, vt suprà diximus: quare sicut in his contingit acceptio personarum, quando non pro meritis distribuuntur dignioribus, ita & in illis. Et in hac conclusione conuenimus cum Doctoribus secundæ sententiæ. Et eam tenent Caietan. *summa verbo electio, fine*, vbi Armil. *n.* 5. Nieua *summa tit.* 48. & quidam docti iuniores à me consulti.

Universidad de Deusto
Biblioteca



13 Quinta conclusio: etiamsi electio non sit facienda ex partibus eiusdem communitatis, si tamen facienda sit electio per plura suffragia, tenentur electores digniorem eligere, aliàs peccabunt mortaliter peccato acceptionis personarum. Probatur, quia, vt dixi, ipsa plura suffragia sunt indicium, quòd illud est bonum commune distribuendum secundùm regulas iustitiæ distributiuæ. In hac etiam conuenimus cum Doctoribus secundæ sententiæ, & docti recentiores.

14 Sexta conclusio: licèt electio non sit facienda per plura suffragia, sed ab vno tantùm electore, quicunque ille sit, si tamen necessariò facienda est de partibus illius communitatis, est peccatum mortale acceptionis personarum non eligere ad ea meliorem. Ratio est, quia eo ipso quòd officia illa sunt necessariò distribuenda inter partes illius reipublicæ, signum est instituta esse, vt meritorum præmia. Item quia respublica trásstulit in illum electorem dominium, & ius, etiamsi sit supremus Princeps, dominúsque illorum officiorum, cum hac conditione implicita, & virtuali, vt bona illa eo ipso quòd inter ciues distribuenda sunt, distribuantur, vt bona communia pro meritis, secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ. In hac etiam conuenimus cum Doctoribus secundæ sententiæ. Et dicit Salon pro ea citatus hanc conclusionem acceptari ab omnibus. Eandem tenent quidam docti iuniores.

15 Septima conclusio: quando electio non sit per plura suffragia. Sed ab vno tantùm electore, nec est necessariò facienda de partibus illius communitatis, probabilius est contra secundam sententiam, non esse acceptionem personarum nec peccarum mortale, prætermittere digniorē, vt quando Rex eligit Præsides, vel Auditores regios, vel Prætores, &c. Probatur, quia tantùm tenetur quis distribuere secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ, & oppositum facere est acceptio personarum, quando dispensat bonum commune, quod debetur ciuibus in quantū sunt partes illius reipublicæ: sed in hac electione illud officiū non est bonum commune debitum ciuibus, in quantum sunt partes illius communitatis; ergo. Secundò, quia respublica elegit Principem tanquam principalem ministrum, vt ipse benè gubernet rempublicam per quoscunque ministros, siue huius ciuitatis, siue alterius; ergo. Sicut œconomus alicuius domini non tenetur ex iustitia distributiua eligere digniores operarios, sed satisfaciet eligendo dignos: ita & Princeps. Tertiò, quia si hoc esset peccatum mortale, aut id esset propter grauem iniuriam irrogatam reipublicæ, aut propter iniuriam irrogatam digniori prætermisso: non reipublicæ, quia ipsi præficitur ministet idoneus: non digniori prætermisso, cùm nullum ius habeat, eo quòd hæc non sunt bona communia debita partibus, hæc est communis Thomistarum neotericorum, vt fatetur *ibid.* Salon. Et eam tenent Burgos de Paz *proœmio legum Taur. n.* 175. Caiet. *summa, verbo electio secularis, & ibi* Armil. *n.* 5. Nieua *summa, tit.* 48. & docti quidam iuniores à me consulti.

16 Hinc fit, quòd Prætor non tenetur eligere ministros, quos eligit digniores, vt proprætores, id est, *Alcades mayores*, alguazellos, &c. quia ea electio non fit per plura suffragia, nec est necessariò facienda de partibus illius communitatis, & idem est de magnatibus, quando eodem modo eligunt: sic docti illi iuniores.

17 Vltima conclusio: est tamen peccarum veniale non eligere digniorem, etiam in his casibus præcedentis concluſ. Ratio, quia non est bonus minister, qui potest per meliores ministros gubernare, & minus bonos eligit. Sic doctissimi illi recentiores & Caiet. licèt sub dubio, dicit enim fortè teneri meliores eligere, at non esse mortale.

## DVBIVM XXXVII.

*An Princeps possit vendere officia publica, vt Rex, & aly non recognoscentes superiorem in temporalibus, vt sunt aliqui Duces in Italia.*

1 QVidam negant posse, quia sunt dispensatores illorum, vt dignis, & bene meritis distribuant. Sic Metina, *C. de restit. q.* 26. *ad vltimum argum.* Adrian. 4. *materia de restit. q. quæ incipit; ex his suboritur alia dubitatio, an nutuans principi eo pacto, vt det illi officium*, &c. & non in officiis habentibus exercitium iustitiæ tenet idem Angl. *in floribus, 2. p. materia de contractu emptionis, fol.* 326.

2 Sit tamen prima conclusio: venditio publicorum officiorum sæcularium, quæcunque illa sit, facta per Principem, licèt quandam mali speciem habeat, & ideo communiter non deceat, at non est intrinsecè, & de se mala; quare vestita aliquibus cõditionibus licita est. Probatur, hæc sunt officia merè sæcularia, & temporalia, ac pretio æstimabilia; ergo potest Princeps, qui illorum dominus est, ea vendere. Item quia regia potestas vendi potest, vt si Veneti essent valde à Turcis oppressi, possent pactum inire cum aliquo, vt ipsos defenderet, & parta victoria admittent illum in Regem: quod est quoddam venditionis genus; omne enim pactum ad venditionem reducitur; ergo. Sic tenent D. Thom. *opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ*, Mercado *lib. 6. de contract. c.* 17. Palacios *summa, verbo acceptio personarum, fine.* Cordub. *lib. 1. quæstionario, q. 20. vers. secunda opinio, fine, & summa q.* 117. Baltanas *in Apologia de Alguacilasgos.* Caiet. *summa verbo, officiorum venalitas.* Armil. *verbo officium, & verbo dominium, num. 7.* Rosel. *restit. 4. n. 5.* Syluest. *restit. 3. q. 5. dicto* 4. Nauar. *summa, c. 25. n. 7. & super extrauag. de datis, & promiss. num.* 44. 45. Paludanus 4. *dist. 25. q. 4. fine*, Ludou. Lopez 1 *part. instruct. c.* 130. *& lib. de contract. c.* 6. Garcia *part. 1. de contr. c.* 18. Guillelmus, *c. Raymutius, de testam. vers. duas habens filias, a n.* 54. Tello *l.* 29. *Tau. n.* 10. Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *controuers.* 8. *fol.* 153. Aragon *eodem art.* 2. licèt minus bene limitet, nisi sint officia iudicium *fol.* 325. Soto *lib.* 3. *de iust. q.* 6 *art.* 4. *circa solutionem ad* 2. Auendaño *responso* 9. & quidam docti iuniores.

3 Secunda conclusio: non tantùm potest Princeps hæc officia vendere, quando vacant, sed etiam potest de nouo augere, & creare, & ea vendere: nec possunt alij decuriones conqueri, & contradicere. Sic Albericus, quem refert, ac sequitur Tello *eo n.* 10. subdit tamen Tello cum Baldo, & aliis, quòd quando officia non sunt iurisdictionalia, sed tabellionatus, vel similia, exigitur causa in Principe, vt possit ea augere. Ratio, quia propter illud augmentum dimidij fructus officij alteri, qui similè officium emerat, auferuntur, & consequenter dimidius valor proprietaris talis officij consumitur. Immo addit Tello, quòd solet Rex damnum resarcire possessori; licèt id necessarium non sit, sed sufficit adesse iustam causam: & quòd debeat intercedere iusta causa, scilicet expedire ad bonum reipublicæ, docet etiam Garcia *d. c.* 18. & hoc est, quod dicit Auendaño *c.* 10. *præt. n.* 4. quòd nõ debet Rex antiqua officia augere; & quando auget, debet esse absque aliorum damno. Similiter dicit Tello *ibi*, cum Bart. & Iacobo Rebuffo, quos *ibi* refert, quòd non potest minuere sine causa propter præiudicium eius, cui tolleretur: at potest Rex consumere, cùm vacauerint secundùm Baldum, & Chassaneum, quos *ibi* refert.

4 Tertia conclusio: conditiones, quibus vestiri debet hæc venditio facta à Principe, vel ab alio de eius licentia, vt licita sit, hæ sunt. Prima, vt hæc officia non exponantur venalia cuicunque maius offerenti pretium, sed dignis, & bene meritis. Secunda, vt vendantur moderato pretio, ita vt possit superesse moderata, & honesta sustentatio ex officio ementi, ne cogatur iniusta facere ad se sustentandum. Vtramque conditionem ponit D. Thom. cum reliquis Doctoribus citatis pro prima concluſ. Tertia est, vt venditio fiat propter grauem reipublicæ, vel aliam publicam necessitatem, cui alia via commodè consuli nequit. Sic Soto, Salon *supra*, & quidam docti iuniores.

5 Quarta conclusio: licèt hæc officia vendibilia sint à Principe, & possint in aliquo casu de facto, & practicè licitè vendi, si seruentur conditiones positæ: at, communiter, & regulariter loquendo, damnanda est hæc venditio, quia ex ea sequitur multa damna, quæ referunt Doctores citati



citati, & maximè Cordub. *summa q.* 117. quibus non prouidetur, sed tantùm curatur magnam pecuniam inde extorqueri. Et ideo Caiet. Soto, Armil. Garcia, Lud. Lopez, *vbi in prima conclus. citati sunt*, dicunt speculatiuè hanc venditionem esse licitam, id est, de se non esse malam: at practicè esse iniquam, id est, in plurimum, vt res eueniunt, esse illicitam: & quia actiones morales iudicandæ sunt secundùm id quod in pluribus euenit, ideo regulariter damnanda est hæc venditio. Sic Doctores in hac conclusione citati, & docti iuniores.

6 Quinta conclusio: officia habentia administrationem iustitiæ, id est, iudicum, vendere, inter omnia habet maiorem mali speciem, ex eáque venditione maiora inconuenientia sequuntur, maiúsque scandalum, & ideo inter omnia magis vitandum est. Sic Soto, Garcia, Lud. Lopez *ibi*, & docti quidam recentiores à me consulti.

## DVBIVM XXXVIII.

*An aly citra Regem, & Principem non recognoscentem superiorem in temporalibus, possint officia secularia reipublicæ vendere, seruatis conditionibus positis dubio præced. requisitis in Principe ad licitè vendendum, siue hi sint domini titulares, vt Duces, Marchiones, siue alij priuati, qui à Rege emerunt hæc officia.*

1 SVpponendum est, quòd licèt hi domini temporales titulares, vt Duces, &c. possint creare notarios ad causas iudiciales, at tabelliones ad extraiudicialia creare nequeunt, nisi ex priuilegio regio, aut præscriptione 40 annotum. Sic Auendaño latè probans, & alios referens 1. *part. cap. prætorum, cap.* 10. *n.* 2.

2 Circa hoc dubium Tello *l.* 29. *Tau. à n.* 11. *vsque ad* 13. latè probat officia habentia annexam administrationem iustitiæ, vt tabellionum, decurionum, &c. nullo modo posse vendi, aut locari ab aliis, quàm à Principe, licèt ea à Rege emerint: secus de aliis nullam habentibus administrationem iustitiæ, vt officium custodis carceris, proxenetæ, præconis, quæ vendi possunt ab eo, qui dominium illorum habet. Vnde infert hæc officia non esse conferenda, nec in illis posse fieri executionem pro debitis possessoris, nec ea posse vendi ad debita soluenda nec hypotheca affici pro debitis. Probatur ex *Auth. vt iudices sine quoquo suffragio, & ex l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 3. *nouæ recopil.* vbi sic dicitur: *Mandamos que el Assistente, o Gouernador, o Corregidor. no arrienden, ni consientan arrendar los officios de Alguazilazgos, ni de las Entregas, ni de la carcel, ni Almotazenazgos, ni los plazos, ni Alcaidias, ni majordomias, ni escriuanias, ni otros officios, que tuuieren por respeto de su corregimiento.* & *lib.* 4. *recopil. tit.* 25. *l.* 4. sic dicitur: *Mandamos que no se arrienden las escriuanias de rentas otras, que se vuieren de proueher en estos Reynos.* & *pragmatica* 56. quæ hodie est *lex* 8. *tit.* 2. *lib.* 7. *nouæ recopil.* sic dicitur. *Mandamos que ninguno officio, de veintiquatrias, regimientos, Alcaidias, Alguazilazgos, fieles executores, o juraderias no se puedan vender, ni trocar, ni dar en pago, ni por otro precio, ni respeso de precio alguno, aora lo den las personas, en quien se renunciaren, o traspasaren, o otras personas por ellos directa, ni indirectamente: y lo mismo sea en los votos, que se dieren en las eleuiones, y prouisiones para los tales officios, o en los officios de procuraciones de Cortes, o escriuanias publicas, donde por priuilegio, o costumbre se eligen por votos. Por manera que no intervenga precio, ni respeto, de precio, ni soborno, ni ruego de otras personas por intercession, o causa de lo que, vuiere de ser elegido, ni intervengan promessas, ni obligaciones de dar cosa alguna por los tales officios, ni por tales medios, ni titulos se puedan renunciar por ninguna persona que los tenga, y la renunciacion sea ninguna, y por virtud della no se pueda ganar derecho al tal officio: y la persona, que lo comprare, o a quien se renunciare, o comprare voto para lo auer, o lo vuiere por ruego de otras personas a su pedimiento, o por causa suya directa, o indirectamente, no pueda auer, ni aya el tal officio, puesto, que nos le hagamos merced del por virtud de la renunciacion. & eodem lib. 7. recopil. tit.* 3. *l.* 7. *Mandamos que no se pueda comprar, ni vender officio de iurisdicion. & l.* 8. sic dicitur: *Mandamos, que los Corregidores, ni alcaldes Merinos, ni Alguazyles, ni los otros officios de iusticia, ni los que pueden poner los dichos officios, no sean osados de arrendar los dichos officios.*

3 Sit tamen prima conclusio: stando in iure ciuili, & regio, nullus, dempto Principe, potest vendere, vel locare officia publica, quæ vel habent iurisdictionem, vt officium Prætorum, &c. vel habent annexam aliquam administrationem iustitiæ, vt tabellionis, Alguazelli, decurionum, &c. at potest vendere officium, quod non habet annexam administrationem iustitiæ, vt officia ianitoris, præconis, custodis carceris, præfecti cursorum, & cæteri. Patet prima pars ex legibus citatis. Item quia titulares domini non sunt domini horum officiorum, non enim cum iurisdictione, quam accipiunt à Regibus in sua oppida, accipiũt communiter plenum dominium officiorum, quale Reges habent, sed solam administrationem. Patet secunda pars, quia nulla lex prohibet veris dominis ea officia vendere, quales sunt, qui ea emerunt: licèt Prætoribus id prohibeatur, quia non sunt domini, sed dispensatores illorum. Hanc tenet Tello *vbi supra*, Salon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *controuers.* 8 *fol.* 1052. Aragon *eodem art.* 2. *fol.* 325. Ludou. Lopez *lib.* 1. *de contract. c.* 6. Garcia 1. *part. de contract. c.* 18. Soto *lib.* 3. *de iust. q.* 6. *art.* 4. *circa solutionem ad* 2. *vers. Aliam vero.* Nau. *super extrauag. de datis, vel promissis pro iustitia, vel gratia, n.* 45. Victoria in quadam Epistola, quæ habetur typis excusa *in lib. de refugio animæ de zuniga. in fine totius libri*, Auiles *cap.* 16. *Prætorum glos. No arrendara en los añadidos, fine*, & quidam docti iuniores, quos ego consului. Humada *l.* 1. *tit.* 16. *p.* 1. *glos.* 3. *per totam.* Sed Azeb. *lib.* 7. *recopil. tit.* 2. *l.* 8. *n.* 6. dicit intelligi eam legem de officiis, quæ per vota prouidentur.

4 Nota primò, quod Sotus addit, quòd si expedierit in bonum commune populi, vt ad reparationem murorum, &c. poterunt domini hi titulares quotam aliquam eximere ab illis officiis. Sed nescio cui fundamento innittatur Sotus, cùm illud sit quoddam venditionis genus, vel impositionis tributi, & neutrum possint facere absque regia licentia: & ideo indistinctè cum aliis Doctoribus citatis teneo nihil posse detrahere.

5 Secundò nota posse magnates vendentes sua oppida vendere illa maiori pretio ob facultatem, quam habent conferendi hæc officia; quia hæc facultas est quoddam ius pretio æstimabile, non tamen pro ipsis officiis. Sic Salon. *d. controu. 8. fol.* 1053. & videtur tenere Nauar. *d. n.* 45.

6 Secunda conclusio: nec renunciare potest aliquis officium in alium siue licentia Principis, etiamsi gratis renũciet, vt patet ex *legibus citandis.* Sic Aragon. *d. art.* 2. *sub finem. fol.* 326. Soto *d. art.* 4. *sub finem, vers. Hoc autem est hic apprimè.* Immo renunciatio aliter facta nihil valet. Patet ex *l.* 5. *tit.* 4. *lib.* 7. *recopil.* vbi definitur, quòd qui suum officium in alterum renunciat, renunciationem debet intra triginta dies post eam factam coram Rege præsentare, vt illam admittat; aliàs sit nulla, & vacet tale officium, & *l.* 4. *eodem tit.* statuitur, quòd nulla sit, & irrita renunciatio, si viginti dies non vixerit renuncians post acceptatam eiusmodi renunciationem: quo autem pacto numerentur hi dies, consule Perez *l.* 22. *tit.* 2. *lib.* 7. *ordin.* & Azebedo, ex quibus legibus constat non esse validam renunciationem factam absque Regis licentia, & seruata forma, & conditionibus renunciationis; sic docti recentiores.

7 Hinc infertur resolutio huius casus; quidam renunciauit decurionatum in proprium filium, post renunciationem per dies tantùm decem, & octo fuit superstes, filius verò pactum iniuit cum tabellione de conficiendo alio instrumento falso renunciationis, in quo narraretur patrem vixisse viginti diebus, & ita supplerentur duo illi dies, qui desiderabantur ad valorem renunciationis. Atque ita factum est: & sic hoc instrumento admisso per regium Senatum filius obtinuit officium

Universidad de Deusto
Biblioteca



decurionis. Consultus fum ad quid teneatur prædictus filius; respondi, eiusmodi collationem decurionatus factam à Rege in talem filium, esse nullam, & irritam, hûcque teneri officium Regi restituere: quod si absque graui infamiæ nota id præstare non potest, satisfaciet, si officium vendat, & pretium illius Regi restituat, quandoquidem certum est, fuisse vendendum tale officium à Rege, nisi talis filius vsurpasset; si verò hic iam officium vendidisset, pretium restituat, & emptorem in sua bona fide relinquat. Quòd si nec officium, nec pretium velit restituere, satis erit, si compositionem, medio confessario Regis, vel per eleemosynarium, aut aliam similem personam; solet enim Rex liberalem se exhibere in his compositionibus.

8 Tertia conclusio: qui tantùm habet licentiam transferendi officium in alium, non eo ipso potest vendere, sed oportet, habeat licentiam vendendi, quia licentia transferendi alia est à licentia vendendi. Sic Soto *d. art. 4. sub finem, versic. Hoc autem est hic apprime.* Salon *dicta controuers.* 8. *fol.* 1059. docti iuniores à me consulti, & communis, Ludou. Lopez *lib. 1. de contract. c. 6.*

9 Quarta conclusio: sat est tamen ad vendendum hæc officia licentia tacita, seu interpretatiua Regis. Sic Doctores citandi sequenti concluf.

10 Hinc infertur primò, esse licentiam tacitam, & sufficientem ad vendendum, quando Rex concedit aliquod officium huiusmodi aulicis, & aliis, quos nouit non posse per se ipsos illud exercere, tunc enim manifestè vult, vt illud vendant ad pretium percipiendum; aliàs nil illis concederet. Sic Garcia *lib. 1. de contract. c. 18.* Salon *d. controuers. 8. fol.* 1059. Ludou. Lopez *lib. 1. de contract. cap. 6.* Cord. *summa, q. 117.* & quidam recentiores doctissimi.

11 Secundò infertur esse tacitam licentiam, & sufficientem ad vendendum, quando Rex sciret Magnates vendere hæc officia, & dissimularet, cùm posset impedire. Sic Cord. *ea q. 117.* & quidam doctissimus iunior à me consultus. Similiter est tacita licentia, quando est præscripta consuetudo de hoc. Nauarr. *summa c. 25.* Latinæ, & Hispanæ *n. 7.* sed clariùs in Hispana *eo n. 7.* Lud. Lopez *lib. 1. de contract. c. 6.* Cord. *ea q. 117.* Aragon *dicto art. 2. fol.* 325. dicítque debere esse vsum immemorialem: dicit tamen Salon *ea controuers. 8. fol.* 1053. talem consuetudinem non esse receptam, vt domini titulares, seu Magnates vendant hæc officia; & sic communiter in audientiis damnari Idem quidam docti iuniores.

12 Tertiò infertur, quòd priuati dono, vel pretio obtinentes à Rege hæc officia, quæ iam venalia sunt, videntes, & permittente Rege, v. g. tabellionatus, decurionatus, id est, *veintiquatrias*, & tribunatus, possunt ea vendere. Patet, quia iam vbique venduntur, & publicè sciente supremo consilio, & Rege, & pro debitis soluendis fit à iudice executio in talibus officiis, & ea authoritate iudicis venduntur, & pretium illorum confertur inter fratres, vt testantur contra Tello *l. 29. Taur. n. 11. 12. 13.* Antonius Gomez referens Paulum de Castro, Iasonem, Ripam *l. 29. Taur. n. 21.* Gutierr. *lib. 2. practic. q. 64. n. 5.* Perez *lib. 7. ordin. tit. 2. l. 22. versic. Item quòd verba, fol.* 411. Couarr. 3. *var. c. 19 fine.* Matienzo *lib. 5. ordinatt. 8. l. 3. glos. 2. num. 13.* Cord. *summa q. 134.* Azebedo *d. l. 8 n. 6.* vnde dicunt hi Doctores de generali consuetudine posse iam vendi hæc officia saltem de licentia Principis, quæ facilè concedi solet: immo, experientia teste, sine tali licentia solent iam vendi à talibus priuatis, & testantur, Ioannes Garcia *de coniugali quæstu, n. 67.* Ayora *de partitionibus, p. 1. c. 8. n. 61.* Angulo *de meliorat. l. 9. glos. 5. n. 2. & 3.* Matienzo *dialogo relatorum, 4. p. c. 11.* Perez *proximè citatus*, immò, vt dixi, Azebedo *eo n. 6.* ait non prohiberi talem venditionem *ea l. 8.*

13 Sed nota, quòd Soto *lib. 3. de iustit. q. 6. art. 4. circa solutionem ad 2. versic. Hoc autem est hic apprimè*, dicit etiam quando habent licentiam Regis priuati hi ad vendendum, licèt cesset restituendi pretium obligatio, at non cessat ratio peccati, cùm hi priuati non vendant ob bonum publicum. At dicendum est tutius ea vendere, quàm Regem; quia Rex tenetur prospicere bono communi, quia est custos boni publici: vnde non potest ea vendere, nisi pro bono communi, vt pro communi necessitate reipublicæ: at homo priuatus non est custos boni publici, & non tenetur attendere ad necessitatem publicam, sed pro bono priuato suo potest vendere. Sic Salon *d. controuers. 8. fol.* 1057. *& sequenti*, & docti iuniores; vnde hi iuniores dicunt, quòd licèt in Regibus, & dominis titularibus sit communiter damnanda hæc venditio, & sit res valde scrupulosa, at priuatis nullus est iniiciendus scrupulus, modò vendant pretio moderato, & personis idoneis; quia hi non sunt causa malorum, quæ ex venditione officiorum sequuntur, sed Princeps, qui venalia exposuit.

14 Quartò nota, quòd quando conceditur patri licentia transferendi officium in filium, quem voluerit, tunc vtrtute conceditur ei facultas ad quoddam venditionis genus, quia potest obligare illum, cui officium relinquit, vt aliquid conferat aliis filiis. Sic Salon *ea controuers. 8. fol.* 1060. dicens esse certum apud omnes Thomistas; & quidam docti iuniores, quos ego consului.

15 Potissima verò difficultas est, an qui tantùm habent facultatem transferendi hæc officia, si ea vendant, teneantur pretium restituere.

Duplex est sententia.

16 Prima ait peccare mortaliter, & teneri restituere pretium. Probatur, nam qui vendit rem, cuius non est dominus, nec ex voluntate domini, peccat mortaliter, & tenetur restituere; sed hic sic vendit officium; ergo. Item quia talis venditio est prohibita iure ciuili. Sic Soto *lib. 3. de iustit. q. 6. art. 4. circa solutionem ad 2.* Tello *l. 29. Taur. n. 13.* & Salon *d. controuers. 8. fol.* 1061. dicit peritissimos nostri temporis iudicare hanc multo probabiliorem: & ipse eam censet multo probabiliorem, nisi is, qui habet talem licentiam, sit pauper; quia censendum tunc est, voluisse Regem, vt venderet.

17 Secunda sententia, quæ etiam probabilis est, iam non teneri restituere, nec peccare mortaliter, sed venialiter contra legem. Probatur, quia ille habet licentiam transferendi dominium illius officij; quòd verò transferat gratis, vel accepto pretio moderato, nemini videtur facere iniuriam: ergo non peccat mortaliter, nec tenetur pretium restituere. Probatur minor, non reipublicæ, quia vendit digno; non ementi quia vendit rem pretio æstimabilem, & pretio moderato: ergo. Secundò, quia licèt vendens faciat contra intentionem legis vendendo, at lex non prorsus annullat contractum, & *lex 8. tit. 2. lib. 7. nouæ recop.* vbi expresè videtur annullari hic contractus, explicabitur in fine huius dubij. Vnde ad rationem primæ sententiæ dicendum est, quòd eo ipso, quòd Rex concedit alicui facultatem transferendi officium, & non tanquam dispensatori, vt conceditur dominis titularibus, & senatoribus, vt mox dicam, concedit dominium talis officij, licèt verum sit non concedere liberam facultatem vendendi. Hanc tenent quidam docti recentiores, quos refert Salon *proximè citatus*, & dicit peritissimos nostri temporis eam probabilem iudicare, & ipse etiam probabilem esse censet; eandem tenent quidam docti iuniores, inter quos Pater doctor Henriquez *in suis manuscriptis*. Eandem tenet Lud. Lopez *lib. 1. de contract. c. 6.*

18 Nota hanc sententiam intelligendam esse, quando is, qui potest transferre officium, est verus dominus, non autem quando dispensator est tantùm, & tenetur illud officium conferre, licèt electionem habeat, & liberam facultatem huic, vel illi conferendi. Vnde senatores vrbium, id est, *los veyntiquatros*, quibus concessum est eligere ad aliqua officia publica, non possunt ea vendere, nec conuenire cum eligendo, vt de tali quid, vel partem salarij sibi ipsis, vel cuidam tertio, aliàs tenentur totum illud quod receperunt restituere. Ratio, cùm ex necessitate teneantur



teneantur eligere, non censentur beneficium pretio æstimabile conferre huic, quem eligunt, sed beneficium hoc ab ipso institutore officij confertur. Item, quia non sunt domini, sed meri dispensatores illorum officiorum, quod amplissimè patet ex dictis *infrà dub. 55.* & tenent Soto *lib. 3. de iustit. q. 6. art. 4. sub finem, versic. subiecerim.* Ludou. Lopez *lib. 1. de contract. c. 6. fol. 17. pag. 2. & part. instructory noui, c. 130. fol.* 294. Aragon 2. 2. *q. 63. art. 2. sub finem, fol.* 326. & quidam docti recentiores.

19 Hinc infertur, quòd etiam Prætores non possunt vendere, vel locare officia, ad quæ eligunt, vt Alguazellorum, &c. vel conuenire cum illis, vt dent partem pensionis sibi ipsis, aliàs tenentur restituere, quia non sunt domini, sed dispensatores, & ex necessitate tenentur eligere. Sic Aragon *ibid.* Salon 2. 2. *q. 63. art. 2. controu. 8. fol.* 1053. & colligitur ex Soto, & tenent docti iuniores.

20 Aduerte tamen, quòd si Prætor committat alicui actum, quem per se exercere potuisset, posset cum illo paciscí de diuidendo lucro, vt quando constituit Alguazellos, potest cum illis paciscí, vt dent sibi certam partem executionum. Ratio, quia cùm Prætor ex suo officio posset per se facere exequutionem illam, & sic habeat ius ad totum lucrum, nulli facit iniuriam, si id reseruata sibi pensione alteri committat. Sic Aragon *d. art. 2. sub finem, fol.* 326. & aliqui recentiores, dicentes sic esse vsu receptum, & Attiles *c. 16. prætorum, glossa no arrendara in additis*, dicit hoc dissimulari in Senatu regio, licèt sit legi illi contrarium, quæ prohibet locare directè, aut indirectè: sed nec credo esse contra eam legem, quia hoc non est genus locationis officij Alguazelli, sed committere illi actum, quem Prætor exercere posset per se.

21 Sed quid dicendum de dominis titulationis habentibus facultatem eligendi ad hæc officia? Quidam doctus iunior, quem ego consului, reputat (licèt dubius) probabile, quòd si vendant ea, non tenentur pretium restituere, licèt peccent mortaliter, quia licèt non sint domini horum officiorum, at habent facultatem transferendi, siue dispensandi ea. Item quia licèt Episcopus non sit dominus beneficiorum, si tamen per simoniam mentalem recipiat pretium pro beneficio, non tenetur illud restituere; simonia enim mentalis iuxta communem non obligat restituere.

22 At dicendum omnino est teneri restituere pretium, nisi bona fide vendiderint, & transactum sit triennium, quo bona mobilia præscribuntur. Ratio, quia tenentur ex officio eligere, vt dixi de senatoribus, & Prætoribus, Et sic patet ex *ibi* dictis, & tenent quidam docti recentiores. Victoria *in quadam epistola*, quæ habetur typis excusa in fine libri de refugio animæ, quem composuit Zuñiga. Idem Salon 2. 2. *q. 63. art. 2. controuers. 8. fol.* 1052.

23 Ad illud de Episcopo conferente beneficium simoniacè mentaliter, dico, quòd ex vi simoniæ mentalis non inducitur obligatio restituendi: at tenebitur illud pretium restituere ratione iniustitiæ commissæ recipiendo pretium pro actu, quem tenebatur ex iustitia facere, tenebatur enim eligere ad illud beneficium, vt patet ex dictis de senatoribus.

24 Tandem quid dicendum sit de prouisionibus factis à Rege interueniente pretio dato mediatori, vt consequatur mihi officium iudicandi, vel altera sæcularia officia, quæ vendi non solent. Nauarr. *in extrauag. de datis, & promissis pro gratia, n. 45.* censet esse inualidas tales prouisiones, quia tacetur verum, quod retraheret Principem à concessione. idem Tello *l. 29. Taur. n. 13.* vbi ait, quòd accipiens quodcunque officium sæculare interueniente pretio, verè non facit suum officium, & tenetur salarium restituere. Et probatur ex *pragmatica 65.* quæ hodie est *lex 8. tit. 2. lib. 7. nouæ recopil.* cuius verba *suprà* retuli *in hoc eodem dubio, § Circa hoc dubium*, vbi expresè dicitur non valere prouisionem officij; interueniente pretio, vel precibus; & Azebedo *super ea l. 8. n. 6.* dicit obligare etiã in foro conscientiæ eam legem, & *n. 2. 3. 4. 5. 9.* dicit habere locum, etiamsi persona impetrans pretio, precibus, vel donis sit habilis, & digna. Et sic dicit strictius esse hoc, quàm in beneficiis, in quibus preces non impediunt, quin collatio sit valida. At dicit *n. 6.* illam legem non intelligi de officiis quæ dantur à Rege, sed de officiis, quæ per vota priuatorum, ciuitatum, vel villarum prouidentur, horum enim impetratio pretio, donis, vel precibus est nulla.

25 Cæterùm hoc valde rigidum est, nec lex ista est tanto rigore recepta; maximè, quòd Perez *lib 7 ordin. tit. 2. l. 22. fol.* 410. ponit ad pedem literæ verba illius pragmaticæ, vnde lex hæc desumpta est, & dicit intelligendam esse quãdo indigno, vel inhabili fieret prouisio precibus, vel pretio, quia initium illius pragmaticæ, vnde intentio finalis legis sumitur, id significat, dicit enim, *Porque muchos hombres inhabiles*, &c. idem tenuit Pater Doctor Henriquez Hispali, vbi ipse hanc resolutionem dictauit, aliàs infiniti orirentur scrupuli; quis enim non quærit fauorem, & preces ad hæc officia obtinenda. Sed iam post hæc vide pragmaticam editam de hac re à Philippo. I V. *anno 1616.* & an sit vsu recepta, qua irritantur eiusmodi collationes, quarum prouisio, vel præsentatio ad Regem spectat.

## DVBIVM XXXIX.

*An Prælati Ecclesiastici teneantur eligere digniorem ad hæc officia sæcularia, possintque illa vendere.*

1 NOta aliquos ex his Prælatis habere annexam iurisdictionem temporalem in aliqua oppida, & ex his aliqui habent supremam nulli subiectam, vt Archiepiscopus Moguntinus in Germania: alij non habent supremam, sed habent supra se Regem, vt Episcopus Palentinus, qui est Comes Perniæ. Insuper officia, quæ prouident hi Prælati, quædam sunt merè sæcularia, vt officia Prætorum, & tabellionum sæcularium, quæ spectant ad potestatem temporalem: alia verò sunt Ecclesiastica, vt officia Prouisoris. Fiscalis, Notarij, quæ, licèt videantur in se sæcularia, habent tamen quandam effigiem sacrorum, & Ecclesiasticorum, in quantum instituta sunt ad tegimen Ecclesiæ. Sit

2 Prima conclusio: si loquamur de officiis merè sæcularibus, Prælati habentes supremam potestatem temporalem, eodem modo possunt se habere circa eorum distributionem dignis, vel dignioribus, & circa venditionem eorum, sicut Reges in suo regno; quia hi sunt velut Reges: si verò non habent supremam potestatem temporalem, possunt se habere, sicut diximus de dominis titularibus; quia tales Prælati in tali iurisdictione temporali sunt sicut domini titulares, vt Comites, Duces, &c. Sic Salon 2. 2. *q. 63. artic. 2. post controuers. 9. in fine articuli fol.* 1071. Aragon *eodem artic. 2. concluf. vltima*, & quidam docti recentiores.

3 Secunda conclusio, quoad officia Ecclesiastica, Prælati non possunt ea vendere. Ratio, quia non habent dominium horum officiorum, sed sunt meri dispensatores, & tenentur eligere ad ea. Item quia sicut gratis acceperunt, gratis debent dare non tantùm spiritualia, sed etiam sæcularia, quæ ad spiritualium custodiam instituta sunt. Et hoc prohibitum est expresè iudici delegato, *c. statutum, de rescript in 6. § notarium, & § sequenti.* Et hoc prohibetur in Concilio prouinciali Toletano vltima, *actione 2. decreto 15.* & in Concilio prouinciali Compostellano *actione 5. decreto 24. & 25.* Sic Salon *ibi*, Aragon *ibi.* Soto *lib. 3. de iust. q. 6. art. 4. fine.* Garcia *part. 1. de contract. c. 28.* Ludou. Lopez *lib. 1. de contract. cap. 6.* & quidam docti iuniores.

4 An verò teneantur hæc officia dignioribus distribuere, Salon *ibi* dicit teneri eligere digniores ad huiusmodi officia quæ continent gubernationem, vt ad officium Prouisoris, & Fiscalis; ad reliqua verò munitiora sat esse eligere dignos.

5 Vltima tamen conclusio sit: non tenentur sub mortali; seruare

Universidad de Deusto
Biblioteca



seruare modum iustitiæ distributiuæ eligendo dignioresad hæc officia, sed sat est dignos eligere. Ratio, quia hæc officia non solent prouideri per suffragia, nec tenetur ad ea eligere ex eadem diœcesi: ergo non tenetur ex iustitia distributiua eligere digniores, sicut *suprà* diximus de officiis sæcularibus. Sic tenent quidam Thomistæ, vt refert *ibi* Salon. Idem aliqui docti recentiores.

## DVBIVM XL.

*An in honoribus exibendis cõmittatur acceptio personarum.*

1 SVpponendum est, quòd honores alij sunt externi tantùm, vt quando reuerentia, quam exhibemus, non proficiscitur ex æstimatione interna virtutis. Alij sunt, qui verè prodeunt ex interna æstimatione personæ, quæ honoratur, & hi sunt veri honores externi, & interni simul.

2 Secundò nota, quòd alij sunt honores publici, vt qui fiunt in congregationibus: alij sunt priuati, vt qui fiunt inter duos priuatim. His suppositis.

3 Dico primò: etsi honor sit reuerentia exhibita alicui ob suâ excellentiam, tamen id cui propriè, & singulariter honos debetur, est virtus. Sic D. Th. 2 2 *q.63. art.3.* & illud affert ex Aristot. 4. *Ethic. c.3.* quem omnes sequuntur.

4 Secundò dico, quòd non tantùm propter propriam virtutem potest quis honorari, sed etiam propter virtutem alterius, quem repræsentat, vt Prælati, & Principes honorantur, licèt sint mali, quia repræsentant personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur. Et parentes, & domini sunt honorandi, quia repræsentant dignitatem Dei, qui est omnium pater, & dominus. Senes etiam sunt honorandi, vt habetur *Leuitic.19.* propter signum virtutis, quod est senectus. Sic D. Thomas *ibi*, quem omnes sequuntur. Similiter honoramus illustres, quia repræsentant virtutes maiorum, ob quas sublimem conscendisse locum arbitramur.

5 Tertiò dico, quòd his omnibus honorem deferre, licèt in illis virtus absit, sed mali sint, nulla est acceptio personarum. Ratio, quia causa non deest honoris. Sic Soto *lib.3. de iust. q.6. art.6.* Aragon 2. 2. *q.63. art.3.* & *ibi* Salon *ante controuersiam primam, fol.*1074. D. Thom. 2.2. *q.63. art.3.* Alensis 2. *part. q.136. membro* 2. §. 4. & 5. Angelus *verbo Acceptio personarum, n.*8. vbi Sylu. *q.*8. Abulensis *c.22. Matth. q.*111. D. Anton. 2. *part. tit.*1. *c.*20 §. 3. Gabr. 4. *dist.*15. *q.*7. *art.3. dubio vltimo.*

6 Nota, quòd communiter Thomistæ (vt refert Salon) dicunt hoc intelligi de honore externo, & sic intelligunt D. Thomam, quia cùm honor sit præmium virtutis, vnusquisque eo modo, quo virtutem habet, est honorandus: at hæ personæ non habent veram virtutem, sed tantùm repræsentant illam; ergo. Item quia nullum iudicium verum internum possumus habere de his personis, vt internum honorem possimus eis exhibere.

7 Sed dicendum est D. Thom. loqui de vero honore, etiá interno; vt constat, quia eodem tenore loquitur in secunda conclusione, quæ loquitur in hoc casu, quo in prima, & tertia, in quibus constat loqui de vero honore interno. Item quia sicut verè adoramus imaginem, non quatenus pictura quædam materialis est, sed ratione rei in illa repræsentatæ, sic Prælatos, &c. malos verè honoramus honore etiam interno, non quatenus tales personæ materialiter sunt; sed quatenus ratione talis officij repræsentant virtutem Dei; honorantur verò honore debito virtuti. Vnde dicendum est deberi honorem virtuti non eo modo, quo quis eam habet tantùm, sed eo modo, quo quis eam habet, vel quo virtus repræsentata per ipsum honoranda est. Et licèt de his personis sumptis materialiter non possimus habere iudicium verum, quòd mereantur honorem, at illud habemus de iis, quatenus repræsentant virtutem. Sic Salon *suprà*, & quidam docti iuniores.

8 Quartò dico, quòd etiam diuites sunt honore digni, quatenus in republica habent altiorem statum. Hanc docent D. Thom. Abul. Gabr. Sotus, Syluest. D. Anton. qui etiam intelligendi sunt de honore interno: nam externus ratione ipsarum diuitiarum debetur, vt mox dicemus, Sic Salon. *ibi.*

9 Quintò dico, si diuites honorentur solùm ratione diuitiarum, est peccatum acceptionis personarum. Et sic intelligi debet D. Iacobus *in sua canonica, c.*2. vbi damnat hanc exhibitionem honoris, *Si introierit*, inquit, &c. Et ratio est, quia, teste Aristot. 1. *Ethic. c.*12. honorabile, & laudabile in hoc differunt, quòd honorabile est id, quod est bonum per se. quale est bonum honestum; laudabile verò, quod est bonum in ordine ad aliud, scilicet vtile: sed diuitiæ non sunt bonum honestum, sed vtile; ergo non sunt bonum honorabile, sed tantùm laudabile; ergo honorare aliquem propter diuitias est accipere non causam honoris, vt causam; ergo est acceptio personarum. Sic D. Thom. Soto, Aragon, Salon *controuers.*1. Sylu. Gabr. D. Anton. Abul. *ibidem*, Alensis *suprà.*§. 6. Ang. *verbo acceptio personarum, n.*9. Arm. *n.*4 Palacios *ibi.*

10 Nota hoc intelligi de reuerentia interna, quando scilicet simul cum honore externo concipit interiùs illum diuitem esse dignum eo honore propter diuitias: secus de honore solo externo, illum enim exhibere diuiti, vt ei assurgere, caput aperire, &c non est peccatum; immo est necessarium, aliàs haberetur quis ac inurbanus. Sic D. Aug. cuius dictum refert glosa. *super locum citatum D. Iacobi*, idem D. Thom. *quodlib.*10. *art.*12. Soto, Palacios, Salon, Aragon & quidam recentiores docti.

11 Secundò nota, esse intelligendum, quando exhibetur honos propter diuitias, vt distinguuntur contra omnem habitudinem ad virtutem, quia diuitiæ, vt adiuuant ad felicitatem, & vt reddunt homines potentes ad conseruationem pacis reipublicæ, & nutrendos alios ad virtutem, reddunt homines honorabiles, & ideo qui diuitem honorat, nil aliud cogitando, non peccat; quia intelligitur honorare potentiam, seu habitudinem ad virtutem. Sic Caiet. 1. 2. *q.63. art.3.* & quidam docti recentiores.

12 Tertiò nota, quòd hoc peccatum acceptionis personarum quod in hac honoratione contingit, est veniale, quia materia est leuis. Sic Palacios & Aragon *suprà.*

13 Quartò nota, certum esse habere locum acceptionem personarum in publicis honoribus deferendis (&, vt inquit Salon *dicta controuers.*1.) erit mortale, vel veniale, iuxta grauitatem materiæ, & iniuriam, quæ irrogatur alicui tollendo debitum honorem, vt in consessu publico, in congregatione aliqua senatorum, vel Capituli ecclesiastici, &c. Ratio, quia hi honores sunt debiti pro dignitate personarum; ergo si non detur tantus honor, quanta est dignitas personæ, vel si detur maior, est acceptio personarum. Et sic fatentur Doctores citati.

14 At dubium est in priuatis honoribus deferendis, cùm enim sint gratuiti, & acceptio personarum tantùm habeat locum in honoribus debitis, non videtur posse in his esse; & sic tenet Cajet. *suprà.* At verius est in his esse etiam. Ratio, quia etsi absolutè non teneamur honorare aliquem in particulari; at si volo honorare, debeo dare honorem condignum suo statui, vt non teneor recitare, at si recitem, teneor attentè. Ergo defectus in hoc, vel excessus, est acceptio personarum. Item quia, si quis honoris titulos Magnatibus debitos tribuat vulgaribus, facit iniuriam Magnatibus, faciendo honores illos communes, & sic non esse honores; ergo. Sic Salon, Aragon *suprà ad* 1. & quidam docti iuniores: sublit Aragon, & benè, quòd hoc non esset acceptio personarum in his gratuitis, at saltem alia via peccaret honorans diuitem ea sola ratione, qua dives est, quia non habet sufficientem causam honorem conferendi, sicut qui temerè, & sine causa bona sua largiretur; peccaret.

## DVBIVM XLI.

*An in iudiciis locum habeat acceptio personarum.*

1 SIt prima conclusio: In iudiciis potest interuenire acceptio personarum. Conclusio est certissima. Patet Prouerb. 18. *Accipere personam in iudicio non est bonum*, & *de reg. iuris in 6. regula* 12. dicitur, quòd in iudicio non est habenda acceptio personarum. Et ratione patet, quia iudicium est recta iudicatio, quia rei duntaxat causis circonspectis constituitur æqualitas: ergo quando non considerarur causa rei, sed quando propter personam, aut fauorem, &c. non constituitur æqualitas, & sic corrumpitur iudicium, est acceptio personarum, nam accipitur non causa, vt causa. Sic D. Thom. 2 2. *quæst.*93. *art.*4. & *ibi* Aragon, & Salon. Soto 3. *de iust. quæst.6. art.5.* Abul. *c.*21. *Matth. quæst.*112. Turrecrem. *cap. necesse* 3. *quæst.9. num.*1. & 2. Viguer. *de iustit. c.*5. §. 2. *vers.*2. D. Anton. 2. *p. tit.*1. *c.*20. §. *vltimo*, Arm. *verbo acceptio personarum, num.*7. Ang. *num.*3. & 7. Syluest. *quæst vltima.* Caiet. *in summa, eodem verbo.* Alens. 2. *part. q.*136. *memb.*2. §. 3. Gabr. 4. *dist.*15 *q.*7. *art.*3. *dub.*2. Vnde, vt bene dicit D. Thom. *ibi ad* 2. iudicium, si ad rem iudicatam spectemus, quandoque ad commutatiuam, quandoque verò ad distributiuam iustitiam pertinere; quia quandoque agitur in iudicio de re debita pertinente ad iustitiam distributiuam, quandoque verò de pertinente ad commutatiuam; si autem ad formam iudicij attendamus, pertinet ad distributiuam; quia forma iustitiæ distributiuæ consistit in hoc, quòd vnicuique detur secundùm suam dignitatem, & forma iudicij consistit in hoc, quòd vtrique parti attribuatur id, quod est illi proportionatum, siue id oriatur ex commutatione, siue ex distributione.

2 Conclusio posita certissima est, si loquamur de iis, quæ in ipso iure determinata pronuntur à iudicibus obseruanda; vt quòd suscipiant testes, vel faciant informationem, &c. si enim ex causa ad rem non pertinente, vt ex amicitia alterius partis, aut ex precibus, aut pretio relinquat iudex, est manifestus acceptor personarum. At dubium est de his, quæ relinquuntur in iure arbitrio iudicis, an in his sit locus acceptioni personarum: videtur enim non esse, cùm sint gratuita.

3 Nota quòd ea, quæ sunt in arbitrio iudicis, sunt in duplici differentia: alia sunt illi concessa in fauorem ipsius, vt quòd possint non audire causas in die festo. Et in his certum est non habere locum acceptionem personarum, sed habet iudex plenam potestatem, & potest, seclusa scandalo, audire causas amici in die festo, & non alterius, & similiter statim post prandium, &c. & patet, quia in gratuitis non habet locum acceptio personarum; at hæc sunt merè gratuita. Sic tenet tanquam certum Salon 2. 2. *q.63. art.4. controuers.*1. & quidam docti iuniores. Alia verò reliquuntur arbitrio iudicis, non in fauorem ipsius, sed in fauorem ipsarum causarum, quia leges non potuerunt decernere, & determinare omnes casus particulares, & ideo fuit necessarium, vt plura prudentiæ, & arbitrio iudicis relinquerentur, vt quòd coarctet, vel amplieat terminos probationum, &c.

4 Et de his sit secunda conclusio: in his habet locum acceptio personarum, vt si iudex tantùm propter amicitiam prorogaret terminum alicui, & alteri negaret. Ratio, quia hæc non sunt gratuita, nec committuntur liberæ voluntati iudicis, sed arbitrio prudentiali, & ratione regulato, vt prouideat, prout magis expedire videtur ad bonum publicum: ergo si in hoc deficiat absque debita causa accipit, non causam, vt causam, & sic est acceptor personarum. Item quia iudex est ipsa iustitia animata, & vsus ipsius potestatis est bonum quoddam publicum; ergo si inæqualiter se habeat ad partes absque iusta causa, est acceptor personarum. Sic tenent Salon, & Aragon *proximè citati.* Soto *de iustitia, quæst.6. art.*5. *ad* 3. licèt male, Salon ei tribuat sentire, Soto hoc tantùm esse verum, quando inde scandalum, aut damnum tertij oriretur, vel quando hoc venderet pretio. Sed verè Soto vniuersaliter tenet hanc conclusionem, sed principaliter, & apertiùs dicit tenere verum in his casibus: & sic Arag. refert Sotum pro hac sententia. Eandem tenent docti recentiores.



5 Tertia conclusio; si innocens opprimitur in iudicio in aliqua causa, & de eius innocentia esset certus iudex, potest, & debet iudex, circa scandalum tamen, in quantum poterit in eis, quæ eius arbitrio relinquuntur, illi fauere: secus esset, quando esset dubius. Ratio, quia tunc constat illi de eius innocentia, at non posset legis necessaria prætermittere, quia tenetur secundùm allegata iudicare. Sic iidem citati *in præcedent. conclusione.* subdunt tamen, & bene, Soto, & Aragon, quòd si in hoc casu, quo certus est de alterius innocentia, iura prætermiteret, licèt peccaret mortaliter, at non teneretur restituere, quia non auffert alteri, quòd suum est.

6 An verò iudex teneatur sequi opinionem, quam reputat probabiliorem; & idem de aliis priuatis, & de Medico: & an possit Confessor minus probabilem consulere, & an sit tutus, qui semper consulit eos, qui magis iuxta suam voluntatem respondent, nec acquieseit aliis peritis: & an circa sacramenta fas sit vti opinione probabili, latà dixi *lib.*1. *summæ, toto cap.*9. Hoc vnum tamen est hic addendum, quòd iudex, qui habet propositum, cæteris paribus, semper ferendi sententiam pro amicis, est regulariter in periculo peccandi mortaliter, sicut Episcopus, qui haberet propositum semper, cæteris paribus, conferendi beneficium consanguineis; quia cùm affectus facilè iudicium perturbet, sæpè imparia iudicabit ob talem effectum paria: si tamen habeat animum semper fauendi causæ magis iustæ; amicis verò, quando certò constiterit, paria iura illos habere, non est ita in periculo; quia illud propositum fauendi semper causæ magis iustæ, videtur satis purgare affectum. Sic Salon *d. art.*4. *controuers.*2. *fol.*1093. *vers. ex quo sequitur*, dicitque idem sentire viros graues.

7 Quarta conclusio: definire aliquam causam priusquam aliam antiquiorem, nisi iusta ratio id exigat, est acceptio personarum. Ratio, quia iudex ex iustitia distributiua debet definire causas priùs, vel posteriùs secundùm maiorem, vel minorem earum dignitatem: illæ verò quoad ordinem temporis digniores sunt, quæ sunt antiquiores, nisi iusta aliqua causa aliud exigat. Sic Salon *eodem art.*4. *controuers.*1. *prope finem.*

8 Quinta conclusio. Princeps si remittat vni pœnam, & non alteri, eodem crimine, & circunstantiis existentibus. Et similiter Prælatus, siue sæcularis, siue regularis dispensans cum vno, & non cum altero, vel relaxans pœnam, simili existente causa, est acceptor personarum. Ratio, quia vsus potestatis, quem habet Princeps, vel Prælatus, est bonum quoddam publicum ad bonum subditorum ordinatum; ergo ex iustitia distributiua tenetur illum applicare ad subditos secundùm dignitatem causæ vniuscuiusque, quod nisi fecerit, erit acceptor personarum. Sic Soto *suprà*, Aragon *dicto art.*4. *fol.* 331. *pag.*1. & latiùs de his dispensationibus *infrà dub.*43.

## DVBIVM XLII.

*An in tributis exigendis committatur acceptio personarum.*

1 SIt prima conclusio: licèt multiplici ex causa possit esse iniustum tributum, de quo *infrà*, vbi de tributis, & vectig. at nunc erit acceptio personarum, quando non seruatur debita proportio ad causam, pro qua imponuntur, & ad facultates, & possibilitatem eorum, quibus imponuntur. Patet, quia ad iustitiam distributiuam pertinet illa proportio, vt sicut honores publici sunt distribuendi proportionaliter, ita & onera publica tributorum debent distribui proportionaliter pro ratione facultatis, & substantiæ vniuscuiusque. Sic Aragon 2. 2. *q.63. art.*4 *fine.* Soto 3. *de iust. q.6. art.7. concluf.*2. & 3. & docti iuniores.

4 Secunda conclusio: non est acceptio personarum, sed est iustum aliquos eximere à tributis ex rationabili causa, vt nobiles, &c.

3 Vltima conclusio: in aliis etiam legibus ferendis potest

Universidad de Deusto
Biblioteca



potest contingere acceptio personarum, vt si Princeps sine iusta causa concedat legem in fauorem alicuius in aliorum notabile detrimentum, vt si statuat, quòd certum genus mercium necessarium reipublicæ non possit vendi nisi ab hoc, vel illo, secus si adesset iusta causa: vt si concederet alicui, qui suo labore, & industria inuenit merces illas, vt solet priuilegium authoribus librorum concedi, & nullus præter ipsos possit typis excudere. Sic Aragon *ibi*.

## DVBIVM XLIII.

*An in dispensationibus concedendis, vel negandis, contingere possit acceptio personarum.*

1 SIt prima conclusio: si pari causa existente, Prælatus cum vno dispenset, & non cum alio, est acceptor personarum hanc probaui *supra dub.* 41.

2 Secunda conclusio: si Prælatus dispenset cum aliquo absque iusta causa, est acceptor personarum; quia vsum suæ potestatis, qui bonum quoddam commune est, malè applicat, accipiendo non causam, vt causam. Sic Abul. *c.* 22. *Matth. q.* 117. D. Ant. 2. *p. tit.* 1. *c.* 20. § 2. *fine.*

3 Tertia conclusio: si in aliquo inuentantur omnes causæ iustæ ad dispensandum, & Prælatus nolit cum illo dispensare, peccat, sed non est personarum acceptor: quia personarum acceptio consistit in dando alicui præter suæ dignitatis proportionem, tunc verò nihil datur. Sic Abul. *ibi*, & quod peccet, tenet etiam glossa *cap. Domino* 50. *dist. vers. Necesse*, & *ibi* Turrecrem. *num.* 9.

4 Vltima conclusio: non est acceptio personarum; sed licitum est, facilius dispensare in matrimonio contrahendo cum diuitibus, & potentibus, quàm cum pauperibus. Ratio, quia dispensatio in matrimonio contrahendo ordinatur ad fœdus pacis firmandum, vt scilicet distantes vniantur: quod magis est inter potentes necessarium, vtpote qui magnas possunt excitare discordias, quas nequeunt pauperes. Probatur etiam ex Trid. *sess.* 24. *de matrimonio, cap.* 5 *fine*; vbi cauetur, ne dispensetur in secundo gradu ad matrimonium, nisi inter magnos Principes. Sic D. Thom 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 2. Abulens. *supra*. Syluest. *verb. Accepto personarum, quæst.* 5. D. Anton. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 20. § 3.

## DVBIVM XLIV.

*An peccet pater præferendo, seu meliorando filium indignũ, vel minus dignum in tertio, & quinto bonorum.*

1 DE filio indigno in dignitate facti, vt quia corruptis est moribus, sermo est in præsenti, non verò de indigno in dignitate iuris, vt de spuriis.

2 Quidam aiunt peccare minus dignum præferendo, probatur ex *Auth. de Monachis.* § *ordinationes, collat.* 1. & *cap. licet ergo, quæst.* 1. quæ iura tenent digniorem eligendum esse. Sic tenent Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat. not. ab.* 3 § 26. *in principio*, Lud. Gomez *c.* 2. *num.* 23. *de constit in* 6. Anton. Gomez *l.* 17. *Tauri, num.* 18. Gomez Arias *l.* 15. *Taur. n.* 90. Simancas *de primog. Hispan. lib.* 3. *c.* 3. Ioannes de Molina *in differentiis inter forum content. & animæ, differ.* 14. 5 & partim tenet hoc Molina *lib.* 2. *de primogent. cap.* 5. licèt enim *num.* 67. teneat non peccare meliorantem minus dignum: at *n.* 69. & 70. dicit, quòd peccet meliorans in tertio indignum, non autem in quinto: quia tertium necessariò est inter filios distribuendum non autem quintum, sed potest dari extraneo; ad idem videtur accedere quod docent Alensis 2. *p. q.* 836. *memb.* 2. *in principio*, Angel. *verbo acceptio personarum, num.* 4. Gabr. 4. *d.* 15. *q.* 7. *a.* 2. 3. *dub.* 1 *sub finem*. vbi dicunt posse Episcopum præferre in bonis consanguineum suum, modò sit bonus, vbi apertè videntur dicere malum, & indignum non posse præferri.

3 Cæterùm dicendum est nullam esse acceptionem personarum, nec culpam, si pater in successione hæreditatis filium minus dignum, vel indignum cæteris perferat. Ratio, quia hic non peccat contra iustitiam commutatiuam, vt patet, quia, nulla est ratio debiti; lex enim 18. Tauri permittit quemcunque filium meliorare: non contra distributiuam, quia hic non distribuuntur bona communia, horum enim pater est verus, & certus dominus, licèt habeat necessarios hæredes. Item quia in collatione gratuita, qualis est hæc, non potest habere locum acceptio personarum. Sic tenent Corduba, *summa, q.* 125. *vers. lo tercero*. Couar. *regula peccatum*, 2. *part.* §. 7. *num.* 7. Nauarr. *cap.* 18. *addit. ad n.* 36 *cap.* 26. Latina *cap.* 26. *n.* 37. Perez *lib* 5. *ordinam. tit.* 2. *leg.* 1 *fol.* 78. Segura *l. vnum ex familia.* § *sed si fundum, num.* 71. *ff. de leg.* 2. Cifuentes *l.* 18. *Tauri, num.* 6. Peralta *l. cum quidam ff. de leg.* 2. *num.* 18. Ad idem accedit Abulens. *cap.* 12. *Matth. quæst.* 115. vbi ait posse Episcopum in successionem bonorum patrimonialium præferre consanguineum, licèt malus sit. Hanc etiam sententiam tenet Spino, reprobans Molinam *speculo testamentorum, gloss.* 18. *a num* 8. *vsque ad* 14. Sarmient. 3 *select. super lege, cum quidam, num.* 6. *ff. de leg* 2.

4 Nota quòd si eligatur filius dignus à parente, vel alio domino bonorum ad maioratum per ipsum institutum, cui iurisdictio, seu administratio annexa est, vt si fiat maioratus de Ducatu, seu Comitatu, nulla est culpa, cùm inde nullus lædatur. Sic Molina *eo cap.* 5. *num.* 68. si verò eligatur indignus, est peccatum mortale, quia valdè læditur respublica: immo notat Molina *num.* 72. teneri damna reipublicæ subsequuta restituere.

5 At maius dubium est, quando non ipse dominus bonorum minus dignum præfert, sed alius, cui electio per testatorem commissa est.

6 Dico primò, talis ex commissione, quantumuis amplissima, non potest, iuxta Molinam *d. c.* 5. *n.* 71. meliorare indignum in dignitate facti; nec in tertio, nec in quinto. Colligitur tamen clarè ex ipso, quòd si melioret, non tenetur restituere, quia dicit *n.* 75. non peccare, nec teneri restituere indignum talem acceptantem meliorationem, vel primogenium, quia capax est, & *num.* 72. tantùm obligat restituere, quando maioratui iurisdictio, seu administratio adiuncta fuerit. At verius credo posse in foro conscientiæ eligere indignum, quando libera facultas commissa est, & non habet maioratus annexam administrationem: sicut de ipso domino, seu institutore diximus. Ratio, quia per talem liberam facultatem videtur transferre in electorem ius, & potestatem, quam ipse habebat: sed ipse poterat eligere indignum; ergo.

7 Secundò dico, quòd si libera facultas commissa est, potest dignum, prætermisso digniori, eligere tam ad bona patrimonialia, quibus administratio adiuncta non est, quã ad ea, quibus administratio adiuncta est. In prima parte concordat nobiscum Molina *eo cap.* 5. *num.* 69. quia inde nec respublica, nec alius quispiam lædi potest, & libera facultas, non rationi, nec arbitrio restricta, eligendi concessa est. Quoad secundam verò partem tenet contrarium *ibi* Molina, dicens, quòd si iurisdictio, vel administratio adiuncta est, vel sit maioratus, cui patronus ad præsentandum ad beneficia, seu officia sæcularia iurisdictionem habentia, seu collegarum, vel Magistrorum electio, vel aliquid simile competit, tenetur digniorem eligere; quia (inquit) quamuis institutori, qui verus est dominus, permittatur dignum eligere: id tamen electori, qui rerum, ad quarum successionem electio facienda est, dominium non habet, non permittitur. Sed probatur nostra sententia, quia per talem liberam facultatem transfert institutor omnem suam facultatem in talem electorem, sed ipse poterat eligere dignum, ergo.

8 Tertiò dico, quòd si electori non libera facultas, sed in eius arbitrium est relicta, tunc ad bona, quibus administratio reipublicæ coniuncta est, tenetur digniorem eligere; quia multum interest reipublicæ. Nec fundator omnem suam potestatem in illum transtulit, sed voluit, vt conformiter rationi eligeret, at valde rationi consentaneum est, vt ad rem tanti momenti eligatur dignior. Sic Molina *num.* 79. vbi idem dicit de electione ad reliqua bona patrimonialia. Sed de hoc latè, cùm de testamentis agemus.

9 An verò iussus à testatore distribuere aliqua bona inter consanguineos, vel inter pauperes, teneatur magis vinculo consanguinitatis cum testatore coniunctos, & magis pauperes præferre, vel satisfaciat, distribuendo inter verè consanguineos, vtrèque pauperes, dicemus *infra*, vbi de legatis.



*De restitutione violantium iustitiam distributiuam eligendo indignos vel minus dignos.*

## SVMMARIVM.

45. *An violans iustitiam distributiuam conferendo officia vel beneficia indignis ministris, omissis dignis, vel minus dignis, omissis dignioribus, teneatur restituere.*
46. *An quando beneficia, vel officia publica instituta primariò in bonum Ecclesiæ, vel communitatis, vt etiam cathedræ conferantur per oppositionẽ, proposito edicto, vt solet proponi, eligẽs indignũ teneatur restituere digno & eligens minus dignum, teneatur digniori restituere.*
47. *An quoties indignus eligitur ad officium, vel beneficium, & iam ipsi collatum est, casu quo collatio tenuit, teneatur superior talem collationem irritare.*
48. *An peccet, & teneatur restituere, quando plures se opponũt cathedræ, vel beneficio, is qui nouit se minus dignũ esse, ac procurat, vt sibi detur beneficium, vel cathedra.*
49. *An impediens alium à beneficij, vel officij, vel cuiusuis doni consecutione, vt legati, &c. teneatur restituere.*
50. *An casu, quo impediens tenetur restituere, teneatur restituere in solidum.*
51. *An casu, quo non tenetur quis integrè restituere, sed partem, quia scilicet res non erat debita, at intercessit vis, vel dolus in impediendo, vnde quantitas illius restitutionis sit à viro prudenti attendenda ad hoc, vt sit maior, vel minor.*
52. *An scholasticus, qui caret aliquo requisito secundum statuta ad suffragandum, & nihilominus præstat suffragium, & si quis est causa, quòd aliquis amittat cathedram, teneatur ei restituere tanquam iniustus, & non verus electo.*
53. *An scholasticus, qui patitur defectum aliquem ad suffragandum secundum statuta vniuersitatis, peccet mortaliter suffragium præstando.*
54. *Circa intelligentiam capitis 6. Concilij Trid. sess.* 25. *de regularibus, de electione superiorum regularium.*
55. *An regulares sacris non initiati prohibeantur habere vocem in Capitulo per caput* 4. *Concil. Trident. de reformat. sess.* 22.
56. *An is, cui committitur facultas vnum de pluribus eligendi ad rem aliquam pretio æstimabilem, possit pro alicuius ex illis electione pretium aliquod recipere.*
57. *An qui recipit gradũ aliquem baccalaureatus, licẽciati, vel doctoratus, cũ sit minus sufficiẽs, peccet mortaliter.*

## DVBIVM XLV.

*An violans iustitiam distributiuam conferendo officia vel beneficia indignis ministris, omissis dignis, vel minus dignis, omissis dignioribus, teneatur restituere.*

1 HIc non est sermo, quando hæc dantur per concursum, seu oppositionem, nam de hoc dubio sequenti erit sermo, sed quando sine oppositione dantur.

2 Oportet supponere ex dictis *supra dub.* 2. *fundamento* 1. & 2. quòd bona communia, quæ in republica distribuuntur, sunt in duplici differentia: quædam instituta sunt principaliter, & immediatè in bonum, & vtilitatem particularem ipsorum ciuium, vt si in hoc oppido esset pecunia in ærario publico singulis annis distribuenda ciuibus secundùm eorum indigentiam & dignitatem: quædam verò sunt principaliter, & immediatè instituta pro ministerio, & bono communi: vt beneficia Ecclesiastica in Ecclesia, & officia publica in republica sæculari primariò, & principaliter instituta sunt in vtilitatem Ecclesiæ, & reipublicæ, vt stipendia habeat quibus idoneos ministros comparet, licèt secundariò, & minus principaliter, vt præmia illorum, qui benemeriti sunt, vt *ibi* probaui, & vt *ibi* intuli, distribuens bona communia huius secundi generis, tenetur ex iustitia commutatiua eligere ministros dignos, & idoneos, faciendo scilicet, æqualitatem inter stipendium, quod confert Ecclesia, vel respublica, & ministrum, quem ei præficit, at ex iustitia distributiua tenetur attendere merita eorum inter quos fit electio, vt scilicet inter eos digniorem eligat.

3 Hac in re aliqua sunt ferè certa. Primò ferè certum est, quòd violans iustitiam distributiuam in bonis communibus primi generis, quæ scilicet instituta sunt propter bonum, & vtilitatem particularem principaliter, tenetur restituere digno, vel digniori prætermisso. Ratio, quia distributor talis tenetur ex officio, & per consequens ex iustitia cõmutatiua fideliter ea bona in vtilitatem ciuiũ distribuere, & vnicuiq; secundùm sua merita. Ergo si in hoc deficiat, tenetur illis ipsis restituere. Hoc est contra quendam Geraldum Ordonum citatum ab Adriano dicentem, nunquam violationẽ iustitiæ distributiuæ inducere obligationem restituendi. At oppositum est tenendũ, vt dixi. Et dicit esse certum Arag. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. circa solutionem D. Thom. *ad* 4 *fol.* 201. *pag.* 1. & tenent etiam Doctores secundæ sententiæ mox proponendæ: nempe Nauarr. *in omnibus summis, c.* 17. *n.* 72. Cou. *reg. peccatum*, 2 *p.* § 7. *n.* 6. Sot. *lib* 4. *de iust. q.* 6. *art.* 1. *ad vltim. & ar.* 4. *ad* 6. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 9. *fol.* 153 *pag.* 1. & docti recentiores.

4 Secundò est certum, quòd eligens indignum ad officia publica, vel beneficia principaliter instituta in fauorẽ Ecclesiæ vel reipublicæ, tenetur omnia damna illata Ecclesiæ, vel reipublicæ, seu eius membris restituere, quæ scilicet ex mala administratione sequuntur, v. g. qui eligit eum, qui non habet requisita, sine quibus officium, vel beneficium administrari nequit conuenienter, tenetur damna resarcire, quæ sequuntur ex mala administratione, v. g. (inquit Rebuff. *praxi beneficiali, c. pœna contra collatores indignis, n.* 8. & 9. si quis elegisset indignum, vel ipsi contulisset beneficium, ob quod Ecclesia succũbit in lite, & aliàs non succubuisset, aut aliud detrimẽtum passa est, aliàs illud non passura, tenetur talis electo, vel collator resarcire Ecclesiæ damnum illud. Sic tenent omnes Doctores citandi. Et patet ex dictis, quia est causa illorum damnorum per iniustitiam: immo peccat contra iustitiam commutatiuam in ordine ad Ecclesiam, vel rempublicam, vt probaui *sup. dub.* 2. Insuper hic eligens indignum tenetur stipendium Ecclesiæ restituere, nempe prouidendo suis stipendiis de altero ministro digno: vt optimè Ledesm. citatus, & Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *n.* 132. 133. Arag. 2. 2. *q* 62. *art.* 2. *circa solutionem ad* 4. *fol.* 201. 202. immo ipse electus indignus acceptans beneficium, tenetur damna, & stipendium restituere: nempe fructus beneficij. De damnis patet, quia est causa illorum acceptando munus ad quod omnino ineptus est, vt si Ad. uocatus ignorans patrocinaretur, tenetur damna clientulo sequuta resarcire. De stipendio patet, quia nec præstant opus, ob quod stipendium datur, nec facere illud possunt, cùm careant requisitis ad illius operis executionem. Sic Aragon, & Nauarra *ibi*.

5 Nota, quòd etiam patronus præsentans indignum, & Episcopus confirmans tenetur ad dictam restitutionem, quia sunt causa eiusdem damni. Sic Mercado *lib.* 6. *de cõtract. c.* 17. vbi etiam bene addit resignantem in fauorem indigni teneri restituere; & expressè colligitur ex Soto 3. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *sub finem, vers. Alterum dubium*. & ex Nauarr. *miscellaneo* 43. vbi dicunt, quòd verè est causa iniustæ collationis, & ex Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*controuers.3.fol.*1017.vbi dicit, quod peccat contra iustitiam commutatiuam, quia eo ipso, quòd est beneficiatius, tenebatur consulere Ecclesiæ,

6 Maius autem dubium est, an electio indigni ad beneficium sit ipso iure nulla, Nauarr. *d.c.*2.*n.*154. *fol.*99. dicit esse nullam in vtroque foro, & sic talem indignum, cui collatum est beneficium, teneri resignare; quia neque etiam Papa est dominus beneficiorum, sed dispensator, at collatio facta indigno, non est dispensatio, sed dissipatio.

7 Alij verò dicunt nec esse nullam, nec annullandam, nisi talis indignus irregularis sit, sic gloss. *c. graue, de præbendis, versic. suspendatur.*

8 Alij verò dicunt non esse nullam, quia nullo textu id probatur, sed esse per superiorem annullandã; sic enim colligitur ex *c. nonnulli de cleric. non resid.* & expressè habetur in Trident. *sess.*7.*c.*3. *de reformat.* Sic docent Arag. 2.2. *quæst.*63. *art.*2. *fol.*309. *pag.*2. Butrio *c. graue, de præb. num.*24.

9 At dicendum est; quòd aut sunt indigni ea dignitate, quæ reddat collationem beneficij ipso iure nullam, vt si sunt excommunicati, suspensi, irregulares, carent ætate, aut scientia requisita, vt collatio sit valida, & tunc collatio est nulla, aut non est talis indignitas, at est magna indignitas, & tunc collatio est valida: at debet remoueri per superiorem, vt benè Butr. & Arag. *citati*, Sic Pan. *eo c. graue, n.*11. vnde bene dicit Nau. *c.*25. in sũma Lat. *n.*133. nõ debere absolui, qui non est idoneus ad beneficium, quod obtinet, si non apponit curam, vt fiat idoneus. Ecce quomodo non ponit collationem esse nullam, sed annullandam, ni fiat idoneus; & de hoc latius *infra dub.*46.

10 Tertiò est ferè certum, quòd eligens ad beneficia, & officia publica dignum omisso digniori, nihil reipublicæ, vel Ecclesiæ tenetur restituere; quia cum inter ministrum dignum, & stipendium, ac officium, ad quod eligitur, sit æqualitas, non peccat contra iustitiam commutatiuam, nec aliqua resultat inæqualitas, quæ per restitutionem sit reparanda. Quòd si dicas, iste ex officio tenebatur eligere digniorem, etiam in ordine ad bonũ commune: sed officium obligat ex iustitia commutatiua; ergo non eligens digniorem, violat commutatiuam, & sic tenetur communitati restituere. Respondetur negando propriè peccare contra officium, quia propriè ex officio tantùm obligatur prouidere bono publico, præficiendo ei ministros dignos, sed tantùm peccat contra fidelitatem officij. Hoc dixi esse ferè certum, & non dixi esse certum, quia Salon. 2.2.*q.*63. *art.* 4. *controuers.* 3. *fol.* 1115. dicit etiam teneri Ecclesiæ restituere conferentem beneficia minus digno. Sed nostrum dictum esse certum asserunt Aragon. 2.2.*q.*62. *art.*2. circa solutionem D. Thomæ *ad* 2. *fol.*202. Soto 4. *de iust. q.*6. *art.*3. *ad* 6. & docti quidam iuniores dixerunt esse certissimum.

11 Grauis verò difficultas in hoc versatur, an conferens beneficia instituta primariò in vtilitatem Ecclesiæ dignis prætermisso digniori, teneatur restituere digniori prætermisso, & similiter eligens indignum, teneatur restituere digno prætermisso, vel sat est restituere Ecclesiæ, vel communitati.

Duplex est sententia.

12 Prima, & satis probabilis, ait teneri restituere digniori, quando eligit minus dignum, & quando eligit indignum, non satisfacere restituendo Ecclesiæ, vel reipublicæ damna, sed vltra teneri restituere ipsi digno omisso. Probatur, quia ex Ecclesiæ, & fundatorum ordine, sunt hæc beneficia dignioribus conferenda: ergo conferens minus digno tenetur restituere. Secundò, quia hic peccat contra iustitiam distributiuam in ordine ad digniorem: ergo aliquam facit inæqualitatem; ergo ea per restitutionem est reparanda. Sic tenent Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.*2. §. *Ad confirmationem dicitur*; & *in summa verbo acceptio personarum*, Palacios *verbo restitutio, c.*9. §.3. Mena *lib.*1. *summæ, c.*14. §.32. *fol.*165. *pag.*2. Nauarr. *lib.*2. *de rest. c.*2. *à n.*144. Aragon. 2. 2. *q.*62. *art.*2. circa solutionem D. Thom. *ad* 4 *fol.*205. 206. Salon. *eodem art.*2. *controuers.* 25 *fol.*722. & *q.*63. *art.*4. *controuers.*3. *fol.* 1115. Ludou. Lopez 1. *p. instruct. noui, c.*127. Sylu. *restitutio*, 3. *q.*22. *dict.* 2. Palud. 4. *dist.*15. *q.*2. *art.*2. *concluſ.*4. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.*12. §.20. fauétque huic sententiæ D. Thom. 2.2. *q.*61. *art.* 1. *ad* 3. vbi videtur eam supponere, & *art.*2. *ad* 4.

13 Nota quòd Nauarra *ibidem* dicit etiam ipsum dignum electum restituere teneri beneficium digniori omisso. Et idem de officio publico, immo, & fructus quos percepisset ex tempore, quo exclusus est. At Ludou. Lopez *ibidem* dicit contrarium in officiis publicis, de quibus ait, quòd Princeps ea conferens minus dignis, modò digni sint, non tenetur restituere; quia est huiusmodi officiorum dominus.

14. Secundò nota, quòd Aragon *ibidem fol.*208. dicit etiam Papam conferentem beneficium minus digno, teneri restituere digniori; quia Papa non est dominus beneficiorum. Secus in Principe conferente officia sæcularia minus digno, quia est dominus. Et *eodem fol.* 208. *pag.*2. *versic. Ad tertium*, dicit conferentem minus digno non teneri restituere digniori illud beneficium, quia cùm ea collatio fuerit valida, non potest iam illud beneficium auferre, & dare digniori; sed tenetur arbitrio prudentis aliquam facere compensationem, vel aliud beneficium ei conferre.

15 Secunda sententia probabilior, docet eligentem minus dignum, nil teneri restituere Ecclesiæ, vel digniori omisso, & sic nulli teneri restituere, eligentem etiam indignum nil teneri restituere digno omisso, sed tantùm Ecclesiæ, vel communitati, vt diximus. Ratio est, quia cùm sint instituta principaliter in fauorem Ecclesiæ, vel reipublicæ, præcipuum quod in eorum distributione attendi debet, est ne Ecclesia, vel respublica afficiatur iniuria accipiendo minus idoneos ministros, quàm pro ratione stipendij esse debent: minus autem principaliter, & secundariò attenditur ratio iustitiæ distributiuæ postulantis dignores præferri. Et licèt verum sit, quòd violatio iustitiæ distributiuæ inducit obligationem restituendi, id locum habet quando illius principaliter habetur ratio, vt in exemplo posito in primo certo: secus quando tantùm secundariò, & minus principaliter. Et confirmatur, quia si quis iubeat œconomo, vt conducat meliores artifices, quos inuenerit, ad opus construendum, & ipse conducat bonos, ac sufficientes, omissis melioribus, nihil his restituere tenetur; quia tantùm peccat peccato infidelitatis in ordine ad dominum: nec etiam domino, quia dignos, ac sufficientes præficit ministros, æqualésque stipendio pet dominum constituto. Et si in sufficientes elegisset, non sufficientibus omissis, sed domino restituere teneretur; quia illi soli facta est iniuria: ergo similiter in nostro casu. Item quia vbi non est debitum legale, nulla est restitutio, at respectu dignioris omissi nullum est debitum legale, quia non habet ius in re, vt patet, nec ad rem, quia non potest petere coram iudice. Item quia violatio iustitiæ distributiuæ non obligat ad restitutionem ex vi solius iustitiæ distributiuæ; sed tunc tantùm, quando admiscetur iustitia commutatiua, & illi tantùm facienda est restitutio, erga quem distributor violat iustitiam commutatiuam. Vnde quia in his bonis quæ instituta sunt in bonum Ecclesiæ, vel reipublicæ principaliter, eligens indignum, tantùm violat iustitiam commutatiuam in ordine ad communitatem, tantùm illi tenetur restituere: eligens verò dignum, nullo modo violat commutatiuam, nulli tenetur restituere. Hanc tenent Couarr. *regula peccatum*, 2. *p.* §.7. *num.*6. Nauarr. *in omnibus summis, c.*17. *num.*69. 70. 71. 72. 74. Perez *lib.*1. *ordinat.*6. *fol.*257. Molina *lib.*2. *de primogenit. cap.*5. *numer.*57. Padilla *l. cium quidam, n.*18. *ff. de legat.*2. Adrian. 4. *mat. de rest. q. Quia iam determinatũ est. conclus.*1. *fol.*135. *pag.*1. Mercad. *lib.*6. *de contract. c.*17. *fol.*108. *pag.*2. Ledesm. 2. 4. *quæst.*18.



*q.*18. *art.*2. *dub.*9. *fol.*253. *pag.*1. Soto 4. *de iust. q.*6. *art.*3. *ad* 6. Angles *floribus* 2. *p. mat. de Clericis restitutioni obnoxiis, fol.*206. Nauarr. sibi contrarius *lib.*2. *de rest. c.*2. *num.* 177. *fol.*107. & docti iuniores, inter quos Henriquez *in suis manuscriptis*. Et hanc dicunt probabilem Aragon. 2. 2. *q.*63. *art.*2. circa solutionem D. Thom. *ad* 4. *fol.* 204. & Salon. *q.*63. *art.*3. *controuers.*3. *fol.*1102.

16 Nota tamen, quòd licèt in rigore non teneatur Prælatus restituere digniori omisso, vel digno, at æquitas & ratio postulat ob violatam iustitiam distributiuam, vt vbi alia electio occurrerit, habeat maiorem curam illius dignioris, vel digni prætermissi, & cæteris paribus debeat illi fauere. Sic Soto, & Ledesm. *ibi*, Molina *ibi n.*58. & quidam docti iuniores.

18. Ad argumenta primæ sententiæ patet ex dictis; illa enim procedunt, quando institutio illa esset in fauorem electorum, & in hoc etiam casu loquitur D. Thom. Et in hoc solo casu violatur propriè, & per se iustitia distributiua admixta commutatiuæ, quæ sola obligat restituere.

## DVBIVM XLVI.

*An quando beneficia, vel officia publica instituta primario in bonum Ecclesiæ, vel communitatis, vt etiam cathedræ, conferuntur per oppositionem proposito edicto, vt solet proponi, eligens indignum teneatur digno restituere, & eligens minus dignum, teneatur digniori restituere.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit non teneri restituere. Et probat eisdem fundamentis, quibus probata est secunda sententia dubij præcedentis. Et hæc sententia est probabilis, eam tenent Soto *lib.*4. *de iust.q.*6. *art.*3. *sub finem*, Ledesm. 2.4. *q.*18. *art.*2. *dub. vltimo.* Nauarr. *c.*17. *in omnibus summis. n.*74. & quidam iuniores docti inter quos Henriquez *in suis manuscriptis.*

2 Secunda sententia probabilior dicit teneri restituere etiam digno prætermisso, quando indignum eligit, & quando eligit minus dignum, teneri digniori restituere. Probatur, quia ex edicti propositione quidam contractus vltro, citróque obligationis consurgit inter dignioretm, & electores, & sic si non eligatur dignior, violatur contractus, ac consequenter iustitia commutatiua. Secundò, quia eo ipso, quòd quis petit oppositionem, & admissus est in oppositorum numerum, iam habet ius ad rem, ita vt illi iniuria, & iniustitia fiat, si cùm ille dignior sit, non eligatur: sicut in re temporali cùm præmia communia proponuntur iis, qui volunt venire ad certamen, meliori ex mera iustitia debentur. Tertiò, quia aliquod ius iustitiæ habet dignior ad illud beneficium, vel cathedram, quæ per oppositionem obtinetur, quod non habent alij, qui non sunt oppositores: quòd si non est ius in re, saltem est ius ad rem; ergo qui hoc iure priuat iniustè, tenetur restituere. Sic tenet dicens esse certissimum Aragon. 2. 2. *q.*62. *art.*2. circa solutionem D. Thom. *ad* 4. *fol.*205. Nau. *lib.*2. *de rest. c.*2. *n.*160. 161. 162. *fol.* 102. & *n.* 178. 179. *fol.*107. 108. Metina *lib.*1. *summæ, c.* 14. §.32. *fol.*165 *p.*2. Ludou. Lopez 1. *p. instruct. noui, c.*127. Salon. 2. 2. *q.*63. *art.* 4. *fine. fol.*1125. Molina *lib.*2. *de primog. c.*5. *n.*57.

3 Immo addit Nauarra *eo c.*2. *n.* 162. quòd in conscientia non est valida collatio minus digno facta, sed tenebitur is, qui manifestè minus dignus est, dimittere. Sed hoc est valde rigidum, & ita oppositum credo, & patet ex supradictis, vbi probaui collationem digno factam in vtroque foro esse validam.

4 Nota primò authores vtriusque sententiæ conuenire in hoc, quòd eligens minus dignum, quando est oppositio, peccat mortaliter, quod latius dixi *suprà dub.* 2. *limitatione* 2. 2. *sententiæ, in* 3. *exceptione illius limitationis.*

5 Secundò nota, limitandam esse hanc secundam sententiam, nisi excessus inter personas sit exiguus, tunc enim eligens minus dignum non tenetur restituere, nec peccat mortaliter, etiamsi interueniat iuramentum de digniori eligendo, vt dixi *eodem dub.*2. *limitatione* 1. 2. *sententiæ*, & ibi explicui, quomodo hic paruus excessus sumendus sit.

6 Tertiò nota, quod in oppositionibus ad collegia credo esse certum, quòd eligens minus dignum, nisi sit statutum fundatoris, vt possint Collegiales eligere dignum, vel digniorem, tenetur restituere; & ipse etiam electus non potest retinere. Ratio, quia ea collegia, vt præmia principaliter instituta sunt studentium, siquidem Collegiales ad nullum ministerium eliguntur, at malè distribuens bona communia instituta primariò in præmia, tenetur secundùm omnes restituere, vt dixi *dubio precedẽti.*

7 Tandem, quia dixi primam sententiam esse probabilem, oportet ad argumenta secundæ, quæ nimium vrgent, respondere. Ad primum dico, quòd per edicta consurgit contractus secundùm leges iustitiæ distributiuæ, hoc est, initur contractus iustitiæ commutatiuæ, vt inter oppositores sit alicui danda præbenda, & sic si aliis darent electores, tenerentur restituere: at inter ipsos oppositores tantùm intelligitur contractus secundùm leges iustitiæ distributiuæ, vt scilicet ex hac iustitia teneantur dare digniori, quia adhuc stante edicto cathedræ illæ, vel præbendæ non institutæ sunt principaliter, vt præmia eligendorum, sed propter bonum Ecclesiæ, vel vniuersitatis: at violatio iustitiæ distributiuæ in hoc casu non obligat restituere, iuxta dicta *dub. præced.*

8 Ad secundum, & tertium dico quòd respectu non oppositorum habet ius ad rem, ita vt ex iustitia commutatiua solis oppositoribus sit danda præbenda: at respectu aliorum oppositorum tantùm habet dignior ius iustitiæ distributiuæ, nec est simile, quod adducitur in secundo argumento, quia illa sunt instituta principaliter, vt præmia ipsorum oppositorum.

## DVBIVM XLVII.

*An quoties indignus eligitur ad officium, vel beneficium, & iam ipsi collatum est, casu quo collatio tenuit, teneatur superior talem collationem irritare.*

1 ET videtur teneri, quia expressè Trid. *sess.*7. *cap.*3. *de reformat.* iubet, vt irritetur, & Doctores id asserentes retuli *suprà dub.*45.

2 Respondetur, quod curatus, vel Episcopus insufficiẽs, & indignus non tenetur relinquere curatum, vel Episcopatum, sed sat est, si suis expensis habeat coadiutorem supplentem defectum suum. Patet ex Trid. *sess.*21. *c.*6. *de reformat.* vbi præcipitur Episcopo, vt det coadiutorem curato insufficienti, & illiterato, si bonæ vitæ sit expensis talis curati: si autem turpiter, & scandalosè viuat, postquã præmonitus fuerit, coërceat, ac castiget, & si adhuc incorrigibilis in sua nequitia perseueret, eum à beneficio iuxta sacrorum canonum constitutiones priuet. Vnde ante hanc incorrigibilitatem non tenebitur Episcopus irritare talem electionem: & licèt idem Trid *sess.*7. *c.*3. *de reformat.* videatur velle quòd irritet Episcopus, at postea id moderatur *d. sess.*25. *c.*6. sic nõnulli recentiores Theologi.

3 Vnde fit, quod etiam eligens indignum, & qui est causa talis electionis, satisfaciet, si suis expensis prouideat Ecclesiæ de ministro, & coadiutore digno, si ipse indignus, qui principaliter ad hoc tenetur, non ponat suis expensis coadiutorem. Sic præter dictos iuniores tenent Soto 4. *de iust. q.*6. *art.*3. *ad* 6. *concluſ.*1. Aragon. 2.2. *q.*62. *art.*2. circa solutionem D. Thom. *ad* 4. *fol.*201. 202.

4 Nota, quod in cathedris. quando eligitur indignus, si posset supplere defectum suum adhibendo substitutum suis expensis, sat esset: sed quia hoc communiter non potest fieri, si electus esset omnino indignus: non video quomodo posset sufficienter satisfacere, nisi relinquendo cathedram. Quia præcipuum damnum, quod hic debet attendi, non est stipendij, quod iniustè comparat, sed damnum scholasticorum vniuersitatis, quod tanto erit maius, quanto scientia fuerit magis necessaria, & ipse magis insufficiens: sed rarò contingit electum tam indignũ esse,

Universidad de Deusto
Biblioteca



esse, vt non possit aliquid vtilitatis afferre saltem alienis scriptis adiutus, & sic mereri partem stipendij, & reliquum poterit supplere per coadiutorem. Sic docti recentiores.

## DVBIVM XLVIII.

*An peccet, & teneatur restituere, quando plures se opponunt cathedris, vel beneficio, is, qui nouit se minus indignum esse, ac procurat, vt sibi detur beneficium, vel cathedra.*

1 PRimò dico, quoad restitutionem idem dicendum est, quod dicemus *dubio sequenti* de impediente digniorem, vt detur beneficium digno; qui enim in eo casu tenent talem impedientem teneri restituere, dicunt etiã in hoc teneri, quando aduertit per hoc impediri digniorem, & nihilominus, hoc non obstante, procurat sibi dari. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. & *ibi* Salon. *controu.* 25. *fol.* 725. Ludou. Lopez 1. *p. instr. noui c.* 128. *fine.* Qui verò tenent impedientem sine vi, & fraude digniorem, vt detur digno, non teneri restituere, dicunt idem in hoc casu, quia eadem est ratio. Sic Sotus, Ledesm. & alij, vt *dubio sequenti* referam, & *ibi* quid sit tenendum statuam.

2 Principalis autem difficultas est, an hic, qui nouit se minus dignum, prætendens beneficium peccet; quod in vtraque sententia locum habet, nam & qui dicunt teneri, & qui dicunt non teneri restituere procurantem, vt detur minus digno beneficium, fatentur peccare.

3 Secundò dico, quòd communiter excusantur oppositores à peccato, quia communiter nullus reputat se minus dignum, sed potest bona fide existimare, quòd si alius excedit in vno, ipse excedit illum in alio. Sic Salon *ibi*, & docti iuniores.

4 Tertiò dico, quando ille scit se esse minus dignum, & aduertit certò digniorem esse impediendum propter suam oppositionem, vel rationabiliter dubitat de hoc, peccat etiam si sciat se esse dignum, & quidem mortaliter, quando est mortale conferre beneficium minus digno. & venialiter, quando id est veniale, iuxta dicta *suprà dub.* 2. quia tunc est causa iniquæ distributionis. Sed si non credat se impedire digniores, nec rationabiliter de hoc dubitat, non peccat petendo beneficium, vel cathedram, maximè, quod potest sæpè contingere, quòd superior sanctè det beneficium minus digno, propter aliquas circunstantias particulares tunc occurrentes efficientes, vt dignior pro tunc sit postponendus. Sic Caiet. *summa verbo beneficium, c.* 1. *ante* §. *beneficium autem*, & docti recentiores.

## DVBIVM XLIX.

*An impediens alium à beneficij, vel officij, vel cuiusuis doni consequutione, vt legati, &c. teneatur restituere.*

1 HAc in re supponendum est, quòd dupliciter potest contingere iniustitia in hac impeditione, scilicet vel ex parte rei, à cuius assequutione aliquis impeditur, vel tantùm ex parte modi: ex parte rei est, cùm quis habet ius in re, vel ad rem. Ius in re, siue ius perfectum dicitur, cùm quis vel rem pacificè possidebat, vel illi erat debita perfectè per dispositionem inter viuos, vel per vltimam voluntatem, vel per collationem; cõfirmationem, vel alium similem modum, vt haberet ius in ea re, sicut sua. Ius autem ad rem, siue imperfectum, dicitur, cùm aliqua actio ei competebat, seu officium iudicis ad eam petendam per promissionem, electionem, præsentationem, oppositionem, concursum, &c. Cùm enim vtroque casu iure suo quis priuetur, iniustitia contrahitur ex parte rei impeditæ: ex parte verò modi tantùm contingit iniustitia, quando impeditus non habebat ius in re, nec ad rem: at modus, quo impeditur, est iustitiæ contrarius, quia scilicet intercedit vis, vel dolus, id est, vi, vel fraudibus à consequutione impeditur. Hæc Nauarra *lib.* 3. *de rest. c.* 5. *num.* 2. 3. 12. Nauarr. *summa cap.* 17. Latina, & Hispana *num.* 69. & fatentur omnes, vt constabit ex dicendis.

2 Nota, quòd fraus reputatur, cum interuenit mendacium, v. g. cùm quis mentiens me esse mortuum, aut non esse eius consanguineum, aut esse spurium, aut ignarum, aut malum, impediret ne obtinerem beneficium, vel ne mihi aliquid legaretur, diceretur fraudibus impedire. Vt benè Nau. *in omnibus summis, c.* 17. *n.* 73. & Metina *lib.* 1. *summæ c.* 14. §. 31 *fol.* 164. & ponit etiam exemplum *ibi*, vt si testatori volenti aliquid legare Ioanni, ego dicerem Ioannem non esse tam bonis moribus prædirum, sicut ipse testator putabat. Et Nauarr. *n.* 12. & omnes citandi dicunt has fraudes esse, quando interueniunt mendacia. Similiter erit vis, quando iam aliquis morti vicinus volebat sua bona Petro relinquere, & propter clamores, & lachrymas suorum tædio affectus, id non præstat. Sic Metina *ibi*, Nauarr. *ibi n.* 12. Mercado *lib.* 6. *de contract. c.* 17. §. *Iosque*, & quidam docti iuniores: & à fortiori hoc dicent, qui aiunt preces importunas inferre vim.

3 Immo & preces importunas inferre hanc vim, dicit Gut. *q. canon. c.* 37. *n.* 20. & Corduba *summa, q.* 100. & multi alij, de quo dixi *lib.* 4 *de matrim. disp.* 10. *n.* 8. & *disp.* 7. *n.* 8. vbi dixi, quando hoc sit verum.

4 At dubium est, an mala intentio, seu animus nocendi annumeranda sit inter hos modos iustitiæ contrarios: ita vt si nulla alia iniustitiæ ratio inueniatur in actu damnificante exteriùs, præterquam animus nocẽdi, sit talis animus sufficiens ratio ad reddendum actum contrarium iustitiæ, & obligandum ad restitutionem; id est, an sit dabilis casus, in quo cùm sic præuisus secluso animo nocendi, non teneretur restituere, teneatur verò eo, quòd animum nocendi habuerit.

5 Quidam enim affirmant, & ponunt exemplum, vt si quis solis precibus impediret dignum à consequutione beneficij, vt daretur æquè digno, si non malo animo faceret, non teneretur restituere, quia nulli infert iniuriam, cùm inter æquè dignos detur optio: si verò malo animo nocendi proximo faceret, teneretur restituere. Probatur ex *l.* 2. *ff. de aqua pluuia arcen.* §. *idem Labeo. el* 2. & *l. Proculus ff. de damno infecto, & l. fluminum* §. *finali. eodem tit.* vbi habetur, quòd qui non animo nocendi aquæductum, qui per suum fundum ad vicini fundum deriuatur, rumpit, non infert illi iniuriam; ergo secus est quando animo nocendi. Sic tenent Scotus 4. *distinct.* 15. *q.* 2. *fine* Richard. 4. *dist.* 15. *art.* 5. *q.* 4. *ad* 5. Rosel. *restit.* 10. *n.* 3. Ang. *restitutio* 1. *vers. impediens*, Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 4. Syluest. *restit.* 3. *q.* 12. *dist.* 1. Tabien. *verbo restit. q.* 10. *n.* 11. Cord. *membro* 4. *de detract. q.* 3. *concl.* 5. *ad finem*, & videtur tenere Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 2. videtur etiã tenere D. Thom. *eo art.* 2. vbi *in solut. ad* 4. dicit impedientem iniustè, scilicet intendendo damnum impediti, aut propter odium, aut vindictam, teneri restituere; cuius verba referunt, ac sequuntur, ac consequenter videntur idem tenere Arm. *verbo restitutio, n.* 51. & D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 12. §. 20.

6 Nihilominus dicendum est, quòd quoties actus à parte rei non excusatus per ignorantiam, non est contra iustitiam, nec inducit obligationem restituendi, mala intentio non id efficiet, sed efficiet, vt sit contra charitatẽ. Ratio, quia obligatio restituendi oritur ex efficaci causalitate, & non ex intentione nocendi, quæ in intendentis mente manet: at mala intentio non efficit, vt actus sit causa, nec efficaciam ipsi addit. Dixi, *nõ excusatus per ignorantiã*, quia quando qui bona fide omni adhibita diligentia, dãnum dat, excusatur ab iniustitia, & restitutione, non ratione bonæ intentionis, quia ipsa non excusaret, si in diligentia debita defecisset. sed quia actus ille quatenus damnificatiuus est inculpabilis, & inuoluntarius ratione ignorantiæ: nec S. Thom. sentit oppositum; nõ enim dicit absolutè impedientem animo nocendi teneri, sed impedientem iniustè animo nocendi vnde non animus, sed iniustitia illa inducit obligationem restituendi. Sic tenent Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 1. *n.* 72. *fol.* 43. *& n.* 78. 79 *fol.* 45. *& lib.* 3. *c.* 5. *n.* 9. *fol.* 395. Couarr. *regula peccatum*, 2. *p.* §. 7. *n.* 8. *concl.*



*conclus.* 2. *&* 5. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 3. *dub.* 9. *fol.* 255. *pag.* 1. & latè Nauarr. *in omnibus summis, c.* 17. *à n.* 70. Aragon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. circa solutionem *ad* 4. D. Thom. *conclus.* 5. *fol.* 210. Soto 4. *de iust. q.* 6. *art.* 3. circa solutionem *ad* 6. *vers. illa tamẽ.* Adrian. 4. *mat. de restit. q. consequenter quæro, vtrum impediens.* Angles *floribus* 2. *p. q. de clericis restitutioni obnoxiis. fol.* 208. Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *controuers.* 25 *fol.* 721. & communis.

7 Vnde ad leges citatas pro opposita sententia, omissa alia solutione, quam dat Nauarrus, & benè reprobatur à Nauarra *lib.* 3. *de restit. c.* 5. *n.* 14. 15. respondetur cum Nauarra *ibi n.* 15. 16. & Nauarro *ibidem*, & Soto, & Ledesm. quòd illæ leges non ob malum animum id decreuissent; is enim nec sat est, nec notus potest esse iudici, sed ex actione iniuriosa externa, quando nullo fine vtili sit, colligit lex dolosè, & iniquè fieri, & propterea dat actionem de dolo.

8 His suppositis, statuam duas conclusiones fundamentales, ex quibus constabit, quando impediens teneatur restituere, & ex illis inferemus omnes casus particulares. Sit

9 Prima conclusio: quoties quis impedit alium ab assecutione boni, ad quod habebat ius quæsitum in re, vel ad rem, tenetur ei restituere, licèt nulla ex parte modi iniustitia adsit, sed absque vi, & fraude, solo consilio, iussione vel quouis alio cooperandi modo impediat. Ratio, quia ex quod alter ius habebat in re, vel ad rem, iam impediẽs fuit efficax causa remouendi, seu auferendi ab eo, quod suum erat; ergo tenetur restituere. Sic Nauarra *lib.* 3. *de restit. c.* 5. *n.* 2 *fol.* 393. Nauarr. *in omnibus summis, c.* 17. *n.* 69. & est omnium, vt ex corollariis inferendis patebit.

10 Secunda conclusio: quando res aliàs ex iustitia non erat debita impedito, quia scilicet nec habebat ius in re, nec ad rem, tunc impediens non tenetur restituere, nisi adsit iniustitia ex parte modi impediendi, quia scilicet solis precibus absque vi, & fraude impediuit. Si tamen adsit talis iniustitia, scilicet quia vi, & fraude impediuit, tenetur impedito restituere. Patet prima pars. quia nemini nocet, non volenti dare, cùm ille sponte desistat solis precibus ductus, & nullo modo inuitus: non ei, qui erat consecuturus, cùm ille nullo iure spolietur, cùm nullum ius haberet. Et confirmatur, quia principalis in hoc casu desistens, non tenetur restituere; ergo nec cooperans. Patet secunda pars, quia hìc non tantùm est iniustitia in ordine ad facturum beneficium, quia scilicet inuoluntariè seducitur, sed etiam in ordine ad eum, cui erat conferendum, quia licèt non haberet ius ad illud, habebat tamen ius, ne per vim & fraudem impediretur voluntas volentis in illum conferre beneficium. Sic Nauarra *ibidem num.* 11. & Nauarr. *in præced. concl.* & tenent omnes Doctores, vt patebit in corollariis inferendis, in quibus omnes referam. Ex his conclusionibus

11 Infertur primò impedientem sine vi, & fraude ne detur beneficium digno, vt detur digniori, vel æquè digno sibi, vel alteri (addit Nauarra, vel quando paruus est excessus) non peccare, nec teneri restituere, quia ille dignus non habet ius in re, nec ad rem, sed liberum erat eligenti, dare illi, vel alteri æquè digno: si verò vi, vel fraude impediuit, vt daretur æquè digno, tenetur restituere digno prætermisso, quia iniuriosa est illa mutatio voluntatis cõferentis: & patet ex conclusionibus positis. Sic tenent Nauarra *lib.* 3. *de restit. c.* 5. *n.* 19. 20. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4. Soto *lib.* 4. *de iustitia, q.* 6. *art.* 3. *ad* 6. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *dub* 9 *fol.* 254 *pag.* 2. Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 4 *controuers.* 25. *fol.* 720 D. Anton. 2 *p. tit.* 1. *c.* 12. §. 20. Arm. *verbo rest. n.* 51. Couarr. *reg. peccatum*, 2. *p.* §. 7. *n.* 8. *concl.* 2. Nau. *in omnibus summis, c.* 17. *n.* 69. 72. 73. Mercado *lib.* 6. *de contract. c.* 17. *fol.* 214 *pag.* 2. & licèt Couarr. non explicet cui restitutio facienda sit, at colligitur ex ipso, vt benè notat Nauarr. quòd est facienda restitutio illi digno, dicit enim esse restituendum, quia alteri iniuria fit, at constat non fieri Ecclesiæ, cùm idoneus ipsi detur minister.

12 Notanter in 2. parte huius corollarij dixi impedientẽ vi, & fraude dignum, vt detur beneficium æquè digno, teneri restituere: nam si vi, & fraude impediret indignum, vt daretur beneficium digno, tunc etiamsi peccet contra iustitiam infamando, v. g. falsò proximum, & sic hanc iniuriam teneatur compensare, at in ordine ad beneficium, quod impedit, ne detur indigno, non peccat contra iustitiam, nec tenetur restituere. Patet, quia indignus ille non tantùm non habebat ius ad beneficium, verùm etiam contra iustitiam illud obtineret: sicut vi impediens latronem ne furetur, non tenetur restituere. Sic Ledesm. *ibi fol.* 255. *pag.* 3. Couarr. *ibi conclus.* 1. Mercado *fol.* 214 *pag.* 2. & nonnulli docti iuniores.

13 Si autem vi, & fraude impediret dignum, vt detur beneficium digniori, non caret difficultate, an talis impediens teneatur restituere digno impedito beneficium; quia dignus ille habebat ius recipiendi beneficium; ergo per iniuriam impediens tenetur illi restituere: sicut per iniuriam impediens pauperem ne petat elemosynam, tenetur illi restituere, quia pauper ius habebat petendi, & accipiendi eleemosynam, & confirmatur, quia beneficium non est debitum digniori de iustitia commutatiua, ita vt si ipsi non detur, sit obligatio restituendi iuxta sententiam, quam sequuti sumus *suprà dub.* 45. ergo stando in eadem sententia qui vi, & dolo impedit dignum, vt digniori conferatur beneficium, tenetur restituere, quia hoc esset tradere digniori id quod suum non est, neque ad id habet ius iustitiæ, stando enim in sententia illorum, qui dicunt teneri restituere conferentem minus digno, clarum videtur impedientem hunc non teneri restituere. At stando in nostra sententia, difficile videtur excusare à restitutione. Et confirmatur amplius, quia si ij, qui non sunt auditores alicuius facultatis, & ius suffragij non habent in cathedra furtim se ingererent, & suffragarentur pro digniori, & sic in causa essent, vt dignus qui verè plura suffragia habuit, cathedram amitteret, tenerentur ipsi restituere: secus si hoc modo abstuleruntcathedram ab indigno. Et ratio est, quia dignus iam iustè per vera suffragia obtinebat cathedram, & electio erat valida, & nullo modo irritanda. Sic docti recentiores. Quare his rationibus ducti aliqui tenent vi, vel fraude impedientem dignum, vt detur beneficium digniori, teneri digno restituere. Sic Doctor Henriquez *in suis manuscriptis*; & est probabile.

14 At verius est adhuc non teneri restituere. Ratio, quia dignus respectu dignioris nullum habet ius, & beneficium illud erat digniori debitum ex iustitia distributiua, & per hoc cessat simile de eleemosyna, ea enim nulli alteri erat ex iustitia debita. Non obstant etiam adducta in confirmationibus, quia *ibi* adducta procedunt, quando iam dignus obtinuerat cathedram, & reuera iam erat sua, & reuera est, quando habet plura suffragia eorum, qui verè ius suffragij habent. Sic Salon. 2. 2. *q.* 62. *artic.* 2. *controuers.* 25 *fol.* 719. Couarr. licèt nostræ sententiæ sit quòd dans minus digno non tenetur restituere *reg. peccatum* 2. *p.* §. 7. *num.* 8. *concl.* 1. vbi dicit impedientem vtcunque, & quomodocunque ne detur beneficium dignò, vt detur digniori, non teneri restituere. Idem docti nonnulli iuniores.

15 Secundò infertur, quid dicendum sit de impediente, ne detur digno beneficium, vt detur indigno, in quo certum est, quòd si vi, vel fraude impedit, tenetur ipsi digno restituere. Vt probaui in primo corollario: si verò precibus impediuit, Doctores, qui sentiunt conferentem indigno beneficium, teneri restituere digno, consequenter in hoc casu debent dicere teneri digno: quod etiam sentiunt Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 17. *fol.* 215. *pag.* 1. & Couarr. *reg. peccatum* 2. *p.* §. 7. *num.* 8. *conclus.* 4. licèt sentiat Couarr. conferentem beneficium indigno, non teneri digno omisso, sed Ecclesiæ restituere. In quo non sibi consonat Couarr. vt bene notat Nauarra *lib.* 3. *de rest. cap.* 5. *num.* 22. Quare dicendum est iuxta sententiam

Universidad de Deusto
Biblioteca



quam *suprà dub.* 45. sequuti sumus, scilicet dantem beneficium indigno, non teneri restituere digno, sed Ecclesiæ, quod hic impediens sine vi, & fraude tenetur non digno, sed Ecclesiæ satisfacere; quia hic nulla iustitia commutatiua in ordine ad dignum violata est, sed in ordine ad Ecclesiam. Sic tenet Nauarr. *in omnibus summis, c.17.n.72.*

16 Nota, quòd in priori casu, quando scilicet vi, & fraude impediuit dignum, vt daretur indigno, non tantùm digno omisso, sed etiam Ecclesiæ, quam læsit, tenetur damnum resarcire vt patet, & tenet Ledesm. *d.art.2. dub.9 fol.255.pag.4.*

17 Tertiò infertur, quid dicendum sit de impediente, ne detur beneficium digniori, vt detur digno. Et quidem si vi, & fraude impediat, constat apud omnes, vt dixi *corollario primo*, teneri restituere digniori impedito: si autem sine vi, & fraude, sed solis precibus, dicendum est iuxta varias sententias *suprà dub.* 45. qui enim dicunt distributorem dantem minus digno teneri restituere digniori, debent dicere similiter impedientem precibus digniorem, vt detur digno, teneri digniori restituere. Et sic docent Palud. 4. *dist.* 15. *q.2. art.2. concluſ.* 4. Palacios *Summa, verbo restitutio, c.9.§.3.* Caietan. 2.2. *quæſt.* 62. *articul.* 2. *ad* 2. *dubium*, Aragon *eodem art.* 2. circa solutionem Diui Thom. *ad* 4. *fol.* 210. Salon *ibi controu.* 25. *fol.* 721. Ludou. Lopez 1. *part. inſtruct. noui, cap.* 127. 128. Nauarra *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 5. *num.* 21. & Couarr. *reg. peccatum*, 2. *part.* §. 7. *num.* 8. *concl.* 3. licèt teneat ipsum distributorem conferentem minus digno non teneri restituere; sed in hoc non sibi consonat, vt benè notat Nauarra *ibi n.* 21. 22.

18 At verò iuxta sententiam, quam sequuti sumus *suprà dub.* 45. nempe electorem conferentem beneficium minus digno, non teneri restituere digniori, nec Ecclesiæ; dicendum est similiter hunc precibus impedientem non teneri restituere: nam si electors non peccat contra iustitiam, ita vt restituere teneatur, à fortiori, nec hic impediens, cùm tantùm se habeat vt consulens, & rogans. Et sic tenent Ledesm. *dub.9. fol.* 255. *pag.* 3. & 4. Nau. *in omnibus summis, cap.* 17. *num.* 72. *& floribus, quæſt. theolog.* Angles 2. *part. materia de clericis reſtitutioni obnoxiis, fol.* 208 Nauarra *d. cap.* 5. *num.* 10. & sicut *ibi* diximus, quòd dans minus dignis bona instituta primariò in fauorem priuatorum, tenetur restituere dignioribus omissis; sic dicendum est de impediente digniorem in his bonis, cùm eadem sit ratio; & tenet Salon. *d. dub.* 25. *fol.* 719. & docti iuniores.

19. Quartò infertur idem dicendum esse de impedientibus cathedras, & beneficia, quæ dantur per concursum & oppositionem secundùm diuersas sententias, tenendo enim sententiam, quod idem est, quo ad restitutionem de his, & de aliis beneficiis, quæ sine oppositione dantur; dicendum est, quòd impediens dignum sine vi, & fraude, vt detur indigno, tenetur restituere non digno, sed vniuersitati; si verò vi, & fraude impediat, vt detur indigno, vel minus digno, tenetur digno, vel digniori omisso restituere; si verò solis precibus impediat, ne detur digniori, vt detur digno, nulli tenetur restituere, vt diximus *corollariis præcedentibus* de aliis beneficiis. Et sic Soto 4. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 3. *fine*, & Ledesm, 2. 4. *quæſt.* 18. *art.* 2 *dub. vltimo*; qui tenent, idem esse in his, & in aliis, quæ sine oppositione dantur, tantùm obligat restituere, vi; & fraude impedientes. Et clariùs Nauarr. *in omnibus, cap.* 17. *num.* 74. & ille doctus iunior. Quod probabile est, vt diximus *suprà dub.* 46. attendendo sententiam, quam ibi tenuimus, scilicet in his, quæ dantur per oppositionem, tèneri omittentem digniorem ipsi restituere: consequenter dicendum est impedientem conferri digniori etiam solis precibus teneri ipsi restituere, quia idem est de distributore, ac impediente precibus, cùm hic se habeat vt consulens, & rogans. Et sic tenet Nauarra *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 5. *num.* 10.

20 Quintò infertur in omni sententia, eum qui vi, & fraude impedit volentem se opponere cathedræ, vel beneficio, quando aliàs certum erat obtenturum, teneri ipsi restituere, vt patet ex dictis. Sic Soto, & Ledesm. *præcedente corollario* citati, & nonnulli docti recentiores.

21 Sextò infertur, quòd si quis impediret etiam sine vi, & dolo, ne beneficia, aut cathedræ, quæ dantur concursu, & oppositione, dentur legitimis oppositoribus, sed alteri, tenetur restituere, quia oppositores habent legitimum ius acquisitum, vt solùm inter ipsos dentur. Sic Nauarr. *in omnibus summis, c.17.n.74.* Nauarra *lib.* 3. *de reſtit. c.5.n.10.* & quidam docti recentiores.

22 Nota, quòd hoc limitat bene Nauarr. *eo num.* 74. quando extaret statutum, quòd necessariò debeat conferri beneficium oppositoribus, tempore statuto concurrentibus. Idem doctus quidam recentior, qui addit referens Patrem D. Henriquez, hoc ideo appositum esse, quia si Episcopus posuit edictum, vt intra sex dies opponantur, potest ex causa admittere alium postea venientem ad oppositionem, quia cùm Episcopus sit superior illius legis, potest ex causa in illa dispensare: & similiter Rex tanquam protector Academiæ, & boni communis dispensare posset, vt admitteretur alius ad oppositionem cathedræ, potest enim pro bono cõmuni dispensare circa ius acquirendũ: at Rector Academiæ nõ potest dispensare in statutis Academiæ per Papam approbatis, nec Episcopus in statutis Capituli, quæ Papa approbauit circa canonicatus, qui prouidentur per oppositionem; quare si inuitis oppositoribus admitteret alium, qui obtineret cathedram, vel canonicatum, teneretur restituere aliis damnum: vt diximus ex Nau. & Nauarra. Et sic dicit fuisse iudicatum in senatu Regio in quodam casu.

23 Nota etiam non reputari vim, nec fraudem, licèt pretio dato coëmat suffragia, quia hoc non addit fraudem, nec vim, nec iniuriam contra iustitiam commutatiuam, nec ex parte dantis, nec ex parte recipientis, sic doctus ille recentior. An verò recipiens pretium, vt suffrageturpro digno, teneatur pretium restituere, pendet ex ea quæstione, an recipiens pretium pro re, ad quam ex iustitia tenebatur, teneatur restituere, & an si ob pretium omittat suffragari pro digniori, vel digno, teneatur pretium restituere, pendet ex ea quæstione, an recipiens pretium pro re contra iustitiam, teneatur restituere.

24 Sed an censeatur fraus, ita vt obligetad restitutionem in hoc casu, amicus, v.g. Petri oppositoris accedit ad eos, quos nouit animo destinatos ad suffragandum pro Paulo contrario, & subornat illos pro eodem Paulo dato pretio, id tamen facit dolosè, nempe ea intentione, vt propter hoc eorum suffragia inhabilitet, Pater Doctor Henriquez *in suis manuscriptis*, censuit esse fraudem obligantem ad restitutionem: & est satis probabile, si quidem hac fraude contrarij vota abstulit. At verius est, quòd licèt hoc iniquissimum sit, at non videtur teneri ad restitutionem, quia non corrumpit illos per iniuriam, sed voluntariè ipsi corrumpuntur accepto pretio; intentio verò damnata corrumpentis est graue peccatum: at ex illa non oritur restituendi necessitas, nisi actus externus sit contra iustitiam, vt diximus. Sic doctus ille recentior.

25 Aduerte quòd in noua recopilat. *lib.1. tit.* 7. *lib.*15. 16. 17. prohibetur, ne in cathedris accedant subornationes, & ne nobiles negotientur pro aliquo, & ne oppositores, vel alij ipsorum nomine ineant pactum, vt alter illorum desistat. vel insistat in oppositione, vel renunciet in alterum sua suffragia, vel expectatiuam ad cathedram Et irritat illa lex 17. quæcunque pacta, & promissiones circa hoc factas oppositoribus scientibus, vel ignorantibus; & quòd recipientes talia dona, vel promissiones sint ipso iure perpetuò inhabiles ad cathedram. Sed hæc inhabilitas incurritur post sententiam; vt dixi *lib.2. summæ, c.* 39. *num. vltimo, & cap.* 26. *num.* 1. *& lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 64. *&* 65. & contractus prædicti, ac promissiones non obligabunt ad soluendum promissa; quia ibi irritantur. At si soluatur, non tenetur recipiens restituere, quia non redditur



redditur incapax: hæc enim lex eodem tenore & forma loquitur, qua lex irritans promissiones in ludo pecunia credita, iuxta quam verior sententia habet, vt diximus *suprà*, agentes de ludo promittentem non teneri soluere; & si soluat, recipientem non teneri restituere. Hæc ille doctus recentior.

26 An verò scholastici suffragia præstantes pro cathedris non habentes requisita secundùm vniuersitatis statuta, peccent, ac teneantur restituere, *infrà* dicam *dub.* 51. 52. & an pecce recipiens gradum, cùm sit minus sufficiens, & possit se opponere ad beneficium requirens certum gradum; & quid si careat illo gradu, dicam *infrà dub.* 57. vbi etiam quid, quando deficiebat aliquod requisitum ad illum gradum secundùm statuta vniuersitatis.

27 Septimò infertur, quid dicendum sit de impediente donationes gratuitas, & eleemosynas, & legata, quæ quis volebat alicui legare. In quo aliqui Doctores absolutè docent non teneri restituere, quia alter ex mera liberalitate id faciebat. Sic Palud. 4. *dist.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 4. Adrian. 4. *mat. de reſtitut. quæſt. Conſequenter quæro, an impediens fol.* 146 *pag.* 2. Caiet. 2. 2. *q* 62. *art.* 2. *dub.* 6. *circa ſolutionem* 4. *& in ſumma verbo reſtitutio, c.*9 *fine.* D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *c.* 12. §. 20. Rosel. *reſtitutio* 10. *n.* 2. at dicendum est hoc esse verum, & sic intelligendos esse hos Doctores, quando solis precibus impedit: si enim vi, vel fraudibus impediat, tenetur restituere, vt probatum est *in* 2. *concluſione.* Sic tenent Nauarra *lib* 3. *de reſtit. c.* 5. *n.* 11. 12. Medina *lib.* 1. *ſummæ, c.* 14. §. 31. *fol.* 163. 164. Lud. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 45. *fol.* 115. *verſic. Tertium autem*, Gutier. *quæſt. canon. c.* 37. *n.* 20. Aragon 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. circa solutionem D. Thomæ *ad* 4. *fol.* 210. Capua *lib.* 2. *deciſ. c.* 130. *n.* 2. Angles *floribus materia de reſtit. quæſt. de clericis reſtit. obnoxiis. fol.* 209. Soto *de iuſt. q.* 6. *art.* 3. *ad* 6. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *dub.* 9. *fol.* 256. *pag.* 1. Nauar. *in omnibus ſummis, c.* 17. *num.* 73. Couar. *reg. peccatum*, 2. *part.* §. 7. *n.* 8. *fine.* Mercado *lib.* 6. *de contract. c.* 7. *in principio.* Corduba *ſumma, q.* 100. Sylvest. *reſtitutio* 3. *q.* 12. Arm. *verbo reſtitutio, num.* 52.

28 Nota primò aliquos excipere ab hac regula religiosos impedientes precibus testatorem, ne leget aliqua bona matrici Ecclesiæ; hi enim tenentur restituere, & peccant mortaliter. Sic quidam Aluarus citatus Sylu. *vbi infra.* At dicendum est peccare mortaliter, si ex odio, vel auaritia, vt sibi, vel suo monasterio, vel amico suo legentur bona illa, impediant legari mattrici Ecclesiæ, quia id prohibetur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna, interminationis æternæ ipsis, *Clement. religioſi, de priuileg. verſic. Quibus etiam*; secus si impediant bono zelo, vt consulant saluti testatoris, tunc enim non peccant. Et nec etiam in primo casu tenentur restituere, quia id non præcipit *ea Clementina*; & iure naturali constat ex dictis eos non teneri, cùm non intercesserit vis, aut fraus. Sic Sylu. *reſtitut. in* 3. *q.* 12. *dict.* 3. Arm. *verbo reſtitutio, n.* 52. Rosel. *reſtitutio* 10. *n.* 2.

29 Secundò nota, alios excipere ab hac regula Prælatum inducentem precibus testatorem, vt relinquat sibi, quod legare volebat Ecclesiæ: & tutorem inducentem precibus, vt leget sibi, quod volebat pupillo legare. Sic glossa *c. quicunque* 12. *q.* 4. & de Prælato probat ex *eo c. & de tutore*, ex *l. quidquid, C. arbitrium tutelæ*, & ex *l. pupillorum. C. de adminiſtrat. tutor.* & de Prælato idem tenet Ang. *Clericus* 13. *n.* 7. licèt contrarium teneat de tutore.

30 At dicendum est neutrum teneri quando citra vim, & frauorem inducit, quia neuter tenetur magis procurare bonum Ecclesiæ, vel pupilli quàm suum: nec interuenit hîc aliqua iniustitia; & *c. quicunque*, non facit ad rem quia loquitur quando ex redditibus Ecclesiæ colit Prælatus suas possessiones, relinquens incultas possessiones Ecclesiæ. Et sic de tutore hoc tenet Cynus, quem refert, ac sequitur Sylvest. *Clericus* 4. *q.* 10. Panorm. *c.* 2. *de pecul. clerie. n.* 5. 6. Ang. *clericus* 3. *n.* 7. de Prælato autem id tenent Sylvest. & Panor. *ibi* Arm. *verbo clericus, n.* 19.

31 Octauò infertur, quòd qui odio alicuius efficit, vt herus dimittat eum, ob quod alter damnum patitur, non tenetur ei restituere, nisi fecerit dimitti contra iustitiam, vt ante lapsum temporis conuenti, &c. Sic Nauar. summa Hispana *c.* 28. *additione ad n.* 69. *c.* 17. Latina *c.* 17. *n.* 70. Nauarra *lib.* 3 *de reſtit. c.* 5. *n.* 12. & quidam doctus iunior. Et ratio, est, quia tantùm peccauit contra charitatem.

32 Nonò infertur, impedientem fraude aliquam denunciationem, vel ne delinquens veniat ad manus iustitiæ, vel occultantem, vel facientem fugere officiales tempore syndicatus, non teneri restituere, quia ante condemnationem fiscus, vel alius ius non habebat ad pœnam. Sic Nau. *ibi n.* 13. Sylvest. *reſtitutio* 3. *q.* 12. *dicto* 7. & Bart. & Bald. dicentes teneri explicat post condemnationem, quod ipsum ex multis probaui *lib.* 10. *de matr. diſp.* 8. *n.* 14. *& lib.* 2. *ſumma, c.* 22 *n.* 20. *&* 22.

33 Decimò infertur, quòd impediens etiam animo nocendi aliquem absque vi, & fraude, & à lucro iusto, quod erat acquisiturus, vel ab oppositione beneficij, quod erat consecuturus, non tenetur restituere: si verò falsis promissionibus, & mendaciis, aut vi, teuetur restituere, patet ex dictis. Sic Nauar. *in omnibus ſummis, cap.* 17. *n.* 74. & Nauarra *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 5. *n.* 38. 39. 40. vbi idem dicit, quando vehementibus precibus domini, vel Principis desistit, teneri dominum restituere, quia preces importunæ horum inducunt vim; & *n.* 39 dicit idem esse dicendum de dominis, & Prælatis, qui subditos ita tenent suspensos promissionibus suis, vt illi plura dimittant sibi villa, tenentur enim restituere, nisi fidem seruent. Et idem dicit *ibi* de ea, cui alter promisit eam ducturum post certum tempus, ob quod illa plures sponsos reiicit: si enim non seruet fidem, tenetur de damno, quia hæ sunt fraudes.

34 An verò auferens scholasticos à Magistro, vel clientulos ab Aduocato, vel emptores à mercatore, teneatur restituere, & in similibus, dixi *suprà lib.* 1. *cap. de iniur. & damnis, dub.* 2.

35 Vltimò infertur, quid dicendum sit de impedientibus, ne ad ciuitatem afferantur merces, vt suas cariùs vendant. Quidam enim absolutè docent teneri restituere reipublicæ damnum, nempè cariùs illud quod emerunt; & ipsis etiam, qui volebant afferre, lucrum, quod inde erant comparaturi. Sic Sylu. *reſtitutio* 3. *q. vltima, dicto* 8. Ang. *reſtitutio* 1. §. *quid de illis, qui impediunt.* Capua *lib.* 2. *deciſ. aurearum, c.* 130. *n.* 8. at dicendum est, hoc tantùm verum habere, quando vi, aut fraude impediunt, iuxta dicta: secus quando solis precibus. Et sic intelligunt hi Doctores, quia docent non tantùm ciuibus, sed etiam ipsis mercatoribus teneri restituere lucrum, quod comparaturi erant: ad quod constat non teneri, quando solis precibus impediuere, cùm mercatores sponte sua consenserint. Probatur non teneri reipublicæ, quia respublica non habebat ius ad rem, sed mercatores voluntariè afferebant illas merces: ergo sicut qui precibus auertit volentem legare mihi, non tenetur restitnere; ita qui precibus auertit volentes afferre merces in ciuitatem, non tenetur restituere. Sic tenent Nauarra *lib.* 3. *de reſtit. c.* 2. *n.* 79. 80. *fol.* 171. 172. Aragon 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 4. *fol.* 647. *verſic. Tertius modus.* Lud. Lopez *lib.* 1. *de contract. c.* 16. *fol.* 54.

## DVBIVM L.

*An caſu quo impediens tenetur reſtituere, iuxta dicta dubio præcedenti, tenetur reſtituere in ſolidum.*

HAc in re vt certa ab incertis separemus, oportet supponere, quatuor posse esse status ex parte voluntatis collaturi beneficium debitum, vel quamcunque donationem gratuitam.

1 Primus est, quando collaturus nullam habet de impedito memoriã, nec ad eum est aliqua inclinatio, ita quòd nulla est spes, quòd illi dabit. Et loquendo de hoc statu

Universidad de Deusto
Biblioteca



certum est, quòd impediens etiam per vim, & fraudem, etiam si res illa esset debita ex iustitia, non tenetur impedito restituere. Ratio, quia in hoc casu impediens nullum intulit damnum, & verè ipse non impediuit, quia vbi nulla est spes ad aliquid, non dicitur id impedire. Sic Caiet. *q.2.q.62. art.2.* circa solutionem D. Thom. *ad 4. dub.3.* Salon *eodem artic.2.controu.21. fol.724.* & quidam docti recentiores.

2 Secundus status est, quando collatio est executioni mandata respectu huius, & tunc impediri non potest, quia iam est facta, sed potest auferre collatum; vel impediri possessio, & tunc certum est, quòd sic auferens, vel iniustè impediens, tenetur integrè restituere, quia iam alter habebat ius in re acquisitum, & illa erat sibi propria: & fatentur omnes Doctores citandi.

3 Tertius status est, quando non est facta collatio, nec firmiter decreta, quia scilicet collator nondum statuerat, nec habebat animum firmatum, quòd conferret huic impedito, sed erat res in via, & erat aliqua spes. Et in hoc statu certum est etiam apud Doctores citandos, & apud omnes, quòd impediens in casibus, in quibus diximus *dub. præcedenti* teneri restituere, non teneri ad æquale, sed ad aliquam restitutionem, pensata maiori, vel minori spe, seu propinquitate ad obtinendum illud beneficium, seu donum. Ratio, quia cùm nondum esset firmata voluntas ad conferendum possetque multipliciter impediri solùm damnificatur impeditus iniustè in illa spe probabili, qua iniustè priuatur: ergo non integrè res impedita est restituenda, sed valor illius spei arbitrio prudentis.

4 Quartus status est, quando iam distributio, seu collatio est decreta respectu huius, nondum tamen executioni mandata, qua scilicet conferens habebat animum firmatum dandi huic. At nondum dederat, & de hoc statu est tota difficultas, an impediens hanc collationem iniustè casu, quo tenetur restituere, iuxta dicta *dubio præcedenti*, teneatur integrè restituere.

Hac in re triplex est sententia.

5 Prima dicit absolutè teneri integrè restituere. Et probat D. Thom. *vbi infrà*, ex illa regula Philosophi 3. *Physic. text.56. Quod parum distat à ratione, nihil distare videtur.* Aduersùs quam minus benè obiicit Caiet. & alij, quòd sequeretur ex ea, quòd qui parum abfuit, vt occideret, teneretur ad restitutionem homicidij, non enim iste est sensus: sed, vt benè docent Sotus, Ledesm. Aragon. Nauar. *vbi infra, n.* 33. sensus est, quòd qui damnum dedit in re, quæ parum aberat, vt esset iam perfecta, vt in fructibus iam matures centibus, censetur in re perfecta damnum dedisse, & sic tenetur integrè restituere; cùm ergo, quando animus collatoris erat iam firmatus ad dandū, parum desit ad collationem iam consummatam, impedies iniustè illum animū, censetur quasi auferret collationem cōsummatā; & sic tenetur integrè restituere. Sic tenet D. Th. 2.2.*q.62. art 2. ad 4.* & ibi Arag. *fol.211.* & *ibi* Salon *controuers.25. fol.724* Lud. Lopez *1. part. instruct. noui, c.127.* Angles *floribus, 2. part. mat. de clericis restit. obnoxiis fol.208. 209.* Soto *4. de iustit. q.6. art.3. circa solutionem ad 6. à versic. Et per hoc claret ratio.* Ledesm. *2.4.q. 18. art.2. fol.254 pagin.3. & 255. pagin.2.* Armil. *verbo restitutio, n.51.* Ang. *restitutio.1. versic. impediens*; & addit Aragon *fol.212. pagin.2.* idem esse de mutante vi, vel dolo voluntatem firmatam testatoris faciendi legatum alicui, scilicet teneri integrè legatum restituere. Et ferè idem dicit Metina *lib.1. inst. c.14. §.31. fol.164.* vbi hæc dicit, quòd quando erat certum, quod legatarius erat, tenetur integrè si tamen non erat adeò certum, licèt esset in proxima dispositione ad legandum, non tenetur integrè restituere, sed potest aliquid parum detrahere, & ferè totum restituere.

6 Secunda sententia dicit, non teneri integrè restituere. Ratio, quia cùm restitutio sit actus commutatiuæ iustitiæ, quæ qualitatem respicit, in eo consistit, vt is, cui fit, nec damnum, nec commodum ex ea sentiat: at sentiret commodum, si impeditus à beneficio, quod nondum obtinebat, sed poterat impediri; poterat enim Episcopus, & quidem iustè, mutare voluntatem, reciperet æquale, quod enim erat dubium, fieret certum. Sic tenet Nauarr. *in omnibus summis, c.17. n.71.72.73.* Capua *lib.2 dec.130. n.3.* Sylvest. *restitutio.3.q.12. dici.1.* D. Anton. *2. part. tit.1. c.12. §20.* Scotus *4. dist.15. q.2. fine.* Richard. *4. dist.15. art. 5. q.4. ad 7.* & videtur tenere Adrian. *4. mat. de rest. q. Consequenter quæro, vtrum impediens,* vbi recitat primam sententiam D. Thom. & postea in posteriori loco recitat hanc secundam. Idem videtur expressè tenere Palud. *4. dist.15. q.2. art.2. conclus.4.* & Cou. *reg. peccatum, 2. part. §.7. n.8. conclus.4.* vbi dicunt non teneri æquale restituere impedientem collationem, antequam sit facta, ac si impediret, posteaquam facta est: & hanc tenuit quidam doctus iunior.

7 Tertia sententia tenenda dicit quòd impediens collationem, quando ea erat debita huic ex iustitia commutatiua, tenetur æquale restituere, si tamen certò esset habiturus, id est, non alia via esset ius impediendum, nisi per me. Pater, quia si Petrus impediret meum debitorem; quin mihi centum solueret, procul dubio in totum teneretur, sicut ipse debitor, qui non soluit: at verò quando res non erat sic debita; & sic obligatio restituendi tantùm consurgit ex impeditione vi, aut fraudibus facta, iuxta dicta *dub. præced.* tunc non est æquale restituendum, sed arbitrio prudentis; vt optimè probat argumentum secundæ sententiæ, quam credo nullo modo esse huic contrariam, nec loquiin primo casu. Hanc tenent Caiet. *2.2.q.62. art.2.4. dubio, circa solutionem ad 4.* D. Thom. Nauarra *lib.3. de restit. c.5. n.35.36.37. fol.* 404.

## DVBIVM LII.

*An scholasticus, qui caret aliquo requisito secundum statuta ad suffragandum, & nihilominus præstat suffragium, & sic est causa, quòd aliquis amittat cathedram, teneatur tanquam iniustus, & non verus elector, ei restituere.*

1 NOta, quòd per statuta vniuersitatis Salmanticæ exiguntur multa, vt quis possit suffragari. Primò requiritur



requiritur quòd quis habeat cursum. Secundò, quòd sit adscriptus matriculæ scholasticorum. Tertiò, quòd sit examinatus à designato Magistro in Grammatica, & habeat ab illo schedulam. Quartò in facultate legum requiritur quòd primo anno audierit Institutam, in qua docentur termini, & principia legum. Quintò exigitur, ne fregerit aliquod ex illis statutis, quæ imponunt pœnam inhabilitatis: qualia sunt ingredi domum oppositoris, vel acclamare, vel applaudere pedibus in illius gratiam: item subornatum esse directè, vel indirectè, ita quòd receperit pretium, vel munus aliquod eo animo, vt pro tali oppositore suffragetur, & alia similia.

Duplex est sententia.

2 Prima docet duo; primum est, qui non est adscriptus albo scholasticorum, vel non habet schedulam approbationis, licèt sit auditor ordinarius, si ferat suffragiū, tenetur restituere cathedram, si propter eius suffragium obtineatur. Probatur, quia hic non est elector, nec est pars huius vniuersitatis. Secundò, quia Academia ex priuilegio Pontificis facit eam legem conuentionalem propter bonum commune, & cum hac conditione facit eos electores; & confirmatur, quia scholastici non habent hoc ius suffragandi in cathedris ex natura rei, sed quia Academia ob priulegia, quæ habet, concessit illis hoc ius, sed Academia non intendit communicare scholasticis tale ius, nisi habeant conditiones per sua statuta requisitas; ergo. Et confirmatur secundò à simili, quia institutor collegij facit inhabilem eum, qui caret certis conditionibus, & Ecclesia inhabilem ad beneficia eum, qui est irregularis, vel excommunicatus, & tamen si hi acceptent collegium, vel beneficium, tenentur restituere; ergo.

3 Secundò dicit hæc sententia, quòd hi omnes scholastici, qui faciunt aliquid contra vniuersitatis statuta, vt si aliquid ad oppositoribus recipiant, &c. propter quod iure suffragandi priuantur, sunt ipso facto inhabiles, & si suffragentur, & cathedra propter eorum suffragia obtineatur, tenentur restituere. Probatur præter rationes positas, quia pœna priuatiua incurritur ipso iure, ante omnem iudicis sententiam, vt patet in excommunicatione, & irregularitate; sed hæc est pœna priuatiua vocis actiuæ; ergo. Hanc sententiam tenet Manuel *1. tomo summæ, c.2. & c.295 n.2.* Idem Aragon *2.2.q.11 art.3. fol.650.* Salon *2.2.q 63. art.4 fine.* & idem dicit *q.62. art.3. controu. 1. fol.732.* de legibus, vel statutis priuantibus voce actiua, vel passiua in aliqua religione, vel vniuersitate, vel republica: & hoc idem Aragon *2.2.q.62. art.3 fol.227. & loco citato,* Cordub. *lib.1. quæstionum, quæst.36. fol.294. pagin.1. & 2.* Metina *1.2.q.96. art.4. ad 4.* & refert idem tenuisse aliquos viros doctos. Et quo ad primum, quòd ille, qui non est albo scholasticorum adscriptus, non habeat ius suffragandi, & si suffragetur, teneri restituere cathedram, si suo suffragio obtineatur, tenuit idem Henriquez *in suis scriptis*; & vltra rationes positas probauit, quia hoc videtur res grauis, & mens Academiæ, ne cui communicetur ius suffragandi, nisi illi, qui per matriculationem incorporatur Academiæ, & obligatur obedire Rectori, & statutis: decet enim, vt qui sentit commodum priuilegij, sentiat onus obligationis: sic enim miles non habet ius recipiendi militare stipendium à tali duce, nisi sit ei obligatus, & conscriptus, & qui habet priuilegium ciuis, semper oportet esse obligatum reipublicæ.

4 Secunda sententia tenet oppositum, quæ amplectenda est, & explicabitur aliquibus conclusionibus.

5 Prima conclusio: qui, cùm non sit auditor ordinarius talis facultatis, scilicet per maiorem anni partem, furtim se ingerit ad suffragandum, & sic est causa, quòd aliquis amittat cathedram, tenetur restituere. Ratio, quia hic reuera nullum habet ius suffragandi, & sic per iniustitiam contra iustitiam commutatiuam, aufertur ab altero cathedram, ergo tenetur restituere. Sic Metina *vbi supra.* Sotus *lib.4. de iust. q.6. art.3. sub finem.* Ledesm. *2.4.q.18. art.2. dub. vltimo.* Idem Henriq *in suis scriptis,* idem etiam Aragon *suprà,* & docti recentiores à me consulti. An verò hoc sit verum, quando per hoc impeditus est indignus, vel minus dignus, vide *suprà dub.49.*

6 Hinc sit primò, si auditor ordinarius Theologiæ furtim se ingerat, vt ferat suffragium pro cathedra iuris prudentium, vel è contra, teneri restituere. Ratio, quia non habet verum ius suffragandi in illa cathedra. Sic Metina, Sotus, & Ledesm. Aragon *suprà.*

7 Secundò infertur, idem dicendum de eo, qui verè est elector, at bis præberet suffragium, is enim tenetur damnum subsecutum restituere, quia in secundo suffragio nullum habuit ius, sed furtim se ingessit. Sic Metina, & Aragon *suprà.* & docti iuniores.

8 Tertiò infertur, idem dicendum de eo, qui imponit plures habere cursus, vel aliquam qualitatem, quam non habet, tenetur enim restituere damnum inde subsequutum. Ratio, quia ratione illorum cursuum, vel ratione illius falsæ qualitatis facit, vt suum votum præstet, & cæteris votis paribus conferatur cathedra illi, pro quo suffragatur. Sic Metina, & Enriq. *vbi supra.* Alcozer *in summa, c.27. in peccatis scholasticorum.*

9 Secunda conclusio: qui est auditor ordinarius in aliqua facultate, licèt habeat defectum in aliis requisitis secundùm statuta, v. g. quia non est scholasticorum albo adscriptus, &c. quem defectum, si confiteretur, priuaretur suffragio, antequam condemnetur habet legitimum ius suffragandi, & per consequens nulla ex hoc consurget obligatio restituendi. Probatur, quia hic habet quod est substantiale, scilicet cursus integros, defectus autem solemnitatis, vt quòd sit matriculæ adscriptus, vel non qui accidentale est: ergo licèt possit prohiberi in foro exteriori, at in foro conscientiæ non perdet ius. Et confirmatur, quia durum videtur hunc damnare ad restitutionem, sicut eum, qui auditor non est. Sic Sotus, & Ledesm. *vbi suprà,* & docti recentiores Magistri, quos ego consului.

10 Hinc infertur idem dicendum esse de eo, qui non habet approbationes, schedulā, is enim verus lector est, antequā condemnetur. Probatur, quia minus est hoc, quàm non esse scholasticorum subscriptum albo. Sic docti recentiores Theologi, & colligitur ex Soto, & Ledesma.

11 Tertia conclusio: qui est auditor ordinarius, licèt aliquid faciat propter quod secundùm statuta vniuersitatis iure suffragandi priuatur, vt si sit subornatus, &c. antequā condemnetur, verum habet suffragandi ius, & sic, si suffragetur, ad nullam restitutionem tenetur. Probatur, quia illa priuatio iuris eligendi est pœna, & illæ leges sunt pœnales, & sic non obligant ante sententiam. Item, quia aliàs vix nulla esset tuta electio, quod pernitiosissimum esset reipublicæ. Item quia statuta æquè ponunt inhabilitatis pœnam propter plures causas, sed propter leuem acclamationem, vel conuiuium certum videtur, quòd non intendit legislator priuationem iuris suffragij imponere; ergo neque propter fractionem grauioris statuti. Item, quia quando quis reputatur legitimus iudex, vel parochus, non impeditur valor sententiæ, vel absolutionis, propter occultum impedimentum, quod habet, vt colligunt Doctores ex *l. Barbarius. ff. de officio Prætoris,* & ego tractaui *lib.3. de matrim. disput. 22.* Sed scholares sunt legitimi iudices, & electores; ergo non amittunt ius suffragandi, licèt secretè fregerint statuta. Hanc tenent Sotus, Ledesm. Molina *tomo 1. de inst. tractat. 2. disput.96. fol.591.* Enriquez, & docti recentiores. Idem Sotus *lib.1. de iust. q.6. art.6. ad 4.* & idem docet Nau. *addit. ad n.67. capitis 23.* in alio simili, nempe in statutis collegiorum, vel vniuersitatum, quòd qui tale delictum patrarit, perdat collegium, &c. quod non perdit ante iudicis sententiam.

12 Nota idem dicendum esse de aliis electoribus in Ecclesiis, vel collegiis. Patet eadem ratione. Sic Sotus *dicto art.6. ad 4.* Molina *ibidem,* & alij docti Magistri.

13 Nota, idem dicendum esse, licèt dicatur in statuto, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



quòd ipso iure perdat, quia hæc verba, *ipso facto*, vel *ipso iure*, non sufficiunt, vt quis teneatur ad pœnam ante iudicis sententiam: vt latè docui *lib.10.de matrim.disp.8.n.14.& lib.2.summæ.c.22.n.22.& 26.*& latè dixi in speciali *de inhabilitate, lib.2.summæ, c.39.n.vltimo, & c.26.n.1.& lib.6.c.15.n.64.& 65.*& Aragon *supra* & alij.

14 Quarta conclusio. Si scholaris habens defectum interrogetur iuridicè, scilicet quia laborat infamia, vel indiciis, & negaret veritatem, si suo suffragio impediret, ne alicui daretur cathredra, tenetur restituere. Hanc tenet Sotus *vtroque loco cit.* Ledesm. *vbi suprà*, & alij: sed Sotus. & Ledesma innituntur huic rationi, quia credunt perinde manere priuatum iure suffragandi, ac si esset condemnatus. Et innititur Soto suæ sententiæ, quam ipse tutatur, scilicet reum legitimè interrogatum negantem veritatem teneri restituere pœnam, ad quam damnaretur si fateretur veritatem: sed ego non innitor huic fundamento, quia probabilius credo reum iuridicè rogatum negantem veritatem, non teneri ad pœnam, vt dixi *loco citato de matrimonio*. Et sic credo hunc scholarem iuridicè rogatum, & negantem veritatem non amittere ius suffragandi, ac si damnaretur, quia illa est pœna. Nihilominus tamen etiam sequendo hanc sententiam, est verum, quòd si talis scholasticus interrogatus iuridicè negat veritatem contra iustitiam, & ob id non condemnatur, & suo suffragio impediuit à cathedra illum, qui opponebat ei illam exceptionem, tenetur illam restituere, quia licèt reus iuridicè rogatus negans veritatem non teneatur ad pœnam ante condemnationem, at tenetur ad damnum inde subsequutum. Sic doctus quidam iunior à me consultus.

15 Nota quòd conclusio hæc est intelligenda non de illo interrogatorio generali, quod proponitur omnibus, sed debet intelligi, quando alicui in particulari opponitur aliqua exceptio, & interrogatur in particulari & iuridicè circa id, quia scilicet præcesserunt indicia sufficientia, vel semiplena probatio, vel infamia. Ita colligitur ex Soto, & Ledesm, *vbi suprà*, & tenent alij plures docti recentiores.

16 Ad argumenta oppositæ sententiæ breui respondetur, scholares, licèt matriculæ adscripti non sint, nec habeant approbationis schedulam, esse patres vniuersitatis, modò sint auditores ordinarij, & vniuersitatem velle eis sua priuilegia communicare, donec condemnentur: & pœnam priuatiuam non incurri ipso iure ante omnem sententiam, quando rationabiliter, & verisimiliter colligitur oppositum ex statuentis mente, vt hìc colligitur licut inter probandum secundam & tertiam conclusionem ostendimus.

## DVBIVM LIII.

*An scholasticus qui patitur defectum aliquem ad suffragandum secundum statuta vniuersitatis, peccet mortaliter suffragium præstando.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit scholasticum habentem defectum secundùm statuta vniuersitatis ad suffragandum, peccare moraliter, sit suffragetur. Probatur, primò, quia frangunt iuramentum tales scholastici, quo iurant secundùm vniuersitatis statuta se suffragaturos. Secundò probatur, quia hæ res non sunt infamiæ, ad quas interrogandas sint necessaria indicia, nec scholastici coguntur suffragari, & suum detegere crimen: sed potest quisque saluo suo honore non suffragari. Tertiò probatur, quia Academia cum his conditionibus dat scholasticis ius suffragandi, sicut institutor collegij cum his conditionibus admittit collegas ad suum collegium: ergo potest non præcedente probatione iuramentum exigere. Quartò probatur, quia opposita sententia videtur occasio scandali, & multorum malorum in vniuersitate, nec prodesset quidquam illud interrogatorium generale, quia licèt scholaris esset diffamatus, non teneretur se prodere ad interrogatorium generale: hoc autem non est dicendum, cùm hic sit vsus in vniuersitate receptissimus, & à tot viris doctis approbatus, & transgressores, ac periuri puniuntur. Hanc tenet Metina 1.2.*q.96.art.4.ad 4.* Alcozer *in summa, c.27.inter scholasticorum peccata.* Idem Aragon 2.2.*q.11.art.3.fol.*350. Salon 2.2. *q.63.art.4.fine*, & alij docti Magistri recentiores.

2 Secunda sententia docet oppositum; quæ, quia amplectenda est, explicabitur aliquibus conclusionibus.

3 Prima conclusio: Scholastici, qui alloquuntur extra scholas oppositores cathedrarum de illis rebus, quæ non pertinent ad subornationem, quod si confiterentur cùm suffragaturi sunt, redderentur inhabiles, & ea de causa iuramentum exigenti respondent, se nil extra scholas esse loquutos, intelligentes intra se de illis rebus, quæ sunt contra mentem statuti nec sunt periuri, nec peccant. Ratio, quia verum iurant secundùm mentem statuti. Sic Nauarr. summa Hispan. & Lat. *c.12.n.19.* Enriq. *in suis scriptis*, dicens esse communem sententiam recentiorum. Palacios *verbo Periurium*, Ludou. Lopez *lib.1.instruct.c.42.* & alij.

4 Nota, idem dicendum esse, si ex inaduertentia ingressus est scholasticus domum oppositoris, vel propter vtilem causam dixit verbum aliquod, vel fregit aliud leue statutum: hic enim nec peccat, nec est periurus, si suffragetur. Ratio, quia per epiikeiam constat, quòd propter tam leuem rem non intendit legislator priuare illum in conscientia iure suffragij, nisi opponatur illi per exceptionem, & damnetur à iudice. Sic Enriquez *in suis scriptis*, & alij viri docti.

5 Secunda conclusio: quoties scholasticum, qui verè est reus, quia scilicet est subornatus, iudex non interrogat præcedente infamia, vel indiciis probatis, nec habens contra illum semiplenam probationem, potest scolasticus occultare veritatem, modò caueat mendacium, & vti verbis æquiuocis in iuramento, & sic potest absque peccato suffragari. Probatur, quia, vt dixi *lib.3.summæ, cap...* hæc requiruntur ad interrogandum iuridicè, & vt reus teneatur ad mentem iudicis respondere; & licèt hæc interrogatio non sit ad infligendum supplicium, est tamen ad spoliandum illum iure suffragandi, quod habet antequam legitimè condemnetur. Item, quia hic habet verum ius suffragandi ante sententiam; ergo non peccat suffragando. Hanc tenet Sotus *lib.4.de iustit.q.6.artic.3.sub finem*, Ledesm. 2.4.*q.*18 *art.2.fine*, & alij plures Magistri valde docti.

6 Nota posse hunc scholasticum, qui contra ius interrogatur, iurare se non fecisse, intelligendo intra se, ita vt teneatur dicere, vt latè probaui *loco citato summæ*; sic quidam docti recentiores.

7 Vltima conclusio: quando verò talis scholasticus iuridicè rogetur, tenetur fateri veritatem, & si neget, peccat mortaliter, & tenetur damnum restituere, probaui *dub.præced.*

8. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd iuramentum debet intelligi secundùm statuta benè intellecta: at statuta intelligenda sunt, vt subornatus, vel non matriculatus, &c. non præstent suffragium, quando conuicti, & damnati fuerint.

9. Ad secundum respondetur, quòd licèt hæ res non sint infamiæ, & ipse possit non se ingerere, at habet ius suffragandi, & potest vti iure suo, dum condemnatus non fuerit.

10 Ad tertium respondetur, quòd non est pactum conditionale, sed pœnale, vt dixi *dub.præced.* Et confirmatur, quia hæc statuta non sunt condita à fundatoribus, sed sæpe à reformatoribus vniuersitatum variantur.

11 Ad quartum negatur, sequi mala ex hoc, quòd delicta occulta non puniantur; & interrogatorium illud generale prodest ad terrorem; & quia sunt opiniones de hoc.

DVBIVM



## DVBIVM. LIV.

*Quomodo intelligatur caput 6. sess.25. Concilij Trident. de regularibus circa electionem superiorum regularium.*

1 IN capite 6. Concilij Trid. citato duo statuuntur: alterum, quòd in electione superiorum quorumcunque Abbatum temporalium, & aliorum officiorum, ac Generalium, & Abbatissarum, ac aliarum Præpositarum, fiat per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Alterum est, quòd in posternum non liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere, aliàs electio sit irrita; etsi electus, qui sic se creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat.

2 Hoc supposito dubitatur, an sub priori parte scilicet, vt fiat per vota secreta, electio Commissariorum comprehendatur. Item an liceat superiori absenti, & legitimè impedito mittere ad Capitulum alium fratrem, qui eius vices gerat, & suo nomine habeat vocem in Capitulo. Sit

3 Prima conclusio: electio Commissariorum comprehenditur sub illa priori parte huius decreti, & ideo facienda est per vota secreta, &c. Sic Pasarellus *in priuilegiis Minimorum, in annotatis super canones* Concilij Trid. *de regularibus*, *canone* 41. & dicit sic respondisse Cardinales expositores Concilij die 25. Ianuarij anno 1571.

4 Secunda conclusio: si ex institutis, aut decretis alicuius religionis, licet superioribus absentibus, & legitimè impeditis, mittere ad Capitulum generale alium fratrem, qui tanquam eorum procurator suo loco, & nomine det vocem in electione, vt in ordine Minimorum contingit: hoc non interdicit Concilium. Sic Pasarellus *ibidem can.* 42. dicens, sic respondisse eosdem Cardinales 8. Aug. ann. 1570.

## DVBIVM LV.

*An regulares sacris intiati prohibeantur habere vocem in Capitulo per caput 4. sess.22. Concil. Trident. de reformatione.*

1 IN capite 4. Concilij Trid. citato statuitur, vt quicunque in cathedrali, vel collegiata, sæculari, vel regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis in subdiaconatus ordine constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat.

2 Circa cuius intelligentiam dubitatur, an si statutis alicuius religionis sit stabilitum, etiam sacris non initiatos habere vocem in Capitulo, vt est in ordine Minimorum, an hoc prohibeat Concilium.

3 Sit conclusio: hoc non prohibet Concilium; quare bene possunt habere vocem in Capitulo, quia Concilium non comprehendit monasteria regularium. Sic Pasarellus *in priuilegiis Minimorum, in annotatis super canones* Concilij Trident. *canone* 13. dicens, sic respondisse Cardinales Concilij expositores 10. Ianuarij 1573.

## DVBIVM LVI.

*An hic, cui committitur facultas vnum ex pluribus eligendi ad rem aliquam pretio æstimabilem, possit pro alicuius ex illis electione pretium aliquod recipere.*

1 EXempla esse possunt. Relinquo ego Petro annuum redditum centum aureorum, vt ex quatuor consanguineis vni, quem ipse elegerit, largiatur, dubitatur an possit paciscì cum vno ex istis quatuor, vt det sibi aliquod pretium ob electionem illius præ aliis? Similiter quilibet Decurio, vulgò, *veintiquarto*, potest eligere quem maluerit, ad aliquod officium: aut sanè sorte obtingit illi distribuere, vel officium custodum, aut aliud quodcunque ei, quem ipse elegerit & maluerit. Dubium est, an possit aliquid accipere propter electionem vnius? Similiter iudex aliquis missurus alium ad commissionem quandam potest quem maluerit alguacellum mittere: dubitatur an possit vnum determinare, & nominare ad talem legationem, pacto inito cum eo de adeunda parte lucri, & emolumenti.

2 Quòd possit pro his pretium recipi, probatur, quia iste reuera liberalitatem exerceat in alium, poterat enim illum, vel alium eligere; ergo. Secundo, quia per *l.18. Tauri*, quæ hodie est *lex 2.tit.6.lib.5. nouæ recopil.* pater non potest tertium bonorum distribuere, nisi inter descendentes, at potest inter illos, quem maluerit, eligere, & tamen ei quem prætulerit in tertio bonorum, potest grauamen imponere; ergo. Patet minor ex *l.28. Tauri*, quæ est *lex 11.tit.6.lib.5.nouæ recopil.*

3 Sit tamen prima conclusio: is cui committitur facultas vnum ex pluribus eligendi ad rem quamcunque pretio æstimabilem, hac tamen lege, quòd teneatur aliquem ex illis eligere, nequit pretium recipere pro electione, & si recipiat, tenetur restituere. Ratio, quia qui lege iustitiæ tenetur aliquid facere, si pro eo faciendo pretium capiat, tenetur restituere: at elector hic tenetur lege iustitiæ electionem facere. Et sic *leg. vnum ex familia, ff. de leg.2.§. si de falcidia, & §. sed & si fundum*, hic elector appellatur debitor huius electionis, & electi appellantur creditores: quod etiam notat Bart. & Paulus de Castro *ibi num.4.* & Padilla *ibi num.1.* Molina *lib.2. de primog. cap.5. num.31. & infra.* Quod adeò verum est, vt possit sicut debitum ab ipso electore exigi: ergo pro ea facienda nequit pretium recipere. Secundò probatur, quia hoc beneficium, quod præstat hic elector, non prouenit ab ipso; sed à testatore, qui commisit illi, vt posset eligere, vt patet ex *d.l.vnum ex familia.§.si de falcidia*, vbi sic dicitur, *Iste non dicitur habere ex testamento huius electoris. sed ex primo testamento, non enim facultas necessaria electionis propria liberalitatis beneficium est.* Hæc lex illa, & glossa *ibi vers.ic. Beneficium*, inquit, *non dicitur hæc liberalitas prouenire ab hærede, licèt eligere possit.* Et Peralta *leg. cum pater.§.à filia.ff.de leg.2.num.88* inquit, *Habens facultatè eligendi vnum de familia, si eligat, non dicitur conferre beneficium. vel liberalitatem in electum, & illud legatum capitur ex primo testamento, & non ex nominante, vel eligente.* Et *l.virium.§.cum quida.ff.de rebus dubiis*, dicit hæc lex: *Plurimum interest, an in potestate alicuius relinquatur, si velit dare, an imposita necessitate dandi, solum ei distribuendi liberum arbitrium concedatur.* Ergo hic elector non potest electum grauare de pretio aliquo pro electione præstando. Vltimò & fortius probatur, quia talis elector ex præcepto defuncti tenetur rem ipsam integrè dare. v.g. reliquit quidam mihi fundum vni ex tribus elargiendum, quem ego elegero, aut centum numos aureos, quibus maluero pauperibus distribuendos: voluntas testatoris est, vt integrè dem fundum, & centum numos aureos: ergo non potest talis elector in aliquo grauamen electo imponere, vt petendo pretium, &c. Quia si grauamen imponeret, vel pretium exigeret, non traderet electo rem integram: res enim minus valet ex illo onere sibi imposito, vel illud pretium ex re danda extraheretur.

4 Hæc prædicta sententia in primis colligitur ex omnibus Doctoribus citatis, qui dicunt talem electorem esse debitorem huius electionis. Et in terminis eam tenet Paulus de Castro *d.l.vnum ex familia*, § *sed etsi fundum*, Peralta *eodem* §. *num.9.& 10.* Segura *ibi n.* 162. Soto *lib.3.de iust. quæst. 6.art.4.* Molina *lib.2.de primog.cap.4.n.10.* per plures, *& cap.5.à n.31* per plures numeros, Cord. *summa casuum, quæst.176.* vbi hæc dicit: *En todos los nombramientos, y elecciones, que se an de hazer por virtud de alguna ley, estatuto, o testamento de alguna persona para qualesquier officios, y cosas, cunque sean temporales; y seculares, como son regimientos, procuradorias de Cortes, o distribuciones, que se an de hazer por via de eleccion, o nombramiento, aunque y o pueda elegir, o nombrar el que quisiere de los que tienen de recho para ser elegidos, no puedo llevar cosa alguna*

*alguna*

*alque eligiere,o nombrare poresto.si el no melo da gratis por via de gratitud:y si algo le lleua es turpe lucro,y esta obligado à restituirlo al mismo.*Hæc Cord. & hanc sententiam expresè diffinit dicta lex, *vnum ex familia, dicto §. sed etsi fundum;*& teste Molina *vbi supra*,eandem tenent omnes Doctores *dicta l.vnum ex familia.*Idem apertè tenet Padilla *eadem l.§.si de falcidia,num.21.22.& 23.* vbi colligit ex illo textu actum gestum ab eo, qui tenebatur facere, non dici liberalem; & sic Episcopum licèt posset eligere ad beneficia, non dici donare beneficia, & ideo non posse aliqua pensione grauare beneficiarium.

5 Ad secundum argumentum in contrarium respondetur,quia ad primum patet ex dictis patrem nullum ex filiis teneri meliorare in tertio bonorum, sed si voluerit meliorare, tantùm potest hoc facere inter filios, vel descendentes: & ideo cùm sit liber quoad omnia,potest filio meliorato grauamen imponere. Sic respondet Peralta *vbi suprà,num.16.*

6 Nota circa conclusionem positam, quod Peralta *d.§. sed etsi fundum, num.15.*dicit electorem non posse grauare electum onere pecunia æstimabili, benè tamen onere inæstimabili, vt delationis armorum, vel nominis testatoris: sed bene hoc reprobat Molina *eodem cap.4. n.21.* quia hæc onera sunt grauamina pecunia æstimabilia.

7. Secunda conclusio, is, cui testator commisit aliquid inter pauperes distribuere, potest alicui pauperi largiri, hac tamen lege, vt post mortem alij pauperi id largiatur. Ratio, quia satis impletur testatoris voluntas, cùm tota illa quantitas inter pauperes distribuatur.Sic.Bart.*d.§. sed etsi fundum, num.1.*

## DVBIVM LVII.

*An qui recipit gradum aliquẽ baccalaureatus,licentiati,vel doctoratus,cum sit minus sufficiens,peccet mortaliter.*

1 SIc prima conclusio: Doctorem fieri, vel facere in sacra Theologia notabiliter insufficientem, est peccatum mortale. Ratio, quia est factum pernicioſum, quantum est de se, eo enim ipso quòd Doctor in Theologia constituitur, approbatur, & proponitur toti orbi vt animarum medicus sufficiens, ad quem omnes confugere possint pro suis difficultatibus, & conscientiæ casibus diluendis,& fidunt illi ignorantes, eo quòd sit Magister,vel Doctor in Theologia. Sic D.Anton.*2.part.tit. 3.cap.5.§.6.*Alcozer *summa,cap.27. initio.*Sylvest. *verbo Doctor.quæst.4.*Arm.*ibi num.*1.Caiet. & Palacios *in summa,verbo Doctoratus,*Nau.*cap.25.* Hisp.& Lat. antiq. & noua,*num.*5. & docti recentiores.

2 Secunda conclusio: idem dicendum est de doctoratu in medicina. Paet ratione, est enim in graue corporis salutis damnum; illi enim fiditur propter gradum. Sic Nauar.Caiet.. Alcozer,Armil.Palacios,& alij.

3 Tertia conclusio: idem dicendum est de doctoratu in iure Pontificio, aut Cæsareo. Probatur eadem ratione,quia est in graue clientulorum damnum. Sic Nau. Alcozer,Armil.Caiet.licèt aliquantulum dubius, & alij.

4 Nota idem,quod dixi de doctoratu, censendum esse de gradu licentiati; quia cui datur hic gradus, datur facultas, vt quoties velit promoueatur ad doctoratum, absque nouo examine. Sic Palaeios,& docti iuniores.

5 Secundò nota idem sentire aliquos de gradu baccalaureatus. Sic Alcozer *vbi suprà*; & videtur renere Nau. quia indifferenter loquitur de gradibus. Sed verius est non esse mortale, quia parum damni infertur; gradus enim baccalaureatus parui penditur, nec ratione illius alicui fiditur. Sic Palacios,& alij.

6 Tertiò nota, quòd Nauarr. & Alcozer dicunt idem de gradu in artibus, scilicet esse mortale illum recipere absque sufficentia. Sed probabilius est non esse mortale; quia non inde consurgit damnum graue.Sic docti recentiores,& videtur renere Caietanus, siquidem de doctoratu in iure dubitat.

7 Rogabis, an qui recipit gradum aliquem baccalaureatus licentiati, vel doctoratus, deficiente sibi aliquo requisito ad id secundùm statuta, scilicet schedula examinis in Grammatica,vel cursu aliquo, vel si non scholasticorum matriculæ sit adscriptus, peccet mortaliter. Sic accipiendo gradum, & an si de facto recipiat tali defectu gradum, possit postea se opponere ad cathedram, collegia,vel beneficia,quæ requirunt talem gradum.

8 Sit quarta conclusio: si defectus est talis, qui solùm in foro externo, & non in foro conscientiæ,annullat gradum,benè potest se opponere; secus si in foro conscientiæ annullat gradum.Sic Nauar.*cap.28.addit. ad n.58. cap.25.*& docti neoterici.

9 Sed quæres,qui sint defectus, qui annullant in conscientia.

10 Quinta conclusio: defectus schedulæ examinis in Grammatica, quod iubetur fieri ad audiendum aliam facultatem,non annullat gradum in conscientia,si qui prætermisit, erat aliàs sufficiens ad audiendum aliam facultatem. Ratio, quia hic defectus non est adeò essentialis, Sic Nauarr.Henriquez,& alij.

11 Sexta conclusio: idem dico de defectu alicuius cursus,si aliàs est tam doctus, sicut alij mediocriter docti, qui habent cursus integros. Sic tenent iidem.

12 Septima conclusio: idem dico de defectu adscriptionis matriculæ. Sic colligitur ex Nauarro, & tenent Henriquez,& alij.

13 Octaua conclusio: idem dico de defectu examinis rigoroſi, quod Papa, vel Nuncius in suis rescriptis præcipit fieri,si ille sit tam doctus, quòd debebat ab examinatoribus approbari. Sic Nauarr.Henriquez, & docti Magistri.

14 Nona conclusio: si ille, qui accipit gradum,sit tam doctus,quàm sunt communiter alij, qui accipiunt gradũ in illa vniuersitate, licèt non seruauerit solemnitates, quas exigunt statuta illius vniuersitatis, gradus erit validus in foro conscientiæ; quia quando concurrit id,quod secundùm ius naturale est necessarium, defectus solemnitatis iure humano requisitæ, non irritat contractum in foro conscientiæ,vt ex multis probat Nauar.*vbi suprà,* & plures,quos refert Couar.*reg.peccatum 2.p.§.3.num.9.& cap. cum esset. de testam.num.5.*& 8.Hanc tenent Nauar. Ludou.Lopez *1.par.institutorij noui,cap.164.fine.*Henriquez & quidam doctus ex neotericis, qui addidit in suis scriptis,idem in simili casu decreuisse,& subscripsisse plures Magistros circa quendam, qui similem patiens defectum factus scriba est.

Circa peccatum verò aliqui dicunt esse peccatum mortale recipere gradum cum simili defectu,scilicet cùm quis non habet cursus requisitos, vel non interfuit illis iuxta vniuersitatis statuta, scilicet quòd sit matriculæ adscriptus, &c. & hoc licèt non interueniat iuramentum; quia vniuersitas non intendit conferre gradum patientibus defectum aliquem iuxta sua statuta. Sic Alcozer *summa,c.27.initio,*& Henriquez, qui addidit, si defectus sit in re minima,vt defectus schedulæ,erit veniale,seclusso iuramento.

15 Decima conclusio: secluso iuramento recipere gradum patientem aliquem defectum ex dictis, qui in foro conscientiæ non annullant gradum, non est peccatum mortale, si ille aliàs esset dignus, & sufficiens ad illum gradum. Ratio, quia hi defectus non sunt substantiales, & quod substantiale est, concurrit, scilicet promoti ad gradum sufficentia. Si autem iuramentum interueniat, tunc temporis erit peccatum mortale, non ratione talis defectus interuenientis, sed ratione periurij,quod ille committit. Sic docti iuniores.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca



## CAPVT II.

*De beneficiis.*

### SVMMARIVM.

DVB.1.*Quid,& quotuplex sit beneficium.*
2. *Quis possit conferre beneficia.*
3. *An possit Episcopus beneficium simplex, siue curatum Religioni vnire.*
4. *Quid requiratur ex parte accipientis bepeficium,vt licitè recipiat.*
5. *An beneficiorũ pluralitas licita sit,stando in iure naturali.*
6. *An iure humano interdicta sit beneficiorum pluralitas.*
7. *An recipiens duo incompatibilia, animo ea retinendi amittat ipso iure ambo.*
8. *An illegitimus dispensatus à Papa ad ordines sacros,& beneficium simplex non sufficiens ad sustentationem, possit dispensari ab Archiepiscopo, vt obtineat aliud simile beneficium.*
9. *An laicus qui incedit habitu clericali,& animum habet citò assumendi clericatũ,sit capax beneficij Ecclesiastici.*
10. *An collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiori,teneat.*
11. *An quando excommunicatio superuenit post obtentum beneficium,id amittatur.*
12. *An electio ad beneficium,seu collatio facta excommunicato minori excommunicatione, sit valida.*
13. *An beneficiorum permutatio facta per excõmunicatum valeat,v.g. si quis ante excommunicationem legitimè obtinuit beneficium,& postea existens excommunicatus illud permutet.*
14. *An propter irregularitatem amittatur beneficium, vel collatio sit nulla.*
15. *An suspensus, vel interdictus amittat beneficium, vel teneatur fructus restituere.*
16. *An collatio beneficij reddatur nulla defectu legitimæ ætatis.*
17. *An liceat pueris post decimumquartum annum beneficia conferre.*
18. *An propter defectum morum reddatur collatio beneficij nulla.*
19. *An beneficiarius existens in peccato mortali perdat beneficij fructus, & teneatur illos restituere.*
20. *An defectus scientiæ, quia scilicet beneficiarius est indoctus,collationem beneficij illi factam nullam reddat.*
21. *An per intrusionem reddatur quis beneficij incapax.*
22. *An habens beneficium curatum, si non promoueatur infrà annum ad sacerdotium,amittat ipso iure beneficiũ.*
23. *An quando decreto aliquo Concilij, vel Papæ, cauetur, vt qui tale admiserit crimen ipso facto, vel iure amittat beneficium,teneatur,qui illud admisit, resignare beneficium ante aliquam sententiam iudicis.*
24. *An si canon iubeat, vt qui tale admiserit crimen ipso facto,absque aliqua declaratione perdat beneficium,requiratur adhoc iudicis sententia, vt perpetrans illud crimen,teneatur illud beneficium resignare.*
25. *An quando quis per iudicis sententiam priuatur beneficio,& alteri confertur,is,cui confertur, licitè retineat, etiamsi postea nouerit sententiam fuisse iniustam.*
26. *An possit Episcopus dispensare, vt beneficium aliquod detur non habenti qualitates à fundatore requisitas, de consensu tamen patroni beneficij.*
27. *An beneficium sæculare religioso collatum ex dispensatione Nuncij,cum clausula, vt intra annum nouam prouisionem illius obtineat à Papa,vacet non obtenta tali prouisione intra annum.*
28. *An possit clericus patronus alicuius beneficij simplicis præsentare se ad illud beneficium.*
29. *An renunciatio beneficij, vt sit valida, debeat fieri in manibus Episcopi? & an requiratur consensus patroni quando beneficium est patronatum.*
30. *An beneficia priora vacent per adeptionem Episcopatus,atque etiam per Abbatiæ adeptionem.*
31. *Testator instituit capellam collatam,iussitque quod conferretur Petro,qui cum primũ filius testatori superueniret ad ætatem requisitam, huic ipse Petrus capellam renunciaret. Dubitatur an ad hoc Petrus obligatur.*
32. *An si testator iubeat construi capellam, vel dotari Ecclesiam,vel capellaniam fundet,possit aliquo casu eius regimen,& administrationem auferre Episcopo.*
33. *An fundans Capellaniam,& non reseruans ius patronatus,illud acquirat,vel requiratur noua licentia Episcopi ad illud acquirendum.*
34. *An si fundator capellaniæ petat residentiam in ea,excusetur capellanus à residentia ratione studij per quinquennium, iuxta c.finale,de Magistris.*

## DVBIVM I.

*Quid, & quotuplex sit beneficium.*

1 BEneficium, vt in præsenti sumitur,quod aliàs sacerdotium dicitur, sic diffinitur: *Est ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis clerico competens propter diuinum officium.* Hæc diffinitio colligitur ex Syluestro,& reliquis summistis,*verbo beneficium,in principio.* Et habet hæc diffinitio quatuor partes. Prima pars est, *ius,*id est, facultas, & potestas exigendi secundùm iustitiam.Secunda pars est, *ex bonis Deo dicatis*; quia in principio Ecclesiæ offerebant plures fideles sua bona Deo in sustentationem ministrorum, & ad vasa Ecclesiæ, &c. vnde ex his bonis, & decimis, quæ ad hoc etiam dabantur sunt fructus beneficiorum. Tertia pars, *Clerico*, quia laicus est beneficij incapax, vt *infrà* dicetur.Vltima pars, *propter diuinum officium,*hic ponitur finis:& in hoc differt à præbenda pura,quę non est annexa canoniæ,quia præbenda datur homini sæculari non ob tale officium, sed vel quia benè meritus est de Ecclesia, vel temporaliter illi seruit,vel ob paupertatem, vel ob aliam causam. Vnde in hoc differt à præbenda, & pensione, quæ licèt sint ius,at non dantur propter diuinum officium.Hæc Cardinalis Toledo,*lib.5.summæ,cap.76.*

2 Circa diuisionem beneficij Syluester *verbo beneficium,* primò multa dicit;at breuiter potest diuidi in quatuor genera, quædam habent curam animarum, & iurisdictionem exteriorem, vt Episcopatus, Abbatiæ aliquæ, & prioratus: quædam neutrum habent sed tantùm officium diuinum,vt beneficia simplicia,Capellaniæ:alia habent iurisdictionem, sed non curam animarum: quæ in administratione sacramentorum consistit, vt aliquæ Abbatiæ, quæ dicuntur iurisdictionales: similiter dignitatis, vt Archidiaconatus, Decanatus, quæ quandam iurisdictionem in choro habent. Alia sunt, quæ habent curam animarum, sed non iurisdictionem; vt beneficia curata. Hæc Cardinalis Toledo *vbi suprà.*

## DVBIVM II.

*Quis possit conferre beneficia.*

1 NOta cùm duo requirantur, vt beneficij collatio valida sit,scilicet potestas in conferente, & habilitas in recipiente,vtrumque indagare oportet.

2 Secundò nota, aliud esse conferre beneficium, aliud resignare,aliud præsentare, & aliud eligere. Conferre est dare ipsum ius, & titulum exigendi fructus, & potestatem exercendi officium. Resignare verò est signare, & determinare aliquem,cui beneficium conferatur. Eligere verò est vnum aliquem offerre ordinario, vt beneficium conferatur ei. Præsentare denique est cùm absque suffragiis quis offert ordinario aliquem, vt beneficium ei conferatur.Hæc Cardinalis Toledo *lib.5.summæ, cap.77.*

3. Prima conclusio, Romanus Pontifex potest in toto orbe beneficia cõferre;quia est summus dispensator rerum Ecclesiasticarũ.Conclusio est certissima & omnium.

Universidad de Deusto
Biblioteca



4 Secunda conclusio, de iure ad ordinarium spectat conferre beneficia suæ diœcesis, nisi sit aliquod statutum vel immemorialis consuetudo in contrarium. Ratio, quia quod potest Romanus Pontifex in toto orbe, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter ei reseruetur, vt dixi *lib. 1. de matr. disp. 61. num. 3.* Sic Cardinalis Toledo *vbi supra*, Sylvester *beneficium 2. in principio*, vbi, & reliqui summarum authores.

5. Tertia conclusio, Vicarius generalis Episcopi (qui Hispanè *Prouisor* appellatur) non potest beneficia conferre, nisi præsentatis à patrono. Vltra hunc tamen casum nequit per generalem delegationem, quæ per Episcopum fit, nisi specialiter Episcopus hoc sibi committat. Sic Couarr. plures referens, & latè probans *3. lib. var. resol. cap. 20. num. 7.*

6 Quarta conclusio, Capitulum non potest beneficia conferre, nisi in tribus casibus. Primus est, quando ordinarius est suspensus à collatione beneficiorum, vel est excommunicatus. Secundus, quando vacat sedes, & tale beneficium Capitulum cum Episcopo solebat prouidere: secus, quando solus ordinarius conferre debebat. Tertius est, quando est beneficium iuris patronatus, tunc enim licèt solus Episcopus conferre soleret: at vacante Sede potest Capitulum præsentatis à patrono tale beneficium conferre. Extra hos autem casus nequit Capitulum, etiam Sede vacante, de iure conferre beneficia, nisi speciale habeat priuilegium. Sic Sylvester textus referens, & reliqui summistæ, atque etiam Toledo *vbi supra*, & quod non possit Capitulum Sede vacante beneficia conferre, nisi præsentatis à patrono, docet etiam Couarruuias *vbi supra*.

7. An verò possit Episcopus extra suam diœcesim, vel in Romana Curia existens beneficia suæ diœcesis conferre, consule latè Couarruuias *vbi supra, num. 89.*

8. Quinta conclusio, resignare beneficium potest quicunque beneficium habet, & vult in alterum transferre. Eligere verò possunt etiam sæculares. Præsentare verò potest qui ius patronatus habet. Conclusio certissima. Et ita tenet Cardinalis Toletus *vbi supra*.

## DVBIVM III.

*An possit Episcopus beneficium simplex, siue curatum Religioni vnire.*

1 PRima conclusio, non potest Episcopus beneficium, siue simplex, siue curatum vnius diœcesis vnire beneficio alterius diœcesis, vel religioni in altera diœcesi consistenti. Probatur ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 9.* vbi sic dicitur, beneficia, siue præstimoniales portiones fuerint, vnius diœcesis, alterius diœcesis beneficio, aut monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuò non vniantur. Et id fuit cõueniẽtissimum, non enim legimus in veteribus canonibus, Pontificum decretis, & canonicis sanctionibus eas vniones permissas fuisse; quia æquum est, vt ministri Ecclesiastici vnius diœcesis, cui seruiunt, alantur ab iis, quibus ministrant.

2. Secunda conclusio, non potest Episcopus beneficium curatum vnire simplici, vel religioni etiam intra suam diœcesim consistentibus. Probatur ex Concil. Trident *sess. 24. c. 13. de reformatione*, vbi sic dicitur, *In vnionibus quibuslibet, siue ex supradictis, siue aliis ex causis faciendis, Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut Abbatiis seu dignitatibus, siue præbẽdis Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, siue aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militiisve, non vniantur.* Et ratio est, quia licèt quandoque inueniatur beneficium curatum simplici vnitum, vt *in c. extirpandæ, §. quia verò, de præbendis, & cap. super eodem titulo in 6. & Clem. 2. de rebus Ecclesiæ non alien.* Hoc tamen iure optimo prohibet Concil. Trident. quia similes vniones nullo modo iustæ censeri possunt, nisi in subsidium, & iis casibus, quibus aliunde, quàm ex his vnionibus subuenire non potest his, qui in maioribus beneficiis ad maiorem reipublicæ vtilitatem ministrant; quia hæc beneficia curata personalem residentiam requirunt, à qua nisi propter maiorem illius diœcesis vtilitatem excusari quis non debet: at in vnitis beneficiis curatis necessariò curatus substituendus est. Hæc notauit Couarr. *in annotationibus manuscriptis super Concil. Trident.* Vnde Societas Iesu beneficium curatum sibi vniri non vult, ex *canone 8. secundæ congregationis, & ex decreto 59. eiusdem.*

3 Tertia conclusio, Episcopus potest intra suam diœcesim vnire beneficium curatum cum curato, vel simplex cum curato, vel simplicia inter se, propter eorum paupertatem. Probatur ex *c. sicut vnire, de excessibus prælatorum.* vbi sic dicitur: *sicut vnire Episcopatus, atque potestati subiicere ad Papam pertinere dignoscitur; Ita Episcopi est Ecclesiarum suæ diœcesis vnio,* & in Concil. Trident. *sess. 21. cap. 5.* habetur *posse Episcopos vniones perpetuas facere beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter eorum paupertatem. & in sess. 7. cap. 6. & 7.* præcipitur ne fiant hæ vniones sine legitima causa, & Vicariis beneficio ministrantibus assignetur legitima portio, quæ portio, quanta debeat esse, taxatum est per motum proprium Pij V. qui incipit *ad exequendum*, & habetur *in libellis parum, fol. 71.* ante motum proprium, *de taurorum agitatione.*

4 Nota tamen huiusmodi vniones non posse fieri per Episcopum cum præiudicio patroni, si sit beneficium iuris patronatus: non enim potest per Episcopum vniri beneficium aliquod alteri, absque consensu illius, qui habet ius conferendi, eligendi, vel præsentandi, siue sit patronatus Ecclesiasticus, siue laicus: aut potest hæc vnio fieri authoritate Romani Pontificis, modo fiat expressa mentio iuris patronatus laicorum, quoties per vnionem tollitur ius præsentandi, vel ei derogatur. Sic Couar. plures refens *qq. practic. cap. 36. num. 11.*

5 Quarta conclusio, potest Episcopus vnire beneficium simplex religioni intra eandem diœcesim consistenti. Probatur ex *Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alien.* vbi habetur, posse Episcopum Ecclesiam Ecclesiæ vnire, & religioso loco donare. Vbi idem docet Anchar. *not. ab. 2. & 3.* Immola *ibi num. 2. & 3.* Cardin. *ibi num. 1. & 3.* glossa *ibi* Felinus *cap. in nostra, de rescript. num. 42.* referens decisionem Rotæ, ad idem facit Gregor. Lopez *p. 1. tit. 12. l. 3. vers. En otra manera*, vbi dicit posse Episcopum fauore religionis Ecclesiam sæcularem transformare in regularem, & iuxta hanc doctrinam post maturam consultationem cum doctissimis viris D. Christophorus de Roies Archiepiscopus Hispalensis *anno 1572.* vniuit Collegio Societatis Iesu Hispalensi beneficium simplex, cuius redditus quotannis erant quadraginta nummi aurei.

6 Nota hîc debere fieri vnionem ex causa legitima: est autem causa legitima necessitas, vel vtilitas, vt tradit Sylvest. *verbo alienatio, q. 12.* & debere fieri absque præiudicio patroni, & signata legitima portione Vicario deseruienti beneficio, vt dictum est *in 3. conclusione.*

7. Secundò nota ad hanc vnionem faciendam exigi consensum Capituli, nec sat esse petere ab eo consilium: sic enim habetur expresè *dict. Clem. 2.* & docet *ibi* glossi. *vers. consentiente*, Anchar. Immola, & Cardin. *loco citato.*

## DVBIVM IV.

*Quid requiratur ex parte accipientis beneficium, vt licitè recipiat.*

1 SIt conclusio, duæ conditiones requiruntur ex parte recipientis; nimirum debitus modus, ne scilicet vni plura beneficia conferantur. Et aptitudo subiecti, scilicet, vt recipiens habeat debitas iuris conditiones, scilicet sit Clericus, ne sit irregularis, excommunicatus, suspensus, habeat debitam ætatem, etiam morum honestatem, &c. de quibus omnibus sigillatim agendum est Sic Cardinalis Toledo *lib. 5 summæ, cap 79.*

DVBIVM



## DVBIVM V.

*An beneficiorum pluralitas licita sit stando in iure naturali, & diuino.*

1 PRima sententia tenet beneficiorum pluralitatem nullo modo esse illicitam stando in iure naturali, & diuino. Probatur, quia Papa nequit dispensare in iure naturali, & diuino: at passim dispensat in beneficiorum pluralitate; ergo hæc non est illicita stando in solo iure naturali, & diuino. Hanc sententiam tenet Innoc. *cùm ad monasterium, de statu monach. & cap. dudum 2. de elect.* & Bernardus *ibidem*, & idem videtur tenere gloss. *ibidem vers. retinere*, idem Catharinus *in Apologia contra Sotum, de residentia Prælatorum*, & Metina fertur eam tenuisse, vt refert Couarr. *vbi infra.*

2 Secunda sententia docet pluralitatem beneficiorum stando in iure naturæ non esse in differentem, nec esse ita intrinsecè malam, vt nulla ratione valeat iustificari, (cuius generis est mentiri, fornicari,) sed esse iure naturali illicitam, nisi ex aliquibus causis iustis excusetur, sicut occidere hominem, illicitum est iure naturæ: at ex aliqua circunstantia potest fieri licitum, scilicet si fiat ad propriam vitam defendendam. Hæc sententia potest in primis probari pluribus Scripturæ testimoniis, & pluribus rationibus, quas poteris videre in D D. allegandis: sed vnam, aut alteram propriam, quia multa inconuenientia annexa habet beneficiorum pluralitas, quæ referuntur, *extrauag. execrabilis, de præb.* nam in primis redundat in cultus diuini diminutionem, dum ipsi pauciores deputantur ministri. Est secundò in detrimentum debitæ curæ animarum, non enim potest quis bene pascere oues diuersarum Ecclesiarum, nec per alium æquè bene, ac per se. Tertiò in præiudicium aliorum, & contra iustitiam distributiuam, dum plures digni esuriunt, & vnus abundat. Quartò ordo gubernationis peruertitur, dum vnus plurium personas induit, & aliorum ministrorũ officia vsurpat; cùm ratio doceat, vt vnicuique suus proprius deputetur minister. Quintò est in præiudicium Ecclesiarum, ad cuius ministerium sunt redditus, nam Ecclesiæ debito seruitio defraudantur. Dum cui plures ministraturi erant, vnus ministrat; tãdem negliguntur studia, spésque bonorum debilitatur, si meritorum non habita ratione plura eidem conferuntur beneficia. Cùm ergo tot inconuenientia ex beneficiorum pluralitate redundent, signum est esse contra ius naturale. Secundò probatur, redditus beneficij sunt stipendium, pro seruitio Ecclesiæ. Sed vnus nequit pluribus Ecclesiis debitè deseruire; ergo contra ius naturæ est, vt plura habeat beneficia. Nec obstat ratio oppositæ sententiæ, in eo enim quod est contra ius naturæ strictè sumptum, & nulla ratione potest fieri bonum, nequit Pontifex dispensare. At verò in eo quod est contra ius diuinum, & naturale largè sumptum, & aliquibus oppositis circunstantiis potest fieri bonum, Papa potest dispensare, & huiusmodi est beneficiorum pluralitas. Hanc sententiam tenet D. Thom. *quodlibet. 9. art. 15.* Sylu. *beneficium 4. in princ.* Adrian. 4. *materia de rest. q. incipienti, quia in præmissis*, Rebuffus *praxi benef. cap. de dispensatione ad plura beneficia, num. 4. 5. 29. 58 59 60.* Arboreus *lib. 3. Theosophiæ, c. 25.* Margarita Confessor. *tract. de beneficiis, fol. 124.* Nauarr. summa Latina *c. 25. num. 128. & c. quando, Latino, c. 22. n. 60.* Soto *lib. 3. de iust. q. 6. art. 3.* Corduba *lib. 1. qq. quæst. 10.* D. Anton. 3. *part. not. 15. c. 1. §. 8.* Turrec. *c. 1. d. 80. n. 4. 7. 8.* Gandauo *quodlib. 2. q. 17.* Caiet. *summa, verb. beneficium 3.* Viguer. *lib. inst. c. 17. § 1. vers. 12.* Gibt. 4 *d. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 2.* Driedo *lib. 2. de libertate Christiana, c. 4. sub. finem*, Angel. *verbo beneficium, num. 35.* Bernard. Diaz *practica crimin. cap. 42* Panorm. *cap. dudum, el 2. de electione, n. 2617.*

3 Sit conclusio: hæc secunda sententia est multo probabilior.

## DVBIVM VI.

*An iure humano interdicta sit beneficiorum pluralitas.*

1 QVoniam (vt dixi *dubio præcedenti*) licèt beneficiorum pluralitas sit iure naturæ interdicta, quia tamen non est ita strictè interdicta, quin ex causis aliquibus iustis licita sit, ac proinde iis causis concurrentibus stando in solo iure naturæ posset quis licitè plura obtinere beneficia absque aliqua dispensatione, dubitatur an iure humano indicta sit beneficiorum pluralitas; itavt licèt causæ iustæ concurrant, non possit iustè plura obtinere beneficia absque Pontificis dispensatione. Et quæstio est de beneficiis simplicibus, nam de curatis, certum est non posse plura sine dispensatione obtineri.

Triplex est sententia.

2 Prima dicit esse peccatũ mortale obtinere plura beneficia simplicia absq; dispensatione, quando alterum sufficiens est, quod probat. Primò ex rationibus *dubio præcedenti* adductis. Secundò, quia multis capitibus est interdicta beneficiorum pluralitas in iure canonico VII. Synodo, & habetur *21. quæst. 1. cap. 1.* & in Concil. Chalced. *cap. 10.* & habetur *cap. Clericum 21. quæst. 2.* & in Conc. Placenti, & habetur, *c. sanctorum d. 70.* & in Concil. Tolet. & habetur, *c. vnic. 10. q. 3.* & Concil. Lateran. & habetur *c. quia in tantum de præbend. & cap. referente & cap. ad hæc, cap. præterea, cap. cum non ignores, cap. cùm iam dudum, cap. de multa, de præbend. cap. quare nonnulli, de cleric. non resident. cap. licet, de præbend. in 7. Clem. si plures, de præbend. extrauag. execrabilis Ioannis XXII. de præbend.* & tandem in Concil. Trid. *sess. 24. cap. 17.* Hanc sententiam tenet Sylu. *beneficium 4. q. 1.* Tabien. *beneficium 2. num. 28.* Armil. *ibi num. 42.* Angel. *ibi n. 34.* Rosel. *Clericus 4. num. 20.* Gandauo *quodlibet. 2 quæst. 17.* Gabr. *4. d. 15. 4. 7. artic. 3. dub. 2.* gloss. *cap. dudum, el 2. de elect. vers. intitulatam, & vers. retinere.* Panormit. *cap. conquerente, de cleric. non residentibus, num. 2. & cap. dudum 2 de electione, num. 36.* Nauarr. *cap. quando*, latè *cap. 22. n. 60. 62. 64. 75. 76.* vbi docet posse quem absque dispensatione obtinere duo simplicia non requirentia residentiam, quando alterum honestæ sustentationi non sufficit: at vbi alterum honestæ sustentationi sufficeret, peccaret mortaliter habens duo beneficia simplicia, etiam non requirentia residentiam absque dispensatione Apostolica, & tenetur fructus alterius restituere. Eandem sententiam, licèt non ita clarè, tenet idem Nauarr. summa Latina *cap. 25. num. 125. 126. 127. 128.* Eandem sententiam videntur tenere plures alij, qui sine distinctione damnant beneficiorum pluralitatem. Hi sunt D. Thom. *quodlib. 9. art. 15* Richard. *quodlib. 2. quæst. 26.* Gabriel *lectione 28. super canonem, pagina vltima, & penultima*, Durandus, qui est author summæ virtutum *tit. 2. cap. 25. § 2 & infrà* Bernard. Diaz *practica criminali, c. 42.* Dionysius Carthus. *opusculo vnico de regimine Episcoporum art. 33. opusculo vnico de reformatione Canonicorum, art. 22. & 27. dialogo opusculo vnico contra pluralitatem beneficiorum, art. 12. & 17. & dialogo de vsurpatione pluriũ beneficiorum*, Conradus *lib. de contractibus, q. vltima ad 5.* Hostiensis *tit de præbend §. penul-imo, in fine*, Ludolphus Carthusian. *lib. de vita Christi, 1 p. cap. 68* & refert Guillermum Parisiensem Episcopum cõuocasse omnes Magistros Parisienses, qui omnes vnanimes longa disputatione præhabita asseuerarunt esse peccatum mortale, præter duos Magistros, quorum alter post obitum apparuit Episcopo, & dixit se ob beneficiorum pluralitatem damnatum esse.

3 Secunda sententia dicit absolutè pluralitatem beneficiorum esse licitam. Ratio, quia licèt attento iure communi esset prohibita, at hoc ius longa consuetudine scita & tolerata à Prælatis abolitum est. Sic tenent Rebuff. *in praxi benef. tit. de dispensatione ad plura beneficia, nu. 29.* Turrecr. *cap. sanctorum, d. 70. quæst. 2. art. 2.* Adrian. 4. *materia de restit. quæst. incipienti, quia in præmissis, in princ, & in solutione ad 3.* & Nauarr. summa Latina *cap. 25. num. 127.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dicit ante Concil. Trid. fuisse hanc communem sententiam; & Panorm. *cap. dudum 2. de electione, num.* 34. dicit consuetudinem per totum mundum inoleuisse, vt plura beneficia simplicia obtineantur sine dispensatione, & valere talem consuetudinem.

4 Tertia sententia dicit licitam esse absque dispensatione beneficiorum simplicium non requirentium residentiam pluralitatem; secus verò de iis, quæ residentiam postulant. Ratio, quia quoad priora beneficia consuetudo præualuit contra ius. Sic tenet gloss. *cap. gratia, de rescript. in 6. vers. de iure*, Innoc. *cap. dudum, de elect. & cap. cum iam dudum, de præbend.* vbi Ioann. Andr. *& cap. finali, de cleric non resident.* Margarita Confess. *fol.* 123. Flores *theolog. mat. de restitut. quæst. declericis restitut. obnoxiis. difficultat. 2. fol.* 206. Soto *lib.* 3. *de iust. quæst. 6. art.* 3. Corduba *lib. 1. q. q.* 20.

5 Pro resolutione, nota beneficia simplicia in duplici esse differentia. Quædam requirunt residentiam, vt canonicatus portiones, iuxta Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. alia non requirũt residentiam, vt beneficia simplicia his inferiora, reliqua enim beneficia simplicia seruitium requirentia, quæ vocant *seruideros*, quamuis iure dicãtur exigere residentiam: cõsuetudo tamen induxit contra ius positiuum, vt sufficiat seruire congruè per idoneum substituturn. Vnde in Concilio Compostellano habito Salmanticæ anno 1566. cùm actum esset expedire, vt si qui habent huiusmodi beneficia simplicia, compellerentur ad residentiam, quia Trident. *sess.* 6. *cap.* 2. dicit, vt habentes quæcunque beneficia requirentia residentiam, cogantur à Prælato residere, re vtrinque controuersa, & collata cum doctissimis eius Academiæ vitis, nil staturum est, sed relicta est antiqua consuetudo. Sic P.D. Enriquez *in suis scriptis de hac re*; & quòd huiusmodi beneficia simplicia ex generali consuetudine residentiam non requirant, docet Rebuff. *in praxi beneficiorum, cap. de dispens. ad non residendum, n.* 8. Alexand. *cons.* 1. *&* 7. Nicolaus Milius *in repertorio, vers. beneficium*, Felinus *cap. dilectus, el. 2. de rescript. n.* 1. Card. & Imper. *cap fin de cleric. non residen.*

6 Hinc quidam docti Magistri illud Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 17. vt habenti vnum beneficium tenue, scilicet parochiam, vel canonicatum, vel simplex, quod non sufficiat ad congruam sustentationem, licèt per Episcopum concedi aliud simplex, modò vtrunque personalem residentiam non requirat; explicant quòd simplex exigens seruitium, id est, *el simple seruidero*, non dicitur requirere residentiam, quia iam ex legitima consuetudine congruè seruitur per vicarium, quales sunt præbendæ inferiores canonicatibus, & portionibus. Sic Enriquez *in suis scriptis.*

7 Sit ergo prima conclusio, non solùm in beneficiis curatis, sed etiam in his simplicibus, quæ iure, & consuetudine requirunt personalem residentiam, quales sunt canonicatus, & portiones, & hîc superiora beneficia vetat ius humanum antiquum confirmatum Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 17. ne plusquam vnum vni conferatur; quare non potest idem plura huiusmodi habere beneficia etiam ex causa iusta, sine dispensatione. Probatur conclusio ex omnibus iuribus, & rationibus pro prima sententia adductis. Item quia circa hæc beneficia non est consuetudo aliqua iuri contraria, & sic suas vires obtinet. Et eam tenent DD. omnes primæ, & tertiæ sententiæ, & specialiùs Sotus, Corduba, & Enriquez *vbi suprà.*

8 Nota conclusionem hanc intelligi non tantùm quando vtrunque beneficium haberet in titulum, sed etiam quando alterum eorum in commendam perpetuam, nam eædem causæ, & eadem dispensatio exigitur ad habendum duo beneficia in titulum, ac ad habendum duo, alterum in titulum, alterum in commendam perpetuam. Patet ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 17. *& sess.* 7. *cap.* 4. *de reform.* & notant Sotus, & Corduba *vbi suprà* Nauarr. summa Latina *cap.* 25. *num.* 126. vbi plurimos etiam ad hoc refert, & *cap. quando, cap.* 22. *n.* 58. ita etiam docti recentiores, qui addunt Concilium loqui de commenda perpetua. Patet, quia Concilium *d. c.* 7. dicit, *contra formam sacrorum canonum*; sed solùm commenda perpetua est contra formam sacrorum canonum: ergo, &c. Quare Ecclesia parochialis tantùm potest commendari per sex menses, *cap. nemo, de elect. in* 6. & notant Nauarr. *ibidem*, Sylu. *verbo Commenda, q.* 1. Arm. *verbo beneficium* 1. *n.* 8. Turrecr. *c. sanctorum, d.* 70. *q.* 2. *art.* 2.

9 Secunda conclusio: quamuis variæ sint Doctorum sententiæ circa hoc, quisnam dispensare possit in hac beneficiorum pluralitate (vt est videre apud Sylu. *verbo beneficium* 4. *q.* 8.) at consuetudo iam obtinuit, vt solus Papa in hac pluralitate dispenset: licèt ob necessitatem, dum non patet aditus ad Papam, possit Episcopus commendare. Sic Cord. Soto, Enriquez, *vbi suprà.* Intelligitur hoc, nisi quando duas parochias tenues vniret Episcopus in vnum beneficij titulum, iuxta Trid. *sess.* 21. *c.* 5. vel duos canonicatus tenues cum consensu Capituli vniret, supprimendo alterum, iuxta Trident. *sess.* 24. *cap.* 15. probat D. Enriquez *vbi suprà.*

10 Nota primò, is cum quo Papa dispensauit, vt habeat plura beneficia, duo solùm posse habere virtute talis dispensationis. Ratio, quia dispensatio est stricti iuris, & strictè. *c. quod dilectio, de consanguin. & affinit.* & maximè in beneficiorum pluralitate, *c. quia in tantum, de præbend. & c. quamuis, de præbend. in* 6. sed ista pluralitas verificat in duobus tantùm, *c. pluralis. de regul. iuris in* 6. *& l. vbi numerus, ff. de rest am.* ergo de duobus tantùm est intelligenda. Sic Panorm. *c. dudum, el* 2. *de elect. n.* 15.

11 Secundò nota, quando conceditur, vt quis possit habere duo beneficia curata, intelligitur de duobus primis post concessionem, & de aliis non valet. Sic habetur expressè *c. non potest, de præb. in* 6. & docent Sylu. *beneficium* 4. *q.* 3. D. Anton. 3. *part. tit.* 15. *c.* 1. *§.* 7. Rosel. *beneficium* 1. *num.* 10.

12 Tertiò nota, quando Romanus Pontifex alicui beneficium confert, non obstante quòd aliud habeat, non ob hoc dispensat, vt habeat ambo simul. Sic habetur expressè *d. c. non potest.* Sic Syluest. D. Anton. Rosell. *ibidem.* Armill. *verbo beneficium, n.* 49. Nauar. *c. quando*, Latino *c.* 22. *n.* 64. vbi hæc dicit, Impetrantes plura beneficia etiam à Papa, non per hoc dispensati sunt, vt retineant plura quàm debent, licèt exprimant in sua petitione alia multa, quæ habent: idem Salzedo *pract. crim. c.* 48. *litera C.*

13 Quartò nota dispensationem Romani Pontificis, quando absque iusta causa esset, non excusare in foro conscientiæ possidentem plura beneficia. Ratio, quia habere plura beneficia absque causa, est contra ius naturæ, & diuinum, vt dixi *dub. præced.* ergo Papa nequit dispensare in tali pluralitate absque causa. Sic D. Thom. *quod lib. 9. art.* 15. Syluest. *beneficium* 4. *in principio, & q.* 2. Ang. *ibi n.* 35. Armil. *n.* 24. Tab. *beneficium* 2. *n.* 28. Doctor Anton. 3. *part. tit.* 15. *cap.* 1. *§.* 8. *&* 10. Gabr. 4. *dist.* 15. *quæst.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. Gãdauo *quodlib.* 2. *q.* 27. Nauarr. *c. quando*, Latino *cap.* 22. *n.* 75. Flores *quæst. theologicarum* 4. *mat. de restitutione. de clericis restitutioni obnoxiis, dub.* 2. *fol.* 260. Adrianus *quæst. citata.* Panormit. *cap. de multa, de præbend. n.* 20. Ioã. Andr. *ibi.* Turrecrem. *d.* 89. *cap.* 1. *num.* 14. 15. 16. Bernard. Diaz *practica crimin. cap.* 42. Dionysius Carthusian. *opusc. vnico, de reformat. Canonicorum, art.* 22. Caiet. & Palacios *in summa, verbo beneficium, cap.* 3. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 8. *art.* 4. *dubio* 7. Soto, & Cord. *vbi suprà, n.* 15. Margarita Confessorum *fol.* 124. & docti recentiores.

14 Quòd si post dispensationem superueniat causa legitima sufficiens ad obtinendam tunc dispensationem, vt si is factus esset vir eminens, & valde vtilis Ecclesiæ, existimo cum viris doctis nostræ Societatis posse retinere absque noua dispensatione: neque obstat, si quis obiiciat non posse retinere absque noua dispensatione, quia prior dispensatio fuit nulla, scilicet ex causa falsa; respondeo enim, quòd quando dispensatio fuit ex falsa causa, est hoc verum: at quando ex causa vera, sed insufficienti, potest quidem



quidem retinere, quia ea dispensatio fuit valida; & licèt non excusauit à peccato receptionis, excusat tamen à peccato retentionis, quando est iusta retinendi causa, vt dicam *notabili sexto.*

15 Quintò nota similiter consuetudinem ex causa iusta obtinendi plura beneficia excusare, & tunc esse licitum plura obtinere absque dispensatione, at enim non excusare obtinentem absque causa iusta. Ratio primi est, quia obtinere non posse ex causa iusta plura beneficia absque dispensatione, est de iure humano, cui consuetudo potest derogare. At obtinere non posse sine causa iusta, est de iure naturali, cui consuetudo derogare non valet. Sic D. Thom. *quod l. 9. art.* 15. Sylua, *benefic. 4. in princip.* D. Anton. 3. *part. tit.* 15. *c.* 1. *§.* 8. Gabr. 4 *dist.* 15. *q.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. Nauarr. *summ. Hispan. c.* 25 *n.* 134. 135. & alij viri docti.

16 Sextò nota, licèt dispensatio absque iusta causa non excuset habentem plura beneficia incompatibilia, at si taliter dispensatus faciat, vt sine notabili defectu bene consulatur per se, & suos substituros Ecclesiæ, & quibus sibi commissis, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, vt oportet, simul etiam consulit scandalo, aliisque defectibus mortalibus, scilicet, ne vergat in damnum clericorum bene meritorum illius loci, vbi sunt hæc beneficia, quæ rarò accident, potest absolui, licèt non relinquat alterum beneficium. Ratio, quia quamuis in actuali procuratione illorum beneficiorum, & susceptione peccarit mortaliter, at non peccat mortaliter in illorum postea retentione, quia recipit ab eo, qui poterat legitimè conferre, quiscens, & prudens contulit illa beneficia, & consulit damnis inde pululantibus. Item quia talis receptio est contra iustitiam distributiuam, quæ non obligat ad restitutionem. Ita Ant. Cord. *lib. 1 q.* 20. Armilla *verb. beneficium, num.* 43. Caietan. *verbo beneficium* 3. & videtur apertè tenere Gerson. *Alphab. 24. lit. Q.* Angles *vbi infrà fol.* 203. Ludou. Lopez, *vbi infrà, cap.* 102. fauet Nauarr. *addit. ad n.* 140. *c.* 25. vbi tenet posse absolui parochum absque causa non residentem, quando paruum damnum sequitur Ecclesiæ, & alij.

17 Septimò nota dispensatum, vt plura obtineat beneficia sine iusta causa, non teneri fructus alterius beneficij restituere; licèt enim requiratur iusta causa, vt dispensatio sit licita, at etiam sine iusta causa dispensatio facta tenet, & legitimum dat titulum. Sic Gerson 2. *part. Alphab. 24. liter. Q.* Angles *vbi infrà, fol.* 203. Corduba *vbi suprà*, contra Dionysium Carthusian. *opuscul. contra pluralitatem beneficiorum, art.* 21. & Vldaricum citatum ab ipso, quos sequitur Gab. 4. *dist.* 15. *q.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. dicit enim talem teneri fructus restituere, si malè saltem alterius beneficij fructus expendat, secus si in vsus pios. Idem Ludou. Lopez *vbi infrà, cap.* 103. & alij.

18 Octauò nota causam iustam dispensandi in beneficiorum pluralitate esse necessitatem, aut communem vtilitatem Ecclesiæ, quia scilicet Ecclesiæ duæ indigent ministerio alicuius, vel sunt tenues, vel est raritas ministrorum, vel est tanta huius ministri sagacitas, & prudentia, vt plus possit ipse, quàm alij duo ministri prodesse, vel quia non sufficit alterum beneficium decenti sustentationi, attenta qualitate. Ita D. Thom. Soto, Caietan. Gabr. Petrus Soto, Enriq. Silues. Angel. Arm. Nauarr. & reliqui citati.

19 Item est iusta causa, quando aliqua persona est sublimis, & literata, *c. de multa præbend.* Couarr. *in quodam placito*, quod exhibuit, dixit cum Nauarr. Lat. summa, *c.* 25. *n.* 128. quod hoc intelligitur, quando is nobilis, & doctus indigeret duabus præbendis ad congruam sustentationem. Idem tenuit vir quidam doctus, qui etiam censet cum Nauarr. *n.* 128. *&* 129. Card. & aliis etiam esse iustam causam quando obtineret plura beneficia ad dandum maiores eleemosynas, retento sibi tantùm necessario. Addit que vir doctus adhuc concurrentibus omnibus his causis requiri dispensationem, præterquam quando alterum beneficium est insufficiens, & non requirit vtrumque personalem residentiam; tunc enim non est necessaria dispensatio, quia Tridentinum, *sess.* 24. *c.* 17. dispensat. Idem Nauarr. Lat. *c.* 25. *n.* 127. Ludouic. Lopez, *instruct.* 2. *part. c.* 101. Item quando beneficia sunt vnita, quia iam sunt vnum, Ludou. Lopez, & Nauarr. *n.* 125. at in reliquis casibus non sat est iusta causa absque dispensatione Nau. *n.* 128. 129. *& c. quando*, Lat. *c.* 22. *n.* 76. Ludouic. Lopez *suprà*, licèt Angles *floribus* 2. *part. fol.* 202. Arm. *verbo beneficium, n.* 47. Sylues. *beneficium* 3. dicant in omnibus his casibus non requiri dispensationem, quia ius dispensauit.

20 Nonò nota, quòd dicatur beneficium sufficiens decenti sustentationi: de qua re optimè Nau. *c. quando*, Lat. *c.* 22. *a num.* 71. *vsque ad* 74. vbi dicit, licèt hoc prudentis arbitrio definiendum sit, at in speciali sequutus mentem plurium doctissimorum inquit, vt dicatur beneficium sufficiens cuilibet clerico simplici, & sano, requiritur, vt valeat tantum, vt ad minus sat sit ad se mediocriter alendum, & vnum ministrum, vnum coquum focarium, & ad conducendam habitationem sibi necessariam: vt autem dicatur sufficiens nobili etiam inferioris gradus, & Magistro in Theologia, & Doctori in iure mediocriter docto, oportet, vt sat sit ad se, & duos ministros, & coquum, & mulam, & habitationem digniorem ea, qua eget clericus simplex: vt verò dicatur sufficiens nobili mediocris ordinis, vt filio, vel fratri Baronum, Vicecomiti, vel Magistro, aut Doctori præexcellenti, vltra dicta debet esse sufficiens ad habitationem adhuc digniorem, & duos alios ministros: vt verò dicatur sufficiens nobili, vt filio, vel fratri Ducis, vel Marchionis, vel Comitis, vltra dicta oportet, vt sat sit ad habitationem, adhuc splendidiorem, & quatuor alios ministros, itavt ministri sint octo vltra coquum, & ad duas mulas. Et tandem hoc prudentis arbitrio definiendum est, attenta personæ qualitate.

21 Decimò nota in Trident. *sess.* 24 *cap.* 27. præcipi, vt qui tunc habent duas parochiales Ecclesias, aut vnam cathedralem, & aliam parochialem, cogantur infra sex menses alteram dimittere, non obstantibus quibuscunque dispensationibus, & vnionibus ad vitam, quòd si infra sex menses alteram non dimittat, omnia beneficia, quæ obtinent, ipso iure vacent, & omnium illorum teneantur post illos sex menses fructus restituere. Circa quod decretum nota primò, cùm Concilium dicat, *cogantur*, neutra infra illud spatium, scilicet ante illos sex menses, ipso iure vacauit, ita docti recentiores cum Nauarr. infrà contra Salzedo *pract. cap.* 48. *litera D.* atque hoc decretum, habet etiam locum in iis, qui per iustam dispensationem tenebant plures parochiales, vt patet ex contextu Concilij: & sic exponit curia cogens ad dimittendum alteram, omnes qui antea etiam cum legitima dispensatione tenebant plures. Sic Nauarr. summa Lat. *cap.* 25. *num.* 129. Secundò nota hoc decretum non extendi ad alia incompatibilia legitimè obtenta; & ita, qui antea habebat alia beneficia incompatibilia, vt plures personatus, vel vnam parochialem, & canonicatum, vel dignitatem in Ecclesia cathedrali, non est cogendus alterum beneficium dimittere. Concilium enim loquitur de habenti Ecclesiam parochialem, & cathedralem, & habens dignitatem in Ecclesia cathedrali non dicitur habere ipsam Ecclesiam; sed ille dicitur habere Ecclesiam, qui regimen illius habet: vt Parochus Ecclesiam parochialem, Episcopus, vel Abbas (quando Prælatus Ecclesiæ non est Episcopus, sed Abbas) cathedralem. Sic Nauarr. *ibidem*, & summa Hisp. *c.* 28. *addit. ad num.* 135. *cap.* 25. Tertiò nota non loqui Concilium (vt patet ex contextu) de vnionibus perpetuis, sed de vnionibus ad vitam possidentis Ecclesiam: nam vniones non perpetuæ, sed ad vitam alicuius, non propter Ecclesiarum commodum videntur factæ, sed in personæ fauorem.

22 Tertia conclusio, vt quis obtineat plura beneficia simplicia inferiora canonicatibus, & portionibus, quæ (vt dixi) ex generali consuetudine non exigunt residentiam, eget quidem iustis causis, sed dispensatio iam ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



consuetudine non requiritur. Patet prima pars, quia tenere plura absque iustis causis, est contra ius naturæ, & nulla consuetudine potest fieri licitum, vt dixi. Probatur secunda pars, quia sic habet vsus, & praxis Episcoporum, nec timorati solent facere mentionem, quod habeant aliud beneficium, nec petere dispensationem. Et sic Nau. *c.quando*, Lat. *c.25.n.75.* dicit neminem, vel rarum petiisse dispensationem à Gregorio XIII. nec à Pio V. sed *ibi n.64.* dicit esse necessariam dispensationem Papæ. Hanc conclusionem tenent DD. citati pro secunda & tertia sententia, & Enriquez *in suis scriptis.*

23 Nota, conclusionem intelligi, modò illa beneficia non sint intra idem tectum, id est, in eadem Ecclesia, quia consuetudo non est, vt idem in eadem Ecclesia duo obtineat beneficia. Item quia duo beneficia in eadem Ecclesia sunt incompatibilia, & adeò in iure odiosa, vt, teste Panormit. *c. de multa, de prabend. n.4.* dispensatio ad plura beneficia intelligatur in diuersis Ecclesiis; & probat ex *c.literas de conces. prabend.* & dicit esse communem sententiam, sic tenent Sylvest. *beneficium 4. quæst. 1. fine*, Diuus Anton. *3.p.tit.15.cap.1.§.6.* Turrecrem. *cap. sanctorum d. 70.* Arboreus *lib.3. Theosophiæ, cap.25.* glossa *cap. gratia, de rescript. in 6. vers. de iure teneri.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. de dispensatione ratione ætatis, vers. incompatibilia n.4.* Enriquez *vbi suprà.* Dicuntur autem (vt notat Rebuffus *ibi*) duo beneficia incompatibilia in eadem Ecclesia, si sunt conformia, vt duo canonicatus, non tamen si sunt difformia, vt canonicatus, & dignitas, vt patet ex *cap.1. ex consuetud. in 6.*

24 Ex hac conclusione infertur temperandam esse sententiam multorum, vt Sylvest. *verbo beneficium 4. quæst.3.* D. Anton. *3.p.tit.15.c.1.§.10.* glossa *cap. gratia de rescript. 6. vers. vitiosa*, Rebuff. *vbi supra, num 67.* qui propter ius antiquum, scilicet *cap. si motu proprio, de prabend. in 6.* aiunt requirere dispensationem saltim Episcopi, vt vnus obtineat plura, vel saltim dum obtiner secùdum beneficium, mensionem faciat de primo: vt hac ratione Episcopus id sciens facto ipso videatur dispensare, aliàs collationem esse nullam, vt illo cap. definitur; nos tamen cum Soto, Cord. & aliis putamus satis esse consuetudinem, vt prædictum caput sit quoad beneficia simplicia abrogatum. Quare non est necessarium modò ratione consuetudinis sic ius explicantis ad hoc, vt collatio secundi beneficij valida sit, vt fiat mentio de proprio beneficio, nisi in aliis beneficiis, ad quorum pluralitatem requiritur dispensatio, iuxta dicta. Sic probat D. Enriquez *vbi suprà.*

25 Quarta conclusio. In obtentione, seu concessione plurium beneficiorum simplicium, & inferiorum canonicatibus, & portionibus, potest esse culpa mortalis, si absque legitimis causis plura coacruentur vni, vt satis probat Soto *vbi suprà*, & Cord. *vbi suprà*, & grauiùs peccat Episcopus; quippe cui incumbit ex officio, iuxta distributiuam iustitiam, sicut onera, ita honores, & beneficia concedere dignis in ædificatione Ecclesiæ, & cultus diuini; ex oppositio imprudentes meritò scandalizant, & refrigescunt in studiis, deficiente spe remunerationis, & beneficiis, vnde si quis sine vlla causa contendat post vnum pingue beneficium accumulare aliud, & aliud, peccat mortaliter, & hoc etiam in præstameriis, & capellaneis, & in iis beneficiis, quæ dantur in commendam perpetuam. Id enim satis probant rationes Soti, quamuis recipiat talis verum titulum beneficiorum absque dispensatione, quia consuetudo induxit, vt sit capax plurium beneficiorum huiusmodi absque dispensatione; sic Enriquez *vbi suprà.*

26 Vltima conclusio. Postquam iste recipit, & retinet plura beneficia simplicia, quorum (vt diximus) est capax, non videtur sub mortali cogendus, vt vno retento signet reliqua; si modò prouideat de idoneis vicariis cum congrua sustentatione, nec sit scandalum, & detrimentum cultus diuini. Item de præstameriis tribuat largas eleemosynas, maximè scholasticis pauperibus, in quorum gratiam sunt institutæ. Sic Caiet. *verbo beneficium 3.* Pena 2.2.*q.185. art.5.* Probatur, quia violatio iustitiæ distributiuæ secundum Sotum, Nauarr. & magis communem non obligat, vt post factum renunciet quis beneficia acquisita, quorum fuit capax, modò dignè impleat per se, vel per alios obligationem, & officium illorum. Sic enim ille, qui agnoscit se minus dignum, tutò retinet beneficium, & curatum, licèt sciat Episcopum, & electores peccasse mortaliter digniorem præterimittentes. Sic reputabat Enriquez *vbi suprà*, & constat ex dictis, *suprà concl.2. notab. 6.* quod est limitandum, iuxta dicta conclusione tertia, quòd verò dicatur beneficium sufficiens dixi *suprà n.20.* & vide Nauarr. *cap. quando*, Lat. *cap.22. à num.72.*

## DVBIVM VII.

*An recipiens duo incompatibilia animo ea retinendi, amittat ipso iure ambo.*

1 NOta beneficia incompatibilia, alia esse curata, alia dignitates, seu personatus, alia his inferiora, vt canonicatus, & portiones.

2 Secundò nota circa hanc rem varia diuersis temporibus emanasse decreta, vt optimè notat Antoninus Cuchus *lib.2. institut. iuris, tit.* 8. Primò enim constitutum est, *cap. referente, & cap. præterea, de prabend.* vt qui duo curata, vel personatus, vel dignitates haberet, vtrum ex eis retinere vellet, eligere posset, alterum verò dimitteret. postea exiit rigiditus decretum, *c. quare nonnulli, de cleric. non resident.* vbi res non clerici arbitrio committitur; sed statutum est, vt recipienti duo curata, vel dignitates, seu personatus, beneficium posteriùs auferretur. Sed hoc vltimum beneficium ex hac consuetudine non vacabat ipso iure, & ideo editum est, postmodum aliud rigidius decretum, *cap. de multa, prabend.* vbi statutum est, vt qui beneficium curatum, dignitatem, vel personatum habens, si aliud simile beneficium recipiat, primum eo ipso amittat, cui decreto adiecit Ioannes XXII. *extrauag. execrabilis, §. quo verò, de prabend.* vt qui recepetint curatum, dignitatem, seu personatum, si antea simile obtineant, nisi confestim postea adeptam secundi pacificam possessionem, vel per eos omni dolo cessante steterit, quominus eam adipiscantur, primum reipsa publicis personis præsentibus dimiserint, vtroque ipso iure sint priuati: quæ si nihilominus pertinaciter retinere contenderint, ad omne aliud beneficium, & ad sacros ordines sint inhabiles, & reseruauit Sedi Apostolicæ prouisionem horum beneficiorum; & tandem Consil. Trident. *sess.7. cap.4. de reformat.* confirmat hæc decreta, & explicat id procedere, siue habeant dicta duo curata, aut dignitates per viam vnionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut quouis alio titulo; an verò vacent beneficia per adeptionem Abbatiæ, vel Episcopatus, *infrà* dicetur, *dub.30.*

3 Nota tertiò cum Bernardo Diaz *pract. c.48.* extensum esse *dictũ caput de multa.* Primò ad regulares dignitates, *c. cùm singula, de prabend. in 6.* Secundò ad prioratus, *c.1. de supplenda negligentia prælat.* Tertiò ad vicarias perpetuas Ecclesiarum parochialium, *cap.1. de officio vicarij.*

4 Sit prima conclusio, si quis beneficium curatum habens recipit aliud simile, vel si quis personatum, aut dignitatem habens recipiat aliud simile, ipso iure est priuatus primo, postquam adeptus est secùdi pacificam possessionem, vel per eum steterit, quominus adipiscereturi, & tenetur tunc absque mora dimittere primum in manibus Ordinarij, in cuius Episcopatu hoc fuerit, alioquin etiam secundo est priuatus ipso iure, & si vtrumque retinere contenderit, est inhabilis ad omne beneficium, & sacros ordines. Patet ex *cap. de multa, de præb. & dicta extrau. execrabilis, & d. cap.* 4. Concil. Trid. Sic Bernard. Diaz, & Anton. Cuchus *vbi suprà.* Nauarr. *c.25. Hisp. num. 118.* Lat. *115.* Fr. Met. *1.2. quæst. 96. art.4. fol. 881. vers. ad aliud, de clerico.* Gabr. *4. decis. 15. qu.8. art.3. dub.2. parum ante notab.1.* Turrecr. *cap. sanctorum, d.70. quæst.2.* Sylvest. *beneficium*



*beneficium 1. à n.1.* Anton. Gabrielis *to.1. communium opinion. fol.486.487.* Dueñas *in regul. iuris, regul.71.* idem tenet *lex 3. tit.16. part.1.* & *ibi* Greg. Lopez *vers. vacca.* D. Anton. *tit.15. cap.1. §. 11.* & aduerte ad hanc beneficij priuationem nullam requiri sententiam. Probatur, quia capita citata docent, quòd statim sit priuatus. Et idem DD. citati, & specialiter, quòd non requiratur sententia, docet Metina *vbi suprà*, & Nauarr. dicit enim peccare mortaliter, si retineat; idem dicens esse absque controuersia P. Enriquez *in suis scriptis.* Et ratio est, quia hæc beneficiorum priuatio non tantùm est in pœnam inducta, sed quia cùm secundum beneficium sit cum primo incompatibile eo ipso quo illud quis recipit, videtur per spontaneam dimissionem primum dimisisse; & si vtrumque velit retinere, cum sit incompatibile secundum, cum primo videtur secundum dimittere, sicut de beneficiario contrahente matrimonium, dicam *infrà.*

5 Circa hanc conclusionem primò nota, quod etiam gratiæ, vt de beneficio curato, vel dignitate vacatura sibi prouideatur, impetratæ renuntiare videtur, qui ante adeptionem illius beneficij aliud beneficium pacificè assequitur, quod simul de iure cum dignitate, vel curato sibi virtute talis gratiæ debito retinere non possit, licèt ipsum resignauerit, vel sit resignare paratus: sic habetur expresè *Clem. gratia, de rescript.* & *ibi* gloss. & omnes, Anton. *vbi suprà*, Nauarr. *cap. significauit, de rescr. except.5.* qui cum dicta gloss. asserit hoc etiam procedere, licèt secundum beneficium per ordinarij collationem fuerit assecutus. Item docet cum Cardinali idem procedere, etsi secundum beneficium esset manuale, ac ad nutum amissibile, vel vicaria perpetua, *Clem. 1. de officio vicarij*, etiamsi tale beneficium per permutationem obtinuisse. Et ratio huius est, quia facilius perditur ius ad rem, quàm ius in re, *cap. quemadmodum, de iureiur.* Sed qui acceptat secundam dignitatem, perdit priorem iuxta dicta; ergo à fortiori perdit ius ad dignitatem nondum quæsitam. Vide circa hoc *notabile 4. post finem illius.*

6 Secundò nota, beneficium curatum in hac constitutione intelligi largè, scilicet siue habeat curam in foro conscientiæ, siue in foro exteriori, siue sit Ecclesia parochialis, vel cathedralis, siue capella curam habens parochianorum de iure, vel de facto, dummodo parochiam habeat, in qua parochiale ius exerceat. Sic Sylu. Armill. D. Anton. *ibidem*, dignitas, aut & personatus in dicta constitutione accipiunt pro eodem: sed quia diuersis nominibus variis in locis nuncupantur, in aliis scilicet dignitas, in aliis verò personatus, ideo vtroque nomine id explicauit. Sic Sylu. D. Ant. referens Ioann. Andr. idem Panorm. *dicto cap. de multa, n.21.*

7 Tertiò nota intelligi primam dignitatem vocare per adeptionem. Secundò quando vtraque dignitas est in eadem Ecclesia. Patet, quia *cap. de multa*, sic limitauit in dignitatibus, & licèt *extrau. execrabilis*, talem limitationem non apposuerit, at loquitur in casu capitis *de multa.* Ita Anton. *dicto cap. de multa*, & Sylu. *vbi suprà*, & P. Enriq. at in curatis talem limitationem non apposuit caput: canonicatus autem, & dignitas in eadem Ecclesia compatibiles sunt Nau. *lib.5.10. tit. de stmo. consil.11. fine.*

8 Quartò nota, caput *de multa* non loqui de omnibus incompatibilibus, sed tantùm de dignitatibus, & curatis. Vnde si habens simplex, recipiat aliud simplex, vel dignitatem, vel curatum incópatibile, non vacat primum; sed seruanda sunt *cap. referente, & cap. præterea. de præb.* quæ concedunt, vt iste possit eligere quod maluerit. Quare dum ambo retinuerit, peccabit mortaliter: at non tenetur restituere fructus, quia nullo iure cauetur, cùm tenera sit sutum vtrumque beneficium, nec ipso iure vacauerit. Sic quidam vir valde doctus à me consultus. Nec ista capita sunt correcta per *dictum cap. de multa*, nisi quoad curata, & dignitates, de quibus loquitur, nec in materia pœnali, & correctoria debet fieri extensio: vt communiter notatur *l. si verò, §. de vno. ff. soluto matrimon.* ita contra Innoc. Peruf. Anchar. & Chalder. *cap. clericos, de cler. non resid.* contrarium tenentes, docet Anton. Gabr. *tom.1. communium, lib.2. fol.67. col.2. vers. beneficium*, & dicit ita seruare curiam, & refert Ioann. Andr. Specul. Oldrad. Ant. Capra, Nicolaum, & alios. Idem tenet Staphilæus *de literis gratiæ, c. simplicia beneficia quam ætatem petant, n.8.* Panomit. *cap. referente, de prabend.* Antoninus Cuchus *vbi suprà*, Dueñas *vbi supra*, Gregor. Lopez *vbi supra, vers. deseruirle.* Nauar. *dict. except. suprà.* Enriquez *in suis scriptis.* Nec Concilium Tridentinum est contra hoc, quia licèt *dicto can.4. sess.7.* loquatur absolutè de incompatibilibus, at *infrà*, dicit iuxta determinationem capitis, *de multa.* Præterea quia Concilium addit, *contra formam sacrorum canonum*, contra quam non est accipere beneficia illa ad eligendum.

9 Item, quia ista non dicuntur incompatibilia ad hoc quòd possint recipi ad alterutrum ex iis eligendum; imò id est permissum *dicto cap. referente.* Ita Enriquez, & patet, quia Anton. Gabr. qui post Concilium Tridentinum scripsit, id asserit, & Antonius Cuchus, qui id Concilij decretum refert, idem asserit. Quare hæc sententia est tenenda, quam etiam tenet Armilla *vbi suprà*, & Sylvest. *quæst.6.* licèt cum quadam limitatione. Vnde minus benè Gutierr. *consil.10. num.3. 4.* dicit idem esse in simplicibus incompatibilibus per decretum Trident. *sess.24. de reform. cap.17.* ibi enim non id decernitur. At tenebit quo ad hoc verum, quòd si recipiat secundum incompatibile animo retinendi vtrumque, non vacabit collatio secundi, quia est contra dictum caput 17. Trident. & quia non fecit mentionem primi beneficij. Gutierrez *num.1.* vnde Nau. *cap. quando*, Latino *c.22.n.64.* dicit, eum qui habet vnum beneficium non sufficiens, non debere petere aliud sufficiens, nisi animo relinquendi primum, habita pacifica possessione secundi.

10 Est autem pacifica possessio, vt benè Pacianus *de probat. lib.2. c.31. n.13.* & vt notat Anchar. *c. commissa. de elect. in 6. col.2. vers. habuisse per se*; quando quis pacificè apprehendit possessionem, & aliquandiu pacificè habuit, quamuis enim postea moueatur lis, dicitur pacificus possessor, vbi Calletus *in addit. lit. D.* ait, *aliquandiu*, id est, per vnum, aut duos menses; & *litera C.* ait. Ad vacationem primi per adeptionem secundi, non sat est pacifica possessio beneficij, id est, curæ animarum, sed debet esse etiam pacifica possessio fructuum, vel maioris partis: vt notat gloss. *c. si tibi concesso, verbo vacare, de prabend. in 6.* & *ibi* Dominicus Staphil. *de literis gratiæ, tit. de qual. & statu beneficij.*

11 Aduerte tamen cum Nauarr. *ibi*, licèt verum sit per adeptionem incompatibilis non perdi aliud acquisitum, nisi vtrumquè sit curatum, vel dignitas. At si quis gratiam habeat concessam ad aliquod beneficium, quod nondum est assequutus, & adipiscatur aliud ei incompatibile, licèt non sit curatum, nec dignitas, amittit gratiam, per *Clem. gratia, de rescript.* vbi glossa, & omnes, teste Nauarr. & idem Panormit. *cap. finali, de cleric. non resident.* Et rario est, quia Clement. loquitur generaliter, & facilius perditur ius ad rem, quàm ius in re. Si tamen gratia non esset ad aliquam dignitatem, vel curatum in speciali, sed generalit. ad quæcunque beneficia, tunc per assecutionem beneficij etiam curati tali gratiæ renunciare non videtur. Quia quando gratia est generalis ad quæuis beneficia, poterit vacare aliquod simplex, quod simul cum alio poterit retineri. Ita Cosmas, & Matthæus Pacus, quos refert, & sequitur Nau. *dicta exceptione 5. §. non obstat.* etiam vide quæ dixi *notabili 1.*

12 Quintò nota intelligi *cap. dictum, de multa*, quando priùs habebat dignitatem, vel curatum, & post recipit aliud, in hoc enim casu expresè loquitur: secus quando simul duo curata, vel dignitates dantur, tunc enim datur optio alterius. Sic Pan. *cap. de multa*, Bernard. Diaz *vbi suprà*, D. Ant. *vbi suprà.*

13 Sextò nota, quando dicatur pacifica beneficij secundi possessio ad hoc, vt vacet primum. Innoc. *c. de multa*, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



Calderinus *tit.de præbend.consil.5.* asserunt, si quis habuit pacificam possessionem, licèt statim moueatur sibi quæstio, iam vacauit primum. Sed contrarium est tenendum, nam non dicitur stare quod parum manet. Sic Panor. *c.de multa, n.16.* glos. *c.commissam. de elect. in 6. versic. Pacificam,* vnde dicit requiri, quòd aliquando habeat pacificâ, & glos. marginalis *ibi,* cum Lapo, & Dominico, *cap. commissam, §. annus autem,* dicit pacificam possessionem dici, quando per mensem, vel duos pacificè habuit, idem Pacianus *de prob. lib.2.c.31. n.13.* Anchar. *cap. commissa, de electione in 6. col.2. versic. habuisse per se,* ex quo fit quòd retinens per hoc tempus primum beneficium, non perdit secundum, quia non dicitur nactus possessionem pacificam; & illo mense, vel duobus, capiet vtriusque fructus, quia legitimo titulo vtrumque retinet. Sic Enriquez dicens ita tenuisse Nauar. seniorem de hac re consultum.

14. Vnde ad pacificam possessionem non requiritur, nec datur spatium sex mensium, quod posset aliquis dicere dari per Tridentinum *sess.24.cap.17. de reform.* quia illud decretum loquitur de iis, qui tunc habebant plura beneficia ex dispensatione, & quòd non habeat spatium sex mensium, docet Gutier. *cons.10. n.4.* & licèt glos. *dicta extrauagante execrabili, l.9. versic. idem, & versic. pari modo, & versic. inhabiles,* dicit dari spatium sex mensium: sed alia glos. eadem extrauagante *execrabilis,* quæ habetur inter communes, *versic. idem, & versic. dicti, & versic. limitatum,* dicit vnum mensem; quod est conforme illi textui. Vnde Rotam *in decisionibus nouis, tit. de præb. decis.3.* quæ in antiquis est *61. n.3.*

15. Septimò nota *caput de multa, & extrauag. execrabilis,* dicere retinentem vtrumque curatum, aut dignitatem esse vtroque priuatum, & non dicit omnibus beneficiis, ex quo fit, si is habebat alia simplicia, non vacabunt; sic Enriquez *in suis scriptis.*

16 Vltimò nota intelligi dictam conclusionem, quando secundum beneficium haberet curam perpetuam, secus si temporalem: tunc enim non vacabit primum. Sic Anton. Gabr. *tomo 3. communium opin. fol 487. versic. beneficium.* Innoc. & Nicolaus *dicto cap. de multa,* & communis *in cap. vnica. de officio vic.* & alij, quos refert Anton. Gabr.

17 Secunda conclusio, plures sunt casus, in quibus non vacat primũ curatum, aut dignitas per adoptionẽ secundi.

18. Primus casus, quando legitima dispensatione obtinuit, Pontifex enim potest dispensare, Sylu. *dicta quæst.* Ang. Arm. D. Anton. *vbi supra.*

19 Secundus, quando alterum curatum non habet curam ex se, sed per vnionem alicuius curati. *cap. super eo, de præben.* vt si alterũ esset Ecclesia parochialis annexa præbendæ, Ratio, quia (vt dicam *dubio 22.*) talis præbenda non dicitur curata, cùm principale trahat ad se accessorium. Syluest. D. Anton. *ibi in Anton* Cuchus *vbi suprà.*

20 Tertius, quando ignorabat se habere beneficium primum, quia tunc datur sibi optio. Ratio, quia cùm hæc sit pœna, is quem ignorantia à culpa excusat, excusabitur à pœna, *c.gratia, de rescript. in 6.* ita Syluest. Ang. Adrian. D. Antoninus *ibidem.*

21. Quartus, quando secundi beneficij fructus non percipit, sed alius ex causa recipit ad tempus, vt ex Pontificis concessione, tunc enim quãdiu alius habuerit fructus, non vacabit primum. Ratio, quia iste non habet plenè secundum beneficium siquidẽ fructibus caret: at cùm primùm perceperit fructus, vacabit primum, & locum habebunt, *c. de multa, & extrauag. execrabilis,* Sic Sylu. D. Ant. Henricus, & Ioan. Andr. quos ipsi referunt, & Anton. Cuchus *vbi suprà,* Rebuff. *praxi benef. tit. de non promotis, n.*

21 Quare vt vacet primum beneficium, requiritur, vt maiorem partem fructum secundi beneficij habeat. Ita Archid quem refert, ac sequitur Francus *cap. commissa, de elect, in 6. n.3.* & Dominicus *ibi.* Lud. Gomez *reg. de triennali, q.5;* Staphilæus *de literis gratiæ, cap. simplicia beneficia quam ætatem desiderent, n.* 14.

22. Quintus, quando beneficium est Episcopatus, non enim vacat absque iudicis sententia per adeptionem secundi beneficij, siue sit superius, siue inferius, siue æquale, quia Episcopatus renunciari non potest sine licentia Papæ, Sylues. referens plures, Ang. Arm. D. Anton. Rebuff. *n.23.* dicitque idem de Abbatia, non vacare per adeptionem incompatibilis.

23 Sextus quando beneficia sunt vnita, vel dependentia, vel commendata. Vnde si secundum curatum quis adipiscatur per viam annexionis, quia scilicet est annexum non curato, non vacat primum, *cap. super eo, de præb. in 6.* Sylu. D. Anton.

24 Septimus, si fictè, & non animo beneficij perpetui recipit secundum, quia potest tunc pœnitere *2. q.6. cap. si quis.* Sylues. D. Anton.

25 Octauus si acceptet secundum beneficium sine licentia superioris primi beneficij, vt si acceptasset in alio Episcopatu, tunc enim licèt vacet primum quo ad se, non tamen vacat quoad superiorem, *d.c. de multa,* & *ibi* glossij & patet *c. admonet, & c. quod in dubijs de renũciat.* Ita Sylu. D. Ant. Arm. *ibi* Gabr. *to.1. fol.486. fine,* vnde dicit D. Ant. Gabr. non posse tale beneficium vt vacans impertari, nisi superior ipsam renunciationem expressam, vel tacitam ratam habuerit, iuxta notata, *c. si tibi absenti, de præb. in 6.* Immola, *c. ex ore, de his, quæ,* Capra, & communis, vt refert Anton. Gabr. contra glossam, *de cap. multa.*

26 Nonus, si in primo beneficio expensas fecerat de proprio patrimonio, tunc enim potest retinere illud beneficium, donec satisfactum sibi sit de expensis *c. quicunque 12. quæst.* 4. ita Panor. Anton. Lignauo, quos refert, & sequitur Sylues. D. Anton. Arm. Ang. & satis esse tales expensas vtiles fuisse initio, licèt casu totum mox perierit. Sylu Ang. Arm. Ioan. Andr. per Sylues. citatus. Et hic casus intelligitur de expensis factis ante receptionem secundi, secus de pactis post, *Institut. de ver. diuis. §. certè,* Sylues. D. Anton.

27. Decimus, si cùm recipit secundum, protesteturse nolle primum renunciare; tunc enim collatio secundi non valet, quia ponitur conditio collationi incompossibilis, *cap. quia nonnulli, de cler. non resid.* Sylues. Arm. Ang. D. Anton.

28 Hinc inferunt aliqui, quando secundum beneficium est tenue, & primum pingue, non vacare primum per acceptationem secundi, quia non videtur secundum acceptasse animo deserendi primum. Hoc esse verum in scholis fatetur Hostiensis per Sylu. citatus; at id tenendum non est, quia sibi imputare debet minus pingue acceptãs. Ita Benedictus Capra dicens communem, quem refert, ac sequitur Ant. Gabr. *tomo 1. communium. fol.487. pag.1. initio,* & oppositum esse falsum in iudicio, & in curia non seruari, dicit idem Host. Sylu. D. Ant. Ang. Arm.

29 Vndecimus, quando secundum acceptauit calore iracundiæ, & statim pœnituit, tunc primum non vacat sed potest secundum renunciare. Panorm. *d. cap. de multa.* Bernad. Diaz, *vbi suprà,* Sylu. Ang. Arm.

30 Duodecimus, quando tantùm acceptatum secundum beneficium ad tempus, donec alius, cui conferatur, adsit. Sylu. cum Anchar.

31. Vltimus casus, quando alterum curatum est in habitu, & alterum in actu, tunc enim non vacat, quia (vt optimè Gutierrez *vbi infrà*) absque Papæ dispensatione possunt hæc simul teneri. Dicitur autem curatum in habitu, quod olim habuit parochianos, nunc autem non habet, & ratio est, quia *cap. de multa,* prohibens curatorum pluralitatem, in hoc præcipuè fundatur, quia habens plura curata, nequit in vtroque residere, nec ministrare sacramenta, &c. At cùm nullus extat parochianus, nihil horum est necessarium; ergo. Ita tenent D. Anton. Sylu. Arm. *vbi suprà.* Gutierrez *in allegat. allegat.8.* latissimè probãs, Anton. Gabr. *tom.1. communium. fol.487. col.1. versic. beneficium. paulo post principium,* & referens plures, idem Host. Immola, Lezar, Federicus de Senis, Catelianus, quos refert Gutierrez, Praxis Cancellariæ Apostolicæ *col.* 170.

Rebuff.



Rebuff. *praxi benefic. tit. de non promotis intra annum, n. 34. fol.449. & rubrica de dispensatione ætatis, versic. etiamsi curam habeat. pag.392.* Staphilæus *de literis, & expect. rubrica de qualit. & statu benefic. in principio, num. 22.* Lud. Gomez *reg. de idomate quæst.11.* Villadiego *tract. de legato, quæst.14. num.86.* Selua *tract. de beneficijs, 3.p. quæst.42.* Duennas *reg.72.* Panor. *d. cap. de multa, num.24. fine,* licèt malè citetur à Sylues. Idem omnes Aduocati Placentini, & sic lata fuit sententia, teste, Gutierrez.

32 Nota licèt aliqui videantur contrarium tenere, vt Innoc. Alexand. Speculator, Zabarel. Bald. Molinæus, quos refert Gutierrez *ibi num.7.* at, vt ipse benè notat, debent intelligi, quando Ecclesia supradicta haberet vicos, & territorium limitarum, scilicet talem vicinitatem, quia eo casu licèt modò parochianis careat, cras, vel alio die poterunt adesse, & habitare. Dicit tamen benè Gutierrez *consil.10. num.3.* quòd si postea, quod erat in habitu, reducatur ad actum, habebit locum hoc decretum.

33 Tertia conclusio. Solus Papa dispensare potest, vt incompatibilia retenta, *cap. de multa. & Clement. execrabilis,* quis retinere queat. Sylues. Angelus, Armil.

34. Quarta conclusio. Si quis primò obtineat titulum primi beneficij absque possessione, deinde titulum secundi cum possessione litigiosa, & postea pacificam possessionem primi, licèt quidam docti credant vacare secundum litigiosum, quasi post illud receperit pacificum: at probabilius est, non vacare, quia hic casus est pœnalis, nec habetur expressus in iure, nisi quando post primum litigiosum obtinet titulum, & possessionem secundi pacifici: pœnæ verò, & odia debent restringi, præsertim, quia in hoc casu non procedit eadem ratio, obtinere enim solam possessionem non est obtinere beneficium absolutè. Item quia nunquam incurritur ipso facto amissio proprij iuris, nisi lex id exprimat. Ita doctissimi consulti Salmanticæ, quos refert, & sequitur Patet Enriquez *in suis scriptis.*

35 Quinta conclusio. Si obtinens secundum beneficium putans esse pacificum, renunciet primum tanquam vacans, & postea reperiat titulum secundi irritum esse, potest statim sine noua collatione redire ad primum. Ratio, quia non intendit sponte dimittere primum, nisi sub ea conditione, quòd acquirat statum incompatibilem secundi pacificè. Ita expressè colligitur ex *cap. si beneficia, de præbend. in 6.* & docet *ibi* glos. *in principio,* & Nauarrus senior consultus, quem refert, & sequitur D. Enriquez *in suis scriptis;* & patet ex notatis *in cap. illo. si beneficia,* nam Dominicus *ibi,* & Francus *num.3.* notant, quando quis renunciat beneficium ex falsa causa, quam putabat veram, non exclusus est à titulo, sed potest redire.

36 Sed an poterit propria authoritate redire ad primum, Archid. & glossa *ibi* dicunt posse propria authoritate: at Ioan. Andreas *ibi* tenet oppositum. Sed respondetur cum distinctione, si beneficium illud vacans nulli collatum est, potest propria authoritate redire: at si alicui collatum est, requiritur iudicis authoritas. Ratio, quia id, quod suum est, ab alio tamen occupatum, nequit aliquis propria authoritate capere: sicut hæres potest propria authoritate res hæreditarias capere, nisi ab alio sint occupatæ. *Auth. de hæred. & falcid. §. in omnibus, collat.1.* Ita Dominicus *d. cap. si beneficia.* Francus *ibi n.4.* Rota *in antiquis, concluſ.120. & 425. fine,* & P. D. Enriquez à me cõsultus, & dicunt isti ita seruare Palacium: idem Rebuff. *de pacif. possessor. n.* 156. dicens idem dicendum esse quoties quis potest redire ad primum beneficium.

37 Tandem nota Concil. Trident. *sess.25. de regularibus, cap.7.* cauere ne eadem Abbatissa duobus monasteriis præficiatur, & si qua duo tunc habet, cogatur intra sex menses alterum renunciare, aliàs omnino ipso iure vacent.

## DVBIVM VIII.

*An illegitimus dispẽsatus à Papa ad ordines sacros, & beneficium simplex non sufficiens ad sustentationem, possit dispẽsari ab Archiepiscopo vt obtineat aliud simile beneficiũ.*

1 QVidam filius illegitimus obtinuit à Papa dispensationem ad ordines sacr os suscipiendos, beneficiúmque simplex, reddens singulis annis quadraginta numos aureos, obtinendum; modò vult obtinere aliud beneficium, cui est annexum seruitium Granatæ, vbi hæc beneficia conferri non possunt, nisi sacris initiato: reddit prædictum beneficium singulis annis, viginti quatuor mille marauetinos, & triginta sex fanecas tritici. Dubitatur an possit Archiepiscopus dispensare cum eo, vt non obstante priori beneficio obtento, obtineat etiam hoc secundum, cùm sua natura sit compatibile cum illo, neutrúmque sufficiens ad congruam sustentationem.

Duplex est in hoc casu dubitandi ratio.

2 Prima, quia istud beneficium sacrum ordinem requirit, & *c.1. de filijs presbyt. in 6.* vbi conceditur facultas Episcopo, vt possit dispensare cum illegitimo in beneficio simplici, limitat, modò sit tale, super quod valeat Episcopus dispensare. Vbi glossa *vers. tale,* Francus, Dominicus, Lapus, & Archid. dicunt tale esse, quod habet ordinem sacrum annexum: & idem Panor. *c. finali, de filijs presbyt.*

3 Secunda ratio dubitandi est, quia *cap.is, cui. de præb. in 6.* ait, quòd cùm Papa concedit facultatem ad restituendum beneficium, intelligitur non habenti aliud: atque ita explicans *cap.1. de filijs presb. in 6.* Dominicus *ibi,* Angelus *verbo beneficium, n.27.* Arm. *n.32.* Tabien. *beneficium 2. n.21.* Sylues. *beneficium 3. q.14.* dicunt non posse Episcopum dispensare cum illegitimo vt obtineat duo beneficia, hic autem habet aliud beneficium; ergo.

Ad huius casus decisionem supponendum est eius resolutionem dependere ex notitia, & intellectu illius limitationis capitis primi *de filijs presbyt. in 6.* modò sit tale, id est, non habens ordinem sacrum annexum. Quæ dupliciter potest intelligi: primò vt beneficium simplex exigens ordinem sacrum habeat hoc intrinsecè, id est, ex sua specie, & natura, vt Episcopus nequeat in illo dispensare ad eum modum, quo sunt casus Episcopis reseruati, qui non solùm ratione censuræ, sed etiam ipsa crimina sunt reseruata. Sed si hoc ita est, manifestum est, quòd hic illegitimus, quamuis iam sit sacris initiatus, non potest Episcopus dispensare cum illo ad beneficium simplex, sicut nec potest dispensare cum non initiato ad beneficium curatum, secundùm omnes; quia huiusmodi beneficium ex sua natura habet, quòd Episcopus nequeat in illo dispensare cum illegitimo, & non habet hoc solùm ratione ordinis sacri requisiti. Secundo modo potest intelligi, vt tale beneficium non habeat hoc intrinsecè sibi annexum, sed tantùm extrinsecè, scilicet ratione sacri ordinis requisiti, vt casus Papæ reseruati iuxta communem sententiam non sunt intrinsecè reseruati, id est, ratione sui, sed extrinsecè ratione censuræ annexæ: & hinc est, quòd sublata censura potest quis confessarius ab eis absoluere. Et si præfata limitatio ponitur ibi hoc modo, cum ablatum sit iam impedimentum extrinsecum, scilicet inhabilitas illegitimi ad recipiendum sacrum ordinem, quandoquidem iam est legitimè sacerdos effectus, manifestè infertur posse Episcopum dispensare ad hoc beneficium. Quapropter huius casus resolutio ex eo pendet, quòd videamus, & examinemus vtro ex istis modis ponatur hæc limitatio.

4 Sit conclusio: Archiepiscopus potest dispensare cum hoc illegitimo ad obtinendum hoc beneficium, non obstante, quòd hic habeat alterum. Sic tenuerunt viri docti de hac re consulti. Probatur, quia quotiescunque in iure prohibetur, aut limitatur potestas Episcopo ad aliquid non propter speciem, aut naturam ipsius rei, sed ob aliquod adiunctum, vel annexum, super quo non valet dispen

Universidad de Deusto
Biblioteca



let dispensare, ablato tali impedimento extrinseco ab eo, qui potest, relinquitur Episcopo sua potestas integra, vt valeat dispensare in illo, in quo aliàs posset, si non esset tale impedimentum, vt constat ex fundamento posito: & pater in casibus Papæ reseruatis, in quibus sublata censura, potest quiuis confessarius ab illis absoluere: sed sic est, quòd hæc limitatio, *modò beneficium simplex non habeat ordinem sacrum, annexum*, non est propter naturam, & speciem beneficij, quasi id beneficium hoc habeat sibi intrinsecè annexum, sed est extrinsecè propter ordinem sacrum annexum requisitum; ergo cùm hoc impedimentum sit iam legitimè sublatum, poterit Episcopus dispensare. Probatur minor: primò, quia dictum *c.1. de filius presbyt. in 6.* in secunda parte illius dicens, in quibus beneficiis, & ordinibus solus Papa dispensat, ponit hæc duo, scilicet ad sacros ordines, & ad beneficia curata, & si esset idem in beneficiis simplicibus exigentibus ordinem sacrum, debebat ponere tres exceptiones. Immo non erat opus excipere beneficium curatum, quandoquidem constat requirere ordinem sacrum: atque ita videtur non posuisse beneficium simplex inter reseruata, quippe quod non est reseruatum intrinsecè, & per se, sicut beneficium curatum, sed intrinsecè ratione adiuncti. Deinde quia glossa, Dominicus Anch & Franeus, & Archid. *d.c.1.* dum dicunt Episcopum non posse dispensare in beneficio habente annexum ordinem sacrum, dant rationem hanc, quia nequit dispensare in ordine sacro adiuncto: vbi clarè videntur dicere non esse intrinsecè reseruatum, sed tantùm ratione adiuncti ordinis. Et clarè videtur idem significare Panor. *vbi suprà*, vbi hæc dicit, *quia Episcopus nequit dispensare in annexo, scilicet in ordine sacro, non potest dispensare in beneficio illum ordinem requirente* Et clariùs Speculator, *tit. de officio ordinarij, §. de effectu dispensationis quis sit*, vbi hæc dicit *n.3 Si Papa dispẽset ad ordines, potest Episcopus conferre beneficiũ simplex.* Tertiò, quia Lapus, & Archid. *super d.c.1.* limitant, quòd Episcopus non possit dispensare in beneficio requirente sacrum ordinem, quando beneficium tempore receptionis requirit sacrum ordinem, at quando post receptionem illum exigit, dicunt posse Episcopum dispensare, posteáque procurandam dispensationem Papæ ad sacrum ordinem, alioquin spoliabitur beneficio, vbi palàm dicunt beneficium exigens sacrum ordinem non esse intrinsecè reseruatum: sed tantùm ratione ordinis sacri: atque propterea omne illud, quod fieri potest, quin sit necessarius talis ordo, aiunt posse facere Episcopum. Et licèt Francus, & Dominicus *d.c.1.* in hoc contradicant Lapo, & Ancharano, non tamen aduersantur quantum ad hoc, scilicet, quòd non habet intrinsecè hanc reseruationem, sed in dicendo, quòd sufficiat habere ordinem, aut habilitatem ad illum post obtentum beneficium, quia (inquiunt) requiritur, vt tempore impetrationis sit habilis habito respectu personæ ad ea, quæ sibi incumbunt ratione beneficij: vbi clarè dicunt solam inhabilitatem tempore receptionis beneficij ad sacrum ordinem posse obstare ad hoc, vt possit Episcopus dispensare, non verò qualitatem intrinsecam, qua gaudeat tale beneficium: sed in nostro casu tempore impetrationis beneficij adest non tantùm habilitas ad sacrum ordinem, sed est iam actu receptus ordo sacer; ergo. Vltimò, quia Doctores agentes, in quibus beneficiis simplicibus non possit Episcopus dispensare cum illegitimis, solùm excipiunt personatum, & dignitatem, & aliqui illorum canonicatum, & in reliquis dicunt posse Episcopum dispensare, & non excipiunt beneficium simplex exigens ordinem sacrum, quasi hoc beneficium per accidens sit reseruatum, scilicet ratione ordinis, vt est videre in Syluest. *beneficium 3. quæst.7* Ang. *verbo beneficium, n.* 17.18. Tabien. *beneficium 2.n.16.* Arm. *verbo beneficium, n.24.* Rebuff. *in praxi benef. tit. de dispensat. super defectu natalium, à num.11.* Villadiego *tract. de irregularitate, propè finem.* Ledesm. *2.4.q.26. art.2.* Nauar. *summa, c.27.n.201.* D. Anton. *3 p.tit.28.c.4.*

5 Nec obstat secunda ratio in contrarium adducta, quia idem *cap.ii. cui*, expressè dicit, quando habet aliud beneficium sufficiens: vbi glossa *vers sufficiens*, dicit secus esse quando aliud beneficium non est sufficiens; & Francus *super idem, cap.ii, cui n. 4.* inquit, & allegat decisionem Rotæ, quòd etiam habenti tria, vel quatuor beneficia, quando omnia essent insufficientia, posset Episcopus aliud dare. Neque resistit Trid. *sess.24.c.17.* immo expressè concedit pluralitatem simplicium non requirentium residentiam, quando alterum non est sufficiens: & sic Nauarr. modò post Conc. Trid. *cap. quando*, & Lat. *c.22. n.60.62.64.75.76.* & summa Lat. *c.25.n.125.126.* concedit posse absque dispensatione obtineri pluta beneficia, quando non sat sunt decenti sustentationi.

## DVBIVM IX.

*An laicus, qui incedit habitu clericali, & animum habet ciò assumendi clericatum sit capax beneficij Ecclesiastici.*

1 POstquam actum fuit de modo requisito in beneficiorum collatione, vt ea valida sit, qui consistit in hoc, vt quis plura beneficia non habeat, restat agere de defectibus, ob quos collatio est nulla.

2 Aliqui ergo circa præsens dubium dicunt, quòd si conuersus alicuius Ecclesiæ incedat tonsuratus volens esse clericus, cùm iam destinatione animi sit clericus, est capax beneficij Ecclesiastici. Sic tenet glossa *c.2. de institt. fine*; ad quod comprobandum multa congerit Felinus *cap. cum adeò, de rescript. n.2. & 3.* & dicit, quòd tenet idem Compostellanus *ibi*, & affert Rotæ decisionem in antiquis *tit. de probationibus*, vbi dicit, quòd reputato clerico propter habitum, & tonsuram, & animi destinationem, potest conferri beneficium, licèt clericus non sit.

3 At omnino tenendum est contrarium, quia reuera talis non est clericus, sed laicus, qui incapax est beneficij Ecclesiastici; & est conditio necessariò prærequisita, vt valeat collatio beneficij Ecclesiastici, vt recipiens clericus, sit *cap. cum adeo, de rescript.* Sic tenet *ibi* Felinus *n.4.* dicens omnes *ibi* hoc tenere, & reprobare eam glossam: & multa *ibi* congerit ad hoc probandum. Idem Panorm. *ibi, & cap. ex literis, n.3. de transact.* Lud. Gomez *de expectatiue, n.89.90.* Mandosius *regula 24. Cancellariæ. q.4.n.12.* Bald. *l.1. C. an seruum ex suo facto.* Lamb. *de iurep. lib.2.p.1 q.7. art.29.n.9. & 10.* & communis.

4 Immo impetratio beneficij à Papa laico est subreptitia, nisi fieret specialis mentio in rescripto, vt si dicit Papa: Mandamus prouideri tali cupienti ascribi militiæ clericali. Sic Panorm. *d. cap. ex literis*, Mandos. Felin. Lud Gomez, Lamb *ibi*.

5 At potest laicus procurator constitui ad acceptandum beneficium nomine alterius, quia hic actus solùm habet facti ministerium nomine alterius, & non iuris. Sic Ioan. Andr. Immola, & communis, *c. accedens, de præb.* vt refert, & sequitur Alaba *lib.1. de consiliis, c.9.n.1. conclus.1.* Francus *cap.1. de procurat. in 6.*

6 Similiter eadem ratione potest laicus procurator constitui ad resignanda, & permutanda beneficia. Sic Alaba, *ibi*, & refert Rotæ decisionem.

## DVBIVM X.

*An collatio beneficij facta excommunicato maiori excommunicatione teneat.*

1 SIt prima conclusio, talis acceptans beneficium Ecclesiasticum peccat mortaliter. Ratio, quia est incapax illius, vt dicam *secunda concl.* Et sic acceptans peccat contra iustitiam. Ita Sotus 4. *dist.22. quæst.1. art.4.* Caiet. *verbo excommunicatio, sub finem: cap. vbi scito.* Nauar. Hisp. *cap.27.num.46. & cap.25.n.139.* qui dicit id intelligendum, quando sciens, vel scire debens censuram, acceptauit beneficij collationem, vel electionem, præsentationem, confirmationem, institutionem, vel beneficij prouisionem; ratio, quia his priuatus est.

Secunda



2 Secunda conclusio. Collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiori, est nulla. Sic habetur *cap. postulastis, de clerico excomm. minist.* Et ratio est, nam beneficium præcipuè datur propter officium. *cap. cum secundum, de præb. cap. vltimo, de rescript. in 6. cap. consesso 12. quæst.2. cap. generaliter 16. quæst.1.* quod optimè notat glossa *cap. vltimo, de offic. Vicarij.* Sed excommunicatus est suspensus ab officij executione. *cap.1. ad finem, de sententia, & re iud. in 6. & cap.1. & cap.is cui, de sent. excomm. in 6. & cap. clerici, & cap. latores, c. illud, cap. fraternitati, de cleric. excomm. minist.* ergo. Ita Caietan. & Nauar. *vbi suprà.* Rebuff. *praxi benef. tit. de declaratione nouæ prouisionis, num.2. fol.208.* Perez *lib.8. ordinam. tit.5 d.1. fol.173.* plurens refereus D. Anton. *3.p.tit.24. cap.76.* Couarr. *cap. alma mater, 1.p.§.7. num.1.* idem videntur docere Sylvest. *excommunicatio 3.§.9.* Palud. *4.d.18.q.4.* Ang. *excommunicatio, vltimo n.8.* Arm. *excommunicatio, n.9.* dicunt enim hunc neque recipere, neque acquirere posse beneficium, & expressè Victoria *summa tract. de excommunicat. num.16.* tenet idem de publicè excommunicato.

3 Tertia conclusio: electio excommunicati excommunicatione maiori ad beneficium Ecclesiasticum est nulla. Pater *c. constitutis 1. de appellat. cap. cum inter, & cap. per inquisitionem, de elect. cap. vltimo, de cleric. excomm. minist.* Ita Sotus, Nauarr. Caiet. Victoria, Palud. & Couarr. plurimos referens *ibidem*; Gabr. *4.d.18.q.2. art.3.* Ang. & Arm *verbo electio, num.24.* Sylvest. *electio 1. quæst.14. & excommunicatio 3.§.8.* glossa *dicto c. constitutis.* Rosel. *electio 1. num.36.* D. Anton. *3.p.tit.19. cap.2.§.6.*

4 Nota etiam ad dignitatem laicam eligi non posse, vt in Regem, vel Imperatorem, *cap. venerabilem, de elect.* vbi Panorm. *num.8.* Sylvest. *excommunicatio 3.§.9.* Arm. *verbo excommunicatio, n.9.* Palud. *vbi suprà* D. Anton. *3.p.tit. 24. cap.76.*

5 Quarta conclusio, non potest etiam præsentari à patrono laico, vel clerico ad beneficium iuris patronatus. Sic Couarr. *vbi suprà*, referens plures. Nauarr. Hispan. *cap.27. num.46.* dicens præsentationem esse nullam.

6 Quinta conclusio; beneficiorum commutatio facta per talem excommunicatum non valet. Ratio, quia in tali permutatione beneficiorum est mutua ipsorum collatio, sed talis collatio facta excommunicato est nulla; ergo. Ita Couarr. *n.2.* referens Cardin. & Cosmam.

7 Circa has conclusiones nota primò procedere, siue excommunicatus maiori sit ab homine, siue à iure. Ratio, quia ius non distinguit, & par ratio prohibitionis in vtroque procedit. Sic Cou. *num.1.* referens Rotam. Panor. Imolam. Item licèt excommunicatus non sit denunciatus. Ratio, quia constitutio Synodi Basil. *sess.20.* qua cauetur posse cum excommunicatis non denunciatis participari, non intendit ipsos excommunicatos in aliquo releuare, vt expressè *in finem eiusdem constitutionis* dicitur, & notant omnes *in mat. de excomm.* & sic quoad excommunicatos omnino sunt iura vetera seruanda. Sic Couarr. *ibi num.2.* Item procedunt, licèt excommunicatus sit suæ excommunicationis inscius. Ratio, quia ignorantia excommunicationis confert ad effugiendas iuris pœnas contra excommunicatos aliquid vetitum agentes, non tamen ad actuum valorem, Couarr. *num.3.* referens glossam, Panor. Cardin. & Communem.

8 Secundò nota, procedere, licèt collatio beneficij facta sit motu proprio. Ratio, quia motus proprius non includit dispensationem aliquam, nec tollit vitium, quo quis iure impeditur obtinere id, quod sibi conceditur. Sic Couarr. *num.2.* referens plures.

9 Tertiò nota, si excommunicatio sit nulla, collatio beneficij facta tali excommunicato valet. Ratio, quia in rei veritate excommunicatus non est. Sic Couarr. *ibi num.5.* referens Panor. Henricum, Rebuff. idem Nauar. *cap. cum contingat, de rescript. remedio 3. sub finem.*

10 Quartò nota ob hæc moris esse Romanæ Curiæ, quoties sit alicuius beneficij collatio, vel dantur literæ ad beneficia, dari itidem absolutionem impetranti, & ei cui confertur bénéficium, à quacunque excommunicatione ad hunc tantùm effectum, vt illa collatio valeat. Ita Couar. *ibi* Staphilæus *de literis gratiæ, & iustitiæ fol.82* Felinus *c. Apostolicæ, de except.* Gigas *q.14. de pensionibus.* Rebuff. *in concordatis, tit. de excommunicatis non vitandis, & praxi benefic. tit. de declaratione nouæ prouisionis, à n.11. & infra.* Nauar. Hisp. *c.27.n.46.* & Lat. & Hisp. *num.22. & cap. ita quorundam, de Iudæis, notabili 11. num.14.* Nota tamen Nauarr. *eodem num, 14.* & Rebuff. *eod. numer. 11.* per regulam Cancellariæ 78. Iulij Tertij, non absoluere Papam per illam absolutionem generalem in duplici casu: primus est, si quis in quauis excommunicatione scienter per annum steterit: secundus, si quis excommunicatus à iure, vel ab homine, propter has duas causas, scilicet, quia non parerei iudicatæ, vel quia incendiarius, vel quia Ecclesiarum violator, vel quia falsificans, vel falsificari procurans literas Apostolicas, & supplicationes, vel quia literis falsis scienter vtitur, vel quia est receptor, & fautor falsificatium, vel quia res vetitas ad infideles defert, vel quia est violator Ecclesiasticæ libertatis, vel quia non obremperat mandato Apostolico, vel quia impedit Nuncios, vel executores Apostolicæ Sedis, vel eius officialium eis commissa exequentes. Si quis (inquam) ob has causas excommunicatus scienter mansit in excommunicatione per quatuor menses. Extra hos duos casus absoluitur quis dum ei per Romanam Curiam confertur beneficium, ab omni excommunicatione, ad hunc tantùm effectum, vt istud beneficium obtineat: vnde (vt notat Rebuff. *ibi num.15.16.17.18.19.*) non oportet istum absolui ab alio quoad hunc effectum; at quoad cæteros effectus manebit excommunicatus; vnde non faciet fructus istius beneficij suos (sicut *dub. sequenti* dicam de excommunicatis,) nec poterit interesse horis, nec ordinari nec ad aliud beneficium recipere, nisi iterum absoluatur, quia illa absolutio ad nil aliud confert, nisi ad illud beneficium obtinendum. Et nota in illa regula Cancellariæ hîc citata illud verbum *scienter steterit*; quare non comprehenduntur in illa qui ignorant saltem probabiliter estque ignorantia aliqua quæ ab excommunicatione incurrenda non excuset: at benè excusabit ne dicatur sciens manere in excommunicatione. Sic Nauar. *dicto notab. 11. num. 14.15.16.* Nota etiam, quòd si excommunicatus impetraret literas ad beneficium à Legato Papæ, non absoluitur ab omni excommunicatione, etiam quoad istum effectum, quia Legati iure communi nequeunt ab omnibus Papæ reseruatis absoluere: secus tamen dicendum est de summo Pœnitentiario, quia potest ab omnibus absoluere. Nauar. *ibi, num.18.19.* Nota etiam hæreticis non prodesse dictam absolutionem generalem, vt obtinere possint beneficium, *c. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis.* Sic Rebuff. *num.10.* referens Felinum, & idem Couar. *cap. alma mater, 1.p.§.11. num.15.*

11 Sed quid dicendum, si excommunicatus maiori impetrat bullam Apostolicam, vt alius obtineat beneficium, tenebit ne talis impetratio? Quidam dicunt esse validam. Sic glossa. Cardin. Felin. Rota, Milis, quos refert Couar.

12 Sexta conclusio. Probabilius est talem impetrationem esse nullam: patet ex *cap.1. de rescript. in 6.* vbi sic dicitur. Ipso iure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum. Si ergo impetratio rescripti ad lites nulla censetur, si fiet ab excommunicato, quanto magis impetratio literarum ad beneficia, Ang. *excommunicatio. vltimo n.14.* Nauar. Lat. & Hisp. *cap.27. num.22.* Cou. *vbi suprà, n.3.* referens Panormitanum, Cardinalem, & communem. Sylvest. *excommunicatio 3. num.6.* Caiet. *vbi suprà*; & dicit Couar. cum Panorm. id esse verum, licèt impetrans esset

suæ

Universidad de Deusto Biblioteca

suæ excommunicationis inscius. Quare(vt notat Nauarr. d.n.22. & Couar.) iste impetrans à Romana Curia solet absolui ad effectum valoris litterarum, quando ipsi conceduntur, sicut de beneficiario dictum est *notabili præcedenti*.

13 Sed nunquid,qui ius,& titulum ad beneficium ante excommunicationem obtinuit, quia scilicet tunc obtinuit literas à Papa,& sibi collatum est,possit postea,cùm est excommunicatus, illud acceptare ? Quidam dicunt non posse. Ratio, quia ius in beneficio per collationem datum non acquiritur, donec acceptatio fiat *cap. si tibi absenti,in principio,de præb.in 6.*sed excommunicatus nequit acquirere ius in beneficio ; ergo. Vnde dicunt isti hanc acceptationem esse nullam. Sic Cardin. & Alciat. quos refert Couarr.

14 Septima conclusio. Probabilius est posse acceptare, atque adeò acceptationem esse validam, modò ad eam acceptationem non concurrat noua beneficij collatio. Quare qui habet literas ad beneficium vacaturum, potest, etiamsi excommunicatus sit tempore, quo vacat, illud acceptare litterarum virtute, at collatio suspendenda est, donec sit absolutus. Ratio, quia acceptatio nil iuris tribuit in ipso beneficio ; sed tantum declarat consensum illius, cui collatum est beneficium : qui consensus est necessarius,*cap. nisi cum, pridem de renunciat.* Ita tenet Nauar. *cap. si quando, de re, iudic. exceptione 9.*& in nouo *cap. si quando,exceptione* 10.*num.9.* Couar.*§.7.citato num. 4.& lib.3.var.cap.16.num.4* Cardin. Rota,Rodulphus, Lud. Gomez, quos ipse refert. Et ad argumenta primæ sententiæ respondet Couar. quòd acceptatio beneficij facta ab excommunicato, est valida,quo ad voluntatis, & consensus declarationem, non tamen quo ad iuris acquisitionem, ita vt beneficium non acquiratur ratione huius acceptationis, donec excommunicatio fuerit per absolutionem extincta, tunc verò absque noua acceptatione prorsus acquiritur.

15. Sed dubitauit quis possit dispensare cum excommunicato, cui tempore excommunicationis collatum est beneficium,vt post absolutionem illud retineat? Enricus, & quidam alij, quos refert Couarru. dicunt Episcopum non posse. Idem tenent quando Episcopus contulerat eidem beneficium tempore excommunicationis, Palud. 4.*d.*18.*q.*4.D.Anton.3.*p.tit.*24.*cap.*76.

16 Octaua conclusio : Si ad Episcopum pertinebat ea beneficij collatio,eius dispensatio sat est vt post absolutionem excommunicationis obtentam à potente absoluere, retineat illud beneficium: si verò ad Episcopum non pertinebat, nequit. Probatur prima pars, quia cùm collatio prior fuerit nulla, deuoluitur iterum potestas ad conferentem,vt iterum conferat,& quando à canone dispensatio permittitur, nec ea Episcopo denegatur, licèt sit constitutio Concilij vniuersalis, tacitè datur facultas Episcopo ( vt tenet Couarr. *vbi infrà*, referens Innocentium.Panor.Felinum, Iacobatium ) sed in hoc casu permittitur dispensatio.*c.postulatus,de cleric.excomm.*& non negatur Episcopo;ergo,Probatur secunda pars, nam illa prior collatio nulla fuit ; ergo adhuc qui contulit, habet potestatem conferendi: sed hanc potestatem nequit illi sine suo consensu subtrahere Episcopus; ergo. Vtramque partem conclusionis docet Cou. *d.* §.7.*n.*8 Nau.Lat.*cap.* 27.*n.*275.*vers.*8.Enriquez *lib.*13.*de excomm.c.*14.*num.*2. & alij docti recentiores. Et primam partem tenet Pan. *d.c.postulastis*, & gloss. licèt quoad secundam partem teneat Panorm.oppositum : sed contra est, quia si scienter excommunicatus obtinuit,est intrusus,vt *infrà dub.*21.& sic inhabilis,in quo solus Papa dispensat;sed dic, quòd si hoc delictum est occultum, potest Episcopus, vt *ibi* dicam ; vnde hîc dicta debent intelligi, quando ignorans accepit.

17 Nota hîc, si Papa conferret alicui beneficium etiam ad Episcopi collationem pertinens absque aliqua reseruatione, & collatio sit nulla, vt quia recipiens erat excommunicatus,vel alia de causa, nequit Episcopus cum hoc dispensare ; vt obtineat beneficium illud, vel alteri conferre.Ratio,quia iam beneficium istud esset affectum authoritate Papæ,*cap. vt nostrum,de appellat.* Sic Couarr. *ibi*, referens plurimos. Idem Enriquez & alij.

18 Nona conclusio:non tantùm excommunicatus maiori nequit eligi ad beneficium, sed nec etiam potest eligere, nec conferre beneficium : patet *cap. quia diuersitatem,de concessio.præb.cap.1.in principio,ne sede vacante in 6. c.cum inter,de electi.c.cum dilectus.de cõsuetud.c.Apostolice, de except.cap.finali,de cleric.excomm.* Sic Nauar.*c.*27.Lat. *num.*21.Hisp.*num.*32.Ang.*excommunicatio,vltimo n.9.& verbo electio n.* 8.Arm.*verb. excommunicatio, n.*9. Victoria *mat.de excomm.num.*16.Sylvest.*electio* 1.*q.*4.Innoc.& Panorm *c.*2.*de postulat.prælat.*D.Anton.3.*p.tit.*19.*cap.*2. *in principio.*Rosel.*electio* 1.*num.*2.Gabr.*4.d.*18.*q.*2.*art.*3. *dub.*1.Palud.4.*dist.*18.*q.*4. Caiet. *verbo excommunicatio, sub finem,c.vbi scito.*Couar.*eod.*§.7.*num.*9.gloss. & communis,*c.vltimo,de excess.prælat.*Sotus 4.*dist.*22.*q.*1.*art.*3. Quare si contra hanc prohibitionem eligat, vel conferat beneficium, peccat moraliter. Ratio, quia iniuriam irrogat electoribus,quorum numerum iniustè auget, & Ecclesiæ,cuius se quasi prouisorem agit. Sic Soto & Caiet. *ibi*, & Nauarr. Hisp.*c.* 27. *num.* 29. Insuper non potest etiam patronus maiori excommunicatione ligatus præsentare.Sic Cou.*ibi* referens Panorm. Lapum, Curtium, Lambert.Rotam Berthacinum. An verò si eligat, teneat munis docet gesta per excommunicatum, quandiu tolerantur, valere.

19 Tandem nota aliquos dicere pensionem super beneficio Ecclesiastico non posse conferri excommunicato maiori.Sic Gigas *de pensionibus*, *q.* 14. quam sententiam dicit Couar.*dicto* §.7.*n.*2.*ad finem,*se non admodum improbare: tum propter odium excommunicatorum, tum quia pensiones sunt redditus Ecclesiastici. Atque hæc pax pensionis Ecclesiasticæ, saltem de stylo Curiæ, vt benè Nau.*lib.*1.*consil.de temp.ordin.in nouis, consil.* 11.*n.* 2. & Lessius *lib.*2.*de iust.cap.*34.*dub.*38.*n.*103.

## DVBIVM XI.

*An quando excommunicatio superuenit post obtentum beneficium, id admittatur.*

1 SIt prima conclusio.Talis beneficiarius propter excommunicationem superuenientem non amittit ipso facto beneficium patet ex *c.proposuit,de cleric.excom* Item quia nullo id iure cauetur. Ita Doctores *infrà dub.* 21. citandi, dicentes hæreticum non amittere beneficium,nam hæreticus excommunicatus est. Victoria *mat. de excomm.num.*16.Couarr.*cap.alma mater*,2.*p.*§.7.*num.* 2.plures referens Plaza *lib.*1.*epitome delictorum. cap.* 11. *num.*1.

2 Circa fructus tamen gloss.*cap. pastoralis* §. *verum vers. subtrahuntur*, tenet amittere iure ipso beneficiarium fructus, quos tempore excommunicationis percipit,sed requiri sententiam.Idem Nauarra *lib.*2.*de restit.c.* 2. *n.*237.& dicit, quòd si interfit horis, licèt notoriè sit excommunicatus, peccabit, at lucrabitur distributiones.

3 Secunda conclusio. Talis amittit ipso iure fructus beneficij,quos tempore excommunicationis percipit:patet ex *eodem* §. *verum*. Et ratio est, quia qui extra Ecclesiam est,nil nomine Ecclesiæ debet possidere,*cap.quo iure,dist.*8.*cap.*2.*&* 3.24.*q.*7.*cap.eos,& c.præter hos.*32.*dist.* Panorm.*eod* §.*verum,num.* 16.17.vbi dicit se mirari opinionem glossæ, Victoria *vbi sup.* Palud.4.*d.*18.*q.*4. Gabr. *eadem dist.q.*2.*art.*3.*dub.*1.Bern.Rayn.& Goffredus,quos refert,& sequitur Sylvest.Clericus 4.*q.*25. Arm.*verb. excommunicatio,n.*9.*& verbo clericus,n.*28.Enriquez *lib.*13. *de excomm.cap.*13.*n.*4.Caiet. *verbo excommunicatio, sub finem,cap.vbi scito,*Nauar.*c.*25.Hisp.*n.*125.Lat.*n.*124.D. Anton.



Anton.3.*p.tit.*24.*cap.*76.Couarr.*lib.*3.*var.cap.*13.*num.*8. *vers.*12. & alij plures,quos *ibi* refert. Plaza *vbi supra n.*7. Turrec.*cap.contumaces, dist.*50.*n.*2.*lex* 31.*p.*1.*tit.*9.& *ibi* Greg.Lopez *vers.*das *rentas.*Perez *lib.*3.*ordin. tit.*5.*l.* 1. *fol.*174. Gigas *de pension.quæst.*64. Rebuff.*praxi benefic. tit.de declarat.nouæ prouisionis,num.*18.*fol.*210.

4 Nota in ista conclusione conuenire omnes citatos, quando excommunicatus beneficiarius potest absolutionem obtinere,& per ipsum stat, quo minus absoluatur, quia tunc cùm sit in culpa, pœnam sentire debet: at verò quando per ipsum non stat quominus absoluatur, non eodem modo loquuntur Doctores; quidam enim dicunt posse ex fructibus beneficij capere necessaria ad sustentationem,si pauper sit.Ita Greg,Lopez *vbi suprà*; & idem videtur dicere Nauar.*vbi suprà*,licèt aliquantulum dubia sint verba ; an hanc, vel potius sententiam secundam ponendam sequatur. Idem videtur docere Couar. & Perez *ibidem*, cum aliis,quos referunt, dicunt enim excommunicato non esse de fructibus beneficij prouidendum, licèt fame pereat,cùm in eius potestate sit retrahere se ab excõmunicatione, vbi oppositum videtur docere,quando per ipsos non stat. Alij dicunt,quòd omnis excommunicatus, licèt per ipsum non stet, amittat ante sententiam fructus, Aragon. 2.2.*quæst.*12.*art.*4. Mesina *lib.*1.*summ.cap.*11. *fol.*39. & docti iuniores ; tum quia beneficium datur ob officium, omnis excommunicatus est suspensus ab officio ; ergo : tum quia instio fuit rebellis,& contumax.

5 Alij verò dicunt excommunicatum non priuari fructibus beneficij,quando per ipsum non stat,quominus ab excommunicatione absoluatur. Ratio, quia priuari fructibus est contumaciæ pœna ; sed hic non est contumax in excommunicatione, cùm per ipsum non stet ; ergo. Neque obstat, quòd à principio fuerit contumax, quia cùm iam sit ablata contumacia, non est cur hic incurrat in pœnam propter illam.Neque etiam obstat, quòd fructus dentur propter officium, quia non stat per ipsum, quòd illud non exerceat. Sic Palud.Enriquez,D. Anton. Sylvest.Arm.*vbi suprà*, & referunt Astenius,& Host.Idé videtur expresè tenere Caiet. *vbi supra*, nam dicit excommunicatum non recipere fructus, quando per ipsum stat quominus absoluatur. Idem Sylvest *excommunicatio* 3.§.1.*particula* 9.referens Lignano,& Pisanam D.Toledo *lib.*5.*summæ c.*39 Idem P.Enriquez *in suis scriptis,in bulla Cruc.* quam legit Corduba *quæst.* 4. & sententia hæc est tenenda, maximè cùm Doctores citati non sentiant expresè contrarium.Et quidam vir doctus,quem ego consului,dixit esse probabilem.

6 Tertia conclusio : si ille excommunicatus fuit iustè, nequit post absolutionem repetere fructus amissos : potest autem si fuit iniustè.Patet primum *cap. de re militari l.cum allegatis,lib.*12. secundùm patet 2.*quæst.*5.*cap.super causa.* Ita Sylvest.D.Ant.Palud, Couar.& Perez *ibidem*, & ipsi plures alios referunt.

Vltima conclusio : licèt Bart.& Alber.Ang.Paulus de Castro, Gigas, quos refert Couarr. dicant beneficiarium excommunicatum, qui nullos percipit fructus, teneri soluere subsidium,& pensionem,quæ Episcopo, aut Papæ soluuntur;at probabilius est non teneri.Ratio quia hoc non est onus personale ipsius beneficiarij, sed reale beneficij, fructuum ; ergo cùm hos non percipiat, tunc beneficiarius non tenebitur ad istud onus. Sic Couarr. cum Panorm.Baldo,& aliis quos refert 3.*var.c.*13.*num.*8. *vers.*12.*fine* Perez *vbi sup.fol.*165. *versic.est etiam aliud.*

## DVBIVM XII.

*An electio ad beneficium, seu collatio facta excommunicato minori excommunicatione sit valida.*

1 TRiplex est sententia.

Prima dicit non esse ipso iure irritam, sed irritandam.Ratio,nam *c.finali,de cleric.excommuninist.* dicitur *est minori excommunicatione ligatus,electus fuerit, electio Thom.Sanchez Consil.moral.Tom. I.* *est irritanda.*Sed pœnæ sunt restringendæ,& *cap.postulastis*,loquitur de maiori ; ergo. Sic.Sylvest.*electio* 1. *qu.*14. Rosel.*num.*36.Ang.*num.*14.D Anton.3.*p.tit.*19.*c.*2.§.6. Felinus *c.dilecte de except.* Richard.4.*d.*18.*art.*7.*q.*4.Tab. *electio* 1.*num.*17. Bartholomæus à Ledesma *summa sacramentorum,mat.de excomm.dub.*29.Card.Toled.*lib.*5.*sum. c.*66.& docti recentiores, qui addunt nõ esse etiam irritandam,quando ignoranter electus est, vt colligitur ex *d.c.finali.*Eandem sententiam tenet Iosephus Angles *floribus theolog.*2.*p.materiæ de excommunicatione.fol.*48. Idē innuit Petrus Soto *lib.instit.sacerd. mat.de excommunicat. lect.*4. vbi dicit talem electionem esse cassandam per Ecclesiam.

2 Secunda sententia distinguit, si electores scienter talem eligant,est nulla electio : si verò ignoranter, est valida.Ratio, quia dictum caput finale dicit, *irritandam, quando scienter electus fuerit*. Sic Sylvest. *excommunicatio* 4.§.4. citans Rayn.Enriquez *lib.*13.*de comunicat.cap.*3. *num.*3.*& cap.*13.*num.*1.

3 Tertia sententia dicit,quouis modo eligatur,esse nullam.Sic *infrà* citandi.

4 Sit prima conclusio : excommunicatus minori, siue à iure, siue ab homine,potest eligere.Probatur, quia *dict.c. finali*,dicitur posse hunc eligere,& non distinguitur, si sit ab homine, vel à iure excommunicatus.Sic Couarr, *cap. alma mater*,§.8.*num.*3. gloss. *d. c. finali,versic.nec eligere.* Idem videntur tenere alij, qui sine distinctione dicunt excommunicatum minori posse eligere:hi sunt Ang. *electio num.*8.*verbo excommunicatio, num.*9.Panorm.*cap.illa de elect.*Caiet.*verbo excommunicatio,cap.penultim.* Rosel. *excommunicatio* 1.8o. *num.*1. Petrus Soto *vbi supra.* Sylvest.*excommunicatio* 4.*notabili* 3.Nauarr.*c.*27.Lat.& Hisp. *num.*24.D.Anton.3.*p.tit.*19.*cap.*2.*principio.* Quare non est audienda *lex* 6. *tit.*9.*p.*1. dicens excommunicatum minori à iure posse eligere, secus si sit ab homine. Hanc sententiam huius legis reprobat Couarr *ibi*, sed Gregor. Lopez nititur eam glossare,& sano modo intelligere.Ratio verò conclusionis est, quia excommunicatus minori non est priuatus communione fidelium, *c.Engeltrudam* 3.*q.*4.Ergo nec actiua electione.

5 Secunda conclusio.Si talis excommunicatus acceptet electionem, præsentationem, vel beneficij collationem peccat mortaliter. Ratio, quia hoc est sibi specialiter prohibitum *d.c.finali*, & vt dicemus, peccat contra iustitiam, quia electio est nulla. Nauar.Hisp.*c.*27.*n.*44.

6 Vltima conclusio ; valde probabile est, electionem, seu beneficij collationem factam excõmunicato minori esse nullam:tum quia *c.postulatis*, *de cleric. excomm.* sine distinctione dicit electionem excommunicati esse nullam : tum etiam , quia prohibitio actus impedit id, per quod peruenitur ad illum, *l.omnino, ff. de sponsal.* sed excommunicatus minori prohibetur à Sacramentorum participatione,*d.c.finali*;electio verò,& collatio beneficij principaliter tendit, vt electus exerceat se in sacramentis Ecclesiæ ; ergo electio talis nulla est. Et ad c. finale in quantum dicit esse irritandam, respondetur intelligere irritam denunciandam, supponit enim esse irritam *cap. postulatis* ; & iubet id denunciari. Et facit pro hoc quòd plura capita iuris,quæ sic loquuntur,intelliguntur hoc modo à Iurisperitis,vt notat Couarr.*regula peccatum,*2.*p.*§.8. *num* 78. Sylvest. *excommunicatio* 1.*num.*22. In quantum verò dicit *scienter*,intelligitur, maximè si scienter. Hanc sententiam tenent siue scienter, siue ignoranter eligatur, glossa *dict.c.finali,vers.scienter*,Couar. *cap.alma mater*,§. 8.*num.*1.Panorm.*d.cap. finali, num.*3. vbi etiam Cardin. Idem docent alij sine distinctione dicentes electionem excommunicati esse nullam : hi sunt Arm. *verbo electio, numero vigesimoquarto,excommunicatio,numer.*5.Ang.*excommunicatio* 1. *numero primo*, Sylvest. dicens communem *excommunicatio prima*, §. 3. Nauarr. *miscellaneo* 52. *numer.* 135. *fine*, Innocent.*capit.illa*, *de elect.* Paludan. 4. *distinction.*17. *quæstion.*6. *articul.* 1. *conclusion.*2.Idem

Universidad de Deusto
Biblioteca



videtur tenere Ledesm.2.4.q.25. *artic.2.sub.finem*, vbi dicit talem esse incapacem, vt eligatur. Idem innuit Hostiens.*titul.de cleric.excomm.num.* 2. vbi dicit talem non posse eligi. Idem innuit Nauarr.*cap.*25. Hispan. *num.*139. vbi absque distinctione dicit electionem excommunicati esse nullam: & probat id ex *c.fin.de cler.excomm.* vbi apertè est sermo de excommunicatione minori. Idem P. Enriquez *in suis scriptis*, & tenet *lib.*7.*de indulg.c.*18.*n.*2.*in commento, littera B*, & expresè Hugolinus *de censuris, tabula* 3.*c.*6.§.3.*num.*2. & expresè Anton. Cuchus *lib.* 4. *instit.maior.tit.*1.*n.*132. At prior sententia est probabilissima, & ad minus æquè probabilis.

## DVBIVM XIII.

*An beneficiorum permutatio facta per excommunicatum valeat, vt g. si quis ante excomunicationē legitimè obtinuit beneficiū, & postea existens excōmunicatus illud permutat.*

1 Couarr.*cap.alma mater*, 1.*p.*§.7. *num.* 2. referens Cardin. & Cosmam dicit non valere, quia in tali permutatione est mutua ipsorum collatio: at collatio factu excommunicato est nulla.

2 Sed hoc sanè intelligendum est, vt scilicet, si excommunicatus est toleratus, quia scilicet non est denunciatus, nec notorius Clerici percussor, est valida permutatio ad hunc sensum, quòd alter acquirat ius in eo beneficio: at est inualida quoad hoc, quòd excommunicatus non acquirit ius in beneficio sibi collato. Ratio, quia excommunicatus habet verum titulum illius beneficij, & per excommunicationem, dum est toleratus, licèt prohibeatur eligere, & conferre beneficium: atsi eligat, vel conferat, factum tenet, vt dicam in materia *de excommunicat.* & alter qui permutauit cum illo, verè habet etiam ius, & titulum sui beneficij, & erat capax illius beneficij, cum quo permutauit: ergo verè abdicauit à se primum beneficium, & acquisiuit secundum: & licèt ille excommunicatus non potuit acquirere ius in illo beneficio, cum quo permutauit, id non fuit ex culpa alterius permutantis, sed culpa sua. Sic docti recentiores: & patet ex his, quæ docet Flamin. *de resign.benefic.lib.*11.*q.*5.*num.*27.

## DVBIVM XIV.

*An propter irregularitatem amittatur beneficium, vel collatio sit nulla.*

1 FRancus *reg.*1. *de reg. iuris in* 6. tenet collationem beneficij factam irregulari non esse ipso iure irritam: quam sententiam dicit esse probabilem Suarez 5. *tom.disp.*40. *sect.*2.*num.*35.

2 Prima conclusio: Collatio beneficij, vel electio facta irregulari, est ipso iure nulla. Patet *cap. dudum* 22. *de elect.* & ratio est, quia inhabilis ad vnum, est inhabilis ad ei annexum, *cap. translato, de constitut.* sed irregularis est inhabilis ad ordines, & eorum vsum, quæ tamen beneficium requirit, cùm detur propter officium, *c.finali, de rescript.in* 6. ergo. Ita tenet Couar, *c.alma mater*, 1.*p.*§.7.*n.*1.*& reg.peccatum*, 2.*p.*§.8. *num.*6. & refert Dynum, Innoc. Felinum, Lambertinum, Parisium, & Milis. Idem Rebuff.*tract.de pacific.possess.n.*226. Nauart. Lat. *c.*27.*n.*249.*& c.*25.*num.*133.*dict.*21. Hispan. *in addit. ad num.*28.*cap.*27.*cap.si quando, de rescript. except.* 11. *ad* 8. D. Anton. 3.*p.tit.*15.*cap.*1.§.2. Sylvest.*beneficium* 3.*initio, & electio* 1.*q.*14. Rosel.*ibi n.*36. Tab.*n.*17. Ang. & Arm. *n.*25. Gabr. 4.*d.*15.*quæst.*8.*initio*. Perez *lib.*2. *ordinam. tit.* 9.*pag.*502. Corduba *summa*, *q.*41. Idem Enriquez *lib.*14. *de irregul.cap.*2.*num.*5. contra aliquos, quos *ibi in commento littera C*, refert.

3. An verò sit capax pensionis: dicendum est non esse capacem, vt in simili de excommunicato dixi *supra à dub.* 10. & tenet Nauar. *ibi* citatus, dum vniuersaliter affirmat omnem incapacem beneficij esse etiam incapacem pensionis Ecclesiasticæ. Idem videtur sentire Sà *verbo pensio, n.*6. dum ait pensionem non conferri irregulari sine dispensatione. Idem tenet Lessius *lib.*2.*de iust.c.*34. *dub.*38. *num.*203.

4 Circa prædictam verò conclusionē nota primò conclusionem esse intelligendam de eo, qui culpa sua contraxit irregularitatem, vel etiam si absque culpa verè est irregularis, quoad vsum omniū ordinum, vt si bello iusto occidit. Si verò sit irregularis absque culpa non quoad vsum omnium ordinum, vt qui ex defectu membri reddentis ipsum inhabilem ad vsum alicuius ordinis, & non alius iam susceptī, potest recipere beneficium non requirens maiorem vsum. Vnde is, qui duos digitos & dimidium palmæ citra culpam amisit, capax est recipiendi beneficium non requirens celebrationem: at secus est, si celebrationem requirat. Sic Nauar, Lat.*cap.* 27. *num.*249. *in noua, num.*252. Enriquez *suprà, & lib.*13.*de excommun. cap.*56.*num.*1.*littera E.*

5 Secundò nota ex Cordub. *vbi suprà*, stylum Curiæ esse dum confertur beneficium, dispensare in irregularitate, & loquitur de irregularitate homicidij. Sed hoc mihi valde dubium est, & credo minus verum: tum quia nó est credibile, Papam velle cum homicida dispensare, vt recipiat beneficium, cùm rarissimè, aut nunquam cum tali dispensare soleat: tum etiam, quia Rebuffus, qui maximè in his versatus est, *in praxi beneficiali, tit. declaratio nouæ prouisionis*, referens, & declarās litteras collationis beneficij, dicit in illis absoluere Papam ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto, & nihil dicit de irregularitate. Item quia Pontifex in iis litteris dicit, in generali absoluentes ab omnibus censuris: at nomine *censura communis*, & vera sententia tenet, non comprehendi irregularitatem.

6 Secunda conclusio. Si quis post obtentum beneficium incurrat irregularitatem, non amittit ipso iure beneficium, donec per iudicis sententiam priuetur: & hoc licèt talis irregularitas sit propter homicidium. Ratio, quia id nullo iure cauetur. Item, quia multo plus exigitur, vt priuetur quis re possessa, quàm vt incapax possidendi fiat. Ita Rebuff. *praxi benefic.tit.de modis amittendi beneficia, num.*50. *fol.*472. Anton. Gabriel. *tom.* 1. *commun.opin.lib.*1. *fol.*19. *vers.beneficium*, Couarr. *Clementin. si furiosus, de homicid.*2.*par.*§.3. *num.*6. Petrus Couarr. *de remedio luxorum*, 3.*p.cap.*9. Nauarr. Latin. *cap.*27. *num.* 249. Perez *lib.*5.*ordin.titul.*1.*l.*1 *fol.*31. Greg. Lopez *part.*1.*tit.* 9.*l.*18.*vers.de beneficio*. Panorm. & communis *cap.cum nostris, de conces.prebend.* Felin. *cap.inquisitionis*, Cordub. *vbi suprà*, & plures alij, quos refert Couarr. Idem Bernardus Diaz referens alios, *practica crimin.cap.* 88. licèt Barba *c. cum ab homine, de indic.* teneat homicidam esse priuatum ipso iure beneficio.

Circa hanc conclusionem nota aliqua.

7 Primò nota homicidam, vel aliam irregularem, quia per sententiam priuandus est beneficio, posse interim, adhuc pendente accusatione priusquam damnetur, id beneficium resignare. Ratio, quia antequam damnetur, habet iustam possessionem. Ita Couar. *d. Clement.*2.*part.*§.3. *num.*7. gloss. *cap.*2. *vt lite pendente in* 6. *vers.finita*, & communis *ibi* Rebuff. *tract.de pacific. num.* 161. Felin. Ferrar. Rota, Ludou. Gomez, Chassan. Philipp. Probus, quos refert Couarr. Enriquez *lib.*13. *de excomm.cap.*56. *n.*3.

8 Secundò nota, contra alios contrarium asserentes, quos refert Couar. *eod.n.*7. quòd si quis impetrasset à Papa, vt homicidæ beneficium sibi conferretur, si homicida illo priuatus fuerit, potest adhuc homicida, antequam priuetur, id renunciare. Ratio, quia imperratio est sub conditione, si iste priuatus fuerit: at iste vtitur iure suo antequam priuetur. Sic Couarr. *ibi*, referens Staphilæum, Chassan. Rotam, & plures alios, Enriquez *ibi*. Nota tamen, quòd tunc temporis renunciatio illa homicidæ non esset valida, quando in prioris impetrationis litteris expressim apponeretur, quòd renunciatio lite pendente, facta ab ipso priuando, cedat in vtilitatem





tatem impetrantis, quæ tamen clausula apponi non solet, & nisi post primam priuationis sententiam. Ita Couar. Staphilæus, & Probus.

9 Tertiò nota, si posset Episcopus dispensare, vt ille irregularis retineret beneficium, posset vtique dispensare, non obstante, quòd alius obtinuerit à Pontifice illud beneficium post homicidæ priuationem, & quod homicida, vel talis irregularis non possit id renunciare, nisi in impetrantis commodum. Ratio, quia talis impetratio alterius non tolleret Episcopo dispensandi potestatem, quia alter non acquisiuit ius simpliciter ad illud beneficium, sed conditionale, scilicet, si homicida illo per sententiam iudicis priuaretur: dispensatio verò Episcopi impediret priuationis sententiam. Ita Couar. *ibi* contra Staphilæum.

10 An verò irregularis teneatur beneficium renunciare, vide *in dubio sequenti*.

11 Nota, quod irregularis non amittit fructum beneficij ante irregularitatem obtenti, quia nullo iure cauetur. Sic tenet Enriquez alios referens *lib.* 13. *de excommunic. cap.*56 *num.*4. Plaza alios referens *lib.*1. *de delictis, c.*11.*n.* 8. Salzedo *super c.*94. *Bernardi Diaz, vers.ex quibus*. Idem tenet Nauarr. *lib.*5. *consil.tit.*3 *de simonia, consil.* 56. & nonnulli recentiores.

## DVBIVM XV.

*An suspensus, vel interdictus amittat beneficium, vel teneatur fructus restituere.*

1 Sit prima conclusio. Collatio beneficij facta suspenso, vel interdicto, vel ei, qui interdictum non seruauit, est nulla. Patet ratione posita *dubio preced. conclus.*1. & patet *c.*1. *de postulat.prælat. cap. cum dilectus, de consuetud.* Ita Sylvest. *electio* 1. *quæst.*14. Tab. *nu.* 17. Rosel. *num.* 36. Ang. & Arm. *num.*34. Nauarr Hisp. *c.*25. *num.*139. & Lat. *c.*25.*n.*133 *dicto* 21. Rebuff. *praxi benefic.tit.declaratio nouæ prouis.n.*5.6. *fol.*208. Sed Nauar. & Rebuff. non ponunt illud tertium, si interdictum non seruauit. Quid dicendum de pensione, vide *dub.preced.*

2 Nota stylum esse Curiæ Romanæ, dum alicui confertur beneficium, prius ipsum absoluere ab interdicto, vel suspensione ad hunc effectum, vt valeat talis collatio. Sic Rebuffus *ibi*.

3 Secunda conclusio. Qui post obtentum beneficium incurrit suspensionem, non ob id amittit beneficium, quia id nullo iure cauetur. Sic Arm. *verb. suspensio, n.*4.

4 Nota hîc, quòd si habens beneficium curatum, incurrat impedimentum perpetuum, vt suspensionem, vel irregularitatem, à quo non poterit dispensationem obtinere, licèt ipso iure non perdat beneficium, at tenetur in conscientia illud renunciare. Ratio, quia cùm munium illius ob id impedimentum exercere non possit, frustrà haberet beneficium, & illius fructibus frueretur, & ingens damnum grex pateretur, non habens proprium pastorem: maximè cùm parochus suo muneri non satisfaciat ministrans per alium. Ita Felinus *c.inquisitionis de accus. colum.* 1. quem refert, & sequitur Couar. 4. *decret.*2.*p.cap.*6.§.8.*n.* 7. vbi hæc verba dicunt: *Delinquens non potest iure in animæ iudicio retinere beneficium Ecclesiasticū, cui est annexus ordo sacer, quem ipse ob crimen exercere nequit.* Idem P. Enriquez *in suis scriptis* addit que secus esse de habente beneficium simplex, qui aliqua sui officij potest per se exercere, vt recitare, gubernare, quæ ad se pertinent, & sacra, ad quæ tenetur, possunt fieri per alium, quia in hoc non patitur damnum Ecclesia.

5 At dubium graue est, an suspensus ab officio, sit suspensus à beneficio. Nota ex Sylu. *vers.suspensio quæst* 5. & Nauarr. *c.*27.*n.*153. *dict.*7.§.2. Latina, tripliciter posse aliquem suspendi: primò ab officio, & hoc est idem, quod suspendi ab exercitio ordinis, & officij clericalis. Secundò à beneficio, & hoc est idem quod suspendi tantùm à beneficij fructibus: non enim sic suspensus, suspenditur à facultate administrandi illud in temporalibus, vel spiritualibus. Tertiò ab officio, & beneficio simul. Vnde sensus dubij est, an eo ipso, quòd quis est suspensus ab officio, & ordine clericali, sit suspensus à beneficij fructibus.

Triplex est sententia.

6 Prima tenet suspensum ab officio non esse suspensum à beneficio. Ratio, quia est pœna; ergo non extendenda. Item, quia sæpè apponitur in sententia suspensionis, vt sit suspensus ab officio, & beneficio; ergo dum id non apponitur, frustrà, & sine ratione dicitur id intelligendum esse. Ita tenet, & latè probat referens aliquos Perez *lib.*5. *ordinam.tit.*1.*l.*1 *fol.*31.

7 Secunda sententia tenet suspensum ab officio, esse suspensum à beneficio. & aliqui ex iis, qui eam tenent, ponunt quandam limitationem, scilicet quando suspensus est ob crimen graue, secus quando ob leue, vel ob infamiam. Ratio, quia fructus beneficij dantur propter officium; ergo eo ipso, quòd quis suspenditur ab officio, suspenditur ab illis, quia sublato principali tollitur accessorium. Et facit multò pro hac sententia *cap.eos, & c. sacerdotum*, 81. *dist.* Sic Panorm. *c.latores, de cleric.excomun. minist.n.*6. gloss. *ibi versic.ab officio*. Bernardus Diaz *pract. crimin.c.*67. & plures alij, quos referunt Couar. & Perez; eandem sententiam cum limitatione dicta tenent Gouar. 4. *decr.*2 *part.c.*6. *initio, num.*13. Panor. *c.vestra, de cohabit. cleric.n.*8. Angelus *suspensio* 3.*n.*3 Sylvest. *vers.suspensio.q.* 5. Arm *num.*11. gloss. *Clem. finali, de pœnis, vers. suspensi*, & Nauarr. *lib.*1. *conf.tit.*11. *de tempor.ordin.conf.*44. tenet suspensum, & irregularem non posse vti fructibus beneficij, nisi sit pauper ad se alendum.

8 Tertia sententia dicit tria. Primum est, vel loquitur de distributionibus quotidianis, quæ dantur interessentibus horis, vel de aliis beneficij fructibus. Si de distributionibus, tunc suspensus ab officio, est suspensus ab illis. Ratio, quia illæ tantùm dantur interessentibus, sed suspensus nequit choro interesse; ergo. Secundum, si loquamur de aliis fructibus beneficij, tunc suspensus ab officio simpliciter, vel ad certum tempus, non est suspensus ab illis. Ratio, quia licèt iste non possit choro interesse, at multa alia ad beneficium pertinentia potest facere: qualia sunt regere, & gubernare ea, quæ ad se attinent, & alia, quæ non sunt diuina officia; ergo. Probatur etiam rationibus primæ sententiæ. Tertium est, si perpetuò suspendatur ab officio, siue à iure, vel ab homine, censetur suspensus à beneficio, id est, fructibus. Ratio, quia hæc suspensio habet vim priuationis, & depositionis; quare cùm ius, vel iudex in perpetuum suspendat ab officio clericali, & beneficium sit propter officium, censetur ex consequenti suspendere à beneficio, *c.eos, & c.qui sacerdotum, dist.*81. Sic tenet referentes Paulum, Ioan. de Fantua, Præpos. Alex. Host. Gregor. Lopez *l.*17.*tit.*9 *part.*1 *vers.el derecho*. Turrec. *c.præter hoc, dist.*32. *num.*11.12. Nauarr. *c.*27 Lat. *num.* 160. Hisp. *n.*161. & addit, ad eundem *n.*161. ex quo infert suspensum ex eo quòd ante debitam ætatem promotus est, non esse suspensum à beneficio. Addunt Greg. Lopez & Turrecr posse iudicem per sententiam priuare fructibus beneficij suspensum simpliciter, si ex graui causa suspensus sit.

9 Sit tertia conclusio. Hæc tertia sententia videtur cæteris probabilior, & est amplectenda. Hinc infertur suspensum à beneficio teneri fructus restituere, quia idem est suspendi à beneficio, ac à fructibus. Sic Nauarr. Sylu. *vbi infrà*, Metina *lib.*1 *summæ, c.*11 *fol.*48. & quidam doctus iunior, quem ego consului.

10 Tandem nota duo. Primum, si iudex, vel ius, in sententia diceret, sit tantum suspensus ab officio, tunc is non esset suspensus à beneficio. Ratio, quia explicuit suam mentem per illam distinctionem. Sic Sylvest. Arm. *vbi suprà*. Vnde sententiæ positæ locum habent, quando iudex, vel ius non apponit *tantum*.

11 Nota secundò suspensum casu, quo fructus beneficij amittit, si per ipsum non stet, quominus à suspensione absoluatur posse si pauper sit, accipere ex beneficij fructibus,

Universidad de Deusto Biblioteca

ctibus: vnde se, & suos alat, ne cogatur in opprobrium clericorum mendicare, *cap. Studeat, distinct. 50. fine. & ibi* glossa Couarr. 3. *var. c. 13. n. 8. vers. decimosecundo.* Nauarr. *c. 25.* Hisp. *n. 125.* Lat. *n. 124.* Greg. Lopez *l. 31. tit. 9. part. 1. vers. las rentas,* Perez *lib. 8. ordinam. tit. 5. l. 1. fol. 174.* & alij quos hi referunt. Metina etiam *lib. 1. summæ, c. 11. §. 8. fol. 48.* Polanco *in directo, §. 3. de suspens. pagin. 142.* Sylvest. *beneficium 3. q. 20.* Idem Ang. *verbo beneficium, n. 44.* Tab. *beneficium 3 q. 3* Gabriel *4. distinct. 15. q. 8. art. 2 concl. 1.* & Couar. *ibi,* Idemconcedit de clerico depositio, non verò de clerico actu degraduato.

### DVBIVM XVI.

*An collatio beneficij reddatur nulla defectu legitimæ ætatis.*

1 SIt prima conclusio. Collatio est nulla, quando is, cui confertur beneficium, non habet ætatem iure requisitam ad illud. Patet ex *c. cum in cunctis, de elect.* & ex Trid. *sess. 22. c. 4. fine.* Sic Nauar. *cap. 25.* Hisp. *num. 118.* D. Anton. *3. part. tit. 15. c. 1. §. 2.* Sylvest. *electio 1. q. 14.* Ang. & Arm. *num. 24.* Gabr. *4. dist. 15. q. 8. art. 1.* P. Enriquez *in suis scriptis,* & alij.

2 Secunda conclusio Ætas requisita ad Episcopum, est trigesimus annus completus. Patet, quia *c. cum in cunctis,* dicitur, vt trigesimum annum exegerit: at vbi ponitur annus cum subiunctiui verbo importante complementum, requiritur quòd sit completus. Sic glossa *ibi vers. exegerint.* Rebuff. *praxi benefic. tit. requisita ad bonam collationem. num. 27. fol. 36.* Panormit. *cap. super inordinata, de præbend.* Cardin. *cap. cum contingat, de ætate,* Sylvest. *verbo ætas, quæst. 1. dicto 5.* Armil. *num. 2* Ang. *num. 3.* D. Anton. *3. part. tit. 19 cap 2. §. 5.* P. Enriquez *in suis scriptis.* Ad dignitates verò inferiores curam animarum habentes, & ad beneficia curata requiritur vigesimusquintus annus inceptus, *dict. cap. cum in cunctis, §. inferiora,* & Concil. Trid. *sess 24. cap. 12.* Et ratio est, quia electus ad curatum debet habere summum consilium, & summam prudentiam, quæ ante vigesimumquintum annum non reperitur. Et quòd sat sit inceptus patet, quia *cap. citatum,* & Concilium petunt, quòd attingat vigesimumquintum annum, sed quando ingressus est vigesimumquintum annum, licèt non compleuerit, dicitur attingere: sicut beati in patria dicuntur Deum attingere per solam apprehensionem, licèt non comprehendant. Sic Sylvest. *dicto 4. & 5.* Ang. Arm. Nauarr. Hispan. *cap. 25. num. 118. & addit. ad eundem n.* Lat. *n. 135.* Ad reliquas dignitates non curatas, seu personatus iure antiquo requirebatur vigesimus annus, *cap. 1. de ætate in 6.* docétque Nauarr. *ibidem.* at Trid. *dicto c. 12.* iubet, vt non minores duo de viginti annis promoueantur: vbi duo de viginti anni completi videntur requiri, quia significatur ætas in ablatiuo absque præpositione *in,* & quando sic significatur ætas, requiritur completa, teste Bart. *l. si cui ff. de leg. 1.* Sylvest. *vers. ætas q. 2.* Arm. *n. 3.* Ang. *n. 5.*

3 Tertia conclusio. Loquendo de aliis beneficiis simplicibus secundùm ius commune, variæ sunt opiniones: at communior, & rationabilior est, quam sequuntur Sylu. *vbi supra dicto 6.* Ang. *n. 3* Pan. & Cald. quos refert, & sequitur Greg. Lopez *l. 3. tit. 16. part. 1. vers. 14.* Anton. Cuchus *lib. 1. Instit. iuris, tit. 5.* scilicet si beneficium simplex sit canonicatus, aut aliud maturitatem consilij exigens, vt Rectoria, puta, quia est Ecclesia, vel capella per se stans, habens ad regimen suum clericum, requiritur annus quatuordecimus, ad cætera verò beneficia sat est septennium. Et notant Anton. Cuchus extare modò regulam Cancellariæ 18. statuentem, vt nemo canonicus creetur in cathedralibus ante decimumquartum annum, in collegiatis verò ante decimum. At verò iure nouo Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 6.* requiritur ad simplex beneficium decimusquartus annus, & iste debet esse completus. Ita docuere Enriquez *vbi supra.* Mandosius *de ætate minori, cap. 4. num. 15.* immo addit nec posse præsentari ante decimumquartum completum, quia Concilium dicit, vt antea obtinere nequeat, & verbum *obtinere,* est generale. Enriquez *lib. 10. de ordin. cap. 19. num. 2.* dicit, sat esse inceptum, & sic declarasse Cardinales. Et probatur. tum quia Concil. videtur velle, vt ante pubertatem non recipiat quis beneficium, sicut nec est habilis ad matrimonium, quia posuit annum in accusatiuo cum præpositione, & quando sic ponitur annus, exigitur completus, teste Bart. Angelo, & Sylvest. *supra* citatis: quod regulariter dicit verum Nauarr. Latin. *cap 25. num. 116.* Hispan. *addit. ad num. 118. cap. 25.* nisi aliud ex coniecturis, & alio decreto appareat, quod hîc non contingit. De canonicatibus verò, & portionibus, an requirant tantùm decimumquartum annum, videtur dubium, quia in Trid. *sess. 24. cap. 12.* dicitur, vt omnes canonicatus, & portiones habeant annexum ordinem sacrum, sed ad hoc requiritur ad minus vigesimusprimus annus; ergo.

4. Sit quarta conclusio: Ad canonicatus, & ad portiones sat est decimusquartus annus. Probatur, quia Concilium *loco citato,* ad omnia beneficia simplicia hanc ætatem postulauit, & *d. cap. 12.* solùm ad dignitates postulat vigesimumsecundum annum, neque inhabilitat ad canonicatum eum, qui non est promotus ad ordinem sacrum. Sic Enriquez *in suis scriptis,* & in epistola, quam misit ad me anno 1580. die 10. Februarij.

5 Vltima conclusio. Quantum attinet ad Prælatos Religionis, requiritur, vt aliquis fiat Prælatus Religionis, vigesimusquintus inceptus. Paper, quia licèt de hoc non sit textus expressus: at *cap. cum in cunctis,* definitur vniuersaliter ad dignitates curam habentes requiri vigesimumquintum inceptum. Sic Sylvest. *vers. ætas, quæst. 1.* glossa *cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* Panormit. *dicto c. cum in cunctis,* Ang *num. 3.* Arm. *num. 2.* ad Abbatissam verò iure communi requiritur trigesimus expletus. Ang. Sylvest, Arm. *ibidem,* At ex Trid. *sess. 25. cap. 7. de regul.* requiruntur quadraginta completi, quia ponit ætatem in ablatiuo absque præpositione *in,* iuxta dicta *conclus. 2.* Alias etiam qualitates petit *ibi* Concilium, & dicit quid agendum sit, vbi non inuenitur Monialis huius ætatis: vide *ibi.* Et ratio est iuxta Panorm. quia cùm fœminæ sint minoris prudentiæ, quàm viri, voluit ius, vt ætas suppleret prudentiam.

### DVBIVM XVII.

*An liceat pueris post decimumquartum annum beneficia conferre.*

1 ANte decimumquartum annum manifestum est non licere, per decretum Concilij *sess. 23. cap. 6.* Multi dicunt id esse illicitum. Ratio, quia actu non sunt digni, & priuantur iis alij indigni: licèt bonam de se præbeant spem, at facilè mutantur. Ita Palud. *4. dist. 25. q. 2. art. 4.* Gabr. *4. d. 15. quæst. 8. art. 1.* D. Anton. *3. part. tit. 15. cap. 1. § 3.* Sylurst. *beneficium 3. quæst. 1.* Caietan. *verbo beneficium, in fine.* Arm. *ibi num. 83* Nauarr. *c. quando, notab. 11. num. 16* glossa *cap. dudum, de præb. in 6. vers. idoneas,* Henricus Gandauo *quodl. 9. quæst. 31.* Dionys. Carthus. *opusc. de regimine & vita Episcoporum, cap. 32.* D. Bernard. *epist. 271* ad Theobaldum Comitem, *& epist. 42. ad Henricum, & lib. 3. de consil. ad Eugenium in fine,* Immo Soto *3. lib. de iust. q. 6. art. 2. fine* dicit, cauendum, ne pueris beneficia dentur, quia nec ius canonicum, nec naturale reputat eos dignos. Patet *c. super inordinata. de præb.*

2 Dico primò, ad beneficia curata non est eligendus puer. Ratio, quia est contra ius naturale, & diuinum, vt qui vix sui curam habere potest, aliorum curam habeat & sit spiritualis pastor. Et hoc intendunt Doctores citati Sic expressè P. Enriquez *in suis scriptis.* Similiter (inquit) dignitates Ecclesiæ non esse pueris conferendas.

3 Secundò dico, aliquando possunt concurrere circunstantiæ ita magnæ, vt puer etiam ante decimumquartum annum possit per Papæ dispensationem eligi ad beneficium



cium curatum, v. g. quando esset puer maximæ spei, ex quo rationabiliter sequeretur maius commodum ipsi Ecclesiæ. Ratio, quia eo casu posset Pontifex prudenter arbitrari id vtilius Ecclesiæ futurum. Sic docti recentiores.

4 Tertiò dico, beneficia simplicia, quæ solent ex consuetudine per vicarium administrari, & maximè, quæ nullum exigunt seruitium, vt præstimonia, possunt pueris bonæ indolis conferri, præsertim quando illa ætate quatuordecim annorum ostendunt bonos mores, & mediocrem scientiam cum spe proficiendi. Ratio, quia isti censentur digni, & sperantur profuturi Ecclesiæ; nec hæc beneficia tantam sufficientiam & curam exigunt. Sic P. Enriquez *in suis scriptis,* Adrian. *4. mat. de restitut. quæst. quia iam determinatum est, ad confirmat.* 4. Hostiens. *tit. de præbend. §. cui sit conferenda.* Enriquez *vbi supra.*

### DVBIVM XVIII.

*An propter defectū morum reddatur collatio beneficij nulla.*

DVplex est sententia.

1 Prima tenet, ob quodcunque peccatum mortale grauæ, quo quis affectus sit: reddi collationem beneficij nullam. Sic Panor. *c. si celebret, de cleric. excomm. minist. & c. dudum el. 2. de elect. n. 24* Arm. *verbo electio, n. 24.* quando tale peccatum graue est. publicum.

2 Secunda sententia tenet oppositum.

3 Sit prima conclusio. Defectus honestatis morum reddit collationem beneficij nullam. Probatur, sicut scientia, ita & morum honestas requiritur in promouendo ad beneficium, *c. cum in cunctis, de elect.* Immo eo plus, quo morum honestas scientiæ præstat, quod ipsum cap. innuit, dum priori loco morum honestatem ponit: sed defectus scientiæ reddit collationem nullam, vt *infrà* ex mente omnium dicam; ergo. Et confirmatur ex Trid. *sess. 22. c. 4. de reformat.* vbi postquá egit de beneficiis omnibus, subdit, nec aliis in posterū fiat prouisio, nisi qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habeant, aliàs irrita sit prouisio. Sed quædam habilitas est morum honestas, vt patet ex *dicto c. cum in cunctis*; ergo. Hanc conclusionem docet Nauarr. *c. si quando, de rescript. exceptione 11. ad 8. & c. quando.* Latino *c. 22. n. 98. & in miscellaneo 39 n. 64.*

4 Secunda conclusio. Hanc morum inhonestatem, quæ reddit beneficij collationem nullam, non constituit, esse electum in peccato mortali, quamuis grauissimo, & ita collatio beneficij facta multis criminibus irretito, est valida. Probatur ex *c. sicut nostris, de iureiur.* & patet ex vsu. Sic Sylvest. *electio 1. q. 14* Ang. *n. 24.* Nauar. *vbi supra,* & in summa *cap. 25.* Hispan. *num 115.* Lat. *num. 133.* Felinus, glossa, Compostellanus, & alij, quos refert, ac sequitur Couarr. *cap. alma mater, 1. part. §. 8. num. 4.* Maioris *4. dist. 18. quæst. 4. & 2. dist. 44 q. vlt.*

5 Tertia conclusio. In tribus casibus dicetur deficere morum honestatem requisitam, vt beneficij collatio valida sit, & sic in illis erit nulla. Primus casus est, vbi quis contraxit crimen, ob quod irregularitas est in iure, vel suspensio constituta, vt homicidium, rebaptizationem, &c. Secundus casus est, quando quis commisit crimen graue notorium notorietate iuris, propter quod iudicis arbitrio veniret deponendus à beneficio. Ratio, quia talis propter infamiam iuris est irregularis. Tertius casus est, quando quis commisit crimen graue, & est notorium crimen notorietate facti, & est etiam infamatus de diutina perseuerantia in illo: ita vt iudicis arbitrio esset deponendus à beneficio, vel esset infamatus de tali crimine, & accusatus, & lis super crimine penderet. Ratio, quia in his casibus est irregularis propter facti infamiam. Sic Nauarr. plures referens *c. si quando, & c. quando, & in miscellaneo citato.*

### DVBIVM XIX.

*An beneficiarius existens in peccato mortali perdat beneficij fructus, & teneatur illos restituere.*

TRiplex est sententia.

1 Prima dicit teneri fructus restituere beneficiarios perditè viuentes, & continuò existentes in peccato mortali. Ratio, quia percipiens aliquid ad causam quam præstare non curat, tenetur perceptum restituere, at beneficia Ecclesiastica dantur clericis, vt bene viuant; ergo. Sic tenet Adrian. *4. mat. de restit. q. quæ incipit, Pro clariori intelligentia dictorum, vers. pro responsione.* Idem tenent quando peccatum mortale est publicum, Ang. *verbo clericus 8. n. 5.* Gabr. *4. dist. 15. q 8. art. 3. dub. 4.*

2 Secunda sententia docet, non teneri fructus restituere, at teneri aliter recompensare benefactoribus, & fundatoribus suis scilicet elemosynas elargiendo, &c. Sic Gerson *2. p. Alphab. 40. litter. I.* & Driedo *lib. 2. de libert. Christiana c. 4.*

3 Tertia sententia docet, nihil teneri restituere, quia id nullo iure cauetur: item quia talis ritè deseruit Ecclesiæ quod ad id, quod Ecclesia statuit, recitat enim, & sacra facit, &c. Sic Sylvest. *clericus 4. q. 24.* Rosel. *clericus 3. num. 3.* D. Anton. *2 part. tit. 2. cap. 2. §. vltim.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. in fine* Nauarr. *lib. de reddit. Ecclesiast. q. 1. num. 72. & cap. quando,* Latino *c. 7. n. 35. & in summa, c. 25.* Lat. *num. 123.* Hispan. *n. 124.*

### DVBIVM XX.

*An defectus scientiæ, quia scilicet beneficiarius est indoctus collationem beneficij illi factam nullam reddat.*

1 SIt prima conclusio. Defectus scientiæ competentis reddit beneficij collationem nullam. Probatur ex *cap. cum in cunctis, §. finali. de elect.* vbi habetur, quòd si eligatur indignus ob ætatis morum, scientiæ, vel natalium defectum, collatio, vel electio ad alium deuoluatur: ergo collatio, vel electio propter aliquem illorum quatuor defectuum est nulla, aliàs non deuolueretur ad alium. Secundò probatur ex *cap. cùm nobis, de elect.* vbi habetur eum, qui fuit ibi electus, non esse repellendum ob defectum scientiæ, quia licèt non haberet eminentem scientiam, habebat tamen competentem; ergo si non habuisset competentem, non valeret electio. Sic tenent Tabie. *electio 1. num. 17. 18.* Sylvest. *elect. 1. quæst. 14.* Ang. *n. 23. 24.* Arm. *num. 23. 24.* Salzedo *vbi infra.* Rebuffus *de pacific. possess. n. 214.* Nauarr. *cap. si quando, de rescript. except. 11. ad 1. & c. quando.* Latino *c. 22. n. 98.* Panorm. Ioan. Andr. Cardin. per Nauarrum citati.

2 Secunda conclusio. Vt collatio beneficij sit valida, satis est, vt is, cui confertur, non sit omnino illiteratus, & scientia destitutus, sed saltem legere sciat: vnde tunc ob defectum scientiæ erit nulla, cùm legere nescit. Sic Nauarr. *dicto c, quando, c. 22. num 98.* Salzedo *pract. Bernard. Diaz cap. 21.* & Nauarr. *cap. si quando, de rescript. in nouis, except. 13. fine,* concludit, satis esse, si sciat legere, & scribere, iuxta Trid. *sess. 24. c. 4. de reformat.*

3 Tertia conclusio. Vt quis non peccet acceptans beneficium, oportet habeat mediocrem scientiam, & sufficientem ad beneficium administrandum. Sic Nauarr. *ibi* Rebuff. *praxi benefic. c. de requisitis ad bonam collationem. n. 42* Panorm. *dicto c. cum in cunct.*

### DVBIVM XXI.

*An per intrusionem reddatur quis beneficij incapax.*

1 PRimo loco prænotare oportet, quis dicatur intrusus in beneficium, multipliciter enim dicitur intrusus. Primò dicitur intrusus, qui sine authoritate illius, ad quem collatio beneficij spectat, illud capit propria authoritate, *cap. ad aures, de excess. prælat.* tenet Panor.

Universidad de Deusto Biblioteca

*cap. cum iam dudum, de prabend.* Bernard. Diaz *pract. crim. cap.* 44. Rebuff. *praxi benefic. regula, de subrogandis collat. glossa* 4. *num.* 4. Sylueſt. Armil. Tabien. Angel. *verbo intruſus*, Paulus Borgaſius *in lib. de irregul. 6. tit. de inſtit. num.* 10. Coſmas *vbi infra.* Felin. *cap. in noſtra, de reſcript. n.* 11. quem *ibi* de toto hoc dubio videbis.

2 Secundò dicitur intruſus, qui abſque canonico, & legitimo titulo beneficium capit, ſed titulo vitioſo. Sic Bald. quem refert, & ſequitur Rebuff. *ibi num.* 5. Armil. & Tabien. *vbi ſuprà.* Nauarr. ſumma Hiſp. *cap.* 28 *addit. ad num.* 28. *capitis* 27. & ponit exemplum Nauarr. vt qui ſciens ſe eſſe irregularem. capit beneficij poſſeſſionem, & Lat. noua, *cap.* 27. *n.* 194.

3 Tertiò dicitur intruſus, qui poſt electionem ad beneficium ante confirmationem adminiſtrat. Sic Oldraldus, quem refert, ac ſequitur Rebuff. *num.* 7. & Paulus Borgaſius *vbi ſupra.* Coſmas *pragmat. ſanctio, tit. de paciſ. poſſeſſ. ſuper gloſſam, quicunque.*

4 Quartò dicitur intruſus, qui beneficium poſt priuationem, & depoſitionis ſententiam, adhuc retinet, à qua non appellauit: ſecus ſi appellauerit. Sic Innoc. & Præpoſiti quos refert, & ſequitur Rebuff. *ibi num.* 10. Coſmas *ibi.*

5 Quintò dicitur intruſus, qui beneficium iniuſtè alteri ablatum, & omiſſo iuris ordine, detinet, quamuis habuerit collationem, *c. tanta, de exceſſ. prælato.* Præpoſ. & Domin. quem refert, & ſequitur Rebuff.

6 Sextò dicitur intruſus, qui à ſuperiori excõmunicato ſuſpenſo, vel interdicto, vel ab eo, qui non habet conferendi poteſtatem, beneficium recipit, *cap. finali, de exceſſ. prælat.* Rebuff. *ibi num.* 12. Coſmas, Paulus Borgaſius, & Bernardus Diaz *vbi ſuprà.*

7 Septimò dicitur intruſus, retinens beneficium Eccleſiaſticum, quo eſt priuatus ipſo iure, propter aliquod crimen, Brixienſis, Felinus, quos refert, & ſequitur Couarr. 4. *decret. 2. part. cap. 6. §. num.* 8. Coſmas, & Rebuff. *vbi ſuprà, n.* 14. Hoc tamen limitat Couarr. verum eſſe, quando quis fuit per ſententiam priuatus, & retinet illud beneficium, vel quando ipſo iure priuatur, & fuerit ſequuta ſententia declaratoria: immo requiritur vtroque caſu ſententiæ executio, & refert Rotam. His ſuppoſitis, ſit

8 Prima concluſio. Intruſus in beneficium eſt illius incapax, & ad illud inhabilis. Sic Paulus Borgaſius, *vbi ſuprà, num.* 11. Nauarrus plures referens *vbi ſuprà*, Rebuff. *vbi ſupra, num.* 26. *& praxi benefic. tit. de miſſione in poſſeſſ. n.* 8. Anton. Gabriel. *tomo 2. communium opinionum, lib. 5. titul. de acquirent. vel amiten poſſeſſ. concluſ. 4. num. 5. fol.* 274. Vnde dicunt Anton. Gabr. & Rebuff. cum pluribus aliis per ipſos citatis non valere impetrationem, ſi talis intruſus impetret illud beneficium à Papa, non facta intruſionis mentione. Menochius *lib. 2. de arbitr. centuria 3. caſu* 201. *num.* 129. Nauarr. *lib. 3. conſil. titul. de iure patronat. conſil.* 8. Immo & fructuum perceptorum tenetur facere mentionem Papæ Nauarr. *ibi*, Felin, *cap. in noſtra, de reſcript. coroll.* 2. Rebuff. *praxi 3. part. ſignature, num.* 57. 58. Nauarr. Latina noua, *cap.* 27. *num.* 194. impetret habilitatem à Papa, & poſtea collationem ab ordinario, ſi non eſſet reſeruata. Enriquez *lib.* 13. *de excommunic. c.* 56. *n.* 1. *lit. F.*

9 Secunda concluſio, ſolus Papa diſpenſat in hac inhabilitate. Paulus Borgaſius, & Nauar. *vbi ſuprà.* Vnde dicit Nauarr. qui ſciens ſe eſſe irregularem obtinuit, & accepit beneficium, detegat Papæ hanc intruſionem, vt cum ipſo in hac inhabilitate diſpenſet, & poſtea impetret nouam collationem ab ordinario. At per Concil. Trident. *ſeſſion.* 24. *c.* 6. ſi hæc inhabilitas naſcatur ex delicto occulto, poteſt Epiſcopus diſpenſare.

10 Tertia concluſio. Intruſus dumtaxat eſt inhabilis ad illud beneficium, in quod ſe intruſit, non autem ad reliqua omnia. Vnde in impetratione illius beneficij mentio debet fieri de intruſione, non autem in impetratione alterius beneficij. Sic Anton. Gabr. & Rebuff. *ibidem.*

11 An verò coniugatus clericus ſit incapax beneficij Eccleſiaſtici, dixi *libr. 7. de matrimon. diſp. 43. num.* 14. & an per ſponſalia, vel matrimonium, etiam irritum, amittatur etiam ante conſummationem, dixi *ibidem diſput.* 42. acdenique *diſput.* 44. *num.* 9. dixi coniugatum clericum incapacem eſſe penſionis, quæ titulo clericali conferri ſolet, & ideo *ibidem num.* 5. dixi vacare ſimiliter per matrimonium.

## DVBIVM XXII.

*An habens beneficium curatum, ſi non promoueatur infrà annum ad ſacerdotium, amittat ipſo iure beneficium.*

1 SIt concluſio. Talis amittit ipſo iure beneficium ſinito anno. Patet *cap. licèt canon. de elect. in 6.* nec requiritur aliqua iudicis ſententia, vt vacet (vt optimè Nauarr. Soto, Rebuff. & Metina *vbi infrà*) & eſt apud omnes certiſſimum. Idem D Henriquez *in ſuis ſcriptis.* Et ratio eſt, quia hæc lex non eſt pœnalis, ſed conuentionalis, datur enim ab Eccleſia hac lege, & conditione beneficium curatum, vt recipiens promoueatur intra annum; quare ſi conditionem non ſeruat, amittit ſtatim beneficium. Ita docent Anton. Cuchus *lib. 2. Inſtitut. iuris tit. 7.* Bernard. Diaz *practic. crimin. cap.* 48 Metina 1. 2. *quæſt.* 96. *art. 4 fol.* 88. *verſ. Ad aliud de clerico.* Nauarr. *cap.* 25. Lat. & Hiſpan. *n.* 118 Sylueſt. *beneficium 3. quæſt. 2.* Gabr. 4. *diſt.* 15. *quæſt. 8. art. 1.* D. Anton. 3. *part. tit. 15. cap. 1. §. 3.* Archid. & Ioann. Andr. *c. cum ex eo, de elect. in 6.* Panormit. *c. cum in cunctis, de elect. §. inferiora.* Armil. *verbo beneficium, num.* 85 Angel. *clericus 7. num.* 5. Sotus *lib. 10. de inſt. quæſt. 5. art. 6. verſ. ſecundum caput* Rebuff. *praxi benefic. tit. de non promotis intra annum fol.* 443. *n.* 1 & 2.

2 Nota primò, ſimiliter Epiſcopos, & Archiepiſcopos teneri intra tres menſes conſecrationis munus ſuſcipere, aliàs teneri ad fructuum reſtitutionem. Quòd ſi intra totidem menſes poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ſunt ipſo iure priuati. Sic Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2.

3 Secundò nota, concluſionem poſitam habere locum in vicariis perpetuis Eccleſiarum parochialium, quia hi verè habent animarum curã. *Clem. vnic. de offic. vicarij.* Sic Rebuff. *vbi ſuprà num.* 4. Item habet locum tam in ſæcularibus, quàm in regularibus: vnde ſi regulari detur parochialis Eccleſia, tenetur infra annum promoueri, aliàs vacabit. Rebuff. *ibi n.* 7.

4 Tertiò nota, procedere etiam concluſionem poſitam, licèt habens beneficium parochiale non recipiat fructus primi anni, adhuc enim tenetur promoueri, aliàs, vacabit. Ratio, quia grex eſt eidem commiſſus, & habet pacificam beneficij poſſeſſionem, & ſic propter eius periculum tenetur promoueri. Quare parare ſe tenebitur, vt eo tempore, quo fructus eſt percepturus, ſit idoneus ad ſeruiendum. Sic Rebuff. *num.* 11. & 12. Francus, Dominicus, & gloſſ. Peruſ *cap. commiſſa, de electione in* 6. Notat tamen Rebuff. *num.* 13, hoc procedere, quando ad aliquod tempus fructus non percipit: ſi tamen quis retineret ſibi omnes fructus, & renunciaret parochiali Eccleſiæ, is, qui nil percipit, promoueri non tenetur, quia cùm de altari non viuat, & fortè in vita ſua non percipiet fructus, ſeruire non tenetur, ſed is, qui fructus recipit, tenetur ſacra miniſtrare, eo mortuo tenebitur reſignatarius intra annum promoueri.

5 Quartò nota, concluſionem non eſſe intelligendam in Eccleſiis parochialibus collegiatis, vt ſunt Decani in collegiis, Priores, & Abbates in conuentibus. Rebuff. *num.* 27. Patet *cap. ſtatutum, de elect. in 6.* & ratio eſt, quia non tantum periculum imminet, ſi iſti ſacerdotes non ſint, cum plures ſint in collegiis Sacerdotes qui ex curati, non Sacerdotis conceſſione poſſint id facere, ad quod ipſe tenetur. Sic Armil. Pan. Angel. Sylu. *q.* 3. qui addit ſumi collegium largè pro plebania ſub ſe habente capellas, in qua ſunt Sacerdotes, qui curati vices ſuppleant.

6 Quintò nota, non habere etiam locum in Abbatiis, quia



quia in his id non eſt ſtatutum, & requireretur expreſſa mentio. gloſſ. *c. 2. de prabend. in 6.* Rebuff. *n.* 21. at dicit *n.* 26. peccare grauiter Abbates, ſi iuſto ceſſante impedimento, non promoueantur, ſiquidem non ſecundùm Abbatiarum inſtitutionem officium eis iniunctum exequuntur.

7 Sextò nota non habere etiam locum, ſi Eccleſia parochialis erigatur in cathedralem, quia percipit nomen parochialis. *c. cum noſtris, de conceſſ. prabend.* Sic Cardin. Perũſ. quos refert, & ſequitur Rebuff. *n.* 24. Item nec in diguitatibus etiã curatis: & ſic Decanus etiam Eccleſiæ curatæ non amittit beneficium, ſi intra annum non promoueatur, quia Eccleſia parochialis ſimpliciter non comprehendit parochialem, quæ dignitas eſt, ſiquidem aliam habet qualitatem. Sic Ioan. Andr. Feder. & alij, quos refert, & ſequitur Rebuff. *n.* 29. & infert *n.* 30. pœnam non promotionis non habere locum in Decanatibus, Præpoſituris, aut Archidiaconatibus. Item non habet locum, quando Eccleſia parochialis eſſet principaliter vnita præbendæ, vel alij beneficio ſimplici, *cap. extirpanda. §. qui verò, de prabend. & cap. ſuper eo, eodem titulo in* 6. Ratio, quia cùm acceſſorium ſequatur naturam principalis, beneficiũ vnitum aſſumit naturam eius, cui vnitur, per *cap. recolentes, in fine, de ſtatu monach.* Sic Anton. *c. 1. de ſede vac.* gloſſ. & communis *dicto cap. licèt canon*, vt refert, & ſequitur Rebuff. *n.* 31. Item non habet locum, ſi Eccleſia non habeat curam fori pœnitentialis, ſed tantùm contentioſi. Ratio, quia iſta non dicitur parochialis ſimpliciter, & ceſſat in hac promotionis ratio. Ita plures, quos refert, & ſequitur Rebuff. *n.* 32. 33. Item non habet locum, quando Eccleſia eſt tantùm parochialis habitu, quia ſcilicet non habet iam parochianos. Ratio, quia iſta non dicitur parochialis ſimpliciter. Sic Selua *tract. de benef. 3. part. fol.* 46. gloſſa *dicto cap. licèt canon, verſic. parochialis, fine.* Gut. *in allegat.* 8. *n.* 3. Rebuff. *n.* 34. qui notat, quòd ſi iterum habeat parochianos, tenebitur promoueri ab ea die, qua incipit habere.

8 Nota ſeptimò non habere etiam locum, ſi duo præficiantur Eccleſiæ parochiali, & neutri ſit commiſſa cura, quia duo non poſſunt eſſe curati eiuſdem Eccleſiæ; licèt plures poſſint habere clericos, eſſet enim monſtrum, ſi duo capita haberet, niſi factæ eſſent duæ parochiæ, & partita cura de Papæ authoritate. Vnde ſi collegium committat curatum duobus, neuter curam habebit, ſed tantùm, curæ exercitium, & cura erit penes collegium: quòd ſi collegium committat vni ad tempus, ille non erit curatus, ſed curati vicarius temporalis: ſi tamen vicarium perpetuum ſignaret, & is ab ipſo ſuſciperet, literas regiminis, tunc ille haberet curam, & intra annum teneretur promoueri. *Clement. vnica, de offic. vicar.* Hæc Rebuff. citans plures *à n.* 63. *vſque ad* 70.

9 Octauò nota à quo die numeretur annus, intra quem tenetur promoueri, numeratur quippe à die, qua in pacifica beneficij poſſeſſione eſt, vel per eum ſtat; quo minus eſſet. Sic colligitur ex *cap. commiſſa, de elect. in* 6. Sic docent Nauarr. Sylu. D. Anton. Bernard. Diaz, Angel. *vbi ſupra*, Rebuffus *vbi ſuprà*, *numero* 41 quare dicit idem *numero* 45. cùm annus iſte computetur à die pacificæ poſſeſſionis adeptæ, & in Regno Franciæ pacificam poſſeſſionem quis non dicatur habere ante annum, ob id poſt annũ pacificæ poſſeſſionis alterum habet ad promouendum. Quando verò dicatur poſſeſſio pacifica communiter, id enim eſſe peculiare in Gallia, dixi *dubio 7. n.* 5.

10 Sed quid ſi pater obtinuit Bullas beneficij curato pro filio, vel aliquis alius, & beneficiarius id ignoret, an priuabitur elapſo anno. Rebuff. *n.* 54. aſſerit amittere elapſo anno, & imputetur obtinenti beneficium, quòd non admonuerit futurum beneficiarium: at probabilius eſt non amittere. Ratio, quia cum ignoret ſe eſſe curatum, non currit ei tempus, niſi à die, quo ſcit, cùm legitimè excuſatus ſit. Sic Domin. *dicto cap. commiſſa*, Selua *tract. de benef. 3. part. q.* 3. *fine.*

11 Nonò nota eum, qui non promouetur, non amittere beneficium, donec compleatur annus numeratus à die pacificæ poſſeſſionis, quare poteſt in fine anni curatum permutare cum alio beneficio, cùm eo ante finem anni priuatus non ſit, & is, cum quo permutatur, tenebitur intra alium annum promoueri, aliàs amittet. Sic Rota antiqua, Auſtrerius, Bellamera, Oldradus, Rochus, quos refert, & ſequitur Rebuff. *n.* 37. 38. 39. & ſi poſſidens beneficium curatum, qui non promotus eſt, moriatur vltima die anni, vacabit beneficium per mortem illius, cùm adhuc non ſit eo priuatus. Pariſius, quem refert, ac ſequitur Rebuff. *n.* 44.

12 Decimò nota poſſe Epiſcopum diſpenſare cum habente curatum, vt ratione ſtudio literarum incumbendi non promoueatur per ſeptennium ad ſacerdotium, dum tamen intra annum Subdiaconus fiat, ita quòd niſi primo acceptationis anno ſubdiaconus fiat, & infra octauum ſacerdos, ipſo iure perdit beneficium. Patet *cap. cum ex eo, de elect. in* 6. Sic Soto, Nauarr. Angel. Armil. Sylu. Gabr. D. Anton. *vbi ſuprà.* Immo idem poteſt Vicarius generalis Epiſcopi, & Capitulum ſede vacante, quia eandem iuriſdictionem, quam Epiſcopus, exercet, vt notat Felin. *cap. cum olim, q.* 8. *de maior.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de deuol. num.* 64. Ita tenet Nauar. *cap. quando*, latinè *cap.* 21. *num.* 59. Quam diſpenſationem poteſt etiam in fine anni concedere Epiſcopus illi parocho non promoto, modò intra illum primum annum promotus fuerit ad ſubdiaconatum. Ratio, quia donec elabatur annus, non eſt priuatus beneficio, & ſic ante anni finem poterit Epiſcopus ratione ſtudij diſpenſare. Sic Rebuff. citans plures *num.* 43. & 44. Francus *dicto cap. commiſſa, in principio, n.* 3. Lapus *allegat. 9. n.* 7. Domin. *eodem cap. commiſſa, in principio, n.* 1. *verſ. in fine gloſſæ.* Anchar. *n.* 4. *verſic. facit etiam*, & *ibi* Ioan. Andr. *n.* 2. *verſ. in gloſſa facta.* Ex aliis verò cauſis nequit Epiſcopus diſpenſare, cùm ſolùm ex hac cauſa concedatur. Rebuff. *n.* 8. latè probans, idem Nauarr. *cap. quando*, latinè *c.* 21. *n.* 59. Item ſi curatus diſpenſatus ratione ſtudij litterarum ſtudio non incumbat, nil prodeſt ſibi diſpenſatio. ſed ipſo iure beneficio priuatus eſt, ſi infra annum non fiat ſacerdos, cùm cauſa diſpenſationis ceſſet. Sic Nauarr. Sylu. Gabr. D. Anton. *vbi ſuprà.*

13 Vndecimò nota quòd ſi propter legitimum impedimentum non potuit parochus promoueri intra annum, non amittit beneficium, quia, qui in culpa non fuit, pœnã pati non debet. Sic gloſſa, *cap. licèt canon, de elect. in 6. verſ. priuatus*, & plures alij, quos refert, & ſequitur Bernard. Diaz, & Rebuff. *vbi ſupra num.* 47. Angel. *verbo clericus 7. n.* 5. Nauar. Hiſpan *addit ad num.* 118. *capitis* 25. Lat. *c.* 25. *n.* 116. Impedimenta verò legitima ſunt, ſi beneficiarius ægrè valuit, vel Epiſcopus fuit impeditus, vel noluit eum promouere: non eſſet tamen legitima excuſatio, ſi Epiſcopus proprius, qui noluit, vel nequit eum promouere, dedit ei literas dimiſſorias, vt ab alio Epiſcopo promoueretur. Eſſet etiam legitima excuſatio, ſi beneficiarius citra culpam incurrit irregularitatem, vt per amiſſionem oculi, vel manus, &c. ſecus ſi culpa ſua. Sic Bern. Diaz aliquos referens, & notat Rebuff. *n.* 48. contra Ægidium à Bellamera, quòd licèt fine anni occurrat impedimentum, adhuc non amittit beneficium tranſacto anno; licèt enim non poſſet parte anni reſtante promoueri, at poterat illud beneficium reſignare, vel permutare, vel diſpenſationem obtinere, &c. Quare finito impedimento tantum temporis ei dabitur, quantum reſtabat tempore impedimenti, per notata *c. cum ex eo, de elect. in 6. & per c. ſi electio, eodem tit.* id eſt, quantum tempus illius anni durauit impedimentum, & ſic non dabitur integer annus ceſſante impedimento, vt optimè Nauar. *lib. 1. conſil. tit. de tempor. ordinat. conſ.* 1.

14 Ex hoc notabili infertur deciſio cuiuſdam caſus, ſcilicet an qui vigintiquatuor annos nactus eſt, poſſit opponi beneficio curato; quidam enim, teſte Nauarro, negant, quando nullo ordine ſacro tunc erat initiatus. Ratio,

Universidad de Deusto
Biblioteca



quia recipiens curatum tenetur intra annum promoueri ad sacerdotium ; at hic non potest, quia Trid. *sess. 23. cap. 13.* cauet tres interuenire debere annos inter susceptionem ordinum minorum, & presbyterij. At contrarium est verissimum, scilicet posse se opponere, quia habet legitimam ætatem ad curatum, vt patet ex dictis *supra*, & iustam causam, vt Episcopus dispensset in interstitiis: quod si nolit dispensare, excusabitur iste, tanquam legitimè impeditus. Sic Nauarr. *cap. 25. Lat. n. 116.* Hisp. verò *ad-dit. ad n. 118. capitis 25.* P. Henriquez *in suis scriptis.*

Tandem nota, ei, qui beneficium amisit per non promotionem, non posse Episcopum conferre iterum illud beneficium, quia aliàs priuatio redderetur elusoria, *dicto cap. committa, & Clement. nec in agro, §. caterum, de statu monach.* Quòd si à Papa impetretur, necessarium est mentionem in impetratione facere amissionis illius, quia est res, quæ longè difficiliorem redderet impetrationem. Sic Rebuff. *num. 81. 82.*

16 Ex dictis sit quòd qui promouetur ad curatum, non est necesse, quòd sit sacerdos, sed quòd possit intra annũ ad sacerdotium promoueri; at requiritur saltem, quòd sit in minoribus constitutus: nec sat est prima tonsura, ne beneficium requirens ordinem sacerdotij vilescat. Sic Lambert. *de iure patron. lib. 2. 1. part. art. 3. q. 7. principali, n. 33. 34.* dicés esse omnium Doctorum *super c. 2. de instit. in 6.* vbi id tenet Francus: & sic dicit Lambertinus *ibi* quòd licèt beneficium sit simplex, si in fundatione iussit fundator, vt daretur sacerdoti, licèt ex causa possit Episcopus cum consensu patroni dispensare, vt detur non sacerdoti, at debet habere saltem ordines minores, licèt non sit necesse, vt habeat ætatem requisitam ad sacerdotium intra annum recipiendum, quia non est beneficium curatum. At falsò dicit Lambert, esse omnium quòd debeat esse in minoribus, quia contrarium dicit Arch. *c. cùm ex eo, in principio, verbo subiectus, de elect. in 6.*

17 Hic disputandum esset, an qui recepit dictum beneficium curatum, non intendens promoueri intra annum, teneatur fructus restituere? Sed de hoc dixi latè *lib. 7. de matrim. disp. 45. vsque ad n. 12.* & *ibidem* etiam dixi *à n. 13.* an idem sit dicendum de recipiente beneficium simplex non intendente promoueri.

## DVBIVM XXIII.

*An quando decreto aliquo Concilij, vel Papæ cauetur, vt qui tale admiserit crimen, amittat ipso facto, vel iure beneficium, teneatur, qui illud admisit, resignare beneficium ante aliquam sententiam iudicis.*

1 RAtio dubitandi est, quia esto aliis bonis verum sit, vt licèt quis priuetur ipsis ipso iure, adhuc tamen requiritur sententia declaratoria criminis, id est, quia illorum sunt domini priuati, & ita requiritur aliqua sententia, vt dominio, & possessione priuetur: at cùm beneficiarij non sint domini beneficiorum, sed dispositioni Ecclesiæ subsint, minus videtur requiri, vt illis priuentur, & potest Ecclesia ea tali lege concedere, vt qui tale crimen fecerit, nulla expectata sententia perdat: quod videtur facere, quando dicit ipso iure amittere: sicut dum vir legat vxori, si castè vixerit, vxor non castè viuens tenetur nulla expectata sententia legatum restituere, secundùm communem.

Duplex est sententia.

2 Primat tenet, teneri nulla expectata iudicis sententia renunciare beneficium, & illud statim, ac scelus perpetrauit, perdere: & patet id ratione posita, & sic tenent specialiter in beneficiis, licèt in aliis bonis oppositum doceant. Menchaca *lib. 1. controuers. frequent. c. 7. n. 33.* Nau. *c. 23.* Lat & Hisp. *n. 67.* Perez *lib. 2. ordin. tit. 9. l. vltima, sub finem.* Vbi hoc esse tutius dicit, & sic consulendum, vt officij, vel beneficij reualidationem impetret. Idem tenent alij vniuersaliter docentes, quando canon priuat ipso iure, vel facto bonis, nullam requiri sententiam, vt teneatur illa renunciare: hi sunt Anton. Gomez *lib. 3. variar. c. 2. n. 5. 6.* Panorm. & Felin. *c. 1. de constitut.* Tiraq. *l. si vnquam, C. de reuoc. donat. verf. reuertatur, n. 236.* vbi plus refert. Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. c. 6. & lib. 2. de lege pœnali, per totum*, sed maximè *c. 9. & 10.* Anton. Gabriel. *tomo 3. commun. opin. fol. 148. conclus. 217.* & plures alij Iurisperiti, quos Castro, & Cordub. *vbi infrà* referunt.

3 Secunda sententia docet non teneri resignare beneficium, licèt dicat canon ipso iure amittere, vsque ad sententiam iudicis saltem criminis declaratoriam, & sic ante illam posse illo frui. Ratio, quia ille habet ius in beneficio, & est verè dominus fructuum, secundùm veriorem sententiam: vt autem quis re, quam possidet, priuetur in pœnam criminis, oportet, vt sententia aliqua procedat, quia natura abhorret, vt idem sit agens, & patiens. Ita expressè in beneficio docet Sotus *lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. fine*, Petrus & Couar. *lib. de remedio lusorum, 3. part. c. 9.* Cord. *lib. 1. q. 36.* & Menchaca sententiam, quam *loco citato* tenuit, ipsemet retractat *lib. 1. controuers. frequent. c. 10. & 34.* Idem in simili docent alij, nam *in c. pro humani, de homicid. in 6.* statuitur, vt assassini ipso facto amittant beneficium omne, & dignitatem, nulla alia requisita sententia, & tamen plures docent, non teneri dimittere beneficium ante sententiam declaratoriam, & dicunt nulla alia requisita sententia intelligi non declaratoria, sed condemnatoria: hi sunt Sotus *dicto art. 6. ad 8.* Sylvest. *verbo Assassinus, q. 5.* Angel. *n. 4.* Rosel. *n. 1.* Armil. *num. 1.* Tab. *ibi* Ledesm. *2. 4. q. 15. art. 5. verf. Tertia conclusio. fol. 120. pag. 4.* Archid. & Ioan. Andr. *dicto cap. pro humani.* Idem colligitur ex aliis, qui vniuersaliter docent, quandocunque imponitur pœna priuationis ipso facto, vel iure, qualis imponitur hæretico, & reo læsæ maiestatis, adhuc requiri ad priuationem aliquam sententiam saltim declaratoriam. Hi sunt Anton. Gabr. *tomo 1. commun. opin. lib. 14. verf. Priuatio. fol. 170.* Ledesm. *vbi suprà, & q. 18. art. 2. dub. 10. fol. 257.* Menchaca *de successf. progressu, in præfat. lib. 1. n. 98. & lib. 1. illustrium q. c. 29. n. 19. & lib. 1 controuers. frequent. c. 10. num. 34.* Metina *1. 2. q. 96. art. 4 verf. Aduertium variè, & verf. ad quartum respondetur.* Perez *lib. 8. ordin. tit. 18. fol. 354. & lib. 2. tit. 23. l. fin. pag. 434. verf. iste tamen.* Padilla *l. si quis maior, C. de transact. n 58.* Angel. *verbo pœna, n. 3.* Rosella *absolutio 1. §. 19. & verbo pœna, n. 8.* Tabien. *excommunicatio. 2 §. 9.* Sylu. *hæresi 1. q. 8. & verbo Assassinus, q. 5.* Armil. *verbo Assassinus, n. 2 verbo hæreticus, n. 5.* Sotus *vbi suprà.* Victoria *relectione 1. de Indiis, n. 14.* Alcozer *lib. de ludo; cap. 23. verf. lo tercero & c. 42.* Metina *C. de restit. q. 1. verf. ad propositum.* Conradus *de contract. n. q. 7. tract. 1. conclus. 2.* Directorium *lib. 3. tit. 9.* Cord. *lib. 1. q. 36.* Cou. *4. decret. 2. part. c. 6. §. 8. n. 10.* Adrian. *quodlib. 6. art. 1. verf. Tertio infero.* Caietan. *2. 2. q. 62. art. 3. fine, & q. 12. art. 2.* Simancas *tit. de instit. tit. 9. n. 249. 250. 251.* Mexia *pragmat. panis, conclus. 6. n. 64. 65. 66. 67. 68.* plures referens Maior. *3. d. 25. quæst. 3. fine.* Petrus de Couar. *vbi suprà.*

4 Sit conclusio: Hæc secunda sententia est multo probabilior, & eam etiam in materia beneficij docuit Henriquez *in suis scriptis*, de quo latè dixi *lib. 2. summæ, c. 22. n. 20. & c. 39. n. vltimo, & lib. 6. sum. c. 15. n. 65. & c. 17. n. 39.*

## DVBIVM XXIV.

*An si canon iubeat, vt qui tale admiserit crimen, ipso facto absque aliqua declaratione perdat beneficium, requiratur adhuc iudicis sententia, vt perpetrans illud crimen, teneatur illud beneficium, resignare.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit teneri resignare ante iudicis sententiam, vt *extrauag. ambitiosè, de rebus Ecclesiæ nõ alien.* cauetur, vt clericus, qui bona Ecclesiæ alienat, ipso facto sit priuatus omnibus beneficiis, & illa absque alia declaratione



tione vacare censeantur. Ratio est, quia (vt dixi *dub. præced.*) quando canon dicit ipso facto, vel iure amittere, tantùm requiritur sententia declaratoria; ergo si canon addat, nulla requisita sententia declaratoria, nulla prorsus requiretur sententia. Ita tenent Sylvest. *verb. Assassinus, q. 5. & verbo Emphyteusis, q. 2.* Armil. *verbo Assassinus n. 2.* Rosella *ibi, n. 1.* Menchaca *lib. 1. controuers. frequent. c. 7. n. 18.* Cord. *lib. 1. q. 36. §. tertiò nota.* In idem inclinat Sotus, licèt dubius, *lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. fine.*

2 Secunda sententia tenet, licèt lex dicat nullam requiri sententiam, vel declarationem ad incurrendam pœnam adhuc requiri iudicis executionem, & sententiam declaratoriam, & sic potest explicari, quòd nulla requiratur sententia declaratoria, scilicet pœnæ, benè tamen delicti. Ratio, quia cùm pœna consistat in passione, non tenetur quis ipsam sibi inferre, sed sat est, si iudici exequenti pareat. Ita Couar. referens priorem sententiam, & dicens esse falsam *4. decret. 2. part. c. 6. §. 8. n. 10.* Mexia *pragm. panis, conclus. 6. n. 136.* fauet huic sententiæ Decius *cap. 1. de constit. n. 20.* vbi asserit etiam lata sententia non teneri hæreticum dare bona, donec iudex exequatur, quod esse probabilissimum, & plures grauissimos authores recepisse, fatetur Padilla *l. si quis maior, C. de transact. n. 58.*

3 Sit conclusio: Probabilior est hæc secunda sententia propter rationem positam, & eam tenuit P. D. Henriquez *in suis scriptis*, & in casibus conscientiæ Granatæ anno 1579. mense Septembris. De hæretico autem quando, & quomodo amittat beneficiũ, latè dixi *lib. 2. summæ, c. 26.*

## DVBIVM XXV.

*An quando quis per iudicis sententiam priuatur beneficio, & alteri confertur, is cui confertur licite retineat, etiamsi postea nouerit sententiam fuisse iniustam.*

1 NOta duplicem esse sententiam: quædam est declaratiua, scilicet quando duo litigantur, cuius sit beneficium, & iudex per sententiam declarat esse huius: quædam priuatiua, quando scilicet iudex per sententiam priuat aliquem beneficio, propter delictum aliquod. Insuper sententia iniusta tripliciter contingit. Primò ex parte ferentis tantùm, quando scilicet iudex malè iudicauit, quia contra allegata, verùm res illa erat illius, cui applicauit. Secundò ex parte rei tantùm, quando scilicet iudex benè, & secundùm allegata sententiam tulit; at allegata fuerunt falsa, & sic res non erat illius, cui applicata est. Tertiò iniusta ex parte rei, & ex parte ferentis.

2 Prima conclusio. Quando sententia declaratoria est iniusta, siue ex parte rei, siue ferentis, siue quomodocunque is, cui applicatur beneficium, tenetur, cognita sententiæ iniustitia, illud resignare: sic si res aliena mihi per sententiam iniustam applicetur, teneor cognita veritate, nisi præscripsero, eam restituere. Conclusio est certa, & omnium Doctrum, quos referam.

3 Secunda conclusio. Quando sententia est priuatiua, & iniusta ex parte ferentis & rei, certum etiam est, eum, cui applicatum est beneficium, teneri resignare. Similiter etiam quando sententia est iniusta ex parte ferentis, quia scilicet malè etiam contra allegata, sententiam tulit. Sic Doctores citandi.

4 At dubium est, quando sententia priuatiua tantùm est iniusta ex parte rei, quia scilicet iudex benè, & secundùm allegata priuauit quemdam beneficio: at priuatus reuera non contraxerat illud delictum. An is, cui tale beneficium applicatur, possit tuta conscientia retinere. Triplex est sententia.

Prima tenet, quòd si condemnatus non appellauerit, alter manet tutus in conscientia, quia qui non appellat, consentire videtur; secus si appellauerit, tunc enim licèt iniustè non fuerit auditus, non censetur consensisse. Sic Panormit. *cap. 1. de conces. prabend.* & Innoc. *cap. quia plerique, de immunit. Eccles.*

5 Secunda sententia asserit, non esse differentiam inter res sæculares, & beneficia Ecclesiastica: vnde sicut si per iniustam sententiam à parte rei, iustam tamen ex parte iudicis, quis priuetur re sua, & alteri conferatur, tenetur ille, cognita veritate, restituere, sic in beneficiis Ecclesiasticis, quia nulla apparet differentia. Sic Metina *quæst. 3. de restitut. causa 7.*

6 Tertia sententia est, cum hac distinctione, si sententia priuatiua beneficij sit iniusta ex parte ferentis, quia scilicet Prælatus iniquè illum priuauit, tenetur possessor, cognita veritate renunciare, & Prælatus alteri restituere. Si verò fuerit iusta ex parte ferentis; iniusta verò ex parte rei, non tenetur possessor, cognita veritate, illud resignare, nisi fuerit ille criminator, qui falsò accusauit. Et hoc tantùm procedit in beneficiis Ecclesiasticis, quæ authoritate Prælatorum dantur, nam in aliis rebus, etiamsi sententia sit iusta ex parte ferentis, tenetur alter, cognita veritate, restituere, vt notat Innoc. *ibidem.* Vnde fiscus tenetur bona restituere hæretico, vbi scierit falsò delatum de hæresi fuisse. Et ratio differentiæ inter hæc est, nam rei familiaris priuati ipsi sunt domini; quare si propter crimen ipsis falsò impositum, licèt satis probatum, priuentur ipsa, vbi veritas constiterit, restituenda ipsi est; at verò non sunt priuati domini beneficiorum Ecclesiæ, sed ipsa Ecclesia, & Papa dispensator, qui hac lege dispensat, vt si fuerit accipiens sententia iusta ex parte ferentis illo priuatus, non sit ipsi restituendum. Et hoc tenet Sotus *lib. 3 de iustit. q. 4. art. 5.*

7 Tertia conclusio. Hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XXVI.

*An possit Episcopus dispensare, vt beneficium aliquod detur non habenti qualitates à fundatore requisitas, de consensu tamen patroni.*

1 EXemplum sit, iubet testator, quòd talis capellania quam fundat, tradatur alicui, qui vel sacerdos, vel Doctor sit, &c. Dubitatur an possit Episcopus de licentia patroni dispensare, vt concedatur non habenti eiusmodi qualitates.

2 Rochus de Curte *tract. de iure patron. verf. pro eo quod cum diœcesani consensu, q. 15.* tenet non posse, quia Episcopus nequit in vltima voluntate dispensare, sed solus Papa, *Clement. quia contingit, de relig. dom.* idem decisio Capellæ Tolosanæ, Bald. Guido, vt refert, & sequitur Gutierrez *cons. 1. n. 19.* Azebedo *lib. 1. recopil. tit. 6. l. 5. n. 2.* nisi (inquit) sit primus fundator.

3 At dicendum est, quòd licèt Episcopus cum consensu patroni non possit statuere, vt semper conferri possit beneficium fundatum ei, cui non insunt qualitates in fundatione requisitæ potest tamen semel, vel iterum dispensare, vt de consensu patroni, hæredis fundatoris conferatur, iusta interueniente causa, ei, cui non insunt tales qualitates, v. g. erit iusta causa, iuxta Lambertinum, & Corsetum *vbi infrà.* Si præsentandus sit de familia ipsius testatoris, cum quo facilùs est dispensandum, vel si est persona nimis docta, & morigerata, & sic vtilis ipsi Ecclesiæ. Ratio, quia id, quod facit hæres, patronus ex causa iusta cum consensu Episcopi, velut commissarius, videtur ipse committens facere, cùm eius personam repræsentet, & sumus in casu, in quo, si ipse fundator viueret, pro vnica vice ex illa causa faceret. Sic tenent Nauarr, *cap. quando, c 3.* Hisp. *n. 69.* Lat. *n. 73. & lib. 3. consil. tit. 4. de cleric. non residem. cons. 7.* Mandosius *signatur. gratia, verbo derogationes*, Cæsar Lambert. *de iure patron. lib. 2. 1. p. art. 30. q. 7. principali. num. 20.* Corsetus, Chaldæi, & Panorm. *cap. cum accessissent, de constit.* & *ibi* Felin. *n. 19.* Spino *speculo testam. glossa 4. principali, n. 68.* modò (inquit) non damnificetur tertius cui est ius ad capellaniam acquisitum: & hæc est communis secundùm Beroium *consil. 5. num. 34. & 42.* & dicunt hi Doctores aliquando Episcopum, re hac priùs agitata, sic fecisse. Ad idem est Anton. *c. finali de rest.* vbi dicit,

quòd

quòd ex causa vtili relictum pro anniuersario potest vna vice in alios vsus conuerti. Et sic Granatæ occurrenti casu quidam valde doctus Iurisperitus consuluit. Idem Petrus à Biario, quem refert Gutierrez. Idem Rebuff. *prax. 3. part. signatur. verbo, Necnon iuris patronatus, n. 46.*

4 Nota primò, quòd si sunt multi patroni, requiritur consensus omnium, nec sat est, vt maior pars consentiat, quia omnes eum repræsentant, & non maior pars. Lambert. *ibi nnm. 31.*

5 Secundò nota, quòd Lambertinus *ibi n. 25. 26.* limitat hanc sententiam, nisi testator vltra qualitates requisitas apponeret clausulam prohibitoriam, vt si dicat, volo præsentari ad hoc beneficium sacerdotem, &c. & vltrà procedit prohibendo, ne alius, quàm sacerdos præsentetur, vel si dicat, nolo præsentari, nisi sacerdotem, vel volo omnino sacerdotem præsentari. Dicendum tamen etiam in hoc casu tenere verum nostram sententiam: immo, & quando testator diceret, nolo vt patronus possit aliter disponere. Et sic absolutè absque tali limitatione docent cæteri Doctores, quia sensus huius clausulæ est nolle, vt aliter fiat de ordinario, vel etiam vna vicè absque causa, & dispensatione Episcopi. Sic quidam Iurisperitus, quem ego consului.

6 Tertiò nota sat esse dispensationem tacitam, vt si patronus præsentet non sacerdotem, & Episcopus admittat sciens, & prudens vterque capellaniam requirere sacerdotem. Sic Lambert. *ibi n. 28.*

7 Quartò nota, quòd si causa sit necessaria, & patronus requisitus nolit præstare consensum, potest Episcopus inuito patrono dispensare, vt quando bona capellaniæ adeò decreuere, vt nullus inueniatur idoneus, qui illam admittere velit cum illis conditionibus, vel etiam ex causa multum vtili Ecclesiæ, vt si esset persona Ecclesiæ illi vtilissima. Sic Felin. *n. 19. 20.* de qua re vide Lambertinum *3. lib. q. 5 principali, art. 1. & q. 6. principali, art. 1.* Immo licèt testator petat residentiam, potest Episcopus de consensu patroni ex causa dispensare, vt non resideat, Nauar. *dicto consil. 7. fine.*

## DVBIVM XXVII.

*An beneficium sæculare Religioso collatum ex dispensatione Nuncij, cum clausula, vt intra annum nouam prouisionem illius obtineat à Papa, vacet non obtenta tali prouisione intra annum.*

1 QVidam Religiosus impetrauit à Nuncio Breue quoddam, vt posset sæculare beneficium obtinere, cuius clausula fuit hæc: Authoritate Apostolica, qua in hac parte fungimur, dispensamus tecũ, vt ad capellaniam præfatam institui, & cùm institutus fueris, ipsam retinere possis. dummodo intra annum à Papa nouam prouisionẽ, seu dispensationem obtineas. Non attulit hanc, nisi post multum, atque inquit Pontifex in ea: Dispensamus tecũ, vt possis obtinere capellaniam, si tibi aliàs canonicè conferatur, aut eligaris, præsenteris, vel assumaris ad illam. Dubitatur ergo, an capellania huic data virtute Bullæ Nuncij vacauerit, & sic opus sit, vt de nouo conferatur, & sic fructus illos medij temporis non fecerit suos.

2 Et videtur, quòd vacauerit: primò, quia non est impleta conditio, quam posuit Nuncius in sua dispensatione: secundò, quia id videtur significare Papa in sua Bulla, scilicet requiri nouam collationem, dicit enim, si instituaris, &c.

3 Respondetur non vacasse, sicque non esse necessariam nouam collationem. Ratio, quia illud, *dummodo intra annum* &c. positum à Nuncio, non est conditio sed modus. Tum quia institutiones beneficiorum sunt actus legitimi, qui non recipiunt conditionem, iuxta *l. actus. ff. de reg. iuris, & c. actus. eod. tit. in 6.* & patet ex *c. quàm pio 1. q. 2.* & tenent glossa *c. si gratiosè, de rescript. in 6. vers. à Romano; & 7. q. 1. c. pastoralis, vers. gubernare.* Panor. *c. significasti, de elect. n. 5.* & Francus *c. 2. de elect. in 6. n. 4.* Sebastianus Sapia *addit. ad Panorm. dicto c. significasti, verbo, in aliquo.* vbi hi omnes docent solum Papam posse absque vitio simoniæ has apponere conditiones: & vt benè Panor. docet *ibi*, nec Papa potest apponere, quando inducerent simoniam de iure diuino. Tum etiam, quia hæc dictio *dummodo*, adiecta actui perfecto non inducit conditionem, sed modum, vt, do tibi, vt facias hoc, vt probaut *lib. 3. de matrim. disp. 33. n. 2.* & in hoc casu adiicitur actui perfectio, scilicet, dispensamus, vt statim possis institui. Tum denique, quia quando actus institutus est, vt statim sortiatur effectum, non recipit conditionem, repugnat enim cõditio naturæ talis actus. vt benè Couar. *4. decret. 2 part. c. 3. initio. n. 3.* & ratio est, quia conditio suspendit effectũ vsque ad euentum conditionis: sed hic actus dispensationis institutus est, vt statim sortiatur effectum, scilicet, vt statim possit recipere præbendam; ergo illud verbum, *dummodo*, non est conditio, sed modus: sed quando institutio est modalis, non cessat propter non implementum modi, sed potest cogi institutus adimplere modum, vt dixi *lib. 5. de matrim. disp. 19. n. 9.* Ergo non vacat hæc præbenda, eo quòd non fuerit modus adimpletus. Et confirmatur ex *l. Mauia. ff. de manum. testam.* vbi dicit lex illa, quòd libertas relicta seruis, sub hac conditione, vt per annum assistant monumento, non cessat, eo quòd conditio non est impleta, sed compelli possunt serui assistere; quia (inquit textus) testator statim voluit esse liberos: ergo similiter in nostro casu cùm voluntas Nuncij fuerit, vt dispensatus statim beneficium assequatur, non cessabit ob non implementum modi. Ampliùs confirmatur ex glossa alios referente *cap. non potest, de præb. in 6. vers. retinere.* vbi dicit, quòd si Papa conferat alicui beneficium duplex, dummodo in altero ponat substitutum, licèt non ponat, valet collatio, compelletur tamen ponere: ergo similiter in nostro casu. Item, quia collatio huius beneficij non fuit ad tempus, tum quia nullum est verbum in Breui, quod tale quid significet: tum etiam, quia solus Papa potest ad tempus conferre beneficia, vt benè glossa *cap. vnico, de capellis in 6. vers. Perpetui, & ibi* Francus *n. 2.* Domin. *nu. 8. & eodem cap. si gratiosè, n. 14. fine.* Francus *cap. 2. de elect. in 6. num. 4.* Abbas *cap. si constiterit, n. 2. de accusat. & ibi* Anan *num. 8.* glossa *cap. si gratiosè, de rescript. in 6. versic. 4 Romano, & cap. pastoralis 7. quæst. 1. vers. gubernare.* Sebastianus Sapia *vbi supra.* Felin. *cap. finali, de iudic. num. 6.* vbi addit Legatum à latere hoc non posse; immo esset simonia conferre beneficium sub conditione, vel ad tempus. Et quamuis posset conferre ad tempus, explicatu opus erat: nec est verbum vllum in præfato Breui, quod vacationem, aut priuationem beneficij imponat, si intra annum non affertur Breue Pontificium: & priuatio beneficij non est inducenda, nisi iure expressa sit, vt latè Bernard. Diaz *practica crimin. c. 131.* Item quia si afferretur Breue Pontificium intra tempus præscriptum à Nuncio, planum est non fore necessariam nouam collationem, quandoquidem non est cur præcedens non valeret: ergo idem dicendum est, licèt attulerit Bullam post dictum tempus, siquidem (vt probaui) nihil est, quod cogat dicere collationem illam, quæ semel valida fuit, iam cessasse. Nec obstant verba Bullæ Papæ, quatenus dicunt, *Dispensamus, vt possis obtinere capellaniam, si promouearis, instituaris*, &c. Cùm enim hæc verba tacitè insint, licèt non apponantur, quia iuxta *cap. beneficium de reg. iuris in 6.* beneficium non potest obtineri sine canonica institutione, nil amplius operantur, quàm si non apponerentur, iuxta regulam vulgatam, *ea, quæ iure insunt, etiam si ab homine expressa fuerint, niloperantur.*

4 Obiicies, nam *l. si ita relictum, §. illi si volet ff. de legat. 1.* dicitur, quòd si testator leget centum Titio, si volet, est legatum conditionale: secus si leget simpliciter, & tamen conditio, *si volet*, tacitè inest legato, cùm legatarius possit repudiare legatum; ergo falsa est regula. Respondet Panor. *cap. significasti, de elect. n. 6.* quòd regula intelligitur, quando non alio modo apponitur, quàm tacitè



tacitè inest: at in hoc casu non fit expressio, vt tacitè inerat, nam quando relinquo, si volet, suspendo effectum legati in euentum conditionis, vnde nil acquiritur legatario, antequam declaret voluntatem suam, vt habetur *d. l. si ita relictum*; sed quando simpliciter legatur, acquiritur legatario etiam ignoranti, licèt commutabiliter, si noluerit acceptare, quia dispositio est pura, *l. cum pater. §. surda, ff. de legat. 2.*

## DVBIVM XXVIII.

*An possit Clericus patronus alicuius beneficij simplicis præsentare se ad illud beneficium.*

1 DVplex est sententia.

Prima negat propter *cap. per nostras, de iur. patron.* Item quia licèt ille texrus loquatur de personatu: at iuxta glossam *ibi*, ratio textus est, quia debet esse distinctio inter dantem, & recipientem, quæ in omnibus etiam beneficiis simplicibus procedit. Sic tenet Abbas *dicto cap. per nostras, & ibi* Ioan. Andr. Syluest. *verb. ius patronatus, q. 7. num. 8.* Angel. *ibi num. 18.* Armil. *n. 9.* Tab. *q. 17.* gloss. *cap. consuluit, de iure patron.* Sarmientus *vbi suprà.*

2 Fatentur tamen aliqui ex his Doctoribus, quòd potest patronus præsentare filium suum, etsi sint plures patroni, possunt vnum de se ipsis præsentare, *c. cum in iur. de elect.* Sic Syluest. Angel. Armil. Tab. *ibi* glossa, & Panorm. *dicto cap. consuluit.* Item potest Episcopus motu proprio conferre patrono beneficium: nec obstat, quod institutio facta sine præsentatione est irrita, quia patronus acceptando collationem videtur consentire, nec tamen se ingerere. Sic Syluest. *ibi* Panorm. *dict. cap. per nostras.* Immo dicit posse emittere hunc patronum preces pro se; secus se præsentare, quia fundens preces, non poscit ex debito, quod facit patronus præsentans: & quòd hoc possit Episcopus, docet Sarmientus 8. *select.* super *l. cum quidam, ff. de legat. 2. num. 25.*

3 Secunda sententia verior tenet posse; quia ratio textus non est, quòd debet esse distinctio inter dantem, & recipientem, quia præsentans non dat beneficium, sed instituens, siue conferens: sed ratio est præsumptio ambitionis, quæ cessat in beneficiis simplicibus. Sic Cæsar Lambert. *de iure patronat. 1. part. secundi libri, quæst. 8. principali, art. 2. à num. 2. & addit. num. 6.* quod hic vocatur beneficium simplex, non solùm sine cura, sed etiam personatus non habens magnam, & honoratam Ecclesiam, nec magnos reditus.

4 Nota primò, quòd instituere nemo se potest, etiam in beneficio simplici, *cap. de finali institut.* nec sibi conferre beneficium, nec se eligere, quia debet esse distinctio inter dantem, & accipientem, & institutio confert omne ius instituto. *dicto cap. finali, & cap. ex frequentibus de institut.* Electio etiam tribuit ius electo, glossa *cap. quanto 63. dist.* Panor. *cap. querelam de elect.* Sic Lambert. *ibi num. 10.*

5 Secundò nota, quòd patronus alicuius collegij potest se ad illud præsentare, dummodo non præsentet se ad dignitatem, sed vt possit ingredi collegium pro disciplina acquirenda; quia in hoc non est ambitio. Lambert. *ibi num. 10.* Item potest patronus delegare alteri pro hac vice, vt præsentet, & sic potest præsentare patronum. Sarmiento, & Panorm. *ibi.*

## DVBIVM XXIX.

*An renunciatio beneficij, vt sit valida, debeat fieri in manibus Episcopi? & an requiratur consensus patroni, quando beneficium est patronatum.*

1 SIt prima conclusio: Licèt renunciatio beneficij (vt vt mox dicam) debeat fieri vt sit valida in manibus Episcopi, at si est beneficium iuris patronatus, requiritur consensus patroni, quia eius interest: & hoc, siue patronus sit Ecclesiasticus siue laicus. *cap. in Lateranensi, de præbend.* Sic Innocent. *cap. finali, in fine, de renunc.* Butrio *cap. quod in dubiis, de renunc.* Panorm. *cap. significatum, de præbend. & ibi* Immola Cardin. *Clement. penult. de renunc.* Rochus *tract. de iure patronat. verbo honorificum, quæst. 3.* Lambert. *de iure patron. lib. 3. q. 5 principali, art. 5.*

2 Secunda conclusio. Renunciatio beneficij, vt valida sit, non satis est, vt fiat in manibus patroni, vel cuiuscunque, sed necessariò debet fieri in manibus Episcopi, vel superioris. Sic habetur *cap. nisi cum pridem, cap. admonet, & cap. quod in dubiis, de renunc.* Sic Innoc. Butrio, Enricus *dicto cap. quod in dubiis*, Albert. Ioann. Andr. & alij multi, quos refert, & sequitur Couar. *1. var. cap. 5. num. 6.* Felin. *c. in nostra. coroll. 34. num. 31. de rescript.* Cæsar Lambert. *vbi suprà.* Nauar. *cap. si quando, de rescript. except. 6. n. 2. & c. accepta, de restit. spoliat. opposit. 7. coroll. 5. n. 26. 27. & 28.*

3 Nota primò, quòd licèt omnes in hoc conueniant, est tamen graue dubium, an talis renunciatio valeat in præiudicium ipsius renunciantis: aliqui enim tenent non valere talem renunciationem in præiudicium Ecclesiæ, vel superioris, quoniam Ecclesia, vel superior potest illum repetere, si vult: at valet in præiudicium renunciantis, non enim potest redire ad beneficium, in eóque ministrare sine licentia superioris, vel Episcopi. Sic gloss. *dicto cap. quod in dubijs, vers. in manum, & cap. quod Dei timorem, versic. ministrares, de statu monach.* Syluest. *verbo renunciatio, quæst. 3.* Tiraquell. *de retractu lignagier, §. 26. gloss. 2. num. 10.* Flamin. *de resignat. benefic. lib. 7. quæst. 1. num. 25. & num. 33.* dicit id esse verum etiam in renunciatione facta coram laico. Idem Goffredus, Philipphus, & Ægidius *dicto cap. quod in dubiis.* Idem tenet Butrio *dicto cap. quod in dubiis*, limitans, *n. 8.* quando renunciatio fieret in manibus clerici, qui tamen non esset Prælatus: secus quando fieret in manibus laici, tunc enim nullo modo valet: & hanc sententiam dicit se pluries secutum Panor. *c. quod Dei, de statu monach.*

4 Cæterùm multo verius est, talem renunciationem non esse etiam validam in præiudicium renunciantis. Ratio, quia *dicto cap. quod in dubiis*, dicitur, quòd talis renunciatio nullam obtinet firmitatem: ergo non valet etiam in præiudicium renunciantis. Secundò, quia iste est obligatus beneficio, & ibi non tam versatur vtilitas ipsius renunciantis, quàm vtilitas publica *c. nisi §. verùm, de renunc.* ibi, *Non debes deserere sponsam tuam.* Sic tenet dicens communem omnium sententiam esse, Panorm. *dicto cap. quod Dei, num. 4. & c. ad aures, de his, quæ vi, n. 7.* vnde subdit posse sic renunciantem administrare in beneficio, antequam superior ratam habeat illam renunciationem: *Tenet tamen* (inquit *dicto cap. quod Dei, num. 4. renunciatio hæc quoad hoc in præiudicium renunciantis, vt superior possit eum priuare ob delictum suum, vel eam ratam habere.* Eandem sententiam, scilicet non valere etiam in præiudicium renunciantis, tenet Ioan. Andr. *cap. quanto, de translat. prælat.* Hostiens. *cap. ex ore, de his, quæ fiunt à maiori parte.* Rebuffus *de pacificis possessoribus, num. 149.* Nauar. dicens priorem sententiam nullo iure probari, *dicto cap. accepta, loco citato, num. 31.* Couar. vocans priorem sententiam falsam, *lib. 1. variar. cap. 5. n. 6.* Cardin. *dicto cap. quirenda in dubiis.*

5 Secundò nota, quòd Rebuffus *ibi* limitat hanc conclusionem, quando renunciatio fieret in manibus laici verbaliter tantùm, secus si esset verbo, & facto, quia scilicet facto ipso dimisit beneficium. Sed hanc limitationem bene reprobat Nauar. *dicto cap. accepta, vbi suprà, n. 35.* Et sic dicendum est cum communi sententia in vtroque casu renunciationem esse omnino inualidam.

6 Hinc fit renunciantem beneficio Ecclesiastico sine licentia superioris, adhuc post ipsam renunciationem verum habere titulum, & ius in eo beneficio, donec ea renunciatio per superiorem admissa fuerit, & sic vsque tunc beneficium non vacare, nec posse impetrari, vt vacans. Sic Innoc. Butrio, Enricus *dict. cap. quod in dubiis* Felinus *suprà*, Nauarr. *dicto cap. accepta, suprà num. 26. 27. 28.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



27.28. Alber. Ioan. And. Cassadorus, Carolus Molinæus contra Ludouicum Gomezium, quos refert, & sequitur Couar. *dicto num.* 6. Immo facta etiam renunciatione in manibus superioris non vacat antequam à superiore admittatur. Nauarr. *ibi*, immo amplius dicit Couar. *illo num.* 6. cum Parisio *consil.* 93. *lib.* 4. etiam admissa renunciatione per superiorem, & facta alteri collatione eiusdem beneficij, litteris tamen nondum expeditis, beneficio eidem renuncianti collato habere hoc beneficium ex veteri titulo, non ex nouo.

7 Secundò sit in impetratione beneficij alicuius oportere, ne subreptitia sit facere mentionem beneficij, quod quis renunciauit, quando renunciatio non est acceptata, secus quando est acceptata. Ratio, quia in priori casu beneficium est suum, vt dixi, sic decisio Rotæ, quam refert, & sequitur Felinus *dicto coroll.* 34. *num.* 31.

8 Tertiò nota, quòd conclusio est limitanda, quando renuncians fuit iam institutus in beneficio: si enim præsentatus à patrono nondum fuit institutus, potest renunciare in manibus solius patroni, quia non habet ius in re, sed tantùm ius ad rem: estque ad hoc optimus textus *cap. si tibi absenti, de prabend. in* 6. vbi habetur, beneficium collatum ante illius acceptationem sine vlla superioris authoritate respui posse. Sic Nauar. *c. si quando, de refeript. except.* 6. *num.* 2. Federicus *consil.* 9. glossa *cap. si electio, de elect. in* 6. *& c. cum venissent, de in integrum restit. verbo renunciauit*, decisio Rotæ, quam refert, & sequitur Cæsar Lambert. *vbi supra num.* 3. addit que in hoc casu sat esse etiam renunciare in manibus cuiuscunque notarij, factaque hac renunciatione posse patronum iterum præsentare, haberéque integrum tempus ad præsentandum, ex quo præsentatio sine culpa sua non est sortita effectum.

9 Tandem nota, quòd hic Episcopus, apud quem debet fieri renunciatio, non est necesse, quòd ipse possit conferre beneficium: immo licèt ad alium spectet collatio, potest admittere, & respuere renunciationem. Sic Nauarr. latè probans *dicto cap accepta, opposit.* 7. *num.* 30. contrarium tenent Rebuff. alios referens *praxi beneficiali, in forma vicariatus, num.* 108. Immo dicit non sat esse, vt possit ex priuilegio, vel consuetudine conferre, sed oportet fieri in manibus eius, quia aliàs de iure communi poterat conferre. Aduerte, quòd Rebuffus solùm videtur hoc denegare de habenti ex priuilegio, vel consuetudine conferre beneficia, & sic non videtur contradicere Nauarra. At renunciatio pensionis sat est, vt fiat coram notario, & testibus. Præpos. *cap. Agatho* 63. *dist.* Gomez *compendio vtriusque signaturæ*, quod est sub regula 25. *quæst.* 16.

## DVBIVM. XXX.

*An beneficia priora vacent per adeptionem Episcopatus, atque etiam per Abbatiæ adeptionem.*

1 SIt conclusio. Omnia beneficia, quæ quis habebat, vacant per adeptionem Episcopatus, vbi primùm scilicet quis habet confirmationem, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem, & lapsum est trimestre ad consecrationem Episcopis iure concessum. Hæc habetur expresè *cap. cum in cunctis, §. cum verò de elect.* vnde nulla requiritur ad hoc sententia, nec declaratio: tum, quia textus dicit, quòd vacant ipso iure: tum etiam, quia dicit, quòd habeat collator liberam facultatem, de illis disponendi, at non haberet, nisi ipso iure vacassent. Sic Panor. *d. cap. cum in cunctis, §. cum verò n.* 3.

2 Nota primò, quòd quando Papa prouidet de Episcopatu, illa prouisio est etiam confirmatio, & quamuis curia de facto statim soleat prouidere de beneficiis, sic prouisi Episcopi; at illa collatio non habet effectum, donec ille Episcopus prouisus habeat bonorum administrationem, & lapsum sit trimestre concessum ad consecrationem. Ratio est, quia non debet quis perdere beneficium, donec posterius sit perfectè consequutus. *cap. si quis iam translatus* 21. *quæst.* 2. *& cap. si qui Episcopi*, 92. *dist.* Sic norm. *ibi num.* 3.

3 Secundò nota, quòd vt vacent beneficia, petit textus confirmationem, & bonorum administrationem, quia licèt statim post confirmationem de iure habeat administrandi potestatem, *cap. transmissam, de elect.* at quandoque de facto contingit contrarium, quia, v. g. dominus temporalis impedit hunc assequi possessionem, & ideo textus vult, quòd de facto habeat bonorũ administrationem. Sic gloss. *dict. cap. cum in cunctis, §. cum verò, vers. administrationem.* Panorm. *ibi num.* 4. addens sat esse habere administrationem maioris partis bonorum. Vnde dicit Staphilæus *de litteris gratiæ, cap. simplicia beneficia, quam aatem desiderant, num.* 4. beneficia Episcopi iam consecrati etiam adepta possessione non vacare, si fructus Episcopatus aliquo tempore debeantur alteri ex aliqua causa, & refert gloss. *cap. si tibi concesso, de prabend. in* 6. Roman. *consil.* 334. 335. Dominicus *consil.* 78. vnde refert Staphilæus *num.* 15. quòd promotus ad Episcopatum titularem non perdit priora beneficia.

4 Tertiò nota, quòd si ante trimestre consecretur Episcopus, vacant statim beneficia. Sic contra Host. gloss. *ibi, vers. Ad quem spectat.* Idem Innoc. Compestallanus, & Panorm. *num.* 6. & Ioann. Andr. *ibi*, & limitant hi duo, si ante lapsum trimestris adeptus est etiam bonorum possessionem, secus non.

5 Quartò nota, quòd si Episcopus dispensetur, ne intra annum consecretur, videtur interim dispensatus ad priora beneficia retinenda, quia vacatio hæc venit consecutiuè ad consecrationem, dispensatio verò ad vnum extenditur ad consequutiua ad aliud. Sic Rebuff. *praxi benefic. tit. de dispens. ad plura beneficia, num.* 74. glossa *in verbo consecrari, §. item insuper. de collat.* Panorm. *suprà à num.* 7. reprobans Ioannem Andr. distinguentem, & *n.* 9. concludit hoc esse verius.

6 Immo si necessitas impediat tunc consecrati intra trimestre, cùm non sit in mora, non perdit beneficia. Sic glossa *dicto cap. cum in cunctis, §. cum verò vers. tempore*; & patet, quia textus dicit, nisi consecretur tempore iure statuto, quod est trimestre, nisi necessitas impediat.

7 Tandem nota, quòd dispensatus, vt vnà cũ Episcopatu retineat beneficia, si transferretur ad alium Episcopatum nil dicendo de beneficiis, vacant per promotionem ad alium Episcopatũ, sicut vacassent ante dispensationem. Sic Rebuffus *praxi benefic. tit. de dispensat. ratione ætatis, vel defectu prædicto, num.* 6. & optimè notat *ibi num.* 5. quòd dispensatus ad curata duo S. Petri, & S. Ioannis, non potest ad alia duo præter hæc: vnde si permutet curatum Sancti Petri cum alio curato, nequit vtrumque retinere.

8 Circa Abbatiam dicendum est per electionem, & confirmationem Abbatis vacare beneficia, quæ antea habebat, vt dicemus latiùs *tract. de ordine*, & licèt per solam electionem Episcopi ante consecrationem non vacent priora beneficia per electionem, & confirmationem Abbatis, etiam ante benedictionem illius vacant priora beneficia, quia per solam electionem, & confirmationem est verè Abbas, & benedictio solùm pertinet ad solemnitatem, at electus in Episcopum non est verè Episcopus ante consecrationem, ita docent Ioann. Andr. Butrio, Card. quos refert, & sequitur Felin. *cap. cum in cunctis, de elect.* eam tenet *num.* 7. idem Odrald. *consil.* 14. Sebast. Sapia super Panorm. *cap. cum in cunctis, de elect. §. cum verò. vers. vacant beneficia*, dicitque esse communem Doctorum *cap. de multa, de prabend.*

## DVBIVM XXXI.

*Testator instituit capellam collatiuam, iusditque quòd conferretur Petro, qui cùm primum filius testatoris peruenires ad ætatem requisitam, huic ipse Petrus capellam renunciaret; dubitatur an ad hoc Petrus obligatur.*

1 REspondetur, quod talis conditio, seu grauamen nihil valet, & ita ea non obstante, Petrus quoad vixerit,



vixerit, illam retinere poterit; quia testator nil potest disponere contra ius, vt dicam *dub. sequenti*: at contra ius est conferre beneficia ad tempus, vt latè habes *supra, dub.* 27. sicut non valeret, si disponeret, vt capellania collatiua non conferretur clerico, sed merè laico, vel non obligaret ad recitandum; sic quidam Iurisperitus ad modum doctus à me consultus, & colligitur ex Doctoribus, quos *ibi* citauit secus si fuisset non collatiua, quia est res temporalis.

## DVBIVM XXXII.

*An si testator iubeat construi capellam, vel dotari Ecclesiam, vel capellaniam fundet, possit aliquo casu eius regimen, & administrationem auferre Episcopo.*

1 MVlti fideles quotidie præcipiunt, vt Episcopus loci ordinarius non se intromittat in regimen, & administrationem suæ capellæ, vel in quidquam ipsius, & aliàs mandant eam non fieri, & quòd relictum conuertatur in alios vsus pios, vel profanos, vel reuertantur ad aliquas personas per eos nominatos, dubitatur, an hæc conditio sit valida.

2 Menchaca *de succss. creatione, §. 7. num.* 17. tenet, quòd valet hæc dispositio, & est seruanda: ita quòd statim, ac Episcopus se intromittat in capellaniam, habetur pro infecta; & conuertentur bona in id, quod disposuit testator. Ratio, quia testator potuit non legare, & tempore traditionis rei suæ potest quilibet quoduis pactum, & quæcunque grauamina adiicere, *l. in traditionibus, ff. de pactis.*

3 Cæterùm omnino tenendum est contrarium, scilicet non posse hoc testatorem facere, nec valere hanc prohibitionem: vnde ea non obstante, potest Episcopus se intromittere & conditio illa, *quod Episcopo se intromittente fiant bona profana, vel conuertantur in alios vsus pios*, reiicienda est. Probatur, quia testator non potest facere, quòd leges, & generales canones non habeant locum in suo testamento, vt patet ex *l. nemo potest, ff. de leg. 1. & ex quisiti, de test.* vbi sic dicitur, *Priuata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare*; & *ibi* glossa *verbo constitutionem*; & hoc præcipuè in spiritualibus, quorundam fauore institutum est, vt licèt ponatur prædicta pœna annullationis, seu ademptionis, & translationis, Episcopis remaneat ius suum illæsum: sed multis canonibus statutum est, vt in Ecclesia, aut oratorio authoritate Episcopi constructo, ac deinde dotato Episcopus institutionem ministrorum, curam & regimen habeat. *cap. præterea, cap. relatum, de iure patronat. cap.* 1. 16. *quæst.* 5. *cap. nullus* 16. *quæst.* 8. *cap. vno de iure patron in* 6. ergo testator nequit in suo testamento contra hos canones disponere. Secundò probatur, quia hoc videtur expresè disponi in Concil. Toletano III. *cap.* 19. & habetur *cap. sic quidam* 10. *q.* 1. idem videtur disponi *cap. tua, de testam.* Tertiò, quia ea conditio, vt si *Episcopus se intromittat, esset ea dispositio*, est turpis, & impossibilis, vt pote contra ius, & sic reiicienda de medio. *l. obtinuit, ff. de condit. institut.* & remanet pura dispositio testatoris. Hanc sententiam quoad primam partem, scilicet quòd talis prohibitio non valeat, tenent glossa, & Turrec. *dict. c. sic quidam*, Innoc. *cap. in Lateranensi, de prabend.* Panormit. *d. cap. requisisti, & cap. nobis, de iure patron.* Bart. *l. quoties, §. vltimo, ff. de administr. tut.* Felin. *c. cum venerabilis, de except. n.* 33. Rota *in antiquis. decis.* 886. quæ hodie est posita in nouis, *tit. de testam. decis.* 10. Rochus *de iure patron. verb. pro eo quod, q.* 12. *n.* 25. *& sequentibus*, Cæsar. Lambert. & Ripa, quos refert, & sequitur Guttierrez *l. nemo potest, ff. de leg.* 1. *a num* 449. *vsque ad* 452. *& cap. tua, de testam. n.* 8. & quod conditio illa, scilicet, *vt si Episcopus se intromittat.* &c nihil obstet, sed sit reiicienda, docent Rochus Lambert. Rota, Felinus, Gutierrez, Cou. *locis citatis*, quia sicut principale non tenet, sic nec accessorium, *leg. cum principale. ff. de regulis iuris.*

4 Limita dicta, nisi Episcopus ordinarius loci tempore,



quo conditur testamentum, consentit dispositioni testatoris prædictæ præcipientis: tunc enim valet hæc dispositio, & seruanda est, potuit enim in iure quærendo præiudicare testamenti tempore, non verò in iure quæsito testamentum conditum potuit præiudicare Episcopatui. Sic Rochus *ibi*, Gutierrez *num.* 451.

5 Ex dictis infertur, quòd licèt testator prohibeat Episcopo ne possit cogere executores testamentarios exequi vltimam voluntatem suam, adhuc Episcopus potest cogere. Ratio, quia illa prohibitio illicita est, & ideo non est seruanda. Sic habetur expresè *cap. tua, de testam.* & *ibi* glossa *vers. interdici*, dat rationem, quia priuata dispositio testatoris non potest immutare statuta per canones. Idem Panorm. *eodem cap. tua*, & *ibi* Couar. *num.* 6. & colligitur expresè ex Trid. *sess.* 22. *c.* 8. *de reformat.* vbi dat Episcopis facultatem exequendi omnia opera pia, non obstante consuetudine immemorabili, priuilegio, vel quouis statuto.

6 Secundò infertur non posse per testatorem derogari potestati Episcopi, ad quem ob negligentiam executorum testamenti, qui intra annum iure præfixum non implent, deuoluitur facultas exequendi, iuxta *cap. nos, de testam.* Probatur eadem ratione per *dictum c. tua* Hoc est contra Ancharan. *eod. cap. tua*, quem *ibi* sequitur Panorm. in legatis, quæ pia non sunt. Sic tenet Barbatius *eod. cap. tua, num.* 4. Bald. quem refert, & sequitur Couar. *dict. cap. tua, num.* 6. vbi dicit, quòd potest testator euitare Episcopi iurisdictionem in executione vltimæ voluntatis, si in casum negligentiæ executorum alios executores prioribus negligentibus substitueret; & idem erit, quando testator expressim voluit tempus datum executoribus à iure eis non obesse, nec currere, sed liberam eis executionem relinquat, vt cùm voluerint, exequantur eius vltimam voluntatem. Idem Bald. Gauldensis, Panormitan. Barbatius, quos *ibi* refert Couarr. Similiter si testator designauerit, quid sit agendum de legato eo casu, quo prima eius iussio non fuerit ob executorum negligentiam ad effectum deducta, non potest Episcopus eam voluntatem immutare. Sic Bart. quem refert, ac sequitur Couar. *eodem num.* 6.

7 Tandem nota, quòd Gutierrez *d. l. nemo potest, num.* 453. dicit notandum esse casum in quo seruanda est institutio, & ordinatio Ecclesiæ, seu fabricæ, præcipiens, ne administratores reddere teneantur rationem Episcopo, qui continetur in Trident. *sess.* 22. *cap.* 9. *de reformat.* quia *ibi* dicit Trid. teneri administratores singulis annis reddere rationem administrationis quorumcunque locorum priorum, &c. ordinario, nisi secus in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresè cautum esset. Sed fallitur Gutierrez, quia hoc decretum Trid. tres continet partes, vt, prima dicit, quòd hæ rationes ordinario exhibeantur; in secunda prohibet hoc fieri, quando aliquid aliud in priorum operum institutione esset cautum: & hæc secunda pars dicere non vult, quòd quando testator aliud statuisset, ordinario ne reddatur ratio, quia hoc contra ius esset, vt probaui *in primo corollario*, & iurium correctio euitanda est. Sed in prima parte statuit Concilium, rationem soli ordinario exiberi, vt vniuersaliter fieri necesse est, & in secunda parte excepiua ita fieri prohibet, quando in operis pij institutione contrarium inueniatur cautum, scilicet quòd alteri rationes reddantur. Et ita hæc exceptio dicere non vult tunc ordinarium excludi, quia hoc esset contra ius, sed quòd tunc solus Episcopus eas non recipiat, nisi simul cùm eo adhibeantur à testatore deputati: & ita tertiam ingreditur partem dicens *quod si ex consuetudine*, &c. primam & secundam palàm exponendo, quòd si ex consuetudine, aut priuilegio, aut constitutione rationes exhibendæ sint alicui deputatæ personæ, tunc cum ea ordinarius adhibeatur, & aliter factæ liberationes minimè administratoribus suffragentur.

8 Præterea, esto hæc expositio non haberet verum, ea

Universidad de Deusto
Biblioteca



restrictio, *nisi in ordinatione, & institutione alicuius Ecclesiæ, seu fabricæ sit expressè aliter cautum*, non ponitur gratia exempli, vt non restringat regulam, & ita debet intelligi de quibuscunque operibus; quia *ibi* alia opera pia nominatur, iubens expressè rationem reddi ordinario, & tantum excipit fabricam, vel Ecclesiã: at potest adhuc ordinarius visitare, dummodo adimpleatur, quod testator iussit, vt generaliter disponitur *ea sess. 22. cap. 8.* & ad hoc videte potest rationes, non verò vt examinet, an sint rectè exhibitæ, nec ne: atque ita non poterit videre, vtrùm summa sit rectè admissa, & approbata, vel an magnus vel paruus factus fuerit sumptus, aut si non aderant requisita, quia hoc est accipere rationes, sed tantùm visitare ad animaduertẽdum, si quid consumptum fuerit aliter, ac iussit testator, quod propterea non impletur. Et *sess. 24. cap. 3. de reformat.* dicitur quòd pro visitatione etiam testamentorum ad pios vsus non potest aliquid accipi vigore cuiuscunque consuetudinis, nili quod ex relictis piis iure debetur, & exceptis victualibus sui, & suorum pro tempore necessitatis. Quòd si sit consuetudo nil exhibendi, nihil potest capi: quare in optione eorum, qui visitantur, est vel illa victualia, vel pecuniam antè consuetam illi reddere; quare poterit accipere, quod constitutione Synodali taxatum fuerit, quia illa facit ius.

## DVBIVM XXXIII.

*An fundans capellaniam, & non reseruans ius patronatus, illud acquirat, vel requiratur noua licentia Episcopi ad illud acquirendum.*

1 DIco primò, quando aliquis de nouo ædificat Ecclesiam, vel instituit capellaniam collatiuam, non est necessaria noua licentia Episcopi ad acquirendum ius patronatus, sed sat est licentia, quæ necessariò petenda est, ad constituendam Ecclesiam, iuxta *cap. nemo. de consecrat. dist. 1.* & licentia, quæ necessariò petenda est ab Episcopo ad capellaniam collatiuam instituendam; cùm enim sit beneficium, stare non potest sine canonica Episcopi institutione, *cap. beneficium. de regulis iuris in 6.* Sic re latè disputata concludit Lambert. *de iure patronat. lib. 1. part. 1. quæst. 2. art. 3. num. 12.*

2 Hinc fit, quòd in hoc casu acquiritur ius patronatus, licèt fundans non sibi reseruet: patet ex *c. significauit, de testibus, & attestat.* vbi ideo libera censetur Ecclesia, quia fundantes dixerunt se nolle acquirere ius patronatus, quasi nihil illis dicentibus saluum esset ius patronatus illis. Item quia iure cautum est, *c. nobis, de iure patron.* ex fundatione Ecclesiæ cum consensu diœcesani acquiri ius patronatus; ergo non oportet, vt fundans illud sibi reseruet: & sic tenent multi Doctores.

3 Secundò dico, si non de nouo ædificet Ecclesiam, vel instituat capellaniam collatiuam, sed dotet iam constructam, vel institutam, requiritur, vt reseruet sibi ius patronatus, & expressam petat licentiam ab Episcopo ad illud acquirendum, ita vt non sufficiat petere ad dotandum. Ratio, quia ad dotandum nulla requiritur Episcopi licentia, cum quilibet possit rem suam Ecclesiæ donare: vnde si velit acquirere ius patronatus, oportet, vt ad acquirendum obtineat licentiam: at verò cùm ad constituendum, vel instituendum requiratur licentia, ea seruiet ad id, & etiam ad acquirendum ius patronatus. Sic Lambert. *ibi.*

4 Vltimò dico, si quis construat hospitale, collegium, vel oratorium, aut anniuersarium aliquod, seu annuam memoriam, absque licentia Episcopi, cùm hæc non sint sacra, nulla requiritur licentia ad acquirendum ius patronatus, quia cùm tale ius patronatus, non sit spirituale, non est opus licentia Episcopi reddendi laicum illius capacem. Sic Lambert. *eo art. 3. fine, & q. 11. art. 11. 12. 13. 14.*

5 Vnde infero, quòd licèt sic construens non reseruet sibi ius patronatus, erit patronus; per *dictum cap. significauit.* Nec obstat, quòd *dict. cap. nobis, de iure patronat.* dicitur ædificantem cum licentia ordinari eo ipso acquirere ius patronatus, quia loquitur de ædificante Ecclesiam, quæ sine ordinarij consensu ædificari nequit: at hæc possunt construi sine licentia ordinarij, nec ea est necessaria ad acquirendum in hæc ius patronatus, vt dixi.

## DVBIVM XXXIV.

*An si fundator capellaniæ petat residentiam in ea, excusetur capellanus à residentia, ratione studij per quinquennium, iuxta cap. finale, de Magistris.*

1 REspondeo non excusari, quia *cap. finele, de Magistris*, tantùm dicit, non obstante consuetudine vel statuto: per quæ verba tantùm est visus dispensare Pontifex in residentia requisita iure communi, vel consuetudine, vel statuto Ecclesiarum, non autem in voluntate testatoris petentis residentiam: & sic tantum in prioribus beneficiis fingit ius residentes eos, qui sunt in studiis. Primò, quia maiori rigore, & difficiliùs dispensat Pontifex in voluntate testatoris, quàm in iure communi: in illa enim dispensare non potest ex potestate ordinaria, sed tantùm ex plenitudine potestatis, vt dicunt Bald. & aliis, quos refert, & sequitur Gutierrez *l. nemo potest, a. n. 82. ff. de leg. 1.* in hoc verò dispensat potestate ordinaria, voluntas enim Principis est lex, §. *sed & quod principi, Institut. de iure natur.* & quia minus agitur cum lege, quàm cum hominis dispositione, vt colligitur ex *leg. Celsus, in principio. ff. de receptis arbitris*, & *ibi* glossa *in principio*, Bartol. *l. si cum dies, §. item quantum, num. 1. ff. eodem tit. & l. amplius, num. 2. ff. rem ratam haberi, & l. si insulam, num. 9 ff. de verb. oblig.* Iason. *Instituit. de actionibus, § item si quis, num. 21.* Tiraquell. *de retractu conuentionali, §. 1. glos. 2. num. 58.* & sic Oldradus *consil. 117* solùm arguit ex verbis *dicti cap. finalis*, ad statuta Ecclesiarum, & nõ ad vltimas voluntates. Secundò facit pro hac parte Francus *cap. si pro clericis, num. 5. de præbend. in 6.* vbi dicit, quod quoties in literis Pontificis derogatur statuto, vel consuetudini, intelligitur de statuto Ecclesiasticarum personarum, & de iure communi, non autem de statuto appositio in fundatione. Et quòd per has clausulas generales non derogetur fundationi, tenet etiam Lambert. *de iure patronat. lib. 2. part. 1. quæst. 7. art. 29. n. 2.* faciunt quæ Doctores docent materia *de simonia*, scilicèt non derogari fundationi, & iuri patronatus laici, nisi fiat mentio expressa. Nec hæc voluntas testatoris est irrationabilis, cùm ipse non teneatur de suis bonis contribuere ad alimenta scholasticï: sicut non irrationabiliter iure non conceduntur distributiones absentibus ratione studij. Et in propriis terminis docet hanc sententiam Nauarr. *cap. quando*, Latino *cap. 5. n. 12.* vbi ait, quod sæpiùs rogatus, an clericus studens in Academia satisfaciat celebrando ibi Missas, quas ratione capellaniæ tenebatur in certo loco facere respondit negatiuè; idem nostri Salmanticæ, & quidam recentiores Magistri.

2 Secundò dico, quòd non potest Episcopus dispensare in hac residentia, quia non potest in vltima voluntate: at posset pro vna vice cum consensu patroni, quãdo eæ qualitates cõcurrerent in capellano, vt verisimiliter præsumatur fundatorem id voluisse, iuxta *supra dicta num. 26.*

---

*De dominio circa bona Ecclesiastica.*

## SVMMARIVM.

35. *An Romanus Pontifex ita sit beneficiorum Ecclesiasticorum dominus, vt possit quemlibet spoliare beneficio, vel Episcopatu.*

36. *An beneficiati sint domini bonorum immobilium beneficij, id est, hæreditatum, & prædiorum, ex quibus redditus beneficij percipiunt.*

37. *An*



37. *An Episcopus, & clerici sint domini redituum annuorum Ecclesiæ, qui sibi pro sua portione contingunt.*

38. *An teneantur Prælati, & beneficiati, sub peccato mortali quidquid sibi superest, distribuere pauperibus.*

39. *In quo consistat specialis obligatio clericorum ad elargiendum eleemosynas de bonis, & redditibus Ecclesiasticis superfluis, supra sæculares, & super alia bona patrimonialia ipsorum.*

40. *Quo iure teneantur clerici superfluum ex redditibus Ecclesiasticis in pios vsus conuertere.*

41. *Quid nomine decentis sustentationis comprehendatur, quam diximus clericos ex redditibus Ecclesiasticis posse reducere.*

42. *An clericus possit debita contracta soluere de redditibus Ecclesiasticis, & ad id teneatur, si aliunde non sit soluẽdo.*

43. *An quando clerici parcè viuentes, non expendunt de redditibus Ecclesiasticis quantum arbitrio boni viri est necessarium ad decentiã sui status, illam quantitatẽ, quam parcè viuentes sibi detrahunt, possint distribuere, sicut bona patrimonialia.*

44. *An clerici habentes patrimonium sufficiens ad decentem sustentationem, possint beneficium acceptare, atque se ex redditibus sustentare, seruatis bonis patrimonialibus*

45. *An de bonis quasi patrimonialibus similiter teneatur clericus decẽti sustẽtationi superflua in pios vsus cõuertere.*

46. *An distributiones quotidianæ habeant prædictam obligationem, scilicet, vt superfluum statui clerici teneatur in pios vsus conuertere, sicut habet alij redditus beneficij.*

47. *An qui habent pensiones deductas ex bonis Ecclesiasticis, habeant prædictam obligationem dandi superfluum pauperibus.*

48. *An clerici, qui habent beneficium non in titulum, sed in commendam, habeant eandem obligationem conferendi superfluum pauperibus.*

49. *An beneficiati, quibus reseruantur fructus beneficij vacantis, possint de illis liberè disponere, vel teneantur in pias causas distribuere.*

50. *An beneficiati possint per viam testamenti disponere de bonis suis.*

51. *An Episcopi testari possint de redditibus Episcopatus saltem ad pias causas.*

52. *An si Episcopi, vel alij clerici, obtenta à Papa testandi facultate, testentur, & postea istud testamentum reuocent, possint iterum testari.*

53. *An saltem possint Episcopi morti vicini de redditibus Ecclesiasticis disponere via donationis ad vsus pios.*

54. *Qui succedant clericis ab intestato.*

55. *An si Prælatus conferat alicui beneficium putans illum sanctum, & castum esse cùm non sit, teneatur accipiens beneficium resignare.*

56. *Verùm possit filius Clerici ex illegitimo matrimonio, natus beneficium obtinere, quod vel pater obtinuit, vel in ea Ecclesia, in qua pater obtinet beneficium.*

57. *An qui legitimo titulo carens habet possessionem beneficij, si postea per dispensationem auferatur impedimentum, possit fructus, quos perceperat tempore, quo erat incapax, retinere.*

## DVBIVM XXXV.

*An Romanus Pontifex ita sit beneficiorum Ecclesiasticorum dominus, vt possit quëlibet spoliare beneficio, vel Episcopatu.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet Romanum Pontificem esse beneficiorum dominum, ac posse absque causa priuare quëpiam Episcopatu, & reliquis beneficiis. Probatur ex *c. 1. de præbend. in 6. & Clem. 1. in fine, vt lite pendent.* vbi dicitur Papam habere summam, & liberam potestatem in beneficialibus. Sic tenent plures iuris canonici periti, quos refert Felinus *c. qua in Ecclesiarum, de constit. nu. 40.* Idem tenet Decius *ibi n. 26.* innumeros referens. Idem Ripa, Gomezius, Iason, Barba, Cardin. Bald. Gigas, Socinus, Sylua beneficiorum, quos refert Pinellus *vbi infrà* Idem Ioann. Flauus *lib. de beneficiis*, §. 1. Paulus Borgasius *lib. de irregulant. part. 6. tit. de inst. n. 11.* Anton. Gabr. *tom. 2. communium opin. lib. 3. tit. de iure quæsito, concl. 1. n. 11.*

2 Secunda sententia tenet oppositum, vide Cenedum *lib. 1. q. 22.* Sit

3 Prima conclusio. Romanus Pontifex non est dominus beneficiorum Ecclesiasticorum, sed dispensator. Probatur 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Item, quia si esset dominus, posset cuiuis etiam indignissimo beneficia conferre: quod falsissimum est. Sic D. Thom. 2. 2. *q. 63. art. 2. ad 1.* Caiet. *ibi*, & D. Thom. *q. 100. art. 1. ad 7.* Sotus *lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. ad 5.* Corduba *lib. 1. q. 21. versic. quoad secundum.* Gabr. *lect. 28 in canonem Missæ*, Gerson 2. *part. Alphab. 24 litera T.* Metina *q. 3. de rest. causa 11. versic. verum.* Sarmiento *lib. 1. select. interpret. c. 8. n. 25.* vbi plures etiam refert. Pinell. *C. de rescind. vendit. 1. p. rubricæ n. 29. & 30.* vbi plurimos etiam refert.

4 Secunda conclusio. Non potest Romanus Pontifex absque causa iusta priuare quemlibet Episcopatu, vel beneficio legitimè obtento. Probatur, tum quia Papa non est beneficiorum dominus; tum quia quod quis iustè possidet, & ad quod legitimum habet titulum, non potest absque causa iusta spoliari: sicut si Papa donasset centum aureos Petro, non posset sine iusta causa eos ab illo auferre, quia ex quo donauit, legitimum alter titulum, & dominium assecutus est. Sic Felin. *vbi supra n. 42. & 43.* Roman. Panorm. Ceriet. Alex. & plures alij, quos refert, & sequitur Pinellus *vbi supra*, & Sarmiento *vbi supra.* Nauar. *de spoliis cleric. §. 3. n. 8.* latè probat peccare Papam, absque causa iusta auferentem alicui beneficium datum, & conferentem alteri: at tenere factum, quia tunc dispensat in iure humano, & sic alterum esse tutum retinendo, si non sit aliqua subreptio in impetratione.

5 Ex his colligitur resolutio alterius dubij, quod de officiis sæcularibus disputari solet, videlicet, an Princeps possit officia sæcularia, quæ concessit ad vitam, vel ad certum tempus, absque causa iusta auferre.

Prima enim sententia affirmat, cuius ratio est, quia hæc sunt ex priuilegio Principis concessa: at beneficium, & priuilegium quod semel Princeps concessit, potest reuocare: ergo. Sic tenent Socin. Decius, Baldus, Faber, Matth. de Afflictis, Albertus, Brun. Palacios Rubios, & alij, quos refert Pinellus *vbi infrà.* Item tenet Xuares *allegat. 12. fol. penult. & vlt.* Et hoc intelligunt hi authores quando Princeps non vendidisset hæc officia.

6 Secunda sententia tenet, non posse Principem hæc officia auferre absque causa iusta: sicut nec donationem semel à se factam potest absque causa iusta reuocare, cùm alter verum ius acquisierit. Sic tenet Pinellus *C. de rescind. vendit. 1. part. rubricæ, n. 31.* colligitur ex Soto *4. dist. 18. q. 4. art. 5. vers. de iis autem*, vbi inquit, quando officium habet quandam iurisdictionem, etiam subalternam; is qui id habet, habet ius possidendi, & non potest sine causa, & iudicio spoliari.

7 Sit conclusio: Hæc sententia est multo probabilior, nisi fortè officia essent concessa ad nutum Principis, & solùm pro tempore sui beneplaciti.

## DVBIVM XXXVI.

*An beneficiati sint domini bonorum immobilium beneficij, id est, hæreditatum, & prædiorum, ex quibus redditus beneficij percipiunt.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet esse dominos: neque obstat (inquit) quòd neque ea vendere, nec alienare possint, quia pupillus rerum suarum dominus est, & maritus rerum dotalium, quorum neuter alienare potest. Hanc tenet, & latè probat Sarmiento *lib. de redditibus. p. 4 c. 6 per totum, vsque ad n. 15.* & in defensionibus *1. p. monito 24 præcipuè n. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Secunda sententia docet oppositum.

3 Sit conclusio: Nec Prælati, nec beneficiati sunt domini talium bonorum immobilium beneficij, sed solùm sunt eorum administratores, & conseruatores, velut vsufructuarij. Ratio, quia ista bona non sunt ministris data in stipendium, nec in eleemosynam, quam illico consumant pro suo arbitrio, sed data sunt, vt fructus, & redditus sint stipendium alicuius capellaniæ, anniuersarij, aut alterius officij clericalis, & potius dantur ipsi dignitati, beneficio, aut præbendæ, quæ permanere debent, quàm personis. Hæc etiam conclusio colligitur ex *c. sine exceptione, 12. q. 5.* & per totam quæstionem, & per totum titulum *de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Ita tenet Sotus *lib. 10. de iust. q. 4 art. 3. concl. 2.* Alcozer *lib. de ludo, c. 38.* Abul. *c. 6. Matt. q. 74.* Turrecrem. *12. q 5. c. nulli dubium,* Corduba *lib. 1. q. 18.* Nauarr. *opusc. de redditibus, q. 1. n. 6. & in Apologia p. 1. montto 24.* vbi etiam concludit, nec Papam esse dominum horum bonorum, sed administratorem, per *c. non licet Papæ, 12. q. 2.* Hanc etiam conclusionem tenent docti recentiores, & quidam doctus recentior.

4. Hinc infertur accipientem bona hæc à Clericis, peccare mortaliter, & teneri restituere Ecclesiæ quę est ipsorum domina. Nauarr. & Alcozer.

## DVBIVM XXXVII.

*An Episcopus, & Clerici sint domini redditum annuorum Ecclesiæ, qui sibi pro sua portione contingunt.*

1 NOta bona Clericorum esse duplicia, quædam sæcularia, quæ scilicet possident titulo sæculari, scilicet hæreditate, patrimonio, donatione, vel quæ ipsi aliquo sæculari officio lucrantur: & de istis non est dubium, quin clerici habeant verum eorum dominium, & possint de ipsis disponere, sicut alij homines sæculares, & ita dicuntur bona patrimonialia. Sic colligitur ex *c. Episcopus, 12. q. 1. & 2. q. 5. c. sixum, & c. quia nos, de testam.* & ita docent D. Thom. *2. 2. q. 185. art. 7. & quodlibeto 6. art. 12.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 4. art. 3.* Alcozer *lib. de ludo, c. 38.* Caiet. *super eundem locum 2. 2.* Petrus Soto *lib. de inst. sacerd. tract. de vita sacerdotum, lect. 3.* Abul. *c. 6. Matth. q. 74.* D. Anton. *3. p. tit. 20. c. 2. §. 8.* Gabr. *4. dist. 15 q. 8. art. 2.* Sylvest. *Clericus 4. q. 19* Auendaño in responsis, quæ ponit post capita Prætorum, *responso 19. n. 11.* Corduba *lib. 1. q. 18.* Nauar. *opusc. de redditibus, q. 1, n. 6.* Maioris *4. dist. 24. q. 17.* Ricard. *4. dist. 45. art. 3. q. 2.* Alensis *3. p. q. 36. membro 5. art. 3.* Honcala *opusc. 2. de rebus Eccles. reconditis, c. 2.* Turrec. *12. q. 5. c. nulli dubium,* & est certum apud omnes.

2 Alia sunt bona Clericorum Ecclesiastica, id est, titulo Ecclesiastico, vel beneficio, aut munere Ecclesiastico acquisita: & ista sunt in triplici differentia. Quædam Clerici acquirunt non tanquam redditus alicuius beneficij, aut dignitatis Ecclesiasticæ, sed tanquam stipendium alicuius officij clericalis, vt pitantiæ, & oblationes, quæ illis dantur pro Missis celebrandis, pro confessionibus, concionibus, administratione sacramentorum, officio defunctorum, aut quia sunt capellani alicuius domini, & ista dicuntur bona quasi patrimonialia, & de istis modò non ago, quia agam *infrà dub. 45.*

3 Alia sunt bona Ecclesiastica, quæ sunt prædia, hæreditates, & bona alia immobilia, ex quibus Clerici habent beneficiorum redditus, & de istis actum est *dubio præcedenti.*

4 Alia sunt bona Ecclesiastica, quæ sunt fructus, & redditus istorum prædiorum, & beneficiorum; vt sunt decimæ, quas omnes fideles conferunt Ecclesiis, & ministris earum: & isti sunt præcipui redditus Episcopatuum, beneficiorum, & aliarum dignitatum Ecclesiæ, & de omnibus istis fructibus, & redditibus beneficiorum est præsens dubium.

5 Rursus ista bona Ecclesiastica, quæ redditus, & decimæ sunt, possunt in duplici tempore, & statu considerari. Primò quando erant in communi permixtæ, & indiuisæ partes, quæ ex istis bonis pertinebant ad Clericos & fabricam, & pauperes: fuerunt enim sic permixtæ per multum tempus vsque ad annum quadringentesimum, septingentesimum; & ad Episcopum pertinebat ea distribuere. De hoc tempore habentur multi canones *12. quæst. 1.* & si loquamur de hoc tempore, Sotus *art. 3. tota conclusione 5.* probare conatur totum dominium fuisse tunc apud cleticum, atque ita si in distributione talium bonorum deficeret, peccaret mortaliter, non tamen teneretur restituere, quia non tenebatur præcepto iustitiæ, sed solius misericordiæ ad talem distributionem; & fauet illi D. Thomas *2. 2. quæst. 185. art. 7.* vbi cùm priùs dixisset, cùm bona sunt distincta, obligari Episcopum ad restitutionem, si aliquid sibi vsurpet, subdit; vbi verò bona sunt indistincta, peccabit mortaliter, si notabiliter in distributione deficiat: & nihil meminit de restitutione. Verùm probabilius est clerum non habere plenum dominium talium bonorum sic permixtorum, sed ex obligatione iustitiæ teneri suas partes pauperibus, & fabricæ distribuere, & aliter facientem teneri ad restitutionem. Ratio, quia non erat dominus, sed dispensator illarum partium fabricæ, & pauperum, & hac lege sibi distributio committebatur. Ita Caiet. *dicto art. 7.* Petrus Sòto *lect. 3. citata,* Honzala *opusc. citato, c. 5.* Aragon. *2. 2. q. 32. art. 5.* & docti iuniores,

6 Secundò possunt considerari tales redditus, & decimæ hoc tempore, & statu, quàdo iam sunt diuisæ in quatuor partes. quarum vna applicatur Episcopis, secunda Clericis, tertia fabricæ, & Ecclesiæ necessitatibus, quarta pauperibus. Hæc diuisio facta est paulo post tempora D. Angustini, tempore Simplicij Papæ, de qua habetur *12. quæst. 2. cap. de redditibus, & cap. vobis enim,* & aliis. Et si de hoc tempore, & statu loquamur, certum est Clericos non esse dominos illarum partium, quæ fabricæ Ecclesiæ, pissve vsibus destinatæ sunt. Quare si has partes in aliis vsibus consumant, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur; & patet ex *Clem. quia contingit, de religios. domibus, §. vt autem,* & ex Concil. Trid. *sess. 25. c. 8. de reformat.* facit ad hoc *lex 1. & l. legatum ff de administrat. rerum ad ciuit. pertinent.* Hoc docet D. Hieron. *Epist. ad Pamachum super obitu Paulinæ vxoris,* & D. Chrysost. *concione 2. de Lazaro;* & id tenet D. Thom, Caiet. Alcozer, Petrus Soto, D. Anton Sylvest. Cord. Abulensis, Cabr. *vbi supra,* Sotus *vbi supra art. 2.* Arboreus *lib. 3. Theosoph. c. 25.* Driedus *lib. 2. de libert. Christiana, cap. 4.* Ledesm. *2. 4. qu. 18. art. 5. dub. vltimo,* Gerson *Alphab. 24 litera Q. & Alphab. 40 litera L.* Adrian. 4 *quæst. de restit. infrà citanda,* Honzala *opusc. citato, cap. 3. & 4* Nauarr. *opusc. de redditibus, q. 1. n. 6.* Aragon. *vbi supra,* & docti iuniores, dicentes id certum esse apud omnes.

7 Sed circà hoc nota tria: primum est, nec ipsum Papam, dominum esse bonorum deputatorum Ecclesiæ, sed Ecclesiam ipsam, quia donantes hæc bona, non Papæ, sed Ecclesiæ donant. Ita Caiet. *2. 2. qu. 43. art. 3.* Nauarr. *dicta quæst. 1. num. 21.* Turrectem. *cap. videntes 12. quæst. 1. num. 2.* vnde infert Caiet. ita teneri restituere accipientes pro libito ipsius bona Ecclesiæ, vt ditentur, exaltentur, & magnificentur, sicut qui ab aliis inferioribus Prælatis similia Ecclesiæ bona acceperint: nam licèt Papa habeat plenitudinem potestatis Ecclesiæ, hoc intelligitur in spiritualibus; & in temporalibus solùm in ordine ad finem spiritualem.

8 Secundò nota ex bonis Ecclesiasticis in pios vsus deputatis, posse administratorem tribuere consanguineis pauperibus, solum tamen sicut vni alteri pauperi, quia talia bona pauperum sunt. Sic Caietanus *2. 2. quæst. 185. articulo 7. circa solutionem ad 2.* Immo si administrator ipse pauper est. Ratio, potest ex eis accipere quantum ad sui sustentationem indiget, & ea bona aliis pauperibus impertiri; ergo & sibi, si pauper sit, nam magis sibi, quam aliis tenetur. Ita Abulensis, & Honcala *vbi supra.*

9 Tertiò



9 Tertiò nota, quòd his temporibus intelligitur iam factam esse diuisionem prædictam, vbicunque videmus fabricam Episcopum, & clericum habere suas partes: vbi autem non videmus pauperes ex decimis suas partes habere, dicendum est illam mutatam esse à Pontificibus in alia opera pia, scilicet in alia beneficia, vel in præstimonia de quibus coniectura est ad alendos scholasticos pauperes esse institutа. Ita notat Sotus *lib. 10. de instit. quæst. 4. art. 3. versic. sed aiunt.* Vbi probat hoc licitè fieri potuisse, quia illa pars ex decimis non debebatur pauperibus de iustitia, sed ex misericordia: & idem notant in suis scriptis docti iuniores. His ergo suppositis.

10 Dubium principale in hoc versatur, an hoc tempore, quo facta est diuisio, Episcopi, & beneficiati sint domini partis redditum, qui sibi pro sua portione contingunt. Duplex est sententia.

Prima tenet non esse veros dominos, sed solùm dispensatores, habereque vsum, & administrationem eorum hac facultate, vt capiant sibi necessaria ad sustentationem & decentiam status, & reliqua, quæ supersunt, teneantur in pauperes, aliáve opera pia distribuere; quare si superflua prodigè consumant, non transferunt dominium, & tenentur restituere tam ipsi, quàm ij, qui ab ipsis acceperunt. Ratio huius sententiæ est, quia plura sunt sanctorum & Conciliorum, & Pontificum testimonia docentia huiusmodi bona esse pauperum, & prodigè expendentes esse fures, & detinere aliena. Quæ testimonia latè refert Nauarr. *vbi supra.* Item suscipiens sub fideicommisso centum, vel mille, ea lege, vt quantum superest, det alicui, tenetur, si non det, restituere: sed populus fidelis hac lege confert decimas clericis, vt superfluum dent in pios vsus; ergo. Hanc sententiam tenet Alens. *3. p. quæst. 36. memb. 5. art. 2. &* 3. Palud. *4. dist. 24. q. 3. art. vltimo.* Richard. *4. dist. 45. art. 3. quæst. 1.* Stephanus *tract. de ludo, art. 3. n. 7.* Auendaño in responsis, quæ ponit post capita prætorum, *resp. 19. n. 1.* Sylvest. *verbo, ludus, quæst. 11. & verbo Clericus 4. quæst. 15.* Maioris *4. dist. 24. q. 17. &* 20 Panor. *cap. cùm omnes, de test. n. 21. 22. 23.* Dionys. Carthusianus *lib. 1. contra pluralitatem beneficiorum, art. 14. &* 11. referens Vldaricum D. Anton. *2. p. tit. 2. cap. 2 § vltimo & 3. p. tit. 15. c. 1. §. 19.* referens Guillelmum, & Raynerium, Gabr. *4. dist. 15 quæst. 8. art. 3. dub. 6.* Hostiensis *tit de pœnitentia, n. 61. principio,* Waldensis *tom. 1 doct. fidei, lib. 4. cap. 43. 44. 45. 46.* Angel. *verbo Clericus, 3 n. 4.* Arm. *verbo beneficium, n. 41. & verbo Clericus, n. 25. 26.* Rosel. *restitutio 14. num 6.* Pisana *Clericus 4 §. 5 &* 8. Ericus Gand. *quodlib. 8 q. 27.* Archid. Dominicus, Perusinus, Ioan. de Lignano, Felin. Decius, Anton. Burgensis, quos refert, & sequitur Nauar. *lib. de redditibus, tota quæst. 2. maximè n. 15. 17. 22. & quæst. 1. à n. 9. ad 16.* & in hanc inclinare videtur Gregor. Lopez *l. 11. tit. 5. part. 1. versic. quelo dieffen,* & lex illa: & hanc dicit tutiorem Molina *lib. 2. de primog. cap. 10. n. 52.* licèt neutram sententiam definiat. Et hanc sententiam tenent alij, licèt cum aliquo temperamento, dicunt enim esse dominos reddituum, qui suæ sustentationi necessarij sunt, aut parum excedunt, at si notabiliter excedant, non esse dominos illius excessus; quia rationi dissonum videtur tam largos Clericis redditus assignare, si illorum domini sint, & non potiùs, vt administratoribus dentur. Hi sunt Caiet. *2. 2. quæst. 187. art. 7. & verbo beneficium. 2. in fine.* Nieuu *in summa tit. 19* Driedus *lib. 2. de lib. Christian. cap 4.* Petrus Soto *lect. 3. citata.* Ledesm. *2. 4. quæst. 18 art. 5 dubio vltimo.*

11 Secunda sententia tenet omnino oppositum, scilicet veros esse dominos illorū reddituum, quare quantumvis malè, & prodigè illos expendant, transferre dominium, & nec ipsos, nec recipientes teneri restituere: & probatur ex *cap. unico, de cleric. resident. in 6* & Concil. Trid. *sess 23. cap. 1. de reform.* quibus locis asseritur non residentes non facere fructus suos; ergo à contrario sensu residentes faciunt fructus suos, & sunt veri domini. Probo consequentiam, quia argumentum à contrario sensu est fortissimum in iure, vt patet *l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. & c. cùm Apostolica, de his, quæ fiunt à Prælatis.* Secundò probatur, quia in cunctis magistratibus creandis ea habetur ratio, vt stipendia iusta, quorum domini fiunt, destinentur; ergo cùm Episcopatus cæteris præstet, & debet habere. Item quia redditus isti dati sunt à fidelibus absolutè, vel cum onere determinato, vt de anniuersario, Missis, &c. ergo illo impleto manent ministri domini. Item quia facta diuisione bonorum fabrica, & pauperes acquirunt dominium suæ partis; ergo Episcopus, & Clericus suæ, quia non videtur de illis potior ratio. Hanc sententiam innuit D. Thomas *2. 2. quæst. 185. art. 7.* sic enim dicit, eadem est ratio de his, quæ specialiter sunt vsui Episcopi deputata, & de propriis bonis, quorum *ibi* dixerat esse dominum. Et clarè docet *quodlib. 6. art. 12. ad 3* sic enim dicit in bonis, quæ sunt attributa vsibus ministrorum, non peccatur, nisi per abusum, vt in bonis patrimonialibus, vnde non tenetur quis restituere. Hanc sententiam tenet Arboreus *lib. 3. Theosophiæ, cap. 25. in fine,* glossa *cap. duo, 12. q. 1. versic. Proprietatem.* Alcozer. *lib. de ludo, cap. 38.* Tabien. *verbo restitutio, n. 19.* Simancas *lib. de instit. tit. 9. n. 90.* Samiento *lib. de redditibus 4. p. cap. 1. & 2. per totum.* Gerson *alphab. 24. litera Q.* licèt *alphab. 40 litera L.* aliquantulum dubitatiuè id dicat. Adrian. *4. mat. de restit. quæst.* quæ incipit, *pro clariori intelligentia, fol. 126. concl. 2. & in corollario, quod infert ex quarta, & in §. pro solutione secundi.* Abul. *cap. 6. Matth. q. 74.* & glossa, quæ habetur in illa margine, *& quæst. 75.* Honcala *opusculo citato, cap. 11.* Zabarella *Clement. quia contingit. de religios. domibus, quæst. 2.* Turrecr. *12. quæst. 1. c. vltimo, n. 1.* Cordub. *lib. 1. quæst. q. 18.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 4. art. 3. &* 4. Couarr. *cap. cùm in officiis, de testam. n. 3.* Syuest. *verbo clericus, 4. q. 20 & restitutio 3. q. 5. dicto* 1. Præpos. *in summa, 44. de col. 5.* & latè, ac optimè Molina *tom. 1. de iust. disp 143.* & in hanc inclinat Palacios *verbo beneficium, c. 2. in fine,* licèt olim oppositam sententiam se tenuisse dicat. Idem Aragon. *vbi supra.* & Iosephus Angles *quæst. moralibus, 2. p. mat. de clericis rest t. obnoxiis, fol. 215.*

12. Sit conclusio; licet vtraque sententia probabilis sit, at hæc secunda est probabilior, & rationi conformior, & praxi magis receptа, ideóque amplectenda: & argumenta oppositæ sententiæ optimè diluit Sotus, & Molina *vbi supra.*

## DVBIVM XXXVIII.

*An teneantur Prælati, & beneficiati sub peccato mortali quidquid sibi superest distribuere pauperibus.*

1 PRima conclusio: Episcopi, & cæteri clerici habentes redditus Ecclesiasticos ex beneficiis, tenentur sub peccato mortali sibi tantùm vsurpare necessaria ad sui status decentiam, & cætera in pauperes, vel alios pios vsus erogare, quare si in vsus profanos, vel prodigè ea expendant, peccant mortaliter: & hoc de redditibus Ecclesiasticis, nam de bonis patrimonialibus *dubio præcedenti* diximus, & de quasi patrimonialibus *infrà* dicemus, non amplius ad eleemosynas teneri, quàm laicos. Probatur conclusio ex pluribus Sanctorum testimoniis grauiter obiurgantium Clericos, eósque fures, ac sacrilegos nuncupantium, qui superflua ex redditibus in pios non erogant vsus: & ex pluribus Conciliorum, & Pontificum decretis, quibus id clericis præcipitur, & ex pluribus sacræ paginæ locis, ex quibus eadem obligatio colligitur: quæ omnia latè Nauarr. & Cord. *vbi infrà* referunt. Probatur etiam ratione, nam bona Ecclesiastica constant ex obligationibus, & decimis, sed hæ principaliter dantur à fidelibus ad ministros alendos, & ex consequenti, vt superfluum erogent pauperibus, vt docet D. Th. *2. 2. q. 87. art. 4 ad 4 & art. 3 ad 1 & quodlib. 6. art. 19.* & colligitur ex dictis Sanctorum, & Conciliorū testimoniis, licèt enim ista non fuerit voluntas fidelium absoluta, & quasi pactū, & iustitiæ obligationem inducens, fuit tamen voluntas ista

Universidad de Deusto
Biblioteca



tionabilis, aliàs irrationabile esset tantam redditum multitudinem clericis elargiri; ergo tenentur ad id clerici sub peccato mortali. Vide alias rationes *infrà dubio sequenti*. Hanc conclusionem docent D.Thom. *quodlib.6. art.12.ad 4.* Caiet. *verbo beneficium, cap.2. fine.* Palacios *super idem caput.* Tabien *verbo restitutio,n.19.* Petrus Soto *lib.de inst.tract.de vita sacerd.lect.3.* Driedo *lib.2.de libert. Christiana, cap.4.* Ledesm.2.4 *q.18.art.3. dubio vltimo,* Gerson *alphab.4.litera E.* Dionys. Carthus. referens Gerardum Magnum, & Vldaricum *lib.vno, de vita canon. art.24.& lib.vno contra pluralit.benefic.art.11.* Arboreus *lib.3.Theosoph.cap.25.* D.Anton.3.*p.tit.15.cap.1.§.19.* referens Guillermum, & Raynerum, Ludolphus Carthus. *vita Christ.1.p.c.68.malo 6.* Gabr.4 *dist.15.quæst.8. art.2.* Enricus Gan.*quodlib.2. quæst.19.* Ang. *Clericus 3.num.1.* Sylvest.*Clericus 4.quæst.19.* Arm.*verbo beneficium, n.41. & verbo clericus,n.24.* Adrian. 4 *mat.de restit.quæst.* quæ incipit, *pro clariori intelligentia,concl.3.* Abul.*c.6. Matth. q.74* Honcala *opusc.2. de rebus Eccles.cap.13.* Cord.*lib.1. quæst.18.* Sotus *lib.10.de inst.q.4.art.4. & art.3.vers. Ex his diluta.* Couarr.*cap.cum in offic.de testam.n.2.* Felinus, & Decius *cap.constitutus, de rescriptis.* Nauarr. *opusc. de redditibus.q.1.à num.9.* per plures numeros,& in summa Hispana *cap.25.n.126.* glossa *cap.res.12.quæst.1.* Innoc.*cap. indecorum, de ætate, & qualit.* Card. *consil.110.* Didacus de Alaba *lib. de consiliis,21.p.§.4.* Gregor. Lopez *part.1. tit.5 l.40.vers.limosnas,* Nieua *in summa tit.19.* Sarmiento *1.p.defensionum, monito 40 & 24.n.6.& 2.p.monito 8.* Auendano *responso 19.n.4.* Molina *lib.2.de primog.c.10. n.46.& 57.58.* dicens id apud omnes certissimum esse, & P.Molina *tom.1.de iust.disp.146.* Aragon.2.2.*quæst.32. art.5.* & est certum apud omnes.

2. Sed nota quòd licèt auctores in cõmuni in hoc conueniant, at descendendo ad particularia diuersimodè explicant, quidam enim aiunt licere Episcopo, qui pingui Ecclesiæ præfectus est, consanguineos antea indignos, quadam victus mediocritate, non pro sua tantùm vita, sed pro suis successoribus in perpetuum honestare, non vt locupletem, & illustrem creet primogenitutam, sed vt aliquatenus statum illi mutare possint, vt absque penuria deinceps viuant. Ita Sotus,& Cord. *vbi suprà.*

3. Alij verò dicunt non licere istis conferre aliquid consanguineis,nisi per viam eleemosynæ.

4. Sit secunda conclusio: Clerici ex talibus redditibus superfluis solùm possunt consanguineis donare, si pauperes sint, id, quo ad sui status sustentationem indigent, sicut id possunt aliis pauperibus: quòd si non per viam eleemosynæ, sed vltra id, quo indigent, illis elargi antur aliquid notabile, peccant mortaliter. Probatur ex *canone 39.Apostolicum,* vbi sic dicitur:*omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & non liceat ei ex iis aliquid omnino contingere,aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare: quòd si pauperes sint,tanquam pauperibus subministret.* Et Concil.Trident. *sess.25.cap.1.de reform.* sic dicitur: *Sancta synodus omnino interdicit Episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiares,ve suos augere studeant, sed si pauperes sint, eis vt pauperibus distribuant.* Idem docent plures Sancti,scilicet D.Hieron.super illud Isa.3.*Vos estis depasti.* D.Bernard.*in declamationibus,* super illud Matth.19.*Ecce nos reliquimus.* D.Ambros.*lib. de officiis,* cuius dictum refertur *dict.86.cap.est probanda.* Et probatur ratione. nam(vti probaui) talia tenentur clerici sub culpa mortali erogare in pios vsus, sed huiusmodi non est ditare consanguineos; ergo. Istam conclusionem tenent D. Thomas 2.2 *q.185 art.7.ad 2.* Alensis, *3.p.q.36. membro 5.art.2.* Gomez Arias *l.7.Tauri, num. 90.91.95.* Pisana *Clericus 4 §.5.* Sylvest. *Clericus 4 q.20.* Gabr *4.dist.15.q.8.art 3.dub.6.& 9.* Arm.*verbo Clericus, n.22. & 25. & verbo beneficium.num.41.* Rosella *Clericus 4.num.11.* Turrecr.*12. quæst.2.c. quisquis.* glossa *d.31. c. omnino confitemur.* Waldensis *tomo 1.doctrinalis fidei, lib. 4.c.45.* Nauarr.*lib.de redditibus,q.1.num.66.& 67. & 77.* & summa Hispana *c.25,num.127.* & Caiet. Petrus Soto Dionysius, Vldaricus, Ledesm. Molina, Didacus ab Alaba,Greg.Lopez,Nieua, D.Anton.§.20.Guiller. Raynerus, Abul.*q.75.* Honcala *cap.14.* Adrianus, Auendaño *locis citatis in prima conclusione,* & docti recentiores *in suis scriptis.*

5 Sed circa has conclusiones suntaliqua notanda.

Primò nota posse clericos ex redditibus superfluis Ecclesiasticis paulo plus suis consanguineis pauperibus, quàm aliis egenis largiri. Ratio, quia plus suis, quàm extraneis tenentur. Ita Nauar. Abul. Honcala, Cord. *ibidem.*

6 Secundò nota posse ex talibus redditibus dotare filias, vel consanguineas pauperes. Ratio, quia posset dotare extraneas cùm hoc sit opus maximè pium, & dos inter alimenta computetur: ita Gabriel, Armilla. Auendaño,Greg.Lopez,Abulensis,Honcala,Rosella, Turrecr. Nau. Cord,*ibid.* Sylvest.*Clericus 4.q.15.* Panor.*c.peruenit. de arb.tritis,n.1.* Palacios *verbo beneficium,cap.2.&* Molina *supra disp.146.colum. 816.litera C.& D.*

7 Sed circa hoc dubitabis, an si quis ex infirma sorte in Episcopatum, aliámve dignitatem assumatur, possit consanguineis pauperibus dare iuxta statum ipsius Episcopi, vel tantùm iuxta eorum statum, & similiter de consanguinearum dotatione. Abul. Honcala,Auendaño, Greg. Lopez *ibidem*, & Maior. 4.*dist.24.q.19.* dicunt tantùm posse illis dare,vt secundùm eorum statum viuant, & cõsanguineas dotare, vt secundùm earum statum nubant. Ratio, quia eleemosyna non respicit status eleuationem, sed indigentiam,alij verò oppositum dicunt.

8 Sit tertia conclusio. Quamuis tali Episcopo non liceat ex redditibus Ecclesiasticis superfluis elargiri talibus consanguineis quantum ipsi volunt, vt fiant vani & superbi, & consanguineas adeò dotare, ac si ex bonis patrimonialibus id faceret;nec liceat filiam spuriam adeò dotare ac si legitima esset:cæterùm illi licet aliquid amplius illis dare, vt secundùm aliqualem altiorem statum viuant:& potest consanguineas, immo filiam spuriam dotare aliquantulo plus, quàm secundùm earum statum necessarium erat. Ratio, quia ratione dignitatis, ad quam consanguineus prouchitur,augetur consanguineorum status, & sic illud reperitur ad statum necessarium. Ita Nauarr. *opusc. de redditibus,q.1.n.66.& dicto c.25.n.127.* quem refert Molina *suprà §.dubium est*, & consonant sententiæ Soti, & Cordubæ *suprà in hoc dubio* citatæ.

9 Hinc infertur, quòd etsi tales consanguinei assumpti ad dignitatem haberent antea necessaria ad statum, potest Episcopus factus amplius eis dare, vt altiorem statum habeant. Item posset ex infima sorte assumptus ad Episcopatum, aliámve dignitatem, ampliorem dotem filiæ suæ spuriæ constituere, quàm frater talis Episcopi manens in sua infima sorte assignaret filiæ suæ legitimæ. Vtrumque infert Nauarr. *ibidem*,& paret ex eadẽ ratione.

10 Quarta conclusio.Peccatum mortale est, si Clerici ex redditibus Ecclesiasticis superfluis primogenium instituant ob solam familiæ & memoriæ conseruationem; si tamen id facerent principaliter ex causa religiosa, vt si fundarent, vel constituerent Ecclesiam, vel capellam, vel hospitale, & pro iure patronatus, vel cura capellæ, & hospitalis aliquid annuum consanguineo, vel primogenito descendenti iure maioratus relinquerent; tunc licitum esset. Similiter licitum esset talibus Clericis relinquere aliquid annuum consanguineis pro se & suis successoribus, vt deinceps absque necessitate viuant, modò id moderatum sit, & ex causa pia principaliter fiat, scilicet non ob familiæ conseruationem, & memoriam, sed ad eorum indigentiam subleuandam, ne in paupertate viuant. Patet prima pars huius conclusionis, quia dum fit tantùm ex illa causa, non censetur opus pium, sed profanum, at expendere redditus in vsus profanos, vt probaui *conclusione prima*, est peccatum mortale. Probatur secunda pars, quia illud censetur opus pium,& non est donatio liberalis, sed ob causam, scilicet pro illo onere. Probatur tertia pars, quia illud est succurrere consanguineorum, & descendentium indigentiæ,& sic censetur opus pium. Hæc omnia docet optimè Molina *lib. 2.de primog.c.10.per plures numeros*, maxime *n.48. & 49.*& sic moderatur sententiam Soti,& Cordubæ *suprà* citatam.Et fanet Nauarr.*opusc.de redditibus,quæst.1.n.66.*& docti iuniores in suis scriptis docent sententiam Soti probabilem esse hac limitatione, scilicet quando propter dignitatem Prælati esset pudor consanguineo apud probos, & prudentes degere in vili statu,quem habebat,posse ei aliquid dare, vt statum muret.

11 Quinta conclusio. Per opera pia, in quibus diximus Clericos teneri redditus superfluos expẽdere,intelliguntur ea tantùm quæ pertinent ad cultum diuinum, & misericordiam,sicut capellaniæ, beneficia, Missæ, & cætera diuina officia,hospitalia,confraternitates,collegia, quibus rudimenta literaria doceantur,quia docere opus est misericordiæ. Ita Nauarr.*dicta quæst.1.n.60.61.62.* Item dicuntur pauperes, vt eis ex talibus redditibus subuenire possit,ij,qui habent necessaria ad naturam, carent tamen necessariis ad sustentandum statum secundùm suarum personarum qualitatem, quia hi verè egent, & pauperes communi voce nuncupantur Nauarr. *ibid.n.65.* Caiet.2. 2.*q.43.art.8* Batt.*l.1.C.de sacrosanct. Eccles.n.36*

12 Sexta conclusio:Non tantùm peccant mortaliter Ecclesiastici, qui prædictos redditus superfluos prodigè,& vanè expendunt,sed etiã, qui auarè retinent,& custodiũt, vel thesaurizant.Ratio,quia obligatio diuina, & humana est distribuere pauperibus, & succurrere necessitatibus præsentibus,vel quæ probabiliter de proximo imminent, contra quod faciunt thesaurizantes. Ita Gerson *alphab. 40.litera E.*Dionys.Carthus.*lib. citato art.7.* Ludolphus Carthus.*vita Christ.1.p.cap.68.* Abul.*cap.6.Matth.q.74.* Nauarr.*opusc.de redditibus,q.1.n.51.* Sotus *lib.10.de inst. quæst.4. art.4.* & colligitur ex pluribus auctoribus assẽrentibus, quando non est necessitas, licere ex redditibus emere possessiones, vel eos in thesauro reponere pro futuris necessitatibus:secus verò vbi necessitas imminet. Hi sunt D.Thom. & Caiet. 2.2.*q.185.art.7.ad 4.* D.Anton. 3.*p.tit.20.cap.2.§.8.* Nau.summa Hisp. *cap.25.num. 131.* Abul *ibidem,* Honcala *opusc.citato,cap.9.* Petrus Soto *lect. 3. citata.*

13 Nota tamen non esse auaram retentionem seruare mediocrem superfluorum quantitatem ad proprias necessitates probabiliter euenturas, vt ægritudinis, litium, sterilitatis,&c. dixi, *probabiliter*, contra eos, qui seruant bona, vt non desit illis in decrepita, cùm tamen modò adolescentes sint, vel ad dotandum consanguineas nondum natas. Nauarr.*dicta quæst.1.n.57.58.*

14 Septima conclusio:Non tantùm Clerici prodigè expendentes redditus superfluos peccant mortaliter, sed etiam ab ipsis recipientes. Ratio,quia cooperantur peccato illorum. Ita Cord. *lib.1 quæst.q.18.§.nota secundo*, & Nauarr. *dicta q.1.n.97.* Sylvest.*Clericus 4.quæst.15.* & alij communiter.

15 Octaua conclusio. Si Clerici ex bonis suis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus aliquid in Ecclesiæ vtilitatem, vel pauperum eleemosynas consumpserunt, possunt tantundem ex redditibus Ecclesiæ superfluis deducere,& disponere de illo, sicut de bonis patrimonialibus. Ratio, quia istam eleemosynam poterant de talibus redditibus largiri. Ita Nauar.*dicta quæst.1.n.67.& summa Hisp.cap.25.num.126.*& alij.

16 Nona conclusio.Si Clericus dignissima sui laboris,& industriæ impensæ in Ecclesiæ regimine, mercede plus meretur, quàm ad decentem suam sustentationem opus sit, vt si vltra debitum exerceat in sua Ecclesia munera, quæ stipendium merentur, vt prædicare, audire confessiones, &c. potest ex superfluo redditu deducere aliquam quantitatem,quam plus suo labore meretur, & de illa disponere,ac de bonis patrimonialibus.Ratio,quia secundùm ius diuinum, & naturale dignus est mercenarius mercede sua, vt habetur 1. *ad Cor. 9. & Lucæ 11.* tenent Nauar.*eadem q.1.n.70.71.* Maior.4.*dist.24.q.17.* Couar. *cap.cum in officiis,de testam.n.2.* Ananias *consil.87.* Petrus Soto *lect.3.citata.* & Molina *dicto tomo 1.de iust.disp.144. colum.801.§.illud tamen,*& alij.

17 Vltima conclusio. Idem prorsus,quod dictum est de redditibus superfluis beneficiorum,dicendum est de Religiosorum monasteriis, quibus prouentus redundant:& de fabrica Ecclesiæ, cui redditus superfluunt, scilicet teneri,quod superest, in pios vsus conuertere. Et ratio est eadem, quia redditus dantur monasterio, & fabricæ, vt decenter sustententur, & non vt luxurientur, & superfluum in pios vsus conuertant. Primam partem conclusionis,scilicet de monasteriis, docet Sotus *lib.10.de inst. quæst.4.art.4.* Secundam de fabrica,docet Honcala *opusc. citato cap.9. ad finem.*

18 Tandem nota posse Clericos ex redditibus beneficij superfluis sustentare consanguineos in studio, si pauperes sint, & eos doctorari faciere, hoc enim in vniuersalis Ecclesiæ commodum redundat,quæ viris doctis eget. Ita Rosella *Clericus 4. n.12.* & priorem partem docet etiam Sylvest.*Clericus quæst.15.*

## DVBIVM XXXIX.

*In quo consistat specialis obligatio Clericorum ad elargiendũ eleemosynas de bonis, & redditibus Ecclesiasticis superfluis supra seculares, & supra alia bona patrimonialia ipsorum Clericorum.*

1 REspondeo in quatuor consistere istam specialem obligationem. Primò,quia prodigalitas, vel retentio auara, & donatio liberalis sine causa misericordiæ sæcularium, & bonorum patrimonialium ex se, nisi alia ratio admisceatur, est tantùm culpa venialis, iuxta omnes; at verò in clericis prodigalitas reddituum prædictorum, & auara retentio sine iusta causa,& donare notabilem partem non per viam eleemosynæ est peccatum mortale, vt ex omnibus Doctoribus probaui *dubio præcedenti*, & tenent docti recentiores.

2 Secundò, quia licèt Clerici non semper peccent mortaliter non erogantes in eleemosynam prædictos redditus superfluos,sed quãdo necessitas imminet, at in minoribus necessitatibus tenentur sub mortali:nam laici, vel Clerici de patrimonialibus tantùm tenentur in graui, vel extrema necessitate; at de prædictis redditibus, licèt non sit grauis, nec extrema. Ratio, quia de patrimonialibus non tenentur ad eleemosynam, propter ipsorum bonorum naturam,vel quia superfluunt, possunt enim illa thesaurizare, vel in quosuis vsus citra culpam mortalem expendere; at verò de prædictis redditibus tenentur, quia superfunt, & ad hoc, vt superflua conuertantur in pios vsus,data sunt,& non possunt in alios vsus conuerti. Atque ita,vt sit præceptum eleemosynæ de prioribus bonis, requiritur grauis necessitas in proximo;non autem in posterioribus,sed minor necessitas.Item quia sicut in charitate reperitur ordo, & contingere potest, quòd filius sit in aliqua necessitate,licèt non graui, neque extrema, & pater teneatur sub mortali illi subuenire, quia pater eius est,quamuis non teneatur extraneus; ita Episcopi, & Ecclesiastici, quia sunt patres pauperum, tenentur pauperibus subuenire sub mortali, etiam in necessitatibus, in quibus non tenentur sæculares,quia non sunt patres pauperum, nec illorum cura ad eos tam stricto vinculo pertinet. Ita D. Enriquez, & quidam alius satis doctus Magister, quos per epistolam consului; & eorum ratio hæc posterior. Idem tenuit quidam doctus recentior; & fauet D.Thomas *quodlib.6.art.12 ad 1.* Honcala *opusc.citato.c. 11.* Abul.*c.6. Matth.quæst.74.* Cord.*lib.1.quæst.q.18.* vbi asserunt, quando necessitas imminet,teneri Ecclesiasticos ad hanc eleemosynam,vbi generaliter loquuntur de necessitate,& non petunt,vt illa extrema,grauis ve sit.

Universidad de Deusto Biblioteca

3 Tertiò, quia sæculares pluribus indigent, pluráque sunt eis necessaria ad sui status decentiam, intra hanc enim includuntur omnes vsus aliàs liciti, vt thesaurizare ad ditandum se, & propinquos ad statum altiorem comparandum: at intra ambitum decentiæ status Clericorum hæc non clauduntur, sed tantùm ea, quibus indigent ad suam, suæque familiæ sustentationem: nec potest sibi, aut propinquis thesaurizare, vt diximus. Ita Cord. Abul. & Honcala *ibidem*.

4 Vltimò, quia laici non tenentur ex officio, seu statu suo quærere pauperes, sed sat est, si occurrentibus subueniant; at clerici habentes redditus Ecclesiasticos superfluos tenentur quærere pauperes: tum quia ista bona superflua tenentur speciali vinculo pauperibus dare, & sic si non occurrant, tenentur illos quærere: tum etiam, quia ratione status specialis cura pauperum ipsis incumbit. Quod colligitur ex D. Hieron. & habetur *cap. quoniam 16. quæst. 1.* asserente Clericos sustentationi pauperum inuigilare debere. Ita Cord. Abul. Honcala *vbi supra*. Greg. Lopez *part. 1. tit. 5. l. 40. vers. limosnas* Auendaño *in responsis, responso 19. num. 9.*

5 Sed nota hoc esse verum de solis Episcopis, & beneficiatis curam animarum habentibus; hi enim ratione officij tenentur ad id: at cæteri Clerici, cùm pastores non sint, nec animarum curam habeant, non videntur ad id teneri. Ita docti recentiores Magistri, & Metina *C. de eleemosyna, quæst. de necessit. eam faciendi, fine*, dicit fortè tantùm Prælatos teneri: & tenet Cord. solos Prælatos ad hoc teneri, *lib. 1. quæstionary, quæst. 26. fol. 227. §. ex omnib.*

## DVBIVM XL.

*Quo iure teneantur Clerici superfluum ex redditibus Ecclesiasticis in pios vsus conuertere.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet, solo iure humano ad id teneri, Ecclesiastico scilicet. Ita Sotus, *lib. 10. de iust. q. 4. art. 3.*, immediatè ante solutiones argumentationis.

2 Secunda tenet esse præceptum Ecclesiasticum, diuinum, & naturale. Patet prima, & secunda pars ex testimoniis Conciliorum, & sacræ paginæ, quæ retuli *dubio 38.* quòd sit iuris naturæ probant rationes *ibi, & dubio præcedenti* adductæ. Ita tenent Nauar. *epusc. de reddit. quæst. 1. n. 48. & 11.* Cord. *lib. 1. quæst. q. 18.* & hæc sententia videtur probabilior.

3 Hinc infertur summum Pontificem hoc astringi præcepto, & teneri superflua ex suis redditibus Ecclesiasticis largiri pauperibus. Ratio, quia ad ius diuinum tenetur. Ita Nauarr. *ibi n. 14.* Idem innuunt Archid. *cap. non liceat 12. quæst. 5.* & Adrianus *4. mat. de restit. quæst. quæ incipit, quæ supra determinatum est, §. conformiter.*

4 Nota tamen posse Papam ex causa in hoc præcepto dispensare, est enim dispensabile. Ita Cord. *vbi supra.*

## DVBIVM XLI.

*Quid nomine decentis sustentationis comprehendatur, quam diximus Clericos ex redditibus Ecclesiasticis posse reducere.*

1 SIt prima conclusio: Clerici non tenentur ad vitam parcam, sed moderatam, & decentem, secundùm statum, & regionem, in qua viuunt: vnde nomine decentis sustentationis intelliguntur necessaria ad sui status, & suæ familiæ honorabilem sustentationem, secundùm conditionem gradus, dignitatis, & qualitatis, vel status sui, & regionis, in qua tales Clerici commorantur: ita tamen, vt non pompaticè, & luxuriosè viuant, vt sæculares, sed honorabiliter, vt clerici. & Christiani Ita Cord. *lib. 1. quæst. q. 18.* Palacios *verbo beneficium, cap. 2.* Molina *tomo 1. de iust. disput. 145. col. 806. ad finem*, & sequenti, & alij. Hinc

2 Infertur primò, nomine decentis sustentationis intelligi moderata, & honesta conuiuia, & recreationes cum amicis, vel etiam extraneis ex iusta causa, & eis in aliquo benefacere in signum gratitudinis, & amicitiæ. Ratio, quia hæc faciunt, qui moderatè se sustentant. Ita D. Thomas *quodlib. 6. art. 12. ad vltimum.* Abul. *cap. 6. Matth. q. 74.* Nauarr. *opusc. de reddit. quæst. 1. n. 67.* Cord. *vbi supra*, Molina *supra* citatus, *colum. 808.*

3 Secundò infertur comprehendi etiam id, quod consumitur ob necessitatem illius, qui alibi ea, quibus indigebat, habere non poterat, & non est honestum Episcopo ea ipsi vendere. v. g. Venit quidam Dux ad aliquam ciuitatem, non est illustris domus, vbi commodè se recipere possit, nisi Episcopi domus, non est malè consumptum, quod cum eo honestè assumit, aportando ipsum ad suam domum, & epulas dando, quia hoc illi vendere Episcopo indecens erat. Ita colligitur ex *cap. de monachis, de præb. & §. 1. 42. dict. 82.* & docet Nauar. *vbi supra n. 67.* & in Latin. *cap. 25.* in Hispano *num. 126.* Molina etiam citatus *§. tertium est.*

4 Tertiò infertur comprehendi etiam remunerare honesta seruitia sibi exhibita à consanguineis, vel extraneis, quia hæc non est donatio liberalis, sed ob causam. Ita Nauar. *eisdem locis*, Gabr. *4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 9.* Ang. *verbo Clericus 13. n. 2.* Rosella *Clericus 4. n. 1.* Sylvest. *Clericus 4. quæst. 3.* Molin. *supra, §. eodem modo.* & alij.

5 Quartò infertur comprehendi etiam donationes remeratorias, vt si clericus donet causa gratitudinis ei, qui sibi donaret, vel aliquod exhibuerat obsequium. Ratio, quia hæc potius est debiti solutio, quàm donatio gratuita; debetur enim illud in gratiarum actionem, & accepti recompensam, vt patet ex *l. sed etsi. §. consuluit. ff. de petit. hæredit. & cap. cum in officiis, de testam.* Ita Nauar. *eadem quæst. 1. n. 90. 91.* & Molina *supra*, & quidam docti neoterici.

6 Sed dubitabis an causa hac remunerationis, vel seruitij accepti, vel doni, liceat Clericis plus remunerare, quàm valeant dona, vel seruitia accepta. Communis sententia tenet non posse, sed tantundem, quia *c. relatum el 2. de testam.* vbi Clericis conceditur, vt ex redditibus Ecclesiasticis remunerent seruitia, subditur iuxta seruitij meritum. Ita Bart Alex. Iason, & Decius, quos refert Nau.

7 Verùm probabilius est posse aliquantulo plus remunerare moderatè iuxta prudentis arbitrium, v. g. valet seruitium, vel donum duodecim numos aureos, non posset Clericus ex redditibus Ecclesiasticis dare in remunerationem triginta, bene posset sexdecim numos aureos dare. Ratio, quia, teste Philosopho 5. *Ethic.* & D. Thom. *2. 2. quæst. 106. art. 6.* non satis gratum se exhibet non remunerans vltra valorem beneficij sibi impensi; quare illud plus, quod datur, est quodammodo debitum, scilicet debito gratitudinis, & honestatis. Ita Nauar. *eadem quæst. 1. n 90. & 91.* Molina citatus *§. de numeratorius*, & alij.

8 Vltimò infertur non claudi intra decentem Clerici sustentationem conferre parasitis munera: hoc enim non Ecclesiasticorum, sed sæcularium est. Ita Cord. *ibid.*

9 Sit secunda conclusio. Per necessaria ad statum sunt intelligenda, non solùm quæ sunt necessaria ad decentiã status secundùm qualitatem beneficij, sed etiam secundùm qualitatem personæ, v. g. si Regis filius Episcopus Cordubensis creetur, potest ex redditibus Episcoparus deducere necessaria ad decentiam status, non tantùm Episcopi Cordubensis, sed filij Regis. Ratio, quia status istius est status filij Regis, & quæ sibi ad hunc statum opus sunt, verè ad statum necessaria sunt. Hanc conclusionem innuunt vniuersi Doctores, fatentur enim absolutè posse Clericum ex redditibus Ecclesiasticis viuere secundùm decentiam sui status: tenet eam expresè Nau. *dicta q. 1. n. 91. 94.* Molina *supra, col. 811.* & alij, licèt teste Nauarro, aliqui sentiant oppositum.

10 Nota tamen conclusionem esse intelligendam duplici limitatione.

Prima est, nisi Ecclesia reparatione; & ornamentis indigeret, si enim his indigeret, tantùm posset Clericus ex dictis redditibus viuere secundùm qualitatem beneficij Nauarr. *ibi num. 93.*

11 Secun-



11 Secunda est, nisi Clericus haberet bona patrimonialia, ex quibus posset viuere, tunc enim ex dictis redditibus tantùm posset viuere secundùm qualitatem beneficij, non autem secundùm qualitatem personæ. Ita Nauar. summa Hisp. *c. 25. n. 130.* Quam etiam duplicem limitationem apponit Molina *supra colum. 812.*

## DVBIVM XLII.

*An Clericus possit debita contracta soluere de redditibus Ecclesiasticis, & ad id teneatur, si aliunde non sit soluẽdo.*

1 TRiplex est sententia.

Prima tenet nũquam posse Clericum de talibus redditibus soluere. Ita Archid. *c. statutum, de rescriptis in 6.*

2 Secunda sententia distinguit, si debita pro Ecclesiæ vtilitate, aut Clerici sustentatione contracta sint, potest Clericus de talibus redditibus soluere: si verò pro vsibus profanis, vel alia Clerici necessitate, vt pro domibus reparandis. &c. tunc non potest, licèt alia bona non habeat, ex quibus soluendo sit. Ratio huius sententiæ, quia clerici tantùm habent vsum redditiuum horum; ergo si debita non sint pro suo vsu contracta, nequeunt ex illis soluere. Ita Panorm. *c. cum omnes, de testam. n. 27. & c. peruenit, de fideiuss. n. 12.* Gabr. *4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 7.* Angelus *Clericus 3. n. 3.*

3 Tertia sententia oppositum tenet.

4 Prima conclusio. Clerici possunt, immo tenentur ex redditibus Ecclesiæ soluere debita quacunque ex causa contracta, si aliis bonis, ex quibus soluant, carent. Probatur conclusio ex *cap. peruenit, de fideiuss. & ex c. olim el 2. de restit. spoliat.* vbi coactus est Episcopus ex Ecclesiasticis redditibus soluere debita. Patet etiam ratione: Clericus, qui non est soluendo, nisi ex istis redditibus, computatur vt pauper; ergo saltem vt pauper potest redditus necessarios, vt soluat, accipere; ergo ad id tenetur, siquidem tenetur soluere, si potest, & hoc pacto potest. Ita tenet Anton. *c. peruenit, de fideiuss.* Speculator *tit. de sententia excommunic. §. sequitur.* Adrian. *4. mat. de restit. q. quæ incipit, Pro clariori intelligentia, concl. 4.* Host. citatus ab ipso. Collectarius *c. Odoardus, de solut.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 4. art. 3. ratione 1. sextæ conclus. in fine.* Honcala *opusc. 2. de rebus Ecclesiast. cap. 11.* Nauar. summa Hisp. *c. 25. num. 132. & opusc. de redditibus, q. 2. num. 34. 35. 36.* Auendaño *responso 19. n. 7.* & alij.

5 Secunda conclusio. Si debita contracta sint pro clerici sustentatione aut causa aliqua pia potest ea soluere, licèt bona patrimonialia habet, ex quibus soluendo sit. Ratio, quia potest ex talibus redditibus se sustentare. Ratio secundi, quia si aliquid Clericus in vsus pios conuertit, potest illud ex bonis Ecclesiasticis deducere, vt *supra dubio 38* dixi. Primam partem docet Auendaño *ibi*, & patet ex dictis: secunda pars patet etiam ex dictis *eodem dub. 38. concl. 9.*

6 Vltima conclusio. Si sint contracta pro vsibus profanis, vt pro patrimonio, pro delicto, pro venereis, conuiuiis profanis, &c. non potest ea soluere ex redditibus Ecclesiasticis, si alia bona, vnde soluat, habet. Ratio, quia superflui redditus nequeunt in vsibus profanis expendi, vt dixi *dict. dub. 38.* nec iste Clericus censetur pauper. Ita Auendaño *ibi*, & innuit Nauarr. *ibi.*

## DVBIVM XLIII.

*An quando Clerici parcè viuentes non expendunt de redditibus Ecclesiasticis, quantum arbitrio boni viri est necessarium ad decentiam sui status, illam quantitatem, quam parcè viuentes sibi detrahunt, possint distribuere, sicut bona patrimonialia, vel teneantur pauperibus largiri, sicut superflua.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit teneri elargiri pauperibus. Ratio, quia ea solùm ratione redditus Ecclesiastici concedun-

tur Clerico, quia sibi vt alimenta necessarij sunt, superfluos verò tenetur dare pauperibus: sed in isto casu ob parcimoniam effecti sunt ex necessariis superflui, ergo. Ita tenet Panor. *c. cum omnes, n. 27. de testam.* Sarmiento latissimè probans *lib. de redditibus, part. 3. c. 5. n. 1. 2. 3. 4. 5. & in defensionibus 1. part. monito 30. & 31.*

2 Secunda sententia oppositum tenet.

3 Sit conclusio. Probabilius est ea quæ Clerici fraudantes genitum suum corraserint. posse sicut bona patrimonialia dispendere. Ratio, quia necessaria ad status decentiam tribuuntur Clerico propter personalem laborem, & sic vt ea expendant, vt libuerit; ergo si parcè viuentes aliquid ex his corraserint, possunt liberè vti bona patrimonialia dispendere. Ita Nau. *lib. de reddit. q. 1. n. 59. & in Apologia 1. part. monit. 30. & 31.* & summa Hisp. *c. 25. n. 127. & c. 17. n. 94.* Molina *lib. 2. de primogen. c. 10. n. 50.* Auendaño *responso 19. n. 12.* Maioris *4. dist. 24. q. 17. & 20.* Couar. *c. cum in officiis, de testam. n. 2.* Alcoz. *lib. de ludo, cap. 38.* idem innuit D. Thomas *2. 2. quæst. 185. art. 7.* & alij.

## DVBIVM XLIV.

*An Clerici habentes patrimonium sufficiens ad decentem sustentationem, possint beneficium acceptare, atque se ex redditibus sustentare seruatis bonis patrimonialibus.*

1 TRiplex est sententia.

Prima dicit non posse viuere ex redditibus Ecclesiasticis, nisi bona patrimonialia in pios vsus conuertat. Probatur ex D. Hier. ad Damasum, & habetur *2. q. 2. cap. Clericos*, vbi inquit, qui bonis parẽtum sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt. Idem D. Prosper *lib. de vita contemplativa*, & habetur *12. q. 1. c. illi autem*; & patet ratione, quia hi redditus conceduntur Clerico in quantum sunt illi necessarij ad alimoniam, sed quando habet patrimonium, non sunt necessarij; ergo. Ita tenent Alensis *3. p. q. 51. memb. 6. art 3.* Adrian. *4. mat. de restit. q. quæ incipit, quia supra determinatum est.* Dionys. Carthus. *in opusc. lib. vnico, de vita canonicorum, art. 24.* Decius *c. Episcopus, de præbend. & c. postulastis, de rescript.* Barba *ibi.*

2 Secunda distinguit, si vnà cum redditibus Ecclesiasticis seruet bona patrimonialia sufficientia, nequit de illis viuere: si verò patrimonialia det consanguineis, vt pauperibus, vel quibusuis, potest de talibus redditibus viuere; potest etiam retinere sibi bona patrimonialia immobilia, & viuere de dictis redditibus dummodo viuens det fructus talium bonorum patrimonialium pauperibus. Ita Abul. *c. 6. Matth. q. 75.*

3 Tertia sententia tenet posse semper de dictis redditibus viuere. Sit

4 Prima conclusio habens patrimonium sufficiens, potest licitè beneficium acceptare, modò idoneus sit, & nullum finem ptauum intendat, vt prodigè expendere redditus beneficij, vel ditare consanguineos, &c. Conclusio est certa. Et ratio est, quia nulli irrogat iniuriam, nec præcepto aliquo id prohibeatur. Ita tenent Richard. *quodlib 3. quæst. 20.* Ang. *Clericus 3. n. 2.* Sylvest. *Clericus 4. q. 16.* Auendaño *responso 19. n. 6.* Nauarr. summa Hispan. *c. 25. num. 130.* Gabr. *4. dist. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 8.* Palud. *4. dist. 24. q. 3. art. vltimo*, & alij.

5 Secunda cunclusio Tales Clerici habentes patrimonium sufficiens possunt illud seruare, vel vt libuerit disponere, & ex redditibus Ecclesiasticis sustentare se iuxta decentiam sui status. Ratio, quia redditus hi sunt laboris Clericorum, dignus est autem operarius mercede sua, vt habetur *Lucæ 10. & 1. ad Corinth 9. & 1. ad Timoth. 5.* & in Concilio Agathẽsi, quod refertur *1. q. 2. c. clerici.* Ita innuit D. Thom. *2. 2. q. 185. art. 7. ad 3.* & eam tenet expresè Caiet. *ibi*, Sylu. *Clericus 4. q. 16.* Cord. *lib. 1 q. 18. corollario 3.* Auendaño *responso 19. n. 6.* Sotus *lib. 10 de iust. quæst. 4. art. 3. ad vltimũ.* Alcozer *lib. de ludo, cap. 38.* Petrus Soto

*lib. de*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*lib. de instit. sacer. tract. de vita sacerd. lect.* 3. Honcala *opus.* 2. *de rebus Ecclesiasticis, c.* 2. Nauar. summa Hispan. *c.* 25. *n.* 130. *& opusc. de reddit. q.* 1. *n.* 78. Gabr. 4. *dist.* 15. *q.* 8. *art.* 3. *dub.* 8. Rosella *verbo Clericus* 4. *num.* 9. Pisana *ibi* §. 7. Turrecr. *cap. Clericos* 1. *quæst.* 2. *n.* 2. & Hulticus, & Hugo ab ipso citati, Host. *tit. decimis, n.* 14. Raynerus, & Gofredus, *citati ab ipso*, Sarmiento *lib. de redditibus, p.* 1. *cap.* 1. *n.* 18. Anton. Gabr. *tom.* 1. *communium opinionum, lib.* 3. *fol.* 28. *vers. Clericus*, Ang. *verbo Clericus* 3. *n.* 2. Arm. *verbo Clericus, n.* 23. Innoc. *c. Episcopus, de præbend. & ibi* Panorm. Card. & Felin. *c. postulastis, de rescript.* Socinus *consil.* 91. *volum.* 3. Couar. *cap.* 1. *de test. n.* 2. Maioris 4. *dist.* 24. *q.* 17. *&* 20. Ioannes de Lignano *Clement. gratia, de rescript.* Archid. *cap. statutum, de rescript. in* 6. & Molina *tom.* 1. *de instit. disp.* 145. *initio*, Aragon 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. & nonnulli docti neoterici.

6 Sed nota duo. Primum est intelligi, nisi pauperum necessitas talis occurreret, vt obligaret laicos præceptum eleemosynæ, nam si talis occurreret tenerentur Clerici vel ex patrimonio, vel ex redditibus subuenire. Patet, quia ad id tenentur tunc laici. Ita D. Thomas, Caietan. Soto, Nauarr. Couar. Syluest. Petrus Soto, Honcala, Turrecrem. *num.* 6. Arm. *ibi*, & alij.

7 Secundò nota, istum tantum posse viuere ex beneficio secundùm qualitatem talis beneficij, vt dixi *supra dub.* 41. *limitatione secunda, conclusionis* 2.

## DVBIVM XLV.

*An de bonis quasi patrimonialibus similiter teneatur Clericus, deducta decenti sustentatione, superflua in pios vsus conuertere.*

1 NOta, bona quasi patrimonialia esse, quæ Clerici lucrantur ratione alicuius ministerij clericalis, vt pro Missis, pro administrandis sacramentis, audiendis confessionibus, pro concionibus, pro officio alicuius vicariæ temporalis, pro comitandis defunctis, officiis decantandis, quia sunt capellani alicuius domini, vt dixi *supra dub.* 37.

Duplex est sententia.

2 Prima tenet idem de istis bonis, & redditibus Ecclesiasticis, quo ad obligationem conferendi superflua pauperibus. Sic Innoc. *c. quia nos, de testam. & cap. quoniam, ne Prælati vices.* Ratio est, quia istæ bona, sicut redditus acquiruntur propter ordinem clericalem.

3 Secunda sententia tenet oppositum.

4 Sit conclusio. Probabilior longè sententia est, non habere talem obligationem, sed posse Clericos liberè disponere de istis bonis, sicut de patrimonialibus. Ratio, quia ista dantur clericis de bonis temporalibus: & si dantur aliquando de spiritualibus, dantur tamen pro iusto stipendio illius determinati laboris, & seruitij personalis, & sic dantur sine aliquo pacto tacito, vel expresso dandi pauperibus. Ita tenent Cynus, Card, & Perusinus, quos refert, ac sequitur Cou. *c.* 1. *de test. n.* 11. Syluest. referens etiam Hostiensem *verb. Clericus* 4. *q.* 8. Nau. *opusc. de reddit. q.* 1. *n.* 7. *&* 75. Panor. *c. cùm omnes, de testam. num.* 26. Auendañus *responso* 19. *n.* 12. Driedo *lib.* 2. *de libert. Christ. c.* 4. Alcozer *lib. de ludo, c.* 38. Maioris 4. *dist.* 24. *q.* 17. Soto *lib.* 10. *de iust. q.* 4. *art.* 3 *concluf.* 3. & alij.

5 Dubium tamen est de bonis, quæ capellani recipiunt ex capellania collatiua, quia iam talia facta sunt spiritualia, & priuilegiata: & videtur, quòd sint sicut fructus ex possessionibus applicatis beneficiis, quia istæ capellaniæ solent beneficia appellari. Sic videtur sentire Nauarr. *dicto n.* 37. ait enim, quòd quantum ad hanc obligationem dandi pauperibus, idem est de Episcopis, Canonicis, & capellanis, & aliis beneficiatis simplicibus; & Syluest. *Clericus* 4. *q.* 4. vbi dicit habentem capellanias ad nutum amobiles, quæ non dantur in titulum, sed datur eis certum stipendium in pecunia in anno, posse testari de illo stipendio, quia est datum pro suo labore: vbi id non concedit de habente capellanias in titulum.

6 At in contrarium videtur talia bona ex capellania non habere hanc obligationem, quia non dantur, nisi pro stipendio Missarum, & parum refert temporaliter dari pro vna Missa, vel in perpetuum, vel facta esse spiritualia, vel non, dummodo sine tali onere, & pacto dentur. Sic tenet Soto *vbi suprà*, dicens, quòd sunt sicut quotidianæ pitantiæ. Idem videtur sentire Driedo *vbi suprà*, vbi vniuersaliter ait, quòd quando bona Ecclesiastica dantur pro aliquo certo onere, & pacto, vt si detur prædium pro Missis quotidie celebrandis, prodigè consumens non tenetur ad restitutionem. Et idem videtur sentire de obligatione ad eleemosynas. Et hæc sententia est probabilis, & Nau. idem postea videtur dicere *n.* 75. & tunc præcipuè est secura, quando redditus capellaniæ non multum excedunt valorem stipendij, quod pro Missis conferri solet. Sic quidam docti neoterici.

7 Insuper est dubium de stipendio, & eleemosynis, quas Clerici accipiunt pro aliquo ministerio, ad quod ratione beneficij aliàs tenebantur, vt quod accipit parochus pro administrandis sacramentis suis subditis, beneficiarius pro anniuersarijs. Aliqui tenent de ipsis non posse liberè disponere; sed idem censendum de ipsis, ac de redditibus Ecclesiasticis. Sic Panor. Cardin. & alij, quos refert Nauarr.

8 Verùm contrarium est probabilius, scilicet posse de illis, sicut de bonis patrimonialibus disponere; quia hæc bona propter personalem laborem absque dicto onere à fidelibus dantur. Ita Barbatius, quem refert, ac sequitur Nau. *dicto n.* 7. *&* 75. & idem videtur sentire Cou. *vbi suprà*, ait enim bona, quæ Episcopus ait ab his, qui ordinibus initiantur, esse ex industria acquisita. Idem tenent alij.

9 Insuper dubium est an Prælati possint liberè disponere de stipendiis officiorum, quæ à Principibus sæcularibus acceperunt, vt si sint Præsides Curiæ Regiæ, aut Regis Legati, &c. Sarmiento *lib. de reddit. 3. part. c.* 5. *n.* 8. tenet partem negantem. Ratio, quia non possunt tempus Ecclesiæ obsequio præstitum in alios vsus consumere.

10 Sed contrarium, scilicet posse, est probabilius; quia id ex proprio acquirunt labore, nec illa stipendia sunt spiritualia, licèt iniquè absque causa publica, & Papæ licentia tale munus obeant, verùm, quod illo lucrati sunt, suum faciunt. Ita Nauar. *dicta q.* 1. *n.* 78. & Molina idem docet de iis, qui causa publica, & Papæ licentia hæc munia exercent, *lib.* 2. *de primog. c.* 20. *n.* 51.

## DVBIVM XLVI.

*An distributiones quotidianæ habeant prædictam obligationem, scilicet vt superfluum status Clerici, teneatur in pios vsus conuertere, sicut habent alij redditus beneficij.*

1 NOta redditus beneficij in duas diuidi partes, in alteram principalem, quæ *grossa* dicitur, & datur Clericis ex titulo beneficij: in alteram verò, quæ datur solis assistentibus locis Canonicis, veluti diurnum stipendium, & hæc dicitur distributiones quotidianæ, de quibus, Deo dante, infrà latum faciam sermonem.

Duplex est sententia.

2 Prima tenet non habere hanc obligationem. Ratio, quia dantur propter diurnum laborem, vt illius stipendium. Ita Sylu. *Clericus* 4. *q.* 4. Auendañ. *responso* 19. *n.* 12. Idem videntur sentire Cou. *c. cùm in officiis, de test. n.* 4. Dominicus, Francus, Parisiensis, Decius, Bologninus, Guillermus per ipsum citati. Idem videtur sentire Alcoz. *lib. de ludo, c.* 38. Idem tenet expresè Angelus *Clericus* 13. *n.* 3. Palacios *verbo beneficium, fine.*

3 Secunda sententia tenet oppositum.

4 Sit conclusio. Probabilius est, quoad obligationem istam conferendi superfluum pauperibus, idem sentiendū esse de quotidianis distributionib. ac de cæteris beneficij fructibus. Ratio, quia istæ distributiones verè sunt pars reddituum beneficij, & sic ex institutione sua, & ex iure cōmuni, & antiquo Ecclesiæ, & ex pacto tacito fidelium habent eandem obligationem, quam habent alij fructus: nec diuisio postea facta abstulit, nec auferre potuit hanc obligationem. Item quia diuersus lucrandi modus non variat finem, ad quem recipitur lucrum, *l.* 1. *& l. legat.* 1. *ff. de administ. rerum ad ciuit. pertin. & Clem. quia contingit, de religiosis domibus.* Sed tantùm penes lucrandi modum distinguuntur distributiones, & cæteri redditus, quia scilicet illæ quotidie, hi quotannis distribuuntur: ergo. Item quia pro illo seruitio, & assistentia horis non tantùm dantur distributiones quotidianæ, sed etiam alij beneficij redditus. Item quia non debeat attendi, quòd maiori, vel minori labore quærantur, cùm beneficium propter officium, & laborem detur: maiorem enim laborem Episcopalis dignitas requirit, & non ob id Episcopus ab hac obligatione solutus. Item, quia ob laborem conceditur Clericis, vt vitæ necessaria subtrahant. Hanc tenent Sarmiento *lib. de redditibus par.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Nauar. *lib. de redditibus, quæst.* 1. *num.* 74. & alij.



## DVBIVM XLVII.

*An qui habent pensiones deductas ex bonis Ecclesiasticis, habeant prædictam obligationem dandi superfluum pauperibus.*

1 NOta in triplici differentia esse pensiones: quædam applicantur alicui titulo aliquo clericali & spirituali cum obligatione ad aliquod munus spirituale, propter quod datur illi pensio: vt si detur pensio alicui, vt si coadiutor Episcopi senis; vel presbytero benemerito propter exhaustos labores, vel pro alio munere spirituali. Aliæ pensiones sunt, quæ non dantur titulo clericali sed sæculari, vt quæ applicantur Principibus, ac militibus pro aliquo munere temporali. Aliæ sunt, quæ sine aliquo titulo dantur, vt quæ sine titulo clericali dātur in permutationibus, ac renunciationibus: at quæ dantur, cùm lis exoritur super aliquo beneficio, & est ius dubium ad componendas partes. Hoc supposito.

Triplex est sententia.

2 Prima tenet habentes has pensiones non titulo spirituali, sed sæculari, immunes esse à prædicta obligatione dandi superfluum pauperibus. Ratio, quia obligatio illa non oritur ex pacto cum fidelibus, nec ex iustitiæ vinculo, sed ex iure Ecclesiastico hanc obligationem ponente, & Papa, qui in eo potest dispensare, eo ipso, quòd bona Ecclesiastica ista applicat titulo sæculari, eximit à prædicta obligatione. Sic Soto *lib.* 10. *de iust. q.* 4. *art.* 3. immediatè ante argumentorum solutiones: & licèt ipse solum ponat exemplum de regiis tertiis, & de decimis adiudicatis illustribus dominis, quæ iure successionis possidentur, & non explicat de pensionibus datis ad vitam: verum ratio sua de omnibus æquè probat. Idem Cord. *lib.* 1. *q.* 18. *ad* 2. vbi tenet pensiones applicatas, siue licitè, siue illicitè alicui titulo sæculari non habere prædictam obligationem: quod vniuersaliter affirmat *quæst.* 21. *in fine*, de omnibus pensionibus laicis concessis, & in summa *quæst.* 186. dicit Clerico pensiones reseruantes dum resignant beneficium non teneri superfluum erogare pauperibus. Ratio eius est, nam cùm clerici sint donatiui reddituum, si alicui eos donent, dominium transferunt, nec illi quibus donati sunt, tenentur ampliùs in pios vsus eos conuertere: ergo cùm Papa possit ex causa iusta donare sæculari alicui pensiones, vel partem decimarum, talis sæcularis acquirit dominium, nec tenetur ampliùs in pios erogare vsus: & confirmatur, quia bona hæc sunt iam facta sæcularia, & iure successionis posteris relinquntur.

3 Secunda sententia tenet, pensionarios teneri superfluum erogare pauperibus, sicut beneficiatos. Ratio, quia res transeunt cum suis oneribus, *cap. ex litteris, de pignoribus, cap. pastoralis, de decimis. l.* 1. *C. de distract. pignor.* Sed illa bona Ecclesiastica habent hoc onus, ergo per hoc quòd Papa ea alicui applicat, non tollit illud onus. Item, quia in diplomate, quo pensiones conceduntur, ait Papa se illas concedere, vt commodiùs possit personarius sustentari. Sic tenent Nauarr. *lib. de reddit. quæst.* 1. *num.* 79. & licèt ipse solùm loquatur de pensionibus ad vitam pensionarij concessis, tamen eadem ratio procedit de aliis decimis, & bonis Ecclesiasticis, quæ in perpetuum dantur, & iure successionis possidentur, & ita de tertiis regiis, id est, de tertia parte decimarū, quæ ipsis Regibus dantur, innuit Nauarr. Idem *ibi num.* 94. & Sarmiento *lib. de reddit. part.* 3. *cap.* 5. *num.* 7. dicit pensiones habere eandem obligationem, quam redditus beneficij.

4 Tertia opinio vniuersaliter affirmat pensiones immunes esse ab hac obligatione, & posse pensionarios liberè de illis disponere. Hanc videntur tenere Gigas *tract. de pension. quæst.* 52. & Couarr. *cap. cum in officiis, de testament. num.* 6. ibi enim ait posse pensionarium liberè de pensionis redditibus testari, & si ab intestato decedat, pertinere tales redditus ad legitimos successores: in quo videtur intelligere posse etiam in vita liberè disponere, & in hoc sensu intelligit ipsum Sarmiento *de reddit. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 13.

5 Prima conclusio. Pensiones primi generis, scilicet quæ Clericis applicantur ratione alicuius tituli, aut officij Clericalis, aut quia sunt clerici, habent prædictam obligationem, sicut fructus beneficij. Ratio, quia sunt redditus Ecclesiastici, & per hanc applicationem non eximuntur à prædicta obligatione, quia cùm ad id non sit iusta aliqua causa, non est credendum Papam talem exemptionem concessisse. Item, quia natura realis bonorum, sola mutatione personæ variari non potest: cùm ergo ista sit reddituum Ecclesiasticorum natura, vt habeant prædictum onus, etiamsi persona mutetur, illud habebunt. Item probatur rationibus adductis pro secunda sententia: & confirmatur ex proprio motu Pij V. nuper edito, quo obligantur habentes pensiones titulo clericali ad recitandum officium parum Beatæ Mariæ, in quo sentit tales pensiones retinere naturam bonorum Ecclesiasticorum. Ita Sarmiento, & Nauarr. *locis in secunda opinione citatis*, & Nauarr. etiam *in Apologia, monito* 23. *&* 80. & alij.

6 Secunda conclusio. Pensiones secundi generis, quæ scilicet laicis sunt applicatæ tanquam laicis, id est, ratione tituli sæcularis, aut Clericis, non quia Clerici, sed ratione alicuius tituli, aut muneris sæcularis, non habent prædictam obligationem, vt quæ dantur cantoribus procuratoribus, Aduocatis Ecclesiarum, & similibus. Ratio, quia istæ pensiones iustè debentur pro illis officiis, & sic non debent dari cum tali onere. Item, quia iam non sunt bona Ecclesiastica, sed profana. Ita Soto, & Cord. *vbi supra*, & fauet Couar. idem Nauar. *dicto num.* 23. *&* 80. licèt non affirmet pensionarios prædictam habere obligationem, excipit tamen ab ea omnes, quibus pensiones datæ sunt in stipendium aliquorum actuum, aut officiorum etiam Ecclesiasticorum: vnde infert pensiones datas Cardinalibus, Legatis, vt in aliquibus rebus inseruiant liberas esse ab hac obligatione. Et ratio eius est, quia non recipiunt talia bona ratione alicuius iuris percipiendi redditus Ecclesiasticos, sed ratione aliquorum actuum pertinentium ad personas Ecclesiasticas: & sic sunt bona quasi patrimonialia, sicut acquisita pro Missis, administratione Sacramentorum, &c. *& num.* 64. *&* 65. Idem concedit de pensionibus ex decimis datis Principibus, & Nobilibus in remunerationem laborum, & expensarum, quas fecerunt pro Ecclesia; quia ista sunt quædam debitorum solutiones, & sic sunt bona iusta de causa iam alienata ab Ecclesia, & facta profana, & ob id libera à tali obligatione. Sic quidam docti neoterici.

7 Vltima conclusio. Quantum ad pensiones tertij generis; quæ nec dantur titulo clericali, nec pro munere aliquo spirituali, nec dantur aliquo titulo laicali, & pro aliquo munere, & officio temporali per viam recompensationis beneficij recepti, aut per viam stipendij alicuius

Universidad de Deusto
Biblioteca



cuius laboris, aut actus corporalis, sed dantur ad componendam litem super beneficiis ortam, vel ratione permutationis, aut resignationis, vel ratione alicuius operis pij, scilicet in sustentationem aliquorum clericorum, vel laicorum, qui indigent saltem ad status decentiam, probabilius est prædictam obligationem retinere, sicut alios redditus Ecclesiasticos. Ratio, quia non sunt datæ in stipendium laboris, nec factæ bona laicalia, sed ad tempus applicatæ propter aliquas causas pias. Idem probatur omnibus rationibus primæ conclusionis. Sic Nauarr. *in Apologia, monito 64. & 65.* & prædicti neoterici.

## DVBIVM XLVIII.

*An clerici, qui habent beneficium non in titulum, sed in commendam, habeant eandem obligationem conferendi superfluum pauperibus.*

1 SIt conclusio. Beneficiati, vel Episcopi habentes in commendam Episcopatum, vel beneficiũ possunt de fructibus illius sumere omnia necessaria ad decentiam sui status, sicut alij beneficiati in titulum, & superflua similiter tenentur erogare pauperibus. Ratio, quia prædicti habent verum titulum, & ius Ecclesiasticum ad fructus, & habent veram, & legitimam administrationem, iurisdictionem, & authoritatem, sicut beneficiati in titulum: ergo eandem potestatem, & obligationem habent quo ad fructus. Nauarr. *lib. de reddit. quæst. 1. num. 80.* Latè Syluest. *verbo commenda, quæst. 3.* vbi quantum ad hoc dubium refert Ioan. Andr. Host. & alios contrarium tenentes: sed hoc ait fieri de facto, eandem conclusionem tenent alij neoterici.

2 Circa ista beneficia, quæ dantur in commendam, nota, quòd si beneficium curatum sit, non potest dari in cõmendam, nisi propter ipsius Ecclesiæ euidentem vtilitatem, & non potest Episcopus illud commendare, nisi sacerdoti habenti legitimam ætatem, scilicet viginti quinque annos, & commenda tantùm durabit per sex menses. Ita habetur. *in Consilio Luzdunensi, & c. nemo, de elect. in 6.* at post istos sex menses superior non prouidet de beneficiatio in titulum, potest Episcopus interim duo prouidere, commendare alicui. Si verò beneficium sit simplex, potest ex duplici causa commendari, scilicet vel propter Ecclesiæ vtilitatem, vel ad honestam subuentionem commendatarij: & potest commenda, vltra semestre durare. Hæc Syluest. *verbo commenda, in principio, & quæst. 1. 9. & 8.* vbi docet posse Episcopum per spatium sex mensium à die vacationis beneficij illud alicui commendare: & licèt fiat vltima die sex mensium, durabit commenda per dictos sex menses: immo etiamsi elapsum fuerit semestre à die vacationis, potest alicui commendare ad custodiendum, vel saluandum, donec prouideat superior.

3 Secundò nota istum curatum commendatarium non esse propriè Prælatum, sed tantùm procuratorem, habere tamen legitimam administrationem, & si talis Ecclesiam impetret, tenetur facere mentionem de commenda, nisi idem beneficium sibi datum in commendam impetret: tunc enim non oporteret mentionem facere de illa. Et ad talem commendam vocandi sunt patronus, & alij, qui ex ea læduntur: & si Episcopo concedatur, vt vsque ad certum tempus percipere possit fructus vacantium Ecclesiarum, non potest retinere fructus Ecclesiæ datæ in commendam, quia non dicitur talis Ecclesia vacare, cùm titulus iste canonicus sit, & commenda non expiret morte commendantis. Hæc omnia probant ex Doctoribus, & textibus Syluest. *verbo commenda. q. 2. 4. 5. 7. 10. & in quæst. 6.* docet durante commenda non posse per ordinarium conferri, aut reuocari, nisi causa cessarit, ex qua fuerat facta. An verò aliquis possit habere plura beneficia in commendam: dixi *suprà*, vbi de beneficiorum pluralitate.

## DVBIVM XLIX.

*An beneficia, quibus reseruantur fructus beneficij vacantis, possint liberè de illis disponere, vel teneantur in pias causas distribuere.*

1 NOta iure cautum esse, vt fructus beneficij, & præbendæ, qui tempore vacationis colliguntur, solutis debitis, si quæ sint, & solutis his quæ fuerint necessaria pro seruitoribus, & alis oneribus, reliqua vel expendantur in Ecclesiæ vtilitatem, vel futuro successori, & si erat Canonicus collegio Canonicorum reseruentur. Ita habetur *cap. quia sæpe, de elect. in 6. & c. præsenti, de offic. ordin, in 6. c. relatum el 2. de testam. & extrauag.* Ioan. XXII. *suscept. de elect.* notat Couarr. *dicto cap. relatum, n. 2. & 3.* Sylu. *verbo beneficium* 5 §. 1. Idem etiam est intelligendum de Episcopatu vacante, eius enim redditus futuro successori reseruantur, & collegium Canonicorum tenetur illi de ipsis rationem reddere *d. cap. quia sæpè*, Couar. *ibi num. 3.*

2 Sit conclusio. Clerici, qui tales redditus percipiunt ex beneficio vacante, quod sibi collatum est, vel collegium, cui reseruantur, non possunt pro suo libito, nec in proprios vsus, & ipsorum vtilitatem tales redditus distribuere; sed tenentur in vtilitatem Ecclesiæ, vel alias pias causas eos distribuere. Ratio, quia stipendium illud, & beneficium datur propter officium, & ministerium: sed ille successor toto illo tempore nil laborauit; ergo non potest recipere stipendium. Item, quia dantur istis tanquam dispensatoribus; ergo dispensare tenentur. Sic apertè colligitur ex *d. cap. relatum, ibi* enim dicitur: *Is ea bona, sicut & alia ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispenset.* Et si est collegium, quod tales fructus recipit, dicit, quòd rerum illarum, id est, fructuum debet canonicam distributionẽ, & curam habere: ergo non potest distribuere tanquam bona propria, & tanquam partem suam. Et Couarr. *vbi suprà. n. 2.* vbi dicit talia bona dari successori, vt ea distribuat sicut alia bona Ecclesiæ. Et sic explicat Syluest. *clericus 4. q. 17. n. 13.* dicens teneri ea administrare sicut bona communia Ecclesiæ. Eandem conclusionem tenent docti iuniores. Contrarium tamen innuit Nauarr. summa Lat. *cap. 25. num. 123.* vbi, redditus canoniæ vacantis diuidit inter successores.

## DVBIVM L.

*An beneficiati possint per viam testamenti disponere de bonis suis.*

1 NOta in hac quæstione esse aliqua magis certa, in quibus authores, aut ferè omnes conueniũt, quæ præmittẽda sunt, & aliquibus conclusionibus explicanda.

2 Prima conclusio. De bonis immobilibus beneficiorũ nequeunt Clerici testari. Ratio, quia illorum non sunt domini, nec illa possunt alienare. Conclusio est certa. Ita Gabr. *4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 9.* Turrecr. *12. q. 5. c. nulli dubium, n. 9.* Abul. *c. 7. Matth. q. 74.* Armil. *verb. Clericus, n. 18.* Rosell. *Clericus 4. n. 1.* Sylu. *ibi, q. 2.* D. Anton. *3. p. tit. 10. c. 3. §. 14.* Innoc. *cap. cum in officiis, de testam.* Nauarr. *summa Hisp, cap. 25. num. 128.*

3 Secunda conclusio. De patrimonialibus bonis possunt Clerici beneficiati testari, & ea quibuluis relinquere. Ratio, quia horum bonorum domini sunt, nec vlla lege de iis testari interdicuntur, nec speciali iure ea in pios vsus conuertere tenentur. Ita Nauarr. *opuscul. de reddit. q. 3. n. 1.* & *summa Hisp. c. 25. n 130.* Richard. *4. dist. 45. articul. 3. q. 1.* Alensis *3. p. q. 36. membr. 5. art. 3.* Panorm. *c. cum omnes, de testam. num. 22.* Gabr. *vbi suprà*, Turrecr. *vbi suprà, n. 2* Abulens. *vbi suprà, quæst. 75.* Couar. *cap. 1. de testam. num. 3.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 10. num. 27.* Armil. Rosella, D. Anton. Sylueſt. *vbi suprà*, & est certum apud omnes.

4 Tertia conclusio. Beneficiati possunt testari de bonis quasi patrimonialibus. Probatur eadem ratione, qua præcedens conclusio. Ita Nauarr. *dict. q. 3. n. 1.* Innoc. *c. quia nos, de testament.* Hostiensis citatus à Sylueſt. licèt aliqui



si quasi patrimonialia relicta sunt Clerico contemplatione personæ, potest de illis testari; si verò contemplatione Ecclesiæ, vt quia erat parochialis sacerdos, non potest. Ita Arm. *vbi supra.* Sylueſt. *Clericus 4. q. 8.* Pan. *c. cum in officiis, de testam* Rosel. *Clericus 4. n. 3.* Ang. *Clericus 13. n. 5.* Alensis *vbi sup.* Et idem videtur tenere Cou. *c. 1. de test. n. 11.* vbi plures alios refert; sed conclusio posita multo verior est.

5 Quarta conclusio. Quando Clericus consumpsit aliquid de suo patrimonio in vtilitatem Ecclesiæ, potest de tanta redditurum quantitate testari. Ratio, quia id propriè non est de redditibus, sed de bonis patrimonialibus testari. Ita Sylueſter *clericus 4. quæst. 3.* Rosel. *ibi num. 1.* Ang. *clericus 13. n. 2.* Pan. *c. cum in offi. iis, de testam.* Nauar. *opuscul. de reddit. q. 3. n. 6. & 7.* & colligitur ex *c. si Episcopus 12. q. 5.* Subdit etiam Nauar. si beneficiatus de patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus bonis in vita erogauit aliquid pauperibus, vel aliis piis vsibus, potest de eadem quantitate testari cuicunque voluerit. Pater eadem ratione. Item quia, vt diximus *suprà dub. 38.* tanta quantitas redditurum libera manet à speciali obligatione pauperibus dandi, & potest in quosuis vsus conuerti. Ita etiam docti iuniores.

6 Quinta conclusio. Si stando in iure humano loquamur, licèt aliqui senserint, non omnibus beneficiatis iure interdictum esse testari de redditibus Ecclesiasticis, sed tantùm habentibus administrationem; secus verò de simplicibus beneficiatis (authores huius sententiæ refert Couarr. *vbi infrà.*) at multò probabilius est, omnibus beneficiatis id esse iure prohibitum. Probatur, nam capita hoc prohibentia indistinctè loquuntur de beneficiatis: immò id expressè prohibent Canonicis, qui tamen sunt beneficiati simplices *cap Episcopus 14. quæst. 1. & cap. relatum est 2. de testam.* Ita Couarr. referens plures *c. cum in officiis, de testam. num. 6* Nauar. *opuscul. de reddit. quæst. 3. num. 5.* & summa Hispan. *cap. 25. num. 128.* Immò subdit Cou. *num. 5.* contra Paludanum *4. dist. 15. quæst. 3. art. 6. conclus. vltima*, prohibitum esse eisdem testari de bonis ex redditibus Ecclesiasticis acquisitis, & de bonis emptis pecunia, quæ ex iisdem redditibus fuerit collecta: & pro hac parte plures refert, dicens esse communem. Ratio, quia bona Ecclesiæ dicuntur omnia, quæ intuitu Ecclesiæ, aut de Ecclesiæ facultatibus quis acquirit. His positis.

7 Graue dubium est, an ratione consuetudinis liceat beneficiatis testari de redditibus Ecclesiasticis, vbi talis viget consuetudo: & dimissis aliis opinionibus, quas latè refert Sarmiento *lib. de redditibus, 2. part. à cap. 6.* per plura capita tres sunt præcipuè opiniones in hac quæstione.

Prima sententia tenet talem consuetudinem valere, & excusari à peccato beneficiatos vigore illius testantes, etiam ad vsus profanos, & suis cognatis, & hæredibus relinquentes: & sic in Hispania (talis enim consuetudo est in illa ab immemoriabili tempore) hoc licebit omnibus beneficiatis qui Episcopi non sint. Ratio, quia est consuetudo obseruata, & recepta, & tacita Papæ, ac Prælatorum consensu approbata, & lege Caroli Quinti confirmata, quæ habetur *lib. 5. ordinam. tit 8. l 13.* Ita tenent Couar. *cap. cum in officiis, de testam. n. 9.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 3. l. 1. fol. 115. vers. est & aliud.* Sarmiento *lib. de redd. p. 4. cap. 1. à num. 8.* per plures. Idem cum limitatione tenet Cordub. *lib. 3. quæst. 18. & 2.* vbi tenet clericos ex tali generali licentia, vel speciali Papæ posse ex iusta causa testari in vsus profanos: & ait, esse iustam causam vtilitatem Ecclesiæ, vel iam acceptam, quæ sic gratificatur, vel in futurum accipiendam. Pro hac sententia faciunt aliqui, qui sine restrictione aliqua fatentur posse clericos de dictis redditibus testari, vbi talis viget consuetudo. Hi sunt Palud. *4. dist. 24. q 3. art. vltimo.* Hostiens. Guido, Guillermus, Benedictus, Ioan. Andr. Philip. Probus, Ioan. Gallus, quos refert Couar. *vbi supra*, fauet etiam D. Ant. *3 part. tit. 10. c. 3. §. 14.* vbi talem consuetudinem referens, eam non reprobat. Et idem Simancas *lib. instit. tit. 9. n. 90.*

8 Secunda sententia tenet, talem consuetudinem non esse validam absolutè, sed ad testandum de dictis redditibus ad vsus solùm pios, & in modica quantitate, secus ad vsus profanos, vel in magna quantitate, quia esset valde onerosa Ecclesiis. Ita Sylueſt. *Clericus 4. quæst. 2. & 3.* Rosel. *ibi num. 1.* Ang. *Clericus 13. n. 2.* Turrecrem. *cap. nulli dubium 12 quæst. 5. num. 11.* Gabr. *4. dist. 15. quæst. 8. art. 3. dub. 9.* Panorm. *cap. cum in officiis, de testam.* Nauar. summa Hispan. *cap. 25. num 127. & opuscul. de reddit. quæst. 3. n. 1.* & plures alij, quos refert Couar.

9 Tertia sententia fatetur cum secunda, non valere dictam consuetudinem, quoad vsus profanos, verùm non apponit restrictionem, vt sit in modica quantitate.

10 Sit sexta conclusio. Clerici ex redditibus Ecclesiasticis ad vsus profanos, & ad augendos cognatos, & alios hæredes, non possunt liberè testari, sicut de bonis patrimonialibus, nec hoc potest defendi, & excusari consuetudine. Probatur, quia dum viuunt, non possunt contrà facere; sed habent obligationem dandi superflua pauperibus, & mala consuetudo, quæ contra hoc est, non excusat; ergo multò minus in morte, vbi maior ratio est, & vbi ius strictiùs præcipit. Item, quia, cùm iura Ecclesiastica liberam horum bonorum in vsus profanos dispositionem prohibentia, sint tam grauia & vtilia, & necessaria, & ex maxima causa non est credendum, Papã in hoc consensisse. Item quia licèt prohibitio testandi sit de iure humano, at prohibitio disponendi in vsus non pios, est de iure diuino, & naturali, vt *supra dub. 40.* dixi, & docet Nau. *d. q. 3. n. 9.* ergo consuetudo non potest derogare quo ad hoc secundum. Item quia lex regni disponens, vt seruetur talis consuetudo, intellecta generaliter, scilicet ad omnes vsus, est tantùm permissiua, & si aliud disponeret, esset iniusta, vt docet Nauarr. *d. q. 3. n. 16.* Hanc conclusionem tenent contra authores primæ sententiæ omnes authores secundæ, & Honcala *opusc. 2. de reddit. c. vltimo.* Gregor Lopez *p. 1 tit. 6. l. 53. vers. que los paguen.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 10. n. 55. 56. 57.* Auend. *respons 19. num. 15.* & alij.

11 Septima conclusio. Probabilius est, talem consuetudinem excusare clericos testantes ad vsus pios, etiam in magna, & quantacunque quantitate, de redditibus Ecclesiasticis. Ratio, quia prohibitio testandi Clerici ad vsus pios est merè de iure humano; ergo potest consuetudine in hoc derogari. Item, quia hoc non est onerosum Ecclesiæ, sicut onerosum non esset, & iniuriosum, si Clericus omnes redditus Ecclesiasticos in vita distribueret in vsus pios. Hanc conclusionem, quoad primam partem, tenent omnes authores primæ, & secundæ sententiæ, & citati in sexta conclusione: quoad secundam verò est contra authores secundæ sententiæ; sed tenent eam authores primæ, & Honcala, Auendaño, Gregor. Lopez, Molina *ibidem*, & Nauar. *opusc. de reddit. q. 3. n. 10.* omnes enim isti absolutè concedunt, posse Clericos, vbi est consuetudo, testari de redditibus, & non limitant, modò testentur in modica quantitate. Idem tenent quidam docti recentiores in suis scriptis.

12 Hinc infertur in nostra Hispania, iure optimo posse omnes Clericos, qui Episcopi non sunt, testari de redditibus Ecclesiasticis (intellige, vt dixi, ad vsus pios.) Ratio, quia est consuetudo præscripta, & quæ in hac parte ius derogauit. Sic testantur lex regni citata, Cou. Perez, Simancas, Sarmiento, Molina, Honcala, Greg. Lop. Auendaño, & Nauarr. *opusc. de reddit. quæst. 3. num. 16. fine*, dicit hoc ita credi posse.

13 Tandem tria notanda sunt. Primum est, iusta extrauagantem quandam Iulij Tertij videri intelligendam hanc conclusionem de fructibus, & redditibus tempore mortis perceptis à beneficiato: secus verò de iis redditibus, qui sibi tempore mortis debebantur, non tamen eos perceperat, nec sibi iam soluti erant. Nam illa extrauagans iubet, vt debita beneficiati, quæ tempore mortis reperiuntur, non soluantur ex redditibus Ecclesiasticis

Universidad de Deusto
Biblioteca



debi i beneficiato, qui sibi nondum soluti erant. Verùm ista extrauagans recepta non est, vt testatur Nauarr. *lib. de reddit. q.* 2. 38. & prædicti recentiores.

14 Secundò nota, quòd vbicunque viget, & obseruatur illa consuetudo, scilicet vt post mortem beneficiati fructus primi, vel secundi anni sequentis seruentur ipsi beneficiato defuncto, intelligitur non ad hoc, quòd hæredes fruantur, vel in vsus aliospro fanos conuertantur; sed ad hoc, vt soluantur defuncti debita, vel pro anima ipsius in pauperes, vel alias pias causas expendantur. Quare hæredes beneficiarij non poterunt sibi hos fructus accipere, nisi pauperes sint, per viam eleemosynæ, vel nisi tantundem expendissent de suis bonis in soluendis defuncti debitis, vel aliis piis operibus pro defuncto: patet hoc ex dictis. Ita Nauarr. *opusc. de reddit. q.* 3. *n.* 12. citans aliquos, & prædicti recentiores, & hoc est tenendum, licèt aliqui, quos refert, & sequitur Couar. *d. c. cum in officiis, num.* 9. dicant contrarium, asserentes, consanguineos, & alios hæredes posse in eis succedere, & beneficiarium ipsis relinquere.

15 Vltimò nota, inter opera pia, ad quæ possunt Clerici testari, intelligi quæ relinquit cognatis, aut seruis tanquam pauperibus. Item quæ sunt necessaria ad soluendũ debita defuncti, & exequias, &c. sicut dixi *supra dub.* 38. & aliquibus sequentibus, posse in vita disponere. Nauar. *q.* 3. *n.* 13. 14. *& q.* 2. *n.* 38. Sylvest. *Clericus* 4. *q.* 3.

## DVBIVM LI.

*An Episcopi testari possint de redditibus Episcopatus, saltem ad pias causas.*

1 SIt prima conclusio. De bonis patrimonialibus bene possunt Episcopi testari, & ea cuicunque relinquere. Hæc conclusio potest probari eadem ratione, qua probata est conclusio secunda dubij præcedentis: & omnes Doctores pro illa citati faciunt pro ista, & tenet expressè Cou. *c.* 1. *de testam. n.* 3. referens plures, & aliquos textus, qui oppositum docere videntur, explicat: & Molina *lib.* 1. *de primogenitis, cap.* 10. *num.* 27. & quidam neoterici in suis scriptis.

2 Notahic quòd dum aliquid ex propriis bonis expendit Episcopus in Ecclesiæ vtilitatem, potest de tanta redditum Episcoparus quantitate in quosuis vsus testari. Ita iidem Doctores, qui citati sunt *conclusione 4. dubij præcedentis*, & paret eadem ratione.

3 Sed dubitatur de acquisitis per Episcopum, ex propria tamen industria post dignitatẽ adeptam, an sint eiusdem, ita vt liberè de eis valeat testari. Quidam dicunt non posse, quia *auth. licentiam, C. de Episcopis, & clericis*, dicitur Episcopo acquiri bona post dignitatem ei aduenientia à cognatis, cæteris bonis Ecclesiæ reseruatis, & *c.* 1. *de testam. & c.* 1. 12. *quæst.* 5. tantùm permittitur Episcopis de bonis ante dignitatem acquisitis testari. Sic tenet Richard. 5. *dist.* 45. *art.* 3. *quæst.* 1. Iacobus Buttio *l. sacrosanctæ, C. de Episcop. & cleric.* Barb *cap.* 1. *de testam.*

4 Sit secunda conclusio. Probabilius est, posse Episcopos de talibus bonis ad quosuis vsus testari. Patet, quia talia bona propria industria, & labore acquirunt, & sic sunt illorum absoluti domini absque vllo pacto tacito, vel expresso conuertendi in pios vsus, nec aliquo iure prohibentur de iis testari: ex eo enim à canonibus talia bona Ecclesiæ adiudicãtur, quia præsumitur ex bonis Ecclesiæ adquisita fuisse. Ita tenet Turrecrem. *c nulli dub.* 12. *q.* 5. *n.* 2. Couar. *cap.* 1. *de testam. n.* 11. Sylvest. *Clericus* 4. *q.* 6. Angel. *Clericus* 13. *n.* 5. Panorm. *c.* 1. *de testam. fin.* Cornelius, & Socinus, à Couar. citati, & prædicti neoterici.

5 Tertia conclusio: Certissimum est apud omnes, non posse Episcopos testari de redditibus Episcopatus, etiam ad pios vsus, absque facultate Papæ. Ratio, quia id iure ipsis prohibetur, *c. Episcopi, c. sint manifestæ* 12. *q.* 1. *c. quia Ioannes, & c. sixum*, 12. *q.* 5. *c.* 1. *c. ad hæc, c. cum in officiis, c. relatum, el* 2. *de testam. auth. licentiam, C. de Episcop. & clericis*; nec est consuetudo in contrarium, vt omnes, quos *dub. præced.* retuli, dicentes, eam esse de aliis Clericis consuetudinem, testantur. Ratio autem, quare ius Episcopis, & Clericis de his redditibus testari interdixit, est, vt scientes, non posse in morte per testamentum disponere, incitarentur ad illâ pauperibus distribuendum in vita, & sic fugerent auaritiam.

6 Quarta conclusio. Priuilegia, quæ Papa Clericis concedit ad testandum, intelliguntur quantum ad vsus pios, non tamen profanos. Ratio, quia intelligenda sunt rationabiliter. Item, quia in dubio non est credendum, Papam voluisse peccare; peccaret tamen, si ad vsus profanos concederet. Item quia, cùm sint contra ius commune, in dubio sunt restringenda. Ita Barba, & Cardin. quos refert, & sequitur Nauar. *opusc. de reddit q.* 3. *num.* 20 Molin. *lib.* 2. *de primog. c.* 10. *n.* 30. Immò hoc est verum, licèt priuilegium dicat, vt possit ad quoscunque vsus testari: nisi expressè dicat, *ad profanos*: patet eadem ratione. Sic Barba, Cardin. Nau. & prædictus Magister *ibi*, & fuit Molin. dicit enim, requiri, vt expressè concedat ad profanos.

7 Quinta conclusio. Si Papa concedat Clericis facultatem ad testandum, siue ad vsus pios, siue ad profanos, siue cum causa, siue sine illa, valet, & testamentum erit validum, & sic hæredes, vel legatarij in tali testamento constituti non tenebuntur restituere. Ratio, nam seclusa prohibitione testandi, si ipsi testarentur ad vsus profanos, licèt peccarent, tamen verè dominium transferrent, nec accipientes tenerentur restituere, sicut si in vita prodigè donarent, cùm sint veri domini; sed prohibitio testandi est de iure humano, & licèt ad vsus profanos sit de iure diuino, id tamen est, quoad licitè fieri, non tamen, quoad dominij translationem; sed dispensatio Papæ in iure humano, etiam absque causa, est valida; ergo. Hanc conclusionem, quo ad illam partem, quando absque causa dispensaret ad pios vsus, tenet Nauar. *dist. quæst.* 3. *num.* 17. dicitque, non esse tunc peccatum mortale (quamuis peccatum esset, quia absque causa dispensaret in iure humano.) Eandem tenet conclusionem vniuersaliter, etiam quoad vsus profanos, Couar. *c. cum in officiis, de testam. n.* 7. & prædicti recentiores, dicentes, ita esse tenendum, iuxta sententiam asserentem, Clericos esse dominos reddituum.

8 Sexta conclusio. Si sine causa concedat Papa talem facultatem ad vsus profanos, peccat tam ipse, quàm tali facultate vtens. Ratio, quia est ius diuinum præcipiens expendi tales redditus in vsus pios. Sic Couar. *n.* 21. & prædicti recentiores, dicentes, esse peccatum mortale.

9 Septima conclusio. Ex graui causa potest Papa licitè concedere talem facultatem ad vsus profanos, vt, si fiat pro graui vtilitate Ecclesiæ, vt, quia est vir nobilis aliàs de Ecclesia benemeritus, vel à quo vtilitas Ecclesiæ speratur. Sic Cordub. *lib.* 1 *quæst.* 18. *ad* 1. *&* 2. quia (vt dixi *suprà*) hoc præceptum, licèt diuinum sit, est tamen per Papam dispensabile. Molin. *vbi suprà*. Idem tenuit Nau. *d. n.* 21. dicit enim, peccare in tali dispensatione, vbi sine causa fieret, vbi innuit, non peccare, si cum causa iusta dispensaret. Aliam limitationem ponit huic conclusioni Cordub. *ibi*, scilicet modò non concedatur facultas testandi de talibus redditibus in notabili quantitate, ita, vt sit valde onerosa Ecclesiæ, vel pauperum necessitatibus subueniri nequeat, vel in notabilem cultus diuini diminutionem.

10 Vltima conclusio. Papa potest licitè testari de suis redditibus ad vsus pios, non tamen potest licitè ad vsus profanos: sed tamen si ad vsus profanos testetur, valebit dispositio, & testamentum. Patet prima pars, quia id solo iure humano prohibetur, quod Papam non obligat. Patet secunda pars, quia id iure diuino prohibetur; & vtram partem docet Nauar. *dicta q.* 3. *n.* 18. Patet tertia pars ex dictis in quinta conclusione. Quòd si obiicias, Papam succedentem non admittere legata, etiam ad vsus pios prædecessoris, respondet Nauar. *num.* 19 id iustificari posse ex eo, quòd Papa commutare potest legata ad vsus pios, ad alios vsus pios, vel suos ita necessarios, vt dici possint pij.

DVBIVM



## DVBIVM LII.

*An si Episcopi, vel alij clerici, obtenta à Papa testandi facultate, testentur, & postea istud testamentum reuocent, possint iterum testari.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet, non posse iterum testari. Ratio, quia in odiosis, & onerosis simplex concessio solum priorem actum respicit, *c. non potest, §.* 1. *de præbend. in* 6. *& l. doctis promissio. ff. de iure dotium.* Sed hæc concessio, & facultas est odiosa, quia contra ius commune: ergo. Ita tenent Couar. *c. cum in officiis, de testam. n* 8. Philipp. Decius *consil.* 512. Socinus iunior *cons.* 89. *volum.* 1. Tiraquel. *l. boues, §. hoc sermone, ff. de verbor. signific. n.* 126.

2 Secunda sententia tenet posse iterum testari. Ratio, quia priuilegium debet intelligi secundùm naturam materiæ, super quam conceditur, *l. in contractibus, §. finali, C. de non numer. pecunia, & l. si vno ff. locati.* Sed natura testamenti est, vt, quamdiu testator viuit, reuocari possit, & iterum firmari: ergo priuilegium testandi intelligi debet ea lege, vt, quoties testator reuocauerit prius testamentum, possit iterum testari: vnde regula illa intelligitur, scilicet in odiosis simplex concessio respicit solum primum actũ, quando primus actus aliquem habuit effectum, qualem non habet testamentum vsque ad testatoris mortem. Ita Nauarr. *opusc. de reddit. q.* 3. *n.* 23. 24. Sarmiento *lib. de reddit. part.* 4. *c* 4 *n.* 3. Molina *lib.* 2. *de primog. c.* 11. *n.* 45. Tello *l.* 4. *Tauri, n.* 6. vbi addit, oppositam sententiam nullum iuris saporem habere, & probat latè vsque ad *numerum* 13. licèt *eo n.* 13. hoc cogitandum relinquat propter authoritatem oppositum sentientium. Et hæc, vt multò probabilior, est amplectenda. Item Tello *l.* 35. *Tauri, n.* 1. Matienzo *lib. ordinam. tit.* 4 *l.* 9. *glossa* 1. *n.* 3.

3 Hic esset disputandum, an potestas testandi, concedentis morte expiret: sed de hoc *lib.* 8. *de matr. disp.* 28. *n.* 82.

## DVBIVM LIII.

*An saltem possint Episcopi mortis vicini de redditibus Ecclesiasticis disponere via donationis ad vsus pios.*

1 RAtio dubitandi, quia idem videtur Episcopos vicinos morti hæc bona donare, & de ipsis testari: & ratio, quare hoc prohibitum est, scilicet, ne auarè bona seruent, scientes, posse in morte testari, procedit, si tunc donare possint.

Duplex est sententia.

2 Prima tenet, posse donare ad pios vsus, verùm in modica quãtitate. Ratio, quia *c. ad hæc, de testam.* dicitur, posse Clericum morbò laborantem donare redditus Ecclesiasticos, modò in hac donatione moderamine vtatur. Ita tenent Anchar. Panorm. Immola, & Barbat. *dict. c. ad hæc* (vt eos explicat Sarmiento *lib. de reddit. 2. part. cap.* 8. *n.* 7. vbi carpit Couarruuiam, eo quòd pro contraria sententia eos allegat.) Idem videtur sentire Couar. *c. cum in officiis, de testam. n.* 5. & Rosel. *Clericus* 4. *n.* 1.

3 Secunda sententia tenet, posse donare in quauis quantitate ad vsus pios.

4 Insuper dubium est, an, vt talis donatio valeat, requiratur, vt talis Episcopus tradat bona in vita, vel sat sit post mortem fieri traditionem. Duplex est sententia.

5 Prima tenet, oportere fieri traditionem in vita. Ita Ioan. Andr. Cardin. & Barbat. *dicto c. ad hæc.* Idem videtur tenere Couar. *dict. n.* 5. Idem videntur tenere Panorm. *dicto c. cum in officiis*, & Sylvest. *Clericus* 4. *quæst.* 3. & Ang. *n.* 2. dicit enim Panor. quem Sylvest. & Ang. ad pedem literæ sequuntur, valet donatio, modò beneficiatus actualiter donet in vita, & non relinquat donandum post mortem, non enim valet.

6 Secunda sententia tenet non requiri talem traditionem. Sit

Prima conclusio. Probabilius est, talem Episcopum laborantem morbo, mortique vicinum, posse inter viuos donare ad pias causas quantamcunque ex redditibus Ecclesiasticis quantitatem. Ratio, quia ex eo, quòd Episcopus sit æger, vel sanus, non impedit, quominus suam exequatur obligationem, sed tenetur tales redditus in pios vsus distribuere; ergo etiã æger potest hanc explere obligationem. Item, quia valde absurdũ esset, vt redditus Ecclesiasticos, qui pauperibus largiẽdi sunt, non posset æger donare pauperibus donatione inter viuos, cùm tunc id animæ suæ magis conueniens sit. Item, quia tantùm interdicitur Episcopis testari, sed non est eadem ratio de donatione inter viuos, quia hæc statim valet, nec reuocari potest, at testamentum solùm valet post mortem; ante eam enim reuocari potest. Et ad dictum cap. *ad hæc*, quod huic conclusioni repugnare videtur, respondent Nauar & Molina *vbi infrà*, consule ipsos. Hanc conclusionem tenent Nauar. *opusc. de reddit. q.* 1. *n.* 86. *&* 87. Molina *lib.* 2. *de primog. c.* 10. *n.* 40. 42. Sarmiento *lib. de reddit. part.* 4. *n.* 7. 8. additque *ibi*, si fiat in vsus profanos, non valere, non quod eo tempore potestas donandi deficiat, sed quia præsumitur in fraudem fieri. Eandem sententiam videntur tenere plures alij, qui absolutè dicunt, valere talem donationem, & non limitant, modò sit in parua quãtitate. Hi sunt glossa 12. *q.* 1. *vers proprietatem.* Richard 4. *dist.* 45. *art.* 3. *q.* 1. D. Ant 3 *p. tit.* 10. *c.* 3. §. 14 Gab. 4. *dist.* 15. *q.* 8. *art*, 3. *dub* 9. Ang. *Clericus* 13. *n.* 2. Sylu. *Clericus* 4 *q.* 3. & hanc conclusionem tenent etiam Turrecr. *c. nulli dubium*, 12. *q.* 5. *n.* 2. Arm. *verbo Cleric. n.* 18 & docti recentiores *in suis scriptis*.

7 Nota hic, quòd, cùm talis donatio inter viuos sit, requirit, vt sit valida, conditiones quas materia de donatione dicam requiri, vt donatio valida sit, scilicet, vt ab aliquo acceptetur, vt fiat in quantitate, quæ potest donari: & vt sit irreuocabilis, aliàs non erit donatio inter viuos; quando verò istæ conditiones, & quomodo requirantur, & an ad causas pias sint necessariæ, consule materiam *de donatione*.

8 Secunda conclusio. Probabilius est, non requiri, vt talis donatio sit valida, interuenire rei donatæ traditionem antè mortem Episcopi. Probatur, quia donatio inter viuos non perit rei donatæ traditionem, vt valida sit, *l. si quis argenium, C. de donationibus*; ergo, cùm ista sit vera inter viuos donatio, id non exigit, maximè cùm ad vsus pios fit; nec Doctores oppositi pro se textum afferunt; nec Pan. & per consequens nec Angel. & Sylu. tenent, exigi istam traditionem: sed sensus eorum est, teste Nauarr. esse necessarium, donationem fieri, Clerico viuente. Hanc conclusionem tenet Innoc. *dict. c. ad hæc* Nau. *dicta q.* 1. *n.* 89. prædictus Magister *ibi*, fauentque reliqui Doctores citati, qui asserunt, talem donationem validam esse, nec apponunt moderationem hanc, scilicet modò interueniat traditio.

9 Vltima conclusio. Non potest Episcopus donare aliquid de redditibus Ecclesiasticis donatione causa mortis (quid sit donatio causa mortis, consule *lib.* 1. *de matrim. disp.* 5.) Ratio, quia ista donatio reuocabilis est: & sic eadem est ratio prohibitionis testamenti, & donationis causa mortis. Quare in vniuersum est verum, eum qui testari non potest, non posse causa mortis donare, dempto quodam casu filij familias, vt latiùs in materia *de donatione*, & docet Sylvest. cum aliis, *verbo donatio*, 4. *q.* 4. sic tenet præfatus Magister *ibi*.

## DVBIVM LIV.

*Qui succedant Clericis ab intestato.*

1 NOta in bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, certum esse succedere consanguineos, qui secundùm ius ab intestato succedere solent aliis laicis. Ratio, quia ista censentur propria, & nullum onus annexũ habent, & de illis possunt Clerici tã in vita, quàm in morte liberè disponere, vt paret ex dictis. Ita Angel. *Clericus* 13. *n.* 13. Honcala *opusc.* 2. *de rebus Ecclesiast. cap. vltimo.* Rosella *Clericus* 4. *n.* 7. Sylvest. *Clericus* 4. *q.* 17. & alij docti

Universidad de Deusto
Biblioteca



recentiores. Addúntque Sylueſt. Angel. & Roſella, de iure, ſi non habeant eos conſanguineos, qui ab inteſtato ſuccedere ſolent, ſuccedere Eccleſiam ab inteſtato, etiam in iſtis Clericorum bonis, per *c.2.de ſucceſſ.ab inteſtato.*

2 At de redditibus beneficiorum, ſtando in iure, non ſuccedunt conſanguinei: vt latè per Sylueſt. *Clericus 4. q. 17.* conſule *ibi*, qui ſuccedant ſtando in iure. Cæterùm in Hiſpania generali conſuetudine iam recepta, etiam in iſtis redditibus, ſuccedunt Clericis non Epiſcopis ab inteſtato cognati, qui de iure ab inteſtato ſuccedere ſolent aliis laicis. Ita Couar. *c.cùm in officiis, de teſtam.n.8.* Sarmiento *lib.de redditibus, 2.p.c.6.n.1.& c.8.n.1.& 4.p.c.1.n.8.* Simancas *lib.inſtit.tit.9.n.90.* Perez *lib.5.ordinam.tit.3.l.2. fol.115.& lib.5.tit.2.l.1.fol.103.verſ. Quinta regula,* & iubetur ſeruari hanc conſuetudinem *lib.5.ordinam.tit. 8. l. 13.* additque Perez, ſi non habeat cognatos, ſuccedere Eccleſiam.

3 Sit concluſio: Probabilis opinio eſt, poſſe in Hiſpania conſanguineos ſuccedere Clericis non Epiſcopis, etiam in redditibus Eccleſiaſticis ab inteſtato, propter vniuerſalem Hiſpaniæ conſuetudinem, modò conſanguinei verè egeant, ſaltim quantum ad ſtatum, vel habeant animũ ea bona in pauperes expendendi, vel pias alias cauſas. Ratio, quia, quantùm ad hoc, conſuetudo non eſt irrationabilis, & ita potuit iuri humano aliud circa hanc ab inteſtato ſucceſſionem diſponenti derogare; non tamen liceret ea bona in vſus profanos expendere, quia, quoad hoc conſuetudo eſſet irrationabilis, iurique diuino aduerſa. Probatur, quia in vita ipſius beneficiati id non poſſunt facere cognati, ex donatione & conſenſu expreſſo ipſius; ergo nec in morte, ſiquidem non plus iuris habent per ſucceſſionem, quàm per donationem. Item, quia de penſionibus authores fatentur, etiam ex conſenſu beneficiati, & Papæ facultate, non poſſe concedi laicis, niſi vel ob benemerita, vel ob cauſam aliquam piam, & non ad quoſuis vſus profanos, quia ſunt redditus Eccleſiaſtici ergo. Hanc concluſionem poſuit quidam doctus Magiſter ex neotericis in ſuis ſcriptis, & colligitur ex omnibus ſuprà dictis.

4 Vtrùm autem Epiſcopi, & beneficiati Religioſi poſſint de redditibus Eccleſiaſticis, quos habent, diſponere ſiue in vita, ſiue in morte; ſiue via teſtamenti, ſiue via donationis dixi latè *lib.6.ſummæ, c.6.a n.7.vſque ad 14.& lib. 7.c.32.à n.62.* dixi, ad quem pertineant bona acquiſita à Religioſo creato Epiſcopo, vel Cardinali, aut tranſlato ad aliud beneficium, aut habente penſionem, aut tranſlato ad diuerſi ordinis monaſterium, vt ſuperior illius ſit.

## DVBIVM LV.

*An ſi Prælatus conferat alicui beneficium, putans illum ſanctum, & caſtum eſſe, cùm non ſit, teneatur accipiens beneficium reſignare.*

1 QVidam aſſerunt, teneri reſignare, ſi beneficium obtinendi gratiâ ſanctitatem finxerit, ſecus ſi is animus abfuerit; quia hoc caſu, licèt recipiens iniquus ſit, at obtinendi modus vitio vacat. In ſuper dicunt, ſi Prælatus Clerico beneficium contulerit ob turpem cauſam, ſcilicet, quia rem habuit cum ſorore, teneri Clericum, veritate comperta, beneficium reſignare. Hanc ſententiam tutantur Alenſ. *4.part.q.86.membr.3.art.2. ad 1.* Sylueſt. *reſtituio 3.q.10.dicto 1.* Sit tamen

2 Prima concluſio. Licet Clericus beneficium obtinendi gratiâ ſanctitatem ſimularit, non tenetur beneficium hac ratione ſibi collatum reſignare. Ratio, quia collationes beneficiorum ambigere non licet, quin abſolutè ſiant, & ſine conditione, ſicut ſacramentorum diſpenſationes, aliàs nihil eſſet in Eccleſia firmum, nec ſolidum. Vnde, qui ſub conditione hac beneficia largiretur, non faceret quod intendit Eccleſia. Quare ſanctitas illa putata ſolùm eſt cauſa motiua. Ita Sotus *lib.9. de iuſt.q.7. art.3. ad 4.* Metina *q.24.de reſt. ſub finem* Adrian. *4. mat. de reſtit.q. Conſequenter quæro vtrùm indiſtinctè, in ſolut. ad 1.* Hentiq. *lib.7.de indulg.cap.35.n.5.* Manuel *in Bulla compoſitionis. num.48.*

3 Secunda concluſio. Eſto ſanctitas illa ſimulata finalis, ac principalis collationis beneficij cauſa eſſet, non tenetur recipiens reſignare, ſi idoneus ſit, & nõ plus illis, quàm aliis Clericis fuerit debitum beneficiũ illud. Ratio, quia tunc tenetur quis reſtituere collatũ ſibi finaliter ob cauſam falſam, quando id aliàs non erat debitum; at hoc beneficium aliàs erat debitum Clerico huic, licèt non plus ipſi, quàm aliis: ſicut, ſi alicui certa pecuniæ ſumma pauperibus eroganda committatur, & partem alicui conferat ob conſanguinitatem ab illo ſimulatam tanquam ob finem, qui tamen verè pauper eſt, non tenetur reſtituere; quia ratio veræ paupertatis eſt ſibi debita, licèt æquè aliis. Ita in præſentiarum contingit. Ita Metina *ibi.*

4 Vltima concluſio. Etiamſi Clerico illi beneficium ob turpem cauſam contulerit Epiſcopus, v.g. quia habuit rem cum ſorore ipſius, non tenetur Clericus, veritate comperta, beneficium reſignare. Ratio, quia aliàs debetur ſibi, eo quòd dignus eſt. Ita Metina *dict.q.24.fine.*

## DVBIVM. LVI.

*Vtrum poſſit filius Clerici ex illegitimo matrimonio nati beneficium obtinere, quod vel pater obtinuit, vel in eadem Eccleſia, in qua pater, obtinet beneficium.*

1 NOta quòd, licèt hoc interdictum fuerit *c.1. & 2. de filiis præsbyt.* at arctiùs id interdicitur Concilio Trid. *ſeſſ.25.c.15.de reformat.* vide de hoc *cap.1. de accept. ſenſ.dub.15.* Sit

2 Prima concluſio. Poſt huius decreti Concilij Trid. publicationem non poterit quis beneficium Eccleſiaſticũ acquirere in Eccleſia, in qua eius pater beneficiũ aliquod obtinuit, etiam ſi beneficium ſit diſſimile. etiamſi pater Clericus ante hoc decretum è viuis diſceſſerit, & prius quam filio Clerici fuerit beneficij facta collatio. Patet ex eodem decreto, in quo dicitur: *vbi eorum patres beneficii, etiam diſſimile habent, aut habuerunt.* Immò nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, neque penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere eis licet, ex dicto decreto Concilij. Sic Conarr. in quibuſdam annotationibus circa Trid. quas, cũ obiit, propria manu ſcriptas reliquit.

3 Secunda concluſio. Poterit quis, etiam poſt huius decreti publicationem, beneficium, quod pater nunquam obtinuit, retinere, etiam in ea Eccleſia, in qua pater beneficium aliud, quamuis ſimile, obtinuerat: modò ante huius decreti ſanctionem, vel intra tres menſes ab eius vinculo pater obierit. Probatur, quia Concilium, dum dicit, *non liceat*, &c. loquitur, vt in poſterum id non licere ſignificet in his, in quibus nouũ ius hoc decreto inducitur; de collationibus verò legitima diſpenſatione factis ante Concilium patri Clerico, & filio in eadem Eccleſia tantùm decernit, vt intra tres menſes non ſimul ſint in eadẽ Eccleſia pater, & filius: ergo ſi ante hoc decretum Concilij, vel ante tres menſes ab eius vinculo pater moriatur, poterit filius retinere beneficium, quod in eadem Eccleſia ante Concilium obtinuerat, iam enim ſeruatur intentum Concilij; ne ſcilicet intra illos tres menſes pater, & filius ſint in eadem Eccleſia miniſtrantes. Sic Couarruu. *vbi ſuprà* licèt Nauar. *c.ſi quando, de reſcript. in auctario, n. 11.12.* oppoſitum renear.

4 Tertia concluſio. Si pater & filius, & etiam ex titulis hoc decretum præcedentibus, in eadem Eccleſia duo beneficia modò obtinent, etiam diſſimilia, cogitur filius proprio renunciare beneficio, aut cũ alio permutare extra illã Eccleſiam intra trium menſium ſpatium, aliàs ipſo iure eo beneficio priuatus exiſtit: & hoc non obſtante quacunque diſpenſatione. Probatur, nam cùm diſpenſatio neceſſario requireretur ante Concilium, vt patet & filius beneficium haberent in eadem Eccleſia, vt patet ex *cap.1.*



*cap.1.& 2.de filiis presbyt.* & decretum hoc præſupponat collationes validas fuiſſe (ſi quidem de inualidis non opus erat quidquam nouo iure ſtatuere) ſat conſtat, hoc decretum his diſpenſationibus tacitè derogare. Sic Couar. *vbi ſuprà.*

5 Nota, idem eſſe dicendum, & maiori ratione, ſi pater & filius iure coadiutoriæ idem beneficium, etiam ex titulis hoc decretum præcedentibus, obtineant; cogitur enim filius iuri coadiutoris renunciare. Couar. *ibidem.*

6 Quarta concluſio. Si pater velit vel renunciare proprio iuri, vel beneficium, quod obtinet, dimittere; poteſt hoc admitti, nec filius tenebitur tunc renunciare: licèt enim hoc decretum Concilij iubeat, vt filius renunciet, at huius decreti ea fuit mens, quòd pater, & filius ſimul in eadem Eccleſia non miniſtrent: quod optimè ſeruatur, quouis eorum renunciante. Sic Couar. *vbi ſuprà.*

7 Quinta concluſio. Si pater beneficium obtinuit in Eccleſia, in qua priùs filius beneficium, etiam diſſimile, canonico titulo obtinuerat, ac tempore huius decreti, vel pòſt vterque miniſtret in eadem Eccleſia, dubio procul cogendus erit pater beneficium dimittere, non verò filius: hoc enim decretũ ideo vult cogi filium beneficium dimittere, quia illud contra honeſtatem publicam, quam veteres canones ſeruandam eſſe cenſuerunt, in eadem Eccleſia, in qua pater miniſtrabat, obtinuit: atque hoc eſt, quod toto decreto Concilij maximè improbatur; ergo ſi filius canonico titulo abſque vlla veterum canonum læſione, & abſque vllo publici decoris detrimento beneficium obtinuit, illi imputanda non eſt parentis culpa, qui poſtea aduersùs Eccleſiaſticam diſciplinam, & publicum decorem beneficium obtinuit in ea Eccleſia, in qua filius miniſtrabat iure communi. Sic. Couarr. *vbi ſuprà.*

8 Vltima concluſio. Si filius ante huius decreti vinculũ obtinuit beneficium, quod pater obtinuerat diſpenſatione legitima Papæ, ſic tamen quod pater in eadem Eccleſia non miniſtret cum filio; aut ſi ante hoc decretum, vel eius publicationem patre, & filio ſimul miniſtrantibus, pater tempore, quo hoc decretum promulgatũ eſt, obiit, non eſt cogendus filius hoc beneficium dimittere; habet enim canonicum titulum ab hoc decreto non improbatum. Sic Couar. *vbi ſuprà.*

9 Ex his colligitur, hoc Concilij decretum futuras beneficiorum collationes improbare, non verò præteritas: & præteritis collationibus eo tantùm caſu derogare, quo pater, & filius poſt hoc decretum in eadem Eccleſia miniſtrent, nec tunc collationem præteritam nullam eſſe cenſet, ſed filium cogit, vel permutare beneficium, vel illi renunciare. Diſpenſationes verò futuræ ſubreptitiæ ſunt cenſendæ, quoties fuerint contra hoc decretum obtentæ, vel aliquam eius partem: præteritæ verò, & illæ, quæ ante hoc decretum ſunt impetratæ, tunc non proderunt, cùm pater, & filius ſimul in eadem Eccleſia virtute illarum miniſtrare velint: priores enim expreſsè hoc decreto abrogantur; poſteriores verò reſtringuntur, itaut non poſſint ſimul pater, & filius in eadem Eccleſia miniſtrare. Sic Couarr. *vbi ſupra.*

## DVBIVM LVII.

*An qui legitimo titulo carens habet poſſeſſionem beneficij, ſi poſtea per diſpenſationem auferatur impedimentum, poſſit fructus, quos perceperat tempore, quo erat incapax, retinere.*

1 SEnſus huius dubij eſt, an quando ille, qui obtinuit beneficium, erat irregularis, vel excommunicatus, vel aliud habebat impedimentum, ratione cuius erat incapax beneficij, ſi poſtea, detecto Pontificij impedimento, obtineat diſpenſationẽ inſillo, & nouã beneficij collationẽ, poſſit retinere fructus perceptos tẽpore, quo erat incapax.

2 Sit concluſio. Poteſt optimo iure fructus illos beneficij retinere. Ratio, quia fructus, quos percepit abſque legitimo titulo, perinde ſe habent, ac ſi beneficium eſſet vacans, quia nullus habebat legitimum titulum huius beneficij, ac proinde hi fructus proueniunt huic, cui conferturtitulus beneficij, quaſi nouo beneficiatio: nec requiritur alia diſpenſatio, vt poſſit fructus retinere; ſed per hoc, quòd conceditur, vt poſſit beneficium retinere, conceditur ſubinde etiam, vt & fructus perceptos. Sic tenet Speculator *1.p.lib.1.§.dicendum reſtat de diſpenſatione ſuper pluralitate beneficiorum, n.22.* Nauarr. iunior in lectura, quam habuit Salmanticæ ſuper *c.dudum, de præbend.* quem retulit, ac ſequutus eſt Henriquez *in ſuis ſcriptis,* Sylueſt. *beneficium 5.initio,* vbi dicit, fructus beneficij vacantis reſeruati ſucceſſori, & Lambert. *de iure patron. lib. 2.p.1.art.7.n.2.* vbi dicit, dicens eſſe Inn. & omniũ quòd, nemine poſſidente beneficium vel poſſidente mala fide, fructus pertinent ad proprietarium: & Nauarr. *lib.5. conſil.tit.3.de ſimonia, conſil.15.* dicit, quando beneficium vacat de iure, licèt non de facto, fructus pertinent ad eum, qui primò illud canonicè obtinebit.

---

*De obligatione recitandi horas canonicas ratione beneficij Eccleſiaſtici.*

SVMMARIVM.

58. *An habens beneficium Eccleſiaſticum teneatur recitare horas canonicas.*
59. *An habens præſtimonia teneatur ad horas canonicas.*
60. *An qui habet capellaniã, teneatur recitare horas canonicas.*
61. *An quando puero confertur aliquod beneficium, vel capellania collatiua ante decimumquartum annum ex Romani Pontificis ſupplentis ætatem diſpenſatione, teneatur ad recitandum horas canonicas.*
62. *An obtinens capellaniam collatiuam, vel quoduis aliud beneficium, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi per alium recitet.*
63. *An habentes penſiones teneantur recitare horas canonicas, vel aliquid aliud.*
64. *An coadiutor beneficiarij, qui ſcilicet partem fructuum beneficij percipit, vt ipſum beneficiarium coadiuuet, vel propter ipſius ſenectutem, vel infirmitatem, &c. teneatur ad horas.*
65. *An is, cui confertur beneficium in commendam, interim, quod alicui datur, teneatur ad horas.*
66. *An beneficiũ tenues redditus habẽs obliget ad recitandũ.*
67. *Quæ tenuitas reddituum beneficij excuſet ab obligatione recitandi horas canonicas, & quæ quantitas ſufficiens ſit ad recitandum.*
68. *An in capellaniis tenuitas hæc ſit attendenda reſpectu fructuum, qui ſuperſunt, dempta eleemoſyna, quæ dantur pro Miſſis, ad quas obligat capellania.*
69. *An quæda beneficia parua diœceſis Palẽtinæ, quæ vulgo vocant* Graderias, *obligẽt ad recitandũ horas canonicas.*
70. *An habens plura beneficia exigua, quorum quodlibet propter tenuitatem non obligaret ad horas, at omnia ſimul accedunt ad quantitatem, quæ ſufficit ad obligandum, teneatur ad horas.*
71. *An qui habet ſolum beneficij titulum, & ex eo nullos fructus percipit, teneatur ad horas canonicas.*
72. *An beneficiarius, qui fructus beneficij non percipit, quia non reſidet, & ſolum fructus dantur reſidentibus, teneatur ad horas.*
73. *An beneficiarius, qui fructus beneficij non percipit eo, quòd eſt excommunicatus, irregularis, vel ſuſpenſus, teneatur recitare.*
74. *An beneficiarius, qui eſſet ſuſpenſus à beneficio ad tempus v.g. damnatus per iudicem, vt non acquireret fructus vnius anni, an illo tempore teneatur ad horas.*
75. *An ſi ſtatuto, vel conſuetudine, vel alio priuilegio, vt ſit in aliquibus Eccleſiis Hiſpaniæ, vel Germaniæ, introductum ſit, vt primo anno nil penitus percipiat Canonicus, vel beneficiarius, licèt ſeruiat teneatur talis eo primo anno recitare.*
76. *An quando aliquis habet beneficium litigioſum, & ideo*

Universidad de Deusto Biblioteca

*non percipit fructus, teneatur recitare.*

77. *An quando authoritate Papæ datur alicui tantùm titulus beneficij, & alteri reseruantur fructus, ille, qui habet titulum sine fructibus, teneatur ad horas.*

78. *An in casibus his, quibus dubio præcedenti diximus, quòd habens solum titulum beneficij non tenetur recitare, teneatur ad horas canonicas pensionarius ille, qui recipit fructus.*

79. *An qui plura habet beneficia, teneatur toties horas canonicas recitare.*

80. *An scholasticus beneficiarius existens in studio, vel ex alia causa absens teneatur ad officium defunctorum, quod in sua Ecclesia dicitur.*

81. *An Clerici beneficiarij, qui non recitant horas canonicas teneantur fructus ex beneficio perceptos restituere, si ado in solo iure naturæ ante decretum Concilij Lateranensis.*

82. *An post Concilij Lateranensis decretum, & motum proprium Pij V. beneficiarij non recitantes, teneatur fructus beneficij restituere.*

83. *An beneficiarius non recitans teneatur fructus beneficij integrè restituere, vel tantùm fructus, qui correspondent recitationi, deductis fructibus, quos propter aliæ beneficij ministeria meretur.*

84. *Quantam partem obligabimus, vt restituat quilibet beneficiarius pro omissione horarum canonicarum.*

85. *An qui recitat officium diuinum sine vlla attentione, teneatur restituere fructus.*

86. *An habens beneficium, qui omittit horas canonicas absque peccato, teneatur fructus restituere.*

87. *Cui teneãtur restituere fructus beneficiarij non recitãtes.*

88. *An Canonici non recitantes horas teneantur restituere fructus fabricæ, vel pauperibus, vel potius aliis Canonicis.*

89. *An Canonici, qui choro non intersunt, lucrentur distributiones quotidianas, vel eas teneantur restituere.*

90. *An Canonici, qui choro non intersunt, propter morbum corporalem, lucrentur distributiones.*

91. *An quando Canonicus ex propria culpa incidit in morbum adhuc lucretur distributiones.*

92. *An Canonici, qui absunt ab officio diuino propter aliquã vrgentem necessitatem, vt quia ob pestem fugerunt, vel quia sunt vi detenti, vel iniustè excommunicati, vel expulsi sine sua culpa à ciuitate propter seditiones à contrariæ factionis hominibus, lucrentur distributiones quotidianas.*

93. *An Canonici, qui non intersunt diuinis officiis, negotiis Ecclesiæ suæ expediendis prædediti, lucrentur distributiones quotidianas.*

94. *An absentes à loco beneficij, eo, quòd sunt in Concilio generali, lucrentur distributiones quotidianas.*

95. *An Canonici existentes in studio, vel lectione Theologiæ, vel Episcopi, vel Papæ, lucrentur distributiones quotidianas.*

96. *An habens priuilegium à Romano Pontifice, vt seruiat canonicatui per vicarium, vel vt recipiat fructus tanquam si præsens esset, lucretur distributiones quotidianas, non assistens officiis diuinis.*

97. *An quando Canonicus excusatur à choro causa verè necessaria, at illa verè non impediuit absetiam à choro, teneatur restituere distributiones, v.g. cùm se excusat, vt radat barbam, vel, vt hospitem recipiat, quibus verè indiget, at ea non fecit tempore chori, sed nocte.*

98. *An Canonicus exiens à choro ante tempus, vel non veniens, fingens se habere certam causam ad id, cùm tamen non habeat, teneatur restituere distributiones*

99. *An Canonici assistentes horis, non tamen cantantes, teneantur restituere distributiones.*

100. *An Canonici, qui dum sant in choro non solùm non cantant, sed nec attendunt, immo confabulantur, dum chorus cantat: teneantur restituere distributiones quotidianas.*

101. *An canonicus, qui non recitat officium diuinum, nequè in choro, nec priuatim, si assistat in choro, teneatur restituere distributiones quotidianas.*

102. *An Canonici, qui intrando in chorum, indèque egrediendo constitutum signum punctim obseruant, ita vt nec antè egrediantur, nec post permaneant, teneantur restituere distributiones quotidianas.*

103. *An diebus, quos de recle vocant, concessis Canonicis, vt etiamsi horis nõ intersint, lucrentur distributiones, licitè eas acquirant, licet illas malè expendant, & absque iusta causa.*

104. *An Canonicus, qui per totum annum non residet, possit fungi diebus, quos vocant* de recle.

105. *An eadem assistentia requiratur in anniuersariis defunctorum ad ea lucranda, quam diximus requiri in distributionibus quotidianis.*

106. *An ei, qui interest diuinis officiis ratione duorum officiorum, vt si est Canonicus, & Decanus, debeantur duplices distributiones quotidianæ.*

107. *An concionator, cui dantur sex dies præcedentes concionem, vt possit abesse lucrans distributiones, possit illis diebus adesse, & loco illorum aliis frui.*

108. *An si cæteri Canonici remittant distributiones quotidianas non assistenti horis Canonicis, possit ille tuta conscientia non restituere.*

109. *An si Canonicus absens restituat distributiones quotidianas aliis Canonicis, quibus accrescunt, & ille distributiones iam restitutas reddant ipsi restituenti, possit talis Canonicus absens illas recipere.*

110. *An consuetudo inducta, vt Canonici non assistentes horis lucrentur distributiones quotidianas, eos excuset, quominùs distributiones perceptas absque assistentia teneantur restituere.*

111. *An huicusque dicta de distributionibus quotidianis locum habeant in Ecclesiis, vbi canonicatus nullos habent redditus, præter distributiones.*

112. *An Canonici non assistentes horis, nec recipientes quotidianas distributiones peccent.*

113. *An Episcopi teneãtur intereſſe officio diuino in Ecclesia.*

## DVBIVM LVIII.

*An habens beneficium Ecclesiasticum teneatur recitare horas canonicas.*

1 SIt prima conclusio. Habens beneficium tenetur ad horas canonicas: itaque sicut sacer ordo sine beneficio obligat ad horas, ita beneficium absque sacro ordine ad eas obligat. Hæc conclusio est omnium Doctorum, & licèt non sit expressa in iure; at apertè colligitur ex, *cap. finali 92. dist.* vbi habetur, quòd presbyter, aut Diaconus, vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus ad quotidianum officium tenetur. Vbi per verbum *deputatus*, intelligunt Doctores per titulum alicuius beneficij, vt distinguatur ab aliis membris presbyter, & Diaconus: facit etiam pro hoc *cap. fin. de rescript. in 6.* vbi sic dicitur, *Beneficium datur propter officium*, sed peculiare, & proprium clerici officium est soluere pensum horarum: ergo. Et tandem clarè habetur hæc conclusio in Decreto Concilij Lateranen. sub Leone X. *sess. 9. §. statuimus*, & in motu proprio Pij Quinti, quæ decreta refert Nauarr. summa Lat. *c. 25. n. 122.* & dicit Nauarr. *miscellanea 97. fine*, quòd nesciens recitare, potest differre acceptationem beneficij sibi collati, donec sciat recitare.

2 Secunda conclusio. Beneficia, quæ non dantur propter aliquod officium spirituale, sed propter temporale ministerium, non obligant ad recitandum, vt beneficium datum alicui, vt doceat Grammaticam, vel Theologiam, vel vt sit sacrista, vel pulset organa. Ratio, quia hi tituli sunt sæculares. Sic Nauar. *cap. quando, c. 7.* Lat. & Hispan. *n. 25. & 26.* Turrecr. *c. qui autem, num. 7. dist. 91.* Palacios *in summa verbo hora, & 4. dist. 15. disput. 9.* Sylvest. *verbo hora, quæst. 2.* Armill. *n. 2.* Tabien. *n. 3.* Palud. *4. dist. 15. q. 5.*

Pro



Pro eadem sententia apertè est Sotus *lib. 10. de iustit. q. 5. art. 3. vers. Secunda conclusio.* vbi hæc dicit, *Qui titulo sæculari decimas percipiunt, vt Reges, & equites, concionator, lector, non tenentur ad horas*; & alij.

3 Nota, hanc conclusionem limitandam esse, quando beneficium illud non exigeret assistentiam in choro diuinis officiis. Ratio, quia quando hanc exigit assistentiam, iam videtur titulo spirituali conferri. Sic Palud. Tab. Sylu. & alij.

## DVBIVM LIX.

*An habens præstimonia teneatur ad horas canonicas.*

DVplex est sententia.

1 Prima docet, non teneri. Ratio, tum quia in Concilio Trident. *sess. 23. c. 18* præstimonia distinguuntur à beneficiis, ibi enim sic dicitur, *Nec non beneficia simplicia, vel etiam præstimonia*; tum etiam, quia non sunt vera beneficia spiritualia, sed sunt velut quædam pensiones separatæ à pinguibus beneficiis pro sustentatione Pauperum scholasticorum, & hospitalium; ergo non obligant ad recitandum horas canonicas. Vnde quidam doctus admodum Magister neotericis dixit, se credere, quòd præstimonia hæc fundantur *in c. super specula, de magistris*, nam ibi præciptur, vt eligantur iuuenes habiles, & sumptibus Ecclesiæ incumbant litteris. Hanc docent Metina *C. de oratione, quæst. de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Cordub. *summa. quæst. 186.* Tardinel, quem refert, ac sequitur Palacios *4. dist. 15. disput. 6. fol. 145.* Gigas *de personibus, cap. 28.* & alij docti recentiores.

2 Secunda sententia docet, habentes præstimonia teneri ad horas. Probatur, quia præstimonia sunt verè, & propriè beneficia: quod patet tam ex vsu Ecclesiæ, & ex *cap. quoniam. de conces. præbendæ, lib. 6.* vbi inter alios titulos Ecclesiasticos, numerantur præstimonia. Et confirmatur, quia præstimonia dantur collatione Prælati, sicut alia beneficia. Item non possunt absquè simonia vendi, nec redimi; ergo. Et tandem hanc sententiam definit motus proprius Pij Quinti, quem refert Nauar. summa Latina *cap. 25. num. 122. & cap. quando*, latinè *cap. 21. n. 9.* Hanc docent Nauar. *ibidem.* Metina *lib. 1. instruct. cap. 14. §. 11.* Cord. *lib. 1. quæst. 21. sub finem.* Sotus *lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 3. vers. Secunda conclusio.* Oldradus *consil. 81.* Sandoual *lib. de offic. canonico, 5. p. cap. 5.* Suarez latè, & benè probans *tomo 2. de relig. lib. 4. de horis canonicis, c. 12. n. 8.* & alij docti iuniores.

3 Sit prima conclusio. Ante motum proprium Pij Quinti prima opinio erat probabilis, at post prædictum motum Pij Quinti erigentes præstimonia in vera beneficia Ecclesiastica, non licet dubitare de obligatione recitandi, vbenè probat Suarez citatus *n. 10.*

## DVBIVM LX.

*An qui habet capellaniã, teneatur recitare horas canonicas.*

1 NOta, duplices esse capellanias: quædam sunt, quæ non requirunt collationem aliquam Prælati, quia ipse fundator voluit non esse necessariam, sed sola sua authoritate, vel patroni per eum destinati, fit collatio, vt, quando quis relinquit aliquos redditus perpetuos, qui concedantur alicui ea lege, vt quotannis dicat tot Missas: & exprimit fundator, vt ibi ipse, vel patronus nominauerit capellanum, ille ad pacificam capellaniæ possessionem nulla indigeat Prælati collatione: & hæ dicuntur capellaniæ non collatæ: id est, *no coladas.* Aliæ verò sunt, quæ fundantur titulo Ecclesiastico, ita quòd ex fundatoris voluntate requiritur collatio facienda per Prælatum, vt acquiratur legitima possessio capellaniæ; & hæ dicuntur capellaniæ collatæ, id est, *coladas.* Sic Cord. *summa quæst. 33.* Nauarr. *cap. quando, cap. 20.* Hisp. *num 22.* Lat. *num. 17.* & nonnulli docti recentiores. Sit

2 Prima conclusio. Capellaniæ collatæ obligant ad recitandum horas canonicas. Probatur, quia sunt vera beneficia, & dantur clerico titulo clericali authoritate Ecclesiastica Prælati. Hanc docent Metina *C. de oratione, quæst. de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Manuel *1. tomo summæ nouæ, cap. 141. n. 4.* Ledesm *24. quæst. 16. art. 4. dub. 5* Nauarr. & Cordub. *vbi suprà.* Ludouic. Lop. *2. part. instruct. noui, cap. 105. de oratione, fol. 350.* Aragon *2. 2. quæst 83. art. 12. dub. 3. fine. fol. 851.* & Cord. *summa quæst. 186.* Pro eadem conclusione sunt Sylvest. *verbo beneficium 1. quæst. 2.* Tabien. *beneficium 2. num. 1.* Angel. *verbo beneficium, num. 1.* vbi inter beneficia simplicia numerant capellanias. Salzedo *practica cap. 18. num. 9.* Mandos. *reg. 34. Cancellar. quæst. 17. num. 1.* vbi alios referunt. Felicianus *de censibus, lib. 2. cap. vltimo, num. 15.* vbi alios refert. Vide Gonzalez *in reg. 8. Cancellaria, glossa 5. in principio, per totam*, vbi plurima notanda dicit de his capellaniis: & vide in eius indice, *verbo Præbenda*, vbi agit de præbendis. Pro eadem sententia sunt Zabarella *Clement. gratia, de celebrat Miss.* Sylvest. *verbo hora, quæst. 2.* Arm. & Tabien. *ibi num. 1.* vbi asserunt beneficium, etiam de proprio patrimonio institutum, obligare ad recitandum.

3 Secunda conclusio: Capellaniæ non collatæ non obligant ad recitandum. Ratio, quia non sunt beneficia, nec dantur alicui clericali titulo, nec Prælati authoritate; sed sunt quidam redditus merè sæculares alicui, siue clerico, siue laico relicti cum onere, vt tot sacra fiant quotannis. Sic Metina, Ledesm. Nauarr. Cord. *vbi suprà*, & alij recentiores. Hinc

4 Infertur, quòd habens capellaniam, quæ ex testatoris voluntate non est collatiua, licèt postea fuerit collata per Pontificem, & iterum per Episcopum, non tenetur recitare; quia illæ collationes non mutant horum bonorum naturam, & potuerunt id facere ex falsa relatione, vel de facto, & ad maiorem securitatem, non quia hoc esset necessarium. Sic aliqui Doctores neotenici, qui hoc limitant, nisi iam Prælati Ecclesiastici præscripserint ius conferendi hanc capellaniam, quia iam propter præscriptionem censenda esset capellania collatiua, & sic beneficium Ecclesiasticum, & per consequens obligaret ad horas.

## DVBIVM LXI.

*An, quando puero confertur aliquod beneficium, vel capellania collata ante decimum quartum annum ex Romani Pontificis supplentis ætatem dispensatione, teneatur ad recitandum horas canonicas.*

1 ALiqui docent, non teneri ad recitandum horas canonicas vsque ad decimum quartum annum. Sic nonnulli ex neotericis Magistris admodum docti: aliqui verò dixerunt, non teneri, saltem vsque ad duodecimum, vel decimum tertium annum. Et fundamentum huius sententiæ esse potest doctrina Soti *4. dist. 12. q. 1. art. 11.* sub finem dicentis, præcepta Ecclesiæ non ligare pueros vsque ad duodecimum annum. Sit tamen

4 Prima conclusio. Non ex hoc, quòd Papa supplet ætatem pueri, vt sit beneficij capax, censetur dispensare, vt non teneatur ad horas. Probatur; tum quia diuersæ sunt dispensationes, & cùm dispensatio sit odiosa, & exorbitans à iure communi, non est extendenda: tum etiam, quia Pontifici, vt suppleat ætatem ad beneficium, solet proponi habilitas pueri, & ingenium supplens ætatis defectum. Sic nonnulli valde docti recentiores Magistri.

3 Secunda conclusio. Non est tempus ætatis determinatum, quo recipiens beneficium teneatur recitare, sed statim ac recipit beneficium, si est rationis compos, & commodè potest, quia legere latinè nouit, tenetur ad horas. Probatur, quia ius obligat omnes beneficiarios, & certissima sententia est, præcepta Ecclesiæ obligare omnes doli capaces, dempto præcepto ieiunii, vt docet

Universidad de Deusto Biblioteca

Sotus sibi contrarius,& plures alij,vt latè dixi *lib.1. summæ,cap.12.n.6.* Sic tenent Nauarr *c.quando c.11.n.16.* & prædicti recentiores: atque ita prima sententia non est probabilis.

4 Tertia conclusio. Hi excusabuntur à recitatione horarum,si ignorent latinè legere, modò dent operam, vt id discant.Ratio, quia pro tunc sunt impotentes ad recitandum.Sic Nauarr.& alij citati.

5 Vltima conclusio. Quando,facta relatione,& quòd est ignarus linguæ Latinæ, Papa dispensat cum aliquo ante ætatem, vt obtineat beneficium,censetur etiam dispensare,vt non reciteat,donec habeat intelligentiam. Ratio,quia ipse videt esse impotentem ad recitandum. Sic præfati recentiores.

## DVBIVM LXII.

*An obtinens capellaniam collatiuam, vel quoduis aliud beneficium, si studio litterarum vacet, satisfaciat suæ obligationi,si per alium recitet.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet, satisfacere, si reciret per alium Sic tenet Landulphus à Sylvest. *vbi infrà* relatus. Idem Petrus,& Abbas antiquus, quos refert Panorm.*vbi infrà.* Idem Lucas de Penna *l. hac lege.C. de proxim.sacro scrin. lib.12.* saltem quando sufficienter deseruit per vicariũ beneficio: & potest probari ex *c.fin.de magistris*, vbi ratione studij excusantur beneficiarij à residentia in suis beneficiis. Item, quia sufficienter videtur satisfieri beneficio, dum commodè per alium seruitur ipsi, & recitatur officium canonicum. Fauent huic sententiæ Greg. Lopez, Sylu. Angelus, Rosell. vbi referentes hanc sententiam, non damnant eam, sed tantùm dicunt oppositam sententiam esse tutiorem.

2 Secunda sententia docet, teneri talem beneficiarium per se ipsum recitare, & nullo modo satisfacere, si per alium recitet. Probatur, quia obligatio recitandi est personalis, sicut obligatio ieiunandi, & audiendi sacrum; ipsum enim beneficiarium obligat ius ad recitandum; nec *c.fin.de magistris*, fauet oppositæ sententiæ, quia seruire beneficio, & studere sunt incompatibilia; non autem recitare horas, & studere. Hanc sententiam videtur tenere Ioan.Andr.*c.presbyter,de celebr.Miss.* & eam tenet Panorm.*c.1,eod.tit.* & Card.*Clement.1.eod.tit.*Sylu.*verbo hora,q.2.dicto 3.*Rosel.*ibi n.2.*Tab.*n.3.*Ang.*num.4.*Arm.*num.3.* Turrec.*c. Eleutherius, dist.91.num.11.* Nauar. *c. quando*,Lat.*c.11.num.32.33.* D.Anton. *3.p.tit.13.cap.4. §.1.* Metina *C.de oratione, quæst. de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Ledesm.*2.4.quæst.16.art.4.dub.5. fine.* Sotus *lib.10.de iust.q.5.art.3. vers.secunda conclusio, fine.*Greg. Lop.*part.1.tit.6.l.34.vers.Han de dezir.*Cord. *summa q.186.vers.lo quinto:*Palacios *4.dist.15.disp.9.fol. 146,pag.1.*& *147.pag.2.*

3 Sit conclusio.Hæc secunda sententia, vt certa,habenda est,nec opposita est probabilis, quia caret omni fundamento.

## DVBIVM LXIII.

*An habentes pensiones teneatur recitare horas canonicas, vel aliquid aliud.*

1 ET videtur teneri, quia particeps est fructuum beneficij; ergo sicut sentit commodum, debet & onus sentire.

2 Aliqui dicunt,pensiones obligare ad recitandum,quia æstimant esse beneficia. Pro hac sententia citatur Maioris *4.dist.25. quæst. 5. ad 4.* & aliqui Magistri recentiores hoc tenent de aliquibus pensionibus; alij de habente pensionem pro coadiutoria, vel quia iubilatus est; alij verò de pensionibus, quæ conceduntur in commutationibus, seu resignationibus: denique alij idem tenuerunt de ea, quæ datur propter coadiutoriam Episcopi, vel parochi, quia titulus est clericalis. Sed de hac coadiutoria specialiter *infrà dub.sequenti.* Atque de prædictis pensionibus vide multa optima apud Gonzalez *reg.8.Cancellaria,glossa 5.toto §.5.* Sit

3 Prima conclusio. Habentes pensiones, quantumuis pingues, non tenentur ad horas canonicas. Probatur, quia pensio non est beneficium, *cap.quoniam,de prebend. in 6.* sed est quoddam onus,quod imponitur habenti beneficium,& ius,quod habet pensionarius petendi pensionem ab illo qui titulum,& beneficium habet. Et confirmatur, quia ideo Pius Quintus obligauit pensionarios, (vt dicam *conclusione sequenti*) ad horas Beatæ Virginis, videns, eos ad horas canonicas non teneri. Sic Cordub. *lib.1.quæstionariy,quæst.21.sub finem, & in summa, quæst.* 186.Sotus *lib.10.de iust.quæst.5.art.3.vers.illos autem.* Metina *C. de oratione, quæst.de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Ledesm. *2.4.quæst.16.art.4.dub.5.* Adrianus *quodlib.9.art.1.ad 5.* Sandoual *lib.de offic. canonico,5.part.cap.6* Palacios *verbo hora.* Greg.Lop. *part. 1.tit.6.l.34.vers.han de dezir.* Nauarr.*cap.quando.cap.7.* Hisp.*num.24.*Lat.*num.25.& cap. 21.num.9.* Caiet. *opusc. 17.responsionum,responso 10.*& alij.

4 Secunda conclusio. Licèt secundùm ius commune pensionarij ad nullas preces obligentur: at per motum proprium Pij Quinti, quem refert Nauarr. summa Lat, *cap.25.num.122.*pensionarij qui non titulo sæculari, sed vt clerici,pensiones percipiunt,tenentur ad officium paruum Beatæ Mariæ,& si id non recitent, tenentur ad restitutionem fructuum. Sic enim habetur expressè in illo motu proprio,& docet Nauarr. *eodem cap. 25.num.108. & cap.quando*, Latinè *cap.7.num.25.& cap.21.num. 9.* & latè probant Suarez *tomo 2.de religione, lib.4. de horis canonicis cap.22.num. 4. & 5.* vbi ex dictis Canonistis, & Theologis, vsúque timoratorum probat hunc motum proprium esse vsu receptum, & saltem de Hispania ait sibi hoc constare.

5 Quòd si sit miles Lauretanus, vulgò habeat Caualleratо,& nubat, credo, quòd pensio antea titulo clericali habita,& virtute illius militiæ retenta obliget, quia non mutatur natura pensionis, sed est tantùm priuilegium retinendi cum matrimonio, aliàs, si ille viduus effectus venderet id officium, amitteret pensionem, aut iam non retenta priori titulo clericali, sed ratione officij: at quæ idem dico, si matrimonio inito obtineat pensionem titulo clericali virtute illius officij; est enim dispensatio quædam ad retinendum, vel obtinendum.

6 Tertia conclusio. Meliùs satisfaciet huic obligationi pensionarius, si pro officio paruo recitet hora canonicas: & ita si esset aliàs beneficiarius, vel ordine sacro initiatus,satisfaceret recitans horas canonicas. Ratio, quia animus Pontificis fuit, vt cùm pensionarius percipiat beneficij fructus, vt clericus, recitet aliquid clericorum, ac beneficiatiorum more sed magis recitat vt clericus, recitans horas canonicas; ergo. Item, quia non fuit animus Pontificis magis obligare pensionarios, quàm beneficiarios,cùm hi plus participent, & potiorem titulum Ecclesiasticum habeant; sed qui est beneficiarius, & subdiaconus non tenetur bis recitare; ergo neque pensionarius,qui est subdiaconus.Sic Suarez citatus *n.6.* & Enriquez à me consultus,& credo esse verissimum.

## DVBIVM LXIV.

*An coadiutor beneficiarij, qui scilicet partem fructuum beneficij percipit, vt ipsum beneficiarium coadiuuet,vel propter ipsius senectutem,vel infirmitatem, &c.teneatur ad horas.*

1 NOta ex Palacios *4.dist.15. disput.9. fol. 146.*hos coadiutores esse in duplici differentia: quidam enim sunt,qui dantur parochis ob eorum imperitiam,vel impotentiam, vel infirmitatem, & his distribuenda est pars fructuum beneficij, vt habetur in Trident. *sess.21. cap.6.* & hi (vt liquet) debent esse sacerdotes. Alij verò sunt, qui erant satis in vsu in Ecclesia cathedrali, qui habebant coadiutorias cum futura successione: quas iam prohibet Trident.*sess.25.cap.7.* & iam non permittuntur in Ecclesiis, nisi ad certam formam. Et hi coadiutores sæpè erant minoribus tantùm initiati.



2 Ratio ergo dubitandi est, vt coadiutor teneatur ad horas,sicut & principalis beneficiarius, quia mittitur in possessionem,sicut ipse,& deseruit Ecclesiæ, & hic titulus est Ecclesiasticus.Et sic aliqui,vt retuli *dub.praced.* asserunt, teneri ad horas.

3 Sit conclusio. Coadiutor ratione coadiutoriæ non tenetur ad horas. Ratio, quia coadiutoria non est beneficium. Item,quia ratione vnius beneficij non debent duo teneri ad horas canonicas, sed principalis tenetur ad horas canonicas; ergo non tenetur ad id coadiutor. Patet minor, quia principalis est verus beneficiarius. Sic Palacios *4.dist.15.disp.9 fol.146.*Nauarr. *cap.quando,cap.10.* Hisp.*n.23.& 24.*Lat.*n.18.*Metina *C.de oratione, q.de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Ledesm. *2.4. q. 16.art.4.dub.5.*& optimè Suar.*tomo 2.de relig.lib.4. de horis canonicis,cap.22.n.17. & 19.*& alij.

4 Nota Metinam,& Ledesmam dicere,quòd aliquando tenetur coadiutor recitare, scilicet, quando onus Ecclesiæ in defectu principalis in se suscipit. Sed meliùs Nauar.& Suarez *num.22.*affirmant,nunquam ratione coadiutoriæ teneri recitare, sed ad id tantùm teneri, ad quod constitutus est coadiutor. Vnde si constitutus est ad dicendas omnes,vel aliquas horas canonicas,ad id tenetur. Sicut,si ex voto se obligaret ad horas, vel partem horarum, teneretur eo modo, quo se obligauit. Nec obstat, quòd capiat possessionem,quia non capit pensionem beneficij, sed coadiutoris beneficiarij.

## DVBIVM LXV.

*An is,cui confertur beneficium in commendam, interim, quòd alicui datur, teneatur ad horas.*

1 SIt conclusio.Iste tenetur ad horas.Ratio,quia,dum habet in commendam, idem onus suscipit, quod beneficiarius,& ius habet ad beneficij fructus percipiendos.Item, quia commendatarius hic titulum habet beneficiarium,quia commenda est titulus canonicus, vt latiùs habes *dub.8.de accept.person.*& docet glossa *cap.nemo, de elect.in 6* Sic Nauar.*cap.quando, cap.20.*Lat.*n.16.* Hisp. *n.21.* Metina *C.de oratione, quæst.de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Et docet benè Suarez *tomo 2.de relig.lib.4.de horis canonicis,c.22.n.14.* Ledesm.*2.4.q.16. art.4.dub.5.*Palacios *4. dist. 25.disp. 9.fol. 144.* Cordub. *summa,q.186.*vbi idem etiam docet de iis, qui beneficia aliorum habent in confidentia & proprio nomine, & percipiunt fructus aliquos.

## DVBIVM LXVI.

*An beneficium tenues redditus habens obliget ad recitandum.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet, beneficium,quantumuis tenue, obligare ad recitandum horas canonicas. Probatur primò ex *cap.Clericus 1.91. dist.*vbi sic dicitur; *Clericus qui ali non potest,quærat victum suo artificio absque detrimento sui officij.* Et loquitur *ibi* textus de clerico habente beneficium; ergo non obstante beneficij tenuitate tenetur persoluere officium canonicum.Secundò probatur,titulus sufficiens ad obligandum ad horas est beneficium, sed beneficium tenue est beneficium; ergo obligat, & imputet sibi, qui illud acceptat.Tertiò probatur,quia ratione beneficij, etiam exigui, gaudet priuilegio fori, licèt non deferat habitum,quo non gauderet,etiam minoribus insignitus,per Trident.*sess.23.cap.6.*Item potest ratione ipsius ad ordines promoueri, & gaudet aliis prætogatiuis,& honoribus beneficiariorum; ergo debet etiam obligari ad onus, scilicet ad horas. Tandem probatur, quia ratio,ob quam beneficiarii tenentur ad horas, non est,quia de bonis Ecclesiæ se sustentant,quia famuli clericorum de eisdem se sustentant, & non tenentur, sed quia ob beneficium deputantur cultui Ecclesiastico ad laudandum Deum, & rogandum pro populo; sed hoc habent ratione beneficij exigui; ergo. Hanc docent glossa *dicto cap. Clericus 1. vers.vigiliis.* & *ibi* Gofredus, Cardin.*Clem.1.de celebr.Missæ* Albertus de Ferrara *tract. de horis canon.quæst.8.*Abul.*cap.6.Matth.quæst.93.*Palacios *4.dist.15.disp.9.fol.143.* Sylvest. *verbo hora, quæst.2. dicto 2.*Tab.*n.2.* Arm.*n.1.*Rosell. *verbo hora, initio.*D. Anton.*3.p.tit.13.cap.4.§.1.*Turrecr.*cap.1.dist.91.num.8.* Couar.*lib.3.variar.c.13.num.8.* Sandoual *lib.de offic.canonic.5.p.cap.5.* Cord.*summa,quæst.186.vers.lo segundo.*Fráciscus de los santos *lib.de horarum canonicarum persolutione, impedimento 6.* Metina *quæst. de necessitate vocaliter orandi oratione publica,vers.si quaras.*Hostiens.*tit. de consecrat.Ecclesiæ,n.22.* Ioannes Briareth *quæst.quodlibetica 4. propos.4.*Ledesm.*2.4.q.16.art.4.dub.5.* Nau. *cap. quando,cap.7.*Latinè & Hispanè *n.27.& cap. 21.* Latinè *n.11. & in summa cap.25.*Lat.& Hisp.*n.102.& cap.28.*Hispan. *additione ad n.103.capitis 25.*& Suarez *tomo 2.de relig.lib. 4.de horis canonicis,c.21.n.9.* hanc opinionem speculatiuè reputat valde probabilem.

2 Secunda sententia docet,beneficium tenue non obligare ad recitandum horas canonicas, nec partem illarum. Probatur, quia beneficium tenue non reputatur in iure beneficium,cùm parum pro nihilo reputetur. Cuius signum est, quòd plura huiusmodi beneficia sunt compatibilia. Secundò probatur, quia obligatio dicendi horas in beneficio consurgit ex accepto stipendio, & mercede, cuius signum est quòd,quando nullos fructus capit,nec capere potest beneficiarius ex beneficio, non tenetur ad horas, vt etiam plures Doctores primæ sententiæ fatentur: & constabit *infrà*; ergo quando beneficium est adeò tenue, vt pro nihilo reputetur, non inducet hanc obligationem. Hanc tenent Sotus *lib.10. de inst.q.5.art.3.vers.dubium autem.* Palacios *verbo hora*, & quamplurimi ex neotericis valde docti Magistri à me consulti.Idem tenuere plures viri docti & probi, vt refert Nauar.*dicto cap. quando, c.7.n.27.*& est communis modò recentiorum.

3 Sit conclusio. Licèt prior sententia probabilior sit; at hæc posterior est probabilior in praxi.

4 Ad primũ in oppositum respondetur, quòd non loquitur illud caput de officio canonico, sed intelligitur de ea parte officij,quæ respicit animarum curã,quæ absque detrimento proximi nequit prætermitti, vel si loquatur de officio canonico,loquitur de beneficio, quod non sat est ad omnimodam sustentationem; at sat est ad bonam partem,id enim obligat ad horas, vt dicam *dubio sequenti.*

5 Ad secundum,& quartum patet ex dictis.Ad tertium dico,quòd in fauorabilibus, quæ competunt ratione solius tituli, id habet verum; at in onere, quod conuenit ratione stipendij beneficij, quale est horas recitare, non habet verum.

## DVBIVM LXVII.

*Quæ tenuitas redditus beneficij excuset ab obligatione recitandi horas canonicas; & quæ quantitas sufficiens sit ad obligandum.*

1 SIt prima conclusio.Quando beneficium,licèt non sat sit ad integram sustentationem, sufficit tamen ad bonam partem sustentationis, tenetur illud habens ad horas. Ratio, quia tale stipendium moraliter censetur alicuius momenti. Hanc tenet Soto *lib.10.de inst. quæst.5. artic. 3. vers.dubium autem.* Palacios *in summa, verbo hora.* Suarez citatus *dub.praced. num.10.* & 11. & nonnulli docti neoterici.

2 Secunda

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Secunda conclusio. Quando beneficij fructus sunt adeò tenues, vt non præstent bonam sustentationis partem, non obligat ad recitandum. Hanc probaui *dub. præcedenti*, & tenent omnes Doctores *ibi* citati.

3 Nota, aliquos Thomistas asserere, quòd, si beneficium erat tantùm quinque ducatorum, ad nil tenetur beneficiarius; sed, si valet duodecim, vel decem & quinque numos aureos, tenetur beneficiarius non ad omnes horas, sed ad partem horarum arbitrio boni viri. Sed hoc caret fundamento: & ideo verius est, quòd si beneficium præstat bonam sustentationis partem, tenetur beneficiarius ad omnes horas: si autem minorem partem præstat, ad nil tenetur. Sic aliqui docti recentiores.

4 Tertia conclusio. Dicetur bona pars sustentationis hæc regula, quando fructus non præstant beneficiatio integram sustentationem, nec dimidiam partem, nec tertiam, nec eam, quæ declinat in tertiam partem, sed quæ sit tantùm quarta pars, vel magis in quartam declinet, non videtur bona pars sustentationis: vnde ea dicetur bona pars sustentationis, quæ est tertia pars, vel magis in tertiam declinat, vt tenet Suarez *supra*, & nomine *sustentationis* intelliguntur non tantùm alimenta ad corpus, sed etiam moderatus victus, & vestitus, habitatio, & omnia alia hoc modo necessaria ad moderatam vitam, ac si nil aliud haberet beneficiarius ad sustentationem; quia id esset per accidens. Ad quod considerandum necessaria est consideratio diuersitatis temporum, & locorum, quia diuersis temporibus, & locis carius valent res: similiter decentia vestitus diuersis in locis diuersimodè consideratur, v. g. si pro integris alimentis indigeat beneficiarius quadraginta aureis, si fructus beneficij sint decem aurei, non tenentur recitare, quia sunt quarta pars sustentationis; nec, si sint tredecim, quia plus declinant in quartam partem. Sic nonnulli docti neoterici.

5 Vltima conclusio. Licèt non possit assignari certa quantitas fructuum beneficij, quæ obliget ad recitandum, sed pensanda est prudentis arbitrio, iuxta conclusionem præcedentem, attenta ratione prouinciarum, & locorum: nam vbi minor est pecunia, sufficit ad integram sustentationem. Minor quoque summa sufficit ad bonam partem illius; at, communiter loquendo, potest dici, quòd iis temporibus, quando fructus beneficij sunt decem & sex aurei, non censetur bona pars sustentationis, nec tenentur beneficiarij ad recitandum: at quando excedunt decem & sex aureos, tenetur recitare, quia censentur bona pars. Sic dixerunt quamplurimi recentiores, maximè docti Magistri à me consulti, & alij viri ex neotericis Magistris in suis scripris. Fauet Dominicus à Soto de hac re consultus, quia, quamuis ponat pro bona parte sustentationis, quando fructus sint octo aurei numi; at his temporibus minus sunt decem, & sex aurei, quàm ab hinc triginta annis, quando scripsit Soto octo aurei, cùm res modò multò cariori pretio venundentur. Immo P. D. Enriquez retulit mihi, quod consultus Soto de beneficio, cuius redditus erant decem, & sex numi aurei, respondit, non obligare ad recitandum: & quidam maximè doctus recentior dixit, non minus, quàm viginti aureos obligare.

## DVBIVM LXVIII.

*An in capellaniis tenuitas hæc sit attendenda respectu fructuum qui supersunt, dempta eleemosyna, quæ datur pro Missis, ad quas obligat capellania.*

Dvplex est sententia.

1 Prima docet, omnes fructus capellaniæ esse computandos, etiam eos, qui dantur pro Missis. Ratio, quia verè omnes ij sunt fructus beneficij. Et confirmatur, quia aliàs in beneficio curato esset idem dicendum, scilicèt, quòd si dempta ea parte fructuum, quæ correspondet Missis, quas tenetur curatus facere pro populo, & aliis ministeriis, ad quæ obligat beneficium, fructus, qui supersunt, essent exigui, non obligaret ad recitandum. Sic nonnulli ex neotericis viri docti.

2 Secunda sententia docet, attendendam esse hanc tenuitatem respectu fructuum, qui supersunt, dempta eleemosyna, quæ datur pro Missis, ad quas obligat capellania. Ratio, quia obligatio dicendi horas canonicas consurgit, ex accepto stipendio, & mercede, vt, *suprà dub.* 66. dictum est. Sed stipendium, quod datur pro Missis, non est stipendium, quod datur pro beneficio, nec pro recitatione horarum, quia clerico non beneficiario, si faceret illa sacra, daretur, illúdque lucraretur, licèt non recitaret; ergo. Et confirmatur, quia (vt infrà probabitur) licèt capellanus non recitet, non tenetur restituere fructus, qui correspondent illis Missis; cùm tamen teneatur restituere fructus correspondentes beneficio; ergo illi fructus non correspondent beneficio, nec dantur pro recitatione. Hanc tenuere nonnulli neoterici admodum docti: & videtur mihi intelligenda, & probabilior, modò deducatur tantum stipendium, quod communiter aliis clericis pro Missis solet distribui; nam auctius, quod tribuitur pro Missa capellaniæ, est ratione beneficij.

## DVBIVM LXIX.

*An quædam beneficia parua diœcesis Palentinæ, quæ vulgò dicuntur* Graderias, *obligent ad recitandum horas canonicas.*

1 Qvidam docti recentiores in suis manuscriptis dixerunt hunc habentem graderiam, non teneri recitare, nisi canticum graduum; si ita est in vsu in illa diœcesi: immo refert aliquis ex illis, se audiuisse, hunc vsum esse confirmatum per Sedem Apostolicam; addit tamen se non potuisse certam huius rei rationem inuenire, licèt diligenter exquisierit.

2 Sit tamen conclusio. Hæ graderiæ obligant ad recitandum, quando sufficientes habent redditus, sicut & reliqua beneficia. Et fortè vsus, qui obtinuit, vt hi non recitent, est quia communiter hæ graderiæ habent tenues redditus; at, vbi habent sufficientes redditus, obligabunt. Probatur, quia sunt vera beneficia, & dari non possunt, nisi clerico primæ tonsuræ, & per Episcopi collationem. Sic quamplurimi valde docti recentiores Magistri.

3 Nota, quòd cùm de his graderiis non sit ita certum, quòd obligent, & sit aliqualis vsus non recitandi, posset minori scrupulo de his, quàm de aliis beneficiis iudicari: & ita, si fructus non excederent viginti numos aureos, posset permitti, vt non recitaret. Sic ex neotericis aliqui viri docti.

## DVBIVM LXX.

*An habens plura beneficia exigua, quorum quodlibet propter tenuitatem non obligaret ad horas, at omnia simul accedunt ad quantitatem, quæ sufficit ad obligandum, teneatur ad horas.*

1 Respondetur, teneri in hoc casu recitare. Ratio quia recipit stipendium Ecclesiasticum, & ratione tituli Ecclesiastici, scilicet beneficij, & illud stipendium sufficiens est ad obligandum; impertinens autem est, siue recipiat id ex vno, siue ex pluribus beneficiis. Sic Suarez *de relig. l. b. 4. de horis canon. c. 21. n. 12.* dicens, hoc esse indubitatum. Idem tenent valde docti recentiores, & est omnino certum.

## DVBIVM LXXI.

*An qui habet solum beneficij titulum, & ex eo nullos fructus percipit, teneatur ad horas canonicas.*

1 Nota, quòd sex modis contingit habere titulum beneficij, & non percipere fructus. Primò, quia beneficiarius non residet. Secundò, quia est excommunicatus, vel irregularis, vel suspensus. Tertiò, quia ad tempus in pœnam delicti priuatur fructibus. Quartò, quia ex statuto, vel consuetudine, vel alio priuilegio fructus primi anni, vel plurium reseruantur fabricæ Ecclesiæ, vel beneficiario proximè defuncto. Quintò, quia beneficium est litigiosum. Vltimò, quia fructus reseruantur pro pensione renuncianti beneficium. Et quia in quolibet horum modorum est specialis difficultas, de illis seorsim dubiis sequentibus differendum est: in præsentiarum verò solùm vertitur in dubium in genere, an obligatio recitandi consurgat ex solo beneficij titulo, ac proinde solus ille obliget, etiam eum, qui fructus nequit percipere; an consurgat ex beneficij titulo cum fructuum perceptione, ac proinde, qui fructus nequit percipere, solutus sit à recitandi obligatione.

Triplex est sententia.

2 Prima docet, solum beneficij titulum absque fructuum perceptione obligare ad recitandum. Probatur primò, quia talis sponte sua acceptauit beneficium cum onere non percipiendi fructus; ergo tenetur ad horas, aliàs nec teneretur ad complendum in Ecclesia illud ministerium, quod exigit ipsum beneficium, quod est contra caput *clericus vidtum, dist.* 91. Secundò probatur, quia, quando acceptat beneficium, & consentit, vt non possit percipere fructus, videtur acceptare beneficium cum onere recitandi & soli iuri recipiendi fructus renunciare. Hanc tenet Metina *C. de oratione, quæst. de necessitate vocaliter orandi oratione publica.* Maioris 4. *dist.* 12. *quæstion.* 3. Eiusdem sententiæ videtur Palud. 4. *dist.* 15. *quæstion.* 5. *numer.* 15. & Turrecrem. *cap.* 2. *distinction.* 91. *num.* 19. dicunt enim hæc: Si quis receptus est in canonicum, licèt nihil percipiat, nec distributiones quotidianas, nec aliquod aliud emolumentum præbendæ ad præsens, sed recipere expectat in futurum, tenetur ad horas, quia habet verum beneficium, & vocem in Capitulo, & statum in choro.

3 Secunda sententia sic distinguit. Si ille beneficiarius sponte sua suscepit illum beneficij titulum, tenetur ex solo titulo recitare, & sibi imputet: si verò cogitur à superiori, vt accepret beneficium sine fructibus, non tenetur, quia, quod obedientia compulsus facit, non est sibi imputandum. Sic Ledesm. 2. 4. *q.* 16. *art.* 4 *dub.* 5.

4 Tertia sententia docet, quòd quando beneficiarius habet titulum beneficij sine fructibus omnino, & per illum non stat, quominus fructus habeat, non tenetur recitare. Ratio, quia cùm recitandi obligatio non nisi ex sacro ordine, vel perceptione mercedis consurgat, iniustum videtur onus imponere, cui merces negatur: vt habetur *cap. cum secundum Apostolum, de præbend.* & est regula iuris *reg.* 6. Qui sentit onus, debet & commodum sentire. Hanc docent Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. *vers. Pari modo de illo.* Sylvest. Rosa aurea *tract.* 3. *de q. impertinentibus, casu* 19. Caiet. & Palac. *in summa. verb hora.* vbi Arm. *n.* 1. Nieua *in summa, tit.* 68. Iosephus Angles *floribus q. theolog. mat. de restit.* vbi de clericis restitutioni obnoxiis, *fol.* 202. 203. Sandoual *lib. de offic. canonico* 5. *p. cap.* 5. Cord. *summa quæst.* 186. Briareth *quolib.* 4. *propost.* 4. Nauar. *cap. quando,* Lat. & Hisp. *cap.* 7. *num.* 28. 29. & summa Lat. & Hisp. *cap.* 25. *num.* 103. Hanc etiam tenent communiter recentiores Magistri, & alij. Et hæc sententia est probabilior. Solutiones ad argumenta primæ sententiæ habes *infrà dub.* 76.

5 Hinc fit, quòd si beneficiatus merè gratis confert fructus alteri, vt si parentes, vel eius consanguinei ex eius voluntate fructus percipiant, tenetur recitare, quia ipse censetur recipere, cùm eius voluntate, & nomine alter capiat. Sic tenent omnes, & specialiter Nauarr. Cordub. Sotus, Ledesm. *vbi suprà.*

Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. *fol.* 144.



## DVBIVM LXXII.

*An beneficiarius, qui fructus beneficij non percipit, quia non residet, & solum fructus dantur residentibus, teneatur ad horas.*

1 Hac in re certum est, quòd si contra ordinem iuris non resideat, tenetur recitare; quia per ipsum stat, quominus fructus percipiat, & sua est culpa non residere. Sic omnes Doctores citandi, & citati *dub. præcedenti* pro tertia opinione.

2 Ad difficultas est, an quando non residet ex legitima causa, & secundùm ordinem iuris, vt si scholasticus causa studij non resideat, & cum legitima licentia, & ideo fructus non percipiat, teneatur recitare. Duplex est sententia.

Prima docet, hunc teneri recitare. Ratio, quia per eum stat, quominus fructus percipiat, cùm verè possit residere. Sic Soto *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. *vers. Pari modo de illo,* vbi hæc dicit, *quando quis priuatur fructibus, quia non residet, tenetur recitare,* & non distinguit, an ex causa legitima non resideat. Idem Palud. 4. *dist.* 15. *quæst.* 5 *n.* 15. Turrecrem. *cap.* 1. *dist.* 91. *num.* 19. Cordub. *summa, q.* 186. *vers. lo tercero,* Ledesm. 2. 4. *q.* 16. *art.* 4 *dub.* 5. Nauarr. summa Lat. & Hisp. *c.* 25. *n.* 103. *& cap. quando,* Lat. & Hisp. *c.* 7. *num.* 28. idem multi docti recentiores.

3 Secunda sententia docet, hunc non teneri recitare. Ratio, quia obligatio recitandi in beneficiario non est, nisi propter sustentationem datam, sed Ecclesia priuat hunc iure proximo recipiendi sustentationem, & hoc absque sua culpa, & cum legitima licentia, & causa iure expressa; ergo. Ita Angelus *verbo hora, num.* 4. Gregor. Lopez *l.* 3. 4. *vers. han de dezir. tit.* 6. *part.* 1. & hanc sententiam dicunt fortè esse veram, Tabien. *verbo hora, num.* 3. Sylvest. *ibi quæst.* 2. *dict.* 3. Hanc tenuit P. Enriquez, vt retulit quidam doctus neotericus in suis scriptis. Et hæc videtur mihi probabilior, & amplectenda.

## DVBIVM LXXIII.

*An beneficiarius, qui fructus beneficij non percipit, eo, quòd est excommunicatus, irregularis, vel suspensus, teneatur recitare.*

Dvplex est sententia.

1 Prima docet, non teneri recitare. Ratio, quia nequeunt tales percipere fructus beneficij. Hanc tenent Briareth *quolib.* 4. *propositione* 5.

2 Secunda sententia docet teneri hos recitare. Ratio, quia suspensus, & irregularis ante sententiam iudicis non amittunt beneficium, nec beneficij redditus, vt habes *suprà dub.* 14. & 15. excommunicatus verò potest cõsequi fructus beneficij, cùm per ipsum stet, quominus absoluatur, & sic eos consequatur. Si verò, facta diligentia, per ipsum non stet, quominus absoluatur, non perdit beneficij fructus, vt habes *suprà dub.* 11. Hanc tenet Soto *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. *vers. Pari modo de illo.* vbi hoc docet de excommunicato. Idem de excommunicato docet Iosephus Angles *floribus, q. theolog.* 2. *p. materia de rest.* vbi de Clericis restitutioni obnoxiis, *fol.* 208. Couar. 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. *vers.* 12. vbi refert pro eadem sententia Card. Gigas, Decium, Albertum de Ferrariis, Ioannem de Lignano. & quidam docti recentiores. Idem tenent de irregulari suspenso, & excommunicato, Cordub. *summa, q.* 186. Turrecr. referens Rayner. Gofr. & Hostiensem *c.* 1. *dist.* 91. *num.* 11. idem tenet Palud. 4 *dist.* 15. *q.* 5. *num.* 15. vbi hæc dicit: *si postquam beneficiarius præbendam adeptus est totum emolumentum perderet, teneretur recitare.* Et hæc sententia, tanquam verissima, est tenenda.

3 Nota, hanc conclusionem non tantùm esse veram de iustè excommunicato, sed etiam de iniustè, quia hic potest absolui, & post absolutionem recuperare fructus eius temporis, quo iniquè est excommunicatus, vt habes *dicto dub.* 11. Sic Cou. *vbi suprà*, & fauent reliqui citati; absolutè enim dicunt, beneficiarium excommunicatum

teneri

Universidad de Deusto
Biblioteca



teneri ad horas: nec distinguit, an iustè, vel iniustè sit excommunicatus. Idem tenuit P. Enriquez à me consultus.

4 Secundò nota, si per irregularitatem, vel dispositionem, vel alio modo ex toto quis amitteret beneficium, ita, quòd desineret esse beneficiatus, non tenerentur recitare. Ratio, quia, cessante causa, debet & effectus cessare. Sic Cord. Couar. Palud. *vbi suprà*, Turrecr. *cap.* 1. *dist.* 91. *n.* 19. Nauarr. *cap. quando, cap.* 7. *num.* 20. & alij. Hinc

5 Infertur, si aliquis recipiat beneficium per simoniã, vel existens excommunicatus, vel irregularis, vel non habens legitimam ætatem, vel in alio casu, in quo collatio est nulla, non tenetur recitare; quia non habet titulum verum beneficij, nec facit fructus suos. Sic quidam neotericus valde doctus, qui sic resolutum fuisse Salmanticæ à Patribus Societatis dicit, & bene aduertit, quòd si hic deberet petere in his casibus reualidationem, & fructuum compositionem, si non recitauit, debet etiam explicare illam conditionem in compositione, aliàs tenebitur iterum componere se de fructibus ob illam causam.

## DVBIVM LXXIV.

*An beneficiarius, qui esset suspensus à beneficio ad tempus, v. g. damnatus per iudicem, vt non acquireret fructus vnius anni, an illo tempore teneatur ad horas.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit teneri recitare. Probatur, quia per ipsum stetit non facere fructus suos, siquidem ob culpam suam damnatus est. Item, quia ipsa punitio iudicis videtur supponere, quòd recitet, quia est pœna, quam infert, scilicet priuare illum suis fructibus. vt autem fructus sint sui, debet recitare. Hanc tenent Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5. *n.* 15. & Turrecr. *cap.* 1. *diff.* 91 *num.* 19. vbi hæc dicunt, si beneficiarius postquam adeptus est beneficium, totum emolumentum perdat, tenetur ad horas. Idem tenuit quidam doctus neotericus in suis scriptis.

2 Secunda docet hunc non teneri recitare. Ratio, quia, licèt culpa sua fuerit damnatus, at vbi damnatus est, iam non stat per ipsum, quominùs fructus recipiat: nec sententia iudicis supponit ipsum recitare, & facere fructus suos; sed in hoc consistit sententia, vt perdat ius ad illos fructus, qui debebant esse sui, & quos poterat lucrari recitando. Item, quia, si in perpetuum priuaretur fructibus, durum esset illum obligare ad horas; ergò nec, si priuaretur ad tempus, est obligandus pro eo tempore. Pro hac sententia faciunt Doctores *supra dub.* 71. citati, qui dicunt, non teneri recitare, qui fructus beneficij non potest acquirere. Et Briareth *quodlibeto* 4 *propositione* 5. & tenuit expressè P. Enriquez. vt retulit quidam doctus recentior in suis scriptis. Et hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM LXXV.

*An si statuto, vel consuetudine, vel alio priuilegio, vt sit in aliquibus Ecclesiis Hispaniæ, vel Germaniæ, introductum sit, vt primo anno nil penitus percipiat Canonicus, vel beneficiarius, licèt seruiat, teneatur talis eo primo anno recitare.*

1 REspondetur id abrogasse Pium Quintum per *Extrauag.* quæ incipit, *Dudum*, editam anno 1570. Sed, si aliquæ Ecclesiæ nolunt eam recipere, excusantur noui beneficiarij à recitando, quia, cùm non possint sine impensis magnis, & lite contra suam Ecclesiam fructus obtinere, satis videtur, non posse tales fructus recipere; si tamen expensæ non essent tantæ, & ij alia de causa contra suam Ecclesiam litigarent, non excusarentur à recitando, quia in illis cessaret reuerentia, quæ à litigando contra suam Ecclesiam retraheretur. Sic Nauarr. *cap. quando, cap.* 7. *num.* 30.

## DVBIVM LXXVI.

*An, quando aliquis habet beneficium litigiosum, & ideo non percipit fructus, teneatur recitare.*

1 NOta, hoc dubium agitari posse in duplici casu; alter est, quando lis oritur ante adeptam beneficij possessionem; alter verò, quando oritur post adeptam beneficij possessionem.

Triplex est sententia.

2 Prima absolutè docet, eum, qui non est in pacifica beneficij possessione, & ideo fructibus non potitur, non teneri recitare: vnde videtur loqui etiam post adeptam beneficij possessionem, quando ea non est pacifica. Sic tenet Palacios *in summa, verbo hora.* Turrecr. *cap.* 1. *dist.* 91. *n.* 19. & Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5. *art.* 1. *n.* 15. quem refert, & approbat Soto, licèt breuissimè, *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. *vers. Pari modo de illo.* Et hanc sententiam videtur etiã tenere Sandou. *lib. de officio canonico p.* 6. *c.* 14. saltem quoad restitutionem, quia dicit, quòd beneficiarius omittens horas, non tenetur restituere nisi post sex menses, qui debeant numerari ab obtenta pacifica beneficij possessione.

3 Secunda sententia absolutè dicit, quòd, si ante possessionem veniat lis, quandiu nulli litigantium conceditur possessio, nullus tenetur ad horas. Sic tenet Palacios 4. *dist.* 15. *diff.* 9. *fol.* 144 Idem tenent aliqui, qui (vt refert Nau. *cap. quando*, Latinè *cap.* 7. *n.* 29.) putant, non teneri beneficiarium recitare per solam beneficij collationem, donec apprehendat possessionem beneficij, vel per eum stet, quominus apprehendat; quia putant non posse beneficiarium capere fructus beneficij per solam collationem, donec possessionem apprehendat.

4 Tertia sententia docet oppositum, quæ amplectenda est, & claritatis maioris gratia explicabitur aliquibus conclusionibus. Sit

5 Prima conclusio. Qui prouisioni, vel collationi beneficij sibi factæ nondum consensit, non tenetur ad horas. Ratio, quia nondum beneficium est suum. Conclusio est certa, & eam docet Nauar. *c. quando*, Lat. *c.* 7. *n.* 29.

6 Secunda conclusio. Quando lis aduenit ante possessionem beneficij, licèt beneficiarius nondum acceperit possessionem, nec possit illam accipere, tenetur recitare, quando verisimile est pro ipso ferendam esse sententiam; quia habita sententia, fructus sequestrari, aut ab aduersario percepti, sunt ipsi restituendi; fructus enim percepti post litem, saltim contestatam, debentur vero beneficiario, si vicerit, vt probat Nauarr. *vbi supra.* Item, quia iam hic habet titulum, & beneficij collationem: at per solam collationem ante possessionem acquiritur beneficij dominium, vt expressè habetur *c. si tibi absenti, & c. penultimo, de prabendis in* 6. & sic à die collationis fructus debentur ipsi beneficiario; fructus enim debentur domino, *cap. grauis, de restit. spoliat* quod inde etiam constat, quia mortuo prouiso ante quæsitam beneficij possessionem, vacat illud per eius mortem, per tradita à Felino *in rubric. de constit. num.* 5. & confirmatur ampliùs, quia, si quis habet iam legitimam beneficij collationem, & superior nollet ei iniustè dare possessionem, fas esset, data pecunia redimere vexationem, quod fas non esset, nisi per collationem acquireretur plenum ius in beneficio. Hanc conclusionem contra primam, & secundam sententiam tenet Nauarr, *cap. quando*, Hisp. *cap.* 7. *num.* 28. & melius Lat. *eodem num. & num.* 29. & Summa Hisp. & Lat. *cap.* 25. *num.* 103. 104. Cord. *summa, quæst.* 186. §. *Lo quarto se sigue* Pro eadem sententia est Caiet. *verbo hora, in principio*, vbi hæc dicit *beneficiarius non tenetur recitare, si non potest habere beneficij possessionem, ac fructus, nisi postmodum ei fructus dandi sint, quamuis pro tunc actualis percevio fructuũ sit impedita.* Pro eadem videtur esse Ledesm. 2. 4. *q.* 16. *articul.* 4. *dub.* 5. *conclusion.* 6. vbi hæc dicit, *Beneficiarius, qui modo non recipit fructus, at eosdem in posterum recipiet, tenetur recitare, vt cùm fructus sunt sequestrati, quia est lis inter partes, is qui habet iustitiam, tenetur*



*tenetur recitare.* Hanc etiam tenent nonnulli docti recentiores.

7 Tertia conclusio. Quando non est verisimile pro ipso beneficiario, qui habet collationem, ferendam esse sententiam, sed lis sit in æquilibrio constituta, non tenetur recitare. Ratio, quia probabiliter est dubius, & in æquilibrio, an beneficium sit suum, & fructibus eius sit potiturus, & in dubio, an percipiet commodum, non est ad onus astringendus. Hanc tenent expressè authores pro prima sententia allegati; & videntur tenere Caiet. Nau. Cord. *vbi suprà*; dicunt enim habentem beneficium litigiosum teneri recitare, quando, habita sententia, fructus sequestratos debet obtinere. Vbi videntur supponere, debere esse magnam spem, & probabilitatem obtinendi. Idem videtur tenere Ledesm. *vbi suprà*; dicit enim, illum, qui habet iustitiam, teneri recitare: vbi videtur supponere, requiri esse iustitiam verisimilem. Hanc tenent quidam docti iuniores.

8 Quarta conclusio. In aliquibus beneficiis est vera secunda sententia, in illis scilicet beneficiis, vt in canonicatibus, in quibus non potest beneficiarius aliquid de fructibus percipere ante possessionem acceptam; in his enim non tenetur ad recitandum per solam collationem, donec apprehendat possessionem; vel per eum stet. Ratio, quia in his incipit ius ad fructus beneficij à die possessionis adeptæ. Sic Nauar. *cap. quando*, Latinè *c.* 7. *n.* 29.

9 Quinta conclusio. Quando lis aduenit post possessionem beneficij adeptam tenetur possessor recitare, licèt iudicis authoritate fructus reseruentur, seu sequestrentur vsque ad litis finitionem. Ratio, quia tunc obuentiones, vel manualia, sunt possidenti, si beneficio inseruiat. Sic Palacios 4. *d.* 15. *diff.* 9 *fol.* 144.

10 Vltima conclusio. Quando lis aduenit post possessionem adeptam, & beneficium nullum habet seruitium, vt si est præstimonium, Hispanè *prestanera*, & sic fructus omnes sequestrantur, nulla parte possessori relicta, iudicandum est, an hic teneatur recitare, sicut quando lis aduenit ante possessionem, iuxta dicta *in* 2. & 3. *concl.* & videtur de mente authorum, quos *ibi* citauimus.

## DVBIVM LXXVII.

*An, quando authoritate Papæ datur alicui tantum titulus beneficij, & alteri reseruantur fructus, ille, qui habet titulum sine fructibus, teneatur ad horas.*

1 TRiplex est sententia.

Prima dicit, teneri hunc recitare, quod potest probari argumentis *suprà dub.* 71. adductis pro prima opinione. Item, quia beneficium non debet defraudari recitatione horarum; sed in hoc casu non tenetur recitare pensionarius; ergo tenetur habens titulum. Hanc sententiam, vltra Doctores *d. dub.* 71. citatos, tenet Nauar. *c. quando*, Lat. *c.* 20. *n.* 15. & *c.* 21. Lat. *n.* 12. (mutat enim sententiam, quam habuit Hispanè.) Idem Palac. 4. *dist.* 15 *diff.* 9. *f.* 144. & explicant, teneri hunc recitare, licèt omnes fructus, & seruitium beneficij reseruentur alteri; & eorum ratio est, quia Papa non reseruat seruitium sine consensu beneficiarij, & sic per ipsum stat. At dicit Nauar. succedentem in eo beneficio, cui omnes fructus, & administratio tota reseruata fuit ex prædecessoris sui consensu, non teneri recitare, quia per ipsum non stat nullos fructus capere.

2 Secunda sententia absolutè dicit, eum, cui authoritate Papæ reseruantur omnes fructus, non teneri recitare. Ratio, quia nullos potest fructus percipere. Sic Soto *l. b.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. *vers. Pari modo de illo*, Palacios *in summa, verbo hora.*

3 Tertia sententia docet, quando beneficium habet annexam aliquam administrationem in Ecclesia, cuiusmodi est beneficium curatum, Canonicatus, & portio, & communiter quodcunque aliud à præstimonio, si authoritate Papæ reseruentur solùm fructus, qui dicuntur *grossa beneficij*, Hispanè *la grueſa del beneficio*, & non reseruatur seruitium, vel distributiones, qui habet titulum, tenetur recitare: si verò authoritate Papæ est expressè reseruatum seruitium, & distributiones, & omnes fructus, non tenetur, qui habet titulum, recitare. Probatur prima pars, quia ille habens titulum potest exercere administrationem in Ecclesia, & habere stipendium correspondens illi: quando enim Papa absolutè reseruat fructus, fructus intelliguntur, qui reliqui sunt deductis oneribus. *l. fructus ff. solut. matr.* cum notatis *ibi*, & per Felinum *cap. ad nostram, de iureiur.* Probatur secunda pars, quia talis nec habet, nec potest habere aliquos fructus. Hanc tenent Cord. *summa, q.* 186. Sandoual *lib. de offic. canon. s. cap.* 5. Nauar. summa, Hisp. & Lat. *cap.* 25. *num.* 104. *& c. quando*, Hispano *c.* 7. *n.* 29. *& c.* 20. *n.* 19. & nonnulli docti recentiores.

4 Sit conclusio. Hæc tertia sententia est probabilior, & & amplectenda. Hinc

Infertur, quòd quando beneficium nullam omnino habet administrationem, quale est præstimonium, si authoritate Papæ reseruentur omnes fructus, qui habet solum titulum, non tenebitur recitare, quia tunc nullos fructus potest percipere. Et in his est vera sententia secunda Soti. Ita tenentur dicere aui hores tertiæ sententiæ, & tenuere quidam docti neoterici.

5 Secundò infertur, quòd, quando authoritate Papæ sunt reseruati alicui fructus pro pensione, & habens solum titulum beneficij, est inhabilis ad inseruiendum illi beneficio quia, v. g. nondum est sacerdos, nec potest esse pro illo tempore, vel defectu ætatis, quia dispensatum est fortè cum eo in ætate solùm ad beneficium, & non ad sacerdotium, vel quia spectat quatuor tempora, vt possit promoueri ad sacerdotium, hic non tenetur recitare; quia nec potest acquirere fructus principales, nec fructus seruitij, nec per ipsum stat. Sic nonnulli docti recentiores in suis scriptis. Et in hoc, licèt dubius, magis propendet Nauar. *c. quando*, Hisp. *cap.* 7. *num.* 29. *fine*, licèt *cap.* 20. Hisp. *n.* 20. sentiat oppositum.

6 Vltimò infertur eum, qui habet beneficium inter hæreticos, & non potest habere redditus, non teneri recitare; quia nec percipit, nec potest percipere fructus. Sic prædicti recentiores, & Toletus *in summa.*

7 Tandem soluenda sunt argumenta primæ sententiæ. Ad primum, quod positum est *suprà dub.* 71. in prima opinione respondetur, quòd, cùm hoc fiat authoritate Papæ, non est illi imputandum, sed potiùs videtur, quòd Papa priuando illum fructibus omnibus, consequenter absoluat eum ab obligatione recitandi. Et ad id inconueniens, quod infertur, scilicet quòd nec teneretur ad ministerium, quod exigit illud beneficium in Ecclesia, respondetur, quòd si Papa reseruauit omnes fructus, & administrationem in Ecclesia, habens titulum ad nihil tenebitur; si verò solos fructus, tenebitur, ad administrationem, & ad recitandum; quia iam recipiet aliquos fructus pro illa administratione, vt diximus.

8 Ad secundum argumentum *ibi* positum respondetur negando antecedens, sed tantùm acceptat titulum cum onere, quod habet titulus ex se; at titulus solus beneficij non habet onus recitandi, sed ratione fructuum.

9 Ad aliud argumentum in præsenti dubio positum pro prima opinione patebit ex dicendis *dub. sequenti.*

## DVBIVM LXXVIII.

*An in his casibus, quibus dubio præcedenti diximus, quod habens solum titulum beneficij non tenetur recitare, teneatur ad horas canonicas pensionarius ille, qui recipit fructus.*

1 TRiplex est sententia.

Prima docet, quòd, quando habens solum titulum sine fructibus reseruatis alteri in pensionem; non tenetur recitare, iuxta dicta *dub. præced.* tenetur recitare horas canonicas pensionarius, cui illi fructus reseruati sunt. Ratio, quia aliquis debet teneri ad recitandum ratione illius beneficij, ne beneficium hac obligatione, quam causat, defraudetur: sed in hoc casu non tenetur

habens titulum; ergo tenebitur pensionarius. Sic Nauar. *cap. quando*, Hisp. *c. 7. num. 30.* Cord. *summa, q. 186. §. la tercera opinion.* Idem tenuit P. Enriquez à me consultus.

2 Secunda sententia docet, quòd quando illud beneficium habet aliquam administrationem, seu residentiam in Ecclesia, & reseruantur fructus, & illa administratio habenti titulum, tenetur ille recitare, cui reseruatur seruitium, siue sit ipse pensionarius, qui seruit, siue alter; quia hic administrator recipit stipendium beneficij, & titulo ecclesiastico, non beneficiati, sed administratoris: si verò beneficium nullam omnino habet administrationem, vt præstimonium, non tenetur recitare habens titulum sine fructibus, nec pensionarius, cui reseruati sunt authoritate Papæ illi fructus; quia hic est merè pensionarius sine titulo ecclesiastico beneficiati, vel administratoris. Hanc tenuit quidam valdè doctus neotericus in suis scriptis.

3 Tertia sententia expresè reprobat primam, & secundam, & docet, quòd quoties authoritate Papæ reseruantur omnes fructus pro pensione, & etiam seruitium, non tenetur recitare, qui habet merum titulum, nec etiam pensionarius, nec ille qui habet seruitium beneficij, siue sit pensionarius, siue alter, qui habet tale seruitium sine titulo beneficij, & sic in nullo casu admittit pensionarij teneri ad horas canonicas. Probatur, quia cùm obligatio recitandi horas canonicas sit de iure positiuo, non est alicui imponenda, nisi in casibus, in quibus ipsum ius obligat; sed non obligat ius ad recitandum illum, qui non est Religiosus, vel ordinem sacrum habet, vel beneficium: at in præsenti casu hic pensionarius, etiamsi habeat administrationem, verè non habet beneficium; ergo non est obligandus. Et confirmatur, quia si curatus aliquis ex licentia Prælati substitueret aliquem, qui ministraret beneficio, & ratione ministerij acciperet manualia, vulgò *el pie de altar*, nullus obligabit illum ad recitandum ratione illius administrationis, & ratione illorum fructuũ: cuius signum est, quia si non recitaret, non compelleretur hos fructus restituere; ergo. Item quia Pontifex summus separans omnes fructus à beneficio, videtur dispensare, vt nullus reciter pro illo beneficio, nisi expresè det titulum, vel fructus, exprimens velle alterum ad recitandum obligari, quod potest facere, cùm obligatio recitandi sit de iure positiuo. Et voluit Papa contentus esse alio seruitio quod præstat, vel præstitit pensionarius æquiualens horis, ob quod talis pensio est illi concessa. Hanc tenuit quidam valdè doctus neotericus in suis scriptis, & videtur mihi multo probabilior cæteris.

## DVBIVM LXXIX.

*An qui plura habet beneficia, teneatur toties horas canonicas recitare, quot beneficia habet.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet eum, qui iustè obtinet plura beneficia, scilicet ex iusta dispensatione, non teneri, nisi semel recitare; quia dispensatio videtur ex pluribus illis beneficiis facere vnum, at qui iniustè plura obtinet, tenetur toties recitare quotidie horas canonicas, quot beneficia habet. Ratio, quia quodlibet beneficium per se obligat ad recitandum, & in hac obligatione per nullum dispensatum est (quando enim iustè illa habet Pontifex, qui in pluralitate dispensat, dispensare viderut ne pluries recitet;) ergo. Et confirmatur, quia aliàs defraudaret illa beneficia horarum recitatione, ad quam singula obligãt, & plures ministri, qui illa beneficia deberent habere, singulas horas canonicas singuli erant recitaturi. Hanc tenet Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5. *n.* 13. Nau. *c. quando*, Lar. *c.* 22. *n.* 62. 63. Auctor summæ virtutũ, & vitiorum, *tom.* 1. *c.* 21. *§. quæ faciunt ad plurium beneficiorum detestationem, in tertio, quod facit in fine illius*, Guillerm. Parisiensis, quem refert, & sequitur Dionys. Carthus. *in opusc. lib. vno contra pluralitatem beneficiorum, art.* 17. *& lib. vno de vita Canonicorum, art.* 22. *sub finem*. Atque hanc sententiam probat latè, & optimè Suar. *de religione, lib.* 4. *de horis canonicis, c.* 18. *n.* 17. vbi ait, esse ita indubitata consuetudine receptum; vt non possit in moralem dubitationem adduci. Fauent etiam alij, qui quæstionem hanc disputantes dicunt, eum, qui iustè plura habet beneficia, non teneri ad pluries recitandum: vbi videntur oppositum innuere in habente plura beneficia iniustè. Hi sunt D. Th. *quodlib.* 1. *art.* 13. Rich. *quodlib.* 2. *q.* 26. Driedus *lib.* 2. *de libertate Christiana, c.* 4.

2 Secunda sententia docet, eum, qui plura habet beneficia, etiam iniustè, non teneri, nisi semel recitare quotidie horas canonicas. Probatur, quia hic est vnus tantùm minister; & quando plures rationes obligandi ad recitandum concurrunt in vnico ministro, non obligant illum, nisi ad semel recitandum, vt plures ordines sacri, scilicet subdiaconatus, diaconatus, & sacerdotium, vel ordo sacer, & beneficium, licèt iniquè susciperentur, non obligant, nisi ad semel recitandum. Hanc tenent Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. *fol.* 147. & Suar. *suprà, num.* 10. & videtur mihi multò probabilior.

## DVBIVM LXXX.

*An scholasticus beneficiarius existens in studio, vel ex alia causa absens, teneatur ad officium defunctorum, quod in sua Ecclesia dicitur.*

1 NOra, quòd officium defunctorum quandoque in Ecclesia dicitur, sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die defunctorum: & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, vt quòd dicatur semel in hebdomada, &c. Aliquando verò dicitur officium defunctorum in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam emergentem, vt ad preces alicuius personæ, vel ad sepeliendum defunctum, &c.

2 Prima conclusio. Ad officium defunctorum, quod ordinariè dicitur in Ecclesia, tenetur Clericus beneficiarius, etiam existens in scholis. Ratio, quia recipit stipendium pro illo. Sic D. Th. *quodlib.* 6. *art.* 8. Arm. *verbo hora, n.* 3. Syluest. *q.* 6. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christ. c.* 4. Turrecr. *c.* 1. *disp.* 91. *n.* 21. Nauar. *c. quando*, Hisp. & Lar. *c.* 10. *n.* 34. Sandoual *lib. de offic. canon.* 1. *p. cap.* 6.

3 Nota hîc, quòd, si Ecclesia illa non dicit illud officium ex dotatione aliqua, eleemosyna ad hoc relicta, sed tantùm ex consuetudine, si beneficiarius recitat iuxta Breuiarium Pij V. non tenebitur ad illud, iuxta *alibi* dicta.

4 Secunda conclusio. Ad illud verò, quod extraordinariè dicitur in Ecclesia, non tenetur beneficiarius existens in studio, vel aliàs absens; quia id non est pars officij, nec recipit propter illud stipendium. Sic Turrecr. Nauar. *ibi*, & videtur tenere D. Thom. *ibidem*.

5 Vltima conclusio. Similiter non tenetur ad alia suffragia, quæ fierent extraordinariè in sua Ecclesia; patet eadem ratione. Sic Turrecr. *ibidem*.

## DVBIVM LXXXI.

*An clerici beneficiarij, qui non recitant horas canonicas, teneantur fructus ex beneficio perceptos restituere, stando in solo iure naturæ, ante decretum Concilij Lateranensis.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit, teneri restituere, etiam stando in iure naturali. Probatur, quia beneficium datur propter officium, *cap. fin. de rescript. in* 6. Sed officium maximè proprium clerici est recitare horas canonicas; ergo, qui id non præstat, tenetur iure naturali restituere, quod illi datum est propter hoc. Sic Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 6. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 10. Iulius Clarus *pract. crimin. lib.* 5. *§. fin. q.* 73. *vers. pariter etiam*. Calder. *c.* 1. *de celebrat. Miss.* Domin. *c. fin. de rescript. in* 6. & *ibi* Franc. *n.* 4. Bald. *l.* 1. *C. de his, quibus vt indig. in* 1. Iason *l. scrinarios, C. de rest. milit. n.* 6. Decius *c. cum omnes, de const.* Ripa *l. fin. C. de reuocand. donat. q.* 66. Ang. *verbo hora, num* 11. Adr. 4. *materia de rest. q. an clericus teneatur restituere, quod vltra victum de redditibus beneficij consumpserit, vers. Pro responsione.* Et hanc sentit tutiorem glossa pragmatica sanctione, *tit. qualiter horæ canonicæ sint dicendæ.* Licèt enim ferè omnes hi Doctores non explicent, quòd iure naturali teneatur beneficiarius non recitans restituere, at dicunt teneri restituere, & non meminere decreti Concilij Later. vnde videntur sentire, ante tale decretum, stando in iure naturali, teneri restituere. Idem tenuere quidam docti neoterici in suis scriptis. Idem de habentibus beneficium simplex tenet Nauar. *lib.* 2. *de rest. c.* 2. *n.* 197. secus de curatis, qui habent alia ministeria; & cum Nauarra tenet Arag. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *fol.* 867.

2 Secunda sententia dicit, quòd stando in iure naturali, & seclusò decreto Concilij Lateranensis, non tenetur restituere fructus beneficiarius non recitans. Probatur, quia nullus textus id præcipiebat, & nulla est ratio id conuincens: quòd enim beneficium detur propter officium, id non conuincit, quia respondet optimè Syluest. *vbi infra*, primò, quòd beneficium non datur simpliciter, & omnino propter officium, sed etiam, vt clericus assumptus in partem Domini de patrimonio Domini viuat, & non mendicet, *c. Diaconi* 93. *dist. & c.* 2. *de præbendis*. Item, quia non solùm horæ canonicæ sunt officium, propter quod datur beneficium, sed ministratio sacramentorum, consiliorum, & verbi Dei, & decantatio diuinorum tempore, quo populus confluit, & denique, vt beneficiatius celebret, & faciat cætera ordinis sacerdotalis. Item, quia beneficium non datur propter officium, ita vt propterea importet conditionem, sed importat modum, & sic, illo non adimpleto non sunt restituendi fructus. Hanc tenent Præpositus *in summa* 44. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christi, c.* 4. *paulò post principium*. Nauarr. *c. quando c.* 7. *n.* 31. *& c.* 10. Hisp. *n.* 37. & Lar. *c.* 21. *n.* 58. Sylvest. *verbo hora, in fine, & verbo clericus* 4. *q.* 23. Panorm. & Card. *c.* 1. *de celebrat. Miss.* Felinus *c. postulasti, de rescript. n.* 7. Rosel. *Clericus* 4. *n.* 23. Tab. *beneficium* 3. *n.* 11. *& verbo restitutio, n.* 19. Arm. *verbo beneficium, n.* 69. *& verbo Clericus, n.* 27. D. Ant. 2. *p. tit.* 2. *c.* 4. *fine*, & plures alij Doctores, quos refert Sylu: *vbi suprà*, dicens, esse ferè omnium. Et hæc est communis sententia, vt docet Cou. *vbi suprà*. Idem tenuere nonnulli valdè docti recentiores. Et hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM LXXXII.

*An, post Concilij Lateranensis decretum, & motum proprium Pij Quinti, beneficiarij non recitantes teneantur fructus beneficij restituere.*

1 NOra, in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. §. *statuimus* sic haberi. *Statuimus, quòd quilibet habens beneficium cum cura, vel sine illa, si post sex menses ab obtento beneficio officium diuinum non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorũ fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos, tanquam iniustè perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: si verò vltra dictum tempus in simili negligentia consuetudinaliter permanserit, legitima precedente monitione, beneficio priuetur: intelligatur verò officium omittere, quo ad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud, saltim bis, non dixerit.* Hæc ibi.

2 Circa hoc dubium variæ sunt sententiæ: quidam enim dicunt decretum hoc non esse vsu receptum, & sic ex vi illius non obligari beneficiarios non recitantes restituere fructus. Sic nonnulli valde docti recentiores Magistri in suis scriptis. Et Simancas *lib. de instit. cathol. tit.* 9. *num.* 208. dicit, dubitari probabiliter posse, an hæc pœna obliget omnino in foro conscientiæ, quia hoc decretum vsu non est receptum, & paucis innotuit. Et Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 1. *art.* 6. *ad* 1. dicit, nondum planè sciri, an fuerit vsu receptum.

Alij verò dicunt statutum in hoc decreto magis videri pœnam, quæ iustè à Prælatis imponi potest, quàm, vt quis ad eam per se teneatur. Sic Petrus Soto *lib. de inst. sacerdotum, tract. de vita sacerdotum, lect.* 4. *vers. nec illud.* Et non abhorret ab hoc Merina *lib.* 1. *instr. confess. c.* 14. §. 11. nam inter solutiones, quas adhibet ad motum proprium Pij Quinti, qui est confirmatio Concilio Lateranensis, altera est, quòd est pœnalis, & sic obligat post iudicis sententiam.

4 Alij verò dicunt, decretum Concilij Lateranensis obligare, sed non eo rigore, quo sonat; non enim tam rigidè vsu receptum est. Vnde beneficiarius, qui vna vel duabus diebus non recitat, non est cogendus ad fructuum restitutionem, qui correspondent illi diei, quia beneficiũ non tantùm datur pro horis recitandis, sed etiam pro aliis officiis: quando verò orandi omissio vlteriùs procederet, tenetur restituere fructus. Sic docent Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 6. Menochius *lib.* 2. *de arbitr. iudiciis, centura* 5. *casu* 429. Eiusdem sententiæ videntur esse Cou. *lib.* 3. *var. c.* 13. *n.* 10. & Salcedo *in addit. ad c.* 49. *practicæ crimin. Bernardi Diaz.* nam referunt hunc sententiam Soti, & non improbant, vnde illam videntur approbare. Immò Merina *vbi supra* dicit, quòd beneficiarius, qui alia habet munia præter horas, vt capellanus, qui aliquot sacra facere tenetur, vel parochus, qui tenetur administrare sacramenta, si toto anno alia obeat ministeria, & reciter, ex hoc quòd octo, vel decem diebus omittat recitare, non est compellendus ad aliquam restitutionem.

5 Secundò dicunt aliqui authores huius sententiæ, quòd beneficiarius non recitans per primos sex menses ab obtento beneficio, tenetur restituere fructus beneficij, sicut non recitans post sex menses, etiã stando in verbis ipsius Concilij Lateranensis: & probant primò, quia si Concilium intelligat (vt alij volunt) quòd vsque post sex menses non cogatur beneficiarius non recitans restituere fructus; videtur nimia relaxatio. Item, quia non bene cohærent verba sequentia eiusdem Concilij cum præcedentibus; habet enim priùs, *quòd qui post sex menses ab obtento beneficio non recitauerit, pro rata restituat.* Postea verò subditur, *si verò vltra dictum tempus in simili negligentia consuetudinaliter permiserit*, &c. Ergo hæc vltima verba, *in simili negligentia*, apertè denotant negligentiam priorem sex mensium obligare ad restitutionem pro rata, quandoquidem post illos adhibet maiorem pœnam, scilicet priuationis beneficij. Vnde sensus Concilij est, quòd, qui per sex menses non recitauerit, teneatur tantùm fructus restituere, at post sex menses, si adhuc non recitauerit, possit priuari beneficio. Sic Sotus, & Menochius *vbi suprà*.

6 Alij verò decretum Concilij Lateranensis rigidè intelligunt, & dicunt, post primos sex menses ab obtento beneficio beneficiarium non recitantem etiam vna die, teneri fructus restituere pro rata. Ratio, quia ita dicit apertè Concilium Lateranense. Sic Nauar. *c. quando, c.* 7. *n* 32. & summa Hisp. & Latina *cap.* 25. *n.* 221. Iosephus Angles *floribus q. theolog.* 2. *p. materia de Clericis restitutioni obnoxiis. fol.* 199. Sandoual *lib. de offic. canon.* 5. *p. c.* 5. Aragon 2. 2. *q* 83. *art.* 13. *fol.* 866. Idem Nauarr. *lib.* 2. *de rest. c.* 2. *num.* 183. & alij

7 Secundò dicit hæc sententia, quòd qui non recitat intra primos ses menses ab obtento beneficio, licèt peccet mortaliter, non tamen tenetur ad aliquam fructuum restitutionem. Ratio, quia Concilio expresè dixit, *si post sex menses.* Sic Sandoual *ibidem*. Nauarr. *c. quando c.* 10. Hisp. *n.* 38. Lat. *n.* 37. & summa Hisp. *c.* 28. *addit. ad n.* 124. *c.* 25. Nau. *vbi supra n.* 185. Arag. *ibi*, dicit tamen *fol.* 868. quòd iure naturali tenetur beneficiarius simplex etiam eo tempore omittens horas, restituere, non verò curatus.

Pro solutione huius dubij sit

8 Prima conclusio: Decretum Concilij Lateranensis ciratum, est seruandum tanquam vsu receptum, & sic beneficiarij non recitantes horas canonicas sunt, secundùm illud, obligandi ad fructuum restitutionem. Quod, licèt

ante constitutionem Pij Quinti non esset adeò certum, iam tamen post illam nequit sub dubium cadere, vt constabit ex *conclusione* 3. subiicienda Sic Nauar. *locis citatis*, dicens, se vidisse practica receptum esse hoc decretum. Sandoual, Ioseph, Angles *vbi suprà*. Idem tenet, & latè probat Suar. *de Relig. lib. 4. de horis canonicis, c.30. à n.2* vbi addit, saltem post constitutionem Pij Quinti, dubitari non posse de vigore illius. Couarr. *vbi suprà*, Cord. summa *q.33.* Castro *lib.2. de lege pœnali, cap.5. argumento 9.* & pro eadem videntur esse sententia Bernardus Diaz *practica crimin. c.49.* & Greg. Lopez *l.34. tit.6. part.1. versic. en la Yglesia* vbi referunt hoc decretum tanquam vim habens, & non dicunt, non esse vsu receptum. Idem tenet Sotus. Menochius, Salzedo *vbi suprà*, non enim negant, esse vsu receptum, & obligare hoc decretum; immò dicunt, obligare, piè tamen interpretantur illud. Idem nonnulli docti recentiores in suis scriptis.

9 Secunda conclusio. Qui per primos sex menses ab obtento beneficio, sine culpa omittit recitare, peccat mortaliter; at non tenetur ad liquam fructuum restitutionem. Probatur, quia apertè id dicit dictum decretum Concilij. Item, quia Pius Quintus in quodam motu proprio, quo explicuit dictum decretum Concilij Lateranensis, quem refert Nauar. summa Lat. *c.25. n.122.* cùm dixisset, beneficiarium non recitantem post sex menses teneri fructus restituere, subdit: *Ille verò, qui primis sex mensibus non recitauerit, nisi legitimum impedimentum excusset, graue peccatum intelligat admisisse.* Vbi nil dixit de restitutione. Hæc conclusio est contra Sotum, & Menochium *suprà* citatos. Eam docent Nau. Sandoual, & Nau. *vbi suprà*, & nonnulli valdè docti neoterici, éstque modò commune placitum.

10 Nota conclusionem hanc esse veram, licèt teneamus, beneficiarium non recitanté teneri fructus restituere, stando in iure naturæ; quia Ecclesia, quæ est creditor, & obligat ad hoc onus, cedit iuri suo quoad restitutionem per primos sex menses. Sic quidam valdè doctus recentior in suis scriptis contra Aragon *suprà*.

11 Tertia conclusio. Etiamsi beneficiarius vno die tantùm omittat officium diuinum, immò & vnicam tantùm horam canonicâ, dummodò integrè omittatur, tenetur restituere pro rata eam partem fructuum, quæ tali recitationi respondet. Hæc conclusio est contra Sotũ, Menochium, Cou. Salzedo; quos *suprà* citaui; eam tamẽ cum communi sententia docet Suar. *suprà n.11.* apertè conuincens ex verbis Pij Quinti, quæ ita habent: *qui vno, vel pluribus diebus omnes horas canonicas intermiserit, omnes fructus amittat, qui illis, vel illis diebus corresponderent. si quotidie diuiderentur.* Et addit Pontifex, quòd si beneficiarius non vna die integrum officium prætermittat, pro dimidia officij prætermissa parte restituat dimidiam partem fructuum illi diei correspondentium: dimidiam autem partem officij declarauit esse matutinum, & alias sex horas constituere aliam dimidietatem officij: quas, quia inter se æquales reputauit, ideo prouniuscuiusque omissione sextâ partem fructuum eiusdem diei amitti declarauit. Cùm ergo Pontifex taxet, quid restituendum sit pro dimidia parte officij vnius diei prætermissa; immò, & pro singulis horis, iam dici non potest, excusari ab obligatione restituendi eum, qui vno, vel altero die omittit officium. Rationes verò, quibus Soto, & alij nituntur, satis refutat Suarez *suprà n.10.*

## DVBIVM LXXXIII.

*An beneficiarius non recitans teneatur fructus beneficij integrè restituere, vel tantum fructus, qui respondent recitationi, deductis fructibus, quos propter alia beneficij ministeria meretur.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet, teneri restituere integros fructus. Probatur, quia Concilium Lateranense expressè loquitur de beneficio curato, & de non curato, & dicit, non recitantem teneri restituere fructus pro rata omissionis: at beneficium curatum alia ministeria habet præter horarum recitationem; ergo. Sic videtur tenere Nauarr. *c. quando, cap. 7. n.32.* & summa Hisp. & Lat. *c.25. num.121. 222.* absolutè enim dicit, non recitantem teneri restituere omnes fructus. Et ita tenet Suar. *de Relig. lib.4. de horis canonicis, c.30. n.6.* vbi id latè probat ex motu proprio Pij Quinti.

2 Secunda sententia docet, quòd non tenetur restituere omnes fructus beneficiarius non recitans, quando beneficium habet aliud ministerium, vt residentiam, vel obligat ad aliquot sacra facienda, vel ad curam animarum, &c. Sed deducenda est illa pars, quæ iudicio prudentis correspondet aliis ministeriis, & cæteri fructus sunt restituendi pro rata omissionis. Probatur, quia, cùm beneficium illud detur non tantùm propter officium illud recitandi horas canonicas, sed etiam propter alia ministeria, ratio ipsa postulare videtur, vt ob id, quòd non recitat, non teneatur omnes fructus restituere, sed tantùm qui arbitrio prudentis correspondent illi ministerio recitandi? ergo Concilium Lateranense sic est intelligendum. Et confirmatur, quia ipsummet decretum Concilij Lateranensis affert hanc rationem ad obligandum beneficiarium non recitantem ad restituendum fructus, quòd beneficium datur propter officium; ergo, quando est aliud officium, debet deduci, quod correspondet illi. Item, quia pœnæ sunt restringendæ, iuxta *cap. odia, de reg. iuris, in 6.* Sed ista est pœna; ergo restringenda est ad modum dictum: maximè quia talis restrictio est nimis conformis iuri naturali. Item probatur, quia nemo militat suis stipendiis vnquam, & ius naturæ postulat, vt laboranti detur merces. Item probatur, quia Concilium dicit, quòd amittat fructus non recitans, sed fructus intelliguntur in iure, qui remanent, deductis expensis, vt dicunt omnes iurisperiti, ex *l.1. C. de fructibus, & litium expensis* Nauar. *summa, c.17. n.205. 216.* Syluest. & summistæ *verbo fructus*, Couar. alios referens *lib.1. var. cap.3. n.3.* Pinellus *l.1. C. de bonis mater. 2. part. num.14.* ergo fructus, quos parochus tenetur restituere ob omissionem horarum, non comprehendunt illos, qui propter alias impensas, & ministeria debentur. Hanc tenet Metina *in summa, lib.1. cap.14. §.11.* Idem Enriquez *lib.13. de excommun. cap.13. num.2.* Manuel *1. tomo summæ, cap.143. num.4* Idem Aragon *2.2. q.83. art.12. fol.869.* & quamplurimi admodum docti recentiores, inter quos P. Enriquez à me consultus.

3 Sit conclusio. Hæc secunda sententia est multò probabilior, & amplectenda; vt patet ex eius rationibus, & authoribus. Nec obstat motus proprius Pij Quinti, quia, licèt ille obliget ad restituendum etiam pro vna die immò etiam pro qualibet hora, quæ omittatur post sex menses à collatione beneficij, vt rectè probat Suar. *suprà n.10. 11. & 12.* non tamen est receptus in hoc rigore vt obliget ad restituendos omnes fructus beneficij, seu beneficiorum; sed solùm ad eos, qui correspondent recitationi, & qui propter illam dantur, vt testantur multi viri docti, & praxis timoratorum.

## DVBIVM LXXXIV.

*Quantam partem obligabimur, vt restituat quilibet beneficiarius pro omissione horarum canonicarum.*

1 POnam sententiam, & arbitrium sapientissimorum virorum, quos omnes retulit quidam valde doctus recentior in suis scriptis, vt iuxta id possit quilibet arbitrari in casibus occurrentibus, hoc enim (vt dixi *dubio præced.*) arbitrio prudentis pensandum est.

2 Cardinalis Toletus *in sua summa*, non distinxit in hoc de beneficiis, sed absolutè, & in communi dixit. Ego crederem, quòd beneficiarius non recitans tenetur restituere quartam partem, vt si habeat ex redditibus beneficij singulis diebus aureum, teneretur singulis diebus, quibus prætermisit horas, restituere quartam partem aurei, sed hoc non potest ita absolutè dici, quia sunt beneficia, quæ nullum aliud habent ministerium, vt præstimonia, & inter alia, aliis plura habent ministeria.

3 Deinde quidam doctus recentior de hoc interrogatus dixit, quòd habentem capellaniam condemnaret ipse ad restitutionem, pro omissione horarum, sextæ partis fructuum; habentem beneficium curatum, ad restituendum quartam partem fructuum, & Canonicum ad restituendum dimidiam partem fructuum: quam sententiam sequuti sunt alij viri docti nostræ Societatis, excepto, quòd in canonicatu multùm illis fuit visum obligare ad restituendum dimidiam partem fructuum; & in beneficiis simplicibus, quibus est seruitium annexum, dixerunt, esse restituendam tertiam partem fructuum: alij verò quartam, aut quintam.

4 Rursus Enriquez *lib.13. de excommunic. cap.13. num.2. in commento litera V. & Z.* dicit, satis esse, quòd curatus, aut Episcopus restituat quintam partem, Canonicus quartam, & alij habentes beneficia simplicia tertiam partem, & dicit, hanc sententiam esse communem recentiorum.

5 Metina *in summa, lib.1. instruct. confess. cap.14. §.11.* dicit, capellanum non recitantem teneri restituere tertiam partem fructuum; habentem curatum quartam partem; habentem autem præstimonium omnes fructus, vel ferè omnes. Eadem est Metina consultus de quodam Canonico Toletano, cuius canonicatus redditus annui erant mille aurei, & per biennium non recitarat, dixit, compellendum esse restituere propter omissionem horarum biennij quingentos aureos, qui sunt quarta pars redditus illius biennij: quod idem respondit quidam vir doctus Societatis IESV. Atque hoc arbitrium, quoad canonicatum, esse satis rationi consonum, senserunt alij, & iuxta hoc habentem beneficium curatum ad multò minorem restitutionem esse obligandum, Manuel *1. tomo summæ, cap.143. n.4.* tenet cum Metina, quòd beneficiatus simplex tertiam partem restituat curatus quartam.

6 Sit conclusio. Hoc arbitrium Metinæ videtur mihi rationi consonum, præterquam, quoad habentem præstimonium. nam, vt bene Enriquez *lib.13. de excommunicat. cap.23. n.2.* satis est, si habens præstimonium, vel pensionem, restituat tertiam partem fructuum, quia hæc correspondet officio horarum, cùm hoc accessoriè sit coniunctum titulo; nam ante multi dicebant, non obligare ad officium, & reliquos fructus retinebit ob titulum ex causa dotis, & refert alios modernos & dicit, hoc solummodo esse receptum motum proprium.

## DVBIVM LXXXV.

*An, qui recitat officium diuinum sine vlla attentione, teneatur restituere fructus.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit, teneri restituere fructus quando defectus attentionis est talis, vt ille non satisfaciat præcepto Ecclesiæ de recitandis horis, iuxta supradicta. Probatur, hic non magis satisfaciat præcepto Ecclesiæ, quàm si non recitaret; ergo perinde tenetur fructus restituere, ac si non recitaret. Sic Manuel *1. tomo summæ, cap.141. num.1.* Aragon *2.2. quæst.83 art 12. fol.870* Nauarr. *cap. quando, cap.13* Hispan. *num.18.* Lat. *n.17. & c.20.* Hisp. *num.42. 43.* Lat. *num.32.* vbi etiam vniuersaliter docet, teneri restituere fructus qui tam malè recitat, vt præcepto non satisfaciat, quia perinde est, ac si non recitaret; & alij. Idem videtur sentire *lib.10. de iust. quæst.5. art.6. vers. subi exitur*. nihilominus. Idem tenet Nauarra *lib.2. de restit. c.2. n.231. 232. 233.* Sed non est contra secundam sententiam, quia tantùm agit, quando deest etiam externa attentio.

2 Secunda sententia docet, beneficiarium recitantem horas sine attentione, etiam datâ operâ, non teneri restituere fructus. Probatur, primò, quia lex pœnalis est restringenda, sed Concilium Lateranense, & Pius Quintus iubens restitutionem fructuum est in pœnam delicti omissionis horarum, & tantùm loquitur de non recitante; ergo non debet extendi ad non recitantem attentè. Secundò probatur, quia sicut is, qui confitetur in Quadragesima absque dolore, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, at non incurrit pœnam Ecclesiæ contra non confitentem, vt fatentur plures, inter quos est Metina *C. de confess. q. de confessione sine pœnitentia cordis, in fine*, & Nauarr. *in summa, cap.27. n.269.* ita, licèt recitans sine attentione peccet, & non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, at non subinde incurret pœnam Ecclesiæ contra non recitantes. Et confirmatur; quia Nauarr. *ibi* dat rationem, quia (inquit) Ecclesia non imponit pœnam propter actum, qui tantùm ob relationem ad actum interiorem est malus; sed hæc recitatio est tantùm mala propter euagationem interiorem; ergo propter illam non censetur Ecclesia imponere pœnam restitutionis fructuum. Sic tenent Cordub *lib.4. quæstionary quæst.13. in fine.* Idem alij viri docti à me consulti. Et hæc sententia est probabilior: & potest insuper confirmari; cùm enim valde sit ambiguum, an sit necessaria interna intentio; insuper esto necessaria sit, an teneatur non attendens horas repetere, vt ex supradictis constat, in hac re tam dubia rationi consonum est, vt mitiùs nos habeamus, quoad fructuum restitutionem. Item quia defectus attentionis non est contra iustitiam, sed contra religionem.

## DVBIVM LXXXVI.

*An habens beneficium, qui omittit horas canonicas absque peccato, teneatur fructus restituere.*

1 SIt prima conclusio. Qui bona fide absque culpa omisit horas canonicas, vt quia nesciebat legere, vel quia carebat Breuiario, vel quia confessor dixit illi, non teneri recitare, non tenetur fructus beneficij restituere. Probatur, quia Concilium Lateranense, & Pius Quintus in suo motu proprio in pœnam culpæ omissionis horarum induxit obligationem restituendi fructus; ergo, qui excusatur à culpa, excusari etiam debet à pœna. Ita Nauar *cap. quando* latinè *c.22. fine* Idem nonnulli docti recentiores. At doctores citati *suprà dub. 81.* qui dicunt, teneri restituere iure naturali, docent, teneri in hoc casu: & quòd teneatur restituere, tenet Petrus de Ledesma *2. tomo summæ, tract.1. q.4. post decimam conclusionem, difficultate 2* Hinc

2 Infertur, quòd nesciens recitare, licèt peccet acceptando beneficium, quia tamen non peccat omittendo horas, durante impotentia recitandi ob ignorantiam, & defectum directoris, pro eo tempore, quo dicere nequit, nec habet instructorem, non tenetur restituere fructus. Et idem dicendum est de non recitante ob defectum Breuiarij vel aliam impotentiam, licèt culpa sua in eam impotentiam incideret. Ratio, quia in his casibus excusatur à culpa non recitandi. Sic Nauarr. *ibidem.*

3 Secunda conclusio. Si verò confessor ille dixisset, quòd tenebatur recitare, sed quòd non tenebatur restituere, licèt nonnullus dixerit teneri restituere, at sufficit, quòd restituat fructus, in quibus factus est ditior. Ratio, quia ille peccauerit non recitando, at bona fide consumpsit fructus; ergo obligandus est ad restitutionem tanquam bonæ fidei possessor, scilicet in quantum solùm factus est ex ipsis locupletior. Sic prædicti recentiores.

## DVBIVM LXXXVII.

*Cui teneantur restituere fructus beneficij non recitantes.*

1 SIt prima conclusio. Tales fructus restituendi sunt fabricæ Ecclesiarum, vbi sunt talia beneficia, vel pauperibus Ita haberur expressè in Concilio Lateranensi, & motu proprio Pij Quinti *dubiis præcedentibus* citatis, & tenet Nauarr. *cap. quando, cap.7. num.33.* & summa Lat. & Hispan. *cap.25. num.121. 122.* Sotus *lib.10. de iust. quæst.5. artic.6* Nauarra *lib.2. de restitut. cap.2. num.191.* Manuel

Universidad de Deusto
Biblioteca



*1.tomo summ.cap.143.n.3.* & quidam neoterici docti. Hinc

2 Infertur, hunc beneficiarium satisfacere restituendo fructus fabricæ, licèt ea sit ditissima. Ratio, quia facit, quod iubent Concilium, & motus proprius, præcipientia hanc restitutionem. Sic neoterici.

3 Secundò infertur quòd, si beneficiarius ipse, qui debet restituere fructus, sit verè pauper, potest sibi eos retinere. Ratio, quia obligatus aliquid restituere pauperibus, potest sibi retinere, quando verè pauper est, cùm non sit peioris conditionis, quàm alij pauperes, vt fatetur communis omnium sententia in materia *de restitutione*; ergo. Sic Manuel, Nauarr. & Aragon. *locis citatis*, Nauarr. *vbi suprà*, & præfati neoterici.

4 Vltima conclusio. Qui noluerit integros restituere fructus habet optimum remedium, scilicet vt componat se de talibus fructibus cum Papa, vel eius Nuncio, si eam habet à Papa facultatem: in qua compositione est minor scrupulus, quàm in aliis, etiamsi pro parua parte Pontifex remittat reliquum, dummodo fiat vera, & integra relatio Pontifici. Ratio, quia obligatio hæc restituendi ex solo iure Pontificio consurgit, vt *suprà* dixi; ergo Papa potest illam remittere per compositionem. Sic docti neoterici.

## DVBIVM LXXXVIII.

*An Canonici non recitantes horas teneantur restituere fructus fabricæ, vel pauperibus, vel potius aliis Canonicis.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit tria. Primum est, decretum Concilij Lateranensis, in quantum iubet, vt beneficiarius non recitans restituat fructus fabricæ, vel pauperibus, non habet locum in distributionibus quotidianis; eæ enim, quando Canonicus, vel Portionarius, vel alia dignitas non lucratur, accrescunt cæteris assistentibus horis. Secunda est, non habet etiam locum in fructibus, quos Hispan. vocant, *la grueſa*, & in illis habent Canonici ratione canonicatuum; ij enim, si Canonicus eos non lucretur ob omissionem horarum, accrescunt cæteris Canonicis. Probat, quia isti fructus post obitum Canonici, dum vacat canonicatus, pertinent ad Canonicorum collegium, vt colligitur ex *c.relatum 2.de testam.* vbi id docet Couarr. *num.2.* & ipso teste, communis Doctorum, & Panorm. *ibi*, vbi notat Couarr. quòd acquisita per alium Clericum habentem beneficium extra congregationem, vel collegium, successori dantur; ergo eadem ratione cæteris Canonicis debent accrescere fructus, si Canonicus eos non lucretur, vel morte ciuili, vt depositione, vel excommunicatione, vel quia non recitat, vel quacunque alia de causa. Tertium est, non satisfaciet talis, si fabricæ, vel pauperibus restituat, si tamen cæteri Canonici remittant, non tenetur restituere. Hanc sententiam tenet Nauarr. summa Latina, & Hispan. *cap.25.num.123.* & in noua Latina, & *cap. quando, cap* 7. Lat. & Hispan. *num.34.35.* & alij. Et eiusdem sententiæ videtur Couarr. *lib.3. variar. cap.13. num.7* ibi enim tractat hanc quæstionem, an distributiones quotidianæ, & fructus, etiam principales, quos *grossam* vocant, absentium, accrescant præsentibus, & respondet duplici distinctione, seu limitatione. Prima est, quòd vbi statuto, seu consuetudine Ecclesiæ certa quantitas distributionum, vel reddituum principaliorum est destinata ad hoc, quòd diuidatur inter ipsos ministros in ipsorum victum, & laboris mercedem, tunc tam distributiones, quàm redditus principales absentium sunt distribuendæ inter præsentes: si verò res ita sit instituta, vt cuilibet Canonico, qui præsens horis Canonicis fuerit, detur certa, ac definita quantitas, seu in distributionibus, seu in annuis redditibus principalioribus, tunc portio absentis non est danda cæteris præsentibus, sed manebit apud ipsam Ecclesiam. Secunda limitatio, seu distinctio est, quòd id, quod dictum est, partem absentium pertineat ad Ecclesiam, tunc habet locum, cùm ex patrimonio Ecclesiæ, cui ministratur, dantur redditus, & quotidianæ distributiones ipsis ministris, nullâ factâ diuisione reddituum inter ipsam Ecclesiam, & eius ministros; at verò, vbi patrimonium Ecclesiasticum in duas fuerit diuisum partes, quarum vna sit propria ipsius Ecclesiæ, ad eius fabricam, vestes, & alia ei necessaria; altera verò sit distincta ad ministrorum victum, & laboris mercedem, tunc id, quod dictum est in præcedenti distinctione pertinere ad Ecclesiam, verè dedit in patrimonium commune ipsorum ministrorum, siue sint distributiones quotidianæ, siue reditus principales. Hæc Cou. Idem tenet Nauarra *lib.2. de restit.cap.2. num.191.* & Manuel 1.*tomo summæ.cap.143.num.3.* dicit, quòd Canonicus non recitans tenetur restituere cæteris assistentibus distributiones. Et in Ecclesiis, vbi est statutum, vt fructus malè percepti dentur certis operibus piis, illis sunt restituendi. Et de Canonicis tenet idem Aragon 2.2. *q.83.artic 13.fol.869.*

2 Secunda sententia tenet oppositum. Sit

3 Prima conclusio. Quantum ad distributiones quotidianas, quæ sunt in Ecclesiis cathedralibus, & collegialibus, quando quis amittit illas ex eo, quòd non recitat, vel ex eo, quòd non assistit horis Canonicis, debent distribui inter eos, qui interfuerunt horis illis diebus. Et in hoc acceptamus opinionem præcedentem (vide *infrà dub.* 101. vbi dico, Canonicum assistentem choro, licèt non recitet, non teneri distributiones restituere;) & idem dicendum est cum opinione præcedenti ex quacunque alia causa, vt propter excommunicationem, &c. illas amittit. Probatur, quia in Trid. *sess.21.cap.3 de reform.* decernitur, vt omnes distributiones quotidianæ diuidantur inter eos, qui diuinis interfuerunt officiis. Sic idemmet Nauarr. summæ Hisp *c.28.addit.ad n.133 capitis 25* & alij.

4 Nota, quòd licèt prima facie videatur contrarium dicto decreto *sess.21.c.3.* decretum eiusdem Trid. *sess.22. cap.3.* vbi statuitur, vt distributiones absentium fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco, arbitrio ordinarij, applicentur; non tamen est contrarium, nam prius decretum intelligitur de distributionibus, quæ solent diuidi inter assistentes officiis diuinis; at posterius decretum intelligitur de distributionibus, quæ amittuntur ab iis, qui non adimplent onera particularia sibi ab Episcopo imposita qui (vt *ibi* decernitur) non tantùm perdunt distributionem, quæ sibi propter illud onus datur, sed totam illius diei distributionem; sic enim dicitur *ibi qui eas*, (scilicet distributiones) *obtinent, si personaliter competens sibi seruitium, iuxta formã, ab Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius dominium acquirant.* Sic concordat Nauarr *dicta additione ad n.133. & c.quando*, latinè *c.22.n.51.* Hinc.

5 Infertur, quòd hanc partem, quæ debet fabricæ Ecclesiæ, vel alij pio loco distribui, nullo modo possunt alij Canonici remittere; non enim est suum. Sic Sandoual *lib.de offic.Canonic.6.c.17.*

6 Secundò nota, quòd, si nulli canonicis horis interfint, omnes quotidianæ distributiones, quæ eis essent dandæ, si præsentes fuissent, ad Ecclesiam ipsam pertinent. Sic Couar. *vbi suprà*, Dominicus, & Francus *c. vnico, de clericis non residentibus in* 5 Guillermus Cassodorus *eodem tit. decisione vnica.*

7 Secunda conclusio. Quando Canonicus amittit alios fructus principales, quos vocant *grossam*, restituere debet fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, si eos amittat, eo, quòd non recitat horas. Probatur primò ex Concilio Lateran. & motu proprio Pij Quinti, vbi statuitur hæc pœna non recitantibus, quòd teneantur restituere fructus pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ; & motus proprius expressam facit mentionem de Canonicis, & Concilium Lateranense vniuersaliter dicit, *Quilibet habens beneficium cum cura, vel sine illa*, Secundò probatur, quia iste Canonicus non recitans non tenetur iure naturali restituere fructus, vt diximus *suprà*; sed tantùm iure positiuo ex Concilio Lateranensi statuenti hanc pœnam non recitantibus; sed Concilium ipsum simul etiam statuit, cui esset applicanda talis pœna in conscientia ante vllam condemnationem, nempe pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ; ergo illis facienda est restitutio in conscientia. Tertiò probatur, quia potest contingere, quòd iste Canonicus, qui non recitauit, ministrauit Ecclesiæ æqualiter, sicut alij Canonici, assistendo choro, & aliis officiis, & processionibus; ergo non est iustum, vt illis restituat, cùm æquè, ac illi ministrauerit. Vltimò probatur, quia, si oppositum esset verum, sequeretur, quòd Canonicus, qui non recitauit, non posset componere de fructibus cum Pontifice; quia, si isti fructus essent Canonicorum, esset compositio in præiudicium partis: hoc autem videtur falsum, & contra communem vsum; ergo. Hæc cõclusio est contra authores primæ sententiæ: illam tenet Enriquez *lib.7.de indulgẽtiis, c.36.3 n.in commento, littera V.* qui à me consultus dixit esse falsam sententiam Nauarri, & communiter docti recentiores.

8 Vltima conclusio. Similiter, si Canonicus propter excommunicationem, suspensionem, vel propter aliud impedimentum occultum amitteret fructus principales beneficij, non tenetur illos restituere aliis Canonicis, sed fabricæ Ecclesiæ, cuius est beneficium, vel pauperibus, sicut & alij beneficiati. Probatur eisdem rationibus conclusionis præcedentis. Et confirmatur; quia, quando beneficiarius ob simoniam commissam in obtentione beneficij tenetur restituere fructus, communis sententia est, quòd tales fructus sunt restituendi Ecclesiæ, cuius est beneficium, vel pauperibus, nec vllos excipit *ibi* Canonicos; ergo falsum est, quod dicit Nauarr. quòd ex quacunque causa Canonicus non facit fructus suos, facienda est restitutio aliis Canonicis. Sic nonnulli docti neoterici. Addo tamen, quòd in casu simoniæ est vera doctrina Nauarri.

## DVBIVM LXXXIX.

*An Canonici, qui choro non intersunt, lucrentur distributiones quotidianas, vel eas teneantur restituere.*

1 NOta fructus beneficiorum esse in duplici differentia: quidam in genere constituti sunt, vt reddantur habenti beneficium ex titulo iusto, & canonico. Alij verò distributione quadam veluti diurnum, & horarum stipendium his, qui quotidiano ministerio in celebrandis officiis diuinis subseruiunt Ecclesiæ, distribuuntur. Fructus priores communiter appellantur fructus beneficij; posteriores verò quotidianæ distributiones. Sic Couar. *lib.3.var.c.13.n.1* Hinc

2 Infertur, quòd appellatione fructuum beneficij non veniunt quotidianæ distributiones. Sic colligitur ex *cap. vnico, de cleric.non residẽt.in 6. & cap.vltimo, §.in illis, de concess.præbend.in 6.* & sic docent Francus *dicto cap.vnico, in principio, n.2.* & *ibi* Dominicus §. *qui verò*. Ioannes Andreas *in addit.ad Speculatorem, in rubr.de concess.præbend.* Couar. *vbi suprà.*

3 Secundò infertur, quòd, cùm in impetratione beneficij à summo Pontifice valor eiusdem sit omnino exprimendus iuxta regulam Cancellariæ 21. 60. & 62. satis erit valorem summo Pontifici significari secundùm eorum reddituum æstimationem, qui absque quotidianis distributionibus ex eodem beneficio percipiuntur. Ratio, quia distributiones quotidianæ non augent beneficij valorem, nec id quod pro anniuersariis datur, cùm hæc ratione personalis, operæ, & laboris dentur, vt constat ex *dicto cap. vnico.* Sic Oldradus, Rota, Anchar. Ioann. Andr. Barba. Philippus Probus, Ripa, Parisius, Staphilæus, Gomezius, quos refert, & sequitur Couar. *ibidem*, Felinus *cap.ad aures, de rescript.n.14.* glossa *regula Cancellaria 60.* Francus *dicto cap.vnic.§.statuimus, n.1.* Staphilæus *de litteris gratiæ, in tract.de formis expectatiarum, in forma 9.num. 44. & duobus sequentibus*, atque, fructus exprimendos in valore beneficij esse solos illos, qui absenti à beneficio acquiruntur. Idem prorsus Ludouicus Gomez *in tract. expectatiarum.n.104.*

4 Sit conclusio. Canonici, qui non intersunt horis canonicis, nisi interueniat aliqua ex iustis causis expressis *dicto cap.vnico.* scilicet infirmitas corporis, necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas, de quibus latè disserendum est dubiis sequentibus, non lucrantur distributiones quotidianas, sed eas tenentur in conscientia restituere. Sic habetur expressè *dicto cap. vnico*, & docent *ibi* omnes Doctores. Et idem decretum renouatur, & confirmatur in Concilio Trident. *sess.24.c.12. de reformat* & est conclusio certissima, & omnium. Qualiter autem concilientur Trident. *sess.21.cap.3 de reformat. & sess.22.cap.3.* quatenus in hoc decernitur, aliquas distributiones amissas ab absentibus applicari fabricæ, & ibi applicari aliis præsentibus, vide Nau. *operibus nouis, miscel.59. de oratione, n.6.*

## DVBIVM XC.

*An Canonici, qui choro non intersunt propter morbum corporalem, lucrentur distributiones.*

1 FRancus *cap. vnico de cleric. non residẽt in 6.§. qui verò, n.1.* censet, distributiones non deberi infirmis, nisi id consuetudine obtentum sit, & sic explicat illud caput.

2 Sit tamen conclusio. Canonici, qui morbo corporali impediti non intersunt choro, lucrantur distributiones quotidianas. Probatur, quia *dicto cap.vnic.* postquam decreuit Pontifex distributiones non dandas esse absentibus, excepit eos, qui causa morbi non adfuerunt. Item, quia sic habet vsus omnium Ecclesiarum. Sic glossa *dict. cap.vnic.vers.infirmitas*, & glossa *cap.1. de clerico ægrotante*, D. Ant. 3.*p.tit.15.c.1.§.14* Pan. *c.audientiam, de cleric. non resid.n.5.* Dominicus *dicto cap.vnic.§ statuimus*, Cou. *lib.3.var.cap.18.n.8* Nauar. *summ., cap.25.n.133.* Rosel. *verb.residentia, n.3.* Syluest. *ibi q.7. & verbo beneficium 5. q.3.* Angel. *verbo Clericus 7.n.7.* Arm. *verbo beneficium, n.62.* Gabr. *4.dist.15.q.8 art.3 dub.2.* Honcala *in opusculis, opusc.1 tractat.4.* Ducñas *regula 206. fine.* Sandoual *lib.de officio canonico, 6. part. cap.17.* Padilla *l.1.ff.de legatis 2.num.44.*

3 Nota primò, conclusionem debere intelligi, quando ægritudo fuit vera absentiæ causa, cùm scilicet is, qui modò ægrotat, solitus sit tempore rectæ valetudinis officiis diuinis interesse: si enim ægrotus non consueuit tempore integræ valetudinis horis interesse, non percipiet, durante ægritudine, quotidianas distributiones. Ratio, quia casus superueniens recipit interpretationem secundùm statum præcedentem, vt patet ex *cap. maiores, de baptismo, penè in fine.* Sic Panormit. Couarruu. D Anton. Syluest. Angel. Armil. Gabr. Honcala, Sandoual, Padilla *ibidem*, Rosel. *verbo beneficium 2.num.4.* Cardin. *dicto cap.ad audientiam*, Corsetus *in singularibus, verbo infirmus*, Felinus *cap. Apostolica, de excess.n.11.12.* Nauar. *cap. quando*, latinè *cap.11.n.10* Graffis *2.parte decis.lib.3.cap.15.num.10.* Azor *tomo 2 lib.7.cap.7.q.11.* Manuel 1.*tomo summæ 2.edit.cap.33.num.6.* licèt minùs benè Nauarra *lib.2.de restit. cap.2. num.218. & 209.* reprobet hanc limitationem, quia mala intentio nil facit ad restitutionem.

4 Ex quo sit, quòd Canonicus, qui ad aliquas tantùm horas ire solebat, si incidat in infirmitatem, illarum tantùm lucrabitur distributiones: patet ratione dicta. Sic Nauar. *eodem, cap.quando, cap. 11.n.10.*

5 Secundò fit, quòd, si Canonicus Cordubensis pro rebus suis agendis petat Toletum, & ibi infirmetur, non lucrabitur distributiones, quia morbus non fuit absentiæ causa. Sic colligitur ex omnibus Doctoribus citatis, & tenent expressè Honcala, & Sandoual *vbi suprà.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



6 Secundò nota, quòd morbus debet esse talis, vt absque salutis detrimento non possit horis interesse: si enim esset leuis, non excusaret. Sic Sandoual. *vbi suprà*, Anch. *dicto c. vnico, & ibi* Dominicus §. *qui vero*, & innuit glossa *dicto cap. vnico, vers. infirmitas*, vbi dicit, *infirmitas, quæ à celebratione diuinorum excusat.*

7 Hinc fit, cæcitatem vel surditatem non esse sufficientem morbum, vt Canonicus deficiens choro lucretur distributiones. Ratio, quia adesse choro non nocet huic morbo, & suâ præsentiâ chorus authorizatur. Sic Nauarr. *cap. quando, c.* 19. Hisp. & Latinè *n.* 81. 82. & alij.

## DVBIVM. XCI.

*An quando Canonicus ex propria culpa incidit in morbum, adhuc lucretur distributiones.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit, non lucrari; quia culpa sua non interest officiis. Sic Probus *cap. vnico, de Cleric. non resid. in 6. n.* 17. Rosel *verb. residentia, n.* 3. idem inuit Host. *tit. de clericis non resid. n.* 2.

2 Secunda sententia docet, lucrari distributiones quotidianas. Ratio, quia hi quamuis propria culpa sint impediti, hoc tamen impedimentum, nec à iure, nec ab homine, sed ab ipso Deo illatum est, nec in id culpa ægrotantium præcessit, vt morbo impediti non possint personaliter ministrare. Sic Couar. *lib.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers.* 7. & videtur esse omnium Doctorum, quos retuli *dub. præced.* qui absolutè, & sine distinctione asseuerant, ægris deberi distributiones quotidianas, & est multò probabilior hæc sententia. Idem Nauarr. *lib.* 2. *de rest. c.* 2. *n.* 239.

## DVBIVM XCII.

*An Canonici, qui absunt ab officio diuino, propter aliquam vrgentem necessitatem, vt quia ob pestem fugerunt, vel quia sunt vi detenti, vel iniustè excommunicati, vel expulsi sine sua culpa a ciuitate propter seditiones à contrariæ factionis hominibus, lucrentur distributiones quotidianas.*

1 ET videtur, quòd in his omnibus casibus lucrantur distributiones quotidianas, quia *cap. vnico, de cleric. non residen.* dicitur, lucrari distributiones quotidianas, qui non assistunt propter aliquam corporalem necessitatem, & nomine corporalis necessitatis intelligitur omne iustum impedimentum, vt docet Francus *dicto cap. vnico*, §. *qui verò n.* 1. & Dominicus *eodem* §. Nauarr. *lib.* 2. *de restitutione, c.* 2. *n.* 201. & Anchar. *eodem cap. notab.* 6. & sic de Canonico incluso in carcerem expresè docent, lucrari distributiones, Anchar. & Dominicus *ibidem*, & de expulso sine sua culpa à ciuitate expresè docent idem Calder. *tit. de præb. cons.* 17. Felinus *cap. cum omnes, de constit. n.* 22. Probus *dict. cap. vnic. n.* 22. vbi Dominicus § *qui verò*, & Anchar. & Francus *eodem* § *qui verò, n.* 4 Sandoual. *lib. de offic. canon. 6. part. c.* 17. & refert pro hac sententia Panorm. & Boërium. Sit

2 Prima conclusio. Absens à loco beneficij propter pestem non recipit distributiones quotidianas, nisi consuetudine obtentum esset, eas absenti ex causa iusta dati. Ratio quia nullus textus est id probans. Sic Couar. *lib.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers.* 9. Ripa *tract. de peste, part.* 2. *n.* 145.

3 Secunda conclusio. Canonici iniustè in carcerem inclusi in eodem oppido, vbi sunt Canonici, ac propterea non possunt interesse diuinis officiis, percipiunt, etiam semota consuetudine, distributiones, & eis debentur. Ratio, quia sunt in eodem oppido, & citra suam culpam absunt, & ea reputatur corporalis necessitas, quam excipit ius. Sic cum Dominico, & Anchar. *supra* citatis, tenet Couarr. *eodem n.* 8. *vers.* 11.

4 Tertia conclusio. Canonicus iniustè excommunicatus potest post excommunicationem petere distributiones quotidianas, cùm tempore ipso excommunicationis præsens fuerit in loco sui beneficij, eâque solitus ante excommunicationem diuinis officiis adesse. Patet eadem ratione. Sic Couar. *ibidem vers.* 12. Perez *lib.* 8. *ordinam. tit.* 5 *l.* 1. *fol.* 175. Idem Nauarra *lib.* 2. *de restitutione, cap.* 2. *n.* 238. & 239. & addit, etiam iustè excommunicatum lucrari distributiones, dum per ipsum non stat, quominus absoluatur, quia iam est legitimè impeditus, sicut de eo qui sua culpa contraxit morbum, dictum est *supra dub. præcedenti*; faciunt ad hoc Doctores dicentes, excommunicatum lucrari fructus beneficij. quando per ipsum non stat, quominus absoluatur. Quare Dominicus, qui *cap. contumaces, distinct.* 50. oppositum asserit, intelligendus est quando ante tempus excommunicationis Canonicus non erat solitus interesse diuinis.

5 Quarta conclusio. Canonicus expulsus sine sua culpa à ciuitate propter seditiones à contrariæ factionis hominibus, tunc tantùm lucrabitur distributiones quotidianas, quando in sua Ecclesia est consuetudo, quòd absentibus ex iusta causa dentur. Sic Couarr. *dicto n.* 8. *vers.* 10. Francus *c. cap. vnico*, §. *qui vero, n.* 4. & sic explicat Couar. authores in oppositum allegatos.

## DVBIVM XCIII.

*An Canonici, qui non intersunt diuinis officiis, negotiis Ecclesiæ suæ expediendis prapediti, lucrentur distributiones quotidianas.*

1 HOncala *in opusculis, opusc.* 1. *tract.* 4. dicit, hos lucrari distributiones: & potest probari ex *c. vnico, de cleric. non resid. in* 6. vbi dicitur lucrari distributiones, qui non intersunt horis, propter Ecclesiæ vtilitatem.

2 Prima conclusio. Absentes à loco beneficij sui pro negotiis Ecclesiæ suæ expediendis, non recipiunt quotidianas distributiones. Ratio, quia sic habetur expresè, *c. cùm non deceat, de elect. in* 6. Sic Sylu. *verb. residentia, q.* 7. D. Anton. 3 *part. titul.* 15. *c.* 1. §. 14. Armil. *verbo beneficium, n.* 26. Sandoual *lib. de offic. Ecclesiast.* 6. *part. cap.* 17. Couar. *lib.* 3. *var. c.* 13 *n.* 8. *vers.* 8. & Archid. & quidam alij, quos *ibi* refert Dominicus *dicto cap. vnic.* §. *qui verò*, Ripa *tract. de peste, 2. part. n.* 145.

3 Nota, quòd si consuetudine fuisset obtentum, vt isti reciperent distributiones, valeret consuetudo, & illis deberentur. Ratio, quia est inducta ex iusta causa, & iuri conformi. Sic Couar. Sandoual, Archidiaconus *ibidem.*

4 Secundò nota, quòd, si in hoc casu cæteri Canonici sponte darent distributiones tali Canonico absenti pro negotiis suæ Ecclesiæ, posset illas recipere; quia non est pura remissio, vel donatio, sed ex iustissima causa iuri conformi. Sic glossa *dicto cap. vnico, vers. vtilitas.* & Dominicus *ibidem.*

5 Secunda conclusio. Præsentes in loco sui beneficij, impediti ramen ab assistentia in diuinis officiis pro negotiis Ecclesiæ suæ expediendis, lucrantur quotidianas distributiones. Sic Couarr. Sandoual, Dominicus, & Ripa *ibidem.* Et in hoc casu explicant isti authores *dictum cap. vnicum*, vt non contrarietur *dicto capiti, cùm non deceat*, quamuis glossa *dict. c. vnico, verbo vtilitas*, hanc distinctionem reprobet, & aliter concordet dicta capita.

## DVBIVM XCIV.

*An absentes à loco beneficij, eò, quòd sunt in Concilio generali lucrentur distributiones quotidianas.*

1 ALiqui dicunt lucrari; & potest probari ex *cap. vnico, de Cleric. non residen. in* 6. vbi dicitur, lucrari distributiones, qui non intersunt propter Ecclesiæ vtilitatem. Hanc tenet Rebuffus *in praxi benefic. cap. de dissens. de non residendo, n.* 34. & allegat pro se Concilium Constantiense *vbi infra*; sed malè, quia oppositum dicit. Idem tenet Sandoual *lib. de offic. Ecclesiast.* 6 *part. c.* 17. & refert Iacobatium *de Conciliis, lib.* 5. *art.* 6.

2 Sit conclusio. Canonici absentes à loco sui beneficij, eo, quòd sunt in Concilio generali, recipiunt fructus ac redditus beneficiorum, ac si personaliter residerent, non tamen lucrantur distributiones quotidianas. Conclusio hæc habetur expresè Concilio Constantiensi *sess.* 19. §. *Item cum absentes*; & colligitur ex *cap. cùm non deceat*, & Doctoribus citatis *dub. præcedenti, conclusione* 1. qui asserunt, absentes à loco sui beneficij pro negotiis suæ Ecclesiæ expediendis non lucrari distributiones quotidianas.



## DVBIVM XCV.

*An Canonici existentes in studio, vel lectione Theologiæ, vel seruitio Episcopi, vel Papæ, lucrentur distributiones quotidianas.*

1 HOncala *in opusculis, opusc.* 1. *tract.* 4. dicit, existentes in Papæ seruitio, non sua sponte, sed ipsius impetio, & existentes in Episcopi seruitio, lucrari distributiones. Sit

2 Prima conclusio. Existentes in Summi Pontificis seruitio non lucrantur distributiones. Probatur, quia *c. cum dilectus, de Cleric. non residen.* tantùm dicitur, vt existenti in Papæ seruitio distribuantur fructus præbendæ, sed nomine *fructuum* non veniunt distributiones quotidianæ, vt dixi *supra*; ergo. Sic glossa *dicto cap. cùm dilectus*, & glossa *cap. vnico, de Cleric. non residen. in 6. in addit. ad vers. Adfuerint.* Francus *dicto cap. vnico*, §. *statuimus, n.* 3. & Dominicus *ibi eodem* §. Sandoual *lib. de offic. Ecclesiastico 6. part. c.* 17. Sylu. *verbo residentia, q.* 7. Rosel *ibi n.* 4. Ang. *verbo Clericus* 7. *n.* 2. Armil. *verbo beneficium, n.* 62. S. Ant. 3 *part. tit.* 15 *c.* 1. §. 14.

3 Secunda conclusio. Existentes in Episcopi seruitio non recipiunt distributiones quotidianas, si ob id impediti non intersunt diuinis officiis. Ita habetur expresè *cap. de catero, de Cleric. non residen.* & docet Panor. *ibi*, & glossa *c. ad audientiam, eodem tit.* Sadoual, Sylu. Ang. Rosel. Armil. S. Ant. *vbi suprà*, Couar. *lib.* 3 *var. c.* 13. *n.* 2.

4 Vltima conclusio. Studentes Theologiæ tempore à iure concesso, & ob id non assistentes diuinis officiis, non recipiunt quotidianas distributiones. Ratio, quia nullo iure id cauetur, sed tantùm, quòd recipiant fructus. Sic Cou. Sandoual, Sylu. S. Anton. Honcala, Arm. *ibid.* glossa *cap. finali, de magistris*, Hostiensis *in summa, tit. de magistris, n.* 9. glossa *dicto cap. vnico, de cleric. non residen. in 6. vers. Receperit.* Et est textus expressus *cap. licèt, de præbend.* Atque ita declarauit congregatio Cardinalium, vt refert Garcia *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 117.

5 Tandem nota, idem dicendum esse ex dispositione iuris de lectoribus, seu docentibus Theologiam: patet eâdem ratione. Sic Sylvest. S. Anton. *ibidem*, glossa, *cap. finali, de magistris.* verùm iam ex gratia, diebus quibus legunt, habendi sunt sicut præsentes in choro, & inseruientes, vt declarauit Greg. XIII. audita relatione congregationis Cardin alium, vt habetur in declarationibus Cardinalium ad *c.* 1 *sess.* 5. *n.* 12. §. *non debent.*

## DVBIVM XCVI.

*An habens priuilegium a Romano Pontifice, vt seruiat canonicatui per vicarium, vel, vt recipiat fructus, tanquam si præsens esset, lucretur distributiones quotidianas non assistens officiis diuinis.*

1 ALiqui dicunt, habentem priuilegium, vt in absentia recipiat fructus, ac si resideret, lucrari distributiones. Sic glossa *cap. cum dilectus, vers. fructus, de Cler. non resid.* Hostiens. *cap. ad liberandum, de Iudæis.* Et idem dicit, quando priuilegium continet, vt recipiat fructus integrè, ac si resideret, Vincentius *cap. excommunicamus*, §. *Catholici, de hæret.* Sit tamen

2 Prima conclusio. Habens priuilegium à Romano Pontifice, vt absens recipiat fructus beneficij, non ex eo potest recipere distributiones. Conclusio hæc est certa, & à nemine negatur, quia *fructuum* nomine non veniunt quotidianæ distributiones, ac si personaliter residerent, non tamen lucrantur distributiones quotidianas. Conclusio hæc habetur expresè Concilio Constantiensi *sess.* 19. §. *Item cum absentes*; & colligitur ex *cap. cùm non deceat*, & Doctoribus citatis *dub. præcedenti, conclusione* 1. qui asserunt, absentes à loco sui beneficij pro negotiis suæ Ecclesiæ expediendis non lucrari distributiones quotidianas.

## DVBIVM XCV.

*An Canonici existentes in studio, vel lectione Theologiæ, vel seruitio Episcopi, vel Papæ, lucrentur distributiones quotidianas.*

1 HOncala *in opusculis, opusc.* 1. *tract.* 4. dicit, existentes in Papæ seruitio, non sua sponte, sed ipsius impetio, & existentes in Episcopi seruitio, lucrari distributiones. Sit

2 Prima conclusio. Existentes in Summi Pontificis seruitio non lucrantur distributiones. Probatur, quia *c. cum dilectus, de Cleric. non residen.* tantùm dicitur, vt existenti in Papæ seruitio distribuantur fructus præbendæ, sed nomine *fructuum* non veniunt distributiones quotidianæ, vt dixi *supra*; ergo. Sic glossa *dicto cap. cùm dilectus*, & glossa *cap. vnico, de Cleric. non residen. in 6. in addit. ad vers. Adfuerint.* Francus *dicto cap. vnico*, §. *statuimus, n.* 3. & Dominicus *ibi eodem* §. Sandoual *lib. de offic. Ecclesiastico 6. part. c.* 17. Sylu. *verbo residentia, q.* 7. Rosel *ibi n.* 4. Ang. *verbo Clericus* 7. *n.* 2. Armil. *verbo beneficium, n.* 62. S. Ant. 3 *part. tit.* 15 *c.* 1. §. 14.

3 Secunda conclusio. Existentes in Episcopi seruitio non recipiunt distributiones quotidianas, si ob id impediti non intersunt diuinis officiis. Ita habetur expresè *cap. de catero, de Cleric. non residen.* & docet Panor. *ibi*, & glossa *c. ad audientiam, eodem tit.* Sadoual, Sylu. Ang. Rosel. Armil. S. Ant. *vbi suprà*, Couar. *lib.* 3 *var. c.* 13. *n.* 2.

4 Vltima conclusio. Studentes Theologiæ tempore à iure concesso, & ob id non assistentes diuinis officiis, non recipiunt quotidianas distributiones. Ratio, quia nullo iure id cauetur, sed tantùm, quòd recipiant fructus. Sic Cou. Sandoual, Sylu. S. Anton. Honcala, Arm. *ibid.* glossa *cap. finali, de magistris*, Hostiensis *in summa, tit. de magistris, n.* 9. glossa *dicto cap. vnico, de cleric. non residen. in 6. vers. Receperit.* Et est textus expressus *cap. licèt, de præbend.* Atque ita declarauit congregatio Cardinalium, vt refert Garcia *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 117.

5 Tandem nota, idem dicendum esse ex dispositione iuris de lectoribus, seu docentibus Theologiam: patet eâdem ratione. Sic Sylvest. S. Anton. *ibidem*, glossa, *cap. finali, de magistris.* verùm iam ex gratia, diebus quibus legunt, habendi sunt sicut præsentes in choro, & inseruientes, vt declarauit Greg. XIII. audita relatione congregationis Cardin alium, vt habetur in declarationibus Cardinalium ad *c.* 1 *sess.* 5. *n.* 12. §. *non debent.*

## DVBIVM XCVI.

*An habens priuilegium a Romano Pontifice, vt seruiat canonicatui per vicarium, vel, vt recipiat fructus, tanquam si præsens esset, lucretur distributiones quotidianas non assistens officiis diuinis.*

1 ALiqui dicunt, habentem priuilegium, vt in absentia recipiat fructus, ac si resideret, lucrari distributiones. Sic glossa *cap. cum dilectus, vers. fructus, de Cler. non resid.* Hostiens. *cap. ad liberandum, de Iudæis.* Et idem dicit, quando priuilegium continet, vt recipiat fructus integrè, ac si resideret, Vincentius *cap. excommunicamus*, §. *Catholici, de hæret.* Sit tamen

2 Prima conclusio. Habens priuilegium à Romano Pontifice, vt absens recipiat fructus beneficij, non ex eo potest recipere distributiones. Conclusio hæc est certa, &

à nemine negatur, quia *fructuum* nomine non veniunt quotidianæ distributiones, vt *supra* notaui. Sic Dueñas *regula* 134. *limitatione* 6. & *reg.* 206. *initio.* Felin. *cap. Iacobus, de simon.* & alij, quos refert Dueñas glosse. *cap. vnico, de Cleric. non resid. in 6. vers. adfuerint*, & *ibi* Probus *n.* 50. Anchar. *ibi, notab.* Dominicus, & Francus *ibi* §. *statuimus, n.* 3. Stapgilæus *de literis gratiæ, fol.* 192. Guillelmus Castadorus *decisione vnica, de Cleric. non residen.* Couarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 13. *n.* 2.

3 Secunda conclusio. Idem censendum est contra authores primæ sententiæ, quamuis priuilegium contineat, vt recipiat fructus, ac si resideret, & præsens esset; quia adhuc in hoc casu non lucrabitur distributiones quotidianas. Ratio, quia differunt residere, seu præsentem esse, & interesse; is enim dicitur residere, seu præsens esse, qui eo loco habitat, in quo Ecclesia est, cuius beneficium habet; is verò dicitur interesse, qui ipsis diuinis officiis celebrandis præsens est, & ministerium eorum celebrationi exhibet, vt optimè notant Couar. *vbi suprà n.* 3. glossa *dicto cap. vnico ante vers. Consuetudinem.* Dominicus *eodem cap. vnico, in principio.* Hanc tenent Couar. *eodem n.* 2. glossa *dicto vers. adfuerint.* Dominicus *dicto* §. *statuimus*, Francus, Anchar. Probus, Staphilæus, Guillelmus *vbi suprà.*

4 Tertia conclusio. Si priuilegium contineret, vt recipiat fructus, ac si præsens esset, & diuinis officiis interesset, recipere posset, etiam absens, distributiones quotidianas. Patet, quia hæc debentur solis interessentibus, & priuilegium dicit, ac si interesset. Sic glossa *dicto vers. adfuerint.*

5 Vltima conclusio. Si Canonicus ex speciali dispensatione seruiat Ecclesiæ per vicarium, non recipiet quotidianas distributiones; nec ipse, quia non personaliter seruit, nec vicarius, quia non est Canonicus. Sic Couar. *eodem n.* 2. Calderinus *tit. de Cleric. non resid. in cons.* 1.

## DVBIVM XCVII.

*An, quando Canonicus excusatur à choro causa verè necessaria, at illa verè non impediuit assistentiam choro, teneatur restituere distributiones, v. g. cùm se excusat, vt radat barbam, vel vt hospitem recipiat, quibus verè indiget, at ea non fecit tempore chori, sed nocte.*

1 NAuar. *cap. quando*, Hisp. *c.* 5. *n.* 19. dicit teneri in conscientia restituere distributiones. Ratio, quia perinde est, ac si causa fuisset falsa; sed, causa existente falsa, tenerur restituere; ergo.

2 Sed idem Nau. *c. quando* Lat. *c.* 5. *n.* 21. mutat sententiam, & hæc inquit: *Licèt olim fuerim contraria sententiæ, ad modo probabilius credo non teneri restituere.* Ratio, quia nihil subtrahit cultui diuino, cum posset vespere tempore horarum illa facere. Et hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XCVIII.

*An canonicus exiens à choro ante tempus, vel non veniens, fingens se habere certam causam ad id, cùm tamen non habeat, teneatur restituere distributiones.*

1 NOta, plures esse causas iustas, ob quas fas sit Canonico à choro egredi ante finitum officium, vt, si superueniret infirmitas, vel corporalis necessitas, vel aliqua alia necessitas, quæ secundùm statuta Ecclesiæ reputatur iusta. Reputatur etiam causa rationabilis, & iusta, quando nimis fatigatus est spiritus, & causa recreationis sine scandalo aliquantulum exiret Ecclesia. Sic glossa *Clem. 1. de celebrat. Miss. vers. Rationabili.* Nauarr. summa Hisp. *cap.* 25. *num.* 133. Sandoual *lib. de offic. Ecclesiastico part.* 6. *cap.* 15.

2 Sit conclusio. Qui exit à choro notabiliter ante tempus, fingens causam se habere legitimam, cùm tamen non habeat, tenetur, si accepit distributiones, illas restituere. Ratio, quia non interest officiis absque iusta causa.

Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca



Sic Nauar. *vbi suprà. e. quando, cap.*10. *n.* 19. Honcala *in opusculis, opus.*1. *tract.* 4. Palacios *verbo beneficium, sub finem.* Palud. 4. *dist.*25. *q.*5. Sandoual *vbi supra,* & alij.

3 Hinc infertur, à fortiori teneri restituere fingentes causam legitimam, vt absint omnino à choro, cùm tamen eam non habeant. Sic Nauar. *vbi supra, & cap. quando, c.*5. Hisp. *n.*20. Lat. *n.*21. Sandoual *vbi supra,* Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.*5. *num.*4.

## DVBIVM XCIX.

*An Canonici assistentes horis, non tamè cantantes, teneantur restituere distributiones.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit, teneri restituere. Probatur, quia illæ distributiones dantur illis, vt orent publicè in Ecclesia; ergo, si id non præstent, tenebuntur restituere. Facit etiam pro hoc Concilium Trident. *sess.*22. *cap.*3. vbi dicitur qui non impleuerit seruitium competens iuxta formam ab Episcopo præscriptam, non acquirat dominium distributionum. Hanc tenet Nauarr. *c. quando, c.*10. Hisp. *n.*29. Lat. *num.*74. *& cap. quando,* Lat. *c.*22. *n.*97. vbi addit, non posse excusare consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, vt non cantantes, licèt submissè dicant versum, lucrentur distributiones, nisi sit à sede Apostolica confirmata, vel legitimè præscripta. Eandem sententiam tenet Sandoual *lib. de offic. Ecclesiastico,* 6. *part. c.*16. moderatur tamen in fine aliquantulum hanc sententiam, & concedit, quòd, vbi esset consuetudine receptum, quòd dignitates, vel Canonici cantent talia responsoria, vel antiphonas, vel quidquam aliud, sat esset id cantare. Eandem tenent quidam docti neotetici. Pro eadem sententia videtur esse Sotus *lib.*10. *de iust.q.*5. *art.*4. *versic. sed aiunt,* vbi hæc dicit, *distributiones constitutæ sunt Canonicis, non vt assistant, sed vt cantent.* Pro eadem sententia Nauarrus refert Caietani doctrinam, videlicet, quòd, qui submissè dicit versum sui chori, non adimplet præceptum.

2 Secunda sententia dicit, assistentes horis, licèt non cantent, licitè recipere distributiones. Probatur, quia sic est vsu receptum, & sic vsus interpretatus est: & ideo alij ministri destinati sunt, qui cantent, quos Capellanos vocant. Item quia, licèt Canonici non cantent, sua præsentia ornant chorum, & authoritatem præbent, & distributiones dantur illis principaliter, vt sua præsentia authorizent, & ornent chorum. Item quia certum videtur quòd Clerici facientes processiones, vel exequias defunctorum, non amittunt distributiones pro illis assignatas, licèt malè faciant, & confabulentur. Item, quia, cùm distributiones sint assistentium, siue multi, siue pauci sint, & omnes ratum habent, quod aliqui non cantent, est sufficiens consensus, vt non teneantur restituere distributiones non cantantes. Item, quia videtur huic fauere Concilium Trident *sess.*24. *c.*12. vbi sic dicitur, *distributiones verò, qui statis horis interfunt, recipiant;* vbi nihil dicitur de cantu. Sed de hoc cantu reliquit vsque ad finem capitis, vt circa hoc ordinet, quod expedit, Concilium prouinciale, & interim Episcopus cum duobus Canonicis: vnde interim quòd non est statutum, vel ordinatum in aliqua Ecclesia, quòd non cantantes non recipiant, distributiones illas recipient. Et per hoc respondetur ad locum Concilij citatum pro prima sententia. Nam, vbi Episcopus præscripserit hanc formam, concedimus eam esse obseruandam: vbi autem non fuerit tale statutum, seu consuetudo, tenendum videtur, non teneri restituere. Hanc tenet Metina *in summa, lib.*1. *c.*14 §. 11. Aragon 2. 2. *q.*83. *art* 13. *fol.* 870. Pro eadem sententia est Panorm. *cap. cum olim, de sententia & re iudic. n.*6. vbi hæc dicit, *Distributiones dantur respectu interesse diuinorum, non præcise respectu cantus, vel alterius obsequij.* Pro eadem sententia est doctrina Caietani *in summa, verbo hora, fine,* vbi hæc dicit, *Maiores in choro non debent cantare, sed mediari, qua ab inferioribus cantantur.* Eandem tenent quamplurimi valde docti neoterici. Et hæc sententia est probabilior, & amplectenda.

## DVBIVM C.

*An canonici, qui, dum sunt in choro, non solùm non cantant, sed nec attendunt, immò confabulantur, dum chorus cantat, teneantur restituere distributiones quotidianas.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit, teneri restituere distibutiones, quia perinde est, ac si non adessent, & dormitent. Sic Nauar. *c. quando, c.*13. *n.*16. Aragon 2. 2. *q.*83. *art.*13. *fol.* 870. & innuit Gerson *Alphab.*40. *litera K,* & à fortiori hoc sentient authores citati *dub. præced.* qui aiunt Canonicos non cantantes teneri restituere distributiones. Idem tenet Nauarr. *lib.*2. *de restitut. c.*2. *n.*202. 203. & alij.

2 Secunda sententia dicit, Canonicos non attendentes, immò confabulantes in choro, lucrari distributiones. Ratio, quia (vt probaui *dub. præced.*) distributiones dantur Canonicis pro assistentia in choro, & vt chorum sua præsentia authorizent; ergo, sicut Clerici funus aliquod comitantes, licèt confabulentur, licitè acquirunt stipendium, quia datur illis, vt comitentur, & authorizent; sic Canonici, &c. Item, quia sic vsu receptum est. Hanc tenet Metina *in summa, lib.*1. *c.*14. §. 11. Idem tenuit Henriquez à me consultus, & quamplurimi ex neotericis admodum docti Magistri. Et hæc videtur mihi probabilior.

## DVBIVM CI.

*An Canonicus, qui non recit.t officium diuinum nec in choro, nec priuatim, si assistat in choro, teneatur restituere distributiones quotidianas.*

1 MOtus proprius Pij V. *suprà* relatus *dub.*22. videtur obligare expressè Canonicos non recitantes ad restituendum distributiones. Et sic tenet Nauarr. *lib.* 2. *de restit. c.*2. *n.*224. 225. Aragon 2. 2. *q.*83. *art.*13. *fine,* & quos habes *suprà dub.*88. dicentes, Canonicum non recitantem teneri aliis Canonicis restituere distributiones.

2 Sit conclusio. Canonici, qui assistunt choro, licèt nec in choro, nec priuatim recitent horas Canonicas, non tenentur restituere distributiones quotidianas. Probatur primò, quia istæ distributiones dantur pro assistentia in choro, & sunt stipendium iilius assistentiæ, vbi probaui *suprà dub.*98. ergo, si Canonicus assistat choro, licèt non impleat præceptum recitandi, illas lucrabitur. Secundò probatur, quia in Concilio Lateranens. non recitantes tantùm obligantur ad restituendum fructus beneficiorum, sed distributiones quotidianæ non veniunt nomine fructuum, vt probaui *suprà dub.*88. ergo. Tertiò probatur ex his, quæ diximus *suprà dub.*83. *&* 84. vbi non obliguimus non recitantem ad restituendum omnes fructus beneficij, sed diximus, deducendam esse aliquam partem, quam meretur ratione aliorum ministeriorum, etiam in Canonico, & hoc etiam de grossa beneficij: ergo longè aberit obligatio restituendi distributiones, maximè cùm hæ correspondeant labori, & ministerio assistendi choro. Pro hac sententia sunt omnes allegati dubiis citatis, qui asserunt, propter solam assistentiam deberi distributiones, & non esse restituendos integros beneficij fructus, sed deducendam partem, quæ correspondet aliis ministeriis. Et eam tenent quidam valde docti recentiores, & ad motum proprium Pij V. respondent non esse vsu receptum cum hoc rigore, quod & nos *supra* diximus.

## DVBIVM CII.

*An Canonici, qui intrando in chorum, indèque egrediendo, constitutum signum punctim obseruant, ita, vt nec antè egrediantur, nec post permaneant, teneantur restituere quotidianas distributiones.*

1 NOta, per statuta Ecclesiarum constitutum esse qua parte Missæ, vel horæ debeant Canonici in chorum ingredi, vt acquirant distributiones. Cõmuniter autem statuta habent, quòd dispositum est in Concilio Basilien. *sess.*21. *cap. quo tempore quisque debeat esse in choro,* vbi sic dicitur; *Qui in matutinis ante finem Psalmi,* Venite, exultemus, *& in aliis horis ante finem primi Psalmi, & in Missa ante vltimum* Kyrie eleison *vsque ad finem, diuino officio non interfuerit, nisi fortè necessitate cogente, petita, & obtenta à Præside chori licentia, discedere oporteat, pro illa hora absens habeatur.* Duplex est sententia.

2 Prima dicit, quòd, si residuum temporis negotiis Ecclesiæ Canonicus expendat, lucratur distributiones: si autem ociosè, & sine bona causa absit, non acquirit distributiones, licèt statutum aut consuetudo talis Ecclesiæ illum excuset. Ratio, quia intentio statuti fuit pro causis iustis, aliàs esset irrationabile, & iniustum. Sic Palud. 4. *dist.*15. *quæst.*5. *art.*3. *concluſ.*9. Nauar. *cap. quando, cap.*5. Hisp. *num.*18. *&* 19. Lat. *num.*20. *& cap.*21. Lat. *num.*63.

3 Secunda sententia docet, quòd isti, qui sine causa rationabili non ingrediuntur chorum vsque ad punctum statutum, licèt malè faciant, at vbi non esset manifesta statuti peruersitas, lucrarentur distributiones, nec ad vllam restitutionem tenerentur. Probatur, quia, postquam totum collegium more, & vsu legem condidit, nisi manifestè prauitatem, & corruptelam præ se ferat, nemo eiusdem Societatis tenetur ampliùs de legis ratione discutere, sed satisfaciet seruando talem legem. Secundò probatur, quia, vt benè ait Nauar. *vbi infrà,* illa non censetur pars notabilis, vt ob id deperdat Canonicus distributiones. Hanc tenet Soto *lib.*10. *de iust. quæst.*5. *art.* 6. *circa finem, conclusio* 5. Nauar. summa Hisp. *cap.*25. *num.* 133. Henriquez à me consultus, & alij. Et hæc sententia est probabilior.

4 Nota tamen, quòd prior sententia quoad hoc, est vera & colligitur apertè ex *cap. vnico, de cleric. non resid. in* 6. scilicet consuetudinem vtcunque legitimè inductam, qua obtentum sit distributiones debere consequi eos, qui initio diuinorum officiorum adfuerint, licèt statim à choro exeant, esse iniquam, & in foro conscientiæ non excusare à restitutione distributionum. Sic Sandoual *lib. de offic. Ecclesiastico, 6. p. c.*15. vbi plures Iurisperitos refert. Idem Couar. *lib.*3. *var. c.*13. *n.*8. *fine,* & alij.

## DVBIVM CIII.

*An diebus, quos* de recle *vocãt concessis Canonicis, vt etiam sthoris non interſint, lucrentur distributiones, licitè eas acquirant, licèt illos malè expendant, absque iusta causa.*

1 NAu. *cap. quando, cap.*5. Hisp. & Lat. *n.*18. 19. dicit, statutum concedens dictos dies *de recle,* intelligendum esse iusta interueniente causa, & *c. quando,* Lat. *c.*21. *n.*64. dicit, quòd, qui principaliter dies, vel menses, *de recle* statuto concessos accipit ad peregrè proficiscendum, visendum cognatos, vel amicos, vel ad alia iusta negotia, non peccat, nec tenetur restituere distributiones, licèt multis horis, in quibus officium dicitur in choro, intendat ludis, vel aliis rebus vanis; quia, quod principaliter intenditur, est attendendum; qui tamen principaliter ad hæc vana acciperet illos dies, peccaret, & teneretur in conscientia restituere distributiones.

2 Sit tamen conclusio: Diebus, quos *de recle* vocant, licitè lucrantur Canonici non assistentes horis distributiones, quas illis statuta Ecclesiarum concedunt, licèt prædictos dies perperam, & vanè expendant. Ratio, quia prædicti dies absolutè conceduntur, vt aliquam requiem habeant Canonici toto anno assistentes horis, & iustum est, eam requiem eis concedi. Item, quia sic vsus interpretatus est. Sic nonnulli maximè docti recentiores. Vtrùm autem fruatur diebus *de recle,* qui per totum annum non residet, statim dicam *dub. sequenti.*

## DVBIVM CIV.

*Vtrum Canonicus per totum annum non residens possit frui diebus, quos vocant* de recle.

1 RAtio dubitandi est, quia hi dies conceduntur ad residentium requiem, & leuamen.

2 Dico, quòd his funguntur, nisi in Ecclesiæ statutis, vel consuetudine in ea recepta est declaratum oppositum. Ratio, quia hæc lex est edita in fauorem communem totius Capituli, at lex edita in bonum commune non cessat, cessante fine, in quodã particulari, vt patet in ieiunij lege, & docet eum aliis Couar. *c. cum omnes, de testam. n.*9. Sot. *lib.*4. *de iust. q.*5. *art.*3. Ledesm. 2. 4. *q.*18. *art.*1. *dub.* 12. at hîc non cessat finis in communi, sed in quodã particulari. Deinde, quia etiam in hoc particulari non cessat. omninò finis; finis enim horum dierum *de recle,* est non solùm ad requiem capitularium, sed etiam, ne sint ita alligati, & constricti, vt non possint abesse, vel vno temporis puncto, quin multentur, & soluere cogantur. Ad hoc conceduntur in constitutionibus Ecclesiarum aliquot dies *de recle,* scilicet vt possint absque vlla pœna abesse à choro; atque hic finis adhuc manet in hoc particulari, cùm præter hos dies, compellantur soluere ad vltimum vsque marauetinum. Atque hoc ipsum aliquibus viris doctis, quos ego consului, fuit visum.

## DVBIVM CV.

*An eadem assistentia requiratur in anniuersariis defunctorum ad ea lucranda, quam diximus requiri in distributionibus quotidianis.*

1 SIt conclusio. Eadem omnino assistentia requiritur ad lucrandas eleemosynas pro anniuersariis, quæ requiritur ad lucrandas distributiones quotidianas; & consuetudo contraria nihil obstat, sicut infrà dicemus, consuetudinem non valere circa distributiones quotidianas. Sic habetur expressè *c. vnico, de cleric. non resid. in* 6. *fine.* vbi id etiam docent glossa, & omnes Doctores.

2 Sed quid, si testator quidam fieri iusserit anniuersarium in quadam Ecclesia collegiali assistentibus Canonicis, & quòd solùm illi lucrarentur, qui adessent; lucrabitúrne, qui est impeditus propter infirmitatem, aut aliam causam sufficientem ad lucrandas distributiones quotidianas, iuxta *cap. vnicum, de cleric. non resid. in* 6. atque ob hoc non adest.

3 Ratio dubitandi est, quia, licèt *dict. cap. vnico* dicatur idem esse de anniuersariis dicendum, & de distributionibus, & sic anniuersaria lucrari absentes ex dictis causis, at id videtur intelligendum, quando anniuersaria simpliciter, & absque nulla alia expressione voluntatis testatoris relinquuntur; at in nostro casu testator expressit, nolle lucrari, nisi præsentes; ergo: non enim credendum est, dictum c. *vnicum* voluisse disponere contra expressam testatoris voluntatem, qui de re sua potest disponere.

4 At dicendum est, lucrari. Primò, quia, cùm sit dispositum, *cap. licet, de prabend.* quòd distributiones quotidianæ tantùm debentur illis, qui intersunt horis, nihilominùs cap. *vnicum de cleric. non resid.* præsentes reputat infirmos, & legitimè impeditos, &c. & *ibi* decernit, idem dicendum de anniuersariis: ergo, licèt clausula testatoris dicat, quòd detur anniuersarium hoc præsentibus, censetur præsens infirmus, &c. Item, quia Anchar. *eodem c. vnic. notab.*6. dicit, quòd, licèt statuto alicuius Ecclesiæ cauetur, non dari distributiones, nisi interessentibus diuinis, includuntur ibi, qui non possunt interesse ex causis *eo c. vnic.* expressis; quia tales, inquit, pro præsentibus reputantur, in tantum, quòd, si quis iurauit continuè residere, non est periurus, si non resident ex causis *illo cap. vnico* expressis; quia fingitur residere in iure: & licèt statutum non comprehendat casum fictum, at, si ille casus fictus procedit à iure communi, ad talem casum fictum extenditur statutum: ergo similiter in nostro casu, licèt clausula testamenti requirat præsentiam ad lucrandum anniuersarium, censebitur præsens, qui ex dictis causis absens est. Tertiò, quia testator non omnino expressit, esse suam voluntatem, vt absens ex morbo, vel alia causa non lucraretur, sed tantùm dixit velle, vt soli præsentes lucrarentur, & ita dubium est, an voluerit excludere absentes ob

infirmitatem,

Universidad de Deusto
Biblioteca



infirmitatem,&c. At testator in dubio videtur magis elegisse viam iuris communis, quàm specialis, *l.inter testam.C. de testam.milit.*& ita dixit Aretin.*l.vltima*,§.1.*vers.testator ff.de vulg.& pupill.substit.* Bart.*l.Lucius,eodem tit.* Mantica *lib.6.de coniect.vltimæ volunt.tit.6.n.16.* quod adeò verũ est,quòd in dubio dispositio testatoris, si potest aliter interpretari, non debet intelligi, vt inducant aliquid exorbitans à iure, tametsi hoc testator potuerit inducere. Casus est notabilis,& *ibi* Bartol.*l.vxori*,§.1.*de leg.*3. glossa *l. talis scriptura.ff.de l.*1.Mantica *eodem n.*16 Ergo hæc dubia testatoris dispositio intelligenda est secundùm ius cõmune *d.cap.vnici*,vt scilicet soli lucrentur præsentes, nisi absint ob morbum,&c.Quartò, quia expressio eius,quod tacitè inest,nil operatur, nec addit, *c.significasti,de elect.* nec qui declarat,statuit,*l.haredes palam,*§.*sed etsi notam, ff.de test.*& docent Nauarr.*summa,c.*21.Hisp.*num.*44. in vtraque Latina *n.*43.Felin.*c.ad audientiam,el 2.de rescript n* 8.Cùm ergo hæc conditio apposita à testatore, scilicet, vt non lucrentur anniuersaria, nisi præsentes, tacitè insit propter ius commune,*d.c.vnico.*eam exprimens, eius expressio nihil nouum inducit,nec aliquid operatur.Vltimo, quia non inducunt formam, nec conditionem ea,quæ iure insunt etiamsi ab homine expressa fuerint,saltem,quando non alio modo,nec alia forma exprimuntur,quàm iure expressa sunt,*l conditiones,quæ intrinsecus.ff.de cond. & demonst l.*3.*ff.de l.1.c.significasti, de elect.* vbi Pan.*n.*6. & communis omnium sententia hoc notat, vt refert, & sequitur Couar.*c. alma mater,*1.*p.*§ 9 *n*8.Cùm ergo hæc conditio posita à testatore,scilicet,quòd non lucrentur anniuersariũ nisi præsentes, sit in iure expressa,& non exprimatur alio modo,nec verbis specialioribus à testatore,quã iure expressa sit,non inducit formã, nec conditionẽ nouã, & sic lucrabuntur hoc anniuersariũ absentes ob infirmitatem,&c.vt lucrarentur stando in solo iure communi,*a.c. vnico.*Et sic sentire docti recentiores à me consulti.

### DVBIVM CVI.

*An ei, qui interest diuinis officiis ratione duorum officiorum, vt,si est canonicus,& Decanus, debeantur duplices distributiones quotidianæ.*

DVplex est sententia.

1 Prima ait,non deberi duplices.Ratio,quia distributiones dantur pro assistentia diuinis officiis, sed iste non est præsens,& assistit nisi vt vnus; ergo non lucratur duplices distributiones. Sic Buttrio *cap. cum olim, de sententia,& re iudic.* Francus *c.vnico,de cleric.non resid. in* 6. Ludouic.Gomez, & Rochus de Curte, quos refert Couar.*vbi infra.*

2 Secunda sententia docet huic deberi duplices distributiones quotidianas. Probatur ex *d.c.cùm olim,*vbi dicitur,talem habere duplicem vocem de electionibus; ergo pari ratione in choro habebit duplices distributiones. Sic Ioan.Andr.Panorm. & Felin. *dict.cap.cum olim.* Bald. & Cardin.quos refert,& sequitur Couar. *lib.*3. *variar. c.* 13.*num.*6.Auiles *cap.*1.*Prætorum,*§.*officio,num.*10.

3 Sit conclusio. Hæc secunda sententia est probabilior, saltem vbi consuetudine fuerit recepta, quia quando in iure dubium est, consuetudo est optimus iuris interpres. Sic Bald.Cardin.quos refert,& sequitur Couar.*ibidem.*

### DVBIVM CVII.

*An concionator,cui dantur sex dies præcedentes concionem, vt possit abesse lucrans distributiones, possit illis diebus adesse,& loco illorum aliis frui.*

1 VIdetur mihi non posse id facere eiusmodi concionatorem, illa enim est indulgentia diei annexa,sicut,si Pontifex concedat mihi priuilegium, vt quatuor proximis diebus festis non audirem sacrum, non possum hos dies in alios quatuor dies festos subsequẽtes commutare, neque beneficiarius, qui ratione morbi excusatur à recitando officio,si velit etiam cum detrimento suæ salutis tunc recitare, non potest postea sanus effectus omittere recitationem per tot dies, quot recitauit ægrotus, sed tenebitur recitare, & alioqui, si non recitat,restituere fructus illorum dictum, quia illa excusatio à recitando erat annexa, & allegata illis diebus, atque adeò non potest ad alios transferri.

2 Hinc patet resolutio ad similem casum, an scilicet, qui ratione morbi semel excusatus est ab assistentia chori, & à morbo liberatus non tendit prima vice via recta in suam Ecclesiam, quia præ infirma valetudine non potuit accedere, sed adiuit Ecclesiam propinquiorem auditurus sacrum, lucretur distributiones, quæ secundùm Ecclesiæ statutum non acquiruntur, nisi primum exiens recta via tendat in suam Ecclesiam, etsi iam amisit, quia non tetendit, possit distributiones illas accipere, & illos dies, quibus ratione morbi excusatus est, computare in diebus vocationum, quos *de recle* vocant.

3 Respondetur,illas non lucrari,si priùs adeat ad propinquiorem Ecclesiam, quàm ad suam, etiamsi id faciat præ infirma valetudine, ratione cuius non possit accedere ad suam Ecclesiam. Ratio est,quia ad lucrandas distributiones est conditio,sine qua non,vt primus exitus post æquitudinem debeat fieri via recta in suam Ecclesiam; atque ita,non seruata hac conditione, non lucratur distributiones,neque potest illas accipere diebus,quos vocant *de recle.*si iam illas amisit non eundo primo exitu ad suam Ecclesiam,vel quia amisit ius ad fruendum,quod vocant *patitur*, propter rationem supradictam, quia hæc excusatio est alligata illis diebus,nec potest transferri ad alios.

### DVBIVM CVIII.

*An si cæteri Canonici remittant distributiones quotidianas non assistenti horis Canonicis, possit ille tuta conscientia non restituere.*

1 TRiplex est sententia.

Prima dicit, quòd si cæteri remittant, non tenetur illa restituere, quando illæ distributiones accrescũt aliis præsentibus. Ratio, quia illi Canonici sunt veri domini, & habent ius ad illas distributiones; ergo possunt illas remittere.Sic glossa *cap.vnico,de cleric.non resid.in* 6. *vers.suas,*& *ibi* Francus,§.*qui verò,num.*4. & *ibi* Dominicus *dicto* § *qui verò,*Syluest. *beneficium* 5.*quæst.*3. Angel. *Clericus* 7.*num.*8.

2 Secunda sententia docet valere remissionem, quando ea non fieret in fraudem legis; si autem fieret in fraudem legis,& cultus diuini detrimentum,vt si generaliter omnes sibi inuicem remittant distributiones,non valeret. Sic Gabr.4.*dist.*15.*q.*3.*art.*2.*concl.*2. Nauar.summa Hisp. *c.*25.*num.*133.Honcala *in opusculis,opusc.*1. *tract.* 4. *de distributionibus quotidianis.*Sandoual.*lib.de offic.Ecclesiastico,*6.*p.cap.*17. & alij. & de hac remissione intelligit Sandoual decretum Concilij citandum.

3 Tertia sententia docet,nullam remissionem, excusare, quominùs Canonicus absens teneatur distributiones restituere. Probatur, quia distributionum perditio est principaliter inducta in fauorem publicum cultus diuini, sed consensus priuatorum ius publicum tollere nequit; ergo. Item, quia Concil.Trident.*sess.*24.*cap.*12.*de reformat.* dicit,absentes non posse lucrari distributiones,non obstante quauis remissione,vel collusione.Sic Archid. quem refert glossa *d.vers.suas.* Et colligitur ex doctrina glossæ *ibi* credit enim remissionem valere;quia (inquit) non dicitur in illo capite remissionem non prodesse. Cùm ergo in Concilio Trid. dicatur remissionem non prodesse, iuxta hanc glossæ doctrinam, dicendum est, modò remissionem non valere.Item tenet Nauar. *cap.quando,*latinè *cap.* 22.*num.*49.Henriquez *lib.*7. *de indulg.cap.* 36. *num.* 4. & alij.Atque hæc sententia tenenda est.

### DVBIVM CIX.

*An si Canonicus absens restituat distributiones quotidianas aliis Canonicis, quibus accrescunt, & illi distributiones iam restitutas reddant ipsi restituenti, possit talis Canonicus absens illas recipere.*

1 SIt cõclusio. Si restitutio fieret cũ pacto de donãdo, posteà distributiones restitutas, talis redditio, seu donatio non valeret.quia effectu idem est,ac si non restitueret: at si bona fide sine fraude restitueret distributiones,& alter liberè sine dolo, & metu ei redderet ex intuitu amicitiæ, valeret talis redditio, seu donatio. Ratio, quia Concil. Trident.*sess.*24.*cap.*12. *de reformat.* vetat remissionem, non verò donationem rei iam restitutæ: & cùm sit pœna,non est extendenda. Item, quia longè distant. propriè loquendo.remissio, & donatio, licèt largo modo paria sint, nam facilius quis remittit, quàm donat. Et confirmatur; quia pater potest vltra tertium, & quintum remittere vsum fructum filio, at nequit donare filio vltra tertium. & quintum.Hanc tenet.Nauarr. *cap. quando*, latinè *cap.*22.*n.*50. & hoc idem in alio simili tenent glossa *cap.statutum,de rescript.in* 6. §. *si quid autem,vers. remissione,*& Dominicus *eodem* § Sylu.*iudex* 1.*q.*8. Arm. *n.*6.Angel.*n.*8.Rosel.*iudex* 1.*num.*6.Cùm enim *dicto cap. statutum*, decretum sit iudicem Ecclesiasticum delegatum teneri restituere munera accepta, non obstante partis remissione, concludunt dicti authores, quòd si finito iudicio,iudex restitueret munera in fraudem, vt sibi postea redonarentur, non valeret; secus, si restitueret sine fraude, & ille liberaliter redonaret. Hanc etiam in propriis terminis tenet Henriquez *lib.*7.*de indulg. cap.* 36.*n.* 4.*in commento,litera X.*

### DVBIVM CX.

*An consuetudo inducta,vt Canonici non assistentes horis lucrentur distributiones quotidianas,eos excusei, quominus distributiones perceptas absque assistentia teneantur restituere.*

1 SIt prima conclusio. Consuetudo, vt absentes recipiant distributiones quotidianas, generaliter inducta, eos non excusat à restitutione. Probatur, quia *cap. vnico.de cleric.non resid.in* 6.statuitur,absentes non lucrari distributiones, non obstante quauis consuetudine. Et idem definitur Concil Trident.*sess.*24.*cap.*12.*de reform.* & idem tenent omnes Doctores citandi.

2 Secunda conclusio. Si consuetudo induxerit,vt dentur distributiones quotidianæ absentibus in eo casu, quo de iure dubium est,an absentibus debeantur, & sit legitimè præscripta,valebit. Ratio, quia per hanc consuetudinem nil apertè inri contrarium inducitur. Sic Baldus, Decius, Exeas,Rochus de Curte,quos refert & sequitur Couuar.*lib.*3.*var.cap.*13.*n.*3.Duenas *regula* 206.

3 Tertia conclusio.Licèt consuetudo generalis, vt absentibus debeantur distributiones, non valeat: si tamen ex peculiari, & speciali causa in aliqua Ecclesia inducta fuerit, ob aliquam specialem rationem iustam,valebit: vt si in aliqua Ecclesia consuetum sit distributiones absentibus deberi, modò hi absint causa studij, vel ad breue tempus.Sic Exeas, Decius, quos refert, & sequitur Couar.*eodem cap.n.*5.Sandoual *lib.de offic.ecclesiastico,*6.*part. cap.*17.Duenas *vbi supra.*

4 Quarta conclusio. Non tantùm consuetudo præterita non valet, sed etiam non valebit consuetudo futura, vt Canonici non assistentes lucrentur distributiones.Ratio,quia,quando lex,vel canon improbat consuetudinem ob eius iniquitatem, censetur reprobare non tantùm præteritam, sed etiam futuram consuetudinem; eadem est ratio vtriusque,de quo alibi latiùs; at in hoc casu reprobatur consuetudo,vt iniqua.Sic Probus,quem refert, & sequitur Couar,*eodem n.*5.

5 Quinta conclusio. Etiam consuetudo immemorialis censetur in hoc casu reprobata. Ratio, quia, quando canon improbat consuetudinem,vt iniquam,censetur etiam reprobare immemorialem, propter rationem dictam *conclusione præcedenti*; at hoc casu censetur reprobata hæc consuetudo, vt iniqua, vt dixi *conclusione præcedenti* ex Couar. ergo.

6 Sexta conclusio. Consuetudo valebit, vbi post decretum Concilij fuerit ex consensu summi Pontificis inducta,vt distributiones dentur absentibus. Ratio, quia consensus summi Pontificis inducit dispensationem. Ita Exeas,Panorm. quos refert, & sequitur Couar. *dict. n.* 5. Dueñas *vbi supra.*

7 Tandem nota,aliquos,quos refert, & sequitur Dueñas *vbi supra*, asserere valere consuetudinem, vt qui interessent certis horis,lucrarentur omnes distributiones, licèt non interstint omnibus horis:sed Sandoual *vbi suprà* alios referens,hoc reprobat,& meritò, quia intentio *dicti cap. vnici*,& Concilij Trid.est, vt, qui non interest alicui horæ,non lucretur illius horæ distributionem, non obstante quacunque consuetudine.

### DVBIVM CXI.

*An hucusque dicta de distributionibus quotidianis locum habeant in Ecclesiis, vbi canonicatus nullos habent redditus,præter distributiones.*

1 SIt conclusio.Decreta in Concilio Trid.*& cap.vnico,de cleric.non resid.in* 6 quæ hucusque dicta sunt, non habent locum in Ecclesiis, vbi canonicatus nullos habet redditus, præter distributiones quotidianas. Ratio, quia non debet esse canonicatus absque vllis fructibus. Vnde in iis Ecclesiis standum est earum consuetudini. Sic glossa *dicto cap.vnico, vers.receperit.*

### DVBIVM CXII.

*An Canonici non assistentes horis, nec recipientes quotidianas distributiones peccent.*

1 TRiplex est sententia. Prima dicit, nullo modo peccare, nisi sequatur detrimentum cultus diuini. Ratio,quia est lex disiunctiua, scilicet, vt sacris interssint, vel distribationes amittant. Sic Metina 1.2.*quæst.* 6.*art.*4.*ad* 2 *fol.*87.

2 Secunda sententia dicit, peccare mortaliter, quando citra iustam causam communiter ad Ecclesiam non confluunt, vel quando Ecclesia patitur notabilem iacturam, & dicit hæc sententia, hoc tantùm habere verum in beneficiariis Ecclesiarum regularium, vel collegialium. Probatur ex *cap.finali,dist.*92.vbi tales à clero deponi iubentur:quæ pœna,cùm grauis sit, non infligitur nisi pro culpa mortali. Sic Syluest. *verbo hora,quæst.*10 Angel. *n.* 25.26.Greg. Lopez *part.*1.*tit.*6 *l.*34.*vers.en la Yglesia.*

3 Tertia sententia dicit, hos non peccare mortaliter, quando non intercenit contemptus, vel non notabilem patitur iacturam cultus diuinus; peccare tamen venialiter, quando sine iusta causa non interssunt officio diuino. Sic Doctores citandi. Sit

4 Prima conclusio. Si ex tali absentia omittitur officium diuinum publicum, quod aliàs erat dicendum, vel aliàs notabiliter læditur cultus officij diuini, est peccatum mortale; & in hoc conuenimus cum secunda sententia: & probatur ex capite, quod illa pro se adducit. Item ex *cap.cùm ad hoc,de cleric.non resid.*vbi Gregorius VIII.præcepit Patriarchæ Antochiæ, vt cogeret Canonicos illius Ecclesiæ ad residendum, & aliàs illos priuaret fructibus. Hanc,præter Doctores secundæ sententiæ, tenent Caiet. *in summa.verbo hora,vers.c. Quo ad quintum.*Tabien. *ibi n.*28.Armil.*n.*21.Sandoual *lib.de offic.ecclesiastico,*5. *part. cap.*4.Nieua *in summa,tit.*65.Nauarr.*cap. quando, cap.* 5. Hisp.*n.*14.15.Lat.*n.*24.& Lat.*c.*21. *num.* 34. & nonnulli docti recentiores.

5 Secunda conclusio. Si propter talem absentiam non lædereturnotabiliter cultus diuinus, nec esset contemptus.non esset peccatum mortale. Ratio, quia,cùm non fiat notabilis iniuria, non censeretur materia adeò grauis, vt obliget ad mortale. Sic contra authores secundæ sententiæ tenent omnes Doctores citati pro prima conclusione.

6 Tertia conclusio. Etiam in hoc casu esset peccatum veniale, si Canonicus absque iusta causa abesset horis Ratio,quia ad hoc dantur Canonicis beneficia, vt assistãt

S cultui

Universidad de Deusto Biblioteca

cultui diuino,& distributiones nec augent,nec minuunt hanc obligationem ; illa enim obligatio ex beneficij titulo oritur, & distributiones dantur ad inuitandum, vt promptiori animo concurrant : vnde non excusantur à culpa ex eo quod distributiones amittant non assistendo. Sic Caiet. Sandoual Nau. *vbi sup.*& prædicti recentiores.

7 Nota, omnes tres conclusiones positas habere etiam locum in beneficiariis, cuiuscunque Ecclesiæ, quæ talis est, vt teneantur in eam beneficiarij confluere ad dicendas aliquas horas in communi, vt vesperas. Sic Nauarr. *locis citatis*, Enriquez *in suis scriptis*, referens nonnullos Salmanticos Magistros.

## DVBIVM CXIII.

*An Episcopi teneantur interesse officio diuino in Ecclesia.*

1 CAiet. *in summa, verbo Episcoporum peccata*, ponit inter Episcoporum peccata non interesse diuinis officiis in Ecclesia,saltem diebus Dominicis. Probatur ex *c. Episcopus, de consecrat. dist. 3.* ex Concil. Aurelianensi,vbi decernitur,quòd Episcopus, si non fuerit infirmitate impeditus, non absit ab Ecclesia diebus Dominicis. Et Turrecrem *dicto cap. Episcopus*, dicit idem:& addit,idem dicendum esse de diebus solemnibus ; quia per dies Dominicos intelliguntur etiam dies solemnes.

2 Alij verò strictiùs loquuntur,& volunt aliis etiam diebus teneri interesse horis,per *cap. peruenit 7. q. 1.* & ad *cap. Episcopus*,respondent , quòd tantùm vult diebus Dominicis non posse excusari , nisi ob infirmitatem , vel aliam consimilem causam ; at cæteris diebus ob leuiorem. Sic Syluest. *v. rbo hora, q.* 10. Ang. *n.* 26. Nauarr. *cap. quando, cap.* 5. Hisp. *n.* 16. 17. Lar. *eisdem numeris,& n.* 14. vbi subdit non esse peccatum mortale , Episcopum abesse , nisi, quando graue damnum pateretur cultus diuinus. Eandem sententiam tenet Sandoual *lib. de officio Ecclesiastico, part.* 5. *cap.* 3.

3 Sit tamen conclusio. Cùm Episcopi regulariter habeant iustas occupationes aliorum negotiorum, quæ expediunt ad bonam suorum Episcopatuum gubernationem , communiter excusantur ab assistendo in Ecclesia ; deberent tamen curare ab aliis se negotiis expedire , vt saltem Dominicis , & festis diebus assisterent in suis Ecclesiis. Sic Sandoual *vbi supra*,& nonnulli docti recentiores.

## CAPVT II.

*De Simonia.*

QVoniam simonia frequentiùs in beneficiis committi solet,ideo de ea proximè post beneficia tractandum est.

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *Quid sit simonia.*
2. *Quo iure sit prohibita simonia , & an aliqua sit simonia solum de iure Ecclesiastico.*
3. *An Papa possit esse simoniacus, & simoniæ pœnas incurrere.*
4. *An vendere spiritualia naturalia, vt scientias, & artes, quæ humano sudore comparantur, sit simonia.*
5. *An vendere pretio Theologiam sit simonia.*
6. *An sit simonia pro actibus virtutum pretium dare.*
7. *An pro sacramentis liceat pretium recipere.*
8. *An liceat pretium offerre pro sacramentis ministrandis ad redimendam vexationem.*
9. *An liceat pretium dare, quando superior iniustè me excommunicauit, suspendit, vel interdixit, vt absoluat.*
10. *An pro labore in ministerio sacramentorum, vel aliorum spiritualium operum impenso liceat pretium recipere.*
11. *An liceat ministris Ecclesiæ accipere stipendium sustentationis pro ministerio rerum spiritualium, vt sacramentorum, prædicatione, celebratione Missæ, &c.*
12. *An sit simonia, si ministri spiritualium intendant stipendium sustentationis, tanquam finem principalem, ita, vt, illo cessante, nullo modo ministrarent, vt si Canonicus vadat ad chorum principaliter propter distributiones.*
13. *An pro necessariis mortuorum exequiis pretium recipere sit simonia.*
14. *An pro loco sepultura pretium dare sit simonia.*
15. *An pro sacramentalibus , & vsu materiæ sacræ pretium recipere sit simonia.*
16. *An liceat munera alicui offerre, vt faciat aliquod bonum, v. g vt audiat sacrum, intret in religionem, vel, vt desistat à malo, vel ne fornicetur.*
17. *An sit simonia pretium recipere pro actibus procedentibus à potestate spirituali, id est, pro vsu potestatis spiritualis.*
18. *An liceat Episcopis pro visitatione Ecclesiarum sui Episcopatus accipere procurationes, statutas, quæ dicuntur* manuales.
19. *An sit simonia accipere pecuniam pro collatione ordinum.*
20. *An sit simonia, si Notarij Episcoporũ pretium recipiant pro litteris testimonialibus ordinum, dispensationum, beneficiorum collationis , & pro scribendis literis dimissoriis.*
21. *An sit simonia pretium recipere pro sententia iudicis, & testimonio testis, patrocinio Aduocati.*
22. *An sit simonia dare , vel recipere pretium pro omissione alicuius actus spiritualis, vt pro non celebrando , pro non absoluendo, &c.*
23. *An sit simonia dare pretium pro ingressu in religionem, vel in confraternitatem, id est*, confradia.

## DVBIVM I.

*Quid sit simonia.*

SIt conclusio : *Simonia est studiosa voluntas aliquid spirituale, vel spirituali annexum emendi, vel vendendi*, id est,actus voluntatis liber , & deliberatus emendi , vel vendendi,sub quo comprehenditur omnis contractus, in quo pretium intercedit , siue sit emptio,vel venditio, vel locatio , vel permutatio : & nomine pretij intelligitur quoduis pretio æstimabile.

2 Nota, quòd nomine rei spiritualis , quæ est obiectum simoniæ , intelliguntur,quæ à Deo, vt author supernaturalis,id est , vt est hominum,& Angelorum saluator , & glorificator procedunt, vel ad illum, vt sic, ordinantur. Et est quadruplex : quoddam est spirituale per essentiam, vt virtutes supernaturales,& dona supernaturalia, vt gratia, fides,spes,charitas,gratiæ gratis datæ. Quædam verò causaliter , quia scilicet sunt causæ rerum prædictarum , vt sacramenta , ad quæ reducuntur sacramentalia , vt aqua benedicta, Catechismus , Exorcismus , Chrismatis confectio. Aliæ sunt spirituales effectualiter , quia scilicet sunt operationes ex aliqua potestate spirituali procedentes, vel operationes ad Deum ordinatæ , vt dispensare in voto, matrimonio , absoluere ab excommunicatione , concionari, cantare in choro, sepelire mortuos. Tandem quædam sunt tres spirituales ex annexione ; quæ sunt in duplici differentia : quædam, quæ ad officium spirituale ordinantur , vel ex spirituali ordine pendent, vt sunt omnia beneficia Ecclesiastica ; ius enim percipiendi fructus beneficij est annexum ordini clericali ; & ad officium diuinum ordinatur : quædam, quæ præparatoriæ sunt ad spiritualia, vt vasa sacra , vestes sacræ , candelæ benedictæ, campanæ benedictæ, templa, ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad beneficia , &c. Et hæc omnia intelliguntur nomine rei spiritualis ; de quibus omnibus latiùs Doctores in materia de simonia.

## DVBIVM II.

*Quo iure sit prohibita simonia ; & an aliqua sit simonia solum de iure Ecclesiastico.*

1 SVpponendũ est , res spirituales,circa quas est simonia,esse quadruplices: quædã sunt suapte natura sacræ,



cræ,vt gratia,sacramenta , gratiæ gratis datæ : aliæ , quæ habent sanctitatem ex consecratione , & benedictione Ecclesiæ,quæ nequit postea ab eis separari , dum manent integræ,vt calix, vestes sacræ,ara : aliæ, quæ non fiunt sacræ per aliquam benedictionem , sed per hoc quòd connectuntur aliquibus spiritualibus,vt beneficia: aliæ tandẽ sunt, quæ sunt officia temporalia Ecclesiæ , quæ nullam habent sanctitatem , nec per benedictionem, nec per annexionem ad spiritualia , sed recipiunt aliquam per hoc, quòd Ecclesia voluit,ne vendantur,vt munus œconomi, Ecclesiæ,sacristæ,procuratoris,seu defensoris Ecclesiæ,& cuiusliber administratoris rerum Ecclesiasticarum.

2 Dico ergo primò , certum esse,simoniam esse peccatum mortale graue contra religionem ; quia venditur, quod venale non est, cùm excedat omne pretium , & cuius non est dominus vendens, sed tantùm dispensator , & fit contra originem rei spiritualis, S. Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.*

3 Secundò dico, certum esse iure diuino , & naturali esse prohibitam simoniam, quæ est circa res spirituales primi generis; quia sunt res suapte natura spirituales, & à solo Deo authore pendent. Similiter est ferè certum , esse simoniam , quando res spirituales secundi generis venduntur plus ratione consecrationis, vel benedictionis, licèt aliqui Iurisperiti oppositum sentiant. Ratio , quia, licèt benedictio sit solo iure Ecclesiastico inducta, at, factâ benedictione , manent in se spirituales , & sic natura sua inuendibiles : sicut consecrare hanc Ecclesiam est de iure, Ecclesiastico , at factâ consecratione , est de iure naturæ ne polluatur semine.

4 Tertiò dico , licèt aliqui sentiant , non esse simoniam aliquam solo iure Ecclesiastico veritam , at ferè certum est contrarium,& commune,ex multisque textibus colligitur , vt latè probant Doctores in mat. *de simon.* inter quos videndus est Lessius,& Suarez.

5 Quartò dico circa res tertij generis, nempe circa beneficiorum venditionem , an sit simonia de iure diuino, vel Ecclesiastico ( de quo latè *infra* ) esse ferè certum, quòd quando non interuenit vera pro pretij , vt , quando commutatur beneficium ratio beneficio,est simonia solo iure Ecclesiastico,vt latiùs *infra dub* 24.

6 Quintò dico, quòd simonia de solo iure Ecclesiastico versatur circa venditionem rerum spiritualium quarti generis,scilicet quando venduntur officia temporalia Ecclesiæ,quæ nullam habent sanctitatem , nec per benedictionem,nec per annexionem ad spiritualia , sed recipiunt aliquam per hoc,quod Ecclesia voluit,*cap. saluator,quæst.* 3.ne vendantur: quod non voluit ob suam vtilitatem,sed, ne dilapidarentur eius bona ; sicut voluit bona Ecclesiæ alienari hac sola ex causa, sed in reuerentiam bonorum Ecclesiæ , & administrationis eorum. Vnde est differentia magna inter res spirituales huius generis , & aliorum ; quia res spirituales primi generis sunt ex se tales: & res secundi generis sunt verè spirituales per consecrationem,& benedictionem : & res tertij generis sunt in se verè spirituales per annexionem , quia formaliter coniunguntur officiis verè spiritualibus: at res quarti generis nullo modo ex dictis sunt in se spirituales ; quia tantùm instituuntur ab Ecclesia ad munera temporalia , & solùm dicuntur spirituales per extrinsecam prohibitionem venditionis ob reuerentiam rerum Ecclesiæ.

7 Hinc infertur, quòd simonia de iure Ecclesiastico duobus tantùm casibus inuenitur, scilicet, quando vel res non sunt verè spirituales , vel non est vera ratio pretij: quando autem res sunt veré spirituales , & est vera ratio pretij,est simonia iure diuino,& naturali.

## DVBIVM III.

*An Papa possit esse simoniacus , & simoniæ pœnas incurrere*

1 PRimò dico , certum esse,non posse incurrere pœnas simoniæ;quia eæ sunt de iure Ecclesiastico,cui quoad vim coactiuam , non potest subiici Papa. Certum etiam est posse incurrere peccatum simoniæ , quæ talis est iure diuino,vt si vendat sacramenta.

2 Secundò dico,quòd de simonia,quæ talis est iure Ecclesiastico,est dubium;quidam enim dicunt,non posse illam incurrere,alij verò distinguunt , quòd , si secum dispenset ex causa iusta,non potest illam contrahere : si verò sine causa iusta,illam contrahit. At dicẽdum est, quod, si secum priùs dispensat ex causa iusta,non peccat : si verò sine causa iusta,non peccat peccato simoniæ , quia dispensatio,sine causa facta in iure humano est valida ; sed erit peccatum infidelitatis iniustè dispensandi. Si verò secum non dispenset,& causa sit irrationabilis , contrahet peccatum simoniæ de iure Ecclesiastico ; quia Princeps suis legibus obligatur,quoad vim directiuam.

3 An verò emens beneficium à Papa incurrat pœnas simoniæ,dicam *infrà dub.* 111.

## DVBIVM IV.

*An vendere spiritualia naturalia, vt scientias, & artes, quæ humano sudore comparantur, sit simonia.*

1 SIt conclusio. Licèt aliqui dicant , esse simoniam,at multò verius est , non esse simoniam ; sed tantùm est simonia vendere spirituale supernaturale , quia vitium simoniæ opponitur Religioni; at vendere scientias naturales,non opponitur Religioni. Hinc

2 Fit primò , quòd potest Iurisperitus vendere suum consilium,& patrocinium, licèt sit in causa spirituali , vt matrimonij,& hæresis. An verò possit vendere , quando respondet ad casus conscientiæ,dicam *dub. sequenti.*

3 Secundò fit, quòd Doctor,licèt sit ditissimus,potest pretio docere,immò,quo scientia est excellentior, & qui docet est peritior,potest maius pretium recipere pro docenda scientia , licèt minus laboraret ; immo licèt posset suam scientiam in alium sine labore transfundere.

4 Tertiò fit, quòd veritas naturalis potest dupliciter considerari: primò in quantum est bonum quoddam honestum,& sic non est venialis;at non est simonia,nec peccatum mortale,vt sic, eam vendere, nec tenetur vendens restituere;sed est graue veniale. Et sic debet intelligi D. Thom. dicens non posse vendi veritatem. Secundo modo in quantum est vtilis ad vsus humanos , & delectabilis,& sic potest vendi. Et licèt hæc veritas naturalis, Deus est, videatur ad salutem pertinere,est tamen venalis, quia vt est naturalis, non est necessaria ad salutem , sed sat est cognitio fidei.

5 Quartò fit,quòd, si donum linguarum , sanitatis, & scientiæ naturales infunderentur à Deo ad ædificationem aliorum , & salutem spiritualem , esset simonia hæc vendere: si verò non ad hoc , non esset simonia, sed licitum,vt,si alicui daretur miraculosè ars medicinæ , & curaret applicando actiua passiuis, posset pretio facere ; sicut,qui miraculosè acciperet à Deo artem fabrilem, posset pretio eam vendere.

6 Quintò fit,quòd,qui habent donum sanitatis, & salutant,vulgò *saludadores*,& sine applicatione medicinarum sed sola benedictione sanant , non possunt sine simonia vendere : at possent accipere aliquid in propriam sustentationem,vt ex dicendis constabit.

7 Sextò infertur contra Panormitanum, quòd non potest dari beneficium pro scientia docenda sine simonia, quia hoc est pretio æstimabile. Vnde,cùm datur beneficium docenti aliquam scientiam , non datur vt pretium, sed illi præbendæ assignatur vt annexum illud docendi munus,vt latè disputabo *dub.* 25.

## DVBIVM V.

*An docere pretio Theologiam sit simonia.*

1 NOn agimus de Theologia naturali,id est, scientia de Deo,vt author naturalis est, quia de hac idem

dicendum est ac de aliis scientiis naturalibus diximus *dub. præcedenti*; nec de Theologia infusa à Deo, id est, quadam cognitione diuinarum Scripturarum habita ex dono Dei, & dicitur interpretatio sermonum: hanc enim vendere clarum est, esse simoniam, quia ponitur inter dona Spiritus sancti; sed dubium hoc est de Theologia, vt est habitus scientificus naturaliter acquisitus, quo ex fidei articulis inferuntur conclusiones. Et de hac quidam dicunt, esse simoniam illam vendere.

2 Pro resolutione nota, quòd hæc Theologia habet quatuor actus. Primus est ex articulis fidei deducere conclusiones. Secundus est interpretari sacram Scripturam. Tertius est respondere ad casus conscientiæ ad pacandas conscientias. Quartus est prædicare, seu docere sacram doctrinam. Sit ergo

3 Prima conclusio. Vendere Theologiam, quo ad duos priores actus, & etiam in quantũ docet casus conscientiæ per modum doctrinæ, vt fit in scholis, non est simonia; quia hæc Theologia est naturaliter parta, nec ordinatur ad finem supernaturalem, sed ad erudiendum intellectum.

4 Sed nota, quòd, si vellet Theologus vendere, non tantùm scientiam, sed veritates theologicas, quas docet, esset simonia: quia sunt supernaturales, sicut ipsa principia, in quibus continentur.

5 Hinc fit, quòd magisterium Theologiæ est quid temporale, quia per scientiam solam fit quis idoneus ad illud: & sic potest conferri à domino temporali, & si acciperet pretium pro illo conferendo, non esset simonia. Si verò Prælatus acciperet pretium pro danda facultate legendi Theologiam, esset simonia; quia illa licentia procedit à potestate iurisdictionis Episcopi, quæ est quid spirituale; sicut esset simonia, si Prælatus pretio dispensaret, vt *infra* dicemus, non autem si dominus temporalis pretio dispensaret in lege, quia illa dispẽsatio est actus potestatis spiritualis, non autem hæc, sed potestatis temporalis.

6 Secunda conclusio. Vendere Theologiam, quoad quartum actum, id est, prædicare, vel docere doctrinam Christianam, est simonia. Ratio, quia actus ordinatur ad excitandos effectus in supernam felicitatem, & promouendos in bonum.

7 Tertia conclusio. Vendere Theologiam, quoad tertium actum, est simonia, id est, pretium recipere pro consilio, quod ordinatur ad salutem animæ, ad leuandum mœrorem afflicti hominis, ad pacandas conscientias, vel tollendos scrupulos, est simonia. Ratio, quia hæc omnia non immediatè ordinantur ad illuminandum intellectum, vt duo priores actus Theologiæ, sed immediatè ordinantur ad salutem æternam, & bonum animæ.

8 Hinc fit, quòd nec Iurisperitus potest pretium recipere pro consilio, quando ordinatur tantùm ad pacandum conscientiam, & salutem animæ, sicut nec Theologus (an verò possit recipere pro studio ad hoc requisito, dicã *infra dub.* 10.) & vterque potest etiam æquè recipere, quando interrogatur, etiam in causis spiritualibus, vt beneficij, & matrimonij, quando interrogatur, non ad pacandum conscientiam, sed vt instruantur interrogantes, & sciant, vel vt eorum iustitia manifestetur in foro externo, vel vt se præparent ad examen, &c.

## DVBIVM VI.

*An pro actibus virtutum pretium dare sit simonia.*

1 REspondetur affirmatiuè, vt pro fundendis pro me orationibus, pro offerendo ieiunio pro me; quia sunt actus spirituales ordinati ad felicitatem æternam, & satisfaciendum pro peccatis.

2 Similiter est simonia, si Religiosi petant à sacerdote, vt eis procuret eleemosynas in parochia, hoc pacto inito, vt sacerdos habeat partem. Ratio, quia talis persuasio sacerdotis est res spiritualis, cùm ordinetur ad rem spiritualem, scilicet eleemosynam largiendam; sicut, si aliquis pretium reciperet, vt persuaderet & alteri collationem beneficij. Sic D. Thom. *quodlib.* quem refert, ac sequitur Syluest. *verbo simonia, q. 9. dict.* 8. & docti iuniores. Secus credo, quando sacerdos ille discurreret per parochiam petens eleemosynam monachis; posset enim pacisci, vt pretium sui laboris sibi daretur.

## DVBIVM VII.

*An pro sacramentis liceat pretium recipere.*

1 NOta, quòd triplici causa potest pecunia recipi pro sacramentis, & actibus spiritualibus. Primò, tanquam pretium ipsorum actuum. Secundò, non tanquam pretium ipsorum actuum, sed laborum, qui in ipsis impenduntur. Tertiò, vt stipendium sustentationis, vt pictor potest primò exigere pecuniam, vt pretium imaginis, secundò pro labore pingendi. Tertio tantùm ad propriam sustentationem; posset enim euenire, vt pecunia ad eam necessaria esset longè minor ea, quàm pro suis laboribus merebatur. De his ergo modis seorsum agendum est.

2 Sit ergo conclusio. Simonia est pretium recipere pro sacramentis. Vnde nihil potest dari pro matrimonio, vt est sacramentum; at quatenus est officium naturæ, & contractus quidam, quo vir ad sustentandum vxorem, & onera matrimonij obligatur, potest exigi dos, vt satis constat.

3 Hinc fit, quòd pro absolutione ab excommunicatione pretium exigere est simonia. Si verò aliquando ab absoluendo pecunia exigatur, id non est ob absolutionis pretium, sed in pœnam delicti, sicut posset in absolutione peccatis id imponi in pœnitentiam. Nec est necesse, vt talis pœna applicetur pauperibus, licèt id melius esset.

4 Non est tamen simonia, sed licitum, si parochus, à quo petitur licentia ministrandi sacramentum, eam neget, nisi stipendium, quod sibi obtingeret, si ipse ministraret, sibi concedatur, quia id non petit quasi licentiam vendens: hoc enim esset simonia, cùm hæc facultas procedat ex iurisdictione spirituali, sed quasi stipendium sibi debitum, & vt seruet se indemnem: vt scriba per ministrum scribens contractum, iustè petit stipendium sibi debitum. Idem est de licentia audiendi confessiones, & concionandi, quando parochus erat concionaturus: potest enim pacisci cum eo, cui dat licentiam, vt stipendium, quod sibi dandum erat, conferatur ab eo, cui dat licentiam, vt seruet se indemnem. Sic Panormit. & Vrbecius, quos refert. & sequitur Syluest. *verbo simonia, quæst.* 8. *d.* 2; Aragon 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *fine*; qui omnes addunt, quod, si exigat maiorem summam, quàm dicta portio valet, præsumetur licentiam vendere, & sic committere simoniam.

## DVBIVM VIII.

*An liceat pretium offerre pro sacramentis ministrandis ad redimendam vexationem.*

1 CErtũ est, non licere pro sacramentis voluntariis; at dubium est, an liceat pro necessariis, vt pro Baptismo, quando nullo alio modo posset haberi, quia offerens, v. g. puerum est truncus manibus, vel caret loquela, & non est alius, qui baptizet. Et licèt aliqui dicant, licere in hoc casu emere sacramentum, quando alius nullo alio modo vult baptizare, nisi alter emat sacramentum, nisi hoc faciat in contemptum fidei; vnde dicunt vendere sacramentum esse ita intrinsecè malum, vt nunquam liceat; at emere non est ita intrinsecè malum, quin aliquando liceat. At hoc omnino reiiciendum est, & dicendum vtrumque esse intrinsecè malum.

2 At dubium est, an liceat dare pretium ad redimendam vexationem. Triplex est sententia. Prima negat; secunda concedit licere, tam pro paruulo, quàm pro adulto, & non tantùm in necessitate extrema, sed etiam in grauissima; quia hæc non est emptio sacramenti, quæ intrinsecè mala est; sed pretium datur ad auferendum impedimentum auaritiæ, quo ille impeditus Baptismum negat. Tertia sententia dicit, quòd id licèt pro paruulo extremè





extremè indigenti, scilicet in articulo mortis constituto, non autem pro adulto; quia hic potest per contritionem saluari. Et hæc sententia est probabilior; at secunda opinio est etiam probabilis. Vnde est etiam satis probabile, quòd adultus potest hoc facere cum sacerdote, qui non vult illum absoluere, nisi det pecuniam, quando timet magnum periculum, si non fateatur.

## DVBIVM IX.

*An liceat pretium dare, quando superior iniustè me excommunicauit, suspendit, vel interdixit, vt absoluar.*

1 QVidam dicunt, nullo modo licere; alij verò dicunt licere, quando excommunicatio est manifestè iniusta, suspensio, vel interdictum sunt etiam manifestè iniusta; & si statim non absoluar, incurram graue damnum: aliàs enim non licet, sed recurrendum est ad superiorem. At verius est, non licere, quando excommunicatio est iusta, vel dubia; quia in dubio præsumendum est pro iudice excommunicãte; at verò, quando has censuras constat esse iniustas, verius est absolutè, licere pretio redimere vexationem. Ratio, quia habeo ius in re, scilicet participatione sacramentorum, & communione fidelium, qua per iniustitiam priuor: & licèt alter peccet peccato simoniæ: recipiendo pretium pro hac, ego tamen vtor iure meo.

2 Si tamen excommunicatio iusta sit, licèt superior iniustè differat absolutionem, non licet dare pretium, vt absoluar; quia tunc excommunicatus non habet ius in re, cùm iustè priuatus sit sacramentorum participatione, & communione fidelium; sed habet ius ad rem.

## DVBIVM X.

*An pro labore in ministerio sacramentorum, vel aliorum spiritualium operum impensò, liceat pretium recipere.*

1 NOta, duplices esse labores, & operas, quæ in ministeriis spiritualibus impenduntur: aliæ sunt intrinsecè, & per se, necessariò coniunctæ illis. vt sunt labores necessariò requisiti ad baptizandum, faciendum sacrum, &c. Aliæ sunt per accidens, & intrinsecè tantùm coniunctæ rebus spiritualibus, vt si vocetur quis ad faciendum sacrum in aliquo loco distanti per vnam leucam, itet illius leucæ est labor per accidens coniunctus sacro faciendo.

2 Sit conclusio. Licèt quidam dicant, posse vendi talem laborem, licèt per se coniunctus sit cum ministerio rerum spiritualium; at omnino tenendum est, posse vendi laborem per accidens coniunctum, quia hic labor per se consideratus, est temporalis, & non, nisi per accidens, coniungitur rei spirituali: at non posse vendi absque simonia laborem per se, & intrinsecè coniunctum rei spirituali, quia hic labor est pars necessaria rei ipsius spiritualis, & nullo modo separabilis ab ipsa, nec per se est appretiabilis, & æstimabilis, nisi, vt est coniunctus rei spirituali. Item, quia vendere beneficium est simonia, quia annexum est officio diuino; sed magis annectitur rei spirituali hic labor, cùm ab illa non sit separabilis; at officium diuinum potest absque beneficio esse. Hinc

3 Infertur, quòd, sicut pro prædicatione, & labore ipsius nõ licet pretium recipere; ita nec pro studio ipsius, id est, pro studio requisito ad prædicandum. Ratio, quia hoc studium est per se necessarium ad prædicandum, & sic recipere pretium pro illo, esset recipere pro prædicatione.

4 Secundò infertur, Cantores, & organa pulsantes, & citharœdos, id est, *chirimias*, posse operas suas locare, licèt id faciant in cultu diuino. Ratio, quia præcipuum, quod ab his quæritur, est artificium canendi, & suauitas vocum, ac instrumentorum, quæ temporalia sunt, per accidens que rei spirituali coniunguntur.

5 Tertiò infertur, quòd licèt pauperes non possunt pretium recipere pro orationibus suis, quia præcipuum, quod ibi quæritur, est iuuamen spirituale, & consequenter, nec pro labore per se coniuncto, & necessario ad illas: at possunt pretium recipere pro obligatione quotidie recitandi, vel eundi ad sacellum aliquod ad recitandum, vel recitandi quotidie ad ianuam.

6 Quartò infertur, posse clericos obligantes se ad toties in mense, vel hebdomada, tali tempore, & tali loco celebrandum, locare pretio suas operas, ac personæ obligationem. Ratio, quia talis obligatio per accidens coniungitur actioni faciendi sacrum, nec ex ordinis susceptione obligatur sacerdos ad per accidens coniunctum.

7 Nota tamen, sacerdotem diarium, qui non per notabile tempus, sed ad horam, prout occurrit, qui ab eo petat Missam celebrandam, officium hoc exhibet, non posse has operas vendere. Ratio, quia is non plus temporis in facienda re diuina insumit, quàm id, quod ad eam peragendam exigitur per se: & ideo non est ab actione spirituali seiungendum, cùm sit ei coniunctum, velut intrinseca eius mensura.

8 Quinto infertur, quod, si quis vocetur, vt insomnem ducat noctem cum ægro, licèt debeat psalterium recitare, potest pretio vendere hunc laborem, quia est accidentarius.

## DVBIVM XI.

*An liceat ministris Ecclesiæ recipere stipendium sustentationis pro ministerio rerum spiritualium, vt sacramentorum prædicatione, & celebratione Missæ, &c.*

1 PRimò dico, esse certũ, & de fide, hoc esse licitum, & conforme perfectioni euangelicæ: &, licèt famulus pro seruitio temporali, quod exhibet domino, recipiens stipendium sustentationis, non gratis, sed pretio, famulari dicatur; at in præsentiarum dicitur gratis dare spiritualia, vt distinguitur contra collationem pro pretio, quod solùm præcepit Dominus; & stipendium illud sustentationis non est pretium: pretium enim commensurabile est cum re cuius est pretium; at stipendium sustentationis datum ministranti spiritualia non est commensurabile cum ipsis rebus, nec cum labore ministri, sed tantùm cum indigentia, & necessitate sustẽrationis corporis.

2 Nota, nomine *sustentationis* intelligi etiam necessaria ad statum decentem ministri, & ad subuentionem eorum, quibus iure naturæ subuenire tenetur, vt eorum qui sub sua sunt cura; non enim mendicare debet, vt his subueniat.

3 Hinc fit, licere largiri sacerdoti suppellectilem valentem vnum argenteum, quæ communis est eleemosyna vnius Missæ pro vna Missa hoc tempore in hac prouincia, quia datur vt sustentationis stipendium.

4 Secundò dico quòd, licèt aliqui sentiant, ministros diuites non posse hoc stipendium sustentationis recipere, nisi proprium patrimonium in opera pia seruent, aut expendant; at omnino tenendum est posse ministros, etiam ditissimos, licitè tale stipendium recipere. Ratio, quia hoc stipendium debetur ministris, non ex misericordia, aut liberalitate, sed ex iustitia; aliàs non soluentes decimas non tenerentur restituere; at iustitia tantùm respicit æqualitatem rei ad rem, non autem alias conditiones subiecti, vel contrahentium.

5 Hinc fit, Religiones, etiam ditissimas, iustè recipere tale stipendium; at, perfectiùs facere non recipientes.

6 Secundò fit, quòd minister Ecclesiasticus habens stipendium pro vno ministerio, potest pro alio aliud stipendium recipere, vt canonicus pro Missis voluntariis? si verò pro eo, pro quo habet stipendium, recipiat aliud, apparenter est simonia; at verè non est, si non recipit vt pretium, sed vt stipendium sustentationis; sed erit iniustitia, sicut si recipiat stipendium maius iusto, est iniustitia.

7 Tertiò fit, non esse peccatum libentiùs prædicare, vbi maius est stipendium sustentationis, & renuere prædicare, vbi nihil speratur dandum; licèt possit aliquo modo hoc pertinere ad charitatis defectum, quo quis magis

Universidad de Deusto
Biblioteca



temporalem,quàm spiritualem profectum intendit.

8 Tertiò dico,quòd,licèt aliqui sentiant,non licere ante spiritualium administrationem pactum inire circa sustentationis stipendium citra simoniam; alij verò dicant, id licere ministro pauperi, non verò diuitiat dicendum est hoc non esse prohibitum iure naturali, & diuino: at de iure Ecclesiastico est simonia tale pactum, siue minister sit diues, siue pauper:ius Ecclesiasticum iam per contrarium vsum abrogatum est,& sic tale pactum est licitum, siue minister sit diues,siue pauper.

9 Hinc colliguntur duæ regulæ ad resoluendos multos casus de simonia. Prima est,quòd cùm multis titulis possit temporale dari, dum spirituale recipitur, scilicet per modum sustentationis,vel liberalis doni ad gratiam referendam, vel ineundam,vel per modum eleemosynæ, vel per modum reuerentiæ, & honestatis,id est, ob reuerentiam sacramenti, vel pro solutione obligationis legis, vel consuetudinis, nullus horum constituit simoniam; sed tantùm,quando datur temporale pro spirituali, vt pretiũ. Altera est, quòd, si ministrans spiritualia accipiat temporale,non detorquendo intentionem, id est, non cum intentione emendi,vel vendendi,sed dicendo, *Accipio hoc sicut solent cõmuniter clerici probi accipere*,non est simonia.

10 Nota, esse cauendum scandalum: vnde,licèt fas sit inire pactum stipendij pro Missa; at de quantitate contendere vix citra scandalum fieri potest. Et similiter,quanuis pro audienda confessione liceat eleemosynam gratis datam accipere; at de illa pacisci, sicut pro Missa, generaret scandalum.

11 An verò possit Episcopus taxare hoc stipendium, & præcipere,ne minus sit, dicam in tractatu *de Eucharistia* Et in processione funerum,an possit ordinare,vt non fiat, nisi tantum stipendium detur,dicam *infrà dub.*13.

12 Secundò nota,posse clericos cogere laicos coram iudice,vt soluant stipendium hoc sustentationis: immò, & id quod ex consuetudine debetur illis, quando consuetudo non habuit initium violentum, vt per exactiones, sed ex populi deuotione fuit introducta.

13 Tertiò nota, quòd, licèt Sacerdos regulariter minùs bene faciat exigens stipendium ante spiritualium collationem; aliquando tamen bene facit, scilicet,si id faciat, vt seruet se indemnem, vt scilicet vitet lites, quas probabiliter timet ad recuperandum.

14 Tandem nora, clericos pessimè facere, qui aduersùs Monachorum iura extorsiones faciunt, ne quis sepelire eligat in monasterio, nolentes cum pompa illum portare, &c.quia iniustè cogunt defunctorum voluntatem, quibus liberum est sepulturam eligere.

## DVBIVM XII.

*An sit simonia, si ministri spiritualium intendant stipendiũ sustentationis,tanquam finem principalem,ita vt, illo cessante,nullo modo ministrarent, vt, si Canonicus vadat ad chorum principaliter propter distributiones.*

1 SIt conclusio. Licèt communis ferè omnium sentẽtia dicat esse simoniam,quando stipendium intendit,vt finem principalem;non tamen quando tantùm intendit,vt motiuum,licèt, eo cessante, non administraret: & sic concedit,Canonicum non potentem interesse omnibus horis, posse eas eligere, quibus copiosiores distributiones destinatæ sunt;at verius est non esse simoniam, licèt intendat vt finem principalem illud stipendium, modò non intendat illum vt pretium, sed vt stipendium sustentationis debitum. Ratio,quia hic non habet voluntatem emendi,vel vendendi,sed recipiendi, vt stipendiũ sustentationis;ergo. Immò nec id est peccatum mortale, sed veniale;quia hic tantùm est peccatum graue ordinationis ad finem; at hæc non est peccatum mortale, sed veniale,quando finis non est mortale. Item, quia non est mortale principaliter facere sacrum ob vanam gloriam; ergo similiter,&c,

## DVBIVM XIII.

*An pro necessariis mortuorum exequiis pretium recipere sit simonia.*

1 DIco primò, licere quidem pro illis stipendium sustentationis recipere, non autem pretium sine simonia, quia spirituales sunt. At pro non necessariis licet recipere pretium, vt si curantes funus velint cum pompa magna ducere clericos corpus faciendo plures pausationes, seu moras cum tali cantu figurato in singulis, quòd tandiu pulsentur cymbala, &c. Hæc enim pompa temporalis est,& per accidens coniuncta rei spirituali, & sic potest vendi.

2 Secundò dico,quòd lex hæc affirmans est licita, scilicet,vt,si quis offerat talem eleemosynam, in eius funere talis processio fiat, quia est taxatio stipendij sustentationis; at lex negatiua, scilicet, nisi quis offerat talem summam, in eius funere processio non fiat,est illicita; minùs tamen bene dicunt aliqui esse simoniam, quia non destinatur vt pretium; sed est illicita, quia præcludit viam, ne minori stipendio fiat, sicut materia *de Eucharist.* dicam, non posse Episcopum statuere, ne Missæ minori stipendio celebrentur; nisi in casu, quo clerici cogerentur à laicis variis modis palliatis remittere partem eleemosynæ destinatæ, vel, si oriri solent lites, fraudes, & tyrannides: tunc enim posset Episcopus statuere, vt clerici nihil remitterent stipendij. vt bene Corduba *lib.*1.*quæst.quæst.*4. Aragon.2.2.*quæst.*85 *art.*3.& patet, quia Trident.*sess.*24. *cap.*12. prohibet remitti distributiones. Quæ etiam limitatio in hoc casu ponenda est, cùm sit eadem ratio.

## DVBIVM XIV.

*An pro loco sepulturæ pretium dare sit simonia.*

1 PRimò dicò,quòd locus,in quo nullus est sepultus, nec deputatus est per Episcopum ad sepulturas,nec aliàs est benedictus, sed tantùm deputandus est ad sepulturas, est omninò profanus,& potest vendi:sicut & terra, in qua Ecclesia erigenda est, vendi potest: immò,etsi,secundùm ius ciuile,locus, in quo aliquis est sepultus,consentiente domino, sit religiosus;at, secundùm ius canonicum, non est talis,nec inuendibilis,nisi, quando authoritate Episcopi deputatus est ad fidelium sepulturas. Vnde propriè,& secundùm ius canonicum, locus religiosus sepulturæ dicitur locus ille, in quo aliquis fidelis est sepultus, vel sepeliendus, siue sit terra, siue arca lapidea, siue aliud, quando authoritate Episcopi est ad fidelium sepulturas deputatus, etiamsi nullus *ibi* sepultus sit.

2 Secundò dico,quòd talis locus sepulturæ, si ratione consecrationis pluris vẽdatur, esset simonia iure naturali, & diuino; si verò ratione terræ vendatur,quidam dicunt, non esse simoniam: quod intelligendum est de iure naturali, & diuino; at est simonia de iure Ecclesiastico accipere pretium pro loco necessario ad sepulturam, quia id prohibetur *cap. abolendæ, de sepult. & cap.non sanè, de simon.* & hoc in loci sacri honorem: at licitum est accipere consueta stipendia pro tali loco sepulturæ: hoc enim non recipitur,vt sepulturæ pretium, sed ad fabricam Ecclesiæ;decens enim est,vt defuncti,qui templum inhabitant,contribuant ad eius templi reparationem.

3 Tertiò dico,quòd licitum est accipere pretium pro loco honoratiori sepulturæ:& sic, quòd locus propinquior est summo altari,quia est honoratior, eo maius pretium recipi potest. Ratio,quia venditur quid temporale, scilicet honor, vt pendet ex hominum æstimatione, & per accidens rei spirituali coniungitur. Item, licitum est pretium recipere pro perpetuo iure sepulcri,id est, pro obligatione,vt in tali loco nullus,præter emptorem, & successores, sepeliatur; quia hæc obligatio est quid temporale,& per accidens adiungitur rei spirituali, licèt aliqui oppositum teneant.

4 Vltimò dico,quòd laicus nequit habere sepulturæ dominium;quia loca religiosa nequeunt esse in alicuius dominio: at potest habere tale ius quoad vsum pro se, & suis successoribus,vt nullus possit, eis inuitis ibi sepeliri, nisi in necessitate; at eo mortuo,& familia illius, potest aliis concedi vsus illius sepulturæ, quia mortuo habente vsum,vsus redit ad proprietarium. Et idem prorsus dicendum est de capellis,quas conceditur alicui habere in Ecclesia.



## DVBIVM XV.

*An pro sacramentalibus, & vsu materiæ sacræ pretium recipere, sit simonia.*

1 PRimò dico,quòd,sicut pro actionibus Sacramentorum,& laboribus per se illis annexis, est simonia pretium recipere, sic dicendum prorsus est de sacramentalibus,vt pro exorcismis, catechismis, benedictionibus nubentium. Ratio,quia hæ benedictiones sunt spirituales,& à potestate spirituali procedunt, & ad finem spiritualem ordinantur.

2 Secundò dico,quòd,sicut nec actio, quæ est de essentia Sacramenti,nec labor per se ad eam requisitus potest absque simonia vendi, sic nec vsus materiæ sacræ per se requisitæ ad eam, vt vsus olei in extrema vnctione, nec chrismatis, vsus vasum, & ornamentorum sacrorum in celebratione Missæ, non potest absque simonia vendi. Ratio, quia est intrinsecè annexus talis vsus ministerio Sacramenti.

3 Tertiò dico,quòd ipsa materia non ratione consecrationis,potest vendi:vt potest vna Ecclesia alteri calicem vendere vel locare:& oleum consecratum tanti vendere, quanti venditur similis olei quantitas non consecrata: licèt quidam minùs bene dicant, hoc esse simoniam. Imò & posset asportari christma de loco in locum vendendum ratione solius materiæ. Ratio, quia ea materia est omnino temporalis.

4 Vnde reprobanda est regula, quam quidam ponunt, scilicet, quòd quando aliquid est compositum ex spirituali, & temporali, si illud sit præcipua, & maior pars, non potest absque simonia vendi; secus, si temporale sit præcipua,& maior pars. Sed dicendum est, semper posse vendi illud temporale,quia nunquam mutat naturam; in hoc tamen versatur differentia, quòd, quando principale illius est spirituale, non potest absolutè vendi; quia, cùm vnumquodque,cùm absolutè tractatur, & iudicatur, censeatur tractari, & iudicari secundùm suum principale,si absolutè venderetur id,in quo principale est spirituale, censeretur spirituale vendi; at bene potest vendi non absolutè, sed ratione temporalis annexi; at; vbi principale est temporale,potest absolutè vendi; quia censetur vendi ratione principalis, scilicet temporalis.

5 Quartò dico, vasa sacra, & ornamenta sacra Ecclesiæ posse vendi ratione materiæ pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum, & pro redemptione captiuorum; ita tamen, vt,si vendantur alteri Ecclesiæ, vel Clerico, aut laico ad sacrum vsum, possunt integra vendi: si autem ad vsum profanum (quod etiam pro dicta necessitate est licitum) debent priùs vestes sacræ dilacerari, ita, vt formam perdant & vasa sacra confringi, & conflari, præmissa priùs oratione ad Dominum; quia in superficie externa potiùs consistit consecratio, & vncto: & sic ne aliquid consecrationis ibi maneat,conflantur.

6 Vltimò dico, quòd similiter res Ecclesiæ non possunt impignorari, sicut nec alienari,nisi pro dicta necessitate: & hæc necessitas non debet esse qualiscunque, sed summa,scilicet ad subueniendum pauperibus,ne frigore, seu fame pereant; & ad redimendos captiuos, siue pauperes, siue captiui sint proprij parochiani, siue externi: & hoc, etiamsi propria culpa in paupertatem deuenerint. Non tamen possunt alienari, vel in pignus dari, seu pignori, aut hypothecæ obligari ad soluendam pœnam eorum, qui ob crimina carcere detenti sunt, vt à carcere, quo instè opprimuntur, liberentur. Immò nec pro redimendo à carcere detentos in eo ob debita, nisi debitores ipsi, eorum parentes, vel filij ex ea carceris oppressione fame aliàs perirent, à qua ob industriam à carcere soluti, verisimiliter liberentur. Nec possunt etiam, vt ex pecunia, ac pretio à triremibus liberentur damnati iustè ad triremes; benè tamen possunt vendi, vel obligari hypothecæ, aut in pignus dari ad subleuandam magnam famem eorum, qui publicis carceribus detinentur: vt hæc omnia latiùs docet Couarr.*lib.*2.*var. cap.*16.*à n.* 7. *vsque ad finem capitis*,& *eo n.*7.dicit hoc intelligi de hypotheca speciali,secus de generali, & *n.*8.dicit, quòd,licèt res omnes ecclesiasticas tradi in pignus, & hypothecæ subiici prohibitum sit: at distinguere oportet inter res,quæ non deputantur ad altaris ministerium, nec ad cultus diuini celebrationem, vt domus, prata, vineæ, &c. & res, quæ ministerio,& cultui diuino sunt destinatæ,vt vasa, vestimenta,calices, & alia altarium ornamenta: nam priores res alienari possunt, & pignori obligari ob vtilitatem Ecclesiæ, præmissa canonicâ solemnitate;at posteriores non nisi ex summa necessitate, possunt alienari, nec in pignus tradi: & tunc priùs incipiendum est ab iis rebus, quæ tantùm sunt benedictæ,non ab iis, quæ sunt consecratæ & *n.*8.*fine*, quòd non possunt vasa, & ornamenta sacra vendi, aut pignori dari, vt pauperibus subueniatur; nisi vel ipsa vasa essent nimis pretiosa, & posset pauperum inopia,simul & cultus diuinus honestè, ac decorè ex eorum pretio tolli, ac exhiberi, vel pauperes extrema paupertate laborarent: quod Prælatorum arbitrio est relinquendum; & *n.*7.docet, pœnas contra alienantes, seu obligantes hypothecæ res ecclesiasticas non incurrianteː realem ipsarum traditionem, quia non dicitur res alienata, donec realis traditio facta fuerit. Vide de his alienationibus Sylvest.Nauarr. *lib.* 3.*consil. tit. de rebus Eccles.non alien.conf.*6.& 7.& *opusc.de alienat.rerum Eccles.* Gutierr.*quæst.can.cap.*8.Couarr.*lib.*2.*var.cap.*16.& 17.& decretum nouissimè editum à Congregat. Concilij iussu Vrbani VIII.die 26.Sept. 136.circa alienationem bonorum regularium.

## DVBIVM XVI.

*An liceat munera alicui offerre,vt faciat aliquod bonum,v. g.vt audiat sacrum,imret in religionem,vel,vt desistat à malo,vel ne fornicetur.*

DE hac re latè dixi *lib.* 1. *de matrim. disp.* 39. sed nunc breuiter dico,

1 Primò, certum esse, licere hæc offerre gratis per viam dispositionis ad reddendum ipsum benevolum, vt hæc velit facere: at donatio hæc simplex est, nec onus, nec obligationem faciendi inducens;quare,si alter non faciat, non tenetur restituere; sicut licitum est munera offerre alicui ad habendum ipsum benevolum, vt mihi mutuet, vel det beneficium,at alter acceptis muneribus licitè potest id nolle.

2 Secundò dico, quòd si aliàs quis affectus sit ad talia opera,& impediatur paupertatis timore, vt, si renuit baptizari, quia cogetur restituere vsuras,vel non ingreditur Religionem,quia astrictus est ære alieno,fas est pecunias illi offerre ad auferendum obstaculum illud, quia hoc non est emere spiritualia,sed impedimenta remouere; & hoc etiam est certum.

3 Tertiò dico, quòd,licèt dubium sit, an liceat offerre munera ex pacto hæc faciendi,ita,vt alter accepto munere ad id maneat obligatus: & quidam dicant id licere, quando inducitur ad necessaria ad salutem, secus verò, quando ad voluntaria, vt ad religionem; alij verò absolutè,& generaliter id licere negant:at verius est, id absolutè licere,etiamsi detur ex pacto,& cum obligatione faciendi, modò non detur in pretium,vt dare munera, vel nubere infideli lege,vt fiat Christiana, & donare vitam infideli dãnato ad mortem,si conuertatur;& promit-

Universidad de Deusto Biblioteca

tere infideli libertatem, si conuertatur ; & filiis vestes,& equos, si frequenter fateantur, & communicent, vel legare alicui,si fiat religiosus. Et,licèt aliqui hoc limitent, quando finis prouocantis est bonum prouocati ; secus verò quando intendit vtilitatem temporalem propriam, vt si dentur munera fratri à fratre,vt intret in religionem, vel vt sic succedat in maioratu. At verius est, etiam in hoc casu,non esse simoniam, quia adhuc ea munera non offeruntur in pretium : sic Canonicus, qui principaliter vadit ad chorum propter distributiones, non est simoniacus,si eas non accipiat in pretium,iuxta supradicta.

## DVBIVM. XVII.

*An sit simonia pretium recipere pro actibus procedentibus à potestate spirituali,id est,pro vsu potestatis spiritualis.*

1 SIt prima conclusio. Simonia est pretium recipere pro operationibus spiritualibus,quas Episcopus,vel Papa,vt tales,faciunt per potestatem iurisdictionis spiritualis,vel ordinis,vt pro ministerio ordinum, dispensatione in voto,vel in lege aliqua Ecclesiastica, &c. Ratio, quia omnes hi actus procedunt à potestate spirituali gratis collata.

2 Hinc fit,quòd est simonia, si Episcopus recipiat aliquid pro mercede degradationis:quia hic est actus procedens à potestate spirituali,& tantùm potest ab Episcopo consecrato fieri : & pro labore intrinsecè necessario ad ministerium rei spiritualis nequit pretium recipi, vt diximus *suprà* : nec est aliqua tolerata consuetudo,vt per viam eleemosynæ sustentationis aliquid pro his actibus recipiatur. Sic Nau. *lib.5.consil. tit.3.de simonia, concl.66.*

3 An verò pro licentia docendi,vel,vt Princeps sæcularis dispenset in lege sua,pretium capere sit simonia, dixi *supra dub.5.*

4 Secunda conclusio. Quamuis aliqui non omnino approbent quomodo Papa,dum dispensat, in matrimoniis præsertim numos capiat ; ac id triplici via excusatur:non enim petit numos pro dispensatione, sed altero ex tribus modis. Primò,quia Pontifex magnos sumptus habet, & sic ad sustentationem exigit. Secundò per modum pœnæ, quam apponit eo,quòd à lege eximitur dispensatus, & ne alij facile dispensationes procurent. Tertiò per modum commutationis, & compositionis: sicut enim petenti commutationem voti licet votum commutare in quandam eleemosynam,ita petenti dispensationem in lege,vel vinculo matrimonij, fas est vinculum illud commutare in aliquam pecuniarũ eleemosynam, quam summus Pontifex suis applicat sumptibus. Et licèt Trid. *sess. 24.cap 6.& sess.25.cap.18.de reformat.* iubeat,dispensationes gratis fieri ; at leges Concilij non obligant Papam; & ita docet Nau. *cap.si quando,de rescript. excepi. 21. in confutat.oppositorum.n.* 1. vbi dicit,quòd compositiones, quæ fiunt apud Apostolicam sedem applicando aliqua temporalia ad aliqua opera pia, non fiunt per viam contractus,& pretij rerum spiritualium, sed per viam cuiusdam pœnitentiæ,& gratiarum actionis. Et Ludou. Lopez *1.p.instructr.noui cap.301.fol.922 pag.2.* vbi hæc dicit: *Nuncius Papæ aliquid accipiẽs pro his dispensationibus,non censetur accipere in pretium dispensationis,sed in stipendium sustentationis pro se,& suis officialibus.* Idem de Papa,& de Prælatis inferioribus, quando non habent victus decentiam,concedit Armil.*verbo simonia n.44.* Secus,inquit,de Episcopis habentibus vnde viuant secundùm sui status decentiam ; & Ludou. Lopez *ibidem* hoc negat licere Episcopis.sed tenentur,inquit,alere ministros ad hoc necessarios.Et Cardinalis Toletus dicit, non esse hoc tutum in Prælatis inferioribus, quando habent sufficientes reditus ad sustentationem.

5 Hinc fit,non esse illicitum, vt pro maiori dispensatione maius pretium petatur, vt pro dispensatione in secundo gradu,quàm in tertio : quamuis enim hoc non saluetur ratione sustentationis ; quia pro maiori dispensatione non eget curia maiori dispendio sustentationis: at hoc saluatur ratione commutationis, & pœnæ;quo enim maius est vinculum, eo maior debet esse commutatio, vt contingit in voto. Sic docti iuniores.

6 Tertia conclusio. Qui obtinent dispensationes dantes pecuniam,nisi intendant dare vt pretium, non sunt simoniaci, nec peccant ; quia, cùm possit titulo iusto peti,ipsi dant bona fide,nec ad ipsos pertinet iudicare , an Prælati benè,vel malè petant. Sic docti recentiores.

7 Quarta conclusio. Simonia est, si prælati pretio accepto vices suas committant alteri , vt ad absoluendum à reseruatis,vel dispensandum,vel iudicandum, &c. Ratio, quia hæc communicatio est vsus suæ iurisdictionis spiritualis. Et similiter est simonia iurisdictionem spiritualem vendere,vel locare;at posset parochus ei, cui vendit fructus,gratis committere vices suas.

8 Nota primò, quòd curato committenti vices suas licet paciscì,vt stipendium sustentationis , quod sibi debebatur,sibi reseruetur,vt latiùs *suprà dub.7.*

9 Secundò nota,quòd, licèt Prælato non licet pretium accipere ab eo , cui committit vices suas , iam enim esset vendere, vel locare iurisdictionem spiritualem : at ij,qui inseruiunt Prælato,vt Proepiscopi, & Visitatores in exequutione sui muneris spiritualis possunt Episcopo locare suas operas,pro eisque pretium accipere. Ratio, quia labores sunt temporales , & per accidens annexi rei spirituali. Item,quia,si pro obligatione concionandi , vel faciendi sacra,licèt pretium recipere , à fortiori pro obligatione ministrandi in officio Proepiscopi.

10 Vltima conclusio. Vendere iurisdictionem omnino temporalem potest esse aliud peccati genus , de quo dixi materia *de accept.person.* At non est simonia:si verò iurisdictio temporalis dependet ab ecclesiastica , quia scilicet Prælatus iurisdictione Ecclesiastica eam tribuit , esset simonia, quia tunc ea collatio iurisdictionis est actus procedens à potestate spirituali.

## DVBIVM XVIII.

*An liceat Episcopis pro visitatione Ecclesiarum sui Episcopatus accipere procurationes statutas,quæ dicuntur* manuales.

1 DIco,quòd esset simonia pretium recipere pro visitatione ; quia est actus iurisdictionis spiritualis; & similiter pro Ecclesiarum consecratione, subditorum correctione : at licitum est statutam procurationem recipere, non vt consecrationis, vel visitationis pretium , sed quasi debitum stipendium,ac iure permissum : & hic, licèt propriam ciuitatis, in qua residet, Ecclesiam visitet. Vide quid Trid.*sess.24.cap.3.de reformat.* circa hoc statuerit;& qualiter prohibet , etiam visitatores testamentorum ad vsus pios , aliquid accipere præter id , quod ex relictis piis iure debetur : & Trid.innouat pœnas *c.exigit, de censib.in 6.* contra visitatores recipientes aliquid amplius quomodocunque oblatum : vbi glossa *verbo volente*, dicit,in illo textu purificari quoad pœnas illius,exigere, vel à volente recipere,& *vers.munera* dicit glossa,& *ibi* Francus,quòd si modicum esculentum,vel poculentum recipiat,quod non sit verisimile, quòd aliquem moueat , vel donantem pauperiorem faciat , non est locus illi pœnæ; pœna autem *ibi* statuta est,vt teneatur restituere duplum intra mensem:alioquin ex tunc, scilicet transacto mense, est interdictus ingressus Ecclesiæ Patriarchis , Episcopis, & Archiepiscopis;inferiores verò sunt suspensi ab officio, & beneficio , quousque duplũ restituant:nec eis remissio partis prodest. Vbi gl.*verb.quousque*,dicit,quòd facta restitutione,statim manẽt absoluti,quia est suspẽsio tẽporalis.

2 Nota,aliquos limitare,quòd possit procuratio recipi, quando Episcopatus non est pinguis;at verius est indistinctè licere,quia ius indistinctè concedit.Item limita,quando Episcopus per se visitat : quando enim visitat per alium,ille debet recipere procurationem , vt dicit glossa *dicto cap.exigit,verb.non impenso*, vt habetur *cap.si Episcopus,de offic.ordin.in 6.*

3 Tan



3 Tandem nota , quòd si Ecclesia ob paupertatem nequeat dare procurationem , Episcopus suis sumptibus consecrabit,& visitabit.

## DVBIVM XIX.

*An sit simonia accipere pretium pro collatione ordinum.*

1 SIt prima conclusio. Non est simonia de iure naturali, & diuino , si in collatione ordinum aliquid detur, non in pretium Ordinis,sed ad Episcopi sustentationem. Probatur , quia in administratione aliorum sacramentorum nulla est simonia aliquid recipere in propriam sustentationem , etiamsi Clerici sint ditissimi ; ergo nec in hoc, cùm non sit magis spirituale,quàm reliqua. Sic D. Thom. *2.2.quæst.100.art.2.ad 4.* Nauar.summa Lat. *cap.23.num, 102.versic.11.* Lud. Lopez *1.p.instructr.noui,cap.301.fol. 924.pag.2.fine,*& docti recentiores.

2 Secunda conclusio. Erit tamen simonia de iure Ecclesiastico , si Episcopus tale stipendium sustentationis pro Ordinum collatione recipiat , vel pro literis dimissoriis,vel testimonialibus,aut pro sigillo. Probatur , quia in reuerentiam rei spiritualis , scilicet Ordinum , id prohibuit Episcopis Trid.*sess.21.c.1.de reform.* his verbis : *Nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsuræ,nec pro literis dimissoriis,aut testimonialibus,nec pro sigillo,nec alia quacunque de causa,etiam sponte oblatũ, Episcopi,& alj Ordinum collatores,aut eorum ministri , quouis prætextu accipiant:& qui secus fecerint,tam dantes , quam accipientes pœnas à iure inflictas ipso facto incurrant.* Et *c.de simonia,& c.sicut Episcopum 1.q.2.* vbi in vtroque cap. expresè dicitur , nec Episcopum , nec ministros posse aliquid capere. Et, quòd sit simonia de iure Ecclesiastico, tenet Ioan. Andr. *cap.1.de simon.* & *ibi* glossa marginalis, & *ibi* Ant. *n.7.* referens Petrum Hispanum , Goffredum, & Laurentium;licèt hi Doctores non loquantur de Episcopo,sed de Notario;at eodem tenore prohibetur *eo capite* Episcopo, & aliis ministris , & Notario.

3 Nota, quòd in Tridentino nomine ministrorum non comprehenditur Notarius Episcopi, quia de Notario postea fit *ibi eod.c.1.* sermo,& etiam *d.c.1.de simonia,*& *d. c.sicut Episcopum,* tanquam diuersa , ponuntur expresè ministri Episcopi,& Notarius;& sic gloss. *ibi c.1. de simonia,*& *ibi* Pan.*n.2.* Ant.*n.5* Host.*ibi*,& gloss.*d.c.sicut Episcopum*;& *ibi* Hug.& Turrecr.*n.7.* Sylu. Tabien. Ang. Rosel,statim citandi,dicũt nomine Notariorum intelligi eos, qui concurrunt cum Episcopo ad ordinem conferendum, vt Archidiaconus,qui examinat , & vocat promouendos ad ordines ; & qui respondet in scrutinio ; & qui legit Euangeliũ;& sic in dict.decreto Trid.iidem intelligũtur nomine ministrorum Episcopi. Sic Manuel *2.tom.summæ c.58.n.10.* Capua *lib.2.decis.c.95.n.59.* & sic de omnibus his , si aliquid recipiant per viam sustentationis ab ordinandis,committunt simoniam;vt docẽt Armil.*verb.simonia,n.32.* Rosel.*Simonia 1.n.28.* Ang.*simonia 1.n.28.* Tab. *verbo Simonia,quæst.33.num.34.*& *ibi* Sylvest.*q.7.dict. 5.* Sed hæc simonia,vt dixi,est de iure Ecclesiastico.

4 Sed an,post ordinem collatum , possint Episcopus,& hi ministri aliquid recipere sponte oblatum ? Quidam iuniores negant,quia in Trid.*loco citato* expresè prohibetur etiam sponte oblatum recipere. At verius est , hoc licere;quia id expresè conceditur *d.c. Episcopum 1.q.2.* & tenet *ibi* Turrecr.*fine*,Hugo,& Archid.*ibi* Ant. *c.1.de simonia,n.7.*& *ibi* Innoc. & Host. & post Trid. videntur expresè tenere Nau.summa Lat.*c.23.n.101. vers.11.* & Ludou.Lopez *1.p.instr.noui.num.391.fol.924.pag.2.fine* , vbi dicunt , non esse hoc in foro conscientiæ simoniam.Et idemmet Nau.*cap. 25. Hisp.num.68* Lar.*n.68. vers.2.*& Salzedo pract.Bernardi Diaz *cap.91.* incipienti, *simoniaci,vers.6.* dicunt,quòd ad hoc,quòd sit locus pœnis Trident. *dict.sess.23.cap.1.* oportet , vt datio præcedat Ordinum collationem ; ergo clarè sentiunt,hoc non prohiberi ibi; aliàs incurreret pœnas sic dans , quia in fine illius decreti expresè dicitur , quòd contraueniens illi decreto , dando , vel accipiendo incurrat pœnas: & sic etiam , tenet expresè Capua *lib. 2. decis. cap. 95. num.59.*

5 Ex dictis fit, quòd Episcopi titulares hanc simoniam committunt, si petant ab ordinandis pecunias nec excusat eos,quòd petant causa sustentationis ; sed sustentationem ab Episcopo,cui deseruiunt,accipiant. Patet, quia in Trid. *d.sess. 21. & d.c. 1.de simon.& d.c.sicut Episcopum,* omnino id interdicitur Episcopo; & in Trident. additur, *etiam quod prætextu,& sponte oblatum.* Sic Card. Toletus *lib.9.summæ,c.88.* Soto *lib.9.de iust. quæst. 6. art.1. paulò ante solutionem ad 1.* & docti iuniores.

6 Nota tamen excusari à simonia eos , qui olim debebant pecunias Episcopis titularibus in ordinum collatione;quia dabant non in pretium,sed pro sustentatione, & bona fide, videntes à Prælatis exigi. Sic nonnulli docti recentiores.

## DVBIVM XX.

*An sit simonia,si Notarij Episcoporum pretium recipiãt pro literis testimonialibus Ordinum,dispensationum & beneficiorum collationis,& pro scribendis literis dimissoriis.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit,esse simoniam , siue salarium habeant ab Episcopo,siue non.Probatur *cap.1.de simon.* vbi sic dicitur:*sicut non debet Episcopus manum,quam imponit, ita & minister,vel Notarius in ordinatione eius vocem,vel calumum vendere.* Idem omnino habetur *cap sicut Episcopum 1.q.2.*& reddit rationem Pan. *cap.1. de simon.* quia; vbi principale debet esse gratuitum,omnia accessoria, & circunferentia debent esse gratuita. Secundò probatur, quia simonia est vendere spirituale , vel spirituali annexum;at tales literæ sunt quid annexum rei spirituali , siquidem de illarum iustitia , & valore,nequit cognoscere iudex sæcularis.Sic glossa *d.c.1.vers.vendere,& d.cap.sicut Episcopum,vers. calamum.* Fauet Soto *lib.6. de iust. q.6. art.1.paulo ante solutionem ad 1.* vbi absolutè docet , pro literis testimonialibus nihil posse exigi.Et Nau.*lib.5.consil.tit.3.de simon.consil.7.& 13.* vbi dicit, esse simoniam,si Notarius aliquid recipiat pro expeditione literarum beneficij,& probat ex textibus citatis,& secundo argumento facto pro hac sententia.Nec obstat ( inquit ) si allegetur opposita consuetudo;quia in Trid *,sess. 21. c. 1. de reform.* cassatur quæcunque consuetudo contraria etiam immemorialis.

2 Secunda sententia omnino tenenda docet licere pro his recipere , quando Notarius aliunde non habet ob hoc salarium ab Episcopo. Vnde textus in contrarium adducti loquuntur de Notario habente salarium ob hoc; munus. Nec obstat , quòd hoc sit annexum rei spirituali quia est per accidens,sicut labor eundi per leucam ad faciendum sacrum per accidens annectitur rei spirituali, & sic est vendibilis.Sic tenent Turrecr. *dicto c.sicut Episcopum,n.7.*& *ibi* Hug.Felin.*cap.1.de simonia,n. 1.* & *ibi* Pan.*n.3.* Ant.*ibi n 7.* Host.& Innoc.*ibi* Sylu.*verbo simon. q.8.d.5.*& *ibi* Tab. *q. 34. n. 35.*& *ibi* Armil. *n.32.* Rosel. *simonia 1.n.24.* Ang.*simonia 3.n.22.* Capua *lib.2.decisio c. 95.n.59.* Nauarr.*in omnibus summis,c.25.n.54* Lud. Lop. *1.q.instr.nou.301 f.923 pag.1.* Et idem dicunt Lud. Lop. & Turr. *ibi* de literis testimonialibus beneficij ; quia est eadem ratio : & iam Trid.*sess.21.c.1. de reform.* approbauit hanc sententiam , statuens , posse Notarium recipere pro literis testimonialibus Ordinum,& literis dimissoriis, cum triplici conditione.Prima,modò in illo loco non viguerit antea consuetudo nihil pro illis accipiendi.Secunda,modò ei nullũ salariũ sit cõstitutũ pro eo officio exercendo.Tertia,vt pro singulis literis admissoriis , aut testimonialibus decima tantũ parte vnius aureiaccipere possit: nec Episcopo aliquod commodũex Notarij emolumentis prouenire possit.Facit,quòd Notarius Visitatoris,vbi non

habet

habet salarium, potest accipere stipendium pro visitatione. Nauarr. *lib. 3. tit. de censibus, consil. 1. in vtraque edizione.* Francus *c. 1. §. procurationes, n. 3. de censibus, in 6.* Sed, an liceat Notariis pro aliis scripturis ad ordines, vt pro informatione de moribus, & vita, pretium recipere? videtur enim, quòd non; quia Trident. tantùm concedit pro literis dimissoriis, & testimonialibus, & exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; priùs enim præmiserat, non posse pro quacunque causa: at dicendum est, posse, quia illa regula intelligitur, nisi alij sint similes casibus exceptis; at hic est similis, imò maior in eo ratio militat, vt benè Euerardus *loco à ratione legis, n. 53.* quia eæ scripturæ dimissoriæ, & testimoniales sunt breuissimæ, & propinquiores sunt Ordini; at infirmatio continet longiorem scripturam, & remotior est Ordini: & iustum est, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, *cap. charitatem, 45. 12. q. 2.* Nec Notarius tenetur gratis seruire.

3 Nota primò, quòd, si Notarius salarium habeat pro talibus literis testimonialibus, & adhuc recipiat aliud stipendium ab ordinandis, vltra peccatum iniustitiæ est simonia non de iure naturali, quia hoc est quid temporale; sed de iure Ecclesiastico, quia id in reuerentiam rei spiritualis, scilicet ordinum, prohibetur *in capitibus citatis*; & sic tenet Pettus Hispanus, Laurentius, & Goffredus, quos refert & sequitur Anton. *c. 1. de simonia, n. 1.* & gloss. marginalis *eodem c. 1.* Et quòd sit simonia, licèt non explicent quo iure, tenent etiam Arm. & Capua citati: & docti iuniores addunt, quòd est simonia de iure Ecclesiastico, si Notarius aliquid recipiat pro talibus literis, nisi seruatis conditionibus, sub quibus id concedit Trident. *loco citato.*

4 Secundò nota, quòd, supposita tali consuetudine, vt Notarij stipendium capiant ab ordinandis pro literis testimonialibus, excusantur Prælati, etiam diuites, non soluentes ob hoc stipendium Notariis. Ratio, quia iam consuetudo facit, vt aliunde tales ministri stipendium capiant: quæ consuetudo iusta est, & per Tridentinum approbata; ergo excusantur Prælati non dantes illis stipendium, aliàs duplex stipendium percepturi essent. Sic docti iuniores.

5 Tertiò nota, quòd, post susceptum Ordinem, & traditas literas testimoniales, si sponte sciens non plus debere, nec exactus à Notario, offerat ordinatus plus, quàm debet Notario, non peccat Notarius recipiendo; quia id non prohibetur in Trid. & expressè conceditur *cap. sicut Episcopum, 1. q. 2.* & tenet *ibi* Turrecr. & Hugo, & Archid. *ibi*, Innoc. & Host. *c. 1. de simonia*, & *ibi* Anton. *n. 7.* Salzedo *pract. Bernard. Diaz cap. 27. vers. Poterit.* Altamiranus *tract. de visitat. in verbis Concilij, Qualitercunque, n. 26.* Manuel *2. tomo 2. summæ c. 58. n. 10.* Nauarr. summa Lat. *c. 23. n. 102. versic. 11.* Lud Lopez *1. p. instr. noui, c. 301. fol. 924. pag. 2. fine*, Capua *lib. 2, decis. cap. 65. n. 59.* Immò & antea licet recipere sic sponte oblatum, licèt maiorem habeat mali speciem. Sic Turrecr. Archid. Hugo *ibi*; & sic innuunt Nau. & Lud. Lopez; dicunt enim, non esse veram simoniam sic recipere, præsertim post susceptum Ordinem.

6 An verò pro sigillo Episcopi, & iudicis Ecclesiastici, liceat aliquid recipere, dicam *dub. sequenti.* An verò recipientes Notarij incurrant excommunicationem, *infrà dub. 104.*

7 Tandem quid dicendum sit, si Notarius plus recipiat pro literis testimonialibus de digniori ordine, quàm de minus digno? Aliqui excusant hoc à simonia, quia ille seruit in digniori officio, & non est attendendum tantùm, an plus, vel minus laboret; sicut magis laborat sacrista canendo quàm sacerdos celebrando sacrum, & tamen hic iustè plus accipit, quia seruit in digniori officio: alij absolutè hoc damnant vt simoniacum; &, licèt non explicent, quòd sit de iure diuino, at eorum ratio id probat, quia scilicet cùm maior labor non sit in conficiendo instrumento de minus digno ordine, illud plus accipitur ratione dignitatis maioris ordinis, quæ est quid spirituale. Sic tenent Armil. Sylu. Tabien. citati, & Nau. summa Lat. *c. 23. n. 102. versic. 11.* & in omnibus summis *c. 25. n. 54.* & ita mihi videtur.

## DVBIVM XXI.

*An sit simonia pretium recipere pro sententia iudicis, testimonio testis, & patrocinio Aduocati.*

1 PRimò dico, quòd, licèt aliqui teneant, esse simoniam, iudicem, etiam temporalem, & testem vendere iudicium, & testimonium verum, quia hæc spiritualia sunt, cùm sint virtutis actus: at dicendum est, quod, quando iudex, & causa est temporalis, licèt sit peccatum vendere iudicium, & testimonium, at non est simonia; quia obiectum simoniæ est spirituale, quod est ordinis supernaturalis, vel ad illum ordinatum, vt constat ex *suprà* dictis; at verò, quando, vel causa est spiritualis, licèt iudex temporalis sit, vel iudex est Ecclesiasticus, licèt causa temporalis sit, &, quando testis testificatur verum in causa spirituali, est simonia pretium ob id accipere. Ratio, quando causa est spiritualis; quia talis sententia, & testimonium ordinatur ad comparandum rem spiritualem: at pretio comparare ad id viam, est simonia. Quando verò iudex est Ecclesiasticus, licèt causa sit temporalis; quia tale iudicium est vsus spiritualis potestatis, quæ gratis accepta est; & sic est actus spiritualis ex parte principij. Quod tamen est limitandum, nisi fiat ad redimendum vexationem super iure etiam quæsito, nam circa spiritualia licet redimere vexationem circa ius quæsitum.

2 Secundò dico, quòd, licèt aliqui dicant, esse etiam simoniam, quando testis est Ecclesiasticus, licèt sit causa temporalis: at tenendum est oppositum, quia talis actus non procedit à potestate spirituali, nec versatur circa obiectum spirituale.

3 Hinc inferunt aliqui esse simoniam, si iudex Ecclesiasticus aliquid accipiat pro sigillo sui iudicij, nisi expensis ceræ, & sigillationis, & Clericorum ad hoc deputatorum, quia nihil aliud est, quàm testimonij sui iudicij. Sic Sylu. Et idem, quando est causa spiritualis, *verbo summa, q. 9. dicto 9.* Idem Armil. *ibi, n. 32.* Angel. *simonia 3. n. 22.* Tabiena *verbo simonia, q. 34. n. 35.* Turrecr. *cap. sicut Episcopum, 1. q. 2. n. 7.* At contrarium tenent Durandus, & aliqui iuniores, quia hic sigillus non est magis spiritualis, quàm sigillus Notarij, pro quo diximus *dub. præced.* posse aliquid recipi; & hoc est verius. Et licèt prædicti iuniores teneant cum Durando *ibi*, non esse simoniam vendere iudicem Ecclesiasticum suam sententiam; at tenendum est, quod dixi, cum communi sententia.

4 Vltimò dico, quòd non est simonia, sed licitum, procuratorem pro sua procuratione, & causidicum pro suo patrocinio, etiam in causa spirituali, pretium recipere; quia hæc adminiculantur causæ exteriùs; at testes sunt de substantia iudicij.

## DVBIVM XXII.

*An sit simonia dare, vel recipere pretium pro omissione alicuius actus spiritualis, vt pro non celebrando, non absoluendo, &c.*

1 DIco, quòd, licèt aliqui affirment, propter *c. nemo, de simonia*; at tenendum est, non esse simoniam, nisi, quando talis omissio pertinet ad potestatem iurisdictionis, vel solius, vel simul cum potestate Ordinis, & est omissio authoritatiua: vt, si Episcopus, auditâ iudicialiter causâ, non priuat beneficio Clericum ob pecuniam; vel ob pecuniam, auditâ confessione, negat absolutionem. Ratio, quòd in aliis casibus non sit simonia, quia talis negatio, vel omissio, nec est in se spiritualis, nec procedit à potestate spirituali, vt non celebrare, non audire confessionem. Quòd autem in dicto casu sit simonia, ratio est, quia talis omissio pertinet ad potestatem spiritualem, quia negatio absolutionis, audità confessione, nihil aliud est, quàm retinere peccata, quod pertinet ad potestatem iurisdictionis confessoris.

2 Immò, quando omissio actus spiritualis non authoritatiua est voluntaria, id est, quando ille actus aliàs non erat debitus, sed volùtarius, non est peccatum mortale, si pretio fiat; & potest esse quòd aliquando non sit veniale.

## DVBIVM XXIII.

*An sit simonia dare pretium pro ingressu in Religionem, vel in confraternitatem, id est,* Cofradia.

1 DIco primò, quòd certum est, simoniam esse, si daretur tanquam pretium ingressus: nam Religio est status spiritualis perfectionis, & institutum diuinum: at verò, si aliquid daretur pro sustentatione Monialis ingressuræ, quia scilicet monasterium tenetur ipsam alere, adhuc quidam dicunt esse simoniam, alij verò distinguunt & dicunt esse simoniam, si monasterium non sit pauper, sed diues. Quod adhuc quidam limitant, quòd sit simonia tantùm de iure Ecclesiastico. Alij verò dicunt in hoc casu non esse simoniam, sed peccatum auaritiæ; secus, si monasterium sit pauper, quia nec erit simonia, nec peccatum: at verò dicendum est, nec esse simoniam, nec peccatum, licèt monasterium sit ditissimum, quia ius, & obligatio sustentandi est quid temporale, & per accidens annexum Religioni: sicut nulla est culpa, quòd vir ditissimus petat dotem ab vxore, vt ipsam sustentet.

2 Hinc fit, licitum esse, si propter deuotionem, quam aliquis ostendit monasterio, magnas ei dando eleemosynas, faciliùs admittatur.

3 Secundò fit, non esse simoniam, si promittatur admissio in monasterium alicui, si talem artem didicerit, quia non est propriè conditio, sed est idem, quod, *admittemus te, si interim idoneum te constituerit.* Et, licèt aliqui hoc temperent, nisi habeatur intentio ad lucrum illius artis: at minùs benè, quia ad illud lucrum non potest haberi intentio, nisi mediante idoneitate personæ, ad quam potest haberi intentio.

4 Tertiò fit, quod, si quis seruiat Religiosis propter promissionem sibi factam, quòd ipsum recipient, est simonia. Sic D. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 5. §. 19.* Sylues. *verbo simonia, quæst. 13. dicto 5.* vbi benè dicit, hoc esse verum, quando seruitium illud esset, vt pretium ingressus; secus, quando, vt pretium victus. Etiam alia ratione excusari potest, v. g. intendit aliquis religionem ingredi, & quia est ignotus, religio non vult illum admittere, nisi aliquibus diebus domi inseruiat, vt religio experiatur, an expediat illum recipere.

5 Quartò fit, quòd, si timens non recipi dicit Abbati, *si me recipitis, omnia bona mea tradam monasterio*, est simonia, quòdo hoc offert, vt pretium admissionis; secus, quando simplicitèr vult exprimere suam intentionem, scilicet transeundi ad religionem cum bonis. Sic Sylues. & Ant. *ibi*; & vterque addit, modò recipientes non recipiant principaliter ob pecuniam; at hoc dicunt, quia sentiunt ipsi, esse simoniam ire ad chorum principaliter ob distributiones, vt dixi *dub. 12. supra.* At ibi hoc probaui, & sic dico, quòd, licèt principaliter attendant ad bona temporalia, & ad diuitias, quas habet, & quas fortè monasterium hæreditabit, si tamen non attendant ad id tanquam ad pretium pro ingressu, non est simonia.

6 Quintò fit, quomodo possit excusari consuetudo, quæ reperitur in monasteriis Monialium accipiendi, præter dotem nouitiæ, quasdam portiones pecuniæ, quas *propinas* vocant v. g. singulis Monialibus dantur quatuor argentei, & vna candela, idque præter dotem nouitiæ, quæ datur ipsi monasterio. Hæc autem consuetudo nulla alia ratione mihi videtur posse à simonia excusari, nisi asserendo, dotem, quæ exigitur ad sustentationem Monialis, non consistere in indiuisibili: sed, sicut taxari potest sexcentis ducatis, ita etiam taxari potest sexcentis, & quinquaginta, distributis hoc modo, vt sexcenta applicentur communitati, seu monasterio, & alia quinquaginta distribuantur inter Moniales, singulis dando illos quatuor argenteos, & candelam, vt suis necessitatibus subueniant.

7 Sextò fit, quòd, si, præter dotem sustentationis, amplius reciperent Moniales, vel quia Monialis est minùs nobilis, vel deformis, vel aliâ infamiâ notata, vix possent à simonia excusari. Similiter, si pro suffragio, quod præstant Moniales ad admittendum, aliquid reciperent, esset simonia: vel, si reciperent ampliùs, quàm necessariam dotem ad sustentationem.

8 Secundò dico, quòd pretium dare, vt quis admittatur in aliquam confraternitatem, non est simonia; quia confraternitas non est Religio, sed Congregatio ad benefaciendum. Immò est laudabile imponere aliquid ingressuris pro sumptibus confraternitatis, & operibus piis.



*De simonia in beneficiis in generali:*
SVMMARIVM.

24. *An sit simonia de iure humano vendere beneficia.*
25. *An omnis pactio, conditio, vel modus, si apponatur absque licentia Pontificis in collatione, vel renunciatione beneficij, sit simonia.*
26. *An non tantùm sit simonia conferre aliquid collatori rei spiritualis, vt beneficij pro collatione, sed etiam sit simonia conferre aliquid mediatori, seu intercessori, vt intercedat pro tali collatione.*
27. *An si simonia, non tantùm vendere beneficia sed etiam actiones de se ordinatas ab obtinendum beneficium.*
28. *An dare beneficium pro aliis commoditatibus temporalibus, vt pro munere ab obsequio, sit simonia.*
29. *An sit simonia conferre beneficium propter metum, vel minas.*
30. *An sit simonia pretio redimere vexationẽ circa beneficia.*
31. *An possit quis redimere decimas ab iniusto possessore, data pecuniâ.*
32. *An, quando sede vacante, electores Papæ vellent eligere indignum, liceat pretio redimere hanc vexationem, & procurare vt dignus eligatur.*
33. *An, duobus litigantibus super aliquo beneficio, liceat pretium, vel pensionem alteri offerre, vt à lite desistat.*
34. *Quid sit simonia confidentialis, id est, in quibus casibus contrahatur.*
35. *An resignare beneficium in fauorem alterius cum reseruatione pensionis, sit simonia.*
36. *An, cum renunciat quis beneficium, non per viam permutationis sed per viã simplicis resignationis, possit illud resignare in fauorem tertij, id est, cum conditione, vt conferatur tali designatæ personæ, & non alias.*
37. *An commutare beneficium cum beneficio, sit simonia.*
38. *Quis sit superior, cuius authoritate debet fieri permutatio beneficiorum.*
39. *An possint inter se tractatum permutationis, vel alium facere, non omnino concludendo, sed referendo ad superioris beneplacitum, id est, si superior approbauerit.*
40. *An, quando permutatio sine culpa permutantis nõ tenuit, vt, quia aliter non habebat ius in beneficio, vel ante permutationẽ obiit, possit alter propria authoritate redire ad suũ beneficiũ, quod causa permutationis resignarat.*
41. *An quando alter permutantium beneficium alterum decepit vltra dimidium iusti pretij, an sit locus remedio l. 2. C. de rescind. vendit.*
42. *An sit licitum permutare beneficium reseruando aliquam pensionem.*
43. *An, quando aliqui resignant sua beneficia in manibus Prælati causa permutationis, liceat ea aliis, quam permutantibus dare.*
44. *An in permutatione aliarum rerum spiritualium, quæ beneficia non sunt, committatur simonia.*

45. *An*

Universidad de Deusto Biblioteca

45. *An sit licitum concedere pensiones super beneficiis.*
46. *An sit licitum vendere, & redimere pensiones.*
47. *An, cum quis renunciat beneficio, retenta pensione, possit simul, & vnico tractatu vendere illam pensionem eidem beneficiario, id est, pacisci cum illo, quòd ipse eam redimet certa summa pecuniæ.*

## DVBIVM XXIV.

*An sit simonia de iure humano vendere beneficia.*

1 PRrimò dico, quòd licèt aliqui dicant, esse simoniam de iure humano: & alij dicant, esse de iure humano vendere beneficia simplicia; at de iure diuino vendere curata; & alij specialiter de præstameris dicant, quòd eas vendere est simonia tantùm de iure humano; at multò verius est, esse simoniam de iure naturali, & diuino, vendere quæcunque beneficia, & præstameras; & sic tenendo hanc sententiam non possunt, etiam de licentia Papæ, vendi: quod consequenter posse concedunt, qui dicunt, esse simoniam de iure humano. Ratio, quia hæc omnia dantur titulo clericali, & sic solis Clericis, & pro ministerio clericali: & sic obligant ad horas canonicas, & ius ad percipiendum decimas pro ministerio spirituali, quod ius est, beneficium habet de iure diuino naturali, licèt, quoad quotam, sit de iure Pontificio.

2 Secundò dico, quòd potest ex causa graui Papa priùs extinguere titulum spiritualem, & officium, cui est annexum beneficium, & ius spirituale ad decimas; & deinde fructus iam demembratos potest operi sæculari applicare, & vendere; quia talia beneficia sunt iure positiuo inuenta, si sunt simplicia: si autem sunt curata, vel Episcopatus, saltem, quoad quotam, sunt iure positiuo inuenta: & hoc modo ius ad decimas potest competere laico, & Pontifices donarunt Regibus Hispaniæ tertias decimarum; non enim potest competere laico pro officio spirituali, at demembratum ab officio spirituali potest. Et eodem modo, licèt fundus præbendæ mácipatus vendi non possit cum illo Ecclesiastico titulo, vt scilicet clericali iure possit emens fructus percipere: at potest per Papam separari ab illo sacro titulo, & vendi, & sic Rex Hispaniæ potest vendere ius illud, quod habet ad tertias.

3 Tertiò dico, quòd, quando præbenda non est annexa clericali muneri, sed aliis officiis, vt hospitalium seruitio, sacristæ; œconomo, procuratori, &c. est simonia de iure humano vendere; quia hæc officia non sunt verè spiritualia. Hoc tamen intelligitur, quando illa non sunt aliàs vera beneficia Ecclesiastica, sed aliqua stipendia separata ab omni officio, & titulo clericali, licèt essent segregata ex decimarum cumulo; secus quando essent vera beneficia Ecclesiastica, quæ aliàs dantur ratione tituli spiritualis, scilicet Clericatus tantùm, licèt habeát etiam annexum officium temporale; hæc enim vendere esset simonia iure diuino.

4 Quartò dico, quoties contractus initur circa beneficia absque licentia Pontificis, & non est vera ratio pretij, est simonia iure tantùm Ecclesiastico, quia non est vera venditio, cùm nil temporale pretio æstimabile ibi interueniat; ergo nulla est ibi simonia iure diuino vetita. Quia tamen ius Ecclesiasticum est, vt ex *sequenti dub.* patebit, in reuerentiam rei spiritualis interdixit omne pactum circa beneficia initum absque Papæ consensu, ideò est simonia iure Ecclesiastico.

5 Hinc fit, quòd, licèt aliqui dicant, esse simoniam de iure naturali, & diuino commutare beneficia absque licentia Papæ; at multò verius est, quòd sit tantùm de iure Ecclesiastico, quia ibi non interuenit vera ratio pretij, sed datur spirituale pro spirituali, & sic ex licentia Papæ licitè fit: quod secus esset, si esset simonia de iure diuino.

6 Secundò fit, quòd renunciare beneficium cum reseruatione pensionis, est simonia tantùm de iure Ecclesiastico, & sine licentia Papæ fiat. Ratio, quia ibi nil datur temporale, sed tantùm renuncians non integrè renunciat fructus beneficij, sed aliquos sibi reseruat.

7 Tertiò fit, committi etiam simoniam de solo iure Ecclesiastico, quoties in renunciatione beneficiorum intersunt pacta iure tantùm Ecclesiastico vetita. Sic Nauar. summa Lat. *cap.* 23. *n.* 100. Et idem dicendum est de simonia, quæ committitur in confidentijs vetita per motum proprium Pij Quinti, de qua *infra*. Sic Metina *lib.* 1. *summ. cap.* 14 § 20.

8 Quintò dico, quòd, licèt quidam dicant, esse simoniam de iure diuino vendere commendaturas, maximè si sint D. Ioannis, id est, *las Encomiendas*. Alij verò dicunt, esse tantùm de iure Ecclesiastico, quia dantur laicis ob titulum militiæ temporalis; alij verò, esse peccatum mortale eas vendere, at non esse simoniam: at probabilius est, esse simoniam de iure Ecclesiastico, & sic ex licentia Papæ ex iusta causa posse vendi, & non posse, etiam ex licentia Papæ, commutari cum beneficio. Victoria *relect. de simonia, n.* 45. Vide Alcozer *lib.* 13. *instit. moralium, cap.* 6. *q.* 5.

## DVBIVM XXV.

*An omnis pactio, conditio, vel modus, si apponatur absque licentia Pontificis in collatione, vel renunciatione beneficij, sit simonia.*

1 HAc in re conuenit inter Doctores, quòd potest annecti præbendæ vacanti onus aliquod, modò sit honestum, & moderatum, vt onus docendi, cantandi, &c. vt sic res transeat cum suo onere, quia tunc nullum initur pactum inter dantem, & accipientem beneficium; sed transit res cum suo onere. Patet ex *cap. significatum, de præbend.* vbi glossa *verf. ita quod*, dicit, hoc esse absque dubio. Et idem tenet Innoc. *ibi in principio*. Immola *ibi n.* 8. Panor. *ibi n.* 7. Cardin. *ibi n.* 2. *verf. oppono quòd non*. Butrio *ibi n.* 10. Host. *ibi n.* 1. 2. 3. Anchar. *ibi n.* 5. Goffredus, & Ioan. Andr. *ibi l.* 6. *tit.* 16. *part.* 1. Henricus *cap. penult. de magist. n.* 15. Ioann. *summa confess. tit. de simon. q.* 4. Syluest. *verbo simonia, q.* 16. *dicto* 4. D. Thomas 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiuncula* 1. *ad* 5 Nauarr. *cap. quando, cap.* 22. *n.* 54.

2 Hoc autem potest facere Episcopus cum Capitulo, vt patet ex *d. cap. significatum*; & sic illud sumunt omnes Doctores citati super illud, & tener Nauarr. *cap. quando, cap.* 21. *n.* 54. Immò. Cardin. *ibi n.* 1. dicit, quòd Prælatus inferior Episcopo potest cum Capitulo apponere tale pactum, vel statutum; quia textus dicit, *Præpositio*, non tamen (inquit) omnino probatur *ibi*, quia illud statutum fuit confirmatum à Papa. Host. *ibi ante n.* 1. hæc dicit, *hoc facere potuerunt, at licèt non valuisset confirmatio, hoc firmaret*. Et Panormit. *ibi n.* 6. dicit, quòd hic Præpositus. & Capitulum non erant superiores; & ideo fuit necessaria licentia superioris: & sic petierunt confirmationem à Papa. Et sic tenet lex Partitæ citata.

3 Requiritur etiam consensus patroni, si est beneficium iurispatronatus, vt dicemus *infrà*, vbi de simonia in iure patronatus.

4 At graue dubium est, an possit apponi per pactum cum ipso Capellano, vel beneficiario; Et quidem, si est de re temporali, constat apud omnes, non posse; si verò sit de re spirituali, dicunt quidam posse apponi, & probant, quia est commutatio spiritualis cum spirituali; & sic explicant, *dict. cap. significatum*; & ad *c. quàm pio* 1. *quæst.* 2. & *cap. finale, de pactis*, vbi à beneficiis remouetur omne pactum, dicit intelligi de pacto rei turpis, vel temporalis. Sic Butrio *dict. cap. significatum, de præbend. n.* 10. Hostien. *ibi n.* 1. 2. 3. & *ibi* Goffredus, & Ioannes Andr. *fine*, Panormit. *ibi fine*. & Host. *summa, tit. de magist. n.* 7 §. *vtrùm à scholaribus, verf. quid si eo pacto*. Ad idem est Host. *cap. quæsitum, de rerum permut.* vbi dicitur, omne pactum circa spiritualia esse simoniam: & explicant, quando est pactũ ad aliquid temporale dandum, vel fauendum, vel remittendum, & glossa *cap. quàm pio* 1. *q.* 2 *verf. pactio*. vbi explicat, quòd non remouetur à spiritualibus, nisi pactio inhonesta.

5 Hinc inferunt aliqui, quòd potest dari beneficium alicui cum pacto docendi, quia docere est quid spirituale. Sic Butrio *c. penult. de magist.* & Ioan. Andr. Panormit. Host. *ibi, & in summa loco proximè citato.*

6 At dicendum est, quòd omnis pactio in beneficiis absque licentia Pontificis, & omnis conditio, vel modus appositus est simonia, licèt sit de re spirituali. Et ratio est, quia Ecclesia hoc prohibet in reuerentiam rei spiritualis, quia in his omnibus datur, vel relinquitur ius spirituale cum onere, vt fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa principali immediata eam habendi: & sic id prohibetur *dict. cap. quam pio*, ibi, *dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset consentio, & cap. fin. de pactis*, vbi sic dicitur, *In spiritualibus obtinẽdis omnis pactio, omnisque consensio cessare debet*, vbi gloss. *verf. cessare*. reddit rationem; quia huiusmodi pactiones simoniam inducunt, *& cap. quæsitum, de rerum permut.* vbi sic dicitur, *Commutationes præbendarũ de iure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem continet semper simoniæ*, vbi gloss. *verf. simonia*. Panormitan. *ibi* Anchar. *ibi num.* 3. Anton. *ibi num.* 5. dicunt, quòd pacta super spiritualibus sunt simoniaca, quia hæc liberaliter sunt conferenda non pactis. Et glossa *cap. si gratiosè, de rescript. in* 6. *verf. à Romano, &* 7. *quæst.* 1. *cap. Pastoralis, verf. gubernare*. Panorm. *cap significasti, de elect. num.* 5. & *ibi in addit.* Sapia *verf. in aliquo*, Francus *cap.* 2. *de elect. in* 6. *num.* 4. vbi omnes hi Doctores dicunt, solùm Papam in collatione beneficiorum apponere posse conditiones absque simonia. Clarè ergo loquuntur de conditionibus spiritualibus; nam (vt bene Panormit. *ibi* dicit) nec Papa potest apponere conditiones, quæ inducerent simoniam de iure diuino, quales sunt secundùm omnes, conditiones temporales. Idem glossa *cap. significatum, de præbend. verf. Itaque*, vbi, postquam dixit, aliquos dicere posse beneficium dari cum pacto spirituali, paulò inferiùs subiicit, *Hæc vera essent, nisi obstaret simonia*. Ad idem est Innoc. *eo cap. significatum, initio*; vbi, quamuis pactum. quod *ibi* apponitur, esset spirituale, quia erat celebrandi de tali Sancto, dicit hæc, *excusantur à simonia, quia fuit statutum*. Quod idem docent Immola *ibi num.* 8. Cardin. *vbi num.* 2. *verf. oppono quòd non*, & eodem modo saluant illud D. Thom. 4. *dist. cõcl.* 25. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5. & Syluest *verb. simonia, quæst.* 16. *dicto* 4. Idem tenet Nauarr. *in omnibus summis, cap.* 23. *num.* 100. *verf.* 2. vbi hæc dicit, *Simonia est facere collationes, renũciationes, vel recipere fas beneficiorum, cum conditionibus, modis, vel pactis in aliis licitis, & etiam in his, nisi ab Ecclesia prohiberentur; & cap. si quando, de rescript. excepit.* 4. vbi hæc dicit *omnis beneficij renunciatio cum conditione, modo, vel pacto, est simoniaca, & efficit renunciationem, collationem, & permutationem simoniacam, & consil.* 20. *n.* 1. hæc dicit, *Omne pactũ, & omnis modus, & conditio, quæ iure non inest, adiecta collationi beneficij, facit eam simoniacam*, & gloss. *c. dilecto, de præb. verf. significauit*, vbi hæc dicit, *Simoniacus est, qui non resignat beneficium purè, & sine aliqua conditione*, & glossa *c. dudum, de præb. in* 6 *verf. liberè*, vbi hæc dicit, *In beneficiis non habet locum conditio aliqua, vel pactum*, & Rebuff. *de pacific. possess. n.* 118. hæc dicit, *Omnis conuentio in spiritualibus est simonia, & n.* 287. *verf.* 4. hæc dicit, *Beneficium purè conferri debet, & non sub conditione, nec cum pacto, aliquin esset simonia*, & Mandosius *de signatura gratiæ, tit. permutationes. fine*, vbi hæc dicit, *Omnis pactio, & conuentio in spiritualibus vel illis annexis, est simoniaca.*

7 Nota primò, quòd aliqui limitant hanc sententiam, nisi pactum tale sit, per quod tantùm remittitur aliquid alteri, nec commodum applicatur illi, v. g. si debitum remitteretur alicui, vt conferret beneficium, esset simonia; quia per illam remissionem debiti applicatur commodum illi; si verò per remissionem commodum non applicaretur patri, non esset simonia: vt, si quis daret beneficium, vel præsentaret cum pacto, vt non apponeret exceptionem declinatoriam fori conferenti, quia in hoc casu remittere non est dare. Sic Felin. *cap. veniens, el* 1. *de testib. attestat. num.* 2. *verf. hoc autem*, & videtur *ibi* tenere Panormit. *n.* 6. & tenet Capua *lib.* 2. *decis. c.* 95. *n.* 22. sed malè Felin. refert Bartolum.

8 At omnino dicendum est contrarium, scilicet, adhuc esse simoniam. Patet primò, quia est pretio æstimabile, quòd ille non apponat exceptionem declinatoriam. Secundò, quia id est quid temporale. Tertiò ex communi axiomate: *Quod in temporalibus est vsura, est in spiritualibus simonia*. At mutuum dare, ne alter apponat exceptionem, est vsura. Quartò, quia commodum inde sequitur conferenti beneficium, scilicet vitare litem. Sic tenet Nauarr. *lib.* 5. *consilior. tit.* 3. *de simonia, consil.* 19. *n.* 1.

9 Secundò nota, limitandam esse hanc conclusionem; nisi apponatur conditio, quæ iure inest, & eo modo, quo inest, vt, si Episcopus habenti beneficium curatum, conferat aliud curatum eâ conditione vt resignet ptimum, non erit simonia; quia illa conditio de iure inest, cùm non possit aliquis duo beneficia curata obtinere. Si autem beneficia essent compatibilia (vt si vtrunque esset tenue, & non sufficiens ad decentem sustentationem) esset simonia conferre alicui beneficium eâ conditione, vt resignaret aliud, quod habet, quia illa conditio, non inest iure, cùm beneficia sint compatibilia: atque ita, vt illa conditio excusetur à simonia, debent esse beneficia incompatibilia, quia tunc ipso iure inest illa conditio, vt alterum renuncier. Similiter esset simonia, si quis suam capellaniam, aut beneficium alteri conferret, eâ conditione, vt, cùm aliud obtinuerit, illud sibi reddat; quia licèt iure insit conditio, quòd illud renuncier, si est incompatibile cum alio, non tamen est de iure, vt illud renuncier in illius fauorem, qui illud sibi dedit. At non est simonia, sed licitum conferre alicui commendam, adiecto modo, & conditione, vt soluat quadraginta aureos, quos ex ordinis statuto tenetur soluere quisquis eam commendam habuerit. Similiter excusari potest à simonia, si Episcopus conferat beneficium alicui eâ conditione, vt, cùm ipse aliud pinguius illi contulerit, primum liberè renuncier in manibus ipsius Episcopi, vt illud conferat cui placuerit; id enim licitè fieri potest, primò, quia illa conditio est secundùm ius commune, secundùm quod nullus potest habere duo beneficia, etiam simplicia, quorum alterum sit pingue, id est, sufficiens ad congruam sustentationem. Secundò potest excusari, quia illa est quasi permutatio beneficiorum, quæ authoritate prælati licitè fieri potest. Tertiò, quia causa permutationis potest quis renunciare cum tali conditione, vt *supra* dixi. Et hunc casum à simonia excusant Cordub. *summa, q.* 30. Ludouicus Lopez 1. *part. instructione noui, capite* 307. *fine*, Manuel 2. *tomo summæ, capite* 60. *num.* 40. Immò & Rex ex priuilegio Papæ potest hac conditione ad beneficium præsentare aliquem, vt scilicet, cùm acquisierit aliud, renunciet primum in fauorem eius, quem Rex voluerit. Ex dictis

10 Infertur primò, quòd non potest conferri beneficium alicui eâ conditione, vt doceat; sed, si, vacante aliqua præbendâ statuatur, quòd illud onus sit illi præbendæ annexum, est licitum, vt probaui *in principio huius dubij*. Sic contra Doctores citatos tenet glossa *capite penultimo de magist. verfu. Præbendæ*, & *ibi* Henricus *num.* 15. Ioan. *summa Confess. titulo de simonia, quæstione* 4. & quòd ita sit, colligitur etiam ex omnibus Doctoribus citatis, dicentibus omne pactum inducere simoniam. Et quòd tale pactum sit simoniacum, tenet etiam dicens, grauiter errasse oppositum dicentes, Nauar. summa Latina *cap.* 23. *num.* 100. Victoria *relect. de simonia*, 1 *part. n.* 6. Soto *lib.* 9. *de iust. quæstione* 5. *art.* 1. *verf. ex his fit*; & etiam patet, quia docere est temporale, & pretio vendibile, vt dixi *supra dub.* 4.

11 Secundò infertur, quòd si permutans beneficium, vel renuncians in fauorem alicuius cum reseruatione pensionis,





T

Universidad de Deusto Biblioteca

pensionis, conueniat cum ipso, vt soluat bullas pensionis, vel bullas vtriusque beneficij, etiam si beneficium hoc petentis sit pinguius, vel quòd soluatur ex fructibus beneficij, quod alter recipit à me, cui id peto, est simonia; quia apponitur pactum, quod natura sua non inest; vnusquisque enim tenetur soluere bullas, scilicet beneficij sui, quod recipit, & pensionis, quam recipit. Sic tenet Nauarr. in quodam omnino simili *lib. 5. consil. tit. 3. de simonia, consil. 5.* vbi dicit, quòd, si Petrus renunciat beneficium in fauorem Pauli cum reseruatione pensionis, si Paulus soluit compositionem, quæ soluitur pro reseruatione pensionis, est simonia: & expressè tenet Nauar. *in consil. nouis, eodem titul. de simon. consil. 30. gloss. c. super hoc de renunc. vers. pecunia.* Felin. *cap. dilectus, el. 1. de simonia.* & docti iuniores.

12 Tertiò infertur, quid dicendum sit in hoc casu, an scilicet liceat Papæ, vel Episcopo antè, vel quando beneficium confert, reseruare aliquos fructus absque simonia. Dicendum enim est, quòd Papa, antequam beneficium conferat, potest lege aliquâ ordinare, vt aliquid subtrahatur de fructibus beneficij ex causa iusta, vt ad suam sustentationem, vel ad alios pios vsus. Et similiter, quando confert beneficium, potest ex iusta causa sibi reseruare partem fructuum. Immò & post collationem beneficij id potest facere, etiam sine consensu beneficiarij, ex causa iusta; si verò absque causa iusta tempore collationis id faceret, esset simonia: cùm enim nulla sit causa, censeretur vendere beneficia. Similiter Episcopus, licèt pensionem non possit constituere; at ante collationem beneficij potest retinere fructus beneficij ad tempus pro causa iusta, & necessaria; & similiter potest ex iusta causa retinere fructus vacantes beneficij: est autem iusta causa, vt pro vsu laudabili, vt pro solutione debitorum contractorum nomine Ecclesiæ, & non nomine priuato. At in ipsa collatione beneficij non potest. sed esset simonia, si conueniret cum eo, cui confert beneficium, vt daret aliquid ex fructibus.

13 Hinc excusatur statutum, quod in Hispania, & aliquibus in prouinciis viget, vt Papæ dentur annatæ, id est, dimidiati fructus beneficij à principio temporis, quo aliquis acquisiuit beneficium, vsque ad certum tempus. Hinc etiam non sunt simoniaci dantes primos fructus in curia, & soluentes taxas bullarum, & cæterorum, secundùm stylum curiæ. Ratio, quia hæc non conferuntur in pretium spiritualium, sed pro necessitate curiæ, & ministrorum eius, volente Pontifice.

14 Hinc etiam excusatur, quod recipit Papa ob ingressus, vel coadiutorias: non enim in pretium recipit, sed in quandam honestam sustentationem dignitatis Apostolicæ. Sic Nauarr. *cap. si quando de refeript. except. 20. num. 9.* & dicit *n. 11.* ea conditione, saltem tacita, impetrari, vt, si in vita Papæ concedentis non habuerint effectum, possint per successorem reuocari; & *num. 12.* etiam dicit, posse eundem, qui concessit, ex iusta causa reuocare: quod idem omnino repetit *except. 21.* in confutatione oppositorum *num. 1.* vbi addit, quòd compositiones, quæ fiunt apud sedem Apostolicam applicando aliqua temporalia ad aliquæ opera pia, non fiunt per viam contractus, & pretij rerum spiritualium, sed per viam cuiusdam pœnitentiæ, & gratiarum actionis, quæ impleræ nullam aliam obligationem inducunt inter componentem, & compositum, quàm alia obsequia, & eleemosynæ: vnde potest successor reuocare, quia ea compositio personam Papæ respicit, non successoris; immò potest idem Papa ex iusta causa reuocare.

15 Quartò infertur, quid dicendum de statuto, vel consuetudine, vt, cùm sit electio ad beneficium, vel beneficij possessio traditur, aliquid largiatur nouus beneficiarius: dicendum enim est, quòd si conuertatur in priuatam vtilitatem aliorum beneficiatorum, vt prandium, &c. est simonia; & sic damnatur *cap. Iacobus, de simon.* & in Trid. *sess. 24. cap. 14. de reform.* Si verò conuerti debeat in vsus pios, vt in fabricam, vel in alia opera pia, licèt quidam dicant licere, si tale onus imponatur præbendæ, secus si ipsi beneficiario; at verius est, licere tale statutum, & consuetudinem, & sic debere obseruari: & potest non tradi possessio præbendæ, donec soluatur, quia id non recipitur in pretium beneficij, sed est vt modus, & conditio, & onus beneficio annexum. Immò, si quæ antiquitus solita erant capi pro vtilitate priuatorum Canonicorum, non possunt modò capi etiam ad opera pia.

16 Hinc consuetudo Ecclesiarum tam cathedralium, quàm collegiatarum, & parochialium, vt noui residentes non lucrentur fructus primi, secundi; vel aliorum annorum, vel certam partem eorum; sed, quòd cæteris antiquioribus accrescant, est iam reuocata, etiamsi sit immemorialis, vel etiam statutum per motum proprium Pij Quinti anno 1570. in declarationem decreti citati Trident. latum, in quo præcipit, vt statim noui residentes lucrentur omnes fructus. Sic Gutier. *quæst. canon. cap. 29. num. 29* & dicit, sic conclusum fuisse, agitatâ lite super hoc. Et dicit *num. 30.* quòd in illa Ecclesia Ciuitatensi est consuetudo immemorialis, quòd noui residentes non lucrentur fructus primi anni, sed accrescant antiquis; at post eorum obitum totidem fructus ipsis reseruantur pro solutione debitorum, & funeralium: & cùm multi viri docti hoc damnarent, consultus de hoc Papa remisit rem ad Cardinales, qui declararunt esse licitam, quia, quod differtur, non aufertur: & sic dicit, hodie obseruari.

17 Quintò infertur, esse simoniam, cùm quis renunciat beneficium suum in fauorem alicuius, vt ille, vel alius renunciet illud, vel aliud in fauorem alicuius; vel suffragatur quippiam alicui in aliqua electione ad beneficium, vt ille suffragetur in altera: vel renunciat beneficium suum simpliciter, vt alius sibi impetret aliud ab Episcopo, vel ab alio collatore: vel, si Episcopus conferat alicui beneficium eâ lege, vt postea resignet: vel si promittatur beneficium pro voce electionis, vel pro electione non impedienda. Similiter est simonia, dicere: *non placebit mihi de tali, nisi placeat tibi de tali.* Sic Rebuff. *de pacif. possess. num. 118.* Syluest. *verbo simonia, quæst 13. dict. 4.* Ang. *Simonia 3. n. 2. 3.* Addunt tamen Syluest. *ibi*, & Angel. *n. 3.* quòd, si esset consuetudo, vt, exaudito vno, alter exaudiatur, posset petere seruari eam consuetudinem: argum. *cap. quia igitur 63. dist. & cap. cum omnes de constit.*

18 Sextò infertur, esse simoniam, quando plures clerici habentes præsentare ad duo beneficia conueniunt, vt pro nullo alio suffragium ferant, nisi pro se ipsis, donec omnes obtinuerint ea beneficia. Sic Nauarr. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. consil. 21.*

19 Septimò infertur, quòd, si quis sponsionem faciat cum Episcopo centum aureorum, quòd non confert tale beneficium, & Episcopus, vt lucretur, conferat, vterque est simoniacus. Sic Nauar. summa Lat. *c. 23. n. 105.* Capua *lib. 2. decis. c. 95. n. 24.*

20 Octauò infertur, quòd, si duo se opponant beneficio, & alter velit alteri opponere defectum verum, licèt improbabilem, vt irregularitatem occultam, si pretio, vel pecunia promissâ, vel pensione promissâ conueniat, vt non apponat, est simonia. Sic Nauarr. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. cons. 3.* Manuel *2. tom. summæ. c. 65. n. 8.*

21 Nonò infertur, quid dicendum sit in hoc casu: Petrus iniit pactum cum aliquo, scilicet Paulo, vt faueret illi ad obtinendum beneficium, & promisit se consensurum constitutioni pensionis super illud; fauit illi Paulus, & sic obtinuit Petrus beneficium, quo obtento, noluit Petrus consentire pensioni, sed promisit, se illi opem laturum, vt obtineret aliud beneficium; & sic opem tulit, quâ mediante, Paulus obtinuit; dicendum enim est, in primo casu esse simoniam, incompletam tamen, quia promissum est aliquid pro fauore ad beneficium, at alter non impleuit promissum, sic ex parte eius fuit incompleta: at in secundo casu nulla fuit simonia, quia pro ope in beneficio nil temporale datum est, nec remissum: nam promissio



missio illa de constituenda pensione super beneficio cùm fuerit simoniaca, fuit nullius valoris; & sic non est remissum aliquod debitum legale, seu ex iustitia, sed tantùm debitum antidotale, id est, ex honestare, & gratitudine, cuius debiti remissio non inducit simoniam. Sic Nauarr. *lib. 5. cons. tit. 3. de simon. consil. 42.*

22 Decimò infertur, quid dicendum sit in hoc casu. Quidam petiit à patrono, vt illum præsentaret ad dignitatem, &, quò facilius eam obtineret, obtulit se relicturum beneficium simplex in manibus ordinarij, vt illud conferret, cui vellet. Nauarr. *lib. 5. cons. tit. 3. de simon. cons. 23.* dicit, in conscientia non esse simoniam, quia id non obtulit vt pretium, nec vt causam principalem, sed impulsiuam, vt qui seruit Episcopo, sperans ab ipso beneficium. Idem Manuel *2. tomo, cap. 64. n. 4.* Similiter dicit Nauarr. *ibi cons. 72.* non esse simoniacum in foro conscientiæ Episcopum, qui, cùm contulit cuidam beneficium eo pacto inito, vt alter solueret quasdam impensas in lite ad priuandum eo possessorem, quando talis solutio non fuit causa principalis dandi, immò, eâ non factâ nihilominùs daret illi beneficium.

23 Vndecimò infertur, quòd, si duo conueniant, vt alter resignet beneficium in fauorem alterius, modò consentiat tantæ pensioni de licentia Papæ; at conuenit inter illos, vt exprimant maiorem valorem beneficij, quàm re vera est, vt sic Pontifex tantæ pensioni consentiat (sciens enim verum valorem, non admitteret tam amplam pensionem) sunt simoniaci. Primo, quia conuenit inter eos de admittenda, & soluenda pensione pro beneficij resignatione, inualidè posita, & sine legitima Papæ licentia, cùm ea licentia sit subreptitia, & sic perinde sit, ac si non esset habita. Secundò, quia reuera alter non resignasset beneficium, nisi eo pacto inito de mendacio dicendo, vt sic obtineretur maior pensio, quæ quid temporale est. Tertiò, quia, si darem beneficium alicui, vt falsò testaretur, me esse consanguineum Petri, vt sic mihi aliquid legaret, simonia esset. Sic concludit Nauarr. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. consil. 75.* vbi dicit, secus esse, si solum mendacium, solâque expressio falsi valoris sine conuentione inter partes promissa interuenisset. Et sic explicandus est ipsemet Nauar. *ibi consil. 74.* quod est immediatè præcedens, vbi dixerat non esse simoniam.

## DVBIVM XXVI.

*An non tantùm sit simonia conferre aliquid collatori rei spiritualis, vt pro beneficij collatione, sed etiam sit simonia conferre aliquid mediatori, seu intercessori, vt intercedat pro tali collatione.*

1 Aliqui censent non esse simoniam, sed esse peccatum mortale; quia est turpissima solicitudo ad parandum beneficium, & sic non incurrere sic facientem pœnas iuris, nec restituendi obligationem. Ratio, quia Episcopus gratis confert beneficium, nec alius dedit quidquam Episcopo, sed solùm emit solicitudinem alterius, & non beneficium; & *ad cap. præsentium 1. quæst. 5.* vbi expressè videtur decerni oppositum, respondent, quòd illa pecunia data est electoribus, textus enim dicit, quòd Abbas dedit pecuniam vni Principum; quare, cùm appellet illum vnum Principum, sequitur, quòd habebat vocem in electione. Sic renuit, tanquam satis probabile, quidam doctus neotericus, & ab hac sententia non abhorret Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 7. artic. 3 in fine corporis*; tantùm enim dicit, quòd libentiùs assentitur oppositæ sententiæ: vnde videtur probabilem reputare hanc; & Greg. Lopez *vbi infrà, l. 17. vers. Tenudo*, satis dubitat, quando non datur iis, quorum ministerio vtitur Episcopus in conferendis his spiritualibus. Sit tamen.

2 Prima conclusio. Simonia est, non tantùm dare collatori rei spiritualis, sed etiam dare mediatoribus, seu intercessoribus vt intercedant apud ipsum collatorem. Probatur ex *c. præsentiũ, 1. q. 5.* vbi Vrbanus II. damnat, vt simoniacũ eum, qui dedit pecuniam cuidam, vt obtineret ab Episcopo ordines. Item, quia hic pecuniâ datâ parat viam ad spirituale; & sic non dicitur gratis comparare, sed pretio. Hanc tenent Soto proximè citatus, Innoc. *cap tuam, de ætat & qualit. n. 2. fine, & ibi* Bellamera, & *ibi* Butrio *num 8.* Panorm. *ibi num. 3.* Felin. *cap. tanta, de simonia* Sylvest. *verb. simonia. q. 6 & q 8. dict. 5.* Arm. *ibi num. 9.* Ang. *simonia 3. n. 25.* Rosel. *simonia 1. num. 34.* Nauarr. summa Lat. *cap. 23. num. 106. vers. ad 5. & num. 107. vers. ad 7. vers. ad 8. & vers. ad 9.* & summa Hispan. *cap. 25. num. 116. & lib. 5. consil. titul. 3. de simon. cons. 45. & 52. & titul. de sentent. excommun. cons. 46. & lib. 3. cons. tit. de præbend. consil. 54. num. 2. & super extravag. de datis & promiss. pro iust. vel gratia, num. 45. & lex. 16. part. 1 fine, & ibi* Greg. Lopez *vers. Tenudo*, & Humada *super illa, l. 17. gloss. 5.* referens Cardinalem, & Andream Siculum. Idem Gregor. Lopez referens Angel. *eodem titul. 17 l. 3 glossa 2.* Capua *lib. 2 decis. cap 96. num. 67.* Beya *casu. 37 fol. 161.* Ludouic. Lopez *1. part. instruct. noui, cap 307 fol. 976. pag. 1 & cap. 304 fol. 943. & sequenti* Manuel *2. tomo summæ, cap. 61. fine* Adrian. *quodlib. 9. articul. littera C. & littera D.* & Guillelmus, quem *ibi* refert D. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 5. §. 7.* & docti iuniores.

3 Nota primò, hoc intelligi, quando dat alicui, vt sit mediator ad concedendum beneficium, secus, si det, vt solliciter, & reducat ad memoriam, & pro labore in eundo, & redeundo, non addendo preces. Sic Nauarr. summa Lat. *cap. 23. num 106. vers. ad 5.* & melius *lib. 5. consil. tit. de sentent. excommun. cons. 46.* Ludou. Lopez *dict. fol. 943. fine, & sequenti*, Adrianus *supra.*

4 Aduerte tamen, quòd hoc stipendium debetur, siue obtineatur beneficium, siue non: & ad hoc etiam nihil interest quòd amicus, aut famulus sit Episcopi, aut non sit, dummodò preces, aut intercessio non intendatur: atque ita in intendendis precibus, & in paciscendo quid dabitur, si beneficium obtineatur, & si, quod datur, est multò ampliùs, quàm meretur mera sollicitudo, est manifestum vitium simoniæ.

5 Secundò nota quòd Nauar. Lat. summa *cap. 23. num. 106. vers. ad 5.* etiam dicit, licere dare aliquid mediatori absque pacto tacito, vel expresso ad habendum ipsum benevolum, vt vel sic obtineat beneficium, modò non detur pro obtentione tanquam pro causa principali, sed secundaria. At dicendum est, parum referre, quòd sit causa principalis conferendi, vt obtineat mihi beneficium, modò non detur in pretium, nec interfit pactum tacitum, nec expressum rogandi pro obtentione beneficij, vt constat ex iis quæ habes *suprà dub 12.*

6 Tertiò nota, quòd non est illicitum pretium offerre, vt concedatur posse ingredi ad alloquendum Prælatum, & petendum ab eo beneficium; quia ingressus ille temporalis est, & per accidens, ac remotè se habet ad beneficij obtentionem. Sic Guillelmus, Adrian. Angel. Armil. Rosel. *supra* Sylvest. *verbo simonia, quæst. 8. dict. 5.* D. Anton. *supra.*

7 Quartò nota, quòd aliqui limitant conclusionem, vt intelligatur, quando datur pecunia intercessori, seu mediatori, cum eo, cui incumbit conferre beneficium, vel ad illud eligere, seu præsentare: & sic Doctores omnes citati in hoc casu loquuntur, quia tunc immediatè, & proximè paratur via ad beneficium, & sic pretium videtur conferri pro beneficio, secus, si daretur pretium cuidam tertio, vt intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, nec eligere, nec præsentare, vt iste tertius obsecret, vt detur illi beneficium: hoc enim est licitum, & nullo modo est simonia, quia datur pro re merè temporali, nec paratur via immediatè, & proximè ad beneficium. Sic Gabriel Vazquez disputato casu Matriti: & alij iuniores dicunt, hoc esse probabile, licèt sentiant, oppositum esse probabilius; & consequenter ad hanc sententiam dicunt, non esse simoniam, nec peccatum dare aliquid famulo auditoris, vt obsecret suum herum

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt me proponat Regi ad beneficium; quia auditores non præsentant ad beneficia, sed Rex, & eorum suffragium est tantùm consultiuum, & sic non paratur via immediatè ad beneficium; secus si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, vt precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, vt me præsentaret Regi ad beneficium illius Regni. Sic docti recentiores.

8 Ar, licèt hoc probabile sit, probabilius tamen est oppositum, quia non potest negari, directè parari viam ad beneficium pretio, & sic emi beneficium. Et sic videtur clarè tenere Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de sentent. excommun. consil. 46.* vbi dicit, esse simoniam dare pretium cuidam famulo ministri Papæ, vt intercedat pro illo, vt obtineat beneficium. Ad idem est Nauarr. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. consil. 54.* vbi dicit, quòd volens se opponere beneficio, & promittens cuidam, se beneficium obtentum permuturum cum illo, vel alio, si efficeret, ne alter se opponat, quòd alter efficit, & sic obtinuit beneficium, est simoniacus, quia sustulit impedimentum, quod iuridicè poterat opponi, & hoc promisso beneficio obtento dando alteri per permutationem: at non fuit simonia completa, quia non permutauit beneficium. Ecce quomodo in vtroque casu loquitur Nauarr. quando intercessio non est cum dante beneficium.

9 Secunda conclusio. Licèt Soto *vbi suprà* clarè videatur sentire, esse simoniam de iure diuino dare pecunias mediatori pro intercessione ad beneficium: sic enim probat esse simoniam, quia iure diuino tam datio, quàm receptio beneficij pro pretio, est simoniaca; at satis probabile est, esse tantùm simoniam de iure humano; & forsan hoc sentiunt Doctores primæ sententiæ, quia reuera hîc non emitur beneficium, sed illa intercessio, quæ videtur quid temporale. Sic tenet Nauar. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. consil. 58. vers. 4.* vbi hæc dicit, *Attento iure diuino simonia in beneficio tantum committitur, quando pro ipso beneficio pecunia datur, vel promittitur, & non aliàs: at attento iure positiuo per Extrauag. 2. de simon. cõmittitur, cùm datur pecunia pro collatione, electione, præsentatione, nominatione, fauore, intercessione, siue mediatione, & aliis similibus actibus ad acquirendum directis, & in renunciatione, & priuatione, & aliis actibus ad perdendum directis.*

10 Hinc fit, quòd, licèt aliqui dicant, quòd in hac simonia, nempe, cùm quis, pretio dato pro intercessione mediante tali intercessione, obtinuit beneficium, incurruntur omnes pœnæ simoniæ: & sic receptio beneficij est nulla, & alter tenetur restituere pretium, & incurrit excommunicationem vterque. Sic Nauar. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. consil. 52.* & summa Lat. *cap. 25. n. 68.* dicit, incurrere excommunicationem; & *super extrauag. de datis, pro inst. vel grat. n. 45.* & Soto *vbi suprà* dicit, non valere receptionem: & Armil. *verbo simonia, n. 9.* dicit, mediatorem non posse retinere pretium. At probabile est, non incurrere has pœnas, & sic valere collationem, nec alterum teneri restituere pretium, vt docent Doctores primæ sententiæ quia (vt dicemus *infrà*) est satis probabile, per simoniam de iure humano, qualis est hæc, non incurri has pœnas. Nec obstat *Extrauag. 2. de simonia*, vbi excommunicatur mediator in simonia; quia hic intercessor non est mediator, non enim offert alicui pretium, vt conferat beneficium, sed ipsemet est, qui simoniam contrahit, vendendo suas preces ad beneficium.

11 Aduerte tamen, quòd, etiam sequendo sententiam horum Doctorum, qui asserunt, in hac simonia incurri pœnas, intelligendum est, quando simonia dedit causam prouisioni, quia scilicet Episcopus fuit motus precibus illius, qui pretium ob preces acceperat; secùs quando eius preces nihil mouerunt ad conferendum beneficium: tunc, licèt animo commissa sit simonia, quia tamen non est realis, & completa, cùm non sit datum beneficium ex illa negotiatione, & pacto simoniaco, non incurrent illi pœnas. Sic Nauarr. *in omnibus summis, cap. 25. n. 113.* Adrian. *quodlib. 9. art. 3. paulo post principium, littera B. in paruis. fol. 192.* Et hoc est, quod dicunt Card. & Andr. Siculus, quos refert, & sequitur Humada *super 1. part. tit. 17. l. 17. glossa 5.* quòd scilicet non est simonia, quando collator non moueretur mediatoris instantia. Facit etiam Innoc. *cap. tanta, de simon. n. 2.* vbi dicit, quòd, si quis obtinuerit ordinem, vel beneficium, alio dante pecuniam non ordinatori, non est simonia, si aliàs obtenturus erat. Facit, quòd dicit Syluest. *verbo simonia, q. 16. fine*, quòd, si Episcopus pactus est de dando beneficio ob pretium, & oblitus pacti postea purè contulit, non est simonia.

12 Ex dictis infertur solutio huius casus, an scilicet interueniat simonia in hoc casu. Petrus, & Paulus fecerunt contractum, quòd qui prior eorum obtineret beneficium, dabit alteri tertiam partem fructuum: postea Paulus intercessit pro Petro, & obtinuit illi beneficium, dicendum enim est, quòd contractus prior de se licitus est, & sic paciscentes tenentur stare contractui. Probatur, quia nulla malitia ibi interuenit; potest enim quis licitè promittere alicui, si aliquando obtinuerit beneficium, dare quotannis tantam partem fructuum ad suam sustentationem: hoc enim non est constituere pensionem super beneficium; pensio enim transit ad successores in beneficio; obligatio autem hæc non, sed solùm est velle dare illi quotannis certam pecuniarum quantitatem ex redditibus beneficij. Sic multi docti recentiores. Si verò contractus ille non fuit factus sincerè, sed ad obligandum alterum ad procurandum illi beneficium, & sic de facto procurauit, & alter soluit partem fructuum promissam, est simonia manifesta. iuxta dicta: & quidem si sola mente fuit retenta, erit mentalis, & sic nullæ incurrentur pœnæ; si verò fuit pactum explicitum, vel implicitum, quia scilicet intelligebant illi, alterum alteri beneficium posse esse procuraturum, & ad hoc primum contractum facere, & negotiatio, seu intercessio illa Pauli habuit effectum, quia scilicet virtute illius obtinuit alter beneficium, est simonia realis, & omnino completa: & an subiaceat pœnis simoniæ, iudicandum est ex dictis in hoc dubio: nam secundùm vnam opinionem subiacet; secundùm aliam verò, quam diximus esse probabilem, non subiacet: at quoties contractus fuit simoniacus, manifestum est, alterum non teneri soluere partem illam fructuum, immò peccare soluendo; si tamen facto priori contractu sincerè, & licitè absque vlla praua intentione, alter procuraret alteri beneficium, sperans illud lucrum non tanquam pretium suæ intercessionis (sic enim esset simonia;) sed sperans illud virtute prioris pacti, esse licitum, & similiter erit licitum, si quando factus est primus contractus, factus est sincerè, & absque mala intentione, & simoniacè, Petrus habeat spem, quòd Paulus bona intentione, & non simoniaca, sed tanquam verus amicus procurabit illi beneficium. At hæc omnia suspicione sunt plena. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XXVII.

*An sit simonia non tantum vendere beneficia, sed etiam actiones de se ordinatas ad obtinendum beneficium.*

1 REspondetur affirmatiuè. Vnde simonia est dare pretium pro resignatione, & vacatura beneficij, vel pro electione, vel confirmatione electionis, præsentatione, pro danda possessione beneficij; vel, si quis habet ius ad beneficium, & illud alteri vendat. Similiter est simonia renunciare expectatiuam, reseruam, seu regressum aut quasuis literas Apostolicas de prouisione sibi beneficij facienda ob pecuniam, vel ob pensionem, nisi hoc de pensione fieret authoritate Papæ.

## DVBIVM XXVIII.

*An dare beneficium pro aliis commoditatibus temporalibus, vt pro munere ab obsequio sit simonia.*

1 SIt prima conclusio. Simonia est dare beneficium pro aliis cõmoditatibus temporalibus; quæ pecunia æstimantur, & mensurantur, vt pro obsequio exhibito, vel exhibendo; vel, si quis det in dotem pro matrimonio cuidam consanguineo contrahentis matrimonium.

2 Secunda conclusio. Dare spiritualia exigendo aliàs commoditates, quæ non mensurantur pecunia, id est, quæ non solent dari, nec emi pro pecunia, non est simonia, vt dare beneficium ad conciliandam amicitiam, ac beneuolentiam alicuius.

3 Ex his infertur primò, quòd, licèt aliqui dicant, esse simoniam, si detur beneficium ad exonerandum se ab obligatione antidotali, seu, quæ oritur tantùm ex virtute gratitudinis, vt si Prælatus det alicui beneficium, hoc expresso, quòd ea collatio sit in remunerationem, & ad tollendam obligationem, quia ad antidotale debitum tenebatur. Sic Adrian. *quodlib. 9. art. 3 litera D. fol. 193. in paruis.* Butrio *cap. tuam, de ætate, & qual. num. 7. paulo ante vers. Item dicit*; & *ibi* Innoc. *num. 1. fine*, & *ibi* Panor. *num. 3.* Decius *cap. ad nostram, de probat. num. 5.* Angel. *l. sed si lege §. consuluit ff. de petit. hæredit.* At verius est, non esse simoniam, sed licitum, quia debitum antidotale non est propriè debitum, nec pecunia æstimabile.

4 Secundò infertur, quòd, licèt aliqui dicant, esse simoniam, & vsuram mutuum dare propter beneficium; at verius est, non esse simoniam, quia mutuum non est pecunia æstimabile; est tamen vsura: & sic accipiens hoc modo beneficium, tenetur id resignare, quia acceptum per vsuram est restituendum. Si tamen daretur beneficium pro obligatione mutuandi, esset simonia, quia obligatio mutuandi est pretio æstimabilis.

5 Tertiò infertur, quòd non est simonia, si Episcopus det beneficium intuitu consanguinitatis, quia gratis dat, nihilque accipit: & de hoc latiùs *suprà* diximus, vbi de beneficiis.

6 Quartò infertur, quòd simulans se sanctum, vt consequatur beneficium, non est simoniacus, quia nil dat pro beneficio, immò nec tenetur id resignare.

7 Quintò infertur, quòd Episcopus, qui daret famulis beneficium in pretium seruitij sibi per ipsos exhibiti, esset simoniacus, siue seruitium sit honestum, siue inhonestum. Quod contingit, quando famulis, vel si non soluit stipendium, vel soluit minus debito; quia satisfacit dando beneficium, secùs si det beneficium, non tanquam mercedem obsequij; quia scilicet aliàs soluit sufficiens stipendium famulis, licèt motus tali seruitio det beneficium. Et similiter seruire Episcopo, intendendo vt conferat beneficium, non tanquam pretium seruitij, sed ex gratia, & beneuolentia causata ex seruitio, non est simonia. Et licèt aliqui limitant, modò non intendat seruire principaliter ob beneficium; at verius est, etiam in hoc casu, non esse simoniam, si non vt pretium intendatur. Immò, licèt valde scrupulosum sit, & suscipione simoniæ non careat, si quis seruiat Episcopo gratis, eo quòd speret ab ipso beneficium; at, si non sperat vt mercedem seruitij sed gratis, & ex beneuolentia, & gratitudine, licèt principaliter speret beneficium, non est simonia.

8 Sextò infertur, quòd bene potest Episcopus recipere famulum promittens certum stipendium quotannis, donec prouideat illi de beneficio, dummodò non fiat pactum, quòd, recepto beneficio, seruiet gratis.

9 Septimò infertur, quòd offerre dona, quæ vocantur *munus à manu*, Episcopo tanquam pretium beneficij, est simonia; si verò offerantur ad conciliandam eius amicitiam, & beneuolentiam absque pacto tacito, vel expresso, vt vel sic conferat beneficium, non est simonia, licèt possit esse aliud peccatum. Et in hoc quod attinet ad forum conscientiæ, ad hanc intentionem attendendum est; at in foro externo præsumetur simonia ex quantitate doni, ex qualitate dantis, & recipientis, & ex tempore, quo dantur, & ex aliis coniecturis.

10 Licèt examinatores, iuxta decretum Trid. *sess. 24. decreto 2. de reform. cap 18.* occasione examinis ad beneficia antè, nec pòst, possint aliquid accipere, alioquin tam ipsi, quàm dantes, sunt simoniaci, à qua absoluti nequeãt nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque antea obtinebant, ad alia in posterum inhabiles reddantur; at possunt recipere salarium ex fructibus vacantis beneficij. Sed si hi fructus ad successorem non pertinent, salarium illis Episcopus soluat.

11 Octauò infertur, quòd dare beneficium propter munus à lingua, scilicet laudes, preces, adulationem, quãdo hæc resoluuntur in pretium, est simonia; quod tunc contingit; quando ordinantur ad comparandam aliquam vtilitatem pretio æstimabilem; vt si quis conferret beneficium alicui ea lege, vt ipsum laudaret apud Regem, vt sic fiat à Rege Episcopus, vel, vt intercedat pro eo, vt hoc consequatur. Si tamen laus, preces, & adulatio maneant in sua natura, nec resoluantur in pretium, id est, non ordinentur ad acquirendum aliquid pretio æstimabile, sed tantùm concurrunt per modum laudis, adulationis, vel precum, tunc in foro externo præsumitur simonia, si sunt carnales, & pro indigno; at in foro conscientiæ non est simonia, etiamsi Episcopus principaliter det beneficium ob tales laudes, adulationem, vel preces. Et licèt quidam hoc limitent, nisi hæc deducantur in pactum (censent enim, esse simoniam dare beneficium, deducendo in pactum laudes, signa beneuolentiæ, vt, quod se affabilem, aut vrbanum mihi ostendat:) at verius est, non esse simoniam; at deducere in pactum, quòd ad hæc teneatur, est simonia; quia talis obligatio est pretio æstimabilis.



## DVBIVM XXIX.

*An sit simonia conferre beneficiũ propter metum, vel minas.*

1 COnstat inter omnes, esse simoniam, quando hæc reducuntur, ita vt sint pretium collationis: non autem, quando non reducuntur in pretium, licèt aliqui absolutè dicant, esse simoniam. Vnde non est simonia dare beneficium ex timore amittendi gratiam, & fauorem, quo quis pollet, aut ex timore incidendi in aliquius indignationem, vt si quis hoc timore audiat alicuius confessionem, non est simonia; quia ita, vel indignatio non habet rationem pretij; nil enim pretio æstimabile recipit, quia metuit.

2 At dubium est, quando fugiendo timorem, & minas, sequitur aliquod commodum temporale pretio æstimabile, &, ne illud perdat, dat Episcopus beneficium? Quod quadrupliciter contingit. Primò, quia acquirit aliquod temporale, quod antea non habebat, nec erat debitum: & tunc est clara simonia, quando propter timorem non acquirendi illud, dat beneficium; vt si Rex, vel aulicus comminaretur Episcopo, quòd, nisi det beneficium Petro, non promouebitur ad pinguiorem Episcopatum. Quod quidem, licèt ita absolutè dicatur ab aliquibus, at intelligendum est, quando Episcopus speraret illud temporale commodum tanquam pretium beneficij, quod conferet; secùs, quando non sperat, vt pretium, sed intendit amicitiam, & timet illam perdere, & incidere in indignationem, ex qua amicitia sperat cõmodũ tẽporale, & ex indignatione contraria timet illud perdere: tunc enim nõ esset simonia. Quòd si timor incuteretur tantùm excidendi à gratia, & inde consequenter sequatur, quòd Episcopus timet, quòd non ascendet ad pinguiorem Episcopatum, vel illi dicitur, quòd excidendo à gratia Regis, non promouebit illum, non est simonia conferre beneficium propter hunc timorem. Si tamen Rex Episcopo comminaretur, quòd nisi beneficium conferat, non promouebit illum, vel aliquis alius eidem Episcopo minaretur, se conaturum apud Regem, vt non promoueret illum, & hoc timore beneficium conferret, esset simonia.

3 Secundo modo potest contingere, quando incutitur metus perdendi rem aliàs debitam: vt, si Episcopus timore perdendi debitum, conferret alicui beneficium

Universidad de Deusto
Biblioteca



pacto inito, vt sibi soluat. Tertio modo, quando propter talem timorem conseruat bona temporalia, quæ possidet; vt, si latro velit bonis spoliare Episcopum, & ipse promittat, vel conferat illi beneficium, ne illum spoliet: & in his duobus casibus multi dicunt, esse simoniam. At satis probabile est, & forsan probabilius, non esse simoniam; quia nil recipitur vt pretium beneficij, sed, quod aliàs erat debitum; & id non est pretio æstimabile.

4 Quarto modo potest contingere, quando Episcopus confert beneficium propter timorem perdendi vitam, honorem, vel famam: si enim incuteretur illi hic metus, & ad hæc vitanda conferret beneficium, non esset simonia; quia in hoc casu metus non habet rationem pretij, cùm hic nihil recipiat.

## DVBIVM XXX.

*An sit simonia pretio redimere vexationem circa beneficia.*

1 EXemplum esse potest; si Paulus per iniuriam impedit Petrum, ne beneficium, vel Episcopatum obtineat, an possit Petrus largiri Paulo pecunias ad redimendam suam vexationem, & se ab illa iniuria liberandum, vt sic possit obtinere beneficium.

2 Supponendum est, quòd, sicut anima dat corpori triplex esse, scilicet vegetare, sentire, ratiocinari & primum est imperfectissimum, sic intendens beneficium est in triplici gradu: primus est remotus, & imperfectus, qui dicitur iustus acquirendi modus, seu petendi, vel se opponendi: secundus ius ad rem, quod perfectius est primo, non tamen est omnino perfectum, & est ius, per quod habet aliquam actionem ad petendum coram iudice, non tamen habet rem illam acquisitam; vt si quis mihi promittit equum, habeo ius ad rem, non tamen ius in re: & hoc ius acquiritur in beneficio per electionem, præsentationem renunciationem, &c. Tertius est ius in re, quando per collationem beneficij cum impositione pilei datur titulus, vel dominium rei; qui titulus deinde magis confirmatur per possessionem pacificam. Vnde non dicitur ius acquisitum in re, donec accedat superioris actio, scilicet collatio. Sic Henriquez *in suis scriptis*, & secundum modum, nempe iuris ad rem, docet Nauarr. *cap.17.num.69.* Hoc supposito.

3 Dico primò, duas esse regulas certissimas in hac re.

Prima est; simonia est pecunia redimere vexationem, dum quis habet tantùm ius ad rem, vt si electus iniustè vexatur, ne detur sibi collatio beneficij. Ratio, quia, cùm adhuc hoc beneficium non sit suum, paratur pecunia via ad obtinendum beneficium.

Secunda est, non est simonia pecunia redimere vexationem, quando quis habet ius in re, vt, si possessor beneficij iniustè vexetur circa illud. Et ratio huius secundæ regulæ est, quia, cùm illud beneficium sit iam suum, non parat pecunia viam ad aliquid spirituale obtinendum, sed, ne circa rem suam vexetur, quæ vexatio quid temporale est.

4 Nota primò, intelligi secundam regulam, quando clarè vexatio est iniusta; in dubio enim non licet. Item, quòd hæc vexatio, cùm sit quid temporale, non posset redimi aliquo beneficio dato, quia iam beneficium venderetur.

5 Secundò nota, quòd, etiam ante ius acquisitum in beneficio licet aliquando redimere vexationem, pretio dato: vt, si quis ante electionem per vim, aut fraudem impediretur, ne se opponeret, vel diffametur coram Episcopo, vel vi impediretur, ne electores eum eligeret. Et licèt aliqui hoc limirent, quando sic impediens potest obesse, non tamen prodesse; vnde si posset etiam prodesse, esset simonia pretio redimere hanc vexationem: vt, si hic impediens esset vnus ex electoribus, vel patronus, qui debet præsentare, quia tunc non censetur dari pecunia solùm ad redimendam vexationem; sed etiam, vt adiuuet ad obtinendum beneficium; at verius est licere, etiam, quando sic impediens potest prodesse; quia non do pecuniam, vt prosit mihi, sed redimo vexationem in iure iam quæsito, scilicet mea libertate, mea fama quod licitum est, iuxta primam regulam. Et licèt aliqui adhuc limitent, licere in hoc casu redimere vexationem, quando aliquis vi illata impediret; secus quando impediret meam electionem per subornationem, & munera, quæ electoribus conferret, ne me eligerent, tunc enim non liceret pretio redimere vexationem; alij verò hoc admittant, quando impediens potest obesse, non tamen prodesse secundùm ius; si verò possit etiam prodesse, dicunt esse simoniam: at satis probabile est, non esse simoniam pretio redimere talem vexationem, licèt impediens per subornationem possit etiam prodesse. Ratio, quia iura damnantia, tanquam simoniacam, redemptionem vexationis in beneficiis ante ius acquisitum in re, loquuntur, quando vexatio est immediatè circa ipsum beneficium, scilicet, si solus sim dignus, vel dignior, & electores, me relicto, vellent indignum eligere, tunc enim pretium dare ad redimendam hanc vexationem, esset simonia, quia talis censetur emere beneficium: redimere enim vexationem, quæ consistit in beneficij denegatione, videtur esse emere beneficium; at verò, quando vexatio non est immediatè circa ipsum beneficium, sed circa aliam rem distinctam, & separatam, vt si à quocunque vi detinear, vel iniustè infamer; vel electores vi, aut subornationibus impediantur, ne liberè eligant, non prohibetur in iure, quòd ad redimendam hanc vexationem dem pretium electori, ne me detineat, vel, ne subornet alios, dummodò non dem, vt pro me suffragetur.

6 Ex dictis fit, quòd duobus petentibus vnum beneficium, & electore inclinante suam voluntatem ad indignū, vel ad minùs dignum, esset simonia pretio redimere hanc vexationem, quia tantùm habet ius ad rem.

7 Est tamen satis probabile, simoniam in casu huius corollarij non esse de iure diuino, sed humano, & potest probari ex his, quæ diximus *supra dub.26 conclus.2.n.9.*

8 Secundò infertur, quòd electione etiam facta à maiori parte, si detur aliquid contradicenti, vt cesset à contradictione, est simonia, licèt contradictio esset iniusta.

9 Tertiò infertur ex dictis, non esse simoniam dare pretium alicui, ne impediat, quin electio iuridica fiat; quia hoc non est parare viam ad beneficium. Similiter, quando iam erat electus; quia tunc habet ius quæsitum in electione. Et, licèt aliqui Doctores dicant, esse simoniam, quando datur pretium, ne impediatur electio iuridica de hoc, vel illo; at ex dictis constat hoc licere, quando reuera non offertur pretium, vt suffragentur huic, sed ne per vim, vel fraudem impediant electionem huius, hoc enim est redimere vexationem,

10 Secundò dico, quòd licèt aliqui dicant, quòd, facta electione, si confirmator nolit confirmare iniustè, licet pecunia hanc redimere vexationem; at verius est oppositum, quia non habet ius in re.

11 Tertiò dico, quòd, licèt aliqui satis probabiliter dicant, quòd, facta collatione beneficij, si quis iniustè impediatur accipere possessionem, non potest pecunia hanc redimere vexationem; quia possessio beneficij quid spirituale est; at probabilius, est licere, quia tota spiritualitas possessionis est ratione tituli, in quo habet ius ad rem acquisitum per collationem. Idem est, quando alius omninò iniustè possidens, meam possessionem liquidò, & clarè iustam impediret. Item, potest dari pecunia, vt præbenda mea per iniuriam alteri data recuperetur.

12 Quartò dico, quòd, licèt aliqui sentiant, quòd, si possidens beneficium expellatur ab eo, postquam expulsus est, siue à Prælato, siue à tyranno, non licet pretio redimere vexationem; at verius est licere, quando à tyranno, quia hic reuera non manet spoliatus; at quando à Prælato, non, quia habet authoritatem spoliandi.

13 Vltimò dico, quòd est simonia dare alteri pecuniam, vel pensionem, ne se opponat contra me ad beneficium, quia pecuniâ paro aditum ad beneficium. Similiter est simonia dare illi pecuniam, vel pensionem, vt desistat ab oppositione. Similiter est simonia facere pactum cum altero hoc modo, *ne te opponas ad hoc beneficium contra me, & ego non me opponam contra te ad sequens beneficium*, quia obligatio hæc non se opponendi ad beneficium sequens est pretio æstimabilis; at, licèt eorum ptior beneficium obtineret, quia alter non se opposuit, non est simonia compleat, donec alter adimpleat, quod promisit, scilicet non se opponere: & sic vsque tunc licitè retinet beneficium.



## DVBIVM XXXI.

*An possit quis redimere decimas ab iniusto possessore, data pecunia.*

1 REspondetur, posse: quia hic non redimitur ius ad decimas, hoc enim semper manet apud Ecclesiam; sed decimæ ipsæ, quæ temporales sunt: vnde accipiens pecunias iniustus est, non tamen simoniacus.

## DVBIVM XXXII.

*An, quando sede vacante, electores Papa vellent eligere indignum, liceat pretio redimere hanc vexationem, & procurare, vt dignus eligatur.*

1 COnstat inter omnes, licere offerre pretium, ne eligatur indignus; quia per hoc non paratur via ad beneficium, sed euitatur peccatum, & damnum Ecclesiæ, quæ habet ius in re, vt eligatur dignus. At dubium est, an liceat offerre pretium, vt eligatur dignus in communi, vel hic dignus in particulari; &, quamuis dicant aliqui, quod licet dare pretium, non tantùm vt eligatur dignus in communi, sed etiam, vt eligatur hic dignus, quando non sunt alij digni; secùs, quando sunt alij digniores: tunc enim tantùm liceret dare, vt eligatur dignus in communi; alij verò dicunt, licere, dare, vt eligatur dignus in communi, non tamen, vt hic dignus eligatur; at dicendum est, esse simoniam dare, siue vt eligatur dignus in communi, siue in particulari; quia datur pretium pro re spirituali; sicut, si quis daret pretium sacerdoti, vt ministraret sacramenta in communi,

## DVBIVM XXXIII.

*An, duobus litigantibus super aliquo beneficio, liceat pretium, vel pensionem alteri offerre, vt a lite desistat.*

1 PRimò dico, quando quis etiam obtento, & possesso beneficio, vexatur iustè, vt quia quis vult eum iustè deponere, vel iustè accusare, vel prætendit ius in illo beneficio, & sic vel agitat, vel vult agitare litem, quæ non est euidenter iniusta, esset simonia pretium dare, vt ab hoc desistat. Et similiter renuncians liti iustæ super beneficio spirituali pecunia accepta, vel pensione, est simoniacus; etiamsi detur illud, vel accipiatur nomine expensarum, vt, si ineatur pactum, vt soluantur alteri expensæ factæ in re illa, vel lite, & cedet iuri suo; quia est renunciare spirituale pro temporali. Et similiter, si renuncier literis Apostolicis super prouisione beneficij pro pecunia, est simonia. An verò possit arbiter hos componere, dando alteri pensionem, videatur *c.misi essent, de prabend.*

2 Secundò dico, quòd, si detur beneficium, vel pensio, vt desistat ab illo iure, est simonia iure Ecclesiastico, nisi fiat authoritate superioris; si verò detur pecunia, est simonia iure diuino: vnde, etiam authoritate Papæ, non potest esse licitum.

3 Tertiò dico, quòd dupliciter potest fieri licitus hic contractus.

Primo modo, quando ius est debitum, vt, si ambo præterderent ius ad beneficium, possent licitè conuenire inter se, sub beneplacito tamen Papæ, & semper dependenter ab illo, vt alteri detur beneficium, & alteri pensio, modò tamen nil detur, antequam accedat consensus Papæ: esset enim manifesta simonia, vt statim corollario primo hinc inferendo probabo. Nec potest hoc pactum fieri authoritate Episcopi, quia (vt *infrà* dicam) nullus inferior Papa potest constituere pensionem super beneficio. Et quando à summo Pontifice alteri ex litigantibus cõceditur pensio, non est ad redimendã vexationẽ; quia tũc nulla est vexatio, sed ex sua potestate, propter bonum pacis.

Secundo modo possent conuenire, vt alter renunciet ius suum in alium, & quòd detur ei aliud beneficium; & hoc est licitum, etiamsi ex pacto renunciet, quia est permutatio spiritualis cum spirituali; debet tamen fieri cum authoritate Prælati, qui habuerit authoritatem faciendi talem permutationem: quare Episcopus posset facere talem concordiam, quando ipse posset præstare authoritatem permutationi beneficiorum. Quod debet intelligi, quando ambo habent iam ius quæsitum in tali beneficio; quia si tantùm haberent ius ad rem, talis permutatio est permissa in iure, vt dicam infrà, & tenet Rebuffus *praxi, tit.de supererogat.num.34.* Ex his

4 Infertur, quòd si duo litigantes super quodam beneficio, superuenientibus aliis litigantibus, conuenerunt, vt se mutuò iuuarent contra alios, & alteruter illorum, qui obtineret, alteri constitueret pensionem, & impensæ essent communes, sub certa pœna, nisi stetissent contractui: quæ omnia Papæ retulerunt, excepta pœna, & statim se adiuuarunt, & alter eorum destitit, & sic alter obtinuit beneficium, est simonia, quia non retulerunt Papæ pactum illius pœnæ. Item, quia, esto omnia voluntati Papæ subdidissent, beneplacitum Papæ non excusat, nisi postquam fuerit præstitum: qui enim pacisceuntur circa beneficia cum beneplacito Papæ, si ante illius impetrationem exequantur, sunt simoniaci, vt docet Nauarr. summa Lat. *cap.23.num.168. in fine, & vbi infrà*, quia dispositio conditionalis nil prodest, donec conditio impleatur, *cap.si pro te, de rescript. in 6. & §. omnis, instit. de verb. oblig.* & adiutorium fuit præstitum ante beneplacitum Papæ. Sic Nauar. *lib.5.consil.tit.3.de simon. cons.6.*

5 Secundò infertur, quid dicendum sit ad hunc casum: Duo litigabant super quodam beneficio, quod ambo possidebant, sùntque eo spoliati, & sequestrati sunt fructus, pacti sunt cum consensu Papæ, vt alter eorum obtineret beneficium, constituta certa pensione alteri: interim tamen, quòd expeditio ex Romana Curia veniret, tolleretur sequestratio fructuum, & vterque perciperet medietatem fructuum collectorum, & hoc firmum maneret, licèt Romæ negotium non expediretur, & lis esset prosequenda; dicendum est enim esse simoniam; quia ius ad illos fructus est spirituale, & circa illud inierunt pactum absque Papæ consensu. Item, quia ob hoc etiam pactum alter renunciauit iuri ad beneficium, nec huius pacti est facta mentio Papæ: immò initum est pactum, vt etiam Papa non præstante consensum contractui, sic fieret.

6 Tertiò infertur, quid dicendum sit in hoc casu: Petrus & Paulus habebant ius in quodam beneficio, & ambo habebant literas Apostolicas de prouisione illius. Petrus petiit à quodam patrono, vt præsentaret Paulum ad aliud beneficium, quod Episcopus ei conferret, hac lege, vt renunciaret iuri, quod habebat ad aliud beneficium, dicendũ enim est, quòd si fiat authoritate Episcopi, explicando ei pactũ, est licitũ, quia est quasi permutatio vnius spiritualis pro alio, & modò Petrus per Bullas, quas habet, possit iustè retinere beneficium illud, aut, quando Episcopus potest illud ei conferre; quia, si non haberet ius sufficiens per Bullas ad retinendum tale beneficium, nec Episcopus posset ei conferre; quia non pertinet ad eum collatio illius, non posset Episcopus facere talem permutationem: non enim potest Bullas expeditas in fauorem Pauli transferre in fauorem Petri; bene tamen posset dare beneficium Paulo, vt simpliciter renunciaret iuri suo, & postea Petrus sibi prouideat de securitate benef.

7 Tandem potest quidam patronus cedere in alterum ius, quod habet præsentandi ea conditione, vt alter præbeat suum consensum ad certam vxionem: sed, si id fieret sine authoritate ordinarij, est simonia.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De simonia confidentiali.*

DVBIVM XXXIV.

*Quid sit simonia confidentialis, id est, in quibus casibus contrahatur.*

1 HOc dubium locum præcipuum habet post duos motus proprios Pij IV. & Pij V. quorum tenorem refert Nauar. *in Manuali, c. 23. n.* 10. Quaranta *in summa bullarum, verb. simonia*; cùm enim hæc simonia sit de solo iure Ecclesiastico; (non enim datur temporale pro spirituali, sed datur beneficium vel cum reseruatione fructuum, vel cum pacto, vt restituatur,) maximè pendet ex intelligentia iuris Ecclesiastici, & præcipuè horum duorum motuum propriorum, in quibus magis explicatur hæc simonia, & grauissimis plectitur pœnis.

2 Primò ergo dico, quòd, licet quidam dicant, per hos motus proprios damnari, vt simoniacam etiam confidentiam, quæ iuri antiquo non erat talis, vt, quando quis resignat beneficium, confidens, quòd alter erat ipsi, vel alteri restituturus idem beneficiū, absque tamen vllo pacto tacito, vel expresso; at multò verius est, tantùm damnari, vt simoniacam confidentiam, quæ ante illos motus proprios erat talis, attento iure communi, scilicet vbi intercedebat pactum tacitum, vel expressum in confidentia.

3 Hinc inferrur, non esse simoniacum, nec illicitum renunciare beneficium in fauorem alicuius, vel prælatum illud dare alicui, vel patronum ad illud præsentare, &c. ea intentione, & spe, quòd illud beneficium aliquando cedat in fauorem alterius à se nominandi, vel ipsius conferentis, vel resignantis, vel, quòd recipiens dabit partem fructuum ipsi conferenti, resignanti, vel eius consanguineo, &c. dummodò nulla conditio, vel pactum tacitum, vel expressum adiiciatur. Nec obtinens hoc modo in confidentiam tenetur aliquid alteri dare, sed tantùm ex mera gratitudine potest dare.

4 Immò licèt intentio sic conferentis, vel resignantis beneficium, & recipientis esset corrupta, quia scilicet vel alter, vel vterque intenderet, vt alter teneretur ex obligatione ciuili ad iterum resignandum beneficium in fauorem conferentis, vel resignantis, vel ad dandum aliquid ex fructibus, &c. si hæc intentio solùm mansit in mente, & non interuenit pactum tacitum, vel expressum externum de hoc, erit simonia confidentialis, mentalis tamen: & sic nullis simoniæ pœnis subiacebit.

5 Hinc secundò infertur intellectus Trid. *sess. 25 de reformat. c. 15. fine*, vbi statuitur, vt resignationes reciprocæ beneficiorum in fauorem filiorum clericorum non valeant, vt si Petrus Clericus resignet beneficium suum in fauorem Pauli filij cuiusdam Clerici, similiter beneficiarij, & hic Clericus resignet postea proprium beneficium, quod antea habebat in fauorem filij dicti Petri: id enim intelligitur, quando est pactum tacitum, vel expressum; secus quando pactum non intercedit, sed sola confidentia ex gratitudine. Sic latiùs probans Nauar. *lib. 1. consil. tit. de renunciat. consil. 5* Manuel 2 *tomo summæ c. 56. n. 9.*

6 Secundò dico, quòd, etiamsi intercedat promissio gratitudinis iure naturæ debitæ, verbis, vel scriptis generalibus expressa, sine vllo augmento, quo obligatio antidotalis transeat in ciuilem, nulla est simonia; vt qui offerret gratiam his verbis: *Non ero tibi ingratus*; vel his: *Ero tibi adeò gratus, ac virtutis studiosus debet esse beneficienti iure naturali, non me tamen obligando ad plus quam illud me obligat*; vel si generalibus, & vrbanis verbis dicat se futurum gratum, inseruiturum illi, commendaturum in suis orationibus. Ratio, quia expressio eius, quod tacitè inest, eo tantùm modo quo inest, nil operatur, nec facit illicitam rem alioquin licitam, vt patet ex textu, & glossa *cap. significasti, de elect. & cap. ad audientiam, el. 2.* vbi glossa, & Felin. *de rescript. & l. 3 ff. de legat. 1.* vbi post alios Iason; at tacitè, & naturaliter intelligitur beneficiarius obligatus ad antidota, & ad referendam gratiam iure naturali gratitudinis, *c. cùm in officis, de testament.* & tradit D. Thom. post Senecam ab omnibus receptus 2. 2. *q. 106, art. 6.* Nau. *Extrauag. de datis, & promissis pro iust. vel gratia, n. 18. 19. & lib. 5. consil. in nouis, tit. de simonia, consil. 81.* etiamsi cum iactatoriis verbis generalibus admisceantur aliqua specialia, vt si dicat se cum omnibus, quæ habet, & beneficium, quod datur paratum esse eius obsequio, licet contrarium glossa *Extrauag. 1. de sentent. excomm.* & cum illa tenet Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 91. pag. 548.* cum hac limitatione, quando illa promissio mouere potuit iudicem, aut gratiæ collatorem, maximè si hic expertus sit licitum solitum esse verba opere implere.

7 Tertiò dico, quòd promissio simplex conferendi beneficium, vel restituendi alicui beneficium (intellige post collatum illi beneficium facta) nihilo alio addita, non est confidentia illicita. Ratio, quia iure antiquo erat licita, *c. accedens, de conces. præb.* & licèt postea sit reprobata *c. 2. de conces. præb. in 6.* id non est, eo, quòd sit simoniaca; sed ne detur ansa captandi mortem. Sic Nauar. summa Lat. *cap. 23, n. 110. fine.*

8 Quartò dico, quòd confidentia simoniaca damnata in dictis motibus propriis, incurritur in his casibus.

Primò resignare beneficium cum pacto tacito, vel expresso, vt resignatarius resignet illud beneficium aliquando in fauorem ipsius resignantis, vel alterius, est simonia confidentialis damnata in illo motu proprio Pij V. vt si resignet beneficium, eo quòd est irregularis, vel aliter impeditus, vel propter litem sibi motam, quia alter in quem resignat, est potentior ad vincendam litem, vt obtenta dispensatione, vel victoria litis, postea sibi restituatur idem beneficium. Sic habetur casus hic expresse in eo motu proprio; & docent Nauar. *lib. 6. consil. tit. 3. de simon. cons. 48. fine, & consil. 76. num. 6.* Salzedo *super pract. Bernard. Diaz. cap. 91.* cuius titulus est *simoniaci, sub finem.* Manuel 2 *tom. summæ cap. 56. num. 7.*

9 Similiter est simonia confidentialis ibi damnata, si habens potestatem præsentandi, vel conferendi beneficium, præsentet, vel conferat eo pacto tacito vel expresso, vt ad mandatum alicuius sit recipiens beneficium illud dimissurus, vt alteri conferatur: vel si eo pacto conferat, vel præsentet, vt sibi, vel aliis de fructibus aliquid conferatur, vel pensio soluatur sine legitima Papæ licentia. Patet, quia expresse in motu proprio Pij V. damnatur hic casus vt confidentia simoniaca. Sic Manuel *eodem n. 7.* Salzedo *ibidem.*

10 Similiter est simonia confidentialis ibi damnata resignare beneficium cum pacto, vt resignatarius det aliquos fructus beneficij illius alicui alij ab ipso resignante. Patet, quia expresse dicitur *in d. motu proprio.* Sic Nauar. *d. consil. 47. fine, & d. consil. 76. num. 6.*

11 At dubium est, an resignare cum pacto, vt resignatarius det aliquos fructus beneficij ipsi resignanti, sit simonia confidentialis damnata à Pio V. quidam enim id affirmant, & potest probari.

Primò, quia ex procœmio dispositionis colligitur causa finalis & intentio disponentis, *l. finali ff. de hæred. instit.* & docent Nauar. summa Lat. *cap. 23. n. 109 § quod autem, & e si quando, de rescript. except. 8. n. 1. 8. 9.* Ludou. Gomez *regula de annali posses. q. 1* Mandosius *regula 9. Cancel. q. 5. n. 3* Gutier. *lib. 1. pract. q. 89. num. 5. 6.* At Pius V. *in procœmio dicti motus proprij*, significans mala, quæ ex simonia confidentiali, quam *ibi* ponit, sequuntur, dicit hæc. *Beneficia in alios deponuntur, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt: alij, vt beneficia infantibus, aut aliis nascituris asserunt, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reseruatione fructuum: alij aliis beneficia dari procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur fructus etiam percipientes illorum.* Ecce quoties repetit, quando eidem fructus reseruantur.

Secundò, quia in fine motus proprij inter coniecturas, quibus simoniaca confidentia probatur, ponit hanc Pius V. quando resignans post factam resignationem, & acceptam ab alio beneficij possessionem, adhuc percipit fructus. Item quia si resignare cum pacto, vt det alij fructus, est simonia confidentialis; ergo & cum pacto dandi eidem resignanti fructus, eadem enim videtur ratio. Sic tenet Corduba *summa q. 32.* Manuel *dicto cap. 56. num. 7.* Salzedo *dict. c. 91. sub finem.* Nauar. *lib. 5. cons. tit. de simon. in nouis, consil. 75. n. 1.* Mascardus *de probat. tomo 3. conclus. 1307. a num. 3. ad 8.* Maiol. *de irregul. lib. 5. cap. 45. n. 5.*

12 At verius est, non esse simoniam confidentialem damnatam in dicto motu proprio. Probatur, quia motus proprius explicans quando censeatur simonia confidentialis, dicit hæc: *Si quis ex resignatione, vel cessione beneficij simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis receperit beneficium, vt eidem dimittenti, vel alteri conferatur postea: aut eius fructus, vel eorum pars alij, vel aliis concedantur, vel pensiones soluantur ex eisdem, simonia confidentialis censeatur.* Ecce quomodo quando resignatur beneficium cum pacto, vt postea restituatur, dicit motus proprius, *eidem dimittenti, vel alij*; at quando loquitur de pacto restituendi fructus, nō dicit, *eidem, vel alij, sed alij vel alius.* Itē quia statim immediatè tractans motus proprius, quando habens potestatem cōferendi, vel præsentandi, cōfert, vel præsentat cum pacto restituendi fructus, dicit: *Ad vtilitatem conferentis, vel cedentis, vel alterius, vel pensionem illi, vel illis, vel alij, quem patronus, collator, vel cedens signauerit, persoluat.* Ecce quomodo dicit esse simoniam confidentialem, quando collator, vel patronus paciscitur, vt sibi, vel resignanti, vel alij detur aliquid ex fructibus: at quando resignans apponit pactum, tantùm dicitur, *vt restituantur fructus alij, vel aliis* Ergo, si resignans apponit pactum, vt sibi restituantur fructus, non erit simonia confidentialis ibi damnata. Nec obstat (inquit Nauarr. *vbi infrà consil. 76. num. 6.*) quòd si datio fructuum beneficij alij, vel aliis arguit confidentiam, à fortiori arguit confidentiam datio fructuum eidem: tum quia satis est, quòd ille motus proprius non iudicat hoc esse confidentiam, & non est ampliandus, vt pœnalis, & odiosus: tum etiam quia dare, vel promittere eidem fructus simoniam arguit, sed non confidentiam: sicut dare, vel promittere alij, vel aliis, quia hoc arguit, quòd resignans confidit resignatario, & conuenit cum eo, vt daret illis. Hæc Nauarr. Non obstant etiam verba posita in procœmio, quia nunquam dicit argui confidentiam ex sola reseruatione fructuum, sed simul dicit, *Beneficia apud alios deponunt, vel meunt pactum, vt de illis possint postea disponere*, quod Manifesta est simonia confidentialis, vt nos etiam diximus. Et *in fine*, vbi ponit proprius motus coniecturas, non dicit esse simoniam confidentialem, eo quòd resignans percipiat postea fructus, sed esse coniecturam: inde enim coniecturari potest non purè datum esse beneficium, sed in depositum, & confidentiam. Hanc sententiam tenet Nauarr. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon consil. 48. fine, & consil. 76. num. 6. & in nouis, consil. 33. & 76. num. 6.* Pro eadem sententia faciunt Navarra *lib. 2. de restit. c. 2. n. 436* & Aragon 2. 2. *quæst. 100. art. 6. sub finem*, vbi dicunt, resignantes beneficium reseruando sibi pensionem absque Papæ licentia non incurrere excommunicationem, nec teneri alterum dimittere beneficium: quod omnino falsum esset, si hæc esset simonia confidentialis.

13 Tandem nota pœnas, quibus afficitur simonia confidentialis in illis propriis motibus.

Prima est, quòd excommunicatur ipso facto, & reseruatur Papæ absolutio talis simoniaci.

Secunda est, quòd talis simoniacus, licèt non omnino completa sit simonia, quia nondum impleuit, quod promisit, statim ac recipit beneficium in confidentiam, incurrit dictam excommunicationem, & collatio beneficij ei facta est nulla; & tenetur restituere omnes fructus, & tale beneficium est reseruatum Sedis Apostolicæ collationi; & quid si est laici patroni, *infrà dub. 54.* & similiter fructus beneficiorum talium collatorum per confidentiam reseruantur Cameræ Papæ, & similiter fructus pensionum confidentiariis constitutarum. Vnde hæc simonia excedit alias in his tribus: nam in aliis; simoniis, si non sunt completæ ex vtraque parte, nec incurruntur pœnæ, nec inducitur restituendi obligatio. Item non auferrur Episcopis potestas conferendi beneficia simoniacè recepta, nec fructus sunt restituendi Cameræ Apostolicæ, vt *infrà* dicemus.

Tertia pœna est, quòd, qui ante illum motum propriū Pij Quinti acceperunt beneficia per simoniam confidentialem, & statim habita notitia illius non dimiserunt ea beneficia, & pensiones per eam obtentas; vel qui post dictum motum proprium acceperint aliquas pensiones, vel beneficia in confidentiam, priuantur beneficiis omnibus, etiamsi iustè illa obtinebant, & hoc ipso iure, & fiunt inhabiles ad illa, vel alia obtinenda. Hæc tamen pœna est ferenda, & sic indiget sententia iudicis saltem declaratoria. Enriquez *lib. 13. de excommun. c. 37. n. 5. & lateā C.* & hæc etiam beneficia, quibus hi simoniaci priuantur ipso iure, reseruantur collationi Sedis Apostolicæ.

Quarta pœna est, quòd non tantùm collationes per huiusmodi confidentiam factæ sunt nullæ, sed etiam omnes accessus, regressus, pensiones, & alia quæcunque, etiam authoritate Apostolica reseruata confidentiariis huiusmodi in cessionibus, vel retrocessionibus, quibus postea illa admittūr. An verò valeat renunciatio simoniaca confidentialis, & renuncians id perdat, dicemus *infrà dub. 118.*

Quinta pœna est quòd testes singulares sufficiunt, & criminosi ad probandam simoniam hanc confidentialem. Quod quantum ad testes singulares peculiare est huic simoniæ; quoad criminosos verò commune est omni simoniæ *cap. per tuas, de simon.* Sic Nauarr summa Lat. *cap. 23 n. 110. not ab. 9* & *ibi not ab 8.* bene notat, quòd vnaquæque illarum coniecturarū non sat est ad probandum plenè esse simoniam confidentialem: sed arbitrio iudicis relinquitur.

Sexta pœna est posita in motu proprio Pij Quarti, cuius pœnas iterum confirmat Pius Quintus in suo motu proprio; vt Cardinales & alij Prælati, qui committunt hanc simoniam confidentialem, sint interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & si ingrediuntur, irregulares. Sic Manuel 2. *tomo summæ, cap. 56. num. 7.*

14 Aduerte tamen, quòd, vt incurrantur pœnæ simoniæ, siue confidentialis, siue cuiuscunque simoniæ, non est opus, vt renunciatio valeat; quia semper quando res spiritualis venditur, non valet, & tamen incurruntur pœnæ: sed sat est, quòd valeret, si non obstaret simonia; secus si est actus, qui non valuisset, etiamsi nulla simonia intercederet, vt si quis resignat beneficium sine authoritate superioris; qui potest renunciationem admittere in confidentiam, non incurrit pœnas; quia ea renunciatio est nulla, licèt simonia non obstaret. Hæc doctrina est Nauarri, licèt ipse non adhibeat hoc exemplum, *lib. 5 cons. tit. 3. de simon. cons. 48. & in nouis, consil. 33. n. 2.*

*De simonia in resignatione simplici beneficiorum*

DVBIVM XXXV.

*An resignare beneficium in fauorem alterius cum reseruatione pensionis sit simonia.*

1 PRimò dico, quòd si fiat sine licentia Papæ, est simonia de iure Ecclesiastico tantùm; si verò fiat cum licentia Papæ, est licitum, quia pensio, quæ assignatur resignanti, non impedit, quin resignatio sit gratuita: illa enim pensio non est pretium resignationis, sed onus beneficij: sicut cùm instituitur beneficium cum onere legendi Theologiam, illa institutio est gratuita, & illa conditio non censetur pretium beneficij, sed onus

2 Hinc fit esse licitum accipere pensionem non solùm ex beneficio, quod quis resignauit, sed etiam ex alio, quod possidet alter, in cuius fauorem resignauit.

3 Secun

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Secundò dico, quòd resignare beneficium in fauorem alterius ob pecuniam, non sub nomine pensionis, est simonia iure diuino.

## DVBIVM XXXVI.

*An cùm renunciat quis beneficium non per viam permutationis sed per viam simplicis resignationis, possit illud resignare in fauorem tertij, id est, cum conditione, vt conferatur tali designatæ personæ, & non alias.*

1 NOta, quòd resignatio hæc in fauorem tertij, vel potest fieri in manibus Pontificis, vel in manibus inferiorum Prælatorum, & in vtroque casu disputandum est, an sit licita.

2 Primò ergo, si fiat in manibus Papæ, licèt Spino *speculo testam. glossa 3. n. 26.* dicat non esse licitam, nisi renuncians statim se remittat ad beneplacitum Papæ, vt det cui velit; at tanquam certum tenendum est posse fieri in manibus Papæ in fauorem tertij, addendo etiam clausulam, & conditionem, quòd illi conferatur, & aliter non resignat. Patet primò ex vsu à multis sæculis seruato. Item, quia hîc nulla potest interuenire simonia de iure diuino, cùm nil temporale detur pro spirituali; sed, si aliqua posset interuenire, esset de iure Ecclesiastico, quia apponitur pactum in beneficij renunciatione: at Papa potest dispensare in iure Ecclesiastico. Hoc tenet Cassiodorus *de renunciat. decis. vltima, & de simonia, decis. 2.* Nauar. Couar. Mandosius, Rebuff. & cæteri citandi, & optimè Felin. *c. ad audientiam, el 2. de rescript. n. 3.*

3 Nota primò, quòd adeò diuersa sunt renunciare simpliciter, & renunciare in fauorem tertiæ personæ, vt si priuilegium conferatur alicui conferendi beneficia in curia vacantia per resignationem non possit conferre vacantia per resignationem, in fauorem certæ personæ. Sic decisum fuit in Rota, vt refert, ac sequitur Mandosius *de resignat. gratiæ, tit. resignationes vers. nec Papa.*

4 Secundò nota, quòd est tantæ potentiæ illa clausula, *Resigno in fauorem tertij, & non aliter*; quando fit in manibus Papæ, vt Papa non possit ex potestate ordinaria alteri, quàm nominato, conferre. Sic Cassiodorus *decis. 2. de simonia n. 6.* Mandosius *supra vers. Item clausula*; vbi alios adducit ad hoc probandum. Quod adeò verum putat Rebuff. *praxi benef. tit. de resignat. condition. n. 3. & 16.* referens Iasonem, vt si Papa conferat alteri, quàm nominato, collatio non teneat; quia est contra mandatum facta, & est auferre ius vnius, & dare alteri: potest tamen (inquit) Papa resignationem illam non admittere.

5 Tertiò nota, quòd in hac resignatione, vt omnino valeat, obseruandum est requiri, vt admittatur ab illo, in cuius fauorem fit, alioquin resignans semper ante admissionem retinebit beneficium, *cap. inter de prabend.* quia non intelligitur dimissum, quod nondum ablatum est. Et similiter, vt admittatur resignatio à Papa, & quòd mittatur prouisus in possessionem vi huius prouisionis, si in possessione non erat; & quòd prouisio fiat illi, in cuius fauorem fit, antequam reuocatio procuratoris veniat ad notitiam procuratoris, vel collatoris, *Clement. vnica de renunc.* Sic Rebuff. *ibi n. 15. 17. 18. 19.*

6 Quartò nota, quòd, vt resignatio hæc valeat, quando fit per procuratorem, oportet, quòd procurator non excedat fines mandati. Hinc

7 Infertur primò, quòd si resignans retinuerit sibi possessionē, & hoc nō petierit procurator, nec à Papa, nec à Legato conces ū fuerit, nō valet resignatio, nec prouisio, per *c. cum dilecta, de rescript.* quia forma mandati non fuit seruata: & hoc etiamsi resignans obierit, & non prosequatur; quia cùm resignatio nulla sit, ita prouisio facta ratione illius nulla est. Vnde beneficium vacabit per mortem, & non per resignationem: quare resignatarius, vel alius impetrare illud potest per mortem vacans. Secùs si non steterit per procuratorem, sed fortè Papa noluit admittere pensionem petitam, cùm ipse plenariam potestatem habeat in beneficiis, vt si quis resignet beneficium, retentis sibi omnibus fructibus pro pensione; & si dicat non aliter resignare, si Papa recipiat resignationem, retentā solùm dimidiâ parte, valebit resignatio, dummodo procurator resignauerit eo modo, quo habuit mandatum; quia Pontifex non adstringitur pactis partium, sed sub beneplacito eius fiunt. Sic Rebuff. *supra*, alios referens *n. 24. 25. 26. 27.* vnde dicit *n. 21.* quòd cùm hæ conditiones sint turpes, & contra ius, potest Papa illas abiicere.

8 Secundò infertur, quòd si procurator constitutus ad resignandum in fauorem Petri, & non aliter, resignaret simpliciter, & beneficium fuerit dicto Petro collatum, valebit resignatio, & prouisio; quia procurator per æquipollens secutus est mandatum, & sic ab eo gesta valebunt. Sic Rebuff. *ibi n. 23 28. 29.* vbi alios refert.

9 Tertiò infertur, quòd si quis constituerit procuratorem ad resignandum simpliciter, si procurator resignet in fauorem alicuius, non valebit prouisio; quia excessit fines mandati. Sic Rebuff. *ibi n. 32.* vbi similiter dicit, quòd si datus est procurator ad resignandum causa permutationis, non valet resignatio, nisi resignatarius aliud beneficium resignanti assignaret, etiamsi procuratori assignatum fuerit beneficium; quia permutatio debet fieri in commodum resignantis, non procuratoris.

10 Tota ergo difficultas est, an possit fieri resignatio in fauorem tertij, id est, adiiciendo, quòd non aliter resignat, nisi conferatur illi in manibus Prælatorum inferiorum Papa. Quod dubium potest tractari & stando in iure communi antiquo, & stando in motu proprio Pij V.

11 Primò ergo stando in iure communi antiquo, duplex est sententia.

Prima ait, esse simoniam de iure Ecclesiastico; quia apponitur pactum in renunciatione beneficij: quòd semper est prohibitum iure Ecclesiastico circa res spirituales vt latè *supra dub. 25* Sic tenent glossa *cap. ex parte, el 1. de offic. delegat.* & *ibi* Panorm. *n. 4.* Anton. *num. 10.* Anchar. *ibi fine, & n. 2. in prima oppos it.* Felin. *cap. ad audientiam, el 2. de rescript. num 3. ante vers. Quod autem.* Nauar. summa Lat. *cap. 23. num. 107. vers. ad decimum,* & Hispan. *cap. 25. num. 116. & lib. 5. consil. tit. 3. de simonia, cons. 53. fine.* Nicolaus Milis *verbo renunciatio beneficij simoniacè facta.* Guillelmus, & Goffredus, vt refert, & sequitur D. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 5. §. 11.* Innocent. *c. tua nos, in fine, de simonia,* Hostiens. *cap. finali, de simonia.* Immola *Clement. 1. de rerum permutat. n. 7.* Ludouic. Gomez *regula de triennali, quæst. 16. vers. Postremò pro ista parte.* Aimon *consil. 122.* Spino *speculo testament. glossa 3. num. 27.* Capua *lib. 2. decis. cap. 96. num. 71.* Ludou. Lop. *1. part. instruct. noui, cap. 303. fol. 938. pag. 1.* Manuel *2. tomo summæ, cap. 56. num. 8. & cap. 60. num. 1.* Rebuff. *praxi benef. tit. de resignat. condition. num. 4. & tit. de pura resignat. in principio,* vbi addit idem esse, licèt non adderet, *non aliter*; sed simpliciter diceret, *Resigno* in fauorem Petri, & *tract. de pacific. possessor. num. 200.* Syluest. *beneficium 3. quæst. 5. & verbo renunciatio, quæst. 6. dicto 2.* Armil. *ibi num. 3.* & *ibi* Tabiena *quæst. 3.* Rosel. *ibi num. 2.*

12 Fatentur tamen hi Doctores, quòd si liberè resignet, nullam imponens necessitatem ordinario, licèt animo habeat, vt conferatur certæ personæ, & aliàs non renunciaret, non est simonia, etiam mentalis; quia nullum est hîc pactum tacitum, nec expressum. Sic Nauarr. summa Hispana *dicto cap. 25. num. 116.* Latina *cap. 23. n. 107. vers. 2.* Felin. Panorm. Anton. Innocent. D. Anton. Aneb. Hostiens. Manuel, Syluest Armill. Tabien. Rosell. Ludou. Lopez *supra*, Rebuff. *de pacific. possessor. n. 200. & praxi benef. tit. de resignat. pura.* Cassiodorus *decis. 2. de simon.* Immò Rebuff. Cassiodorus, & Nauarr. dicunt hoc esse verum, licèt facta renunciatione liberè proponeret ordinario, cui vellet conferri beneficium; quia etiam hîc nulla imponitur necessitas, nullum est pactum.

13 Nota quòd aliqui Doctores huius sententiæ aiunt, resignationem dictam in fauorem tertij in manibus ordinarij



ordinarij esse nullam, & collationem ratione illius factam. Sic Panorm. & Felin. *proximè citati.* Vnde dicit Felin. posse impetrari beneficium illud tanquam vacans. Rebuff. *praxi benefic. tit. de resignat. condit. num. 7. 8. 9. 10. 11.* dicit tale beneficium non vacare, nec posse Legatum, vel ordinarium conditionem reiicere, & admittere resignationem, & dare cui velit; & latè probat, quia quando fit aliquis actus cum aliqua qualitate, & adiectione, non potest recipi pars illius actus.

14 Secunda sententia tenet, quòd, licèt expediat, vt Prælatus non admittat renunciationes beneficij in fauorem tertij, at eæ licitæ sunt, & nullam continent simoniam. Ratio, quia cùm simonia sit emptio, vel venditio, oportet ad rationem simoniæ, vt peccatum tale intercedat, per quod renuncianti aliquid detur temporale, vel spirituale, quod hic non contingit, sed tantùm resignans vult resignare beneficium, si Prælatus voluerit conferre huic, & aliàs non. Sic tenent Duarenus *de sacris ministeriis, lib. 2. cap. 2.* Aragon. *2. 2. quæst. 100. artic. 4 fol. 1122. pag. 2. concluſ. 2.* Sotus *lib. 9. de iustitia, quæst. 7. artic. 2. concluſ. 1.* Couarr. *lib. 1. variar. cap. 5. num. 1.* & docti iuniores.

15 Addunt aliqui Doctores huius sententiæ, quòd potest Prælatus admittere talem resignationem simpliciter, & reiicere conditionem; & dare beneficium, cui velit, scilicet vel ei, in cuius fauorem facta est, vel alteri; quia ea conditionalis renunciatio in hunc sensum prohibetur, vt ex ea Prælatus non teneatur præcisè beneficium conferre ei, cuius fauore adiecta fuerit conditio. Quod inde probatur, quia iure veteri ante decisionem textus *Clement. vnica, de rerum permutat.* Prælatus, apud quem renunciabatur ex causa permutationis, liberè poterat ex iuris rigore conferre illi, in cuius fauorem renunciabatur, vel alij: quod dicit Couarr. esse certum; & colligitur ex *Clem. illa,* dicit enim, *Volumus vt quando renunciatur causa permutationis, nulli alij possit conferri, nisi ei, in cuius fauorem renunciatum est*; vbi glossa *vers. volumus,* notat dicit, *volumus,* quasi ius nouum statuendo: cùm ergo fit speciale in renunciatione causa permutationis, vt non possit alij conferri: secus erit dicendum in renunciatione simplici in fauorem alterius facta. Sic tenet Couarr. *dicto n. 5.* Stadhilæus *de literis gratiæ, fol. 66. & sequentibus.* Boërius *in tract. de dignitate legati. quæst. 2.*

16 Sit conclusio. Hæc secunda sententia est probabilior, licèt prima sit etiam satis probabilis. Addit tamen Couarr. *eo num. 5.* quòd quamuis collatio facta alteri non sit nulla ipso iure, nec possit iuris rigore improbari, at ab ipso Summo Pontifice, eiusque supremis iudicibus forsan ex æquitate rescinderur ad effectum, vt vel id beneficium restituatur renuncianti, vel conferatur ei, pro quo renunciatio facta fuerit.

17 Nota, quòd quando quis non habens verum titulum beneficij resignat in fauorem tertij, collatio facta illi virtute huius resignationis est nulla, quia cùm non haberet titulum, debebat resignare simpliciter, non tanquam dominus beneficij, nec in fauorem tertij, sed tanquam si vacaret simpliciter beneficium. Sic aliqui iuniores. Alij tamen dicunt hoc non carere difficultate, cum talis collatio liberè possit fieri à Prælato, cui voluerit; licèt probabile sit, quando vsus esset dare semper beneficium tale nominato per renunciantem.

18 Maius autem dubium est post motum proprium Pij Quinti, an resignationes factæ coram ordinario in fauorem tertij validæ sint. Mandosius *de signat. gratiæ, verbo resignationes, §. conceditur etiam*, quòd nullo modo potest fieri hodie resignatio qualiscunque beneficiorum, nisi in manibus Papæ, propter motum proprium Pij Quinti editum *anno* 1567. sexto Idus Augusti, anno 2. sui Pontificatus, quod incipit, *Officium*; sed in illo motu proprio non in perpetuum id prohibuit Pius Quintus, sed donec per nos resignandi modus in manibus ordinarij præscriptus fuerit; & sic anno sequenti 1568. Kalendis Aprilis addidit alium motum proprium incipientem, *Quantæ Ecclesiæ*; vbi præscripsit formam, & modum, quo possent prælati admittere renunciationes, & dicit primò Pius Quintus in illo motu proprio, quòd vult cauere, ne resignationes dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisque, vel leuibus causis passim, & temerè admittantur: & sic addit, quòd prohibitionem, & reliqua contenta in priori motu proprio eatenus relaxat, vt posthac tantùm possint Episcopi, & alij facultatem habentes eorum tantùm resignationem recipere, qui aut senio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, censuriisque irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inseruire, seu qui vnum aliud, aut plura beneficia obtinuerunt, vel quos ad aliud contigerit promoueri, religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur: & denique cùm quis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione Innocentij Tertij de dimittendis cathedralibus Ecclesiis edita continentur: qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij residere secuti. Secundò dicit in eo motu proprio, quòd nullus dictorum, si sacro ordini sit mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat vllo modo beneficium, vel officium resignare Ecclesiasticum, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commodè sustentari. Tertiò dicit sic: *Caueant Episcopi, & alij prædicti, & omnes electores, & præsentatores, & patroni tam laici, quam clerici, ne verbo, aut nutu, vel signo futuri in his beneficiis, aut officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat.* Quartò præcipit ne Episcopi, aut alij collatores de beneficiis & officiis prædictis resignatis, suis autem dimittendum consanguineis, affinibus vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatatum in extraneos collationum, audeant prouidere. Quòd si secus, ac quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum (inquit) decernimus vires non habere: & qui contrà fecerint, à beneficiorum, & officiorum collatione, electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, provt cuicunque competierit, suspensi maneant; & reseruat sibi suspensionis absolutionem: & qui talia beneficia, vel officia susceperint, easdem pœnas incurrant: & si sic suspensi conferre, eligere, præsentare confirmare, vel instituere ausi fuerint, si fuerint personæ, excommunicationem Papæ reseruatam, si verò Capitula, vel Conuentus, suspensionem à diuinis Papæ reseruatam incurrant. Tandem dicit, quòd suus prior motus proprius in reliquis omnibus perpetuò valeat.

19 Circa quem motum proprium quæri potest, an sit receptus: nam multi viri docti valdè dubitant. Et Nau. Manuel, Ludouic. Lopez, qui citati sunt pro prima sententia, illius non meminerunt, cùm adeò faueat suæ sententiæ: nec Aragon citatus pro secunda sententia illius meminit; quod est signum, quòd non fuit receptus, & ita ego suspicor. Sed casu, quo sit receptus, sunt aliqua dubia circa illum.

20 Primò ergo circa hunc motum proprium dubitatur, an, esto stando in iure antiquo, renunciatio facta in manibus ordinarij in fauorem alicuius designati, licita, & valida esset, & posset Prælatus illi conferre beneficium resignatum, hoc habeat verum stante hoc motu proprio; videtur enim valere, quia hic motus proprius nil noui statuit, sed solùm est quædam admonitio iuris communis, scilicet quòd resignationes fiant liberè, & quòd non nominentur successores, ibi, *caueant autem*; non tamen ait, quòd si nominentur, sit simonia: nec prohibet quin eis possit conferre beneficium. Et quod *infrà* subdit, *Quidquid contra formam prædictorum attentatum fuerit, id totum vires, & effectum decernimus non habere*, non est contra dicta, quia ibi non prohibuerat beneficium conferri

Universidad de Deusto Biblioteca

ferri nominato à resignante ; sed ne conferretur consanguineo eius, vel Episcopi, vel affini, aut familiari illius, & ita hoc non irritat : sed prohibuerat vt resignans successorem nominaret ; & ita nominatio fuit nulla, nec tenebatur Episcopus illi conferre ; at si conferat, tenebit collatio. Et patet ex iis, quæ *infrà* dicit, quòd sic suscipiens beneficium sit ab illo suspensus, at si collatio esset nulla, non esset opus id dicere ; suspensio enim à beneficio, est à fructibus illius, & supponit beneficium esse illius.

21 At dicendum est, quòd talis renunciatio facta in manibus ordinarij nominando successorem, iuxta hunc motum proprium, est nulla, & similiter ex consequenti prouisio beneficij facta virtute illius renunciationis. Probatur.

Primò, quia inter causas principales, quas in primo motu proprio posuit Pontifex ad irritandas omnes resignationes, quæ fierent in manibus inferiorum Prælatorum, donec ipse Pontifex præscriberet modum, & formam; vna est : quia (inquit) ordinarij ita se fiducialiter habent cum iis, qui in eorum manibus resignant, vt non nisi illis, quos ipsi nominauerint, vel pro quibus intercesserint, ea conferant. Et in secundo motu proprio ait, *caueant autem ne verbo, vel nutu permittant designari successores*; & ita apertè videtur hoc esse, quod præcipuè intendit prohibere, & annullare.

Secundò, quia in secundo motu proprio statuit, vt prior in suo robore permaneat in cæteris omnibus, in quibus in secundo motu proprio non cassatur : tunc sic, per priorem motum proprium Prælati Papæ inferiores nullas poterant admittere resignationes, & si admitterent, non valebant ; qui motus proprius adhuc vim habet, nisi in casibus, in quibus permittetur in secundo motu proprio dimittere ; & in secundo non permittitur has admittere, imò dicitur, vt caueant maximè hoc fieri; ergo, licèt secundus motus proprius non expresè irritaret hanc admissionem renunciationis, maneret irrita per primum. Item quia in hoc secundo motu proprio dicitur, quidquid contra, vel præter formam prædictorum attentatum fuerit, sit irritum, & talis renunciatio in manibus Prælati nominando successorem non solùm est præter modum præscriptum à Pontifice, sed etiam contra illum, siquidem præcipit Episcopis, & patronis, ne permittant successorem nominari ; at conferendo beneficium successori nominato, eo ipso consentiunt eius nominationi: atque adeò totum est irritum, quia si solùm præciperet resignantibus, ne successorem nominarent, & non præciperet Prælatis, ne tali nominationi consentirent, fortè locum haberet solutio contrariæ sententiæ, scilicet, quòd solùm irritat nominationem successoris factam à resignante. Cæterùm, cùm etiam prohibeat Prælatis, ne talem nominationem admittant, si illam admittunt, faciunt contra modum præscriptum à Pontifice : atque adeò quidquid faciunt, est irritum. Item quia iste secundus motus proprius per illud verbum, *quidquid*, &c. irritat omnes resignationes, quæ fiunt contra, vel præter modum in ipso traditum ; at modus traditus est, ne nominetur successor ; ergo nominando resignatio est nulla, & per consequens prouisio ratione ipsius. Item, quia imponit pœnas patronis, scilicet suspensionem à præsentatione, si contra ibi statuta fecerint, & tamen ibi ipsis nil interdicitur, nisi admittere nominationem successoris : ergo talis admissio est contra ibi statuta ; & per consequens nulla, siquidem ille motus proprius irritat omnia contra illum gesta. Nec obstat id, quod dicit, quòd si recipientes sint suspensi à beneficiis ; quia potest dici, quòd intelligitur ab aliis beneficiis, si illa habent, & à collatione, præsentatione, & electione, si illis competit, & ita tenent docti iuniores.

22 Nota quòd quando beneficium resignatur, vt vniatur monasterio, vel alij loco religioso, potest designari à resignante locus ille religiosus. Nec de hoc casu loquitur motus proprius. Sic docti iuniores.

23 Secundò dubitatur circa eundem motum proprium, an liceat resignanti nominare successorem, non deducendo in pactum, vt ipsi detur, sed significando collatori, vt si velit, det ipsi. Quidam iuniores dicunt, quòd si fiat ante renunciationem, non caret scrupulo, quia Pontifex intendit euitare omnem modum successionis : at si fiat post factam liberam resignationem in manibus Prælati, nullum esse scrupulum nominare successorem, & petere, vt illi detur : & id ego existimo esse verum, & addo non videri contra motum proprium significare Prælato successorem, relinquendo omnino in eius voluntate prouisionem ; & ita illa verba, *Caueant ne nutu, aut verbo*, &c. intelliguntur taliter, vt inducatur pactum tacitum, vel expressum : aut de his assumendis promissio, vel intentio, intelligitur promissio scilicet expressa, vel intentio in pactum tacitum deducta : aliàs dicturi eramus, quòd punit solum actum internum. Et quia rigidiora verba in se continet motus proprius de confidentus : qui tamen, vt dixi *supra dub.* 34. intelligitur iuxta communem sententiam, quando interuenit pactum tacitum, vel expressum.

24 Tertiò dubitatur circa eundem motum proprium, an patroni possint præsentare ad beneficia hæc resignata consanguineos resignantis ; quia in prohibitione non loquitur cum his, sed cum collatoribus, ne illis conferant, quod potest intelligi, ne illis proprio motu conferant: secus, quando præsentatur à patrono. Et quamuis pœna ibi statuta comprehendat etiam patronos præsentantes, id tamen intelligendum est, quando præsentant contra id, quod ibi illis prohibetur : quod tamen non est præsentare consanguineos resignantis : sed quòd Prælati non admittant nominationem successoris factam à resignante. Et ita mihi videtur cum aliis doctis iunioribus.

25 Tandem resignatio, vt sit valida, quomodo, & quando debeat fieri in manibus Prælati, & an antea vacet beneficium, & pensio in cuius manibus debeat resignari, & an impetrans illud beneficium debeat facere mentionem beneficij resignati, cuius resignatio nondum admissa est à superiore, dixi *supra cap. 2. de benefic. dub. 29.*

Tria tamen addenda sunt iis, quæ ibi diximus.

26 Primum est quòd Episcopatui renunciare quis nequit nisi in manibus Papæ, *c. nisi, de renunc.* etiam si non sit consecratus, modò sit electus, & confirmatus, *cap. inter, de transl.* Sic Sylvest. *verbo renunciatio, q. 3.* Tabien. *quæst. 2.* & Rosell. *quæst. 2.* idémque est de Abbate immediatè pertinente ad Ecclesiam Romanam, *c. fin. de renunc. & cap. cùm venerabilis consuet.* Sylvest. *ibi.* An verò Legatus possit admittere has renunciationes, dicemus vbi de potestate Legati.

27 Secundùm est, renunciatio beneficij, vt valeat, non necessariò debet fieri in scriptis ; quia hic casus non numeratur inter eos, in quibus requiritur scriptura; de quibus *cap. 1. de censib. in 6.* Sic Immola *Clement. vnica, de rerum permutat. n. 36.* Sylvest. *verbo renunciatio, quæst. 6.* Tabien. *ibi quæst. 2.* Rosell. *num. 2.* Ethi tres excipiunt renunciationem Episcopatus, de qua loquitur textus *2. q. 1. §. Ecce & cap. qualiter.*

28 Tertium est, qualiter renuncians beneficium possit pœnitere ; ad quod elucidandum statuam aliquot conclusiones.

29 Prima conclusio. Renuncians per Nuncium beneficium potest pœnitere re integra, *cap. lectæ, de renunc.* Secus si res non integra, *cap. in causis, de elect. §. finali.* Sic Armill. *verbo renunciatio, num. 7.* Tabien. *q. 10.* Sylu. *q. 2. dicto 4.* vbi addit, rem non esse integram, si superior exposita renunciatione, cœperat de acceptatione cogitare, argum. *d. §. fin.*

30 Secunda conclusio. Qui impetrauit licentiam renunciandi, cogendus est renunciare, cap. *quidam de renunc.* vbi glossa rationem reddit, quia, quod à principio fuit voluntarium, postea fit necessarium : & , quod semel placuit, amplius displicere nequit. Sic Sylvest. Armil. Tabien. *ibi.*



31 Tertia conclusio. Si quis constituit procuratorem ad renunciandum beneficium, licèt postea reuocet facultatem datam procuratori, tenebit renunciatio facta per eum, si facta est, antequam reuocatio intimaretur ipsi procuratori, vel ei, in cuius manibus renunciatio facienda erat, nisi per ipsos, scilicet procuratorem, vel superiorem, vel alios malitiosè factum fuerit quominus reuocatio ad eos ante renunciationem peruenisset. Sic habetur expresse *Clement. vnica, de renunc.* vbi glossa *verf. facienda*, notat, quòd si persona, cui facienda erat cessio, fuit expressa in mandato, illi facienda erat notificatio, vel procuratori. Si verò mandatum erat generale, scilicet ad cedendum in manibus eius, qui recipere posset, non iuuat notificatio, nisi facta sit illi, qui recepit; imputet enim sibi, qui omnibus debuit intimare, vel procuratori. Idem Panormit. Felin. Immola *cap. ex parte Decani, rescriptis.*

32 An verò idem sit de procuratore dato ad petendum licentiam renunciandi, quòd scilicet reuocatio non prosit ante talem notificationem, consule glossam *Clement. vnica, de renunc.* & *ibi* Doctores, & Panorm. & Doctores *cap. quidam, de renunc.* Circa hanc conclusionem.

33 Nota primò, quòd si quando procurator renunciauit, iam obierat, qui mandatum dedit, licèt id ignoraret procurator, non valuit renunciatio, quia morte mandantis cessauit mandatum. Vnde vacabit beneficium morte, non renunciatione. *cap. dudum, de præbend. in 6.* Sic glossa *dicta Clement. vnica, verf. quomodolibet.*

34 Secundò nota, quòd conclusionem hanc quidam limitant, nisi qui mandatum dederat procuratori ad renunciandum, renunciet priusquàm procurator eo mandato vtatur, tunc enim licèt procurator id ignoret, valebit hæc renunciatio, & non ea, quæ postea fit per procuratorem ; quia iam per priorem renunciationem beneficium vacauerat, Sic Felin. *c. ex parte Decani, de rescript. num. 16.* Blasius, Probus, quos refert Couar. *vbi infrà.* Sed meritò contrarium tenent ipse Probus sibi contrarius, Barbar. & Selua, quos refert, & sequitur Couar. 4. *decretal. 2. part. cap. 4. initio, num. 11.* (inquit) negandum est in hoc casu vacare beneficium per renunciationem illam factam à mandante, id ignorante procuratore.

35 Si tamen Canonici alteri potestatem eligendi dederunt, & postea ipsi eligant, hæc electio præferetur electioni factæ à compromissario id ignorante. Sic Panormit. *cap. in causis, de elect.* quod (inquit Couar. *eo num. 11.*) licèt dubium sit, nam Innoc. *ibi* contrarium dixit : at concedi potest, cùm ibi non tam sit reprobanda variatio, sicut in casu *Clement. 1. de renunciat.*

36 Tandem hinc infertur, quòd si Petrus dedit literas Paulo, in quibus dabat potestatem procuratori, vt Romæ renunciaret beneficium in fauorem dicti Pauli, si Paulus in itinere recipiat literas ab alio, & ab ipso Petro, per quas constat iam Petrum reuocasse mandatum, & misisse literas reuocationis ad suum procuratorem Romam, si Paulus sit diligens, & accedat Romam, & præsentet procuratori literas mandati, & taceat literas, per quas sibi constat reuocasse, & sic procurator in ipsum renunciet, valebit renunciatio ; quia nondum reuocatio erat intimata procuratori, vel ei in cuius manibus facienda erat reuocatio ; quod requiritur iuxta dicta. Sic Nauar. *in addit. ad lib. 1. consil.* quas ponit post *librum 5. tit. 9. de renunciat. consil. vnico.*

## *De simonia in beneficiorum permutatione.*

### DVBIVM XXXVII.

*An commutare beneficium cum beneficio sit simonia.*

1 SIt prima conclusio. Commutatio beneficiorum facta absque authoritate superioris, est simonia. Pa-



tet, quia vt talis prohibetur, *cap. quæsitum, & cap. cùm olim, de rerum permut.* quare tantùm est de iure Ecclesiastico hæc simonia, vt habes latè *supra dub. 24.*

2 Nota, quòd aliqui limitant conclusionem, nisi beneficia sint in eadem Ecclesia, & sine onere: tunc enim possunt authoritate propria permutari. Sic glossa *dicto cap. quæsitum, verbo Episcopus*, Innoc. *ibi*, Hostiens. *ibi*, licèt dicat tutius esse oppositum, & post factum tenent idem Angel. *verbo permutatio, num. 4.* Immola *Clement. vnica, de rerum permut. n. 8.* licèt ante facta dicant, non esse consulendum.

3 At meritò hanc limitationem reiiciunt alij, cùm textus indistinctè loquantur Sic Rebuff. *praxi benefic. tit. de deuolut. n. 92.* Panorm. *d. cap quæsitum, fine*, & *ibi* Anton. *n. 6.* Ioannes de Lignano *dicta Clem. vnica.* Arm. *verb. Beneficium, num. 74.* Tab. *verbo Beneficium 3. q. 15.* Sylvest. *permutatio 2. quæst. 1.*

4 Secundò nota fallere conclusionem, quando agitur tantùm de proprietate: vt cùm duo Episcopi litigant super aliqua Ecclesia, cui debeat subiici, quia sic potest fieri permutatio, vt vnus vnam, alter alteram sibi subiectam habeat. Secus, si ageretur, vt talis in tali beneficio reciperetur, vel intitularetur, quia fieri non posset sine authoritate superioris. Sic Sylvest. *ea quæst. 1.* Angel *num. 3.*

5 Secunda conclusio. Authoritate superioris licitum est commutare vnum beneficium pro alio. Sic habetur expresse *dicto cap. quæsitum*, & docent omnes. Idem habetur *c. vnico, de rerum permut. in 6.*

6 Nota primò, quòd resignatio, & permutatio, beneficiorum potest etiam fieri, possessione nondum habita; quia anta possessionem per collationem acquiritur ius in re. Sic Archid. Dominicus, Ioan. Andreas *cap. penult. de præbend. in 6.* Mandosius *de signat. gratia, tit. de resign. §. & de resignatione.* Immola *Clement. vnica. de rerum permutat. num. 9.*

7 Secundò nota, quòd intelligitur conclusio, quando quis non habet ius ad rem in beneficio, sed ius in re: nam si habens ius ad rem, commutaret illud ius cum habente beneficium, vel duo habentes ius ad rem per regressum, accessum, præsentationem, electionem, optionem, vel aliam nominationem, commutarent adinuicem etiam authoritate Episcopi, esset simonia. Patet, quia iure rantùm permittunt permutari beneficia sua, id est, in quibus habent ius in re, vt patet ex *cap. vnico, de rerum permut. in 6.* Sic tenent Federicus, & Rota, vt refert, ac sequitur Francus *ibi num. 1.* & *ibi* Ioan. Andr. Nauar. Summa Lat. *cap. 23. num. 100. corol. 3.* Ludouic. Lopez *1. p. instruct. noui. cap. 299 fol. 904.* Panorm. *cap. cùm olim de rerum permutat. n. 4.* & *ibi* Anton. *num. 6.* Immola *Clement. vnica, de rerum permutat. num. 18.* Sylvest. *Permutatio 2. quæst. 13. dicto 9.* D. Ant. *3. part. tit. 15. cap. 3. §. 1. q. 10.* Nauar. *lib. 5. consil. tit. 3. de simon. cõsil. 22.* Rebuff. *praxi tit. de permut. n. 23.* Hinc

8 Infertur primò, quòd duo habentes expectatiuas à Papa nequeunt ad inuicem authoritate Episcopi commutare; tum quia tantùm habent ius ad rem : tum etiam, quia gratia illa est personalis, & sic non excedit personam, cui conceditur, *c. si cui, de præbend. in 6.* Sic Panorm. Immola, D. Anton. *notabili 2.* citati; & Federicus *ibi* citatus, Sylvest. *permutatio 2. quæst. 8.* Angelus *verbo permutatio num. 8.*

9 Secundò infertur quomodo intelligatur id, quod dicit Sylvest. referens Innoc & Host. *verbo renunciatio, q. 6. dicto 3.* nempe non esse simoniam, si quis renunciet literas Apostolicas ad beneficium, commutans cum beneficio : intelligitur enim (ne sibi, & veritati contradicat) quando literæ non sunt ad beneficium vacaturum, sed literæ, quibus datur illi beneficium; iam enim habet ius in re per collationem Pontificis, & tantum deest possessio. Sic docti iuniores.

10 An verò quando duo litigant super beneficio, liceat commutare id ius pro beneficio, habes *supra dub. 33. num. 3. verf. secundo modo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



11 Tertiò infertur non posse Episcopũ beneficium meũ commutare, vt detur beneficium alterius meo amico; quia textus *d. cap. vnico*, dicit, sua beneficia permutare volentes: & sic tantùm potest Episcopus præstare authoritatem, quando duo inter se commutant beneficia. Sic Francus *eo cap. vnico, de rerum permut. in 6. n.* 3. & Ioann. Andreas Federicus & communis, vt refert, & sequitur Nauarr. *dict. consil.* 22.

12 Quartò infertur, quòd is, qui intra certum tempus tenetur dimittere beneficium, non potest illud permutare: tum quia id beneficium non est omnino suum, tum etiam, quia si permutaret non censeretur dimittere; vt si Papa dispenset cum aliquo ad duo curata, modò intra annum dimittat alterum. Sic Rebuff. referens Rotam *praxi benefic. tit. de dispensat. ratione ætatis, num.* 8.

13 An verò curatus, qui non promouetur intra annum, & sic tenetur finito anno dimittere curatum, possit in fine anni permutare dixi *supra lib.* 2. *cap.* 2. *de benef. dub.* 22.

14 An verò incapax beneficij, vt illegitimus, vel qui non est naturalis in Hispania, si ex dispensatione obtineat beneficium, possit illud permutare, dixi *supra lib.* 2. *cap.* 1. *de accept. person. dub.* 8.

15 Quintò infertur, quòd beneficia, quæ sunt vnita, vel extincta, & suppressa post mortem ea habentium, non possunt permutari; quia ea vacare absolutè non possunt. Sic Archid Gambarus, Petrus de Vbal, quos refert, & sequitur Perez *lib.* 1. *ordinam, tit* 6. *l.* 3. *fine* Francus *cap. vnico, de rerum permutat. in* 6. *num* 4 vbi subdit, statim ac renunciat, causa permutationis vacare, & sic si post vacationem debebat manere vnitum, vel suppressum, sic manebit.

16 Sextò infertur, quòd etiam beneficium, quod est vnitum in vita possidentis, non potest permutari, quia postquam est vnitum, non est ampliùs beneficium, sed membrum eius, cuius vnitum, nec dicitur vacare. Sic Rebuff. *praxi benef. tit. de vicariis perpetuis, n.* 18 & subdit *num.* 19. & 20. quòd si quando resignauit fuit ignarus illius vnionis, potest postea ad illud redire, per *cap. si beneficia de prebend. in* 6. Panor. & Felin. *cap. cum venerabilis, de rerum permutat*, si verò sciuerit, non potest.

17 Septimò infertur, quòd, qui non habet ius in beneficio, vt si illud simoniacè adeptus est &c. non potest illud permutare: quare si permutat non acquirit ius in alio beneficio: quia licèt Episcopus potuerit illi conferre beneficium simpliciter, at non contulit, nisi causa permutationis, quæ omnino inualida fuit, cùm beneficium non suum in alium transfuderit Et de hoc est expressa regula 39. Cancellariæ, vbi dicitur, quòd in permutationibus beneficiorum neuter permutantiũ ius acquirat, nisi quilibet ipsorum ius habuerit in beneficio per ipsum resignato: & sic tenet D. Anton. 3. *p. tit.* 15. *cap.* 3. §. 1 *quæst.* 7 & Federicus, cuius est illa quæstio, Francus *cap. vnico, de rerum permut. in* 6. *num.* 17. vbi multos refert. Sylu. *Permutatio* 2. *q.* 13. *d.* 6. Rebuff *praxi, tit. de permut. num.* 9.

18 Tertia conclusio. Authoritate Prælati potest commutari beneficium cum præstimonio, vel hospitali, sihospitale detur Clerico in titulum beneficij (quod quando contingat, habetur *Clem. quia contingit, de relig. domib.* §. *vt autem*); secus quando datur laico. Sic gloss. *Clem. vnica, de rerum permut. versic. beneficia* & *ibi* Immola *n.* 6. Sylues. *permutatio* 2. *q.* 11. D. Anton. 3. *p. tit.* 15. *c.* 3. §. 1. *q.* 11. & Federicus, cuius est illa quæstio. Et similiter dicit Sylues. cum Federico posse commutari cum beneficio hospitali, quando confertur Clerico vt bono viro, quia tunc est titulus Ecclesiasticus, nec vendi potest sine simonia. At idem Sylues. *ibi q.* 13. *d.* 9 tenet contrarium cum Lapo, quia non permittitur commutatio beneficij ad quodcunque aliud spirituale, sed beneficij cum beneficio.

19 Sed quid dicendum de beneficio dato in commendam? Quidam dicunt non posse commutari cum beneficio, quia beneficium in commendam non est custodientis. Sic Immola *Clem. vnica, de rerum permut. num.* 23. & Lignano, quem *ibi* refert: & Ioan, Franciscus, quem refert Rebuff. *vbi infra*; immò Panorm. *cap. cum olim, de rerum permut. num.* 3. dubitat, quòd duo beneficia commendata possint ad inuicem commutari nisi (inquit) authoritate eius qui commendauit.

20 Quarta tamen conclusio sit. Bene potest commenda beneficij permutari cum beneficio. Ratio, quia commenda est titulus canonicus, vt dixi *supra lib.* 2. *cap.* 1. *de accept. person. dub.* 8. Sic dicit fortè esse verum Sylues. *permutatio* 2. *quæst.* 13. *dicto* 11 & eodem modo id dicit D. Anton. 3. *p. tit.* 15. *c.* 3. §. 1. *quæst.* 11. & Federicus, cuius est illa quæst. Idem Ruceus, quem refert, ac sequitur Rebuff. *praxi benef. tit. de commenda, num.* 53. vbi addit, etiam authoritate ordinarij hoc fieri posse.

21 Hinc sit à fortiori habentes duo beneficia commendata posse ad inuicem permutare: & habentes duo beneficia manualia, à quibus possunt prò libito remoueri. Sic dicunt fortè esse verum, Sylues. D. Anton. Federicus *in 4. conclus. citati.*

22 Quinta conclusio. Habens plura beneficia potest ea cõmutare cum habente vnum. Sic Ioan. Andr. *cap. vnico, de rerum permut. in* 6. & *cap. cum venerabilis, de excess.* & alij, quos refert, ac sequitur Mandosius *de signat. gratiæ, tit. permutatione*, §. *permutatio*. Quod sic intelligi debet, si ad retinendũ illa plura beneficia erat necessaria dispensatio Papæ, cùm dispensatio sit personalis, & sic nõ transeat de persona in personam, erit necessaria licentia Papæ; si verò sufficiebat Episcopi, sat erit licentia Episcopi. Sic Francus *eo cap. vnico, num.* 18. vbi alios refert. Idem Sylu. *permutatio* 2. *q.* 13. *dicto* 8. D. Anton. 3. *p. tit.* 15. *cap.* 3. §. 1. *quæst.* 9. & Federicus, cuius est illa quæst. Rebuff. *infra num.* 40 41.

23 Nota, quòd si permutans beneficiũ habeat alia beneficia, non debet de eis facere mentionem secundùm aliquos, & sic tenet D. Anton. *proximè citatus, q.* 12. & Federicus, cuius est illa quæstio. At verius est debere, quando, si superior hoc sciret verisimiliter dubitatur, an vellet facere. Sic Sylues. *permutatio* 2. *fine*; & aliqui viri docti. Et quando fit coram Papa, tenet, ac tutiùs, & de qualitatibus beneficiorum Rebuff. *praxi tit. de permut. num.* 34.

## DVBIVM XXXVIII.

*Quis sit superior, cuius authoritate debet fieri permutatio beneficiorum.*

1 Mandosius *de signat. grat. tit. permutat.* §. *penult.* dicit hodie non posse fieri, nisi authoritate Papæ per motum proprium Pij Quinti an. 1567. 6. Idus Augusti, qui incipit, *Officium*, vbi aliter factæ commutationes annullantur. Sed in eo motu proprio non id vertit Papa in perpetuum; sed donec (inquit) per nos illarum admittendarum modus præscriptus fuerit. Et postea anno sequenti 1568. Kalendis Aprilis edidit alium motum proprium, qui incipit, *Quanta Ecclesiæ*, vbi reuocat in hoc priorem motum proprium, & dicit quòd possint ordinarij admittere renunciationes causa permutationis, quæ canonicis sanctionibus permittuntur: & sic remittit id ad ius commune. Quare videndum est, quid iure communi circa hoc statutum sit. Et de vtroque motu proprio mentionem fecimus *supra dub.* 36.

2 Ideo dico primò Prælatus, cuius licentiã potest fieri permutatio beneficiorum, est is, ad quem collatio talis beneficij pertinet: & sic Episcopus id potest circa beneficia, quæ ad eius collationem pertinent. Patet ex *cap. quæsitum, de rerum permutat.* vbi dicitur id posse Episcopum, & *cap. vnico. eodem tit. in* 6. explicatur hoc, quando ad Episcopum pertinet collatio eorum beneficiorum; & docent omnes, & sic Extrauag. Benedicti XI. quę incipit, *Dudum*, definitur non posse Episcopum, quando beneficia Papæ reseruantur: & sic decisum est à Rota, vt refert Gregor. Lopez *l.* 2. *verſ. Noualdrus, tit.* 6. *part.* 5.

3 Immò



3 Immò idem est, quando ad Episcopum pertinet tantùm confirmatio, modò interueniat consensus Collatorum. Sic gloss. *cap. vnico, de rerum permut. versic. collationem* Ioan. Andreas *ibi*. Sylues. *Permutatio* 2. *q.* 2. Angel. *verbo permutatio, n.* 6. Tabien. *Beneficium* 3. *q.* 14. & similiter requiritur consensus patronorum. An verò si hic consensus non accedat, valeat permutatio, dicam *infrà*, vbi de simonia in iure patron.

4 Secunda conclusio. Non tantùm hoc potest Episcopus, sed etiam quilibet Prælatus habens iurisdictionem, quasi Episcopalem. Sic tenet *lex* 2. *tit.* 6. *p.* 5. & *ibi* Greg. Lopez *versic. del Perlado*. Panorm. *dict. cap. quæsitum, num.* 4. Immola *Clement. vnica, de rerum permut. num.* 10.

5 Tertia conclusio; Si Episcopus permutet cum Capitulo, requiritur authoritas Archiepiscopi, *cap.* 1. *de reb. Eccl. non alien.* Si verò permutet cum aliis, sat est consensus Capituli sui. Sic referens Hostiensem tenet Sylues. *Permutatio, num.* 5.

6 Quarta conclusio. Quando collatio beneficij pertinet ad Episcopum cum Capitulo, requiritur consensus vtriusque. Sic Sylues. *verbo Permutatio* 2. *q.* 2. Angelus *verbo Permutatio, num.* 5.

7 Quinta conclusio. Capitulum, sede vacãte, potest præstare authoritatem commutationi beneficiorum, quando collatio beneficij spectat ad Capitulum, & Episcopum; quia tunc sede vacante deuoluitur collatio ad Capitul. *cap. vnico, ne sede vacan. in* 6. At verò, quando collatio pertinebat ad solum Episcopi, non potest; quia non succedit in hac iurisdictione. Sic Tabien *beneficium* 3. *quæst.* 14. Armil. *verbo Beneficium, num.* 72. Glossa *Clement. vnica, de rerum permut. versic. conferantur* Immola *ibi n.* 11. & *cap. finali, eodem tit. num.* 30. vbi Anchar. *num.* 17. Sylues. *permutatio* 2. *q.* 2. Angel. *verbo Permutatio, num.* 5. & similiter dicunt Glossa, & Immola *eo n.* 11. non posse Capitulum, quando solus Episcopus haberet eligere, vel præsentare; quia in hoc etiam non succedit Capitulum, iuxta notata *cap.* 2. *de sede vacante.*

8 Nota quòd, etiam in his casibus, in quibus non potest Capitulum dare authoritatem commutationi, potest recipere resignationem ex causa permutationis; at non potest percipere permutationem, sed expectandus est Episcopus. Sic Greg. Lopez *p.* 5. *tit.* 6. *l.* 2. *vers. Del Perlado*. Immola *cap. fin. de rerum permut. num.* 31. Anchar. *ibi num.* 18.

9 Sexta conclusio. Vicarius Episcopi non potest præstare authoritatem commutationibus, nisi habeat ad hoc specialem commissionem. Patet, quia sine hac non potest conferre beneficia. *cap. fin. de offic. Vicarij in* 6. Sic Gregor. Lopez *l.* 2. *tit.* 6. *part.* 5. *versic. del Perlado*. Immola *cap. fin. de rerum permut. n.* 30. Rebuff. *praxi benefic. in forma vicariatus, num.* 104. Immò addit *num.* 105. 106. 107. quod licèt Vicarius habeat potestatem recipiendi resignationem beneficij causa permutationis, vel simpliciter, non potest beneficia sic resignata postea conferre; licet quidam (inquit) dicant collationem hanc tanquam necessariam competere Vicario: sed nõ est verum, quia requiritur speciale mandatum ad conferendum, *cap. fin. de offic. Vicar. in* 6. & refert Rebuffus decisionem Rotæ, & alios.

10 Septima conclusio. Si beneficia fuerint in diuersis diœcesibus, vtriusque Episcopi consensus requiritur, facit *cap. cum illorum, de sententi. excommun.* Sic Immola *cap. finali, de rerum permut. n.* 31. Glossa *c. vnico eodem tit. in* 6. *versic. collationem*. Gregor. Lopez *l.* 2. *tit.* 6 *p.* 5. *versic. Ado fueren*. Sylues. *Permutatio* 2. *p.* 13. *dict.* 6. Ioan. Andr. quem ibi refert Federicus, cuius quæstionem refert, ac sequitur D. Anton. 3. *p. tit.* 15. *c.* 3. §. 1. *p.* 8. Vnde dicunt hi Doctores sic debere fieri resignationem causa permutationis, vel vtroque Episcopo præsente, vel quilibet in manu sui Episcopi resignet, vel alter alteri committat.

11 Nota, quòd Ioan. Andr. dicit, & Federicus, & D. Anton. tutius esse omnia fieri simul, id est, ambobus præsentibus, vel vno alteri committente, & non exinteruallo; quia si sint beneficia incompatibilia, vt duo curata, quæ resignantur causa permutationis, eo ipso quòd alter renunciat, & obtinet socius pacificam illius possessionem, vacat beneficium talis socij: & sic cùm voluerit postea resignare, non poterit; quia non est suum, sed iam est vacans. At meliùs dicit Sylues. valere, licèt ex interuallo fiat; quia illa resignatio alterius in fauorem socij non fuit simpliciter facta, sed ex causa permutationis; & sic non vacat beneficium socij, sed tenetur id resignare in fauorem alterius. Idem Rebuff. *praxi tit. de permut. num.* 36. 37. & *addit. num.* 28. quòd facta resignatione per vnum in me, si antequam ego resignem, alter obeat, habebo vtrumque beneficium.

12 Octaua conclusio. Si commutatio fiat reseruando aliquam pensionem, solus Papa potest præstare authoritatem tali commutationi. Ratio, quia vsu Romano receptum est, vt solus Papa pensionem constituere valeat in renunciationibus, & permutationibus, & quomodocunque, vt docent Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui, cap.* 303. *fol.* 936. *pag.* 2. *col.* 7. *versic. Pro resolutione*. Sotolib. 9. *de iust. quæst.* 7. *art.* 2 in iis, quæ dicit *circa* 2 *conclusionem*, Toletus *lib.* 5. *summæ, cap.* 83. Aragon 2. 2. *p.* 100. *art.* 4. *fol.* 1122. *pag.* 2. Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 65. *num.* 6. Nauar. *lib.* 5. *consil. tit.* 3. *de simon. consil. 6. n.* 3. Beja *casu* 37. Et sic Rebuff. *de pacif. possess. num.* 117. dicit Episcopum committere simoniam, si in collatione beneficij reseruet pensionem: quamuis de iure poterat Episcopus ex rationabili causa pensionem assignare in aliquibus casibus, de quibus agitur *cap. pastoralis, de his, quæ fiunt à Prælat. & cap. prohibemus, de censib. & duobus sequentibus*, & docet Corduba *lib.* 1. *quæst. q.* 21. & Alaba alios referens *lib. de Concil.* 2. *p.* §. 21.

13 Hinc infertur solutio huius casus. Duo volentes permutare beneficia conuenerunt, quòd si vnum illorum inueniretur grauatum pensione, is, cuius erat illud ante permutationem, solueret eam pensionem: fecère commutationem authoritate ordinarij, cuius pacti non fecerunt mentionem, postea iuuentum est alterum habere pensionem, dicendum enim est, quod est simonia, quia interuenit pactum, quod fuit medium faciendi permutationem, & omne tale pactum est simonia: at est tantùm conuentionalis, si nondum alter soluit pensionem; quia promissio soluendi pensionem nondum executa. Nec obstat, quòd renunciationes, & collationes necessariæ ad permutationem fuerint vtrinque factæ; quia illæ non inducebant simoniam, sed solùm promissio de soluendo pensionem, quæ nondum est impleta. Vnde cauendum est ei, qui debebat pensionem ante permutationem, ne soluat illam antequàm impetretur à Papa facultas id faciendi; quia fiet simonia realis. Sic Nauar. *lib.* 5. *consil. tit.* 3. *de simonia, consil.* 4.

14 Vltima conclusio. Permutatio beneficiorum debet fieri ex causa vtili, vel necessaria Ecclesiæ. Patet ex *cap. quæsitum, de rerum permut.* & tenet *ibi* Panorm. *num.* 5. & concludit *num.* 6. & Anton. *ibi n.* 9. expeditionem etiam personarum sat esse: vt si aër vnius loci est salubrior illi, vel habet inimicitias, &c. Immò Sylues. *Permutatio* 2. *q.* 12. dicit, sat esse quamcunque causam, quæ non sit pecunia, nec pecunia mensurabilis.

## DVBIVM XXXIX.

*An partes possint inter se tractatum permutationis, vel alium facere, non omnino concludendo, sed referẽdo ad superioris beneplacitum, id est, si superior approbauerit.*

1 Aliqui id negant: sed debet ex officio, & iussu superioris fieri. Sic Host. *quæsitum de rerũ permut.* & *ibi* Anton. *n.* 3. & 8. & Ioan. Andr. *ibi*, & Glossa *cap. cum vniuersorum, eodem tit. vers. tractatus*. Idem tenet Lodouic. Lopez, quando taliter contraherent, vt non possent resilire ante beneplacitum superioris 1. *part. instruct. noui, cap.* 299. *fol.* 904. & *sequenti*, tenet etiam Adrian. *quodlib.* 9. *ad.* 5. *principale.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 At dicendum est posse facere tractatum, modò non concludant, sed huius tractatus conclusio, perfectióve ad superioris consensum est referenda, & eius authoritas antequam executioni mandetur, exigenda est. Probatur ex *cap. vnic, de rerum permut. in 6.* ibi, *Permutare volentes.* Hæc enim voluntas sciri non posset, nisi per partium tractarum Item, quia conueniunt, & faciunt tractatum, si superiori placuerit, talis tractatus non est conclusus, nisi adueniente conditione, scilicet superioris beneplacito. Sic tenet Nauarr. in omnibus summis Latinis, *cap. 23. num. 107. vers. ad decimum.* Ludou. Gomez *regula de triennali, q. 12. vers. Quid dicendum.* Sylvest. *Permutatio, 2. q. 5.* Ang. *verbo, Permutatio, n. 4.* Rosel. *ibi initio,* Tabien. *Beneficium, 3. quæst. 15.* Armil. *verbo Beneficium, num. 73.* Panor. *cap. cum vniuersorum, de rerum permut. n. 2. & cap. quæsitũ, eod. tit. n. 10.* Ioan. Andreas *c. vnico, eod. tit. in 6.* Gregor. Lopez *l. 2. tit. 6. part. 5. vers. No valdria.* Hieronymus Paulus *in pract. cancellariæ*, quam habes post praxim. benef. Rebuffi, in clausula declaratoria super proponente, vel volente ingredi, *vers. c. Duo tractauerunt, fol. 568.* Francus *cap. vnico, de rerum permut, in 6. num. 2.* Glossa *Clement. vnica, eod. tit. vers. volentibus*, Immola *ibi, num. 8.* Couuarr. dicens communem, & referens Rauen. Decium Patisium *1. variar. cap. 5. num. 6.* Rebuff. *praxi, tit. de permut. num. 52, 53.*

3 Immò, licèt absolutè paciscantur non exprimendo, sed mente retinendo conditionem, scilicet si superiori placuerit, non sunt coram Deo simoniaci, licèt in foro exteriori tales præsumentur. Sic Sylvest. *ibi.*

4 Nota tamen, quòd esset simonia, si talem pro parte exequerentur antè, quàm Papæ beneplacitum accedat. Sic Ludou. Gomez *ibi*, Nauarr. *ibi, & num. 108. fine.*

5 Secundò nota, quòd, vbi aliqui fecerunt tractatum de permutando, non possunt resilire; quia cùm pactum illud licitum sit, obligat. Sic Hieronymus Paulus proximè citatus: dicit tamen, quòd, cùm quidam peteret literas à Cancellaria ad cogendum quendam ab hoc tractatu resilire volentem, sunt ei denegatæ. Facit Rebuff. *de pacif. possess. n 145.* & refert Baldum, Panorm. & alios, vbi dicit quòd quando facta est conuentio de permutando, si vnus illorum velit reuocare procuratorem constitutum ad resignandum, non potest, quia constitutio procuratoris facta in contractu reuocari nequit, cùm sit contractus pars. Sed *praxi benef. tit. de permut num. 4.* dicit, posse reuocare procuratorem re integra; secus, quando alter resignauit.

## DVBIVM. XL.

*An quando permutatio sine culpa permutantis non tenuit, vt quia alter non habebat ius in beneficio, vel ante permutationem obiit, possit alter propriâ authoritate redire ad suum beneficium, quod causa permutationis resignarat.*

1 ALiqui dicunt, æquius esse, vt possit; quia vitiatur vacatio, & circuitus, & incommodum beneficiorum. Sic Ioan. Andr. quem refert, ac sequitur Sylvest. *Permutatio, 2. quæst. 13. dicto 5* D. Ant. *3. p. tit. 15. c. 3. §. 1. quæst. 6.* & Federicus, cuius est illa quæstio. Et idẽ, dicit Sylvest. est, si permutatio erat completa ex vna parte, & deinde apparuit impedimentum completionis ex altera.

2 Sed dicendum est, quòd non potest redire ad suum beneficium sine noua collatione, quia per renunciationem illam vacauit beneficium. Sic Panorm. Felin. & alij *c. cum venerabilis, de except.* vt refert, ac sequitur Rebuff. *de pacif. possess. n. 145.* Selua *tract. de benef. 3. p. q. 24.* Federicus *cons. 41.* Panor. *c. cum vniuersorum, de rerum permut. fine*, vbi hæc dicit, *Resignans ex causa permutationis faciendæ cum tertio in manibus superioris, qui tertius noluit postea resignare, vel morte præuentus, & restituendus ad suũ beneficium; at non redibit sine noua prouisione; quia beneficium verè vacauit ex hac resignatione.* & Ludou. Gomez *regula de triennali, quæst. 24. paulò post principiũ*, dicit, quòd renuncians ex causa permutationis perdit titulum, & possessionem; quare si permutatio non habeat effectum, non posset redire propria authoritate ad suum beneficium sine noua collatione superioris, alias esset intrusus, quia beneficium sine canonica institutione recipit; & refert multos Doctores, & dicit de hoc esse infinitas decisiones Rotæ. Et quòd permutatione amittatur titulus, & possessio beneficij, & sic verè vacet, tenet cum Ludouico Gomez, alios referens Mandosius *regula 31. Cancellariæ quæst. fin. num. 3. & de signat. gratiæ, tit. permutationes §. permutationem*; licèt alij, quos *ibi* refert, sentiant permutationem non inducere veram beneficij vacationem.

## DVBIVM XLI.

*An, quando alter permutantium beneficium alterum decepit vltra dimidium iusti pretij, sit locus remedio, l. 2. C. de rescind. venditione.*

1 COnsule Couar. *1. var. cap. 5. num. 3.* Pinellum *super eadem l. 2. p. 1. cap. 3. num. 16.* vbi defendunt non esse locum: quamuis contrarium teneat Padilla *ea l. 2. nu. 17.* & Anton. de Burgos *cap. cùm causam, de empt. & vendit. n. 59.*

## DVBIVM XLII.

*An sit licitum permutare beneficium reseruando aliquam pensionem.*

1 SIt prima conclusio. Sine licentia Pontificis est simonia, cum ea tamen est licitum.

2 Secunda conclusio, Quando duo permutat beneficia, si vnum habet ampliores redditus, potest ex licentia Papæ fieri permutatio recipiendo tantam pensionem, quantus est excessus fructuum alterius beneficij. Et à fortiori potest quis commutare vnum beneficium minus pingue cum alio pinguiori, super quo est iam constituta pensio.

3 Nota, quòd non tantùm compermutanti pensio solet assignari, quando beneficia in redditibus sunt inæqualia, sed etiam tertio. Sic Mandosius *de signat. grat. in permutationes. §. permutationes.*

4 An verò quando beneficia sunt in redditibus inæqualia, possit etiam poni pensio, non tantùm in beneficio permutato, sed etiam in alio, quod possidebat permutans, habes *supra dub. 35.*

5 Et nota, quòd, licèt pensionem perpetuam possit solus Papa constituere, id est quãdo est ad vitam eius, cui constituitur; at quando non est perpetua, sed tantùm dum constituens possidet beneficium, cui in ipsum renunciatur, potest Episcopus concedere, tam in renunciationibus, quàm in permutationibus. Sic Nauarr. *lib. 5. consil. tit. 3. de simonia consil. 22. num. 4. & consil. 43. num. 9.* Felin. *cap. ad audientiam, el 2. de rescript. num. 3. vers 3. conclusio.*

6 Tertia conclusio Licèt sub iudice sit, an quando duo permutant beneficia inæqualium reddituum, sicut licet authoritate Papæ illum excessum reddituum recompensare pensione, ita etiam liceat datâ pecuniâ; multi enim, & grauissimi Doctores tenent licere, & est probabile; at verius est, non licere.

7 Quarta conclusio. Quando beneficia sunt æqualia in redditibus, at inæqualia in dignitate, vt quia alterum est Decanatus, alterum verò Canonicatus, non est licitum etiam authoritate Papæ reseruare pensionem pro maiori dignitate. Ratio, quia cùm illa maior dignitas sit spiritualis, esset simonia contra ius diuinum.

8 Vltima conclusio. Licitum videtur authoritate Papæ commutare beneficium simplex cum curato æquali in redditibus, & imponere pensionem super tali beneficio simplici ob onus, quod alter assumit curatũ, id est, *de Cura*, quia illud onus videtur esse, ac si haberet minores redditus, propter sumptus, qui sunt necessarij ad residendum, & illi inseruiendum, habendúmque Capellanum.

DVBIVM



## DVBIVM XLIII.

*An quando aliqui resignant sua beneficia in manibus Prælati causâ permutationis, liceat ea aliis, quam permutantibus, dare.*

1 SIt conclusio. Non licet ea aliis, quàm permutantibus, dare, vt definitur expressè *clement. vnica, de rerum permut.* vbi habetur etiam collationem aliis factam esse nullam.

2 Hinc fit, quòd habentes expectatiuas ad prima vacantia non possunt impedire tales permutantes, quin eis dentur hæc beneficia. Sic expressè habetur *cap. vnico, de rerum permutat. in 6.*

3 Secundò fit licitum esse volentibus permutare sua beneficia exprimere in actu renunciationis, quod resignant causa permutationis faciendæ, & non aliàs; quia hoc à iure permittitur, *cap. significasti, de elect. & cap. cum vniuersorum, de rerum permut. & cap. vnico, eodem tit. in 6. & Clem. vnica, eodem tit.* & tenet Sylu. *verbo Permutatio 2. q. 5. fine.* glossa *ea Clem. vnica*, vbi addit, licèt hoc non exprimatur, satis esse, si ex coniecturis, vel priùs actis id constet.

## DVBIVM XLIV.

*An in permutatione aliarum rerum spiritualium, quæ beneficia non sunt, committatur simonia.*

1 EXemplum esse potest, si duo inter se conueniant: Faciam pro te sacrum, & fac pro me: audiam tuam confessionem, modò audias meam.

Duplex est sententia.

2 Prima dicit esse simoniam; quia *cap. quæsitum, de rerum permut.* generaliter dicitur omnem pactionem circa spiritualia labem simoniæ continere. Sic tenent Richard. *4. dist. 25. art. 3. q. 1. ad 1.* Sylu. *verbo simonia, quæst. 16. fine*, & *ibi* Tabien. *quæst. 45. n. 46.* & *ibi* Armil. *n. 42.* Nauarr. *lib. 2. de restit. c. 2. n. 386.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui, c. 299. fine*, nisi (inquit) prædicta commutatio fieret ex beneuolentia, & gratitudine absque aliqua obligatione: & est probabilis hæc sententia.

3 Secunda sententia probabilior tenet id licere. Ratio, quia in his commutationibus non est simonia iure diuino, vt patet, aliàs idem contingeret in beneficiorum commutatione: nec etiam iure humano, quia ius tantùm prohibet beneficiorum commutationem: & cùm sit pœnale, non debet extendi. Ratio verò ob quam prohibetur iure Ecclesiastico permutatio beneficiorum, non autem permutatio aliarum rerum spiritualium, ea est, quia vera ratio simoniæ est commutare spiritualia pro temporalibus: vnde cùm in purè spiritualibus nil sit temporale, nulla potest subesse simoniæ suspicio, si ad inuicem commutentur, & ob id talis permutatio non prohibetur: at quia beneficia habent prouentus temporales, magna esset simoniæ suspicio, & quòd intenderet permutans vsilitatem temporalem propter auaritiam, & ambitionem, si propria authoritate permutaret, & ideò est prohibita talis permutatio. Vnde dum *cap. quæsitum*, dicitur omnem pactionem circa spiritualia esse simoniacam, nomine spiritualium intelliguntur beneficia. Sic tenent Aragon. *2. 2. quæst. 100. art. 1. fol. 1099 pag. 2.* Manuel *2. tomo summæ, cap. 64. n. 2.* Beja *casu 37. fol. 163.* Sotus *lib. 9. de iust. qu. 5. art. 2. ad 3.* Victoria *relect. de simonia, n. 17.* & docti recentiores.

4 Hinc excusantur à simonia Monachi conuenientes inter se. Elige me in Prouincialem, & te eligam in Priorem, quia licèt hæc officia sint spiritualia, at non sunt beneficia; sic docti iuniores, licèt Ludouic. Lopes *1. p. instr. noui, cap. 305. fol. 953. pag. 2.* dicat hæc claudi nomine beneficij.

5 Tandem nota, quòd res sacræ, quæ non sunt purè spirituales, licitè possunt commutari pro aliis rebus sacris, vt calix pro calice, vel pro sacra veste, dummodo solius rei valoris ratio habeatur, & nil pendatur pro consecratione. Sic Sotus *ibi*, & patet, quia etiam sic vendi possunt, vt dixi *suprà*.

*De simonia in pensionibus.*

## DVBIVM XLV.

*An sit licitum concedere pensiones super beneficiis.*

1 PRimò dico, quòd dupliciter imponi potest pẽsio, scilicet super personam possidentem beneficium; & tunc defuncta ea persona cessat pensio. Secundo modo, & frequentiùs super beneficium; & tunc durat per vitam pensionarij à quocunque possideatur beneficium illud.

2 Secundò dico, quòd quatuor conditiones requiruntur, vt possit quis habere pensionem.

Primò debet esse Clericus primæ tonsuræ; licèt enim Pontifex possit concedere laico; at communiter non solet concedere, nisi Clerico: & sic, quando Papa assignat Clerico pensionem, si ille non est Clericus, non valet: nec sat est, si postea Clericus fiat; quia tempus datæ est inspiciendum.

Secũda est, quòd sit legitimus; at potest Episcopus dispensare cum illegitimo; si quidem potest dispensare cum eo, vt obtineat beneficium simplex, iuxta *cap. 1. de filiis presbyt. in 6.* Et quòd hæc conditio requiratur, tenet Gigas, dicens, haberi ex stylo Curiæ *tract. de pension. q. 22.* & Nau. *lib. 3. consil. tit. de præb. consil. 54. n. 3.* Sed Ludou. Gomez tenet contrarium *regula de annali possess. quæst. 21.* nisi quando pensio datur in titulum beneficij; tunc enim est propriè beneficium, vt dicemus *dub. sequenti.*

Tertia conditio, vt non sit excommunicatus, suspensus, nec interdictus.

Quarta, vt non sit coniugatus: nam vacant pensiones per matrimonium.

3 Tertiò dico. Solus Papa potest imponere pensionem, vt dixi *suprà dub. 38.* At ipse potest ex iusta causa imponere pensionem quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, etiam Episcopatibus. Causa autem iusta solet attendi, vel in ordine ad bonum commune totius Ecclesiæ, vel alicuius Ecclesiæ particularis.

4 Prima ergo causa iusta assignandi pensionem est, cùm quis rem Ecclesiæ temporalem, vel spiritualem auget, vel augere potest doctrinâ, moribus, vel armis; qua de causa tertiæ decimarum Regibus Hispaniæ concessæ sunt: vel, cùm gerit negotia Ecclesiæ in Concilio, vel in Curia, vel alibi. Et hac ratione est licita pensio, quæ datur filio Comitis, propter obsequia, quæ pater præstitit Ecclesiæ. Similiter cùm quis prædicat, vel docet in hoc Episcopatu, est causa iusta, vt concedatur illi pensio pro hoc ministerio spirituali. Et hinc licitè conceduntur pensiones domibus Religiosorum; quia inseruiunt Ecclesiæ audiendo confessiones, prædicando, docendo pueros. Vnde in rigore Collegia Societatis non tenentur inferuire Ecclesiis particularibus, à quibus partem decimarum recipiunt; quia sat est, vt sua ministeria in bonum vniuersalis Ecclesiæ redundent.

5 Secunda causa est, cùm fit permutatio beneficiorum habentium inæquales redditus.

Tertia, cùm duo litigant super beneficio ad componendam litem.

Quarta, cùm datur alicui coadiutor.

Quinta, quando senex renunciat Curato, vel Episcopatui, propter seruitia exhibita Ecclesiæ.

Sexta, cùm aliquis Clericus eget, eo enim ipso, quòd est Clericus & pauper, est causa iusta.

Septima, quando est probabilitas de seruitio exhibendo Ecclesiæ: vnde non sat est, quòd sit nobilis, vt ei liceat assignare pensionem.

6 An verò resignare beneficium sit causa sufficiens, vel resignare in fauorem alterius; dico quòd, si resignans est senex, vel diu seruiuit beneficio, vel ex iusta causa vellet

Universidad de Deusto
Biblioteca



resignare, & non remanet ei sufficiens sustentatio, est sufficiens causa: si verò nihil horum concurrat, solùm resignare beneficium, vel resignate in alterius fauorem, non est causa sufficiens, nisi concurrat paupertas, saltem secundùm decentiam status, Et qui, hac causa non concurrente, reciperet pensionem, teneretur eam, vt bona superflua ecclesiastica, in pios expendere vsus.

7 An verò liceat reseruare omnes fructus beneficij pro pensione; dico, quòd in his casibus est licitum authoritata Papæ ex iusta causa.

Primus, quando beneficium nullum habet seruitium annexum, vel si habet, ex obuentionibus tamen (quas vocant *pedem altaris*) remanet, quod est sufficiens ad sustentationem seruientis illud.

Secundus', per viam permutationis, si vnum beneficiū nullos haberet fructus, sed tantùm personalem titulum; alterum verò fructus haberet.

At extra hoc duos casus est illtcitum, etiamsi authoritate Papæ fiat. Sed debet semper relinqui sufficiens stipendium ipsi beneficiaro; hoc enim iure naturæ debetur: & sic non potest Papa ex illo qemere; aliàs tenebitur restituere, tum Papa, qui abstulit, tum ille, bui daretur talis pensio.

8 Quartò dico, quòd, licèt aliqui dicant non esse tutas pensiones, quæ dantur, nisi pro seruitio temporali, vel spirituali Ecclesiæ; & sic non esse ferendum, quòd dentur coniugatis pro alenda vxore, & familia; at satis probabile est, quòd, relicta sufficienti sustentatione beneficiato, potest summus Pontifex ex eo, quod superest, pensiones etiam coniugatis assignare in sustentationem suo statui necessariam, vel decentem. Ratio, quia hæc sunt bona pauperum.

9 Quintò dico, quòd, si absque iusta causa assignaret Pontifex pensionem, teneretur restituere, & etiam recipiens pensionem. At, quando non constat de iniustitia causæ, in dubio præsumendum est pro Papa.

10 Vltimò dico, quòd si Papa concedat Regi Hispaniæ pensionem, & Rex illam dat alicui particulari, tûc sat est iusta causa, quæ fuit in Rege, vt ipsi Regi concederetur: nec tenetur priuatus hoc discutere. At de facto non ita est, sed Papa ipse concedit particularibus ad instantiam Regis: & sic exigitur in ipsis causa iusta, aliàs peccabit Papa concedendo, & Rex petendo.

## DVBIVM XLVI.

*An sit licitum vendere, & redimere pensiones.*

1 DVplex est sententia extrema in hac re.

Prima absolutè dicit, esse simoniam redimere pensiones. Probatur, quia ius patronatus minus spirituale est, quàm ius pensionis: si quidem illud laicis, immò & fœminis, conuenit, & vendità vniuersitate bonorum, transit cum bonis, & acquiritur iure hæreditario, vt dicemus *infrà*; sed vendere ius patronatus est simonia; ergo. Secundò, quia, etsi decimæ vendi possint; at ius percipiendi illas est inuendibile, eo quòd Clericis debetur propter diuinum cultum; ergo à simili, quamuis fructus pensionis sint vendibiles, ipsum tamen ius, quod habet pensionarius in beneficio Ecclesiastico, vendi non potest. Tertiò, quia annexa spiritualibus, quæ sunt materia simoniæ, dicuntur ea, quæ spiritualibus aliquo modo adhærent, teste D. Thoma 2.2. *quæst.*100 *art.*1 *ad* 6. ab omnibus recepto; at pensi adhæret rei spirituali, quia non potest competere de iure, nisi personæ spirituali, scilicet Clerico, vt dixi *dub. præcedenti*, & propter aliquid spirituale datur; cùm Pius Quintus in motu proprio obligauerit pensionarios ad recitandum officium Beatæ Mariæ, & non recitantes ad restituendum fructus pensionis; ergo. Sic tenent Nauarr. summa Lat. *c.* 23. *n.* 111. *vers. ad* 11. & *lib.* 5. *conf. tit.* 3. *de simon. conf.* 63. Beja *casu* 37. Candelabrum sacramentorum *append. c.* 1. *n.* 33. Rebuff. *de pacif. possess. n.* 134. Salzedo *super cap.* 91. *præt.* Bernad. Diaz, Adrian. *quodlib.* 9. *in solut. ad* 5 *principale*, Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 63. *n.* 1. 2. 3. Maior. 4. *dist.* 25. *quæst.* 5. Aragon 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *fpl.* 1122. Ludou. Lopez 1. *p. instr. noui, cap.* 303. *fol.* 936. 937. Corduba *lib.* 1. *q. quæst.* 21. §. *item*, dicit non posse absque licentia Papæ, & Enriquez *lib.* 13. *de excomm. cap.* 13. *n.* 2. & nonnulli recentiores.

2 Nota primò, quòd aliqui ex his Doctoribus excipiunt pensiones, quæ dantur titulo sæculari, & temporali, vt tertiæ, quæ dantur Regi Hispaniæ, & quæ militibus, eo quòd armis defendunt fidem; & dicunt, has posse vendi, quia sunt merè temporales. Sic Aragon, Manuel *num.* 3. Ludou. Lopez *ibi*. Similiter dicunt Aragon *ibi*, & Manuel *num.* 4. posse vendi, & redimi pensiones sine iusta causa positas, quia non dantur ob titulum spiritualem. At Brja *dicto casu* 37. dicit, etiam esse simoniam vendere, seu redimere pensiones, quæ dantur titulo sęculari, quia licèt dentur sæculari, at dantur ob aliquod obsequium Ecclesiæ præstitum, vel præstandum: fauéntque alij Doctores huius sententiæ, qui absolutè docunt, redimere pensionem esse simoniam.

3 Secundò nota, quòd Ludou. Lopez *suprà* dicit, hanc simoniam esse contra ius diuinum; at alij ex Doctoribus citatis apertè sentiunt, esse contra ius tantùm ecclesiasticum, cùm fateantur, posse ex licentia Papæ vendi. Sic Cordu Beja, Nau. Candelabrum sacramentorum, Adrianus *vbi suprà*, Entiquez *suprà*.

4 Tertiò nota, quòd quidam ex dictis Doctoribus aiunt, quòd, si pensio redimatur absque Papæ authoritate, inualida est redemptio, & ea non obstante potest petere pensionarius pensionem, vbi transacti fuerint anni, qui æquent in redditibus pensionis pecuniam ob redemptionem acceptam. Sic Beja, Candelabrum, Entiquez, Nau. *in summa vbi suprà*. At idem Nau. *lib.* 5. *conf. tit.* 3. *de simon. conf.* 63. videtur sentire oppositum; dicit enim, quòd, si redimatur, non tenetur restituere accepta: & potest probari, quia, vt *infrà* dicemus, teneri restituere accepta, est pœna simoniæ solo iure ecclesiastico instituta; at pœnas incurrit simoniacus in Ordine, & beneficio, & ingressu Religionis. Et sic Nau. *vtroque loco citato*, Beja, Salzedo, Candel. Enriquez *suprà* fatentur, redimentem pensionem non incurrere excommunicationem, quia non est simonia in beneficio.

5 Quartò nota, quòd fatentur hi Doctores, posse pensionarium remittere gratis pensionem. Sic Nauarr. Beja, Candelabr.

6 Quintò nota, quòd secundùm hanc sententiam, si Papa reseruauit pensionem Paulo cum obligatione, vt Paulus eam soluat Ioanni, quia fortè Ioannes non erat capax, quia non erat naturalis regni, licèt Paulus non possit absque simonia redimere pensionem, ita vt beneficium liberum maneat; at potest redimere obligationem, qua tenetur eam reddere Ioanni, quia hæc obligatio est merè temporalis separata à iure spirituali. Sic Nauarr. *dicto consil.* 63.

7 Sextò nota, quòd ex hac sententia infert Nau. *lib.* 3. *conf. tit. de præbend. conf.* 46. quòd si ex licentia Papæ fuit reseruata pensio Petro eum facultate eam transferendi, erit simonia, si absque facultate Papæ eam transferat cum reseruatione exigendi eam, quoad vixerit; quia non habuit facultatem à Papa sic transferendi; at non incurret excommunicationem, nec est simonia confidentialis.

8 Secunda sententia extrema absolutè docet, pensiones esse quid temporale, & sic posse redimi absque simonia. Ratio, quia pensio non est ius immediatè ad decimas, quod est spirituale, & inuendibile; sed est obligatio ad beneficiarium, vt ille soluat tale onus: sicut in locatione fructuum beneficij ad triennium non transfertur ius ad decimas. Nec obstat, quòd nunc pensioni annectitur onus recitandi officium B. Mariæ; quia hoc non mutat naturam rei, sed est onus per accidens annexum, nec principaliter datur propter illud; sicut etiam est per accidens annexum, quòd soli Clerico debeat dari. Et sic non est



est verum esse magis spiritualem pensionem, quàm iuspatronatus, quia illa immediatè respicit fructus, qui sunt temporales; at iuspatronatus immediatè respicit beneficia, cùm sit ius præsentandi ad illud. Sic tenent Caietan, *tom.* 1. *tract.* 31. 17. *responf. responf.* 10. Metina *lib.* 1. *summæ. cap.* 14 §. 22. *fol.* 130. *pag.* 1. Nauarr. summa Hispan. *cap.* 25. *num.* 114. & multi docti recentiores. Fauet Panorm. *cap. ad audientiam, de rescript. n.* 2. vbi dicit, esse quid temporale: & idem Ludouic. Gomez *reg. de annali, quæst.* 21.

9 Vt autem clariùs procedamus, statuam de singulis pensionibus singulas conclusiones.

10 Prima conclusio. Quando pensio constituitur in titulum beneficij cum onere alicuius ministerij Ecclesiastici, vt quando alicui assignatur pensio super beneficium alterius ratione alicuius ministerij spiritualis, scilicet ratione adiutorij, vt, cùm Episcopo titulari assignatur pensio super Episcopatum, vt adiuuet Episcopum, &c. & tunc non potest absque simonia redimi; quia datur pro ministerio spirituali, & habet titulum spiritualem. Sic Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 7. *art.* 2. Victoria *relect.* 1. *de simon. n.* 48. & dicit, etiam ex licentia Papæ, non posse redimi; quia est verum beneficium. Corduba *lib.* 1. *quæst. q.* 21. §. *item secundo*; & dicit etiam esse verum beneficium, & multi docti iuniores dicentes hoc esse certum apud omnes. Faciunt etiam clarè pro hac sententia alij Doctores dicentes, hanc pensionem esse propriè beneficium, & leges consequi beneficij. Hi sunt Cou. *quæst. pract. c.* 36. *n.* 10. *vers. Quarto quoties*. Cardin. *Clement.* 1. §. *eadem, de suppl. neglig. prælat.* Gigas citatus per Couarr. glossa *Clement.* 2. *vers. Quodcunque, de vita, & honest. cler.* Panormit. *cap. conquerente, de cler. non resid.* Staphilæus *de litteris gratiæ, fol.* 22. Ludou. Gomez *reg. de annali, quæst.* 21. Et sic dicit decisum à Rota, quod sententia priuatiua quoruncunque beneficiorum comprehendit has pensiones; licèt Sotus *suprà* solùm dicat, has pensiones habere effigiem præbendarum.

11 Secunda conclusio. Pensiones, quæ dantur personis omnino sæcularibus, vt Regibus, militibus, &c. quia armis, vel suo patrocinio defenderunt temporaliter Ecclesiam, sunt omnino temporales, & possunt vendi, & redimi. Ratio, quia cùm nō habeant titulum spiritualem, nec ordinentur ad ministerium spirituale, sunt omnino temporales. Sic tenent Doctores secundæ sententiæ, & etiam aliqui ex Doctoribus primæ sententiæ contra Bejam, vt dixi *notab.* 1. *circa primam sententiam*. Idem tenet Sotus proximè *conclusione præcedenti*. citatus, Victoria *relect.* 1. *de simon. n.* 52. & aliqui iuniores dicentes, hoc esse certum, & commune.

12 Nota, idem dicendum esse de pensione, quæ daretur procuratori Ecclesiæ, qui eius negotia gereret, vel in curia, vel in Concilio, vel alibi, eâdem ratione: & similiter, si filio Comitis Clerico daretur pensio ob obsequia, quæ pater Ecclesiæ præstitit, quia datur ratione ministerij temporalis, & per accidens datur Clerico: licèt enim non esset Clericus, posset illi dari. Pro hac sunt Doctores secundæ sententiæ.

13 De pensione verò, quæ solet assignari seni renuncianti beneficium ob labores præteritos exhibitos, est maior difficultas, an possit redimi: videtur enim, non posse; quia est annexa statui clericali, & datur pro ministerio spirituali præterito, & sic videtur non minùs spiritualis, quàm si daretur pro ministerio spirituali futuro: & hanc dicit fortè veriorem esse Sotus *vbi suprà*; & in hanc magis inclinat Victoria *relect.* 1. *de simon. n.* 49. & tenent Doctores primæ sententiæ. Sed sit

Tertia conclusio. Satis probabile est, posse redimi, quia non datur ad exercendum aliquod ministerium spirituale, sed tanquam alimentum illius Clerici, & sic est temporalis. Hanc vltra Doctores secundæ sententiæ, tenet tanquam probabilem, Victoria *illo n.* 49. & dicunt, esse probabiliorem multi iuniores.

14 De pensione, quæ datur Clerico pauperi, tanquam alimentum, aliqui, vltra Doctores primæ sententiæ, censent esse simoniam illam redimere, quia titulus recipiendi illam est ordo sacer', & sic est illa spiritualia. Sic Victoria *ibi n.* 51. licèt aliquantulum dubius. Sit tamen

Quarta conclusio. Satis probabile est posse redimi, quia est merè temporalis; non enim datur pro ministerio spirituali, nec titulo spirituali, sed tantùm in alimentum illius Clerici. Vnde clericatus, & ordo sacer tantùm se habet concomitanter. Sic Doctores secundæ sententiæ cum multis iunioribus.

15 De pensione verò, quæ conceditur in renunciatione, & commutatione beneficiorum; cùm scilicet, quis commutat beneficium pinguius reseruatâ pensione, vel renunciat in fauorem alterius reseruatâ pensione, aliqui tenent, esse simoniam eam redimere quia authoritate Papæ commutatur pro beneficio, quod fieri non posset, si non esset spiritualis; sicut non potest authoritate Papæ commutari pro pecunia. Sic Victoria *ibi num.* 53. & Doctores primæ sententiæ. Sed sit.

Quinta conclusio. Satis probabile est: posse redimi, quia hæ pensiones sunt merè temporales; nam iam sunt extractæ à titulo, & officio spirituali. Item probatur ex communi vsu, & ex *c. ad quæst. de rerum permut.* Vnde benè hoc colligit Sotus; & ad argumentum possumus

Primò dicere, falsum esse commutari pro beneficio: nam renunciare beneficium reseruando pensionem, non est cōmutare pro pensione, sed nō dare integros fructus.

Secundò cum Metina *suprà* respondetur, non commutari beneficium pro pensione, sed Papam mutare personas, vt, quæ priùs habebat beneficium, habeat modò pensionem.

Tertiò, quòd, si verè commutaret Papa pro pensione beneficium, sequeretur, iuxta priorē sententiā, quòd pensio est res spiritualis, quæ etiam est satis probabilis. Hanc dicit Sotus *suprà*, forsan esse veriorem, & vltra Doctores secundæ sententiæ, eam tenent docti iuniores.

16 Sexta conclusio. Pensiones, quæ conceduntur ad componendam litem dubiam super beneficio, possunt absque simonia redimi. Patet ex dictis: & sic, vltra Doctores secundæ sententiæ, eam tenent prædicti iuniores.

17 Septima conclusio. Pensiones illicitæ, quæ sine causa rationabili sunt constitutæ, possunt absque simonia redimi, cùm nullo titulo spirituali dentur; at erit iniustitia ex parte accipientis pecunias, quia non habet ius ad talem pensionem. Sic Victoria *supra n.* 54. Aragon, & Manuel citati pro prima sententia, & alij.

18 Octaua conclusio. Nullo modo licet dare pecunias ad constituendam pensionem super beneficium. Sic Nau. dicens, esse omnium. Summa Hisp. *cap.* 25. *n* 114. & *lib. conf. tit. de præbend. consil.* 54. dicit, quòd, licèt, secundùm aliquos, possit pretio pensio redimi; at nullus dicit, posse pretio constitui, aut transferri; at hæc possunt fieri de licentia Papæ: & Toletus dicit, quòd, licèt quis habeat licentiam transferendi suam pensionem in alium; at non potest pretio transferre, seu vendere, nisi sit pensio, quæ omnino titulo sæculari conceditur, vt militibus, &c.

19 Et sic breui epilogando omnia dicta, amplectimur, tanquam valde probabilem, secundam sententiam, scilicet, quòd omnes pensiones possunt pecuniâ redimi, demptâ ea, quæ datur in titulum beneficij ob aliquod ministerium spirituale futurum, vt coadiutori Episcopi, vel parochi senis: hæc enim, etiam ex licentia Papæ, redimi non potest; at constitui, vel transferri pretio non possunt pensiones absque Papæ licentia.

20 Tandem nota, quòd, licet aliqui ex Doctoribus primæ sententiæ nobiscum sentiant, dicentes, posse absque simonia redimi pensiones dictas, quos retuli *notab.* 2. *circa primam sententiam*; dicūt tamen, non posse redimi sine licentia Papæ; at non est mirum, quòd illi id dicant, quia fatentur, esse materiam simoniæ pensiones redimi; at nos, qui amplectimur oppositum, dicimus, posse redimi absque licentia Papæ, cùm nullo iure probetur oppositum:

Universidad de Deusto
Biblioteca



& sic videntur tenere Doctores secundæ sententiæ, cùm absolutè fateantur, posse redimi: & sic tenet Nau. Hisp. *cap.25.n.114.* dicit tamen, quòd in foro externo secundùm stylum curiæ necessaria est licentia Papæ.

## DVBIVM XLVII.

*An, cum quis renunciat beneficium retenta pensione, possit simul, & vnico tractatu vendere illam pensionem eidem beneficiario, id est, pacisci cum illo, quod ipse illam redimet certa summa pecuniæ.*

1 Dico, quòd licèt aliqui hoc damnent vt simoniacum; at verius est, quòd, si non facit in fraudem, vt scilicet vendat beneficium illa pecunia, erit licitum; at quia magnam simoniæ suspicionem generat, nullo modo est consulendum. At si in renunciatione beneficij intercederet pactum, quòd alius teneretur eam redimere, siue statim, siue pòst, esset simonia; quia illa obligatio est pretio æstimabilis, & sic est venditio beneficij. Et similiter est simonia, si renunciet beneficium reseruata pensione, cum hac conditione, quòd pensionarius soluat hoc anno pensiones decem annorum, quia illa obligatio est pretio æstimabilis.

### SVMMARIVM.

48. *Quid sit iuspatronatus, & quibus modis acquiratur.*
49. *An ex bonis incertis, quæ quis tenetur restituere pauperibus, eo quod non comparet dominus, possit instituere capellam, hospitale, vel monasterium, vt ipse cum suis successoribus habeat iuspatronatus.*
50. *An iuspatronatus possit acquiri præscriptione.*
51. *An per decretum Trid. sess.25.cap.9.de reform. auferatur priuilegium, quod habent aliqui domini temporales præsentandi in suis oppidis, vt habet Dux Albæ, & alij.*
52. *An possint patroni ab Ecclesia patronata exigere aliquod seruitium, vel aliquid temporale, vt censum, vel aliquod gramen inferre, vt certos cereos à presbytero certa die habere, vel similia in iurispatronatus recognitionem.*
53. *Quid sit iuspatronatus laicum, siue seculare, & Ecclesiasticum: seu patronatus laicus, & Ecclesiasticus, & qualiter inter se differant.*
54. *An possit derogari iuripatronatus, ita vt absque patroni præsentatione, vel alij, quàm præsentato per patronum, possit beneficium conferri.*
55. *An permutatio beneficij iurispatronatus laici, vel Ecclesiastici facta sine consensu patroni, vel, eo non vocato, sit nulla ipso iure, vel eo contradicente, sit per sententiam rescindenda.*
56. *An, quando beneficia patronatus permutata sunt sine consensu patronorum, possint patroni ad ea beneficia alios præsentare, vel ipsi permutantes necessariò ad priora beneficia restituendi sint.*
57. *An possit resignari, vel vniri alteri beneficium patronatus absque consensu patroni; vel rector ponere vicarium in beneficio patronatus.*
58. *An possit pensio constitui super beneficio patronatus absque consensu patroni laici.*
59. *An tempus, quod habet patronus Ecclesiasticus, & laicus ad præsentandum, computetur à die vocationis beneficij, an à die scientiæ vacationis, & ita non currat patrono ignoranti hoc tempus.*
60. *An quando patroni litigant super patronatu, transacto semestri, vel quadrimestri illis à iure concesso ad præsentandum, deuoluatur collatio beneficij ad Episcopum, vel superiorem, qui habet instituere.*
61. *An, tempore præfixo patronis ad præsentandum elapso, vel iure præsentandi patronis priuatis, possit Episcopus concedere, vt præsentent.*
62. *An vltima die quadrimestris, vel semestris possit fieri præsentatio, & qualiter hi menses computabuntur, id est, quot dies pro singulis mensibus à n.30. vel 31.*
63. *An quando præsentatio non tenuit, quia præsentatus fuit indignus, vel non facta est coram legitimo superiore, vel præsentatus renunciauit, vel obiit, & habeat patronus integrum tempus iure concessum ad iterum præstandum.*
64. *An, vt deuolutio non fiat ad superiorem, sat sit patronum intra tempus iure taxatum præsentare, vel etiam requiratur, vt præsentatus præsentetur superiori.*
65. *An patronus laicus possit variare, & Ecclesiasticus non possit.*
66. *An, si vnus patronus est clericus & alter laicus, vel plures laici, vel ambo laici, possint omnes, vel saltem alter variare.*
67. *An quando vniuersitas, vel Collegium sæculare habet ius patronatus, possit variare.*
68. *An si patronus promisit præsentare vnum, possit variare, si est patronus laicus.*
69. *An patronus laicus, qui vnum præsentauit, & promisit cum iuramento non variare, nec reuocare illam nominationem, possit variare.*
70. *Quis sit capax acquirendi iuspatronatus ex constructione, dotatione, vel fundatione Ecclesiæ.*
71. *Quis patronus possit præsentare ad beneficium.*
72. *An possint patroni inter se conuenire absque superioris licentia de alterius vicibus præsentando, id est, vt vnus præsentet prima vice, qua occurrerit vacatio, alter secunda, alter tertia.*
73. *Quis possit præsentari à patronis ad beneficia.*
74. *An possit patronus se ipsum præsentare ad beneficium.*
75. *Quibus modis transferatur iuspatronatus de vno in alium.*
76. *An requiratur licentia Episcopi, vt iuspatronatus tam legitimè creatum transferatur de vna persona in aliam ex titulis in iure permissis.*
77. *An consensus Episcopi requisitus ad translationem iurispatronatus sufficiat, si præsetur post dictam translationem factam.*
78. *Quando incipiat competere iuspatronatus illi, in quem translatum est.*
79. *Quomodo transferatur iuspatronatus titulo venditionis.*
80. *An venditâ, vel alio modo alienatâ, vniuersitate, transeat cum illa iuspatronatus.*
81. *An, si in venditione vniuersitatis, in qua est iuspatronatus, exprimatur iuspatronatus, valeat venditio.*
82. *An, si venditur iuspatronatus, cum illa venditio non valeat, quid fiet de illo iurepatronatus, scilicet, cui sit restituendum.*
83. *Cui restituendum est pretium, quo emptum est iuspatronatus.*
84. *An iuspatronatus possit impignorari, vel transeat cum villa, vel alia vniuersitate impignorata.*
85. *An possit locari iuspatronatus, vel transeat cum vniuersitate locata.*
86. *An possit iuspatronatus dari in dotem.*
87. *An publicatis bonis alicuius publicetur iuspatronatus.*
88. *Qualiter transferatur iuspatronatus permutatione, an scilicet possit permutari.*
89. *An iuspatronatus possit permutari cum quacunque re.*
90. *Qualiter transferatur iuspatronatus legato, vel donatione.*
91. *An, cùm transfertur in alium iuspatronatus donatione, vel alio titulo habili, possint apponi conditiones per transferentem.*
92. *An possit pater iuspatronatus hæreditarium obtenti illud in aliquem transmittere donationis legatiue titulo, etiam in præiudicium hæredum legitimorum, ita, vt filius nulla competat querela, quasi pater inofficiosam donationem fecerit.*
93. *Quomodo transferatur iuspatronatus in alium via successionis hæreditariæ.*

94. *An iuspatronatus transeat in fideicommissarium, cui hæreditas restituitur, vel maneat apud hæredem directũ.*
95. *An in diuisione hæreditatis possit index vni ex hæredibus applicare iuspatronatus.*
96. *An possit iuspatronatus transferri titulo habili in eos, qui ex fundatione non possunt acquirere iuspatronatus, vt in hæreticos, &c. de quibus supra dictum est, vt donatione, hæreditaria successione, venditione vniuersitatis.*
97. *An succedant in iure patronatus filij illegitimi, & quid de legitimatis.*
98. *Quando titulo habili, vt donatione, vel quia plures sunt hæredes vnius patroni, iuspatronatus transfertur in plures, quo pacto illi plures sint patroni, scilicet, an omnes habeant vnam vocem, vel plures.*
99. *Quando computetur vox illorum, scilicet, an requiratur, vt faciant vocem, vt omnes concordent in præsentatione, quando plures sunt hæredes, vel alio modo succedunt in iurepatronatus vnius.*
100. *An quando sunt plures patroni totius iurispatronatus, vt si plures fundarunt, &c. requiratur, vt omnes concordent, vel sit eligendus præsentatus à maiori parte.*
101. *An, cùm patroni dimidunt vota sua æqualiter. v.g. duo patroni præsentant vnum, & duo alium, quis horum sit instituendus.*
102. *An quando vota præsentantiũ sunt æqualia, sint attendendæ ipsorum patronorum præsentantium qualitates, vt quòd aliqui ipsorum sint Clerici, alij laici, alij masculi, alij fœminæ.*
103. *An patroni ad præsentandum necessariò debeant conuenire, seu confluere in vnum locum, & sic omnes vocari, an sat sit, vt quilibet seorsum, & per se præsentet, & sic non sit necessarium eos vocari.*

## DVBIVM XLVIII.

*Quid sit iuspatronatus, & quibus modis acquiratur.*

1 Hic sunt aliqua de iurepatronatus in summa, & breui tractanda, latiùs videnda in Doctoribus citandis. Sit

2 Prima conclusio. Iuspatronatus, vt de illo in præsenti est sermo, *est ius præsentandi ad beneficium Ecclesiasticum, competens alicui in Ecclesia, eo quod de consensu Episcopi eam construxit, vel dotauit, vel ipsemet, vel ille à quo ea iuspatronatus habuit* Sic Sylu. *verb. iuspatronatus, initio* & *ibi* alij summistæ.

3 Secunda conclusio. Sex modis acquiritur iuspatronatus, scilicet si constructit, vel fundauit, vel dotauit Ecclesiam. Patet ex *c.filiis 16.q.7.c.nobis, de iurepatr.* Trid. *sess.25.cap.9. de refor.* Potest etiam ex priuilegio, consuetudine, & præscriptione acquiri, *c.cura, de iurepatr. & d.c. 9. Trident.*

4 Circa priores tres causas, nota primò, non requiri omnes tres causas simul, sed quamlibet illarum; quia textus citati loquuntur disiunctiuè, & sic *l.1.tit.15.p.1.* sic dicit. *Este derecho gana el hombre por tres cosas: la primera por el suelo, que da ala Yglesia: la segunda porque da faciẽda: la tercera porque le da heredamiento, que dizen dote, de donde viuan los Clerigos, que lo siruen.* Sic Greg. Lopez *l.1.* Cardin. Cassiodorus, Rochus, quos refert &, sequitur Spino *speculo testam. gloss.4.num.28.*

5 Secùdò nota, quòd licèt cõstructor, ædificans, vel dotans, si non reseruarit sibi iuspatronatus, adhuc ipso iure exrãtibus causis hoc ius acquirit, *c. significauit, de testib.* ibi hoc notant Bald. Pan. Felin & communis, vt refert ac sequitur Padilla *l.altius, n.2. C. de seruit. & aqua,* Greg. Lopez *d.l.1. gloss.6.* Rochus. & alij, quos refert, ac sequitur Spino *dicta glossa 4.num.29.* Lambert. *de iurepatr. lib.2.part.1. quæst.2. art.4.* & ratio est, quia ius ipsum disponit, vt ædificans Ecclesiam, eo ipso acquirat iuspatronatus.

6 Tertiò nota, quòd dos data ad acquirendum iuspatronatus non sufficit qualiscunque, sed debet esse sufficiens. Spino *n.30.* vbi alios refert: & multa de hac dote, & de his causis acquirendi iuspatronatus videnda sunt in Lambertino *de iurepatr. lib.1.p.1. à q.2. vsque ad 9. inclusiuè, & q.10. tract. qualiter acquiratur consuetudine, priuilegio, vel præscriptione;* vbi *art.4.* docet priuilegio soliusPapæ posse Ecclesiam liberam effici patronatam; nec sat esse consensum Episcopi cum Capitulo. Et *q.11.* tractat in quibus Ecclesiis acquiratur iuspatronatus; scilicet an in cathedralibus, collegiatis, hospitalibus, Collegiis, confraternitatibus, &c. De hac etiam dotatione vide Perez *leg.1.tit.6. lib.1. ordin. à fol.136.* & Spino *à dicto num.30.* & Gregor. Lopez *d.l.1.* & Sylvest. *verbo iuspatr. quæst.1.*

7 Quartò nota, non sat esse dictas causas, sed requiri, vt acquiratur iuspatronatus, fieri de licentia Episcopi. Vnde constituens, ædificans, vel dotans Ecclesiam absque Episcopi licentia, non acquirit iuspatronatus, *cap.nobis, de iurepatr.* vbi omnes hoc tenent, vt refert, & sequitur Lambert, *de iurepatr. lib.1.p.1.q.2.art.3.* vbi quærit, an hic consensus Episcopi debeat interuenire ratione constructionis, vel dotationis, quasi nemo possit ædificare Ecclesiam sine consensu Episcopi, iuxta *cap.nemo, de consecrat. dist.1.* vel requiratur alius consensus diœcesani ratione acquisitionis iurispatronatus: adeò, quòd faciens vnum ex tribus dictis, non acquirat iuspatronatus, nisi Episcopus consentiat vt acquirat. Et ipse tenet, ac latè probat, requiri hunc secundum consensum. At verius est, sat esse primum; si quidem ius concessit tale iuspatronatus facienti vnum ex illis, modo faciat cum consensu Episcopi. Sic Panorm. *dicto cap.nobis, notab.1.* & videtur *ibi* tenere Innoc. & Archid. quos *ibi* refert Lambertinus. Idem Host. Direct. Mathesil. Paulus de Citadinis, Stephanus Caiet. quos *ibi* refert Lambert.

8 Quintò nota, sat esse consensum hunc Episcopi superuenire post fundationem, constructionem, vel dotationem, per *cap.cura, de iurepatron.* ibi, *aut Episcopi habuerit postea consensum.* Et tenet *ibi* Panorm. Nauar. *lib.3. consil. tit. de iurepatron. consil.2. num.18.* Rochus *tract. de iurepatron. verb. pro eo quod, à num.7.* Lambertin. *eodem tract. lib.1.p.1.q.2.art.12.* & *art.14.* probat, inferiorem Episcopo posse præstare hunc consensum, si habet iurisdictionem, quasi Episcopalem. Et *art.9.* probat idem posse Capitulum, sede vacante, quia habet iurisdictionem quasi Episcopalem, & hic est actus iurisdictionis. Et *art.8.* tractat cuius Episcopi consensus requiratur, an scilicet Episcopi originalis, vel domicilij, vel vbi est sita capella, vel Ecclesia. Et *art.7.* an in dubio præsumatur iuterueniisse consensum; & *art.6.* an sat sit consensus tacitus; & *art.16.* & 17. probat, quòd si Episcopus sine causa neget præstare consensum, potest cogi, & debet per superiorem, vt Archiepiscopum.

9 Sextò nota, quòd, si plures concurrunt ad fundationem, inæqualiter tamen, omnes sunt patroni in solidum. Et si aliquis præstitit duo, quorum quodlibet est sufficiés ad iuspatronatus acquirendum, habebit duas voces, at si tantùm vnum fecit, at plus contribuit, quàm reliqui, licèt omnes sint patroni in solidum, & singuli habeant singulas voces; at hic plus contribuens habebit pinguiorem vocem, quia scilicet existenti pari numero præualebit. Sic Lambert. *eodem tract. lib.1.part.1. quæst.3. art.8.d.12. tit.part.1. & ibi* Greg. Lopez.

10 Tertia conclusio. Iuspatronatus non est quid spirituale, sed spirituali annexum. Hæc est D. Thomæ *2.2. q.100. art.4.* quem omnes Theologi *ibi* sequuntur; vbi dicit, esse annexum spirituali, quia ordinatur ad spirituale, scilicet ad præsentandum ad beneficia; & patet etiam ex *cap.quanto, de iudic.* vbi sic dicitur, *Causa iurispatronatus ita connexa est spiritualibus causis, vt non nisi Ecclesiastico iudicio valeat definiri.* Sic Rochus, & multi alij, quos refert, & sequitur Lambert. *de iurepatr. lib.3.q.9. art.1.* vbi concludit, esse partim spirituale, & partim temporale, & nomen sortiri à digniori, & sic dici spirituale.

11 Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca



11 Hinc fit, quòd causa iurispatronatus est fori tantùm Ecclesiastici, *cap.quanto,de iudic.* & docet Lambert. *ea q. 9. art.2.* Nec potest talis causa compromitti in laicum:sicut nec ipsa præsentatio potest compromitti in laicum tanquam in arbitrum, quia arbitria sunt redacta ad instar iudiciorum *l.1 ff.de arbitr.*Sic Lambertin.*ibi art.4.* & refert Ioannem Andream, Panormitan.Butrio, Felinum,& alios. Immò nec iudex laicus potest cognoscere non tantùm principaliter, sed etiam incidenter, de iure patronatus.Lambert.*ibi art.5.* Nec potest transigi sine simonia super iurepatronatus, vel super ipsa præsentatione, interueniente aliquo temporali, vt cùm aliis probat *ibi* Lambert.*art.6.*Immò non tantùm causa iurispatronatus, sed etiam cognitio causæ iuris funerandi, pertinet ad iudicem Ecclesiasticum, vt probat *ibi* Lambertin.*art.* 10.at de causa expensarum in sepulcro, seu funere factarum contra laicum potest cognosci per iudicem sæcularem,Lambertin.*ibi art.*10.in quo per plures articulos illius quæstionis videnda sunt alia spectantia ad hoc.

## DVBIVM XLIX.

*An ex bonis incertis,quæ quis tenetur restituere pauperibus, eo quòd non comparet dominus, possit instituere capellam hospitale, vel monasterium,vt ipse cum suis successoribus habeat iuspatronatus.*

1 DVplex est sententia.
Prima dicit,non posse.Probatur ex *c.pia mentis 16.q.7.& cap.nouerint,*10.*q.*1.vbi definitur, non acquiri iuspatronatus,nisi ex largitione bonorum propriorum.Sic tenet Lambert.*de iurepatr.lib.*1.*p.*1.*q.*8.*art.*10. & Waldensis *de sacramentalibus.c.*123. & citat D. Hieronym.in illud Matthæi 25. *Ædificatis sepulcra Prophetarum.*Ad idem est Salon.2.2.*q.*62.*art.*5.*controu.*7.*fine,*vbi dicit,non posse expendi talia incerta pro celebratione Missarum,& probat,quia *c.cùm tu,de vsuris,* præcipitur,vt dentur pauperibus.

2 Secunda sententia probabilior tenet, posse. Ratio, quia non parum videtur dare de suo plenè restituendo, & nolens componi per Bullam; & sic dat, quòd sibi remitteretur.Et D.Hieronymus *loco citato* loquitur, quando dominus potest agnosci.Nec potest *cap. cum tu,* quia nomine pauperum intelligitur quodcunque opus pium, vt ex multis Doctoribus probat Nauarra *lib. 4. de restit. cap.2.num.*40.Sic tenet Nau.*c.quando,*latinè *cap.22.n.*22. 23.Enriquez *lib.7.de indulg.cap.*33.*num.*5.Manuel *quæst. regul.num.*2.*quæst.*122.*art.*4.

## DVBIVM L.

*An iuspatronatus acquiri possit præscriptione.*

1 NOta, quòd, aut Ecclesia à principio libera non fuit, sed patronum habuit; aut à principio fuit libera.

2 Si Ecclesia à principio libera non fuit, sed patronum habuit,tunc communis est sententia contra aliquos, posse præscribi iuspatronatus à laico aduersùs patronum alium;quia,licèt sit spirituali annexum, at potest possideri à laico.Sic Lambert.Rochus,& multi alij, quos refert, ac sequitur Couar.*reg.possessor, part.* §. 10. *num.*8. Perez *lib.*1.*ordin.tit.6.l.*1.*quæst.6.fol.*137.*fine,*Menochius *consil. 90.num.*51.*volum.* 1. Boroius *consil.* 12. *num.* 11. *lib.* 1. Roland.à Valle *consil.*47.*num.*33.*lib.*1.Molina *tum.*1. *de iust.tract.*2.*disp.*70.*pag.* 430. Padilla *leg. si aquam, num.* 55.*Cod.de seruit.& aqua.*Azebedo *lib.*1.*recopil.tit.6.leg.*1. *num.*4.

At dubium est, quanto tempore præscribatur.Triplex est sententia.

3 Prima dicit, requiri quadraginta annos cum titulo, vel tempus immemoriale sine titulo. Sic Dominicus, quem refert Couar. *eo num.*8. & potest probari ex Trid. *sess.*25.*cap.*9.*de reform.*vbi expressè decernitur, iuspatronatus præscribi non posse absque titulo, nisi tempore immemoriali.

4 Secunda sententia docet, semper requiri quadraginta annos,etiam absque titulo. Ratio, quia contra Ecclesiam non præscribitur, nisi 40. annis; at hîc præscribitur contra Ecclesiam,cuius interest non mutare patronos;sic Federicus,Decius,Corneus.Lambert.quos refert, ac sequitur Cou.*eo num.*8. Azebedo,& Perez *suprà.*

5 Tertia sentêtia probabilior ait, præscribi decem annos inter præsentes, & 20. inter absentes; Molina addit hoc esse, quando adest titulus,quando verò ille deest,requiri 30.annos. Probatur, quia hoc non est in præiudicium Ecclesiæ,& sic non præscribitur contra illam, sed contra priuatum patronum;quia Ecclesiæ parùm admodum interest hunc,vel illum habere patronum: & æquè potest vt præscribens sit vtilior,quàm alius patronus;sicut econtrario.Item,quia sine iure expresso, aut vrgenti ratione recedendũ non est à tempore,quo priuatus de iure communi aduersùs priuatum præscribere solet res immobiles. Sic Rochus,Ioan.Andr.& alij, quos refert Couarr. *dicto num.*8.P.Molina *suprà.*

6 Ad decretum Trid.*sess.*25.*cap.*9.respondet bene Azebedo *supra,*intelligi quando præscribitur contra Ecclesiam liberam:vt patet ex textu ibi, *in seruitutem; quod à multis imprudenter fit, redigantur,* Vnde quando præscribitur contra Ecclesiam patronum habentem, ius commune in sua vi manet,& est locus variis Doctorum opinionibus.

7 Si autem Ecclesia libera sit, licèt communis sententia fere omnium sit, laicum non posse præscribere iuspatronatus, vt refert Couar. *eodem.*§.10.*n.*2.vbi multos refert. & idem tenet Perez *dict.l.*1.*fol.*14.At ipse Couar. *dict.* §. 10.*num.*2.*vers.hæc autem,*cum aliis,quos *ibi* refert, dicit, fortè verùs esse, posse præscribi; quod idem tenet Menochius *dicto consil.*90. *num.* 52. & saltem in hoc casu dicit Couarr.*num.*3.esse communem sententiam, & tenet Perez *ibi*; & Molina *dicto tract.* 2. *disp.* 75.*pag.*449. posse præscribi,quando scilicet non est omnino certum Ecclesiam fuisse liberam:& qui præscribere debent iuspatronatus, sunt parochiani ipsi: tunc enim propter probabilitatem,quæ est,ab eis fuisse constructam, & propter obsequium,& onera,quæ illius vtilitatem quotidie præstare solent,poterunt præscribere tempore ordinario 40. annorum absque titulo, ad hunc solum effectum, vt non possent ab eo expelli, dum non constat, ad eos non pertinere.

8 Item licèt, quando Ecclesia est collegiata, Rectoris, & Prælati electio non pertineat ad patronũ,sed ad Capitulum; approbatio verò electi ad patronum, nec valet consuetudo in contrarium, nisi patronus hoc tempore fundationis,vel dotationis reseruasset, *cap.sacrosanctæ,* & *cap.Messana,de elect.*At potest hoc præscribi:& sic,quãdo patroni à tempore immemoriali sunt in possessione eligendi,& nominandi Rectores Ecclesiarum collegialium, in hoc sensu censendi sunt præscripsisse ius illud, quòd non valeant eo spoliari,ac deiici,esto,nullum alium titulum probent, ac ostendant. Et in hoc sensu Reges Hispaniæ censendi sunt præscripsisse ius eligendi, ac nominãdi Rectores,ac Prælatos in Ecclesiis collegiatis, & cathedralibus. Et in hoc sensu accipienda sunt *cap.nobis de iurepatr.& c.generali.de elect.in.6.*quæ huic fauẽt sententiæ. Et lõge apertiùs(ait P.Molin.)fauet Trid.*sess.*25.*c.*9.*de reform.*Sic tenet Cou.*eo n.*3.4.5.alios citãs,P.Mol.*d.pag.*449.

## DVBIVM LI.

*An per decretum Trid.* sess. 25. c.9. de reform. *auferatur priuilegium, quod habens aliquis domini temporales præsentandi in suis oppidis,vt habet Dux Albæ,& alij.*

1 QVidam Theologi Salmãtini,viri docti, de hac re consulti affirmarunt,auferri, nisi priuilegium sit ex iis,quæ ibi permitti Concilium, & videri non esse ex illis, quia tale priuilegium non habetur ratione dotationis,nec fundationis,nec titulo antiquæ,& legitimæ præscriptionis, sed ex moderna concessione Papæ. Addunt tamen prædicti Doctores nullum esse iniiciendum scrupulum obtinenti beneficium ex hac præsentatione, donec per iudicem declaretur, hoc ius præsentandi esse iniustum,& cessasse:& ita mihi dicendum videtur.



## DVBIVM LII.

*An possint patroni ab Ecclesia patronata exigere aliquod seruitium,vel aliquid temporale, vt censum; vel aliquod grauamen inferre, & certos cereos à presbytero certa die habere,vel similia in iuris patronatus recognitionem.*

1 SIt prima conclusio. Patronus habet hoc emolumẽtum,quòd,si ad egestatem deueniat,est alendus de redditibus Ecclesiæ,vel capellaniæ vltra necessaria remanentibus,*cap.nobis,in fine,de iure patron.c.quicunque,* el 2. 16.*q.*7.Sic Spino *speculo testament.glossa* 4.*n.*7. *l.*2. *tit.*15. *partita* 1. & *ibi* Gregor.Lopez Syluest. *verbo iuspatronatus,quæst.*3.Angel.& Tabien.*ibi initio.* Armil. *n.* 3. Lambert,latè *de iure patron.lib.*3.*q.*3.per plures articulos, vbi tractat,an,quando collegium fundat, sint præstanda talia alimenta omnibus de collegio;& an toti familiæ patroni sint præstanda: & quando inæqualiter fundant, an debeant habere inæqualia alimenta.Et qualis debeat esse inopia,vide Gregorium Lopez *ibi.*

2 Secunda conclusio.Hoc ius alimentorum, quod habet patronus ex dispositione iuris, & honor in processione,qui debetur suæ personæ,iuxta *cap.aobis,*§.*finali,de iure patronat,*licèt temporalia sint,non possunt vendi. Ratio,quia hoc ius ita est annexum iuri patronatus, vt non possit ab ipso abdicari, nec est perpetuum, sed tunc cùm Patronus deuenit ad inopiam.Sic Pan.*c.præterea,*el 2.*fine de iure patr.*& *ibi* Capra,& *ibi* Sarra. Rochus *de iurepatr. verbo & vtile, q.*1. Lambert.*dicta q.*3. *art.*15. vbi addit, quòd, postquam deuenerit ad inopiam, quia alimenta dantur mensatim,vel annuatim,vel in pecunia partim, & partim in aliis rebus, talia percipienda ab Ecclesia poterunt per patronum alicui locari pro tanta pecunia; quia tunc non abdicaretur ius alimentorum à iure patronatus, nec alimentaretur patronus per mediam personam, sed venderet annua percipienda pro prædictis, vt inde emeret alimenta ad libitum.

3 Tertia conclusio. Vltra hæc alimenta, non potest patronus ab Ecclesia exigere aliquod seruitium, vel aliquid temporale, scilicet censum, vel aliquod grauamen inferre,nisi concurrant duæ conditiones:altera est, quòd in limine fundationis, & non sat est postea,id appossuerit: altera, vt interuenerit licentia diœcesani. Patet ex *c. præterea,el.*2.*de iurepatr.*vbi id tenet glossa,Panorm.& omnes,vt refert,& sequitur Lambert.*de iure patron.lib.*1.*p.*1. *q.*9.*art.*1.*n.*82.*vsque ad* 85. Sarra & Paulus de Citadinis, quos refert *ibi* glossa *cap. si quis basilicam. de consecr. dist.*1.*& cap. sic quidam* 10.*q.*1.Bald.*c.cum Bertholdus,de sent.& re iud.* Stephanus Cai *cap.fin.de elect. in 6.*Rochus *de iure patron.verbo pro eo,quòd,q.*12.*& verbo vtile,quæst.* 2.Syluest.*verbo iuspatronatus,q.*3.vbi Angel. *n.*23. Arm. *n.*11.Tabien.*quæst* 21.Perez *lib.*1.*ordin.tit.*7.*l.*1. *fol.*147. *pag.*1.Quòd ampliùs confirmatur ex Trid. *sess.*25.*cap.* 9. *de reform.vers.patroni autem,*vbi præcipitur patronis beneficiorum cuiuscunque ordinis, & dignitatis, vt nullatenus,nullâve causa, vel occasione se ingerant in perceptione fructuum, prouentuum, vel obuentionum quorumcunque beneficiorum, sed illos liberè Rectori, vel beneficiato non obstante quacunque consuetudine, distribuendos dimittant.Et *sess.*22.*de reform.cap.*11.dicitur, quòd incurrant eo ipso excommunicationem, & eo ipso iure priuati existant iure patronatus,si aliter fecerint. Et id notat Spino *dicta glossa* 4.*n.*7.& *sess.* 24. *de reform.c.*3. sic dicitur: *Patron,vero in his,quæ ad sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere, nec visitationi ornamentorum Ecclesiæ, bonorum stabilium seu fabricarum prouentibus se immiscеant, nisi quatenus id eis ex institutione,& fundatione cõpetat, sed Episcopi ipsi id faciant,& fabricarum redditus in vsus Ecclesiæ necessarios, & vtiles,prout sibi expedire visũ magis fuerit,expẽdi curẽt.*

4 Amplia conclusionem, vt possit patronus in limine fundationis de licentia Episcopi reseruare aliquod seruitium,non tantùm sibi,sed etiam alteri:textus est, & *ibi* colligit Panorm.*cap.quanto,de censibus, notab.*1. Rochus *supra,verbo & vtile,q.*2. Barbat. *consil.*23. *volum.*1. Lambert. *dicta q.*9 *art.*1.*num.*86.

5 Secundò amplia, vt non solùm possit patronus reseruare sibi aliquid annuatim soluendum, sed etiã, quòd fructus Ecclesiæ, quando contingerit illam vacare, ad se spectent.Sic glossa *cap.generali,verbo fundatione,de electione in 6.* Rochus *ibidem* Lambertin. *eodem articul.*1. *numer.*87.

6 Tertiò in quantum dicit conclusio, nil posse accipere,nisi reseruauerit in limine fundationis, intellige, nisi consuetudo haberet clerum dare aliquid præsentanti, licèt temporale,vel aliquos cereos certa die, tenebit enim talis consuetudo,Sic Lambert.*lib.*3.*de iure patr. q.* 3. *art.* 16.Quod intelligi debet de consuetudine immemoriali: nam aliam consuetudinem reprobat Concilium Trid. *sess.*25.*cap.*9.*de reform.vers.Patroni autem,* quia tunc credendum est, in ipsa fundatione fuisse sibi legitimè reseruatum Hinc

7 Infertur primò, quid sit respondendum Comiti de Monte Regio, qui habet ius præsentandi ad beneficia sui status, & ex singulis præsentationibus exigit vnum marcum,id est,65.argenteos,& eius Secretarius, *vna dobla,*id est,vigintiquinque argenteos,& octo marauetinos: & præter hæc curati prædictorum beneficiorum soluunt singulis annis certum quid, quod vocant, *iure patronat.*vt quatuor fenecastritici,&c.Dicendum enim est, quod, si extat consuetudo immemorialis (vt fertur extare) & Comes implet obligationes patroni,quas de iure habet, potest tutâ conscientia exigere.Nec obstat Trid. *sess.* 24. *de refor.cap.*14.quod videtur in oppositum, & derogat consuetudinem contrariam etiam immemorabilem; quia Concilium solùm videtur loqui cum Episcopis, quibus præcipit, vt diligenter cognoscant de talibus consuetudinibus,& illis tantùm exceptis,quas, vt laudabiles, probauerint,reliquas aboleant.Ex quo dat intelligere, quòd potest id aliquando iustè introduci,& immemorialis consuetudo regulariter præsumitur iusta. Vnde dum Episcopus eam non condemnauerit, non est cur condẽner confessor.Ita subscripserunt nonnulli docti recentiores.

8 Secundò infertur,quòd nec pro expensis factis in lite super iuspatronatus potest patronus exigere aliquid à præsentato;aliàs esset simonia.

9 Tertiò infertur, populum habentem iuspatronatus non potuisse exigere à presbytero cereos in recognitionem iurispatronatus, ex quo illud non fuit sibi reseruatum tempore fundationis.Sic Panorm.*d.cap.præterea,* per illud c.Lambert.*de iurepatr.lib.*1.*p.*1.*q.*9.*art.*1.*n.*81.Sylu. Ang.Arm.*vbi suprà.*

10 Quartò infertur, quòd, si patronus in testamento mandauit,Ecclesiam constrũi, & reseruauit aliquam pensionem filiis annuatim soluendam, si Episcopus non consensit,non poterunt filij eam exigere. Sic Lambert. *eodem art.*1.*n.*83.dicens esse omnium *d.cap. præterea,* & *ibi* tenet Panorm.& Sylu.*dicta q.*3.

11 Limitanda tamen est tertia conclusio posita, in quantum dicit posse patronum in limine fundationis reseruare sibi aliquid de consensu Episcopi, vt intelligatur, quando dedit dotem pinguem, & superabundantem, secus, si tantùm dedit necessariam ad sustentationem ministrorum.Sic Lambert.*d.art.*1.*n.*92.Rochus *de iurepatr. verb.& vtile,q.*2.Paulus de Citadinis *de iure patr.*6 *p.art.* 4.*q.*11.Pan.*c.*1.*de censib.*Sylvest.*verb.iuspatr.q.*3. Angel. *num.*23.Tabien.*q.*21.Arm.*n.*11.

12 Secundò

Universidad de Deusto
Biblioteca



12 Secundò limita, quando pensiones, vel alia grauamina imposita essent moderata: si enim Episcopus concederet in limine fundationis pensionem immoderatam patrono, vel ex post facto inciperet multùm grauari Ecclesia, potest reduci ad debitam moderationem. Sic Panorm. & Cardin. *cap. præterea, el 2. de iure patr.* Lambert. *dicto art. 1. num. 93.*

13. Tertiò limita, nisi ex necessitate dotaret quis Ecclesiam, quia scilicet ad id teneretur, vt quia promisit, &c. tunc enim non potest imponere aliquod onus. Sic Lambert. *dicto art. 1. num. 94. 95.*

14 Quartò limita, nisi census, seu onus imponeretur super manso Ecclesiæ, id est, super fundo quo fundata est Ecclesia, vel super fundo, ex quo habetur panis, & vinum, vel super loco, in quo cadauera mortuorum sepeliuntur, id est, cœmeterio; non enim teneret reseruatio, etiam de consensu Episcopi; quia hæc loca debent esse libera. Sic Lambert. alios referens, & textus *dict. art. 1. n. 88. 89. & 90.*

15 Quarta conclusio. Quando locus religiosus, scilicet monasterium, in proprio solo propriis expensis Ecclesiam constituit, habet in eo omnia temporalia, sicut Episcopus omnia spiritualia, *cap. cum & plantare, §. & in Ecclesiis, de priuileg.* & *cap. 1. de capel. Monach.* & nihilominus habet dictus locus ius præsentandi, *c. sicut, de suppl. neglig. Prælat.* Sic Sylvest. *verbo iuspatronatus, q. 3.* Angel. *ibi num. 23.* Armil. *num. 11.* Tabiena *quæst. 21.*

16 Quinta conclusio. Licèt aliqui sentiant, quos refert Lambert. *vbi infrà*, non posse patronum vendere hunc censum, quem in limine fundationis reseruauit sibi; quia est coniunctus cum iurepatronatus: at multò verius est, posse vendi cuicunque laico, etiam sine diœcesani licentia. Ratio, quia est merè temporale, & separatum hoc à iurepatronatus, & non est, sicut ius alimentorum, & honoris, quod non posse vendi dixi *in secunda conclusione*; hoc enim onus est iure communi coniunctum cum iurepatronatus, illud verò tantum abest, vt sit coniunctum, vt sit contra ius commune, & ideo diximus esse necessariam licentiam diœcesani ad imponendum: & potest, vt diximus, patronus, non tantùm sibi, sed etiam alteri, hunc censum reseruare; ergo non est coniunctus cum iurepatronatus. Sic Sylvest. *dicta quæst. 3.* & Angel. *num. 23.* Buttrio, Cardin. Panorm. Capra, *cap. præterea, el 2. de iurepatr.* Lambert. *de iurepatr. lib. 3. q. 3. art. 17.* vbi addit *num. 6.* quòd si Ecclesia velit emere, præferetur cuicunque emptori.

17. An verò possit patronus in limine fundationis quascunque alias conditiones apponere, vt quòd capellanus sit ad nutum amobilis, dixi *supra, lib. 2. cap. 1. dub. 10. de accept. person.*

18 Vltima conclusio. Si quis promitteret patrono pensionem, si ipsum præsentat ad beneficium, est manifesta simonia, vt constat ex supradictis; at si patronus haberet iustam causam retinendi pensionem pro se, vel aliquo suorum, posset petere à Pontifice Romano, vt concederet eam pensionem super illo beneficio, cuius est patronus; sicut posset petere super quocunque alio beneficio. Et ita facit quotidie Rex Hispaniæ in Episcopatibus. Et in hoc casu non datur beneficium pro pensione, nec patronus præsentat illum pro ea pensione, licèt non præsentaret, si nollet consentire pensionem. Nec est dicendum, quòd in hoc casu præsentatus promittit patrono pensionem pro beneficio, sed vult patronus impetrare à Papa pensionem illam moderatam ex pingui beneficio, quandoquidé habet iustã causam ad id; & quòd beneficiato remaneãt reliqui redditus, si quidé sunt sufficientes, vt supponimus; quia aliàs non esset iusta pensio. Quòd, si non fuerit contentus beneficiatus, patronus quæret alium, qui sit contentus illis redditibus; non tamen potest fieri pactum, quòd præsentatus soluat pensionem illam, interim, dum literæ Romæ expediuntur, & veniunt, vel quòd fiat collatio beneficij per ordinarium, & postea consentiet, vt impetretur pensio à Pontifice; sed esset in vtroque casu manifesta simonia, cùm ante beneplacitum Papæ executioni mandetur pactum, vt dixi *supra dub. 36.* Sic docti iuniores.

## DVBIVM LIII.

*Quid sit iuspatronatus laicum, siue sæculare, & Ecclesiasticum, seu patronus laicus, & Ecclesiasticus, & qualiter inter se differant.*

1 DIco primò, patronus laicus, siue sæcularis, seu iuspatronatus laicũ, seu sæculare est, quando qui is Ecclesiam fundauit ex suo patrimonio; vel ius habet ab eo, qui eam de patrimonio, & bonis patrimonialibus construxit. Vnde non refert, patronum esse Clericum; siquidem & is patronis laicis annumerabitur, si ius hoc nactus fuerit ratione proprij patrimonij. Sic glossa *c. cum dilectus, de iurepatr. vers. laicus, & Clem. 2. eodem tit. vers. Præsentare*, Spino *speculo testam. glossa 4. num. 15.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 6. l. 2. fol. 150.* Rebuff *praxi benefic. 3. part. signatura, verbo Necnon & iuripatronatus, n. 7.* Couart. *pract. cap. 36. num. 2.* Lambert. *de iurepatron. lib. 1. part. 1. quæst. 1. art. 5.* Rochus *eodem tract. verbo ius, quæst. 7.* Sylvest. *verbo iuspatronatus, quæst. 6. dict. 2.* Angel. *ibi num. 27.* Tabien. *ibi fine.* Panorm. *cap. eam te, & cap. illud, de iurepatron.* Greg. Lopez *leg. 7. vers. Cabildo, tit. 15. p. 1. & l. 13. vers. Eno por razon.*

2 Secundò dico, quòd patronus Ecclesiasticus dicitur, quoties ex Ecclesiæ bonis, id est, bonis beneficiorum, Ecclesia construitur, vel dotatur, aut ratione Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ dignitatis competit alicui. Sic Rochus, Lambert. Couar. Perez. *ibi*, Gregor. Lopez *l. 13. tit. 15. p. 1. vers. Clerigo.* Rebuffus *supra num. 8.* Felinus, quem *ibi* refert Spino *num. 16.*

3 Hinc fit, quòd, licèt iuspatronatus laicorum transeat in Clericum, non ex hoc Ecclesiasticum iudicatur, sed laicum, quando non competit ratione dignitatis Ecclesiasticæ. Sic colligitur ex Doctoribus citatis pro secundo dicto, & tenet Spino *supra n. 17.*

4 Secundò fit, quòd, licèt iuspatronatus originem habuerit ex patrimonio alicuius laici, si tamen fuerit, vel ab initio, vel postea, donatione, testamento, vel alio quouis titulo in Ecclesiam translatum, vel in Collegium Ecclesiasticum Canonicorum sæcularium, vel regularium, ita quòd ad id collegium pertineat præsentatio, dicetur, quoad omnia, iuspatronatus Ecclesiasticum. Sic expresse colligitur ex *cap. vnico, §. finali, de iurepatron. in 6.* & tenent Sozinus, Felin. Parisius, quos refert, & sequitur Couar. *d. num. 5.* Greg. Lopez *l. 13. vers. Clerigo*, Lambert. *supra art. 8 & 9.*

5 Tertiò dico; quando est dubium, si iuspatronatus fundarum est à Clerico habente beneficiorum redditus & bona patrimonialia, an fundatum sit ex redditibus beneficiorum, & sic sit Ecclesiasticum, vel ex patrimonio, & sic sit sæculare; aliqui dicunt, præsumi fundatum ex redditibus beneficij; quia hos tenentur Clerici in pios erogare vsus, deducta sustentatione. Sic Felin. *cap. ex literis, de constit. num. 3.* & concludit, in hoc esse cogitandum. At Rochus *de iurepatron. verbo ius, q. 4.* dicit, hoc dubium esse decidendum, sicut decidirur dubium, an acquisita à Clerico censeantur in dubio acquisita de bonis Ecclesiæ, vel de patrimonio; *in quo* inquit, *vera resolutio est, quod de vtrisque*; & sic censebitur hoc iuspatronatus mixtũ, scilicet partim sæculare, & partim Ecclesiasticum: *nec curandum*, inquit, *est, quod maiores redditus percipiantur de beneficio, quam de patrimonio, vel econtra; quia quando plures fundant, vel dotant Ecclesiam, ita est patronus, qui confert plus, sicut qui minus.*

6 Quartò dico, quòd in dubio, an iuspatronus sit acquisitum ex priuilegio, vel dotatione, &c. præsumitur, esse acquisitum ex constructione, dotatione, vel fundatione: nam hic acquirendi modus est conformis iuri communi. Sic Panorm. Cassiodorus, Cardin. quos refert, ac sequitur Couar. *quæst. pract. c. 36. num. 6. vers. Quarto.* Lambert. *lib. 2. quæst. 6. part. 1. art. 6. num. 57.*



7 Quintò dico, quando iuspatronatus pertinet ad collegium, si maior, vel par numerus hominum collegij est clericorum, dicitur Ecclesiasticum; si verò maior pars est laicorum, dicitur sæculare. Ratio, quia in priori casu collegium dicitur Ecclesiasticum; in posteriori verò sæculare, vt, dixi *supra lib. 3. cap. 1. de iudice, & alijs iust. dub. 30.* Sic Lignanus *cap. dilectus, el 3. de præbend.* Felin. *c. ex literis, de constit. num. 3.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. p. 1. q. 1. ar. 7.* licèt Rochus *de iurepatr. verbo ius, q. 2.* dicat non attendi numerum personarum; sed esse Ecclesiasticum, licèt plures laici sint.

8 Sextò dico, quòd licèt aliqui dicant esse iuspatronatus Ecclesiasticum, quod pertinet ad confraternitates, id est, *Cofradias*, laicorum quoties fraternitas adhæret alicui Ecclesiæ, à qua nomen accipit, & titulum, vt confraternitas sancti Petri, &c. Sic Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 1. art. 10. num. 4.* & Hieronymus Paulus *in pract. Cancel. vers. in causa mea Maioricensi*; at verius est, esse sæculare, & laicorum, nam etsi hæc confraternitas causa pietatis instituta sit, & affixa sit alicui Ecclesiæ, ipsi tamẽ, ex quibus confraternitas constat, & ad quorum suffragia fit præsentatio, sunt omnino laici, & ad hanc vniuersitatem laicorum præsentatio pertinet. & non ad Ecclesiam, nec ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem. Sic Felin. *tr. quando litera Apostolica, limit 4.* Rochus *de iurepatr. verb. ius, quæst. 7. principali, quæst. 3. accessoria, num. 17.* Couar. *quæst. pract. cap. 36. num. 8. vers. septimo.*

9 Septimò dico, quòd potissimæ differentiæ inter iuspatronatus sæculare, & Ecclesiasticum, sunt quatuor.

Prima, quoad derogationem; quia iuspatronatus laicorum solus Papa potest derogare, nec censetur derogare, nisi facta expressa mentione, quòd ad laicos pertineat, nec clauditur in generalibus derogationibus, nec in generali reseruatione beneficiorum; at iuripatronatus Ecclesiastico potest etiam Legatus à latere derogare, & clauditur in generali derogatione, & reseruatione.

Secunda est, quòd patronus laicus habet quadrimestre ad præsentandum; Ecclesiasticus verò semestre.

Tertia, patronus laicus vbi semel præsentauit, potest variare; at Ecclesiasticus non.

Quarta, quòd Ecclesiasticus eligens scienter indignum, priuatur illa vice potestate præsentandi, sæcularis verò non.

De tribus priotibus differentiis sigillatim agendum est dubiis sequentibus, nam de quarta latè diximus *supra lib. 2. cap. 1. de accept. person. dub. 6.* Has differentias congetit Lambert. *de iurepatr. lib. 3 quæst. 10. art. 1.*

10 Nota cum Lambert. *de iurepatr. lib. 1 p. 1. quæst. 10. art. 3. num. 2.* quòd hæ differentiæ aliquæ tendunt in fauorem patroni laici, & aliquæ in fauorem Ecclesiastici; & aliquæ in damnum: vt, quod non possit Legatus à latere derogare, nec Papa censeatur derogare, nisi, facta specialis mentione, nec claudatur in generali reseruatione: & quòd possit variare, est in fauorem patroni laici; in damnum verò ipsius est, quòd habeat tantùm quadrimestre ad præsentandum; Ecclesiasticus verò habeat in fauorem maius tempus, scilicet semestre; at in damnum habet, quòd non potest variare, &, quòd Legatus à latere possit huic patronatui derogare, & clauditur sub generali derogatione, & reseruatione, &, quòd, si eligit indignum, priuatur illa vice iure præsentandi.

11 Octauò dico, quòd vbi iuspatronatus pertinet simul ad Clericum ratione Ecclesiæ, & ad laicum ratione patrimonij, sic partim est Ecclesiasticum, & partim sæculare, licèt quidam dicant, censeri Ecclesiasticum, etiam quoad derogationem, & alij. Sic Rota, Staphilæus, Panorm. Rochus, quos refert Couar. *vbi infrà*; at dicendum est censeri Ecclesiasticum, quoad priuilegia, & commoda iurispatronatus Ecclesiastici, hæc enim, ratione communionis, sortietur patronus laicus, vnde habebit, semestre ad præsentandum; at quoad incommoda, & damna Ecclesiastici; vt, quoad derogationem, &c. censebitur laicum, & sæculare. Sic Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 1. q. 1. art. 6.* Panorm. *cap. fin. de iurepatr.* Feder. Felin. Rochus, Cassiodorus, Gigas, Barbatius, quos refert ac sequitur Couar. *p. pract. cap. 36. num. 5.* Rebuff. *tract. de nominat. quæst. 15. num. 7. & 3. part. signaturæ, verb. necnon & iurispatronatus, num. 68.* Dominicus, & Francus *cap. vnico, ad finem, de iurepatron. in 8.* Gregor. Lopez *l. 13. tit. 15. par. 1. vers. Clerigo.* Et, quòd talis patronus laicus habeat ratione communionis semestre ad præsentandum, velut Ecclesiasticus, docent etiam gloss. *cap. vnico, de iurepatr. in 6. vrrs. Ecclesiasticus.* Sylvest. *verbo iuspatr. q. 6. dict. 2.* Angel *ibi num 27. ibi in fine.*

12 Hoc tamen limita, nisi iuspatronatus ad vnum laicum, & ad duos clericos ratione Ecclesiarum pertineret, ita quidem, quòd maior pars ex duobus Clericis, & potentius suffragium constaret, quoad præsentationem, vt, quando iuspatronatus pertineret ad Decanum Ecclesiæ alicuius, & ad Priorem monasterij, & ad Petrum laicum; tunc enim censeretur Ecclesiasticus, etiam quoad derogationem. Couar. *ibi*, alios referens; at quando pertineret ad duos laicos ratione patrimonij, & ad vnum Ecclesiasticum ratione Ecclesiæ, adhuc gauderet commodis Ecclesiastici patronatus, & haberet semestre ad præsentandum. Sic Lamb. *de iurepatr. lib. 2. p. 2. q. 1. art. 3. n. 1.*

13 Hinc infertur, quòd, si duo sint patroni laici, & alter donet patronatum Ecclesiæ; alter laicus habebit semestre, sicut Ecclesia, ratione communionis ad præsentandum. Sic Lambert. *eodem lib. 2. part. 2. q. 1. art. 5.*

14 Nonò dico, quòd patronus ex priuilegio, si non cõstat ex eo, an sit laicus, vel Ecclesiasticus censetur Ecclesiasticus, quoad prærogatiuas, & fauorabilia laici; at in damnosis censetur laicus: similiter, quoad prærogatiuas Ecclesiastici, censetur laicus itaque habet damna vtriusque. Sic multos referens, & probans Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 1. q. 10. art. 3. n. 3.* at *n. 5.* excipit posse variare: licèt enim sit fauor laici; at competit etiam huic, quia procedit in eo eadem ratio, quæ in laico patrono; ideo enim hic potest variare, quia habet tantùm quadrimestre ad præsentandum. Cùm ergo patronus ex priuilegio similiter habeat tantùm quadrimestre, poterit variare. Et *art. 9. n. 2.* dicit, quòd similiter patronus ex præscriptione dicitur Ecclesiasticus in damnosis, & similiter sæcularis in damnosis, sicut diximus de patrono ex priuilegio: & refert alios; & *lib. 2. p. 2. q. 7. art. 18.* quærens, an patronatus ex præscriptione possit variare? respondet, quòd si præscripsit posse variare, potest; si verò tantùm præscripsit posse præsentare, non potest variare: & in dubio non potest variare; quia præscriptio est strictissimi iuris, licèt Soto *speculo testam. glossa 4. n. 77.* dicat, patronum ex præscriptione, vel priuilegio posse variare.

## DVBIVM LIV.

*An possit derogari iuripatronatus ita, vt absque patroni præsentatione, vel alij, quam præsentato per patronum, possit beneficium conferri.*

1 DE Legato à latere, an hoc possit, dicam *tomo sequenti*, vbi de potestate Legati à latere, quòd patronatui Ecclesiastico potest derogare, laico verò non; quando verò pertinet simul ad laicum, & Clericum, iam constat ex dubio præcedenti, quòd tunc non potest derogare, quia censetur laicus in his, quæ sunt fauorabilia laico, quale est hoc. Sit

2 Prima conclusio. Potest summus Pontifex derogare, non tantùm iuripatronatus Ecclesiastico, sed etiam laicorum. Sic glossa *Clem. 2. de præb. vers. Apostolicis.* Archid. *cap. pia, 16. quæst. 7.* Innoc. Panorm. Felin. Rochus, Lamb. Ioan. Andr. Domin. Francus, quos refert, ac sequitur, dicens, esse omnium, Couar. *q. pract. c. 36. n. 1.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 6. l. 2. vers. dubitatur tamen. fol. 149.* Greg. Lopez

Universidad de Deusto
Biblioteca



*l.13.tit.15.part.1.vers.maguer.* Rebuffus *benefic.3.p.signaturæ,verb.Necnon & iurispatronatus,n.30.* & omnes.

3 Secunda conclusio. Non censetur Pontifex derogare iuripatronatus laicorum, nisi id expressim ex litetis cõstiterit. Sic Glossa, Perez, Greg. Lopez Couar. *ibi*, qui addit, sic propè omnium concordi sententia, quos prima conclusione citaui definiri. Idem Lapus *allegatione. 96.* Ioan. Andr. quem refert, ac sequitur Rebuffus *suprà num. 5.6.* Azebedo multos referens *lib. 1.recopil.tit.6.l. 5. n. 2.* Spino *speculo testam.gloss.4.num.44.* Menochius *consil.9. num.49.volum.1.*

4 Vnde non valet prouisio beneficij facta à Papa, quando pertinet ad laicorum patronatum, si non fiat talis derogatio. Sic Rebuffus, Azebedo, Spino *proximè citati.*

5 Nota, non sat esse, quòd in literis fiat mentio, & dicatur *ad cuiuscunque collationem, seu præsentationem pertineat*; non enim adhuc comprehenditur beneficium, quod spectat ad præsentationem laicorum. Sic Lapus, Dominicus, Ioan. Andr. Felin. Staphilæus, Barbar. Lan. b. Anchar. Francus, quos refert, ac sequitur Couar. *eodem cap.36.n.1.* Rebuff. *suprà num. 9. & 34.* Spino *num. 44.* Menochius & Perez *ibidem.*

6 Immò, si est patronatus pertinens ad Regem, Ducem, Marchionem, vel Comitem, non sat est, quòd in literis fiat mentio patronatus laicorum, nisi fuerit adiectum, quòd patronatus ad Regem, Ducem, Marchionem, vel Comitem spectat. Sic Lambert. Felin. Ioan. Lupus, quos refert, & sequitur Couar. *eodem cap.36.n.1.* dicens esse ad hoc regul. Cancell. 40. *& n.4.* & Rebuff *suprà n.61.62.*

7 Vnde hoc discrimen passim constituitur inter patronatum Ecclesiasticum, & laicorum, vt priori derogatum censeatur per collationem à Papa factam, etiamsi nulla fiat eiusdem patronatus in literis mentio; posteriori verò non derogetur, nisi fiat mentio specialis. Sic Cassiodorus, Angel. Lambert. Rota, Felin. quos refert, ac sequitur Cou. *eo c.36.n.1.* Perez *suprà, f.150.* Rebuff. *suprà num.6.* & dicit Couar. esse omnium *cap.2.de prabend.in 6.* & est pro hoc textus optimus *cap. super eo, de offic.delegati.* & addit Rebuff. *eo num. 6.* similiter non esse necessariam specialem patronatus Ecclesiastici mentionem, quando conferret beneficium Legatus à latere, qui potest tali patronatui derogare.

8 Limita primò dicta, quando iuspatronatus competit ex fundatione, vel dotatione, ne laici detrahantur à fundandis Ecclesiis: secùs, quando competit ex præscriptione, vel priuilegio; tunc enim valet collatio facta à Papa, vel Legato de latere non facta speciali mentione huius patronatus; & hæc beneficia comprehenduntur sub generali reseruatione. Sic Domin. Card. Lambert Rochus, & innumeri alij, quos refert, ac sequitur Couar. *eo c. 36. num. 6.* dicit tamen cum Rebuffo, quòd in supremis tribunalibus regiis non admittitur talis derogatio.

9 An verò sit necessaria hæc derogatio, quando beneficium patronatus laicorum erat litigiosum in curia, & alter, vel vterque litigator ibi moritur, vide Couar. *dicto cap.36.num.7.*

10 Secundò limita, nisi patronus non præsentaret intra terminum: tunc enim, cum collatio deuoluatur ad superiorem, valebit prouisio, non facta mentione iurispatronatus, vt dicemus *infra*; & tenet *ibi* Rebuffus *n.16.* addens, idem esse, si patronus præsentauit nulliter; valebit enim prouisio Papæ absque derogatione, quia non præiudicat patrono. Hoc additum ponit Rebuff. *ibi n.19.*

11 Tertiò limita, nisi Pontifex dispenset cum promoto ad Episcopatum, vt retineat beneficia, quæ priùs obtinuerat; tunc enim nulla est opus derogatione, etiamsi illa pertineant ad patronatum laicorum. Ratio, quia in hoc patrono laico nullum sit grauamen. & nullum damnum datur, quia patronus non habet præsentandi ius, quoad effectum, donec beneficium vacauerit; at Papa impedit per dispensationem vacationem illam, & ideo nullam læsionem patronis infert, nec iuri præsentandi derogatur. Sic Felinus *tract. quando literæ Apostolicæ naceant patrono,limit.5.* Reb. *suprà n.27.* Rota, Staphilæus, Rochus, Lambert. quos refert, & sequitur Cou. *d.c.36.n. 12.vers.12.* licèt Aretinus, & quidam alij per hos citati contrarium scripserint, dicentes, hanc dispensationem non valere, nisi expressa fiat derogatio patronatus laicorum.

12 Tertia conclusio. Licèt reseruatio iure communi statuta *c.2.de prab. in 6.* de beneficiis vacantibus in curia, comprehendat beneficia iurispatronatus Ecclesiastici, & Clericorum; at non includit beneficia patronatus laicorum, & sic expressa derogatio est necessaria, vt valeat collatio. Sic Azebedo *dicta l.5.n.3.* Perez *dict. l.2.fol.130.* Lapus, Ioan. Andr. Card Rochus, & multi alij quos refert. & sequitur Lambert & Couar. *dicto c.36. n.1.* Spino *speculo de restam.gloss.4.n.4.* & addit Couar. *n.4.* idem esse si ex priuilegio, vel præscriptione præsentatio ad Reges pertineat; & refert multos. An verò hæc reseruatio comprehendat beneficia patrimonalia, vel Canonicatus cathedralium, qui Theologiæ Magistris, & Doctoribus iuris Pontificij sunt ex electione conferendi, si vacent in Curia; & quid sit in Curia vacare, vide Couarr. *eo cap.36. num.4.*

13 Nota, quòd quidam dicunt, quòd, licèt hæc reseruatio iuris communis non includat beneficia patronatus laicorum, quoad tollendam patronorum præsentationem; at benè ea complectitur, quoad institutionem, quæ Prælatis competit, quia illa petenda est à summo Pontifice. Sic glossa *regul. Cancellariæ 40. ad finem.* Sed Couarr. *d.c.36.n.5.initio*, dicit, hoc esse verum in Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Decanatibus, & aliis dignitatibus, quæ summo Pontifici reseruantur per *regulam 2. & 3. Cancellariæ*; in his enim patroni laici debent coram Papa præsentare; at in beneficiis minoribus, si pertineant ad iuspatronatus laicorum, vel alia ratione non comprehendantur reseruationibus, præsentario fieri potest apud Episcopum ordinarium, quia hæc beneficia excepta sunt, & exempta omnino à reseruationibus, & ideo nec quoad institutionem, nec quoad præsentationem sub eisdem continentur. Et sic (inquit Couar. *ibi*) receptum est in beneficiis patronatus laicorum, quæ vacant in mensibus Apostolicis, vel per obitum illorum, quorum beneficia sedi Apostolicæ vel iure communi, vel regulis Cancellariæ, vel Extrauagantibus constitutionibus fuere reseruata: ita etenim præsentatio per patronum laicum Episcopo, & ab eo petitur, & sit institutio. Hæc Couarr. *ibi.* Et, quod hæc reseruatio mensium Apostolicorum non intelligatur de beneficiis patronatus laicorum, docet etiam Spino *gloss.4. citata, in num.90.*

14 Hinc infertur, quòd licèt Pius V. in suo motu proprio contra confidentias simoniacas, de quo *suprà dub. 34.* reseruet collationi Pontificis beneficia data in confidentiam, &, quæ talis simoniacus aliàs habebat; at hæc reseruatio non includit talia beneficia, si sint patronatus laicorum. Patet ex optimè dictis; ibi enim non facit specialem derogationem huius patronatus.

15 Quarta conclusio. Licèt eo casu, quo ij, qui possident ius præsentandi, veri patroni non sint, sed tantùm possessio illis competat, non sit necessariò facienda derogatio veri patroni; est tamen necessaria derogatio huius possessionis. Sic contra Staphilæum dicentem, tunc nullam esse necessariam derogationem, tenent Felin. Lambert. Rochus, Decius, & alij, quos omnes refert, & sequitur Couar. *quæst.pract.cap.36.num.6. vers. Quinta.*

16 Quinta conclusio. Licèt aliqui dicant, quòd institutio, vel collatio facta ab Episcopo de beneficio iurispatronatus absque patroni præsentatione, non est ipso iure nulla, sed annullanda, tamen, si patronus non reclamet intra tempus iure concessum sibi ad præsentandum, est omnino firma, nec potest deinceps irritari; procedant ex *cap.illud, de iurepatron.fine*, vbi non dicitur, esse irritam, sed irritandam. Item, quia, vbi actus annullatur in fauorem alicuius, intelligitur, si voluerit ille, in cuius fauorem



fauorem annullatur, vt patet in emphyteuta non soluente canonem per biennium, qui cadit in commissum, intelligitur, si dominus voluerit. Sic tenet Felin. *c.cum Bertholdus,n.8.de sent.& de re iudic.* & refert Rotam, & alios. Spino *speculo testam.glossa 4.num. 99. & 101. fine*, cum aliis, quos refert *n.97.* Gregor. Lopez *l.5.vers. Non deüe, tit.15.part.1.* At omnino tenendum est, talem collationem esse prorsus irritam: vt expresè decernitur *cap. decernimus 16.quæst.7* & ad cap. *illud*, respondetur, quòd est irritanda, id est, irrita denuncianda. Sic tenet Ioan. Andr. *cap.2.de offic.vicarij in 6.* Panorm. *cap.illud, de iurepatronatus,num.2. & cap.ex insinuatione, eodem tit.n.3.* & probat per illum textum, vbi obtinentes Ecclesiam patronatam sine consensu patroni dicuntur *occupatores*, & *detentores*; & *cap.cum Bertholdus,num.13.de sent.& re iudicata.* Perez *lib.1.ordinand.tit.6.l.1.fol.144.pag.1.§.offert se nobis*, Syluest. *verbo iuspatronatus.quæst.2.* Armil. & Tabien. *num.1.* Angel. *initio*, Lambert. *de iurepatron.lib 2.p.1. q. 6. art. 6. num.7.* Rochus *eodem tract.verb.honorificum.quæst.1.* Paulus de Citadinis *eodem tract.6.part.art.3. quæst. 31.n.52.* Immò de prouisione facta à Papa dixi ex Rebuffo, & aliis, non præsentante patrono, esse nullam, *in hoc eodem dub. post secundam conclusionem*, & tenet latissimè Lambert. *lib. 3.q.2.art.2.* vbi ponit aliquas limitationes; & vide vnam *dub. sequenti post primam sententiam.*

17 Limita, nisi patronus non præsentasset intra tempus sibi præfixum; quia tunc deuoluitur collatio ad superiorem, vt *infrà* dicemus.

18 Vltima conclusio. Licèt Episcopus non possit disponere de beneficio patronatus sine præsentatione patroni, hoc intelligitur quoad hoc, vt non possit instituere; non autem, quoad hoc, quòd non possit statuere cum Capitulo, quòd fructus primi anni beneficiorum vacantium conuertantur ad alium vsum; hoc enim potest facere, non requisito patrono, etiam laico. Sic Immola *c.vnico, vt Eccles.benef.* & *ibi* Innoc. *num.6.* Panorm. *ibi n.20.* Lambertinus *de iurepatron.lib.3.q. 2. art. 8.a n. 8.* & quamuis primo aspectu sibi videatur durum; at postea *n.11.* conuictus auctoritate Innocentij hoc amplectitur. Fatentur tamen hi omnes, de honestate petendum esse consensum patroni, & ipsum posse ex iuxta causa contradicere, & reuocabitur factum ab Episcopo.

19 Hinc fit, limitanda esse, quæ diximus in hoc dubio, scilicet, non præsumi, Papam velle præiudicare patronis laicis, nisi hoc exprimat, vt habeant locum, quoad dispositionem totius beneficij; nam, quoad dispositionem fructuum primi anni vacationis, bene in generali priuilegio includerentur fructus beneficiorum patroni, etiam laici, quamuis non exprimat, quia, si hoc Episcopus potest facere cum Capitulo in generali eius constitutione, multò magis Papa in generali eius priuilegio. Sic Lambert. *eo art.8.n.10.* Dicit tamen bene *ibi n.11.* quòd ad euitandum hæc est bona cautela, vt statuat fundator de consensu Episcopi in limine fundationis, quòd primi fructus per quancumque constitutionem ad alium vsum, quàm Rectoris, subtrahi nequeant: & tunc est clarum, Episcopum non posse præiudicare, nec Papam præsumi hoc velle, nisi exprimat.

## DVBIVM LV.

*An permutatio beneficij iurispatronatus laici, vel Ecclesiastici, facta sine consensu patroni, vel eo non vocato, sit nulla ipso iure, vel, eo contradicente, sit per sententiam rescindenda.*

1 PRo maiori huius dubij claritate, sunt præmittenda duo dubia.

Alterum est, an, quando permutatur beneficium patronatus, requiratur noua patroni præsentatio, sicut requiritur, quando vacat per mortem. In quo dubio, omissis, sententiis, quas refert Lambert. *de iurepatron.lib.2.part. 1.q.6.art. 6.* dicendum est, quòd, licèt, quando beneficium vacat per mortem, requiratur noua præsentatio patroni; at, quando vacat per permutationem, non est necessaria, sed eius consensus, quia eius consensus pro præsentatione habetur. Sic Felin. *cap.cum Bertholdus, de sent.& re iudic.* Rochus *de iurepatron.verbo honorificum, in principio.* Rebuffus *praxi benef.3.part.signaturæ, verbo. Necnon iurispatronatus,num.42.* Feder. Rota, Paulus, quos refert Lambert. *dicto art.6.n.37.* & post longam disputationem idem concludit *ibi, num.42.43.* Panorm. *c.cum dilectus, de iurepatron.*

2 Nota, quòd hic consensus potest esse ante permutationem, & post eam factam; & tunc reddet illam ita firmam, vt non possit patronus eam rescindere. Sic Lambert. *dicto art.6.n.44.* vbi multos refert; immò dicit, secundùm omnes Doctores, sat esse consensum tacitum, dum omnes concludunt, quòd si patroni intra terminum iure statutum ad præsentandum non contradixerint, tacitè consentiunt, & manet omnino firma talis permutatio. Idem Cou *pract.cap.36 num.9.vers. His denique, in fine*, vbi hæc dicit, *si post scientiam huius permutationis non contradixerit patronus intra tempus ei ad præsentandum iure præfixum, sit omnino firma talis permutatio*, & sic dicit, esse receptum frequentissimo Doctorum iudicio.

3 Aduertit tamen Lambert. *n.45.* quòd si patronus intra talem terminum moriatur, & sic videatur tacitè consentiendo decedere; at id non est dicendum in præiudicium successorum: & sic potest successor in patronatu in tempore, quod deerat defuncto ad contradicendum, contradicere.

4 Alterum dubium est, an consensus hic patronorum in permutatione requisitus sit omnium, nullo discrepante, vel tantùm maioris partis. Aliqui distinguunt, & dicunt, quòd, si permutatio fiat pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ, tunc sat est consensus maioris partis: si verò fiat pro vtilitate personarum, tunc, si patroni præsentent, vt Collegium, requiritur consensus omnium; si verò præsentent, vt singulares personæ, sat est consensus maioris partis. Sic Ioan. Andr. Anchar. Feder. Paulus, quos refert, ac sequitur Francus *c.vnico, de rerum permut.in 6. n. 6.* & Cardin. *q.4. Clement.vnica, eodem tit.*

5 At Lambert. *dicto art. 6. n.87.* reprobat hanc distinctionem; quia consensus patronorum in permutationibus habetur loco præsentationis; ergo, sicut in præsentatione sufficiunt vota maioris partis omnium, non respectu minorum partium, eodem modo dicendum est, in permutatione sat esse consensum maioris partis patronorum, siue patroni præsentent, vt singuli, siue vt Collegium: & eodem modo quo computantur voces Collegij pro facienda maiori parte in præsentationibus meris, de quo *infra*; eodem modo computantur in præstando consensum permutationi. Addit tamen Lambert. *ibi*, esse necessariò omnes patronos vocandos, siue vocatione speciali, siue per edictum generale; quia non vocatus posset de contemptu agere.

6 Circa dubium ergo principale propositum sunt aliquot, in quibus omnes conueniunt.

7 Primum, in quo omnes conueniunt, est, quòd, si patroni sint Ecclesiastici, & permutatio fiat per Papam, vel Legatum à latere, est valida sine consensu patroni, nec potest ipso contradicente rescindi; quia hi possunt disponere ad libitum de beneficiis talis patronatus, & illi derogare, vt dixi *dub. præced.* Sic Lambert. dicens esse omnium, *d.art. 6. num. 48.* Vnde hoc dubium habet locum, quando patroni sunt laici, vel mixti, scilicet partim laici, & partim Ecclesiastici; hi enim censentur laici quoad hoc, vt dixi *dub. 53.*

8 Secundò certum est, quòd, si talis sit causa permutationis faciendæ, vt possint iure cogi patroni illi consentire, & sic ipsis inuitis possit fieri, etiam per ordinarium, tunc valida, & firma est absque ipsorum consensu, vt patet; siquidem ipsis inuitis potest tunc fieri. Lambert. *n.53.*

9 Sed, quando possunt cogi patroni consentire, Lambert. *dicto art.6.num. 49. 50.* dicit, patronos laicos, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca



mixtos ex laicis,& Ecclesiasticis non posse compelli, nec per Episcopum, nec per Legatum à latere, nisi, vrgente necessitate,& vtilitare Ecclesiæ in casu strictissimo, vt,si talis esset persona, quæ ad Ecclesiam patronatam proponeretur per permutationem absque qua plebs, & Ecclesia pateretur in maiori parte bonorum, vel in conscientiis,vt quia ibi essent hæretici, vel bona occupabantur ab aliquo,cui nullus,nisi illa,posset resistere:& hoc, nisi patroni allegarent aliam causam magis vrgentem, & *n.*59. dicit, quòd,si patronus sit Ecclesiasticus,sat est omnis necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, vt possit Episcopus facere permutationem patrono inuito.

10 At alij non ita strictè loquuntur, sed dicunt, quòd quando permutatio est vtilis Ecclesiæ, si patronus sine causa contradicat,potest,ipso inuito, fieri per Episcopum. Sic Rota,quem refert,& sequitur,Felin *c. cum accessissent, de constit. n.*20.& *ibi* Panorm. *num.*5.Ioan.Lupus *rubric.de donat.*§ 22.*n.*4.Rebuff.*praxi benef.tit de permut.n.*22. & dicit sic iudicasse totum senatum Parisiensem; & 3.*part. signaturæ,verb. Necnon iuris patronatus,n.*41.& refert Staphilæum;& addit.quòd oportebit priùs audire patronũ, & causam contradictionis. Feder. *tract.de permut. q.* 24. Dominicus *consil.*50.Pro hac parte est Couar.*q.pract.cap.* 36.*n.*4.vbi relata Lambert. sententia, & distinctione per eum posita,quando est patronus laicus,vel Ecclesiasticus, hæc dicit;*Cui distinctioni non refragabor,nec ita strictè causæ necessitatem,vel vtilitatem exigam,modo hoc constet, non aliter hanc permutationem, inuitis patronis,validam fore, quàm si ea facta sit in Ecclesiæ magnam vtilitatem*;id enim videntur Doctores concedere,præsertim Panorm. *c. cum dilectus,de iurepatronat.* Cardin. *Clement.vnica.de rerum permut.q.*4. Bellamera *decis.* 181. & alij plerique. Hæc Couarr.

11 Tertiò certum est, quòd,quando sine consensu patroni laici fit permutatio,vel etiam Ecclesiastici, quando non fit per Papam,vel Legatum à latere,qui tali patronatui potest derogare,& non est casus, in quo talis patronus potest cogi consentire, vel talis permutatio est irrita ipso iure,vel cassanda per sententiam,si patronus reclamet intra tempus concessum ad præsentandum. Et sic Couar. *dicto c.*36.*n.*9. & Lambert.*dicto art.*6.*n.*33.34 35.dicunt, in hos omnes conuenire.

12 Nota,quòd Felin.*tract.quando literæ Apostolicæ nocent patrono,ampliat.* 9. ponere videtur differentiam inter beneficia iurispatronatus laicorum, quando commutatio fit authoritate Papæ; dicit enim, esse tunc omnino firmam, licèt nulla mentio fiat de tali patronatu. Sed illum reprehendit Couar. *n.*9. & dicit, non valere, quoties non valeret,facta authoritate ordinarij,&,esse rescindendam, quoties facta authoritate ordinarij rescinderetur. Idem Lambert.*lib* 2.*de iurepatronat.*3.*part.q.*9.*art.* 12. Pauinus citatus per Couar.Lapus *allegat.*96.*n.*4.& ratio est, quia, licèt Papa possit tali patronatui derogare; at non censetur id facere,nisi exprimat,vt dixi *dub.*54.

13 Tota ergo difficultas est, an talis permutatio facta absque patroni consensu sit ipso iure irrita, vel sit valida, donec patrono reclamante,rescindatur.

Duplex est sententia.

14 Prima dicit,esse irritam ipso iure.Ratio,quia in permutatione est vera vacatio beneficij patronatus, & vera institutio,seu collatio; aliàs is, cui confertur per permutationem,esset intrusus; at institutio, seu collatio beneficij patronatus, sine consensu patroni, est ipso iure irrita, *cap.decernimus*16.*quæst.*7.ergo.Sic Rebuff.*praxi benef.tit. de permut.num.*21 Calder.*consil.*1.*de rerum permut.*Bellamera *decis.*179 Paulus de Citadinis *de iurepatron.*6.*part. art.* 9.*quæst.*52. Stephanus Caietan. *cap.sin.de elect. in* 6. Perez *lib.*1.*ordin.tit.*6 *l.*1.*fol.*144. §. *offert se nobis, pag.* 1. Lamb *de iurepatronat* præmissa longa dispensatione, *lib.* 2.*part.*1.*quæst.*6 *art.*6.*num.* 61. vbi addit cum Paulo de Citadinis, posse patronos authoritate propria expellere illum, sicut intrusum, & alium præsentare. Et *num.*62. hoc limitat, quando patroni fuerunt spreti, quia scilicet Episcopus sciebat Ecclesias esse patronatas; si verò non sunt spreti, quia id Episcopus,& permutantes ignorabãt, tunc non est irrita,sed, illis reclamantibus, est irritanda Et *à num.*64 *vsque ad* 68. limitat etiam, nisi patroni fuerint vocati, nam si fuerunt vocati simpliciter, & non comparuerunt ad contradicendum, at contradixere intra terminum præfixum ad præsentandum, non dicitur nulla,sed annullanda: sed si fuerunt vocati peremptoriè, id est,cum præfixione termini, si infra terminum non comparuerunt, & Episcopus instituit, non possunt etiam in residuo temporis dati ad præsentandum contradicere & se opponere; quia sicut patroni vocati simpliciter, non comparentes intra terminum iure concessum ad præsentandum,dicuntur tacitè consentire, qui tacitus consensus habetur pro præsentatione, ita vocari peremptoriè permittendo labi tempus præfixum, dicuntur consentire tacitè. Hæc Lambert. *ibi.*

15 Quòd si opponatur huic sententiæ, quòd hæc permutatio fuit nulla: ergo non firmatur per consensum patronorum postea superuenientem, *cap. auditis, de elect.*quod enim ab initio non valuit, non firmatur tractu temporis,*cap.non firmatur de regul.iuris in* 6 quod tamen est contra dicta, & contra omnes. Respondet Lambertin.*num.*70.quòd non firmatur,prout ex tunc, sed prout ex nunc,& non ex solo tractu temporis,sed ex nouo consensu superueniente, quia, cùm duo debeant concurrere, scilicet consensus Episcopi, & patroni, iam ille adest, hic tantùm deerat, eo adueniente, remanet actus perfectus.

16 Hinc infertur limitatio ad id, quod diximus *suprà dub.*54 *num.* 16. nempe, institutionem Episcopi factam sine præsentatione patroni esse nullam, vt intelligatur, nisi patronus infra tempus à iure datum ad præsentandum non contradixerit, tunc enim tacitè consentire videtur: & in hoc casu sat est, si consensus patroni præstetur ante,vel post institutionem:& sic collatio Episcopi conualidatur,non,prout ex tunc, sed prout ex nunc: absque alia collatione Episcopi in futurum facienda, Episcopus enim non potest facto suo contrauenire; nec etiam patronus, quia iam lapsum est suum tempus, & facta est ad Episcopum deuolutio. Sic Panormitanus *in disputatione Augerio, dubio* 2.Sarra *cap.illud,de iurepatronatus*,Felin.*cap.cum Bertholdus, de sentent.& re iudic.* Lambert. *de iurepatronatus,lib.*2.*part.*3.*quæstione* 2.*art.*2. *à num.*24.*vsque ad* 38. inclusiuè, vbi dicit, idem procedere in omni casu,in quo fieret deuolutio ad Episcopum, vt,quando deuoluitur eo,quòd patronus præsentauit indignum(de quo diximus *supra lib.*2.*cap.*1 *dub.*6.*de accept. person.*)nam firmabitur collatio facta per Episcopum sine patrono;quia militat eadem ratio.

18 Secunda sententia probabilior docet, quòd est valida ipso iure,sed postea, reclamante patrono intra tempus à iure concessum ad præsentandum, rescindenda. Nec obstat *cap. decernimus* 16. *quæstione* 7. vbi dicitur, esse nullam institutionem factam ab Episcopo sine patroni præsentatione, quia illud loquitur de collatione voluntaria; secùs de necessaria. Hanc tenent Immola *cap.sin.de rerum permutat.* Gregorius Lopez *l.*2. *titulo* 6. *part.*5.*vers. Non valdria.*Francus *cap. vnico,de rerum permutatione in* 6.*num.* 7. & *ibi* Ancharan. Spino *speculo testamẽt. glossa* 4 *num* 101.D. Anton.3. *part.titulo* 15.*cap.* 3 §. 1.*quæstione* 18.Federic.*tract.de permut.benefic.quæstione* 30.Rota, & Alexand.de Lantila,quos refert Lambert. *de iurepatronatus,lib.*2.*part.*1.*quæstione* 6. *art.* 6. *num.* 3. Felin.*cap.cum Bertholdus, de sentent. & re iudic. num.*15. *vers.limita quintò*, & Panormitanus quem *ibi* refert Cardin.*Clement.*1.*quæstione* 4. *de rerum permutatione*,Dominic.*cap.vnico,ad finem,eodem titulo in* 6.Rochus *de iurepatronatus,verbo honorificum, quæstione* 3. Et hæc est communis sententia, vt refert, & cum ea manere videtur Couarr.*quæstione cap.*36.*num.* 9.& Rebuff.*praxi benefic.* 3.*part.*



3.*part.signat.verbo nec non iuris patronatus, n.* 43. dicit Bellamera *consil.*6. quòd de generali consuetudine Ecclesiæ quasi omnes Episcopi tales expediunt permutationes absque patroni consensu, & ipsis patronis non vocatis;quæ præscriptio,inquit,valet.

## DVBIVM LVI.

*An quando beneficia patronatus permutata sunt sine patronorum consensu, possint patroni ad ea beneficia alios præsentare,vel ipsi permutantes necessariò ad priora beneficia restituendi sint.*

1 SIt conclusio. Si permutantes fuerunt in culpa, quia scilicet sciebant beneficia esse patronatus, possunt patroni ad ea beneficia alios præsentare, cùm verè vacauerint; si verò vacarunt culpa, quia ignorabant,licèt, patronis contradicentibus, non teneat permutatio; at non possunt alios præsentare, sed permutantes restituentur ad priora beneficia: res enim, quæ culpa caret, in damnum vocati non debet. Sic Archid. & Dominic.*cap.nemo, de elect.in* 6.Lambert.*de iurepatron.lib.*2.*part.*1.*q.*6.*art.*6.*à n.* 74.*vsque ad* 87. vbi addit,quòd, si ordinarius fuit etiam in culpa,quia sciebat,etiam punietur.

2 Limita primò conclusionem, quando patroni reuocarunt eam culpam ad eorum iniuriam, sed si de ea non curarunt,& sic alios non præsentarunt, poterunt permutantes redire ad priora beneficia; quia punitio oritur ab iniuria illata patronis. Sic Lambert.*ibi.*

3 Secundò limita,nisi permutarunt sub conditione, *si placeat patrono*,& non aliter, tunc enim non incident in pœnam, licèt potuerint habere copiam patroni; si verò non potuere habere patroni copiam, quia erat in longinquis partibus. sat est, ne incidant in pœnam, permutare sub dicta conditione,licèt non addant,*nec aliter*.Sic Lambertin,*ibi.*

## DVBIVM LVII.

*An possit resignari, vel vniri alteri beneficium patronatus absque consensu patroni, vel Rector ponere vicarium in beneficio patronatus.*

1 DE resignatione diximus *suprà lib.*2.*c.* 2.*dub.* 29. *de beneficiis*.Sit

Prima conclusio. Non potest per Episcopum vniri beneficium aliquod alteri absque consensu illius, qui haberius conferendi,eligendi, vel præsentandi, siue sit patronus Ecclesiasticus,siue laicus.Sic glossa *Clement.finali, de rebus Ecclesiæ, vers. Rector. ibi* Abbas, Cardin. & Panorm. *cap.cum accessissent.de constit.*Socinus *consil.*1.*lib.*3. Rochus *de iurepatron.verbo honorificum.q.*3. Lambertin. *eodem tract.lib.*3.*q.*6.*art.*2. Decius *consil.*174.Cou. *pract. cap.*36.*n.*11 Nauarr.dicens esse nullam talem vnionem, & referens Rotam *lib.*3.*consil.tit.de iurepatron.conss. n.*2.

2 Secunda conclusio. Talis vnio fieri potest authoritate summi Pontificis, modò fiat expressa mentio patronatus laicorum, quoties per vnionem tollitur ius præsentandi,vel eidem derogatur. Sic Lambertin. & Couar. *ibi*, dicens communem.

3 Tertia conclusio. Rector Ecclesiæ patronatæ potest absque patroni consensu vicarium temporalem, vel ad vitam ipsius Rectoris, constituere: in hoc enim non præiudicat patronatui; at non potest absque consensu patroni,etiam authoritate Episcopi, vicarium perpetuum constituere, esset enim grauis læsio patronatus. Sic glossa *c. ad hæc,de offic.vicar.*& *ibi* Doctores, Card *Clement.vnico,* 9.12.*de offic.vicar.*Henricus,& Panorm *c.penult.de iurepatron.*Couarr.*d.c.*36.*n.*10.*vers.* 10.Rochus *dicta q.*3.Lambert.*lib.*3.*q.*5.*art.*7.

4 An verò possit Episcopus concedere Ecclesiam, seu bona eius loco religioso, seu pio vt conuertantur in præbendas & seruiant in illius necessitates, consule Lambertinum *eodem lib.*3.*q.*6.*art.*4. vbi contra aliquos dicentes, id posse fine licentia patroni,quia non damnificatur,cùm possit præsentare ad præbendas,tenet cum aliis, non posse, nisi pro constitutione vnius præbendæ de voluntate Rectoris; & Episcopi pro aliquo ordinando ad titulum illius Ecclesiæ,iuxta *c. postulasti,de iurepatron.*posset enim id,etiam inuito patrono,fieri.

## DVBIVM LVIII.

*An possit pensio constitui super beneficio patronatus absque consensu patroni laici.*

1 ALiqui affirmant, posse constitui à Papa sine consensu patroni, quia per hanc pensionis constitutionem nulla læsio datur patrono, quoad ius præsentationis,cùm integrum ius sibi maneat ad præsentandum. Sic Rebuff.*praxi benefic.* 3.*part.signat. verbo nec non iurispatronatus,n.*28.& 48. Gigas *de pension.q.*23.

2 At dicendum est,requiri patroni laici consensum: nec sufficiet beneficiarij,seu Rectoris voluntas,vt pensio perpetua, scilicet ad vitam pensionarij, constituatur. Ratio, quia non patum derogatur iuri præsentandi, si redditus beneficij, ad quod præsentatio competit, diminuantur: vnde erit necessaria specialis derogatio patronatus laicorum in literis Apostolicis, in quibus super tale patronatus beneficium pensio constituitur, vt docet Gigas *de pensionibus,q.*24. Et hoc maximè habet locum, quando pensio constituitur in titulum beneficij, tunc enim est propriè beneficium,vt dixi *suprà dub.*46. Est autem iusta causa,vt pensio super tale beneficium iurispatronatus laicorum imponatur,etiam sine consensu patroni laici, causa dirimendæ litis inter duos præsentatos à patronis discordibus. Hæc omnia docet Couarr.*q. pract.c.* 36.*n.* 10. vbi est videndus,quando in supremo Regio tribunali hæ pensiones non admittuntur concessæ à Papa in præiudicium patronatus laici.

## DVBIVM. LIX.

*An tempus,quod habet patronus Ecclesiasticus, & laicus ad præsentandum,computetur à die vacationis beneficij, an à die scientiæ vacationis;& ita non currat patrono ignoranti hoc tempus.*

1 SVpponendum est,quòd patronus laicus habet quadrimestre ad præsentandum, clericus verò semestre;vt expressè definitur *c.vnico*,§.*verum,de iurepatron.in* 6.cuius differentiæ duplex esse potest ratio.

Prima, quòd patronus laicus eligens indignum non priuatur potestate eligendi,quia tamen priuatur Ecclesiasticus,vt dixi *suprà hoc lib.*2.*dub.*6.*de accept.person.*& ideò maius tempus conceditur Ecclesiastico, vt magis deliberet,ne contrahat pœnam. Hanc assignat glossa *c.cum vos, de offic.ordin.vers.ic.minus*,licèt eam reprobet Lambert *lib.* 2.*de iurepatron.*2.*part.q.*1.*art.*1.*n.*7. vbi dat

Aliam rationem;quia sæcularis patronus potest variare,non autem Ecclesiasticus; & ideò huic maius tempus conceditur.

2 An verò,quando sunt plures patroni Ecclesiastici, vel plures laici,vel æquales, vel sunt patroni ex priuilegio, vel præscriptione, vel est dubium,an sint patroni laici,vel Ecclesiastici,habeant semestre ad præsentandum, dixi *suprà dub.*53.

3 Secundò supponendum est,quòd patronus in limine fundationis potest cum consensu Episcopi, & non absque eo,apponere conditionem,vt hi patroni habeant maius tempus, vel minus ad præsentandum, quia cum consensu Episcopi potest apponere conditiones contrarias iuri cõmuni,vt dixi *supra dub* 10.*accept person.* Sic Lambert.*de iurepatron lib.*2.*part.*2.*q.*1.*art.*7.*n.*2.& *art.*6.*n.* 2. 3.4. dicit, hoc etiam posse consuetudinem præscriptam, licèt aliquantulum dubitet,& relinquat cogitandum.

4 An verò habens instituere possit breuiare terminum hunc,ponendo edictum, vt intra tale tempus, v. g. duorum mensium, patroni compareant: vel, quando maior

Universidad de Deusto
Biblioteca



pars patronorum, vel Collegij, quando Collegium est patronus, volunt breuiori tempore præsentare, consule Lamber. *d. quæst. 1. art. 28.* Molinam *lib. 2. de primogen. cap. 14. num. 19.*

5 Tertiò supponendum est, quòd, patrono negligente præsentare intra tempus dictum (vel mortuo sine successore, addit Gregor Lopez *vbi infrà*) ius prouidendi deuoluitur ad superiorem, ad quem spectat institutio. Patet ex *cap. si vero, cap. cùm propter, cap. eam te, de iure patron.* Sic glossa *Clement. vnica, de supplen. negligent. prælat. versic. prouisionem.* Panorm. *cap. 1 vers. Quæro, el 3 de elect.* Gregor. Lopez *l. 13. tit. 15. part. 1. vers. ameno*s, Rebuff. *praxi benefic. 3. part. signat. verbo Nec non iuris patronatus, num. 18.* Spino *speculo testament. glossa 4. num. 19. & 18.* & refert multos Sylvest. *verbo ius patronatus, q. 2.* Armill. & Tabien. *ibi num. 1.* Angel. *ibi initio,* Lambertinus *d. q. 1. art. 9. num. 38.* vbi bene explicat, quòd, quando fit deuolutio ad superiorem ex negligentia patroni vel, ex controuersia non finita intra tempus limitatum, iuxta dicenda *infra*, per superiorem, non tantùm intelligitur Episcopus, sed omnis, qui habet instituere in illo beneficio, vel iure ordinario, vel ex priuilegio, vel præscriptione, licèt sit Episcopo inferior: & refert Lapum. Si verò Episcopus est negligens, vide *infra dub. 61.*

6 Nota primò, quòd, transacto hoc tempore, immediatè transfertur potestas ad superiorem: nec est opus requirere patronum. Sic Panorm. *c. vnic. vt Ecclesiastica benef. n. 9.*

7 Secundò nota, quòd propter transitum termini non priuatur patronus iure ampliùs præsentandi, sed tantùm pro ea vice; & sic, quando postea vacauerit, præsentabit. Sic alios referens Spina *dicta glossa 4. n. 20.*

8 His suppositis dubium est, quando incipiat incurrere tempus hoc datum à iure patrono ad præsentandum, siue longius, vel breuius datum à consuetudine, vel fundatore, scilicet, an à die vacationis, vel à die notitiæ, & scientiæ, & an impedito, vel ignoranti currat.

Duplex est sententia.

9 Prima ait, currere à die vacationis, & sic ignoranti patrono, & legitimè impedito currere. Probatur ex *c. 2. de supplen. neglig. prælat.* ibi, *Nisi prædictæ personæ infra tempus constitutum ad vacantes Ecclesias,* & *cap. 2. §. cùm verò, de conces. præbend.* ibi, *Ecclesia vacare contigerit*; &c. *eam te, de iure patron.* ibi, *infra sex menses postquam vacauerit.* Item quia Papa non statuit hoc tempus in pœnam negligentiæ patroni: in hoc enim casu intelliguntur iura in contrarium citanda, quæ requirunt scientiam, sed ne diu beneficia vacent, & Ecclesiæ defraudentur ministerio. Sic etiam videtur probari ex *c. cùm propter, de iure patron.* vbi habetur, quòd, quando pendet lis inter patronos super iure patronatu, Episcopus liberè ordinabit, lapso tempore ad præsentandum iure statuto, & tamen litigans impeditur præsentare, *c. ex literis, de iure patron. & c. 2. de integ. restitut.* Ergo tempus currit impedito. Sic tenent Panormitan *c. eam te, de iure patron. & cap. vnico, n. 9. vt Eccles. benefic.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 6. d. 2. versic. quæro vlteriùs, fol. 153. pag. 2* Decisio rotæ, quam allegat Lambert. *vbi infrà n. 2.* Archid *c. statutum, versic. vacauerit, de præbend. in 6.* Lambertin. latè probans *de iure patronat. lib. 2. part. 2. q. 1. art. 8. à n. 11. & n. 18* dicit, esse communem sententiam, & hodie ita seruari; quia per ordinarios non admittitur ignorantiæ, vel impedimenti allegatio, sed, elapso tempore, prouident; & quòd iura contrarium probantia, non currere ignoranti, vel impedito, loquuntur de tempore dato ad eligendum, vel conferendum, quia iure ordinario hoc competit illis; secùs de dato ad præsentandum, quia, quòd patroni præsentent, est ex gratia. Et *art. 15. fine* dicit, quòd, si beneficiarius est absens in longinquis partibus, ex quo patronus habet iustam ignorantiæ causam, non currit ei tempus; secùs, si patronus esset absens, qui debebat relinquere œconomum. Et *art. 20. n. 3.* limitat etiam, nisi beneficiarius occultè renunciasset beneficium, & renuncians adhuc maneret in possessione, vel si fuit occultè priuatus, ita vt ignoraret patronus; quia non tenetur diuinare patronus, & sic non curret ei tempus, nisi cùm videtur Ecclesiam verè vacare; & sic à tempore mortis illius, qui possidebat.

10 Secunda sententia probabilior docet, tale tempus currere è die scientiæ, & sic non currere patrono ignoranti, vel impedito. Ratio, quia hæc tempora currunt tantùm negligentibus, vt notatur *cap. ne pro defectu, de elect. cap. 2. de conces. præbend. cap. quia diuersitatem, sine eodem tit.* Nec est verum, non in odium, & pœnam patroni, sed tantùm in Ecclesiæ fauorem, ne beneficia diu vacent, statutum esse hoc tempus; quia, si hoc esset verum, non statueretur diuersum tempus patronis laicis, & Ecclesiasticis. Probatur etiam ex iis, quæ dixi *suprà hoc lib. 2. cap. 1. dub. 32. de accept. personarum*; vbi latè probauit tempus datum à iure non currere ignorantibus, & impeditis. Nec obstant iura adducta in contrarium; quia debent intelligi à die vacationis, supple, & scientiæ, vt probatur ex dictis. Immò Rochus *vbi infrà*, dicit idem, licèt fundator dixisset, infra tot menses à die vacationis, quia suppletur, & scientiæ, vt in simili dixi *eo dub 32.* Nec obstat etiam *cap. cùm propter*, allegatum pro parte contraria; quia est casus specialis, eo quòd in eo casu non constat, quis sit patronus; & ideò ius concedit deuolutionem ad Episcopum, secùs, quando constat. Sic respondent Panormit. *cap. cum propter, de iure patron.* vbi latè probat, & tenet hanc sententiam. Idem decisio Rotæ, quam refert Lambert. *suprà, num. 3* Sylvest. *in patronatus, quæst. 6. dicto 1.* Lapus *allegat. 78.* Archid. *cap. licet, de elect. in 6.* Ioann. Andr. *cap. finali, de iure patronatus.* Berosius *cap. quoniam, num 4. eodem tit.* Federicus *consil. 129* Spino *speculo testament. glossa 4. num. 21.* Tiraquell. multos allegans *de retractu lignagier, § 35. glossa 4. num. 7.* Cardinalis *cap quia diuersitatem, de conces. præbend.* Stephanus Caietanus *cap. fin. de elect. in 6.* & dicit cum Lapo intelligi de scientia, & notitia vera, non interpretatiua. Firmianus *tract. de Episcopo, lib. 1. quæst. 7.* Rochus *de iure patron. verbo honorificum, quæst. 27. 28.* Paulus de Citadinis *eod. tract 6. part. 4. 24.* Addit Rochus idem esse, à die, quo scire debuit, & per ipsum stetit.

11 Hinc fit, quòd, si patronus alleget ignorantiam, absentiam, vel impedimentum, vt morbum, quæ possint esse causa non præsentandi, audiri debet, & admitti talis accusatio, vt probetur, licèt præsumptio sit contra patronum. Sic Spino, alios referens, *dicta glossa 4. n. 23.*

## DVBIVM LX.

*An, quando patroni litigant super patronatu, transacto semestri, vel quadrimestri iure illis concesso ad præsentandum, deuoluatur collatio beneficij ad Episcopum, vel superiorem, qui habet instituere, vt dixi dubio præcedenti.*

1 SIt prima conclusio. Quando patroni litigant super patronatu, si patronus est Ecclesiasticus expectabit Episcopus lapsum sex mensium à tempore vacationis: & sic loquitur *cap. eam te, de iure patronat.* Si verò patronus sit sæcularis, expectabit lapsum quatuor mensium; & sic intelligitur *cap. quoniam, & cap. cùm propter, eodem tit.* Et ratio diuersitatis est, quia patronus Ecclesiasticus habet sex menses ad præsentandum, laicus verò quatuor vnde quisque expectatur intra tempus sibi præfixum ad præsentandum, quo transacto, potest superior, qui habet instituere, conferre beneficium, vt decernitur *eo cap. eam te*, vbi quòd *ob patronorum dissensionem deferatur Ecclesia prouisio.* Sic Panormit. *dicto cap. eam te.* Gregor. Lopez diligens communem *l. 11. tit. 15. part. 1. versic. Quatro.* Spino *speculo testam. glossa 4. num. 26.* Ioan. Andr. & Cardin. quos refert, ac sequitur Lambert. *de iure patron. lib. 2. part. 2. quæst. 1. art. 9. n. 5. & 6.* & numeris antecedentibus ponit alios intellectus, & concordias Doctorum ad hos textus, & eas reprobat.

2 Limita conclusionem, vt intelligatur, quando litigatur de ipso iure patronatus Ecclesia vacante; secùs, si Ecclesia non vacet, nil enim deuoluetur ad Episcopum. Si autem lis mora est ante Ecclesiæ vacationem, & tantùm duravit, vt, lite pendente, Ecclesia vacauerit, à die vacationis curret dictum semestre, vel quadrimestre, quo finito ante decisionem litis, deuoluetur institutio ad superiorem. Sic Hostiens. quem refert, ac sequitur Lambert. *dicto art. 9. n. 8. & 9.*

3 Secunda conclusio. Quando Ecclesia vacauit, & est certum, semper Ecclesiam fuisse liberam, si aliqui contendant, se esse patronos, potest Episcopus statim prouidere. Sic alios referens Lambert. *eo artic. 9. numero 11. 12. 13.*

4 Tertia conclusio. Quando est quæstio inter patronos, & Episcopum de idoneitate præsentati, quia scilicet Episcopus dicit non esse idoneum, licèt duret lis vltra semestre, non prouidebit Episcopus, sed expectabitur finis litis, quia per præsentationem est ius acquisitum præsentato. Sic Lambert. *ibi n. 16.* & idem dicit esse *n. 29* si talis quæstio esset inter patronos, vel ipsos præsentatos de idoneitate alterius præsentati, quia scilicet opponit esse irregularé, &c. Secùs dicit *n. 30.* quando esset lis inter præsentatos non ex vi formæ præsentationis, & idoneitatis, sed ex vi iuris patronatus, & iuris præsentandi; tunc enim dicendum est, currere quadrimestre, vel semestre similiter, ac quando est quæstio inter ipsos patronos de iure patronatus.

5 Quarta conclusio. Quando constat, Ecclesiam esse patronatam, & tales patronos, & ex quo sunt discordes, quia diuiserunt sua vota plures præsentando, & super hoc litigatur de meritis præsentatorum, & quis pluribus iuuetur suffragiis, ita, quòd tota lis est de præferendo vnum ex præsentaris, non currit semestre, vel quadrimestre, sed expectabitur finis litis. Sic cum Hostiens. tenet Lambert. *dicto artic. 9. n. 20.*

6 Quinta conclusio. Quando patroni sunt certi; at litigant pro illa vice aliquos illorum perdidisse ius præsentandi, vel in perpetuum, currit dictum tempus, quia perinde est, ac litigare, qui sint patroni. Sic Lambert. *d. art. 9. n. 31. 32.*

7 Vltima conclusio. Omnia dicta in hoc dubio, si sunt plures patroni, habent locum, etiamsi esset vnus patronus, & illi patrono attribuantur dicta. Sic Ioann. Andr. & Card. quos refert ac sequitur Lambert. *d. art. 9. n. 37.*

## DVBIVM LXI.

*An tempore præfixo patronis ad præsentandum elapso, vel iure præsentandi patronis priuatis, possit Episcopus illis concedere, vt præsentent.*

1 SIt conclusio. Bene potest, quia hoc est in fauorem ipsius ordinarij. Sic Innoc. Host. Ioann. Andreas; Bald. & omnes, quos refert, & sequitur Lambert. *de iure patron. lib. 2. p. 2. quæst. 1. art. 6. num 4. & art. 27. num. 7.* Immò *eo art. 27. num. 8.* dicit hoc posse etiam Capitulum sede vacante, quando ad ipsum deuoluitur. Et etiam hoc potest Metropolitanus, si Episcopus intra suum semestre fuit negligens in promouendo.

2 Limita conclusionē, nisi patronus sit priuatus illa vice iure præsentandi, eo quòd præsentauit indignū, iuxta ea, quæ habes *suprà dub. 6. de acceptat. person.* nō enim potest tunc Episcopus illum admittere, quia est pœna; & si eum admitteret ad præsentandum, liberaret eum à pœna, quod solus Papa potest facere. Sic Lamb. *eo art. 27. n. 9.*

## DVBIVM LXII.

*An vltima die quadrimestris, vel semestris possit fieri præsentatio, & qualiter hi menses computabuntur? id est, quot dies pro singulis mensibus, an. 30. vel 31.*

1 CIrca primum aliqui dicunt, non posse fieri præsentationem vltima die quadrimestris, vel semestris; quia post præsentationem debet fieri vocatio, *cap. fin. de elect. in 6.* quæ nequit fieri intra terminum. Sic Paulus *Clement. 2. de iure patron.*

2 At contrarium est tenendum, quia aliàs non esset vetum, dari quadrimestre, vel semestre. Sic tenent Domin. *c. vnico, de iure patron. in 6.* Ioan. Andr. Cardin. Rota, & alij multi, quos refert. & sequitur Lambert. *de iure patron. lib. 2. p. 2. q. 1. art. 13.* Rochus *eo tr. verbo honorificum, q. 3.*

3 Circa secundum supponenda est hæc regula: Vbi lex disponit, vel statutum exprimit, à quo tempore incipiat mensis, vt quia dicit, facias, vel consentias infra mensem à die electionis, & sic demonstrat certum tempus, tunc accipitur mensis secundùm quod occurrit in Kalendario, &, quod deficit de illo mense, accipietur de sequenti, v. g. electio debet fieri infra tres menses à die vacationis, & cessationis impedimenti, & talis dies fuit octauus Ianuarij; deficiunt ergo vsque ad numerum vndetriginta dierum, quibus constat Ianuarius, septem dies, septima dies Aprilis erit vltima trimestris; quia Iannarius accipit à Februario septem dies, & totidem Februarius à Martio. & totidem Martius ab Aprili. Et hoc etiamsi veniret in mēse bissextili, quando fit computatio, quia ille dies non erit tollendus, sed tanquam alius dies computabitur; non enim propter hoc quòd crescit illa dies in mense Februarij, Februarius accipiet à Martio sex dies, sed adhuc accipiet septem; quia dies, qui creuit Februario propter bissextum, est ipsius Februarij: & fiet computatio de momēto ad momentum. Si verò ius, vel dispositio non exprimit à quo tempore incipiat mensis, tunc assumitur duodecima pars anni pro quolibet mense; & sic procedit *cap. licet, de supplen. neglig. prælat.* v. g. quando datur in priuilegio indulgentia vnius mensis, vel duorum, & sic vlteriùs, tunc habebitur pro indulgentia, duodecima pars anni, si est vnus mensis, & si sunt duo, sexta pars anni, &c. Sic Butrio, Host. Ioan. Andr. *cap. licet de supplen. neglig. prælat.* Domin. Ioan. Andr. Paulus *cap quam sit, de elect. in 6.* super glossa *in verbo mensem*, & Doctores omnes, vt refert, & sequitur Lambert. *de iure patron. lib. 2. part. 2. q. 1. art. 14.* Rochus *eod. tract. verbo honorificum, q. 51.* Et primum dicit etiam Sylvest. *excommunicatio 9. excommunic. 32. q. 3. §. 63.* nempe, quando statutum disponit, quòd à tali die incipiat mensis, &c. licèt *verbo ætas, sine*, discreper, quoad mensem, in quo accidit bissextus; refert enim sententiam hîc positam glossæ *cap. quam sit, de elect. in 6.* quòd scilicet fiet computatio secundùm quod menses occurrunt; & ipse dicit, quòd in fauorabilibus in mense bissextili duo dies cedent pro vno; in odiosis secus. Vnde, si dicatur, stet suspensus per mensem, die vltima Februarij quando est bissextus, poterit celebrare.

4 Hac regula supposita, dicendum est, cùm in casu nostro sit dies certus, à quo incipit semestre, vel quadrimestre, id est, secundùm vnam sententiam à die vacationis, secundùm aliam à die scientiæ, curret hoc tempus primo modo dicto. & vnus mēsis supplebit sibi de alio; cum tamen currat de momento ad momentum, est attendenda hora, vt finiatur tempus in præcedēti hora illius horæ, qua vacauit Ecclesia, licèt sit eiusdem diei. v. g. octaua die Ianuarij vacauit Ecclesia, finitur trimestre septima die Aprilis, vt dixi, poterit esse quòd finiatur trimestre octaua die Aprilis, in præcedenti hora, qua vacauit octaua die Ianuarij. Sic Lambert. & Rochus *ibi.*

## DVBIVM LXIII.

*An, quando præsentatio non tenuit, quia præsentatus fuit indignus, vel non facta est coram legitimo superiore, vel præsentatus renunciauit, vel obiit, &c. habeat patronus integrum tempus iure concessum ad iterum præsentandum.*

1 PRimò dico: Si patronus præsentauit, at præsentatus non consensit, vel post consensum renunciauit præsentationi, vel obiit, antequam institueretur, habebit patronus iterum integrum tempus ad præsentandum à die, quo noluit consentire, vel renunciauit, vel obiit, textus est in electione id definiens, *cap. si electio, de elect. in 6.* & extendunt *ibi* Ioann. Andr. Dominicus, & Francus allegans decisionem Rotæ, ad præsentationē. Idem Lambert.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*de iure patron. lib. 1. part. 2. quæst. 1. art. 17. num. 1. 2. 3.* Et patet, quia procedit eadem ratio; nam ratio illius decisionis est, vbi datur terminus ad aliquid agendum sub aliqua pœna ratione negligentiæ, sat est actum fieri, licèt non sortiatur effectum ad vrandum pœnam.

2 Nota, quòd in eo textu limitatur, nisi fraudulenter fecerint, & sic dicit Lamb. *num. 6.* quòd, si vltima die quadrimestris præsentauit, & ille non acceptat, ex hoc dicitur negligens & eâ transactâ, non potest alium præsentare, quia poterat duos præsentare, vt si vnus non acceptaret, acceptaret alius; secus si ante vltimam diem, quia, eo non acceptante, adhuc supererat tempus ad præsentandum alium. At in patrono Ecclesiastico, etiamsi vltima die præsenter, & alius non acceptet, habebit integrum semestre, quia talis patronus dicitur eligere. Hæc Lambert. *ibi.*

3 Secundò dico: Si præsentatio non tenet ob crimen præsentati, si est patronus Ecclesiasticus, & fecit scienter, non habet iam tempus; quia pro illa vice nequit præsentare, vt diximus *suprà hoc lib. 2. tit. 1. dub. 6. de accep. person.* Si verò est laicus, cùm, vt *ibi* dixi, non priuetur potestate, potest iterum præsentare durante prio. i quadrimestri, non autem eo elapso; quia paria sunt intra quadrimestre non præsentare, vel præsentare indignum. Vnde non repelletur eò, quòd præsentauit indignum, sed quia non præsentauit intra quadrimestre. Sic Lambert. *lib. 2. part. 2. q. 1. art. 18.* vbi alios refert.

4 Tertiò dico: Si præsentatio non renuit, quia superior, coram quo patronus præsentauit, non erat legitimus, & transactum est tempus præsentandi; si ille erat, qui iure ordinario habebat instituere vel erat in possessione, & vt talis communiter habebatur, potest iterum præsentare, quia non fuit in culpa; secus non. Sic Lambert. *dicta quæst. 1. art. 24.*

6 An verò, si patronus non eligit intra tempus, & eligit Episcopus, at electio non habuit effectum, an possit iam patronatus præsentare; habes *suprà dub. 6. de accept. person,*

## DVBIVM LXIV.

*An vt deuolutio non fiat ad superiorem, sat sit patronum intra tempus iure taxatum præsentare, vel etiam requiratur, vt præsentatus præsentetur superiori.*

1 SIt conclusio. Requiritur etiam, vt præsentatus intra illud tempus præfixum iure patrono ad præsentandum, præsentetur superiori. vel saltem præsentetur ratificatio præsentationis; aliàs deuoluetur collatio ad superiorem vt latè probat Lambert. *de iure patron. lib. 2. part. 2. quæst. 1. art. 22. & art. 23.* concludit, quòd patronus debet actualiter præsentare intra terminum præfixum à iure, & præsentatus consentire intra eundem terminum, aliàs fiet deuolutio ad superiorem; at neuter istorum tenetur intra dictum terminum instare pro institutione, licèt Rochus de Curte, & Lapus, quos *ibi* refert, asserant, teneri præsentatum consentire intra mensem numerandum à die præsentationis; sicut statuitur idem terminus electo ad consentiendum electioni, *cap. quàm sit, de elect. in 6.*

2 Nota, quòd licèt superior, ad quem facta est deuolutio in beneficio conferendo, habeat semestre ad conferendum, *cap. nulla, de conces. præbend.* At in habente conferre ad patroni præsentationem nullus est terminus iure præfixus ad conferendum; quia in hoc casu non debet esse tempus ita prolixum, cùm hic collator solùm habeat examinare præsentatum per patronum. Sic Rota, vt refert, & sequitur Panorm. *eo cap. nulla,* Lambert. *eo art. 23.* Sylu. *verbo ius patronatus, quæst. 6. dicto 4.* Spino *speculo testam. gloss. 4. num. 95.* vnde dicunt Sylues. & Panorm. Remedium esse, recurrere ad superiorem, vt præfigat. At hodie per motum proprium Pij Quinti statutus est terminus duorum mensium à die præsentationis ad institutionem faciendam per Episcopum, vt notat *ibi* Spino.

3 An verò, quando patronus constituit procuratorem ad præsentandum, vel præsentat per literas, vel nuncium, vel amicum nomine eius, vel absentem, currat tempus præfixum iure patronis ad præsentandum, dicam *infrà.*

## DVBIVM LXV.

*An patronus laicus possit variare, & Ecclesiasticus non possit.*

1 SIt prima conclusio. Patronus sæcularis potest post primam præsentationem variare, & alterum præsentare, antequam institutio fiat ab Episcopo, & Episcopus eliget, quem velit; non autem post institutionem factam à superiori, quia tunc ius dicitur quæsitum primo præsentato. *cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* At patronus Ecclesiasticus nullo modo potest variare. Hæc conclusio habetur *cap. cùm autem, & cap. pastoralis, de iure patr.* Cuius differentiæ duplicem rationem assignat Lambert. cùm aliis *de iure patron. lib. 2. p. 2. q. 7. art. 1.* quia scilicet Ecclesiasticus datur maius tempus ad præsentandum: & etiam, quia Ecclesiasticum magis decet instabilitas.

2 Secunda conclusio. Potest patronus Ecclesiasticus iterum præsentare, si actus præsentationis non fuit perfectus, vt si præsentatus est absens, & ignotus, non enim valet; vel si est notus, & nondum accepit, vel si est præsens, & noluit consentire, vel non est præsentata præsentatio ei, qui habet instituere, vel facta est per literas, quæ non sunt præsentatæ habenti instituere vnà cum præsentato, vel per procuratorem, qui nondum perfecit præsentationem; quia in his casibus non dicitur variare, cùm præsentatio non sit perfecta. Sic Lambert. multos referens *dicta quæst. 7. art. 3. & 4.* & similiter dicit *art. 5.* cum Rocho, Cardin. & Zenzelino, posse nominare alium, quando primò præsentauit non potenti instituere; quia hæc præsentatio fuit nulla.

3 Tertia conclusio. Vt patronus Ecclesiasticus dicatur posse iterum præsentare, nec id sit variare, sat est, si primo loco præsentatus in manibus suis renunciet præsentationi, licèt non renunciatit illi in manibus Episcopi. Sic Lambert. afferens decisionem Rotæ, *de iure patron. lib. 2. p. 1. quæst. 6. art. 4.*

4 Quarta conclusio. Potest patronus, licèt sit Ecclesiasticus, simul præsentare plures, vt Episcopus eligat. Hæc est contra glossam *Clem. de iure patr.* & Lambert. *dicto lib 2. q. 7. art. 8.* dicens non posse Ecclesiasticum, quia esset variare. Sed probatur nostra conclusio, quia *d. Clem. 2.* indistinctè dicitur, posse patronum præsentare plures. Item quia hoc non est variare, sed quando, facta tam prima præsentatione, & perfecta, præsentaret alium. Sic Card. & Immola *d. Clem. 2.* Rochus, quem refert, ac sequitur Gregor. Lopez *l. 6. tit. 15. p. 1. vers. dos otros.*

5 Quinta conclusio. Patronus sæcularis potest variare, etiam post appellationem à primo nominato interpositam, eo quòd Episcopus non conferat sibi beneficium: textus est expressus *cap. pastoralis, de iurepatronat.* & notat *ibi* Panorm. *num. 3.* Gutier. *de iuram. confirmat. 3. part. cap. n. 9.* quod ampliat *n. 11.* cum Panorm. & Ioan. Andr. & Paulus de Citadinis, quos *ibi* refert, etiamsi primus præsentatus appellauerit à patrono volente secundum præsentare.

6 Sexta conclusio. Variatio, quæ conceditur patrono laico, intelligitur pro prima vice, & sic alium tantùm cum primo præsentato potest accumulare. Hæc est contra aliquos dicentes, posse, quoties voluerit, quia regula, quòd sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, habet locum in odiosis, & onerosis; at fauor Ecclesiarum est, vt possit patronus variando cumulare præsentatos; quia eliget Episcopus digniorem. Hi sunt Decius *cap. quando, de iudic. n. 5.* Beroius *c. quod autem, n. 19. de iure patron.*



*repatron.* Spino *specul. testam. glossa 4. n. 75.* glossa *Clem. 2. vers. plures, de iure patron.* Cardin. *cap. pastoralis, in fine, de iure patron.* & est probabile. At probabilior est nostra conclusio; quia sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *l. boues. §. hoc sermone. ff. de verb. signif.* & illa gratia sæpè est damnosa Ecclesiis, & non respicit tam vtilitatem Ecclesiæ, quàm gratiam patronorum. Sic tenet Gutierr. *dicto c. 13. num. 3.* Greg Lopez *l. 6. tit. 15. part. 1. gloss. 1.* Calder. *consil. 16. de iure patron.* Lambert. *de iure patron. lib. 2. part. 2. q. 7. art. 23. & lib. 1. part. 1. q. 9. art. 2. n. 24.* Rochus *eodem tract. verbo honorificum, q. 10 n. 35.* Ludou. Gomez dicens communem *cap. in multis, de rescript. n. 35.* Felin. *cap. omnes leges, 1. dist.* Nau. *cap. placuit, de pœnit. dist. 6. n. 170.* & est communis. Immò, quando fundator in limine fundationis reseruauit, vt patronus possit toties, quoties voluerit amouere capellanum, intelligitur de prima vice, ne detur infinitas, Lambert. *de iure patron. lib. 1 p. 1. q. 9. art. 4. n. 15.* iuncto initio quæstionis.

7 Nota, quòd, sicut præsentatio nulla non computatur patrono Ecclesiastico, adeò, quòd potest secundo loco præsentare, & non dicitur variare; ita non computatur patrono laico, & sic ea non obstante potest bis præsentare, Sic Lambert. *dicto lib. 2. p. 2. q. 7. art. 21. fine.*

8 Septima conclusio. Possunt variare patroni laici, licèt processerint per viam scrutinij, scrutinio etiam publicato: & si fuerint Ecclesiastici, possunt etiam ante præsentationem factam: & si laici, etiam post, quia in priori casu non est præsentatio perfecta. Sic Ioan. Andr. Cardin. Butrio. Panorm. *cap. publicato, de elect.* Lambert. *2. lib. part. 2. quæst. 7. art. 4.*

9 Octaua conclusio, quòd patronus laicus possit variare, intelligitur, modò non eligat minùs idoneum. Probatur ex *cap. cùm autem, de iure patron.* ibi, *Æque idoneum*; & tenet *lex 6. tit. 15 part. 1.* & *ibi* Greg. Lopez *vers. Pear.* Immò Lambert. *de iure patron. lib. 2. p. 2. q. 7. art. 25. n. 5.* dicit, quòd in foro conscientiæ peccat variando, præsentando, æquè idoneum sine causa, & teneri primo præsentato æquè idoneo; quia illum læsit in honore, & vtilitate; secus, quando plures simul præsentat æquè idoneos, quia nullus potest consequi: & idem videtur sentire Sarta *cap. cùm autem, de iurepatron.* Sed id non credo, quia talis patronus vtitur iure suo variando, & ea lege tacita præsentauit, vt liceret ei variare: sed si variaret præsentando minus idoneum, tenetur Episcopus primum instituere, nec datur optio. Lambert. *lib. 2. part. 2. quæst. 7. artic. 26.*

10 Nona conclusio. Ita licet patrono laico variare non priuatiuè, id est, recedendo à prima præsentatione, sed cumulatiuè, id est, accumulando alium præsentatum. Patet ex *cap. cum autem, de iure patron.* ibi, *Et eo non refutato alium,* &c. Item quia ibi datur optio Episcopo, vt eligat, quem malit ex his; ergo vtraque præsentatio valet. Hæc est contra glossam *dicto cap. cùm autem, vers. alium,* & Beroium *cap. quod autem, de iure patron. num. 8.* Sed nostram conclusionem tenent Panorm. *dicto cap. cùm autem, n. 2.* Gregor. Lopez *l. 6. tit. 15. part. 1. vers. En escogencia.* Sylu. *verbo ius patronat. q. 8 dicto 1.* Spino *speculo testam. gloss. 4. n. 75.* Gutier. *de iuram. confirmat. 3. p. cap. 13. n. 4.* Rochus de Curte *de iurepatr. verb. honorificum, q. 9. n. 30.* Paulus de Citadinis *eodem tract. p. 13. n. 3.* Lambert. dicens esse omnium Doctorum vtriusque iuris, *de iure patron. lib. 2. p. 2. q. 7. art. 21. n. 5.*

11 Decima conclusio. Si patronus laicus secundò præsentans dicat, se velle recedere à prima præsentatione, quæ valida erat (vel addit Lambert. *vbi infrà*, per alia signa id demonstret) non valet secunda præsentatio; quia non facta est conformiter iuri. Si verò tantùm simpliciter præsentauit, & non expressit priuatiuè, vel cumulatiuè (addit Lamb. nec aliàs apparet voluisse à prima recedere) Lapus *allegat. 78.* dicit, non valere, quia debebat addere se præsentare secundum cumulatiuè; at dicendum est valere, quia præsumendum est voluisse præsentare, vt ius sibi permittat, scilicet cumulatiuè, quia quilibet præsumitur velle id, quod iuris est, alio non apparente, *l. si duo ff. de acquir. hæredit.* Et quia in dubio facienda est interpretatio, vt potius actus valeat, quàm pereat, *cap. Abbate, de verb. signific. l. quoties ff. de reb. dubiis.* Sic Greg. Lopez, & Gutierr. *num. 45* Lambert. *art. 22. n. 6.* Rochus *verbo honorificum, q. 13. n. 38.* vbi citati sunt in præcedenti conclusione, Paulus de Citadinis *de iure patr. 6. p. art. 2. q. 6. n. 6.*

12 Nota, quòd Rochus *ibi* dicit, quòd, si patronus in præsentatione secundi non simpliciter præsentauit, sed dixit, se velle variare præsentando, non valet secunda præsentatio: & in hoc casu saluat sententiam Lapi *allegat. 78.* citatam, quia videtur tunc præsentare priuatiuè. At hoc bene reprobat Gutierr. *ibi in 6.* quia cùm patrono laico liceat variare, licèt in præsentatione secundi dicat, se velle variare, dummodò expressè non recedat à prima præsentatione, iure permittente id facit: & sic intelligitur velle variare eo modo, quo ius sibi permittit; idem tenet Paulus de Citadinis *ibidem.*

13 Vndecima conclusio. Non tantùm patronus laicus potest variare, sed etiam eius successor in patronatu, quando scilicet, facta præsentatione, moritur patronus laicus ante factam institutionem, eo scilicet tempore moriatur, quo ipse variare posset, tunc enim variare posset successor alterum cumulatiuè præsentando, si vterque patronus laicus erat. Sic Panorm. & communiter scribentes, *cap. querimoniam, de iurepatron.* vt refert, & sequitur Molina *lib 1. de primog. c. 24. fine,* Lambert. *de iure patr. lib. 3. q. 5. art. 1.*

14 Duodecima conclusio. Si patroni laici compromittunt præsentationem in aliquem, & compromissarius præsentat, non poterunt vlteriùs variare, secus, quando constituunt procuratorem ad præsentandum: nam procuratore præsentante possunt adhuc variare acumulatiuè. Ratio differentiæ, quia in compromissarios transferunt omne ius suum irreuocabiliter pro illa vice, postquam res desiit esse integra, iuxta notata *cap. in causis, de elect.* at non in procuratorem; is enim gerit in omnibus personam constituentis. Sic Lambert. *lib. 2. de iure patr. p. 2. q. 7. art. 15. num. 6.* At, re integrâ, id est, antequam compromissarius præsentet, possunt tales patroni præsentare, Sic Lambert. *eadem q. art. 17. num 4.*

15 Decimaterta conclusio. Ad videndum, an compromissarius patroni laici possit variare, sicut ipse patronus, attendenda est forma compromissi, quia si tantùm compromissa est præsentatio, sicut facto hoc compromisso, & re non integra non possunt variare patroni compromittentes: ita nec ipsi compromissarij, quia apparet, de voluntate compromittentium fuisse, vt per definitionem compromissariorum finiretur; & facit pro hoc *Clement. pluves, de iure patron. fine.* Si verò compromittentes non tantùm compromitterent præsentationem, sed generaliter concederent eis omnem facultatem, quam ipsi habent, possent variare, sicut ipsi patroni. Sic Lambert. *eod. art. 17. num. 5.*

16 Decimaquarta conclusio. Sicut patronus laicus potest variare, ita eius procurator: & sicut Ecclesiasticus non potest variare, ita nec procurator, licèt sit laicus, quia id, quod fecit procurator meus, ego dicor fecisse; *c. mulieres, de sentent. excom.* Sic Lamb. *de iurepatr. lib. 2 p. 2. q. 7. art. 12.* vbi alios refert; & idè dicit de cessionario, *& art. 17. n. 1. & 2.* Rochus *de iurepatr. verbo honorificum, q. 20.* Domin. *c. lex* Rochus *de iurepatr. verbo honorificum, q. 20.* Domin. *c. lex Præsent. d. 2.* Felin. *c. cùm venerabilis, in principio, de excess. Prælat.* limitat Lamb. *eo art. 17. n. 4.* nisi sit limitata potestas procuratoris, quòd possit semel præsentare.

17 An verò, lite pendente inter præsentatos, liceat patrono variare consule Rochum *de iurepatr. verbo honorificum, q. 13.* Lamb. *eodem tract. lib. 2. p. 1. q. 6. art. 2.* Cou. *pract. c. 36. n. 7.* Et, quòd, licèt alter præsentatus appellarit, ne variet, possit variare, tenet Dueñas *reg. 42. fallentia 7.*

DVBIVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM LXVI.

*An si vnus patronus est Clericus, & alter laicus, vel plures laici, vel ambo laici, possint omnes, vel saltem alter, variare.*

1 QVidam dicunt, quod, quando vnus patronus est laicus, & alter Ecclesiasticus, non possunt variare. Sic Ioan. Andr. quem refert, ac sequitur Panorm. *cap. cùm autem, de iurepatr.* Sylvest. *verbo iuspatronatus, quæst.* 8. *dicto* 2. Greg. Lopez *l.* 7. *verſic. Clerigo, tit.* 15. *part.* 1. Spino *ſpeculo teſtam. gloſſ.* 4 *n.* 78. Gutierr. *de iuram. confirm.* 3. *p. c.* 13. *num.* 10. Paulus de Citadinis *de iure patr.* 6. *p. art.* 3. *n.* 3. Immò Rochus, Ioan. Andr. Lapus, quos referunt, & sequuntur Greg. Lopez, & Spino *ibi*, dicunt, quòd, ſi ambo patroni eſſent laici, & præſentarent vnum, licèt ambo ſimul poſſint variare; alter ſolus nequit, quia primus præſentatus ab vtroque patrono eſt potior, quàm præſentatus ab vno.

2 At meliùs Lambert. *de iure patr. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 7. *art.* 13. dicit Clericum non poſſe variare; quia licèt ſit illi vtile, & ſic ex communione deberet ſentire hoc commodum; at quia eſt prohibita illi variatio, tanquam indecens, & deteſtabilis, non fruetur hoc commodo; at laicus poteſt variare, quia non debet ſentire damnum, ſed commodum ex communione Clerici, vt dixi *ſuprà dub.* 53. At non proderit talis variatio præſentato in ſecundo loco, ſi deſunt ſibi vota neceſſaria; quia primus iuuatur pluribus ſuffragiis. Quare, ſi ſint plures patroni laici, quàm eccleſiaſtici, & varient laici, datur optio Epiſcopo, quia quilibet illorum præſentatorum habet ſufficientia ſuffragia, vt poſſit inſtitui. Hæc Lambert. *ibi.*

3 Tandem nota, quòd Epiſcopus malitiosè differens receptionem primi nominati admittere, vt patronus variet, tenetur, ſi poſtea ſecundo nominato contulerit beneficium, prouidere primo nominato beneficium competens, & primò nominatus id petere poteſt ab Epiſcopo, vt in eo, in quo deliquit, puniatur, *cap. paſtoralis, de iure patron.* vbi Gloſſa, & Panorm. declarant quando præſumatur malitia in Epiſcopo: idem tenet *lex* 6. *tit.* 15. *part.* 1. Gutier. *de iuram. confirmat.* 3. *p. cap.* 13. *num.* 7.

## DVBIVM LXVII.

*An quando vniuerſitas, vel collegium ſæculare habet iuſpatronatus, poſſit variare.*

1 QVidam negant; quia *cap. cùm autem, de iurepatron. fine*, videtur æquiparare Collegium patrono eccleſiaſtico. Sic Syluest. *verbo iuſpatronatus, quæſt.* 8. *dicto* 1. Milis *in repertorio, §. patronus, verſic. Patronus laicum præſentatum.*

2 At dicendum eſt, poſſe; & *c. cùm autem*, intelligitur de Collegio eccleſiaſtico: in hoc enim ſolo caſu eſt patronatus eccleſiaſticus, vt dixi *ſuprà dub.* 53. At non poterit maior pars Collegij variare accumulatiuè, bene tamen poſſet maior pars priuatiuè variare, ſcilicet recedendo à prima præſentatione, & alium præſentando, quando neceſſitas ad id cogit, vt, ſi inueniretur primus præſentatus indignus; at verò ad variandum cumulatiuè requiritur, vt omnes, nemine dempto, conſentiant. Ratio, quia ad contraueniendum ſtatuto, vel alij facto Collegij, eſt neceſſarius conſenſus omnium, niſi adſit cauſa neceſſariò cogens, quia tunc ſat eſt maior pars, iuxta doctrinam Felini *cap. cum omnes, de conſtit. fallentia* 2. & Lambert. *infrà*; cùm ergo prior præſentatio facta ſit à Collegio, & non poſſit neceſſitas cogere ad præſentandum cumulatiuè, poſſit verò cogere aliquando ad præſentandum priuatiuè, priori caſu eſt neceſſarius conſenſus totius Collegij, poſteriori verò ſat eſt maioris partis. Sic Lambert. *de iure patron. lib.* 2. *p.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 16. *num.* 11. *& q.* 7. *art.* 19. *num.* 2.

## DVBIVM LXVIII.

*An ſi patronus promiſit præſentare vnum, poſſit variare, ſi eſt patronus laicus.*

1 PRimò dico, poſſe variare. Probatur, quia, ſi vno præſentato poteſt patronus laicus variare; à fortiori vno promiſſo. Item, quia varians non recedit à prima præſentatione, cùm variet accumulatiuè, & ſic benè ſeruat fidem. Sic Ioan. Andr. quem refert, ac ſequitur Imola *cap. finali, in principio, de conceſſ. præb.* Rochus *de iure patr. verbo honorificum, q.* 9 Lambert. *de iure patr. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 7. *art.* 15 *n.* 3. *& 4.*

2 Secundò dico, quòd, ſi, facta præſentatione per patronos, promittunt illam habere ratam, & non reuocare, vel ab ea non diſcedere, non poſſunt variare, ſed tenentur ſtare promiſſis. Sic Lamb. *ibi*; Lapus *allegat.* 78. *n.* 4. Gutierr. *de iuram. confirm.* 3. *p. cap.* 13. *n.* 13.

3 An verò valeat promiſſio de illo præſentando. Rochus *ibi* dicit, obligare. At dicendum eſt cum Lambert. *ibidem*, quòd aut hæc promiſſio de præſentando facta alicui, qui ipſe velit, facta eſt antequam beneficium vacet, & talis promiſſio eſt nulla, nec obligat, ne detur anſa captandi mortem, *cap. fin. de conceſſ. præb.* Si verò facta eſt Eccleſia vacante, tunc patronus poteſt præſentare, non obſtante tali promiſſione, ſi adhuc res eſt integra: ſi verò non eſt integra, quia iam præſentauit, poteſt variare, ſi eſt laicus, vt diximus. Aut promiſit eidem, quòd ipſum eſſet præſentaturus, & talis promiſſio non valet; quia eſt etiam prohibitum acceptare præſentationem, antequam ſit præſentatus. Hæc Lambert. *ibi.*

4 Ex his infertur, quòd ad Eccleſiam, antequam vacet, non poteſt quis præſentari. Patet, quia promiſſio de præſentando ad beneficium vacaturum nequit fieri, nec obligat, ne detur anſa captandi mortem, *cap. ſin. & conceſſ. præben.* Ergo à fortiori præſentatio. Item, quia, qua ratione beneficium ante vacationem prohibetur conferri, *cap. nulla, de conceſſ. præbend.* nequis mortem proximi, in cuius locum eſt ſucceſſurus, deſiderare videatur, cenſetur prohibita præſentatio, cùm eadem prorſus militet ratio. Sic Perez *lib.* 1. *ordin. tit.* 6. *l.* 1 *fol.* 146. *pag.* 1.

## DVBIVM LXIX.

*An patronus laicus, qui vnum præſentauit, & promiſit eum iuramento non variare, nec reuocare illam nominationem, poſſit variare.*

1 ALexander *conſil.* 16. *lib.* 3. tenet, non obſtante eo iuramento, poſſe validè variare. Probatur ex doctrina gloſſæ communiter recepta, teſte Gut *vbi inf.* quæ *cap. fin. verſic. reuocatus, de procurat. in* 6. docet, iurantem non reuocare procuratorem à ſe conſtitutum, ſi reuocet eſſe periurum, at valere reuocationem.

2 At dicendum eſt, quòd, ſi quis conſtituat procuratorem ad præſentandum, iurans non reuocare procuratorem, ſi reuocet, eſt periurus; at tenet factum: ſed ſi iurauit non variare, vel non præſentare alium, quàm præſentatum per procuratorem, non poteſt ipſe, nec alter pro eo alium præſentare; quia regula illa, Quis non poteſt venire contra ſuum iuramentum, *cap. cùm contingat. de iureiur. cap. quamuis pactum, de pactis, in* 6. habet verum in iis, in quibus eſt neceſſarium adire prætorem, qui non debet aliquem audire contra proprium iuramentum; & quia in reuocatione procuratoris, id non eſt neceſſarium; benè tamen in reuocatione præſentationis, & in præſentatione ipſa; ideò illa contra iuramentum eſt valida, non autem hæc. Sic tenet Lambert. *de iure patr. lib.* 2. *p.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 13. *num.* 4. *& 3. & toto illo art.* refert multos. Rochus referens duo conſilia Pauli de Caſtro, *eodem tract. verbo honorificum, quæſtio* 12. *num.* 37. ad quem remittit Gregor. Lopez *l.* 6. *titul.* 15. *part.* 1. *verſic. biem.* Spino *ſpeculo teſtam. gloſſ.* 4. *n.* 76. Gutier. *de iuram. confirmator.* 3. *p. cap.* 13. *num.* 13.



*n.* 13. Couar. *c. quamuis pactum*, 2. *p. §.* 2. *n.* 4. *ad finem verſ. prædicta verò.* Marienzo *lib.* 5. *recop. tit.* 10. *l.* 3. *gloſſ.* 13. *n.* 7.

3 Limitant Couar. & Matienzo, niſi iudex, coram quo talis præſentatio contra iuramentum fit, eam expreſsè, vel tacitè receperit, ac probauerit; tunc enim erit valida. Sed Gutierr. *ibi* reprobat hanc limitationem, quia vel iudex, quando recipit, ignorauit iuramentum: & tunc eſt ſubreptitia talis receptio: vel ſciuit, & tunc iniquè approbauit, & ſic ab eo appellari poteſt à probatione, & iudex ſuperior eam annullabit.

4 Tandem nota, quòd vltra dictam cautelam iuramenti, eſt alia, vt patronus laicus nequeat variare, ſcilicet donare exercitium iuriſpatronatus, id eſt, ipſam præſentationem. Sic Gutierrez *ibi num.* 14 Lambert. *de iure patr. lib.* 2. *p.* 2. *q.* 7. *art.* 15. *fine*; vbi addit, quòd vt teneat talis donatio exercitij pro vna vice, debet eſſe, poſtquam Eccleſia vacauit, aliàs non tenet, *cap. fin. de conceſſ. præb.* & de licentia Epiſcopi, ſi fieret in totum donatio talis exercitij. Et, quòd requiratur licentia, quando donat laico, tenet etiam *lib.* 1. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 4.

## DVBIVM LXX.

*Quis ſit capax acquirendi iuſpatronatus ex conſtructione, dotatione, vel fundatione Eccleſiæ.*

1 HIc non diſputamus, quis ſit capax ex ſucceſſione hæreditaria, quia de hoc *infrà*; ſed an omnis, qui conſtruit, dotat, vel fundat Eccleſiam, ſit capax acquirendi iuſpatronatus, & ſic illud acquirat.

2 Primò dico: Omnes, qui non ſunt ſpecificè à iure prohibiti, acquirunt iuſpatronatus, ex dictis cauſis. Sic latè probans, & alios referens Lambert. *lib.* 1. *de iurepatr. p.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 1.

3 Hinc fit, mulieres acquirere iuſpatronatus, ſi dotent vel fundent Eccleſiam, licèt non acquitant ius poſſeſſionis, niſi eſſent mulieres illuſtres; vel in aliqua dignitate conſtitutæ. Sic cum multis, quos *ibi* refert Lambert. *art.* 2. & probat ex *cap. nobis de iurepatr.* vbi generaliter dicitur, *ſi quis*, &c. quia maſculinum concipit fœmininum, vt notatur *cap. generali, de elect. in* 5. Item ex *cap. fin. de conceſſ. præbendæ*, vbi dicitur, quandam Comitiſſam habere iuſpatronatus.

4 Secundò infertur, illegitimè natum acquirere iuſpatronatus, ſi fundat Eccleſiam quia nullibi hoc prohibetur in iure. Sic Rochus *de iurepat. verbo competens, quæſt.* 2. Lambert. *ſuprà art.* 13. dicens, eſſe certum.

5 Tertiò infertur, pupillum, & infantem acquirere ius patronatus ex fundatione. Rochus *ibi quæſt.* 3. Lambert. *art.* 14.

6 Secundò dico, quòd non tantùm perſona vera, ſed etiam ficta acquirit iuſpatronatus, vt ciuitas, Collegium, vniuerſitas, &c. Sic Rochus *ibi q.* 5. 6. 7. Lambert. *art.* 15. *num.* 6. vbi multos refert, & latè probat vſque ad *n.* 12. vbi hoc limitat, quando Eccleſia eſt fundata, conſtructa, vel dotata ab vniuerſitate ratione communitatis, & eius nomine, ſecùs, ſi per populum eleemoſynariter, & ſingulariter, non pro parte vniuerſitatis, ſed oblationum particularium, & per ſingulares de vniuerſitate; quia tunc non erit patronatus vniuerſitatis, nec ſingulorum, ſed Eccleſia erit libera, & refert Archid. Dominicum, & Ioan. And. Quando verò Eccleſia dotatur ab vniuerſitate, nomine vniuerſitatis, non ſingulis, id eſt, nulli eorum ſingulariter, ſed toti communitati debetur patronatus. Sic Lambert. *eodem art.* 15. *num.* 17. alios citans.

7 Tertiò dico. Excommunicatus fundans Eccleſiam, licèt non eſſet admittendus ad fundandum: at vbi admiſſus eſt, acquirit iuſpatronatus, non tamen exercitium, id eſt, non poteſt præſentare, donec abſoluatur. Sic Ioan. And. *cap. nobis de iurepatr.* Lambert. *ſuprà art.* 12. & idem prorſus dicit *art.* 12. cum Paulo de Citadinis de ſimoniaco, quòd ſcilicet acquirit iuſpatronatus, at non habet exercitium donec abſoluatur à ſimonia.

8 Quartò dico. Hæreticus fundans Eccleſiam, non acquirit iuſpatronatus, quia omnia bona ſunt confiſcata; & aliis rationibus probat Lamb. *ibi art.* 4. *n.* 4. 5. *& n.* 32. dicens quòd, licèt conuertatur ad fidem, non recuperat illud, ſicut nec bona; at, ſi conuerſus ad fidem ædificat, dicit, quòd acquirit iuſpatronatus; & *in ſummario*, quod ponit proximè ante quæſtionem 8. limitat hoc in hæretico condemnato per ſententiam; declarabitur enim, non acquiſiuiſſe, cùm confiſcantur omnia bona.

9 Quintò dico. Credentes, fautores, receptores, defenſores hæreticorum, quando non ſunt hæretici, ſi non extent per annum in illa excommunicatione, acquirunt patronatum; at non exercitium, dum ſunt excommunicati; ſecùs, ſi extent per annum, & pòſt ædificent, tunc enim non acquirunt iuſpatronatus. Sic Lambert. *ibi art.* 5.

10 Sextò dico. Schiſmatici, & Apoſtatæ ædificantes, ſi non ſunt hæretici, acquirunt iuſpatronatus, at non exercitium, ſi ſunt excommunicati, vel aliàs infames. Sic Lambert. *art.* 7. *& 6.*

11 Septimò dico. Infidelis ædificans non acquirit iuſpatronatus. Sic Lambert. *ibi art.* 3.

12 Octauò dico. Infamis infamiâ iuris, vel facti ædificans, acquirit patronatum; at non poteſt exercere, quia eſt ius honorificum. Sic Lamb. *art.* 8.

13 Vltimò dico. In his caſibus, in quibus non acquiritur ius patronatus, Eccleſia erit libera ſub ordinarij iuriſdictione. Sic Lambert. *ibi art.* 9.

## DVBIVM LXXI.

*Quis patronus poſſit præſentare ad beneficium.*

1 PRimò dico. Præſentatio non tantùm poteſt fieri per ipſum patronum, ſed etiam per procuratorem ſpecialiter ad hoc datum: nec ſat eſt generale mandatum, *cap. fin. de offic. vicarij.* Probatur etiam ex *cap. fin. de conceſſ. præben.* vbi prohibetur conſtitutio procuratoris ad præſentandum ad beneficium vacaturum, ne detur anſa voti captandæ mortis; ergo à contrario ſenſu, licèt quando vacat iam beneficium. Et ſic tenent *ibi* Innoc. Immola Panorm. Ioan. Andr. Cardin. & omnes, vt refert, & ſequitur Lambert. *de iurepatr. lib.* 2. *p.* 1. *quæſt.* 4. & addit, hoc poſſe fieri, licèt patronus ſit præſens, & non impeditus.

2 Secundò dico, quòd hic procurator debet conſtitui ad beneficium iam vacans conferendum; quia non poteſt patronus dare procuratorem, vel committere actum præſentationis ad beneficium vacaturum, ne detur anſa voti captandæ mortis. Sic habetur expreſsè *c. fin. de conceſſ. præb.* & docent omnes.

3 Nota primò, quòd poteſt antequam beneficium vacet transferre in alium iuſpatronatus titulis, quibus poteſt tranferri, de quibus *infra*. Sic Lambert. *de iurepatr. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 4. *art.* 2.

4 Secundò limita, vt intelligatur ad beneficia vacatura per mortem, poteſt enim dari procurator ad beneficia vacatura per renunciationem, permutationem, vel alia ex cauſa, quia ceſſat votum captandæ mortis, & ſic finis legis. Sic Lambert. *ea q.* 4 *art.* 2. *n.* 8. & refert Dominicum, & *n.* 9. *&* 10. ſimiliter limitat, quando alter, quàm Epiſcopus, eſſet, qui conſtituitur procurator ad præſentandum ad beneficium vacaturum, poteſt enim Epiſcopus conſtitui, cùm de ipſo non præſumatur fraus, nec tale votum: & generaliter, inquit valeret in omni caſu, in quo ceſſaret fraus, & votum captandæ mortis. Item ex cauſa iuſta abſentiæ poteſt dari procurator generalis ad omnia negotia, & expreſsè ad præſentandum; ſi vacauerit, & de licentia Epiſcopi. Lambert. *ea q.* 4. *art.* 3. *n.* 11. *& q.* 8. *art.* 9. *num.* 5.

5 Tertiò dico, quod ſi quis dedit mandatum procuratori ad præſentandum, qui præſentauit intra tempus iure conceſſum patrono ad præſentandum, at non facit fidem de mandato intra illud tempus, deuoluetur collatio ad Epiſcopum;

Universidad de Deusto
Biblioteca



Episcopum; quia paria sunt non præsentare, & minus sufficienter præsentare. Sic Lapus, quem refert, ac sequitur Lambert. *de iurepatr. lib. 2. p. 2. quæst. 1. art. 2.*

6 An verò possit reuocari talis procurator, etiam interueniente iuramento de non reuocando, dixi *supra dub. 69.*

7 An verò, vt reuocatio procuratoris constituti ad præsentandum teneat, & non valeat præsentatio principalis patroni, vel alterius procuratoris ab eo dati post ptiorem reuocationem, debet talis reuocatio deuenire ad notitiam procuratoris reuocati, vel ordinarij, qui debet præsentationem admittere. Lambert. *de iurepatr. lib. 2. p. 1. q. 4. art. 14.* refert Paulum de Castro *cons. 57. 1. p. dub. 4.* vbi dicit valere talem reuocationem, quia quoties incurrunt quatuor, nempè quòd procurator sit ad actus extrajudiciales, & quòd actus gestus per procuratorem geri non possit absque expressa domini voluntate, & mandato, & quòd reuocatio non redundet in damnum pecuniarum alicuius tertij, nec ipsius procuratoris, & quòd sit talis actus, quem dominus non tenebatur facere, potest procurator omnino ignorans reuocari; nec valet quidquid post reuocationem etiam ignoratam facit. Et subdit exemplum, vt in procuratore dato ad donandum, manumittendum seruum, &c. Nec obstat (inquit) *Clem. cum illustio, de renunciat.* vbi procurator ad renunciandum beneficium reuocari non potest, nisi reuocatio ipsi, aut superiori intimetur, quia id est in eo casu speciali; at hîc concurrunt omnia hæc. Et dicit Lambert *eo art. 14. n. 6.* nullum contradictorem inuenisse. At ipse dicit *n. 8.* hæc: Si antequam notitia reuocationis deuenisset ad ordinarium, vel procuratorem, facta esset institutio, nescio quomodo reuocari possit.

8 Quartò dico. Potest consanguineus, vel negotiorum gestor pro domino, vel amicus maximæ amicitiæ coniunctus cum cautione, quòd patronus absens ratum habebit, admitti ad præsentandum pro consanguineo, domino, vel amico patrono absente, vel aliter impedito absque speciali mandato. Sic Lamb. *de iurepatr. lib. 2. p. 1. q. 4. art. 17. per totum*; quia hîc agitur de modico præiudicio, immò de nullo, quia si alter non ratificat, non nocet: vnde non tantùm non est præiudicium, immò est vtile, nec labatur quadrimestre, vel semestre, & fiat deuolutio ad superiorem. Et *n. 14.* dicit, quòd vt talis præsentatio valeat, requiritur, vt patronus ratificet, vel vt non reclamet tempore ad præsentandum concesso. Idem omnino docet idem Lambert. *eodem lib. 2. p. 2. quæst. 1. art. 21. fine.*

9 Quartò dico. Præsentatio potest fieri per nuncium, vt latè probat Lambert. *lib. 2. p. 1. q. 4. art. 15.* & *art. 16.* dicit, & probat posse fieri per epistolam; éstque textus expressus *c. ea noscitur. de his quæ fiunt à Præl.* & *ibi* Panor. Ioan. Andr. Immola, Card. & omnes. Et dicit *n. 3.* requiri vt talis præsentatio fiat intra tempus à iure patronis concessum ad præsentandum; & sic non sat esse intra dictum tempus literas scribere, nisi fiat talis præsentatio litterarum intra dictum tempus.

10 Sextò dico, quòd si patronus sit excommunicatus, nequit præsentare. Sic Ioan. Andr. Panorm. Card. Butrio, *c. nobis de iurepatr.* & communiter omnes *ibi*, vt refert, & sequitur Nauar. *lib. 3. consil. tit. de iurepatr. cons. 7.* Lamb. *de iurepatr. lib. 2. p. 1. q. 2. art. 2.* Rochus *eod. tr. verbo competens, q. 8* Lapus *alleg. 8.* Rota, & Bertachinus, quos refert, & sequitur Couarr *c. alma mater, 1. p. §. 7. n. 9. vers. duodecimus*, Enriquez *lib. 13. de excommun. c. 13. n. 1.*

11 Nota primò aliquos limitare hoc quâdo patronus est Clericus, quia talis præsentatio habet aliquid adminiculi iuris, secus, quando est patronus sæcularis, qui variare potest: talis enim præsentatio est meri facti: & sic dicunt quòd institutio facta ab Episcopo virtute præsentationis patroni Clerici excommunicati, non valet, secus quando patronus est laicus. Sic Lud. Gom. *tr. expectativarũ, n. 60.* Et testatur hanc sententiam iudicio Rotæ fuisse seruatam in vna causa Zamorensi. Idẽ Rota *decis. 2. tit. de iurepatr. in antiquioribus, & decis. 527. in antiquis.* Roch. *d. verb. cõpetens, q. 8. n. 12.* At verius est vtriusque præsentationem, & institutionem virtute illius factam esse inualidam; quia nulla est differentiæ ratio. Sic Cou. *ibi*, Enriquez *ibi*, Lambert. *de iurepatr. lib. 2. p. 3. q. 3. art. 4.* & videtur tenere Nauarr. quia absolutè *illo consil. 7.* dicit institutionem non valere, & refert hunc Lambertini locum.

12 Secundò nota aliquos dicere hoc esse verum, licèt talis excommunicatus sit occultus, nec aliquid ad hoc conferre prædefinitum per *Extrauag. ad euitanda scandala*, sed tantùm quando sit actus aliquis ab excommunicato occulto ratione publici officij. Sic Couarr. *eodem §. 7. n. 9. vers. Quid autem.* At hanc distinctionem reprobaui *lib 3. de matr. disp. 22. n. 31. 32.* vbi licèt illam etiam amplectatur Enriquez *lib. 13. de excomm. cap. 7. n. 6. iuncto commento, litera C.* At verius est, vbi probaui in omnibus casibus gesta per excommunicatum toleratum, id est, qui non est denunciatus nec notorius Clerici percussor, valere: & sic Nauar. *eo consil. 7.* dicit præsentationem factam per excommunicatum denunciatum non valere. Et Ludou. Gomez *tr. expectativarum, n. 60.* dicens non valere, addit hæc: Fortè hoc procedit tantùm, quando esset excommunicatus declaratus per Extrauag. Martini V. *ad euitanda scandala.*

13 Tertiò nota, quòd talis excommunicatus non potest constituere procuratorem, qui tunc præsenter, cùm ipse non possit tunc præsentare: at potest tunc transferre in alium iuspatronatus. Sic Lambert. *de iurepatr. lib. 2. p. 1. q. 4. art. 2. n. 2.* vbi alios refert, *& q. 2. art. 2. n. 15.*

14 Quartò nota, quòd si præsentatio spectaret ad Collegium, & interueniret excommunicatus, vitiaretur præsentatio; non verò si spectaret ad singulos, quia alij possent præsentare, & sic propter excommunicationem illius non vitiaretur præsentatio. Sic Lamb. *lib. 2. p. 1. quæst. 2. num. 16.*

15 Septimò dico. De patrono suspenso maior est difficultas, an possit præsentare; videtur enim non posse, quia excommunicatio, & suspensio æquiparantur, *cap. 1. de sent. excommun. in 6.* Et sicut excommunicatus non potest eligere, *cap. illa de elect.* ita nec suspensus, *cap. cùm inter R. de elect fine*; ergo sicut excommunicatus non potest præsentare, ita nec suspensus. Sed dicendum est, quòd si patronus sit sæcularis, etiamsi competat Clerico, in quem solum cadit suspensio, potest patronus suspensus præsentare; quia reputatur ac laicus, nec hoc cadit sub suspensione officij, aut beneficij, cùm ab officio non dependeat: nam etiamsi esset laicus, posset habere hunc patronatum, nec etiam à beneficio, cùm non ab eo, sed à patrimonio procedat. Si verò patronatus sit Ecclesiasticus, si patronus est suspensus ab officio, & beneficio, non potest præsentare, quia sua præsentatio dicitur electio, & habet vim electionis, vt docent Innoc. & Panorm. *cap. cum auctoritate de iurepatr.* & alij, quos refert, & sequitur Lambert. *vbi infra*; at suspensus nequit eligere, *cap. cùm inter R. de elect.* Si verò sit suspensus tantùm ab officio, non potest etiam præsentare, quia suspensus ab officio prohibetur eligere; quia electio, seu potestas eligendi inhæret officio. Pan. *c. cũ inter R. de elect. & c. cũ dilectus, de consuet.* ergo similiter nequit præsentare. Si verò sit suspensus à beneficio, similiter nequit præsentare, quando ratione beneficij illi competit iuspatronatus; quia suspensus à beneficio est suspensus à fructibus illius beneficij, at talis præsentatio est fructus illius beneficij. Nec obstat, quòd Canonicus suspensus à beneficio possit eligere, *cap. cùm Victorien. iuncto cap. cùm in cunctis, de elect.* & docet Panorm. *cap. cùm dilectus, de consuet.* quia electio magis inhæret officio, quàm Canonicatui. Et ad argumentum initio propositum respondetur, quòd omnis excommunicatus prohibetur eligere, & præsentare; quia excluditur à participatione aliorum, à qua tamen non excluditur suspensus: & sic non omnis suspensus prohibetur præsentare. Hæc omnia latè Lambertin. *de iurepatr. lib. 2. part. 1. quæst. 2. art. 3.*

16 Nota



16 Nota tamen, quòd vt hæc habeant locum, oportet, vt suspensus sit denunciatus, sicut diximus de excommunicato, & constat ex materia *excommun.*

17 At verò simoniacus, & alij delinquentes, si sint patroni, possint præsentare, habes *dub. præcedenti.*

18 Octauò dico. Filius nequit præsentare in beneficio, in quo pater est patronus, & viuit, quando nomine proprio præsentaret; at quando vellet præsentare nomine patris, admitteretur eo casu, quo diximus posse admitti consanguineum ad præsentandum nomine patroni; & hoc quando pater esset patronus, vt persona priuata: sed quando, vt vnus de vniuersitate, vel parochia, de qua etiam esset filius, præsentabit vt pater, quia est etiam patronus, vt ipse. Sic Lambert. *de iure patron. lib. 2. p. 1. quæst. 2. art. 5.*

19 Limita, quòd quando patronatus competit vniuersitati, de qua est filius, competat etiam filio, sic, aut competit ita vniuersitati, vel populo, vt competat omnibus facientibus populum. & tunc competit etiam filiisfamilias. Si verò cõpeteret facientibus domos, tunc non competeret filiisfamilias habitantibus cum patre; secus si seorsum haberent domum. Sic referens Rochum, Lambert. *eadem quæst. 2. art. 6. & art. 8.* quærens, an viduæ virgines admittantur ad præsentandum, quando patronatus competit vniuersitati, respondet hac eadem distinctione, sicut de filiisfamilias.

20 Nonò dico. Quando competit iuspatronatus filiofamilias, si non est acquisitus ab ipso, sed translatus in ipso titulo aliquo habili, vt donatione, priuilegio, &c. Tunc non acquiritur patri, sed filius præsentabit, quia in spiritualibus filius non acquirit patri; & annexorum, inter quæ connumeratur patronatus, idem est iudicium, *cap. translato, de constit.* Si verò patronatus est acquisitus per filium, quia, v. g. fundauit Ecclesiam: tunc si ex bonis castrensibus vel quasi, vel ex aduentitiis, in quibus patet non habebat vlumfructum; tunc non acquiritur patri, sed filius præsentabit. Si verò ex bonis, in quibus pater habebat vlumfructum, acquiritur patri: & sic pater præsentauit, quia licèt nequeat filius de talibus bonis Ecclesiam fundare: at vbi semel fundata est, cùm non possit redire ad vsus profanos, fauore piæ causæ fraudabitur illo fructu temporali, sed non spirituali. Sic Lamb. *de iure patron. lib. 2. p. 1. q. 2. art. 7. & art. 5. fine.*

21 Decimò dico. Pupillus, modò sit maior septennio, potest præsentare, si est patronus, nec indiget licentia tutoris, nec minor licentia curatoris; quia in his spiritualibus nil operatur patria, nec curatoria potestas. Lamb. *ea quæst. 2. art. 9.* dicit tamen *art. 10. fine*, quòd licèt possit præsentare, at si lis oriatur in illo patronatu, non poterit ipse illam prosequi, sed eius tutor.

22 Vndecimò dico, quòd etiam tutor poterit præsentare, vel curator minoris. Sic Lambert. *eo art. 10.* addit tamen, quòd si præsentat pupillus, præferetur præsentatus à pupillo: quod idem docet Panorm. *cap. finali, de concess. præb.* & *ibi* Immola *fine*; & idem Lambert. *eodem lib. 2. p. 3. quæst. 6. art. 1.* Si autem pupillus sit minor septennio, nisi malitia suppleat ætatem, solus tutor præsentabit. Sic Lambert. *lib. 2. p. 1. quæst. 2. art. 10.* vbi idem dicit de patre quãdo iuspatronatus ita pertinet ad filium quod nullo modo ad patrem: tunc enim potest pupillus, vel pater præsentare; at præferetur præsentatus à pupillo. Et *art. 17* dicit idem de aliis habentibus curatorem ex quacunque causa, vt quia sunt minores, prodigi, furiosi, quia potest curator præsentare; at præferetur præsentatus ab ipsis, si sanæ mentis sint.

23 Hinc fit, quòd dum patronatus conuenit vniuersitati, ita vt singuli debeant præsentare, sunt vocandi pupilli maiores septennio, soli curatores, vt docet Lamb. *lib. 2. p. 2. quæst. 2. art. 13.*

24 Duodecimò dico. Religiosus propriè, qui scilicet habet tria vota, non admitteretur ad præsentandum, si ipsi competit iuspatronatus, cùm non habeat velle, nec nolle quando scilicet vellet proprio nomine præsentare, secus quando alieno, vt quando patroni conuenerunt, vt electus à tali Religioso præsentetur: de quo multa dixi *lib. 7. summæ, cap. 14. à n. 1. ad 13.* Sic Lamb. *lib. 2. p. 1. quæst. 2. art. 11.* & *art. 12.* dicit, quòd si præsentatio pertineret ad monasterium, tunc non potest præsentare solus Abbas, vel Abbatissa, nisi hoc habeat ex præscripta consuetudine, vel priuilegio: sed totus Conuentus debet interuenire, & saltem maior pars illi consentire electioni.

25 Decimoterciò dico. Quando monasterio, Collegio, vel Capitulo competit iuspatronatus, illi soli præsentare habent, qui habent vocem in illo monasterio, Collegio, vel Capitulo; & sic nouitij, vel conuersi non habent præsentare. Sic Lamb. latè probans *lib. 2. p. 1. quæst. 2. art. 13.*

26 Decimoquartò dico. Quando iuspatronatus spectat ad solum Episcopum, nequit Capitulum sede vacante præsentare. Immò idem est, si præsentatio non pertinet ad Prælatum, sed ad Capitulum, cum consensu tamen, vel consilio Prælati: nam sede vacante non posset Capitulum præsentare, nisi quando solum consilium requireretur, & est periculum in mora immò si præsentatio spectaret ad alium iure speciali de Prælati consensu, vel consilio, Capitulum sede vacante non potest præstare consensum, nec consilium: sed si consilium solum requireretur, & est periculum in mora, fiet præsentatio absque consilio tali, *cap. vnico, ne sede vacante in 6.* Si verò requiritur consensus, est expectandus nouus Prælatus. Si, vero præsentatio spectaret non ad solum Episcopum, sed ad Episcopum cum Capitulo, potest Capitulum sede vacante præsentare. Sic Lambert. *eadem quæst. 2. art. 14.* vbi dicit omnia hæc, quæ potest Capitulum sede vacante, posse quando Episcopus est suspensus.

27 Decimoquintò dico. Si alicui laico factum est legatum iurispatronatus, non potest præsentare, nisi sit approbatio Episcopi; quia absque ea non valet legatum, vt dicemus *infra*, sed præsentabunt hæredes. Sic Lamb. *ea quæst. 2. art. 18.*

28 Decimosextò dico. Si bona, quibus iuspatronatus annexum est, dentur viro in dotem, constante matrimonio, nõ vxor, sed vir præsentare debet, quia vir est dominus dotis constante matrimonio, vel saltem eius administratione habet. Sic contra Panor. Felin. Iason. Guill. Benedictũ, quos refert Molina *vbi infra*, dicentes pertinere præsentare ad vxorem; tenet Rota *de iurepatr. decis. 422. n. 1. in nouis*, Molina *lib. 1. de primog. cap. 24. n. 3.* Rochus *de iurepatr. verbo, ipse vel is, n. 60.* Lamb. *de iure patron. lib. 1. p. 2. quæst. 10. art. 2.* Carolus Molinæus *consuet. Paris. tit. 1. §. 1. glossa 1. n. 3.*

29 Aduerte tamen, quòd in bonis maioratus alienari prohibitis, quæ pertinent ad vxorem, maritus præsentare non potest, sed sola vxor; quia bona maioratus non possunt dari in dotem, ita vt dominiũ in virum pertranseat. Sic Molina *eodem c. 24. n. 32.* ad quod comprobandum affert *n. 33.* doctrinam Ioannis Lupi *cap. per vestras, §. 43. n. 10.* quòd scilicet Regina regni proprietaria debet præsentare, & non ipse Rex.

30 Hinc est, vt iuspatronatus vxori competens non transeat ad virum. Sic Panorm. & Immola *cap. fin. de concess. præb.* Perez *lib. 5. ordinam. tit. 4. l. 4. fol. 166. pag. 1. vers. sexto fundatur, in fine.*

31 Secundò nota, quòd si iuspatronatus acquiratur constante matrimonio, quia scilicet vir ædificat, aut construit, vel dotat Ecclesiam, ius hoc est vxori commune: nam licèt sit hoc ius indiuiduum quoad substantiam, est tamen quoad ius præsentandi, & exercitium diuiduum. Quare soluto matrimonio habet in eo vxor partem indiuisam, & transmittit ad hæredes. Sic Couarr. *3. variar. c. 13. n. 5.* Spino *speculo testam. gloss. 4. n. 63.* Baeza *de non melior. cap. 26. n. 2. & de decima inter. c. 23. n. 17. & 21.* Ioan. Lupus *rubr. de donat. §. 62. n. 23.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 9. l. 5. gloss. 4. n. 5.* Ioannes Garcia *de coniug. quæst. n. 165.* & Matthæus de Afflictis per ipsum citatus.

Universidad de Deusto Biblioteca

32 Aduerte tamen, quòd constante matrimonio solus vir præsentabit, sicut & alia bona administrat. Sic Ioan. Lupus, Ioann. Garcia *supra*; addit Ioannes Lupus, nisi fortè tempore, quo Ecclesia constituitur, aliter inter eos sit conuentum; at soluto matrimonio admittetur vxor ad præsentandum cum hæredibus viri, & vtroque mortuo hæredes vtriusque in stirpem. Sic Ioann. Garcia *ibi*.

33 Vltimò dico. Vsufructuarius vniuersitatis bonorum, cui iuspatronatus annexum est, habet ius præsentandi ad sacerdotia. Sic contra multos Carolus Molinæus, Celsus, Rochus, quos refert, & sequitur Molina *lib.1. de primog. cap.24.n.4.* Lamb. *de iurepatron. lib.1. p.2.quæst.10.art.3. num.8.*

## DVBIVM LXXII.

*An possint patroni inter se conuenire absque superioris licentia de alternis vicibus præsentando, id est, vt vnus præsentet prima vice, qua occurrerit vacatio, alter secunda, alter tertia.*

1 INnoc. *cap. querimoniam, de iurepatron*, id negat propter verbum illius textus, & *vicissitudines*.

2 At dicendum est posse, quia id expressè conceditur, vt possint liberè patroni facere, *Clem.2. de iurepatron.* vbi id tenet glossa, *verbo liberè*, & Cardin. Anchar. Immola *ibi*, Lamb. *de iurepatr. lib.1.p.2.quæst.2.art.36.n.7.8.* Rochus *eodem tract. verbo vel is, n.28.29.* Azebedo *lib.1. recopil. tit.6.l.9.n.2.* Panorm. *d.cap. querimoniam, n.5.* & ad illum textum respondet, quòd tantum vult non posse ex toto diuidi iuspatronatus, secus quoad exercitium, sicut tutores possunt quoad administrationẽ, diuisionem adinuicem facere, sed non quoad ius tutelæ, *l. inter tutores. ff. de administ. tutor.* Et eodem modo respondet Azebedo.

3 Nota quòd hæc concordia potest fieri, licèt nondum Ecclesia vacet. Patet, quia *Clement.2.* dicit, *alternis vicibus*; & manifestum est vna vice, non bis vacare. Sic glossa *ibi versic. liberè*, Lamb. *ibi n.8.* nec obstat (inquit) *cap. fin. de conces. præbend.* quia illud fiebat in fraudem vacaturæ: hoc autem fit ad tollendam discordiam, & vt faciliùs prouideatur Ecclesiæ. Addit Lamb. *n.16.* requiri consensum omnium patronorum, vt hæc concordia valeat. Vide etiam *infrà dub 88.*

## DVBIVM LXXIII.

*Quis possit præsentari à patronis ad beneficia.*

1 PRimò dico, quòd præsentandus debet esse idoneus ad obtinendum beneficium, ad quod præsentatur, *cap. super inordinata, de præbend. cap. cum in cunct. de elect.* Et hæc idoneitas debet necessariò esse tempore præsentationis, nec sat est, si pòst superueniat, argum. eorum, quæ dicuntur per Doctores *cap. si eo tempore, de rescript. in 6. & cap. ei, cui, de præbend. in 6.* Sic Lambert. *de iurepatr. lib.2.p.1 quæst.10.art.1.n.12.* nisi (inquit) esset modica idoneitas, quæ de proximo expectaretur, illa enim non vitiaret præsentationem in beneficio simplici.

2 Hinc fit necessariò præsentandum debere esse Clericum, nec sat est, vt valeat præsentatio, si pòst fiat Clericus: & debet necessariò habere ordinem requisitum ex natura beneficij, vel ex statuto fundatoris: ad quod faciunt, quæ habes *supra hoc eod. lib cap 2. de benef. dub.9.* Et docet Lamb. *supra quæst.7.art.2.n.15. & 16. art.7. fine, & art.29.n.9.10.* & addit *art.2.n.16.* quòd censebitur præsentare indignum, si præsentet laicum, licèt post præsentationem ordinetur. Ad idem est Nauarr. *lib.3. const. tit. de iurepatron. consil.8.* vbi dicit non valere præsentationem ad beneficium illius, qui caret ætate requisita ad illud.

3 Hinc secundò infertur omnem illum, qui non est capax beneficij, non posse ad illud præsentari, vt si sit illegitimus, irregularis, excommunicatus, suspensus, vel alia ex causa sit incapax beneficij: de qua re latè Lamb. *tota illa quæst. 7. & 9.* latè dixi *suprà in hoc lib.2.* agendo de beneficiis.

4 An verò si per patronos est præsentatus non idoneus, vel indignus, possit Episcopus in casibus, in quibus potest dispensare circa illos defectus, & facere præsentatum idoneum, validare præsentationem inualidam, etiam patronis inuitis, consule Panorm. *cap. innotuit, de elect.* & Lamb. *de iurepatr. lib.2.p.1.quæst.10.art.5.*

5 Secundò dico. Absens non potest præsentari, sed debet esse præsens sensibus corporeis illius, cui præsentatur, & à quo institutio speratur: nec sat est, vt præsentetur procurator absẽtis. Ratio, quia debet examinari, an sit idoneus. Sic latè probat Lamb. cum aliis, *de iurepatr. lib.2.p.1.quæst.11 art.1.* quod intelligitur primò ex se: sed si patroni præsentassent absentem, & Episcopus admitteret, teneret præsentatio, vt docet *ibi* Lamb. *art.4.* Secundò intelligitur, nisi absens esset notus instituenti notitia plena, & requisita ad instituendum illum: tunc enim cùm non requiratur examen, potest absens præsentari, & valet præsentatio. Sic Lamb. *ibi art.3.* Quod tamen limitat *art.5. iuncto art.3.* nisi examinatio sit de forma, & substantia actus, vt quando ex lege fundatoris requiritur examinatio. Tunc enim licèt esset notissimus instituenti, adhuc exigitur actualis præsentia, & examinatio: & etiam nisi præsentatus esset de aliena diœcesi; tunc enim licèt esset notus instituenti, requiruntur litteræ dimissoriæ sui ordinatij. Sic Lamb. *art.3.*

6 Nota tamen, quòd casu, quo præsentatus est absens, & tenet præsentatio, debet illam acceptare infra quadrimestre, vel semestre datum patrono ad præstandum, aliàs Episcopus prouidebit beneficio, vt tenet, & probat Lamb. *ea quæst.11.art.5.* vbi addit, quòd hæc ratificatio, vel acceptio potest fieri per procuratorem, vel per litteras.

7 An verò possit quis præsentari ad beneficium vacaturum, vel possit constitui procurator ad præsentandum ad beneficium, habes *supra dubio 88. & 71.*

## DVBIVM LXXIV.

*An possit patronus se ipsum præsentare ad beneficium.*

1 PRimò; hac in re est vna conclusio certissima apud omnes, scilicet nullus, quantumcunque idoneus, potest se præsentare ad beneficia prælaturam sapientia, personatus, seu curata magna, vt expressè definitur *cap. per nostras de iurepatron.* & redditur *ibi* ratio, quia nullus debet se ingerere Ecclesiasticæ relationis officijs, & tenent omnes Doctores citandi *in toto hoc dubio.*

2 Amplia conclusionem, vt nec etiam procurator datus à patrono ad præsentandum, possit ipsum præsentare; quia cùm procurator hoc faciat nomine constituentis, censetur ipse constituens facere, *cap. qui per alium, de regul. iuris in 6.* Sic Panorm. *cap. fin. de instit. n.6.* & *ibi* Anton. *num 8.* Lamb. alios referens *de iurepatron. lib.2. quæst. 8. art.9. & art.10.* cum aliis dicit, nec etiam substitutum procuratoris posse præsentare patronum, quia adhuc censeretur ipse patronus se præsentare: addit tamen *ibi*, quòd talis substitutus posset præsentare ipsum procuratorem, nisi substitutio facta fuerit in fraudem, vt ipsum procuratorem præsentet, quia cùm procurator non sit patronus, & principalis commissio non manet ab ipso, sed à patrono præsentando procuratorem, non censetur patronus se præsentare, & similiter dicit *art.13.* cum Panormit. & Anton. citatis, & dicit Panormit. esse communem, & idem Gregor. Lopez *7.tit.15.part.1.vers. Assimismo.* Quòd si patronus compromittat in aliquem tanquam in suum compromissarium præsentationem, non potest compromissarius præsentare ipsum patronum, eadem ratione, qua de procuratore dictum est. Quæ tamen benè limitat *ibi*, vt intelligantur quando compromittẽs, vel dans procuratorem esset solus patronus, nam si essent multi patroni, qui compromitterent in quendam, vel illum statuerent procuratorem, posset talis compromissarius, vel procurator præsentare patronum, sicut & alij compatroni possunt ipsum præsentare, vt statim dicemus. Sic Lambert. *eo art.13.*

3 Secundò amplia conclusionem, vt nec etiam donatarius iurispatronatus possit ipsum patronum donantem præsentare, quando donatum est sub conditione tacita, vel expressa, vt ipsum præsentaret, quia est simonia, cùm iuspatronatus detur propter redditus beneficij, & etiam propter talem donationem paretur via ad beneficium. Si verò iuspatronatus donatum est sine tali pacto, si simpliciter, & in totum donatum est cum licentia Episcopi: tunc potest donatarius ipsum patronum donantem præsentare, quia iam ille non est patronus, & donatarius nomine suo donat. Si verò tantùm donauit, vt vna vice possit præsentare, non potest donatarius donantem præsentare; quia tunc non donatio, sed ad instar mandati. Et similiter non potest donantem præsentare, quando donans reseruasset sibi, quòd absque consensu suo non possit donatarius præsentare; quia tunc non censetur donare præsentationem, sed alios fructus iurispatronatus. Hæc Lambert. *ead.q.art.11.*

4 Limita tamen primò conclusionem, vt intelligatur, quando patronus verè se ipsum præsentet, secus si tantùm fictione iuris videretur se ipsum præsentare, sicut dicimus de patre præsentante filium, vel è contra, vel nepotem, vel consanguineum, potest enim ipsos præsentare. Sic Lambert. *eadem q.8.art.12.* multos referens, Syluest. *verb. iuspatronatus, q.7.n 8.* Angel. *ibi n.18.* Arm. *n.9.* Tabien. *q.3.7.1.7.tit.15. part.1.* & *ibi* Gregor. Lopez *fine*, Innoc. *c. consuluit, de iurepatr.* & *ibi* glossa, *& cap. quia clerici, eadem tit.* vbi & Anchar. *n.2.* Host. Panor. *cap. finali, de instit. num.4.*

5 Secundò limita conclusionem, vt patronus non possit præsentare se ipsum, procedere quoad actum præsentationis: at bene potest preces porrigere habenti instituere, vt illud sibi conferat, si est idoneus. Ratio, quia fundens preces non poscit ex debito, quod facit patronus præsentans. Sic Panorm. *cap. per nostras, de iurepatron. num.4.* Stephanus Caier. *cap. fin. de elect. in 6.* limitat tamen vterque, modò non sit beneficium curatum, quia videtur ambitio. Sed melius Lambert. *dict. q.8.art. 3.n.9.* reiicit hanc limitationem.

6 Hinc infertur à fortiori, quòd si Episcopus motu proprio conferat beneficium patrono, potest patronus acceptare, quia tunc non censetur se præsentare, cùm non habeat originem à se, nec cogatur Episcopus illum acceptare. Nec obstat, quòd institutio facta sine præsentatione patroni est irrita, quia sat est, quòd patronus consentiat institutioni. Sic Syluest. Angel. Tabien. Armil. *ibi*, Panorm. *d.c. per nostras, num.3.* Anton. *num.5.* Host. *ibi*, Anchar. *ibi num.4* Ioan. Andr. & Card. *ibi*. Felin. *cap. cum Bertholdus, de sentent. & re iudic. num.11.* Directorium iuris *tit. de iurepatr. §.34.35.* Feder. *tract. de rerum permut. q.32. fin.* Paulus *de potest. Capituli sede vacante, part.2.q.5. fine.* Lambert. *dict. quæst.8.art.4.* vbi idem dicit cum Paulo posse Capitulum sede vacante, quando ad ipsum pertinet beneficij institutio. Hæc tamen bene limitat Lambert. *eo art.4. fine*, vt intelligantur quando vnus tantùm est patronus, si enim essent plures, esset necessarius consensus aliorum; licèt enim vnus patronus, cui conferatur beneficium, consentiat, non potest iuri aliorum Episcopus derogare.

7 Tertiò limita conclusionem, vt quamuis patronus non possit se ipsum præsentare, at si alij sint compatroni, potest ab ipsis præsentari, quia iam cessat ratio *d. cap. per nostras*, cùm iam ipse non se ingerat, nec est periculum ambitionis, & est distinctio inter dantem, & recipientem: & si aliter diceretur, esset peioris conditionis patronus, quàm extraneus. Sic Syluest. Tabien. Angel. Armil. *ibidem*, Lambert. *d.q.8 art.5.* multos referens, Spino *speculo testam. glossa 4. num.80.* Beroius *consil.5. num.41.* Panorm. *cap. cum in iure*, & clarè probatur ex illo textu *de elect. & c. per nostras, de iurepatron.* Host. Ioan. Andr. Anton. Ancharan. Cardin. *ibi*, Glossa *c. consuluit, de iurepatron.* Rochus *de iurepatr. verb. honorificum, num.25.* Innoc. Compostel. *c. cum in iure, de elect*, Molina dicens communem *lib.2. de primogen. cap.4.n.61.* Peralta *l. vnum ex familia, §. rogo, n.10. ff. de legat.2.* Gregor. Lopez *l.2.tit.15. part. glossa 13.* quæ incipit, *En España.* Sarmiento *lib.8. select. super l. cum quidam. ff. de legat.2.n.21.*

8 Aduerte tamen, quòd nullo modo talis patronus potest se cum aliis compatronis præsentare; non enim hoc teneret, cùm iam militet ratio *dict. cap. per nostras*, iam enim non esset distinctio inter dantem, & recipientem, & esset ambitio; sed tantùm debet consentire electioni, vel præsentationi de se factæ; & sic Doctores citati non dicunt posse se præsentare cum aliis compatronis, sed posse suæ consentire electioni, vel præsentationi: & in propriis terminis dicens esse certum, tenet Lambert. *dict. quæst.8. art.6. & 7.* Panor. Bald. Ioan. Andr. *c. cum in iure, de elect.* & dicit Lambert. *eo art.7.* quòd electus, vel præsentatus non dicat, eligo, vel coëligo, vel præsento, aut compræsento me, ne principaliter disponat de se ipso: sed debet dicere, consentio electioni, vel præsentationi. Idem Panorm. & Philipp. *d.c. cum in iure*; & addit Lambert. cum Panorm. consensum debere præstari intra tempus iure concessum patronis ad præsentandum.

9 At dubium est, an in hoc casu consensus coëlecti, vel compræsentati è patronis faciat numerum, & augeat illum ita, quòd si vota sint æqualiter diuisa ad duos, ita vt si duo vota habeat compatronus, & alter alia duo, an cõsensus compatroni præsentati augeat numerum eum præsentantium, & ideò habeat præualere eius præsentatio.

10 Quidam dicunt non augere numerum, sed esse repellendum tanquam ambitiosum. Sic Glossa *cap. cum iure, de elect. vers. consentiat, & cap. per vestras, de iurepatron. vers. præsentare*, Calder. *consil.7. de iurepatr.*

11 Sed Lambert. *d. quæst.8. art.8.* explicat, vt loquantur, quando patronus se præsentasset, tunc enim si talis præsentatio non valeat, iuxta dicta, non augebit numerum: at si non se præsentet, sed tantùm suæ præsentationi consentiat, communis est sententia talem consensum augere numerum, per textum loquentem in fortioribus terminis, scilicet in electione, quæ est plus, cùm ius tribuat, *cap. cum in iure, de elect.* Sic tenent Innoc. Panor. Compostel. Ioan. Andr, Bald. Cardin. *eo cap. cum in iure*, & omnes *ibi*, vt refert, & sequitur alios plures allegans Lambertin. *eo art.8.* Panormit. *cap. per nostras, de iurepatr. n.5.* Hostiens. *ibi*, Anton. *ibi fine*, Anchar. *ibi n.3.* Ioan. Andr. *ibi*, Rochus *de iurepatr. verbo beneficium, num.25.* Spino *speculo testam. glossa 4.n.80.* Beroius *consil.5.n.31.*

12 Nota primò, quòd aliqui limitant hoc, vt intelligatur in casu, in quo non est necessariò seruanda forma *cap. quia propter, de elect.* quando scilicet electio non fit per scrutinia secreta: nam quando sic fit, non potest electus suæ consentire electioni, sed tanquam ambitiosus est repellendus; quia cùm ignoret vota aliorum, id non esset suæ consentire electioni, sed se eligere. Sic Panormit. *cap. per nostras de iurepatron. num.5.* & *ibi* Anchar. *num.3.* Ioan. Andr. Host. *ibi*, & Anton. *ibi, fine.* Idem communis; & Panormit. *d. cap. cum in iure*, vbi etiam subdit Panorm. per verbum *credo*, quòd etiam in hoc casu scrutinio publicato posset visa electione de se facta à medietate æquali, recedere ab eo, in quem in scrutinio consensit, & accedere, & consentire electioni de se factæ, & eius consensus augebit numerum.

13 Sed Lambert. *d. art.8. num.4.* dicit id verum esse in electione, cùm ea facienda sit per scrutinia secreta, iuxta *cap. quia propter, de elect.* At cùm præsentatio non fiat per

scrutinia secteta, non est opus in illa hac distinctione: si tamen fieret per scrutinia secretâ omnibus patronis concordantibus (aliter enim sic non potest fieri) vera est doctrina posita, quòd non possit suæ præsentationi consentire.

14 Secundò nota, quòd Panormit. *dicto cap. cùm in iure*, & *ibi* Philippus, limitat, quòd consentire possit præsentatus suæ presentationi, & cuius cõsensus augeat numerum, quando vox sua vnà cum aliis facit maiorem numerum; secus si ad paritatem duntaxat reducat vota aliorum. Sed Lambert. *eo artic.* 8. *num.* 6. & 7. dicit hæc procedere in electione, quia quilibet eligens habet vnam vocem, & etiam quando patronatus est Ecclesiasticus, quia eius præsentatio est electio, vt docet Panorm. *cap. cum autem, de iurepatr.* & etiam quando patronatus est laicus, & eius vox non est pinguior, ita vt si eius consensus reducat vota ad æqualitatem, non præponderet: si autem est pinguior vox, vt si decem hæreditate patronatum acceperunt, & vnus illorum obiit, & instituit aliquem ex aliis suum hæredem, hic habet vocem pinguiorem; ita vt existenti pari numero patronorum præponderet, quia habet ius illius, cuius est hæres, & suum, etiam tanquam vnus ex hæredibus, tunc potest suæ præsentationi consentire, quando suus consensus etiam reduceret suffragia ad æqualitatem, quia augebit ratione pinguioris vocis, quam habet. Hæc Lambert. *ibi.* His suppositis.

15 Dubium graue est, an *cap. per nostras, de iurepatron.* prohibens patrono, ne se præsenter, procedat in omnibus beneficiis, etiam simplicibus. Quidam enim Doctores videntur tenere partem affirmantem, vniuersaliter enim docent non se posse præsentare. Sic Sylvest. *verbo iuspatronatus, q. 7. n. 8.* Angel. *ibi n. 18.* Armil. *n. 9.* Tabien. *quæst. 17.* Sarmiento 8 *select. super legem, cum quidam ff. de legat. 2. num. 21.* Anton. *dict. c. per nostras*, & *ibi* Panorm. & clarius hoc videntur tenere alij; assignant enim rationem illius decisionis, quia debet esse distinctio inter dantem, & recipientem, *cap. finali, de instit.* quæ ratio cùm æquè militet in beneficiis etiam simplicibus, clarè sentiunt decisionem illius textus in his etiam procedere. Sic Gloss. *d. c. per nostras, vers. Præsentare*, & *ibi* Host. Spino *speculo test. gloss. 4. n. 79. l. 6 tit. 15. part. 1.*

16 At verius est posse se præsentare ad beneficia simplicia, id est, non vniuersaliter prohibere illum textum se præsentare. Et hîc per beneficia simplicia intelliguntur non tantùm sine cura, sed etiam personatus non habentes magnam, & honoratam Ecclesiam, nec magnos redditus. Vnde tantùm prohibet *cap. per nostras*, patrono se præsentare ad personatum habentem magnam & honoratam Ecclesiam, vel magnos redditus. Probatur, quia textus tantùm loquitur de personatibus: nec eius ratio est, quia debet esse distinctio inter dantem, & recipientem, quia præsentans non dat beneficium, sed instituens: sed ratio est, vt expressè patet in textu, præsumptio ambitionis, quæ cessat in his beneficiis simplicibus. Sic Lambertin. *de iurepatr. lib. 2. part. 1. q. 8. art. 2. n. 2. & 6. & toto illo art.*

17 Hinc fit, quòd patronus alicuius collegij potest se ad illud præsentare, dummodo non præsentet se ad dignitatem, sed vt possit ingredi collegium pro disciplina acquirenda, quia in hoc non est ambitio. Sic Lambert. *eo artic. 2. n. 10.*

18 Nota tamen, quòd non potest quis se instituere, vel se eligere, vel sibi conferre, etiam in beneficiis simplicibus, *cap. fin. de institut.* quia debet esse distinctio inter dantem, & recipientem, & institutio confert omne ius instituto, *cap. fin. & cap. ex frequentibus, de institut.* electio. iam tribuit ius electo, Glossa *cap. quanto 63. distinct.* Panormit. *c. querelam, de elect.* Sic Lambert. *eo art. 2. num. 10.*

19 Tandem nota, quòd sicut patronus potest se ad beneficia simplicia præsentare, & pro se preces porrigere & consentire suæ præsentationi: sic hoc potest procurator. Lambert. *ibi art. 10 fine.*

## DVBIVM LXXV.

*Quibus modis transferatur iuspatronatus de vno in alium.*

1 REspondetur, quòd quatuor modis, scilicet successione hæreditario, donatione, permutatione, venditione cum vniuersitate bonorum; & sic exrat versus relatus à Glossa *c. cùm sæculum, de iurepatr.* Iuspatronatus transire facit nouus hæres, res permutata, donatio, venditióque, de quibus modis seorsum agendum est.

2 An verò iuspatronatus acquisitum constante matrimonio sit commune viro, & vxori, habet *supra dub. 71.*

3 Qualiter autem transferatur ius sepulcrorum, vide Molinam *lib. 1. de primog. c. 24.* per plures numeros. Et P. Molinam *lib. 1. de iust. tract. 2. disput. 188. fine.*

## DVBIVM LXXVI.

*An requiratur licentia Episcopi, vt iuspatronatus iam legitimè creatum, transferatur de vna persona in aliam ex titulo iure permisso.*

1 SVpponendum est, quòd dupliciter transfertur iuspatronatus, scilicet aut accessoriè, nempe cum vniuersitate, aut per se, & principaliter. Sit

2 Prima conclusio. Quando iuspatronatus tranfertur in alium accessoriè, vt cum vniuersitate vendita, vel donata, vel locata, &c. non requiritur consensu Episcopi, sic colligitur ex *c. ex litteris, & c. cum sæculum, de iurepatr.* Et ratio est, quia tunc iuspatronatus tranfertur accessoriè: nec videtur aliquis contractus initus super ipso iurepatronatus, sed super vniuersitate temporali: vnde sicut ad transferendum principale non requiritur licentia, ita nec ad accessorium. Sic Lambert. dicens esse omnium, *de iurepatr. lib. 1. part 2. q. 1. art 2.* Panor. *dicto c. ex litteris.*

3 Secunda conclusio. Quando transfertur iuspatronatus per se, & principaliter, siue tranferatur contractu inter viuos, vt donatione, siue ex vltima voluntate, vt legato, si transfertur in laicum, requiritur licentia Episcopi, aliàs translatio non valet. Si verò in Ecclesiam, vel locum Religiosum, non requiritur licentia Episcopi. Hæc est contra Panorm. in quâdam disput. Augerio, dicentem etiam cum consensu Episcopi non valere talem translationem in laicũ, & contra Innoc. *c. nullus, c. præterea, el 2. c. illud, de iurepatron.* vbi tenet posse donari, vel largiri laico sine consensu Episcopi. Sed probatur conclusio ex *c. illud, de iurepatron. & c. vnico, eodem titul. in 6.* Et ratio est, quia laicus non potest habere iuspatronatus, vtpote quòd participat aliquid spiritualitatis, nisi ex gratia, & ideò requiritur consensus Episcopi, vt acquirat: at quando transfertur in Ecclesiã, vel locum Religiosum, reddit res in suam naturam; & ideò non requiritur talis licentia. Hanc tenet Molina *lib. 1. de primogen. c. 24. n. 13.* Sylvest. *verb. iuspatronatus, q. 4. dict. 6. & q. 5. dicto 3.* Angel. *ibi n. 10.* Tabien. *q. 8.* Armil. *n. 6.* Greg. Lopez *l. 8. tit. 15. part. 1. vers. otorgamiento.* Panor. & Cardin. dicens esse communẽ *c. illud, de iurepatron.* Host *summa tit. de iurepatron. §. qualiter transferatur.* Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. part. 2. q. 1 art. 2. & 10. & q. 6. artic. 1. & 2. & q. 4. art. 2.* Rochus *eodẽ tract. verbo ipse, vel is, q. 18.* Panorm. Calder. Ioan. Andr. *c. cum sæculum, de iurepatr.* & multi alij, quos refert Lambert.

4 Nota primò, quòd si donetur, vel legetur iuspatronatus Clerico iure proprio, id est, vt priuatæ personæ, requiritur etiam consensus Episcopi; quia tunc non donatur vt Clerico, & debet transire ad hæredes: si verò Ecclesiasticæ personæ, vt Ecclesiasticæ, aut collegio Ecclesiastico, non requiritur consensus Episcopi. Sic Tabien. *supra quæst. 8.* Sylvest. *quæst. 5. dicto 3.* Angel. *num. 10.* Host Ioan. Andr. Cardin. Butrio, Panorm, Immola *cap. illud, de iurepatron.* & omnes *ibi*, teste Lambertinò, Rochus *de iurepatr. verb. pro eo quod, quæst. 2.* Lambert. *de iurepatron. lib. 1. part. 2. quæstione 1. art. 10. num. 4. 8. & art. 2. num. 6. & artic. 13. num. 2. & art. 10.* & subdit *eo art. 13. num. 3. & 4.* quòd quando



quando cognoscetur, si donatur intuitu personæ, vel intuitu clericatus, seu dignitatis clericalis, dicendum est, quod dicunt Doctores *cap. quoniam Abbas, de off. deleg.* quando censeatur commissio facta personæ, & quando facta dignitati: at in dubio dicit *n. 4.* censeri factam contemplatione Ecclesiæ; & *n. 6.* dicit, quòd ipse absque dubio teneret, quòd vbi reperitur donationem, vel translationem factam absque consensu Episcopi, potiùs facta est intuitu Ecclesiæ, vt actus valeat.

5 Secundò nota, quòd si donatio iuspatronatus fieret ab vna Ecclesia alteri Ecclesiæ, requiritur consensus Episcopi, non ratione Ecclesiæ donatariæ, sed ratione alienationis factæ per Ecclesiam donantem. Sic Lambert. *ea q. 1. art. 10. n. 9.*

6 Tertiò nota, quòd conclusio etiam procedit in patronatu creando, vt enim donetur laico, est necessaria licentia Episcopi. Sic cum Cardin. & Rocho, tenet Gregorius Lopez *dict. l. 8. vers. otorgamiento.*

7 Quartò nota, quòd non tantùm quando donatur laico iuspatronatus, requiritur Episcopi licentia, sed etiam quando donatur ipsi ius præsentandi, retento in aliis iurepatronatus. Sic Lambert. *ibi lib. 1. part. 2. q. 6. a. 4.* & dixi *supra dub. 69. fine.*

8 An verò in donatione iuspatronatus communis aliquibus patronis facta laico compatrono, requiratur consensus Episcopi, non constat inter Doctores. Quidam enim dicunt requiri, quia ea remissio est donatio quædam. Sic Ioan, Andr. Host. Panorm. *c. ex insinuatione, de iurepatr. verbo pro eo quod, q. 2.* & videtur tenere Gregorius Lopez *l. 8. tit. 15. part. 1. vers. otorgamiento*, quia relata vtraque sententia hanc ponit in vltimo loco.

9 At verius est, non requiri; quia cùm iuspatronatus sit insolidum apud quemlibet patronum, si ex pluribus patronis aliquis nollet esse, nullo modo maneret Ecclesia liberta, sed protio eius confunditur, & accrescit aliis; ergo vt iuspatronatus remittatur ab vno patrono aliis, & sic illis compatronis accrescat, non requiritur licentia Episcopi. Sic tenet glossa *cap. ex insinuatione, de iurepatron. vers. contuliss.* Gardin. & Anton. *ibi.* Iason *l. voluntas, C. de fideicom.* Stephanus Calet. *c. fin. de elect. in 6.* Lambert. post longam disputationem *lib. 1. de iurepatr. part. 2. q. 1. artic. 12. à num. 11.*

10 Tertia conclusio. Consensus iste, vt transferatur iuspatronatus in laicum, debet esse Episcopi loci, in quo est Ecclesia, cuius patronatus transfertur, licèt transferens, & is ad quem transferens transfert, sint ex alia diœcesi. Sic cum Rocho per eum relato probat Lambert. *de iurepatr. lib. 1. p. 2. q 1. art. 14.*

11 Quarta conclusio. Sat est, si præster licentiam ipse Episcopus, vel habens iura Episcopalia, nec requiritur consensus Capituli. Sic Lambert. *ea q. 1. art. 4. & 6.*

12 An verò sat sit consensus tacitus, quando scilicet nouit Episcopus translationem factam, & tacet; aliqui affirmant. Sic Rochus *de iurepatron. verbo pro eo quod, quæst. 8.* Cardin. *cap. cura, de iurepatron.* At contrarium probat Lambert. *ea q. 1. art. 7.* addit tamen sat esse, si Episcopus admitterat illum, vt præsentet, quia est talis consensus expressus.

13 Quinta conclusio. Quando est dubium, an Episcopus præstiterit consensum translationi iuspatronatus, si alter sit in possessione patronatus sic translati, præsumitur interuenisse. Sic Lambert. *ea q. 1. art. 8.*

14 Sexta conclusio. Si Episcopus nolit absque causa iusta consentire translationi iuspatronatus, potest aditi superior, scilicet Archiepiscopus, vt eum cogat. Sic Greg. Lopez *l. 3. tit. 15. p. 1. vers. otorgamiento.* Lambert. *de iurepatron. lib. 1. part 2. q. 1. art. 20.* An verò superior tantùm possit cogere, vel possit ipse consentire, consule Lambert. *ibi.*

15 Ex dictis infertur, quòd cùm donatio sine consensu Episcopi non teneat, quando sit laico, donator potest donare alteri cum consensu Episcopi, & tenebit secunda donatio. Sic Lambert. *ea q. 1. art. 19.* & talis donator vacante Ecclesia poterit præsentare; ac si ea facta non fuisset, vt docet Lambertinus *de iurepatronatus, lib. 3. quæstione 9. artic. 3. num. 7.*

## DVBIVM LXXVII.

*An consensus Episcopi requisitus ad translationem iuspatronatus sufficiat, si præstetur post dictam translationem factam.*

1 PAnormit. *in quadam disput. Augerio*, tenet non sat esse per plura, quæ adducit Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 2. quæst. 1. art. 16.* Lambert. *ibi a num. 16.* tenet valere; & dicit esse communem, & latè id probat: idem Rochus *de iurepatr. vers. pro eo quod, quæst. 4. & l. 8. tit. 15. part. 1.* & *ibi* Gregor. Lopez *vers. despues.*

2 Maior autem difficultas est, an si talis consensus Episcopi præstetur post mortem donantis, vel testantis, valeat in præiudicium hæredis, ita vt non hæredi, sed donatario, vel legatario acquiratur illud iuspatronatus.

3 Rota, quam refert Lambert. *d. q. 1. art. 17.* tenuit in donatione posse præstari consensum Episcopi post mortem donatoris, & dicit aliquos dominos de Rota tenuisse cõtrarium; at maiorem partem in hanc sententiam venisse. Et Stephanus Calet. *cap. finali. de elect. in 6.* tenet idem *de donatione & legato.* Fundamenta affert Lambert. *ibi.*

4 At contrarium in donatione est verius, & tenet Panormit. *dict. disput. Augerio.* & Lambert. *d. artic. 17. à num. 13.* & probatur, quia si post primam donationem sine cõsensu Episcopi factam, cùm illa nulla sit, donator donaret alteri cum consensu Episcopi, hæc secunda donatio teneret: sed tam habilis titulus est ad transferendum iuspatronatus, & titulus successionis hæreditariæ, ad quam translationem non requiritur consensus Episcopi, vt diximus *dub. precedenti*, quàm est titulus donationis; ergo si post primam donationem transferat titulo successionis in hæredem, valebit omnino hæc secunda; at eo ipso, quòd obiit relicto hærede, omnia iura, quæ habebat, est visus transferre in eum: ergo in præiudicium iuris acquisiti hæredi, non valet consensus Episcopi postea præstitus.

5 Sed quid dicendum in legato iuspatronatus, Ioan. Andr. *cap. cum sæculum, de iurepatr.* tenet posse præstari consensum post mortem testatoris, & hoc fauore vltimæ voluntatis. Idem Sylvest. *verb. iuspatronatus, quæst. 4. dicto 6.* Stephanus Calet. *cap. finali, de elect. in 6.* Rochus *de iurepatron. verbo pro eo quod, quæst. 4. & verb. ipse, vel is, quæst. 7.* & addit non esse hæredem admittendum ad præsentandum, donec Episcopus declaret se nolle consentire. Et videntur tenere Calderin. *consil. 6. de iurepatronat.* & Cardinal. *cap. cùm sæculum, de iurepatronat.* & Lambert. *eo art. 17. n. 28.* multo magis inclinat in hoc, licèt *num. 23.* tenuerat contrarium; quia est diuersa ratio in donatione, & in legato, quia donatio illa inualida reuocatur per validam translationem; moriendo enim tacitè transfert iuspatronatus, cum generali successione: at in legato non est alia contraria voluntas, testator enim tantùm constituit hæredem in residuo, deductis legatis. Nec obstat esse legatum inualidum, quia sat est consensus pòst superueniens: & nisi hoc dicamus, rarò obtinerent legata iurispatronatus, siquidem rarò esset copia petendi consensum Episcopi ante mortem testatoris. Et hoc videtur mihi satis probabile; licèt contrarium teneant Panormitan. *dicta disput. Augerio, & dicto cap. cùm sæculum*, & Rochus sibi contrarius, *verbo pro eo quod, q. 2.* Lambert. *d. art. 17. n. 23.* & dicit pro ea bis esse iudicatum.

6 Dicit tamen Lambert. *eo artic. 17. num. 28.* quòd si hæres præsentaret vacante Ecclesia, antequam consentiat Episcopus legato facto iurispatronatus, præsentatio hæredis valebit; quia consensus Episcopi tantùm reualidat ab illo momento.

7 Hinc fit, quòd si mortuo donatore hæres donat illud iuspatronatus loco pio, etiam sine consensu Episcopi, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca



laico cum tali consensu, tenebit donatio hæredis, quia prior non valuit. At si mortuo testatore antequam consentiat Episcopus legato iurispatronatus facto laico, hæres donet vni, & legatarius alteri, tenendo sententiam, quod idem est in legato, & donatione, dicendum est tenere donationem hæredis; at tenendo oppositam, valet donatio legatarij, quando superuenit consensus Episcopi, quia per illum conualidatur. Sic Lambert. *ea q.1. art.18.* & vide etiam dicenda *dub sequenti.*

## DVBIVM LXXVIII.

*Quando incipiat competere iuspatronatus illi, in quem translatum est.*

1 PRimò dico. Si transferatur ex successione hæreditaria, incipit competere à die aditæ hæreditatis, vel in hæredibus suis à die, qua in hæreditatē se immiscuerunt; quia si hæreditatem repudiant, non acquirunt iuspatronatus, vt dicemus *infrà*. Sic Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. p. 2. q. 2. art. 22. & q. 2. art. 34.* vbi dicit non requiri, vt missus sit in possessionem hæreditatis, dummodo hæreditatem adierit, exprimendo se velle esse hæredem, vel faciendo actum hæreditarium; quia aliàs non posset præsentare. & refert multos. Et quòd non sit necessaria possessio hæreditatis, tenet Gregor. Lopez *l. 8. tit. 25. part. 1. glossa 4.*

2 Secundò dico. In omnibus aliis contractibus, in quibus transit iuspatronatus cum vniuersitate, incipit competere à die, quo est perfectus contractus; quia in hac translatione non requiritur consensus ordinarij. Sic Lambert. *eo art. 22.*

3 Tertiò dico. Si loquamur de illo in quem iuspatronatus transfertur titulo particulari, vt donationis, vel legati, in quo requiritur consensus Episcopi, non competit, donec superueniat consensus ordinarij. Sic Lambert. *eo art. 22.*

4 Hinc fit, minus bene Cardin. *cap. cùm sæculum, de iurepatr. q. 6.* & Stephanum Caiet. *cap. finali, de elect. in 6.* dicere, quòd si antequam Episcopus approbat legatum iurispatronatus factum laico, Ecclesia vacet, præsentatio spectabit ad legatarium, non verò ad hæredem, & legatarius præsentabit sub spe ratihabitionis Episcopi; quod reprobat Rochus *de iurepatr. verbo pro eo quod. q. 2.* & Lambert. *d. art. 22.* addens posse saluari, quando ex necessitate, & periculo imminenti facta est donatio, vel legatum iurispatronatus, & non potuit haberi consensus ordinarij; quia fauore necessitatis, & periculi tenet actus sub spe consensus adhibendi: vel quando consensus fuit petitus ab Episcopo, & per eum denegatus, & compulsus Episcopus à superiori non obediuit.

## DVBIVM LXXIX.

*Quomodo transferatur iuspatronatus titulo venditionis.*

1 PRima conclusio. Iuspatronatus per se vendi non potest absque simonia; quia est quid annexum spirituali, & in venditione talium annexorum committitur simonia vt patet ex eius definitione, *& c. quæsitum, de rerum permut.* & hoc docent omnes Doctores citandi, & quòd iuspatronatus non possit vendi, habetur expressè *c. de iure, de iurepatr.*

2 Nota primò idem esse, quando iuspatronatus non venderetur per se, sed cum vniuersitate, at constitueretur maius pretium, eo quòd illa vniuersitas habet annexum iuspatronatus, quia illud maius pretium pro ipso iurepatronatus censetur constitutum. Sic Soto *lib. 9. de iust. q. 7. artic. 1. ad 3.* Armil. *verbo iuspatr. n. 6.* Natiart. *in omnibus summis, c. 23. n. 111. fine.*

3 Secundò nota idem esse quando in donatione, vel permutatione iurispatronatus daretur aliquid temporale. Sic colligitur ex *c. insinuatione, de iurepatron.* ibi, *liberaliter contulisset*; & tenent *ibi* Panor. Host. & Card. Lambert. *de iurepatr. lib. 1. p. 2. q. 4. ar. 3. & q. 3. ar. 3.* vbi limitat, nisi res, quæ datur, esset parui momenti; tunc enim non esset simonia. Sed hoc intelligitur præsumptiuè, quia ex paruitate rei donatæ præsumitur non dari vt pretium: vnde si reuera sic daretur, esset simonia.

4 Tertiò nota intelligi omnia dicta de iurepatronatus habenti aliquid spirituale annexum, vt quando est ad præsentandum ad beneficia; aliàs enim potest vendi, vt si aliquis relinquatur patronus alicuius capellæ tantùm quoad ius sepulcri, non obstat. vt sicut ius illud sepulcri potest vendi pro se, & pro sua familia, sic etiam & iuspatronatus illud. Sic Ludouic. Lopez *1. part. instruct. noui, cap. 303. fol. 935.*

5 Secunda conclusio. Si vendatur iuspatronatus per se, non tenet venditio. Patet ex *c. de iure, de iurepatron.* Sic tenet glossa *ibi verf. irritum, & c. quia clerici, eodem tit. verf. spoliando.* Spino *speculo testam. glossa 4. n. 109.* Anton. Ancharan. Cardin. Panormit. *dicto c. de iure,* Lambert. dicens esse omnium, *de iurepatr. lib. 1. part. 2. q. 5. art. 1. nu. 4. 5. 6.* summa directorij iuris, *tit. de iurepatr. §. 19.* Sylvest. *verbo iuspatr. q. 5. dicto 4.* Tabien. *ibi, q. 10.* Armil. *n. 6.* Angel. *n. 12. lex. 8. tit. 15. part. 1.* Gutier. *de iuram. confirmat. 1. p. cap. 42. n. 4.* Firmianus *tract. de Episcopo, 4. p. q. 30.* Decius *cons. 124.* Paulus de Citadinis *de iurepatr. 6. part. q. 17. & 9. part. 3. q...* Beroius *cap. ex litteris, de iurepatr. n. 3.* & addit hoc esse verum, etiam quando venderetur cum vniuersitate, constituendo pro eo pretium.

6 Quid autem fiet de iurepatronatus sic vendito, & de pretio, *infrà dub. 82. 83.*

## DVBIVM LXXX.

*An vendita, vel alio modo alienata vniuersitate, transeat cum illa iuspatronatus.*

1 SIt prima conclusio. Si vendantur aliqua, quæ non sapiunt veram vniuersitatem, etiam interueniente consensu Episcopi, non transit iuspatronatus; quia videretur per se vendi, ex quo non est vera vniuersitas vendita, & consensus Episcopi non potest validare actum nullum. Sic Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 2. q. 5. art. 1. n. 6.* Stephanus Caiet. *c. finali, de elect. in 6.* Cardin. *c. præterea, q. 5. de iurepatr.*

2 Secunda conclusio. Licèt iuspatronatus per se vendi non possit, at vendita vniuersitate, vt villa, vel castro in quo est aliqua Ecclesia, cuius venditor est patronus, vel hæreditate, in qua est iuspatronatus, vel alio modo distracta in aliquem, transit accessoriè iuspatronatus in eum, nisi expressè excipiatur, dicendo, Vendo, vel do tibi villam hæreditatem, &c. cum omnibus iuribus, quæ in ea habeo, præter iuspatronatus: vt expressè habetur *c. ex litteris, de iurepatr.* Quod tamen non contingit, quando transfertur, vel venditur res aliqua particularis, sed necesse est, quòd sit vniuersitas aliqua. Sic Panorm. *dict. c. ex litteris,* Glossa *c. cùm sæculum. de iurepatr.* Innoc. Buttrio, Archidiac. Cardin, Goffred. Ioan. Andr. Anan quos refert & sequitur Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 2. q. 5. art. 1.* Greg. Lopez *l. 15. tit. 5. p. 5. verf. Aldea.*

3 Immò non tantùm transit cùm venditur tota vniuersitas, sed etiam transit in venditione partis: vt si plures habebant castrum, in quo erat iuspatronatus, si vnus vendit portionem castri, transit cum illa portione portio iurispatronatus, quam ipse habebat: similiter sicut transit iuspatronatus cum tota hæreditate vendita, sic cum certa eiusdem portione venditæ transit portio iurispatronatus pro rata portionis hæreditariæ venditæ. Sic Lambert. *d. q. 5. art. 16.* Couar. *2. var. c. 18. n. 8.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 24. num. 23.*

4 Sed quæres quid sit vniuersitas. Doctores communiter dicunt cum Innoc. *c. ex litteris. de iurepatr.* quòd vniuersitas dicitur illa, quæ absque alia expressione iuris vniuersitatis in se continet, vt villa, castrum, &c. Idem Greg. Lopez *d. l. 15. verf. Elaldea.* Rochus *de iure patron. verb. ipse, vel is, q. 23.*

5 Hinc fit, quod si quis vendat omnia iura, quæ habet in villa, quæ non est sua, sed tantùm habet in ea certos fundos & certa iura, & iuspatronatus, non transit iuspatronatus, quia res vendita non continet in se quandam vniuersitatem; sed vniuersalis illa est resoluenda in has singulares, vendo tibi hoc ius, & illud: vnde cùm iuspatronatus non possit sic vendi, non transit in hac venditione. Sic Innoc. Panor. Cardin. *cap. ex literis, de iure patr.* & alij, quos referunt, & sequuntur Rochus *dicta q. 23. n. 41.* Lamb. *d. q. 5. art. 13.* Angel. *verb. iuspatronatus, n. 13.* Armil. *n. 7.* Tabien. *q. 11*

6 Sed an veniat iuspatronatus in venditione omnium bonorum? Quidam affirmant, per *l. bonorum, la 2. ff. de verb. signific.* vbi dicitur bonorum appellationem continere vniuersitatem, sicut & hæreditatem. Sic Panor. *cap. ex literis, de iure patr. num. 12.* Bald. *l. 1. C. de bonis libertor.* Rochus *de iure patr. verbo ipse, vel is, q. 23.* & limitat Rochus cum Baldo *l. finali, C. de edicto D. Adrian.* nisi dicere, *bona mea*, vt Baldus dicit, *vel bona, quæ habeo*; quia non habet dominium iurispatronatus, cùm sit quid spirituale. At Panorm. *eo cap. ex literis, num. 12.* dicit transire, licèt dicat, *omnia bona mea*; quia ly *mea*, non apponitur ad denorandum dominium iurispatronatus, sed ad demonstrandum, quæ bona vendantur; aliàs quomodo posset constare venditio.

7 At contrarium est commune, scilicet non transire venditis omnibus bonis. Et ad *l. bonorum*, respondet Couar. *vbi infrà*, intelligi in successione omnium bonorum; quia tunc capitur pro hæreditate. Sic tenet multos referens Couarr. *1. var. cap. 13. num. 4.* Cardin. *cap. ex literis. de iure patron.* & videntur *ibi* tenere Innoc. & Ioan. Andreas, idem Panormus, Paulus de Eleazar, Stephanus, Caiet. quos refert Lambert. *de iure patron. lib. 1. part. 2 q. 5. artic. 14. num. 2.* & eos sequitur *num. 12. 13.* & *art. 15. num. 11.* dicit communem; & *eo art. 14. num. 8.* dicit saltem esse certum non transire iuspatronatus, si sic diceretur, vendo omnia bona, quæ habeo in tali villa, licèt in illa esset iuspatronatus, quia hìc non venditur vniuersitas, sicut non venduntur omnia iura, quæ habeo in tali villa, sed est particularis venditio: & aliam limitationem certam habes *paulo infrà.*

8 An verò vendita hæreditate transeat iuspatronatus, quod est in illa? Quidam negant, propter doctrinam Pauli de Eleazar *Clement. 2. de iure patr.* & Barbatij *cap quanto, de iudic.* qui dicunt non transire iuspatronatus cum vniuersitate vendita, in qua rerum singularum est facienda traditio. Sic tenet Lamb *eo art. 14. n. 121.* & latiùs *art. 15. n. 9.* Paulus de Eleazar, & Barbatius *ibi.* Acosta *super c. si pater, de test. in 6. 2. part. verbo Trebellianica, n. 7.*

9 Sed communis, & verior opinio tenet transire, quia hæreditas est quædam vniuersitas, *l. bonorum, la 2. ff. de verb. signif.* Sic tenet multos referens, & respondens ad contraria, Couarr. *2. var. c. 18. n. 8.* Molina *lib. 1 de primog. c. 24. num. 17. 18. 25.* Beroius *cap. ex litteris, de iure patr. n. 9.* & *ibi* Cardin. Panorm. Hostiens. Innoc. Buttrio, Calder. Ioan. Andr. Et hæc est communis sententia, vt fatetur ipse Lamb. *eo artic. 15. n. 3.* Idem tenet Spino *speculo testam. glossa 4. n. 111.* Stephanus Caiet. *cap. finali. de elect. in 6.* Felin. *cap. cùm Bertholdus, de sentent. & re iudic. fine.* Paulus de Citadinis *de iure patr. 9 part. quæst. 3.* & Rochus *eodem tract. verbo ipse, vel is, q. 22. n. 40.* Angel. *verbo iuspatronatus, n. 13.* Tabiena *ibi q. 11.*

10 Duo tamen sunt certa. Alterum est quòd si in illis bonis venditis, vel hæreditate, esset villa, vel castrum, in quo esset iuspatronatus, transiret cum hæreditate, vel illis bonis venditis; quia iam verificaretur vendi vniuersitatem. Sic Lambertin. *eo artic. 15. num. 10.* Alterum est, quòd dato quòd transiret iuspatronatus venditis bonis, vel hæreditate, intelligitur, nisi in illis bonis, vel hæreditate tantùm esset iuspatronatus. Addit Lambert. vel aliquid parum plus, adeò, quòd pretium potiùs videatur datum pro iure patronatus, cùm transcenderet pretium illius pluris. Sic Lambert. *eo artic. 15. num. 12.* Rochus *d. quæst. 23.*

11 An verò vendito fundo, in quo est Ecclesia iurispatronatus, vel vendito palatio, in quo est capella iurispatronatus, transeat iuspatronatus, vide Lambert. *ea q. 5. art. 17. & 18.* Couarr. *1. variar. c. 13. n. 3.* & summistas *verbo iuspatronatus.* Item si filius hæres vendat legitimam, non transit iuspatronatus, quia non est vniuersitas. Couarr. cum aliis *2. variar. c. 18. n. 9.*

12 Non transit autem iuspatronatus venditis honorantiis. Lambert. *ea quæst. 5. art. 19.* Rochus *verbo ipse, vel is quæst. 24.*

13 Ex omnibus dictis infertur, quòd debitores nil habentes in bonis non possunt cedere iuspatronatus creditoribus, nec illis in solutum dare, nec potest per iudicem illis applicari; quia quodammodo commutaretur cum re temporali, & reciperet æstimationem, & esset quoddà genus venditionis. Sic Panorm. *cap. querimoniam, de iure patron.* Felin. *c. cùm Bertholdus, de sent. & re iudic.* Lambert. *de iure patron. lib. 1. p. 2. q. 5 art. 7.* addens etiam de licentia Episcopi, Paulus de Citadinis *de iure patron. part. 9. q. 15* Rochus *eodem tract. verbo ipse, vel is, quæst. 31.* Bald. *consil. 32.* Secus dicunt Baldus, Rochus, Lambert. si cum vniuersitate bonorum in solutum daretur, id est, si vniuersitas, cui est annexum iuspatronatus, in solutum daretur, transiret enim cum illa iuspatronatus; non tamen quando res particularis, seu non sapiens vniuersitatem daretur in solutum.

14 Secundò infertur iuspatronatus non recipere æstimationem, Lambert. *ea quæst. 5. art. 8. & art. 9.* infert habentem iuspatronatus non dici ex hoc locupletiorem.

## DVBIVM LXXXI.

*An si in venditione vniuersitatis, in qua est iuspatronatus exprimatur iuspatronatus valeat venditio.*

1 EXempli gratia, si aliquis dicat, vendo villam, vel castrum cum omni iurisdictione, honore, iure patronatus, &c. Variæ sunt sententiæ.

2 Prima dicit valere venditionem, & transire iuspatronatus cum ea vniuersitate vendita. Ratio, quia quæ tacitè insunt, sine vitio exprimuntur, etiam in spiritualibus, eorum enim expressio nil prorsus operatur, vt dixi *suprà dub. 24.* At licèt iuspatronatus non explicetur in illa venditione vniuersitatis, transit cum illa: ergo eius expressio nil prorsus operatur, & sic etiam eo expresso transibit. Sic Bald. *l. fin. C. de edicto D. Adrian. toll.* Cardin. *c. ex litteris. q. 11. de iure patron.* Anan. *cap. querelam, fine, de simon.* Oldradus *consil. 312.*

3 Secunda sententia dicit, quòd aut expressio facta est declaratiuè, vt vendo villam cum omnibus iuribus suis, scilicet honore, iurisdictione, iure patronatus, & tunc transit iuspatronatus; quia talis declaratio non facit nouam, & singularem venditionem; aut fuit facta non declaratiuè, sed coniunctiuè, & tunc non transit; quia est singularis venditio iurispatronatus. Sic Calder. *cap. vnico, de iure patr. in 6.* & videtur *ibi* tenere Dominicus.

4 Tertia sententia dicit, quòd aut iuspatronatus exprimitur per dictionem *&*, vt dicendo, Vendo villam, & iuspatronatus, & tunc non transit iuspatronatus, quia copulatiua facit copularum venire principaliter, vt docet Glossa *cap. querelam, de simon.* Aut per dictionem *eum*, vt, vendo tibi villam cum iure patronatus, & tunc transit, quia particula *cum*, denotat accessionem quandam; & sic in hoc casu exprimitur eo modo, quo inest, non autem in priori casu. Probatur etiam ex doctrina Bart. *Auth. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. num. 14. 15.* vbi dicit, quòd quando quis dedicat se cum bonis suis monasterio, talis expressio nil operatur, quia exprimitur per eum modum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



per quem tacitè ineſt, quia bona tacitè veniebant acceſſotiè. Si verò dedicat ſe, & ſua, tunc aliquid operatur, quia exprimitur alio modo, quo tacitè inerat: natura enim copulatiuæ eſt copulare per ſe, & principaliter. Hæc Bart. *ibi*, Hanc tenent Panorm. *cap. querelam, de ſimon.* & *ibi* Socinus, Rochus *de iure patr. verb. ipſe, vel is, q.* 25. *n.* 49. 50. & dicit quòd illam videtur tenere Ioan. Andr. *cap. vnico, de iure patr. in* 6. & quòd nó valeat tranſire iuſpatronatus, quando dicitur, *vendo villam, & iuſpatronatus*, tenent etiam Aragon. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *fine.* Manuel 2. *tomo ſummæ, c.* 63. *fine.* Greg. Lopez *l.* 8. *verſ. debuerit, as, tit.* 15. *part.* 1. Sylueſt. *verbo iuſpatronatus, q.* 5. *dicto* 4. Armil. *n.* 6. Angel. *n.* 12. Tabien. *quæſt.* 10. Nauarr. *lib.* 3. *conſil. tit.* 19. *de rerum permut. conſ. vnico, in noua editione, tit. de iure patr. conſi.* 3. dicit quòd ſi exprimat cum dictione *cum*, tranſit; ſi verò cum dictione *&*, eſt dubium, & Sylu. *verbo. ſimonia, q.* 12. *dicto* 5. ponit dictam diſtinctionem, ſit fiat cum dictione *&*, vel cum dictione *cum*; & ſubdit in conſcientia attendendam eſſe ad intentionem, & quomodocunque exprimat iuſpatronatus in venditione vniuerſitatis, ſi intendat illud vendere, eſt ſimonia; ſi verò non intendat, non eſt ſimonia.

5 Quarta ſententia dicit. Quomodocunque exprimatur, ſiue per dictionem *&*, ſiue per *cum*, eſſe ſimoniam, & non tranſire iuſpatronatus; quia reſpectu illius venditio non valet. Probatur, quia prohibitum omnino eſt iuſpatronatus vendi. *cap. de iure, de iure patr.* & ideò tranſit cum vniuerſitate, quia in conſequentiam tranſiret: at etiam cùm dicitur, *vendo villam cum iurepatronatus*, venditur iuſpatronatus, quia ſubintelligitur illud verbum, quod præcedit, ſcilicet, *vendo*; quia licèt, dictio *cum*, denoret acceſſorium, tamen quantum ad prohibitionem ne vendatur, tranſit ad principale diſpoſitum. Sic Felin. *cap. querelam, de ſimon.* Panor. *cap. illud, de iure patr. n.* 4. Lambert. *de iure patr. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 5. *art.* 20. *dnum.* 19. per plures, *& n.* 27. & videtur tenere Gutierr. *de iuram. confirmat.* 1. *part. c.* 42. *n.* 4. & tenet Spina *ſpeculo teſtam. gloſſa* 4. *n.* 116.

6 Sit tamen concluſio. Tertia opinio, vt modificatur à Sylueſt. *verbo ſimonia, loco citato*, videtur mihi cæteris probabilior.

7 Vt tamen varietas opinionum vitetur, optima cautela erit, vt venditor vniuerſitatis non faciat mentionem in venditione de iure patronatus, ſed in fine inſtrumenti cognoſcat venditor iuſpatronatus tranſiiſſe cum vniuerſitate in emptorem, & fateatur ſe deſiiſſe eſſe patronum, vel declaret velle, vt omnia iura, quæ habet in ipſa villa, tranſeant cum ea, nec ſibi reſeruare iuſpatronatus; quia hæc verba nullam venditionem iuriſpatronatus important, ſed tantùm declarant nolle venditorem ſibi reſeruare iuſpatronatus, vt poſſet reſeruare iuxta *cap. ex literis, de iure patr.* Sic cum Ioanne Andrea docet Lamb. *de iure patr. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 5. *art.* 20. *n.* 8. *&* 13.

8 Nota primò, quòd caſu, quo in venditione vniuerſitatis exprimitur iuſpatronatus, venditio eſſet ſimoniaca reſpectu iuriſpatronatus, & ſic non teneret reſpectu illius, at teneret reſpectu vniuerſitatis venditæ, etiamſi fieret vnico pretio: licèt minùs benè Matianus *cap. querelam, de ſimon.* limitet hoc, niſi venditio fiat vnico pretio. Ratio, quia venditio vniuerſitatis eſt perfecta, cùm nullo iure prohibeatur; at venditio iuriſpatronatus adiuncta habetur, ac ſi non eſſet appoſita, tanquam inhoneſta: ſicut dicimus de conditione appoſita in creatione beneficij contra ius commune abſque Epiſcopi licentia, quia ſcilicet illa reiicitur; at valet creatio beneficij. Sic Lamb. alios referens *d. q.* 5. *art.* 21.

9 Tandem nota quòd aliqui dicunt, quòd ſi quis emat vniuerſitatem principaliter propter iuſpatronatus acquitendum, non tenet venditio; quia committit ſimoniam quando ſcilicet ex aliquibus indiciis, vel coniecturis talis intentio poſſet deprehendi, quia aliter eſſet ſimonia mentalis. Sic Lambert. *de iurepatr. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 5. *art.* 20. *n.* 25. 26. Spino *ſpeculo teſtam. gloſſa* 4. *num.* 116. Et quòd ſit ſimonia mentalis, docent Panorm. *cap. quia. clerici, de iure patr.* Angel. *verbo, iuſpatronatus. n.* 12. & *ibi* Sylu. *quæſt.* 5. *dicto* 4. Armil. *n.* 6. Tabien. *q* 10. Manuel 2. *tomo ſummæ, c.* 63. Aragon. 2. 2 *q.* 100. *art.* 4 *fine.*

10 At dicendum eſt intentionem principalem habendi iuſpatronatus non conſtituere venditorem, nec emptorem ſimoniacum, niſi habeant animum illud emendi vel vendendi; quare ſi tantùm emptor habeat animum, vt iuſpatronatus tranſeat cum vniuerſitate, nec pro illo conſtituat maius pretium, nec illud velit emere, licèt principaliter emat vniuerſitatem, vt habeat iuſpatronatus, non eſt ſimonia, nec peccatum, vt in alio ſimili probaui *ſupra dub.* 12.

## DVBIVM LXXXII.

*An ſi vendatur iuſpatronatus cùm illa venditio non valeat, quid fiet de illo iure patronatus, ſcilicet cui ſit reſtituendū.*

1 DE emptore. quòd illud non poſſit retinere, conſtat; quia venditio eſt ipſo iure nulla, vt dixi *ſupra dub.* 79. & ſic *cap. quia clerici, de iure patr.* dicitur, quòd emptor illo ſpolietur. Vbi Panorm. & Lamb. *de iure patr. lib.* 1 *part.* 2. *q.* 5. *art.* 2. dicit, quòd ſi eſt notorium, quod emit, debet ſpoliari abſque ordine iudiciario, cùm notorium ſit nullum titulum habere.

2 Maius autem dubium eſt, an venditor illud amittat, & hoc ante omnem iudicis ſententiam. Quidam enim dicunt nec vendentem eſſe priuatum eo, nec priuandum per ſententiam, quia dictum *cap. quia clerici*, nil dicit de venditore. Sic Archid. *cap. qui ſtudet* 2. *q.* 1. idem Bellenenſis citatus per Rochum *vbi infrà*, & non abhorret hoc Gloſſ. *d. c. quia clerici, verſ. ſpoliando*, quia ſub diſiunctione ponit hunc, & modum ſequentem, at magis inclinat in ſequentem.

3 Alij verò dicunt venditorem illud amittere, & clarè ſignificant non requiri iudicis ſententiam. Et ſic dicunt manere Eccleſiam liberam, id eſt, ſub nullius patronatu. Nec obſtat, quòd *dicto cap. quia clerici*, nulla ſit mentio de venditore, ſed tantùm de emptore, quia ſatis dicitur pœna expreſſa, cùm exprimatur in vno ex correlatiuis, & in altero militet eadem ratio: nam tam emens, quàm vendens committit ſimoniam, & pœna appoſita in vno ex correlatiuis, videtur appoſita in altero, vbi militat eadem ratio; vt eſt communis theorica legiſtarum, *l. ſin ff. de accepti. & l. vnica, C. de edicto, D. Adrian. toll.* Eſtque Gloſſa aurea *Clem. 1. verſ. eligatur, de elect.*

Secundò probatur modò ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat. ibi, verſ. nec dictum*; vbi ſic dicitur. Nec patroni præſumant iuſpatronatus venditionis, aut alio quocunque titulo in alios contra canonicas ſanctiones transferre: ſi ſecus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis ſubiiciantur, & dicto iure patronatus ipſo iure priuati exiſtant. Pro hac ſententia eſt clarè Cardin. *cap. de iure, de iure patr.* vbi hæc dicit: Vendens iuſpatronatus perdit illud, quia quantum in ſe eſt, abdicauit à ſe dominium, & ſic remanet Eccleſia libera. Pro eadem eſt etiam clarè Lamb. *lib.* 1. *de iure patr. part.* 2. *q.* 5. *art.* 22. vbi hæc dicit: ſi iuſpatronatus abſolutè vendatur, eſt priuatus ipſo iure etiam venditor; ſi verò iuſpatronatus exprimatur in venditione alicuius vniuerſitatis modo non permiſſo, iuxta dicta *dub. præcedenti*, requiritur ſententia ſaltem declaratoria, vt priuetur emptor, & venditor; quia dubium eſt, an modus expreſſionis ſit permiſſus ob varias opiniones. Et *art.* 3. dicit non debere reſtitui per emptorem vendenti, ſed eſſe iuſpatronatus ipſius Eccleſiæ, cui facta eſt per ſimoniacam venditionem iniuria: & ſic cùm propriè idem non poſſit eſſe ſui ipſius patronus, remanebit libera. Ad idem ſunt Stephanus Caiet. *cap. ſitrali, de elect. in* 6. Gloſſ. *cap. quia clerici, de iurepatr. verſ. ſpoliando*, & *ibi* Panorm. Innoc. Cardin. Ioann. Andr. & Paulus, de Citadinis *de iure patr. 9. part. ante finem tertiæq.* vbi dicunt Eccleſiam manere liberam.

4 Sed



4 Sed quid dicendum iuxta hanc ſententiam, quando Eccleſia ipſa emeret iuſpatronatus, quod in ipſam habetur. Gloſſa *d. c. quia clerici*, videtur velle non manere liberam, ne ex ſuo delicto commodum ſentiat. Alij verò ſub diſtinctione reſpondent. At melius Lamb. *d. q.* 5. *artic.* 4. Calder. & Panor. *d. c. quia clerici*, Paulus de Citadinis *ſupr.* dicunt remanere liberam, non ex ratione ſui contractus, quia ſcilicet emit, ſed quia venditor debet ſpoliari illo iurepatronatus, & ſic non eſt apud quem maneat.

5 Nota quòd Lambert. *d. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 4. *art.* 3. dicit, quòd ſi res profana daretur pro iure patronatus, non eſſet propriè venditio, ſed commutatio. & non valeret, at non incurrerentur pœnæ, ſcilicet priuatio iuriſpatronatus, & rei ſic datæ. At verò attento dicto decreto Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 9. *de reform.* non poteſt hoc dici, quia Trident. *ibi* dicit, venditione, aut alio titulo contra canonicas ſanctiones, ex quorum numero conſtat eſſe hanc permutationem.

6 At verius eſt hanc pœnam non incurri ante ſententiam iudicis ſaltem declaratoriam. Probatur, quia quod venditor priuetur iure patronatus, quod poſſidebat, eſt pœna priuans bonis poſſeſſis ob delictum venditione illius contractum; at huiuſmodi pœnæ non incurruntur ante iudicis ſententiam, quantumuis canon ſtatuat incurri ipſo iure, vt dixi *lib.* 2. *ſumma. cap.* 22. *n.* 20. Vnde reſtituendum eſt tale iuſpatronatus, antequam iudex ſententiam proferat, ipſi venditori. Nec eſt eadem ratio de emptore, & venditore, quia ille nullum habebat ius in tale iuſpatronatus: nec per venditionem, quæ eſt omnino nulla, potuit ius acquirere; at venditor habebat ius, & poſſeſſionem, nec abdicauit à ſe dominium per venditionem, quæ fuit nulla: vnde vt illo iure ob delictum ſpolietur, requiritur ſententia. Sic Rochus *de iure patr. verbo ipſe, vel is. q.* 25. *n.* 54. Ioan. Andr. Cardin. Goffredus *dicto cap. quia clerici*; quos *ibi* refert.

7 Nota has ſententias, in quantum dicunt Eccleſiam, vel ante ſententiam, vel poſt ſententiam, manere liberam, & vendentem ſpoliandum eſſe iurepatronatus, intelligi, quando illud erat omnino venditoris, ſecus ſi non erat ſuum, quia, v.g. fundator ſtatuerat, quis eſſet ſucceſſurus in illo patronatu poſt mortem poſſeſſoris, tunc enim poſſeſſor illo priuabitur, & dum ipſe vixerit, erit Eccleſia libera: at poſt mortem ipſius ſuccedet vocatus à fundatore; ſicut maioratus ob delictum poſſeſſoris non confiſcatur in præiudicium ſucceſſorum, ſed tantùm fructus, dum poſſeſſor vixerit. Sic mihi dixit eſſe clarum quidam iuriſperitus admodum doctus.

8 An verò vendens iuſpatronatus incurrat excommunicationem, & interdictum. Quidam iuniores dicunt incurrere, propter decretum citatum Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 9. *de reformat.* illæ enim pœnæ ſunt latæ. At multo verius eſt eſſe ferendas, & ſic non eſſe excommunicatum per ea, quæ dicemus *in mat. de excommun.* & ſic Nauarr. ſumma Lat. *c.* 23. *n.* 111. *fine*, dicit non eſſe excommunicatum, & tamen ſcripſit poſt Tridentinum.

9 Tandem, an emptor iuriſpatronatus poſſit agere de euictione. Dico, quòd ſi vendatur per ſe, non poteſt, quia venditio eſt nulla; ſed ſi tranſeat cum vniuerſitate vendita, poteſt emptor agere de euictione pro tota vniuerſitate: at in euictione non veniet æſtimatio iuriſpatronatus, ſed tantùm vniuerſitatis; ſi verò non eſt euicta vniuerſitas, ſed tantùm iuſpatronatus, non poſſet agere de euictione. Sic Lamb. *de iure patr. lib.* . *part.* 2. *q.* 5. *art.* 23.

## DVBIVM LXXXIII.

*Cui reſtituēdum eſt pretium, quo emptum eſt iuſpatronatus.*

1 TRes ſententias refert Lamb. *vbi infrà.*

Prima eſt quòd debet remanere apud venditorem, ne reſtituatur malæ fidei poſſeſſori, ſeu emptori, *l. ſi fundum, C. de euict.* Hanc refert Lamb. & non refert pro ea authorem.

2 Secunda eſt, quòd reſtituatur emptori: hanc etiam refert *ibi*, nullo relato authore.

3 Tertia ſententia eſt, quòd eſt reſtituendum Eccleſiæ, cui per illam ſimoniam facta eſt iniuria; quia ſcilicet circa eius iuſpatronatus facta eſt. Probatur ex *Auth. quomodo oport. Epiſcop. §. verum tamen, & §. ſi quis autem, & §. ſequenti*, vbi habetur, quòd ſi quis eſt promotus in Eccleſia pretio, dans, & recipiens priuantur illo, & acquiritur Eccleſiæ, *& cap. de hoc, in fine, de ſimonia*, vbi iubetur pecuniam ſimoniacè acquiſitam reſtitui Eccleſiæ. Sic Vincentius *c. de iure, de iurepatr. & ibi* Cardin. *fine*, Ioan. Andr. & *ibi* Panorm. *fine*, & omnes *ibi*, vt refert, & ſequitur Lamb. *de iure patr. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 5. *art.* 5. *num.* 6. Rochus *de iurepatr. verbo ipſe, vel is. q.* 25. *n.* 55. vbi pro hac refert Bart. & Ananiam. Et *art.* 6. dicit Lamb. quòd ſi Eccleſia emit iuſpatronatus in ipſam habitum, licèt ſint variæ ſententiæ, at verior eſt, quòd ſicut efficitur libera, vt dixi *dub. precedenti*, ita etiam pretium erit ipſius; & alios refert.

4 Secunda ſententia poſita verior eſt cæteris, ſcilicet ante iudicis ſententiam reſtituendum eſſe emptori: vnde textus in contrarium citati intelliguntur, ſecuta condemnatione; idem enim dicemus *infrà*, & referemus authores de omni pretio dato pro beneficiis, eadem enim eſt ratio, & eædem ſententiæ, eiſdémque textibus innituntur, dicentes tale pretium eſſe reſtituendum Eccleſiæ.

## DVBIVM LXXXIV.

*An iuſpatronatus poſſit impignorari, vel tranſeat cum villa, vel alia vniuerſitate impignorata.*

1 LEx 9. *tit.* 15. *part.* 1. dicit tranſire in pignus vniuerſitate impignorata: quam dicit eſſe mente tenendam, licèt ſit contra communem, Gregor. Lopez *ibi verſ. Empenado.*

2 At dicendum eſt non poſſe impignorari, nec tranſire in pignus vniuerſitate impignorata; quia cùm recipiens aliquid in pignus non faciat fructus ſuos, nec poſſit vti pignore; nec creditor poſſet præſentare, cùm non poſſet vti pignore, nec verus patronus, quia tranſtulit in creditorem: & ſic Eccleſia patereretur detrimentum. Sic Armil. *verbo iuriſpatronatus, n.* 7. Sylu. *ibi, q.* 5. *dicto* 5. Angel. *n.* 15. Tabien. *q.* 13. Lamb. cum aliis *de iure patr. lib.* 1. *part.* 1. *q.* 9. *art.* 1. *&* 2. Spino *ſpeculo teſtam. gloſſa* 4. *n.* 118.

3 Limita hoc, niſi recipiens pignus faciat fructus ſuos, vt vir propter onera matrimonij: ſi enim reciperet in pignus dotis vniuerſitatem, cui eſt annexum iuſpatronatus, tranſiret in illum iuſpatronatus. Sic Lamb. *eo art.* 2.

4 Hinc fit, quòd iuſpatronatus non tranſit in depoſitarium vniuerſitatis. Patet eadem ratione, quia non facit fructus ſuos. Sic Lamb. *ibi art.* 4.

5 Item non poteſt iuſpatronatus per ſe dari in feudum; at data vniuerſitate in feudum, tranſit cum illo iuſpatronatus. Sylu. *ſupra q.* 5. *dicto* 5. Angel. *n.* 11. Tabien. *quæſt.* 9. Armil. *n.* 6. Lamb. *de iure patr. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 7. *tota*, vbi cætera ad hoc ſpectantia videnda ſunt.

## DVBIVM LXXXV.

*An poſſit locari iuſpatronatus, vel tranſeat cum vniuerſitate locata.*

1 SIt prima concluſio. Per ſe non poteſt locari, ſed eſſet ſimonia; quia ibi interuenit pretium. Sic Lamb. *de iure patr. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 8. *art.* 1. multos referens.

1 Immò ſi ius præſentandi competeret parochianis, non præſentabit conductor domus, ſed dominus, niſi conſuetudo eſſe, vel in limine fundationis ſic ſtatutum, vt habitantes in parochia, & ſic conductor, præſentarent; & niſi ſolùm competeret parochianis petitio Rectoris, & non præſentatio; quia talis petitio competeret conductori domus. Lambert. cum aliis *ea q.* 8. *art.* 3.

3 Secunda

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Secunda conclusio. Non potest etiam dari in emphyteusim, quia ibi interuenit pretium, Lambert. cum aliis *ea q.8. art.5.*

4 Tertia conclusio. Vniuersitate data in emphyteusim, vel locata, transit iuspatronatus, nisi excipiatur, *cap. ex literis, de iurepatr.* Sic Lambert. *ea q.* 8. *art.* 2. & 4. Spino *speculo testam. glossa* 4. *n.*118.119. Quod etiam de locatione ad breue tempus intelligunt Panorm. & Cardin. *d. cap. ex literis.* At communis sententia est, tantùm intelligi de locatione ad longum tempus: vel tali contractu per quem transferretur vtile dominium, seu saltem vera possessio; secus si locatio esset ad modicum tempus, vel per quam transferretur sola detentio; quia cum tali vniuersitate sic locata non transferretur iuspatronatus. Sic Lambert. *art.*2. & quòd tantùm quando locatio est ad longum tempus, transeat iuspatronatus, docent etiam Spino *dicta glossa* 4. *n.*119. Greg. Lopez *l.*9. *tit.*15. *part.*1. *vers. arrendando.*

5 Quando verò dicatur locatio ad longum, vel breue tempus, consule Dueñas *regul.*40. Couar. 2. *var. c.*16. *n.*1. Pinel. *l.*1. *part.*3. *n.*63. *C. de bonis mater.*

6 An verò lite mota super iure præsentandi, possit conductor, vel alius possessor iurispatronatus, præsentare, vel dominus, vide Spino *ibi à n.*120. Lamb. *de iure patr. lib.*1. *part.*2. *q.*3. *art.*9. *n.*3. & *quæst.* 11. *art.*4. Gutier. *consil.*4. *fine.* Greg. Lopez *l.*9. *tit.*15. *part.*1.

## DVBIVM LXXXVI.

*An possit iuspatronatus dari in dotem.*

1 PRimò dico non posse dari in dotem; quia respectu mariti est titulus onerosus, & vir comparatur emptori. Sic Lamb. *de iurepatr. lib.*1 *part.*2. *q.*10. *art.*1.

2 Secundò dico, quòd data vniuersitate in dotem, cui est annexum iuspatronatus, licèt multi teneant non transire; at verius est transire. Spino *speculo testam. glossa* 4. *n.*111.112. Lambert. *ea q.* 10. *art.* 2. vbi cùm casus occurrerit, est videndus. An verò tunc debeat præsentare vir, vel vxor; & an si aliquis sit vsufructuarius vniuersitatis, transeat iuspatronatus cum vsufructu, & quis præsentet, habes *supra dub.*71.

## DVBIVM LXXXVII.

*An publicatis bonis alicuius, publicetur iuspatronatus.*

1 QVidam censent publicari. Sic Glossa *c. filiis*, 16. *quæst.*7. Rochus, Paulus de Citadinis, Decius, Panorm. Ferretus, Auferius, quos refert, & sequitur Molina *lib.*1. *de primog. c.*24. *n.*16. dicens communem, & certam esse, quando fit confiscatio per iudicem Ecclesiasticum. Eandem tenet Iulius Clarus *lib.*5 *sent. §. fin. in pract. criminali. q.*78. *vers. Quæro modo*, Spino *speculo testam. gloss.*4. *n.*115. & alij mox citandi.

2 Quando verò fit à iudice sæculari, quidam tenent non publicari; quia iudex sæcularis non potest confiscare iuspatronatus, cùm sit spirituali annexum. Sic Acosta *c. si pater, de testam. in* 6. *part. verbo Trebellianicæ, num.*7. Gigas, Barbat. quos refert Molina *ibi.* Spino *d. gloss.* 4. *num.*115.

3 At verius est iuspatronatus cum vniuersitate villæ, seu hæreditatis confiscata, in fiscum transire, etiamsi iudex laicus confiscationem fecerit, modò (inquit Molina) id non specificè de iurepatronatus loquens faciat, sed genericè vniuersitatem, cum qua patronatus ex sui natura transire debet, fisco adiiciat. Sic Perez *lib.*1. *ordinam. tit.* 6 *l.*1. *fol.*138. Sylu. *verbo iuspatron. q.* 5. *dicto* 6. & Lamb. *de iure patr. lib.*3. *q.*8. *art.*8. *n.*20. & Molina alios referens *d. n.*26. vbi addit immeritò, Lambert. *ibi n.*21. tenere contrarium in vniuersitate hæreditatis.

4 Nota tamen, quòd in omnibus casibus, in quibus iuspatronatus cum vniuersitate bonorum est confiscandum, non debet transire exercitium iurispatronatus in fiscum, nec etiam in hæredes delinquentis, sed Ecclesia manet libera. Sic Rochus, & Lambert. quos refert, & sequitur Molina *dicto c.*24. *n.*27. Simancas *de Cathol. instit. tit.*9. *num.*96.

## DVBIVM LXXXVIII.

*Qualiter transferatur iuspatronatus permutatione, an scilicet possit permutari.*

1 OMnes Doctores conueniunt posse vnum iuspatronatus cum alio permutari, quia permutatur spirituale cum spirituali. Sic referens plures, & dicens tenere omnes, docet Lamb. *de iurepatr. lib.*1. *p.*2. *q.*3. *art.*2.

2 At tota difficultas est, an ad talem permutationem sit necessaria licentia Episcopi. Quidam enim negat. Sic Glossa *Clem. plures, de iure patr. vers. liberè*, & *ibi* Abbas: & idem tenent omnes Doctores, præter Rochum, & Paulum de Citadinis, vt refert Lamb *de iure patr. lib.*1. *part.*2. *q.*3. *art.*2. *n.*8. idem Stephanus Caiet. *cap. fin. de elect. in* 6. licèt priùs dixerat requiri consensum ordinarij, at tandem hanc partem concludit addendo hoc esse verum, etiamsi permutantes essent patroni diuersarum Ecclesiarum ex diuersis causis, & ex diuersis stipitibus.

3 At verius est requiri consensum ordinarij. Immò Sylu. *vbi infrà*, dicit esse simoniam, si permutentur absque consensu ordinarij; quia *cap. quæsitum, de rerum permutat.* dicitur committi simoniam, quando sic commutantur spiritualia, vel spiritualibus annexa, ex quorum numero est iuspatronatus. Sic. Sylvest. *Permutatio* 2. *quæst.* 1. Anton. *cap. querimoniam, de iure patr. num.*4. Rochus *de iurepatr. verbo ipse, vel is, quæst.* 26. Paulus de Citadinis *eodem tract. 9. part. quæst.*5 *lex* 8. *tit.*15. *p.*1. & *ibi* Greg. Lopez *vers. del Obispo.* Molina *lib.*1. *de primog. c.*24. *n.*14. & hanc dicit tutiorem Lambert *d. art* 2. *n.*9. & ratio est, quia cùm laicus non possit habere, nec sit habilis ad iuspatronatus, nisi ex gratia, licentia Episcopi est causa efficiens, vt sit habilis: cùm ergo hic non adsit, non erit habilis ad retinendum iuspatronatus, quod sibi confertur. Et si dicas, iam est habilis, quia iam habebat iuspatronatus: respondetur quòd ex eo quòd habilitas est gratiosa, & limitata in vna Ecclesia, non est extendenda ad aliam.

4 Nota primò Molinam *eo num.*14. limitare, nisi permutetur iuspatronatus cum Ecclesia, vel loco pio. At Doctores, quos ipse refert, id non dicunt, & fortè intelligit non requiri licentiam ex parte iurispatronatus, qui quando donatur Ecclesiæ, non est necessaria talis licentia; at benè requiritur ex alia parte, quia scilicet Ecclesia alienat iura sua ad quam alienationem requiritur licentia, cum scilicet Ecclesia permutat iuspatronatus, quod habet in aliam Ecclesiam, cum alio iure patronatus. Sic Lambert. *eodem art. n.*10.11.12.

5 Secundò nota hanc sententiam intelligi de permutatione, quæ fieret de integris, & separatis duobus iuribus patronatus diuersarum Ecclesiarum non prouenientibus ab vno stipite, v.g. ab vno defuncto: at quando iura patronatus etiam diuersa, & diuersarum Ecclesiarum, prouenirent ab vno stipite, quia scilicet idem defunctus habebat plura iura patronatus, & in illis succedunt hæredes, possunt sine consensu Episcopi inter se diuidere illa iura patronatus, ita vt vnus sit patronus in vna Ecclesia, & alter in alia: & in hoc casu intelligenda est prior sententia. Sic Lambert. *de iurepatr. lib.*1. *part.*2. *q.*3. *art.*2. *n.*9. & *q.*4. *art.*3. 6. *à n.*17. vbi addit *n.*21. cum Cardin. posse apponi conditionem in hac diuisione, quòd vno ipsorum hæredum mortuo sine liberis, illud iuspatronatus redeat ad cohæredem.

6 Tertiò nota, quòd sicut plures hæredes possunt inter se diuidere plura iura patronatus defuncti sine consensu Episcopi, eodem modo patronus repræsentans hæredes habens plura iura patronatus, potest illa distribuere inter hæredes eius absque Episcopi consensu. Sic Lambert. *lib.*1. *p.*2. *quæst.*6. *art.*2. *num.*5.

7 Item



7 Item possunt patroni inter se cõuenire, vt alternis vicibus præsentent, vt habes *suprà dub.* 72. vbi an ad hoc requiratur consensus omnium. Et sicut potest hæc diuisio fieri in tempore, ita & in loco: & sic possum conuenire, vt vnus in vna Ecclesia præsentet, & alius in alia. Sic Lamb. *lib.*1. *part.*2. *q.*2. *art.*36. *n.*22. Sylu. *verb. iuspatronatus, q.*4 *dicto* 2. Angel. *ibi, n.*7. Tabien. *quæst.*6.

## DVBIVM LXXXIX.

*An iuspatronatus possit permutari cum quacunque re.*

1 PRimò dico, cum re temporali permutare esset simonia; daretur enim spirituale pro temporali, & esset quoddam venditionis genus. Sic Panorm. *c. querimoniam, de iurepatron.* Lamb. alios referens *de iurepatron. lib.*1. *part.*2. *quæst.*3. *art.*3. Rochus *eodem tract. verb. ipse, vel is, quæst.*15. Paulus de Citadinis *eodem tract. 9. part. quæst.* 5. Hostiens. *summa tit. de iurepatr. §. qualiter transferatur, vers. res permutata.*

2 Secundò dico; aliqui dicunt ex consensu Episcopi posse permutari cum re spirituali. Sic Host. Rochus, & alij, quos refert *ibi* Lambert. quod dicit intelligendum, quando commutatur cum Clerico, qui est capax illius rei spiritualis: secus quando cum laico, quia nequit effici capax per Episcopum.

## DVBIVM XC.

*Qualiter transferatur iuspatronatus legato, vel donatione.*

1 DIco primò; quando ad hoc requiritur licentia Episcopi, dixi *suprà dub.*76.

2 Secundò dico. Si iuspatronatus donatur, vel legatur pluribus, & aliqui ipsorum repudiant donationem, vel legatum, accrescit aliis. Sic contra Specul. dicentem non accrescere, eo quòd in contractu inter viuos non est locus iuri accrescendi, nisi in vsufructu, tenet Lamb. *de iurepatr. lib.* 1. *part.* 2. *quæst.* 4. *art.*5. Paulus de Eleazar, & Clader. quos *ibi* refert, Rochus *de iurepatron. verbo ius, q.* 6. vnde dicit Lamb. quòd reliqui acceptantes erunt patroni; & regula Speculatoris, quòd in contractu inter viuos non sit locus iuri accrescendi, non habet locùm in indiuiduis, quale est iuspatronatus.

3 Tertiò dico, in donatione omnium iurium non venit iuspatronatus, quia est ius alterius naturæ, & non donatur tunc aliqua vniuersitas. Si tamen quis donaret omnia iura sua, & accederet pro consensu Episcopi, videretur explicare suam mentem esse donare iuspatronatus, & sic tráfiret ex hac quasi declaratione. Sic Lamb. *ea q.*4 *art.*6.

4 An verò quando donatur, vel legatur Ecclesia, censeatur donatum, vel legatum iuspatronatus, vide Lamb. *lib.*1. *part* 2. *quæst.* 1. *art.*9. & *quæst.* 6. *art.*3.

## DVBIVM XCI.

*An cum transfertur in alium iuspatronatus donatione, vel alio titulo habili, possint apponi conditiones per transferentem*

1 PRima conclusio. Potest apponere quascunque conditiones, quæ non sunt contra iura, sed secundùm ius commune, quæ scilicet non tangunt iura Episcopalia; non immutant statum Ecclesiæ, nec aliquid faciunt contra iuris dispositionem, sed dant meliorem modum pro vtilione iurispatronatus, pro euitandis discordiis præsentantium, pro eligendo digniori: vt si legans, vel donans iuspatronatus adiiciat conditionem, quòd illud transeat à donatario, vel legatario in primogenitum masculum, & sic semper de primogenito in primogenitum, & quòd non in fœminas etiam hæredes, vel quòd non exeat patente lam: quæ conditiones redundant in vtilitatem Ecclesiæ, cùm citius fiat libera, quàm si transiret ad quoscunque hæredes: vel quòd præsentandus sit in sacris constitutus. Sic Lamb. *de iurepatr. lib.*1. *p.*2. *q.*4. *art.*4. *n.*4.5. Rochus *eodem tract. verbo pro eo quòd, q.*13. Calder. *cons.*19. *de iurepatr.* Quòd si dicas esse contra ius commune, quòd transeat de primogenito in primogenitum absque hæreditate, & quòd transeat absque hæreditate; ius enim commune vult, vt transeat cum hæreditate: respondet Lamb. *ibi n.*5. hoc inductum esse in fauorem patronorum, & sic posse ipsos huic fauori renunciare. Et *n.*5. & 6. dicit Lamb. debere interuenire consensum Episcopi, qui habebit duos effectus, alterum transferend iuspatronatus, & alterum approbandi has conditiones quando esset conditio, vt transferretur sine hæreditate. Quid si apponeretur, vt transiret in primogenitos masculos, seu in parentelam cum hæreditate, posset appon absque Episcopi consensu; quia nil esset contra ius commune: & quòd possit poni, quòd transeat in primogenitum, tenet Couarr. 2. *variar. cap.*18. *n.*9.

2 Secunda conclusio. Non tamen potest apponere conditiones contra ius commune, etiam de Episcopi consensu; quia licèt hæ possint apponi in limine fundationis, vt habes *hoc* 2. *lib. cap.*1. *dub.*10. *de accept. person.* at post, non; quia cessat ratio, vt Ecclesia fundetur, cùm iam sit fundata. Sic Lamb. *ibi n.*5. Quod tamen limitat *n.*7. cum Panorm. *c. cùm dilectus, de consuetud. notab.*5. nisi post beneficium creatum vrgeret aliqua causa, vt conditiones, & modi apponerentur etiam contra ius; quia potest apponere Episcopus ad petitionem patroni.

3 Hinc fit, quòd si patronus transferens iuspatronatus apponeret conditionem, vt donatarius non posset præsentare, nisi ad voluntatem alterius, etiam Episcopi, non valeret conditio, quia hæc siue apponatur ad tempus, siue in perpetuum, est contra ius commune; quia si in perpetuum, semper præsentaret non patronus: si ad tempus, daretur occasio captandæ mortis, contra *cap. ne captandæ, de præbend. in* 6. Sic Lamb *ibi art.*4. *n.*4.5. Ioan. Monachus. Andr. Domin. *cap. vnico, de iurepatron. in* 6. addúntque quòd talis conditio non valeret, at non vitiaret donationem, vel translationem iurispatronatus.

4 Aduertit tamen Lamb *ibi n.*4. quòd si reseruasset sibi, vt donatarius non posset præsentare, nisi ad voluntatem donantis, valeret; quia tunc videretur donare iuspatronatus quoad alios effectus, quàm præsentationis.

## DVBIVM XCII.

*An possit pater iuspatronatus hæreditarium obtinēs illud in aliquem transmittere donationis, legatiue titulo, etiam in præiudicium hæredum legitimorum, ita vt filius nulla competat querela, quasi pater inofficiosam donationem fecerit.*

1 PRimò dico posse; quia, vt *suprà* dixi, iuspatronatus cùm sit quid spirituale, non est æstimabile. Sic Alexand. quem refert, ac sequitur Couar. 2. *var. cap.*18. *n.*9. Archid. *cap.*1. *de iurepatr. in* 6. Rochus *de iurepatr. verbo ipse, vel is, qu.*23. Lamb. *eodem tract. lib.*1. *p.*2. *quæst.* 2. *art.* 7. Perez *lib.*1. *ordin. tit.*6. *l.*1. *fol.*143. Molina *lib.* 1. *de primog. c.*24. *n.*30.

2 Sed quid dicendum quando iuspatronatus ex ipsa institutione defertur filiis, nepotibus, & liberis, etiamsi hæredes non sint, an possit hoc à patrono, qui primus instituitor non est, in aliquem transferri, aut alienari in præiudicium eorum, qui prima ipsius iurispatronatus institutione ad id vocantur. nam Lamb. *d. quæst.*2. *art.* 6. & 8. *n.* 7. & Calder. *cons.*19. *de iurepatron.* definiunt id fieri posse, quia gradatim vocatio liberorum, ac descendentium fit; & sic viuente possessore sequens in gradu nec patronus est, nec habet iuspatronatus, *l. cùm pater. §. penultimo. ff. de legat.*2.

3 Secundò tamen dico id fieri non posse, & ratio dicta tantùm probat viuente possessore ad eius vitam translationem hanc fieri posse absque sequentis in gradu præiudicio, & ideò mortuo possessore hæc donatio, aut alienatio, translatióve non potest successori ex prima institutione absque hæredis titulo vocato nocere. Sic

Francus

Universidad de Deusto Biblioteca

Francus, Anchar. Molinæus, Alexand. Card. Rochus, Parisius, Domin. quos refert, ac sequitur Couar. 2. *var. c.* 18. *n.* 9. Perez *d. l.* 1. *fol.* 143. Molina *d. cap.* 24. *n.* 130.

4 Tertiò dico, quòd licèt volùtas testatoris sit deambulatoria vsque ad mortem, si tamen aliquis in suo testamento creauit, vel mandauit creari beneficium, & constituit aliquem tertium patronũ, & ad prædicta interuenit consensus ordinarij, non potest testator reuocare, nec dare alij; quia iam illud iuspatronatus fuit perfectum in se, & per ipsum in alium transiatum: secus quando non interuenit licentia ordinarij. Sic Lamb. *de iurepatron. lib.* 1. *part.* 1. *q.* 4. *art.* 10. *n.* 4. *& p.* 2. *quæst.* 6. *art.* 5. *n.* 3. *& part.* 1. *q.* 5. *art.* 8. *n.* 45. *& part.* 2. *q.* 1. *art.* 21. *n.* 6.

## DVBIVM XCIII.

*Quomodo transferatur iuspatronatus in alium via successionis hæreditariæ.*

1 PRimò dico. Iuspatronatus ex propria natura ad hæredes etiam extraneos cum hæreditate transit, & hæreditarium est, *cap.* 1. *& 3. de iurepatron. & Clem. plures. eod. tit.* Vnde non defertur iure sanguinis, sed iure hæreditario: & patet, quia si transit in emptorem quemcunque cum vniuersitate, vt diximus, à fortiori in hæredem quemcunque cum hæreditate. Sic contra aliquos dicentes tantùm ad hæredes sanguinis petinere, tenet Lamb. *de iurepatron. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 2. *art.* 1. *an.* 22. Rochus *eodem tract. verb. ipse, vel is, q.* 8. Panor. *cap.* 1. *de iurepatron.* Cardin. Anchar, Immola, Decius, Aretin. Iason, Federicus, quos refert, & sequitur Couar. 2. *var. cap.* 18. *n.* 6. Glossa *ea. considerandum, & cap. filiis* 16. *quæst* 7. Sylueſt. *verbo iuspatronatus. quæst.* 4. *dict.* 3. Armil. *ibi n.* 5. Ang. *n.* 6. Perez *lib.* 1. *ordin. tit.* 6. *l.* 1. *fol.* 139. *lex* 8. *tit.* 15. *part.* 1. *& ibi* Greg. Lopez *vers. de extranos*, Spino *speculo testam. glos.* 4. *n.* 46. *& n.* 52. dicit, quòd licèt iuspatronatus sit fundatum in bonis Ecclesiasticis, vt de redditibus beneficiorum, authoritate Ecclesiæ transit ad hæredes, vt homines inuitentur ad fundandas Ecclesias.

2 Nota, quòd id dicitur deferri iure sanguinis, in quo hæres sit, siue hæres sit, siue non, ex sola agnitione, vel cognatione, vel speciali vocatione succeditur: id autem dicitur deferri iure hæditario, quod non nisi hæredi, iuréque hæreditario conuenit. Sic Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 8. *n.* 6. vbi alios refert.

3 Hinc fit iuspatronatus non transire in filium, qui hæres patris non est, aut hæreditatem patris repudiauit. Sic contra Glossam *c. considerandum* 16. *quæst.* 6. tenet Panorm. *cap.* 1. *de iurepatron.* Lambert. *d. quæst.* 2. *art.* 1. *&* 17. 18. Gregor. Lopez *d. l.* 8. *versic. de extranos*. Syuest. Angel. Armill. *supra*. Tabien, *verbo iuspatronatus. quæst.* 5. Rochus *verbo ipse, vel is, quæst.* 6. Cardin. Decius, quos refert, ac sequitur dicens communem Couarr. 2. *ver. cap.* 18. *n.* 7. Spino *d. gloss.* 4. *n.* 50. 56. quod tamen limitandum est, vt *infrà corollario* 5.

4 Secundò infertur, quòd si filius sit exhæredatus, non succedet in iurepatronatus. Sic Lamb. *dicta q.* 2. *art.* 21.

5 Tertiò infertur, quòd si filius sit melioratus in tertio, & quinto bonorum, si acceptet meliorationem, & repudiet hæreditatem, non succedet in iurepatronatus, quia talis non est hæres; quia melioratio prælegatum, non institutio est, vt ex multis probat Matienzo *lib.* 5. *recop. tit.* 6. *l.* 5. *glos.* 4 *n.* 2. Couerr. 2. *variar. cap.* 2. *n.* 2. Sic Spino *ea glossa* 4. *n.* 54. Quod limita, vt in sequenti corollario.

6 Quartò infertur, quòd extraneo vniuersali hærede instituto ad eum pertinet iuspatronatus, non ad filium, etiá in re certa institutum. Sic contra Feder. & Anchar. citatos per Couarr. tenent Card. Francus, Guillelmus Benedictus, quos refert. ac sequitur dicens communem Cou. 2. *var. cap.* 18. *n.* 7. & latissimè Lamb. *d. quæst.* 2. *art.* 16. Syluest. Angel. Tabiena *supra*.

7 Limita primum, tertium, & hoc corollarium, nisi institueretur in re certa, quæ est vniuersitas, vt in villa, in qua est patronatus, nam tunc cum illa transiret. Lambert. *cap.* 2. *art.* 16.

8 Quintò infertur, quòd etiamsi filius hæres instituatur in re certa pro sua legitima, aut simpliciter in legitima, instituto alio hærede vniuersali non pertinebit ad filium iuspatronatus, sed ad hæredem vniuersalem. Couar. alios referens 2. *variar. cap.* 18. *n.* 9. limita, vt corollarium præcedens.

9 Sextò infertur, quòd iuspatronatus delatum Sempronio, & eius filiis ex prima institutione, non aliter filius Sempronij competit, quàm si ipsius hæredes sint, quia in re, quæ propria natura ad hæredes extraneos transit, stipulatio, aut conuentio facta in fauorem paciscentis, & eius filiorum, intelligitur, si filij hæredes sint: & filij vocantur vt hæredes, vt docent glossa, Bart. & communis *l. si tibi. § si pactus. ff. de pactis*. Sic contra Anchar. tenet Decius, quem refert, ac sequitur Couar. *dicto cap.* 18. *num.* 17. Lamb. *d. quæst.* 2. *art.* 17. *ad finem*. Spino *dicta glossa* 4. *n.* 52. & communis.

10 An verò conditio, vt ad hæredes sanguinis, vel tantùm ad primogenitum transeat iuspatronatus, valeat, habes *supra dub.* 91.

11 Septimò infertur, quòd si filij adoptiui, vel arrogati sint hæredes patris ex testamento, vel ab intestato, succedunt in iurepatronatus, cùm etiam hæres extraneus posit in illo succedere: secus verò non succedunt. Sic Lamb. *ibi art.* 14.

12 Secundò dico, quòd si testator instituit tribus hæredibus vni eorum iusserit propriis ipsius hæredis impensis Ecclesiam construere, eáque fuerit consensu Episcopi constructa, mortuo testatore, iuspatronatus acquiritur omnibus testatoris hæredibus; quia cùm hæres nomine testatoris, & iussu Ecclesiam construxerit, eius hæreditati censebitur acquisitum, *l. hia consequenter, § 1. vers. sed. & cum monumentum. ff. famil. herciscund.* Sic contra Rochum tenet Lamb. Mantua, Bald. quos refert, & sequitur Couar. 2. *variar. cap.* 18. *fine*.

13 Tertiò dico. Si testator disponat iuspatronatus spectare ad filios suos, & descendentes, si eueniat casus, quo filij non habent descendentes, sed obeunt relicto hærede collaterali, vel extraneo, licèt alij aliter dicant, at verius est succedere talem hæredem; quia mens testatoris non fuit, vt deficientibus descendentibus remaneret Ecclesia libera, sed ad hunc effectum, vt extantibus descendentibus, alij non succedãt, at illis deficientibus reducatur res ad ius commune, iuxta quod succedunt omnes hæredes, etiam extranei. Sic Lamb. *d. quæst.* 2. *art.* 5. vbi cum Anch. dicit idem, licèt dubius, quando testator vocasset ad iuspatronatus eius filios, & descendentes, & Petrum extraneum.

14 Quartò dico, quando habens iuspatronatus de illo non disposuit; & nullus mansit hæres patroni, nec ex testamento, nec ab intestato, manet Ecclesia libera. Quod si dicas fiscum tunc esse hæredem ab intestato, & licèt sit extraneus, iuspatronatus etiam transit ad hæredes extraneos. Respondetur id esse verum, quando hæres extraneus succedit ex voluntate, & affectione testatoris; at fiscus non succedit sic, sed in defectu hæredis. Sic Lambert. *d. quæst.* 2. *art.* 40. & refert Panorm. *cap.* 1. *de elect.* & alios.

15 Quintò dico, quòd hæredes patroni succedunt in iurepatronus defuncti, licèt sint alij compatroni, v. g. tres dotarunt Ecclesiam, vel hæreditaria successione acquisierunt iuspatronatus, si aliquis ipsorum obeat eius hæredes succedunt in illo iurepatronatus defuncti vnà cum aliis compatronis. Sic contra Firmianum tenet Lambert. *d. quæst.* 2. *art.* 33.

16 Sextò dico. Si ad iuspatronatus sit vocatus senior ex parentela, & obeat senior, qui id possidebat, non succedet filius, si sit alius senior in patentela. Sic Lamb. *ea quæst.* 2. *art.* 33.

17 An verò successor maioratus succedat in patronatu possessio



possessò à maioratus possessore, consule Molinam *lib.* 1. *de primog. cap.* 24. *a num.* 27.

18 An verò in successione patronatus sit locus repræsentationi, v. g. an si patet meus, qui succedebat in patronatu, præmotiatur possessori patronatus, succedam ego, vt contingit in maioratu, quasi repræsentans meum patrem, vel succedat patruus meus, scilicet frater patris mei, qui est proximior possessori, quàm ego, consule Couarr. *pract. cap.* 38. *num.* 13. Spino *speculo testam. gloss.* 4. *num.* 56. 57. vbi alios refert, Molinam *lib.* 3. *de primogen. c.* 8. *num.* 9. Perez *lib.* 1 *ordinam. tit.* 6. *l.* 1. Et an præferendus sit filius minor soror maiori, vide Perez *lib.* 5. *ordinam. tit.* 2. *fol.* 115. *pag.* 1. *fine*.

19 Tandem, si ingrediatur patronus monasterium capax succedendi, dicit Lambert. *d. q.* 2. *art.* 25. transire in monasterium iuspatronatus, dum viuit patronus; quia habetur loco filij, & succedit in omni iure Monachi, *cap. in præsentia de probat*. At Perez *lib.* 1. *ordin. tit.* 6. *l.* 1. *fol.* 145. dicit hoc esse certum, quando transfertur in monasterium vniuersitatis, vt villa, hæreditas, &c. cui ius patronatus adhæret; secus quando non adhæret vniuersitati, sed est personalè: tunc enim extincta persona etiam ciuiliter per professionem, censetur transire in nominatum verè, non autem in nominatum per fictionem, quale est monasterium, vt etiam docent Bellamera & Rebuffus, quos refert, ac sequitur Tiraquel. *de primog. quæst.* 3. *num.* 11. vide quæ de hac re latè dixi *lib.* 7. *summ. cap.* 14. *n.* 1. *vsque ad* 13.

## DVBIVM XCIV.

*An iuspatronatus transeat in fidei commissarium, cui hæreditas restituitur, vel maneat apud hæredem directum.*

1 QVidam dicunt transire in fidei commissarium. Sic Roman. quem refert Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 14. *num.* 6. & eum sequitur latissimè probans *à num.* 10. per plures, & P. Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 187. *fine*. Nec abhorrent Couar. 2. *var. cap.* 28. *n.* 9. licèt enim sequatur contrariam sententiam, at dicit satis de hac re posse controuerti, & saris probabile est.

2 At communior, & probabilior sententia tenet non transire, sed remanere apud hæredem directum. Ratio est, ex præsumpta testatoris voluntate, ex qua apud primum hæredem manet directum, & honorificum hæredis nomen, quo ipsum testator donauit, & ideò iura ad honorem potius, quàm ad pecuniarum commodum pertinentia, & quæ verum hæredis nomen præmittunt, non sunt fidei commissario tradenda. Sic Barthol. Alexand. Barbat. Carolus Molinæus, quos refert, & sequitur, dicens communem, Couar. *cap. Raynutius, de testam. §.* 9. *n.* 8. *& lib.* 2. *var. cap.* 18. *num.* 8. Beroius *cap.* 1. *de iurepatr. n.* 15. Padilla *C. de fideicommiss. in rub. n.* 25. Iasou. Decius, Guillel. Benedictus, Paulus de Citadinis, quos refert Molina *d. cap.* 24. *num.* 6. Greg. Lopez *part.* 6. *tit.* 5. *l.* 12. *vers. de limaje*, Rochus *de iurepatr. verbo ipse, vel is, q.* 9 Lamb. *eod. tract. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 35. Perez *lib.* 2. *ordinam. tit.* 6. *l.* 1. *fol.* 139. Anton. Gomez 1. *variar. cap.* 5. *num.* 29. A costa *cap. si pater de test. am. in* 6. *p.* 2. *verbo Trebellianica, n.* 4.

## DVBIVM XCV.

*An in diuisione hæreditatis possit iudex vni ex hæredibus applicare iuspatronatus.*

1 ANchar. *c. querimoniam, de iure* tenet posse, quia est vtilius Ecclesiæ habere vnum, quàm plures patronos.

2 At contrarium est dicendum, quia est annexum toti hæreditati. Sic Ioan. And. & Panorm. *d. c. querimoniam*. Hostiens. Rochus, quos refert, ac sequitur Perez *lib.* 1. *ordinam. tit.* 6. *l.* 1. *fol.* 140. Greg. Lopez *l.* 12. *vers. partir. tit.* 15. *part.* 1. Lambert. *de iurepatr. lib.* 1. *part.* 2. *quæst.* 2. *art.* 37. Syluest. *verbo iuspatronatus, quæst.* 4. *dict.* 5. Armill. *ibi n.* 6. Angel. *num.* 8. Tabien. *quæst.* 7.

3 Limita, nisi villa, vel alia vniuersitas adiudicaretur vni in diuisione, cui est annexum iuspatronatus, transit enim cum illa. Sic Lambert. Perez, Greg. Lopez *ibi*.

4 Nota tamen, quòd non debet æstimari iuspatronatus, vt hac ratione plus alij adiudicetur hæredi; esset enim simonia, Sic Perez, Greg. Lopez, Lambert. Armil. Syluest. Angelus, Tabiena *ibi*.

## DVBIVM XCVI.

*An possit iuspatronatus transferri titulo habili in eos, qui ex fundatione nõ possunt acquirere iuspatronatus, vt in hæreticos, &c. de quibus suprà dictum est, vt donatione, hæreditaria successione, venditione vniuersitatis.*

REspondetur, quòd, vt *ibi* dixi, ex iis quidam prohibentur in totum, vt hæretici, &c. Quidam tantùm quoad exercitium durante eo impedimento, vt excommunicati. Omnes ergo ij, qui prohibentur in totum acquirere iuspatronatus ex fundatione, non possunt acquirere ex successione, & aliis titulis habilibus; quia maior ratio est, vt ex fundatione acquirerent; quique tantùm prohibentur quoad exercitium, similiter succedent in iurepatronatus, at non habebunt exercitium, donec cesset impedimentum. Sic Lambert. *de iurepatron. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 38.

## DVBIVM XCVII.

*An succedant in iurepatronatus filij illegitimi, & quid de legitimatis.*

1 PRimò dico, quòd si sint hæredes habentis iuspatronatus, succedunt in eo filij illegitimi, etiam spurij, quia etiam hæredes extranei succedunt. Sic Gregor. Lopez *l.* 8. *vers. Fijos, tit.* 15. *p.* 1. Lambert. cum aliis, *de iurepatr. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 26.

2 Hinc fit attendendum esse, an sint hæredes: de qua re latè dicam *infrà lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 8 *& sequentibus, de illegitimis*; & in casu, quo sunt hæredes, succedent in iurepatronatus; aliàs non. Sic Lambert. *ibi*.

3 Secundò infertur, quòd cùm filij naturales, deficientibus descendentibus, & ascendentibus legitimis, sint hæredes ab intestato patris in duabus vnciis, vt dicam *loco citato*, succedent cum aliis hæredibus patris ab intestato in iurepatronatus. Ratio, quia (vt dicemus *infrà*) ita est patronus, qui est hæres in vna parte parua, ficut qui in magna, nec dicuntur hi instituti in re certa, sed in incerta. Sic Lambert. *ibi*.

4 Nota, quòd si ex fundatione tantùm vocentur ad iuspatronatus consanguinei, vel qui sunt de parentela, non succedent illegitimi; quia non sunt propriè consanguinei, nec de parentela; vt concludunt Anton. *cap. per venerabilem, qui filij sint legit.* & Alex. *l. ex facto, § si quis rogatus, in fine. ff. ad Trebell.* Sic Lambert. *d. q.* 2. *art.* 27. Rochus *de iurepatr. verbo competens, q.* 2. Perez *lib.* 1. *ordin. tit.* 6. *l.* 1. *fol.* 141.

5 Secundò dico, quòd legitimi nati ex illegitimis, cùm possint institui hæredes ab auo, possunt ex testamento succedere in iurepatronatus aui: & quando non sunt hæredes, non succedẽt. Lamb. plures referẽs *art.* 32.

6 Tertiò dico, quòd illegitimus, legitimatus per subsequens matrimonium succedit in iurepatronatus; quia quoad omnia est legitimus. Perez multos referẽs *d. f.* 141.

7 Quartò dico. Legitimatus à Papa in illis casibus succedit in iurepatronatus, in quibus succedit in hæreditate; secus non, nisi expressè legitimaretur, vt succedat in iurepatronatus: & adhuc tunc non est certum posse in eo succedere. Lambert. *ea quæst.* 2. *art.* 18.

8 Quintò dico. Legitimatus à Principe sæculari quoad successionem hæreditariam, secundùm aliquos non succedit in iurepatronatus, quia est hæc successio in iure spirituali; nisi iuspatronatus in consequentiam hæreditatis veniret, vt quia in hæreditate applicatur villa, cui est annexum iuspatronatus. Sic Perez *d. l.* 1. *fol.* 142. At melius Lambertin. *d. quæst.* 2. *art.* 29. re latè discussa tenet succedere. Ratio, quia iure canonico statutum est transmitti ad hæredes; ergo si Princeps sæcularis, prout

Universidad de Deusto
Biblioteca



poterit, facit illegitimum capacem hæreditariæ successionis, in consequentiam succedit in iurepatronatus.

9 Vltimò dico. Si illegitimus, qui non est spurius, offeratur Curiæ Principis sæcularis, vel profiteatur in Religione, succedet in iure patronatus; quia per hoc legitimatur quoad successionem hæreditariam. Sic Lambertin. *d. quæst. 2. art. 30. 31.* At hoc est valde dubium, quia est valde dubium, quòd per hoc legitimetur, quoad successionem hæreditariam, vt dicam *infra lib. 4. cap. 3. dubio vltimò, de illegit.*

## DVBIVM XCVIII.

*Quando titulo habili, vt donatione, vel quia plures sunt hæredes vnius patroni, iuspatronatus transfertur in plures quo pacto illi plures sint patroni, scilicet an omnes habeant vnam vocem, vel plures.*

1 SIt prima conclusio. Omnes sunt patroni in solidum; quia cùm iuspatronatus sit quid spirituale, ac indiuiduum, non potest diuidi inter plures, sed omnes sunt patroni in solidum. Sic Spino *speculo testament. gloss. 4. num. 50. 60.* Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. par. 2. q. 1. art. 23.* vbi alios refert. Sylvest. *verbo iuspatronatus, q. 4. dicto 1.* & omnes.

2 Secunda conclusio. Licèt omnes hi dicantur patroni in solidum, at omnes habent tantum ius, quantum habebat defunctus, vel is, cui successerunt in iurepatronatus, v. g. si sint duo patroni, Petrus, & Paulus. & viginti succedant Petro in patronatu, Paulo verò vnus, illi viginti habebunt tantùm vnam vocem, sicut Petrus, cui successerunt, & æqualis erit ipsorum voci vox vnius, qui successit Paulo: & sic licèt iuspatronatus sit indiuiduum, quoad substantiam, est tamen indiuisibile quoad ius præsentandi. Patet ex *Clem. plures, de iurepatr.* & docet *ibi* Cardin Spino, & Sylvest. *supra*, Lambert. *d. quæst. 1. art. 25. num. 15.*

3 Hinc infertur iuspatronatus competere hæredibus in stirpes, & non in capita: & sic plures hæredes vnius tantùm vocem habent. Sic expressè definitur *dicta Clem. plures.* Et ratio est, quia succedunt in iure defuncti, & omnes hæredes eius personam repræsentant: ergo sicut defunctus vnam tantum vocem habebat, ita eius hæredes, & ita docent omnes.

4 Nota quòd Cardin. *dicta Clem. plures*, dicit hoc non procedere in collateralibus succedentibus defuncto, sed tantùm in descendentibus. Sed contrarium est tenendum, quia *Clement. plures*, loquitur generaliter, & est eadem ratio. Sic Perez *lib. 1. ordin. tit. 6. l. 1. fol. 141.* Rochus *de iurepatr. verbo ipse, vel is, quæst. 2. num. 3.* Spino *dict. gloss. 4. num. 61.* Lambert. *d. quæst. 1. art. 25. num. 31. & art. 26.* Gregor. Lopez *leg. 8. tit. 15. part. 1. versic. Por heredamiento.*

5 Secundò nota idem procedere in plutibus successoribus ab intestato, eadem ratione. Sic Anchar. Immola, & omnes *d. Clem plures*, vt refert, & sequitur Perez *dict. fol. 141.* Rochus *verb. ipse vel is, quæst. 2. num. 5* Lambert. *d. art. 15. num. 31. 32.*

6 Tertiò nota idem dicendum esse, si res ad plures veniret donatione, vel venditione, & in consequentiam ius patronatus, vt si plures emerent villam, cui est annexum iuspatronatus. Sic glossa *d. Clement. plures, versf. relicti*, Card. Immola, *ibi* Rochus, & Perez, *vbi in secundo notabili.* Lambert. *d. q. 1. art. 24. num. 18. & art. 25. num. 31.*

7 Tertia conclusio. Licèt hæredes instituantur inæqualiter, æquè succedent in iurepatronatus, v. g. si quis plures instituit hæredes vniuersales: at inæqualiter, vt vnum in tertia parte hæreditatis, alium in duabus tertiis partibus hæreditaris: vel donauit, seu legauit tertiam partem iurispatronatus, quod ipse habebat, alteri verò alias duas tertias partes; vel vni vendidit tertiam partem villæ, in qua est iuspatronatus, alteri verò duas partes dictæ villæ: at omnes hi, siue hæredes, siue donatarij, siue emptores, succedent æqualiter in iurepatronatus quoad præsentationem, licèt inæqualiter in eos facta sit translatio. Sic Gregor. Lopez *pert. 1. tit. 15. l. 12. versf. mas todos.* Sylvest. *verbo iuspatronatus, quæst. 4. dicto 1.* Tabien. *ibi, quæst. 5* glossa *cap. 1. de iurepatr. versf. diuidi. & c. pia mentis 16. q. 7.* & *ibi* Archid. Hostiens. Goffred. Ioan. Andr. Cardin. Panorm. & multi alij, quos refert, & sequitur Lamb. *de iurepatr. lib. 1. p. 2. quæst. 1. art. 24.* vbi latissimè id probat. Et *n. 16.* idem dicit, quando testator, vel donator dixit in donatione, vel legato, Tibi dono, vel lego tertiam partem iurispatronatus, & Titio duas alias tertias partes.

8 Nota tamen, quòd hic, qui in maiori parte institutus est, habet vocem pinguiorem, non quòd habeat duas voces, sed quia existenti æquali numero patronorum, debet præferri præsentatus ab hoc, qui institutus est in duabus partibus, sicut *suprà dub. 48.* diximus de inæqualiter fundantibus. Sic Lambert. *ibi num. 13.* cum aliis, quos *ibi* refert. Innocent. *cap. 1. de iurepatr.* Sylvest. *verb. iuspatronatus, quæst. 4. dicto 1.*

9 Quarta conclusio. Si vnus est hæres duorum, duas habebit voces, vt vult glossa *Clement. plures de iurepatr.* & *ibi* omnes, vt refert simul cum Panorm. ac sequitur Lambert. *de iurepatr. lib. 1. q. 1. p 2. art. 25. num. 27. & art. 29* dicit, quod si vnus est patronus cum aliis, & aliquis illorum constituit ipsum hæredem, habebit duas voces. Idem Rochus *de iurepatron. verbo ipse vel is, quæst. 4.* Imola *d. Clem. plures*, & refert Paulum de Eleazar, Laur. & Lapum.

10 Vltima conclusio. Si aliquis legat iuspatronatus; vel aliter tranfert aliquibus sub nomine collectiuo, & alteri singulari personæ, tantum ius habebit illa singularis persona, ac totum Collegium: secus quando ex verbis testatoris colligitur, mentem eius fuisse, vt omnes illi succedant non per stirpes, sed per capita: vt quando vtitur verbo distributiuo, vt si dicat lego, vel transfero hoc iuspatronatus in quinque de mea familia, nominando eos sigillatim proprio nomine, omnes succedunt in capita. Sic Lambert. *lib. 1. part. 2 q 1. art. 28.* vbi alios refert. Rochus *verbo ipse, vel is, quæst. 3.*

## DVBIVM XCIX.

*Quando plures sunt hæredes, vel alio modo succedunt in iurepatronatus vnius, quomodo computetur vox illorum, scilicet an requiratur, vt faciant vocem, vt omnes concordent in præsentatione.*

1 STephanus relatus à Lamb *vbi infrà*, dicit id requiri, & vnius hæredũ dissentia inficere præsentationem.

2 At dicendum est, quòd maior pars hæredum, vel successorum habet integram vocem illius, cui succedere: & minor pars in nulla prorsus est consideratione iure absolutionis, id est, velut absorpta à maiori parte. Vnde fit, quòd si sint duo patroni, & alter illorum transferat successionem, vel alio modo iuspatronatus in decem, ut sex ex illis decem, qui faciunt maiorem partem, præsentent Petrum, & quatuor vnà cum alio patrono præsentet Paulum, erit locus, vt Episcopus eligat, quem maluerit; hi enim præsentati ab æquali numero patronorum; quia maior illa pars ex illis decem habet vicem vnius patroni, & ita absorbet minorem partem, vt in nulla sit consideratione. Sic Rochus *de iurepatr. verbo ipse, vel is, q. 2.* Lupus, & Cardin. quos refert, & sequitur Lamb. *de iurepatr. lib. 1. p. 2. q. 1 art. 25. n. 20. 21. 22. & n. 21. & 30.* dicit cum Card. quòd hæc maior pars intelligitur simpliciter, vt si sunt decem hæredes sex: non autem partium comparatione minorum, quia cùm vox sit vnica, oportet illam esse apud omnes, vel apud maiorem partem ipsorum; & si non concurrit maior pars, in nulla sunt consideratione suffragia, licèt (vt *infra* dicemus) quando plures sunt patroni totius iurispatronatus, sat est maior pars respectu minorum: idem Rochus *verbo ipse, vel is, quæst. 2.*

DVBIVM



## DVBIVM C.

*An quando sunt plures patroni totius iurispatronatus, vt si plures fundarunt, &c. requiratur, vt omnes concordent, vel sit eligendus præsentatus à maiori parte.*

1 PRimò dico non requiri, vt omnes concordent, sed debet eligi præsentatus à maiori parte. Patet ex *c. 3. de iurepatron.* quia licèt videatur copulatiuè requirere, quòd dignior sit, & à maiori parte præsentatus: at glossa *ibi versf. qui maioribus*, dicit sat esse, si sit idoneus, & à maiori parte præsentetur. Idem *ibi* Cardin. Ioan. Andr. idem Firmianus, Paulus de Citadinis, & omnes, vt refert, & sequitur Lamb. *lib. 2. pard. 3 quæst. 4. art. 1.* Spino *speculo test. glossa 4. n. 88.* Sylvest. *verbo iuspatronatus, quæst. 12.* & omnes Doctores citandi pro sequenti conclusione.

2 Secundò dico. Quando hi plures patroni præsentant vt singuli, sat est, vt sit maior pars respectu minorum, vt si sint septem patroni, & tres præsentent Paulum, & duo Petrum, & duo Martinum, Paulus est eligendus, quia licèt non habeat maiorem partem simpliciter, habet tamè maiorem respectu aliorum. Si verò præsentatio fiat ab illis vt à Collegio, requiritur absolutè maior pars totius Collegij. Et idem est dicendum, quoties aliqui habent explicare aliquem actum; nam si vt singuli, sat est maior pars respectu minorum: si verò vt vniuersitas, seu Collegium, requiritur maior pars absolutè. Sic Ioann. Andr. *cap. 3. de iurepatron.* Cardin. & Panorm. *ibi.* & multi alij quos refert, ac sequitur Lamb. *de iurepatron. lib. 2. part. 3 q. 4. art. 2.* Spino *dicto n. 88.* Frlin. *cap. cum omnes, de constitut. n. 20.* Boërius *decis. 121.* Sylu. *verbo ius patronatus, quæst. 13.* Angel. *n. 20.* Tab. *quæst. 28.* Greg. Lopez *l. 10. tit. 15. part. 1. versf. los mas.*

3 Intellige requiri maiorem partem Collegij, scilicet assistentium, modò saltem duæ partes assistant, quia ad Collegium, vel vniuersitatem constituendam sat est interuenire duas partes vniuersitatis, vel Collegij. Sic Panorm. *cap. Ecclesia vestra, circa finem, de elect. & cap. cum omnes, de constit.* vbi dicit esse commune. Spino *dicto n. 88.* Rochus *de iurepatron. verbo honorificum, quæst. 58.* de quo consule Lambert. *de iurepatron. lib. 2. parte 2. quæst. 2. artic. 19.*

4 Hinc fit quòd cessante iure speciali non valet electio Rectoris facta per scholares, nisi maior pars absolutè eligat. Ratio, quia eligunt vt Collegium, non vt singuli; argumento *c. cum pro causa, de procurat.* & per Innocent. *cap. cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin.* & per Bartol. *l. fin. ff. de colleg. illic.* Sic Panorm. *cap. 3. de iure patron. n. 13.*

5 Quando verò ius patronatus, vel electio competit parochianis alicuius Ecclesiæ, non competit illis vt vniuersis, sed vt singulis; quia parochiani non faciunt Collegium, nec reperitur in iure tale Collegium. Sic Panorm. *consil. 76. volum. 2.* Calder. *consil. 9 de iure patron.* Picus *l. Titia, §. Titia, quæst. 31. ff. de legat. 2.* Spino *speculo testament. glossa 4. num. 88.*

6 In dubio autem non debentur patroni præsentare vt Collegium, sed vt singuli. Sic Felin. *cap. cum omnes, de constit. num. 29.*

7 Tertiò dico. Præferendus est præsentatus à maiori parte, modò dignus sit, præsentato digniori à maiori parte, vt dixi *suprà hoc secundo libro, c. 1. dub. 6. de accept. person.*

8 Quartò dico. Si maior pars præsentat indignum, si scienter, vel non scienter, at non præsentarunt alium infra tempus datum ad præsentandum, cùm non teneat illa præsentatio, & sit, ac si facta non fuisset, valebit præsentatio digni facta à minori parte, etiamsi ab vno fiat: nec fit deuolutio ad Episcopum stante illa compatronorum præsentatione. Sic Lamb. *de iurepatronatus, lib. 2. part. 3. quæst. 4. art. 5. & quæst. 5. art. 20.* vbi addit quòd si maior pars præsentet indignum, & duæ partes æquales duos dignos, dabitur optio Episcopo, cùm præsentatio indigni non valeat.

9 Quintò dico. Sat est, præsentet maior pars, licèt non sit sanior. Sic Rochus *de iurepatr. verbo honorificum, quæst. 59.* Lamb. *d. q. 4. art. 6.* Panorm. & Cardin. *cap. 3. de iurepatron.* Limitant Rochus, & Lamb. nisi præsentatio facienda sit à Collegio, vel vniuersitate: tunc enim de sanioritate curatur, declarãdo, & intelligendo in quo consistat hæc sanioritas, vt declarant Panorm. & Ioan. Andr. *cap. Ecclesia vestra, de elect.* Et addunt Rochus, & Lamb. cum Panorm. vbi est pluralitas vocum, præsumi sanioritatem. Vide dicenda *infrà dub. 102.*

10 An verò quando Religiosus præsentatur, sat sit vt à maiori parte præsentetur; vel si opus sit, vt ab omnibus, vide Lamb. *de iurepatron. lib. 2. part. 1. quæst. 7. art. 20.* Et an patronus se ipsum vnà cum aliis patronis præsentans augeat numerum, habes *suprà dub. 74.* & quando plures patroni succedunt vni, qualiter accipienda sit maior pars, dixi *dubio præcedenti.*

11 Tandem limitandum est, quod diximus, nempe præsentatum à maiori parte esse instituendum, nisi immineret scandalum, quia ob hoc vitandum, non est instituendus præsentatus à maiori parte, vt est textus expressus *cap. de iurepatron.* Sic Lamb. alios referens *d. quæst. 4. art. 8.* Quale verò scandalum sit tale, consule Lamb. *de iure patron. lib. 2. part. 2. quæst. 1. art. 19. & vltima.*

## DVBIVM CI.

*An cùm patroni diuidunt vota sua æqualiter, v. g. duo patroni præsentant vnum, & duo alium, quis horum sit instituendus.*

1 ALiqui dicunt de rigore iuris posse attentari, neutrum teneri Episcopum instituere, sed posse instituere extraneum, quia *cap. 3. de iure patronat.* dicitur præsentatum à maiori parte esse instituendum, & patronis discordantibus posse Episcopum ordinare Ecclesiam, & sic instituere extraneum: at in hoc casu patroni discordant, cùm neutrum eligat maior pars: ergo. Sic Panorm. Cald. & Calder. *cap. cum autem, de iure patron.* & Sylu. *verbo iuspatronatus, quæst. 8. dicto 4.*

2 At dicendum est nullo modo posse, sed teneri instituere vnum ex illis, & Episcopo datur optio, vt eligat quem maluerit; quia cùm omnes patroni sint patroni in solidum, omnes sunt, ac vnus patronus: ergo cùm diuidunt æqualiter vota, est ac si vnus patronus successiuè præsentaret duos, variando: in quo casu (vt *suprà* dixi) datur Episcopo optio. Sic multi, quos refert, ac sequitur Lamb *de iurepatron. lib. 2. part. 3. quæst. 5. art. 1.* Ioan. Andr. & communis *d. cap. cum autem*, Angelus *verbo iuspatronatus, n. 22.* Armill. *n. 10.* Tabien. *quæst. 20.* Gregor. Lopez *l. 10. tit. 15 part. 1.*

3 Nota, quòd Gregor. Lopez *ea l. 10. versf. Escojencia*, dicit priùs Episcopum debere monere patronos, vt concordẽt; & probat ex *cap. si duo, 79. dist.* quòd nil prorsus probat; & ex Host. summa *tit de iurepatron. n. 8. versf. quid iuris*, vbi Host. tantùm dicit posse Episcopum monere eos, vt concordent; at non dicit ad id teneri: nec cæteri Doctores hoc petunt, sed absolutè dicunt dari Episcopo optionem, & sic est dicendum.

4 Secundò limita hanc sententiam, nisi alter præsentatus ab æquali numero patronorum sit de sanguine fundatoris: is enim est præferendus, vt dixi *suprà de accept. pers. dub. 11.*

5 Tertiò limita, quando patroni sunt omnino æquales: nam si alter plus contulit ad fundationem, vel successit in maiore hæreditatis, vel villæ parte, cui est annexum ius patronatus, præsentatus ab illo est præferendus, vt dixi *dub. præcedenti.*

6 Quartò limita, quando ambo præsentati sunt æqualis meriti: nam si alter esset dignior, non daretur optio Episcopo, sed illum tenetur instituere. Sic Rochus *de iure patronat. verbo honorificum, quæst. 15.* Lambert. *lib. 2. part. 3. quæst. 5. art. 1. n. 5.* & refert multos Hostiens. *d. n. 8.* Subdit tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca



tamen Lamb. *art.* 2. cum Decio *cons.* 129. quòd si de facto minus dignus præsentatus ab æquali numero patronorum instituatur, peccabit instituens, ac tenebit institutio.

7 Hæc autem maior, vel minor dignitas qualiter consideranda sit, latè dixi *supra, vbi de accept. person.* & latè tractat Lamb. *ea quæst.* 5. *ab art.* 3. per plures, vbi, si pauperi dines, indocto doctus, ignobili nobilis, Theologo Iurisperitus, iuueni senior præferendus sit.

## DVBIVM CII.

*An quando vota præsentantium sunt æqualia, sint attendendæ ipsorum patronorum præsentantium qualitates, vt quòd aliqui ipsorum sint clerici, alij laici; alij masculi, alij fœminæ, &c.*

1 ET quòd sint attendendæ, vt sic illa pars, in qua digniores patroni sunt, prævaleat, videtur tenere Hostiens. *cap.* 1. *de iure patron.* quem *ibi* refert ac sequitur *paulo ante finem*, Ioan. Andreas. Idem Innocent. quem refert, ac sequitur Sylvest. *verbo ius patronatus, quæst.* 13. *fine.* Pro eadem sunt alij dicentes, quòd æquali numero patronorum præsentante præfertur præsentatus à masculis tanquam à dignioribus. Hi sunt Felin. *cap. quoniam, de testibus.* Aretinus, Thomas Grammaticus, quos refert, ac sequitur Spino *speculo testament. gloss.* 4. *n.* 48. Bald. *l.* 1 *ff. de senator.* Barthol. Bencellinus, Aretinus, Corsetus, Florianus, quos refert Lamb. *de iure patron. lib.* 2. *p.* 3. *quæst.* 5. *art.* 19.

2 At dicendum est non esse in consideratione has qualitates patronorum (nisi quando alter plus contulit, vel successit in maiori parte hæreditatis, vel villæ, de quo dixi *supra dub.* 98. quia *cap. quoniam, de iure patronat.* tantùm ponderatur numerus patronorum, & qualitas præsentati. Nec obstat *cap. dudum, de elect.* quia habet locum in electione, in qua seruatur forma *cap. quia propter, de elect.* Sic Lamb. re latè disputata *dicta quæst.* 5. *art.* 17. & 18. & 19. Stephanus *cap. finali, de elect. n.* 6. Rochus *de iure patronatus, verbo honorificum, quæst.* 59. Vnde inferunt Rochus *ibi*, & Lamb. *eo art.* 10. præsentatum à masculis non esse præferendum præsentato à fœmina, quia qualitas patroni non est in consideratione: nisi (inquit Lamb.) dicamus priorem sententiam esse veram in duobus hæredibus, altero masculo, & altero fœmina, iurispatronatus ab vno patrono descendentibus, tunc enim debet præferri vox masculi tanquam dignioris: secus quando masculus, & fœmina essent patroni æquè principaliter ex diuersis viis, & *ibi* constituit rationem differentiæ.

3 Limita tamen sententiam, nisi patroni præsentent vt Collegium; quia tunc attendentur hæ qualitates præsentantium. Sic Lamb. *art.* 18. & dixi *supra dub.* 100. *dicto* 5. ex ipso Lamb. & Rocho.

## DVBIVM CIII.

*An patroni ad præsentandum necessariò debeant conuenire, seu constituere in vnum locum, & sic omnes vocari: an sat sit, vt quilibet seorsum, & per se præsentet, & sic non sit necessarium eos vocari.*

1 HAc in re conuenit inter omnes Doctores citandos, & alios, quòd si præsentent vt Collegium, seu vniuersitas, debent simul conueniri, & omnes citari, & contemptus vnius faciet cassari præsentationem: & idem dicit Felinus *vbi infra*, de pluribus exequutoribus testamenti, & patet ex *cap. quod sicut, & cap. bonæ, el.* 2. *de elect.*

2 At tota difficultas est quando præsentant vt singuli, Duplex est sententia.

Prima ait esse omnes vocandos, vt confluant ad eundem locum; quia si minor pars fuisset præsens, fortè inclinaret maiorem partem ad aliam præsentationem. Item, quia cùm agatur de præiudicio minoris partis, cui maior pars potest præiudicare, oportet omnes citari, ac simul interesse. Pro qua sententia vehementer vrget *l. & suum ff. de pactis, fine*, & *ibi* Crotus dicit hanc esse communem sententiam. Et hanc tenent Panormit. *cap. cum omnes, de constitut. & cap.* 3. *de iure patron. n.* 14. & Felin. *d. cap. cum omnes, n.* 29. Bartol. *l. omnes populi, ff. de iustit. & iure*, Bencellinus, quem refert, ac sequitur Rochus *de iure patron. verb. honorificum, quæst.* 60. *n.* 94. Sylvest. *verbo ius patronatus. q.* 11. Armill. *ibi n.* 10. Tabien. *quæst.* 19. Angel. *n.* 21. Iason, & Alexand. *d. l. & suum*, & idem dicit Felin. *de exequutoribus testamenti.*

3 Secunda sententia probabilior ait posse quemlibet seorsum alio non vocato præsentare: & remanebit alij compatrono ius suum illæsum præsentandi eundem, vel alium: & facit *l. per fundum ff. de seruit. rustic. præd.* Sic tenent Decius, Lapus, & Aimon, quos refert, ac sequitur Spino *speculo testam. gloss.* 4. *n.* 89. Anton. *cap. cum omnes, de constitut. n.* 24. *& cap.* 3. *de iure patron.* Panorm. *consil.* 76. *volum.* 2. & dicit quòd hæc opinio tanquam communis obseruaretur in practica. Federic. *cons.* 102. Calderin. *cons.* 9. *& 15. de iure patronatus.* Ancharan. *cap canonum statuta, de constit.* Bertachin. *in repertorio, verbo patronus, vers. patroni simul.* Crotus *d. l. & suum*, Paulus de Citadinis *de iure patronatus, 6. part. art.* 3. *quæst.* 29.

## SVMMARIVM.

104. *Quæ pœnæ statuta in iure sint contra simoniacos.*
105. *An simoniaci mentales incurrant pœnas contra simoniacos latas, & sic teneantur restituere.*
106. *An omnis simonia externa, & realis sit subiecta pœnis simoniæ, & obliget ad restitutionem, vel tantùm simonia realis completa ab vtraque parte.*
107. *An omnis simonia realis, seu completa subdatur pœnis, & restitutioni simoniæ, vel tantùm simoniæ in beneficio, & in ordine, & ingressu religionis.*
108. *An simonia realis, & completa, solo tamen iure Ecclesiastico vetita, subiaceat restitutioni, & pœnis simoniæ.*
109. *An quando sola voce, & instrumento profitetur quis se dare temporale pro spirituali, sit vera simonia, si peruentum sit ad traditionem rei spiritualis, & prætij, & subiaceat pœnis simoniæ, & obliget ad restituendum.*
110. *An quando datur aliquid paruum pro beneficio, sit peccatum mortale, & incurrantur pœnæ.*
111. *An iure diuino, & naturali teneantur simoniaci restituere pretium pro re spirituali accepto, & ipsam rem spiritualem resignare.*
112. *An saltem de iure Ecclesiastico teneantur recipientes pretium simoniacè pro beneficio, ordine, vel ingressu religionis, illud restituere, & dans pretium teneatur rem spiritualem, & beneficium resignare.*
113. *An tantum pretium recepium pro simonia in ordine, & beneficio, & ingressu religionis, sit necessariò restituendum: vel idem sit de præsio pro quibuscunque rebus spiritualibus recepto.*
114. *Cui sit restituendum pretium simoniacè acceptum casu quo iuxta dicta restituendum est.*
115. *Qualiter obtinens beneficium per simoniam realem ex vtraque parte completam, teneatur illud resignare, ac fructus restituere, quando scienter scilicet id acceperit.*
116. *An quando quis ignorauit simoniam, quia scilicet ipso ignorante alius dedit pretium, vt sibi conferretur beneficium, teneatur beneficium resignare, & fructus restituere.*
117. *An mediator simoniæ, per quam quis obtinet beneficium ignoranter, vel sciens simoniam, teneatur restituere fructus beneficij, si ipse beneficiarius non restituit, & cætera, quæ beneficiarius tenetur restituere, & ipsum admonere. quando laborat ignorantia simoniæ commissæ, vel quid teneatur facere.*
118. *Cui sit restituendum beneficium simoniacè acquisitum.*
119. *Cui*



119. *Cui sint restituendi fructus acquisiti ex beneficio per simoniam obtento.*
120. *Quis possit dispensare in omnibus pœnis, quæ suprà dub.* 104. *diximus contrahere simoniacum, & reualidare titulum beneficij.*
121. *An qui tenetur restituere fructus simoniacè perceptos, vel alia debita incerti domini, casu, quo illi fructus possunt restitui pauperibus, iuxta dicta suprà dub.* 119. *satisfaciat eleemosynis, quas huius obligationis, aut ignarus, aut immemor pauperibus erogauit.*
122. *An si quis existens excommunicatus, vel per simoniam obtinuit beneficium, quod spectat ad iusp atronatus, indigeat noua patroni præsentatione, quando est absolutus ab excommunicatione, vel dispensatus in illa simonia, vt obtineat beneficium.*
123. *An qui simoniacè, vel existens excommunicatus obtinuit beneficium, absolui possit, dum procurat dispensationem, seu reuelationẽ tituli, vel cogendus sit statim resignare.*

### *De restitutione, & pœnis simoniæ.*

## DVBIVM CIV.

*Quæ pœnæ statutæ iure sint contra simoniacos.*

1 VT clariùs procedam, seorsum ponam in hoc dubio pœnas contra simoniacos in beneficio, in Ordine, & in ingressu Religionis, & statim sub hoc eodem dubio generales pœnas simoniæ.

2 Prima ergo pœna simoniaci in beneficio est, quòd simoniaci in beneficio, siue publici, siue occulti sint, siue dando, siue recipiendo, siue sint principales, siue, vt illa fiat, procurauerint, aut mediatores extiterint, sunt excommunicati, excommunicatione reseruata Papæ; etiamsi Pontificali, aut Cardinalatus præfulgeant dignitate: & iubetur in virtute sanctæ obedientiæ, vt quos hanc simoniam commisisse, aut procurasse, aut in ea mediatores extitisse aliqui norint, absolui nequeant, donec reuelent Papæ, vel cui ipse commiserit. Sic habetur expressè *Extrauag.* 2. *de simonia* quæ est Pauli II. & in quadam extrauag. Martini V. quam refert D. Ant. *n.* 3. *p. tit.* 24. *cap.* 66. excommunicatio statuitur contra eos non reuelantes.

3 Circa hanc pœnam nota primò, quòd Sylvest. *verbo simonia, quæst.* 19. *pœna* 3. refert quandam Extrauag. Martini Quinti, quæ incipit, *Damnabilis*; vbi præcipit, ne ab hac excommunicatione absoluatur virtute cuiusdam indulti Apostolici concessi, vel concedendi, nisi expressè contineat facultatem absoluendi à simonia. At Felin. *cap. de simoniacè, de simon.* quem refert, ac sequitur glossa *Extrauag.* 1. *eod. titulo, initio*, dicit hanc fuisse reuocatam.

4 Secundò nota, quòd pœna ista contra non reuelantes simoniacum est derogata per non vsum, quia non est recepta. Sic Sylvest. *ibi in* 4. *pœna, & excommunicatio* 7. *excommun* 43. *n* 81. D. Anton. *vbi suprà*. Nauarr. *cap.* 27. Lat. & Hisp. *n.* 106. Couarr. *reg. peccatum*, 2. *p.* § 8. *n.* 7. Tabien. *verbo simonia, quæst.* 74. Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 56. *n.* 6. Capua *lib.* 2. *decis. cap.* 97. *n.* 2. Caiet. *verb. excommunicatio post casum* 81. *sub tit. excommunicatio potest diuersimodè incurri, initio*. Armil. *verbo excommunicatio, excommunicat.* 59. Rosel. *simonia* 6. *n.* 13. Angel. *simonia* 6. *n.* 10. Ludou. Lopez 1. *p. instruct. noui, cap.* 307. *fol.* 972. *pag.* 1. Immò nec ligauit, nisi existentes in Curia, quia valde irrationabilis esset constitutio, vt vellet pauperes ab extraneis terris adire Curiam pro declaranda simonia. Sic Sylvest. Tabien. Couarr. Nauarr. *ibi.*

5 Tertiò nota, quòd nomine beneficij intelliguntur electiones, postulationes, confirmationes, & quæuis prouisiones Ecclesiarum, monasteriorum, vt Prioratus, Guardianarus, dignitatum, & officiorum Ecclesiasticorum, quia in his tam dantes, quàm recipientes simoniacè, contrahunt dictam excommunicationem; quia licèt Prioratus, & Guardianatus non sint beneficia, quia tamen monasteriorum sunt electiones, confirmationes, seu prouisiones, & de his omnibus agit dicta extrauagans, ideo comprehenduntur. Sic Sylvest. *excommunicatio* 7. *excommunic.* 42 *n.* 80. Caiet. *verbo excommunicatio, c.* 72. Armil. *ibi excommunc.* 59. Ludou. Lopez 1. *p. instruct. noui, c.* 305. *fol.* 953. *pag.* 2.

6 Quartò nota, quòd si prædicta extrauagans 1. *de simon.* non excomunicaret expressè mediatores in simonia, illi non comprehenderentur, iuxta doctrinam communem, quæ in mater. *de excomm.* habetur; quia excommunicatio in aliquid facientes non comprehendit mediatores consulendo, &c. Item quia extrauagans prædicta extendens excommunicationem ad mediatores, significat canones, qui expressè non puniunt mediatores, non extendi ad eos. Quare ex pœnis simoniæ tantùm incurrunt hanc excommunicationem, quia in cæteris pœnis non explicantur mediatores, nec pœnæ extrauag. Pij Quinti, quæ incipit *cum primum*, contra simoniacos, esto essent receptæ, comprehendunt mediatores, quia eos non explicat. Sic Nauarr. *lib.* 5. *conf. tit. de simon. in antiquis* est *consil.* 59. *in nouis, & conf.* 98.

7 Secunda pœna simoniæ in beneficio est, quòd simoniacus in beneficio, si crimen sit notorium, & publicum, est suspensus. Probatur ex *cap. prater*, §. *verum, dist.* 32. vbi sic dicitur, *Officium simoniacorum nullo modo recipiatis, & quantum potestis, tales à sanctis ministeriis prohibeatis.* Sed hoc cap. nil probat, aliàs idem dicendum esset de simoniaco occulto, cùm non distinguat; & ita tantùm vult quòd ministetia, in quibus admiscetur simonia, non recipiantur: vel loquitur de simoniaco in ordine. Secundò probatur, quia est crimen graue: ergo si notorium sit, inducit suspensionem. Sic tenent D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 1. Innoc. *c. tanta, de simon.* Panorm. *c. accusatum, eodem tit.* Salzedo *super pract. Diaz, cap.* 91. incipienti, *simoniaci*, Villadiego *tract. de irregularit. cap. de simoniaco*, Sylu. *verbo suspensio. q.* 7. *dicto* 2. Angel. *simon.* 6. *post n.* 2. Soto *lib.* 9. *de iust. q.* 8. *art.* 1. *ad.* 1. *& circa principium corporis*, Armil. *verbo simonia, n.* 52. Tabien. *ibi, quæst.* 67. Rosel. *simonia* 6. *n.* 3. Lud. Lopez 1. *p. instruct. noui cap.* 307. *fol.* 971. *pag.* 2. *& cap.* 305. *fol.* 954 *pag.* 1. Enriquez *lib.* 13. *de excomm. c.* 37. *n.* 5. & plerique alij, vt refert Couarr. *Clement. si furiosus*, 1. *p.* §. 1. *n.* 7. Paludanus *dist.* 25. *quæst.* 5. *n.* 6.

8 Nota quòd ferè omnes hi Doctores dicunt, quòd si tale crimen simoniæ est occultum, est suspensus quoad se: sed hoc nil est dicere, quia, vt docent Sylvest. *verbo suspensio, quæst.* 7. & Glossa *cap. prater, dist.* 32. *vers. officium* quilibet peccator dicitur suspensus quoad se, & Nauarr. in omnibus summis *cap.* 27. *n.* 152. 153. 245. dicit quòd suspensio quoad se non est censura, sed quilibet peccator dicitur sic suspensus; quia absque peccato nequit Ordinem exercere: at exercendo nullam incurrit censuram.

9 At verius est simoniacum in beneficio etiam notorium non esse suspensum; quia nullus est textus clarè suspendionem imponens, & in dubio in mitiorem partem est propendendum: & quia (vt benè ait Enriquez *lib.* 14. *de irregular. c* 6 *n.* 7. *in commento, litera R*) notorius simoniacus in beneficio non est depositione dignus; & sic propter hanc notorietatem non est irregularis, vt bene etiam docet Couarr. *Clement. si furiosus*, 2. *p.* §. 3 *n.* 4. & sic Couarr. *eadem Clement.* 1. *p.* §. 1. *n.* 7. dicit priorem sententiam dicentem esse suspensum, dubiam esse. Hanc tenent Nauar. *cap.* 23. *n.* 111. *post* § *ad* 14. *vers.* 3. 5. 6. Enrisumma Lat. *cap.* 23. *n.* 111. *post* § *ad* 14. *vers.* 3. 5. 6. Enriquez *lib.* 14. *de irregular. cap.* 6. *n.* 7. At sequuta sententia quez *lib.* 14. *de irregular. cap.* 6. *n.* 7. At sequuta sententia condemnatoria, quia infamat. est irregularis, vt dicam *in* 4. *pœna.*

10 Tertia pœna simoniæ in beneficio est, quòd per electiones, portulationes, confirmationes, prouisiones, & quasuis alias dispositiones simoniacas in Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officijs ecclesiasticis, & quibusuis beneficiis, cuique nullatenus ius acquiritur, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca



tribus omnino caret, nec inde facit aliquos fructus suos. Sic expresè habetur *extrauag. 2. de simon.* & idem Martinus Quintus in Concilio Constantiensi, vt refert D. Anton. *3. p. tit. 24. cap. 65.* de qua pœna vnum, vel alterum *hic* dicam, quia latè dicendum est *dubiis sequentibus.*

11 Hinc fit quòd electio simoniaca in Priorē, vel Guardianum, vel quemcunque superiorem alicuius conuentus, non valet; quia expresè dicta Extrauagans loquitur in hoc casu: & etiam, vt dixi *circa primam pœnam*, hæ prælaturæ in hac extrauag. comprehenduntur nomine beneficij.

12 Nota quòd licèt iure antiquo electio simoniaca Papæ erat valida, *cap. licèt de elect.* at Iulius secundus extrauagantem edidit, quæ fuit approbata in Concilio Lateranen. quòd talis electio non valeat, & excommunicat Cardinales, qui sede vacante illi contraueniunt. Sic Nau. *in omnibus summis*, at clariùs in Hisp. *c. 27. n. 110.* Victoria *relect. de simon. 2. p. n. 5.* Caiet. *verbo excommunicatio, c. 24.* vbi addit iurare Cardinales sede vacante se seruaturos hanc constitutionem: & hæc excommunicatio reseruatur *ibi* Papæ.

13 Quarta pœna simoniæ in beneficio est, quòd talis simoniacus est inhabilis ad quodcunque aliud beneficium acquirendum. Hanc adstruunt multi Doctores, sed nullum afferunt textum; quòd verò sit inhabilis ad illud beneficium, & sic in dispensatione oporteat facere mentionem, quòd simoniacè illud acquisierit, quia est intrusus, constat ex his, quæ *suprà* diximus *dub.* vbi de beneficiis, & docet Rebuff. *praxi, tit. quot modis acquirantur beneficia, n. 9.* At inde non constat esse inhabilem ad reliqua beneficia; quia intrusus non est inhabilis ad reliqua, nec in impetratione aliorum oportet facere mentionem intrusionis, vt *ibi* dixi. Si autem id probes, quia simoniacus est excommunicatus, at excommunicatus est inhabilis ad quæuis beneficia: non dubium est, quòd manente excommunicatione sit incapax, sicut quilibet alius excommunicatus; sed dubium est, an absolutus ab excommunicatione maneat adhuc inhabilis, quia si hæc est specialis, & noua censura, manebit inhabilis. Sed hæc sententia potest modò probari ex motu proprio Pij Quinti edito an. 1566. Kalendis Aprilis, anno 1. sui Pontificatus, qui incipit, *Cùm primum*, vbi sic dicitur, *Qui crimen simoniæ in consequendis ordinibus commisisse conuictus fuerit, eo ipso sit ab illorum exequutione per decennium sine spe dispensationis suspensus: qui dignitates ecclesiasticas simoniacè acquisierit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunq; alias obtinendas: qui beneficium, aut officium ecclesiasticū simoniacè adeptus fuerit, perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.* Ecce quam clarè statuitur inhabilitas: & cùm dicit, *eo ipso*, videtur nullam requiri sententiam. Sic tenent Metina *lib. 1. summa. c. 14. §. 10. fol. 127. pag. 2. & fol. 129. pag. 1. & fol. 125.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui c. 307. fol. 971. pag. 2.* Capua *lib. 2. decis. c. 97. n. 1.* Manuel *2. tomo summæ, c. 56. n. 6.* Enriquez *lib. 13. de excommun. c. 37. n. 3. fine, & c 56. n. 1.* Idem clarè supponunt Innoc. *cap. de simoniacè de simon.* & *ibi* Ioan. Andr. & Panorm. *n. 6.* & Sylu. *verb. suspensio, q. 7. dicto 4.* Angel. *simonia 6. n. 3.* Armil. *verb. simonia, n. 52.* & *ibi* Tabiena *quæst. 68.* vbi disputant quando Episcopus, vel quando solus Papa dispenset cum simoniaco, vt possit obtinere alia beneficia: ergo supponunt esse inhabilem ad alia.

14 At verius est non incurri talem inhabilitatem ad alia beneficia, & sic posse talem simoniacum absolutum ab excommunicatione absque noua dispensatione obtinere alia beneficia præter illud simoniacè adeptum. Probatur quia nec in Extrauag. Pauli II. quæ est *2. de simon.* qui malè refert Enriquez pro se, nec in alio iure antiquo talis pœna statuta est: & extrauagans citata Pij V. non est vsu recepta; & esto recepta esset, non habet locum in foro conscientiæ ante iudicis sententiam. Quod sic probatur, quia triplicis generis simoniacos punit, scilicet in ordine, dignitate, & beneficio, & primos non punit nisi conuictos, vt clarè *ibi* dicitur: ergo nec alios punit, nisi conuictos, quia clausula posita in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa, modò eadem ratio referendi sit in omnibus, vt bene Decius post alios *cap. secundò requiris, de appellat.* & Nauarr. *vbi infra*, & in prædictis tribus eadem ratio inuenitur. Nec obstant ea verba, *eo ipso*, quia certum est primæ pœnæ non esse locum ante conuictionem, & tamen *ibi* etiam ponuntur. Item quia referri videntur ad priuationem iuris, & adeptionem beneficij, non autem ad inhabilitatem, quia non est eadē ratio referendi, nam iure antiquo illa adeptio erat nulla: at eodem iure non erat statuta talis inhabilitas. Sic tenet Nau. *lib. 5. cons. tit. de simon. in nouis cons. 92. in antiquis est consil. 34.* & quidam docti iuniores.

15 Nota tamen, quòd sequuta sententia condemnatoria, quia talis est infamis, vt statim dicemus, est irregularis, & per consequens inhabilis ad quæuis beneficia. Sic Nauar. *eod. tit. in nouis consil. 91. n. 6. vers. ad tertium, in antiquis est consil. 35* & alij, quos habes *infra dub. 220. concl. vltima.*

16 Quinta pœna simoniæ in beneficio est, quòd amittit talis simoniacus omnia alia beneficia, quæ prius habebat. Sic Manuel *2. tom. summæ cap. 56. n. 6.* & refert ad hoc probandum *Extrauag. 2. de simon.* at dicit requiri sententiam declaratoriam: & Enriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 37. num. 5. prope finem, iuncto commento, litera C.* dicit requiri sententiam saltem declaratoriam: & sic temperandam esse *d. extrauagantem.* At nec in ea, nec in toto iure, est talis pœna, sed tantùm in motu proprio Pij Quinti contra simoniam confidentialem in ea tantùm simonia confidentiali: & sic minus bene dicunt requiri sententiam declaratoriam, quasi sit priuatus ipso iure. Sed requiritur sententia condemnatoria, qua priuetur illis: & sic Rebuff. *praxi benef. tit. de simon in resignat. num. 13.* hæc dicit. Simonia non priuat beneficiis antè legitimè adeptis, sed est opus priuatione; quia in eo, in quo quis deliquit, puniti debet, *cap. postulastis de cler. excomm. ministr.* & ideò non valet impetratio facta de his beneficiis, quando ante priuationem facta est, sed ea potest resignare ante priuationem. Hæc Rebuff. *ibi.*

17 Quæ autem sint pœnæ simoniæ confidentialis in beneficiis, habes *suprà dub. 34.*

18 Sexta pœna simoniæ in beneficio, & in ordine est, quòd tales simoniaci sunt infames, & deponendi, si in iudicio conuicti fuerint, *cap. de hoc, de simon. c. inquisitionem, de accusat. cap. sanè 6. quæst. 3.* Syluest. *verb. simonia, q. 19. pœna 2.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui, c. 307. fol. 972. pag. 2.* D. Thomas *2. 2. quæst. 100. art. 6. corpore*, Soto *lib. 9. de iust. q. 8. art. 2.* Angel. *simonia 6. n. 8.* Rosel. *simonia 6. initio* Tabien. *verbo simonia, q. 72.* Armil. *verbo simonia, n. 55.* & quòd sint deponendi, tenent etiam Rebuff. *in praxi benef. tit. de simon. in resignat. n. 13.* & quòd causet infamiam hæc simonia, tenet Nau. *lib. 5. cons. tit. de simon. in nouis cons. 91. n. 6. ad 3. in antiquis est cons. 25.*

19 Pœnæ autem simoniæ in ordine, præter infamiam, & depositionem, de qua in pœna præcedenti, sunt hæ.

20 Prima pœna simoniæ in ordine, quòd simoniaci, siue dando, siue recipiendo ordines sunt excommunicati excommunicatione Papali, quacunque fulgeant dignitate, etiam Pontificali, & Cardinalatus, per *extrauag. 2. de simon.* & etiam mediatores, vt talis ordinatio simoniaca fiat, nam eam extrauagantem pariter de simonia in ordine, ac simonia in beneficio intelligunt Caiet. *verb. excommunicatio, cap. 72.* Nauarr. *cap. 23.* latinè *num. 111. versic. septimo, & cap. 27.* Lat. & Hisp. *num. 106.* Armil. *verbo excommunicatio, excomm. 59.* Tabien. *excommunicatio 7. initio.* Rosel. *simonia 6. §. 13.* Angel *simonia 6. num. 9.* Enriquez *lib. 13. de excommun. cap. 37. num. 3.* Manuel *2. tomo summæ cap. 56. n. 6.* Salzedo *super pract. Bernard. Diaz cap. 91. incipienti, simoniaci.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui, cap. 307. fol. 971. pag. 2.* & Nauarr. *in omnibus summis, cap. 25. num. 68.*



*num. 68.* dicit intelligi, etiamsi sint ordines minores. Idem Manuel *eod. c. 56. n. 6. vers. lo sexto*, & patet ex Trident. *sess. 1. cap. 1. de reformat.*

21 Nota, quòd hodie pœnas *extrauagantis 2. de simon.* nempe excommunicationem dictam, & suspensionem, de qua dicam in pœna sequenti, incurrunt etiam dantes, & recipientes aliquid pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, aut pro sigillo ordinum, & non tantùm collatores ordinum, sed etiam eorum ministri, licèt sponte oblatum recipiant, quia Trident. *sess. 2. cap. 1. de reformat. fine*, decernit, quòd hi omnes incurrant ipso facto pœnas à iure inflictas. Sic Manuel *eodem cap. 56. num. 6. versic. lo sexto*, quod intelligendum est in casibus, in quibus est prohibitum illis accipere: de quo *suprà dub. 20.* & *21.* & *infrà sub hoc eodem dub.* ponam ad omnes pœnas simoniacorum alias limitationes.

22 Secundò nota quòd dans pecunias mediatori, vt sibi impetret dimissorias ad ordines, quas mediator pecunia impetrauit, dicitur simoniacus in ordine, & sic incurrit pœnas talis simoniaci, quia literæ dimissoriæ sunt via quædam directa ad ordinem quærendum, & conferunt quoddam ius petendi ordinem, & accipiendi à quouis maluerit Antistite. Sic relatè disputata tenet Nauar. *lib. 5. consil. tit. de simon.* in antiquis *consil. 58.* in nouis *consil. 67.* & summa Latina *cap. 25. num 65.* dicit, quòd incurruntur hæ pœnæ, licèt pecunia non detur ordinatori, sed tertio mediatori. An verò sit opus, vt aliàs nisi data pecunia non obtineret, habes *suprà dub. 26.*

23 Secunda pœna simoniæ in ordine est, quòd omnes simoniacè ordinati, siue publici sint, siue occulti, sunt suspensi à suorum ordinum exequutione: & sic nec possunt vti ordinibus susceptis, nec ad vlteriores ascendere. Patet ex *extrauag. 2. de simon. & cap. præter. §. verum dist. 32. & cap. reperimur. l. quæst. 1. & cap. eos, 81. dist.* & tenent omnes: nec iure negari potest, vt docet multos referens Couarr. *Clement. si furiosus, 1. p. §. 1. n. 7.* Panorm. *cap. de simoniacè, de simon. n. 5*, & *ibi* Felin. *n. 2.* Syluest. *verb. suspensio, quæst. 7.* Angelus *simonia 6. initio.* Tabiena *ibi, quæst. 65.* Manuel *2. tomo summæ, cap. 56. n. 6.* Enriquez *lib. 13. de excommun. cap. 37. n. 3.*

24 Nota, quòd sic simoniacè ordinatos vocant multi Doctores irregulares. Sic Soto *lib. 9. de iust. quæst. 8. art. 1. fine, corpor. & art. 2. concluſ. 1.* Couarr. *Clement. si furiosus, 2. p. §. 3. n. 4.* Turrecr. *cap. fin. dist. 25.* D. Anton. *3. p. tit. 28. c. 6. §. 7.* Tabien. *verbo dispensatio, n. 14.* Syluest. *verb. crimen, quæst. 2. & verb. irregularitas, quæst. 14.*

25 At melius Enriquez *lib. 14. de irregular. c. 6. n. 7.* & *in commento, litera V.* dicit limitandos esse prædictos Doctores, quando hoc crimen simoniæ in ordine est notorium; quia est crimen enorme, & depositione dignum. Idem dicit *lib. 13. de excommun. cap. 37. num. 5.* quia non apparet textus talem irregularitatem statuens.

26 Immò Xistus Quintus in sua regidissima constitutione contra malè promotos ad ordines solùm statuit illos esse irregulares, si in ordinibus malè susceptis ministrare præsumpserint: & idem decernit de simoniacè promotis, *§. cæterum si quis antistes.* Quare antequam in ordine simoniacè susceptо ministrent, solùm sunt suspensi, non verò irregulares.

27 Verum est tamen, quòd tam ordinans, quàm ordinatus incurrunt hodie pœnas constitutionis Sixti Quinti contra hos, qui malè promouent, & malè promouentur ad ordines, quas refert Quaranta in summario Bullarum *verb. ordo.*

28 Et licèt hæc constitutio Sixti reducta sit per Clemēt. VIII. ad terminos iuris communis, & Concilij Trident. & *extrauag. Pauli II.* quantum ad alia, tamen quantum ad simoniam in ordinibus collatis, & acceptis, illam in suo robore reliquit, vt ex ipsa constat apud Quarantam *suprà*, & notauit Synodus Hispalensis *tit. de pœnit. & remiss. cap. 7. circa finem.*

29 Temperandæ tamen sunt prædictæ pœnæ Sixti, vt solùm habeant locum, quando tempore ordinationis erat iam pretium solutum: si enim non erat solutum, cùm simonia non sit completa, nec ordinans, nec ordinatus erunt suspensi, nec excommunicati: & per consequens nec ordinans ordinando, nec recipiens in susceptis ordinibus postea ministrando fiunt irregulares, nec incurrut alias pœnas Sixti Quinti.

30 An verò mediatores, vt committatur simonia in ordine, sint suspensi. Angel *simonia 6. n. 4.* affirmat esse suspensos per *regulam accessorium, de reg. iur. in 6.* Sed fallitur, quia dicta extrauagans *2. de simon.* in excommunicatione explicuit simoniacos, & mediatores: at in suspensione tantùm explicat simoniacos, quare non includit mediatores, iuxta ea, quæ habes *suprà in hoc eod. dub. n. 6.*

31 Maius autem dubium circa hanc pœnam est, an qui ordinatur simoniacè ignoranter, quia scilicet alius eo ignorante contulit pecunias ordinatori, sit suspensus.

Duplex est sententia.

32 Prima affirmat esse suspensum ab illo ordine sic recepto, non autem ab aliis. Probatur ex *cap. præsentium 1. quæst. 5.* vbi dicitur ordinatum simoniacè ignoranter esse suspensum, & *cap. simoniacè, de simon.* talem posse in ordine remanere; vbi Glossa *versic. remanere*, inquit, dispensatiuè. Sic tenent D. Thom. *2. 2. quæst. 110. art. 6. ad 3.* & *ibi* Aragon *fol. 1131. & quæst. 32. art. 7. dub. 2. concluſ. 4. fol. 758. lex 17. tit. 17. p. 1.* Soto *lib. 9. de iust. q. 8. art. 1. ad 3.* Syluest. *verbo suspensio, quæst. 7. & verb. simonia 98. dist. 5.* Ang. *simonia 6.* Armil. *verbo simonia, n. 51.* Innoc. *cap. 1. & cap. de simoniacè, de simon.* Felin. *eo cap. de simoniacè, n. 2.* & *ibi* Panorm. *n. 6.* & *ibi* Host. & Anchar. Tancredus, & Vincentius, quos refert, & sequitur Turrecr. *d. cap. præsentium*, Tabien. *verb. simonia, quæst. 9.*

33 Nota primò, quòd aliqui ex his Doctoribus dicunt, quòd licèt possit hic suspensus alios ordines exequi, cùm ab illis non sit suspensus (& aiunt Panorm. Innoc. Anchar. Host. quòd potest etiam beneficia retinere, & de nouo suscipere) at nō potest ad vlteriores Ordines ascendere, donec absoluatur à suspensione illius ordinis, quia per saltum videretur promotus. Sic Innoc. *d. cap. de simoniacè*, Panorm. Felin. Anchar. Host. Tabiena, Armilla, citati pro prima sententia.

34 Nota secundò, quòd Syluest. *verb. simonia, quæst. 8. dicto 5.* dicit, adhuc esse suspensum, licèt expresè contradiceret; quia similiter esset suspensus, si non pro sua ordinatione, sed pro alia accepisset Episcopus nummos. Ratio, quia ordinatus ab Episcopo simoniaco, iuxta dicenda *in hoc eodem dubio, pœna 4.* Sed (vt *ibi* dicam) requirit, vt talis Episcopus sit denunciatus de simonia; & adhuc verius est, quòd ordinatus ab eo, non est suspensus, si ordinatur id ignorans, vt *ibi* dicam.

35 Secunda sententia verior est, quòd ordinatus simoniacè ignoranter nullam suspensionem, nec censuram aliam contrahit; quia *cap. 2. de constit. in 6.* dicitur nullam sententiam ligare ignorantem, nisi ignorantia sit crassa, vel supina: atque sic intelligendi sunt textus citati pro prima sententia, quando ignorantia est crassa: & sic explicant aliqui *d. c. præsentium 1. quæst. 5. de ignorantia culpabili*, vt referunt *ibi* Archid. & Turrecr. non enim est æquum, vt qui caret culpa, patiatur pœnam. Sic tenent Nauarr. *in omnibus summis. cap. 25. n. 68.* & Bellamera, & Card. quos *ibi* refert: idem Salzedo *super pract. Bernar. Diaz. cap. 91.* incipienti, *simoniaci, § non dat*, Enriquez *lib. 13. de excomm. c. 37. n. 4. & lib. 14. de irregular. cap. 6. n. 7.* & docti iuniores, qui addunt, licèt ignorantia sit peccatum mortale, modò non sit crassa, vel supina, per *d. c. 2. de constit. in 6.* quod idem in alio simili dicit Enriquez *d. lib. 14. de irregularit. c. 6. n. 6* & latè dixi *lib. 9. de matrim. disputat. 32. a num. 18.*

36 Immò hoc verum est, etiam si post ordinationem, ratam habeat dationem pretij pro ordine factam, & soluat promissum pretium, si externo signo non induxit; quia ratihabitio in istis non tetrotrahitur, nisi quando

Universidad de Deusto
Biblioteca



verbo, vel externo signo fuit causa efficax ordinationis; quia tantùm est suspensus, qui simoniacè scienter ordinatus est: at hic non scienter, sed penitus ignorans sic ordinatus est. Sic Enriqez *dicto cap. 37. n.4. & dicto cap. 6. n.7.* & Nauar. *d.cap.25.n.68.* videtur dicere idem, licèt non tam expressè: & idem colligitur ex Doctoribus *infrà in fine huius dubij* citandis, qui docent non incurri pœnas, quando pecunia datur post ordinationem. Nec obstat *cap. sicut iuis, de simon.* quia loquitur de beneficio collato per simoniam ignoranter; de quo speciale faciemus dubium. Hoc tamen est contra Maiolum *lib.5.de irregularit.cap.45.n.2.*

37 Nota, quòd non peccat soluens amico pecuniam, quam, se inscio, pro ordine dedit quando non complacet de simonia præterita, nec hoc soluit quasi ratam habens simoniam, sed ne amicus damnum patiatur pro eo, quod amicè fecit. Sic Nauarr. *d.cap.25.n.68.* & multo meliùs *lib.5.constit.de simon.* in nouis, & in antiquis *conf.10.n.5. 6.7.8.*

38 Tertia pœna simoniæ in ordine est, quòd talis simoniacus, qui simoniacè confert alicui ordines, est perpetuò suspensus, per *cap.praterea, §.verum, dist.32.* vbi sic dicitur, *officium simoniacorum nullo modo recipiatur.* Quòd si obijciatur *cap.penult.de simon.* vbi ordinans promissione recepta, quòd ordinatus non petet ab ordinatore alimenta, est suspensus per triennium, & tamen ea est simonia, cùm apponatur pactum remittendi Episcopo obligationem alendi ordinatum sine patrimonio: respondent Panormit. & Innoc. *ibi*, quòd est speciale in eo casu, quia ea non est propriè simonia, cùm nondum esset contracta obligatio alendi, nec ordinator intendebat vendere ordinem, sed vitare suum damnum: nec ordinatus intendebat emere, sed seruare indemnem suum ordinatorem. Sic tenet Panormit. *cap.penult. de simon. num.5.* & *ibi* Innoc. *fine*, Syluest. *verbo suspensio - quæst.7.* Angel. *simonia 6. num.1.* Armil. *verbo. simonia 6. num.51,* Tabien. *ibi, quæst.66.* Enriquez *lib.13. de excommun.cap. 37. num.4.* Sed malè hoc dicit esse per *Extrauag.2.de simon.* quia illa tantùm suspendit recipientem ordinem simoniacè.

39 Vnde non est admittenda distinctio D. Thom.2.2. *quæst.100.art.6.ad 1.* & Rosel. *simonia 6.n.2.* vbi dicunt, quòd si talis simonia est occulta, sic ordinans est suspensus tantùm quoad se: si verò est publica, est suspensus quoad alios; quia ius non distinguit, & sic eam reiicit Syluest. *ea quæst.7.*

40 Quarta pœna simoniæ in ordine est, quòd ordinatus ab Episcopo simoniaco in dando ordinem, & recipiendo, vel in collatione, aut receptione, aut mediatione beneficiorum, est suspensus ipso iure, seu irregularis. Ratio, quia ordinatur ab Episcopo excommunicato, & suspenso: at ordinatus ab hæretico, schismatico, excommunicato, suspenso, interdicto, deposito, vel degradato, est suspensus, seu irregularis, *cap.1. de schismaticis*, vbi sic dicitur, ordinationes factas à schismaticis esse irritas, scilicet quoad executionem. Et de excommunicato habetur *cap.fin.de ordin.ab Episcop.qui resign. Episcop.* Et patet etiam, quia omnes hi non habent ordinis exequutionem: ergo si ordinent, non dant executionem; nemo enim dat, quod non habet, *cap. Dilectus. 1. quæst.7.* Et de simoniacis est etiam textus *cap. si quis à simoniacis 1. quæst.1.* & tenent omnes Doctores citandi. Dixi, *suspensus. seu irregularis*; quia Syluest. *verbo irregularitas*, Angel. Armilla, & Soto *vbi infra*, illum vocant irregularem. Sed meliùs Nauarr. *vbi infra*, Enriquez *lib.13. de excommun.cap.33.in fine*, & alij docent hunc non esse irregularem, sed solùm esse suspensum, iuxta ea, quæ *supra* diximus *in hoc dubio* circa secundam pœnam simoniæ in ordine; & iuxta *ibi* dicta dicendum est incurrere pœnas Sixti Quinti, quando pretium ordinis fuit solutum.

41 Duplex tamen est difficultas circa hanc pœnam: altera est, an quando hi simoniaci excommunicati, & suspensi, &c. sunt tolerati, & occulti, initiatus ab illis incurrat hanc pœnam. Quidam enim affirmant, & potest probari; quia quantumuis hi tolerati, & occulti sint, non habent ordinis executionem, cùm ab illa suspensi sint: ergo nequeunt, si ordinant, illam dare, cùm nemo possit dare, quod non habet. Sic tenet Syluest. *verbo suspensio, quæst.7.* Glossa *cap. si qui à simoniacis, 1.quæst.1.* & videtur tenere Couarr. quia indistinctè loquitur, *cap. alma mater, 1.p.§.6.num 6.*

42 At dicendum est, non incurrere, nisi recipiant ordines ab his, quando tenetur eos vitare iuxta constitutionem Martini Quinti, ad euitanda scandala: nempe quando sunt denunciati, vel notorij percussores Clerici. Probatur, quia iuxta hanc constitutionem tantùm hos tenemur vitare, quando scilicet sunt denunciati, aut notorij percussores Clerici, in omnibus, etiam in receptione sacramentorum: ergo recipiens Sacramenta quæcunque ab illis, dùm non sunt denunciati, &c. nullam contrahit censuram, alias teneretur illos vitare. Nec obstat ratio contraria; quia exequutio in hoc casu non datur ab Episcopo ordinante, sed à Papa hos tolerante, & à Christo, qui est author ordinis; quod etiam contrarij tenentur fateri: nam, vt ſtarim dicam, ferè omnes illi fatentur ordinatum coactè per metum iustum à quocunque excommunicato, etiam denunciato recipere exequutionem ordinis. Sic tenet Syluest. *verbo irregularitas, quæst.7.* & *ibi* Angel. *num.30.* Armil. *ibi num. 78.* Soto *lib.9.de iust. quæst. 8 ar.1.ad 1.* & *2.* & *4.dist.25. quæst.1.art.3.versic. in ordinatione.* Nauarr. in omnibus summis *cap.25. num.69.* & *cap.27* Lat. *num.241.* Hisp. *num.242.* Enriquez *lib.14.de irregul. cap.6.num.6.7.* Maiolus *lib.4.de irregularit.cap.25* Felin. *cap.ad probandum. de sentent. & re iud. num.7.* Immò ante hanc extrauagantem idem dixerunt Panormit. *eo cap. ad probandum. num. 15.* Innoc. *cap.1.de schismaticis. num.4.* idem etiam tenet Castro *lib.2.de lege pœnali, cap. 15.* immediatè ante *§. alij sunt actus*, & est certum.

43 Nota, quod Sotus *4.dist.25.quæst.1.art.3.versus in ordinatione*, dicit idem esse, si ordinetur ab hæreticis, vel schismaticis; quia hi censentur nominatim excommunicati, & sic vitandi sunt. Sed hoc latè reprobabo in materia *de excommunicatione.* Immò non sat est, vt sint denunciati, hæretici, vel schismatici, vt *ibi* dicam, nisi expressè sint denunciati excommunicati, vel suspensi; quia antea non tenemur eos vitare.

44 Alterum dubium grauius est, an ignoranter ordinatus ab his simoniacis, & excommunicatis denunciatis, &c. quia scilicet ignorabat eos tales esse, incurrat dictam suspensionem, seu irregularitatem. Quidam affirmant. Probatur ex *cap. si qui à simoniacis, quæst.1.* quod est Vrbani Papæ, vbi dicitur, si qui ordinati sunt à simoniacis, & probauerint id ignorasse, misericorditer eos sustinemus: si misericorditer; ergo absque hac dispensatione sunt suspensi: & fortiùs ex *cap.1.de ordin.ab Episcopo, qui resig. Epis. fine*, vbi dicitur, quòd si ignoranter ab his ordinati sunt, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina, potest Episcopus dispensare: ergo iam contrahitur irregularitas ab ignorante & *cap. sequenti, eod. tit.* dicitur, cum clerico, qui ignoranter ab excommunicato ordinatus est, potest Episcopus dispensare. Sic tenent Glossa *cap. si qui a simoniacis, 1.q.1.verf. si qui, & v.1.de schis.in.at.versic. irregularitas, &c.1.de ordin.ab Episcop.qui resig. Episcop. verf. ignorantia, &c.ab excommunicatis 9.q.1.verf. Quondam.* Henricus *c.1.de schism.* & *ibi* Anton. *n.5.* Anch. *n.5.* & Innoc. *ibi in fine*, tanquam probabile hoc ponit, & tenet *ibi* Host. & *ibi* Armil. *n.12.* Selua *benefic. 2.p.q.12.* Couarr. dicens non posse iure negari, *c.alma mater, 1.p.§.6.n.6.* Sylu. *verb. irregularitas, q.7.* & *ibi* Ang. *n.30.* & Armil. *n.78.* & videtur supponere Nau. *c.27.* Lat. *n.241.* Hisp. *n.242*, vbi dicit posse Episcopum dispensare, quando ignorabat ordinatus denunciationem.

45 At



45 At statuunt Doctores omnes citati differentiam inter eum, qui ordinatur ab his scienter, & eum, qui ignoranter: cum illo enim solus Papa dispensat, cum hoc verò Episcopus, iuxta text. *cap.1. & 2.de ordin.ab Episcop. qui resign. Episcop.* & hoc nisi ignorantia fuerit crassa, vel supina, vt dicitur *eo cap.1.* & notat Enriquez *lib.14.de irregularit.cap.6.n.7. ffne*; & exceptis his, qui post ordinem sic susceptum profitentur Religionem; his enim etiam scienter sic ordinatis potest per eorum Prælatos dispensario concedi: & idem si post Religionis ingressum sic fuerint ordinati, *cap.cùm illorum, de senten.excommun. & cap.2.de Apost.* & notat Couar. *eo num.6.* Aduerte tamen, quòd quando hi scienter sic ordinati sunt, cùm hodie incurrant pœnas motus proprij Sixti Quinti, vt diximus, iam nullo modo possunt nisi per Papam dispensari, vt expressè in eo dicitur.

46 Cæterùm valde probabile est non incurrere ordinatum ignoranter; quia cùm vacet culpa, non debet pati pœnam. Item quia *cap. 2. de constit.in 6.* dicitur nullam ignorantem, nisi crassa, aut supina ignorantia sit, incurrere censuram, vt dixi *lib 9.de matrim.disp.32.a.8.* Item quia ferè expressè hoc dicitur *cap. ordinationes, 9.quæst.1.* quod est Vrbani Papæ, sic enim *ibi* dicitur: ordinationes, quæ ab hæreticis nominatim excommunicatis factæ sunt, irritas esse decernimus, nisi probare valuerint se, cùm ordinarentur, eos nescisse damnatos. Sic tenent Innoc. *c.1.de schismat. n.4.* Collectarius, & Hugo, quos refert, & sequitur Panorm. *c.veritatis, n 46 de dolo, & contumac.* vbi dicit hanc sententiam sibi multum placere. Felin. *c.ad probandum, de sentent. & re iudic. num.7.* Enriquez *lib.14.de irregularit.cap.6.n.6.* Maiolus *lib.4 de irregularit. cap.25.* malè citatur à Couarr. *supra.* Alfonsus à Castro *lib.2.de lege pœnali, cap. 15.* quia id non dicit

47 Immò hæc sententia est vera, licèt ignorantia sit culpabilis, seu vincibilis, modò non sit crassa, aut supina, iuxta *cap.2. de elect.in 6.* vt in alio simili dixi *in hoc eodem dub.in 2.pœna simon.in ordine*, & latiùs *loco citato de matrim.* Nec obstat, inquit Innoc. *cap.1.de schismat.n.4. cap.1.de ordinat. ab Episcop.qui resig. Episcop.* vbi dicitur, quòd si non sit supina ignorantia, potest Episcopus dispensare cum ordinatis ab Episcopo, qui resignauit Episcopatum: ergo supponit, quòd quando ignorantia erat probabilis, incurrit irregularitatem, sed dispensabilem per Episcopum, quia id ideo est in illo casu, quia non potest esse sine suspicione scientiæ, postquam Episcopus manifestè renunciarat. Sic tenent Innoc. Enriquez, Maiolus *proximè citati.*

48 Nota circa hanc pœnam, quòd si quis per metum ordinaretur ab ipsis Episcopis excommunicatis, &c. si metus est grauis, & cadens in virum constantem, non incurrit has censuras: quod etiam fatentur Doctores oppositi. Sic Glossa *c.si qui a simoniacis, versic si qui 1 q. 1.* Sylvest. *verbo irregularitas, quæst.7.* & *ibi* Ang. *num.30.* Armilla *n.78.* Nauar. *cap.27.* Lat. *n.241.* Hisp. *num. 242.* Enriquez *lib.15.de excomm.c.36 fine, & lib.44.de irregularit.c.6.n.6.* Maiolus *lib.4.de irregul c.25.* & communis.

49 An verò sit etiam pœna simoniæ in ordine, vt pretium pro ordine receptum sit restituendum, dicam *infrà in dubio speciali de hoc.*

50 Pœnæ simoniæ in ingressu Religionis sunt hæ.

Prima pœna est quòd tam dantes, quàm recipientes, si sint singulares personæ, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam: si verò Capitulum, vel conuentus, suspensionem Papæ reseruatam. Sic habetur expressè *Extrauag.1.de simon.* quæ pœna non incurritur, quando aliquid recipitur absque pacto, vel ob consuetudinem, vel antiqua iura hoc concedentia, vel absque præsumptione bono animo; quia bis tepetit extrauagans ea verba, *eos qui præsumunt.* Sic Nauarr. in omnibus summis *c.27.n.106.* Caier. *verbo excommunicatio, cap.73.* Nec incurrunt recipientes Moniales pro dote, & sustentatione ingressuræ, vt latè dixi *suprà dub. 23.* Item Martinus Quintus dixit hac sententia nolle ligari Moniales, vt refert Nauar. *ibi* Sylvest. *excommunicatio 9. excommun.44. n.81.* D. Anton. *3.p.tit.24.cap.67.*

51 Secunda pœna est, quòd si quis simoniacè ad professionem est receptus, si ipso sciente id factum est, tam recipiens, quàm Monialis recepta, vel Monachus receptus, siue subditus, siue Prælatus sit, sine spe restitutionis de suo monasterio repellendus est, *cap.quoniam, de simonia*; & dicit textus quòd repellatur in locum arctioris regulæ ad perpetuam pœnitentiam agendam: & Manuel *2.tomo cap. 8.n.10.* dicit *ibi*, in arctiori Religione professurum esse, vel in alio loco eiusdem ordinis, si arctior ordo non inueniretur. Hæc habetur *d.cap.quoniam.* Quando verò ipso ignorante hoc factum est, sic simoniacè receptus debet renunciare eidem loco, & postquam renunciauerit, potest de nouo recipi, *ibidem*, si ibi absque scandalo possit remanere, vel ponatur in alio loco eiusdem Ordinis. Sic habetur *cap.de regularibus, de simon.* & adducit hoc D. Thom. *2.2. quæst. 100.art.6.ad 5.* Soto *lib.9 de iust.quæst 8.art.1.ad 5.* & latiùs Sylvest. *verbo simonia, quæst. 15. dicto 8.* & dicunt D. Thom. & Sylvest. quòd simoniacè receptus ignoranter, vbi renunciauerit, potest denuo recipi, mutato priori loco, Sed hoc textus non dicit, nisi quando ibi non potest absque scanda o remanere: tunc enim ad aliud monasterium eiusdem Ordinis mittendus est, vt patet ex *d.cap.de regula ibus*; & notat Sylvest. *ibi.* cum Rayn. & Vlder. quòd prædictus rigor est seruandus in simonia reali, etiam omnino occulta, etiam in foro conscientiæ, & pœnitentiali: & probat ex *d. cap. quoniam de simon.* quod de accusatione, & inquisitione nil dicit. Sed hoc nullo modo credo; quia *d.cap. quoniam*, dicitur, *a monasterio repellantur*; quod sententiam ferendam clarè importat: & *d.cap.de regularibus*, loquitur cum Episcopo, & dicit, eos ad renunciandum cogas; & *cap. dilectus, el 2. de simon.* expressè ponitur, quid agendum sit in hoc casu, quando per acusationem, & quid, quando per inquisitionem proceditur: & præterea in dictis textibus nullum est verbum, quod sententiam latam importet. Item quia hæc est pœna, & grauissima, nec potest Religiosus eam in se exequi, cùm recedere non possit absque licentia Prælati, & est cogendus se infamare: & sic hoc credo verissimum.

52 An verò electio simoniaca ad prælaturam Religionis valeat, habes *suprà sub hoc dubio.n.11.*

53 Nota, quòd in fauorem Religionis posset Episcopus cum talibus dispensare in ordine, & in loco, & in Capitulo: atque Prælatus Religionis, si non participarunt in simonia; secus si participarunt, quia cùm ex hoc sint puniendi, non debent ex eo priuilegium obtinere; imò videntur amisisse potestatem recipiendi, & eos acquisiuisse, qui non deliquerunt. argumento ex *c.bonæ, de elect.* Sic Rayn. quem refert, ac sequitur Sylvest. *verb. simonia, quæst. 15. dicto 8.*

54 An verò professio simoniacè facta, valida sit, dicendum est validam esse, vt latè probauit *lib.5. summæ, cap. 4. num.36.* Quare talis non potest nubere, nec redire ad sæculum. Sic colligitur expressè ex *d.cap. Quoniam, de simon.* quatenus habet receptum simoniacè debere in aliud monasterium eiusdem Ordinis detrudi; & quòd si non inueniatur, maneat in illo, ne damnabiliter euagetur. Sic tenent Rebuff. *praxi benefic.titul.de dispensat.cum Regularibus, num. 16.* Anan. *cap.dilectus.el 2. de simon.* Panormit. *cap.veniens, eodem tit. num. 4.* Sotus *lib.9.de iust.quæst.8.art.1.ad 5.* Nauarr. *cap.statuimus 14. quæst.5.num 25.commento 4 de Regularibus*; vbi bene addit, quòd ius acquirendi victum indeterminatum ex communi, aut per portionem priuilegiatam, seu determinatam canonicalē, vel monachalem, quod Monachus, vel Canonicus ritè receptus habet, impeditur quando excom

Universidad de Deusto
Biblioteca



excommunicatus profitetur, vel simoniacè, donec subsequatur absolutio, & dispensatio, relicto solo victu ad vitam necessario. Ratio differentiæ est, quòd acquisitus status, est quasi acquisitio characteris omnino indelebilis: at ius accipiendi talem victum, vel portionem, est quasi acquisitio beneficij, quæ impeditur per simoniam, vel excommunicationem: sicut per depositionem regularis non tollitur status, nec mutatur in sæcularem, sed tantùm tollitur vox in Capitulo, & victus integer ex communi, relicto solo victu ad vitam omnino necessario. Hæc Nauarr. *ibi.*

55 Tertia pœna est, quòd simoniacus in Religione tenetur restituere pretium: de qua *infra* in dubio speciali de hoc.

56 De pœnis verò simoniacorum dantium aliquid pro litteris gratiæ, vel iustitiæ à sede Apostolica obtinendis, dic breuiter, quòd faciens pactum pro iustitia, vel sibi, vel alteri obtinenda, & promittens aliquid ea de causa, & acceptans promissionem, & dans aliquid ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, siue sub verbis generalibus, & plenè non expressis, siue specialibus, & illud recipiens & dans pro iustitia, vel gratia obtinenda, nullo pacto, aut promissione præcedenti, & simili modo recipiens, & conscius aliquid horum prædictorum esse factum, & non reuelauerit summo Pontifici intra triduum per se, vel per alium, qui fideliter id illi referat (intellige de existentibus in Curia Romana) & tandem qui sciens iustitiam, vel gratiam sic obtentam ea vritur: hi omnes præter non denunciantem (cui sola excommunicatio statuitur, vt bene notat P. Molina *vbi infrà*) incurrunt excommunicationem Papalem, & à qua etiam in mortis articulo, vel de mandato Apostolico absolui non possunt nisi ita datum, & acceptum restituant pauperibus: & omni beneficio, & officio Ecclesiastico, ac sæculari, tam temporali, quàm perpetuo priuantur ipso iure, & redduntur inhabiles ad officia, & beneficia, & sunt infames: & expeditiones institiæ, vel gratiæ ea via obtentæ sunt ipso iure nullæ. Patet ex *Extrauag. 1. de sentent. excommunic.* quæ est Bonifacij VIII. quæ licèt reuocata esset, vt referunt multi Doctores citati per P. Molinam: at innouata est à Gregorio XIII. per quandam Extrauag. *de datis, & promissis pro iust. vel grat.* de qua quando casus occurrerit, est latè videndus Nauarr. *in tractatu, quem super illam edidit, & lib. 5. consil. in antiquis tit. de sentent. excommun. consil. 49. & 50.* & P. Molina *tomo 1. de iustit. tract. 2. disputat. 92 per totam*, vbi *pagin* 544. benè notat, quòd cùm omnes hæ actiones tanquam principales prohibitæ hîc sint sub his pœnis singuli, qui aliquid horum efficiunt, esto res effectum non sortiatur, nec ipse vlteriùs progrediatur, incurrent. Quare, qui solùm promitteret aliquid ea de causa, esto is, cui id promitteret, non acceptaret, sed eum repelleret, incideret in omnes has pœnas.

57 Tandem nota, quòd vt incurrantur pœnæ simoniæ in ordine, beneficio, vel ingressu Religionis, oportet, vt datio præcedat ordinem, vel beneficium; si enim gratis collatus est ordo, vel beneficium, licèt aliquis postea det aliquid etiam animo emendi, non incurret has pœnas, & patebit clariùs *infrà*, quia non est simonia vtrinque completa. Sic Nauarr in omnibus summis *cap. 25. n. 68.* Manuel *2. tomo summæ. c. 56. n. 6.* Salzedo *super pract. Bernad. Diaz. cap. 91.* incipienti, *simoniaci. vers. sexto.*

58 An verò incurrantur pœnæ simoniæ, quando actus non valet, habes *suprà dub. 34. fine.*

## DVBIVM CV.

*An simoniaci mentales incurrant pœnas contra simoniacos latas, & sic teneantur restituere.*

1 HAc in re constat excommunicationem & suspensionem, & reliquas pœnas præter restitutionem, non incurrere: tota verò controuersia est de restitutione, an scilicet simonia mentalis obliget ad restitutionem.

2 Nota, quòd duplex est simonia.

Altera exterior, quando scilicet est pactum externum implicitum, vel explicitù dandi temporale pro spirituali.

Altera mentalis, & interior, quando scilicet nullum tale pactum interuenit, sed tantùm mente quis intendit dare temporale pro spirituali. Et hæc mentalis est duplex.

Quædam, quæ consistit in solo proposito, & desiderio, nil exteriùs dando, nec recipiendo, & de hac non est dubium.

Alia est, quæ peruenit ad opus, quando scilicet est intentio dandi, vel recipiendi spirituale pro temporali, tanquam pro pretio absque aliquo pacto explicito, vel implicito, & sic datur. Quod tripliciter potest contingere.

Primò quando ex parte tantùm beneficium acipientis est intentio simoniaca, vt si quis det Episcopo aliquid, vel ei seruit, exteriùs per modum doni, & liberalitatis, at interiùs per modum pretij pro beneficio: at Episcopus ignarus prauæ huius intentionis liberaliter confert beneficium.

Secundo modo ex parte tantùm dantis beneficium, quia scilicet accipiens gratis accipit beneficium, & sic putat sibi dari: at Episcopus verè habet in mente dare tanquam pretium pro seruitio, vel re temporali sibi præstita.

Tertio modo quando ex parte vtriusque est depraua-ta intentio, at exteriùs nec explicitè, nec implicitè id declaratur, sed Episcopus fingit gratis dare, & accipiens fingit gratis seruire, &c. Vnde si dans temporale speraret spirituale, non tanquam pro pretio, sed ex gratitudine, & beneuolentia, nulla esset simonia etiam mentalis.

3 Dubium ergo est de simonia mentali, quæ peruenit ad opus, an obliget ad restitutionem.

Quadruplex est sententia.

4 Prima ait obligare ad resignandum beneficium per eam acquisitum, & adrestituendum pretium.

Secunda obligare ad hoc, quando est simonia mentalis iure diuino, & naturali vetita, secus quando solo iure Ecclesiastico.

Tertia non teneri ad resignandum spirituale sic acceptum; benè tamen pretium.

Quarta & verior, nec teneri simoniacum mentalem ad resignandum beneficium, nec ad restituendum pretium. Patet ex *cap. fin. de simon.* vbi id expressè dicitur.

5 Nec obstat, quòd vsurarius mentalis teneatur restituere, secundùm omnes; quia est lata differentia: nam vsura obligat ad restituendum iure naturali, & diuino, quod punit actus internos: & sic cùm illa pecunia verè detur pro mutuo, dari autem pro mutuo nil possit, quia iure naturali impediatur translatio dominij, tenetur recipiens, vbi id nouerit, illud pretium restituere: at simonia (*vt infra* dicemus) tantùm obligat ad restitutionem ex iure Ecclesiastico, quod non punit actus internos: immò in hoc casu expressè decernit non obligare ad restituendum, *c. fin. de simon.* Hinc est, vt simoniacus mentalis non teneatur restituere.

6 Hinc inferunt aliqui, quòd si quis seruiuit Episcopo animo interno recipiendi beneficium, vt pretium seruitij, & Episcopus ei contulit beneficium animo etiam interno soluendi illo seruitium, at externè nullum etiam implicitè interfuit pactum, at vterque finxit gratis facere, recipiens beneficium non tenetur illud resignare, nec Episcopus soluere seruitium; quia solùm fuit simonia mentalis, quæ ad restituendum non obligat. Sic Caietan. *2. 2. quæst. 100. art. 6. vers. ad 2. obiect.* Angles *floribus 2. p. q. quis à restitutione sit liber dub. 18. fol. 194.* & pro hac sententia refert Innoc. *cap. fin. de simon.* & Nauarr. *in commento super idem caput. n. 13. 21. 27.* & summa Lat. *c. 23. num. 104. vers 2. & fine.* At nec Innoc. nec Nauar. explicitè loquuntur de Episcopo conferente beneficium, sed in genere de eo, qui contulit beneficium. Et hoc verissimum est, si loquamur de eo, qui non tenetur conferre, vt



vt si persona priuata sic conferat suum beneficium; quia ibi nulla est iniustitia, nec alia malitia præter simoniam mentalem, quæ ad restituendum non obligat. Et similiter hoc est verum de Episcopo, vel alio, qui ex officio tenetur distribuere beneficia, quantum est ex vi simoniæ mentalis: quòd non teneatur restituere pretium seruitij, quando contulit beneficium animo interno eo soluendi seruitium; quia simonia mentalis nunquam obligat ad restitutionem: & de hac ratione tantùm locuti sunt Doctores citati, quia tantùm agebant de restitutione simoniæ mentalis; at alia ratione absq; dubio tenetur Episcopus restituere tale seruitium, & idem dico de quocunque alio, qui tenetur conferre beneficium, quia quando aliquis tenetur eligere, non dicitur propriè facere liberalitatem eligendo, cùm faciat id, quod tenetur ex officio, nec possit sibi retinere: vt optimè Paulus de Castro *leg. vnum ex familia, §. si de falcidia, num. 5. ff. de legat. 2.* & *ibi* Padilla *num. 21.* & licèt aliquo modo possit dici, quòd Episcopus in hoc casu exerceat liberalitatem, vt docent multi, quos refert *ibi* Padilla cum gloss. *c. relat. de præbend. vers. liberaliter*, quia poetrat eligere hunc, vel illum: at hâc liberalitatem, etiamsi res, quam tenetur distribuere, sit merè temporalis, non potest vendere, & si vendat, peccat contra iustitiam commutatiuam, & tenetur restituere, per *dictum §. si de falcidia*, & habes *suprà in hoc 2. lib. cap... dub...* Item, quia stipendiatus de publico, vt exerceat, aliquod munus, si vltra id accipiat stipendium à priuatis, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere, vt de se patet: at Episcopus stipendiatus est, ob id enim recipit decimas, vt munus suum obeat: pars autem muneris est distribuere beneficia suæ diœcesis; ergo si aliquid recipiat à priuatis, vt distribuat, peccat contra iustitiam, & hac ratione tenetur restituere; licèt ea cessante quantumcumque sit ex vi simoniæ mentalis, non teneretur, & sic tenet in propriis terminis Lud. Lop. *1. p. instruct. noui, c. 306. fol. 964. pag. 1. fine, & toto fol. sequenti 2. & 3. conclusione.*

## DVBIVM CVI.

*An omnis simonia externa, & realis subiecta pœnis simoniæ, obliget ad restitutionem, vel taxium simonia realis completa ex vtraque parte.*

1 SVpponendum est, quòd simonia externa committitur, siue sit explicitum, siue implicitum pactum dandi temporale pro spirituali. Implicitum, vel tacitum dicitur, quando non fit formaliter, expressè, sed nutibus, & signis, vel ex modo dicendi, vel factis ipsis, vel alio modo quis significat deprauatam intentionem suam, vt se mutuò intelligant. Nauar. summa Latin. *cap. 23. n. 105.* ponit duo exempla huius taciti pacti, quæ apud illum videri possunt.

2 Secundò nota, quòd simonia exterior est duplex.

Quædam completa, & perfecta', quæ appellatur communiter à Iurisperitis simonia realis: & est quando verè traditur pretium rei spiritualis, & traditur etiam res ipsa spiritualis.

Alia est incompleta, quam appellant communiter conuentionalem, quando scilicet, vel non est sequuta vera traditio rei spiritualis, vel pretij; & hæc à quibusdam appellatur mentalis, eo quòd non subiacet pœnis simoniæ; sicut nec mentalis.

3 Nota sat esse, vt sit realis, & completa, si tradatur pars rei spiritualis, & pars pretij, vt si vendam duo beneficia viginti aureis, sat est si tradatur vnum beneficium, & vnus aureus; quia non refert ad simoniam, quòd vendatur vnum; aut duo beneficia magno, vel paruo pretio. Et similiter est realis, & completa, quando est traditio pretij, & beneficij, licèt alter non ceperit beneficij possessionem. Si tamen promisit dare centum instrumento publico, & est traditio beneficij, & solius instrumenti, non est realis, & completa; imo nec est realis, & cõpleta, contra Nauarr. quando conuenerunt, vt alter daret beneficium, & alter scripturam promissionis centum, & traditum est beneficium, & scriptura; quia scriptura non est pars pretij, sed probatio quædam promissionis pretij.

4 His suppositis circa dubium propositum conueniunt communiter Doctores, quòd quando simonia est incompleta ex vtraque parte, quia scilicet nec tradita est res spiritualis, nec pretium, non incurritur excommunicatio, nec cæteræ pœnæ simoniæ: & similiter quando est completa ex parte solius promittentis pretium, quia scilicet dedit pretium, & alter non dedit beneficium. An verò pretium sit tunc restituendum, *infrà* dicemus. At magna dubitatio est, quando est tantùm completa ex parte promittentis beneficium; quia scilicet illud dedit, at alter non soluit pretium, an tunc incurrantur pœnæ simoniæ, & alter teneatur resignare beneficium tanquam non suum, ac fructus restituere. Quidam affirmant, quia beneficium principalem obtinet locum, & est vera venditio ad creditum. At verius est, quòd non incurruntur pœnæ, nec tenetur resignare beneficium, sed ad incurrendum pœnas, ac obligationem resignandi beneficium cum fructibus requiritur simonia completa vtrinque, quia sic seruat stylus. Vnde dum Syuest. *verbo simoniæ, quæst. 20. in principio*, dicit simoniam conuentionalem obligare ad restituendum acceptum, secundùm omnes, intelligitur tali pretio accepto, vt *infrà* dicemus.

5 Nota primò hinc excipi simoniam confidentialem, quæ subiecta est pœnis, & restitutioni, licèt nondũ completa sit, vt habes *suprà dub. 34.* & etiam simoniam; quando aliquid promittitur pro iustitia, vel gratia apud sedem Apostolicam obtinenda; incurruntur enim pœnæ, licèt nondum completa sit promissio, vt dixi *dub. 104. fine.*

6 Secundò nota, quòd si duo conueniant, vt alter renunciet beneficio in fauorem meum, & ego renunciabo in fauorem suum, vel Petri, est conuentionalis, & incompleta, quando alter tantùm renunciauit: at quando vterque renunciat, fit realis, & completa. Sic Nauar. *cap. si quando, de rescript. except. 4. fine.* At quando quis renúciat beneficiũ cum reseruatione pensionis, & alter reseruationi consentit, licèt nondum eam soluerit, est simonia vtrinque completa. Sic Nauar. *lib. 5. consil. tit. de simon. in antiquis, consil. 11.* & Manuel *2. tomo summæ, cap. 60. num. 3.* At in hoc vtroque casu *infrà* dicam non incurri pœnas; quia est simonia solo iure humano vetita.

7 An verò quando postea simonia conuentionalis fit realis, & perfecta, quia scilicet alter soluit pretium beneficij accepti, incurratur excommunicatio, & nullitas tituli beneficij accepti ex tunc, vel à die beneficij accepti quidam iuniores dicunt videri satis probabile non retrotrahi, sed à die commissæ simoniæ completæ contrahi excommunicationem, & obligationem resignandi beneficium, & restituendi fructus. At alij meliùs dicunt retrotrahi tam excommunicationem, quàm collationis beneficij nullitatem, quia ita seruat stylus antiquus Curiæ, cui standum est; licèt posset oppositum dici, nisi hic stylus obstaret. Quòd si arguas, quòd collatio beneficij est actus legitimus, & sic non patitur conditionem, nec potest esse in pendenti. *cap. 2. de elect. in 6.* & similiter excommunicatio, *cap. ad hæc, de appellat.* Respondet Nauar. quòd cùm hæc sint iura Ecclesiastica, derogantur per ius nouum, scilicet *extrauag. 2. de simon.* quæ inducit hanc excommunicationem, & nullitatem collationis, iuncto stylo Curiæ, qui facit ius, declarante quòd retrotrahantur hæ pœnæ. At si talis clericus celebraret ante completam ab altera parte simoniam, non incurret irregularitatem, quando postea completur, quia nondum certum, nec declaratum erat esse excommunicatum, sed erat inpendenti, & sic nullus est censuræ contemptus ob quem hæc irregularitas est statuta. Hæc omnia latiùs probans Nauar. summa Lat. *c. 23. n. 193. & super. cap. fin. de simon. n. 28. & sequentibus.* Gut. *q. canon. cap. 9. n. 14. 15.* Lud. Lopez *1. par. instruct. noui, cap. 305. fol. 959. 960.* Capua *lib. 2. decis. cap. 95. num. 26.*

8 Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca



8 Hinc infertur primò, quòd vbi fuerit simonia completa, tenetur restituere fructus à die collationis beneficij, & si medio eo tempore permutauit cum alio, vel renunciauit, non valet, sed alter tenetur dimittere beneficium, quia iuxta hanc sententiam retrotrahitur. Sic inferunt docti iuniores.

9 Secundò infertur, quòd si quis est absolutus à peccato simoniæ antequam solueret pretium, & postea soluit, incurret excommunicationem, quia tunc completur simonia. Sic Nauar. *lib. 5. consil. titul. de simon. in antiquis, consil. 28. num. 2.*

## DVBIVM CVII.

*An omnis simonia realis, seu completa subdatur pœnis, & restitutioni simoniæ, vel tantùm simonia in beneficio, & ordine, & ingressu Religionis.*

1 IN hoc dubio tantùm intendo, an simonia in aliis etiam rebus spiritualibus commissa subiaceat his pœnis, vel tantùm in his tribus; nam quo modo in his tribus incurruntur pœnæ, dixi latè *supra dub.* 104. Qualiter verò incurratur obligatio restituendi in his tribus, & in aliis simoniis, dicendum est specialiter *infra*.

2 Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 8. art. 2. propè finem corporis*, dicit omnem simoniacum incurrere excommunicationem, per *extrauag. 2. de simonia*, ait enim Extrauagans, qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserit; & *infra*, in beneficiis, & officiis Ecclesiasticis; ergo comprehendit omnem simoniam.

3 At dicendum est, quòd tantùm simoniaci in ordine, beneficio, & ingressu Religionis, sunt excommunicati, & puniuntur pœnis iure statutis contra simoniacos (intellige tamen per beneficia electiones ad prælaturas Religionis, vt dixi *sup. dub.* 104) quia *extrauagans 2 de simon.* tantùm excommunicat simoniacos in ordine, & beneficio. Et per hoc intelligendi veniunt aliqui ex Doctoribus, quos pro hac sententia referam, quos videns posset decipi: dicunt enim tantùm excommunicari simoniacos in ordine, & beneficio, intelligunt enim per *d. extrauag* 2 quia illam explicant: at per *extrauag. 1 eodem titul.* vt dixi *sup. dub.* 104 excommunicantur simoniaci in ingressu Religionis, & non datur aliquis textus puniens alios simoniacos, vt patet ex dictis *dict. dub* 104. Vnde dum dicit *dicta extrauag. 2. Quomodolibet dando, vel recipiendo*, intelligitur pro ordine, vel beneficio quia de hac tantùm simonia est *ibi* sermo; & nomine officiorum intelliguntur *ibi* beneficia, vt dicunt Doctores citandi. Sic tenent Caietan. *verbo excommunicatio, cap. 72* Nauar. *summa, cap. 23.* Latinè *num. 111. vers. 7. & cap. 27.* Latin. & Hispan. *num. 106. & super cap. final. de simon. num. 29.* Armil. *verbo excommunicatio, excommunic. 59.* Tabien. *excommunicatio 7. initio.* Rosella *simonia 6. n. 13.* Angel. *simonia 6. num. 9.* Enriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 37. num. 3.* Manuel 2. *tom. summæ, cap. 56. n. 6.* Ludouic. Lopez 1. *part. instr. noui, cap. 307. fol. 971. pag. 2. & cap. 305. fol. 953.* Capua *lib. 2. decis. c. 97. num. 3* Angles *floribus 2. part. quæst. Quis à restitutione sit liber, dub. 28. fol. 193.* Beia *casu 37. fol. 155.* Salzedo *super pract. Bernad. Diaz c. 91.* incipienti *simoniaci*, & quidam docti recentiores.

4 Hinc infertur primò, quòd vendens pensionem, licèt aliquando committat simoniam, at non incurrit excommunicationem, & alias pœnas; quia pensio non est beneficium. Sic Nauar. summa Lat. *cap. 23. num. 111. in principio.* Manuel, & Salzedo *suprà*, Ludouic. Lopez 1. *p. instruct. noui, c. 303. fol. 935.* Quòd limitat Manuel *ibi* cum Nauarro *lib. 5. consil. titul. de simon. in antiquis consil. 32. in nouis consil. 60. & 59.*

5 Secundò infertur, quòd vendens iuspatronatus, licèt sit simoniacus, at non est excommunicatus, nec incurrit pœnas simoniaci; quia non est beneficium. Sic Nauarr. *lib. 5. cõsil. titul. de simon. in antiquis, consil. 47. in nouis, consil. 87. & in antiquis consil. 16. num. 2. & 3.* vbi dicit secus esse, si pretium præsentaret ad beneficium, quia tunc esset simonia circa beneficium. An verò iuxta Consil. Trident. vendens iuspatronatus incurrat excommunicationem, habes *supra dub. 82.*

6 Tertiò infertur, quòd qui emeret vicariam spiritualem perpetuam, incurret pœnas simoniæ, quia talis vicaria est beneficium, vt dicam *materia de ordine*; & si esset temporalis, vt ad vitam Episcopi, vel vicariam Rectoris ad vitam parochi, vel alterius beneficiati, licèt esset simonia, quia vicaria est spiritualis; at non incurreret excommunicationem, nec alias pœnas simoniæ; quia non est beneficium. Sic Nauarr. summa Lat. *cap. 23. num. 111. vers. ad decimum tertium, & lib. 5. consil. titul. de simon in antiquis consil. 68.* Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. noui, c. 307. fol. 975. pag. 2.* Manuel 1. *tomo summæ, cap. 56. n. 6.* Salzedo *super pract. Bernard. Diaz cap. 91. incipienti simoniaci.*

7 Quartò infertur, quòd si Canonici sede vacante conuenerunt, vt qui ex ipsis eligeretur vicarius Capituli, ouideret cum reliquis salarium, & emolumenta ex officio prouenientia, omnes sunt simoniaci, at non excommunicati; quia licèt vicariatus sit quid spirituale, at non est beneficium. Sic Nauar. *lib. 5. consil. tit. 4. ne Prælati vices suas.*

8 Vltimò infertur, quòd vbi sunt collegia pro scholasticis pauperibus instituta, si quis cedat loco suo ob pretium, est simonia; quia sunt annexa spiritualibus, at non incurrit censuras; quia non sunt beneficium. Sic Nauarr. *lib. 5. consil. titul. de simon. in nouis consil. 89.*

9 Excipe à regula dicta, quando datur pretium pro iustitia, vel gratia, iuxta dicta *supra dub. 104. fine.* licèt enim non sit beneficium, incurruntur tamen censuræ, vt *ibi* dixi.

## DVBIVM CVIII.

*An simoniæ realis, & completa solo tamen iure Ecclesiastico vetita, subiaceat restitutioni, & pœnis simoniæ.*

1 EXempli gratia. Duo permutant beneficia traditione sequuta sine licentia superioris; vel si quis confert beneficium reseruans pensionem sine licentia superioris, quæ sunt simoniæ de iure Ecclesiastico. Dubitatur an sint excommunicati, & vtroque beneficio ipso facto priuati, & teneantur fructus restituere.

Duplex est sententia.

2 Prima affirmat incurrere. Probatur, quia hæ pœnæ statuuntur contra simoniacos, *extrauag. 2. de simon.* At simoniaci simonia solo iure Ecclesiastico vetita, dicuntur in iure simoniaci, vt constat ex *suprà* dictis: ergo maximè, quia ibi dicitur incurri pœnas quomodolibet dando, vel recipiendo. Pro hac sententia est Nauar. *cap. si quando de reseriptis, except. 4. fine*, vbi dicit, quòd simoniam, de qua *ibi* tractat, quæ tamen est de iure humano, scilicet, renuncio meum beneficium, vt tu renuncies tuum, & tamen dicit incurri excommunicationem, & collationem esse nullam, & teneri restituere fructus. Idem quando renunciat reseruata pensione, quæ est simonia de iure humano, tenet *lib. 5. consil. tit. de simon. in antiquis consil. 11.* & in alia, quæ est etiam de iure humano, dicit idem *consil. 21.* & in nouis *eodem tit. consil. 41. fine.* & in antiquis *consil. 22.* In nouis verò *consil. 41. fine*, dicit idem, & fatetur *ibi* esse simoniam tantùm de iure humano. Pro eadem sunt Panormit. *cap. ex parte, el. 1. de offic. deleg.* & Felin. *cap. ad audientiam, el 2. de rescript.* vbi fatentur esse simoniam de iure Ecclesiastico, quando quis renunciat, vt detur beneficium certæ personæ: & tamen dicunt non valere renunciationem, nec collationem factam alteri. Pro eadem sunt Sotus *lib. 9. de iustit. quæst. 7. art. 2. conclus. 2.* & Ludouic. Lopez 1 *part. instruct. noui c. 299. conclusion. 5. fol. 904.* vbi dicunt collationem beneficij, quando est reseruatio pensionis, & non fit mentio Papæ, nõ valere: & tamẽ est simonia de iure humano.

Eandem



Eandem tenent quidam iuniores, qui asserunt sic relatè disputata inter viros doctos, resolutum esse.

Secunda sententia probabilior est, non incurri pœnas, & sic in casibus propositis non esse excommunicatos, nec priuatos beneficiis sic receptis ipso iure, nec teneri fructus restituere.

Probatur primò ex proœmio, sic enim incipit, *Cum scelus simoniacæ prauitatis tam diuinorum, quam sacrorum canonum authoritas abhorreat.* Ergo loquitur de simonia diuino simul, ac canonico iure reprobata: nam præfatio legis dat intellectum toti legi; & ex ipsa regulatur, & causam finalem accipit, vt optimè multos allegans docet Molina *lib. 1. de primogen. cap 5. num. 3.* Gutier. *lib 3. pract. quæst. 17. num. 89. & quæst. 1. num 36. & lib. 1. quæst. 89. num. 5. 6.* Mandosius 9. *regula Cancell. q. 5. numero 3.* Nauarra summa Lat. *cap. 23. num. 109. vers. Quod autem.* Ludouicus Gomez *reg. de annali possess. quæst. 3* Nauarra *cap. si quando, de rescript. except. 8. num. 1. 8. 9.*

3 Secundò probatur, quia verba in dubio capi debent in potiori significato, vt docet Ludouic. Gomez *regul. de triennali, quæst. 12. §. sed quod regula.* sicut diximus de excommunicatione, quòd in dubio capitur pro maiori, *capite penultimo de sentent. excommunic.* & in materia pœnali, & odiosa, qualis est ista simoniæ, nomine simoniæ tantùm comprehenditur illa, quæ propriissimè est simonia, vt docent idem Ludouicus Gomez *ea quæstione 12. vers. cum igitur.* At potiùs significatum simoniæ est simonia iure diuino prohibita, & ea tantùm est propriè, & strictè simonia, vt constat ex simoniæ definitione, quæ est *emptio, & venditio rei spiritualis*; ergo. Vnde cùm *in dictione Extrauag. 2.* dicitur, *quomodolibet dando*, &c. solùm prohibetur modus, non obiectum, non enim dixit, quodcumque dando, sed quomodocumque, siue enim detur spirituale pro temporali per munus à manu, obsequio, &c. incurruntur pœnæ.

Tertiò, quia *cap. cùm olim, de rerum permut.* quod loquitur de permutantibus beneficia, tantùm habet pœnam priuationis, ferendam tamen; excommunicationem verò non habet. Hanc fertur tenuisse Couarruuias & illam tenet Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 2. num. 436. & sequentibus*, malè tamen citat pro se Couarr. & Nauarrum, quia nil dicunt, ad hoc conferens. Eandem tenet Aragon 2. 2. *q 100. art. 6. sub finem.* Manuel 2. *tomo summæ cap. 64. n. 6. & cap. 56. n. 6.*

4 Excipe simoniam confidentialem, quæ subdita est pœnis, & licèt aliquando sit tantùm iure humano prohibita: vt quando quis renunciat beneficio, pacto mutuo, vt sibi, vel alij postea reddatur; vel cum reseruatione pensionis, non sibi (quia hæc non est confidentialis, vt dixi *supra dubit. 34.*) sed alij soluenda: de quo *supra dicta dubitatione 34.* Excipe etiam, quando datur aliquid notariis, vel officialibus Episcopi, licèt constet sit simonia iure humano, incurruntur pœnæ Trident. *sessione 21. cap. 1. de reformat.* vbi dixi *supra dubitatione 19.*

## DVBIVM CIX.

*An quando sola voce, & instrumento, profitetur quis se dare temporale pro spirituali, sit vera simonia, si peruentum sit ad traditionem rei spiritualis, & pretij, & subiaceat pœnis simoniæ, & obliget ad restituendum.*

1 QVidam affirmant; quia non stat habere animum dandi temporale pro spirituali, & non emendi, quia hoc est emere. At verius est non incurrere, licèt peccet mortaliter, quia participat cum simoniæ vendentis, dando ad hoc operam efficacem, & dat occasionem scandali aliis. Probatur, quia hic reuera non habet animum dandi temporale pro spirituali: hoc enim non stat, cùm non haberet animum emendi, sed fingit voce, & instrumento se dare temporale pro spirituali; cùm tamen non habeat animum dandi pro hoc, ac fictus homo, non est homo, nec hæreticus sola voce, est verè hæreticus.

## DVBIVM CX.

*An quando datur aliquod paruum pro beneficio, sit peccatum mortale, & incurrantur pœnæ.*

1 DIco primò, quòd in foro externo non iudicatur simonia; quia ex paruitate rei datæ præsumitur gratis dari: at in foro conscientiæ est simonia, quando datur ex pacto. Patet prima pars ex *cap. ersi quæstiones, de simon.* Patet secunda, quia verè non gratis datur. Sic Panorm. *dict. cap. & si quæstiones.* Greg. Lopez *l. 3. vers. la 2. tit. 17. part. 1.* Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de simon. in nouis, cons. 52.*

2 Secundò dico, quando propter rei donatæ paruitatem non esset peccatum mortale, non incurreretur excommunicatio; quia nequit incurri sine culpa mortali. Sic Nauarra *ibi numero tertio & super extrauagant. de datis, & promissis pro iust. vel grat. numero 17.* P. Molina *tomo primo de iustitia tractatu 2. disputatione 92. pagina 547.*

3 Tertiò dico, licèt detur quid modicum pro re spirituali animo emendi, vel pro pretio ipsius, est simonia mortalis. Ratio, quia licèt res data sit modica, at iniuria rei spirituali facta est maxima, cùm reponatur in numero æstimabilium pecunia. Sic Nauar. *vtroque loco citato.*

4 Quartò dico, quòd tunc incurrentur excommunicatio, & aliæ pœnæ; quia est simonia mortalis & grauis irrogatur iniuria rei spirituali. Sic Nauarr. *eo cons. 52.* Nec contra hoc sunt ipse Nauarr. *super extrauag. citatam, num 17.* P. Molina *vbi suprà*, vbi dicunt, quòd licèt datio rei minimæ pro iustitia, vel gratia animo emendi sit peccatum mortale, at non incurruntur pœnæ illius Extrauagan. quia est differens ratio in nostro casu, in quo ponuntur pœnæ in odium simoniæ; at in illa Extrauagan. non tam in odium simoniæ ponuntur, quàm ne muneribus corrumpatur author iustitiæ, vel gratiæ, vt docent *ibi* Nauarr. & Molina, quem modica non corrumpunt.

5 Vltimò dico, quòd quæ quantitas sit modica, arbitrio prudentis relinquitur, attenta qualitate dantis, & eius, cui datur, & rei, quæ obtinenda speratur, & aliis circunstantiis, vt habetur *cap. si quæstiones, de simon.* & docet *ibi* Panormit. & omnes Nauarr. *dicto cons. 52.* P. Molina *supra.*

## DVBIVM CXI.

*An iure diuino, & naturali teneantur simoniaci restituere pretium pro re spirituali acceptum, & ipsam rem spiritualem resignare.*

CIrca rem spiritualem, v. g. beneficium, duplex est sententia.

1 Prima ait collationem simoniacam esse iure diuino, & naturali nullam, & sic eodem iure teneri recipientem resignare. Fundamentum potissimum est, quod acquiritur contra voluntatem domini, est restituendum; at tale beneficium acquiritur contra voluntatem Christi, qui est beneficiorum dominus, qui iussit gratis dari; ergo. Sic tenent Couarruuias *reg. peccatum 2. part. § 8. num. vers. ex eadem.* Sotus *lib 9. de iustit. quæst. 8. art. 1. ad 6.* Adrian. 4. *quodl. 9. art 3.*

2 Secunda sententia probabilior docet non teneri

Universidad de Deusto
Biblioteca



restituere stando in solo iure diuino, & naturali, sed collationem esse validam.

Probatur, quia emens beneficium non facit iniustum, sed patitur, debebat enim gratis accipere, & tantùm peccat contra religionem, cuius transgressio non obligat ad restituendum.

Secundò probatur, quia dispensator dupliciter potest res domini contra eius voluntatem dispensare.

Primo modo quando dominus præcipit, vt nullatenus dispensaret, & tunc accipiens tenetur iure naturæ restituere; quia accipit omnino contra domini voluntatem.

Secundo modo quando est tantùm inuitus dominus quoad modum, quia scilicet dominus præcipit dispensate gratis, ac dispensat ob pretium: & tunc pretio accipiens non peccat contra iustitiam, & per consequens non tenetur iure naturæ restituere. Hanc tenent communiter Doctores, vt fatetur Couarr. *d. num.* 8. *vers. Non me latet.* Victoria *relect. de simon. 2. part. num.* 5. Aragon 2.2. *quæst.* 32. *art.* 7. *fol.* 759. *fin. & 760. initio, & q.* 100. *art.* 6. *fol.* 1132. *concl.* 2. Nauar. *lib.* 2. *de restit. c.* 2. *à n.* 401. *usque ad* 411. Syluest. *verb. simonia, q.* 20. *dicto* 1. Gutierr. *q. canon. c.* 9. *n.* 16. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. noui, cap.* 306. *fol.* 963. Nauar. summa Lat. *cap.* 23. *& commentario de vsura, num.* 29. & Sotus *dist. quæst.* 8. *art.* 2. *ad* 2. hanc tenet, dicit enim quòd nisi communis opinio reclamaret, diceret quòd iure diuino simoniacus est inhabilis ad retinendum præbendam: vnde clarè conuictus ex communi opinione eam tenetur restituere. Idem Palud. 4. *dist.* 25. *quæst.* 5. *num.* 9. & docti iuniores.

3 De pretio verò per simoniam pro re spirituali recepto, an sit iure diuino, & naturali restituendum, est longe difficilius dubium Duplex est sententia.

4 Prima, & satis probabilis docet accipientem tale pretium teneri iure diuino, & naturali restituere. Fundamentum huius potissimum est; quia si dominus iubeat œconomo, vt aliquid gratis distribuat, & is vendat, tenetur pretium restituere iure naturæ; at Christus præcepit gratis distribui beneficia: ergo. Hanc tenent Sotus *d. art.* 1. *in principio, vers. circa hanc conclusionem.* Aragon *d. quæst.* 32. *art.* 7. *fol.* 759. *concl.* 2. *& q.* 100. *art.* 6. *fol.* 1132. *concl.* 1. Adrian *quodl.* 9. *art.* 3. *littera H.* & communiter neoterici.

5 Secunda sententia probabilior docet non teneri iure diuino, & naturali restituere. Fundamentum huius est, quia sola violatio iustitiæ commutatiuæ obligat restituere: at hic vendens non peccat contra iustitiam commutatiuam, solo enim simoniæ vitio peccat, quod non est contra iustitiam, sed contra Religionem. Item quia licèt alter teneatur ex voluntate domini gratis dare, at id non est ex iustitia, sed ex sola Religione, cuius violatio non inducit obligationem restituendi: non enim id præceptum est in fauorem recipientis beneficium, sed ob rei sacræ fauorem: sicut non extrahere delinquentem ab Ecclesia, non in fauorem ipsius, sed Ecclesiæ inductum est: & sic illum extrahens, & puniens, est sacrilegus: at non iniustus, nec tenetur restituere. Hanc tenent Victoria *supra num.* 4. Syluest. & Nauarra, Gutier. Nauar. *supra*, Ludou. Lopez 1. *part. instruct. noui, c.* 306. *fol.* 965. *fine.* Angles *floribus* 2. *part. quæst. Quis à restitutione sit liber. dub.* 18. *fol.* 193. Idem tanquam valde probabile tenent Bañes 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *pag.* 1174. & multi viri docti ex Societate de hac re consulti.

6 Hoc tamen intelligendum est, quantum est ex parte venditionis simoniacæ: si enim ex iustitia commutatiua tenetur gratis dare, vt parochus suis parochianis sacramenta, quia ad id recipit stipendium, tenetur secundùm omnes sententias iure diuino, & naturali restituere. Ita Ludou. Lopez *proximè citatus*, & quidam docti iuniores.

7 Hinc inferunt dicti iuniores, quòd si Episcopus vendat beneficium et cui nullatenus tenebatur dare, non tenetur iure diuino, & naturali ei restituere pretium, sed Ecclesiæ. Si verò digniori, cui ex distributiua tenebatur dare, secundùm sententiam probabilem quòd huius violatio non inducit obligationem restituendi, nulli tenetur pretium restituere. Sed certum est teneri restituere per ea, quæ dixi *supra dub.* 105. *fine*, & hoc iure naturali, & diuino, non ratione simoniæ contractæ, sed quia violat iustitiam commutatiuam: quia beneficium illud non est Episcopi, nec quantum ad dominium, nec quantum ad ius fruendi fructibus, illudque possidendi: sed est merus dispensator, tenetúrque conferre illud beneficium, & licèt possit eligere, cui conferat, at hoc non est pretio æstimabile, vt probaui *dict. dub.* 105. *fine*, & sic tenet Ludou Lopez, *proximè citatus.*

8 Ex dictis infertur solutio illius quæstionis, an emens beneficium à Papa incurrat pœnas simoniæ, & talis collatio sit valida: quidam enim dicunt incurrere, nec collationem esse validam, quia non censetur per hoc Papa dispensare in sua lege, nisi dicat expresse se dispensare. At dicendum est, quòd eo ipso censetur Papa dispensare, ne contrahat pœnas simoniæ, & sit valida collatio, & excusabitur talis à peccato simoniæ, quando simonia est solo iure Ecclesiastico vetita: immo licèt diceremus collationem beneficij simoniacè factam esse iure diuino nullam, & sic non posse in hoc Papam dispensare, adhuc tamen collatio est valida; quia potest Papa de nouo conferre, & præsumendum est id velle. Similiter conferretur Papa dispensare, quando simonia de eius consensu cum aliquo curiali facta est; secus quando non interuenit eius consensus, sed tantùm sciuit, & tacuit.

## DVBIVM CXII.

*An saltem de iure Ecclesiastico teneantur recipientes pretium simoniacè pro beneficio, ordine, vel ingressu Religionis illud restituere, & dans pretium teneatur rem spiritualem, vel beneficium, resignare.*

1 QVidam moderni dicunt, (vt refert Manuel 2. *tomo summæ cap.* 66. *n.* 4.) esse probabile non teneri restituere pretium ante condemnationem: alij verò teneri, quando simonia est commissa in beneficio; quia in hoc casu est textus clarus, *cap. ad hoc, de simon.* at in aliis non.

2 Cæterùm dicendum est teneri ante iudicis sententiam pretium restituere, & beneficium resignare, vt de hoc latiùs *infrà.* Probatur, quia de beneficio est textus clarus, *cap. de hoc, de simon.* vbi sic dicitur. *Pretium reputant, cum sine graui salutis suæ præiudicio restituere non possint.* Et de beneficio, & ordine est etiam *Extrauag. 2. de simon.* (quam de his duabus simoniis loqui probaui *supra dub.* 104.) vbi sic dicitur, *Ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit astrictus.* De simonia in Religionis ingressu est *cap. temere, de simon.* vbi dicitur, *compellas eos restituere.* Et licèt hi textus non sint ita clari, at sic recepti sunt, & intellecti communiter à Doctoribus. Vnde nullo modo auderem hos à restitutione excusare. Et sic tenet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. *ad* 1. *&* 4. & Doctores omnes citandi *dub. sequenti*, qui vel asserunt in omnibus simoniis hæc procedere, vel alij qui dicunt in his tantùm tribus generibus simoniæ esse obligationem restituendi pretium: idem omnes Doctores citandi *dub.* 114. qui tanquam manifestum supponunt teneri restituere pretium, & solùm dissentiunt circa quæstionem, cui sit restituendum.

DVBIVM



## DVBIVM CXIII.

*An tantum pretium receptum pro simonia in ordine, & beneficio, & ingressu Religionis, sit necessario restituendum: vel idem sit de pretio pro quibuscumque rebus spiritualibus recepto.*

1 DVplex est sententia.

Prima & satis probabilis affirmat teneri restituere pretium pro quibuscumque rebus spiritualibus acceptum, & non tantùm in his tribus casibus. Probatur ex *cap. fin. de pactis*, vbi sic dicitur. Pactiones pro spiritualibus obtinendis nullius penitus sunt momenti: & redditur *ibi* ratio? quia etiam iuxta leges pactum turpe, seu rei turpis nullam inducit obligationem: ergo. Et *c. fuam, de simon.* vbi de quodam capellano recipienti pecuniam à suis parochianis pro exequiis mortuorum, dicitur quòd satisfaciat pro excessu competenter: vbi glossa *vers. competenter*, inquit, *restituendo, & c, audimus, de simon.* vbi dicitur quòd pecunias, quas quidam Episcopi pro spiritualibus extorquebant, duplicatas restituant in vtilitatem locorum; in quorum iniuriam solutæ sunt. Hanc sententiam tenent omnes, quos retuli *supra dub.* 111. dicentes simoniacè pretium acceptum esse iure diuino, & naturali restituendum. Eandem etiam tenent omnes citati in materia *de restit.* dicentes, quando turpitudo versatur ex parte dantis, & accipientis, esse restituendum: & specialiter ex Doctoribus dicentibus solo iure Ecclesiastico præcipi restitutionem simoniæ. Hanc tenent Nauarr. *lib.* 2. *de restitut. cap.* 2. *num.* 405. *& lib.* 4 *cap.* 2. *num.* 134. Manuel 2. *tomo summæ cap.* 56. *num.* 6. *vers. la sesta conclusio.* Syluest. *verb. simonia, quæst.* 20. *dicto* 2. *fine.* Ludou Lop. 1. *part. instruct. noui, cap.* 307. *fol.* 971. *pag.* 1. Capua *lib.* 2. *decis. cap.* 97. *num.* 3. Couar. *reg. peccatum* 2 *part.* §. 2. *num.* 7. Abulens. *cap.* 6 *Matth. quæst.* 39. Caiet. *summa verb. restitutio, cap.* 4. Aragon 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6 *fol.* 1133. *concl.* 3. D. Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 5. § 7. & tanquam probabile ponit Victoria *relect. de simon.* 2. *part. num.* 4. Pro hac etiam sunt Nauar. summa Lat. *c.* 23. *num.* 181. *vers. ad* 13. & *lib.* 5. *consil. tit. de simon.* in antiquis *cons.* 8. & Ludouic. Lopez *d. c.* 307. *fol.* 975. *pag.* 2. vbi dicunt teneri resignare ementem vicariatum Episcopi, & contractum esse nullum; cùm tamen ibi fateantur non esse beneficium.

2 Secunda sententia probabilior dicit nullo modo teneri restituere ante iudicis sententiam recipientem pretium simoniacè, extra simoniam in beneficio, ordine, & ingressu Religionis, quia iure diuino iam *supra* probatum est *dub.* 111. non teneri: & ius Ecclesiasticum nullum est, quod obliget ante iudicis sententiam restituere, exceptis illis tribus casibus. Nec obstat *cap. final. de pactis*, nam sicut illud dicit pactiones pro spiritualibus nullius esse momenti: ita *l. generaliter, ff. de verb. obli.* dicit hæc, *Generaliter nouimus stipulationes turpes nullius esse momenti.* Et tamen Couarr. *reg. peccatum* 2. *part.* §. 2. *n.* 7. dicit, quòd lex illa, & similes procedunt ad hunc sanè effectum, vt ex eis agi non possit, nec teneatur quis promissa seruare, non autem ad hoc, vt verum sit restituendum ante condemnationem: & licèt conuentiones hæ reprobentur, quoad omnes iuris effectus, in pœnam criminis commissi pacisccndo fit: vnde non obligant ante condemnationem. Hæc Couarr. & idem alij, qui in materia *de restit.* tenent datum pro causa turpi non esse restituendum: & *l. 8. tit.* 7. *lib.* 8. *noua recop.* dicitur de ludo pecunia credita, sic *Damos por ningunas quales quiere obligaciones, y promessas.* Et tamen verior sententia dicit id esse ad hunc effectum, vt perdens non teneatur soluere: at si soluat, non teneri alterum restituere; ergo similiter possumus dicere ad *cap. final. de pactis*, annullari tales pactiones, ad hunc effectum, vt ex eis non oriatur actio, nec teneatur promittens soluere, non autem quòd si soluat, teneatur alter restituere: vel esse in pœnam criminis, & sic requiri sententiam iudicis. Non obstat etiam *cap. fuam, de simon.* quia possumus dicere illam satisfactionem non esse restitutionem, sed pœnitentiam pro peccato: vel esto sit restitutio, id non esse ratione simoniæ, sed quia tenebatur ex officio suis parochianis gratis ministrare. Et similiter est *in cap. audiuimus de simon.* qui ia alter erat parochus, alter verò Episcopus; vel dic *cap. audiuimus*, procedere post sententiam iudicis: & patet, quia dicit, duplicatas pecunias restituant, & loco, cui iniuria illata est: & tamen constat non teneri ante condemnationem duplicatas restituere; & est verius (vt dicam *dub. sequenti*) non teneri ante condemnationem restituere Ecclesiæ, sed danti. Et sic hanc sententiam, quòd iure Ecclesiastico non impediatur translatio dominij, nisi in simonia in ordine, beneficio, & ingressu Religionis, tenent Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 8. *art.* 1. *ad* 6. *versic. Porrò verò.* Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 35. *n.* 4. *in commento litera S.* Manuel 2. *tomo summæ cap.* 66. *n.* 2. Angles *floribus* 2. *p. quæst. Quis à restitutione sit liber. dub.* 18. *concluf.* 3. *fol.* 193. 194. & hoc dicit forsan esse verum Victoria *relect. de simon.* 2. *part. num.* 4. & dicit esse probabile Ludou. Lopez 1. *part. instruct. noui, c.* 307. *fol.* 971. *pag.* 2 *initio*; & tenent quidam docti recentiores.

3 Nota primò hoc intelligi, quando tradita est res spiritualis: si enim non sit tradita, est restituendum pretium, vt dicam *dub. sequenti.*

4 Secundò nota, quòd quamuis iustitia, vel gratia non sit circa beneficia, at pretium datum pro illis est restituendum, per extrauag. Gregorij XIII. vt dixi *supra dub.* 104. *fine.*

5 Tertiò nota, quòd licèt iuspatronatus non sit beneficium, at si vendatur, eius venditio non tenet: & sic est restituendum, & etiam pretium, vt *supra* dixi *dub.* 79. 82. 83.

6 Tandem infertur contra Nauarr. & Ludou. Lopez quòd emens vicariatum Episcopi, cùm is non sit beneficium, non tenetur illud resignare: vt patet ex adductis pro secunda sententia.

## DVBIVM CXIV.

*Cui sit restituendum pretium simoniacè acceptum casu, quo iuxta dicta restituendum est.*

1 HAc in re certum est, quòd si causa non est subsequuta, quia, v. g. simonia non fuit realis, & completa, sed conuentionalis; & imperfecta ex parte rei spiritualis, quia scilicet alter dedit pretium, & alter non reddidit rem spiritualem, tunc pretium est restituendum. Ratio, quia aliter non est libera datio, cùm causa non extet, ob quam facta est; & ita fatentur omnes Doctores citandi, & sic debet intelligi Syluest. *verb. simonia quæst.* 20 *in principio*, vbi dicit simoniam conuentionalem secundùm omnes obligare ad restituendum acceptum.

2 Secundò, licèt Couarr. *reg. peccatum* 2. *part.* §. 2. *numero* 7. *fine* dicat, quòd in hoc casu non est restituendum danti, sed pauperibus, si sit aliqua lex, quæ in pœnam iniquæ conuentionis inhabilem faciat eum, qui dedit, ad repetendum; quare cùm talis lex sit, vt *ibi* fatetur Couarr. nempè *l.* 2. *ff. de condict. ob turpem caus.* manifestè sequitur iuxta Couarr. non esse danti restituendum: licèt hoc (inquam) dicat Couar. at ferè certum est in hoc casu esse restituendum danti ante condemnationem iudicis. Ratio, quia stando in iure naturali, quæ dedit pretium, non plenè abdicauit à se dominium, sed adhuc manet ipsius, pendente adhuc consummatione contractus, & ius Ecclesiasticum non punit

Universidad de Deusto
Biblioteca



hanc simoniam conuentionalem imperfectam. Sic tenet Nauar. *lib.4.de restit.cap.2.num.144.* Angles *floribus 2.part.quæst. Quis à restitutione sit liber,dub. 12.fol.192.* Manuel *2.tomo summæ, cap.66.num.4.* Candelabrum Sacramentorum *in appendice cap.1.num.29.* Metina *C. de restit. quæst.2.§. de eo quod, versf. ob causam.* Aragon *2.2.quæst 32.art.7.fol.760. ad 3.* & *ibi* Bañes *dub.2.fol. 1174.* Sotus *lib 9.de iust.quæst.8.art.1.corp.versf. de simonia verò conuentuali.* Victoria *relect.de simon.2.part.num. 6.* Caiet. *summa verb.simonia, sub finem.* Ludou. Lopez *1. part.instr.noui cap.305.fol.958.pag.2.* Cordub. *lib.1.quæst. q.32.dicto 5.fol. 261.pag.1.* Nauarr. summa Lat. *cap. 17. num.30 fine* Hisp. *num. 36.* Metina *lib. 1. summæ, cap. 14. §.21.fol.128.pag.2.*

3 Tota autem difficultas est, quando simonia fuit ex vtraque parte completa, quia scilicet facta est collatio beneficij, & pretij, cui sit tunc pretium restituendum.

Duplex est sententia.

4 Prima generaliter docet non esse restituendum pretium danti illud, quia ob suam turpitudinem illo priuatus est, *cap. de hoc, & cap. audiuimus de simon.* Item quia iam abdicauit à se dominium, dum illud dedit pro beneficio. Ita omnes Doctores statim citandi, & Couar. *reg.peccatum,2.part.§.2.n.7.*

5 At licèt hi Doctores conueniant non esse restituendum danti, at dissentiunt cui sit restituendum.

6 Quidam ergo ex his Doctoribus dicunt restituendum esse Ecclesiæ, in cuius iniuriam simonia commissa est; sic enim habetur expressè *cap.de hoc, & cap. audiuimus, de simon.* Sic tenent D. Thom. *2.2.quæst.100. art. 6. ad 4.* Panorm. Anton. Hostiens. ac communis, *cap.de hoc, de simon.* & multi Doctores citati *supra dub. 83.* Nauarr. summa Lat. noua, *cap.17.num.32.versf.non obstat*, & eadem summa Lat. *cap.25.num.115.* Hispana *num. 117. & super extrauag. de datis pro iust.vel grat.num. 45.* Syluest. *restitutio 2. paulo post principium, ante versf.sed quod dictum est, & verb.simonia, q.20. dicto 2.* Tabien. *verb.simon. q.76.77.* Capua *lib.2.decis.cap.97.n.3.* Metina *C. de restit. q.2.§. de eo quod, versf. Deinde si res data est simoniacè.* D. Ant. *2. part. tit. 1.cap.5.§.7.* Abul. *cap.6.Matthæi.quæst. 39.* Palud. *4 dist.25.q.5.n.7.*

7 Nota primò, quod dicitur dari in præiudicium alicuius Ecclesiæ, vt si quis voluit obtinere beneficium in aliqua Ecclesia per simoniam, erit in præiudicium illius Ecclesiæ, & sic illi est restituendum: si autem simoniacè promotus est ad ordines ad titulum alicuius Ecclesiæ, illi Ecclesiæ, seu beneficio; si ad nullius titulum, debet restitui Ecclesiæ cathedrali, de cuius diœcesi est ille. Sic Abul. *ibi*, Syluest. *verbo, simonia quæst.20.dicto 2.* D. Anton. *dicto §.7.*

8 Secundò nota, quòd taliter Ecclesiæ debet restitui, vt ea restitutio non cedat in vtilitatem delinquentium: vnde si solus Prælatus, vel aliquis de Ecclesia deliquit in tali simonia, Ecclesiæ restituendum est pretium; quia delictum vnius non debet ipsi nocere: si verò totum Capitulum deliquit, restituerut aliæ Ecclesiæ, seu pauperibus. Sic D. Thomas, Syluest. *eo dicto 2.* & 3. D. Anton. Abulens. *ibi*, Nauar. summa Latina *cap. 25. n.115.* Hisp. *num. 117.* Addit D. Thomas, & Nauarra summa Hisp. debere fieri authoritate superioris: sed in summa Lat. dicit hanc non esse necessariam in foro conscientiæ.

9 Alij verò Doctores ex iis, qui fatentur non esse danti restituendum, dicunt tale pretium esse restituendum pauperibus. Ratio, quia cùm ille voluntariè dederit pro illa causa, iam illa causa subsecuta abdicauit à se prorsus dominium, & cùm recipiens inhabilis sit ratione simoniæ ad retinendum, manet sicut res perdita injustè acquisita sine vllo dominio, & sic est restituendum pauperibus. Nec obstant capita citata iubentia restitui Ecclesiæ iniuriam passæ, quia id est in pœnam iniuriæ, & sic non obligat talis pœna ante condemnationem. Sic tenent D. Thom. *2.2.q.32.art.7.corpor. & ad 2. & quæst.62.art.5. ad 2.* Aragon *2.2. quæst. 32. art. 7. fol.762.* Turrecr. *cap. non sanè, 14.quæst. 5.num.2.* Gabriel *4.dist.15.quæst.5.art.1.notabili 4.* Palud. *4. dist. 15. quæst.3.art.5. conclus. 3. n. 35.* Corduba *lib.1.quæst.q.32. dicto 5.fol.261. versf. Quintum dictum, & versf. Tertia tandem opinio, in fine.* Et tenet tanquam probabile Victoria *relect.de simon.2.part.n.6.*

10 Alij verò dicunt esse restituendum Ecclesiæ, vel pauperibus. Sic Caiet. *verbo restitutio, cap.4.* Armil. *ibi num.17.* D. Anton. *2.part.tit.2.cap. 5.§. 1.* & dicit valdè probabilem Bañes *2.2.quæst.32.art.7.dub. 2. pag. 1174.* & idem docent generaliter, quoties datio est turpis ex vtraque parte. Glossa *regul. peccatum, verse restituatur, de regul. iuris in 6.* & tenet Tabiena *verbo restitutio, quæst.15.*

11 Secunda tamen sententia docet restituendum esse pretium danti ante iudicis sententiam. Ratio, quia dans non aliter abdicat à se dominium, nisi vt in recipientem transferat: ergo si recipiens est incapax, dans manet dominus; ergo non est spoliandus nisi lege aliqua fiat incapax recipiendi, quæ tamen non extat. nam textus citati applicantes Ecclesiæ iniuriam passæ pretium, sunt in pœnam talis iniuriæ; at pœna non obligat ante iudicis sententiam. Sic Nauarr. *lib.4 de restit. c.2.num. 147.* Molina *tomo 1.de iust.tract.2.disp.92.pag. 141. fine.* Bañes *2.2. q.32.art.7.dub.2 fol. 1174.* Metina *lib. 1. summæ c.14.§.21.fol.129.* Sotus *lib.9.de iust.quæst.8.art.1.corpar.versf.de simonia vero mentali.* Aragon *2.2.quæst.100. art.6.fol.1135.versf.ad secundum argumentum.* Ledesm. *2. 4. quæst.18.art.5.fol.262 pag. 3. initio.* Ludou. Lopez *1. part. instruct. noui, cap.307. fol.670. pag.2.* Angles *floribus 2.part.Quis à restitutione sit liber, dub.12.fol.192.* Manuel *2. tomo summæ, c.66. n. 4.* & reputant probabilem Victoria *de simon 2.part.n.6.* & Candelabrum Sacramentorum *in appendice c.2.n.29.* & generaliter quando ex vtraque parte versatur turpitudo, dicit probabilem Alcozer *lib. de ludo c. 47. conclus. 5.* & est cæteris probabilior.

12 Nota primò quòd cùm omnes hæ sententiæ sint valde probabiles, potest quis tuta conscientia quamuis illarum sequi. Et sic potest pretium dari, vel pauperibus, vel Ecclesiæ læsæ restituere: & sic fatentur Bañes, & Victoria *vbi supra*, & quidam docti iuniores.

13 Hinc fit, quòd si ipse, qui recipit pecunias in pretium beneficij, pauper sit, potest retinere sibi, sequens sententiam probabilem, quòd restituendæ sunt pauperibus.

14 Ab hac sententia secunda excipe datum simoniacè pro iustitia, vel gratia, id enim solis pauperibus est restituendum, per Extrauag. Greg. XIII. vt dixi *supra dub.104.sub finem.* Quare si ipse pauper sit, potest sibi retinere.

15 Secundò excipe casum *cap.veniens. de simon.* vbi iubetur, vt pretium datum pro ingressu Religionis restituatur danti: cuius ea est ratio, vel quia ipse dedit bona fide Monachis exigentibus prætextu consuetudinis, & sic non fuit ibi manifesta dantis turpitudo. Sic Ioannes Metina *C.de restit.quæst. 2. §. de eo, quod versf. deinde si res data est simoniacè.* Couar. *reg. peccatum, 2. part. §. 2.num.8.* vel pecunia ibi restituitur danti, vt is translatus ad aliud monasterium eam secum in monasterium deferat, ne sit illi onerosus ad sua alimenta. Couarr. *ibi*, & Panorm. *eo cap. veniens.* Vel tertiò, quia qui pretium dedit, non commisit simoniam ex effectu auaritiæ, sed ex nimio Religionis affectu. Sic Bañes *2.2.quæst.31.art. 7. dub. 2. concl. vltima fol. 1175.* Vel vltimò, quia dequerunt Abbas, & Monachi. Sic Abul. *cap. 6. Matthæi, quæst.39.*

DVBIVM



DVBIVM CXV.

*Qualiter obtinens beneficium per simoniam realem ex vtraque parte completam, teneatur illud resignare, ac fructus restituere, quando scienter scilicet id accepit.*

1 PRima conclusio. Quando simonia commissa est per ipsum, vel per alium, eo sciente, & non contradicente, licèt apud antiquos (vt refert Couar. *vbi infra*) fuit controuersum erat, an esset priuatus, priuandus beneficio; & quidam dicebant publicum esse priuatum, occultum verò priuandum: at iam hoc dubium cessat per Extrauag. 2. *de simon.* & sic certum est collationem beneficij esse nullam, ac teneri talem simoniacum ante vllam iudicis sententiam statim resignare, vt expressè dicitur *in ea Extrauag.* Et sic tenent D. Thom. *2.2. quæst.100. art. 6. ad 3.* Couar. *reg.peccatum 2.part. §. 8. num.7.versf. Apud veteres.* Corduba *summa, quæst. 28.* Nauarr. summa Lat. *cap. 23. num. 111. versf. nono.* Innoc. *cap.cum venerforum, de rerum permut.* & *ibi* Host. *fine.* Anchar. *ibi num.5.* Immola *ibi n.6.* Panorm. *ibi num.5.* Victoria *relect.de simon.2.p.num.2.* Ludou. Lopez *1.part.instruct.noui,c.307.fol.972.pag.1.* Ludou. Gomez *regula, de triennali.quæst.12. & ista, in fine.* Felin. *cap. insinuatum, de simon.num.6.* Manuel *2.tomo summæ, cap. 56. num. 6.* Metina *lib.1.summæ, cap. 14. §.21.fol.129.* Aragon *2.2. quæst.100.art.6.fol. 1133.* Nauarra *lib.2.de restit. cap. 2. num.431.* Rosella *simonia 6. num. 3.* Sotus *lib. 9. de iust. quæst.8.art.1.corp.fine, & ad 3.* Rebuff. *praxi benef.tit.de simon.in resignat.num.11.12.* Syluest. *verbo simonia, q.13. dicto 8.* D. Anton. *2 part.tit.1.cap.5 § 21.* Angel *simonia 7. num.3.* & omnes.

2 Hinc fit, tale beneficium posse impetrari tanquam vacans. Sic Panorm. *eo num.5.* Rebuff. *eo num. 11.* addens posse impetrari tanquam vacans absque alia declaratione. Hoc tamen intellige, quando publica esset simonia. nam si est occulta, talis dicitur habere titulum coloratum: vnde tale beneficium non posset impetrari non facta mentione de titulo colorato, per notata *cap. item in nostris, de concess. prabend.* nec posset renunciari sine licentia superioris, per *cap. cum in dubiis. de renunciat.* Sic Felin. *cap. insinuatum, de simon. in 6.* quia (vt ait Butrio *cap.nisi cum pridem, de remunciat.n.8.*) quoties aliquis verè caret titulo, habet tamen colorem renuendi, vt quia defectus est occultus, debet in manibus superioris renunciare; quia communiter reputatur verus titulus. Et quòd sit necessaria mentio coloratæ possessionis alterius, vide Menoch, *lib.2.de arbitr. centuria 3 casu 201 à num 139.*

3 Secunda conclusio. Talis simoniacus tenetur restituere omnes fructus beneficij. Patet ex *Extrauag. 2. de simon.* vbi id expressè definitur, & constat; si enim non acquirit titulum beneficij: ergo nec ius ad fructus: ergo tenetur omnes fructus restituere. Et tenent omnes Doctores citandi.

4 Nota primò, quòd non tantùm tenetur restituere fructus perceptos, sed etiam fructus, qui percipi potuerunt à possessore diligenti: sic enim tenentur restituere possessores malæ fidei, qualis est iste. Sic D. Thom. *2.2. q.100.art.6. ad 3.* Syluest. Rosel. Angel. D. Thom. *vbi supra.* Sotus *lib.9.de iust.q.8.ad 3.*

5 Hoc tamen intelligendum est, quando legitimus possessor eos erat percepturus, nam si, v.g. decem percipi potuerunt, & simoniacus tantùm percepit octo, & possessor iustus tantùm octo, siue casu, siue sua negligentia esset percepturus, tantùm octo tenebitur restituere; quia in his octo tantùm damnificauit: nisi hic simoniacus plures fructus perceperit; tunc enim, licèt iustus possessor non esset tot percepturus, tenetur omnes restituere, quia sunt fructus ex re aliena percepti. Sic Nauarr. *lib.2.de restit.c.2.n.418.*

6 Secundò nota, quòd omnes fructus sint restituendi, deductis expensis factis causa fructuum. Sic D. Thom. Sotus, Nauarr. D. Ant. Sylvest. *ibid.* & omnes.

7 Hinc fit deducendam esse iustam mercedem laboris in fructibus colligendis, & in cura, & administratione, quia possessor malæ fidei etiam recuperat iustam mercedem laboris: vt notat Couar. *lib.1. var. c. 3. n.3.* Metina *C.de restit.q.6.propos.1.*

8 Secundò fit, quòd si soluebat pensionem, debet detrahi quod soluebat: & si illam redimit, debet extrahi, quod insumptum fuit in redemptione illius, quia omnia hæc cedunt in vtilitatem iustam possessoris beneficij legitimi. Sic nonnulli docti iuniores.

9 At graue dubium est, an sit deducendum ex fructibus salarium, quod debebatur ministro ratione ministerij, quod hic simoniacus exhibuit in beneficio. Quidam enim id negant; dicunt enim quòd quoties ob delictum arcetur quis à ministerio, vt si ob illud fiat excommunicatus, vel irregularis, perdit fructus tali ministerio debitos; quia ob tale ministerium potius pœnam, quàm præmium meretur. Sic Couarr. *4. decret.2.part.cap.6.§. 8.n.7.fine.* Et Rebuff. *praxi benef.tit.de simon.in resignat. n.15.* & videtur tenere Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de simon. conf.55.in antiquis.*

10 At verius est id esse deducendum ex fructibus. Ratio, quia licèt ipse peccarit in tali administratione, & seruitio, & iustè à iudice in foro externo ob hoc puniretur maioti pœna; at certum est illud ministerium fuisse in vtilitatem Ecclesiæ, cùm verè ministrarit, veràque Sacramenta contulerit. Et confirmatur, quia id consumendum erat in ministro, qui seruiret; & quia etiam possessori malæ fidei datur iusta laboris merces, vt dixi. Sic colligitur clarè ex D. Thom. *2.2. q. 100. art. 6. ad 4.* Sylvestro, Soto, D. Ant. dicunt enim deducendos esse fructus consumptos in seruitium, & Ecclesiæ vtilitatem. Et tenet Henriq. *lib.13.de excomm.c.14. n.3. fine, & cap. 3 num.3.*

11 An verò si sit pauper possit sibi retinere, dicam *infrà dub.119.*

12 Nota, quòd excommunicati, & suspensi casu, quo tenentur restituere fructus, possunt deducere omnes expensas dictas; quia est eadem ratio.

DVBIVM CXVI.

*An quando quis ignorauit simoniam, quia scilicet ipso ignorante alius dedit pretium, vt sibi conferretur beneficium, teneatur beneficium resignare, & fructus restituere.*

1 HAc in re certum est quòd, siue dicamus collationem fuisse validam siue non fuisse, vbi primùm hic sciuerit simoniam fuisse commissam in sua promotione, tenetur statim beneficium resignare. Patet ex *c.ex insinuatione, de simon.* vbi de simoniacè ignoranter promoto ad beneficium dicitur: Ratione talis promotionis, nil audeat in ipsa Ecclesia vendicare; & *c.penul.de elect.* vbi dicitur posse Episcopum cum simoniaco ignoranter dispensare, vt retineat beneficium, si est simplex: ergo ante dispensationem nequit retinere; & *cap. de regularibus, de simon.* vbi de eisdem promotis ignoranter dicitur, cogat eos ad renunciandum; & *cap.sicut tuis, de simon.* sic dicitur, secundùm sacrorum Canonum instituta etiam paruuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecunias sunt adepti, eas dimittere tenentur. Sic tenet D. Thom. *2.2.quæst.100.art.6. ad 3.* Aragon *eo art.6.fol.1131.* D. Anton. *2.part.tit.1.cap.5.§.21.* Nauarr. *in omnibus summis cap.25.num.113. & lib.5. consil. tit. de simon. in antiquis consil.60. & 61. num. 1. in nouis consil. 45. num. 2. & consil. 95. conf. 97. n. 1.* dicens esse certum apud omnes, Sylvest. *verb. simonia, quæst.13.dicto 8.* Rosell. *simonia 6. num.3.* Angel. *simonia 7.num.3.* Panorm. *cap.ex insinuatione, num.2. & cap.tanta, fine.de simon.* Tabien. *verb.simonia, q.9.lex 17, tit.17.par.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Felin.*cap.insinuatum,de simon.num.*6.Buttio *dicto cap. ex insinuatione,n.*2.Nauarr.*lib.*2.*de restitut.cap.* 2.*num.*432. Henriquez *lib.*13.*de excommun. cap.* 37. *num.* 5. Ludou. Lopez 1 *part.instruct.noui cap.*304.*fol.* 943. Manuel 2. *tomo summæ,cap.*66.*num.*3. Rebuffus *de pacif. possess.num.* 198.*vers.Etiam cum simonia.*Palud.4.*dist.*25.*quæst.*5.*n.*8. Couar.*regula,peccatum* 2.*part.* §.8.*num.*8. *vers. Quòd si comendat,* vbi addit,quòd licèt teneamus ab initio fuisse validam collationem , & reuocandam in pœnam delicti , adhuc dicendum est , quòd vbi habet scientiam simoniæ , tenetur dimittere beneficium; & sic Nauarr. & Felin. qui , vt statim dicemus , tenent collationem fuisse validam , fatentur ( vt eos citaui ) teneri habita scientia statim dimittere.Hinc

2 Infertur primò , quòd hæc incapacitas ad retinendum beneficium,non est pœna : non enim esset æquum, vt ob delictum alterius , qui non est in culpa , puniretur: sed est incapacitas quædam ad retinendum beneficium simoniacè collatum ignoranter in odium simoniæ , vt irregularitas in iudice. Sic Nauarr. *eo cap.*2.*n.* 432. Aragon *d.art.*6.*fol.*1135.

3 Secundò infertur , quòd si habita scientia non restituat,ex tunc est possessor beneficij mala fide , siquidem illud restituere, seu renunciare tenebatur ; quare ex tunc est certum teneri restituere fructus , quos perceperit eo modo,quo *dubio præcedenti* dixi teneri possessorem malæ fidei.Sic Couar. Syluest.D.Anton Angel.*ibi* , Nauarr. dicens esse certum , *lib.* 5. *consil.tit.de simon. in antiquis consil.*61.*n.*15.*in nouis cons.*97.*n.*15.

4 Limita tamen quæ dicta sunt , scilicet simoniacè ignoranter recipientem beneficium teneri habita scientia illud resignare , & fructus restituere , & primò nisi constet eos , qui dederunt pecunias , dedisse malitiosè animo nocendi ei , qui eligendus erat ad beneficium ; tunc enim talis simonia eo ignorante commissa non nocet ei : & sic non tenetur resignare beneficium. Sic habetur expressè *cap.nobis , de simon* & tenent D. Thomas, Sotus , Ludou.Lopez, Aragon *fol.*1131. citati , Henriquez *lib.*13.*de excommun.cap.*59.*num.* 5. Manuel 2.*tomo summæ,cap.*59.*num.*4.

5 Secundò limita , nisi recipiens beneficium omnino contradixit collationi pretij : tunc enim non nocet ei collatio pretij,se ignorante; facta.Hoc est contra Rayn. Vinc.Host.quos refert , & sequitur Sylu. *verbo simonia, q.*13.*dicto* 1. Sed hæc limitatio habetur *c. sicut tuis , de simon.*& eam tenent D.Thom.Sotus;Aragon , Manuel, & Henriquez *ibi*. Nauarrus summa Lat.*cap.*25.*n.* 113. & nonnulli docti recentiores.

6 Nota , quòd aliqui sublimitant hanc limitationem, nisi postea ratam habeat simoniam commissam soluendo pretium promissum , vel solutum se contradicente ; tunc enim non obstante contradictione priùs facta renebitur resignare beneficium. Probant *eo cap. sicut tuis , de simon.* vbi dicitur non nocere simoniacè ignoranter electo , quando ipse expressè contradixit ; & redditur hæc ratio : quoniam ex eo quòd contra prohibitionem tuam, à qua postmodum non recessisti , aliquis tepenitus ignorante promisit pecunias , & soluit , præsertim cùm hic nulla tibi sit consanguinitate coniunctus,nihil debet tibi ad pœnam , vel culpam imputari , nisi postea consenseris , pecuniam soluendo promissam , vel reddendo solutam. Hæc *ibi*. Sic tenent D. Thom. *d. q.* 100 *art.* 6. *ad* 3. Manuel 2.*tomo summæ,c.*59.*n.*4 Glossa *cap. nobis , de simon.vers. tamen.* Sylvest.*verbo simonia , q.*13.*dicto* 1. *quæst.*8.*dicto* 5.faciunt Doctores , quos refert *dub.* 120.*notab,*2.

7 At satis probabile est non teneri resignare beneficium,quando expressè contradixit , licèt post obtentum beneficium soluerit pecuniam promissam , vel reddiderit solutam. Probatur , quia pœnæ sunt restringendæ ; at hic reuera contradixit simoniæ ; quod est id , quod requirit *cap. sicut tuis , de simon.* ne incurrat hanc incapacitatem. Et quod addit textus, nihil debet tibi ad pœnam , vel culpam imputari,nisi postea consenseris soluendo , potest optimè explicari , vt respondet Adrianus *vbi infra* , quòd id refertur ad culpam, ita quòd tunc imputatur ad culpam : at quòd imputetur ad pœnam,non dicit id clarè textus ; cùm ergo sit pœna grauissima,est valde restringenda : & nisi clarissimè constet , non est imponenda. Sic Henriq.*lib.*13.*de excomm.cap* 37.*n.*5.*litera V.* Adrian. *quodlib.*9 *art.*3.*litera B.C.*facit , quòd dixi *supra dub.*104 *num....* ex Nauar. & aliis , quòd hic non incurrit suspensionem , nec alias pœnas simoniæ : immo aliquando non peccat.

8 Tertiò limita , vt intelligatur collationem esse irritandam , & teneri resignare beneficium quando ipso inscio est commissa simonia , quando ( inquam ) commissa est , antequam ille haberet ius aliquod in beneficio , vel ad beneficium. nam si committatur postquam habet ius in re , vel ad rem , ipso ignorante, nec consentiente non tenebitur resignare. Ponit exemplum Sylvest. vt post electionem Petri alius daret , eo ignorante,pretium pro eius confirmatione , vel confectione. Sic Nauar. *in omnibus summis cap.* 25.*num* 113.Sylvest.*verbo simonia,quæst.*13.*dicto* 1.Henriq.*lib.*13.*de excommun.cap.*37.*num.*5.

9 Quartò limita, quòd teneatur resignare beneficium, quando illa simonia eo ignorante commissa, fuit verè causa electionis , seu collationis beneficij : secus si non fuit causa , quia vel data est pecunia vni ex electoribus, absque cuius suffragio teneret electio ; quia dempto illo maior pars elegit : vel si data est omnibus electoribus, verè absque receptione illa pecuniæ erant hunc electuri. Hæc est contra Glossam *cap. nobis, vers. interuenientes, de simon.* & *ibi* Ioan. Andr. Felin. *in fine* , Rebuff. *in concord. rubr. de elect. verbo & simoniacis , circa initium,* dicentes etiam in hoc casu teneri resignare : quod idem alij tenent, quando pecunia data est ipsi electori, vel collatori ; secus quando cuidam tertio , vt intercederet. Hi sunt Hostiens. *cap.tanta , de simon.* & *ibi* Innoc. *num.* 2.Anchar.*cap.de simon. n.* 5. & *ibi* Panorm. *n.*5. Anton. *ibi n.*7. Sed nostra limitatio est vera , & colligitur ex *d. cap. nobis* , vt *ibi* ponderat Glossa , *vers. interueniente* ; & eam tenet Nauarr. *in omnibus summis , cap.* 25.*n.*113. Manuel 2. *tomo summæ , cap.* 59.*n.* 6. Ludou. Lopez 1. *part.instruct.noui , cap.*256.*fine.* Henriq.*lib.*13.*de excommun. cap.* 37. *num.*5. Adrian. *quodlib.* 9.*art.* 3.*paulo post principium.lit.B.*

10 Circa hanc limitationem nota primò,quod Nauar. & Ludou. Lop. dicunt, quòd si electores non fuerunt moti principaliter ob illam pecuniam, non tenetur alter resignare beneficium. Sed credo quòd si moti sunt ob pecuniam , licèt non principaliter , & forsan etiam alias illum eligerent , at reuera etiam ob pecunias moti sint, tenetur resignare; quia tunc verè datum est simoniacè beneficium : sicut de consulente furtum , vel homicidium,&c. dicunt Doctores teneri de consilio , quando ob consilium alius animosior factus est , licèt absque consilio esset perpetraturus.

11 Secundò nota, quòd Panorm.*eo c.nobis,de simon. n.* 5.& Innoc. *cap.tanta , eodem tit.* dicunt , quòd si ipsemet ordinandus , vel ad beneficium electus , dedisset pecunias pro ordine , vel electione , semper incurreret pœnas simoniæ , licèt datio illa pecuniæ non esset causa, nec ad id moueret. Sed contrarium & bene tenet Adrian. *proxime citatus* , vt dixi etiam *supra dub.* 26. quia reuera non fuit illa simonia ex vtraque parte consummata , cùm pecunia nullo pacto fuerit causa ordinis , vel collationis.

12 Tertiò nota quod Henriquez *eo cap.* 37. *num.*5.dicit, quòd in foro conscientiæ statur dicto recipientis pecuniam pro electione , si asserat ob eam non motum fuisse : & *litera A. in commento* dicit quòd quando non ipsi electori , sed cuidam tertio data est pecunia , vt intercederet cum electore , in vtroque foro stabitur dicto electoris asserentis se ea intercessione non motum fuisse, quia non fuit particeps criminis. Et hoc secundum fatetur Panorm.*cap.de simon.n.* 5. Sed in primo casu dicit non credi ipsi electori , quia est particeps criminis: & hoc idem Felin. *ibi fine,* & Ioan Andr. *ibi.* Sed credo quòd si aliàs esset vir timoratus , & fide dignus , credendum est illi in foro conscientiæ , licèt non in foro externo.

13 Graue autem dubium est in hac re , an collatio beneficij , præsentatio , seu electio facta per simoniam ab alio commissam,eo ignorante, sit valida, ita, vt recipiens beneficium acquirat verum illius titulum.

Duplex est sententia.

14 Prima ait non esse validum. Probatur, quia *c. nobis, de simon.*dicitur hanc collationem esse penitus reprobandam,& dictio, *penitus* , significat nullitatem ipso iure, vt docet Corsetus *in singularibus suis , verb. penitus,* & colligitur ex Glossa *l.si qui Aduocatorum , C. de postul. vers.arceantur*;dicit enim ille textus,*penitus arceantur*, & Glossa dicit,*ipso iure; & Extrauag.*2.*de simon* vbi dicitur, omnem electionem , collectionem , &c. simoniacè factam esse ipso iure nullam : at hæc est simoniacè facta, Sic tenent Panorm. *cap.penult. de elect. numero* 2.Henriquez *lib.*14 *de ir regul.cap.*6.*num.* 7. *in commento litera O. & lib.*13.*de excomm.cap.*37.*num.*5.Nauar.*lib.* 2. *de restit. cap.*2.*num.*429. Cassiodorus *decis.*3.*de sequestratione possess.* Couar. relatè disputata *reg. peccatum* 2. *part.* §. 8. *num.*8.*vers. Quod si contendas & vers. sed iuxta* , dicit textus significatus hanc collationem rescindendam fore retrotrahendos esse ad reuocationem facti, quæ potius est quædam declaratio facti , quàm reuocatio iuris , id est , iudex declaret ab initio nullam fuisse. Idem colligitur ex Doctoribus statim citandis , qui asserunt hunc teneri restituere fructus extantes perceptos durante illa bona fide nam si collatio valida fuisset , non teneretur illos restituere,vt mox dicemus : & hæc sententia est valde probabilis.

15 Secunda sententia probabilior ait collationem esse validam , & sic verum acquirere titulum sic prouisum, licèt ( vt dixi ) teneatur , cùm sciuerit simoniam, renunciare. Probatur , quia nullus est textus expressè irritans collationem , & *cap. nobis , de simon.* dicit irritandam,& *cap.de regularibus,eod.titul.* tantùm dicitur Episcopo , vt cogat eos ad renunciandum , & *extrauagans* 2. *de simon.* expressè loquitur contra simoniacè obtinentem beneficium : at hic non fuit simoniacus. Sic tenent Felin. *cap.insinuatum,de simon.num* 6.Nauarr.*lib.*5. *consil. titul. de simon.in antiquis , consil.*60. *in nouis , consil.*95. Ludou.Gomez *regul. de triennali,quæst.* 12.§ *& ista , in medio,* licèt in principio videatur sentire oppositum ; & dicit se dedidisse Rotam , & Couar. in hunc valde inclinat *reg.peccatum* 2.*part.*§.8.*num.*7.& licèt *num.*8.teneat contrariam , tamen vocat eam veriorem , quasi hanc relinquens vt probabilem.

16 Limita hanc sententiam,vt intelligatur quando beneficium vacauit per obitum alicuius nam si vacauit per renunciationem simoniacam illius , qui pecunias recepit ad hoc , vt resignaret , collatio illius beneficij facta ignoranti non est valida ; quia talis renunciatio non fuit valida , nec transtulit titulum à resignante , vt dicemus *infra dub.*118. Sic Ludou. Gomez *ibi* , Nauarr. *lib.*5.*consil.tit.de simon. in nouis , consil.* 21.

17 Ex solutione huius infertur solutio alterius dubij, nempe an recipiens beneficium per simoniam ab alio , se ignorante , commissam , teneatur,quando simoniæ consius fuerit , restituere fructus bona fide perceptos vsque tunc.

Duplex est sententia.

18 Prima dicit teneri restituere fructus tunc extantes, non autem bona fide consumptos ; quia est possessor bonæ fidei. Sic D. Thomas 2.2.*quæstio* 100.*art.* 6. *ad* 3. Aragon.*eodem art.*6.*fol.*1135.D.Anton.2.*part. tit.*1. *cap.* 5.§.21.Sylvest.*verbo simonia.quæst.*13.*dicto* 8.Rosel.*simonia,*6.*num* 3. Victoria *relect.de simonia,*2.*part. num.*8 Manuel 2. *tomo summæ , cap.* 66.*num.* 3. Sotus *lib* 9. *de iust. quæst.*8.*art.*1.*ad* 3.Angel. *simonia* 7. *num.* 3. & hoc tenentur etiam dicere asserentes collationem non fuisse validam , vt dicemus statim ex Nauarra , Couaruuia *loco citando.*

19 Nota , quòd in quantum dicunt D.Thom. & Doctores citati non teneri restituere fructus bona fide consumptos,intelligendi sunt,nisi in quantum ex eis talis beneficiarius est factus locupletior: & patet ex ratione, quam assignant , nempe quia est possessor bonæ fidei.Sic Sotus,Angel.*ibi.*

20 Hinc infertur posse hunc ex eis fructibus consumptis deducere expensas , quas fecit in Bullis beneficij,vel in lite , si qua circa illud mota est ; quia hæ expensæ factæ sunt ratione beneficij, & bona fide illud possidebat. Sic docti iuniores.

21 Nota etiam , quòd si triennio bona fide fuit , præscribit fructus beneficij ante illud triennium perceptos, & sic non tenebitur eos restituere , vt habes *supra hoc* 2. *lib.cap.* 1.*dub.*21. *fine , de accept.person.*immo ipsum beneficium præscribet triennio, vt *ibi* habes

22 Secunda sententia probabilior ait nullo modo teneri restituere fructus perceptos ante scientiam simoniæ , licèt tunc extent. Hæc sequitur manifestè ex sententia, quam tenuimus , scilicet talem collationem fuisse validam : & ita Doctores illius tenentur hoc dicere ( vt aduertunt Couarr. *regul. peccatum* 2. *part.*§. 8.*num* 8. *vers. sed iuxta.*Nauar *lib.*2.*de restit.cap.* 2.*num.*430, ) Et ratio est, quia sunt percepti eo tempore , quo quis verum beneficij titulum , & bonam fidem habuit. Hanc tenet Nauar.*lib.*5 *consil.tit. de simon.in antiquis , cons.*30 *&* 61. *n.*7.15.*in nouis,consil.*97.*n.*7 *&* 15.*& consil.*71. *& consil.* 71.*n.*3.*& consil.*73.*fine.*

23 Nota tamen , quòd prior sententia habebit locum, quando per renunciationem simoniacam alicuius ipso recipiente ignorante habuit beneficium , quia in hoc casu,vt dixi *n.*16.non valuit collatio huic facta.

## DVBIVM CXVII.

*An mediator simoniæ , per quam quis obtinet beneficium ignoranter,vel sciens simoniam,teneatur restituere fructus beneficij , si ipse beneficiarius non restituit , & cætera quæ beneficiarius tenetur restituere : & ipsum admonere,quando laborat ignorantia simoniæ commissæ; vel teneatur facere.*

1 SIt prima conclusio. Quando beneficiarius ipse tenetur restituere fructus beneficij acquisiti , si non restituit , tenetur mediator eos restituere. Ratio,quia fuit causa illius acquisitionis iniustæ.Sic Nauarr. *lib.*5.*consil.tit de simon.in antiquis,consil.* 15.*n.*3.*& consil.*30.*fine,in nouis, consil.*70.*n.& consil* 73.*fine,& consil.*100.

2 Hinc fit, quòd quando est simonia conuentionalis, mentalis, vel quando fuit per alium ipso beneficiario ignorante , commissa , dum talis beneficiarius manet in ignorantia, non tenetur fructus restituere. Ratio , quia in his casibus collatio beneficij est valida, nec tenetur ipse beneficiarius fructus restituere. Sic Nauar. *ibi in antiquis , illo consil.* 30. *in fine , in nouis , eo consil.* 73. *fine.*

3 Secunda conclusio. Quando alter est in bona fide, nec est certum , quòd simonia sit talis , quæ obliget adueniente scientia ad resignandum beneficium , non tenetur illum admonere. Ratio , quia est in bona fide , & non est certum teneri restituere : & hìc non tam agitur de damno vitando , quam de lucro captando, siquidem non aufertur id , quod est alicuius , sed impeditur lucrum Ecclesiæ , cui illi fructus rest tuendi erant;

Universidad de Deusto
Biblioteca



cuius tei scientia non tam cogit admonere, quam cogeret scientia vitandi damnum rei iam quæsitæ. Sic Nauarr. *eod. tit. in antiquis, consil.* 46. *n.* 1. 2. 3. *in nouis consil.* 37. *n.* 4. 5. 6.

4 Tertia conclusio. Quando esset clarum, quòd habita scientia simoniæ teneretur dimittere beneficium, & spes valde probabilis, quod dimittet, & mediator potest absque suæ famæ dispendio ipsum monere, tenetur ad id; secus, si hæc non concurrant. Patet prima pars, quia fuit causa illius damni-retentionis beneficij, quod alter sciens simoniam tenetur dimittere, & est in damnum Ecclesiæ, cuius beneficium, & fructus retinentur: & quando est in damnum tertij, Doctores communiter dicunt etiam Confessorem teneri admonere. Patet secunda pars; quia alias esset omnino vana admonitio, si non est spes, quòd proficiet: nec tenetur cum graui famæ periculo bona temporalia restituere; iuxta communem: & in casu credo esse verum, quod dicit P. Doctor Toletus, scilicet quòd tenetur admonere talem ignorantem.

## DVBIVM CXVIII.

*Cui sit restituendum beneficium simoniacè acquisitum.*

1 HAc in re certum est, quòd quando beneficium vacans confertur alicui simoniacè, & sic non acquirit titulum illius, tenetur illud resignare in manibus legitimi superioris, quia nullus habet tunc ius ad illud beneficium; titulus enim simoniacus est nullus, & antea nullus erat legitimus possessor, sed vacabat: & in hoc casu loquuntur Sylvest. *beneficium*, 3. *quæstion.* 20. Tabien. *beneficium*, 3. *quæstion.* 3. Angel. *verb. beneficium, numero* 44. Victoria *relect. simon.* 2. *part. num.* 6. licèt enim non explicent hoc, sed absolutè dicant recipientem beneficium iniustè teneri illud resignare in manibus superioris: at non loquuntur in casu, quo quis erat legitimus beneficij possessor, qui simoniacè renunciauit.

2 At tota difficultas est, quando beneficium non erat vacans, sed aliquis simoniacè illud resignauit, v. g. accepto pretio, an tale beneficium sit reddendum illi, qui resignauit.

3 Quidam dicunt nullo modo esse reddendum priori possessori, sed in manibus superioris resignandum.

Probatur primò, quia dum Prælatus secundùm suam æstimationem Petro contulit, abstulit simpliciter à Paulo; quare neuter eius dominus est: non Paulus, quia illi est ademptum: non Petrus, quia per simoniam factus est inhabilis ad illud acquirendum.

Secundò probatur, quia si quis renunciet beneficio per simoniam tantùm conuentionalem in Paulum, non dubium est, quin valeat resignatio, & beneficium legitimè possideat Paulus, antequam soluat pretium, & sic fiat realis; quia, vt *suprà dub.* 106. hæc simonia non subiacet pœnis: ergo per hoc quòd soluat Paulus pretium, & sic fiat simonia realis, non redit beneficium ad priorem possessorem, qui resignauit; nulla enim est noua collatio facta prioti possessori, absque qua beneficium obtineri nequit, *cap.* 1. *de reg. iuris, in* 6. Hanc tenet Sotus *lib.* 9. *de iustit. quæstion.* 8. *art.* 1. *corpore, fine, versicul. de restitutione autem.* Metina *lib.* 1. *summæ, cap.* 14. §. 21. *fol.* 129. *pag.* 1. Ludouic. Lopez 1. *part. instr. noui cap.* 307 *pag.* 971. *pag.* 1. *versicul. sexto dicitur.* Rebuff. *praxi benefic. tit. de simon. in resignat. numero* 10. vbi addit talem resignationem valere in resignantis præiudicium, etiamsi clausula apponatur, *non aliter, non aliàs*; & sic non posse redire ad suum beneficium, quod ex sua simonia amisit. Et quòd valeat in præiudicium renunciantis, tenet Tiraquell. alios referens, *de retractu lignagier*, §. 26. *glossa* 2. *numero* 10.

4 Secunda tamen sententia multo probabilior ait per talem resignationem simoniacam non vacare beneficium, sed esse omnino nullam, & per consequens verum titulum beneficij manere apud resignantem, & per consequens ipsi reddendum, donec per sententiam illo priuetur. Probatur ex *Extrauagant.* 2. *de simon.* vbi dicitur quòd electiones, &c. & quæuis aliæ dispositiones simoniacè factæ viribus omnino carent; ergo cùm resignatio simoniaca sit quædam dispositio facta de beneficio, viribus omnino caret: ergo nullius est momenti, & per consequens non facit vacare beneficium, nec aufert titulum à resignante, nec tranfert in resignatarium: si enim aliquid horum faceret, non careret omnino viribus. Hanc tenet Capella Tolosana *decis.* 438. Flaminius *lib.* 1. *de renunciat. benef. quæstion.* 3. *num.* 99. Paulus *tract. de potest. Capit. sede vacante, fol.* 16. quem refert, & sequitur Ludouic. Gomez *reg. de triennali, quæstion.* 12. §. *& ista*; dicitque sic esse bis decisum in Rota, Felin. *cap. ad audientiam, el* 2. *de rescript. num.* 3. *ante versicul. Quod autem.* Lambert. *de iurepatron. lib.* 2. *part.* 1. *quæstion. art.* 3. *numero* 5. glossa *cap. super hoc, de renunciat. versicul. pecuniæ.* Innocent. *cap. cum vniuersorum, de rerum permut.* & *ibi* Hostiens. *fine*, Immola *ibi num.* 6. & *ibi* Anchar. *num.* 5. Panorm. *ibi num.* 5. & *cap. cum clerici, num.* 2. *de pactis.* Archid. *cap. ordinationes*, 1. *quæstion.* Milius *in repertorio, verbo renunciatio, quæstion.* 4. Nauar. summa Lat. *cap.* 23. *num.* 105. dicens communem Lat. noua *cap.* 17. *num.* 108. *lib.* 5. *consil. tit. de simon. in nouis, consil.* 36. *num.* 2. & *consil.* 68. *num.* 1. *consil.* 48. *num.* 3. & 4. & *consil.* 21. *per totum*, in antiquis vero *consil.* 6. *num.* 4 & *consil.* 14. *num.* 3. Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. noui cap.* 159 *initio.* Bald. *cap. penult. de elect. fine.* Fauct Cotuar. 1. *variar. cap.* 5. *num.* 3. *fine*, vbi dicit renunciantem beneficio simoniacè esse priuandum beneficio: non ergo sentit ipso iure amittere.

5 Immo & renunciatio beneficij simoniacè simonia confidentiali, non est valida, & per consequens per illam non vacat beneficium; quia Pius Quintus in suo motu proprio omnes dispositiones huiusmodi annullat. Sic Nauarr. summa Lat. *cap.* 17. *num.* 108. Ludouic. Lopez 1 *p. instruct. noui, cap.* 159. *fine.*

6 An verò quando alicui ignoranti simoniam confertur beneficium per resignationem simoniacam, valeat collatio, dixi *dub.* 116.

7 Nota primò, quòd vt hæc resignatio simoniaca non valeat, & sic per illam non vacet beneficium, nec transferatur in alterum, oportet quòd sit simoniè realis, id est, completa ab vtraque parte: & sic Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de simon. in nouis, consil.* 36. *num.* 2. expresse limitat de simonia reali: & patet etiam, quia hoc probat Nauarr. *in omnibus locis per Extrauag.* 2. *de sentent. excommunicat.* quam ex ipso Nauarr. & aliis probaui *suprà dub.* 106. tantum comprehendere simoniam realem vtrinque completam, & aliam simoniam nullis subiaccre pœnis excipe (vt *ibi* excepi) simoniam confidentialem, in qua satis est esse ex altera parte completam. Et ad argumentum secundum positum pro prima sententia, dico quòd illa resignatio, & collatio facta per superiorem est conditionalis, & habet in se tacitam, vt (inquam) valeat, nisi completa fuerit simonia: & vbi completur, retrotrahitur ad priorem statum; vt dixi *eodem dub.* 106. vbi respondi ad obiectionem, quæ contra hoc potest fieri.

8 Secundò nota, quòd si defectus prioris resignationis sit occultus, cùm hic possidens habeat titulum coloratum, debet renunciare in manibus superioris, vt detur priori resignanti, vt dixi in simili *suprà dub.* 115. *num.* 2. aliàs cùm non constet de titulo resignantis, sed potiùs de ipsa resignatione in foro externo, non admittetur vt beneficiarius, & si possidens obierit, reputabitur vacans, &c.

9 Ex



9 Ex dictis infertur, quòd possidens id beneficium per renunciationem simoniacam, cùm renunciatio non sit valida, & titulus remaneat apud renunciantem, renunciatarius tenetur ipsi renuncianti restituere fructus; quia fructus beneficij sequuntur dominium, & titulum beneficij, vt latè probat Flaminius *lib.* 1. *de renunc. benefic. quæst.* 6. *num.* 13. Et non est textus priuans hunc renunciantem fructibus, sed tantùm obtinentem simoniacè beneficium. Vnde dum dicunt Doctores, & dicemus *dub. sequenti*, fructus simoniacè acquisitos esse restituendos Ecclesiæ, vel pauperibus, loquuntur, quando beneficium vacans simoniacè obtinetur, tunc enim nullus habet titulum illius beneficij: secus quando non vacabat, sed simoniacè resignatur; cùm enim titulus maneat apud resignantem, ipsi debentur fructus. Ex quo etiam sit, quòd si renuncians recepisset pecunias à resignatario pro renunciatione, posset compensare cum fructibus, quos recepit resignatarius; cùm eæ pecuniæ ipsi resignatario restituendæ sint. Hæc omnia Nauarr. *lib.* 5. *consil. tu. de simon. in nouis, consil.* 48. *num.* 3. & 4. & consului circa hoc viros valde doctos Societatis, & responderunt hanc sententiam sibi placuisse.

## DVBIVM CXIX.

*Cui sint restituendi fructus acquisiti ex beneficio per simoniam obtento.*

1 ALiqui censent restituendos esse Cameræ Apostolicæ; quia licèt secundùm ius antiquum cederent Ecclesiæ, cuius est beneficium, vel pauperibus, at stylus Curiæ, qui facit ius, habet, vt Cameræ Apostolicæ cedant. Sic Sotus *lib.* 9. *de iustit. quæst.* 8. *art.* 1. *ad* 4. & aliqui iuniores.

2 Sed contra hos fortiter vrget, quòd alij Doctores non meminere huius styli, & Nauarr. qui Romæ scripsit, & tandiu ibi habitauit, oppositum dicit, vt videbimus: & summa Lat. *cap.* 23. *num.* 111. *vers. Quinto notabis*, agens de simonia confidentiali, in qua Pius Quintus reseruauit fructus per illam perceptos, dicit esse casum nouum.

3 Alij dicunt esse restituendos Ecclesiæ, in qua est illud beneficium; quia in pretio simoniacè, recepto ita definitur *cap. de hoc, de simon.* & in vtroque casu eadem videtur ratio, cùm in vtroque Ecclesiæ inferatur iniuria per simoniam in suo beneficio commissam. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 4. Sylvest. *verbo renunciatio, quæst.* 3. *dicto* 2. Tabien. *ibi quæst.* 7. Beja *casu* 37. *fine*; & idem docent generaliter de omni minus canonicè, & inualidè tenente beneficium, Sylu. *beneficii*, 3. *q.* 30. Angel. *verb. beneficium, n.* 44. Tab. *beneficium* 3 *q.* 3. Host. quæst, ac sequitur Gabriel 4. *dist.* 15. *q.* 8. *art.* 2. *concluf.* 1.

4 Limitat D. Thomas, nisi Prælatus, & totum Collegium fuerint in culpa; quia tunc authoritate superiotis vel alteri Ecclesiæ, vel pauperibus sunt restituendi, secus quando solus Prælatus, vel aliquis de Collegio deliquit; tunc enim Ecclesiæ sunt restituendi, quia delictum Prælati, vel alicuius particularis, non nocet Ecclesiæ.

5 Sit tamen conclusio. Probabilius est restituendos esse eos fructus Ecclesiæ, vel pauperibus, vel futuro successori in eo beneficio, vel posse se cum Papa componere pro iis fructibus. Fundamentum huius est in quantum dicit, quòd potest Ecclesiæ, quod posuimus pro secunda sententia: & *ibi* citaui Doctores, quòd possit pauperibus, quia de pretio simoniacè accepto id fatentur multi Doctores, vt dixi *suprà dub.* 114 & tamen hîc militat eadem ratio: imuio maior ratio est, vt pretium non posset restitui pauperibus, quia cognoscitur dominus, nempe is, qui dedit pretium: & quia est etiam textus expressus, vt tale pretium detur Ecclesiæ, *cap. de hoc, de simonia.* Item quia vbi non est dominus certus alicuius rei iniustè acquisitæ, ea debetur pauperibus: at hîc non cognoscitur dominus, nam nullus est legitimus dominus talis beneficij, cùm illud possidens iniustè retineat, & nullus sit alius proprietarius. Item quia non recitantes horas debent restituere fructus Ecclesiæ, vel pauperibus, iuxta motum proprium Pij Quinti. Item parochi non residentes tenentur Ecclesiæ, vel pauperibus restituere, iuxta Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* Cùm ergo etiam in hoc casu fructus beneficij malè acquirantur, videtur eos similiter posse Ecclesiæ, vel pauperibus restitui. Quòd possint restitui futuro successori, quia fructus beneficij vacantis reseruantur futuro successori, vt habetur expresse *cap. cùm vos, de ordin. in fine, Clementin. statutum, de elect. cap. quia sæpè, de elect. in* 6. *cap. præsenti, de offic. ordin. in* 6. & docent *lex* 11. *titul.* 15. *part.* 1. Syluester *beneficium* 5. *initio*, Angelus *verbo beneficium, numero* 40. Armilla *ibi numero* 51. vel, vt habetur in dictis textibus, & docent Doctores citati, possunt in vtilitatem Ecclesiæ expendi. Quòd possit fieri compositio cum Papa, quia hæc restitutio fructuum est de iure Ecclesiastico, in quo potest Papa, dispensare. Item quia cùm non sit persona certa, cui debentur, sed incertis pauperibus sint restituendi, potest Pontifex compositionem facere, sicut facit de aliis bonis incerti domini. Quod si arguas quomodo potest Pontifex facere compositionem, cùm tale beneficium vacans vere sit, & fructus beneficij vacantis, iuxta textus citatos, debentur certæ personæ, scilicet futuro successori, vel Ecclesiæ, in qua est beneficium. Respondet Nauarr. *de spoliis*, 12. §. *numero* 3. quòd illi textus loquuntur, quando beneficium vacat de iure, & de facto, non autem quando vacat de iure, sed non de facto, vt in casu præsenti, quia tunc licèt nemo sit legitimus administrator ob defectum tituli canonici, quo legitima administratio conceditur, est tamen qualis qualis, & putatiqus administrator fructuum, & ita non pertinent tam pleno iure ad futurum successorem, quàm fructus beneficij omnino vacantis: quare in his non cadit compositio cum Camera Apostolica, at in illis cadit ante, quàm Ecclesiæ, vel futuro successori tradantur. Hanc conclusionem tenet Nauarr. super *Extrauag. Gregor. XIII. de datis, & promissis pro iust. vel grat. num.* 42. aliàs *nbm.* 45. *fine.* Et quòd generaliter quoties beneficium vacat de iure, licèt non de facto, quia scilicet excommunicatus irregularis, vel simoniacè, vel aliàs inhabilis acceptauit beneficium, & sic non acquisiuit titulum, quòd possit fructus restituere futuro successori, vel conuertere in vtilitatem Ecclesiæ, vel componere se cum Camera Apostolica, docet Nauarra *tract. de spoliis*, §. 12. *numero* 4. & expresse etiam in simoniaco *lib* 5. *consil. tit de simonia, in antiquis, consil.* 62. *fine, & num.* 2. *in nouis, consil.* 70. *num.* 4. & *consil.* 72. & 73. & quòd possit etiam fieri pauperibus hæc restitutio, docet etiam idem Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de simon. in antiquis consil.* 18. *numero* 4. *in nouis, consil.* 82. *numero* 4. Et quòd possit fieri Ecclesiæ, vel pauperibus, tenet etiam Victoria *relect. de simon.* 2. *part. numero* 6. *fine.*

6 Nota quòd Nauarr. *de illo tract. de spoliis*, §. 12. *num.* 4. vbi dicit posse conuertere in vtilitatem Ecclesiæ, addit, vel beneficij: & dicit doctrinam positam esse veram, siue ab initio titulus beneficij fuerit nullus, siue postea beneficiarius illum amiserit, vt per negligentiam ordines sacros assumendi, iuxta *cap. licèt canon. de elect. in* 6. vel incompatibilitatem beneficiorum, iuxta *cap. de multa, de præbend.* vel alias causas, seu statuta: fructus eßim sunt restituendi Ecclesiæ, vel futuro successori, vel Cameræ Apostolicæ, componendo se cum ea: tu adde iuxta dicta, vel pauperibus.

7 Secundò

Universidad de Deusto
Biblioteca



7 Secundò nota, quòd licèt quando quis existens excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis recepit beneficium, restitutio fructuum possit fieri futuro successori, at quando habet legitimum beneficij titulum, & fructus amittit, vel ob excommunicationem, suspensionem, &c. non potest fieri restitutio futuro successori, cùm beneficium nullo modo vacet: sed debet fieri Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel pauperibus, vel debet obtineri compositio à Papa: vt de non recitante, & non residente dixi, & in conclusione posita reddidi rationem, & in secunda sententia posita retuli Doctores asserentes faciendam Ecclesiæ. Sic quidam docti iuniores.

8 Tertiò nota, quòd quando fit compositio cum Pontifice de fructibus malè perceptis, non opus est fieri compositionem, nec facere mentionem de parte fructuum, quam potest deducere, qui tenetur fructus restituere, iuxta dicta *suprà dub.* 115. quia tantùm debet fieri compositio de fructibus, qui restituendi sunt; at ea pars non est restituenda. Sic prædicti iuniores.

9 Quartò nota, quòd licèt expressio valoris beneficij secundùm taxam Cancellariæ sat sit, vt prouisio beneficij valeat, vt docet Felin. *cap. ad aures, concl.* 11. & 16. *de rescript.* at ad faciendum compositionem de fructibus malè perceptis non sat est, si reuera plures ea taxa malè percepit. Sic Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de simon antiquis, consil.* 73. *in nouis est in fine totius quinti libri.*

10 Quintò nota, quòd si restitutio fructuum fuerit quantitatis notabilis, satisfaciet assignando per instrumentum publicum annuos redditus pauperibus perpetuò distribuendos, quia hoc non est differri restitutionem, sed statim fieri: & patet ex dictis *suprà dub.* 49. vbi diximus posse ex his bonis fundari capellam. Sic docti recentiores.

11 Ex dictis infertur primò, quòd si prouisus de beneficio simoniacè, vel quouis modo inualidè, obtinuerit reualidationem tituli ab eo, qui potest, poterit absque alia dispensatione retinere fructus simoniacè, vel aliter absque vero titulo beneficij perceptos. Patet, quia poterat eos restituere primo successori legitimo in beneficio, & ipse est primus, qui legitimè succedit in eo. Sic Nauar. *lib.* 5. *consil. tit. de simon. in nouis, consil.* 99. *num.* 10. & *tract. de spoliis* §. 12. *num.* 4. Speculator 1. *part. tit. de dispensat.* §. *dicendum vltimò, de dispensatione super pluralitate beneficiorum, num.* 22. Enriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 14. *n.* 3. & *cap.* 3. *num.* 3. faciunt Syluest. *beneficium* 5. *initio*, Lambertin. *de iurepatronat. lib.* 2. *p.* 1. *art.* 7. *num.* 2. Nauarr. *lib.* 5. *consil. in antiquis, tit. de simon. consil.* 15. vbi dicunt fructus beneficij vacantis de iure (addit Nauarr. licèt non facto vacet) pertinere ad futurum successorem, & Lambertin. dicit esse Innocent. & omnium, siue nemo possideat, siue quis mala fide possideat.

12 Maximè tamen aduertendum est, quòd iniustus possessor beneficij non tantùm tenetur facere mentionem de iniusta beneficij detentione, sed etiam de fructibus perceptis, alioquin impetratio erit subreptitia; quia fructus percepisse reddit eum magis inhabilem. Sic Nicolaus Milius, Ioann. Andr. Hostiens. quos refert, & sequitur Felinus *cap. in nostra, de rescript. numero* 10. *corollar.* 2. Rebuffus *praxi* 3. *part. signaturæ, verb. Nec non & iurispatronatus, numero* 57. 58. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de iurepatron. in antiquis, consil.* 8. *numero* 2. Quod limitat Felinus nisi eos conuertisset in vtilitatem Ecclesiæ. Et Calder. *tit. de prabend. consil.* 11. & *tit. de rescript. consil.* 13. limitat, nisi Papa proprio motu reualidaret collationem. Sed hoc reprobat Felinus *ibi* cum Milio, & Lapo; quia licèt tunc non possit allegari defectus obreptionis, at potest allegari defectus intentionis: & facta tali relatione, si facta sit gratia reualidationis tituli cum obligatione ad se componendum in aliqua quantitate cum Camera Apostolica, ad illam tenebitur. Nauarr. *de spoliis*, §. 12. *numero* 4. Si autem ad id non obligetur, licèt Papa non faciat mentionem compositionis fructuum, procedet doctrina posita, vt possit retinere fructus tanquam nouus successor. Mihi etiam videtur, quòd si fructus illos expendit in pauperes, vel ipse cùm sit pauper, in sua sustentatione expendit, non tenetur eorum facere mentionem: sicut non tenetur, vt dixi ex Felino, quando expendit in vtilitatem Ecclesiæ; quia æquè (vt dixi) possunt restitui pauperibus, ac Ecclesiæ: & quia hæc mentio non fit tam ob fructus acceptos, aliàs esset eam facturus, licèt eos expendisset in Ecclesiæ vtilitatem, quam ob compositionem cum Camera Apostolica: at in tali compositione non est facienda mentio nisi de fructibus, quos tenetur restituere: at non tenetur, quos in pauperes expendit.

13 Secundò infertur, quòd si alius succedat in beneficio illo per hunc iniustè possesso, potest ille remittere huic restitutionem fructuum. Patet, quia illi erant restituendi. Sic Nauarr. *de spoliis*, §. 12. *n.* 3. & super *Extrauagant.* Gregor. XIII. *de datis pro iustitia, vel gratia, n.* 42. aliàs 45.

14 Tertiò infertur, quòd licèt Doctores communiter asserant suspensum à beneficio, quando per ipsum non stat quo minus absoluatur, posse de fructibus beneficij, quos amittit, accipere, si pauper sit, necessaria suæ sustentationi, vt habes *suprà hoc* 2. *lib. cap.* 2. *dub.* 15. *de benefic.* & de excommunicato id quidam negant, alij verò id concedunt, vt habes *suprà* vbi, *de benef. dub.* 11. Et in eo, qui per simoniam obtinuit beneficium, fatentur Syluest. *verbo renunciatio, quæst.* 3. *dicto* 2. Armill. *verbo beneficium, numero* 57. Angelus *verbo renunciatio, fine*, & *ibi* Tabiena *quæst.* 7. Enriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 14. *numero* 2. *commento littera Q.* posse de fructibus sic iniustè perceptis detrahere fructus strictè necessarios ad suam sustentationem: at de omnibus his dicendum est, quòd si verè sint pauperes, possunt sibi retinere de fructibus ad sustentationem sui; & suorum, licèt per ipsos stet, quominus absoluantur: & Doctores limitantes quando per ipsos non stat, intelliguntur in foro externo. Probatur, quia (vt dixi) hi fructus sunt restituendi pauperibus: ergo si est pauper, potest sibi applicare, cùm non sit peioris conditionis, quàm alij. Sic Enriquez *lib.* 13. *de excomm. c.* 13. *n.* 4.

15 Tandem omnia dicta, nempe fructus malè perceptos per simoniacum, aut alium iniustum detentorem beneficij esse restituendos futuro successori, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, sunt limitanda aliquibus modis.

16 Primò limita, nisi simonia sit confidentialis; quia tunc reseruantur fructus Cameræ Apostolicæ, vt dixi *suprà dub.* 34.

17 Secundò limita, nisi fructus adepti sint ab obtinente beneficium per simoniacam resignationem alterius; quia tunc resignanti sunt restituendi, vt dixi *dub. præcedenti, fine.*

18 Tertiò limita, nisi esset statutum in Ecclesia, vt omnes fructus iniustè percepti restituantur certis operibus piis; illis enim essent restituendi. Sic Nauarr. summa Lat. *cap.* 25. *n.* 123. & *lib.* 3. *consil. in nouis, tit. de celebr. Miss. consil.* 20. *in antiquis de prabend. consil.* 62. & in his consiliis sic limitat suam doctrinam *tract. de spoliis* §. 12. *n.* 4. quam hîc retulimus.

19 Quartò limita, nisi beneficium iniustè obtentum, vt simoniacè, vel ab excommunicato, &c. sit Canonicatus: tunc enim non tantùm distributiones, sed etiam pars fructuum, quam vocat *la gruessa*, debet restitui aliis Canonicis. Ratio est, quia tale beneficium vere vacat: at fructus beneficiorum horum vacantium non reseruantur futuro successori, sed distribuuntur inter alios Canonicos, vt docet Panorm. & communis *cap. relatum, el* 2. *de testam.* vt refert, & sequitur *ibi* Couarr. *n.* 2. id colligens ex illo textu, & Enriquez *lib.* 13. *de sacramento ordinis, cap.* 14. *in commento littera Q.* sic limitat Nauarr. *in omnibus locis cit. limitatione præced.* Et licèt hanc doctrinam reprobauerim *in hoc secundo lib. cap.* 2. *dub.* 63. quando fructus, quos vocant *la greussa*, non percipiuntur ab iniusto detentore Canonicatus, sed à iusto, at illos perdit, quia post legitimam obtentionem incidit in excommunicationem, vel non recitauit, &c. At est differens ratio, quia in hoc casu non vacat beneficium: & ita non procedit ratio posita.

20 An verò si huiusmodi Canonicus bona fide assistat choro, lucretur distributiones, habes *suprà hoc* 2. *lib. c.* 2. *dub. n. de accept. person.*

21 Vltimò limita, nisi beneficium esset tale, quod secundùm constitutiones fundatoris illo vacante pertinet ad certam personam, v. g. ad consanguineum proximiorem: tunc enim qui simoniacè, vel alio titulo inualido retinet tale beneficium, fructus perceptos tenetur restituere illi, qui succedere debeat secundùm constitutiones in illo beneficio; quia illi fit iniuria, non relinquendo illi suum beneficium. Sic aliqui iuniores.

22 Sed ego multum dubito de hac limitatione, si enim hic furtim se ingereret, dicens esse consanguineum proximiorem, cùm non sit: vel esset coniugatus, & sic omnino incapax beneficij, manifestum est feciisse iniuriam illi vocato, & sic illi teneri restituere: at in isto casu cùm hic reuera sit legitimè vocatus ad beneficium, & capax illius, & tantùm deliquit in modo, quia scilicet, vel simoniacè procurauit, vel antequam absolueretur ab excommunicatione, non peccat in ordine ad eum, qui debebat succedere, sed tantùm in ordine ad Ecclesiam præceptum transgreditur non ingrediens viam rectam.

## DVBIVM CXX.

*Quis possit dispensare in omnibus pœnis, quas suprà dub. 104. diximus contrahere simoniacum, & reualidare titulum beneficij.*

CVm in triplici tantùm simonia (vt *suprà* diximus) incurrantur pœnæ, scilicet in simonia in ingressu Religionis, ordine, & beneficio, vt clarè procedamus, dicendum de his agendum est.

1 Primò ergo in simonia in ingressu Religionis quis dispenset, habes *suprà dub.* 104. *propè finem.*

2 Secundò in ordine dupliciter quis contrahit pœnas, scilicet vel quia ordinatur ab Episcopo simoniaco, excommunicato, interdicto, vel irregulari; & tunc quis dispenset, habes *suprà dub.* 104. *n.*

3 Alio modo incurrit pœnas, nempè excommunicationem, & suspensionem, quando simoniacè ordinatur: & de excommunicatione iam dixi *suprà dub.* 104. esse referuatam Papæ: at potest quis ab illa absolui virtute Cruciatæ semel in vita, & semèl in mortis articulo, sicut ab aliis reseruatis. At hodie post motum proprium Sixti Quinti contra malè ordinatos, licèt non incurratur *ibi* excommunicatio, at peccatum reseruatur Papæ, ita vt nec per Bullam, nec virtute decreti Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* quando est occultum licet ab eo absoluere. Vide *suprà dub.* 104. §. *hinc sit.*

4 Similiter ab excommunicatione, quam incurrit simoniacus in beneficio, quam dixi *suprà dub.* 104. reseruari Papæ, potest quis semel absolui in vita, & semel in mortis articulo, virtute *Cruciatæ*, sicut ab aliis reseruatis, vt bene Manuel *in compost. Bullæ Cruciat.* §. 13. *n.* 3. & 2. *tomo summæ cap.* 66.

5 At difficultas est, an possit talis simoniacus absolui ab excommunicatione virtute Bullæ, antequam restituat beneficium, & restituat pretium, & fructus. Aliqui negant, quia Bulla, & quæcumque priuilegia concedunt absolutionem ab excommunicatione, satisfacta parte: at hæc restitutio pertinet ad satisfactionem. Sic aliqui iuniores, qui pro se referunt D. Thomam 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 7. vbi hæc dicit: in aliis casibus potest Episcopus dispensare; ita tamen quòd priùs abrenunciet, quod simoniacè acquisiuit.

7 At dicendum est posse absolui ab excommunicatione ante talem restitutionem, modò proponat restituere. Ratio, quia dum ius commune, & priuilegia petunt præmitti satisfactionem partis, intelliguntur, quando propter iniuriam illatam parti incurritur excommunicatio: at excommunicatio simoniæ non imponitur propter damnum illatum alicui tertio, immo nec est posita excommunicatio eo quòd hic retinet beneficium, vel fructus, hoc enim consequitur ad suum peccatum; sed excommunicatio posita est ob iniuriam illatam rei sacræ, illam emendo, vel vendendo: immo in simonia non fit iniuria tertio, vt benè dicit Sotus 4. *de iustit. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 1. non enim est contra iustitiam, sed contra Religionem. Nec D. Thomas oppositum dicit, quia loquitur de dispensatione, vt possit iterum ei conferre beneficium; quodidem statim & nos dicemus. Sic tenent alij docti iuniores.

8 De suspensione verò, quam incurrit simoniacus in ordine, distinguendum est: aut enim scienter ordinatur simoniacè, & tunc licèt aliqui (vt refert Buttio *cap. de simoniacè, de simonia, num.* 5.) dicant, si est occultum, posse Episcopum dispensare; si verò publicum, solùm Papam: at dicendum est in vtroque casu solum Papam posse. Patet ex *cap. penult. de simonia*, & tenet *ibi* glossa *vers. per sedem.* Panormit. dicens esse omnium, *cap. de simoniacè eodem titulo*, & *ibi* Butrio *num.* 5. Felinus *ibi num.* 2. Innocent. *ibi num.* 1. & *ibi* Hostiens. Syluest. *verb. suspensio, quæst.* 7. *dicto* 3. *lex* 16. *fine*, *tit.* 17. *part.* 1. Sotus *lib.* 9. *de iustit. quæst.* 8 *art.* 2. *conclus. vltima* Caietanus 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6 *circa solutionem ad* 7. Armill. *verbo simonia, num.* 51. Angel. *simonia* 6. *num.* 3. Tabien. *verbo simonia, quæst* 9. & 68. Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. noui, cap.* 307. *fol.* 972. *pag.* 2. Enriquez *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 37. *initio.* Limitat tamen Syluest. quòd non possit Episcopus quoad sic susceptum ordinem dispensare, vel vt ascendat ad ordines superiores; quia promoueretur per saltum, si non dispensatus in ordine simoniacè recepto ascenderet ad superiores: & probat per *cap. penult. de simon.* ibi, *Ab ordine sic suscepto.*

9 Immo hodie per Trident. *sess.* 24 *cap.* 6. *de reformat.* potest, Episcopus dispensare, si delictum sit occultum, vt bene Ludouic. Lopez *dicto cap.* 307. *fol.* 972. *pag.* 2. Obstat tamen motus proprius Sixti Quinti contra malè ordinatos; & sic nec etiam quoad ordines titè susceptos potest iuxta illum dispensare. An verò possit commissarius per Bullam *Cruciatæ*, dicam *tract. de expositione Cruciatæ.*

10 Quando verò ignoranter ordinatur quis simoniacè, quia scilicet alius eo ignorante dedit pecunias, iuxta sententiam, quam amplexus sum *suprà dub.* 104. non est necesse disputare quis dispenset; quia *ibi* defendi nullam incurri suspensionem; at tenendo communem sententiam, quòd est suspensus, quidam dicunt quòd si delictum est publicum, solus Papa dispensat: si verò occultum, Episcopus, argum. *cap. ex tuæ, de simon.* Sic Calder. *cap. post translationem, de renunciat.* Laurent. Tancred. & Hostiens. *cap. de simoniacè, de simon.* & *ibi* Butrio, *n.* 5. & hæc est communis sententia, vt refert Panorm. *ibi n.* 5.

11 At verius est posse in vtroque casu Episcopum: primò per illud *cap. de simoniacè*, vbi indistinctè permittitur dispensatio in hoc casu; & *cap. præsentium*, 1. *q.* 5. Sic Panorm. *cap. de simoniacè, de simon. n.* 5. & 6. & *ibi* Felin. *n.* 2. & *ibi* Innocent. Angel. *simonia* 6. *n.* 3. Arm. *verb. simonia,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*simonia.num.*51.& *ibi* Tab.*quæst.*9. & 68. Sylvest *verb. suspensio.quæst.*7.*dicto* 3. Addunt Sylvest. Angel. & Tabien.*illa quæst.*68. hoc esse verum, licèt postquam sciuit, non renunciauerit ordini, sed in eo ministrauerit, & ad superiores ascenderit. An verò possit hoc Episcopus, cum quo est commissa simonia, statim dicam.

12 Quando autem simonia commissa est in beneficio, potissima difficultas est, quis possit dispensare, vt talis simoniacus possit habere beneficium.

13 Præmittenda tamen est quæstio alia generalis, an in casibus, in quibus iuxta dicta, & dicenda potest Episcopus dispensare cum simoniaco in ordine, vel beneficio, id possit Episcopus, cum quo simonia commissa est.

14 Communis sententia negat posse, & non affert textum, sed hanc rationem, quòd ob suam turpitudinem indignus est, vt ipse dispenset; sed dispensabit successor, vel superior: at potest probari ex *cap. veniens, de filiis presbyt. & cap. diuersis, de cleric. coniug.* quæ habent Episcopum, qui scienter contulit beneficium coniugato, vel filio illius, qui illud immediatè obtinuit, non potest illud ab eo auferre; secus si ignoranter. Sic Hostiens.*cap. de simoniacè, de simon. fine,* & *ibi* Anchar. *num.*2.*fine,* & *ibi* Panorm.*num.*7.*fine,* Innocent.*ibi fine,* Butrio *ibi,& cap.penult.de elect.n.*7. Cald.*cap post translationem, de renunciat.* glossa *cap. præsentium,*1.*quæst.*5.*vers.fratrum.* Angel.*simonia*6.*n.*2. Armill *verbo simonia, n.*52.Sylvest.*verbo suspensio.quæst.*7.*dicto* 3.

15 At verius est posse, quia *cap.penult. de elect.* & alij textus, qui concedunt Episcopo facultatem dispensandi, loquuntur indistinctè. Sic in alio omnino simili tenet Nauarr. *lib.*5.*consil.tit.* 3 *de simonia, in nouis consil.*97.*num.*12. *in antiquis consil.*61.*num.*12. vbi quærit, an possit Episcopus dispensare in simonia occulta, virtute Trident.*sess.*24.*cap.*6. *de reformat.* quando ipso sciente,& consentiente commissa est in casu, in quo posset dispensare, si ipso ignorante facta esset; & pro parte opposita allegat duo capita in oppositum citata; & respondet posse, quia Trident.*eo cap.* 6. indistinctè loquitur: & quia licèt in aliquibus casibus speciale sit, quòd superior nequeat retractare aliqua mala se consentiente facta; & regulariter id potest. *cap. si quis presbyterorum*, cum *ibi* notatis, *de rebus Eccles. non alienand.* Item, quia non est locus prædictæ regulæ in iurisdictione, quæ non est contentiosa, sed voluntaria, qualis est hæc: & sic concludit posse, licèt de mandato eius sit facta, quia in hoc non exercet iurisdictionem in se, nec iurisdictionem contentiosam, quæ reddatur in inuitum, & citatum.

16 Circa quæstionem ergo propositam, quòd scilicet possit dispensare cum simoniacè obtinente beneficium, vt illud possit retinere. Enriquez *lib.* 13. *de excommun. cap.* 37. *fine, in commento litera D.* dicit, quòd potest Episcopus cum paupere dispensare, vt retineat beneficium, quod simoniacè accepit habilitando illum, & denuo conferendo in foro conscientiæ; sicut potest cum paupere dispensare in matrimonio iam contracto cum impedimento dirimenti, & *c.*14.*n.* 3. dicit generaliter posse Episcopum in foro conscientiæ habilitare occultum simoniacum, & sic denuo illi conferre beneficium, quia nullus textus exprimit reseruati Papæ, nisi in simonia confidentiali; vt refert Nauarr. *cap.* 23. in summa Latin.*num.*110. *versic. tertio nota*, & *num.* 2. *in commento litera P.* dicit, quòd reualidatio beneficij per simoniam obtenti reseruatur Papæ in foro externo. Sed Nauarr. nil dicit *ibi* conferens ad hoc: tantùm enim dicit esse peculiare in simonia confidentiali, quòd prouisio illius beneficij, siue in personam, quæ simoniacè recepit, siue in quamcumque aliam, reseruetur Papæ: quod in aliis simoniis non contingit, sed ipsimet simoniaco non potest Episcopus conferre; at aliis bene potest. Et similiter, quod affert de matrimonio non facit ad rem, quia, vt possit Episcopus, debet esse in contrahentibus bona fides, & in separatione scandalum, & agitur de salute animæ: at in simoniaco in beneficio inest bona fides, nec est scandalum, quòd dimittat beneficium, nec agitur de animæ salute, sed de commodo temporali.

17 Summistæ autem hac in re valde confusè loquuntur, quia non distinguunt de beneficio simplici, vel curato, nec de eadem vacatione, vel de diuersis, vt potest videri in Sylvestro *verbo suspensio, quæst.*7.*dicto* 3. Angel.*simonia* 6.*num.*3. Armill. *verbo simonia,n.*52. Tabiena *ibi quæst.*9. & 68.

18 Vt ergo clarè in re valde confusa procedamus, oportet præmittere duas distinctiones, & verba formalia, *cap. penult. de elect.* ex quibus pendet tota difficultas: deinde statuam conclusiones.

19 Prima distinctio est; aut beneficium est simplex, vel curatum, & nomine *curati* intelligitur etiam dignitas: in hoc enim æquiparantur, *cap. de multa, de præbend. & cap. cum nullis eodem tit.in* 6, & docent Butrio *cap. de simoniacè, de simonia. num.* 6. & *ibi* Panormitan. *num.* 6. & reliqui Doctores in conclusionibus citandi eodem modo loquuntur de his.

20 Secunda distinctio, aut simonia commissa est sciente recipiente beneficium; aut ab aliis, ignorante ipso. Primò ergo dicemus quando ignoranter, deinde quando scienter.

21 Verba formalia *c.penult.de elect.* ex quibus pendet tota hæc difficultas, sunt hæc: *Si alicuius electionem propter simoniam,eo ignorante, ac ratum non habente, commissam contigerit reprobari, cum eo super prælatione, ad quam electus fuerat, illa vice non potest Episcopus dispensare,quamuis circa eum, qui ignoranter recepit simplex beneficium per simoniam,post liberam resignationem,Episcopi dispensatio toleretur.* hæc ibi. His præmissis,sit.

22 Prima conclusio, Quando beneficium per simoniam ignoranter acceptum est simplex, & cognita simonia beneficiarius sponte renunciat, certum est, quòd possit Episcopus dispensare, vt illudmet habeat quia sic dicitur expressè *illo cap.penult.de elect.* Sic glossa *cap. nobis,de simonia,versic.reprobanda,& cap. post translationem, de renunciat. versic. nequeat,& cap. præsentium,* 1. *quæst.*5.*fine,*Buttrio *dicto cap.nobis,fine,& dict. cap. penult. numero* 7. vbi & Immola *numero* 1. & *ibi* Hostiens.& Panormitan.*n.*5. Innocent. *cap. de simoniacè,de simon. n.*2. vbi & Felin.*n.*5. Angel.*simonia* 6.*n.*3. Nauarr. *lib.*5.*consil. tit.*3.*de simon.in nouis,consil.*91.*num.*7.& 97.*num.*5.& 6. *in antiquis,consil.*61.*n.*5.& 6. Sylvest.*verbo simonia,quæst.* 8.*dicto* 5.

23 Hinc infert Nauarr.*illo consil.*97.& 61.*n.*5.6. posse Episcopum dispensare, licèt beneficium illud sit Canonicatus Ecclesiæ cathedralis, quia Canonicatus non est dignitas, vt latè *ibi* probat.

24 Nota primò, quòd dum loquimur de beneficio habito simoniacè ignoranter, non intelligimus quando ipsemet beneficiarius commisit simoniam, ignorans esse talem, sed quando alij committerunt ipso ignorante. Sic enim loquitur *cap.penult.de elect.* & omnes Doctores citati.

25 Secundò nota, quòd aliqui limitant,nisi postea ratum habeat, quia retrotrahitur ratihabitio, ac iudicandum est, ac si à principio sciret: & colligitur ex *dicto cap.penultimo,de elect.* ibi, *nec ratum habente.* Sic glossa *ibi versic.ratum.* Buttrio *ibi numero* 7. Hostiensis, & Baldus *ibi.*

26 At melius Sylvest.*verbo simonia,quæst.*8 *dicto* 5. dicit posse dispensare Episcopum, licèt postea ratum habeat,quia reuera non fuit simoniacus in receptione beneficij, vel ordinis. Et faciunt, quæ dixi *supra dub.*116. *n.*... quòd scilicet per hanc ratihabitionem non incurruntur pœnæ simoniacæ; at pœna est, quòd Episcopus non possit dispensare.

Secunda



27 Secunda conclusio. Si tamen sponte non renunciat illud beneficium simplex sic ignoranter per simoniam acceptum, sed expectat sententiam iudicis illum beneficio priuantis, concordant omnes, quod in alia vacatione potest Episcopus dispensare, vt illud beneficium obtineat, quia *c. penult. de elect.* tantùm negat ea vice, quod communiter Doctores, & Innocent. *ibi*, vt mox videbimus, explicant, id est, ea vacatione; & sic per argumentum à contrario sensu probatur posse in alia vacatione.

28 At dissentiunt Doctores, an possit in illa vacatione; & quidam dicunt id posse vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ suadente, aliàs non. Sic Butrio *cap. de simoniacè, de simon.num.*5.& *cap.penult.de elect.num.* 7. vbi Immol. *n.*1.*fine.*

29 At verius est non posse, quia *d. c. penult.* dicitur posse, quando alter liberè renunciat: ergo per argumentum à contrario sensu non potest quando coactè renunciat. Sic Panorm.*c.de simoniacè,de simon.n.*7. & *ibi* Felin.*n.* 5. Armil.*verbo simonia, n.* 52.

30 Limita, vt hoc intelligatur, quando certior factus de simonia expectat sententiam; secus si non expectet, quia non est certus de simonia commissa; tunc enim in nulla est culpa, & sic ei non nocet: sic Felin. & Panor. *proximè citati.*

31 Tertia conclusio. Quando beneficium per simoniam ignoranter acceptum est Curatum, aut dignitas, & cognita simonia sponte renunciat beneficiatius, conueniunt omnes Doctores quòd in alia vacatione potest Episcopus dispensare, vt illudmet habeat, quia *cap. penult. de elect.* solùm negat Episcopo facultatem ea vice, id est, ea vacatione, purgatur enim vitium per interme-diam personam: nam si immediatè idemmet haberet illud beneficium, videretur promoto vitiosa ex proximitate vitij; quia quæ incontinenti fiunt, videntur inesse, *coffic.de elect. & l. lecta, ff. si certum petatur*; & sic tenent omnes Doctores iuris Canonici statim citandi: etiam summistæ citandi non distinguunt de eadem, vel alia vacatione.

32 At discordant Doctores, an in illamet vacatione possit Episcopus dispensare; quidam enim dicunt id posse ex euidenti vtilitate. Sic Butrio *cap. de simoniacè, de simon.num.*5.& *cap.penult. de elect. num.* 7. vbi Host. & Immola *num.* 1. & *fine.* Calder. *cap. post translationem, de renunciat.* & hæc est communis,teste Panorm. *d. cap. penult.n.*4.

33 Alij verò dicunt posse Episcopum absolutè dispensare, vt statim habeat idem beneficium. Probatur ex *c. præsentium* 1. *quæst.* 5. vbi dispensat Episcopus in dignitate assumenda cum eo, qui sponte renunciauit Ordini ignoranter simoniacè accepto: & ex *cap. penult. de elect.* à contrario sensu; ibi enim negatur facultas Episcopo dispensandi,si talis electio reprobata fuerit, scilicet per sententiam. Sic tenet Glossa, dicens forte hoc sic esse; *cap.penult. de elect. versic. illa*, & definitè eam tenet *cap. post translationem, de renunciat.versic. nequeat, fine.* & *ibi* Buttrio *num.*39. Limitans, nisi sit Episcopatus: & absolutè non explicantes an loquantur de beneficio curato, vel simplici (licèt videantur expressè loqui de curato, quia referunt contrarias sententias, & circa beneficium simplex, vt dixi *in prima conclusione*, omnes conueniunt) eam tenent Ang. *simonia* 6. *num.* 3. Sylvest. *verb. suspensio q.* 7. *dicto* 3. Tancredus per eos citatus.

34 At verius est nullo modo posse, quia *cap.penult.de elect.in versic. quamuis*, venit aduertatiuè ad præcedentia, vbi fuerat dictum de dispensatione ad prælaturam; & subdit, quamuis in simplici beneficio potest Episcopus post liberam resignationem dispensare: ergo secus est in prælatura, aliàs perperam constitueretur *ibi* quoad hoc, differentia inter simplex beneficium, & prælaturam. Nec obstat *c.præsentium, quæst.* 5. quia loquitur in alio casu: & illius capitis possunt videri variæ expositiones in Glossa *d.cap.penult.versic. illa.* Sic tenent Boatinus, quem refert, ac sequitur Panorm. *cap. penult. de elect.num.*4.& 5.& *cap.de simoniacè, num.*7. vbi & Felin. *n.*4. & faciunt alij absolutè dicentes non posse Episcopum dispensare in prælatura, vel dignitate. Hi sunt Innoc.*cap.de simoniacè, de simon.num.*2. Nauar.*lib.*5.*consil. tit.*3.*de simon. in nouis consil.* 91.*num.*7. *in antiquis consil.* 35.*num.*7.

35 Quarta conclusio. Quando verò cognita simonia non sponte renunciat Curatum, vel dignitatem per simoniam ignoranter adeptam, sed expectat sententiam, adhuc tenet Buttrio *c.penult. de elect.num.*7.& *cap. de simoniacè, de simon.num.*5. Episcopum posse ex necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ dispensare in ea vacatione; in alia verò vocatione posse absolutè, quia *cap. penult. de elect.* tantùm negat Episcopo facultatem dispensandi ea vice, id est, ea vacatione: at verius est absolutè non posse in ea vacatione. Patet ex proxima conclusione, vbi id probaui, etiam quando renunciauit, nedum quando expectauit sententiam. Et sic tenent Panormit. Felin. *ibi* pro ea citati, & Glossa *post translationem, de renunciat.versic.nequeat,fine.*& Ant.*ibi num.* 59. Immola *c.penult.de elect.n.*1.& *fine.*

36 Hucusque actum est, quando beneficium est acceptum ignoranter simoniacè: sequentes conclusiones sunt,quando scienter.

37 Quinta conclusio. Si sciens recipiat per simoniam curatum, vel dignitatem, & sponte renunciat, potest Episcopus dispensare, vt in alia Ecclesia, vel in illamet obtineat alia beneficia: at vt obtineat idemmet beneficium, quod renunciauit, solus Papa dispensat. Probatur à contrario sensu ex *cap.penult. de elect.* vbi tantùm permittitur Episcopo, quando ignoranter, & sponte renunciat, & non in illa vice, sed in alia vacatione. Hæc est contra Felin. *cap.de simoniacè, num.* 3. dicentem posse Episcopum, sed non ea vice: tenent Buttrio *eo c. de simoniacè, n.*5.& *cap.penult.de elect.n.* 7. Panorm. *eo c. de simoniacè, n.*6.& *ibi* Innoc.*n.*2. Cald. *cap. post translationem,& renunciat.* Angel.*simonia,*6.*n.*3. Tabien. *verb. simonia.quæst.*9.Sylu.*verbo suspensio, quæst.*7. *dicto* 4. & quòd non possit in eodem beneficio, tenent Doctores citandi *infra notab.*2.*n.*42.

38 Nota primò,quòd hi Doctores ponunt hanc differentiam quòd Episcopus potest dispensare, vt in alia Ecclesia habeat beneficium, & ministret in ordinibus susceptis: at si dispensat, vt in eadem Ecclesia, tantùm ministrabit in ordinibus minoribus, ad superiores verò non ascendet. Sic Panorm.Innoc.Cald.Butrio,Tabien.Ang. Sylu.*proximè citati.* Immo Panor.Ang.Sylu. dicunt tantùm posse dispensare, vt in eadem Ecclesia habeat aliud beneficium,modò sit simplex.

39 At hi Doctores supponunt simoniacum in beneficio esse inhabilem ad alia: cuius contrarium docuimus *supra dub.* 104. *num....* vbi diximus sequuta absolutione ab excommunicatione non indigere dispensatione ad obtinendum in alia, vel in eadem Ecclesia quodcumque beneficium, præter simoniacè adeptum. Supponunt etiam simoniacum in beneficio esse suspensum, & sic egere dispensatione ad ministrandum in susceptis, vel ascendendum ad superiores ordines. At nos *eo dub.* 104.*num....* diximus non esse suspensum: & sic consequenter dicemus non indigere dispensatione ad ministrandum in ordinibus susceptis, vel ascendendum ad superiores.

40 Sed poterit hæc doctrina habere locum in inhabilitare, quam contrahit ad alia beneficia committens simoniam confidentialem, iuxta motum proprium Pij V. nam etsi excommunicatio reseruetur Papæ in illo motu proprio, at inhabilitas non reseruatur,vt bene Enriquez *lib.*13.*de excomm.c.*37.*fine, commento litera F.* & *cap.* 36. *num.*1.*litera F.* dicit posse Episcopum virtute Trident.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sess.24.c.6. de reform.* dispensare in inhabilitate occultæ simoniæ ad alia beneficia.

41 At virtute Bullæ Cruciatæ nec potest commissarius, nec confessor ab hac inhabilitate absoluere ; quia non est censura inhabilitas, sed pœna, & Bulla non concedit pœnas ; & quia in Bulla denegatur commissario facultas absoluendi ab irregularitate simoniæ. Sic Manuel *2.tom.summæ c.66. fine.* & in Bulla Cruc.§. 12.*n.* 3. & in expositione motus Proprij Pij V. circa ingressum in monasteria Monialium, *n.*35. & alij : & dicit Manuel *eo n.* 35. posse Episcopum virtute Trid. *d.sess.*24.*c.6.* dispensare in inhabilitate ad officia, & priuatione officiorum, quando procedunt ex delicto occulto. Sed de hoc latè dicam in expositione motus Clem. VIII. *de largit.munerum.*

42 Secundò nota, quòd etiam quando est beneficium simplex, licèt Butrio *cap.de simoniacè,de simon.n.*5. dicat posse Episcopum dispensare ex euidenti vtilitate cum recipiente illud scienter simoniacè, at dicendum non posse, argumento à contrario sensu *c.penult. de elect.* vbi tantùm conceditur quando sponte renunciat, & ignoranter accepit. Sic Ant. *cap. post translationem, de renunciat.num.*39.*& cap.penult.de elect.n.*7. Tabien.*verb.simonia,quæst.*9. Panorm *cap.de simoniacè,de simon. num.* 7. D.Thom.2.2.*quæst.*100.*art.*6 *ad* 7.Sotus *lib.*9.*de iustit.q.* 8 *art.*2.*conclus.vltima.* Lndou.Lopez 1.*p. instruct. noui, c.*307.*fol.*972.*pag.*2. Rebuff.*praxi, tit. quot modis acquirantur beneficia,num.*9. Nauar.*lib.*5.*consil.tit. de simon. in nouis consil.*91.*num.*7.*in antiquis,consil.*35 licèt D.Thom. Nauar.Rebuff. Sotus, Ludou. Lopez non distinguant, si beneficium sit simplex, aut curatum, sed indistinctè id docent de beneficio.

43 Vltima conclusio. Si expectat sententiam priuationis, qui scienter recepit dignitatem, vel curatum simoniacè, nullo modo potest Episcopus dispensare cum illo ad illud, vel aliud beneficium, quia damnatus per sententiam de simonia est effectus infamis infamia iuris, vt dixi *supra dub.*104.& (vt docet Nau.*lib.*5.*consil.tit. de simon.in nouis, consil.* 91. *num.*6.*versic.ad tertium, in antiquis consil.*35.*n.*6.*versic. ad tertium*) est irregularis, quia infamis : & cum infami infamia iuris non dispensat Episcopus, nisi in casibus in iure expressis, vt notatur *cap. cum te, de sentent. & re iudic.* Item quia Episcopus dispensat in adulterio, & minoribus delictis, vt notatur *cap. at si clerici, de iudic. fine* ; at simonia est grauior. *cap.sicut,& cap.licèt, de simon.* Sic Panorm. *c.de simoniacè, de simon, n.* 6. Armil. *verb.simonia,n.*5 1.Tabien.*ibi, quæst.*9.Syluest.*verb.suspensio quæst.*7. *dicto* 4. Angel. *simonia 6.num.*3.

44 Immo eadem ratio probat idem in beneficio simplici, damnatus enim de simonia in illo, efficitur infamis. Panorm.*eod.de simoniacè,n.*7.

Tandem notanda sunt tria.

45 Primò nota, quòd vt valeat dispensatio obtinentis beneficium, quòd scienter simoniacè obtinuerat, est opus facere mentionem, quod simoniacè obtinuerit, non autem, vt obtineat alia, vt habes *supra dub.* 104. *item....*

45 Secundò nota, quòd qui simoniacè obtinuerat beneficium, v.g. Canonicatum, etiam ignoranter, si postea dispensetur cum eo ad illum canonicatum, non conseruabit locum, quem antea habebat in Capitulo, sed tanquam modernior aliis obtinebit vltimum locum. Ratio, quia antea tenebatur renunciare, & per renunciationem vacauit : & sic habetur *cap. ex insinuatione, de simon.* & probat latè Nauarr. *lib.*5. *consil. tit. de simon. in nouis consil.* 97. *num.* 4. *in antiquis, consil.*61. *num.* 4. Hoc tamen intelligo, quando ipse Canonicus renunciauit cenonicatui : nam tenendo, quòd talis collatio fuit valida, quando simoniacè ignoranter accepit, *vt supra* tenui, si ipse non renunciet, sed obtineat à Papa reualidationem, manebit in eodem loco, quem antea habebat in Capitulo, quia non desiit esse Canonicus.

47 Vltimò nota, quòd si is, qui recipit beneficium simoniacè ignoranter, petat à Pontifice compositionem fructuum perceptorum,& reualidationem tituli, si Pontifex respondeat, concedendo compositionem ; ar circa beneficium nec aufero, nec confero : hic non potest retinere beneficium, quia indigebat noua reualidatione tituli. Sic Nauar. *lib.*5.*consil.de simon.in antiquis,cons.*73. *in nouis,in fine totius quinti libri.*

48 An verò possit quis super illis componi per Cruciatam, dicam in expositione Cruciatæ,*dub.*100.

## DVBIVM CXXI.

*An qui tenetur restituere fructus simoniacè perceptos, vel alia debita incerti domini casu quo illi fructus possunt restitui pauperibus,iuxta dicta* supra dub. 119. *satisfaciat eleemosynis, quas huius obligationis aut ignarus, aut immemor pauperibus erogauit.*

1 PRo solutione huius præmittendum est, quòd qui ex deuotione facit opus, ad quod tenebatur, v.g. audit Missam in die festo, immemor, aut ignarus præcepti, quia ignorabat, vel non recordabatur esse festum, satisfacit præcepto, ita vt postea memor, vel certior factus de præcepto non teneatur iterum audire, quia licèt desit intentio actualis satisfaciendi præcepto, at adest virtualis, vel saltem habitualis, qua si ille nosset præceptum, vellet illi eo opere satisfacere, quando non est intentio contraria. Probatur, quia aliàs sequerentur multa inconuenientia.

Primò, quòd, qui celebraret in Paschate ex consuetudine celebrandi non recordatus præcepti, non adimpleret illud, sed peccaret mortaliter, & similiter, qui frequenter confiteretur in anno : quos tamen nullus damnabit.

Secundò, quia lex absolutè præcipit actum, & non præcipit fieri tali intentione. Sic multi, quos retuli *lib.* 1.*summ.c.*13.*n.*9.vbi de hoc latè egi.

2 Ex hoc inferunt aliqui quòd si amicus nesciens alteri amico aliquid debere ex iustitia, tantumdem ei donet, satisfaciet debito ex iustitia, nisi iste dono tantumdem receperit, vel recipiet ab amico : & si minus dono receperit ab amico, in illo, in quo excedit, satisfaciet pro debito iustitiæ : nisi expresè habuerit intentionem contrariam, quia semper intelligitur virtualiter fore luisse : nam semper intelligitur illa maxima, quòd vult se à debito liberare quamprimum potest. Similiter quando quis tenebatur propter incertitudinem creditorum, vel ob aliam causam restituere pauperibus, si ignarus, aut immemor huius obligationis, facit eleemosynas, potest omnes eleemosynas, quas fecit post talem obligationem, compensare cum debito illo. Sic nouelli doctiiuniores.

3 Sed hoc posterius placet mihi, non autem prius de debitore certo, cui ignarus debiti aliquid donat amicus ; quia licèt legatum compensetur cum debito necessario, at donatio non videtur facta animo compensandi cum debito, vt *infrà* dicam *lib.*4.*cap.*2.*dub.* 15. *de legatis*, eo quòd cùm donatio sit merè gratuita, eius naturæ repugnat ratio debiti : & ita qui donat, habet intentionem expressam gratis, & absque omni debito dandi ; & sic repugnat intentioni virtuali satisfaciendi pro debito : at eleemosynæ non repugnat ratio debiti, modò non sit debita ex aliqua speciali lege iustitiæ, illinet, vt ratione mutui, venditionis, &c. Et hoc clarè patet, quia secundùm multos, & est valde probabile, extremè indigenti tenetur dues ex iustitia dare eleemosynas, & tamen si ex pœnitentia sacramentali, vel eo quòd habet debita incerti domini, teneretur ad eleemosynas, satisfaciet dando sic indigenti ; & ideo dum donat, repugnat rationi donationis intentio virtualis satisfaciendi pro debito, si nosset ; quare talis intentio non est : at cùm eleemosynæ non repugnet velle satisfacere pro debita aliàs eleemosyna, censetur habere hanc intentionem virtualem, & sic satisfaciet.

## DVBIVM CXXII.

*An si quis existens excommunicatus, vel per simoniam obtinuit beneficium, quod spectet ad iuspatronatus, indigeat noua patroni præsentatione, quando est absolutus ab excommunicatione, vel dispensatus in illa simonia, vt obtineat beneficium.*

1 PRimò dico, si talis præsentatio facta est ante excommunicationem, vel non simoniacè, & post ea excommunicatus, vel simoniacè obtinuit beneficium, absolutus ab excommunicatione, vel dispensatus in simonia non indiget noua præsentatione, sed reualidatione tituli. Ratio, quia illa præsentatio fuit legitima, nec illo est priuatus præsentatione legitimè facta, sed beneficio malè obtento. Sic Enriquez, & alij iuniores à me consulti.

2 Secundò dico, si tamen præsentatio facta fuit simoniacè, vel dum erat excommunicatus, indiget noua præsentatione. Ratio, præsentatio fuit nulla : sic eidem iuniores ; sicut *supra dubitatione septuagesimaprima.* dixi, quòd si patronus excommunicatus denunciatus præsentat aliquem ad beneficium, institutio facta virtute dictæ præsentationis est nulla, sicut & ipsa præsentatio.

3 Tertiò dico, quòd si de omnibus fieret relatio Papæ, ipse posset etiam reualidare illam præsentationem, siquidem solo iure Ecclesiastico est nulla : memento tamen, quòd si est patronatus laici, oportet de hoc facere mentionem ; cùm non facta expressa huius mentione, non censeatur Papa illi derogare, vt dixi *supra dubitatione* 54.

## DVBIVM CXXIII.

*An qui simoniacè, vel existens excommunicatus obtinuit beneficium, absolui possit, dum procurat dispensationem, seu reualidationem tituli : vel cogendus sit statim resignare.*

1 SIt conclusio. Si statim sine mora mitteret pro dispensatione, potest absolui ; secus si in hoc immoretur. Ratio, quia dum facit diligentias, non est in mora : vt fur non est in mora, & potest retinere, dum petit remissionem à domino. Sic Metina *libro primo summæ capite* 14. *paragrapho* 21. *fine.* Manuel 2. *tomo summæ capite* 66. *fine*, Ludouicus Lopez *prima parte instruct. noui, cap.* 307. *folio* 971. *pagina* 2. Enriquez *libro* 7. *de indulgent capite* 34. *numero* 7. *& lib.*13. *de excommunicatione capite* 14. *numero* 2. & ferè expresè dicunt Syluest. *beneficium* 3. *in princip.* Tabien. *beneficium* 3. §. 5. *quæst.* 3. D.Anton. 2.*part.tit.*1.*cap.*5.§.11. *fine.*Armil. *verbo beneficium, num.* 57.

2 Animo licèt tale beneficium sit Curatum, si talis absolutus ab excommunicatione, & ab irregularitate, quam contraxit celebrando, vel ministrando sacramenta, potest, si res est occulta,& statim mittit pro dispensatione, remanere in eadem administratione beneficij per illud breue tempus, dum venit dispensatio ; quia cum defectus tituli sit occultus, habet veram iurisdictionem, & verè administrat sacramenta. Sic quidam doctiiuniores.





## CAPVT IV.

### *De tributis, & vectigalibus.*

### SVMMARIVM.

Dvb.1. *An fas sit Principi iusta tributa imponere, & huiusmodi lex tributa imponens obliget ad eorum solutionem ante iudicis sententiam.*

2 *Quot, & quæ conditiones exigantur ad tributorum iustitiam.*

3 *Qualis debeat esse facultas regia, vt virtute illius possit quis tributa imponere.*

4 *An antiqua consuetudo, cuius initij memoria non extat det authoritatem ad imponenda noua tributa, vel tantum ad exigendum vetera.*

5 *An Principibus Sarracenis, & aliis Principibus infidelibus teneantur soluere huiusmodi tributa alias iusta, Christians transeuntes per eorum terras.*

6 *An teneantur subditi ad tributum soluendum, quando est dubia iustitia tributi.*

7 *An publicani exigentes tributa peccent, quando est dubium, Doctorum, & prudentum iudicio, an sint iusta.*

8 *Circa eandem secundam conditionem, an quando iam non extat, sed cessauit causa, ob quam est tributum impositum, vel si adhuc extet Princeps, qui tributa exigit, non præstat id, propter quod constat tale tributum fuisse à Principe impositum, teneantur subditi in conscientia soluere illud tributum.*

9 *Vtrum, quando non inuigilantur præsidia, possint domini accipere iura, quæ sunt imposita, ac danur ad tales vigilias.*

10 *An tributa debeantur, antequam publicanus petit.*

11 *An si publicanus non petat alcaualam, vel vectigal tempore à lege præscripto, sit tutus in conscientia mercator, qui transacto eo tempore, non soluit etiam publicano petenti.*

12 *An si quidam veniat ad vendendum aliquid secretò, & occultè, vt ita defraudet alcaualam, peccet, & teneatur restituere emptor, casu, quo venditor ille tenebatur ad illam.*

13 *An alcaualæ sint iustæ in conscientia, si decem pro centum exigantur, & qui illas defraudat, teneatur restituere.*

14 *An domini, qui dono, vel pretio obtinuerunt à Rege alcaualas suorũ oppidorum, possint illas augere, vel minuere, & exigere in toto rigore legis regiæ, scilicet vnũ de decem, quamuis Rex minus exigat à suis vasallis.*

15 *An pauperes, quibus ad victum necessaria non suppetunt, teneantur soluere gabellam, id est, alcaualam, aliaque vectigalia, vt pedagia, guidagia, Hispanè portazgos, &c.*

16 *An qui contra legem prohibentem intromittit merces in aliquam ciuitatem, vel regnum, teneatur soluere gabellam mercibus eiusdem speciei impositam pro earum intermissione.*

17 *Ex quibus contractibus alcaualæ debeatur, & an in hac materia strictè, vel amplè accipienda sit venditio.*

18 *An ex contractibus innominatis debeatur gabella, id est,* alcaualæ.

19 *An ex emphyteusi, seu locatione ad longum tempus debeatur alcaualæ.*

20 *An ex contractu constitutionis, seu fundationis census debeatur alcaualæ.*

21 *An ex transactione, & litis æstimatione gabella debeatur.*

22 *An ex cessione debeatur gabella.*

23 *An ille, qui emit triticum, pannum, aut alias merces in maiori copia, quàm sibi opus erat, non tenetur reuendat, lucrando, sed vt partem exhibeat, & vendat eodem pretio suis amicis, aut aliis, quibus id gratum fore credit, teneatur soluere alcaualam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



24 *An si quis omnia bona sua donet ea lege, vt donatarius eum sustentet, eiusque debita soluat, debeatur alcauala.*
25 *An ex datione in solutum debeatur alcauala.*
26 *An ex bonis ex causa iudicati creditori addictis debeatur alcauala.*
27 *An qui coactus à iudice donum, vel aliam rem vendit, teneatur soluere gabellam. Et ex venditione, vel permutatione facta in parentes, & filios.*
28 *An quando consanguineus retrahit rem aliquam alicui venditam, iuxta legem 70. Tauri, eodem pretio, quo vendita fuerat, debeatur gabella ex hac venditione huic retrahenti facta.*
29 *An qui mutuauit frumentum vetus, vt sibi redderetur nouum, teneatur soluere gabellam.*
30 *Vtrum artifices ex venditione operum, quæ in suis officinis fiunt, gabellam debeant.*
31 *An vendentes aquam, vel niuem, gabellam debeant.*
32 *Vtrum ex venditione earum rerum, quæ pro animæ expiaculo relictæ fuerunt, vel ex venditione reddituum beneficij facta per conductorem debeatur gabella.*
33 *An ex contractu dotis, & ex diuisione hæreditatis inter hæredes, quando pretium interuenit, debeatur gabella.*
34 *An quando ad diuisionem faciendam admissa extranei licitatione, ei res addicta fuerit, debeatur gabella.*
35 *Circa eundem casum, an si in diuisione hæreditatis, hæres suæ partis portionem vendiderit, & in diuisione cum emptore hæreditatis, & hæredibus, pecunia interceserit, debeatur gabella.*
36 *Circa eundem casum, an si fratres bona hæreditaria diuiserunt, & postea, aliquibus diebus interiectis, eadem bona permutarunt, debeatur gabella.*
37 *An ex venditione, vel permutatione inualida, vel non perfecta, vt quia conditionalis, vel pretium non est solutum, vel res non est tradita, debeatur gabella.*

## DVBIVM I.

*An fas sit Principi iusta tributa imponere, & huiusmodi lex tributa imponens obliget ad eorum solutionem ante iudicis sententiam.*

NOTA varia esse tributorum genera, quoddam tributum est, quòd dicitur *census*, & est pensio, quæ soluitur Principibus, pro personis, & capitibus ciuium in signum subiectionis, & non tam imponebatur pro gubernatione, quàm pro subiectione profitenda, quod ad quandam vanitatem spectabat, & ob hoc numerabant populum, de quo punitus est Dauid. Census etiam dicebatur olim *pensio*, quæ dabatur pro quantitate facultatum, quas vnusquisque habebat, & sic dicitur à censendo, eo quòd facultates censebantur: & sic notatur *in l. forma ff. de censibus*. Alia pensio, siue ius regni est, quod *vectigal* dicitur, quod soluitur pro rebus, & mercimoniis, quæ vehuntur gratia negociationis, ab vna ciuitate, vel prouincia in alteram, & gratia, ac finis, propter quem datur, est murorum, & aliorum operum publicorum refectio; dicitur à vehendo, & videtur idem quod Hispanè *Aduana*; olim erat octaua pars, nunc decima, de hoc habetur *in l. ex præstantiori. C. de vectigalibus, & in l. 5. tit. 7. p. 5.* Vectigal etiam dicitur *tributum*, quod ex fundis, & prædiis à conductoribus reipublicæ tribuitur *in l. ff. si ager vectig.*

*Pedagium*, vel *guidagium* dicitur pensio, quæ datur etiam pro rebus, & mercimoniis, quæ vehuntur, & asportantur gratia negociationis, & differt solùm à vectigali in fine, quia materia pro qua datur eadem est, finis verò, & causa est defensio, & custodia viarum à latronibus, & inimicis; Hispanè *portazgo*, & secundùm alios fines est etiam refectio pontium, & viarum. Alia pensio est quæ Hispanè dicitur *Alcauala*, & Latinè generali nomine *gabella*, ista datur à venditoribus pro rebus, quæ venduntur, & est decima pars, & instituta est à Rege Alphonso pro acquirendo regno Granatæ. Alia pensio est quæ dicitur *Assisium*, Hispanè *sisa*, quæ datur de rebus emptis ad cibum, & potum pertinentibus, & datur ab emptoribus in ipso pretio ciborum. Alia pensio est, quæ *tributum speciale* dicitur. nam licèt tributum ad omnia iura possit extendi, speciale tamen dicitur illud quod de terræ nascentibus, & de proprio solo datur Regibus in subsidium ipsorum, & reipublicæ; olim dabatur pro sustentatione militum publicorum. Alia pensio est publica, quæ dicitur *talia*, vel *collecta*, quæ est summa quædam, quam Rex, vel respublica exigit à ciuibus proportionaliter ad eorum substantiam, & bona, & dicitur etiam *præstantia*. Alia sunt genera pensionum, quæ variis nominibus Latinè, & vulgariter nuncupantur.

3 Est tamen aduertendum, quod omnes pensiones istæ in hoc conueniunt, quòd sunt exactiones publicæ pro bono communi, & solet vna accipi pro altera, v. g. census publicus, & tributum solent accipi pro eodem, scilicet pro pretio, quod datur Principi, vel reipublicæ de proprio solo: & vectigal, guidagium, gabella, duana, datium, telonium, & etiam pedagium solent accipi pro eodem, scilicet pro pretio, quod datur pro rebus, & mercimoniis, quæ mutantur, & transferuntur, siue inuehuntur in ciuitates, siue euehuntur, licèt fine, & causa soleant aliquando differre; talia verò præsentanea, & collecta, sunt etiam idem. Sylu. *verb. gabella*. Med. g. 16. Soto *lib. 3. q. 6. art. 7.* Ledesm. 2. 4. q. 18. *art. 3. fol. 258.* Couar. *reg. peccatum, p. 2. §. 5.*

4 Item est aduertendum, quòd licèt gabella generaliter æd omnes exactiones extendatur, tamen vulgariter restringitur ad significandum vectigal, & pedagium, & alcaualam; item illas pensiones, quæ dantur pro rebus, quæ mutantur ab vno populo in alterum, vel quæ ibi venduntur, Sylues. *vbi suprà.*

5 His suppositis circa quæstionem positam duplex est sententia.

Prima docet non teneri hominum reddere tributa ante iudicis sententiam; ratio, quia lex de tributis reddendis est pœnalis, & sic ante iudicis sententiam non ligat. Sic Angel. *verbo pedagium, num. 6.* Henricus Gandauo *quodlib. 3. quæst. 22.* & Tabien. *verbo pedagium, num. 9.*

6 Secunda sententia docet oppositum. Sit

7 Prima conclusio. Principes possunt imponere tributa subditis ex iustis causis, & seruatis conditionibus dubio sequenti ponendis. Conclusio est de fide; probatur, sacræ literæ docent Principibus esse reddenda tributa, vt *Matth. 17. 22.* & *ad Rom. 3.* ergo fas est Principibus ea imponere, & à subditis exigere: item 1. Cor. 9. *Quis pascit gregem, & de lacte eius non comedit.* Sed Princeps labore magno, & cura assidua moderatur regnum, iustitiam ministrat, & ciues in pace conseruat ab hostibus, quia magnis expensis tutatur: ergo ratione horum potest imponere tributa.

8 Secunda conclusio. Tributa iusta tenetur quilibet in conscientia soluere ante omnem iudicis sententiam. Probatur, quia tributa non sunt pœnæ, sed sunt iustituta, tanquam præmium, & merces Principis pro laborare, quem sustinet in conseruanda, & gubernanda republica, sicut datur merces mercenario; ergo. Secundò patet ex illo ad Rom. 13. *Cui tributum, tributum*, &c. Hæc conclusio est adeò certa, vt oppositam appellet errorem Castrus *vbi infrà.* hanc tenent D. Hieron. & Theophylactus super illud *Matth. 22. Quæ sunt Cæsaris, reddite Cæsari.* D. Thom. *Opusc. 20. de regimine Principum lib. 1. cap. 12. & lib. 3. cap. 5. & 11. & super cap. 13. ad Rom. lect. 1.* Nauarr. *summa cap. 17.* Lat. & Hisp. *n. 2.* Couarr. *regula peccatum 2. p. §. 5.* Castrus *lib. 1. de legibus penali, c. 11. coroll. 2.* Sot. *lib. 4. de iust. q. 6. art. 6.* Ledesm. 2. 4. *quæst.*



*quæst. 18. art. 3.* Metina *C. de restit. q. 13.* Sylu. *gabella 3. quæst. 8.* Armil. *verbo gabella, num. 6.* Rosel. *verb. pedagium, num. 8.* Caiet. *verbo, vectigal.* Panorm. & communis *cap. innouamus, de censibus.* Bertachinus *tract. de gabellis, pag. in principio.* Cordub. *summ. quæst. 95. in resp. ad primum dubium.* Gabriel 4. *distinct. 15. q. 5. consil. 7.* Host. *in summ. tract. de restit. §. quibus, & qualiter. versic. quid de quæstib.* D. Ant. 2. *p. tit. 1. cap. 13. §. 1.* Otolora *de nobilitate, 1. part. cap. 3.* Sozinus *regula 164.* Menchaca *de succes. creat. lib. 1. §. 10. num. 648.* Parlador. *lib. de rebus quotidianis, c. 3. num. 13.* Iosephus Angles *in floribus quæst. theolog. 2. part. quæst. de restitutione vectigalium 2. difficultate, fol. 234.* Palacios *in summa, verbo vectigal.* Bartolus *l. vectigalia. ff. de publica.* Segura *tract. de bonis lucratis constante matrimonio, num. 233.* & Perez *ibi in additionibus, & lib. 1. ordinam. tit. 3. d. 1. §. Quæritur vlterius.* Supplementum *verb. pedagium n. 9.* Speculum conscientiæ *tract. 2. c. 11.* Astens. *lib. 5. tit. 22 super octauum præceptum*, Margarita confess. *fol. 109.* Antonius Trigon. *singularis 89.* Baldus *l. veluti, de iustit. & iure, & rubrica, quæ sint regalia, in feudis.* Ant. Gabriel *tom. 1. communium lib. 7. fol. 91.* & Megia *pragmatica tritici, concl. 5. n. 42.*

9 Hinc infertur fraudantem gabellas iustas peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem; patet, quia peccat contra iustitiam, sic docent DD. citati.

10 Secunda conclusio non refert, an respublica, vel Rex hæc tributa exigat per suos ministros, an per eos, quibus ipse vendit quia cuicumque soluatur; Regi solnitur, & à Rege surripitur, si non soluitur; & insuper fit iniuria illi, qui tributorum redditus emit, nec etiam excusat, quòd emptores, & institutores vectigalium, præcognoscunt multas esse fraudes, quia multi eas patiuntur, vt sic Caiet. & Arm. *ibid.*

11 Tertia conclusio, gabellas iniustas non tenetur quis soluere, vt si deficiat aliqua ex conditionibus ponendis *dubio sequenti* ad iustitiam gabellarum, ita omnes Doctores citati.

12 Nota tamen, si tributum sit iniustum propter solam proportionem debitam, quæ deficit (est enim vna de conditionibus ponendis) vt puta quia excedit populi facultates, aut causæ necessitatem, non obligabitur subditus ad id soluendum pro ea sola parte, qua est excessus; aliam verò partem, in qua est debita proportio, & commensuratio, tenebitur in conscientia soluere, sic Castro *vbi sup.* Metina *cap. de restit. quæst. 13.*

## DVBIVM II.

*Quot, & quæ conditiones exigantur ad tributorum iustitiam.*

1 Sit conclusio, vt imponantur iustè tributa, tres exiguntur conditiones, secundùm omnes Dd.

2 Prima conditio est, auctoritas imponentis, id est, vt imponatur tributum ab habente authoritatem imponendi; hanc verò authoritatem habent Imperator, Rex, Concilium generale, vt expresè definitur *cap. super quibusdam, de verb. significatione.*

3 Nota circa hanc conditionem sub nomine Concilij comprehendi etiam Papam. nam Concilium à Papa fortitur authoritatem, sic Caiet. *verb. vectigal.* Item licèt aliqui Iurisperiti dubitauerint, an nomine Regis comprehendantur omnes Reges, vel tantùm Rex Romanorum, id est, Imperator, quasi solus ille possit tributa imponere, cùm nulli temporaliter sit subiectus: at res est certissima omnes Reges posse hæc tributa imponere, quod apertè constat tum ex *d. cap. super quibusdam*, vbi vt res diuersæ ponuntur, Rex, vel Imperator, tum etiam ex communi omnium Regum praxi, & ita ferè omnes Doctores fatentur.

4 Secundò nota nomine Regum comprehendi rempublicam non recognoscentem aliquem Regem superiorem, sed quæ regitur per consules, aut gubernatores, vt est Veneta, & Genuensis ciuitas: similiter Principes nulli subditi, vt Dux Florentiæ, quia eadem est ratio de istis, ac de Regibus, sic Caiet. *verbo vectigal.* Armil. *verbo gabella, num. 7.* Iosephus Angles *in flor. qq. theolog. 2. p. materia de restit. vectigalium fol. 232.* Otalora *lib. de nobilitate 1. p. c. 3.* Bertachinus *in Dictionario, verbo Gabella.* Saliz. *l. vectigal. C. noua vectig.* Ioan. Andr. & Panorm. *d. cap. super quibusdam*, Syluester *gabella 3. q. 1.* Angel. *verbo pedagium num. 1.* vbi Tabiena *n. 2.* & est certa res.

5 Tertiò nota, licèt Reges Hispaniæ apertè habeant potestatem vectigalia indicendi, cùm veri Reges sint, nec Imperatori sint subiecti, tamen in Hispania noua vectigalia, ac tributa non aliter imponere licet, quàm si comitiis ex more vocatis, regni procuratores, plebisque tribuni id probent, & ratum habeant, vt est constitutum *lib. 1. tit. 7 lib. 6. nouæ recopil.* cuius statuti ea est ratio, quia ardua negotia non debent Reges priusquam ad populum, proceresque referantur, expedire, & habetur *eod. tit. 7. lib. 2.* & docent Ias. *l. placent, num. 10. C. de sacros. Eccles.* Paris. *de syndic. tit. de Reg. excessibus, num. 18.* Burgos de Paz *in proœmio legum Tauri, n. 447.* Parlador. *de reb. quotid. cap. 3. initio, num. 8.*

6 Quartò nota hanc authoritatem imponendi tributa, & exigendi, etiam habere eos, qui ex consuetudine immemoriali, vel ex priuilegio Regum hoc ius habent, consuetudo enim immemorialis, ac Principis priuilegium dant in hoc ius, vt expresè habetur *d. c. super quibusdam*, & docent omnes doctores citati.

7 Secunda conditio est causa iusta imponendi tributum, quæ secundùm omnes est bonum commune, & non priuata vtilitas ipsius Principis, nisi ea redundaret in bonum commune regni, vt si tanta esset Principis, aut domini inopia, vt communes redditus ad ipsius sustentationem non sat essent, vel esset captus ab hostibus, & indigeret pretio ad sui redemptionem, &c. & ratio est, quia Rex propter populi vtilitatem, & non populus propter Regis commodum datus est, ita docent omnes Doctores citati.

8 Nota hìc, si Rex in paupertatem deuenerit ex sua culpa, quia scilicet patrimonium prodegit inaniter, & non in ciuium vtilitatem, non potest nouum imponere tributum ad paupertatem subleuandam, si alia via potest sibi consulere, quia cùm fuerit in culpa dissipationis patrimonij, tenetur quod in se est facere, ne sua culpa subditis damnum subsequatur, sic D. Thom. *Epistola ad Ducissam Brabantiæ*, Metina *cap. de restit. q. 13. 2. requisitio.* Molina 3. *tomo de iust. tract. 2. disput. 667. versic. Deinde.* Salon 2. 2. *post q. 77. art. 3. tract. de vectigal. art. 1. controuers. 4 versic. Ex hac* licèt Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat. notab. 3. §. 27. num. 12.* Host. *cap. conquerente, num. 17. de offic. ordin.* Henricus *cap. cùm Apostolus, num. 11. de censibus.* D. Anton. 2. *p. tit. 1. cap. 13. §. 2. casu 3.* absolutè dicant non licere Principi tributum imponere, si ex sua culpa in eam indigentiam incidit; sed intelligendi sunt iuxta prædictam moderationem, & hinc respondi posse ex licentia Regi imponi tributum ad soluenda debita populi, quæ ex iniqua rectorum eius administratione contraxit, quia supposito eum non posse ex bonis rectorum sibi satisfacere, reipublicæ interest propria oppidi non esse consumpta, sed substantiam ei inesse, vt necessitatibus occurrentibus possit succurrere.

9 Tertia conditio, vt tributum sit, iustum est, vt in impositione tributi obseruetur debita forma: hæc autem forma consistit in triplici proportione.

Prima proportio est tributi impositi ad necessitatem pro qua imponitur, vt scilicet non excedat necessitatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Secunda, tributi imposíti ad rempublicam : & ita non sit nimis graue reipublicæ.

Tertia proportio est inter ipsos ciues, vt seilicet seruetur propottio in reddentibus tributum : ita vt ditiores plus soluant, quàm pauperes. Ita omnes Doctores citati.

Circa has conditiones aliqua seorsum agitanda sunt.

## DVBIVM III.

*Qualis debeat esse facultas Regia, vt virtute illius possit quis tributa imponere.*

1 CIrca primam conditionem ad tributorum iustitiam dubio præcedenti requisitam, scilicet authoritatem, aut facultatem imponendi illa, sit

2 Prima conclusio vt possit quis virtute facultatis Regiæ tributa imponere oportet vt expresè, & in specie concedantur, vnde non sat sunt verba generalia, vt si Rex constituat vicarium suum generalem, illique concedat regalia, licèt virtute huius facultatis possit tributa imposíta exigere, at non poterit noua imponere, quia non datur ad hoc facultas in specie ; ratio, quia cùm pono tributa imponere sit maximè proprium Regibus, & res grauissima, non videtur in generali concessione comprehensa, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non concessisset. Sic tenet, licèt subobscurè, Cumanus *consil.* 162. & videtur sequi Palacios Rubios *rubrica de donatione* §. 9. *num.* 6. vbi mouet quæstionem, & dicit dicendum esse, quod docet *d. consil.* 162. Cumanus.

3 Secunda conclusio in impetratione dictæ facultatis, vt subreptionis vitio careat, oportet fieri mentionem de aliis vectigalibus, quibus grauata est ciuitas, in qua nouum vectigal imponendum est, vt colligitur ex *capite mandatum, & cap. literas, de rescript.* Et ratio est, quia meritò retrahet Principem hoc ab impositione noui vectigalis; sic Albericus, & Oldradus, quos refert, ac sequitur Gregor. Lopez *l. 9. tit. 7. p. 5. versic. sin mandado*, Iason, & Alexander, quos refert, ac sequitur Palacios Rubios *cap. per vestras, notab. 4. num. 11.*

## CAPVT IV.

*An antiqua consuetudo, cuius initij memoria non extat, det authoritatem ad imponenda noua tributa, vel tantum ad exigendum vetera.*

1 CIrca eandem primam conditionem ad tributorum iustitiam requisitam procedit præsens dubium, circa quod duplex est sententia.

Prima docet antiquam consuetudinem, cuius initij non cognoscitur memoria, non posse præstare authoritatem ad imponendum tributa ; sed tantùm ad exigendum vetera. Probatur, quia si alicubi habetur, quòd hoc possit consuetudo immemorialis, est *capite super quibusdam. §. propterea, de verb. signific.* ( hoc enim opposita sententia pro se adducit ; ) at hoc caput loquitur de tributis, quæ ex antiqua consuetudine introducta sunt, & non loquitur de authoritate imponendi noua tributa : at longè maius est noua imponere tributa, quàm vetera exigere ; is enim, cui Rex concessit aliquod tributum sibi debitum, habet illud exigendi potestatem, non tamen nouum imponendi Secundò probatur, quia *capite innouamus, de censibus*, apertè dicitur solis Principibus esse concessam potestatem imponendi noua tributa : ergo apertè negatur hæc authoritas consuetudini immemoriali ; hanc tenet Castr. *lib. 1. de lege pœnali, cap. 11. coroll. 2.*

2 Secunda sententia docet consuetudinem immemorialem dare authoritatem imponendi noua tributa, & augendi vetera : vnde ij, qui à tempore immemoriali habent consuetudinem, non tantùm exigendi aliqua tributa, sed etiam imponendi noua, & vetera augendi, id poterunt. Ratio, quia reuera *dicto capite super quibusdam*, agebat Papa de iis, qui habebant potestatem imponendi tributa, nec obstat *capite innouamus*, quia solis Principibus dicitur *ibi* hoc licere, scilicet de iure ; at ex immemoriali consuetudine potest hoc ius aliis competere, ita Metina *C. de restitutione quæstione* 13. Syluest. *gabella* 3. *quæstione* 1. Angel. *verb. Pedagium, num.* 1. Tabien. *ibid. n.* 2. Panorm. *d. cap. super quibusdam* ; fauet valde Caiet. *verbo vectigal.* vbi inter authores pedagiorum numerat Papam Regem, & immemorialem consuetudinem ; idem tenet Gabr. 4. *d.* 15. *q.* 5. *concl.* 2. Otalora *de nobilitate* 1. *part. cap.* 3. Decius *consil.* 669. Guido *consil.* 65. & 150.

3 Sit conclusio ; hæc secunda sententia probabilior est, si tamen non haberent ij consuetudinem immemorialem exigendi, & imponendi, sed tantùm exigendi tributa ab antiquo imposita, non possent noua imponere, nec antiqua augere, & concludunt rationes allatæ pro prima sententia.

## DVBIVM V.

*An Principibus Sarracenis, & aliis Principibus infidelibus teneantur soluere huiusmodi tributa alias iusta Christiani transeuntes per eorum terras.*

1 DVbium etiam hoc versatur circa primam eandem conditionem, circáque illud triplex est sententia.

Prima docet Christianos non teneri soluere tributa infidelibus quicumque ij sint. Ratio, quia Christiani non subduntur infidelibus, sic docent Host. *lib. 3. summæ tit. de censibus, num.* 11. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 13. §. 8. Tabien. *verb. pedagium, n.* 10. Archid. quem refert & sequitur Ang. *verbo pedagium, n.* 7. Rosel. *ibi n.* 19. & explicat hoc esse verum etiam de infidelibus, qui iustè suum regnum possident.

2 Secunda dicit teneri omnibus infidelibus soluere hæc tributa Christianos per eorum terras transeuntes. Ratio, quia hosti fides est seruanda. 2. 2. *q.* 4. *cap. innocens, & 23. quæst.* 1. *cap. noli.* Item quia Principes infideles suis sumptibus seruant transeuntes à latronibus incolumes ; item quia licèt tales infideles possideant iniustè Christianorum terras, at dominium harum terrarum non pertinet ad mercatores, seu alias personas priuatas, sed ad Papam, vel Principem Christianum, cuius erant ; ergo non potest persona priuata fraudare Principes infideles tributis priuata authoritate, sic tenet Rainerius cit. à Syluest. *vbi infrà.* Cord. *summa casuum, quæst.* 96. dicens Ioannem à Metina consultum de hac re sic sensisse, & idem tenent aliqui alij viri docti.

3 Nota Couarruuiam cum Metina, per ipsum citato, hoc limitare, nisi interueniat authoritas tacita, vel expressa Papæ, vel Principis Christiani, ad quem spectat expugnatio illius regni, hac enim authoritate interueniente possent mercatores fraudare Principes infideles iniustè possidentes terras Christianorum vectigalibus. Ratio, quia sicut terræ illæ pertinent ad Principem Christianum, ita & tributa, quæ ratione talis dominij exigunt. Item, quia tales infideles plus debent Principi Christiano.

4 Nota etiam Rainerium limitare, vt habeat verum secunda sententia posita tempore pacis cum talibus infidelibus, nam tempore belli ( inquit ) fas est eos vectigalibus defraudare.

5 Tertia sententia est media. Sic Doctores citandi. Sit pro resolutione prima conclusio, si mercatores Christiani negotiantes in locis infidelium Principum, qualescumque hi sunt, pactum inirent cum ipsis de soluendis vectigalibus, tenerentur ratione talis pacti soluere. Ratio, quia pactum propria sponte initum obligat, hanc conclusionem, vt indubitatam, tenet Verbecius, quem refert, ac sequitur Syluest. *gabella* 3. 4. & Supplementum per Syluest. citatum, & ex Doctoribus primæ sententiæ fatentur idem Tabien. Angel. Rosel. idem tenent authores secundæ sententiæ, & est verissima conclusio. nam virtute talis pacti Principes infideles seruant mercatores à latronibus incolumes ; & hoc suis sumptibus.

6 Nota conclusionem hanc limitare Rosel. nisi pactum esset metu extortum ; nam tale pactum nullam parit obligationem.

7 Secunda conclusio, si verò non intercedat tale pactum, sed tantùm statutum Principum infidelium, quo tributum imponitur ; si illi Principes infideles iustè possideant suum regnum, vtpote quod nunquam fuit Christianorum, Christiani negotiantes in eorum regnis : vel illa transeuntes, tenentur soluere pedagia aliàs iusta ab his imposita ; hæc conclusio est certa, nec opposítum reputo probabile. Ratio, quia hi sunt veri Reges, & licèt eorum statuta non obligent Christianos, at ius naturæ, quod præcipit tributa à vero Rege, & iustè imposita soluenda esse, eos ligat ; sicut si Gallus apud Hispanos negotiatur, tenetur soluere tributa à Rege Hispaniæ imposita, ratione negotiationis, licèt aliàs Regi Hispaniæ non subditus sit ; hanc vltra Cord. & Metinam tenent Verbecius, & Syluest. *vbi suprà*, Rainerius, & Supplementum *vbi supra*,

8 Vltima conclusio, Christiani non tenentur soluere tributa imposita à Principibus infidelibus, qui vi obtinent terras, quæ fuere Christianorum, nisi intercesserit pactum dictum in prima conclusione. hanc sequor vt probabiliorem contra authores secundæ sententiæ. Probatur, quia hi non sunt verè Reges, sed tyranni, ac per tyrannidem, & vim possident, ac vsurpant regnum ; ergo tributa ab ipsis imposita non ligant, & possunt defraudari, si sine scandalo, & periuriis, ac mendaciis fieri potest, ita omnes authores primæ sententiæ, & Verbecius, supplementum, & Syluest. *vbi supra.* Huius sententiæ videtur, & apertè Driedo *lib. 2. de libert. Christiana, cap. 5.* vbi inquit tyranno vsurpanti regnum licere fraudare gabellas, & Arm. *verb gabella, n.* 2. vbi inquit, si imponantur gabellæ à non habentibus potestatem, vt à tyrannis, non obligant.

Tandem nota duo.

9 Primum est, nostram hanc tertiam conclusionem intelligendam esse, nisi Principes infideles vi occupantes Christianorum regna pactum iniissent cum Principe Christiano, cuius sunt regna, vt illi vectigal soluerent, id est, *Pagassen parias al Principe Christiano* ; tunc enim Christiani illac transeuntes, vel negotiantes, tenerentur ad gabellas, quia ex voluntate, & consensu Principis habent regnum, & gabellas imponunt. Sic Metina, quem refert, ac sequitur Cordub. *vbi suprà.*

10 Secundò nota, Ang. Tabien. & Rosellam *vbi supra*, asserere Christianos per terras Sarracenorum transeuntes solùm teneri ad soluendum ipsis aliquid in quantum sustinentur in transitu per Sarracenos, sed Syluest. *vbi supra* dicit hoc esse falsum, quia iure naturali via publica est omnibus communis



Duplex est sententia.

2 Prima dicit teneri subditos ad tributum soluendum, quando est dubia iustitia tributi. Ratio, nam in dubiis pro Principe standum est, & subditi tenentur obedire, sic Palacios *vers. vectigal.* Soto *lib. 4. de iustitia, q. 6. art. 4.* & aliquot Thomistæ.

3 Secunda sententia docet oppositum ; sic Doctores citandi. Sit

4 Prima conclusio, si loquamur de tributis antiquis, quorum initij memoria non extat, tunc semper pro his, qui illa exigunt, præsumendum est, & sic in dubio tenentur subditi ea soluere ; ratio, quia, vt ait regula iuris, quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium : dum ergo non constat de iniusto horum tributorum initio, præsumendum est fuisse iustum. & in talibus verum est, quod dicitur, melior est conditio possidentis ; in hac conclusione conuenimus cum authoribus primæ sententiæ, & eam tenent ferè omnes Doctores secundæ sententiæ, Host. *lib. 3. summæ tit. de censibus, n.* 10. Syluest. *gabella* 3. *q.* 3. Metina *C. de restit. quæst.* 13. Gabr. 4. *d.* 15 *q.* 5 *concluf.* 7. D. Ant. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 13. §. 7. Margarita confessorum *interrogat. circa septimum præceptum, fol.* 93. Rosel. *vers. pedagium num.* 4. Cordub. *summa q.* 95. *dub.* 1. §. *al* 4. *tributo*, Castro *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 11. *coroll.* 2.

5 Secunda conclusio, si tributa de nouo imposita sint ita, vt initio illorum memoria existat, multo probabilius non teneri subditos ea soluere, si de eorum iustitia dubitetur. Probatur primò ex *cap. peruenit, de censibus*, vbi expresè dicitur censum, cuius causa ignoratur, non deberi, & subditur, oportet, vt omnis census ad quid esse quando persolui debeat, præsciatur ; item ex *cap. quinquam, de censibus in 6.* vbi expresè dicitur pedagiorum exactiones tam iure canonico, quam ciuili esse damnatas ; cùm ergo præsumptio iuris sit contra tributa, oportet ad eorum iustitiam, vt de iustitia ipsorum constet. Item quia in iis, quæ in alterius damnum redundant, non tenetur subditus dubio parere, vt docent Soto *de regendo secreto, memb. 3. quæst. 2. concluf.* 1. Corduba *lib. 3 quæst. q. 6.* Cùm ergo exactio tributorum sit in subditorum damnum, non tenentur subditi in dubio parere. hæc conclusio est contra Doctores primæ sententiæ, & eam docent Hostiens. Syluest. Metina, Gabriel, D. Anton. Margari, Corduba *vbi suprà* Caietan *in summa, verbo vectigal.* Armilla *verbo gabella, num.* 18. Tabien. *verbo pedagium, num.* 8. & 9. Ang. *ibi num.* 6. Idem videtur tenere Driedus *lib. 2. de libertate Christ. cap.* 5. vbi hæc dicit, quia impositiones in hoc tempore sæpè sunt illicitæ, non facile ingrediendus est scrupulus defraudantibus, præsertim quando sunt pauperes, & de rebus ad proprium vsum pertinentibus, eidem sententiæ valde fauent aliqui Doctores dicentes, quòd cùm tributum sit res odiosa, iudicandum est in dubio, non esse soluendum. His sunt Bart. *l. si pupillus ff. ad l. falcid.* Corneus *consil.* 106. *volum.* 4. Decius *consil.* 457. *n.* 8. quos refert, & sequitur Bertachinus *in Dictionario, verbo Gabella* ; fauet etiam, quod docet Parlador. *de rebus, quotid. cap.* 3. §. 2. *n.* 28. in ambiguis quæstionibus contra fiscum, lucrum prætendentem, esse iudicandum per *l. non puto. ff. de iure fisci.*

## DVBIVM VI.

*An teneantur subditi ad tributum soluendum quando est dubia iustitia tributi.*

1 CIrca secundam conditionem positam ad iustitiam tributorum, scilicet, vt imponantur ex causa iusta, dubitatur an cùm apud prudentes, & doctos dubium est, an causa imponendi tributa sit iusta, vel lex ipsa imponens iusta sit, teneantur subditi ea soluere.

## DVBIVM VII.

*An publicani exigentes tributa peccent quando est dubium Doctorum, & prudentum iudicio, an sint iusta.*

1 ALiqui absolutè docent non peccare, quia non est circa tributorum iniustitiam, nec debere curiosiùs de iustitia tributorum inquirere, sic Andreas de Isernia, quem refert, ac sequitur Gregor. Lopez *p. 5. tit. 7. l. 9. vers. semejante*

2 Sit tamen conclusio, quando iustitia tributorum

Universidad de Deusto
Biblioteca



dubia est, publicani, qui Principi subiecti ab ipsóque compulsi exigunt gabellas non peccant, in hoc enim dubio præceptum superioris excusat. *capite quid culpatur 23. quæst. 1.* si verò non sint subditi, vel licèt subditi sint sponte sua, & non compulsi hoc munus obeunt, peccant mortaliter; nulla enim est ratio eos excusans, & præstant id quod dubium est an sit iustum, & in aliorum damnum vergit; sicut quando dubium est, an bellum sit iustum, milites qui ad illud eunt compulsi ex superiotis obedientia non peccant, qui verò propria sponte, peccant. Sic Nauarr. *summa, capite 17.* Lat. & Hispan. *num. 201.* Rosella *verbo pedagium, num. 16.* Sylvest. *gabella 3. quæst. 7.* Caietan. *in summa, verbo, vectigal.* Ang. *verbo pedagium in 6.* Armill. *verbo, gabella, num. 9.* Gabr. *4. d. 15. d. 5. concl. 7. littera P.* Hostiens. *lib. 3. summæ, tit. de censibus.*

3 Nota, vt excusentur in dubio etiam subditi compulsi tenentur consulere peritos viros, & illis consultis si adhuc manet dubium, possunt obedire, cùm enim res hæc sit grauissima, & in graue damnum tertij, res hæc est attentè, & peritorum consilio perspicienda. Sic Host. & Sylvest. item deponere debet dubium practicè, id est, persuadere sibi debet in tali dubio licere, quia aliàs agens contra dubium practicum peccat. Sic Nauarr. *bi.*

## DVBIVM VIII.

*Circa eandem secundam conditionem, an quando iam non extat sed cessauit causa, ob quam est tributum impositum, vel si adhuc extet Princeps, qui tributa exigit, non præstat id, propter quod constat tale tributum fuisse a principio impositum, teneantur subditi in conscientia soluere illud tributum.*

1 METina *C. de restit. quæstion. 14.* dicit circa tributum pro viis à latronibus custodiendis impositum teneri subditos soluere, licet Princeps in custodienda via negligens sit, modò compenset damna transeuntibus subsequuta ex sua negligentia, quia obligatio Principis imponentis tale triburum non est cathegorica, sed disiunctiua, tenetur enim diligentiam, & expensas apponere, vt viæ sint tutæ, vel si hoc non præstet, damna transeuntibus illata compensare, vnde si alterum horum Princeps præstet, tenentur subditi ad tributum. Sit tamen

2 Prima conclusio, quando iam non extant, sed cessarunt illæ iustæ causæ, ob quas constat talia tributa fuisse olim imposita, non tenentur subditi soluere tributum. Probatur, quia ad tributi iustitiam requiritur causa; ergo cessante causa, cessat tributi iustitia, & sic subditi non tenebuntur soluere; sic tenent Castro *libro primo de lege pœnali, cap. 5. documento 3. §. ex hac 3. regula.* Antonius Trigon. *singulari 89.* Fitmianus *tractatu de gabellis, 9. parte in principio §. 9.* principaliter D. Anton. *2. parte tit. 1. cap. 13. §. 8.* Iosephus Angles *floribus qq. theologicar. 2. part.* vbi de restit. vectigalium, *folio 235.* Tabien. *verbo pedagium, num. 8.* Rosell. *ibi numero 7.* Cordub. *summa casuum, quæst. 95.* Caietanus *verb. vectigal.* Metina *C. de restitut. quæst. 14.* Driedus *lib. 2. de libertate Christiana, cap. 5. littera C.* Parlador. *lib. de rebus quotid. cap. 3. initio num. 5.* Corsetus *de potestate Regia, 4. part. quæst. 49.* Armill. *verbo gabella, n. 4.* Hostiens. *lib. 3. summæ, tit. de censibus.* Sylvest. *gabella 3. quæst. 3.* & etiam Felinus *cap. 1. de const. num. 41.* Anchar. Bald. & alij per Felinum citati, Menchaca *lib. controu. frequent. cap. 10. num. 44. & de succes. progressu, lib. 1. præfatione 98.* Sed dicit *eo num. 98.* intelligi, vt tunc sopiatur talis lex, non tamen omnino extinguatur, & sic eadem causa redeunte exigi potest, & debetur ipso iure idem tributum.

3 Nota hanc conclusionem intelligendam esse, nisi cessante illa causa Princeps conuerteret illud tributum in aliam iustam causam publicam; sicut enim potest de nouo pro hac iusta causa publica, tributum exigere, ita potest impositum vlteriùs prouchere; sic Cordub. *vbi supra*, & colligitur ex Soto *lib. 3. de iust. q. 6. art. 7.* & Ledesm. *2. 4 q. 18. art. 3. fol. 258.* Sotus enim & Ledesm. iustificant alcaualam, licèt cessauerit causa; scilicet bellum Granatæ, eo quòd cõuersa est in alias publicas vtilitates.

4 Secundò nota Metinam limitare hanc conclusionem, vt non teneat verum, quando causa abhinc tanto tempore cessauit, vt de cessationis initio non extat memoria, & Princeps illo medio tempore bona fide exegit, & redditũ est ei tributum, tunc enim ratione præscriptionis debebitur Principi hoc tributum; sed hanc limitationem meritò reprobat Cord. *vbi supra*, non enim potest esse legitima præscriptio, cùm ex quo cessauit causa, cessauit titulus, ac bona fides.

5 Secunda conclusio, quando Princeps non præstat id, ad quod imposita sunt tributa, vt si imposita sint ad refectionem pontium, & tamen non reficiuntur, non tenentur subditi ea soluere. Ratio, quia cessat causa iusta impositionis tributorum; sic Castro, Dried. Host. D. Anton. Iosephus Angles *vbi supra.* Margar. confess. *in interrogat. circa septimum præceptum, fol. 935.* Sylvest. *gabell. 3. quæst. 9.* Caietan. *verbo vectigal.* Armil. *vbi supra.* Gabr. *4. d. 15. 4. 5. c. 7.*

6 Nota conclusionem hanc intelligendam esse quando occurrente causa Rex non præstaret; secus si non præstaret, quia non occurrit necessitas, est tamen paratus ad præstandum tempore necessitatis, v. g. si pro matris tutela, & defensione imponatur à Principe triburum pro expensis faciendis, vt securi sint à piratis nauigantes, si piratis existentibus nullam præbet Rex nauigantibus contra piratas defensionem, non tenentur subditi hoc tributum soluere, quia Princeps non præstat id ob quod est cõmissum; at si piratæ non essent, & ideo Rex si nullas expensas maris tutelæ tribuat, sit tamen paratus quoties opus fuerit nauigantes à piratis tueri, tenentur subditi ad soluendum hoc tributum; quia non oportet, vt sẽper opere cõpleatur causa tributi, sed satis est, vt quando occurrit necessitas, compleatur; sic Castro *vbi supra.* Otalor. *lib. de nobilitate 1. part. cap. 3.* Gregor. Lopez *part. 5. tit. 7. l. 5. vers. seguros.* Sylvest. *gabella 3. quæst. 3. dicto 3.* Armil. *verbo pedagium, num 6.* D. Anton. *§. 7.* & Holt. *vbi supra*, Tabien. *verb. pedagium, num. 8.* vbi & Rosel. *num. 4.* Cord. *summa quæst. 95.*

7 Secundò est limitanda conclusio, vt præcedens, scilicet, nisi Rex conuerteret illud triburum in aliam causam publicam; sicut enim pro hac causa posset nouum imponere triburum, ita posset antiquum in hanc conuertere.

## DVBIVM IX.

*Virum quando non inuigilantur præsidia, possint domini accipere iura, quæ sunt imposita, ac danitur ad tales vigilias.*

1 SIt prima conclusio. Si talia præsidia iam ita corruerue. quibus nec sunt præsides, nec habitare possunt, non possunt accipi talia iura, quia cessauit omnino causa, nullúsque restat titulus; hæc conclusio patet ex dictis *dubio præcedenti*, & eam tenet Cordub. *summa cas. quæst. 113.* & alij viri docti nostræ Societatis.

2 Secunda conclusio. Si talia præsidia adhuc stant, & à suis præsidibus, aut ab horum locum tenentibus habitantur, adesséque probabilitas fore, vt aliquando fit necessarium talia præsidia inuigilare, benè potest admitti consuetudo, quæ viget accipiendi iura, quæ pro talibus vigiliis assignantur, licèt illa modò in illis non consumantur (modò enim de præsenti non sunt necessariæ eiusmodi vigiliæ, cùm terra nunc pace fruatur;) contingere autem potest, vt opus esset consumere omnia



omnia iura, quæ pro his vigiliis de more accipiuntur, & multo plura ad vigilandum talia præsidia. Quapropter bene potest accipi, quod de more habetur, dummodo quando sese offerat eiusmodi necessitas, non cogantur subditi, aut populi plus soluere ad eiusmodi vigilias. Patet conclusio ex *dubio præcedenti*, quia hìc non omnino cessat causa, sed eius executio suspenditur, donec necessitas occurrat. Sic Cord. *vbi supra*, & alij docti recentiores.

3 Vltima conclusio. Nisi adésset probabilitas aliqua fore, vt aliquando esset opus talia præsidia inuigilare in vtilitatem, tutaménque populorum, tunc non possent accipi huiusmodi vigiliarum pretia inuitis eisdem populis. Nam tunc cessaret iam omnino causa talis impositionis, patet, ex dictis *dubio præcedenti*, vt tenet Corduba *vbi supra*, & alij.

## DVBIVM X.

*An tributa debeantur antequam publicanus petat.*

1 DVbium procedit circa quæcumque tributa, siue sint gabellæ, id est, *Alcaualas*, siue vectigalia, aut pedagia, id est, *Aduanas, o portazgos*, quæ accipiuntur ratione transitus, aut propter itinerum assecurationem, casu quo ifthæc omnia tributa iusta sint; quando enim essent iniusta, manifestum est etiam petita non deberi.

2 De hoc variæ sunt sententiæ, omnes tamen in hoc conueniunt, quòd qualecumque sit tributum, si alicubi consuetudine obtentum esset, vt tributa non soluantur, donec fuerint perita, excusantur in conscientia non soluentes, donec petantur, modò fraus omnis, & dolus ad merces occultandas absit; quia consuetudo vim legis obtinet. Sic Couarruuias *reg. peccatum, 2. part. §. 5. num. 5.* Parlador. *de rebus quotid. cap. 3. initio, num. 13.* Perez *lib. 8. ordinam. tit. 15. l. 2. fol. 305. §. ex qua inferri potest.* Ledesm. *2. 4. quæst. 18. art. 3.*

3 At dubium est, rebus, vt nunc, quid sit dicendum. Variæ sunt sententiæ. Quidam dicunt teneri quempiam soluere tributum antequam petatur. Probatur, qui alicuius quantitatis debitor est, tenetur illam soluere, antequam petatur, sed venditores, & alij tenentur gabellas Regi, & eius publicanis tanquam eis debitas reddere; ergo tenentur ad hoc, antequam petantur. Item specialiter in gabella, quæ *alcauala* dicitur, probatur ex *lege 120. del qnaderno de las alcaualas*; quæ hodie est *lex 31. tit. 19. libro 9. nouæ recopil.* vbi sic dicitur, *sea obligado el vendedor a buscar al arrendador, y preguntar por el a sus vecinos para hacer le saber la venta, y pagar el alcauala, y en caso, que no pareẓca, depositar ante el Alcade mayor el alcauala.* Ecce quam clarè præcipiatur solui alcaualam, licèt non petatur; & quod attinet ad vectigalia, id est, *portazgos*, probatur ex *l. 7. tit. 11. lib. 6. nouæ recopil.* vbi sic dicitur, *Los que vuieren de leuar los portazgos sean obligados de poner quien los coxa, y sino los pusieren, o vuiere dos que por alli passaren sin pagar el dicho portazgo, no incurran en pena alguna, saluo solamente el dicho portazgo.* Ergo vectigal tenetur quis soluere etiam non exactus. Hanc sententiam tenet Couarr. *vbi supra*; vbi dicit venditorem aliquid teneri certiorem facere publicanum, vt soluat ei alcaualam; & transmittentem per loca publica, & consueta merces, si nullus sit portitor, vel custos, qui vectigal exigat, adhuc teneri ad vectigalis solutionem. Idem quo ad alcaualas tenet Parlador. *vbi supra*, & tenet Corduba *summa quæst. 95. art. 2. & 10.* Metina, quando moderatè petuntur, vt vigesima pars; secus quando petuntur rigidè, vt decima pars. *1. 2. quæst. 96. art. 4. vers. secunda conclusio.* Fauet satis Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 2. sub finem, §. quarto ex huius capituli*, vbi hæc dicit: *Qui alcaualam soluere omisit, peccat mortaliter, & tenetur restituere*; & idem de eo, qui res de regno ad regnum transferendas manifestare noluit, ne soluere vectigal.

4 Alij verò oppositum sentiunt. Sit

5 Prima conclusio. Illi qui bona fide sine fraude, & dolo vendunt merces suas in præsentia publicanorum, seu exactorum, ita quòd ipsi non petunt ab illis hoc tributum, non tenentur ad restitutionem illius, scilicet alcaualæ, licet res, quæ venditur, sit magnæ quantitatis, & licèt alcauala petatur moderatè. Ratio est, quia ita habet vsus, vt alcaualæ exactæ soluantur, & ita hoc tributum est receptum, & acceptatum à republica, & non aliàs, quia est tributum durissimum. Et confirmatur, quia esset res dura, vt teneretur quis inquirere publicanum; & *lex 31. titulo 19. libro nono nouæ recopilat.* oppositum dicens non est vsu recepta. Hanc conclusionem, vt iacet, tenuerunt multi viri docti tum ex nostra Societate, tum ex aliis familiis. Idem expressè tenet Auendaño *in Dictionario, verbo Alcauala*; vbi hæc dicit: si quis gabellario Regis petenti alcaualam fraudem fecerit, ne possit eam consequi, tenetur in conscientia restituere: si tamen regius gabellarius non petierit, licèt venditor ita secretè vendat, vel commutationem faciat, vt contractus non veniat in gabellarij notitiam, non tenetur alcaualam offerre non petenti gabellario, etiamsi ille percipiat alcaualas ex causa onerosa locationis: nam talis est naturæ hoc tributum, vt non debeatur, nisi petatur. Idem Palacios *in summa, verbo, vectigal.* vbi hæc dicit, Si quis non se abscondat, nec fraudem faciat, non tenetur soluere gabellam donec petatur, non enim tenetur publicanum quærere, sed paratus esse ad dandum, cùm petierit. Idem Ledesma *2. 4. quæstione 18. articulo 3. folio 258. pagin. 4.* vbi hæc inquit, Alcauala, vt nunc soluitur, est iusta; quia nullus soluit, nisi petatur à publicano. Et licèt *fol. 259. pag. 2. concluſ. 2.* videatur hoc limitare, quando est consuetudo vt non soluatur, nisi petatur; at in tertia conclusione hæc dicit: Gabella vt nunc soluitur communiter, scilicet petita à publicano, & non aliàs, est tributum honestum, & moderatum, & tenentur ciues soluere. Idem tenet Iosephus Angles *in floribus quæst. Theolog. 2. part. quæst. de restitut. vectigalium, fol. 234.* vbi hæc inquit, Secundùm Hispaniæ consuetudinem non tenetur quis gabellas soluere, donec à quæstoribus exigantur: vnde si non diuertit à via, & vendens proprias merces in foro, non tenetur manifestare gabellariis: secus qui occultat, &c. Idem, licèt cum aliqua limitatione & aliquanto scrupulosiùs, docet Soto *lib. 4. de iustit. quæst. 6. art. 4. vers. de illo autem*, vbi hæc inquit: forsan in conscientia dum res venduntur, quæ non sunt grandis pretij, non tenentur venditores quærere publicanos ad soluendum, sed sat est soluere, dum ab illis petitur; & *lib. 3. quæst. 6. art. vlt. vers. cæterum reuera*, vbi hæc dicit, cùm alcaualæ magno cum rigore exiguntur, satis est vt quisque dum tributum petitur, soluat, maximè vbi debitum non est magni momenti. Et fauet Menchaca *de successione creatione, libro 3. §. 28.* vbi solùm vocat tutiorem sententiam, quòd fraudans alcaualam teneatur.

6 Nota, quòd si alcaualæ sunt incapitatæ, vulgò *encabeẓadas*, ita, quòd ad summam conuentionis singuli, qui ita conuenerunt, contribuere debeant, hi qui ita sunt incapitati, non poterunt in conscientia non soluere alcaualam, tametsi non petatur. verbi gratiâ, si pannorum mercatores sunt incapitati, hoc est, susceperunt in se soluere pecuniæ summam pro pannorum alcaualâ, non potest aliquis eorum in conscientia non soluere partem alcaualæ, quæ sibi obtingit, licèt propter ignorantiam ab ipso non petatur; tenentur enim singuli ex contractu, & pacto inter ipsos inito de soluenda illa summa conuentionis. Quòd si aliquis suam partem non soluat, reliquis illius soluendæ onus imponit. Secus dicendum est de extero, qui non est incapitatus, hic enim non tenebitur soluere alcaualam, antequam petatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca



tatur, cùm nullum fecerit contractum, iuxta præiactam conclusionem.

7 Secunda conclusio. Nemo, qui palàm, & via recta transit, tenetur soluere vectigalia, vel pedagia, quæ soluuntur ratione transitus per portam, vel pontem, id est, *la Aduana, o pechos*, quæ impouuntur pro assecurandis viis, quando publicani, vel exactores, vel quia non adsunt ibi, vel quia transeuntem non viderunt, vel alia ratione vectigal non petunt. Ratio, quia non tenetur quis hæc tributa soluere, nisi petantur, durissimum enim esset obligare aduenas ad sciendum tributa statuta in pontibus, vel portis. Sic tenent Metina, & Cordub. *vbi suprà*, & alij. Idem etiam docent Palacios, & Iosephus Angles *vbi suprà*, siquidem vniuersaliter id docent de omnibus tributis.

8 Nota idem esse dicendum eadem ratione de tributis quæ soluuntur ratione transitus per saltus, id est, *los puertos secos*. Metina *vbi suprà*.

9 Secundò nota, idem esse dicendum de collecta, id est, *pecho*, & assisio, id est, *sisa*, scilicet non teneri quem soluere, antequam petatur, quia hoc tantùm pendunt ignobiles, & nemo tenetur suam ignobilitatem propalare. Sic Metina *vbi suprà*.

10 Hucusque dictum, est quando quis publicè, & in loco destinato vendit absque fraude, & quando palàm, & per rectum itet transuehit merces. At dubium est, quid dicendum sit, quando quis consultò occultat se, aut merces, vel occultè transfert merces, ne exigatur ab illo alcauala, vel aduana, &c. an teneatur in conscientia restituere hæc tributa, antequam petantur. Quòd enim teneatur, faciunt *l.96.97.& 98. del quaderno de las alcaualas*, quæ hodie sunt *l.13.14.15.18.tit.19 lib.9. nouæ recopil.* quibus cauetur sub certis pœnis, quòd qui asportauerint panem, aut semina, vt vendantur, illa introducant per quasdam ciuitatis portas, vendâque atque in loco deputato, & quòd nequeant intromitti, aut educi noctu aliquæ merces, vt ita de omnibus certior fiat publicanus. Item, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari; & expressè hanc partem tuentur Palacios, Soto, Iosephus Angles, Cord. *vbi supra*. Menchaca *libr. 3. controuers. frequent. part. 1. § 2. num. 28.* immo Couarr. *vbi suprà* dicit hoc esse verum, licèt consuetudine obtentum esset, vt gabellæ non deberentur nisi petitæ; id enim intelligendum esset, quando quis merces non occultaret. Immo Iosephus Angles *vbi suprà* dicit, quòd vendens occultè, licèt coram scriba contractum celebret, debeat alcaualam, licèt non petatur. Idem Metina *C. de restit. q. 15. ad finem, §. sequitur responsio.*

11 Alij verò oppositum docent, scilicet licèt quis consultò occultet merces, aut se, ne exigatur ab illo hoc tributum, non peccare, nec teneri illud soluere, donec petatur; & hoc tenet hæc sententia de alcaualis, & vectigalibus, id est, aduenis., & pedagiis institutis ad viarum assecurationem. Probatur; quia hæc tributa recepta sunt à republica, ita vt non debeantur, nisi petita, quia sunt durissima. Vnde ipsi exactores, vel quorum interest, inuigilent, ne quis vendat res suas occultè; alij enim non tenentur facere, vt sui contractus veniant ad notitiam publicanorum, vel aliorum. Item quia si hæc tributa non debentur, nisi petantur, cur non potetit venditor occultare se, ne ab eo petantur? Nec obstant leges in oppositum adductæ, quia illæ factæ sunt in fauorem publicanorum, vt illi possint meliùs exigere alcaualam, & non soluentes pœna legis plectere: & ad summum peccant venialiter non seruantes illas leges, & forsan nec venialiter, quia sunt merè pœnales, & sic receptæ: & nullus credit se peccare, eo quòd non vendat in tali loco, vel per talem portam merces transferat. Et parer, quia iisdem legibus cauetur vt nemo possit panem emere, nisi in tali loco, & tamen non putaremus peccare, qui alibi emeret. Huic sententiæ fauet Nauarra *cap. 28. in addit. ad num. 64. capitis 25.* & tenent viri docti ex recentioribus. Pro eadem sententia facit, quia hodie communiter gabellæ sunt iniustæ, vt habetur *cap. quamquam, de censibus in 6.* & docent Arm. *verb. Gabella, n. 10. & 18.* Ang. *verb. pedagium, n. 6.* & docent Caiet. *verb. vectigal.* Driedus *lib. 2. de liberi. Christ. cap. 5.* & sic fiunt magnæ extorsiones, & rigidè petuntur; sat ergo erit ad eas obligare, dum petuntur, & non erit necesse cogere venditores, vt se manifestent.

12 Tertia conclusio. Licèt hæc sententia probabilis sit, saltem ad deobligandos eos à restitutione, qui hactenus id fecerunt, siquidem authores graues habet pro se: at tutior, & probabilior est apposita sententia, scilicet absconditè transuehentem merces, vel non vendentem in loco destinato, sed occultè, ad defraudandum gabellam, teneri certiorem facere exactorem, vel illi soluere gabellam. Probatur ex adductis pro prima sententia.

13 Quarta conclusio. Quando ipsi exactores, vel publicani committunt ipsis vendentibus, seu intromittentibus merces, vt dicant sub iuramento quantitatem mercium, vel valoris, licèt, vt docet Nauarra *vbi supra*, non teneantur iurare, sed sat est, vt dicant, quòd videant ipsi quantitatem, & ipse soluet; si tamen iurauit, tenetur totam veritatem manifestare, transferens merces, vel vendens; alias peccabit mortaliter, & tenebitur restituere id, in quo publicanum defraudat. Ratio, quia petitur ab illo gabella, & eo rigore, vt sub iuramento cum manifestare veritatem compellat: sed hæc tributa quando petuntur à publicanis, debentur; ergo. Sic docet Nauar. *cap. 17.* Lat. & Hispan. *num. 202.* & Metina *C. de restit. q. 13. fine*, & alij.

14 Sed quid dicendum, quando non petunt exactores iuramentum, sed mercatori, vel transuehenti merces committunt in conscientia eorum, vt dicant veritatem. Metina, & Nauarra. *ibidem* dicunt, quòd si hoc casu celet aliquas merces, tenetur publicano restituere id, in quo ipsum defraudat: immo idem dicit Metina, licèt publicanus ita mercatori veritatem dicendam committat, vt nec sub iuramento, nec iuxta eius conscientiam aliquid exquirat, sed simpliciter illi remittat, vt rem aperiat, idque confidens eius fidelitati, ex qua fiducia non nisi simplicem manifestationem ab eo exigit: tunc enim tenetur totam veritatem aperire; alias tenetur restituere. Eiusdem sententiæ videtur esse Aduendañus *in Dictionario littera A, verbo Alcauala.* vbi dicit, si quis gabellario petenti alcaualam fraudem fecerit, ne possit eam consequi, tenetur restituere.

15 At docti recentiores dicunt esse probabile non teneri restituere, quando non exigitur veritas cum iuramento. Ratio, quia quando cum iuramento exigitur, tenentur exactores adhibere fidem, nec videtur plus posse cogere ipsos mercatores: at quando non exigitur cum iuramento, non videtur tanto rigore id exigi; siquidem facilè peti poterat vrgentiùs, scilicet cùm iuramento; & addunt prædicti recentiores, quòd idem videtur esse dicendum, quando exactores exigebant id ab eo sub iuramento, etiam si ille iuramento tale mendacium affirmauerit eatlem ratione.

16 Quinta conclusio. Probabilius est, quòd interrogatus ab exactore, quas vehat merces, vel vendiderit, etiamsi ipsius fidelitati committat absque iuramento, teneri restituere, si aliquas occulter merces: at oppositum est probabile, saltem ad excusandos eos, qui hucusque id fecerunt, cùm sint graues authores, qui ita sentiant: & sunt etiam rationes probabiles, maximè cùm tributa hodie tam grauia sint. Item, quia cùm tributa non debeantur, nisi petantur, videtur, quòd sicut quando petuntur magno rigore, scilicet cum iuramento debentur magno rigore, scilicet integrè: ita quando non petunt cum tanto rigore, non ita rigidè, & integrè debentur.

17 Nota.



17 Nota tamen quòd si ideo publicanus ab his mercatoribus simplicem loquelam exigit, quia non intendit ab eis totum debitum recipere, sed aliquid condonare, vel quia amici sunt, vel quia viam illam frequentant, vnde frequens lucrum publicano accrescit, vel ne illi per aliam viam res suas portent, vel ob aliam eiusmodi causam, tunc non tenentur mercatores totam rem manifestare, nec occultatum restituere; quia interuenit publicani expressa, aut tacita donatio. Sic Metina *dicta quæst. 13. fine*, Cordub. *summa, q. 95. dub. 2.* & alij.

18 Hinc infertur, quòd possumus excusare à restitutione alcaualæ multos mercatores, quibus publicani non discooperiunt merces, nec cogunt sub iuramento aperire veritatem, sed simpliciter stant eorum dictis, & si minus, quàm sit, palàm faciunt; cum istis enim dissimulare possumus, nec illos obligare ad restituendum illud, quod ex occultatis mercibus non soluerunt, ex voluntate tacita; immo ferè expressa custodum seu exactorum nota, & approbata à suis dominis, qui consultò dataque opera volunt, ac iubent his ministris, ne sint onerosi, aut rigidi eis mercatoribus, sed potiùs leniter, ac suauiter se gerant cum illis, stentque illorum dictis; atque hoc faciunt ob proprium commodum, & emolumentum, gaudent enim omnes talia loca frequentare, animaduertentes commodum, & vtilitatem, quam inde reportant.

19 Vltima conclusio. Si aliquando iudex Ecclesiasticus ferat excommunicationem contra occultantes huiusmodi tributa, vel non soluentes, talis excommunicatio non ligat, nisi in casu, in quo illi tenebantur aliàs soluere ante sententiam excommunicationis: patet, quia excommunicatio non fertur, nisi pro culpa mortali, at non est culpa non soluere, quando aliàs non tenebantur soluere. Sic docti recentiores.

## DVBIVM XI.

*An si publicanus non petat alcaualam, vel vectigal tempore à lege præscripto, sit tutus in conscientia mercator, qui transacto eo tempore soluit etiam publicano petenti.*

1 NOta, quòd *in lege 129. del quaderno.* quæ hodie est lex 19 *tit. 17. lib. 9 noua recopil.* præscribitur tempus, in quo possunt publicani exigere alcaualam, & sic dicitur, *de la ventas, que se hizieren debienes muebles se mouientes, sean obligados à pedir el alcaualain todo el ano de su arrendamiento; y endos meses despues del otro año, y no las puedan pedir en adelante. Pero en quanto al alcaualade las heredades, de que passaren los contratos ante los escriuanos publicos del numero, donde fuere la hechad se pueda demandar el año del arrendamiento; y el siguiente: y si los tales contratos se hizieren ante otros escriuanos, que no sean del dicho numero, se pueda demandar dentro de dos años, que el tal contrato fuere otorgado. y porque en los lugares de Senorios, Abadengos, y ordines, no se cobra el alcauala con tanta facilidad; alli se puedan demandar en qualquier tiempo, y no se prescriban por causa de los dichos terminos.*

2 Item *l. 6. fine, tit. 7. p. 5.* dicitur præscribi vectigali[a] quinquennio, sic enim dicitur, *si los portas gueros fueren negligentes en no demandar porcineo anos los derechos, dende en adelante no los pueden demandar.*

3 Vertitur ergo in dubium, an transacto tempore, quo iuxta leges citatas potest publicanus exigere alcaualam, vel vectigal, sicut in foro externo potest petere, ita etiam nec in foro conscientiæ teneatur venditor illi soluere alcaualam.

Duplex est sententia.

4 Prima docet transacto etiam termino per legem præscripto teneri mercatorem soluere gabellam publicano petenti. Quare leges denegantes actionem gabellario, procedunt in foro externo. Et probatur, ad præscribendum requiritur bona fides, sed hic deficit bona fides. nam mercator ab initio nouit se esse gabellæ debitorem; ergo. Hanc tenet Cordub. *summa, quæst. 95. dub. 1.* Metina *C. de restit. q. 17 vers. sequitur inde quod si hi.*

5 Secunda sententia docet præscribere mercatorem illam gabellam transacto eo termino, & sic licèt postea petat gabellarius, non teneri soluere. Probatur ex *dicta l. 19. tit. 17 lib. 9 nouæ recopil. fine*, vbi post assignatum terminum, in quo possunt peti gabellæ, id est, alcaualæ, in populis regiis, additur *Pero en los lugares de los señores no se prescriua en el dicho termino.* Ergo vult lex in oppidis regiis præscribi gabellas eo termino, sed præscriptio dat ius inforo conscientiæ; ergo. Item quia debitor alicuius quanticatis non obligatus ad illam offerendam, donec, petatur præscribet, si tempore signato à lege ad petendum non fuerit petita, vt optimè Panorm. *cap. finali, de præscript.* Angel. *verbo præscriptio, n. 42.* Metina *C. de restit. quæst. 16. versic. Verum esto ita sit.* Sed, vt dixi *dub. præced.* non tenetur quis soluere gabellas, donec petantur à publicano: ergo si publicanus non petat tempore à lege destinato, præscribentur gabellæ. Item, quia hîc non est mala fides, iustè enim retinet gabellas is, à quo non petuntur. Hanc sententiam tenent docti recentiores: tenétque Cord. *lib. 1. summæ, q. 36. fol. 282. vers. similiter è conuerso.* dummodo cessauerit fraus, illa bona occultando. Sic

6 Prima conclusio. Supposita opinione, quam amplexus sum *dub. præcedenti*, scilicet non teneri quempiam ad gabellas, donec petantur; certissimum credo hanc secundam sententiam, propter rationem dictam: at verò qui teneret gabellas etiam non petitas deberi, teneretur dicere non præscribi termino per leges destinato, vt docet prima sententia.

7 Nota, quòd si quis postulatus intra tempus legitimum negauit gabellam, non præscribet transacto tempore, quia iam est in mala fide, cùm manserit obligatus ad restituendum. Sic docti recentiores. Et est res certissima.

8 Secunda conclusio. In casu, quo *dub. præcedenti, concluf. 3.* nempe quando quis occultè transuehit, vel vendit merces, dixi esse probabile non teneri quem soluere gabellam, donec petatur, est etiam probabile præscribere transacto termino, propter rationem dictam. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XII.

*An si quidam veniat ad vendendum rem aliquam secretò, & occultè, vt ita defraudet alcaualam, peccet, & teneatur restituere emptor casu, quo venditor ille tenebatur ad illam.*

1 RAtio dubitandi est propter legem 120. *del quaderno*, quæ hodie est *lex 32. tit. 19. lib. 9 noua recop.* vbi sic dicitur, *Mandamos, que si el vendedor no fuere del lugar, donde se haze la venta o trueque, o si fuere hombre poderoso, o official nuestro de tal lugar, que el comprador retenga en si lo que monta el alcaualà, hasta que el otro traiga testimonio, de como a pagado el alcauala.* Item quia occultè emens videtur cooperari iniustitiæ debitoris occultantis alcaualam.

2 Hac in re variæ fuerunt sententiæ virorum doctorum, & in primis aliqui Iurisperiti sensere hunc emptorem non retinentem alcaualam teneri eam restituere, quia lex, quæ dicit teneri soluere alcaualam duplo, quod attinet ad alcaualam, non est pœnalis; bene tamen quod attinet ad duplum. Deinde alij dixerunt hoc idem alia ratione ducti, quamuis enim sit pœnalis, etiam quoad gabellam soluendam, tenetur ante iudicis sententiam hanc pœnam soluere, quia emptor

ex

Universidad de Deusto
Biblioteca



ex officio iniuncto sibi per hanc legem tenebatur retinere alcaualam, & qui ratione officij tenetur ad aliquid, vt custos nemorum, tenetur ad pœnam applicandam alteri ante iudicis sententiam.

3 Sit tamen prima conclusio. Tanquam certum credo, quòd qui emit in occulto, ob hanc solam causam nil aliud faciens, licèt non retineat alcaualam, non tamen tenetur ad aliquam restitutionem, v. g. quando quidam vendit mihi in occulto, quod tamen ego secretum non procuro, vt si essem domi, & alter ingrediatur interrogans me, num velim emere ab illo bombycis manipulum; ego verò scio illum intendere furari alcaualam, nihilominus tamen manipulum emo, nec alcaualam retineo, non teneor restituere. Probatur, quia si tenerer ad restitutionem, id esset, quia vel cooperor ad furtum alcaualæ, vel propter dictam l. 32. Sed neutro ex capite teneor, quia cooperari est simul operari; at emptor hìc nil operatur ad alcaualæ detectionem. sed merè passiuè se habet: vt qui recipit Sacramentum à ministro existenti in peccato mortali, parato conferre cuicumque, non cooperatur peccato illius, quia passiuè se habet, vt optimè Sotus, dicens esse omnium, 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6. *vers. Prima itaque*; & reddit rationem, quia solùm ille dicitur cooperari, qui eius peccati causa est: at in hoc casu cùm conferens sit paratissimus, & suscipiens nullatenus eum moueat, non dicitur eius peccati causa. Nec teneor ad restitutionem ratione dictæ l. 32. quia est pœnalis, nec vsu recepta est; immo videtur iniusta, siquidem obligat emptorem, vt sit quasi œconomus publicani, nullo ab hoc accepto stipendio, immo graui cum detrimento illius, quia homo potens, aut officialis Regius, cui retinuerit emptor alcaualam, sumet vindictam à prædicto emptore: quapropter nullus emptor eam retinet. Hanc conclusionem tenuere viri doctissimi, & mihi est certissima.

4 Secunda conclusio. Eiusmodi emptor non peccat alcaualam non retinendo. Probatur, quia, vt dixi, talis lex non est in vsu, & videtur iniusta, sempérque damnificaretur emptor retinendo, saltem in eo, quòd nemo vellet illi vendere. Sic docti iuniores.

5 Vltima conclusio. Si talis emptor cooperatur alicui fraudi, v. g. si diceret, ingredere huc, ne videamur à publicano, atque ita iuuet ad occultandum, tunc tenetur restituere alcaualam casu, quo principalis non restituat, cùm tamen teneretur ad id. Patet, quia cooperatur ad furtum, simul enim cum venditore operatur ad furtum. Sic iidem recentiores.

## DVBIVM XIII.

*An alcaualæ sint iustæ in conscientia, si decem pro centum exigantur, & qui illas defraudat, teneatur restituere.*

1 Dvplex est sententia. Prima docet alcaualas esse iustas etiam summo rigore exactas, scilicet decem pro centum. Probatur, quia sic institutæ sunt à Principe, vt habetur *lib. 9. nouæ recopil. tit.* 17. *l.* 2. & ex iustissima causa, nempe ad sumptus belli Granatensis, quod licèt modò cessarit, at conuersæ sunt in aliam publicam causam, scilicet ad sumptus regios in aliis bellis. Sic tenent Cordub. *summa quæst.* 95. *dub.* 1. & *q.* 115. Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 11. *corol.* 2. Parlador. *lib. de rebus quotid. cap.* 3. *initio num.* 13. Couar. *regula peccatum* 2. *p.* §. 6. *n.* 5. & Metina 1. 2 *q.* 96. *art.* 4. *vers. Secunda conclusio.* Hac tamen limitatione id docet Metina, modò non teneatur quis soluere, nisi exactus.

2 Secunda sententia docet non esse iustas alcaualas summo rigore petitas, scilicet si de decem petatur vnum. Probatur quia est rigidum tributum, & ferè intolerabile; consumuntúrque res familiares, omnésque illas sibi Rex vsurpat, maximè cùm sint alia multa vectigalia, & exactiones ordinariæ, & extraordinariæ, quæ Regi soluuntur à subditis, & vnaquaque reuenditione eiusdem rei prædicta alcaualæ accipiatur in eadem quantitate; quo fit, vt ex decem venditionibus totus rei valor accrescat Regi. Huius sententiæ videtur Sotus *lib.* 4. *de iust. q.* 6. *art.* 4. *vers. de illo autem*, vbi hæc inquit, *Alcaualæ, si cum moderatione exigatur, est iusta*, & inquit, *lib.* 3. *q.* 6. *art. vltimo, vers. Cæterum reuera*, vbi hæc inquit, *licèt decima sit consignata; at nisi vrgens regni necessitas id postularet, nimis graue esset tributum hoc ad rigorem exigere.* Eiusdem sententiæ videtur Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 3. *fol.* 258. *pag.* 4. vbi hæc dicit: *Alcaualæ est iusta eo modo, quo soluuntur, quia non soluunt communiter quantum debent, sed minus.* Et *fol.* 259. *pag.* 2. *concl.* 3. vbi hæc dicit, gabella, vt nunc soluitur communiter, scilicet petita à publicanis, & non aliàs, est tributum iustum, quia non petitur ad rigorem: immo Rex vix vnquam percipit vigesimam; & dicit esse grauissimum tributum petere decimam. Pro eadem sententia sunt alij Doctores dicentes licitè fraudari gabellas, quando sunt nimis barbaricæ, scilicet quòd soluitur vltra tertiam octauæ partis. Hi sunt Felin. *c.* 1. *de constit. n.* 41. & refert Baldum idem Antonius Trigon. *singular.* 89. Armill. *verb. gabella, n.* 4. Tabien. *verbo pedagium n.* 8. Sit

3 Prima conclusio. Hæc secunda sententia est probabilior: atque ita non tenetur venditor soluere vnum de decem, sed pro triginta, vel quadraginta vnum; reliquum autem est iniustum. Probatur tunc ex authoribus citatis, & ex ratione posita: tum quia negari non potest, quin saltem sit dubia iustitia tam rigidæ exactionis; at in dubio non tenetur quis soluere gabellas, vt dixi *suprà*. Hanc conclusionem, vt iacet, tenuerunt plures Magistri Salmantini, & alij viri docti.

4 Hinc infertur, quòd qui semel soluit in integrum alcaualam publicano, potest se recompensare, non soluendo aliam, quia primam non debebat.

5 Secunda conclusio. Quia tamen prior sententia probabilis est, absoluendi sunt exigentes alcaualas in summo rigore, scilicet de decem vnum: quia cùm habeant Doctores grauissimos pro se, habent iustam, & probabilem ignorantiam. Sic docti iuniores.

6 Tertia conclusio. Quando publicanus perit à venditore, vt sub iuramento declaret pretium rei venditæ, vt accipiat vnum pro decem, iniustè interrogatur venditor, & sic non tenetur totam aperire veritatem, sed potest dicere, non vendidi, nisi quinque, vel quatuor, cùm vendiderit decem, intelligens intra semetipsum, ita vt teneat soluere alcaualam. Hæc conclusio potest probari, quia non debeo integram alcaualam, vt dixi *prima conclusione*: ergo iuramentum exactum ad extorquendam integram alcaualam, est iniustum, & non iuridicum: ergo potest venditor vti verbis æquiuocis ad occultandam veritatem, *sed non vendidi*, &c. est verbum eiusmodi vt latè dixi *lib.* 3. *summæ*, *cap.* 6. *a. n.* 19. *vsque ad* 32. inclusiuè: vbi ex pluribus authoribus, & rationibus probaui non interrogatum iuridicè posse respondere, non feci. Et specialiter Syluest. *verbo mendacium*, *quæst. vltima*, ferè in terminis hoc dicit, nec enim clericum rogatum in porta ciuitatis, an aliquid porret, de quo sit soluenda gabella, posse iurare se nihil portare, intelligendo intra se, de quo debeat Clericus gabellam. Insuper hanc sententiam tenent viri docti ex recentioribus.

7 Nota tamen, si hic posset se excusare, dicendo cum iuramento, vendidi quinque, absque eo quòd diceret negatiuam, scilicet, non vendidi plus quàm quinque, ita vt nulla inde suspicio generaretur, non debet recurrere ad negatiuam: quia affirmatiua manifesta est vera, & negatiua est dubia, & ad has responsiones dubias recurrendum non est, nisi quando alia via veritas occultari non potest, vt dixi *loco citato*.

DVBIVM



## DVBIVM XIV.

*An domini, qui dono, vel pretio obtinuerunt à Rege alcaualas, suorum oppidorum, possint illas augere, vel minuere, & exigere in toto rigore legis regiæ, scilicet vnum de decem, quamuis Rex minus exigat à suis vasallis.*

1 Non est sermo, an liceat exigere vnum de decem, quia iam dixi *dub. præcedenti*, id esse probabile, quamuis oppositum probabilius iudicauerim: sed quod in præsenti quæritur est, vtrùm supposito, quòd liceat vnum pro decem exigere, id possint domini temporales, etiamsi Rex minus exigat: exempli causa, si Rex exigeret vnum pro viginti. Sit

2 Prima conclusio. Domini temporales, qui dono, vel pretio, priuilegio, aut præscriptione, obtinuerunt à Rege alcaualas suorum oppidorum, non possunt illas augere vltra vnum pro decem. Patet, quia prædicti domini non alio modo acceperunt ius ad exigendum alcaualas, nisi in ea quantitate, quam Rex exigit per suas leges: ergo si Rex per suas leges tantùm exigit vnum pro decem, non possunt ipsi amplius exigere; quia subrogatus sapit naturam illius, in cuius locum subrogatur, *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ* 1. *vt lit. pendente. & cap. cum tu, de vsur.* Sic Cordub. *summa, quæst.* 115.

3 Secunda conclusio. Eiusmodi domini possunt minuere, & augere alcaualas in suis oppidis, sicuti Rex in suis, dummodo non augeant vltra decem pro centum, quamuis Rex illas minuat in suo regno, exigendo vnum pro viginti, vel triginta: nec gratia, quam Rex aliquando facit suo regno, quod pro aliquo tempore non augeantur, est in præiudicium vectigalium, aut rerum familiarum horum dominorum, idque quamuis ipsorum vasalli contribuant Regi alia seruitia, seu vectigalia, sicut vasalli ipsius Regis. Ratio est, quia istæ gabellæ omnino non sunt horum dominorum, & habent ius, & dominium illarum, sicut & aliorum reddituum, quos percipiunt à suis vasallis. Atque ita nullam obligationem, aut dependentiam habent à Rege ad illas minuendas, quando Rex illas minuit. Ita Cordub *quæst.* 115. vbi refert ita sæpè iudicatum fuisse in senatu Regio.

4 Vltima conclusio. Si aliquis dominus non haberet integrum dominium ad exigendas alcaualas, sed solùm haberet ius ad exigendum, verbi gratia, mille aureos ex alcaualis pannorum, vel alterius mercis, vel haberet ius ad percipiendum quarundam alcaualarum reddituum talis oppidi, tunc non potest illas augere, vel minuere, quia non est omnino dominus illarum; vt benè Cordub. *ibi*.

## DVBIVM XV.

*An pauperes, quibus ad victum necessaria non suppetunt, teneantur soluere gabellam, id est, alcaualam, aliaque vectigalia, vt pedagia, vel guidagia, Hispanè portazgos, &c.*

1 Videtur hos teneri; quia hæ gabellæ generaliter sunt omnibus vendentibus, vel transuehentibus merces impositas.

2 Sit conclusio. Si alicuius paupertas eò deueniret, vt & suos alere non posset etiam cum mediocri lucro, Quod soluta alcaualæ, & aliis vectigalibus, illi supereret negotiatione, aut propter paucitatem pecuniæ, quam possit negotiationi exponere, aut quia habet multos filios, aut quia multa debita contraxit, aut propter alias necessitates, non tenetur soluere alcaualam, aut alia vectigalia. Probatur, quia in hoc casu fauet illi ius naturale, secundùm quod prius debet se, suámque familiam alere, deinde ad Regis necessitates contribuere, & iuniate. Item quia Princeps est propter rempublicam, & non respublica propter Principem; ergo prius subuenire debet respublica suis propriis necessitatibus, quàm Principi. Sic multi viri docti à me consulti. Pro hac sententia est glossa *lege omnes in* 1. *C. de annonis, & tributis libro* 10. *vers. Compelletur*, & *ibi* Bart. *numero* 1. Rosella *verbo priuilegium*, *num.* 10. & *ibi* Syluester *quæstione* 9. *dicto* 3. vbi dicunt quòd licèt officiales deputati à Principe ad recipiendas collectas Principi debitas, eas non possint remittere, fallit nisi ob nimiam paupertatem soluere debentis. Et additio quædam Bart. *dicto numero primo*. vbi docet cum Baldo *lege* 2. *paragrapho si quis in iudicio, digestis si quis caut.* quòd si statutum dictat appellantem debere soluere gabellas, aliàs appellatio sit deserta, non habet locum in non potente ob paupertatem soluere; quia dictum ei remissa gabella ipso iure ab statuto. Faciunt etiam Felinus *capite si qui testi, de testibus*, *numero* 10. Gigas *tract. de pensionibus*, *quæst.* 80. *numero* 3. Hippolytus *volum.* 1. *consilio* 10. *numero* 40. vbi dicunt paupertatem excusare non soluentem collectas. Faciunt etiam Glossa *capite cùm instantia, de censibus, vers. indebitè*. Panorm. *ibi numero* 7. Baëza *de inope debitore, cap.* 12. *num.* 21. vbi dicunt visitatorem non debere exigere procurationem à pauperibus. Item Isernia, Rolandus, Decius, quos refert, & sequitur Baëza, *vbi suprà cap.* 18. *num.* 9. qui dicunt pauperem non teneri ad collectam, nec tributum, nisi personale.

## DVBIVM XVI.

*An qui contra legem prohibentem intromittit merces in aliquam ciuitatem, vel regnum, teneatur soluere gabellam mercibus eiusdem speciei impositam pro eorumdem intromissione.*

1 Exemplum apponi potest in ciuitate Granatensi, vbi pro qualibet bombycis libra, quæ intromittitur, soluuntur quindecim argentei; est tamen prohibitum ne ex Murciæ Regno vlla introducatur bombyx, & ideo pro eius introductione nullum est impositum vectigal: dubitatur ergo, an qui ex regno Murciæ clam illam intromittit, teneatur soluere gabellam impositam bombyci, quæ non est prohibita intromitti.

2 Aliquos viros doctos fertur fuisse huius sententiæ, scilicet deberi vectigal impositum rebus similis formæ non prohibitis; quia virtualiter omnibus rebus eiusdem speciei, atque adeò omnibus bombycibus, quæ intromittuntur, censetur impositum idem tributum, licèt non nisi ex tali parte intromitti permittantur.

3 Sit conclusio. Probabilius reputo non deberi id tributum, nisi sit etiam impositum rebus prohibitis. Probatur, quia tributum soluere res est odiosa; ideóque ad id obligare non debemus, nisi quando expressè constet esse impositum: at in nostro casu non est expressè impositum; ergo. Item quia in dubio censendum est quempiam non esse obligatum ad tributum, vt ex superioribus constat: at hic casus saltim est dubius. Item quia Rex concessit conductori huius vectigalis quòd possint alij ex ipsius conductoris licentia ex regno Murciæ bombycem intromittere in Granatam: atque hæc licentia conceditur à prædicto conductore, dummodo sibi exhibeantur tres, vel quatuor argentei pro libra. Et tamen in bombyce Granatensi exigunt in integrum omnes quindecim argenteos. Est ergo manifestum non esse impositum illud tributum pro Murciæ bombyce.

4 Tandem confirmatur hoc, quia si conductor inuenit prædictam Murciæ bombycem, quæ clam intromittitur, non exigit alcaualam, sed solam pœnam; ergo signum est nullum deberi vectigal. Huius sententiæ feruntur fuisse aliqui docti recentiores; illíque valde fauet Metina *C. de restitutione quæstione* 15. *sub finem*, vbi hæc dicit; si in transferendis rebus prohibitis nulla gabella imposita est, sed sola commissi pœna, translato-

Universidad de Deusto
Biblioteca



res nil tenentur publicanis restituere; sed ad pœnam tenentur pœnitentiæ iudicis sententiam. Eidem fauet Couarr. *reg. peccatum, 2. p. §. 5. fine*, vbi dicit idem, quod Metina.

## DVBIVM XVII.

*Ex quibus contractibus alcauala debeatur, & an in hac materia strictè, vel amplè accipienda sit venditio.*

1 RAtio dubitandi est, quia cùm ex venditione debeatur alcauala, & emptionis & venditionis nomine omnis alienatio comprehendatur, *lege Statu liberi. §. Quintus, ff. de statu liber.* & tradit fusè Tiraquell. *de retract. §. 1. glossa 2. n. 1.* videtur ex contractu omni deberi gabellam, maximè cùm gabellæ non odiosæ, sed potiùs fauorabiles censendæ sint, cùm ad vtilitatem publicam, & communem pacem tuendam institutæ sint, vt docet Parlador. *lib. de reb. quotid. c. 3. initio, n. 14.* & sic nil mirum si in hac materia venditio largè sumatur pro quouis contractu. Sit

2 Prima conclusio. Alcauala non in vniuersum omnes contractus comprehendit, sed ex venditione, & permutatione duntaxat debetur, *l. 1. & 2. tit. 17. lib. 9. noua recop.* & tradit optimè Parlador. *dicto c. 3. §. 2. n. 22.* & licèt iure communi alcauala debebatur ab emptore; at ex *dicta l. 1.* eam debet venditor, præterquam in oleo, quod venditur Hispali, dimidium enim alcaualæ debet emptor, & dimidium venditor, *eod. tit. 17. l. 3. & 4.* at in permutatione vtraque pars debet alcaualam, quia vtraque censetur vendere, *d. l. 2.*

3 Secunda conclusio. Venditio, ex qua gabella debetur strictè & propriè accipienda est, & non pro quolibet contractu. Probatur, tum quia *dicta l. 1.* mentionem de pretio facit: tum quia non fuisset opus de permutatione quidquam adiicere, cùm latè sub venditione comprehendatur: at *dicta l. 2.* expressit emptionem, & permutationem. Secundò probatur, quia in materia odiosa nomine venditionis comprehenditur tantùm ea, quæ propriè venditio est, vt docet Montaluus *lib. 3. fori, tit. 4. l. 2. fine*, & Tiraquell. *vbi supra, n. 2.* Bald. Corneus, Panorm. Felinus per Tiraquell. citati. Et ratio est, quia odia restringi, fauores conuenit ampliari: & quia ea, quæ à iure communi exorbitant, ad consequentiam trahenda non sunt, *reg. quæ à iure, de regulis iuris in 6.* sed materia gabellarum est odiosa, cùm sit contra libertatem iure communi contrahendi concessam, vt docet Parlador. *dicto cap. 3. §. 2. numero 29.* Tiraquell. *de retract. §. 15. glossa 1. num. 12.* Montaluus *vbi supra*, Menchaca *lib. 1. controuers. frequent. cap. 11. num. 16.* Bart. Corneus, Decius, quos refert & sequitur Bertachinus *in Dictionario, verb. Gabella.* ergo strictè, & propriè in hac materia vsurpanda est venditio. Hanc conclusionem tenet expressè Montaluus *vbi supra*, & Parlad *dict. §. 2. n. 22.*

4 Hinc infertur longè à scopo abertasse plures Doctores, dicentes ex donatione deberi gabellam, quos refert & reprobat Menchaca *dicto n. 11. n. 18. 19.*

## DVBIVM XVIII.

*An ex contractibus innominatis debeatur gabella, id est, alcauala.*

1 NOta ex Syluestro *verbo contractus, quæst. 4.* contractus esse in duplici differentia: quidam sunt nominati, qui scilicet nomina habent propria, & eis solis conuenientia, vt emptio, venditio, locatio, &c. Alij sunt innominati, & hi sunt quatuor, scilicet, *do vt des, do vt facias, facio vt facias, facio vt des.* Dicuntur verò innominati, quia non habent nomina ipsis solis conuenientia, sed eorum nomina possent contractibus nominatis conuenire.

2 Secundò nota contractum innominatum, *do vt des*, quatuor modis contingere posse, vt docet Bart. *l. si quis, ff. de solut. num. 2.* & Parlador. *de rebus quotidianis, capite 3. paragrapho 3. numero 33.* aut enim datur species pro specie, aut genus pro genere, aut species, pro genere, aut genus pro specie. Si detur species pro specie, aut datur species certa pro certa, vt vinea pro domo, & est contractus permutationis: vel species incerta pro incerta, vel certa, pro incerta; & his casibus non dicitur permutatio, sed contractus innominatus. *do vt des*, iuxta glossam *l. 1. C. de rerum permut.* quam communem dicit *ibi* Bart. Si verò detur genus pro genere, aut pro eodem genere, vt vinum pro vino, & est mutuum: aut vnum genus pro alio, vt vinum pro frumento, & est contractus innominatus, scilicet, *do vt des.* Similiter, quando datur species pro genere, vt oues pro frumento, aut genus pro specie, non dicitur mutuum, nec permutatio, sed contractus innominatus, *do vt des.* Quando verò datur quantitas, id est, pecunia numerata pro genere, vel specie, est emptio.

3 His suppositis Menchaca *libro 3. de successione creationis part. 1. §. 28. num. 28.* dicit deberi gabellam ex omni contractu innominato. Ratio, quia reuera contractus est. Sit tamen

4 Prima conclusio. Ex illis tribus contractibus innominatis, scilicet, *do vt facias*, vel *facio vt des*, vel *facio vt facias*, certum est non deberi gabellam. Ratio, quia non ex omni contractu debetur gabella, sed ex sola emptione, & permutatione. *l. 1. & 2. tit. 17. lib. 9. noua recopil.* at hi contractus, nec sunt emptio, & venditio, nec permutatio, sed magis ad locationis naturam accedere videntur. *l. naturalis, §. at cùm duo. ff. de præscript.* Sic Parlador. *dicto §. 3. num. 34.*

5 Secunda conclusio. In illis contractibus, *do vt des*, quando reducuntur ad mutuum, constat non deberi gabellam: quando autem ad emptionem, & venditionem, vel permutationem, constat deberi: patet ex dictis. Parlador. *ibi num. 33.*

6 Vltima conclusio. In illis contractibus, quos dixi non esse propriè emptionem, vel venditionem, nec permutationem, sed appellari contractus innominatos, scilicet, *do vt des*, credo deberi gabellam. Ratio, quia *l. 2. tit. 17. lib. 9 noua recopil.* non vtitur verbo permutationis, sed nostro vulgari nomine, *trueque*; apud nos verò, si communem loquendi modum consulas, intelliges hoc nomine comprehendi omnes illos contractus innominatos, *do vt des*; quod apertè significat *dicta l. 2.* dum dicit, *Mandamos, que de todos los trueques, que se hizieren de vnas cosas a otras semejantes, y no semejantes, sea interuenga en ello dinero, o no, se pague alcauala.* Et confirmatur, quia communis vsus vocis debet attendi etiam contra proprium ipsius significatum, *l. librorum, §. quod tamen. Cassius, ff. de legat. 3. & l. Labeo, ff. de supell. legata, & cap. ex literis, de sponsal. &* tradunt Alexand. Iason, & alij, quos refert, & sequitur Tiraquell. *de retractu, §. 1. glossa 2. num. 3.* Hanc tenet Parlador. *d. §. 3. num. 34.* & in hac conuenimus cum Menchaca.

## DVBIVM XIX.

*An ex emphyteusi, seu locatione ad longum tempus debeatur alcauala.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet deberi alcaualam. Probatur, quia in iure hæc emphyteusis, seu locatio ad longum tempus habetur pro venditione; & ipse æquiparatur: & sic prohibita venditione, censetur prohibita, vt latè plures referens tradit Tiraquell. *de retractu, §. 1. glossa 14. n. 81. 82. 83.* Hanc tenet Menchaca *lib. 3. de success. creationis, p. 1. §. 28. n. 28.* Auendaño *responso 13. n. 7.*

2 Secunda sententia docet, non deberi alcaualam. Ratio, quia hæc emphyteusis non est propriè venditio, licèt similis sit venditionis: at venditio, ex qua alcauala debetur, est strictissimè, & propriè vsurpanda: vt patet ex *suprà* dictis. Hanc tenet Parlad. *lib. de rebus quotid. c. 3. §. 2. n. 28.* Boërius *decis. 234. n. 5.* & in alio simili tenet idem Tiraquellus plura allegans *lib. de retractu §. 1. glossa 14. num. 84.* cùm enim lex, quam interpretatur, dicat esse retractum in venditione, dicit Tiraquellus non procedere hoc in emphyteusi, vel locatione longa. Et hæc sententia, vt probabilior est amplectenda.

## DVBIVM XX.

*An ex contractu constitutionis, seu fundationis census, debeatur alcauala.*

1 SIt prima conclusio. Qui per contractum census vendit alteri iusad percipiendos annuos redditus, tenetur soluere alcaualam; quia ille contractus est vera venditio: ergo ex illa debetur vectigal impositum venditionibus. Sic Menchaca *lib. 1. controuers. frequent. cap. 11. num. 16.* Parlador. *lib. de rebus quotid. cap. 3. §. 8. num. 49.*

2 Secunda conclusio. Cùm annuus census venditur, non expectandi sunt singuli anni ad vectigal petendum, sed statim totum vectigal solui debet; quia tunc fit integra, & perfecta venditio. Parlad. *ibi*, §. 7. *numero 48.*

3 Tertia conclusio. Ex redemptione census non debetur gabella, quia non est emptio, nec venditio. Menchaca *dicto n. 16.* Parlad. §. 4. *n. 38.* Monterrosus *in sua practica, tract. 7. fol. 141.*

4 Quo tamen in loco sit soluenda gabella ex censu, dicam *infrà.*

## DVBIVM XXI.

*An ex transactione, & litis æstimatione gabella debeatur.*

1 NOta quòd transactio est compositio aliquo dato, vel retento super lite præsente, vel futura aondum finita. E.c. aliqui litem gerunt, aut mouere volunt super aliquo fundo, vel alia re, conueniunt tamen inter se, vt aliquo dato, vel retento, à lite pendente desistant, aut futuram non moueant: dubitatur an ex hac transactione, seu compositione debeatur gabella.

2 Duplex est sententia.

Prima docet deberi gabellam. Probatur, quia ex contractibus innominatis debetur gabella, vt docet Menchaca *lib. 3. de succes. creatione, p. 1. §. 28. num. 28.* sed transactio est contractus innominatus, vt docet Padilla *rubr. de transact. n. 21.* Item quia appellatione emptionis comprehenditur transactio, & ex ea, sicut ex emptione, debetur gabella, vt docet Angel. *consil. 230.* Item quia est contractus, *l. contractus ff. de fide instrum. l. cùm te, C. de transact. l. si donationis, in fine. C. quod metus causa*; vbi Baldus dicit ex transactione deberi gabellam, quia ex contractu lex iubet solui. Idem docet Alex. *l. fine apud acta, C. de transact.* Firmian. *tract. de gabellis, 3. p. 8. principalis, quæst. 11.* Tiraquell. *lib. de retractu. §. 1. glos. 14. num. 64. 65.*

3 Secunda sententia docet non deberi gabellam ex transactione. Ratio, quia licèt sit venditioni similis, non tamen propriè venditio, & tantùm ex venditione propriè & strictè sumpta deberi gabellam, *suprà* diximus. Sic Padilla *rubr. de transact. n. 19.* Parlad. *lib. de rebus quotid. c. 3. §. 2. n. 31.* vbi dicit idem esse dicendum, scilicet non deberi gabellam ex litis æstimatione. Et hæc sententia est probabilior.





## DVBIVM XXII.

*An ex cessione debeatur gabella.*

1 SIt prima conclusio. Si quis cedat alicui actioni, vel iuri, & transferat in alium, & hoc dato pretio, est vera venditio, & debetur gabella. Sic Parlad. *lib. de reb. quotid. c. 3. §. 2. n. 27.*

2 Secunda conclusio. Si quis emit rem alteram, & cedat alteri, si cessio est executio, & exercitium illius contractus, vt quando procurator, qui nomine alterius emit, cedit domino, non debetur ex cessione gabella, quia non est nouus contractus nec noua venditio. Si tamen ē nouus contractus per se oriens ex priori v. g. emit quis aliquid sibi, cedítque, & transfert in alium, debetur ex cessione gabella, quia est noua venditio. Sic Parlad. *ibi*, Baldus, *l. cùm per eos. C. si quis alteri, vel sibi, ad finem.* Ber tachin. *tract. de gabellis, 5. part. quæst. 12.*

## DVBIVM XXIII.

*An ille, qui emit triticum, pannum, aut alias merces in maiori copia, quàm sibi opus erat, non vt reuendat lucrando, sed vt partem exhibeat, & vendat eodem pretio suis amicis, aut aliis, quibus id gratum fore credit, teneatur soluere alcaualam.*

1 PRimò dico, quod si eiusmodi personæ hoc illi demandarunt expresè, vel tacitè, non est dubium, quin non teneatur soluere gabellam, qui illis, & ipsorum nomine emit: atque ita non est reuenditio, sed illis tradere, quod ipsorum nomine emit, iuxta dicta *dub. præced.*

2 Difficultas tamen est, quando nec amici, nec alij, nec expresè, nec tacitè talem curam illi demandarunt. In quo casu dico secundò in rigore esse reuenditionem, & iuxta legem teneri soluere alcaualam, quia sibi emit, & si interim res periret, sibi periret, & si alij nolunt emere illam merceem, non potest eos compellere, vt emant.

3 Dicò tertiò, ex æquitate non debere alcaualam, quia tacitè, & in virtute, & voluntate iustè præsumpta emit aliis, licèt sub tacita conditione, si acceptare vellent, & si nollent, tota merx apud illum maneret: atque adeò non est reuenditio, sed traditio illius mercis, quam illis emit. Sic docti recentiores. Et idem credo esse satis probabile.

## DVBIVM XXIV.

*An si quis omnia bona sua donet ea lege, vt donatarius eum sustentet, eiusque debita soluat, debeatur alcauala.*

1 DVplex est sententia. Prima docet deberi gabellam, quia non est pura donatio, sed est similis emptioni. Sic Castillo *l. 69. Tauri n. 8.*

2 Secunda sententia docet non deberi gabellam; quia nec est venditio, nec permutatio; & hæc est multo probabilior, & eam docet Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. c. 3. §. 2. num. 32.*

## DVBIVM XXV.

*An ex donatione in solutum debeatur alcauala.*

1 DVbium est, an cùm debitor aliud pro alio creditori sponte sua soluit, vt debeo Ioanni centum aureos, & pro eis do illi domum.

2 Duplex est sententia. Prima dicit deberi gabellam. Ratio, quia est contractus innominatus, & habet

Universidad de Deusto
Biblioteca



vicem venditionis, *l. si præsidium, C. de euict.* Hanc tenet referens Bartolum, & limitans, nisi detur in solutum species pro specie, vt quædam domus pro alia domo debita, Bertachinus *in Dictionario, verbo Gabella, & tract. de gabellis*, 8. *p. membr.* 3. *q.* 4. & plures alij fauent; quos refert Tiraquell. *lib. de retractu*, §. 1. *gloss.* 14. *num.* 2. 3. 4. docentes dationem in solutum esse instar venditionis.

3 Secunda sententia docet non deberi gabellam; quia licèt datio in solutum emptionis, & venditionis speciem obtineat, at emptio, & venditio propriè non est; vt plurimos referens docet Tiraquell. *dicta glossa* 14. *num.* 5. 6. At gabella non debetur hisi pro propria, & vera emptione. Sic Parlador. *lib.* 1. *de rebus quotid. cap.* 3. §. 2 *num.* 30. & videntur esse eiusdem sententiæ Tiraquell. & per ipsum citati *dicto num.* 5. & hæc sententia est verior.

## DVBIVM XXVI.

*An ex bonis ex causa iudicati creditori addictis alcauala debeatur.*

1 EXempli causa, Petrus debet centum aureos, nec soluit, & ideo quædam eius domus voce præconis publicantur, ac tandem ipsi creditori addicuntur, difficultas est an debeatur gabella, & videtur deberi, quia illæ domus venduntur creditori.

2 Sit conclusio. Probabilius credo non deberi alcaualam. Ratio, quia non est propriè venditio, sed adiudicatio facta iudicis authoritate pro debito: vt latissimè plures allegans docet Tiraquel. *de retractu* §. 1. *gloss.* 14. *n.* 8. 9. Hanc tenet Parlador. *lib.* 1. *de rebus quotid. c.* 3. §. 2. *n.* 29. Bertach. *tract. de gabellis*, 8. *p. membr.* 3. *n.* 10. & plures alij, quos refert, & sequitur Tiraquell. *dicto num.* 9. dicentes huiusmodi adiudicationem non comprehendi in statutis loquentibus de venditione; licèt Greg. Lopez *l.* 55. *tit.* 5. *part.* 5. *verf. vender*, oppositum seruiat, dicit enim idem censendum, quod de venditione, quando bona illa adiudicantur ipsi creditori pro pecunia debita.

3 Nota si non ipsi creditori, sed alij pluris licitanti bona addicta fuerint, debebitur gabella; quia est proprissimè venditio, vt optimè docet Tiraquell. Baldum referens, & Gregor. Lopez *ibidem*. Sic præter hos Doctores tenet Parlador. *eodem numero* 29. & hoc casu dicit accipiendam *l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 6. *nouæ recopil.* quæ ex bonis in publica auctione venditis gabellam deberi significat.

## DVBIVM XXVII.

*An qui coactus à iudice domum, vel aliam rem vendit, teneatur soluere gabellam? & ex venditione, vel permutatione facta in parentes, & filios.*

1 MVltæ sunt causæ, propter quas quis potest compelli ad vendendas suas domus, v. g. ad ædem sacram ædificandam, aut Regium palatium amplificandum, &c. quas explicat Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 14. Quæritur ergo, an ex tali venditione coacta debeatur gabella. Sit

2 Prima conclusio. Satis probabile est ex venditione, ad quam quis à iudice cogitur propter rationes, ob quas iure cogi potest, non deberi gabellam. Ratio, quia necessitas à gabella excusat, *l. fin. §. si propter necessitatem, ff. de public. & vectig.* vbi habetur, quòd si nauis propter maris procellam ad portum aliquem confugiat, non debetur gabella in illo portu constituta; quia fuit necessarium confugere, & non voluntarium. Pro hac sententia est etiam Felin. *cap. querelam, de iureiur. n.* 11. & *cap. significauit, de Iudæis, num.* 7. & Bart. *l.* 1. *C. de naufragiis, lib.* 11. vbi dicunt necessariam causam excusare à gabella, & ponunt exemplum dictum nauis: & Bartol. *ibi num.* 3. docet, quòd si tempore æstatis veniant vicini territorij nostri ad nostra molendina, possunt res reportare sine gabella, quia propter necessitatem famis veniunt. Pro eadem sententia sunt Iason *l. finali, C. de iure emphyt.* & Guillermus, Cumanus, Paulus de Castro, Fulgosius, Baldus, Bart. *l. & ideo, ff. de condict. furtiua, num.* 4. Matienzo *lib.* 5. *ordin. tit.* 11. *l.* 7. *glossa* 3. *n.* 18. Albert. *lex hoc*, §. 1. *ff. de alien. iudic.* Mansuetus *tit. de empt. & vendit. verf. Item in casu.* Corsetus, & Auferius *in additione decisionis Tolesanæ* 75. Albertus Brunus *consil.* 44. *n.* 11. vbi dicunt emphyteutam non debere laudemium vero domino ex alienatione necessaria. Et in propriis terminis docet nostram conclusionem Parlador. *lib.* 1. *de rebus quotid. c.* 3. §. 2. *n.* 26.

3 Secunda conclusio. Ex venditione inter parentes, liberósque contracta, & ex permutatione debetur gabella. Ratio, quia est vera venditio, & permutatio, & nulla est ratio à gabella excusans. Sic Parlador. *ibi*, Bart. *l.* 1. *C. de impos.* Platea, Firmianus, Roman. quos refert, & sequitur Tiraquell. *de retractu* §. 32. *glossa vnica, num.* 47.

## DVBIVM XXVIII.

*An quando consanguineus retrahit rem aliquam alicui venditam, iuxta l.* 70. *Tauri eodem pretio, quo venditus fuerat, debeatur gabella ex hac venditione huic retrahenti facta.*

1 SIt prima conclusio. Ex hac venditione facta per primum emptorem huic retrahenti non debetur gabella. Ratio, quia hæc non est noua venditio, sed transfusio, & subrogatio per legem facta in locum prioris contractus, priorisque emptoris, vt docet optimè Ant. Gomez *l.* 70. *Tauri, num.* 30. Sic tenet Bald. Firmianus, Albericus, quos refert, & sequitur Matienzo *lib.* 5. *ordin. tit.* 11. *l.* 7. *glossa* 3. *num.* 17. & tenent Doctores citati *dub. præced.* dicentes non deberi gabellam ex alienatione necessaria: hic autem retractus fit ex necessitate primi contractus, & inuito emptore.

2 Nota, quòd hic retrahens tenetur soluere prioti emptori omnes expensas, quas fecerat in emptione, & gabellam, si eam ex pacto soluerat, vt sic reddatur indemnis, vt habetur *l.* 70. *Tauri*, quæ habetur *lib.* 5. *nouæ recop. tit.* 11. *l.* 9. Sic Matienzo *vbi suprà n.* 16. Tiraquell. *de retractu lign.* §. 29 *glossa* 4. *n.* 1. Ant. Gomez *vbi suprà*, Palacios Rubios *l.* 70. *Tauri, n.* 36. 37.

3 Secunda conclusio. Si ex statuto emptor teneretur ad gabellam, & emeret clericus, & sic non teneretur, si mox à clerico retraheret laïcus iure sanguinis cum venditore, teneretur laïcus soluere gabellam, non clerico, sed Regis gabellatio. Ratio, quia succedit loco prioris emptoris, ac si prior non emisset, & cùm sic ipse verus emptor, & non priuilegiatus, deberet eam gabellam. Sic Matienzo plures referens *num.* 30. Tiraquellus *vbi suprà, num.* 3.

## DVBIVM XXIX.

*An qui mutuauit frumentum vetus, vt sibi redderetur nouum, teneatur soluere gabellam.*

1 REspondetur, quòd si reuera fuit mutuum, de cuius ratione est, vt res mutuata quandocumque à mutuante petatur, eadem in specie, & bonitate reddatur, non debetur gabella, quia non est permutatio, sed mutuum: at si accipiens mutuo triticum obligatur ad reddendum nouum, ad quod non tenebatur ex vi mutui, est permutatio, & sic debetur alcauala. Ita docti recentiores.

DVBIVM



## DVBIVM XXX.

*Verum artifices ex venditione operum, quæ in suis officiis fiunt, gabellam debeant.*

1 ET videtur debere, quia *lib.* 9. *nouæ recop. tit.* 18. excipiuntur artifices aliqui, qui gabellam non debent, & exceptio firmat regulam in contrarium. Sit

2 Prima conclusio. Quoties is, cui opus fit, præstat materiam, ex qua opus fiat, opifex verò tantùm dat operam, nulla debetur gabella, quia est locatio operarum, & non venditio rei, vt colligitur ex *l. conuenit, & l. Sabinus, ff. de contrahend. empt.* & docet Fabianus de Monte *tract. de emptione, & venditione, quæst.* 2. *num.* 28. Hanc tenet Parlador. *lib.* 1. *de rebus quotidian. cap.* 3. §. 2. *num.* 23. 24.

3 Secunda conclusio. Quando artifex dat operam, & materiam, ex qua opus fit, debet alcaualam. Ratio, quia est venditio, vt colligitur ex eisdem legibus, & docet Fabianus *ibi*. Sic idem Parlador.

4 Tertia conclusio. Tinctores, & pictores non tenentur soluere alcaualam ex materiebus, quas applicant, & insumunt inficiendo, seu tingendo aliorum pannos, & pingendo aliena opera. Ratio, quia accessorium sequitur principale, & cùm præcipuum huius contractus sit locatio operarum, & aliud sit accessorium, totum censetur locatio, & non venditio. Sic colligitur ex Bart. *l.* 2. §. *adeo. ff. locati*, vbi expressè dicit, quòd per legem *item si pretio*, §. 1. *ff. eodem tit.* vbi dicit principale trahere ad se accessorium, & sic vbi principaliter in contractu venit locatio, & secundario emptio, vel venditio, totus contractus dicitur locatio. Eidem conclusioni fauet Parlador. *dicto numero* 23. ait enim opifices debere gabellam, si opera ipsa non magis ad conditionem attingant, quàm ad venditionem: atque ita obtentum fuit Granatæ sententia publica, lite super hac remota.

## DVBIVM XXXI.

*An vendentes aquam, vel niuem, gabellam debeant.*

1 SIt conclusio. Vendentes aquam non debent gabellam, at vendentes niuem, debent. Ratio, quia aqua venalis non est, cùm omnibus sit communis. Vnde aquatores non tam aquam vendere, quàm asportandi operam locare videntur: at nix etsi dum ningit, omnibus patet, at dum est vsui, non omnibus illius copia datur, sed illis duntaxat, qui illam in tempus reposuere; quare non tantùm ipsa opera seruandi, sed etiam ipsa nix venditur, ac proinde fit, vt aquatores alcaualam non debeant ex aquæ venditione, at vendentes niuem debeant. Sic Parlad. *lib.* 1. *de reb. quotid. c.* 3. §. 2. *n.* 25.

## DVBIVM XXXII.

*Virum ex venditione earum rerum, quæ pro animæ expiaculo relictæ fuerunt, vel ex venditione reddituum beneficijs facta per conductorem, debeatur gabella.*

1 SIc prima conclusio. Ex venditione earum rerum, quæ pro animæ expiaculo relictæ fuerunt, non debetur gabella. Sic Bertach. *tract. de gabellis*, 8. *p. memb.* 5. *n.* 5. Parlad. *lib.* 1. *de reb. quotid. c.* 3. §. 1. *n.* 18.

2 Secunda conclusio. Conductores reddituum beneficiorum, quando postea hos redditus vendunt, debent gabellam. Ratio, quia licèt clerici, vendentes hos reditus, non debeant gabellam, at conductores postea vendentes non gaudent tali priuilegio. Sic colligitur ex *lege dicitatio*, §. *fin. de public. & vectig.* & eam tenet *ibi* Barth. Antibolus *de muneribus*, 3. *part* §. 1. *n.* 71. Boërius *decis.* 213. *n.* 19. Parl. d. *dicto* §. 1. *n.* 17. Castillo 13. *Tauri*, Tit. Sanchez *Consil. moral. Tom.* I.

*n.* 10. Ant. Gabr. *tom.* 1. *commun. opin. lib.* 7 *fol.* 458. *pag.* 1. & alij innumeri, quos refert, & sequitur Tiraquell. *de retractu*, §. 1. *glossa* 11. *num.* 12.

3 Tertia conclusio. Lite super Ecclesiastico beneficio pendente, si fructus sequestro commissi fuere laïco, & is fructus vendat, non debet gabellam. Ratio, quia is non suo, sed alieno nomine vendit, & Ecclesiæ negotium gerit, *lege licet. ff. depositi.* & tradunt Doctores *c. examinata, de iudiciis, & Clem.* 1. *de sequestrat.* Sic Parlador. *dicto* §. 1. *num.* 18. & est conclusio certissima.

## DVBIVM XXXIII.

*An ex contractu dotis, & ex diuisione hæreditatis inter hæredes, quando pretium interuenit; debeatur gabella.*

1 NOta absque controuersia esse, non deberi gabellam ex contractu dotis, vel diuisione hæreditatis, id enim expressè definitur *l.* 35. *tit.* 18. *lib.* 9. *nouæ recop.* vbi sic dicitur, *Mandamos, que no se pague alcauala de las cosas, que se dieren en casamiento, quier sean bienes muebles, o raizes y de los bienes de los defunctos, que se partieren entre sus heredos, aunque inter vengan dineros, y otras cosas entre los tales heredos para se igualar.* Hæc *ibi*.

2 Sed circa dotem dubitatur, an quando res in dotem datæ fuerint æstimatæ, debeatur gabella? & videtur deberi, quia æstimatio facit emptionem, & venditionem, *l. quoties, C. de iure dotium.* & fauent huic sententiæ plures, quos refert, & sequitur Tiraquell. *de retractu* §. 1. *glossa* 14. *n.* 108. & 109. dicentes ex dote æstimata deberi laudemium, & esse locum in illa retractui ratione propinquitatis, quem lex statuit esse in venditione: immo Matthæus de Afflictis, quem refert, & sequitur *ibi* Tiraquell. *num.* 109. dicit, licèt lege caueatur in dote non esse locum retractui, erit locus, quando dos datur æstimata, quia tunc censetur emptio, & liber erit maritus, si soluto matrimonio reddat pretium. Sit tamen

3 Prima conclusio. Licèt dos detur viro æstimata, quando ab initio in ipso dotis contractu de bonis æstimandis, conuenit, non debetur gabella. Probatur, quia de rebus non æstimatis in dotem datis clarum erat non deberi gabellam, cùm non sit ibi venditio, vel permutatio, & ius Hispaniæ in his solis duobus contractibus gabellam imponat: ergo doris fauore vult lex, vt etiam rebus æstimatis in dotem datis gabella non debeatur, cùm leges semper loqui intelligendæ sint in casu magis ambiguo, & difficili. *lege* 1. *ff. ad municip. l. quod Labeo, ff. de Carb. edict.* aliàs nullum ptiuilegium concederet hæc lex doti. Hanc tenet Parlad. *lib.* 1. *de rebus quotid. cap.* 3. §. 6 *num.* 42.

4 Secunda conclusio. Et si à principio de bonorum æstimatione nil actum sit, sed in pecunia numerata dote promissa, postea pro pecunia illa res æstimatæ datæ fuerint, non debetur gabella. Ratio, tum quia verba *dicta lege* 35. latè patent, dicunt enim, *No se pague alcauala de las cosas, que se dieren en casamiento, quier se an muebles, quier raizes.* At res æstimatæ in dotem datæ dotales sunt, *l. in rebus, C. de iure dotium.* Tum etiam, quia vt *suprà* diximus, ex datione in solutum non debetur gabella, & hæc est datio in solutum. Hanc tenet Parlador. *ibidem*, & affert alia in eius comprobationem: fauet Iason *l. finali, C. de iure emphyt. q.* 9. vbi ait, in hoc casu non deberi laudemium.

## DVBIVM XXXIV.

*An quando ad diuisionem faciendam admissa extranei licitatione, ei res addictæ fuerit, debeatur gabella.*

1 CIrca alium casum exceptum *l.* 35. *tit.* 18. *libro* 9. *nouæ recopil.* in quo non debetur gabella, scilicet

Universidad de Deusto
Biblioteca



in bonis, quæ inter hæredes diuiduntur, etiamsi vltro, citróque ad diuisionis faciliorem exitum pecunia data fuerit, dubitatur an hæc lex locum habeat, quando ad diuisionem faciendam admissa extranei licitatione ei res addicta fuerit, & sic tunc non debeatur gabella: videtur enim tunc deberi gabellam; tum quia hæc est vera venditio extraneo facta; tum etiam, quia ex *suprà* dictis, quando bona propter aliquod debitum adiudicantur ipsi creditori, non debetur gabella; at quando adiudicantur alij extraneo, debetur: ergo cùm in hoc casu adiudicentur bona hæreditaria cuidam extraneo, debebitur gabella.

2 Sit conclusio. Probabile est etiam in hoc casu non deberi gabellam: tum quia *dicta l.35.* generaliter, & latè loquitur: tum quia hæc est alienatio necessariò, *l. si pignori. ff. famil. herciſc.* at ex alienatione, & venditione necessaria (vt *suprà* probaui) non debetur gabella. Sic Parlad. *lib.1. de rebus quotid.c.3.§.6.num.43.* Et quòd plures habentes emphyteusim, si diuidant inter se, non debeant laudemium, eo quòd est alienatio necessaria, docent Guiller. & Bart. quos refert, ac sequitur Iason *l. fin. C. de iure emphyt. num.47.*

3 Ad rationem in contrarium factam respondet optimè Parlad. quòd quando venduntur authoritate iudicis alicui extraneo bona ad soluendum creditori, non est alienatio omnino necessaria; quia voluntarium principum habuit: nam debitor sua voluntate æs alienum contraxit; at necessaria alienatio non dicitur, quæ habuit principium voluntarium, vt docet multa iura allegans Baldus *consil. 20. dub. 2.* & Tiraquellus *de retractu lignagier, §.1. glossa 14. n.15.16.* at in nostro casu necessitas voluntariū principiū non habuit, sed casu hæredes in hunc contractum incidetunt; at ea necessitas solùm à gabellis excusat, quæ necessarium principium non habuit. Sic respondet Parlad.

## DVBIVM XXXV.

*Circa eundem casum, an si in diuisione hæreditatis hæres alteri hæreditatis suæ portionem vendiderit, & in diuisione cum empiore hæreditatis, & hæredibus pecunia interceſſerit, debeatur gabella.*

1 SIt prima conclusio. Ex venditione hæreditatis, quam hic hæres facit, clarum est deberi gabellam. Ratio, quia est vera venditio, & voluntaria. Sic Parlad. *lib.1. de reb. quotid.c.3.§.6.n.43.*

2 Secunda conclusio. Licèt in diuisione hæreditatis inter emptorem huius portionis hæreditariæ, & alios hæredes pecunia interceſſerit, non debetur gabella. Probatur, quia ex diuisione hæreditatis inter hæredes etiam intercedente pecunia non debetur gabella, ex *l.35. tit. 18. lib.9. nouæ recop.* sed hic emptor vtilis hæres est, *l. etiam §.1. ff. de hæred.* & succedit omnino loco hæredis; ergo, Sic Parladorus.

## DVBIVM XXXVI.

*Circa eundem casum, an si fratres bona hæreditaria diuiſerunt, & poſtea, aliquibus diebus interiectis, bona permutarunt, debeatur gabella.*

1 SIt conclusio. In hoc casu debetur gabella ex tali permutatione. Ratio, quia, cùm diuisio iam fuerit omnino perfecta, hic est alter nouus permutationis contractus. Sic Parlad. latiùs probans *lib.1. de rebus quotid.c.3.§.6.n.44.*

## DVBIVM XXXVII.

*An ex venditione, vel permutatione inualida, vel nondum perfecta, vt quia conditionalis, vel pretium non est ſolutum, vel res non est tradita, debeatur gabella.*

1 SIt prima conclusio. Ex venditione, vel permutatione inualida non debetur gabella. Ratio, quia id, quod nullum est perinde est, ac si factum non fuisset. Sic Bald. *lege finali, C. de enuch.* Iason *lege finali, paragrapho sed quæra, numero 8. C. communia de legat.* Tiraquellus plures referens *de retractu lignagier, paragrapho 1. gloſſ. 2. numero 7.* & *de retractu conuent. §.6. gloſſ. 2. num. 5.6.* Auendaño *reſponſo 13. n.3.* Parlador *lib.1. de reb. quotid. c.3.§.3. n.35.* Matienzo *lib.5. ordinament. tit. 11. l.7. gloſſ.3. n.20.* Pinellus *l.2. C. de reſcindenda venditi. 2. p. cap.3. num.35.*

2 Hinc fit, si talis contractus nullus postea ratificetur, & fiat validus, non debebitur gabella illi publicano, qui erat venditionis tempore, sed illi, qui erat tempore ratificationis. Ratio, quia tunc censetur facta venditio. Sic docet plures referens Tiraquell. *de retractu lignagier, §.1. gloſſ.10. n.70.*

3 Secunda conclusio. Ex venditione, vel permutatione nondum perfecta non debetur gabella, donec perficiat. Ratio, quia actus nondum perfectus, cùm nondum habeat esse, nil operatur. Item, quia, cùm hæc res sit odiosa, restringenda est, ac proinde antequam contractus perfectus omnino sit, non debebitur. Sic Bertach. *tract. de gabellis, 8. part. memb. 3. quæſt. 43.* Parlad. *dicto c.3.§.3. n.35.* Hinc

4 Infertur primò, si venditio, vel permutatio sub conditione fiat, non antea gabella debebitur, quàm conditio extiterit, *lege hac venditio, ff. de contrahend. empt.* Ratio, quia venditio conditionalis tunc demum petitur, cùm impleta conditio fuerit, vt colligitur ex *dicta lege hac venditio.* Sic Parlador. *eodem numero 35.* Bertachinus *eodem tract. 6. part. numero 1. & 4.* Salzedo *in additione ad regulam 116.* Bernardi Diaz, Ant. Gomez *tomo 2. variar. cap. 11. numero 30. verſ. tertius effectus.* Baldus, Firmianus, & alij plures, quos refert, & sequitur Tiraq. *de retractu lignagier, §.1. gloſſa 10. num 46. 47. 48. 49.*

5 Nota tamen, quòd conditione existente gabella pertinebit ad publicanum, qui erat tempore contractus, non verò ad eum, qui est tempore existentis conditionis *lege potior. ff. qui potior. in pign. hab.* Est est ratio, quia tempore contractus, & non tempore existentis conditionis celebrata est venditio, licèt complementum, & perfectionem acceperit tempore conditionis. Sic plures, quos refert, & sequitur Tiraquell. Parlador. Berthachin. Salzedo, Ant. Gomez *ibidem*, Auendaño *reſponſo 29. num.1.*

6 Vnde optimè inferunt aliqui, quòd si ex statuto non debeat solui gabella ex contractu celebrato in nundinis, si in illis conditionalis contractus fuerit celebratus, cuius conditio extet post nundinas, gabella non debetur, inspecto tempore contractus, non conditionis; quia tempus contractus, & non tempus conditionis inspiciendum est, priori enim tempore contractus initus est. Sic latè probans, & referens Firmianum, Baldum, Franciscum Aretinum, Salzedo *vbi suprà* Tiraquellus *dict. num.46.*

7 Secundò infertur ex permutatione non deberi gabellam, antequam res, quæ permutatur, tradatur. Ratio, quia permutatio est contractus, qui rei interuentu, & traditione perficitur, *l.1. ff. de rerum permutat.* Sic Parlador. *dicto num. 35.* vbi etiam bene notat cum Ant. Gomez *tomo 2. var. cap. 8. num.1. verſ. tertius effectus*, quòd re postea tradita, gabella pertinebit ad eum publicanum, qui erat tempore conuentionis, non verò ad eum, qui erat tempore traditionis, quia priori tempore de permutatione conuentum est, licèt posteriori perfecta fuerit.

8 Tertiò infertur, quando partes in ipso contractu, vel antè conueniunt, vt scriptura fiat, non debebitur gabella donec fiat scriptura: & facta scriptura, pertinebit gabella ad publicanum, qui est tempore scripturæ, non verò ad eum, qui erat tempore contractus. Ratio, quia nec venditio, nec alius contractus valet hoc casu; antequam fiat scriptura, *l. contractus. C. de fide instrument. l.6. titul.5. part.5.* vbi & Gregor. Lopez. Sic docet Anton. Gomez, alios referens *tomo 2. variarum cap.2. num.17.* secus (inquit) quando contractu iam perfecto, & absolutio conueniunt partes, vt fiat scriptura; quia tunc non requiritur scriptura, vt contractus valeat, sed vt possit probari; vt etiam docet glossa *d. l. contractus*, & Gregor. Lopez optimè limitat primum dictum, quòd venditio non valeat antequam fiat scriptura, quando partes in ipso contractu conueniunt, vt fiat scriptura, quòd hoc habeat verum, nisi ex aliquibus coniecturis constaret de partium intentione non fuisse, velle contrahere in scriptis, sed tantùm voluisse scripturam ad probationem.

9 Vltima conclusio. Quando venditur aliquid pecunia credita, non debetur gabella, donec pretium soluatur. Ratio, quia gabella de illo pretio soluto præstanda est; ergo non debetur ante pretij solutionem: sicut colonus ante fructus perceptos mercedem soluere non cogitur, si aliud non conuenit. Sic Alexand. *l. in lege falcidia. ff. ad legem falcid.* Xuarez *l.1. tit. de las arras, n.9.* Parlador. *lib.1. de rebus quotid. cap.3. §.7. n.48.* & sic dicit intelligendam *l.31. tit.19. lib.9. nouæ recopil.* quæ quinque dies vectigali soluendo præscribit, scilicet nisi habita fide pretij venditio facta fuerit.

10 Hinc infertur minus rationi consonam esse sententiam Bart. *dicta l. in lege falcidia*, & Auendaño *reſponſio 29. n.1.* dicentium statim deberi gabellam ex venditione pecunia credita facta.

## SVMMARIVM.

38 *An si quis non recipit pretium rei venditæ, teneatur ſoluere gabellam.*

39 *An ex venditione iam perfecta, partimque deinde conſenſu diſſoluta debeatur gabella? & esto debeatur, an duæ debeantur, altera venditionis, & altera diſſolutionis.*

40 *An quando non ex partium conuentione, ſed legis beneficio reſcinditur contractus, debeatur gabella.*

41 *De qua quantitate ſolui debeat gabella.*

42 *Quo in loco ſoluenda ſit gabella, quando alibi venditio fit, & alibi res traditur maximè in impoſitione cenſus fit, & alibi res traditur maximè in impoſitione cenſus quando alibi cenſus imponitur, & alibi eſt fundus, per quem cenſus conſtituitur.*

43 *An liceat alicubi, vbi gabellæ ſoluuntur, ad excuſandam alcaualam paciſci de tradenda re vendita in alio loco à gabellis empto.*

44 *An pro his, quæ ad vſum proprium, & ſuæ familiæ deferuntur, debeatur aliquod vectigal.*

45 *An tributum, quod vulgo ſiſa, latinè verò aſſiſium dicitur, ſit iuſtum.*

46 *An qui aliquid emit ad proprium vſum, & poſtea mutato propoſito vendit, debeat vectigal, id eſt, portazgo, impoſitum portantibus aliquid ad vendendum.*

47 *An ex venditione rerum non lucri, aut negotiationis cauſa facta, ſed ad ſubueniendum propriis neceſſitatibus debeatur alcaualà.*

48 *An ille, cui Rex debet aliquam pecuniæ ſummam, nec alia via poteſt recuperare, poſſit ſibi ſatisfacere, non ſoluendo gabellas, aut alia vectigalia, etiamſi hæc conducta ſint.*

49 *An clerici minorum ordinum habeant gabellas, vel quænam alia vectigalia, vel tributa.*

50 *An clerici ſint etiam immunes à gabella, quam alcaualam vocant.*

51 *An clerici debeant gabellam de iis, quæ caſu negotiationis portant, vel vendunt.*

52 *An clericus negotiator cogi poſſit à iudice ſeculari ſoluere gabellam, vel ad id cogendus ſit ab Eccleſiaſtico.*

53 *An clerici coniugati, mortua vxore, gaudeant immunitate ſolutionis gabellarum, & omnibus aliis priuilegiis clericalibus, ſicut clerici primæ tonſuræ nomen conſugati.*

54 *An ſecularis emens vinum, & carnes ſuæ familiæ, in qua ſint aliqui clerici vt ſi habet filium clericum, vel capellanum, debeat integrè aſſiſium, id eſt, ſiſa, ſuper illis rebus impoſitum.*

55 *An teneantur Eccleſiaſtici ad tributum impoſitum pro iis, quæ concernunt vtilitatem communem laicorum, & clericorum, & pia ſunt, vt ad conſtructionem, vel refectionem pontium, viarum, murorum, vel de calçadas, fontium, vel ad vigilandum, & cuſtodiendum oppidum ab hoſtibus, peſte, &c.*

56 *An Epiſcopi peccent mortaliter non denunciantes excommunicatos laicos iniuſtè exigentes gabellas à clericis.*

57 *An Eccleſia, & clerici teneantur ad ſoluendum tributum annexum rei, quæ pernenit ad Eccleſiam.*

58 *An milites S. Iacobi, S. Ioannis, Calatraua, & Alcantaræ, quos vulgò* Comendadores, *appellamus ſint immunes à ſolutione gabellarum.*

59 *An locatis gabellis alicui publicano, ſi is, qui locauit, vendat aliquid, vel commutet, debeat gabellam.*

60 *An princeps poſſit aliquos eximere à tributis, vt eximit nobiles ab aſſiſio, & collectis, id eſt,* pecho, *& poſſit tales nobilitates, id eſt,* hildalguias, *vendere.*

61 *Quantum duret priuilegium exemptionis à gabellis per Principem conceſſum.*

62 *An qui in rei veritate non eſt nobilis, ſed reputatur ab aliis vt nobilis, & ideo non exigitur ab illo tributum, quod collecta, id eſt,* pecho, *dicitur, ſit tutus in conſcientia.*

## DVBIVM XXXVIII.

*An si quis non recipit pretium rei venditæ teneatur ſoluere gabellam.*

1 DVbium procedit, an casu, quo quis pretium rei venditæ non recipit, vel quia debitor fidem violauit, & effugit absque culpa creditoris, vel quia proueneta, aut aliquis alius, cui res quædam vendenda fuit commissa, rem vendidit, & pretio accepto aufugit priusquam ad manus domini rei venditæ perueniret, teneatur soluere gabellam. Et videtur teneri saltem in hoc posteriori euentu, cùm iam acceperit pretium per manum procuratoris, cui rem suam commisit vendendam, sitque accidentarium, quòd hic pretio accepto disparuerit, sicut esset, si pretium quidem accepisset ipse dominus rei, & ex sua ipsius arca surripueretur, in quo casu manifestum est teneri soluere gabellam. Sit

2 Prima conclusio. Probabile est venditorem, qui absque propria culpa non recepit pretium rei venditæ, eo quòd debitor fidem violauerit, & effugerit, non soluere alcaualam. Probatur, quia (vt dixi *dub. præcedent.*) gabella non debetur donec recipiat pretium; ergo si absque culpa creditoris nunquam recipitur, nunquam alcaualà debebitur. Sic colligitur ex Doctoribus citatis *dub. preced. concl. vltima*, quia ex illa conclusione hæc apertè sequitur; & idem tenent docti recentiores.

3 Secunda conclusio. Satis probabile est, & æquitati conforme, quòd qui rem aliquam alteri tradidit vendendam, & hic pecunia accepta aufugit, non tenetur ad gabellam, quandiu non receperit suam pecuniam, maximè si id absque propria ipsius culpa contigisset, eo quòd rem illam ei tradiderit vendendam, qui dignus, vt ei adhiberetur fides, reputabatur. Ratio est, quia apparet valde rigidum, illum cogere ad soluendum gabellam, cùm rem simul, & eius pretium amiserit. Rursus, quia re vera hic venditor nondum recipit pretium, nec potest recipere, & hoc absque culpa sua: ergo non est compellendus soluere alcaualam. Sic senserunt viri docti.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXXIX.

*An ex venditione iam perfecta, partimque deinde consensu dissoluta, debeatur gabella? & isto debeatur, an duobus debeantur, altera venditionis, & altera dissolutionis.*

1 AD clariorem resolutionem oportet aliqua fundamenta supponere. Sit

2 Primum fundamentum, contractus dupliciter potest dissolui, scilicet in continenti, hoc est, antequam contrahentes ad extraneos actus diuerterint, aut ex intervallo.

3 Secundum fundamentum, quando contractus ex interuallo dissoluitur, potest etiam dupliciter dissolui, aut ex pacto ab initio in ipso contractu apposito, aut non ex tali pacto, sed ex noua conuentione.

4 Tertium fundamentum, tria sunt pacta, quæ ipsi contractui possunt adiici, propter quæ venditio dissoluatur. Hæc autem sunt pactum legis commissoriæ, vt cùm vendo Petro domum, & eam trado ea lege, vt si intra certum terminum non soluerit pretium, res sit inempta. Item pactum adiectionis in diem, vt cùm vendo Petro domum, & eam trado hac lege, vt si intra certum tempus alius meliorem conditionem maiúsve pretium obtulerit, res sit inempta. Item pactum retrouendendi, quod est, cùm vendo Petro domum ea lege, vt quoties intra certum tempus obtulero eidem Petro pretium, res sit inempta. Hæc autem tria pacta dupliciter possunt concipi, & apponi, scilicet verbis directis, quando scilicet apponuntur verbis importantibus contractus resolutionem ipso iure, vt res sit inempta, vel infecta, vel habeatur contractus pro infecto; vel illis verbis, quæ executionem facti significant, & supponunt resolutionem ipso facto, vt si dicatur quòd in defectum solutionis possit venditor sine iudicis ministerio rem ipsam possidere, & capere, & frui propria authoritate. Secundò possunt apponi, & concipi verbis obliquis, vel etiam dubiis, quæ scilicet non significant resolutionem contractus ipso iure, vt si dicatur, si non solueris, res vendita reuertatur, redeat, pertineat, &c. Hæc optimè explicant plures textus, & Doctores allegantes Couarru. *lib. 3. variar. cap. 8. num. 1. 2. 3.* Anton. Gomez *lib. 2. variar. cap. 2. numero 30.* Matienzo *lib. 5. ordin. titul. 11. l. 7. glossa 3. num. 21.*

5 Quartum fundamentum, hoc distat inter hæc pacta, & quando fiunt verbis directis, & obliquis, quòd quando contractus resoluitur ex pacto legis commissoriæ, vel adiectionis in diem verbis directis appositio, non impleta conditione, statim transit dominium in venditorem ipso iure absque alia traditione, & perinde est, ac si contractus nunquam factus fuisset: quando verò verbis obliquis, tunc non transfertur dominium ipso iure in venditorem, nec ipso iure resoluitur contractus. Sic probant ex pluribus textibus, & Doctoribus Couarr. Matienzo, Anton. Gomez *ibidem*. In pacto verò retrouendendi verbis directis appositio non vsquequaque certum est, an transferatur dominium statim, & contractus resoluatur; sed duæ sunt opiniones communes, altera affirmat, & altera negat, quas refert cum suis authoribus, & fundamentis Couarr. *vbi supra*; dicit tamen Couarr. & latè probat *eodem lib. 3. variar. cap. 9. n. 1. fine*, quòd fructus interim percepti ab emptore cum pacto retrouendendi etiam directis verbis concepto, sunt ipsius emptoris, & non sunt venditori restituendi.

6 Vltimum fundamentum; hæc, quæ dixi, scilicet per dicta pacta resolui contractum, intelliguntur, quando ipsa in ipso contractu, vel vt explicat Matienzo, paulo pòst apponuntur, secus verò quando ex interuallo. Sic Matienzo, Antonius Gomez, & Couarr. *dicto cap. 8. numero 1. & 2.* His suppositis, sit

7 Prima conclusio. Quoties contractus dissoluitur incontinenti, id est, antequam contrahentes ad extraneos actus diuerterint, nulla gabella debetur. Ratio, est, quia perinde tunc est, ac si nihil actum esset. Hanc tenet Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. cap. 3. §. 4. num. 37.* Anton. Gomez *lib. 2. variar. cap. 2. n. 31.* & dicit esse communem sententiam. Tiraquell. plures referens *de contract. condition. §. 6. gloss. 2. num. 11.* Matienzo *vbi supra n. 23.* licèt contrarium doceat Menchaca *lib. 1. controuers. frequent. cap. 11. n. 20.*

8 Secunda conclusio. Quoties contractus ex interuallo dissoluitur, si dissoluatur ex pacto ab initio ipsi contractui adiecto, quod pactum ipso iure dissoluit contractum, vt sunt pactum legis commissoriæ, & adiectionis in diem, iuxta dicta 3. & 4. fundamento, quando verbis directis apponuntur, nulla prorsus gabella debetur; & si soluta est, repeti potest. Ratio, quia contractus erat veluti conditionalis, & pendens ex futuro euentu, & sic gabella nulla debebatur, donec eueniret conditio in pacto opposita: vt docet optimè plures referens Tiraquell. *de retractu conuent. §. 6. glossa 2. n. 4.* ergo si talis conditio defuit, nulla gabella debetur. Item quia cùm contractus tunc ipso iure resoluatur, & fuit initio appositum pactum, vt ipso iure resolueretur, & est, ac si penitus factus non fuisset. Sic Parlad. *vbi supra*, Matienzo *vbi supra, n. 21.* Tiraquell. *de retractu conuention.* plurimos referens. *§. 6. glossa 2. n. 19. 20.* & est communis sententia.

9 Hinc infertur minus bene sensisse Antonium Gomez *dicto num. 31.* & Menchacam *vbi supra, n. 21.* dicentes in casu huius secundæ conclusionis deberi gabellam ex contractu, non tamen ex dissolutione contractus: at verior est nostra conclusio, asserens nullam prorsus deberi gabellam, vt satis probatum est.

10 Tertia conclusio. Quoties contractus dissoluitur ex iisdem pactis contentis in secunda conclusione, verbis tamen obliquis appositis, debetur vnica gabella, scilicet ex contractu, non autem ex dissolutione contractus. Probatur prima pars, quia eo casu contractus fuit ab initio omnino perfectus, & non dissoluitur ipso iure. Probatur secunda pars, quia non est nouus contractus, sed dissolutio prioris. Sic Tiraquellus, Matienzo, Anton. Gomez, Menchaca *vbi supra*, & colligitur ex doctrina Parladorij *vbi supra*.

11 Quarta conclusio, Si contractus resoluatur ex pacto retrouendendi initio contractus appositio, tunc debetur vnica gabella, scilicet ex contractu; at ex resolutione contractus non debetur gabella. Probatur vtraque pars eadem ratione, qua probata est tertia conclusio. Sic Parlad. *vbi supra*, Matienzo *supra n. 22.* Anton. Gomez *vbi supra*, & refert Angelum, Paulum, Immolam, Romanum, & alios. Idem docet plures referens Pinellus *l. 2. C. de rescind. 2. p. c. 3. n. 36.* Tiraquell. plures etiam referens *dicto n. 20.*

12 Nota conclusionem hanc esse certam, quando pactum retrouendendi esset dispositum verbis obliquis, quia, vt constat ex quarto fundamento, non dissoluitur contractus ipso iure; at quando fuisset appositum verbis directis, aliquantulum dubia est conclusio, vt optimè Tiraquell. *dicto n. 20.* quia tunc dubium est, an resoluatur contractus ipso iure, vt dixi *quarto fundamento*; & sic Boërius *consil. 3. ad finem*, dicit hoc esse ius ad gabellam quæsitum est publicano. Probatur prima pars, quia ea venditio fuit omnino perfecta, & valida, licèt possit emptor eam rescindere; & eo casu non debetur gabella. Sed adhuc probabilius est deberi vnicam gabellam; tum quia frequentior sententia est, non dissolui contractum ipso iure: tum quia eo casu venditione rescissa ad fructus ad emptorem pertinent, vt dixi *in vltimo fundamento*; & sic cùm venditio non ita funditus rescissa sit, quin aliquem effectum habeat, probabilius est deberi gabellam. Sic Parlad. Matienzo *vbi supra*; & in hanc magis inclinat Tiraquellus *dicto num. 20.*



*num. 20.* & colligitur ex Pinello, Antonio Gome, & aliis per eum relatis, qui absolutè, & absque distinctione affirmant nostram quartam conclusionem.

13 Quinta conclusio. Quando hæc omnia pacta non statim, seu paulo pòst, sed interuallo apponuntur, idem censendum est, quoad deberi vnicam, vel gabellas, quod quando penitus non apponitur aliquod pactum; de qua re dicam *sequenti conclusione*. Ratio, quia quando ex interuallo apponitur pactum, prima venditio fuit absoluta, & pura, & sic quando postea dissoluitur, censendum est, sicut quando venditio absoluta, & pura dissoluitur. Sic Matienzo *vbi supra n. 23.*

14 Sexta conclusio. Si dissolutio contractus fiat ex interuallo, & non ex pacto ab initio posito, sed ex noua, & mutua partium voluntate, tunc ex primo contractu debetur gabella; quia iam fuit ius quæsitum Regi, & ius semel Regi quæsitum non potest partium conuentione tolli; ex resolutione verò tunc debetur noua gabella, cùm ex ea nouus contractus efficitur; secus quando non fit nouus contractus, sed fit resolutio per actum retrocedentem. Sic Parlad. Tiraquell. Anton. Gomez, Menchaca, Pinellus *vbi supra*, Matienzo *dicto n. 23.* Hinc

15 Infertur primò, si resolutio contractus fiat post rem vtrinque perfectam, & ex interuallo, scilicet post rei traditionem, & pretium solutum, deberi ex resolutione gabellam. Ratio, quia emptor per priorem venditionem puram, & omnino perfectam, factus est dominus irreuocabiliter; quare spontaneus, & vltroneus ab eo contractu discessus vim habet alterius nouæ venditionis, Sic Matienzo, Menchaca, Pinellus *ibidem*, Guillerm. Albert. Angel. Firmianus, Pinellus, Castrensis, Baldus, relati per Matienzo.

16 Secundò infertur, si resolutio fiat ante rei traditionem, non debetur ex resolutione gabella; quia cùm contractus non fuerit omnino perfectus, non censetur resolutio ipsius noua venditio. Sic Matienzo, Anton. Gomez, Menchaca *ibidem*.

17 Tertiò infertur, si facta est traditio, sed pretium non est solutum, ex resolutione non debetur gabella; quia cùm prior venditio non fuerit vndequaque perfecta, resolutio hæc non censetur noua venditio. Sic Menchaca *ibidem*.

18 Vltimò infertur, si in omnibus his casibus conueniret de resolutione contractus, aliquo addito, detracto, vel mutato, circa rem, vel circa pretium, iam aperte esset nouus contractus, & deberetur noua gabella. Menchaca *ibi*.

## DVBIVM XL.

*An quando non pretium conuentione, sed legis beneficio rescinditur contractus, debeatur gabella.*

1 SIt prima conclusio. Quando contractus rescinditur propter morbum, aut vitium rei, vt animali propter morbum, vitiúmve redhibito, vel prædio redhibito, quia pestilens est, aut lethiferas habet herbas, non tenetur publicanus reddere gabellam sibi ex priori venditione solutam; sed venditor eam amittet; & si emptor ex pacto forte soluit gabellam, tenetur venditori eam sibi restituere: patet ex *l. debet. ff. de ædil. edict.* Probatur prima pars, quia ea venditio fuit omnino perfecta, & valida, licèt possit emptor eam rescindere; & sic ius ad gabellam quæsitum est publicano. Probatur secunda pars, quia is venditor tenetur totum pretium restituere emptori, & seruare illum indemnem; at illa gabella ab emptore ex pacto soluta, fuit pars pretij, quo rem emit. Sic Bald. *l. si prædium, C. de ædil. act.* Bertachinus *de gabellis 8. p. memb. 3. n. 33.* Tiraquell. *de retractu conuention. §. 6. glossa 2. n. 16.* Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. c. 3. §. 5. n. 39.*

2 Secunda conclusio. Si contractus rescindatur propter læsionem vltra dimidium iusti pretij, tunc gabellam solutam publicano non tenetur is restituere. Ratio, quia valida, & perfecta fuit venditio, licèt rescindi possit ab emptore. Sic Parlador. *ibi n. 40.* Bald. & Firmianus, quos refert, & sequitur Pinellus, *C. de rescindend. vendit. l. 2. 2. p. c. 3. n. 35.*

3 Tertia conclusio. Gabellam sic solutam tenetur venditor suo periculo, & iactura perdere, quia sic emptorem circumuenit: & si emptor circumuenerit venditorem emendo infra dimidium iusti pretij, tenetur eam gabellam restituere venditori. Ratio, quia causam damni dedit. Sic Pinellus *n. 38.* & licèt videatur Parlador. *dicto n. 40.* contrarius, non tamen est, quia Parlador. loquitur, quando bona fide contraxit, qui circumuenit alterum, & læsionem ignorauit; cùm enim valde alienum sit à contractu bonæ fidei, vt quis ab eo discedat cum alterius iactura, damnum gabellæ solutæ spectabit ad actorem, qui contractus rescissionem postulauit: vt sic alter qui bona fide contraxit, nec factus locupletior remanet, immunis reddatur, & qui vult discedere à contractu, tenebitur alterum reddere immunem, & sic gabellam, quam solueret, ei restituere. Sic Parlad. *ibi*.

4 Quarta conclusio. Quando contractus rescinditur doli mali, metúsve causa, gabellam solutam pertinet restituere ad eum, qui dolum, metúmve fecit; quia cùm in culpa fuerit, tenetur ad damnum: & patet etiam ex *l. illud. ff. quod metus causa, & l. arbitrio. ff. de dolo.* Sic Parlad. *n. 41.*

5 Vltima conclusio. Si minor aduersùs venditionem, cuius nomine gabellam soluerat, restituatur, restituet ipsi minori gabellam solutam publicanus, restitutio enim hæc omnia in pristinum statum redigit, *l. quod si minor, §. restitutio ff. de minoribus, & l. 1. C. de reputat.* Sic Parlad. *eodem n. 41.*

## DVBIVM XLI.

*De qua quantitate solui debeat gabella.*

1 DVbium est, an in facienda computatione gabellæ soluendæ priùs deducendæ sint impensæ in venditione factæ, vt in subhastationibus, & proxenetis. v. g. vendidit quis quandam domum mille aureis, & in venditione expendit mille marauetinos inter proxenetam, & præconem, &c. dubitatur an sit soluturus ex omnibus mille aureis alcaualam, vel non, sed post exceptos ex illis mille aureis dictos mille marauetinos.

2 Hac in re alij dicunt priùs deducendas esse impensas, vt est videre apud Iasonem, *l. fructus, ff. soluto matrim.* & tenet Bertachinus *in Dictionario, verbo Gabella*, & Anton. Gomez 1. *tomo communium lib. 7. folio 458. pag. 1.* Alij verò contra id negant, vt est videre apud Campezium *de dote 2. p. q. 12.* Alij distinctione vtuntur, vt est videre apud Tiraquell. *de retractu lignagier*, §. 15. *glossa 1. n. 5.*

3 Sit tamen prima conclusio. Impensæ factæ in venditione non sunt deducendæ ad soluendum gabellam de quantitate pretij. Probatur, quia *l. 1. tit. 17. lib. 9. noua recopil.* dicit, quòd soluatur de toto pretio: at impensæ rerum venditione factæ non minuunt ipso iure pretium, *l. si non sortem. §. si centum, ff. de condict. indeb. l. si ignorauerit. ff. de pignorat. act.* Item quia sic habet praxis apud Hispanos. Sic Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. c. 3. §. 7. num. 46.*

4 Secunda conclusio. Si venditor ad licitationis calorem inflandum emptori pluris licitanti aliquid promiserit, illud promissum, vulgò *prometido*, deducendum est ex pretio ad soluendum gabellam. Ratio, quia hoc promissi genus pretium diminuit, ita vt reuera

ratione

Universidad de Deusto
Biblioteca



ratione illius minoti censeatur pretio res vendi, *l. quod dicitur, ff. de impens. in reb. dotal.* Sic Bart. quem refert, & sequitur Palador. *dicto num.* 46.

5 Vltima conclusio. Si in venditione deductum fuerit in pactum, vt emptor soluat alcaualam, quod vulgò dicitur, *vendio horro de alcanala*, tunc in habenda ratione alcualæ soluendæ, totum, quod emptor soluere debet venditori, & alcaualam, quam venditor erat soluturus gabellario, pensanda sunt tanquam pretium, & ex eo toto debetur alcauala. Ratio, quia totum illud censetur pretium, cùm totum illud det emptor pro re vendita sibi, *l. debet, ff. de adil. edicto.* Sic Parlad. *ibi num.* 45.

## DVBIVM XLII.

*Quo in loco soluenda sit gabella; quando alibi venditio fit, & alibi res traditur, maximè in impositione census quando alibi census imponitur, & alibi est fundus, super quem census constituitur.*

1 HÆc quæstio certa est, quoad bona mobilia, & immobilia: nam quoad bona mobilia definitur *l. 5. tit. 17. lib. 9. nouæ recop.* vbi sic habetur: *La alcauala de los bienes muebles, se pague en el lugar, donde se hiziere la venta, si se entregaren alli, o estuuieren alli al tiempo de la venta, aunque se entreguen en otro: pero sino estuuieren al tiempo de la venta en el lugar, donde haze la venta, ni en el despues se entregaren, se pague donde se entregaren, si se entregaron en el lugar, do estauan. mas si lo que se vendiere no esta en el lugar, do se haze la venta, sino en otro, y se pone condicion en la venta, que se aya de entregar en otro lugar differente de donde estaua, y de donde se vendio, se pague en el lugar, do estauan; quando se hizo la venta, saluo si el tal lugar es frãco de alcauala, porque entonces se a de pagar en el lugar realengo, donde estas cosas se entregaren, y se este lugar no fuere realengo sino de señorio donde no pertenecen al Rey las alcaualas, se pague en el lugar realengo, mas cercano al lugar del señorio, do se entregaren.* Hæc ibi. Quoad bona verò immobilia, definitur *eodem tit. l. 9.* sic: *El alcauala de bienes raizes, que se vendieren, se otrocaren, se pague en el lugar, donde estuuieren los bienes: saluo en las heredades, que vendieren los vecinos de Seuilla, o trocaren en la dicha ciudad, o su tierra, y en lo señorios del Aljarafe, y Ribera, que las alcaualas destas, se paguen a los arrendadores de las alcaualas de las heredades de la ciudad de Seuilla.*

2 Dubium tamen est de sensibus, an gabella solui debeat in loco, vbi fit contractus, vel in loco, vbi census solutio facienda est, vel in loco, vbi sunt bona, super quibus sensus imponitur.

3 Et quòd solui debeat in loco, vbi fit contractus, probatur, quia casus omissus definiendus est iuxta dispositionem iuris communis, *l. commodissimè, ff. de lib. præt.* non enim inducenda est iuris correctio, cùm sit odiosa, absque textu expresso: sed hic casus non est definitus legibus regiis, eæ enim tantùm sermonem faciunt de bonis mobilibus, & immobilibus; at census non continentur propriè appellatione bonorum mobilium; vel immobilium, sed tertiam quandam speciem constituunt, vt docent Panormit. Alexand. Marianus, quos refert, ac sequitur Tiraquel. *de retractu lignagier §. 1. glossa 6. num.* 3. & plures alij, quos refert, ac sequitur Pinellus *de bonis mater. 1. part. rubr. num.* 42. ergo definiendus est iuxta regulas iuris cõmunis sed secundùm ius commune in loco contractus solui debet gabella, licèt alibi sit res vendita, vt docent Bald. *l. 1. C. de contrah. empt.* Iason *l. 1. C. de summa Trinit.* Panorm. *cap. fin. num.* 30. *de foro compet.* Secundò probatur, quia fundus, super quem census constituitur, non censetur vendi, sed tantùm est pignus ad solutionis redditum census securitatem, vt docet Couarr. 3. *var. c.* 11. *num.* 5. Auendaño *responso* 5. ergo non debet solui gabella, vbi est talis fundus.

4 Quòd autem solui debeat in loco destinatæ solutionis, ex eo probatur, quia ibi contrahere quisque dicitur, vbi, vt solueret se obligauit, *l. contraxisse. ff. de action. lege quæro ff. de solut.* Item Bald. *l. multum interest. ff. si quis alteri, vel sibi*, quem multi relati à Bertachino *de gabellis 6. part. num.* 8. sequuntur, docet ad soluendum gabellam spectandum esse locum destinatæ solutionis; non locum contractus, & sic in propriis terminis in nostro casu respondit quidam supremi Regij senatus causidicus, & maximi nominis, vt refert *vbi sup.* Parlad. Sed pro resolutione oportet supponere duo fundamenta.

5 Primum est, licèt annui redditus non sint propriè res mobiles, vel immobiles, at vbi ad alterutrum illorum trahendi sunt, immobilium bonorum naturam sequuntur, vt expressè haberur Clement. *exiui, de verb. sig. nific. versic. Cumque annui redditus*, & docet *ibi* glossa, *versic. cumque annui*, & plures alij, quos refert, & sequitur Tiraquell. *vbi supra num. 4. & glossa 14. numero* 120. Auendaño *de exequend. mand. Regum, 1. p. cap. 4. num.* 36. Parlador. *lib. 1. de rebus quotid. cap. 3. §. 2. n.* 51. cùm ergo in nostro casu necesse sit ad alterum horum annuos redditus redigere, vt sciamus vbi secundùm leges Regias soluenda sit gabella, reducentur annui redditus ad bona immobilia.

6 Secundum fundamentum, annui redditus illic exare censetur, vbi sunt bona, super quibus constituti sunt. Hoc colligitur ex *l. si fideicommissum, §. tractatum, ff. de iudic.* & sic tenet Simancas *de catholicis institit. tit. 9. num.* 130. Gregor. Lopez *l. 28. tit. 8. part. 5. versic. à censo, limitatione 1. in fine*, vbi annuum esse ius prædio inhærens, & Nauarr. *cap. 1. 14. quæst. 3.* quod est commentarium de vsuris, *n.* 83. vbi dicit annuum redditum inesse prædio, tanquam accidens in subiecto; & Parlad. *vbi supra n.* 52. & Panorm. *cap. querelam, de elect.* His suppositis.

7 Sit conclusio: Ex annuorum reddituum venditione ibi debetur gabella, vbi extant bona, super quibus constituuntur. Probatur ex *l. 9. tit. 17. lib. 9. nouæ recopil.* ex bonis immobilibus ibi debetur gabella, vbi ea fita sunt: cùm ergo ex primo fundamento annui redditus inter immobilia computentur, & ex secundo fundamento censeantur extare, vbi sunt bona, super quæ constituti sunt, ilic soluenda erit gabella, vbi sunt bona super quæ imposita sunt. Hanc tenet Parlad. *dicto §. 8. a num.* 49. & specialiter *num* 51. 54. Mantetrosus *in praxi, tract. 7. folio* 141. & in alia omnino simili quæstione tenet idem plures referens. & ex multis probans Tiraquellus *de retractu lignagier §. 6. glossa 1. à n.* 5. vbi concludit ex horum reddituum venditione laudemium soluendum esse domino feudi, in quo sita sunt bona huic redditui obnoxia.

8 Nota primò, in hoc casu non habendam esse rationem bonorum generaliter obligatorum, sed tantùm illorum, qui specialiter hypothecæ data sunt: quia quando bona specialiter, & generaliter obligata sunt, est habenda ratio, *l. 2. C. de pignor.* Sic Parlad. *dicto n.* 54.

9 Secundò nota, si in diuersis territoriis extent bona, super quæ census constitutus est, debet fieri solutio gabellæ pro rata. Parlad. *ibi.*

10 Tandem infertur si locus, vbi extant bona, super quæ est casus constitutus, sit immunis, non debebitur gabella. Probatur, quia ex censu debetur gabella in loco, vbi sunt bona, & non alibi; ergo quando in illo loco non debetur quia est immunis à gabellis, nullibi debebitur. Sic Parlad. *ibi.*

## DVBIVM XLIII.

*An liceat alicubi, vbi gabellæ soluuntur, ad excusandum alcaualam pacisci de tradenda re vendita in alio loco à gabellis exempto.*

1 CAsus in speciali est. Init quis Granatæ pactum cum alio, ad excusandum gabellam, de tradendis



tradendis quibusdam mulis certo pretio in ciuitate Complutensi Regali à gabellis exempta: dubitatur an hoc liceat, & an hic venditor debeat gabellam.

2 Dico primò, si totus hic contractus perficeretur Granatæ, & ibi muli sub emptoris dominio constituantur, debebitur gabella Granatæ. Probatur, quia est venditio consummata, & perfecta Granatæ, siquidem ex tunc dominium, & periculum transit in emptorem, & ex rebus mobilibus gabella debetur in eo loco, in quo venditio celebratur, & ipsæ existunt tempore celebrationis, licèt postea alibi fiat eorundem traditio: vt habetur *l. 5. tit. 17. lib. 9. nouæ recopil.* sic viri docti à me consulti.

3 Secundò dico, si contractus non fuit omnino perfectus Granatæ, quia nec dominium, nec periculum transit in emptorem, sed apud venditorem mansit eo pacto inito, vt emptor, si velit accipiat mulos in ciuitate Compluti Regalis eodem pretio inter ipsos Granatæ constituto, tunc contractus est licitus, & non debetur gabella. Ratio, quia venditio est facta in loco ab alcabulis immuni: nam de ratione emptionis, & venditionis, cùm sit contractus, est mutua obligatio, & dominium ac periculum rei venditæ debet transferri in emptorem. Sic iidem viri docti, & confert ad hoc Bertachinus *in Doctrinario, verbo Gabella*, vbi hæc dicit, gabellas vitare volentes in loco, vbi degunt, exeant distractum loci illius ad contrahendum alibi, quia sortiuntur ibi forum ratione contractus, *l. si fundus, ff. de euict. l. 2. C. quemadmodum testam. aperiantur.*

## DVBIVM XLIV.

*An pro his, quæ ad vsum proprium & suæ familiæ feruntur, debeatur aliquod vectigal.*

1 QVòd non debeatur alcauala, clarum est, cùm tantùm ea ex venditione, & permutatione debeatur, & hîc nulla intercedit venditio, aut permutatio. Sed dubium est, an aliquod vectigal imponi possit pro rebus, quæ vehuntur ad vsum.

2 In primis si ius consulamus, certum est nullum deberi vectigal de rebus, quas quis ad vsus proprios, suæ familiæ defert: vt expressè *l. vniuersi. C. de vectigal. & l. 5. tit. 7. p. 5.* & docent omnes Doctores, nomine dempto.

3 Hinc fit, quòd vectigal impositum ex aliquo statuto in genere asportantibus aliqua, non debetur ab eo, qui in suum vsum aliquid portat; quia cùm sit res odiosa, & contra ius commune, est opus, vt expressè imponatur asportantibus ad vsum proprium. Sic Iason dicens esse communem sententiam, & *l. certa §. sed & si quis, n. 7. ff. de legat. 1.* & D. Anton. Gabriel *1. tomo communium lib. 7. fol.* 458. *pag.* 1.

4 At dubium est, an consuetudine possit induci, vt vectigal aliquod soluatur ex rebus, quæ vehuntur ad vsum.

Duplex est sententia.

Prima dicit non posse, & consuetudinem esse irrationabilem. Probatur, quia iniustum, & irrationabile est plus grauare minus grauandos, scilicet pauperiores: sed si imponatur vectigal rebus portatis ad vsum, plus grauantur pauperiores, ij enim cùm pluribus indigeant ad vsum, & plura vehant ad vsum plus vectigalis soluent. Hanc tenent Host. & Bernardus, quos refert, & sequitur Angel. *verbo pedagium, numero* 3. Tabien. *ibi numero* 4. Speculum conscientiæ *tract. 2. cap.* 11. & videtur tenere apertè Caiet. *verbo vectigal, paulo post principium.* Extra hanc partem videntur esse Sotus *lib. 3. de iust. q. 6. art. vltimo, versic. causa autem*, & Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art. 3. fol.* 258. *pag.* 4. vbi videntur dicere esse iniustum gabellam soluere pro his, quæ non venduntur ad lucrum, sed ad propriis necessitatibus consulendum,

5 Secunda sententia tenet oppositum.

6 Sit conclusio. Consuetudine potest induci, vt soluatur vectigal de his, quæ vehuntur ad vsum. Probatur, consuetudo potest omne, id quod lex; sed lege potest statui tale vectigal, cùm lex humana antiqua possit per nouam cassari; ergo nec obstat ratio in oppositum adducta, illi enim satisfiet *dub. sequenti.* Sic tenet Sylvest. *verbo Gabella 3. quæst. 5.* Anglès *in floribus quæstionum theolog. 2. p. materia def. audantibus vectigalia, fol.* 237. Nauarr. summa Latina, & Hisp. *cap. 17. n.* 202. Gabr. 4. *dist. 26. quæst. 5. art. 2. ante 3. conclusionem.* D. Anton. 2. *part. tit. 1. cap. 13. §. 9.* Rosel. *verbo, pedagium, numero* 6. Immo Doctores oppositum opinantes concedunt posse imponi tale vectigal incolis ciuitatis, & non forensibus: de qua re *dub. sequenti.* Insuper conclusionem hanc tenet Metina *C. de vect. q. 15.* in multis casibus.

7 Nota tamen, quia hæc consuetudo est contra ius rationi naturali valde consonum, & ad eius iustitiam requiri causam vrgentissimam, non facilè ingerendum esse scrupulum defraudantibus huiusmodi vectigalia pro rebus ad vsum imposita; sed tunc cùm constat de eorum iustitia. Sic Driedo *de libertate Christiana, lib. 2. c. 5.* Anton. à Cord *in summa, q. 95. dub. 2. fine.*

## DVBIVM XLV.

*An tributum, quod vulgo sisa, latinè verò assisum dicitur, sit iustum.*

1 NOta hoc tributum solere imponi in carnibus, & vino, vel oleo, quæ sunt ad vsum.

2 Aliqui videntur damnare hoc triburum, & hoc multis de causis. Primò, quia exigitur pro his rebus, quæ ad vsum proprium sunt: & hac de causa illud damnarunt Doctores citati *dub. præced.* dicentes non posse pro his rebus vectigal imponi.

3 Sed ex hac causa non est iniustum hoc tributum, quia etiam pro his rebus, quæ sunt ad vsum, vectigal posse imponi, defendi *dub. præced.* & iam consuetudo præscripsit, vt hoc assisium exigatur de rebus ad vsum.

4 Secunda causa est iustitia huius tributi, quia non potest in eo seruari æqualitas proportionis, sed potiùs grauantur plus, qui minus sunt grauandi, non enim qui plus habet, aut plus lucratur, soluit plus, sed potiùs, qui magis indiget, quia diuites habent ex suo boues, & arietes, &c. Et sic euenit, vt parum emant, pauperes verò omnia debent emere, & sic plus soluent, quàm diuites: & ex hac causa censent tributum esse iniustum (licèt non loquantur de assisio in speciali;) Caiet. *verbo vectigal, paulo post principium.* Driedo *lib. 2. de libert. Christ. cap. 5. versic. 3.* Castro *lib. 1. de lege pœnali, c. 11. corol. 2. §. alterum, quod.*

5 Sed ex hac causa non est etiam iniustum; & sic defendit Metina *de rest. q. 15.* & illud defendunt docti recentiores. Ratio est, tum quia hoc est per accidens, & ex alia parte dicere possumus plus emere diuitem in vna die propter magnam familiam, & largitatem sumptuum, quàm pauperem per totum mensem, ne dicam, annum: tum etiam, quia in his assisiis sicut in alcaualis, non habetur respectus ad facultates, & opes hominum, sed quantitatem eorum, quæ venduntur, vel emuntur, vel vehuntur: vnde sicut decimæ, quæ soluuntur Ecclesiæ, de fructibus, non sunt iniustæ, eo quòd contingat pauperiores plura habere, de quibus eas soluant, quia id est per accidens: ita in præsentiarum euenit.

6 Tertia causa, & difficilior est, quòd cùm imponatur communiter assisium in vtilitatem solius ciuitatis, in qua imponitur, v. g. ad restaurationem ædificiorum illius, vel ad alios eius sumptus, exigitur à forensibus, in quorum vtilitatem non cedit: nec excusat quòd

imponatur

Universidad de Deusto
Biblioteca



imponatur authoritate Regis, cui etiam exteri subditi sunt, quia non potest Rex tributum generale, & commune imponere, nisi cedat in bonum generale, & commune. Sic Sylvest. *Gabella 3. quæst. 5.* Angel. *verbo Pedagium, num. 3.* Tabien. *num. 4.* Armill. *verbo Gabella, num. 11.* Caiet. *verb. vectigal. ad finem*, dicunt posse imponi tributum pro victualibus, modò tamen exteri illud non soluant: & Metina *C. de restit. quæst. 15.* & Iosephus Angles *in floribus quæstionum theolog. 2. part. materia de restit. defraudantium vectigalia*, dicunt assisium redundans in vtilitatem huius reipublicæ non esse exigendum ab extraneis, sed tantùm à ciuibus huius reipublicę; & sic videtur ex hac causa omnino iniustum hoc tributum. Sit tamen

7 Prima conclusio. Si hoc tributum impositum sit propter bonum commune ciuibus, & etiam exteris in illam ciuitatem confluentibus, vt ad erectionem pontis communis, vel ad reparandas vias communes, iustum est, licèt exigatur etiam ab exteris: si autem sit propter bonum huius reipublicæ, & tantùm exigatur à ciuibus, etiam est iustum. Hæc conclusio constat ex dictis, quia vnica est causa iniustitiæ, & cessat ea. Hæc tenet Metina, & Iosephus Angles *vbi suprà*, & docti recentiores.

8 Secunda conclusio. Si assisium sit institutum in bonum solius huius reipublicæ, & exigatur etiam ab exteris, non sunt obligandi ad restitutionem externi illud non soluentes. Probatur ex dictis in tertia causa, & ex Doctoribus *ibi* citatis. Item quia saltim in hoc casu est maximè dubia iustitia quoad externos, & in dubio an tributum sit iustum, non obligat, iuxta prædicta. Ita prædicti recentiores.

9 Tertia conclusio. Non etiam damnandi sunt exigentes assisium ab exteris, licèt sit institutum in bonum huius solius reipublicæ. Probatur, quia excusationem habent si est antiqua consuetudo illud imponendi absque personarum discretione. Item quia consuetudo in populis inuicem obseruatur, vt scilicet soleat assisium in isto populo exigi ab ementibus alterius populi, & è contra. Item, quia non apparet alius modus conueniens colligendi hoc tributum, quia ciuitas non debet vno modo vendere ciuibus, & exteris alio, & malè, & difficile posset sciri an sint exteri: qui ergo exigunt hoc tributum etiam ab exteris, his rationibus moti, non sunt damnandi. Id ratione antiquæ consuetudinis excusat Iosephus Angles: idem docent alij viri docti.

## DVBIVM XLVI.

*An qui aliquid emit ad proprium vsum, & postea, mutato proposito, vendit, debeat vectigal, id est, portazgo, impositum portantibus aliquid ad vendendum.*

1 Videtur debere ex *l. 5. tit. 7. p. 5.* vbi dicitur portantem causa sui vsus non debere vectigal, nisi postmodum id vendiderit.

2 Sit prima conclusio. In casu posito non debetur tale vectigal. Probatur ex *l vnica. C. de imponenda lucrat. descript. lib. 10.* vbi cùm sit imposita certa gabella quibusdam rebus, quæ transferebantur titulo lucratiuo, desinit illa lex, si contractus in suo exordio non fuerit lucratiuus, & si postea lucri titulo in dominium alicuius ceciderit, non debebitur talis gabella; quia origo, & primordium rei attendendum potiùs est. Et Platea *ibi* per illam legem hæc dicit, primordium trahit ad se sequentia, & sic stante statuto quòd nemo sub certa pœna extrahat aliquid ad vendendum, si quis ad suum extrahat, licèt postea vendat, non incidit in pœnam. Quam eandem doctrinam amplectuntur Bart. & Ioan. de Por. relati à Platea; & dicuntur hac ratione, quia prima destinatio inspicienda est; cùm ergo in nostro casu prima destinatio non fuerit ad vendendum, sed ad proprium vsum, non debebitur tale vectigal. Hanc docent Bertachinus *tract. de Gabellis 8. part. membr. 2. n. 1. & 2.* Gregorius Lopez *d. l. 5. verf. enolo.* Et ad illam legem, quæ oppositum significare videtur, respondetur intelligi, quando statim venderet, quia non videtur sui vsus causa portare: secus quando ea re fuit vsus, & postea, mutato proposito, vendidit.

3 Secunda conclusio: Ex venditione talis rei portatæ ad vsum, debebitur alcauala. Ratio, quia, est vera venditio, & ex omni venditione debetur alcauala. *lib. 1. tit. 7. lib. 2. nouæ recopilat.*

## DVBIVM XLVII.

*An ex venditione rerum, non lucri, aut negotiationis causa factæ, sed ad subueniendum propriis necessitatibus, debeatur alcauala.*

1 Soto *lib. 3 de iustit. quæst. 6 art. vltimo, verf. Causa autem*, videtur sentire non deberi, & esse iniustum eam exigere; licèt non omnino rem hanc definiat; & clariùs id videtur docere Ledesm. 2. 4. q. 18. *art. 3. fol. 258. pag. 4.* Sed id etiam non omnino definit: & eorum ratio est, quia tunc non qui plus habet, plúsve lucratur, sed qui pluribus eget, amplius soluit.

2 Sit tamen conclusio. Absque dubio deberur alcauala ex hac venditione (nisi tamen iuxta *suprà* dicta pauperras vendentis excuset.) Probatur quia est venditio, & ex omni venditione soluenda est gabella. *l. 1. tit. 17. lib. 9. nouæ recopilat.* Item aliàs nihil interesset inter Clericum, & laicum, cùm vterque debeat ex iis, quæ causa negotiationis vendit, & neuter, cùm non vendit causa negotiationis. Item quia praxis receptissima est in contrarium: & sic omnes Doctores, vt ex *suprà* dictis constat, dicunt absolutè ex omni venditione deberi gabellam.

3 Nec obstat ratio Soti, quia iam illi satisfactum est, dum egimus an assisium sit iustum.

## DVBIVM XLVIII.

*An ille, cui Rex debet aliquam pecuniæ summam, nec alia via potest recuperare, possit sibi satisfacere non soluendo gabellas, aut alia vectigalia, etiamsi hæc imposita sint.*

1 Corduba *summa q. 95. dub. 3.* videtur dicere id non licere, licèt non clarè id dicat: & potest probari, quia si Petrus debeat mihi aliquam pecuniam, & locauit suum hortum Francisco, non possum mihi satisfacere ex fructibus illius, quia non pertinent ad Petrum, sed ad ipsum Franciscum conductorem: ergo similiter non potero mihi satisfacere defraudando gabellas, cùm in nostro casu non ad Regem, sed ad publicanum, seu conductorem pertineant.

2 Sit tamen conclusio. Is cui Princeps aliquid liquidò, & certò debet, nec potest commodè debitum sibi à Principe obtinere, potest sibi satisfacere defraudando gabellas, non obstante damno ementibus, seu conducentibus gabellas, subsequuto. Probatur, quia gabellæ, & alia vectigalia non debentur directè publicano, seu conductori, sed Regi, & illi indirectè, & vt personæ subrogatæ Regi, vt optimè docet Caietanus *verb. vectigal.* ergo publicanus non debet in me maius ius, maioremve actionem, quam habet Rex; sed Rex non habet actionem, nec ius erga me, quando tantumdem mihi debet, nec possum ab ipso obtinere debitum; ergo nec gabellarius habebit ius. Et confirmatur, quia pauper, qui non soluit gabellam, quia ad id non tenetur, iuxta *suprà* dicta, & qui non soluit de decem vnum, quia ad id non tenetur, iuxta *suprà* dicta, nullam irrogat iniuriam, vel iniustitiam gabellario, quia ipse ex eo iacturam patiatur, cùm non habeat maius ius, quàm ipse Rex, qui quidem pauperem non obligat, nec obligare potest ad soluendum vnum de decem: ergo si in nostro casu Rex non habet ius, non habebit etiam gabellarius. Secundò confirmatur, si ego debeo Petro centum aureos, & ipse alium de beber mihi tantumdem, quod sanè recuperare non valeo, & quis emeret hoc debitum, quo teneor Petro, non maneo ego obligatus ad soluendum illi emptori hoc debitum, quamuis ipse amittat numos, quos dedit pro eo, principalis enim creditor est Petrus, in quem habebam ego ius, vt mihi satisfacerem, & recompensarem pro eo, quod mihi debebat. Nec obstat argumentum de fructibus horti, quia illi non sunt creditoris, nec illos possidet, sed sunt omnino inquilini, nec sunt etiam debitoris, at numi, quos ego debeo ex alcauala, sunt mei, & illos possideo, cum obligatione tamen soluendi Regi directè, & gabellario tanquam subrogato; vnde quoties excusor ab obligatione soluendi Regi, excusabor ab obligatione soluendi gabellario: quod in nostro casu euenit. Hanc tenet Sylvest. *Gabella 3. quæst. 9.*

3 Limitanda tamen videtur hæc conclusio, vt non habeat locum, quando alcaualæ sunt incapitatæ, tunc enim illi, in quibus sunt incapitatæ, non poterunt non soluere, quamuis Rex aliunde illis aliquid debeat. Ratio, quia qui non soluit, damnum infert sociis, cùm non se habeant inter se, sicut quidam tertius, aut gabellarius, qui recipit nomine Regis, sed omnes simul ex pacto inter ipsos inito soluunt regi, & quod alius non soluit, non cedit in damnum Regis, nec gabellarij habentis idem ius, quod Rex, sed in damnum reliquorum sociorum: veluti si ego essem fideiussor Petri pro aliquo debito, & ipse nollet soluere, eo quòd creditor deberet illi tantumdem, illicitè faceret, quia noceret mihi fideiussori; sic, &c. Sed ille, qui non est incapitatus, poterit licitè non soluere gabellam, si Rex tantumdem illi debeat, quia incapitati respectu huius, qui non est incapitatus, se habent, sicut gabellarius, siquidem illi omnes emerunt à Rege ius exigendi gabellas.

## DVBIVM XLIX.

*An Clerici minorum ordinum debeant gabellas, vel quæuis alia vectigalia, vel tributa.*

1 Hac in re duo sunt certa.

Alterum est Clericos sacris ordinibus initiatos, & Religiosos omnes quoad personas, & bona Ecclesiastica, & omnia alia bona quæ non ad negociationem, sed ad proprium vsum, vel proprias necessitates possident, aut vendunt, aut vehunt, non debere vectigalia, nec tributum aliquod (si excipias alcaualam, de qua, vt mox dicam, est aliqualè dubium) & sic non teneri ea soluere, & qui ea à Clericis exigunt, incurrere sententiam excommunicationis, immo aliquando excommunicationem Cœnæ. Hæc conclusio habetur ex pluribus capitibus iuris, & legibus, *cap. non minus, & cap. aduersus, de immun. Eccles. cap. quanquam, de censibus, in 6. C. tributum, & cap. secundum 2. 5. quæst. 8. cap. bene quidem, dist. 96. cap. Ecclesia, de constitut. cap. nonesse, de sentent. excomm. l sancimus. C. de sacrosanct. Eccles. l. 50. & 51. tit. 6. p. 1. & l. 11. tit. 3. lib. 1. & lib. 6. tit. 19. lib. 9. nouæ recopill.*

2 Alterum certum est clericos coniugatos etiamsi vestes Clericales, & tonsuram deferant, ac cum vnica, & virgine contraxerint, debere quæcumque vectigalia, & tributa, ac si essent merè laici, quia hi tantum gaudent priuilegio clericali, scilicet canonis, & fori, vt habetur *cap. vnico, de Cler. coniug. in 6.* & in Trident. *sess. 23. cap. 6. de reform.* sic docet Couarr. *quæst. pract. cap. 31. num. 9.* dicens esse omnium. Glossa *dicto c. vnico. verf. In cæteris, & ibi* omnes, Panorm. *cap. ex parte, de Cler. coniug.* Guido *quæst. 383.* Bertachinus *tract. de gabellis 7. part. num. 12.* Angel. & Mauricius citati per Couarr. Perez *lib. ordinam. tit. 3. l. 1.* Sylvest. *Clericus, 3. quæst. 3. fine*, & expressè definitur *l. 2. tit. 4 lib. 5. & l. 2. tit. 4. lib. 1. nouæ recopill.*

3 At dubium est, an hac immunitate à solutione tributorum gaudeant Clerici non coniugati, prima tonsura, aut minoribus tantùm ordinibus insigniti, sicut diximus gaudere Clericos factis initiatos. Duplex est sententia.

Prima docet hos Clericos non esse immunes à solutione tributorum. Probatur primò ex *lege 2. tit. 4. nouæ recopill.* vbi statuitur, vt Clerici minorum ordinum soluant quæuis tributa more laicorum, demptis Clericis, qui actu beneficium ecclesiasticum obtinent. Item, quia iura citata tantùm eximunt à solutione tributorum ecclesiasticas personas, (vt inquit Iosephus Angles *vbi infrà*) hi non sunt ecclesiasticæ personæ. Hanc tenet Iosephus Angles *floribus quæstionum Theologicarum 2. parte materia de restitutione defraudantium gabellas, fol. 236.* Idem videntur tenere Olanus *in Concordia iuris, litera C, numero 21.* & Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. cap. 3. §. 1. numero 16.* dicunt enim de iure regni teneri hos Clericos ad omnia tributa, & non id improbant. Idem tenent alij, quando hi Clerici dimiserunt habitum clericalem, & tonsuram. Hi sunt Thomas Parpalias *lege placet, C. de sacros. Eccles.* Mauricius *l. vnica, C. quo loco mul. lib. 10.* Guido *quæst. 481.* Matienzo *lib. 5. tit. 10. l. 11. glossa 1. num. 4.*

4 Secunda sententia docet hos Clericos esse immunes à solutione tributorum, sicut sunt Clerici in sacris constituti. Probatur, quia Clerici omnes, etiam primæ tonsuræ, dicuntur ecclesiasticæ personæ, vt docet Immola *Clement. finali, de Const. numero 4.* Quod inde probatur, quia Ecclesiæ sunt iam deputati, & de ecclesiastico foro, & eos percutientes sunt excommunicati: immo in plus se extendit ecclesiastica persona, nam conuersi religionis approbatæ sunt ecclesiasticæ personæ, non tamen Clerici, vt optimè dicit Menchaca alios referens *lib. 3. Controuers. illustr. cap. 105. num. 51, 52.* Item quia hoc priuilegium immunitatis à solutione gabellarum, quod capita citata concedunt personis ecclesiasticis, ponunt Sylvest. *Clericus, 1. quæst. 5.* Tabien. *Clericus, 5. num. 1.* Angel. *Clericus, num. 29.* inter priuilegia Clericorum, quasi supponentes omnes Clericos esse personas ecclesiasticas, & Couarru. *vbi infrà*, volens probare Clericos primæ tonsuræ gaudere hac immunitate, tantùm probat eos nomine Clericorum comprehendi, quasi supponens omnes Clericos esse ecclesiasticas personas: tunc sic omnis Clericus est ecclesiastica persona, sed nomine clericorum comprehenduntur insigniti prima tonsura, vt docent Panorm. *rubrica, de vita, & honestat. Cleric.* Tabiena Sylvest. Armill. Angel. *verb. Clericus, in principio.* Turrecrem. *cap. illud, distinct. 77.* Couarr. *vbi infra.* Decius *cap. 2. de præbend.* & colligitur ex *l. presbyteros. C. de Episcop. & Cler.* & communiter traditur *cap. Clerici, de iudic.* ergo gaudent hac immunitate. Neque obstat lex nouæ recopilat. in contrarium allegata, quia cùm hæc clericorum exemptio sit à Romano Pontifice concessa, & sit in spiritualibus superior Rege, nequit Rex propriis legibus huic immunitati propter finem spiritualem Clericis concessæ derogare, vt optimè Couarr. *quæst. pract. cap. 31. numero 3. &* Ledesm. 2. 4. *quæst. 20. articulo 4.* Hanc sententiam tenet Metina *C. de restitut. quæst. 15. paulo post principium*, Bertachinus *de gabellis, 7. p. num. 12.* Felinus *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ de Constit. num. 110.* Perez *lib. 4. Ordin. tit. 4. lib. 2. 3. fol. 839.* Couarr. *dicto cap. 31. num 9.* & fauet *lex 6. tit. 18. lib. 9. nouæ recop.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vbi absolutè dicitur Clericos esse à gabellis exemptos. Sit

5 Prima conclusio. Hæc secunda sententia tenenda est: probatur ex eius rationibus, & authoribus.

6 Secunda conclusio. Hi Clerici gaudent hac immunitate, licèt non deferant tonsuram, nec habitum clericalem. Probatur, quia iure aliquo Pontificio id statutum non est, saltim vsque ad trinam monitionem, *cap. contingit el 2. de sentent. excommun.* & docet optimè Ioan. Immola *cap. finali, de vita, & honest. Cleric.* & Tabiena *excommunicatio 5. casu 1. num. 24.* Hanc tenet Couar. *dicto num. 9.*

## DVBIVM I.

*An Clerici sint etiam immunes à gabella, quam alcaualam vocant.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit nullum Clericum esse immunem ab hoc tributo. Probatur, quia hoc tributum impositum est ad vtilitatem communem Clericis, & laïcis: ergo tenentur illud contribuere Clerici, sicut & laïci. Hanc latè defendit Montaluus *l. 50. tit. 6. part. 1.* & dicit sic fuisse definitum per omnes, qui erant à consiliis Regis Ioannis Secundi in eius supremo Consilio. Idem Ægidius Thomasius *in tract. de muneribus patrimon. §. subiiciuntur hoc loco, fol. 185.* & hanc dicit communem Remigius de Goni *tract. de charitatiuo subsidio, quæst. an clerici, vel Ecclesia sint exempti ab oneribus, fol. 357.*

2 Secunda sententia docet idem esse de hoc tributo, & reliquis, & sic Clericos esse immunes ab hoc tributo, sicut à reliquis. Probatur, quia capita *dub præcedent.* allegata non magis de reliquis tributis, quàm de hoc disponunt, sed indifferenter de omnibus. Item sic expressè definitur *l. 11. tit. 3 l. 1. & lib. 6. tit. 19. lib. 9. nouæ recopil.* & videntur dicere id esse de iure communi, quia dicunt esse immunes iure ipso. Hanc tenent Couarru. *quæst. practicis, cap. 31. fine*, Olanus *in concordia iuris, litera C. num. 37.* Gregor. Lopez *l. 50. tit. 6. part. 1. versice Pharaon.* Iosephus Angles *in floribus quæst. theolog. 2. p.* vbi *de restitut. defraudantium gabellas, fol. 236.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 3. l. 1. fol. 56.* & hæc sententia ac verissima tenenda est.

## DVBIVM LI.

*An clerici debeant gabellam de iis, quæ causa negotiationis portant, vel vendunt.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet non teneri Clericos negotiantes soluere gabellas de his, quæ causa negotiationis portant, vel vendunt, antequam ter moneantur, vt desistant à negotiatione. Probatur ex *c. fin. de vita, & honest. cler.* vbi Honorius III. dicit hæc Episcopo Ambianensi: *Si Clerici tertio à te moniti non resipuerint, sed negotiationibus institerint, cum facto priuilegium abiiciant clericale, tu quominus dum his se implicant, de suis facultatibus statutis & consuetudinibus patriæ subiaceant, non defendas eos.* Ergo ante hanc trinam monitionem defendendi sunt Clerici negotiatores, ne subiaceant in suis rebus talibus statutis, & gaudebunt priuilegio rebus Clericorum concesso, scilicet, vt de illis non soluatur gabella. Secundò probatur, quia textus, qui ad probandum oppositum solent adduci, scilicet *cap. quanquam, de censibus* & *in 6. & Clement. finalis, de censibus* non dicunt expressè Clericum negotiatorem debere gabellam, sed dicunt Clericum non teneri ad gabellas pro rebus suis, quas non negotiandi causa deferunt: ex quibus textibus tantùm sumitur argumentum à contrario sensu ad probandum de rebus, quas causa negotiationis deferunt, debere gabellam: vt docent Glossa *dicta Clement. finali, verfic. non negotiandi* Duenas *regula 100. num. 11.* Anchar. *dicto cap. quanquam, notab. 2.* & *ibi* Dominicus, & Francus, *numero 4.* Immola *dicta Clement. finali numer. 9.* & *ibi* Cardin. *notabili 3.* Sed argumentum à contrario sensu, licèt aliàs sit fortissimum in iure, at non est validum, quando oppositum est expressum in iure, vt colligitur ex *cap. à nobis 2. de sententia excommun.* & docet Glossa communiter recepta, *cap. significasti, de foro compet. versic. Clerici, & cap. quarto, versic. moderatas, de vsuris.* Felinus *dicto cap. significasti, numero 13.* Archid. *cap. Beatus, 1. quæst. 4.* Innoc. *cap. cum super, de causa possess.* Nauarr. *Opusc. de reddit. Eccles. quæst. 2. numero 16.* At in hoc casu oppositum est expressum in iure, scilicet *cap. finali, de vita, & honest. cler.* vt scilicet Clerici negotiatores non amittant priuilegium in rebus ante trinam monitionem: ergo. Hanc sententiam tenet expressè Ludou. Lopez *lib. 1. de contract. cap. 10 fol. 32.* Anton. de Butrio *cap. finali, de vita, & honest. cler. num. 4.* & *ibi* Panorm. *num. 3. & 4.* Clericus *consil. 6. lib. 1. fine.* Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. cap. 3. §. 1. numero 16.* Idem Salzedo *pract. cap. 55.* Felicianus *de censibus. lib. 2. cap. vltimo, fine.* Idem videtur tenere Ioannes de Immola *dicto cap. finali numero 3. 4.* Clarius *numero 5. 6.* & Ioan. Andr. *ibi*, vbi hæc dicit, *si el clerigo que se entremete en mercaderias, tres veces amonestado no desiste, no aura las franquezas, que los otros Clerigos han.* Idem videtur tenere Syluest. *Clericus 3. quæst. 3.* Angel. *Clericus 9. num. 3.* Tabien. *Clericus 3. n. 2.* vbi hæc dicunt, si Clericus tertiò monitus non desistat à negociatione, perdit priuilegium clericale, non canonis, nec fori, sed ne possit vexari exactionibus in rebus propriis, & sic videntur sentire non perdere ante monitionem: idem Host. *tit. ne Clerici, vel Monachi, num. 2. & 11.*

2 Nota hanc monitionem necessariò debere esse trinam, nec sufficere vnam peremptoriam pro tribus; quia licèt aliàs vbi ius requirit trinam citationem, sat sit vna peremptoria pro tribus, quæ habeat vicem trium, *l. tres denunciationes, C. quom. & quando.* At in pœnalibus hoc non habet locum, quia pœnæ sunt restringendæ. Sic Panorm. *dicto cap. fin. numero 4.* Perez *lib. tit. 3. lib. 1. ordin.* Ludou. Roma, *singulari 719.* Nauarr. *summa cap. 27.* Lat. & Hispan. *n. 80.* Glossa *Clement. 1. de vita, & honest. cler. verf. Tertio.* Immola *num. 3.* Ang. *Clericus 9. num. 4.* Tabien. *Clericus 3. num. 2.* Sylvest. *Clericus 3. quæst. 4.* Ioan. Andreas *cap. ex iue, de Cler. non resident.* Si tamen fieret monitio per viam statuti, etiam in pœnalibus valeret; quia statutum habet vim legis, & Prælatus potest statuendo augere pœnam iuris, & hoc sine monitione verbali. Sic Panorm. Sylvester Angel, Tabien. *ibi.* Hinc est quod dicunt Greg. Lopez *l. 49. verf. Amonestar. tit. 6. p. 1.* & Host *lib. 3. summæ, tit. ne Clerici, vel Monachi, num. 4.* Quòd si Episcopus faciat publicari constitutionem synodalem, qui iubeat, vt Clerici abstineant à negociationibus sub pœna priuilegij Clericalis, tale edictum habetur loco trinæ monitionis.

3 Secundò nota hanc trinam monitionem debere habere interuallum aliquorum dierum. Sic Nau. Ant. de Butrio, Ioan. de Immola, glossa *ibidem.*

4 Tertiò nota hanc monitionem trinam non sat esse generalem, vt dicendo, omnes Clerici abstineant à negociatione, vel deferant habitum, & tonsuram; alias non gaudebunt priuilegio Clericali, talis admonitio generalis non sat est ad priuandum clericos alioquin facientes priuilegio clericali. Probatur, quia *dicto cap. finali*, dicitur, *si tales tertiò à te moniti, & Clem. 1. de vita, & honest. cleric.* dicitur, *nominatim.* Sic Glossa *ibi verf. Nominatim.* Panor. Ang. Tabien. *vbi supra.*

5 Vltimò nota hanc trinam monitionem debere fieri à Prælato, nec sat esse, si fiat ab alio iudice, quia *dicto cap. finali*, dicitur Episcopo Ambianensi *si tertio à te moniti.* Sic Sylvest. Tabien. *vbi supra* Angel. *vbi supra, n. 5.* Ant. de Butrio, & Immola *supra.* Panor. *cap. contingit, el 2. de sentent. excommun.*

6 Secunda sententia docet Clericum negotiatorem nulla gaudere immunitate in his, quæ causa negotiationis defert, & sic teneri ad gabellas, ac si esset laïcus. Probatur, Clerici solo iure humano sunt exempti à gabellis, sed nullum est tale ius, quod ipsos eximat in iis, quæ ad negotiandum deferunt, immo iura opposita significant, *dicto cap. quanquam, & dicta Clement. finali*; ergo in his non sunt exempti. Secundò probatur, argumentum à contrario sensu validum & fortissimum est in iure. *l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. cap. cum Apostolica, de his quæ fiunt à Prælat.* Glossa *cap. vnico, de cleric. coniug. in 6.* Felin. *dicto cap. significasti, numero 9.* Dominic. *cap. 1. distinct.* & latè Bernard. Diaz *regul. 50.* Gratian. *regul. 45.* Panorm. & Doctores *dicto cap. cum Apostolica.* Quod adeò verum est, vt iuxta Dominicum, & Felinum *ibi* id, quod colligitur à contrario sensu, dicitur expressè comprehendi in iure. Quæ regula iuxta dicta procedit, quando oppositum non est expressum in iure; sed ex argumento à contrario sensu sumpto ex *dicto cap. quanquam, & ex dicta Clementin. finali*, colligitur Clericum negotiatorem teneri ad gabellas, nec oppositum est expressum in iure; quia *cap. finali, de vita, & honestat. cleric.* non dicitur requiri trinam monitionem, vt teneatur Clericus ad gabellas de iis, quæ causa negotiationis defert, sed vt teneatur ad gabellas de omnibus rebus suis, hoc enim priuilegium in omnibus suis rebus perdit per trinam monitionem, & non antè, quod expressè colligitur ex illis verbis capitis finalis, *de suis facultatibus*; & sic explicant illud caput finale Lapus, Ancharanus & Dominicus *vbi infra*; ergo Clericus negociator tenetur ad gabellas. Hanc tenent expressè reprobantes priorem sententiam, & dicentes nullam requiri monitionem. Gregor. Lopez *lege 49. verf. las franquezas. titul. 6. parte 1.* & *lege 5. verf. Clerigo, titul. 7. part. 5.* Ancharan. *dicto cap. quanquam, notab. 2.* & *ibi* Lapus, Dominicus, Francus *numero 5.* Insuper eandem sententiam docent Caietan. *verbo vectigal.* Sotus *4. distinct. 25. quæst. 2. articul. 2. sub finem, verf. Per hæc ergo.* Ioannes de Immola *Clemen. finali, de censibus, numero 9.* Matienzo *lib. 5. ordin. titul. 10. l. 11. Glossa 1. numero 3.* Duenas *regul. 100 numero 11.* Glossa *dicto cap. quanquam, verf. negotiandi.* & *dicta Clement. finali, verf. Non negotiandi.* Mexia *pragmatica tritici, conclus. 5. numero 22.* Decius *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. numero 57.* & *ibi* Felin. *numero 6.* Bertachinus *tract. de gabellis, 7. part. quæst. 6. numero 10.* Antiboli. *tract. de muneribus, quæst. 6. numero 21. & 41.* Cardin. *Clement. 1. de vita, & honest. cleric.* & *Clement. finali, de censibus*, Otalora *lib. de nobilitate, 2. part. cap. 2. numero 11.* Speculator *titulo de immunit. Eccles. num. 3.* Iosephus Angles *floribus quæst. Theolog. 2. part. materia de restitut. defraudantium gabellas, folio 236.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 3. l. 1. folio 56.* Federicus *consil. 111.* Paulus *dicta Clement. finali*, Merina *C. de restitut. quæst. 15 paulo post principium.* Menchaca *lib. 1. de successionum. great. cap. 10 numero 648.* Ant. Gabr. *1. tomo communium, lib. 7. fol. 460. pag. 2.* Idem sequitur lex Regni *7. tit. 28. lib. 9. nouæ recopil.* vbi hæc dicit, *Paguen Tyle-fias, y Clerigos, assi como legos, de lo que vendieren por sus, y Clerigos, assi como legos, de lo que vendieren por via de negociacion.* Et hæc est communis sententia, quam etiam tenet Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 10. l. 11. glossa 1. num. 3.* licèt Ancharan. Panorm. Immola *cap. vltimo, de vita, & honest. cler.* Duñas *reg. 100 limit. 11. fine*, & Bertachinus *supra*, contrarium voluerint in Ecclesia, vel Clerico nomine Ecclesiæ negotiante.

7 Sit conclusio. Prior sententia est probabilis, habet enim bonas rationes, & graues authores: at hæc posterior est probabilior, quia fortiori nititur fundamento, & plures habet authores. Si tamen semel afferat Clericus aliquid causa negotiandi, requit dici negociatio quia cùm sit nomen verbale, requirit frequentiam. Sic plures citans Gutierr. *consil. 5. n. 23.* sicut non dicitur mercator ex vno actu, vt benè Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 4. casu 399. n. 21.*

## DVBIVM LII.

*An clericus negociator cogi possit à iudice sæculari soluere gabellam, vel ad id cogendus sit ab Ecclesiastico.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit posse cogi; quia in his, quæ causa negociationis defert, non reputatur ac Ecclesiasticus, sed vt laicus. Item quia *lege 7. titul. 18. lib. 9. nouæ recopil.* dicitur hos Clericos teneri soluere gabellam, sicut laïcos; ergo possunt cogi à iudice sæculari, non capiendo personam, sed res. Sic tenent Azebedo *l. 11. tit. 3. lib. 1. recopil. num. 5.* Mexia *pragmatica tritici, concluf. 5. num. 23* Lafarte *de decima venditionis, cap. 19. numero 84. & addit. num. 85.* in dubio, an Clericus sit negociator, posse iudicem sæcularem de causa cognoscere; & videtur hanc sequi Greg. Lop. *l. 5. tit. 7. part. 5. verf. Clerigo.* & tenet Guillelm. Cuneo, quem refert Salzedo *vbi infra*, & hanc dicunt consuetudine in Gallia obseruari, Tiraquell. Aufrer. & Guillelmus Benedictus, quos *ibi* refert Salzedo: tenet etiam Greg. *l. 49. titul. 6. part. 1. glossa 3.*

2 Secunda sententia omnino tenenda docet non posse conueniri, nisi coram iudice Ecclesiastico; quia nullo iure inuenitur casus hic exceptus: nec lex Regni citata dicit posse in eo casu conueniri coram iudice sæculari, sed teneri soluere, vt laïci tententur; licet id disponeret lex ciuilis, non potest exemptioni Clericorum derogare, vt latè probabo *infra dubitatione 55.* Item, quia esto hæc res esset dubia, at in dubio an debeat cognoscere iudex sæcularis, vel Ecclesiasticus, pertinet cognitio ad Ecclesiasticum, vt latè probabo *infra dicto dubio 55.* Sic tenent Lapus *Clement. præsenti, de censibus,* & *ibi* Immola *numero 11.* & Cardin. *ibi quæstione 6.* vbi dicunt, quòd si sit quæstio, an sint Clerici res eæ, & an causa negotiandi deferat, debet iudex Ecclesiasticus de hoc cognoscere, vt colligitur ex *eadem Clement. in principio*, ibi, *locorum Diœcesani*; & *in fine*, ibi, *Postquam Episcopo constiterit.* Bald. Petrus Iacobus, Marianus, Sozinus, Bertach. Iulius Ferretus. Rolandus Valle, quos refert, & sequitur Salzedo *pract. canon. Bernardi Diaz, cap. 55. sub fin. §. erit tamen.*

3 Nota, quòd in dubio an merces causa negotiandi afferat Clericus, est standum eius iuramento; nisi contrarium probetur. Glossa *Clement. finali, de censibus, verbo, Non negotiandi.* vbi Cardin. & Immola, Gregor. Lopez *l 5. tit. 7. parte 5. verbo Clerigo.* Salzedo *supra §. sic equidem.*

## DVBIVM LIII.

*An Clerici coniugati, mortua vxore, gaudeant immunitate solutionis gabellarum, & omnibus aliis priuilegiis clericalibus, sicut Clerici primæ tonsuræ non coniugati.*

1 SIt conclusio: Clerici coniugati cum vnica, & virgine, ea mortua, & matrimonio soluto, consequuntur, & habent omnia priuilegia, quæ Clerici

Universidad de Deusto
Biblioteca



primæ tonsuræ non coniugati habent. Probatur, quia hic est verè clericus, & non coniugatus, nec bigamus. Item, quia *cap. vnico, de Clerico coniugato in 6.* tantùm dicitur coniugatum non gaudere aliis priuilegiis, & non dicitur perdere ea ad significandum non esse omnino deperdita, sed tantùm suspensa, dum manet matrimonium. Sic Couarr. *quæstionibus practicis, cap.31.num.8. vers. 5.* Dominicus *dicto cap. vnico, §. in cæteris.* Francus *ibi, dicto §. in cæteris, num. 4.* Ioannes Andreas *ibi*, Panorm. *cap. Clericus vel 2. de vita, & honest. Clericor. numero 4.* & confirmatur, quia propter hanc rationem clericus coniugatus, qui nullo gaudebat priuilegio clericali, eo quòd dimiserat habitum, recuperat priuilegia, si habitum reassumat, vt docent Francus *dicto cap. vnico*, & Ancharan. *ibi* Archid. *ibi num. 2.* Ioan. Andreas *cap. Ioannes, de Clericis coniugatis.*

2 Nota hanc conclusionem limitare aliquos, modò tales Clerici coniugati, mortua vxore, habitum reassumant. Sic Dominicus, Francus, Panorm. Ioan. Andr. *ibidem.*

At ea limitatio non est necessaria, quia, vt *suprà* dixi, in aliis Clericis non requiritur habitus, & tonsura, nisi ad gaudendum priuilegio fori, iuxta decisionem Concil. Trid. *sess. 23. c. 6.* & ita eam limitationem non apponit Couarr.

## DVBIVM LIV.

*An sæcularis emens vinum, & carnes suæ familiæ, in qua sunt aliqui Clerici, vt habet filium Clericum, vel Capellanum, debeat integrè assisum, id est,* la sisa, *super illis rebus impositum,*

1 RAtio dubitandi, quia videtur non debere de ea parte, quam consumit Clericus, cùm sit ab omni exactione immunis.

2 Sit conclusio. Talis sæcularis integrè debet assisium. Ratio, quia dominium eorum, quæ consumuntur, non est Clerici, sed patris sæcularis, sicut Clericus, qui sustentat plures famulos sæculares, non tenetur soluere assisium pro parte, quam famuli consumunt. Sic docti recentiores.

## DVBIVM LV.

*An teneantur Ecclesiastici ad tributum impositum pro iis, quæ concernunt vtilitatem communem laicorum, & Clericorum, & pia sunt, vt ad constructionem, refectiopontium, viarum, murorum, vel de* calzada *fontium, vel ad vigilandum & custodiendum oppidum ab hostibus, peste,* &c.

SVpponenda sunt aliquot fundamenta.

1 Primum est, Ecclesiastici sunt immunes, quoad personas, & omnia bona, quæ non causa negotiandi deferunt, ab omni iurisdictione sæculari, & quibuscumque vectigalibus, & gabellis, & qui à Clericis ea exigunt, contrahunt excommunicationem: Patet ex *cap. non minus. & cap. aduersus, de immun. Eccles. cap quanquam. de censibus in 6. c. tributum. & c. secundum 23. q. 8. c. bene quidem, dist. 96. c. Ecclesia, de constit. cap. 1. & c. Clericis, de immunit. Eccles. in 6. Clementina præsenti, de censibus, cap. nouerint, de sentent. excommun. l. sancimus, C. de sacrosanct. Eccles. l. 50. 51. tit. 6. part. 1. l. 11. tit. 3. lib. 1. nouæ recop. & ibidem l. 6. tit. 19. lib. 9.* Quod quidem conuenientissimum fuit Christianæ reipublicæ, non tantùm in spiritualibus, quod iure diuino iam institutum erat, sed etiam in temporalibus; quia summus Pontifex potestatem habet ferendi leges in his, quæ sint Ecclesiæ regimini, & administrationi conducibilia; ac conducit plurimum, quòd ministri Ecclesiæ non implicent se negotiis sæcularibus, 2. *ad Timoth. 2.* cùm non possint commodè vacare ministerio diuino, si trahi possint, & conueniri clerici, vel eorum res coram iudice sæculari. Secundò, quia licèt non constet inter Doctores an hæc immunitas tam quoad personas, quàm quoad res temporales sit de iure diuino, plurimi enim testantur esse de iure diuino, alij verò esse de iure humano; at omnes testantur eam esse valde consonam iuri diuino, & ab eo originem ducere. Item, quia sicut rationi consonum est, vt Princeps à quibusdam tributis nobiles eximat in præmium, & honorem nobilitatis, ita rationi conforme est, vt Pontifex ratione dignitatis, & honoris Ecclesiastici clericos à tributis eximat.

2 Secundum fundamentum sit. Quamuis fateamur hanc immunitatem Clericorum à gabellis esse iure humano inductam: at nullus Princeps sæcularis, quantumuis summus, potest huic exemptioni, vel immunitati propriis legibus propriaue authoritate derogare; quare leges imponentes aliquod tributum Clericis ipsis non ligabunt. Probatur ex *cap. 1. de immunitate Eccles. in 6.* vbi excommunicantur quicumque potestatem sæcularem habentes imponunt aliqua tributa clericis, & *cap. Clericis, eodem tit. §. Nos igitur*, declaratur, licèt sint Reges, vel Imperator. Et ratio est, quia Pontifex, & Concilia iure optimo potuerunt clericis (vt probaui) hanc immunitatem concedere, ergo non potest ab alio, quàm à Pontifice reuocari, inferiores enim nequeunt superioris legem reuocare; at omnes sæculares Principes in Ecclesiasticis rebus sunt Papa inferiores. Item quia esto immunitas hæc prima sui origine ab imperatoria concessione dimanauerit, at iam à multis Pontificibus, & Conciliis confirmata est, & totus orbis, à quo Principes sæculares potestatim accepere, in hanc consensit, immo & ipsi Principes sæculares in hanc consenserunt. Sic tenent Couarr. *quæstion. pract. capit. 31. numer. 3. vers. Quarta conclusio.* Bellarmin. *lib. 1. de Cleric. capit. 28. fine.* Ledesm. *2. 4. quæst. 20. art. 4.* Blasius Nauarrus *de vectigalibus, capit. 10. fine.* Gregor. Lopez *l. 54. titul. 6. p. 1. vers. En las calzadas.* Gutierrez *lib. 1. pract. quæst. 3. numero 6.* Otalora *de nobilit. 2. part. cap. 1. numero 10.* Perez *lib. 1. ordinam. titul. 2. l. finali. fine*, Rebuffus *1. tomo constit. reg. Franciæ, titul. de sententia prouinciali, art. 3. glossa 6. numero 3.* Calderinus *titul. de censibus, consil. 2. num. 3.* Decius *cap. Ecclesia, de constitut. num. 24.* Antonius *cap. non minus. de immunit. Eccles. num. 10.* & Ioan. Andr. *fine*, & *ibi* Panorm. *num. 16. & cap. Ecclesia sancta Mariæ, de Constitut. num. 10.* vbi dicit, quòd quando lex disponit specificè de clericis, & Ecclesiis, quamuis canon non contradicat, non est seruanda tanquam condita à non habente potestatem, & sic est nulla; & *numero 9.* dicit esse commune axioma legem Principis præiudicialem Ecclesiis, non obligare, nisi expressè approbetur à Papa: quod sequitur Syluest. *Immunitas 1. quæst. 5. dicto 4.* & Angelus *verbo Immunitas, numero 37.* & Metina *Cod. de restitut. quæst 15. fol. 54. pag. 3. vers. videtur igitur*, dicit esse tyrannidem petere gabellam à Clericis absque licentia Papæ, & idem Panormitan. *eo cap. Ecclesia, numero 21. & 22.* dicit cum Felino *ibi numero 8.* Paulo & Cardin. *Clement. finali de censibus, numero tab. 2.* non posse statutum Principis sæcularis disponere super bona patrimonialia Clericorum; quia bona sequuntur personam tanquam accessoria, & sic gaudent eodem priuilegio; & refert *ibi* Panorm. Collectarium dicentem sic seruare curiam. Ad quod est mirabile dictum Innoc. *cap. verum, de foro competenti, num. 2.* vbi sic dicit: Vbi rei alicuius est acquisitum dominium Ecclesiæ, est sancta Domino, & ideo per nullum potest capi nisi authoritate Ecclesiastica, Fauet valde *lex 54. tit. 6. parte 1.* quia explicando immunitatem hanc Clericorum à gabellis, subdit, *Pero algunas cosas ay, en que*



*tuvo por bien lasar ta Iglesia, que no se pudiessen escusar los clerigos, assi como en puentes.* Ecce quomodo totam obligationem refert ad Ecclesiæ decretum.

3 Tertium fundamentum sit, licèt Doctores, vt Sylvest. *immunitas, 1. quæst. 5. dicto 4.* Angel. *verbo. Immunitas, num. 37.* Panorm. *cap. non minus, de immunit. Eccles. num. 20.* Ludouic. Lopez *1. part. instruct. noui, cap. 190. fol. 450.* dicant dupliciter aliquid posse concernere vtilitatem Ecclesiæ: primo modo proximè, & directè, vt quando aliqui deuastant aliquem agrum, in quo Ecclesia habet possessiones, & imponitur aliqua contributio ad eos expellendos. Secundo modo remotè, & indirectè, & per quandam consequentiam, vt in reparatione murorum, viarum, fontium ciuitatis, &c. At maioris claritatis, & distinctionis gratia possumus in tria membra distinguere; & sic tripliciter potest aliquid in clericorum vtilitatem cedere. Primo modo proximè, & directè vt si aliqui laicorum, & clericorum prædia deuastent, & sit opus mittere aliquos, qui prædia custodiant, vel sit opus reficere viam, quæ est ante Ecclesiam, vel purgare puteum necessarium toti viciniæ, in qua est Ecclesia. Secundo modo remotissimè, quia scilicet cedit in publicam vtilitatem, & commune bonum totius regni, & cùm Ecclesiastici sint pars regni, in consequenti cedit in ipsorum vtilitatem. Tertio modo medio modo, nempe nec remotissimè, nec proximè, sed remotè, & indirectè, vt quod est ad refectionem murorum, vel pontium huius ciuitatis, vel ad custodiendum hanc ciuitatem, cuius clerici sunt incolæ.

4 Quartum fundamentum sit. Duo sunt certa apud omnes in hac materia.

Primum est, quòd Clerici non tenentur contribuere vnà cum laicis, regulariter loquendo (nam in aliquo casu maximæ necessitatis, postea dispurabitur) ad ea, quæ sunt in vtilitatem clericorum secundo modo, scilicet remotissimè. Ratio, nam cùm omne tributum iustum necessariò debeat esse propter publicam vtilitatem, aliàs si esset propter priuatam, esset iniustum, vt optimè docent Ricard. *quodlib. 3. quæst. 27.* Caiet. *verbo vectigal.* Driedo *de libert. Christ. lib. 2. cap. 5.* Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 11. conclus. 2.* si clerici tenerentur ad ea, quæ sunt in ipsorum vtilitatem secundo modo, tenerentur ad omne tributum, contra dicta in primo fundamento.

5 Alterum certum est apud omnes, ad ea, quæ sunt in vtilitatem Clericorum primo modo, nempe proximè, & directè, tenentur contribuere clerici. Ratio, quia hæc potiùs est dicenda priuata vtilitas Ecclesiæ, & Clericorum, cùm ipsos ita proximè tangat; & sic habetur *l. 12. tit. 3. lib. 1. recop.* & tenent Bart. *l. ad instructiones, C. de sacrosanct. Eccles. num. 3.* Paulus de Castro *ibi num. 1.* Nau. *in omnibus summis. cap. 27. num. 115.* Speculator *4. p. tit. de exactionibus, §. vnico, n. 10.* Greg. Lopez *l. 51. vers. Por razon tit. 6. p. 1.* Azebedo *l. 11. tit. 3. l. 1. nouæ recopil. num. 4.* Sylvest. *Immunitas 1. q. 5. dict. 4.* Ang. *verb. Immunitas, n. 37.* Tabien. *Excommunicatio 5. casu 18. n. 4. vers. 3.* Ludouic. Lopez *1. p. instruct. noui. cap. 190. fol. 450.* Panorm. *cap. non minus, de immun. Eccles. n. 20.* Auendaño *cap. Prætorum, 2. p. c. 14. num. 13.* Mexia *pragmatica tritici, conel. 1. n. 61.* & omnes.

6 Nota primò in hoc casu non esse attendendum, an adsint propria oppidi, necne, licèt enim sint sufficientia ad hæc, adhuc tenentur Ecclesiastici contribuere. Sic habetur expressè *l. 11. tit. 3. lib. 1. recop.* & *ibi* Azebedo *n. 4.* Mexia *eo n. 61.* Et ratio est, quia propria oppidorum, cùm vsibus communis vtilitatis destinata sint, non possunt in his expendi; licèt enim concernant vtilitatem publicam, at id est secundariò, & priuatam primariò, vt bene Auendaño *cap. Prætorum 2. p. cap. 10. num. 23. 24.*

7 Secundò nota non esse opus in hoc casu, vt contribuant clerici, consulere Romanum Pontificem, quia *c. aduersus, de immun. Eccles.* exigens consulere, loquitur in concernentibus vtilitatem publicam; at hìc agitur de priuata clerici vtilitate. Sic Sylvest. Ang. Panorm. Tabien. Ludou. Lop. *proximè citati.*

8 Immo aliqui dicunt posse iudicem sæcularem in hoc casu cogere clericos ad contribuendum, non adstringendo personas, sed ex bonis capiendo: quod probatur ex *l. 12. tit. 3. lib. 1. recop.* vbi cùm dixisset clericos ad hoc teneri, subdit, *y saquen las iusticias las prendas assi de legos, como de clerigos*; & quòd loquatur de vtilitate priuata, patet ex exemplis, quæ *ibi* ponit: & quia *ibi* non dicit, deficientibus propriis oppidi, vti dixerat *l. præcedenti*, in qua fecerat sermonem de reparatione murorum, & pontium, & sic explicat Azebedus *illa l. 12. num. 1.* Sic tenet Azebed. *dicta l. 11. num. 5.* vbi multos falsò allegat, *& l. 12. n. 1.* Auendaño *2. p. cap. Prætorum. cap. 14. num. 13.* vbi dicit iudicem sæcularem ad cogendum clericos soluere debere, vt vitet excommunitionem, vti consilio Baldi *auth. sed & periculum; fine, C. sine censu*; vbi in alio simili consulit Baldus, ne distringatur persona clerici, sed res. Idem tenet Guillelmus *cap. Raynutius, de testam. verbo domum, n. 17. 18.* Mexia *pragmat. tritici, conclus. 5. num. 70.* qui ambo falsò allegant Cæpollam, dicúntque posse iudicem sæcularem cogere clericum reparare viam ante domum suam, itinera publica. Addit Mexia posse exigere à Clericis pœnam, si aquam, vel alias immunditias per publicos calles immittant.

9 Cæterùm omnino tenendum est non posse, sed iudicem Ecclesiasticum debere cogere; quia, vt dixi *in secundo fundamento*, in hac re non potest lex ciuilis exemptioni Clericorum derogare; nec inuenitur in iure canonico hic casus exceptus. Sic tenet Paulus de Castro *l. ad instructiones, n. 1. C. de sacrosanct. Eccles.* Gutierr. *lib. 1. pract. quæst. 3. n. 10.* dicitque esse falsum, quòd possit iudex sæcularis cogere reparare viam ante domum, &c. Sylvest. Angel. Panorm. Ludou. Lopez *proximè citati.* Conferunt ad hoc dicenda statim *dub. 3.* mouendo in hoc eodem dub. Item quia quando ciuitas est obsessa taliter, vt non sat sint laici ad eius defensionem, & clerici tenentur vigilare, dicunt Doctores non esse cogendos à iudice sæculari. Sic Innoc. *cap. non minus, de immunit. Eccles. num. 6.* Panorm. *num. 15* Host. *summa eod. tit. §. a quibus, num. 4. vers. merè personalia, & lex 52. titul. 6. part. 1. & ibi* Gregor. Lopez *vers. del Obispo.* Ang. *verbo, immunitas, num. 34.* ergo à fortiori in præsenti casu non debent cogi à iudice sæculari, sed ab Ecclesiastico.

10 Tertiò nota, quòd hoc, quòd debent clerici contribuere in hoc casu, debet ab omnibus, & non à solis laicis approbari. nam quod omnes tangit, ab omnibus approbandum est. Sic Sylvest. Ang. Panorm. Ludouic. Lopez *proximè citati.*

11 His ergo suppositis quatuor vertuntur in dubium in præsenti difficultate. Primum est, an quando aliquid concernit vtilitatem communem Clericorum tertio modo, nempe nec proximè, nec remotissimè, sed medio modo, vt ad constructionem pontium, murorum, viarum, &c. teneantur clerici, sicut laici contribuere. Secundum est, an tunc sit necessaria licentia Pontificis summi. Tertium est, an possit iudex laicus cogere ad id clericos. Quartum, an quando concernit vtilitatem Clericorum secundo modo, nempe remotissimè, quia scilicet concernit vtilitatem totius regni teneantur Ecclesiastici contribuere in aliquo casu magnæ necessitatis.

12 Circa primum dubium duplex est sententia.

Prima dicit non teneri Ecclesiam, nec clericos contribuere ad ea quæ sunt in vtilitatem ipsorum tertio modo, vt ad refectionem viarum, murorum, pontium, &c. Probatur ex Concilio Lateranen. & habetur *cap.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*non minus, de immunit. Eccleſiar.* vbi tractatur de foſſatis faciendis, quæ ſunt ad vrbis cuſtodiam, & ſic ad communem vtilitatem Clericorum, & laïcorum tertio modo: quod etiam inde colligitur; quia dicitur ibi, *Ad communes neceſſitates*, & iubetur ſub excommunicatione, ne exigatur, aliquid à Clericis, & ſtatim ponuntur hæc verba, *niſi Epiſcopus, & Clerus tantam neceſſitatem, vel vtilitatem perſpexerint, vt abſque vlla coactione ad reuelandas communes neceſſitates, vel vtilitates, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſia exiſtiment conferenda, & cap. aduerſus, eod. tit.* repetuntur eadem verba, & ſubditur, quòd tunc laïci humiliter, & deuotè recipiant, & cum gratiarum actione quod clerici contribuerint: ergo hoc non eſt obligatorium, ſed voluntarium, ſi quidem textus dicit, *abſque coactione*; & remittit voluntati clerici, & iubet, vt laici gratias agant, quaſi id ſponte datum ſit. Secundò, quia in hac re ſtandum eſt deciſioni iuris canonici, quod, vt dixi *in primo fundamento*, abſolutè, & vniuerſaliter eximit clericos à tributis, non autem deciſioni iuris ciuilis, quod nihil in hoc valet diſponere, vt dixi *in ſecundo fundamento*. Sic tenent Panorm. *volum. 1. conſil. 3. & cap. non minus, de immunit. Eccleſ. num. 18. 20. & dicto cap. aduerſus, num. 4. 6.* Anton. *eo cap. non minus, num. 10.* & *ibi* Ioan. Andr. *fine.* Hoſtienſ. *ſumma tit. de immunit. Eccleſ. § a quibus, num. 14. verſ. Ego puto.* Batt. *l. ad inſtructiones, C. de ſacroſanct. Eccleſ. num. 3.* Dec. *cap. Eccleſia, de conſtit. num. 24.* Calderinus *conſil. 2. tit. de cenſibus, num. 2.* Gloſſa *cap. generaliter 16. quæſt. 1. verſ. collationibus.* Iaſon *l. placet, in 2. lectura, C. de ſacroſanct. Eccleſiis num. 16.* Ludou. Lopez *1. part. inſtruct. noui, c. 190. fol.* 450. Sylueſt. dicens eſſe communem Doctorum vtriuſque iuris, *immunitas, 1. quæſt. 5. dicto 4.* Angel. *verbo immunitas, num. 37.* Tabien. *Excommunicatio, 5. caſu 18. n. 4. verſ. 3.* D. Ant. *3. p. tit. 12. c. 3. §. 2.* Met. *C. de reſt. quæſt. 15. in principio, fol. 53. pag. 1.* & eſt ſatis probabilis.

13 Secunda ſententia docet teneri Eccleſiam, & Clericos ad hanc contributionem. Probatur primò, quia ſecundùm ius naturæ eſt eum pati damna, quem ſequuntur commoda, *l. ſecundum ff. de reg. iuris, cap. qui ſentit, de reg. iuris in 6.* ſed clerici iuuantur pontibus, & illis muris, & itineribus, ſicut laici; ergo. Secundò probatur, quia pluribus legibus deciſum eſt Eccleſiaſticos ad hoc teneri, *l. ad inſtructiones, C. de ſacroſanct. Eccleſiis.* vbi ſic dicitur, *Ad inſtructiones itinerum, pontiumque etiam venerabiles Eccleſias adſcribimus. & l. 54. titul 6 part. 1.* vbi ſic dicitur, *En las puentes que nueuamente facen los lugares, do ſon menester para pro comun al de todos; y en guardar las que ſon fechas, como ſe mantengan e no ſe pierdan, y en las calzadas de los grandes caminos, y de las otras carreras, que ſon comunales, ſon temidos los clerigos de acudir a los legos, e de pagar cada vno dellos, aſſi como los otros vezinos legos.* & l. 20. tit. 32. part. 3. vbi ſic dicitur: *Si en las ciudades, o villas han menester hazer calzada, puente, muros, ſi han rentas apartadas de comun, deuen de ſer primeramente deſpendidas, y ſino complieren, o no vuieſe alguna coſa communa, deuen los moradores pechar, &c. y deſto no ſe pueden eſcuſar los clerigos; que pues la pro d'iſt.us labores pertenece comunemente a todos, derechos, que todos ayuden.* & l. 11. *titul. 3. lib. 1. noua recopil.* vbi ſic dicitur, *En los pechos, que ſon para bien comun de todos como para reparo de muros, o de calzada, o de carrea, o de puente, o de fuente, o de compra de termino, o de coſto, que ſe haga para velar, y guardar la villa, y ſu termino en tiempo de menester, en eſtas coſas tales a fallecimiento de proprios del concejo, deben contribuir los clerigos, por quanto es pro comun de todos y obra de piedad.* Tunc ſic: omnes hæ leges expreſsè decidunt clericos ad hoc teneri, nec in hoc caſu ſpeciali inuenitur oppoſitum deciſum in iure canonico; ergo ſic ſeruandum eſt, quia cauſa Eccleſiæ debet decidi per ius ciuile in defectum canonum; omnes enim leges non contradicentes iuri canonico ſunt approbatæ per Eccleſiam: colligitur expreſsè ex *cap. 1. de noui operis nunciat.* vbi Gloſſa, *verſ. adiuuantur.* & Panorm. *ibi numero 3.* Sed dices, hoc correctum eſſe per ius canonicum; nam *cap. non minus, & cap. aduerſus, de immunit. Eccleſ.* non relinquunt voluntati clerici, vt probauit prima ſententia. Hoc tamen non obſtat, quia id non relinquitur *ibi* liberæ voluntati Clerici; nam quatenus dicitur, *abſque coactione*, intelligitur ipſorum laicorum, quia iudex laicus non debet ad hoc cogere, vt dicemus *infrà*, & ſic laici humiliter debent petere, & poſt retributionem gratias agere, & non cogere, vt dicitur *dicto cap. aduerſus*, quatenus verò relinquit arbitrio cleri, non intelligitur ad decernendum, an ſit conferendum, cùm ad hoc teneantur; ſed ad videndum, an euenerit caſus, ſcilicet neceſſitas communis, in quo tenentur contribuere; vel licèt dicamus omnia relinqui arbitrio cleri, non intelligitur de libera voluntate, ſed de arbitrio iure, & ratione regulato; quia verbum, *exiſtiment*, poſitum *dicto cap. non minus*, ibi, *Niſi Epiſcopus, & clerus ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda*, non ad placitum voluntatis refertur, ſed ad arbitrium boni viri ratione regulatum. *lege fideicommiſſa. §. quemquam. ff. de legat. 3.* & docet optimè Gregor. Lopez *l. 54. tit. 6. part. 1. verſ. en las calzadas, ſine.* Gutierr. *lib. 1. pract. q. 3. n. 7.* Deciſio Pedemontana *68. num. 18. 19.* Batt. *Extranag. ad reprimendum, verb. videbitur.* vnde *cap. non minus*, potiùs eſt pro hac ſententia, illámque probat, vt apertè colligitur ex *l. fideicommiſſa, §. ſic fideicommiſſum, verſ. quenquam ff. de legat. 3.* vbi dicit lex, quòd ſi fideicommiſſum ſic relinquatur, ſi volueris, non debetur, quia plenum voluntatis arbitrium relinquitur; at verò ſi dicit ſic, *ſi fueris arbitratus, ſi putaueris, ſi exiſtimaueris*; non plenum voluntatis arbitrium relinquitur, ſed quaſi vito bono: proindeſi alter meruerit, debebitur: vbi Gloſſa *verbo Arbitratum*, ſic dicit, *in hoc caſu tantum permittitur, vt æquum videatur, quod ſi eſt, non permittitur hæredi aliter interpretari.* Cùm ergo *cap. non minus* iubeat, vt Epiſcopus, & Clerus conueniant, & perſpiciant neceſſitatem, & exiſtiment, an ſubſidium conferendum ſit, hoc debet eſſe ratione regulatum, & ſi rationi eſſe conforme inuenerint, prout ita eſſe probat prima ratio pro hac ſententia poſita, tenebuntur contribuere. Tertiò probatur ex *cap. peruenit, de immunit. Eccleſ.* vbi Eccleſiaſtici tenentur tempore neceſſitatis ad cuſtodias murorum: quem textum licèt variè interpretentur Doctores iuris Pontificij, adeò vt Gloſſa *ibi initio*, & Panorm. *ibi initio*, dicant à nullo ſummari, propter varios eius intellectus; & ſic Ioan. Andr. Hoſt. Ant. *ibi* ponunt duos intellectus. Primus eſt, vt habeat tantùm locum in ciuitatibus, quæ ſunt de temporali dominio Eccleſiæ, ſicut eſt ciuitas Terracinenſis, cuius Epiſcopo ſcribitur illud expetur. Secundus eſt, quòd eſt caſus ſpecialis, cùm ciuitas inuaditur à Sarracenis, à quibus illa propter continues terminos ſæpè inuadebatur. Alij verò dicunt non loqui hoc caput de Clericis, ſed de hominibus Eccleſiæ, id eſt, de mancipiis, ruſticis, & ſimilibus, qui regulariter non debent angariari, *cap. Eccleſiarum ſeruos, 12. quæſt. 2. & l. 1. & ibi* per Bart. *C. de Epiſcop. & cler.* ſic expreſsè viderunt intelligere Innoc. *dicto cap. peruenit, initio*, & gloſſa *ibi verſ. Nullum, & verſ. Aut alio modo*, & clariſſimè Hoſt. *ſumma, tit. de immunit. Eccleſ. §. à quibus, num. 4. verſ. merè etiam perſonalia.* Hos intellectus reprobat Panorm. *dicto cap. peruenit*; & verus, ac communis intellectus eſt ratione maximæ neceſſitatis, ita vt ſine clericis non poſſit ciuitas ab inuaſione cuſtoditi, neque clericos, vt explicant *ibi* Panormitan. *à numero 3.* & præcipuè *numero 6. & lex 52. tit. 6. part. 1.* & *ibi* Greg. Lopez *gloſſ. 1. 2. & 3.* Anchar. *dicto cap. peruenit, num. 1.* Guillelmus *cap. Raynutius, de teſtam. verbo, & vxorem nomine Adalaſiam, deciſ. 5. n. 470.* Azebedo *l. 11. tit. 3. lib. 5. lib. 1. recop. n. 7.* Dueñas *regula 100. limitat. 12.* Ruinus *conſil. 219. volum 1. n. 12.* Auiles *cap. 23. Prætorum*, Gloſſa *den orden. n. 4.* Angl. *verbo Immunitas, n. 34.* Sylueſt. *immunitas, 1. quæſt. 4. dicto 3.* Iaſo, & Mauricus, quos refert Dueñas *ſupra*, Innoc. *cap. non minus, de immunit. Eccleſ. n. 6.* Tabien. *Excommunicatio 5. caſu 18. n. 4. verſ. 3.* An verò poſſint cogi per iudicem ſæcularem ad hoc; dic quòd non, vt docent *ibi lex p. 52.* & *ibi* Gregor. Lopez *verſ. del Obiſpo.* Angel. Innoc. Hoſt. *proximè citati.* Si ergo tenentur Clerici ad hæc perſonalia, quando neceſſitas eſt communis, à fortiori tenebuntur ad realia, quæ minùs ſtatui clerici repugnant. Et hæc ſecunda ſententia eſt probabilior, eámque tenet Bald. *l. ad inſtructiones, C. de ſacroſanct. Eccleſiis. n. 3.* Paulus de Caſtro *ibi n. 2.* & *ibi* Salizet. Alberic. Iacobus Butricarius, Felin. *cap. Eccleſia, de conſtitut. n. 106.* Ripa *reſponſ. 1. in titulum de muneribus, & honor. a n. 3. vſque ad 8. & de Eccleſiis ædificandis, reſponſo 2. n. 7. & l. ſi ſe non obtulit, in principio, n. 31. ff. de iudic.* Gloſſa *cap. non minus, verſ. Ad reuelandas, de immunit. Eccleſ.* & *ibi* Innoc. *n. 6.* & *ibi* Hoſt. & Anchar. *n. 7.* Thomas Grammaticus *deciſ. 100. n. 26.* Auendaño *cap. Prætorum, 2. part. cap. 14. n. 19.* Guido Papæ *deciſ. 7.* & *78.* & eius gloſſator *ea deciſ. 78.* Gregor. Lopez *l. 54. tit. 6. p. 1. verſ. En las calzadas.* Montaluus *ea lege 54.* & *lib. 1. legum fori, tit. 5. l. 1. verſ. In contrarium facit.* Rebuff. dicens varias fuiſſe prolatas in iudicio ſententias hoc decernentes, *1. tomo conſtitut. regiar. Franciæ, tit. de ſententia prouiſionali, art. 3 gloſſ. 6. n. 3. 4.* Gutierrez *allegat. 10. n. 2.* & *lib. 1. pract. q. 3. n. 7.* Ægidius Tomatus *tract. de collectis, c. incipienti, Non obſtant, n. 26. fol. 168. vſque ad n. 131.* Menchaca *de controuerſ. vſu frequentibus, lib. 1. cap. 6. n. 4.* Olanus *in concordia iuris, littera C, n. 38.* Oralora *de nobilit. 2. p. cap. 1. n. 13.* Azebedo *l. 11. tit. 3. lib. 1. recop. n. 2.* Villalobos *in ærario ſuo mille communium opinionum, littera C, n. 3.* Mexia *pragm. panis, concl. 1. n. 60. 61.* Alexand. *conſil. 68. volum. 2. n. 13.* Ruin. *conſ. 111. volum. 5* Pariſius. Pract. Parienſis, Iacobus de ſancto Georgio, Præuidel, quos refert, & ſequitur deciſio Pedemontana *68. à n. 4. vſque ad 20.* Nicolaus Balbus in quodam conſilio, quod habetur typis excuſum poſt illam deciſionem *68. a num. 5. vſque ad 9.* Caſſanæus *in conſuetud. Burgundiæ, rubrica de iuſtices, rubrica 1. n. 48. 49.* Cæpolla *de ſeruit. ruſtic. prædior. tit. de ſeruit. viæ, q. 25. n. 47. 48.* Guillelmus *cap. Raynutius, de teſtament. verb. & vxorem nomine Adelaſiam, deciſ. 5. n. 468. 469. 470.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 1. fine.* Dueñas *regula 100. limitat. 16.* Lucas de Penna *l. cum ad feliciſſimam. C. quibus muner. lib. 10.* Auiles *cap. 23. Prætorum*, Gloſſa *den orden, n. 4.* Queſada *quæſt. iuris ciuilis, cap. 4. num. 15.* Richard. *quodlib. 2. q. 30. art. 4.* Riminaldus *conſil. 2. n. 10.* & communis.

14 Nota primò limitandam eſſe hanc ſententiam, niſi oppidum habeat propria: ſi enim hæc habet, & ſufficientia ſunt, vel id, in quo ſufficiunt, priùs expendendum eſt in hæc opera publica, & quod deficit, eſt contribuendum à Clericis, & laicis, *1. nouæ recopil.* & *ibi* Azebedo *n. 2.* Auiles *dicta gloſſa den orden, n. 2.* Ricard. *quodlib. 2. c. 30. art. 4.*

15 Secundò limita, quando talis reparatio murorum eſt propter neceſſitatem, & non propter ornatum ſolum. Sic Menchaca, Rebuffus *n. 4.* Auiles *n. 4.* Ricard. *art. 4.* Mexia *n. 61.* Bald. *n. 1.* Guillelmus *n 468.* Azebedo *n. 7.* Dueñas *limit. 16. proximè citati*, Salizetus, Iacobus Butricatius, Albericus *proximè citati*, Gregor. Lopez *eadem l. 54 verſ. En las puentes.* Gutierrez *allegat. 10. num. 2.* Gloſſator *ſuper deciſionem 78.* Guido Papæ.

16 Tertiò limita, quando tranſitus per illa itinera publica ſit frequens, aliàs non tenentur Clerici. Sic Rebuffus *ibi n. 7.* Gloſſa *l. ad inſtructiones, C. de ſacroſanct. Eccleſ.*

17 Quartò limita, quando Eccleſia habet aliquas res temporales ibi; ſecus, ſi non habeat, vt Franciſcani. Sic Baldus *dicta l. ad inſtructiones.* Rebuff. *ſuprà n. 5.* Cæpolla *proximè citatus*, Azebedo *dicta l. 11. n. 7.* Guillelm. Benedictus *n. 469.* Mexia *pragm. panis, concl. 1. n. 61.*

18 Immo Baldus dicit non teneri, quando Eccleſia habet poſſeſſionem; ea tamen eſt ſterilis: dicit tamen Azebedo ſat eſſe, vt teneatur Clericus, ſi habet in oppido fructus beneficij.

19 Quintò limitant alij, modò laicorum bona non ſat ſint. Sic Azebedo *dicta l. 11. n. 7.* Ricard. *dicto art. 4.* Stephanus *tract. in defenſionem immunitatis Eccleſiæ, pag. 112.* Sed hanc limitationem non approbo, nec cæteri eam ponunt, nec vſus obſeruat: ſed cùm hæc ſint in commune bonum laicorum, & clericorum, omnes debent contribuere. Ex hac ſententia.

20 Infertur primò, quòd ad ſiſam impoſitam, vel gabellam aliam pro reparatione viarum, &c. caſu quo laici tenentur ad hæc contribuere, tenentur clerici. Ratio quia huiuſmodi gabella ſubrogatur loco prædictorum onerum, ad quæ tenentur clerici, & collecta impoſita pro aliquibus oneribus regulatur ſecundùm naturam onerum, in quorum locum ſubrogatur. *l. eum qui, §. iniuriarum. ff. ſi quis eaut.* Sic Panormitan. *cap. non minus. de immunit. Eccleſ. fine.* Ricard. *quodlib. 2. q. 30. art. 6.* Sylueſt. *Immunitas, 1. q. 6. dicto 1.* Ang. *verbo Immunitas, n. 38.* Ripa *in titulum de muner. & honor. reſponſ. 1. n. 3. 4. 5. 6.* vbi refert Guidonem, Firmianum, & multos alios; idem Thomas Grammaticus *deciſ. 100. n. 26.* Bald. *l. ad inſtructiones, C. de ſacroſ. Eccl. n. 2.* Azebedo *l. 11. n. 7. tit. 3. lib. 1. recop.* & ſic dicit Placentiæ, & Salmanticæ vidiſſe factum in impoſita pro aquæductibus. Gutierr. *lib. 1. pract. q. 3. n. 6.* Cæpolla *de ſeruit. ruſtic. prædior. tit. de ſeruitute viæ, q. 25.* Ludouic. Lopez *1. p. inſtruct. noui, cap. 190, fol. 451.*

21 Et per hoc, inquit bene Ludouic. Lopez, venit temperandum quod dicit Merina *C. de reſtitut. q. 15. fol. 54. pag. 3. verſ. videtur igitur*; vbi ait, eſſe tyrannidem, petere ſiſam à Clericis, & Nauarr. *cap. 17.* Hiſpan. *n. 201.* Latin. *n. 202.* vbi damnat petentes ſiſam à Clericis; intelligendum enim eſt iuxta dicta, niſi petatur pro oneribus, ad quæ tenentur Clerici contribuere.

22 Secundò infertur teneri Clericos ad gabellam impoſitam pro præſeruanda, vel liberanda ciuitate à peſte; quia in hac agitur etiam de Clericorum vtilitate. Ripa *in titulum, de muner. & honor. reſponſ. 1. n. 8. & tract. de peſte, tit. de remediis præſeruatiuis, remedio 9.* Dueñas *regula 100. limitat. 17.* & per hoc dicit. Ludouic. Lopez *1. p. inſtruct. noui, cap. 190. fol. 451. pag. 1. verſ. per hanc* quòd tempore peſtis graſſantis Hiſpali tenebantur Clerici contribuere pro expenſis factis in educendo infectos peſte extra ciuitatem, ne inficerentur ſani; quia in hoc, inquit, tractatur de priuata Clericorum vtilitate.

23 Tertiò infertur minus benè ſenſiſſe Innoc. *cap. non minus, de immunit. Eccleſ.* vbi dicit teneri Eccleſiam ad tributum aduentu Principis: quem reprobat Panorm. *ibi n. 16.* quia Imperator non potuit ad hoc obligare Eccleſiam.

24 Quartò infertur, quòd licèt regulariter non poſſint cogi Clerici vendere ſuas res, vt optimè probat Perez *lib. 1. ordinament. titul. 3. l. 1. folio 57.* & patet *cap. 1. de immunit. Eccleſ. in 6.* at propter communem neceſſitatem, & publicum bonum defecit; quare tempore neceſſitatis, & publicæ annonæ frumenti tenentur Eccleſiaſtici deferre triticum, ſi quod habent vltra ſibi neceſſarium, in forum vendendum. Sic Mexia *pragmatica panis, concluſ. 1. numero 64.* Perez *lib. 1. ordinament. titul. 2. l. finali.* Gregor. Lopez *lege 54. titul. 6. pag.* Auiles *cap. 23. Prætorum*, Gloſſa *den orden, n. 4.* Queſada *quæſt. iuris ciuilis, cap. 4. num. 15.* Richard. *quodlib. 2. q. 30. art. 4.* Riminaldus *conſil. 2. n. 10.* & communis.

14 Nota primò limitandam eſſe hanc ſententiam, niſi oppidum habeat propria: ſi enim hæc habet, & ſufficientia ſunt, vel id, in quo ſufficiunt, priùs expendendum eſt in hæc opera publica, & quod deficit, eſt contribuendum à Clericis, & laicis, *1. nouæ recopil.* & *ibi* Azebedo *n. 2.* Auiles *dicta gloſſa den orden, n. 2.* Ricard. *quodlib. 2. c. 30. art. 4.*

15 Secundò limita, quando talis reparatio murorum eſt propter neceſſitatem, & non propter ornatum ſolum. Sic Menchaca, Rebuffus *n. 4.* Auiles *n. 4.* Ricard. *art. 4.* Mexia *n. 61.* Bald. *n. 1.* Guillelmus *n 468.* Azebedo *n. 7.* Dueñas *limit. 16. proximè citati*, Salizetus, Iacobus Butricatius, Albericus *proximè citati*, Gregor. Lopez *eadem l. 54 verſ. En las puentes.* Gutierrez *allegat. 10. num. 2.* Gloſſator *ſuper deciſionem 78.* Guido Papæ.

16 Tertiò limita, quando tranſitus per illa itinera publica ſit frequens, aliàs non tenentur Clerici. Sic Rebuffus *ibi n. 7.* Gloſſa *l. ad inſtructiones, C. de ſacroſanct. Eccleſ.*

17 Quartò limita, quando Eccleſia habet aliquas res temporales ibi; ſecus, ſi non habeat, vt Franciſcani. Sic Baldus *dicta l. ad inſtructiones.* Rebuff. *ſuprà n. 5.* Cæpolla

Universidad de Deusto
Biblioteca



prehendere Clericos, licèt ipsis damnum inferat, propter publicum bonum. Fauent etiam Bartol. *l.iubemus nullam,C.de sacrof.Eccles.* Azebedo *l.11.tit.3.lib.1. recopil.num.2.* Gregor.Lopez *proximè citatus*, vbi dicunt teneri clericos mittere rem suam,vt nauim, vel currum,ad deferendum victualia, & necessaria reipublicæ: & sic habetur *illa iubemus*;& licèt Panorm. *cap.non minus, de immun.Eccles.n.16.* dicat hoc non procedere de iure canonico, quod verum est;at saltem erit verum, quando est magna, & vrgens reipublicæ necessitas ob bonum publicum.

25 Secundum,quod vertitur in dubium, est,an supposito, Clericos teneri contribuere ad ea, quæ sunt in communem vtilitatem, vt refectionem pontium, &c. vt diximus, sit necessaria licentia Papæ, vt contribuant, siue contribuere teneantur, siue id sponte velint facere.

Duplex est sententia.

26 Prima dicit non esse necessariam licentiam Pontificis: &*ad cap.aduersus,de immun. Eccl.* quod esse necessariam apertè decidit, respondet quod procedit, quando Rectores, & consules vellent aliquid imponere Clericis de nouo; tunc ad hanc impositionem, ne fingatur esse commodum, quod verè non est, debet consuli Papa, secus quando clericis nil noui inducitur, sed petitur, vt iuxta legum statuta cum aliis contribuant in iis, quæ bonum commune directè respiciunt, & ipsi non minus, quàm laici, commodum reportant,quia non est præsumendum velle aliquid contra ea, quæ iuri, & rationi naturali consona sunt, demandare: fauet *idem cap.aduersus*, vbi dicit: *Propter imprudentiam tamen quorundam prius Pontifex consulatur.* Ergo loquitur reuera vbi nouum aliquid imponitur, & potest interuenire imprudentia. Sic Lucas de Penna latiùs probans *l.cùm ad felicissimam, C.quibus muner.lib.* 10. Auiles *cap.23. Prætorum*,Glossa *den orden.n.5. & 6. vsque ad n.9.* Eam probat Card.*cap.non minus, de immun.Eccl.numero 9.*& videtur tenere apertè Hostiens.*summa, tit. de immun.Eccl.§.à quibus, num.4.versic. Item hæc vera sunt, & num.5.initio,vers.ergo.*vbi dicit,*cap.non minus,& cap. aduersus*, loqui,quando aliquis dominus inferior Imperatore, vel Rege, munera ipsa indiceret Ecclesiis, quia non est verisimile velle Papam in hoc Imperatori, vel Regi derogare. Pro eadem est apertè Montaluus *lib. 1.legum fori, tit.5.l.1.vers.in contrarium*, vbi dicit iura canonica loqui in tributis, ad quæ non tenentur clerici; & Richard.*quodlib.2.q.30. art. 6. fine*, expresè est pro hac sententia,explicat enim, vt loquatur *cap. aduersus*, quando non sufficiunt bona communia. Et hæc sententia probabilis est iis DD.

27 Secunda sententia omnino tenenda docet esse priùs consulendum Romanum Pontificem, quia sic expresè deciditur *cap.aduersus, de immun. Eccl.* Sic tenent Glossa *cap.non minus,de immun.Eccl.vers.Tantam*; vbi Panorm.*num.*18.Gregor.Lopez *l.54. vers. en las calcadas,tit.6.part.1.*Syluest.*immunitas* 1.*quæst.*5 *dicto* 4.Angel.*verbo immunitas n.*37.Ludou.Lopez *1.p.instruct.noui,cap.*190.*fol.*450.Azebedo *l.11.recop. num.7.* Calder. *tit.de censibus,consil.2.num.*3 Philippus *cap.non minus,de immun.Eccl.* Blasius Nauarrus *de vectig.cap.10.paulo post principium*,Gaspar Stephanus *de defensione immun. Eccl. fol.*113.*&* 63.D.Antonin.3.*p.tit.*12.*cap.*3. §. 2. Tabien. *excommunicatio,*5.*casu* 18 *num.*4. *vers.* 3. Gutierr. *lib.* 1. *pract.q.*3.*n.*6. Decisio Pedemontana 68.*n.*20.21. Balbus in consilio,quod habetur typis excusum post eam decisionem.*n.*29.30.Metina *C. de restitut. q.*15.*fol.*58 *pag.*3. *vers.videtur igitur.* Et insuper probatur hæc sententia ex *Extranagant.1.de immun.Eccl.* vbi præcipitur districtè Episcopis, vt nullo, vel titulo concedant laicis talem retributionem absque Romani Pontificis licentia: & tandem in Concilio Lateranensi nouissimè, celebrato sub Leone X. anno 1521. *sess.9. sub finem*, §. *& cùm à iure tam diuino*, &c. vbi hæc verba habentur: *Innouamus omnes Apostolicas sanctiones in fauorem libertatis Ecclesiasticæ contra eius violatores quomodolibet editas: & cùm in Lateranensi,pariter ac Conciliis Generalibus sub excommunicationis pœna prohibitum fuerit,ne Reges,Principes,Duces,Comites, Barones, Respublicæ, & alij Potentatus quicumque regnis, prouinciis, ciuitatibus, ac terris ququo modo præsidentes,collectas,decimas,& alia huiusmodi onera Clericis, Prælatis & aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis imponant exigántque,néve à sponte etiam dantibus,& consentientibus recipiant, atque in præmissis auxilium,fauorem,vel consilium,palam, vel occultè præstantes, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incidant: & ipsæ quoque respublicæ,ac communitates, & vniuersitates circa hoc quomodolibet deliquentes Ecclesiastico eo ipso subiiciantur interdicto: Prælati etiam præmissis absque expressa Romani Pontificis licentia vltrò consentientes excommunicationis, & depositionis pœnam ipso facto incurrant; statuimus,& ordinamus, vt de cætero talia supradictas pœnas,quas contraueniendo ipso facto incurrere volumus,innouamus, quòd ad omnes actus legitimos inhabiles, & intestabiles habeantur.* Hæc *ibi.* Atque idem tenet Riminaldus *consil.num.*26.

28 Aduerte tamen quòd vbi tanta necessitas immineret, quòd non posset absque aliorum scandalo, & periculo priùs consuli Romanus Pontifex, sat esset tunc deliberatio Episcopi, & Clericorum, argumento *l. tutor,qui repertorium,ff.administ.tutor.*& ratio est, quia necessitas caret lege. Sic Panorm.*ibi n.*19. & Gregor. Lopez,Syluest.Angel. Tabien.Ludou.Lopez Azebedo,Gutierrez,Decisio Pedemontana,Balbus *ibid.*

29 Tertium, quod vertitur in dubium est,supposito, Clericos teneri ad hæc contribuere, an cogi possint ad id per iudicem sæcularem.

Duplex est sententia.

30 Prima ait posse iudicem sæcularem ad hoc cogere Clericos. Probatur primò ex *l.3.tit.3.lib.1.recop.* vbi sic dicitur,*Mandamos,que ningun juez, ni señor, no apremie clerigos,iglesias,ni monasterios, que pechen,ni contribuyan, &c.saluo en aquellos casos, que se contienen en la ley deste titulo,que comienza,Exemptos,que es la ley* 11.vbi præcipitur,vt contribuant ad refectionem pontium: ergo a contrario sensu potest in hoc casu cogere, quia argumentum à contrario sensu est fortissimum in iure, *l.1. ff.de offic.eius,cui mand.est, & cap.cùm Apostolica,de his, quæ fiunt à Prælat.* Secundò probatur ex doctrina Alberici *auth. statuimus, n.7. C.de Episc. & Cleric.* vbi dicit, Clericum posse conueniri coram laico quoad onera realia, quæ directè inspiciunt ipsam rem: at hoc est onus reale, non enim hoc debet Clericus ratione personæ, sed ratione rei, quia scilicet habet bona temporalia in eo oppido, nec est distringenda persona Clerici, sed res eius; ergo. Tertiò probatur, quia Clericus negotiator potest cogi ad soluendum alcaualam à iudice sæculari, non capiendo personam, sed res, eo quòd debet illam ratione rei, circa quam negotiatur, vt docent Azebedo *l.11.tit.3.lib.1.recop.n.* 5. Mexia *pragmat. panis,concl.5.n.*23. Lasartè *de decima venditionis, cap.* 13. *n.*84. & colligunt ex *l.7.tit.*18.*lib* 9. *nouæ recop.* vbi dicitur hos Clericos teneri soluere gabellam, sicut laicos: immo addit ibi Lasarte *n.*85.quòd si est dubium, an sit negotiator, potest iudex sæcularis de causa cognoscere: ergo similiter in nostro casu. Hanc tenet Balbus in consilio, quod habetur typis excusum post decisionem 68. Pedemontanam; vbi postquam dixerat Ecclesiasticos non esse compellendos per iudicem sæcularem, dicit *num.* 39. quòd hoc non procedit per solitam obseruantiam in contrarium expressam, manifestámque tolerantiam Papæ, & vniuersalis Ecclesiæ; quia officiales laici pro obtinendis contributionibus in his muneribus à Clericis, faciunt executionem in suis bonis, & fructibus beneficiorum, ex his enim censetur tacita dispensatio sic faciendi, cùm concurrat tolerantia Papæ, & Ecclesiæ. Idem tenet Olanus *in concordia iuris*; cùm enim *littera C. numero* 38. *&* 39. dicat videri vsu receptum, quòd iudex sæcularis cogat Clericos, at se neseire, quo iure, aut qua ratione; at epilogo legum partarum, quem ponit *in fine illius libri, num.* 3. sic dicit, lex 54.*tit.6.p.*1. dum aît sæcularem iudicem non posse cogere Clericos ad prædictam contributionem, esse correctam per contrarium vsum. nam hodie etiam Clerici conueniuntur per iudicem sæcularem, & compelluntur ad dictam contributionem. Idem tenet Richard.*quodlib. 2. quæst.* 30.*art. 5.* & Ægidius Tomatus *tract.de collectis, cap.quod incipit, videndum nunc est, à num.*3.*fol.*247.*vsque ad num.*10 *fol.* 256. latè hoc probans, & *eo num.* 10. concludit sic esse tenendum. Idem videtur approbare Quesada *quæst.iuris ciuilis,cap.4.num.* 14.15.idem Gloss.*cap.Princeps sæculi,* 23.*q.*5.*vers. intra Ecclesiam*, vbi ponit multos casus, in quibus laici habent iurisdictionem in Ecclesiam, & vnus est, cùm tributum petunt ab Ecclesia. Idem tenet expresè Auiles *cap.*23.*Prætorum*, Glosla *den orden.num.* 11. vbi dicit, quòd quando iudex Ecclesiasticus requisitus non vult, debet cogere sæcularis; & latè probat. Pro eadem est Rebuffus 1.*tomo constitut.regiar.Franciæ,tit. de sententia prouisionali glossa 6. num. 6.* vbi refert sæpè coactos esse Clericos in regno Franciæ à Regio senatu Parisiensi; & *num.*7. concludit, in hoc casu sententiam iudicis regij esse executoriam, siue iudex condemnarit aliquos ad reficiendum, siue ad dandum pecuniam pro refectione; & *num.* 2. dicit, in hoc casu non esse dandum locum appellationi. Sed hoc testimonio Rebuffi nihil probatur: quia loquitur in Gallia, in qua est priuilegium Bonifacij VIII. vt possit Rex cogere Ecclesiasticos ad hanc contributionem; quod ad pedem literæ refert. Guillelmus Benedictus *cap. Raynucius, de testam. verbo, & vxorem nomine Adelasiam, decis.*5.*num.*474. qui antiquior fuit Rebuffo, refert enim ibi Rebuffus Guillelmum Benedictum, & videntur apertè idem tenere Guillelmus Benedictus*ibi n.*470. dans doctrinam vniuersalem, & Mexia *taxa panis,concl.5.n.* 64. vbi dicunt posse laicum cogere, vel quando est periculum in mora, vel quando iudex Ecclesiasticus requisitus negligit, vel plus debito differt, attento (inquit Guillelmus Benedictus) quòd videmus iudices Ecclesiasticos in talibus esse rebelles,& plus debito remissos.

31 Secunda sententia omnino tenenda docet non posse iudicem sæcularem, sed conueniendum esse Clericum coram iudice Ecclesiastico. Probatur primò ex aperta decisione *l.* 54 *tit.6.p.*1.vbi postquam definierat Clericos teneri contribuere ad refectionem pontium, &c. subdit lex. *Pero para esto hacer no los deuen apremiar los legos,mas dezir los que lo fagan,y si ellos no lo quisieren fazer,han de mostrar lo a los Prelados, que se lo hagan fazer.*Quòd si dicas esse derogatam per contrariam consuetudinem, non constat de tali consuetudine, eâque toto Clero reluctante, introducitur: & præterea quotannis promulgatur Bulla Cœnæ, de nouo prohibens personas Ecclesiasticas grauari à laicis quocumque onere: si dicas esse derogatam per *l.3.tit.3.lib.* 1.*recop.* citatam pro prima sententia, ex qua apertè à contrario sensu probatur posse laicum, ac sæcularem iudicem cogere Clericos; dico quòd argumentum à contrario sensu non habet vires ad probandum, quando contrarium est expresè alio iure definitum, vt legum correctio vitetur, vt colligitur ex *cap.à nobis,de sentent. excommun.* & tenet Glossa *cap. significasti,de foro compet. vers. Clerici, & ibi* latè Felinus,Nauarr.*apologia in lib.de reddit. quæst. 3.monito* 44. *num.* 2. Gutier.*lib.*1.*pract.quæst.3.num.* 14. Euerardus *in topicis legalibus, in loco,à contrario sensu,* Greg. Lopez *l.* 17.*tit.*1.*part.* 6. *vers. descendiesen*; at hic est contrarium decisum in iure nempe *dicta l.* 54. *tit.*6. *part.* 1. & in iure canonico, vt mox videbimus. Sic respondet Gutier.*ibi* ad illam legem 3. *titul.* 3.*lib.*1.*recopil.* Secundò probatur, quia quidquid sit de lege ciuili, cuius non est circa exemptionem Clericorum disponere, vt probaui secundo fundamento, iure canonico cautum est, ne cogat laicus ad hanc contributionem, *cap. non minus, & cap. aduersùs*; *de immun. Eccles.* vbi præcipitur laicis, vt humiliter & absque vlla coactione, & exactione petant à Clericis. Item per multos textus constat exemptio Clericorum quoad bona, & personas à iurisdictione laica, vt probaui *in primo fundamento*; & in toto iure canonico non inuenitur exceptus hic casus: immo in hoc casu prohibetur coactio, *dicto cap. non minus, & dicto cap. aduersùs.* Item quia ideo Iudex Granatensis non potest pro quouis debito occupare bona incolæ Cordubensis, quia talis non est de suo foro, & iurisdictione, & bona accessoria sunt personæ: sed similiter Clericus non est de foro, & iurisdictione laica, *capite at si clerici, capite clerici, & capite qualiter, de iudiciis, capite de foro competenti, capite contingit, & multis illius quæstionis capitulis*, 11. *quæstion.* 1. ergo nequit index laicus occupare bona Clericorum pro hac contributione. Item, quia in dubio melior est conditio possidentis, nec propter dubium spoliandus est quis iure certo, quod possidet, at omnimoda exemptio à iurisdictione laica quoad personas, & bona est certa de iure canonico etiam in hoc casu: quòd autem derogata sit vsu, est valde dubium, & cùm hæc sit causa Ecclesiastica, dubium hoc per iudicem Ecclesiasticum terminandum est; sicut quando dubium est,an quis sit Clericus,& Ecclesiæ iurisdictionis, non debet hoc determinare iudex laicus, & sæcularis, sed Ecclesiasticus, vt habetur *cap. si iudex, de sententia excommunicationis. in 6.* & *ibi* redditur ratio, qua de re Ecclesiastica tractatur: & sic docet *ibi* Franeus, Glossa, & omnes,vt refert & sequitur Couar. *pract.quæst.cap.*33.*numero* 1. vbi multos alios refert, dicitque sic apud Hispanos seruari: immo vbi contingit quæstio inter iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem de iurisdictione,iudex Ecclesiasticus propter maiorem suam authoritatem cognoscet, an sua sit iurisdictio, vt docet Gutierrez *lib.*1. *pract. quæst.6.num.*2. Perez *in rubric.tit. 1.lib.1. ordin.* Couar. *vbi suprà*, Anton. *cap.caterum, de iudic.* Felin.& Decius *c. pastoralis, in princip. de rescript.* Iason *l.2. ff.si quis vocatus in ius non venit.* Ergo in hoc dubio velle iudicem sæcularem spoliare Clericos sua exemptione, ipsos cogendo contribuere, velléque hanc causam,quæ merè Ecclesiastica est, cùm de personis Ecclesiasticis,& de exemptione Ecclesiastica tractetur, propria authoritate definire, Clericos cogendo,manifestè est iniquum,maximè,quia in ambiguis religionis quæstionibus summa est ratio,quæ pro religione facit: vt expresè his verbis dicitur *l. sicut personæ, in fine, ff. de relig. & sumtib. funer.* & affert ad hoc propositum Panorm.*c.non minus, de immun. Eccles. num.*18. *prope finem.* Et confirmatur, quia quoties dubium est, an reus gaudeat immunitate Ecclesiæ, iudicis Ecclesiastici est hæc cognitio, vt bene Perez *lib. 1. ordin. tit. 2. l. 7.* & quando dubium est,an Clericus gaudeat fori priuilegio ob aliquam causam, iudicis Ecclesiastici est de hoc cognoscere,vt bene Couarr. *proximè citatus*,Paz *pract.*1.*tomo, præludio* 2.*n.*9. Ergo in hoc dubio immunitatis Ecclesiæ iudex Ecclesiasticus debet cognoscere, & non potest sæcularis cogere, nec occupare bona. Tandem quia non obstant adducta pro prima sententia. nam ob legem regni iam responsum est. Nec doctrina Alberici obstat, ea enim non est certa: & esto esset certa, loquitur Albericus, quando fundus obligatus alicui censui per laicum deuenit ad Ecclesiam: tunc enim, quia res transit cum suo onere, & fundus habebat illud onus reale, & subiectum erat illud onus iudici laico, eo quòd impositum fuit per laicum, & in fundo laici, ideo (inquit) postea iudex laicus fundum

Universidad de Deusto
Biblioteca



fundum illum pro eo censu occupare: quod quam diuersum est in nostro casu, quis non videat, cùm hîc nulla sit obligatio realis, nec contracta per laicum soluere Neque obstat id, quod adducitur de Clerico negotiatore; falsum enim est posse cogi per laicum soluere gabellam: nec id dicit lex *ibi citata nouæ recopil.* sed tantùm dicit in hoc casu teneri soluere gabellas, sicut tenentur laici; non verò quòd ab eodem iudice debeant cogi: & sic Lapus *Clement. præsenti, de censibus*, & *ibi* Immola *num.* 11. dicunt, quòd si sit quæstio an sint Clerici res eæ, & an causa negotiandi deferantur, debet iudex Ecclesiasticus de hoc cognoscere, vt colligitur ex ea *Clement. in principio, ibi, locorum diœcesani; & in fine*, ibi, *Postquam Episcopo constiterit.* Et idem docet Cardin. *dicta Clement. præsenti, quæst.* 6. & constat ex *supra* dictis. Hanc secundam sententiam tenent Glossa *cap. non minus, de immun. Eccles. versic. Tantam*, & *ibi* Ancharan. *num.* 8. Innocent. *ibi num.* 6. Panorm. *ibi n.* 20. Syluest. *Immunitas* 1. *quæst.* 5. *dicto* 4. Angel. *verbo immunitas, num.* 39. Ludou. Lopez 1. *part. instruct. nouæ, cap.* 190. *fol.* 450. Bald. *l. ad instructiones, C. de sacros. Eccl. num.* 3. & *ibi* Paulus de Castro *n.* 2. Gigas *de pensionibus, quæst.* 90 *n.* 3. Speculator 4. *part. tit. de Clericis coniugatis*, §. 1. *n.* 3. Decisio Senatus Pedemontani 68. *numero* 20. Azebedo *l.* 11. *tit.* 3. *lib.* 1. *recopil. num.* 7. Gregor. Lopez *l.* 5 1. *tit.* 6. *part.* 1. *vers. Pechar.* Pontaluus *l.* 52. *eodem tit.* Hostiens. *summa tit. de immun. Eccl.* §. *à quibus, num.* 2. *vers. merè etiam personalia.* Felin. *c. Ecclesiæ de constit. num.* 106. Ripa dicens nullum contradicere, in titulum *de muner. & honor. responso* 1. *num.* 8. Riminaldus *cons.* 2. *n.* 26. Cylaus *dicta l. ad instructiones*, Cæpolla *de seruit. rustic. prædior. tit. de seruitute viæ. quæst.* 25. Guido Papæ *decis.* 78. & *ibi* eius Glossator, Dueñas *regul.* 100. *limit.* 16. Carolus de Grassalis *in regali Franciæ, lib.* 2. *iure* 6. *vers. cogi.* Calderinus *titul. de censibus, consil.* 2. *num.* 3. Gutierrez *lib* 1. *pract. quæst.* 3. *à num.* 6. & facit pro hac parte, quia licet Clerici aliquando teneantur ad leges ciuiles; at ad earum obseruantiam compellendi non sunt per sæcularem, sed per Ecclesiasticum iudicem, vt benè Gutierrez *ibi numero* 11. Couarruuias *practic. quæstion. cap.* 33. *fine.* Sarmiento *lib.* 7. *select. cap.* 13. *per totum.*

32 Nota. quòd si Episcopus renuat, debet appellari ad superiorem Ecclesiasticum. Sic Gutierrez, *ibi n.* 7. Syluest. Angel. Panorm. Ludouic. Lopez *proximè citati.*

33 Secundò nota, quòd vbi esset periculum magnum in mora, & iudex Ecclesiasticus requisitus recusaret, vel plus debito differret, possent authoritate iudicis laici occupari bona Clericorum pro rata onerum, quia Rex ius habet ad protegendum regnum etiam contra Ecclesiasticos, vbi iudex Ecclesiasticus id renuit, & est periculum in mora. Sic Mexia, & Guillelmus Benedictus citati pro prima sententia, & Auiles *num.* 11. & Balbus *ibi citati, numero* 29. 30. Decisio 68. Senatus Pedemontani *à numero* 23. Azebedo *l.* 11. *tit.* 3. *lib.* 1. *recop. n.* 7. quamuis Gutierrez *dicta quæstione* 3. *numero* 6. & 10. etiam in hoc casu neget posse sæcularem cogere, sed appellandum esse.

34 Quartum, quod vertitur in dubium est, an quando concernit communem vtilitatem Clericorum secundo modo, nempe remotissimè, quia scilicet concernit vtilitatem, & necessitatem totius regni, esto, vt diximus, esset certissimum non teneri regulariter Clericos contribuere, an in aliquo casu speciali maximæ necessitatis teneantur.

35 Sit conclusio. Si Rex haberet vrgentissimas necessitates communes Clericis, & laicis, & bellorum, &c. & bona laicorum non sat essent ad remedium necessarium adhibendum, tunc Clerici tenerentur contribuere ad huiusmodi necessitates. Probatur ex *cap. non minus, & cap. aduersus, de immun. Eccles.* vt probaui *in hoc eodem dubio, difficultate* 1. *num.* 13. nam *ibi* generaliter fit sermo de necessitatibus communibus Clericis, & laicis, quando bona laicorum non sufficiunt; & probatur ex aliis rationibus *ibi* adductis. nam omnes illæ hoc probant. Item probatur ex *l. iubemus nullam, C. de sacros. Eccl.* vbi sic dicitur, *propter publicam vtilitatem concessio cuiusuis prærogatiuæ minuitu dignitatis, religionis, vel personæ cessat.* & *l. nullus, C. de cursu publico, lib.* 12. vbi disponitur, quod nullus debet habere immunitatem tempore expeditionis, licèt sit domus regia, aut sacrosancta Ecclesia: quæ non corriguntur per ius canonicum, imò adiuuantur. *cap. non minus, & cap. aduersus.* Ité, quia ratio naturalis dictat, vt in ea necessitate omnes Principi subueniant, propter bonum commune. Sic Panorm. *c. sicut el* 3. *de iureiur. fine*, & Anchar. *c. non minus, de immun. Eccl. num.* 8. vbi postquam dixerat Clericos teneri ad refectionem pontium, &c. subdit hæc: Vnde possumus dare generalem doctrinam, quòd vbi tractatur de generali vtilitate laicorum, & Clericorum, tenentur Clerici. Quam doctrinam generalem approbat decisio Senatus Pedemontani 68. *num.* 10. referens. Ripam *lib.* 2. *respons. cap.* 20. & Balbus *in consilio post illam decisionem typis excuso num.* 6. Idem tenet Ricard. *quodlib.* 2. *q.* 30. *art.* 4. Guillelm. *cap. Raynutius, de testam. verb. & vxorem nomine Adelasiam, decis. num.* 469. Perez *lib.* 1. *ordin. tit.* 2 *l. fin.* Hippolytus de Marsiliis *practica crimin.* §. *Aggredior, num.* 63. Speculator 4. *part. tit. de Clericis coniugatis* §. 1. *num.* 3. facit Bald. *l. iubemus nullam, C. de sacros. Eccles. in* 1. & 2. *notab.* vbi notat per illum textum, quòd à necessitatibus immmentibus propter bellum, nullus potest se excusare ratione alicuius priuilegij, quia publica (inquit) vtilitas est cuilibet priuilegio præferenda: & quia priuilegium immunitatis generaliter concessum non includit casum publicæ vtilitatis contrarium. Faciunt etiam ad hoc alij Doctores dicentes, quòd generalis concessio immunitatis ab oneribus non extenditur ad casum superuenientis nouæ necessitatis propter bellum: hi sunt Paulus de Castro *l. ad instructione, Cod. de sacros. Eccl. fine* Alexand. *à fex toto, ad finem ff. de legat.* 1. & *ibi* Dynus, Albericus, & Iason. alios referens *à n.* 7. *vsque ad* 18. & communis, vt testatur hoc non improbans Felinus *cap. nonnulli, de rescriptis, n.* 16. *vers. adeuitandos, fine.*

36 Oportet tamen, vt intercedat licentia Papæ, nam iudex laicus non potest cogere, vt latè dixi.

37 Ex his infertur decisio casus, de quo consulrus fuit Granatæ; cùm enim Rex peteret à ciuitate Granatensi, vt contribueret certam summam pecuniæ ad propugnandas classes Indicas aduersùs hæreticos illas partes infestantes, sicut & aliqua pars Regni contribuebat: ciuitas Granatensis concessit, ea tamen conditione, vt Rex facultatem conederet ciuitati arbitrandi circa media, quæ assumi possent, vnde summa illa contribuenda deduceretur, & quòd ab eiusmodi contributione nemo siue nobilis, siue clericus excusaretur, ad quod si opus esset, Pontificis facultas impetraretur. Annuit Rex, & absque aliqua Pontificis licentia arbitrata fuit ciuitas, vt exta, & capita arietum, quæ priùs ipsius ciuitatis ordinatione, & iussu singula dimidio argenteo dabantur pauperibus, pretio arietis appenderentur: quod fuit factum, vt quòd pauperibus pollis erat dimidio argenteo, pòst tribus venderetur argenteis, atque hic excessus pretij ad prædictam contributionem applicaretur. Rursus fuit arbitrium ciuitatis, vt ex pretio singulorum arietum, qui venderentur in macello, quod vocant, *Rastro*, venditor, siue laicus, siue Clericus solueret duos argenteos. Dubitatur an hoc sit licitum. Queritur Clerus, quòd absque licentia Pontificia cogitur soluere, & contribuere ex arietibus, quos vendit, atque ex capitibus, & extis, quæ emit: insuper quòd imponendo laicis duos illos argenteos super quolibet ariete vendendo, necessariò ij cariùs vendunt: vnde indirectè grauantur Ecclesiastici, quia cariùs emunt. Ciuitas allegat pro se, prædicto arietis pretio exta alibi vendi, eséque priuilegium, & fauorem Granatæ ea vendi adeò vili pretio, videlicet dimidij argentei: atque ita ipsa ciuitas modò vult cedere suo iuri, & boni vía reginimis statuere, vt fiat Granatæ id ipsum, quod aliis in locis fieri consueuit.



38 Sed dico primò, manifestè iniustum esse sic imponere contributionem Clericis. Primò, quia licèt vtilitas sit communis totius regni, & sic Clericorum: at non constat facultates laicorum non sat esse ad prædictam contributionem, imò ipsi fatentur, quotannis superesse sibi plusquam Clerici contribuunt. Item esto non sic sint, at contribuunt tam habentes temporalia bona, quàm non habentes, & vt vidimus, tantùm habentes temporalia bona tenentur contribuere, etiam iuxta sententiam affirmantem Clericos teneri contribuere. Item licèt secundùm aliquos non requiratur licentia Papæ, multo magis communis; & mihi certa sententia est requiri, vt vidimus, at hic non est licentia Papæ. Item esto non esset licentia Papæ necessaria; at debet deliberare Episcopus, & Clerus, vt apertè habetur *cap. non minus, & cap. aduersus, de immun. Eccles.* an talis, & tanta sit necessitas, vt teneantur ipsi contribuere; hic autem talis deliberatio non interfuit, nec proposita est causa ipsis, vt deliberarent, sed ab ipsis non auditis, sicut à laicis exigitur. Item licèt aliqui dicant contra communissimam sententiam, & ius canonicum expressum, posse cogere iudicem sæcularem Clericos ad contribuendum; at id affirmant, quando iudex Ecclesiasticus requisitus renuit compellere; at hîc iudex Ecclesiasticus non est requisitus, nec proposita causa coram eo. Item quia, vt *supra* diximus, quando dubium est de immunitate Clericorum, iudicis Ecclesiastici est de hoc cognoscere, & audita parte, vt spolientur iure, quod possident: at hîc in dubio cognoscit iudex sæcularis, & spoliat immunitate, quam iustè possidet Clericus ipso non audito. Item quia *cap. si iudex, de sent. excommun. in* 6. habetur, quòd quando dubium est, an is, quem iudex sæcularis punire vult, est Clericus, debet cognoscere Ecclesiasticus, vocato tamen ad id iudice sæculari, cùm tamen ea sit causa Ecclesiastica; ergo manifestè iniustum est, quòd cognoscit in hac causa sæcularis, & non citato iudice Ecclesiastico; & sic visum est multis iussu Archiepiscopali ad hoc congregatis: id renuere nonnulli docti recentiores.

39 Dico secundò, quoad duos argenteos, qui à Clerico exiguntur pro ariete, quem vendit, manifestè est iniustum, vt probaui; quia imponitur authoritate sæculari gabella Clericis: ita iidem.

40 Tertiò dico. Impositionem factam sæcularibus arietes vendentibus in macello, quod vocant *Rastro*, quòd scilicet ex singulorum arietum pretio duos soluant argenteos, non esse illicitam, licèt inde resultet, quòd Ecclesiastici cariùs emant. Probatur, quia non est iniustum tributum, eo quòd indirectè grauentur Clerici. nam ex alcauala, & vectigalibus, id est, *pasajes*, quæ mercatores ex mercibus soluunt, quas ab vno loco in alium transuehunt, & vendunt, sequitur, quòd Clericis cariùs stent merces illæ, & non ob id sunt iniusta vectigalia illa. Insuper hanc sententiam tenent aliqui Doctores, qui proponunt hunc casum, an possit imponi tributum super carnibus, vino, &c. indistinctè sine exceptione Ecclesiasticorum: & obiiciunt videri non esse licitum, quia inde indirectè grauantur Clerici, cùm hæc cariùs emant: & posita hac obiectione, respondent, quòd si faciunt animo iniuriandi Cleticis, & extorquendi pecunias, alio modo extorquere nequeunt, est illicitum; si verò non hoc animo, quia licèt non essent Clerici, adhuc imponerent, nec imponunt magis super his, quæ sæpiùs emuntur à Clericis, est licitum, nec possunt conqueri Clerici. Sic respondent Sylvest. *Immunitas*, 1. *quæst.* 6. *fine.* Ludou. Lopez 1. *part. instruct. noui, cap.* 190. *fol.* 451. *pag.* 2. Richard. *quodlib.* 2. *p.* 30. *art.* 6. Astensis *lib.* 6. *summæ, tit.* 30. Angel. *verbo Immunitas, num.* 42. ait in hoc casu, constat non malo animo iniuriandi Clero imposuisse, quia licèt non essent Clerici, imposuissent, & magis imposuerunt in iis quæ sæpiùs emuntur à Clericis: sic tenuerunt docti recentiores Magistri.

41 Nota, quòd Richard. *ibi* ait quòd si malo animo imposuerunt, scilicet animo iniuriandi Clericis, tenentur restituere; at cæteri Doctores tantùm dicunt peccare imponendo, & nihil dicunt de restitutione: & ita credo deceptum esse Ricardum, sicut in exemplo, quod adhibet, deceptus est. nam quoties res ipsa à parte rei non est contra iustitiam, malus animus non facit, vt sit contra iustitiam, nec causat restituendi vinculum, sed efficiet, vt peccatum sit contra charitatem, & sic sufficiet de malo animo pœnitere, vt patet in iudice malo animo vindictæ puniente malefactorem, vt optimè docent Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 1. *n.* 72. *fol.* 43. & *n.* 78. 79. *fol.* 45. & *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. *fol.* 395. vbi hæc verba dicit: Si secluso mala intentione nulla est restituendi obligatio, perperam dicitur quòd ob malum animum talis obligatio consurgit, cùm non intentio nocendi, quæ manet in mente nocentis, sed opus externum nociuum restituendi vinculum generet. Idem Couarr. *regul. peccatum* 2. *p.* §. 7. *num.* 8 *concl.* 2. & 5. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art.* 2. *fol.* 255 *pag.* 1. *dub.* 9. & latè Nauarr. *in omnibus summis, cap.* 17. *num.* 70. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *concl.* 5. *fol.* 210. Soto *lib.* 4. *de iust. q.* 6. *art.* 3. *vers. Illa tamen* Adrian. 4. *materia de restit. quæst. Consequenter quæro, virum impediens.* Angles *floribus* 2. *p. quæst. de Clericis restitutioni obnoxiis, fol.* 208. Salon 2. 2. *q.* 62 *art.* 2. *controuers.* 25. *fol.* 721. Si ergo impositio hæc tributi, cessante malo animo, esset iusta, malus animus non efficiet, vt iniusta sit, sed contra charitatem: vnde nec contrahetur excommunicatio, quia excommunicatio est contra grauantes Ecclesiasticos tributis iniustis: hoc tributum non imponitur Ecclesiasticis, sed laicis. Sic etiam docti neoterici: & confirmatur ex dicendis *infrà*, vbi multi cum Bart. approbant tributum in fraudem Cleri.

42 Quartò dico, quod attinet ad impositionem super extis, esse manifestè iniustum; quia licèt non esset iniustum sancire non via tributi, & vectigalis, sed boni regiminis, quòd exta venderentur pretio arietis, & quòd hoc pretium sit domino, sicut & in aliis locis fieri assolet: at hoc sola authoritate sæculari imponere, vt tributum, & vectigal Regi soluendum etiam ab Ecclesiasticis, est iniustitia manifesta, hoc enim est iam tributum. nam si tale non esset, totum illud pretium domino rei esset soluendum. Et patet à simili, quando libra arietis constituitur vendi viginti marauetinis, posset quidem rectè constitui, vt viginti vno venderetur tam Clericis, quàm sæcularibus; at si ille vnus marauetinus adderetur supra viginti per modum assisij, id est *sisa*, ad aliquam communem vtilitatem, iam erit tributum, quod proinde iniustè exigeretur à Clericis non concurrentibus conditionibus requisitis: atque ita senserunt valdè docti recentiores.

## DVBIVM LVI.

*An Episcopi peccent mortaliter non denunciando excommunicatos laicos iniustè exigentes gabellas à Clericis.*

1 Sit prima conclusio. Episcopi vltrò consentientes talibus impositionibus absque Romani Pontificis expressa licentia, non tantùm peccant mortaliter, sed etiam excommunicationem, & depositionem incurrunt. Sic habetur expressè in Concilio nouissimo Lateranensi *sess.* 9. sub Leone X. *sub finem*, §. *& cum autem*, cuius verba retuli *dub. præced.* & antiquitus *cap. clericis, de*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*de immunit. Eccl. in 6.* excommunicabantur non tantùm laici exigentes, sed Clerici acquiescentes, & soluentes: quod restrictum erat per *Extrauag. 1. de immun. Eccl.* & postea omnino sublatum quoad soluentes, *Clement. vnica, eodem tit.* at dictum Concilium Lateranense innouat omnes Apostolicas sanctiones in fauorem immunitatis Ecclesiasticæ, & excommunicat Prælatos vltrò consentientes.

2 Secunda conclusio. Peccant etiam mortaliter Episcopi non denunciantes excommunicatos, ciuitates interdictas petentes à Clericis tributa, postquam ipsis constiterit, quia id iubetur verbis præceptiuis, *Clement. præsenti, de censibus, & Extrauag. 1. de immun. Eccles* maximè commendatur Episcopis, ne id consentiant. Sic Glossa *ea Clement. præsenti initio*, Nauarr. *summa c. 17. Hisp. n. 201. Lat. n. 202.*

3 Nota quòd illud, si Episcopis constiterit, debet esse parte vocata, & audita. Sic Glossa *ibi versic. Constiterit.* Stephanus, & Guillelmus *ibi*, & Immola *ibi numero 14.* Cardin. *ibi quæst. 9.* Nauarr. *ibi*; quod verum est licèt factum sit notorium, adhuc enim debet pars citari. Sic Stephanus, & Guillelm. Immola *ibi numero 15. 16.* Cardin. *quæst. 9.* Hoc tamen limitat Immola *num. 16.* quando nominatim vult procedere Episcopos, nominando personas: secus si generaliter; quia tunc non requiritur citatio.

4 Secundò nota non excusari Episcopos, eo quòd ipsis non constet, quia facilè constare potest. Nauarr. *ibi.*

5 Tertiò nota posse Prælatum de hoc inquirere, etiam non conquerente eo, qui soluit; quia hoc beneficium respicit fauorem totius Cleri, & non huius personæ tantùm, & spectat ad ius publicum, *cap. si diligenti, de foro competenti.* Item respicit periculum animarum, quod versatur in prædicto casu, vt dicitur *dicta Clem. præsenti.* Sic Glossa *ibi vers. Constiterit.* Card. *ibi quæst. 10.* Guillel. & Immola *ibi num. 16.*

## DVBIVM LVII.

*An Ecclesia, & Clerici teneantur ad soluendum tributum annexum rei, quæ peruenit ad Ecclesiam.*

1 SIt conclusio. Si res illa sic erat affecta, antequam veniret ad Ecclesiam, tenetur Ecclesia ad illud: at verò postquam res est facta Ecclesiæ, non potest onere aliquo grauari; quare si ad Ecclesiam res tributaria, aut onerata aliquo onere merè reali deuenerit, siue per viam emphyteusis, siue aliàs, tenebitur Ecclesia ad illud tributum rei annexum, *cap. si tributum, 11. q. 1. cap. tributum 23. q. 8. cap. 1. in fine, de censibus, auth. item prædium, C. de sacros. Eccl. l. final, C. de exact. tribut. lib 10. l. 11. tit. 3. lib. 1. recop. l. 53. 55. tit. 6. p. 1.* Et ratio est, quia licèt per mutationem personæ mutetur qualitas rei propter personam inhærens, *l. licitatio, § finali ff. de public. & vectigal.* & notat Suarez *quæst. maioratus, num. 23.* at non mutatur qualitas rei inhærens ratione ipsius, vt latè probat ex multis Perez *lib. 1. ordin. tit. 5. l. 1. fol. 120. §. Præterea mutatione.* Item quia res transeunt cum suo onere. Sic tenent Aluarus Valascus *de iure emphyteutico 1. p. q. 17. num. 7.* Angel. *cons. 106.* Tiraquell. *de primog. quæst. 43. num. 9.* Glossa *cap. non minus, de immun. Eccles. vers. sub tributo*, & *ibi* Panorm. *n. 15.* Anchar. *ibi n. 5.* Ægidius Tomatus *de collectis cap. quod incipit, Exactio, n. 35. fol. 64.* Otalora *de nobilit. 2. p. cap. 1. num. 9. 10.* Glossa *l. omnes, C. censu, & ibi* Bald. *n. 6.* Greg. Lopez *l. 51. tit. 6. p. 1. vers. Por razon; & l. 55. Clerigos.* Iason *l. placet, in 2. lectura C. de sacros. Eccles. num. 2.* Dueñas multos referens *reg. 100. limitat. 3.* Azebedo *l. 11. tit. 3. lib. 1. recop. n. 8.* Syluest. *Immunitas, 1. 9. 5. dicto 3.* Angel. *n. 36.* Tabien. *excommunicatio, 15. casu 18. n. 3.* Gutierrez *lib. 1. pract. q. 3. n. 15.* Quesada *diuersis quæst. iuris ciuilis, cap. 4. n. 10.* Perez *l. 1. tit. 3. lib. 1. ordin. paulo post principium. §. vnde si pater tributarius, & l. 11. 2. vers. Si tamen onus.* Bart. Platea, Bertrandus, Alciatus, quos refert Aluarus Valascus *suprà.*

2 An verò possit iudex sæcularis capere bona Clerici pro tali tributo, habes *lib. 3. cap. 1. de iudice dub. 30.*

3 Nota tamen hoc esse intelligendum, quando talia, vel res tales sunt affectæ onere tributorum ratione ipsius rei, vt quando affecta sunt ex conuentione partium; secus quando tali onere afficiuntur ratione personæ, vt si tantùm sint affecta, vel obnoxia tributis ex generali legis obligatione, & hypotheca, qua sunt Regi tacitè obligata pro tributis omnia prædia priuatorum, *l. 1. & 2. C. in quibus causis pignus tacitè contrah.* quia tunc si talia bona perueniant ad Clericum, non transeunt cum onere, v. g. quis non est nobilis, Hisp. *Hijodalgo*; sed potiùs ignobilis, vulgò *Pechero*, soluit Regi pro fundo, quem habet, certam seruitij summam, id est, *Pecho*, ob generalem tantùm obligationem ignobilium, si fundus perueniat ad Ecclesiam, non tenetur Ecclesia ad hoc tributum; quia hoc inhærebat rei ratione personæ, & sic mutatione personæ mutatur. Sic Gutierez. Otalora, Syluest. Angel. Tabiena *ibidem.* Perez *dicto vers. vnde si pater tributarius.* Azebedo *dicto numero 8.* & per hoc dicit Azebedo, & Perez esse intelligendam legem 14. *lib. 6 recop.* vbi disponitur, quòd si exemptus emat rem, ex qua venditor soluebat tributum, exemptus non teneatur; quia intelligitur quando soluebat ratione personæ, quia scilicet erat tributarius, & ignobilis, id est, *pechero.* Hinc etiam ueniunt intelligendæ *leges 53. & 55. tit. 6. p. 1.* vbi habetur, quòd si aliquis ignobilis aliquam seruitij summam, id est, *pecho*, solueret pro quodam fundo, & vendat Ecclesiæ, tenetur Ecclesia soluere; hoc enim intelligitur, vt dicit Greg. Lopez *ea l. 53. vers. sea tenudo, & l. 55. vers. clerigos*, remittens se ad dicta per ipsum *l. 51. vers. por razon*, quando erat onus annexum ratione rei.

4 Hinc fit, quòd si Ecclesia, vel Clericus succedat in feudo, vel re feudali, tenetur agnoscere onus, quod recognoscebat vasallus, quia hoc onus non principaliter imponitur personæ, sed rebus ipsis. Sic Innoc. *cap. verum, de foro compet.* Host. summa *tit. de immun. Eccl. § a quibus, fine*, Iason *dicta l. placet n. 20.* Aluarus Valascus *dicto n. 7.* Quesada *dicto c. 4. n. 12.* Lucas de Penna *l. fin. C. de exact. tribut. lib. 10.*

5 Hinc fit, quòd aliqui Doctores assignant cautelam hanc, vt soluere teneatur Ecclesia ex omnibus prædiis tributum, nempe quòd ciuitas statuat, vt omnia prædia sint tributaria, & sic transibunt ad Ecclesiam cum suo onere. Sic Bart. laudans Perusinos, & Eugubienses, qui cùm viderent suorum agrorum prædia ab Ecclesiis plus nimio occupari, statuerunt, vt omnia prædia essent tributaria, vt sic ad Ecclesiam cum suo onere transirent. Sic (inquam) Bart. *l. placet, n. 4. C. de sacros. Eccles. & l. rescripto, finali. ff. de muner. & honor.* Barbatius *cons. 1. lib. 3.* Otalora *de nobilit. 2. p. cap. 1. n. 10.* Anchar. *cap. non minus, de immun. Eccl. n. 6.* & multi alij approbant, quos refert Dueñas *regula 100. limitat. 9.* & approbat Azebedo *l. 11. tit. 3. lib. 1. recop. n. 10.* quando cessante dolo fieret.

6 Cæterùm hanc cautelam Bartoli communiter improbant Doctores; tum quia statuta in fraudem Ecclesiarum, vel Clericorum edita nullam vim habent, vt communis docet opinio *cap. Ecclesia: de constit.* licèt hæc ratio non multum me moueat, propter dicta *suprà dub. 55. fine.* Sed potissima ratio est, quia tributa, seu onera ab alio, quàm à Principe imposita sunt extraordinaria munera, quæ Clericos non sequuntur, *cap. placet, C. de sacros. Eccles.* Sic tenet Iason, dicens esse omnium, dicta *l. placet, num. 21.* Bald. *ibi num. 4. & l. omnes, C. sine censu, num. 8.* Quesada *quæst. iuris, cap. 4. num. 11.* Ludou. Roma, *l. si publicanus, § finali, num. 7. ff. de public.* Aluarus



Aluarus Valascus, dicens reprobum esse Bartoli consilium, & à Doctoribus vtriusque iuris damnatum, *de iure emphyteut. quæst. 17.* Immola *cap. fin. de vita, & honest. cleric. num. 16. & ibi* Panorm. *num. 13.* Bartol. sibi contrarius *consil. 18. incipienti: Si aliqua possessio.* Archidiac. Ioannes Andreas, & Dominicus *cap. final. de immunitat. Ecclesiar. in 6.* Felinus *cap. Ecclesia. de constitut. num. 76.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 3. l. 1. fol. 56. §. hoc tamen intelligo,* Syluanus *consil. 9. n. 29.* & multi alij, quos refert Dueñas *regul. 100. limit. 9.*

7 Nota tamen, quòd si talia onera realia fuerint generaliter indicta à Rege, vel alio habente potestatem, & sine fraude, & odio Ecclesiarum, ne obuentiones, & iura regalia deficerent, valerent. Sic Perez, & Aluarus, Valascus *ibidem*, Decius *capit. Ecclesia de constitut. numero 52. ad finem*, Gregor. Lopez *leg. 51. tit. 6. part. 1. vers. Por razon.*

8 Secundò nota, quòd tempore, quo res aliqua peruenit ad Ecclesiam, potest donans, vel vendens Ecclesiæ apponere pactum expressum, vt perueniat cum tali onere, & transibit cum onere suo; quia quilibet potest apponere rei suæ pactum. Sic Iason *dicta leg. placet, numero 22.* & *ibi* Alciatus *verbo extraordinarium*, Baldus *l. neminem, C. de sacrosanct. Eccles. numero 2.* Gregor. Lopez *dicto versic. Por razon*, licet Aluarus Valascus *dicto num. 7.* non simpliciter hoc approbet, sed nisi fiat in fraudem Ecclesiæ; at credo, quod quocunque modo fieret, teneret, iuxta dicta *supra dub. 55. fine.*

9 Tertiò nota, quod dum Rex donat aliquid, potest apponere pactum, ne detur Ecclesiæ, licet generaliter statuere, ne quis prædia sua vendat Ecclesiæ, esset iniquum, & contra ipsius libertatem. Sic Gregor. Lopez *l. 55. tit. 6. part. 1. vers. el Rey.*

10 Hinc infertur intellectus ad *l. 52. tit. 6 part. 1.* vbi sic disponitur: *los Obispos, y Prelados, que tuuieren tierra del Rey, o heredamiento alguno, porque le deuen fiazer seruicio, deuen dar en hueste con el Rey, o quien embiare en su lugar contra los enemigos de la Fe; y sino pudieren, deuen embiar sus caualleros, y sus ayudas segun la tierra, que tuuieren.* Hæc enim lex ex eo saluari potest, & vim habet, quod hoc onus annexum est à Principe illis oppidis, antequam ea daret Ecclesiæ. Quare Episcopi non habentes aliquas terras Regis, non tenentur ad hanc contributionem. Quòd si Rex alleget consuetudinem, vt omnes Episcopi contribuant: respondetur, quod consuetudo, vt vnus Episcopus contribuat, non potest nocere successori; quia pensio tantùm est respectu illius, & sic etiam præscriptio: tantum enim præscribitur, quantum possidetur, *leg. quod meo, §. final. ff. de acquirend. possessione*, Baldus *de præscript. secunda parte, quæst. 2. numero 11.* Panormit. *cap. auditis de præscript. num. 9.* Et consuetudo, nec præscriptio, non extenditur de persona in personam, sicut nec de re ad rem, Baldus *ibi*, cum Arctino *consil. 32.* sic quidam Iurisperitus valdè doctus.

11 Vnde fit, quòd si Rex petat tanquam debitum hoc onus ab Episcopis non habentibus terras regias, non possint etiam vltro consentire; quia Concil. Later. nouissimum sub Leone X. *sess. 9 §. & cum tam iure*, cuius verba retuli *suprà dub. 55. §. secunda sententia*, ad medium prohibet sub excommunicatione Episcopis, ne vltrò consentiant onera.

## DVBIVM LVIII.

*An milites Sancti Iacobi, Sancti Ioannis Calatraua, & Alcantaræ, quos vulgò* Commendadores *appellamus, sint immunes à solutione gabellarum?*

1 DE Clericis horum Ordinum, qui in communi viuunt, quos dicimus Hispan. *freiles*, non est dubium, quin sint immunes, cum sint verè Religiosi vouent enim tria vota substantialia, vt dixi *lib. 4. summæ cap. 16. num 12.*

2 At de militibus horum Ordinum est dubium, quod videtur pendere ex illa quæstione, an sint Religiosi, si enim sunt Religiosi, constat ex *supra* dictis, esse immunes à gabellis; si verò Religiosi non sunt, non est cur sint immunes, nisi habeant speciale priuilegium.

3 Sed quidquid sit de hac quæstione, de qua dixi *lib. 4 summæ, cap. 16. citato, numero 12.* Tamen quoad solutionem gabellarum dicendum est in istis militibus Commendatoribus seruandam legem Regni, quæ est *lex noua, tit. 18. lib. 9. nouæ recopilat.* vbi sic præcipitur: *Los Commendadores de san Iago, Calatraua, Alcantara, y san Iuan paguen las alcaualas de todas las cosas que vendieren, o trocaren, fuera de los frutos, y rentas de sus encomiendas, que ellos vendieren, o trocaren, pero de las yeruas de sus encomiendas, si y à donde vuiere costumbre, que paguen de todo, se guarde.* Probatur, quia licet isti milites sint Religiosi, vt *loco citato* dixi, at non sunt ita stricte, & in rigore Religiosi, vt iure Canonico sint immunes à gabellis: ergo tenentur stare iuri Regio.

## DVBIVM LIX.

*An locatis gabellis alicui publico, si is, qui locauit, vendat, vel commutet, debeat gabellam?*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit non debere. Ratio, quia hic non locauit nisi ius, quod habebat, sed non habebat ius exigendi gabellam à semetipso: ergo. Ita Bartol. *leg. licitatio, §. Fiscus, ff. de public. & vectigal.* Baldus *l. emptor, C. de hæredit.* Boërius *decis. 213. num. 1. & 2.* & refert alios plures Doctores, & potest ampliùs probari, quia in genetali sermone loquentis persona non comprehenditur, & dum aliquis locat ius exigendi vectigalia, non videtur locare ius exigendi à se.

2 Secunda sententia docet quemcunque locatorem vectigalium debere vectigal, dempto Rege, nisi aliud in locatione deductum sit in pactum. Probatur, quia tanquam quid speciale definitur in Rege, quòd non debeat gabellam, *dicto §. Fiscus, & leg. 3. tit. 18. lib. 9. nouæ recopilat.* ergo secus est in aliis Magnatibus, qui locant hoc ius. Item quia contra eum, qui legem potuit dicere, apertiùs est facienda interpretatio, *capite contra eum, de regulis iuris in 6.* ac proinde in emptione, & locatione ambiguum pactum nocet venditori, *leg. locatori, leg. in contrahenda emptione. ff. de regulis iuris, & l. veteribus, ff. de pactis.* Nec obstat prima ratio oppositæ sententiæ, quia cùm talis locator habeat ius ad percipiendam gabellam ab omni vendente, ex natura rei habet ius ad percipiendum à se, dum vendit, si personæ separari possent vendentis, & locatoris, ac per accidens, quia est eadem persona, non debet: vnde quando diuiduntur, & separantur personæ, debebit. Hanc tenet Parlador. *lib. 1. de rebus quotidianis, cap. 3 §. 1. num. 20. & 21.* Bartol. parum sibi constans, *l. 1. Cod. de naticul. lib. 11.* Bertachinus *tract. de gabellis, septima parte, quæst. 8.*

3 Sit Conclusio. Vtraque sententia est probabilis, & potest tutè amplecti: at hæc posterior videtur probabilior.

## DVBIVM LX.

*An Princeps possit aliquos eximere à tributis, vt eximiè nobiles ab assisio, & à collectis, id est,* Pecho, *& possit tales nobilitates, id est,* hidalgiuas, *vendere?*

1 SIt prima Conclusio. Iustè eximuntur nobiles à tributis, nec in hoc est aliqua personarum acceptio.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ratio, quia id est rationi consonum, tum propter præclara maiorum suorum gesta, tum quia Reipublicæ tuendæ destinati sunt. Sic Sotus *lib. 3. de iustit. quæst. 6. art. 7. concl. 4.* & docti Recentiores.

2 Nota, quòd hoc priuilegium immunitatis concessum à Principe proprio motu valet, at concessum ad preces non valet, nisi ponatur in priuilegio clausula, *non obstante, l. finali, Cod. contra ius vel public. vtilit.* Ratio, quia cùm sit contra publicam vtilitatem, oportet de ea fieri mentionem, vt notat Bartol. *dicta l. finali, & l. vacuatis, Cod. de decurion.* Panorm. *cap. peruenit de immunitate Ecclesiarum*, Syluester *gabella 4. quæst. 9. & verbo priuilegium, quæst. 9.* & Rosella *ibi num. 9.* Gabr. *4. distinct. 15. quæst. 5. art. 3. dub. 2.*

3 Secunda Conclusio. Rex potest ex iusta causa creare nobiles, etiamsi summa, quam isti debebant soluere, non extrahatur ab aliis, quia hoc pertinet ad dignitatem Regiam, quæ non debet derogari proprer modicam læsionem communitatis. Sic Syluester *gabella 4. quæst. 9.* & expressiùs *verbo priuilegium, quæst. 9.* Tabiena *ibi numero 9.* Armilla *numero 8.* Rosella *numero nono* Panormitanus *cap. peruenit, de immunitate Eccl siarum*, Gabriel *vbi suprà*, & sic respondet Rex in comitiis Cordubæ *anno* 1570. *petitione* 16. & tenent docti Recentiores.

4 Tertia Conclusio. Potest etiam Rex vrgenti Regni necessitate has nobilitates vendere. Ita Sotus *vbi suprà*, Palacios *verbo vectigal in fine*, & docti Magistri neoterici.

5 Sed nota aliquos limitare hanc Conclusionem, modò non fiat in aliorum iniuriam, ita vt non onerentur reliqui tributo, quo alius leuatur, sed detrahatur tributum, quod ille debebat soluere à summa, quam oppidum soluit, vnde quando populus remanet obligatus ad soluendam eandem summam tributorum, censetur esse iniustum. Sic Soto, Palacios, & alij.

6 Sit quarta Conclusio. Si Rex habeat iustam causam exigendi à subditis vltra consuetum tributum, posset etiam iustè vendere tales nobilitates, licet populus remaneret obligatus ad soluendum eandem summam, quam antea soluebat. Sic Corduba *summa, quæst. 116.* & docti Recentiores, & videntur tenere Syluester, Armilla, Tabiena, Rosella, Gabriel, *vbi suprà.*

7 Quinta Conclusio. Alij verò inferiores domini non possunt concedere hanc nobilitatem, & exemptionem subditis suis, nec pretio, nec gratis, nisi tributum illud, quod remittunt, excipiatur à summa, quam totus populus debet soluere, aliàs esset in præiudicium communitatis. Sic Cordub. Armilla, Tabiena, Rosella, Syluester, Gabriel, Panormitanus *vbi supra*, & alij.

8 Vltima Conclusio. Possent præfati inferiores domini, & communitates concedere hanc immunitatem non subditis suis, vt veniant ad habitandum in eorum terris, vt fit quotidie cum Medicis, & Doctoribus. Ratio, quia propter hoc in nullo grauatur reliqua communitas. Sic iidem, Syluester, Rosella, Gabriel, Panorm. *vbi supra*, & alij.

## DVBIVM LXI.

*Quantum duret priuilegium exemptionis à gabellis per Principem concessum?*

1 PRima Conclusio. Concessio immunitatis à gabellis simpliciter facta, durat ad vitam Regis, & non vltrà, patet ex *lege 10. titulo 18. parte tertia, & l. 34.* & docet Gregorius Lopez *dicta l. decima, versicul de aquel* Et facit *l. vxor patrui, Cod. de legat.* Ratio est, quia in dubio non censetur Rex velle damnum inferre successori.

2 Secunda Conclusio. Si concessio immunitatis à gabellis fiat alicui in perpetuum, durabit vltra vitam Regis, & ad vitam tamen illius, cui concessio facta fuit. Ratio, quia de descendentibus mentio facta non fuit, & perpetuum dicitur, quod durat per vitam hominis, *l. prima, ff. pro socio*, Glossa *Clementin. literas, verbo per electionem, de reseriptis*, Baldus *l. final. ff. de Constitut. Princip.* Item quia priuilegium fuit personale, & sic extingui debet cum persona, *l. sordidarum, Cod. de excusat. num. libro decimo.* Sic Gregorius Lopez *ibi*

3 Tertia Conclusio, Si fiat talis concessio alicui, & eius filiis, & nepotibus, & non dicatur, in perpetuum, tunc non durabit concessio vltra vitam Regis concedentis, & non intelligetur concessionem factam filiis, & nepotibus, viuente tamen Rege. Patet ex dictis *in prima Conclusione*, & ex testibus *ibi* allegatis, & docet Gregor. Lopez *vbi suprà*

4 Quarta Conclusio. Quando concessio immunitatis sit ita lata, vt concedatur alicui, & eius descendentibus in perpetuum, concessio est omnino perpetua. Patet ex expresso ipsius tenore, Gregorius Lopez *ibi.*

5 At dubium est, an talis concessio sit seruanda à successore in regno, quod enim seruanda sit, videtur innuere *dicta l. 10.* At in contrarium facit *dicta l. 34. & l. 4. tit. 25. part. 2.* vbi habetur, quod quinta pars, quæ de præda hostium debetur Regibus, est de regalibus, & quod nequit Rex illam alicui concedere in perpetuum, sed ad vitam cencedentis. Item quia Rex non potest per contractum, nec alio modo in præiudicium successorum concedere regalia, & eorum iura minuere, vt docet Baldus *de pace constantiæ, vers. amplius consuluerunt*, & Greg. Lopez *l. 28. tit. 11. part. 3.*

6 Sit quinta Conclusio. Si Rex concedit ex sola voluntate, non præcedente causa seruitiorum, vel alia, non durat concessio vltra vitam Regis concedentis, vt patet ex allegatis. Vel præcesserunt seruitia regiæ coronæ facta, vel talis causa, quæ ad remunerationem exigat talem concessionem perpetuam: & tunc tenebit talis concessio in perpetuum; & si causa seruitiorum, vel alia, non fuit digna tanta remuneratione, moderanda erit concessio iuxta qualitatem seruitij, *capite relatum de testamentis, lege decima quinta, titulo decimo, libro quinto nouæ recopilat. leg. penultim. titulo 15. circa finem, versic. laun en tonce, parte secunda.* Sic Gregorius Lopez *dicta l. 10.*

## DVBIVM LXII.

*An qui in rei veritate non est nobilis, sed reputatur ab aliis, vt nobilis, & ideo non exigitur ab illo tributum, quod collecta, id est, Pecho, dicitur, sit tutus in conscientia.*

1 PRima Conclusio. Si iste bona fide, & absque vlla deceptione ex parte sua, reputatur nobilis, vel propter habitum, vel propter aliam causam, si non petatur ab eo collecta, & pars, quam debebat soluere, non superadditur aliis ciuibus, non tenetur soluere, & est tutus in conscientia. Hæc probabitur Conclusione sequenti, & eam tenuerunt nonnulli docti Magistri.

2 Secunda Conclusio. Quando verò pars, quam ille debebat soluere, superadditur aliis ciuibus, habet maiorem difficultatem, quia videtur concurrere ad grauamen popularium: sed adhuc tunc non tenetur soluere, si non petatur ab eo. Probatur primò, quia hoc tributum non debetur, nisi petatur, *vt suprà* dixi. Item quia, loquendo moraliter, ille non concurrit ad grauamen popularium, cum bona fide se gesserit, & non teneatur cum magno dedecore ignobilitatem detegere. Sic docti Recentiores.



3 Tertia Conclusio. Qui reuera est ignobilis, & vt talis habetur, sed quia est diues, & præpotens, & alij eo indigent, non exigunt ab eo tributum, id est, *Pecho*, non tenetur illud soluere, quia, vt dixi, non debetur, nisi peratur; secus esset, si volentibus exigere ab eo, minas faceret, & ideo alij non auderent ab eo exigere, quia tunc non esset tutus non soluendo; idem docti Recentiores.

4 Quarta Conclusio. Si verò ipse deciperet alios, dicendo se nobilem, & fortè, quia diues est, & præpotens, alij populares non audent ab eo exigere collectam, & in popularium numero adscribere, non est tutus in conscientia, non soluendo, quia est causa deceptionis. Sic docti Magistri.

5 Quinta Conclusio. Similiter dicendum est de iis, qui cùm in rei veritate non sint nobiles, probauerunt tamen in iudicio suam nobilitatem per sufficientes testes, si per fraudem id probauerunt, inducendo testes ad falsò testificandum, tenentur soluere in conscientia etiam eam partem, quam huc vsque non soluerunt, quia iniustè se exemerunt; si verò nullam fraudem imposuerunt, sed monuerunt testes, vt dicerent veritatem, non tenentur soluere tributum; quia non tenentur se prodere cum sua infamia, cum ipsi bona fide se gesserint. Ita tenuerunt viri docti ex neotericis, addentes hanc Conclusionem tenere verum, quando aliquis habitus est vir nobilis, & postea exigitur ab eo collecta, tunc licèt certò norit se esse ignobilem, non tenetur se prodere cum tanta infamia, sed potest se opponere, vt iudices rem definiant, & tunc si testes non deciant, imò moneat, vt veritatem detegant, & sententia in suum fauorem lata fuerit, quod est nobilis, tutus manet in conscientia, & hoc est, quod sentiunt authores huius quintæ Conclusionis, & videtur satis æquum, & pium, & oppositum videtur rigidissimum.

6 Sexta Conclusio. Quando verò per fraudem probauit quis suam nobilitatem, inducendo testes, vt falsò testificentur, & ideo lata est sententia pro illo, tenetur restituere collectas, quæ in futurum debebit, & quas tempore præterito defraudauit. Sic viri docti, & patet ex dictis.

7 At difficultas est, quomodo facienda sit talis restitutio, est enim difficile, & moraliter impossibile illum, qui pro sua nobilitate tententiam habet, velle suam ignobilitatem prodere, & suum falsum iuramentum, & induxisse testes ad falsò testificandum: & sic tam ipse, quàm testes grauissimas pœnas à iudice paterentur, & essent perpetuò infames: & iuxta communem sententiam non tenetur quis bona fortunæ cum tanto honoris, & famæ dispendio restituere.

8 Septima Conclusio. Talis restitutio facienda est illis populis, qui soluerunt illud plus, quòd ipse tenebatur soluere, quia hi fuerunt damnificati. Et quod attinet ad præteritum, facile damnum resarciri potest, expendendo aliquam summam in beneficium illius populi; sed quod attinet ad futurum, quia scilicet tam ipse, quàm sui descendentes non soluent collectas, est difficile restituere; sed potest fieri restituendo populo, aut ad aliquod opus publicum, aut pium, illius eam quantitatem, quam ille, & sui descendentes soluturi erant, constituendo sub censu prædictam quantitatem, vt ex illius redditibus vel construatur hospitale, vel fœminæ pauperes maritentur, aut aliis communibus populi necessitatibus subueniatur, aut aliud fiat huiusmodi. esset etiam sufficiens remedium quantum ad futurum, si procuraret, quòd Rex facta relatione, non detecta persona, vel gratis, vel pretio vellet, vt deinceps esset nobilis, siquidem initio potuit illi hanc nobilitatem vendere. Ita viri docti.

9 Tandem nota, quòd licèt cuidam visum sit, etiam quòd hic ignobilis satisfaceret exhibendo Regi secretò per modum restitutionis, ad quam teneretur, eam pecuniæ summam, qua emi, solet nobilitas, maneret tutus in conscientia, etiam non detecto casu in speciali. Sed certè cùm damnum non sit factum Regi, sed populo, & illi debeatur restitutio, nisi aperiendo casum Regi saltem in generali, vt dictum est, non videtur manere tutus: præterquam quòd cum minori quantitate, quàm solet emi nobilitas, possent emi annui redditus perpetui, quibus damnum resarciretur aliquo ex *suprà* dictis modis, qua quantitate sub censu posita satisfaceret pro se, & suis descendentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# LIBER TERTIVS

## Opusculorum moralium, seu Consiliorum, circa ius, & iustitiam iudicatiuam, atque ordinem iudiciarium.

### CAPVT VNICVM.

*De iudice, aliisque iustitiæ ministris.*

SVMMARIVM.

Dvb. I. *An indices omnes tam Senatores, id est, Auditores, & alij iudices, & iustitiæ ministri, vt scribæ, relatores, Receptores, Fiscales, Secretarij, Apparitores, Hisp.* Alguaziles, *possint absque peccato, & obligatione restituendi munera recipere.*

2 *An iudices Ecclesiastici possint dona gratis sibi oblata recipere, vel potius teneantur ea restituere.*

3 *An liceat munera offerre iudici, vel iustitiæ ministris ad redimendam vexationem.*

4 *An possit Princeps contra partem inauditam procedere, & si procedat, an eius sententia valeat.*

5 *An domini iurisdictionem habentes, vt Duces, Marchiones, Comites, possint in suis terris remittere pœnas, tam pecuniarias, quàm corporales, quibus damnati sunt delinquentes, eo casu, quo Rex potest remittere in suo regno, scilicet quando non inde sequitur alterius præiudicium.*

6 *An domini vasallorum, vt Duces, Marchiones, &c. possint iudices appellationum in suis oppidis instituere, ad quos fas sit appellari à iudicibus inferioribus, & an à iudicibus appellationum ad ipsos dominos sit appellatio.*

7 *An reus condemnatus, & iam suspensus possit antequam sepeliatur, tradi Medicis ad anatomiam faciendam, & an iudex possit animal cuiusuis capere ad portandum malefactorem pro exequenda iustitia.*

8 *An iudices temporales possint reis imponere pœnas sibi applicandas.*

9 *Dubitantur aliqua circa leges huius regni, quibus pœna applicantur iudicibus, vel piis operibus.*

10 *An possit Princeps appellationem tollere.*

11 *Vtrum quando sit executio pro aliquo debito in bonis debitoris, & ille reuera non soluit debitum intra diem naturalem, quia creditor expectat, teneatur ipse debitor soluere decimam Apparitori.*

12 *An quando non est plena, & integra probatio alicuius delicti, quia scilicet non sunt testes oculati, sed tantum præsumptiones, & indicia vrgentia, possit iudex mitiori aliqua pœna, quàm ea, quæ ordinariè per legem statuta est, plectere delinquentem, vel debeat pœna ordinaria punire.*

13 *An confessus in iudicio se homicidium commisisse, at cum aliqua causa, v. g. in propriam defensionem, possit pœna ordinaria homicida plecti.*

14 *An quando pœna imponenda pro delicto est arbitraria, possit iudex imponere pœnam mortis.*

15 *An casu, quo non admittitur appellatio de iure, si tamen reus appellet, & iudex admittat appellationem, vel ex ignorantia iuris, vel ex propria voluntate, possit iudex, non obstante quòd appellationem admiserit, eam sententiam executioni mandare.*

### DVBIVM I.

*An iudices omnes, tam Senatores, id est, Auditores, & alij iudices, & iustitiæ ministri, vt Scribæ, Relatores, Receptores, Fiscales, Secretarij, Apparitores, Hispani,* Alguaziles. *possint absque peccato, & obligatione restituendi munera recipere.*

1 PRIMO loco, vt constet, qui & quo verborum tenore prohibeantur munera recipere, oportet referre leges id prohibentes.

2 Primò circa Senatores, id est, Auditores, & reliquos iudices, atque officiales Prætorij, id est Auditores, extat *l.* 56. *tit.* 5. *lib.* 2. *nouæ recop.* in qua tria continentur. Primum est, *Ningun Oidor, ni Alcalde haga partido directè, ni indirectè por sí, ni por otra persona, con abogado, procurador, ni escriuano, para que le de cosa alguna de su salario, ni de las receptorias, ni de otra dadiua por ello.* Secundum est, *Que el Presidente, Oydores, Alcaldes, de Audiencias, o de Cortes, Alcaldes de los hijos dalgo, Notarios, juez de viscaya, Relatores, escriuanos de Camara, procuradores fiscales, y otros escriuanos de los dichos juzgados, no puedan recibir por sí, ni por interposita persona, presente ni dadiua alguna de qualquier valor que sea, ni cosas de comer, ni beber, de concejo, ni de vniuersidad, ni de persona alguna, que tratare, o verisimilmente se esperá, que tratara pleyto ante ellos, durante sus officios, ni lo puedan recibir mugeres, ni hijos en poca ni en mucha cantidad directè, o indirectè ni los letrados, ni procuradores de pobres.* Tertium est, *Que los suso dichos juezes no reciban presentes, ni cosas de comer de los abogados, ni procuradores, ni Relatores de las Audiencias.*

3 Præter hanc legem est alia, quæ specialiter loquitur de Receptoribus, *l.* 12. *tit.* 27. *lib.* 2. *nouæ recopil.* vbi sic dicitur: *Mandamos, que los Rectores directè, o indirectè, no tomen, ni reciban presentes, ni cosas de comer de las partes, en cuyos negocios estuuieren, ni raciones de caualleros, o señores, à cuyos negocios fueren.*

4 Insuper præter legem 56. est alia, quæ specialiter agit de secretariis, *l.* 1. *tit.* 18. *lib.* 2. *nouæ recopil.* vbi sic dicitur; *Mandamos, que ningun secretario reciba dadiua, ni presente, ni agradecimiento de persona alguna, aunque sea de comer, y beber dada de persona, que aya de librar con ellos, aunque sean o frecidas de grado despues de libradas las prouisiones, y dadas à los pleyteantes, y sin los pedir cosa alguna directè, ni indirectè por sí, ni por otro, só pena, que lo tornen con el quatro tanto la primera vez, y por la segunda no vsen del officio, y que juren de assi lo guardar; y pagar las penas, en las quales los condenamos desde agora, por manera, que sean obligado s à las pagar* in foro conscientiæ, *sin que mas sean co ndenados en ellas.*

5 Nota circa hanc legem, si iuxta tenorem ipsius iuramentum præstent secretarij, teneri in foro conscientiæ ad has pœnas ante omnem iudicis sententiam, quia iurant se ante omnem sententiam soluturos. Sic Soto *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 6. *in solutione ad* 3. *membrum quarti argum.* Perez *lib.* 2. *ordinam. tit.* 9. *l. finali, sub finem, versic. idem est.* Mexia *pragmatica tritici, conclus.* 6. *num.* 139. 140. Couar. 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 6. §. 8. *num.* 10. *fine.* Simanchas *lib. instit. tit.* 9. *n.* 250. Menchaca *lib.* 1. *controuers. frequent.* 67. *a num.* 4. *vsque ad num.* 9. *& num.* 33. *& lib.* 1. *quæstion. illust. c.* 29. *fine.* Metina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 6. Merc. *lib. de contract. c.* 16.

6 De aliis iudicibus disponitur *l.* 5. *tit.* 9. *lib.* 3. *nouæ recopil. Mandamos, que los Alcaldes ordinarios, y los Alcaldes de las Alcadas, y los que vuieren de librar los pleytos por comission en nuestra corte*; item, *Corregidores, Alcaldes, o juezes, de ciudad, villa, o lugar assi los del fuero, como del salario, assi ordinarios, como delegados, no tomen por sí, ni por otro, don alguno, aunque sea cosa de comer, de los que ante ellos vuieren de venir, o vinieren à pleyto.* Et l. 6. tit. 4. p. 3. de omnibus iudicibus sic dicitur; *En quanto tuuieren los officios, ni ellos, ni otros por ellos, ne reciban don, ni promission de ome ninguno, que aya mouido pleyto ante ellos, o que se pan que lo à de mouer.*

7 Nota ad intelligendum terminos, *Alcades ordinarios*, esse illos, qui in oppido constituuntur à Concilio, seu senatu eorundem oppidorum, *Alcades de las Alcadas*, esse iudices; ad quos appellatur: iudices commissionis esse illos, quibus de aliquibus negotiis particularibus iudicium committitur: iudices fori esse eos, qui non gaudent salario, sed suis tantùm iuribus: denique salarij iudices esse illos, qui accipiunt salarium à Rege.

8 De prætoribus est *l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 3. *nouæ recop.* vbi sic dicitur, *Assistentes. Gouernadores, ni Corregidores, no reciban dadiua, ni acceptaran promessa, ni donacion ellos, ni sus mugeres, ni hijos, de ninguna persona, por sí ni por otros, durante su officio, de cuya mano aya de venir à el, y à su prouecho.*

9 Insuper de eisdem est alia lex 8. *tit.* 6. *lib.* 3. quæ sic disponit, *Assistentes, Corregidores, o Gouernadores no lleuen dadiuas, ni repartimientos de la ciudad, o villa, o partido, de que fueren prouecidos, y de los pueblos el ni sus officiales, Alcaldes, ni Alguaciles, fuera de lo que se manda dar en las cartas de corregimientos, aunque se lo quieran dar los Regidores, o fesimeros, o otros officiales del concejo, o de la tierra, aunque aya costumbre en lo contrario de Alguacellis.* l. 11. tit. 23. lib. 4. *los Alguaciles no reciban dadiuas, ni presentes directè, ni indirectè, por sí, ni por otro, de qualquier persona, que con ellos vuiere de librar, en las cosas tocantes a sus officios, saluo cosas de comer, y beuer en pequena cantidad offrecidas la grado sin las pedir en manera alguna, y esto despues que fueren librado, y despachados.*

10 De tabellionibus lib. 4. tit. 27. *de los dranzeles*, fol. 276. pag. 2. versic. 15. *Mandamos, no puedan lleuar, ni lleuen mas derechos en lo judicial, y extrajudicial; de lo aqui declarado por occupacion, ni por otra cosa, ni en otra manera, y aunque las partes se lo den graciosamente.* Et l 8. tit. 9. part. 2. *No tomen ninguna cosa sin lo que el Rey los mandare tomar.*

11 De Notariis Ecclesiasticis disponitur *l.* 29. *tit.* 25. *lib.* 4. *nouæ recopilat.* vt obseruent taxam regiam circa stipendia, Hispanè *arancel*, in qua, vt vidimus, dicitur quòd nequeant accipere etiam donatione. Deinde de Tabellionibus redditum l. 6. titulo 6. lib. 9. *No reciban dadiuas, ni presentes, ni agradecimiento alguno.* & l. 13. tit. 4. lib. 9. *Guarden el aranzel del Reyno.*





12 De Quæstoribus æratiis, Hispanè, *Cantadores.* Auditoribus, & aliis officialibus, disponitur *l.* 21. *tit.* 1. *lib.* 9. *nouæ recopil.* vbi sic dicitur. *Ningun contador mayor, ni menor, ni oydores, ni officiales de la dicha contaduria, no puedan recibir dadiua, ni presente de ninguna persona, que tenga, o se espere que verisimilmente tendra negocio ante alguno dellos, aunque sean cosas de comer, y beuer, y aunque sean fenecidos los negocios.* & l. 6. tit. 5. lib. 9. *Ningun Contador mayor de cuentas, ni sus tenientes, ni otro official de la dicha contaduria, no reciba dadiua, ni presente de quien tiene, o verisimilmente se espera, que tendra negocio ante alguno dellas.*

13 De metatis, Hispanè, *aposentadores*, disponitur l. 14. tit. 15. lib. 3. *No reciban dadiua por excusar possada alguna ni aldea, ni lugar.*

14 De carcerum custodibus, *el Alcalde, Carceleros, y guardas de los presos, no recibaη dadiuas de dineros, ni viandas, ni otras cosas de los presos.* l. 9. tit. 13. lib. 4.

15 Circa has leges dubitatur, an vsque adeò vetitum sit iudicibus munera recipere, vt etiam esculenta, & poculenta in minima quantitate non liceat recipere: & an tantùm à litigantibus, vel etiam à non litigantibus, subditis tamen horum iudicum; nam iure communi Digestorum licebat vtique esculenta, & poculenta in parua quantitate, *l. solent, §. vltimo ff. de offic. proconf. & l. plebiscito, eod. tit.* & iure canonico id permittitur delegatis iudicibus, *cap. statuimus, 1. §. insuper, de rescript. in* 6. Quare id licere tenet Guillermus *dicta l. plebiscito*, Bald. *dicta l. solent. §. non verò, num.* 2. Alex. *consil.* 206. *num.* 10. *lib.* 2. Paris à Puteo *tractatu de syndicatu, versic. esculenta.* Sylvester *iudex*, 1. *quæst.* 8. Rosella *num.* 6. Armilla *num.* 6. Angelus *num.* 8. Auiles *cap.* 1. *prætorum*, §. *dadiuas, numero* 10. Mandosius *in glossa facultatem regentis, in præomio, versic. nulla præmij. fol.* 60. & id concedit de iudice delegato Nauarra *in Extrauag. Gregor. XIII. num.* 32. Perez *lib.* 2. *Ordin. tit.* 9. *l.* 1. vbi dicit iudicem post latam sententiam posse recipere quod sibi offertur spontè. Et probatur ex illo eodem titul. vbi sic dicitur, *Puedan recibir dessues de libradas las prouisiones lo que le offrecieren de cosas de comer de grado sin pedir lo.*

16 Contrariam sententiam, scilicet, quòd nec in minima quantitate tenent plures; quia leges ff. correctæ sunt per ius authenticorum, quo prohibetur iudicibus vniuersaliter munera accipere, §. *scriptum est el* 2. *auth. vt iudices sine quoquo suffragio.* vbi idem glossa *versic. auaritiam.* Idem prohibetur §. 1. *auth. insurandum quod præstatur ab iis*, vbi idem etiam tenet glossa, *versic. annonis*, & de iure communi idem etiam tenet Gabr. Rayn. & Albert. Lucas de Peña, Angel. Aretin. Immola, Alex. Matthæus de Afflictis, quos omnes refert Matienzo, *dialogo Relatorum* 3. *p. cap.* 32, Insuper probatur, quia legibus Regni, vt patet *l.* 56. *tit.* 5. *lib.* 2. *nouæ recopil.* iudicibus Regiæ Cancellariæ, id est, *Cancellaria*, expressè prohibetur etiam in minima quantitate, etiam finita lite; & *l.* 5. *tit.* 9. *lib.* 3. vniuersaliter prohibetur omnibus iudicibus esculenta recipere; & *dicta l.* 6. *tit.* 4. *p.* 3. vniuersaliter prohibetur omnibus iudicibus munera recipere. Vnde correcta est lex antiqui ordinamenti, quam pro se adducit Perez) ipse enim antiquum ordinamentum commentatus est) & sic de iure Regni tenet Villadiego *tract.* 1. *hæreticarum prauitatum. quæst.* 8. & Repertorium Inquisitorum, *verbo extorquere, in noua editione, versic. sed quæro*, dicit esse conforme legibus Hispaniæ non posse. Bimancas *de Catholicis institut. tit.* 34. *num.* 44. Auendaño *de exequendis mandat. Regum, cap.* 2. *num.* 4. Perez *lib.* 8. *tit.* 19. *l.* 5. *pag.* 368. *versic. adde vltra.* Greg. Lopez *part.* 3. *tit* 4 *lib.* 6. *versic. no reciban.* Villalobos *in antinomia iuris, verbo iudex, numero* 41. *fol.* 29. Olanus *in concordia iuris, verbo indices, fine, n.* 96. Item probatur, quia vbi leges Regni talia esculenta permittere voluerunt, id expressere, vt in Alguacellis

Universidad de Deusto
Biblioteca



*l.21.tit.23.lib.4.nouæ recop.* Nec Matienzo *c.* 32. oppositum dicit, sed quoad pœnam saltem dicit excusari minima capientes: nec vidit legem nouæ recopil. nec Auiles; quia ante eam scripserunt. Sit ergo

17 Prima conclusio. Iudicibus non licet esculenta, & poculenta recipere, etiam in parua quantitate. Probatur, ex legibus citatis & Doctoribus secundæ sententiæ; & idem dicendum de aliis officialibus iudicum, quibus *legibus citatis* interdicitur quæuis dona recipere.

18 Nota conclusionem istam intelligi non tantùm à litigantibus, sed etiam à subditis, siue litigent, siue non. Probatur; quia in his omnibus procedit ratio legis; scilicet ne muneribus attracti iudices à iusto desistant, cùm omnes subditi coram his iudicibus litigaturi sunt. Item quia *l.5.tit.9.lib.3. nouæ recopil.* vniuersaliter omnibus iudicibus prohibetur etiam esculenta recipere. *De los que ante ellos vuierem de venir, ò vinieren à pleyto, y todos los subditos, si an de tener pleytos, an de venir de lante los juezes.* Deinde leges authenticorum generaliter loquuntur. Ita Matienzo *vbi supra cap.*31. Auendaño *vbi supra n.*4 Azebedo *lib.3.recop.tit.9.l.5. num.*4. Denique, quia *l.6.tit.4. part.* 3. de omnibus iudicibus disponit, *que no reciban de quien saben, que an de mouer pleyto ante ellos.* Et de omnibus subditis scitur coram suis iudicibus, quotiescumque se obtulerit occasio, litigaturos. Et *dicta l.1.tit.6.lib.3.nouæ recop.* dicitur expresè, *de ninguna persona reciban*, &c. Et quamuis illa lex loquatur de Assistentibus, Prætoribus, & Gubernatoribus; at & par ratio est de aliis iudicibus. Quòd si in contrarium allegetur *l.56.tit.5. lib.2. nouæ recop.* quæ tantùm dicit, *Delos que se esperan, que en breue traeran pleyto ante ellos*, &c. Respondetur verum esse illam legem non prohibere munerum receptionem ab omnib. subditis: & ita rigor illorum verborum illius legis quoad restitutionem, non erit seruandus, nisi in illis, de quibus illa lex loquitur, vt *infra* dicetur: at sunt aliæ leges id prohibentes, quoad omnes subditos, & ratio legis.

19 Nota secundò conclusionem intelligi durante officio: nam eo finito possunt quæuis bona accipere. Patet, quia cessat ratio legis. Item quia *l.56.tit.5 lib.2.* dicit expresè, *Durantes sus officios.* Denique quia iam non sunt iudices, sed homines priuati. Ita Matienzo *vbi supra, cap.*25. Auendaño *dicto cap.2.num.6.* Auiles *cap.1.Prætorum, §.durante su officio.* Idem tenent de iure communi plures alij Doctores, quos refert Matienzo *dicto cap.*25.

20 Nota tertiò limitandam esse conclusionem, nisi munera darentur à consanguineis iudicum intuitu sanguinis sine vlla alia fraude. Confert ad hoc *c.requisisti, de testament.* vbi dicitur, relictum Episcopo ab extraneo præsumi contemplatione Ecclesiæ, & sic cum ea diuidendum, secus si à propinquo, quia tunc censetur contemplatione personæ. Item quia hoc casu cessat finis legis. Ita Auendaño *vbi supra numero 6. versic. limitanda.* Et refert Ioannem de Platea, Albert. & Paris. de Puteo.

21 Nota quartò, si iudici munera dentur alia ratione, quàm officij, vt si ab amico ob remunerationem, quia scilicet præcesserunt merita extra officium, potest recipere; quia cessat etiam ratio legis. Ita Matienzo 3.*p. citata, c.*31. Bart. *l. Aquilius, n.1. ff. de donat.* & *ibi* Rom. & Alexand. *n.*4. Ias. *l. principibus, ff. si certum petat.* Tiraq. *l. si vnquam, versic. Donatione largius, n.*49. *C. de reuoc. donat.* quos omnes refert Matienzo *ibi.*

22 Quintò nota, si omnes isti stipendia sibi præstita habentes, quæ mediocri modo officio fungentes merentur longè meliori, & vtiliori modo id facerent, scilicet eundo aliquò, monendo aliqua, instando, rogando, & breuiori tempore, & diligentius, quàm ex officio tenerentur, expediendo, possent aliquid ampliùs pro hoc recipere. Nauarr. *Extrau. citata n.*48. Nauarra *lib. 3. de rest. c.3.n.*19.20.

23 Sextò nota de scribis (demptis tamen scribis Regalium reddituum, Hispanè, *escriuanos de rentas*) quòd illis non absolutè prohibetur via donationis accipere, quando ministerium suum impleuerunt, & stipendium iustum acceperunt, illòque contenti sunt; posteà verò persona, cuius negotium expediuerunt via gratitudinis, seu ex amicitia, & beneuolentia mittit illis aliquod munus, præsertim si nullum habeat negotium pendens in futurum, tunc enim non videntur peccare, neque ad restitutionem teneri; quia non videtur illis donari tanquam stipendium exercitium, nec lex videtur loqui in hoc casu, sed in illis, in quibus aliquid scribæ accipiunt tanquam stipendium excessiuum, quamuis gratis donetur, & alter dicat, se gratis donare; ita docti recentiores à me consulti.

24 Nota septimò, rarò præsumi donationem, quæ fit iudicibus, scribis, aut aliis iustitiæ ministris; quia non gratis, sed à litigantibus coacta voluntate munera conferuntur; quia sciunt, quòd aliter prædicti ministri negligenter, & remissè negotia expediunt, & quia variis signis ostendunt difficultatem expediendi, nisi muneribus moueantur; ita Sot. *lib.5. de iust. q.8. art.4. versic. quocirca.* Sandoual *lib. de pauperum vinctorum cura, c.*15. Mercado *vbi supra.*

25 Secunda conclusio. Omnes iudices, scribæ, & alij iustitiæ ministri peccant mortaliter, si dona vltra dictos casus recipiant, nisi paruitas materiæ excuset. Ratio, quia transgrediuntur legem valde necessariam ad bonum commune, & iuramentum, quo ad illius obligationem se obstrinxere. Item, quia, vt mox dicam, tenentur id restituere, & sic acceptio est contra iustitiam. Nau. *lib.3. de restit. c.3.n.*14.

26 Tertia conclusio. Omnes illi contenti *in l.5 6.tit.5. lib.2. nouæ recopil. & l.21.tit.1.lib.9. nouæ recopil.* tenentur munera recepta restituere. Probatur, quia lex, *No reciban, ni puedan recibir*, & verbum, *No puedan recibir* actum reddit ipso iure nullum; vt optimè docet Bæza, *de non meliorandis filiabus, cap.*33. *num. 6.* Bald. *titul. de pace constantiæ, versic. hoc quod.* Roman. *l. si vero*, §. *de viro, fallentia* 13. *ff. soluto matrim.* Cæpolla *l. fin. C. de vsucap.* Iason *l.1.§. sublata, ff. ad Trebel.* Alcozer *lib. de ludo, cap.*23. Soto *lib.4 de iustit. quæst.5. art.1. ad 4. versic. de filiis autem.* Ledesm. 2.4. *quæst.*18. *art.1. dub.*16. *ad 3. versic. sed grauius.* Gomez *reg. Cancellariæ, de triennali, §.* 58. & Bart. *l. cùm lex, ff. de fideiussor. num.6.* vbi dicit, si statutum loquatur per verbum *non possit*, actus contra gestus non valet, quia verbum istud aufert potestatem; & *l. finali, de feriis, num.*7. ait, verbum, *potest*, iunctum cum negatione inducit necessitatem: priuat enim potentia, & actus contra gestus non valet. Hoc idem eisdem verbis tenet Mantua *singulari* 30. *aliquis est debitor, num.* 2. & 3. vbi plurimos refert; & *in num.* 9. reprobat distinctionem Bart. inter *non potest*, & *non possit*; & dicit esse idem, & actum reddere nullum, & plures refert. Idem omnino reprobans Bartoli distinctionem Couarr. *cap. quamuis pactum, 2 part. §.4. num.4. §. sed aduersus.* Gutierrez *l. nemo potest, de legat. 1. num.* 147. Caldas de Peteira *l. si curatorem, C. de in integr. restit. verb. Cum non absimilis, numero* 27. & quòd verbum, *non possit*, dicat necessitatem, tenet Neuo *cap. cùm apud, num.7. de sponsal.* & reprobat distinctionem Garcia *reg. ala* 484. *num.7.* Idem Paulus Alexand. Iason *dicta l. vltima*, & *de feriis*, & Syluest. *excommunicatio, 10. n. vltimo*, Angel. *excommunic. 7 eodem num.* Cotneus *consil. 216. lib.1.* Tiraq. *de legibus connub. glossa 4. n.1.* Ian. Andr. *cap.1. de reg. iuris, in 6.* vbi & glossa *versic. non potest*, ait, verbum istud inducit necessitatem. Metina *C. de pœnitentia, tract.2. de confessione, quæst. de alieno sine licentia proprij absoluente, versic. posset emo facit*, vbi inquit, *non cadens*, super verbum *potest*, non tantùm negat actum, sed possibilitatem ad actum. Vnde quia textus dicit alienum non posse, sine licentia proprij absoluere, fundat *in versic. non posse*, actum contra



contra gestum esse nullum: & licet non semper verum sit verbum hoc, *non potest*, actum reddere nullum, vt notat Bart. *dicta l. cum lex*, & Enriquez *lib.13. de excommun. cap.28. num.* 3. Panorm. *cap. quanto, de præsumpt.* Franc. *cap.1. de reg. iuris in 5.* at, *non possit*, reddit semper actum nullum, vt notat *ibi* Bart. & Enriquez. Item, quia lex ista eodem tenore loquitur, ac lex 6. *tit.8. lib.5. nouæ recop.* quæ præcipit, ne spuriis aliquid detur à parentibus, sic enim ait, *No ayan ni puedan auer*, & similiter lex ista ait, *no reciban, ni puedan recibir*, & tamen omnes dicunt reddi incapacem spurium paternæ hæreditatis, & teneri restituere. Sic Sotus, Ledesma *vbi suprà*, Xuarez *lib. 1. tit.6. tit.3. fori, num.*21. Molina *de primogeniis cap.11. numero* 27. & *cap.5. num.*77. Gregor. Lopez *part.6. tit.* 13. *l.10. versic. haredar, & versic. la donacion*, Gomez Arias *l.7. Tauri, num.* 77.78.79. Tello *l.10. Tauri, num.*7. Antom. Gomez *l.9. Tauri, num.*21. Couarr. 4. *decretalium*, 2. *part. cap.*8. §. 5. *num.* 38. Barth. Metina 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 4. Ioan. Lupus *l.9. Tauri, numero* 27. Immo licet leges de iure communi non ita strictè loquantur, vt patet *authent. licet, Cod. de natural. liberis*, non dicit amplius, quam omni beneficio excludantur: communiter Doctores, qui iure communi loquuntur, dicunt esse incapaces, & teneri restituere, quod contra leges à parentibus recipiunt, vt patet ex Syluestro *verbo filij, q.* 4. *versic.* 6. ad idem referunt authores dicti allegantes plurimos Iurisperitos. Idem in terminis tenent Doctores mox referendi, qui expresè docent omnes iudices teneri munera sibi oblata restituere, & in propriis terminis de secretariis, & iudicibus prætoriorum, Hispanè *de las audiencias*, tenet Nauarra *lib. 3. de restit. cap.3. n.*1.

27 Cæterùm de aliis iudicibus, & iustitiæ ministris, de quibus lex non tanto rigore loquitur, sed dicit, *no reciban*, vt sunt Prætores ordinarij, Rectores ciuitatum, vt patet ex legibus citatis: maior difficultas est, an munera gratis oblata, quæ receperunt, teneantur restituere. Plures Doctores restituere teneri asserunt. Sic Metina *Cod. de restit. quæst.2. sub finem, versic. ad quartum dicendum*, vbi inquit, si lex iubet, ne quis munera accipiat, tenetur munus acceptum restituere, & *versic. collarie sequitur quod non*, inquit, donatio facta iudicibus à litigantibus, non tenet, & *versic. Quoad quartum dicendum*, si quis iurauit munus non se accepturum, & post accipiat, tenetur restituere; sicut si quis iurat gratis se seruiturum Petro, si post mercedem accipiat, tenetur eam restituere. Et potest esse ratio, quia manet acceptio in facto esse, dum munus retinet: sicut si iurauit quis se vestes sericas non induturum, & indueret, non tantùm peccaret initio, dum inquit, sed dum vestibus vestitus manet, & sic tenetur nudari à confessario: at omnes hi iurant se munera non accepturos. Idem Metina 1.2. *quæst. 96. art.4. ad 6. & in summa, lib. 1. institutionum, cap.*16. §.3. vbi inquit, tenentur munera iudices restituere, quia lex facit eos inhabiles, Corduba *lib.1. quæstionary, quæst.*36. *sub finem, versic. ideo ad septimum*, vbi inquit, tenentur iudices munera accepta restituere, quia receptio munerum fuit humana lege prohibita. Idem Syluest. *iudex* 1. *quæst.*8. Armil. *verbo iudex, num.6.* Angel. *num.*8. vbi hi tres dicunt iudices omnes teneri munera accepta restituere. Et idem Syluest. *rest.2. dict.*5. inquit, si daretur ei, qui non potest recipere, succedit obligatio restituendi, vt si detur Rectoribus, vel iudicibus. Idem Alcozer *lib. de ludo, cap.*13. *versic. la quarta conclusion*, vbi docet legem impedire dominij translationem, quando dicit: *no puedan, o no reciban, como hazen las leyes, que tasan los derechos a los officiales, ò escriuanos*; & sic tenentur restituere. Et Franciscus Garcia *lib. de contract. 1. cap.* 4. dicit iudices reddi inhabiles ad dona recipiendum, & donationem esse nullam. Idem Lud. Lopez *in instruct. conscientiæ, 1.p.c.*179. & *lib.2. de contract. c.24. fol.* 498. Iosephus Angles *floribus quæst. theolog. 2.p. mater. de restit.* 177. Aragon 2.2. *q.*11. *art.3. versf. ad aliud, fol.*351. Salon 2.2. *q.*62. *art.3. controuer 1. fol.*732. dicit tamen teneri restituere pauperibus, quia sic consuetudo exposuit. Idem communis sententia, quæ teste Couarr. *reg. peccatum 2. p. §.2. num.*7. docet, quoties receptio iniqua est, & lege reprobata, non posse datum recipienti acquiri, sed teneri restituere, cùm titulus acquisitionis nullus sit. Quam doctrinam amplectitur D. Thom. 2.2. *quæst.*62. *art.*5. *ad* 2. vbi inquit, quando datio, & receptio est illicita, quia lege prohibita, non licèt sibi datum retinere. Idem Syluest. *restitutio 2. versic. sed quod*, Armil. *verbo restitutio, num.*17.19. D. Anton. 2.*p. tit.2. cap.*5. §.1. Idem apertè innuit Caiet. 2.2. *quæst.*62. *art.*5. *versic. in respons. ad* 2. Idem Francus *cap. statutum de rescript. in 6. §. notarium, num.*3. & *ibi*, Dominicus §. *quis autem*, vbi inquit, recipiens aliquid contra iuris prohibitionem, tenetur restituere. Eidem sententiæ fauet Couar. *cap. quamuis pactum 2.p. §.* 3. *num.*7. vbi dicit prohibitum accipere non posse etiam, à sponte dante recipere: & tractans de restitutione, dicit, quando lex tantùm prohibet exigere, excusatur à restitutione, qui post actum omnino perfectum aliquid ab omnino liberè dante reciperet: vbi supponere videtur, quando lex non tantum exigere, sed etiam recipere prohibet, non posse datum retinere. Eidem sententiæ fauet Caiet. *verbo, absolutio, cap. penultimo*, Armil. *verbo, absolutio, num.*48. & Nieua *in summa, tit.* 14. Petrus Soto *lib. de instit. sacerdot. dict.4. de excomm.* vbi dicunt, quoties canon dicit, non possis absoluere, vel non absoluas contra lata non tenet.

28 Pro contraria parte, quod scilicet ad restitutionem non teneantur, facit primò Couarr. *reg. peccatum 2.p. §.2. num.* 7. vbi recedit à communi sententia, docente quoties receptio est illicita, quia lege prohibita, teneri recipientem restituere. Et concludit tantùm hoc esse verum, quoties contractus reprobatur ex defectu solemnitatis iure requisitæ, vel ob deficientem legitimum consensum ad dominij translationem ex parte dantis: at in præsentia constat non deesse consensum ex parte dantis, nec etiam aliquam iure requisitam solemnitatem. Eidem sententiæ fauent Syluest. *excommunicatio* 10. *numero vltimo*, Angel. *excommunicatio 7. numero vltimo*, vbi dicunt hæc verba, *nullatenus fiat*, non irritare actum. Item facit, quod docet Gutierrez 1. *lib. pract. quæst. vltima, num.*2. Eidem sententiæ fauet Nauarrus *cap.* 17. Lat. *à n.*38. Hisp. *à n.*32. Angel. *verbo restitutio, n.*1. §. *turpe, & verbo concessio*, Palacios *in summa, verbo restitutio, numero* 3. & 4. Monald. *verbo restitutio* 2. Alcozer *in sum. cap* 26. inter peccata iudicum, & §. *el testigo* 2. vbi licèt leges reprobent stipulationes ex vtraque parte turpes, vt si detur pecunia assassino, vt hominem perimat, dicunt accipientem non teneri restituere, licet peccet, quia Caiet. *in summa, verbo iudicis peccata*, vbi dicit iudicem ecclesiasticum teneri munera restituere; iudicem verò sæcularem non posse recipere: vbi videtur innuere, si sæcularis iudex accipiat, non teneri restituere. Item quia certissimum est multa prohiberi, quæ tamen facta tenent; vbi docet Metina *Cod. de restit. quæst.*20. *versic. secundum, quia*, & tamen in nullo alio casu videtur hoc posse verificari, nisi in hoc, cum lex simplici tantùm verbo prohibeat, scilicet, *no reciban*, & non apponit verbum aliquod, quo dominij translationem impedire significet: sicut quando dicit, *no puedan*. Idem Enriquez & alij viri docti, quos consului.

29 Sit Conclusio. Hæc secunda sententia est satis probabilis. Probatur ex dictis, & satis colligitur ex Nauar. *lib.3. de rest. cap.3.n.*14.15.

30 Hinc infertur Auditores regios, & alios iudices, quos in prima Conclusione dixi teneri munera accepta restituere, ad id non teneri, quando hæc munera non receperunt ab iis, qui modò non litem gerunt, nec gessere, nec in proximum creditur gesturos; quamuis enim prohibeantur ab omnibus subditis munera ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cipere, vt *suprà* dixi, leges tamen, quæ summo rigore loquuntur, & dicunt, *no puedan reciber*, ac proinde ratione huius rigoris ad restitutionem obligant, & non loquuntur de receptione munerum à quibusuis subditis, sed tantùm aliis, qui litem gerunt, vel in proximum gesturi sunt; quare licèt peccent, quoties recipiunt munera à quibusuis subditis; at non tenentur restitu ere, nisi quoties recipiunt à proximè dictis.

## DVBIVM II.

*Vtrùm iudices ecclesiastici possint dona gratis sibi oblata recipere, vel potius teneantur ea restituere.*

1 SIt prima Conclusio. Iudex ecclesiasticus delegatus potest recipere esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumi possint, hoc est, in parua quantitate, & hoc, quando mera liberalitate sibi offeruntur: si autem præter hæc aliquid aliud recipiat, etiam gratis oblatum, tenetur restituere. Sic habet ur expresè *cap. statutum, de rescript. in 6. §. si quid autem*: & docet *ibi* Glossa *versic. paucis* Anchar. *ibi dicto §. insuper*, Dominicus *ibi dicto §. si quid autem*, Francus *dicto cap. statutum, §. notarium, num.* 3. Syluest. *iudex 1. quæst. 8. dicto 2.* & 3. Angel. *n. 8.* Armil. *n. 6.* Rosel. *index 1. n. 6.* Caiet. *verb. iudicis peccata, fine*, Ruard. Taper *art. 19. Louanens.*

2 Nota ex mera liberalitate intelligi non ex acta, nec petita directè, nec indirectè. Sic Syluest. & Glossa *ibi*.

3 Secundò nota, quæ sit parua quantitas esculentorum, iudicio prudentis pensandum, attenta qualitate dantis, & recipientis, Sylvest. Glossa *ibi*.

4 Tertiò nota non prodesse partis, quæ donauit, remissionem ad hoc, vt talis iudex delegatus non teneatur sibi donata restituere. Ratio, quia *dictum cap. statutum, §. si quid autem*, dicit talem partis remissionem non valere; si tamen facta iam restitutione per talem iudicem delegatum eius officio finito sine fraude, & dolo alter liberè ei redderet, posset retinere; quia ius vetat remissionem, non verò donationem rei iam restitutæ: & cùm sit pœna, non est extendenda, maximè quia etsi largo modo paria sint rèmittere, & donare, at propriè differunt: nam faciliùs est remittere, quàm donare. Ita Glossa, & Dominicus *dicto §. si quid autem, versic. remissionem*, Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 3. num.* 25. Sylvest. Angel. Armil. *vbi suprà*. Idem Nauarrus in alio simili circa decretum Trident. *sess. 24. cap. 12. de reform.* vbi disponitur remissionem distributionum factam Canonico absenti per alios Canonicos, non valere: circa quod Nauarrus dicit, facta distributione talium distributionum aliis Canonicis, posse illos eidem absenti reddere, dummodo sine fraude fiat. Sic tenet Nauarr. *cap. quando*, Latinè *cap. 22. num. 49.*

5 Secunda Conclusio. Iudex Ecclesiasticus ordinarius potest similiter esculenta dicta, & poculenta in parua quantitate recipere: si tamen præter ista quidquam recipiat, tenetur restituere. Probatur prima pars, quæ est contra Anchar. *vbi suprà*, quia nullus inuenitur textus id prohibens, nec leges ciuiles loquuntur de iudicibus ecclesiasticis, sed de sæculatibus. Probatur secunda pars, quia licèt *dict. cap. statutum* tantùm loquatur de iudice ecclesiastico delegato, at ratio capitis, scilicet ne muneribus iudex corruptus à iusto desistat, à fortiori locum habebit in iudice ordinario. Sic Sylvest. Angel. Armil. Rosel. *vbi suprà*.

6 Tandem nota Inquisitionibus prohibitum esse dona recipere, etiam ab Officialibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Sic habetur *instructione 1. Hispalens. cap. 15.* & *instruct. 2. cap. 1.* & *instruct. 4. cap. 15.* & docet Simancas *lib. instructionum, tit. 34. num. 46.*

## DVBIVM III.

*An liceat munera offerre iudici, vel iustitiæ ministris ad redimendum vexationem.*

1 TAnquam certum supponendum est id regulariter, & extra casum redimendæ vexationis: nempe quando non est periculum probabile iudicem, aut iustitiæ ministros iniustè facturos, nisi munera eis offerantur, esse illicitum, vt apertè probant iura, & rationes statim afferendæ, & fatentur omnes Doctores vtiusque sententiæ.

2 Difficultas tamen est, an causa redimendæ vexationis, quando est periculum probabile iniustitiæ, licitum sit: in quo prima sententia id licitum esse ait. Probatur primò ex *l. 2. ff. de condict. ob turp. causam*, ibi, *sed si dedi, secundum me in bona causa iudex pronunciaret, est quidem relatum conditioni locum esse: hic quoque crimen contrahit, iudicem enim corrumpere videtur.* Secundò, quia per *authent. vt litigantes iurent*, *in principio* prohibitum est ex quacunque causa munera iudicibus offerre. Tertiò probatur ex *l. 52. titul. 14. part. 5.* ibi: *Mandamos, o otra qualquier cosa dando alguna de las partes al iuzgador a pleyto, que de la sentencia por el, quier aya mayor derecho enel pleyto à quel que los da, quier el otro, no puede despues demandar à quello que dio.* Ergo peccat dans, quia tunc tantùm negatur repetitio danti, quando ex parte eius, & accipientis turpitudo versatur, *l. ff. de condict. ob turp. caus.* Quartò probatur, quia lex positiua iustis de causis prohibuit múnera iudicibus offerri, ne illis corrupti à iusto deuiarent, vt probaui ex legibus citatis: ergo quamuis aliquis non intendat muneribus corrumpere iudicem, sed ius suum consequi, ac propriam vexationem redimere, peccabit in legem; non enim obligatio legis (cessante fine in particulari, sed in communi, vt dixi *l. ... de matrim. disp.*) cessat. Quintò probatur; iudex peccat recipiens ea munera, constat ex *cap. final. 14. quæstione quinta*: ergo peccat ea offerens, cooperatur enim iudicis peccato. Tandem quia ad redimendam hanc vexationem alia suppetunt media, nempe iudicis recusatio, appellatio ad superiorem: ergo nullatenus aperienda via est iudicum corruptioni, affirmando licitum esse muneribus eam vexationem redimere. Atqui ita hanc sententiam tenet Glossa *capite qui rectè, verbo expectat. 11. quæstione tertia*, & *lege secunda, verbo sed si dedi. ff. de condict. ob turp. caus.* quam sequitur *ibi* Albert. *num.* 3. Salizetus *ibi l. 1. num. 1. versic. contra*, Bart. *authent. nouo iure, Cod. de pœna iud. numero* 3. Paulus à Castro *dicta l. 1. §. ob rem igitur, numero quinto*, & ex Theologis idem sentiunt Soto *lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1. in solutione ad 2. versic. sed numquid licebit*, Ledesm. 2. *quæst. 18. art. 5. §. colligitur secundò, fol. 264. col. 2.* Molina *tomo 1. de iust. tract. 2. disp. 90. fine*, vbi limitat, nisi quando cuidenter detur ad redimendem vexationem, quia apertissima erat iustitia danti, nec alia supererat ei via; vel quando iniustè, & cum magno detrimento dentis causam iudex remorabatur, nec alia patebat via.

3 His tamen non obstantibus multò verius est id licere: atque ita in hoc casu concedi in vtroque foro repetitionem danti. Probatur, quia ex natura rei, secluso lege positiua id prohibenti nulla est turpitudo in dante munera iudici, vt vexationem redimat, vt fatetur ipse Molina *dicta disp. 90.* Sed lex positiua id prohibens fundatur in præsumptione praui animi corrumpendi iudicem, vt constat ex illis verbis *legis secundæ, ff. de condictione ob turpem causam*, ibi, *hic quoque crimen contrahit, iudicem enim corrumpere videtur.* Ergo quando tantùm abest animus corrumpendi, vt potius munera offerantur, ne iniustè iudicet, vexétque, vbi probabiliter timetur, illis non oblatis iniustè facturum, non agitur contra legem. Secundò, quia ius naturale concedit



concedit cuilibet propriam defensionem: ergo dum non reperitur ius positiuum clarè explicans, idque apertè prohibens etiam ad propriam defensionem, id licitum erit; iurium enim correctio vitanda est *l. præcipimus. C. de appellat.* at leges prohibentes munera iudicibus offerri non explicant, etiam quando ad propriam defensionem id necesse est; immo tantùm id prohibens ex falsa præsumptione corrumpendi iudicem: ergo dicendum est licitum esse ad redimendam propriam vexationem. Tandem hoc apertis verbis deciditur, *l. finalitit. 22. p. 3.* ibi, *Mas si dio algo al juez porque no le juzasse tuerto, o porque le juzasse derecho, puede lo demandar que se lo torno, porque la maldad fue de parte del juzgador.* Et ita hanc sententiam tenet Glossa *cap. fin. verbo, ille, 14. q. 5.* Archid. *cap. rectè, ad finem, 11. q. 3.* Panor. *cap. cum ab omni, n. 8. de vita, & honest. cler. & ad aures, de simonia, n. 6.* Bald. *cap. fin. de appellat. n. 11. & 2. ff. de condict. ob turpem causam* § *sed etsi dedi*, statim *in principio*, & *ibi* Alexand. *n. 1.* Iason *ibi* alios referens, *in principio num 3.* Decius *consil. 189. n. 12. volum. 1.* Sozinus *de reg. iuris, litera B, regula Barrataria, limitat. 1.* Felin. *cap. tuanos, n. 5. de simon.* Ioan. Lupus allegat. in materia hæresis. §. 10. *ad finem*, Sylvest. *index, 1. q. 12. dicto 6 & verbo simonia, q. 10. dicto 3.* Angel. *verbo index, n. 19.* vbi Armill. *n.* 13. & *ibi* Tabien. *n. 17.* Nauarr. *in extrauag. de datis, & promissis pro gratia, in noua editione n. 16. in antiqua n. 14. & summa c. 17. Lat. n. 33.* Hisp. *n. 37.* Couarr. *reg peccatum 2. p. §. 3. n. 1.* dicens communem Gregor. Lopez *l. fin. verb. no le juzgasse, tit. 22. p. 3.* Matienzo *dialogo relat. 3 p. c. 24. n. 8.* & ex Theologis idem docet Palud. *dist. 15. q. 3. art. 5. n. 37.* Adrian. *4. mat. de restit. quæst. Restat inquirere, an extorta per concussionem, §. sed videndum est cui debeat fieri restitutio, fol. 155. colum. 2.* & *quodlib. 10 litera I.* D. Anton. *2. petit. 2. cap. 5. §. 1. versic. similiter in iudicio.* Cord. *lib. 1. quæst. 9. 32. versi. sed vtrum tunc licite.* Palacios *4. dist. 15. disp. 7. fol. 108. versic. vende munera & lib. 5. de contract. c. 11. §. porro fol. 481.* Nauarra *in noua editione lib. 4. de restit. cap. 2. dub. 12. n. 111.* Salon *2. 2. q. 62. art. 5. controuers. 3. 776. §. obseruemus secundo.* Bañes *eodem art. 5. dub. 4. in solutione ad 3.* & *in fine.* Carbon. *de restit. quæst. 50. post 14. conclusionem, dub. 1.* Manuel *2. tomo summæ, cap. 40. concl. 7. num. 7.*

4 Cauendum tamen censeo à Nauarra *eo cap. 2. dub. 12. num. 111.* vbi affirmat licere muneribus attrahere, iudicem, vt pro me ferat sententiam quando iudex ob opinionum probabilitatem poterat, & volebat contra me ferre sententiam; quod tamen minimè approbo, quia nulla est iniustitia, nec vexatio ex parte iudicis: in quo solo casu ob naturale ius se defendendi id licere ad mittunt prædicti Doctores.

5 Et quamuis aliqui ex prædictis Doctoribus limitent, quando publicè, & palàm offeruntur ea munera iudici: at hoc pertinet, vt in foro externo præsumatur non animo corrumpendi dedisse, sed gratia redimendi vexationem; quare in foro conscientiæ id non erit necessarium; immo & in foro externo id erit iudicandum, quamuis occultè dederit, qualitercumque constet dedisse causa redimendi vexationem, vt optimè Gregor. Lopez *l. final. titul. 22. part. 3. verbo no le juzgasse.*

6 Ex his infertur idem dicendum esse de teste; quamuis enim ipsi prohibitum sit pro vero testimonio aliquid recipere, *cap. finali, 14. quæst. 5.* & *l. 1. in principio, ff. l. Corn. de falsis*; at non erit illicitum ipsi munera offerre ad redimendum vexationem, vt si verum tacere velit iniustè, aut falsum testificari. Et probatur iisdem rationibus, quibus de iudice id probauimus, immo à fortiori, quia magis est prohibitum iudici munera recipere, quàm testibus: & ita quoque de testibus docent Archid. Bald. *dicto cap. finali, num. 11.* Decius, Ioann. Lopez, Matienzo *n. 9.* Adrian. *in 4.* Nauarr. *in summa*, Corduba Salon. *proximè citati.* & Bossius *pract. tit. de oppositionibus contra testes, num. 149.* Idem fatetur quando testis falsum deposuit, & non vult veritatem in iudicio detegere: immeritò tamen dubitat an idem dicendum sit, quando nondum deposuit. nam cùm in vtroque casu, siue falsum deposuerit, siue voluerit deponere, aut tacere iniustè verum, iniusta sit vexatio, licebit pariter eam pretio redimere, vt probant dictæ rationes, & Doctores, qui indistinctè loquuntur.

7 Ad primum, secundum, & tertium constat ex dictis; illæ enim leges fundantur in præsumptione animi corrumpendi iudicem.

8 Ad quartum nego consequentiam, & dum dicis tunc cessare finem legis in casu particulari, & ideo non cessare eius obligationé: dico aliud esse cessare rationem legis in aliquo casu, tunc enim non cessat obligatio legis: & aliud esse à principio rationem legis non se extendere ad aliquem casum; tunc enim nunquam lex habuit locum in illo, vt optimè aduertunt Anton. *cap. post translationem, num. 38. de renunciat.* & *ibi* Panormitan. *in secunda lectura, num. 17.* & latè dixi *lib. 2. de matrim. disput. 37. num. 3.* Ratio ergo legis prohibentis munera iudicibus offerri, ne corrumperentur, nunquam comprehendit casum, quo offeruntur gratia solùm redimendi vexationem, & ita lex non locuta est in hoc casu.

9 Ad quintum dico non omnem cooperationem in peccatum esse delictum, sed quando est spontanea, secus quando necessitate coacta est, vt bene aduertunt Adrian. *4. quæst. 3. de matrim. dub. 14 in solutione ad 1.* Couarruuias *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 1. numero 6.* vt, recipiens vsuras peccat, non tamen qui soluit necessitate iuramenti, quo se adstrinxit, coactus, *cap. debitores, de iureiur.* Sic ergo in nostro casu obligatio illa munerum, non est spontanea, sed necessitate redimendi vexationem.

10 Ad vltimum dico ea omnia media esse difficilia, & dilationem litis magnásque expensas afferre.

## DVBIVM IV.

*An possit Princeps contra partem inauditam procedere, & si procedat, an eius sententia valeat.*

1 DVplex est sententia.

Prima, tenent posse ex causa iusta. Sic Bald. *lege nec causas, C. de appellat. numero* 3. vbi inquit, valet sententia Principis, etiam parte non citata, si est ex iusta causa, & Iason *lege ne quidquam. ff. de offic. Proconf.* vbi postquam *num.* 23. statuit citandam esse partem, vt sententia feratur, limitat *num.* 29. nisi in sententia lata à Principe, quæ potest ferri, partibus non citatis, quando Princeps ex plenitudine potestatis, & certa scientia sententiam ferret.

2 Secunda sententia tenet oppositum. Sit

3 Prima conclusio. Princeps non potest regulariter procedere contra partem inauditam, nec eius sententia valebit. Probatur ex *cap. 1. de causa possess.* vbi Gregorius Papa dicit, nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire: & verbum, *potest*, negatione præposita, importat necessitatem, vt *ibi* Panorm. *num. 4.* & Iason *l. Gallus. ff. de liber. & posthum num. 17.* Glossa *c. 1. de reg. iuris, in 6. versic. non potest.* Secunda probatur ex *cap. 1. de feudis siue culp. non amit.* vbi dicitur, non debet quis priuari feudo etiam per Principem, antequam de culpa sit conuictus. Et *Clement. pastoralis, de sentent. & re iud. versic. nec predicta suppletio*, vbi dicitur Imperatorem non posse supplere citationem, quia est de iure naturali. Et *quæst. 1. cap. Deus*, vbi dicitur Deum noluisse punire peccata Sodomorum, nisi descenderet, & videret, nec Adam, nisi priùs eo vocato, & eius defensione audita, & *cap. caueant*, & *cap. omnia 3. q. 9.* vbi habetur sententiam

Universidad de Deusto
Biblioteca



tentiam absque citatione nullam esse. Tertiò probatur ratione; citatio partis, vt se defendat, est radix, & initium omnium litium. *Inst. de pœn. tem. litig. §. finali, & p. 3. rit. 7. initio*; ergo velle sententiam ferre contra partem inauditam, est fundamentum totius processus iudicialis euertere. Quartò, citare partem, vt se defendat, est de iure naturæ, quod dictat, vnicuique locum se tuendi concedendum esse. Item ius naturæ dictat ante sententiam plenè, & perfectè cognoscendam culpam, quod effici non potest, nisi pars citetur, & audiatur, an aliquid habeat, quo à culpa purgetur. Sed Princeps immunitate nequit ius naturæ; ergo non potest contra inauditam partem procedere. Hanc conclusionem tenet Glossa *Extrauag. 1. de dolo, & contum. verb. non obstantibus*, vbi dicit partis citationem esse de iure naturæ, contra quam nullus Princeps procedere potest. Panorm. *cap. 1. de causa possess. num. 4. & 5.* vbi hæc dicit *etiam Princeps non potest supplere defectum citationis, nec, valet sententia per Principem sine citatione lata: quia est contra ius nature non citare partem: & citatione præcedente, & causa cognitione præsumendum est pro Principe, & non aliter.* Hæc Panorm. & refert Cardinalem; & idem Panorm. *cap. inter quatuor, de maior. & obedien. n. 1.* vbi inquit, de absoluta potestate potest Princeps procedere absque citatione in iis, quæ sunt in potestate ipsius Principis, secus in quibus nō habet plenam dispositionem, quia tollere citationem est tollere defensionē, quę est de iure naturæ. Et Iason *dicta l. Gellius, num. 18.* vbi dicit, nec Papam posse de plenitudine potestatis omittere citationem, quia est contra ius naturæ. Idem Angel. *l. si accusatoribus. C. de accusat.* & glossa *l. fin. C. de legibus, vers. quominus, & ibi* Bald. *num. 1. & l. cum fratrem C. de iis, quibus vt indig.* Ducñas *reg. 29.* Couarr. *quæst. practicis, cap. 23, num. 6.* Rebuffus *repetitione cap. 1. de possess. versic. sexto nota.* Pinellus plures referens *C. de rescind. vendit. 1. p. rubricæ cap. 1. num. 21.* Alexand. *consil. 5. volum. 2. n. 2.* Oldradus *consil. 43. n. 1.* Maranta *de ordine iudiciorum 4. p. d. 9. num. 9. fol.* 188. & refert Sozinum Aretinus *consil. 165.* Felin. *cap. cum olim, de sentent. & re iudic. n. 12. & cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. n. 66.* vbi latè disputata sententia Panorm. allegata *dicto cap. 1. de causa possess.* licèt maneat aliquantulum dubius, at in hoc se resoluere videtur non posse Principem procedere absque partis citatione, nec esse præsumendum pro Principe, nisi causa omissæ citationis appareat, vt *in cap. cum olim, de sententia, & re iudic.* exprimitur causa omissæ citationis, scilicet, quia liquidò constabat de subreptione: & Bald. *l. 1. C. quomodo, & quando iudex, n. 7.* disputans, an valeat statutum, vt absens possit damnari capitaliter, respondet, si absens sit citatus, valebit, sin minus, non: & Soto *lib. 5. de iust. q. 3. art. 3. ad 1. versic. at vero vtrum*, vbi inquit, si Princeps citra iudicij formam, & ordinem aliquid imperet, nefas est, nec parendum est illi, quia Princeps tenetur ordine iudiciario procedere, nisi forsan quidquam rarissimè accidere solet in aliquo casu, qui cùm patentissimam haberet iustitiam, nec moras ferret, nec strepitum publicum. Item Nauarr. *cap. 25.* Lat. & Hisp. *n. 9. & 10.* & Caiet. *verbo homicidium*, vbi dicunt contra ius naturæ agere Principem, qui damnat non citatum, nec auditum, & ministrum exequentem.

4 Secunda conclusio. In duplici casu potest procedi contra partem non citatam, nec auditam.

Primus est, quando crimen est notorium, & liquidò, & certò constaret nullam defensionem esse reo; tunc enim non esset necessaria citatio. Ratio, quia citatio est, vt citatus se defendat; ergo vbi certò constat esse defensionem, frustrà est citatio. Sic Panorm. *dicto cap. cum olim, n. 20. & c. causam, de rescript. n. 3.* Rebuff. *vbi suprà.* Felin. *dicto c. cum olim, n. 11.* Maranta *de ordine iudicorum 6. p. verbo citatio, n. 3. & infrà.* Nauarr. & Caiet. *vbi infrà.* Turrecr. *2. q. 1. c. manifesta, n. 17.* Sylvest. *verbo citatio, q. 7.* Arroil *ibi n. 8.* Rosel. *n. 5.* Angel. *n. 3.* Tabien. *n. 3.* contra Baldum *dicta l. cum fratrem, num. 8.* dicentem etiam in hoc casu requiri citationem, quia vbi non est citatio, non est reus, nec iudicium.

Secundus casus est, quando Princeps non recognoscens superiorem, magna, & iusta de causa omittit vocare reum, & ipsum audire; nempe quia timetur graue scandalum, modò tamen curet allegari, & probari pro reo quæcumque possunt. Sic Nauarr. *ibidem.*

5 Tertia conclusio. Princeps potest tollere citationem in his actibus, quos ipse liberè, & absque iniuria, & sine vlla causa agere potest. Ratio, quia in his est liber. Sic Sozinus, & Aymon, quos refert, & sequitur Couar. *vbi suprà.*

8 Quarta conclusio. Potest Princeps citationem tollere, quæ iure humano post conclusionem causæ, necessaria est ad sententiam pronunciandam. Ratio quia tunc nulla est alleganda defensio, & ideo potius ea citatio iuris est humani, quàm naturalis. Sic Matthæus de Afflictis, quem refert, & sequitur Couarr. *vbi supra* Rebuffus *suprà.*

## DVBIVM V.

*An domini iurisdictionem habentes, vt Duces, Marchiones, Comites, possint in suis terris remittere pœnas tam pecuniarias, quàm corporales, quibus damnati sunt delinquentes eo casu, quo Rex potest remittere in suo regno, sollicet, quando non inde sequitur alicuius præiudicium.*

1 SVpponere oportet pœnas; & condemnationes homicidiorum, & calumniarum, quibus ob delicta condemnantur horum dominorum vasalli, applicari his dominis, sicut in oppidis Regis applicantur Regis quia hi domini sunt intra sua oppida loco Regis. Ita disponitur *l. finali, tit. 5. lib. 4. legum fori, & l. 5. tit. 1. lib. 2. nouæ recopilat.* & docet Auendaño de *exequen. mand. Regum. cap. 7. n. 1. 4.* Auiles *c. 2. prætorum, §. camera, n. 5. & aduertit. n. 3.* ideo explicuisse legem etiam iura calumniarum, & homicidiorum; quia hæc non sunt propriè pœnæ, quia pœna propriè est illa, quæ imponitur pro ipso crimine actualiter probato ex factis, vt *in l. 11. tit. 31. p. 7.* at ius homicidij imponitur ante condemnationem ad mortem, propter contumaciam delinquentis comparere: calumniæ verò pœna imponitur pro crimine coniecturato; videatur de hoc *infra dub.*

2 Secundò nota, si pœna non sit vel calumnia, vel ius homicidij, licèt Cameræ Regis sit applicata, non pertinet ad dominos: vnde animalia errantia, quorum dominus non comparet Hispanè *los mostrencos*, etiam in locis dominorum applicari debent Cameræ Regiæ, nisi ex priuilegio, vel consuetudine aliter appareat. Sic Auendaño *vbi suprà n. 6.* Sit ergo

3 Prima conclusio. Domini nullum recognoscentes superiorem possunt in suis terris remittere pœnas tam corporales, quàm pecuniarias eo casu, quo id potest Rex in suo regno. Ratio, quia hi sunt velut Reges, cùm nulli subdantur, & sic leges condunt, tributa imponunt: & sic intelligitur *l. 1. titul. 32. part. 7. initio*, dicens posse dominos remittere pœnas: sic Auendaño *num. 13.*

4 Secunda conclusio. Pœnas pecuniarias ipsi domino applicandas iuxta primum notabile potest dominus recognoscens superiorem remittere. Probatur, quia cùm ea pœna domini sit, potest ipse suo iuri cedere. Ita Bartol. & Paris de Puteo, quos refert, & sequitur Auendaño *num. 8.* qui notat debere præcedere de pœna sententiam, vt iusta remissio; quia ante sententiam non est domini.

5 Tertia conclusio. Pœnas corporales etiam relegationis, non potest talis dominus de iure remittere. Probatur, quia eiusdem est condere legem, & in lege dispensare, hi domini illud non possunt; ergo nec hoc. Ita expressè habetur *l. 1. titul. 32. part. 7. fine*; vbi dicitur, solum Regem hoc posse. Idem notat Gregor. Lopez *ibi vers. el Rey*, & refert Bart. Salizet. & Aretin. Idem Auendaño *vbi suprà numero 12. & 13.* vbi alios refert.

6 Vltima conclusio. Ex consuetudine præscripta, & tolerata à Principe, potest talis dominus pœnas etiam corporales post latam sententiam remittere. Ita Auendaño alios referens *n. 14. & 15.* & dicit eam consuetudinem centum annis præscribi.

7 Tandem nota, si ex consuetudine, vel statuto populi aliqua pœna veniat applicanda vniuersitati, & illa sit liquida, non potest dominus, nec vniuersitas remittere. Ita Bald. & Curia Pisana, quos refert, & sequitur Auendaño *numero 18.* vbi etiam dicit posse hos dominos in suis mandatis dicere, sub tali pœna meæ cameræ, & fisco: at pœnas, quæ his dominis applicantur, debent in pios, aut publicos vsus conuertere, vt notant Felin. & Ausrerius, quos refert, & sequitur Auendaño *num. 17.*



## DVBIVM VI.

*An domini vasallorum, vt Duces, Marchiones, &c. possint iudices appellationum in suis oppidis instituere, ad quos fas sit appellare à iudicibus inferioribus, & an à iudicibus appellationum ad ipsos dominos sit appellatio.*

1 PRima conclusio. A iudicibus inferioribus in oppidis potest appellari ad ipsum dominum, qui potest constituere iudices ad audiendas appellationum causas: quod iure communi defendi potest, ex notatis ab Alberto Bruno *consil. 102.* ac itidem iure Regio ex lege Guadalaxaræ, lata anno 1590. quam refert hoc decens Couarruu. *in practicis quæstionibus, cap. 4. numero 7.* Gregor. Lopez *l. 18. tit. 23. p. 3. vers. Para el Rey.* Auendaño *de exequend. mand. Regum, c. 6. in principio*, & constat ex praxi.

2 Nota hic posse Regem cognoscere in prima instantia etiam in oppidis dominorum; quia est ordinarius omnium, & cum omni iurisdictione concurrit, sicut Papa in spiritualibus. Sic Greg Lopez *ibi.*

Secunda conclusio. Ab his iudicibus appellationum per dominos constitutis potest appellari ad Regem, non autem ad ipsum dominum. Ratio, quia censetur idem Tribunal, *cap. Romana, in principio, de appellat. in 6.* Ita Couarr. *numero 7.* dicens esse indubitabile.

4 Nota idem esse dicendum vbi dominus causam aliquam appellationis cognoscendam expressim, & speciatim alicui delegaret, quia ab hoc delegato ad solum Regem esset appellatio. Sic Couarr. *n. 8.*

5 Vltima conclusio. Si non potest appellari à iudice appellationum ad dominum, vt diximus, non poterit dominus de tali causa cognoscere, nec sententiam reformare per viam nullitatis, nec per viam querelæ, nec alios quouis remedio. Ita Albertus, quem refert, & sequitur Auendaño *vbi suprà n. 1. & 2.*

## DVBIVM VII.

*An reus condemnatus, & iam suspensus possit, antequam sepeliatur, tradi Medicis ad anatomiam faciendam? & an iudex possit animal cuiusuis cogere ad portandum malefactorem pro exequenda iustitia.*

1 CIrca primum Bart. *l. fin. ff. de cadau. punit.* relinquit indecisum, & similiter Anan. *cap. 2. de sepult.* Sit

2 Prima Conclusio. Optimè potest tradi, vt fiat anatomia; quia quando aliquid omnibus prodest, præfertur vtilitati priuatæ. *l. vnica, §. fin. ff. de cadauer. tollen.* Item probatur *l. quod reipublicæ. ff. de iniuriis*, vbi habetur iudicem non inferre iniuriam, si aliquid faciat intuitu reipublicæ, licèt tendat in contumeliam alicuius priuati. Ita tenet Decius *l. imperium. ff. de iurisdict. omnium iudic. numero 17.* Anton. Gomez *3. tomo cap. finali, numero fin.* & dicit Doctores Salmantinos per Carolum Quintum Imperatorem consultos id respondisse.

3 Secunda conclusio. Optimè potest iudex cuiustuis priuati animal capere ad portandum malefactorem pro exequenda iustitia, modò pretium, & mercedem soluat de publico. Ita plures leges, & Doctores afferens tenet Anton. Gomez *vbi suprà, numero 7.* vbi etiam concludit posse iudicem compellere hominem priuatum, modò vilis persona sit, vt exequatur iustitiam, flagellando, vel suspendendo, & refert Bartolum ad hoc.

## DVBIVM VIII.

*An iudices temporales possint reis imponere pœnas sibi applicandas.*

1 SIt prima conclusio. Iudices temporales non possunt pœnam, nec partem pœnæ sibi applicare, sed tantùm sibi applicanda erit, quando ex legis, vel statuti ciuitatis dispositione sibi applicatur. Ita disponitur *l. 2. tit. 26. lib. 8. nouæ recop.* vbi sic dicitur, *Mandamos, que ningun alcade in juez no pueda poner, ni ponga pœnas para si, y su puesto que las ponga, no las lleue, y sean, ni puedan ser directè, ni indirectè aplicadas al juez, que las puso.* & sic tenet Auiles *cap. 12. Prætorum. §. camara, n. 1.* Perez *lib. 8. ordinam. tit. 19. l. 49. vers. Parasi.* Auendaño *lib. 1. de exequend. mand. Regum, cap. 18. n. 1.* Bart. & Platea *l. 1. C. de excusat. muner. sine, lib. 10.* Ang. *auth. vt nulli iudicum, col. 9. §. Quoniam vero, initio & §. vt autem, n. 27.* Gloss. Clem. *nolentes, vers. Ecclesiæ, de hæret.*

2 Nota etiam pœnas, quæ per leges ipsismet iudicibus applicantur, non posse iudicem percipere, nisi vbi sententia lata fuerit, & transierit in rem iudicatam. Ratio, quia nulla pœna ante condemnationem debetur. Ita disponitur *eadem l. 2 nouæ recop. citata*, & docent Auiles, & Perez *vbi suprà.* Auendaño *ibidem num. 3.*

3 Secundò nota, lata sententia, & appellatione suspensa, benè posse iudicem super parte pœnæ sibi debita cum parte condemnata transigere: tum quia dum leges reprobant transactionem, & concordiam super pœnam, intelligunt, quando sententia nulla super ea pœna præcedit. Secundò, quia eo ipso quòd agitur de concordia, & assentit condemnatus concordiæ, & vult soluere, videtur consentire comdemnationi aduersùs eum factæ: & sicut soluendo totam condemnationem virtute sententiæ iudex est tutus, eodem modo si mediante concordia soluitur pars condemnationis, *l. ad solutionem, C. de iudic.* Sic Auendaño *eodem n. 3.*

4 Secunda conclusio. Iudices perpetui, vt Comites, Marchiones, Duces, & similes possunt sibi pœnas applicare, sententia tamen præcedente. Ratio, quia hi domini habent ius confiscandi, & percipiendi pœnas in suis oppidis, quæ in oppidis regiis applicantur cameræ, vt latè dixi *suprà dub. 5.* Sic Aymon *cons. 128.* Cassanæus *in consuetud. Burgund. rubr. 2. §. 1. in glossa, & apartient.* Angel. *dicto §. vt autem.* Auendaño *n. 1.* referens Plateam.

5 Nota tamen in triplici casu dominos vasallorum huius Regni non habere condemnationes.

Primus est, si iudex vulgò appellatus *perquisitor*, sententiam proferat intra horum dominorum oppida, pœna cameræ regiæ applicatur; quia vbi Rex cepit,

ac

Universidad de Deusto
Biblioteca



ac suam fecit causam, omnia causæ accessoria, inter quæ est pœnarum impositio, ad Regem pertinent. Sic Auendaño *n.*2. referens Cassanæum, & dicens sic praxi receptum esse in Hispania.

Secundus casus est, hi domini non habent bona, & condemnationes hæreticorum, quando confiscatio contra hæreticos imponitur, *cap. cum secundum leges*, §. *fin. de hæreticis lib.* 6. Sic Guido *decis.* 76. Auendaño *eodem num.* 2. Tertius casus est, si à sententia lata per iudices dominorum appellerur ad iudices, & regios Prætores, tunc enim pœnarum pecuniarum exactio fit à camera regia: & idem fit, quando ex negligentia iurisdictio deuoluitur ad superiorem. Sic Fauet, quem refert, ac sequitur Auendaño *eodem n.* 2.

## DVBIVM IX.

*Dubitantur aliqua circa leges huius Regni, quibus pœnæ applicantur iudicibus, vel pijs operibus.*

1 PRimò dubitatur circa *lib.* 3. *nouæ recop. tit.* 10. *del aranzel, n.* 10. vbi dicitur, quòd iudex nullam pœnæ partem accipiat, nisi applicatam per legem; quo ergo pacto tuta conscientia accipiunt iudices partem, pœnarum, quæ sibi applicantur per ordinationes ciuitatis, quandoquidem dictæ ordinationes non sunt lex. Respondetur, *ibi* loqui quando iudex procedit virtute legis, quia si per legem nil ei applicatur, nil exigit; si verò procedit virtute statuti alicuius populi, habebit quod per illud sibi applicatur, vt patet ex *eodem titulo* 10. *fine*, vbi habetur, *Que los que vendieren, o pesaren, &c. como no deuen ser penados segun las ordenanzas del lugar donde acaeciere, y que la justicia pueda auer la parte de la pena, que segun las dichas ordenanzas le pertenece.* Probatur etiam, quia hi populi possunt apponere pœnas non seruantibus sua statuta. Sic docti recentiores.

2 Secundò circa *legem* 2. *tit.* 26. *lib.* 9. *nouæ recopil.* dubitatur quo iure iudices prætorij Regij iubere soleant aliquem dimitti sub fideiussione deponendo certam pecuniæ summam apud aliquem applicandam pauperibus, vel aliis piis operibus, siquidem illa lex præcipit non exigi pœnam nondum iudicata causa. Respondetur legem loqui de pœnis sententiæ diffinitiuæ: quod autem exigitur per actum interlocutorium, non exigitur, nisi ex consensu partis, quæ dimissa sub fideiussione per actum præcipientem deponi certam quantitatem, consentit in deposito, quod ipsum facere possunt iudices inferiores. Similiter quando præsente iudice, aliqui duo, v. g. Aduocati, se contumeliis afficiunt, &c. solent ab illis exigi duo aurei pauperibus applicandi absque alia sententia: quod etiam est licitum, quia id non est propriè pœna, quæ requirit esse iudicatam, sed est multa. Sic docti Iurisperiti.

3 Nota circa eandem legem, quòd iudices inferiores nequeunt totam pœnam ad pia opera applicare, nec ad sumptus iustitiæ: atque ita nisi quando applicatur per legem, aut est pœna arbitraria, semper debet applicare Cameræ dimidiam partem, dimidiam alteram ad sumptus iustitiæ. At iudices prætorij Regij, quando pœna non est applicata per legem, possunt totam pœnam ad pia opera, aut publica, aut ad iustitiæ sumptus applicare. Sic docti Iurisperiti.

4 Tertiò circa *eandem legem* dubitatur, quo iure iudices inferiores exequuntur pœnas, quas ipsi imponunt, quin ostendatur iudicium Regi, iuxta præscriptum huius legis. Respondetur hanc legem esse vsu derogatam quo ad hoc. Sic iidem Iurisperiti.

5 Quartò circa *legem* 14. *tit.* 16. *lib.* 8. *nouæ recop.* in qua decernitur, ne iudices moderentur pœnas; quòd si moderentur, nequeant partem capere, quæ ad illos spectat: & quod res, quas assumunt vt perditas, quia contra prohibitionem legis inuehuntur, taxentur tali forma, &c. dubitatur.

Primò, si iudex inferior ritè, & rectè iusta aliqua de causa pœnam legis moderatur, vt potest iuxta communem, & veram sententiam, an possit accipere partem pœnæ per legem applicatæ.

Secundò, si moueatur perperam, & iniustè, adhuc recipit iudex partem, quæ per leges est applicata, an teneatur illam restituere: videtur, quòd non, cùm lex hæc sit pœnalis, nam ita concludit, *so pena que pague la dicha pena para nuestra Camera.*

Tertiò, si res contra prohibitionem extractas exponat iudex vendendas voce præconis, & clarè videat longè viliùs taxari, an teneatur restituere partem, in qua defraudatur Regia Camera, & an teneatur restituere eidem Cameræ partem pœnæ, quam lex illi applicat.

Ad primum respondetur, quòd potest in eo casu iudex capere sibi partem illam pœnæ, quia lex illa loquitur, vt patet ex eius contextu, quando iniustè, & cum fraude moderatur.

Ad secundum, quòd tenetur restituese illam partem pœnæ; quia iudex non habet ius ad hanc pœnam; nisi quia per leges illi applicatur: sed hæc lex dicit, quòd in isto casu non illi applicatur. Item quia dicit, *no pueda llenar la parte*, & verbum, *no pueda*, reddit inhabiles, vt dixi *supra dub.* 1.

Ad tertium dico teneri restituere partem, in qua Camera, vel denunciator defraudatur; quia periode est, quòd ipse iniustè moderetur, ac consentire quod iniuste taxetur, cùm teneatur ex officio impedire: ac non tenetur restituere partem pœnæ, quæ ad ipsum iudicem pertinet; quia hoc verè non est moderari pœnam, & cùm sit pœnale, est restringendum. Ita docti Iurisperiti.

6 Quintò circa *legem* 15. *tit.* 6. *lib. nouæ recop.* dubitatur, an casu quo quis est conuictus, & fatetur suum crimen, & consequenter non habet locum appellatio secundùm ius, possit iudex partem illam condemnationis capere, quæ ipsi per leges applicatur; nam hæc lex negat in casibus, in quibus non datur appellationi locus. Respondetur hanc legem [illegible] esse partem iudicibus Regij prætorij, id est, *Alcaldes de Corte*, & Cancellatiæ, & iudicibus à quibus appellari non potest dignitatem officij; nam si hi partem acciperent, efficerent iudices suspecti propter interesse: at possunt, cùm habeant superiores, à quibus possint corrigi. Sic docti Iurisperiti ex neotericis.

7 Sextò circa *legem* 21. *titul.* 9. *lib.* 3. *nouæ recopil.* dubitatur.

Primò, an iudex, qui sine denunciatore procedit, aut constituit denunciatorem, vel denunciator fuit eius fumulus, & partem denunciatoris non applicuit Cameræ, teneatur restituere.

Secundò quando prohibet lex illa, ne iudex denunciatorem constituat. Item ne sit denunciator famulus, nec familiaris iudicis, quid per famulum, & familiam intelligatur.

Ad primum dico, quòd quando processit iudex sine denunciatore, tenetur restituere partem, quæ ad denunciatorem spectabat, si eam non applicuit Cameræ, quia pertinebat ad Cameram per legem istam. Quando verò iudex constituit denunciatorem, aut hic est eius famulus, aut familiaris, partem, quam verè capit talis denunciator, non tenetur restituere, quia respectu eius hæc esset mera pœna.

Ad secundum, famulus, aut familiaris dicitur, qui seruit cum salario, vel sine eo. Ita docti recentiores Iurisperiti.

8 Septimò dubitatur, si iudex constituat denunciatorem pacto cum eo inito, quòd sit futurus particeps partium pœnarum, quæ ad ipsum denunciatorem pertinent, an teneatur illi restituere hanc partem. Respondetur teneri, quia lex hanc partem applicat denunciatori, nullumque iudici competit ius ad eam sibi capiendam. Sic docti Recentiores Theologi, & Iurisperiti.

9 An verò iudices inferiores, vel etiam Duces, & Marchiones possint imponere pœnam sibi applicandam, vel compositionem facere super parte pœnarum, quæ ad ipsos pertinet, cum reo: & an in terris particularium dominorum, hæ pœnæ Cameræ ad ipsos dominos, vel potius ad ipsum Regem pertineat, dixi *supra dub.* 8.



## DVBIVM X

*An possit Princeps appellationem tollere.*

1 SIc prima Conclusio. Benè potest Princeps appellationem, & ius appellandi tollere. Ratio, quia appellatio est de iure humano, cui potest Princeps derogare. Hæc Conclusio colligitur ex *cap.* 1. *de rescript. cap. pastoralis de appellat. cap. super quæstionum*, §. *si verò, de offic. deleg. l.* 2. §. *interdum ff. à quibus appell. licet, & cap. super eo, de offic. deleg. & l.* 13. *tit.* 23. *part.* 3. *ad finem*, & docet Couar. *quæst. pract. cap.* 23. *num.* 6. dicens esse omnium. Rebuffus *repetit. super cap.* 1. *de causa possess. vers. sextò nota.*

2 Secunda Conclusio. Tunc iustè potest Princeps appellationem tollere, vbi litis alicuius etiam grauis definitionem committit iudici ea in re peritissimo, & integerrimo, qui citatis his, quos negotium tangit, & eorum defensionibus auditis sententiam proferat. Ratio, quia hæc est causa iustissima negandi appellationem, & lites non sunt futuræ immortales: imò Reipublicæ conuenit eas citò definiri, *cap. finem, de dolo, & contum.* Sic Couar. *vbi supra.*

3 Tertia Conclusio. Sanctissimè quibusdam legibus quandoque appellatio tollitur propter negotiorum qualitatem, quæ non patitur, iuxta Reipublicæ benè instituræ vtilitatem, executionem sententiæ appellatione proposita impediri. Sic Couar. *vbi supra.*

4 Vltima Conclusio: sæpe temerè, & absque vlla causa tollitur à Principe appellatio, non examinatis prius negotij, & iudicis qualitatibus: quod fieri iustè nequit, appellationis enim defensio non est à Principe sine causa tollenda. Sic Isernia, & Matthæus de Afflictis, quos refert, & sequitur Couar. *supra.*

## DVBIVM XI.

*Verum quando sit executio pro aliquo debito in bonis debitoris, & ille reuera non soluit debitum intra diem naturalem, quia creditor expectat, teneatur ipse debitor soluere decimam Alguacello.*

1 PRæmittendum est statutum esse *l.* 18. *tit.* 21. *lib.* 4. *nouæ recopil.* ne Alguacellus aliqua iura accipiat pro executione facta, si debitor statum numerata pecunia soluat debita, & *l.* 21. *eod. tit.* additur, quod si debitor intra diem naturalem soluat debitum pro quo facta sit executio, non teneatur soluere decimam partem, quæ tanquam iura, seu stipendia maiori Alguazello Cancellatiæ solui solet, iuxta *l.* 7. *eod. tit.* Hoc supposito dubitatur, si intra diem naturalem debitor reuera non soluat debitum, & à creditore obtineat, vt pro illo exhibendo illi fideiussorem, vel alio modo pecket, vel cum eo conueniat, vel creditor det fictam schedulam de solutione facta, vt excusetur debitor à solutione decimæ Alguazello facienda, an vterque tam creditor, quàm debitor sint tuti in conscientia, vel teneantur de decima Alguazello restituere.

2 Sit conclusio. Talis creditor, & debitor tuti sunt in conscientia, nec tenentur decimam Alguazello restituere. Ratio, quia ea decima instituta fuit in fauorem creditoris, vt scilicet debitor citiùs solueret creditori, cuius signum est statuisse legem, vt si soluat debitor intra viginti quatuor horas, non teneatur soluere decimam: ergo potest debitor suo fauori cedere; & confirmatur, quia si intra illas viginti quatuor horas remitteret creditor debitori debitum, non teneretur debitor soluere decimam Alguazello: ergo idem erit, quocumque modo creditor contentus sit satisfactione, & solutione. Atque ita senserunt alij viri docti Theologi, & Iurisperiti à me consulti.

## DVBIVM XII.

*An quando non est plena, & integra probatio alicuius delicti, quia scilicet non sunt testes oculati, sed tantùm præsumptiones, & indicia vrgentia, possit iudex mitiori aliqua pœna, quàm ea, quæ ordinariè per legem statuta est, plectere delinquentem, vel debeat pœna ordinaria punire.*

TRiplex est sententia.

1 Prima docet, quando probatio non est integra, vt quia solùm sunt indicia, etiam vehementissima, & indubitata, non posse reum aliqua pœna damnari, sed torquendum esse, & faciendam maiorem inquisitionem: si verò nequit iudex vltrà inquirere, nec procedere ad torturam, vel quia persona est senex, vel minor, vel nobilis, &c. absoluendum esse reum, nec aliqua pœna damnandum. Probatur primò, quando probatio non est plena, iure statuum est, vt reus torqueatur: ergo signum est ius sensisse talem probationem non esse sufficientem ad damnandum reum aliqua pœna. Secundò probatur, factum ipsum indiuiduum est, aut enim Petrus furatus est, vel non furatus est, nec in hoc negotio medium constitui potest; ergo aut est omnino absoluendus, aut pœna ordinaria legis damnandus. Tertiò probatur, quia si iudex pœnam mediam, scilicet arbitrariam, hoc casu infligeret; iudicaret furatum esse, cùm eum non absoluat vt innocentem: & non furatum esse, cùm eum pœna furti ordinaria non puniat. Quartò probatur, factum non est maius, vel minùs, quòd de illo sit hæc probatio, vel illa; ergo nec pœna pro illo facto imponenda, est augenda, vel minuenda, propter qualitatem probationis. Quintò probatur, quia si probatio non est sufficiens, vt homicida suspendatur; ergo nec vt ad triremes, vel exilium condemnetur; quia in pœnis requiritur liquidissima probatio. *l. fin. C. de probat.* nec distinguit lex, an pœna sit mortis vel exilij, vel alia similis. Sextò probatur, quia Iurisconsultus *l. aut facta. ff. de pœnis.* & Alexand. III. *cap. sicut dignum, in principio, de homicid.* connumerant causas, ex quibus iudex potest minuere pœnam; & non numerant inter eos qualitatis probationem. Vltimò probatur ex facto Salomonis 3. *Regum* 3. quod adducitur *cap. afferte, de præsumpt. ibi* enim Salomon licèt violentissima extiterit præsumptio, quod illa mulier puerum alterius rapuisset, cui pœna mortis ex lege debebatur, nulla pœna damnauit mulierem, sed ad rei restitutionem coëgit. His argumentis, pluribus textibus sustinet hanc sententiam Sarmiento *lib.* 1. *Select. interpretat. cap.* 1. *per totum*, Hippolytus de Marsiliis *rubr. de probat. num.* 237. *circa finem*, Nouel. *in pract. criminali, fol.* 118. *num.* 34. & hanc dicit esse communem Decius *consil.* 175. Auendaño *in Dictionario, littera P, verbo Præsumptio*, tenet eandem sententiam nisi in casibus expressis per leges huius Regni, in quibus potest quis ex præsumptionibus damnari; & refert *ibi*, qui sunt isti casus.

2 Secunda sententia docet ex indiciis vrgentibus, & indubitatis posse ferri sententiam etiam in crimina-

Universidad de Deusto
Biblioteca



libus. Sic tenent aliqui, vt refert Sarmiento, *vbi suprà*.

3 Tertia sententia est media, quam tenent Doctores *infrà* citandi. Sit

4 Prima Conclusio. Quando iudex habet iudicia vrgentia contra aliquem in criminalibus, & ipse reus negat delictum, non est in arbitrio iudicis procedere ad torturam, vel ad pœnam aliquam ordinariam, vel extraordinariam, sed si reùs est persona, quæ potest torqueri de iure, tenetur iudex procedere ad torturam, vt comperta veritate possit iudex pœna ordinaria damnare reum, vel absoluere; quia hoc medium iure statutum est ad extorquendam veritatem, *l. edictum, ff. de quæst. & parte 7. titulo 30. l. 1.* & intelligitur Conclusio, seruatis omnibus requisitis ad torturam. Hanc Conclusionem docet Baldus, quem refert, & sequitur Gregorius Lopez *part. 7. tit. 1. l. 26. verf. dubda*, Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 12. num. 26.*

5 Sed quid si tortus ex indiciis neget delictum, potest ne vltrà procedi? Duplex est sententia.

Prima dicit debere iudicem causam indecisam relinquere, & reum sub fideiussoribus relaxare, si eos dare possit, vel absque fideiussoribus, si eos dare non possit: at non debet reum diffinitiuè absoluere, nec condemnare. Et erit maximus effectus huius remissionis, & non absolutionis diffinitiuæ; quia si postea reperiantur veræ, & legitimæ probationes, poterit iudex eum capere, & diffinitiuè condemnare: si verò defensiones, & probationes innocentiæ absoluere. Sic tenent Saliz. Angel. de Perusio, Paris de Puteo, Albericus, & Hippolytus, qui etiam addit sic praxi receptum esse in tota Italia à peritissimis iudicibus, quos omnes refert Anton. Gomez *vbi suprà*, & sequitur Iul. Clarus *lib. 5. recept. sentent. §. finali, quæst. 62. varsic. forma autem*, dicens, licèt de iure sit hic reus absoluendus, ac vsu communi receptum esse, vt non absoluatur, sed relaxetur sub fideiussore. Idem docet *quæst. 64. verf. illata*, & refert plures authores idem sentientes.

6 Secunda sententia docet esse absoluendum diffinitiuè. Sic Doctores citandi. Sit

7 Secunda Conclusio. Probabilius est reum, qui ob indicia etiam sufficienter tortus negauit delictum, esse diffinitiuè absoluendum. Probatur, quia per torturam sufficienter purgat indicia contra se existentia. Item, quia expresè hoc statuitur *l. 26. tit. 1. parte 7.* & ita per illam legem tenet *ibi* Gregorius Lopez *verf. ni las*, & *verf. deve*. Auendaño *in Dictionario, littera T, verbo Tortura, conclusione 13*. Olanus *in concordia iuris, littera T, verbo Tortus, numero 30. 31*. Antonius Gomez plures referens *tomo tertio, variarum, capite 13. numero 28*. Sarmiento *libro 1. Select. capite 1. numero primo, & secundo*, & addit protestationem, quam faciunt iudices, dum reos torquent, scilicet ne per hoc censeantur purgatæ, & eneruatæ probationes, non posse hoc operari, quia protestatio iudicis ius certum mutare non potest, nec ius nobis conferre, nec alteri auferre; sed protestatio in his tantùm operatur, quæ in voluntate nostra consistunt, vel quando iniustè ab aliquo quis impeditur, vel vt ius, quod nobis competit, conseruetur, *l. alimenta. C. de negot. gestis, & l. 2. C. debit. vend. pign. l, si maior annis, C. de rescind. vendit.* Immo licèt probatio plena sit, quando reus sufficienter tortus negauit, dicunt plerique probationes illas purgari, & reum esse absoluendum. Sic plures.

8 Tertia conclusio. Probabile est etiam posse iudicem huiusmodi tortum non absoluere diffinitiuè, sed sub fideiussore relaxare. Probatur, quia cùm hæc sint decreta humana, plurimum in his roboris habet consuetudo, at praxi, & consuetudine receptum est, vt hi torti sub fideiussore relaxentur, vt dicunt plures authores pro prima sententia allegati: ergo sententia hæc est probabilis, & iudex, qui iuxta illam faceret, esset absoluendus. Immo Gregor. Lopez *loco proximè citato* addit, fortè in atrocioribus delictis, vbi iudex speraret noua indicia superuentura, bonum esset non absoluere diffinitiuè, sed remittere dando fideiussorem.

9 Nota hîc, non tantùm hoc esse verum, immo vsu communi receptum esse, quando indicia sunt grauia, & valde vrgentia, vt etiam post negationem in tormentis damnetur reus pœna extraordinaria, vt triremium, &c. Sic Iul. Clarus *dicta quæst. 64. verf. illata reo*, Olanus *vbi supra*, Ægidius Bossus *tit. de inquisit. num. 30*.

10 Quarta Conclusio. Si reus est persona, quæ iure torqueri non potest, quia scilicet est nobilis, aut senex, &c. probabilis est sententia Sarmienti, & aliorum *supra* citata, scilicet si non sit contra illum plena probatio, sed tantùm indicia, esse absoluendum, & nulla pœna damnandum. Probatur, quia authores graues, & rationes fortissimas habet.

11 Nota tamen, quòd licèt præsumptio talis sit, qua reus damnari non possit, sed absolui debeat, potest tamen ea talis esse, quæ & ipsa crimen sit, ex quo reus damnari possit, licèt ex crimine principali absoluatur, v. g. Petrus accusatur, quòd Paulum occiderit, id non plenè probatur, sed tantum ex præsumptione, quod coadunatis hominibus ea nocte, qua occisus est, Petrus incedebat, & hæc præsumptio plenè probatur, licèt de crimine principali Petrus absoluatur, quia non plenè probatur, at potest aliqua pœna plecti ob præsumptionem illam, quæ verè delictum est, scilicet coadunatis hominibus armatum incedere. Sic idem Sarmiento *vbi suprà numero 10*.

12 Quinta Conclusio. Probabilius tamen est reum, qui iure torqueri non potest, & habet contra se indicia vrgentia, non esse absoluendum, nec etiam damnandum pœna ordinaria, sed pœna quadam mitiori ad iudicis arbitrium. Quod non sit damnandus pœna ordinaria, probatur, quia in criminalibus ad condemnandum pœna ordinaria requiruntur probationes luce clariores, & quibus nullum possit subesse dubium: at indiciis semper subest aliquod dubium. Et quod sit damnandus aliqua pœna extraordinaria, probatur, quia esset Reipublicæ valde perniciosum hominem de crimine grauiter infamatum impunitum relinquere. Item, quia iste innititur aliqno modo reus, ergo aliqua pœna damnandus est. Item, quia hoc habetur expresè *l. 4. tit. 8. parte 7. fine*, vbi sic dicitur, *Si no lo puede probar, sospecha puede auer contra el, que lo mato maliciosamente, y porende le deue dar el iuez pena segun su aluedrio*, & ita docet vbi Gregor. Lopez *in fine, & l. 26. tit. 1. parte 7. verf. subdo*. Anton. Gomez *tomo 3. var. cap. 12. num. 25. 26*. Palacios Rubios *in allegat. in materia hæresis, §. 11*. Thomas Grammaticus *dec. 42*. Simancas *de institut. Cathol. tit. 5. num. 12. & tit. 50. num. 21*. Prima instructio Hispalensis *cap. 5.* Dueñas plures referens, *regul. 303. verf. hanc regulam*, Innoc. *cap. quia verisimile de præsumpt.* Plaza *epitome delictorum, lib. 1. cap. 14. num. 3*. Matienzo *Dialogo reatorum, 3. parte, cap. 30. num. 5*. Iulius Clarus *lib. 5. recept. sentent. §. final. quæst. 20*. Tiraquellus *de pœnis temperandis, causa 27. per totam*, & Felin. Panorm. Baldus, Carrerius, Gandinus cum pluribus aliis, quos authores citati referunt.

13 Sed inter hos authores, licet conueniant, quod propter indicia quantumuis indubitata non potest quis pœna mortis damnari, at dubium est, an possit damnari pœna corporali, vt fustigationis, vel triremium, quidam enim dicunt posse damnari pœna corporali, mitiori tamen, quàm ordinaria: & hoc maximè in delictis occultis, & difficilis probationis, & in quibus veritas clarius haberi non potest. Sic Iul. Clarus *dict. quæst. 20*. cum Ludou. Carrerio sic quotidie apud nos seruari in practica. Idem etiam seruatur in Neapolitano Senatu, vt dicit Thomas Grammaticus *decis. 42. num. 14. & 15*. vbi etiam tenet hanc partem.

14 Sexta



14 Sexta conclusio. Probabilius est non posse damnari propter indicia, quantumuis vrgentia, & indubitata, pœna corporali. Probatur, quia leges absolutè petunt ad condemnationem in criminalibus, probationes luce clariores. Sic Gregorius Lopez *dicto verf. Dubda*. Tiraquellus, Gandinus, & alij innumeri, quos hi referunt *loco citato*, & idem tenent Antonius Gomez *dicto num. 26*. vbi concludit, quòd licèt præsumptiones sint violentissimæ, & tales, quòd negari non possit, non satsunt ad damnandum pœna corporali, nec sufficienter probant: vt si quis visus est domo fugere ense nudo, & ibi reperiatur homo occisus, non satis probatur illum occidisse; quia forte alius fecit, vel ad defensionem suam, vel alio modo inculpabili.

15 Nota aliquos Doctores limitare quintam, & sextam conclusionem, vt habeant locum, quando talis præsumptio est tantùm hominis, & sic iudicis, qui eam præsumit ex facto, & qualitate negotij; secus si talis præsumptio esset à lege determinata, & approbata; quia per eam debet iudex condemnare ad pœnam etiam mortis. Sic Tiraquellus, Iulius Clarus, Antonius Gomez, qui alios plures referunt, immo dicunt esse omnium sententiam.

16 Sed meritò hoc reprobat Sarmiento *vbi suprà n. 9*. quia nulla est præsumptio hominis, quæ si bona est, lege non nitatur; præsumit enim homo lege id probante, alioquin non præsumptio, sed temerarium iudicium erit, *cap. eßote, de reg. iuris*.

17 Ad argumenta in principio posita pro prima sententia respondetur.

Ad primum id esse verum, quando persona iure torqueri potest; tunc enim non ad aliam pœnam, sed ad torturam damnati debet, vt dixi.

18 Ad secundum respondetur factum esse indiuiduum, vt in se est, at vt substat probationi, & iudicio iudicis, non est indiuisibile, quandoquidem solis indiciis probatur, nec constat omnino factum fuisse, vel non factum.

19 Ad tertium nego antecedens, sed iudicat non plenè probati factum, & ideo minuit pœnam ordinariam.

20 Ad quartum concedo antecedens, si loquamur de facto vt est in se; secus de facto, vt subsstat probationi, illud enim est maius, vel minus ex maiori, vel minori probatione.

21 Ad quintum respondetur, ad pœnam ordinariam, vel corporalem exigi liquidissimam probationem; secus ad pœnam extraordinariam, & non corporalem.

22 Ad sextum respondetur nil valere; quia procedit ab authoritate negatiuè.

23 Ad septimum respondetur id fecisse Salomonem, quia mulier illa non accusabatur de delicto, sed tantùm petebatur ab ipsa filij restitutio.

## DVBIVM XIII.

*An confessus in iudicio se homicidium commisisse, at cum aliqua causa excusante, v. g. in propriam defensionem, possit pœna ordinaria homicidæ plecti.*

1 TRiplex est sententia.

Prima dicit pœna ordinaria plectendum esse, quia omne malefactum præsumit lex malo animo factum esse, *cap. 1. de præsumpt. & l. si conuicij, C. de iniur.* Sic Sozin. *l. non vtique. ff. de except.*

2 Secunda sententia docet damnandum esse pœna ordinaria, si ex circumstantia occidentis, & occisi, & ex aliis circumstantiis non appareat veritas causæ excusantis: quòd si probabiliter hæc appareat, esse omnino eum absoluendum. Sic Sarmiento *libro 1. select. cap. 1. numero vndecimo*.

3 Tertia sententia docet esse puniendum pœna extraordinaria; quia probatio ex simili confessione non omnino clara est, quando aliunde, quàm ex hac confessione non constat homicidium. Sic Panorm. Felin. Decius, Alex. & plures alij, quos referunt & sequuntur Palacios Rubios allegat. *in materia hæresis, §. 11*. Anton. Gabr. *lib. communium opin. lib. 7. tit. de crimin. concl. 19*. & hæc opinio tenenda est.

## DVBIVM XIV.

*An quando pœna imponenda pro delicto est arbitraria, possit iudex imponere pœnam mortis.*

1 SIt conclusio. Nullo modo potest iudex hoc casu imponere mortis pœnam. Sic Glossa *l sacrilegij, in principio. verf considerandum. ff. ad Iuliam*. Oldradus, Ioan. Andr. Felin. Thomas Grammaticus, quos refert, & sequitur Perez *lib. 8. ordinam. tit. 16. l. 1. fol. 320*. vbi optimè hoc limitat cum aliis Glossa, & Alexandro, & aliis quos refert, nisi tales essent circumstantiæ delicti, vt pro eo iure communi, vel ex consuetudine esset mortis pœna imponenda.

## DVBIVM XV.

*An casu quo non admittitur appellatio de iure, si tamen reus appellet, & iudex admittat appellationem, vel ex ignorantia, vel ex propria voluntate possit iudex non obstante, quòd appellationem admiserit, eam sententiam executioni mandare.*

1 SIt conclusio. Non potest hic iudex eam sententiam executioni mandare, donec per iudicem appellationis confirmata sit. Ratio, quia ex quo appellationem admisit abdicauit à se omnem iurisdictionem in illa causa, & deuoluitur iurisdictio, & tota causa ad superiorem. Ita probatur ex *cap. cum appellationibus friuolis, de appellat. lib. 6. & ibi* notat Ioan. Andr. Dominicus, & Ancharan. Idem tenent Angel. Immola, Bald. Roman. & alij, quos refert, & sequitur Antonius Gomez *tomo 3. var. cap. 13. num. 32*.

## SVMMARIVM.

16 *An quando pars aliqua appellat non simpliciter, sed quantum sententia prolata est contra se, & alia pars non appellat de eo, quod est pro illa parte, censeatur transire in rem iudicatam illa pars sententia, quæ est pro illa parte.*

17 *An iudex extrahens homicidam ab Ecclesia casu, quo eius immunitate gaudet, ipsúmque iuxta allegata, & probata suspendens, teneatur restituere hæredibus occisi, ac si iniustè suspendisset.*

18 *An si iudex excommunicatus denunciatus, vel notorius Clericì percussor, qui secundum omnes est suspensus iurisdictione, & gesta per eum nihil valent, proferat sententiam alias iustam suspendendi latronem, & eam exequatur, teneatur restituere damnum sequutum ex tali sententia, v. g. vxori, & filiis occisis.*

19 *An possit Princeps supremus, vel iudex inferior in aliquo casu abolere, vel non admittere accusationem, satisfaciendo alia via.*

20 *An possit Clericus, vel Prælatus cognoscere de causis criminalibus ad puniendos laicos ex commissione Principis, vel iudicis secularis, & an si delinquat in officio possit puniri per iudicem, vel Principem secularem.*

21 *An quando iudex exhibet vnicum mandatum ad incarcerandum decem personas, siue pro debitis, siue pro delictis, possit exigere decem integra salaria pro decem mandatis à lege taxata, ac si totidem mandata expedizet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



22 *Quando possint Alguazelli executionem facientes iura executionis percipere.*

23 *An quando Alguazellus, vel executor iter facit ad faciendas plures executiones in vnum, vel plura oppida, possit à quolibet debitore integrum salarium executionis exigere: & an idem possit tabellio concomitans.*

24 *An qui mittit alium ad exigendum aliquod debitum, vel ad faciendam executionem, possit accipere partem salarij ab executore, aut si multa sunt exigenda debita, possit dare illi plura salaria soluenda ab ipsis debitoribus.*

25 *Cuius expensis debeat assignari socius iudici tabellioni recusatis.*

26 *An qui fuit Aduocatus in aliqua causa, possit esse iudex in eadem.*

27 *An quando reus ipse se coram iudice præsentat, illius arma ad hunc pertineant.*

28 *An Alguazelli volentes aliquem capere teneantur ostendere mandatum iudicis in scriptis.*

29 *An Archiepiscopus in diœcesibus suorum suffraganeorũ possit constituere officialem foraneum ad cognoscendum de causis appellationum sui suffraganei ad ipsũ Archiepiscopum deuolutis, vel deuoluendis.*

30 *An Clericus possit coram iudice laico conueniri ratione obligationis realis.*

31 *An si pecora Clerici damnum inferant in pascuis alienis, vel fructibus, vel pascuis vetitis, possint per iudicem secularem capi.*

32 *An appellatio suspendat sententias censurarum, scilicet suspensionis, & excommunicationis, & interdicti, ita vt hæ censuræ post appellationem latæ sint nullæ.*

33 *An quando interposita est appellatio ab excommunicatione post ipsam contractam (in quo casu certum est non suspendi excommunicationem) talis appellatio suspendat denunciationem; ita vt non possit talis excommunicatus denunciari, appellatione durante.*

34 *An appellatio à monitorio pœnali cumpœna excommunicationis latæ cum audientia, & facultate allegandi, quæ volet, suspendat eam excommunicationem.*

35 *An cùm excommunicatus accedit ad superiorem excommunicatoris, debeat ab ipso absolui, vel remitti ad excommunicantem.*

36 *An ad absolutionem ab excommunicatione teneatur superior, ad quem recurritur pro absolutione, citare partem.*

37 *An quiniustè damnatus ad pœnam pecuniariam appellauit ex causa omnino falsa, quia scilicet negauit iniustè, & falsò, & testibus se tuetur, cum tamen sit plenè probatum delictum, & pœna pecuniaria sit legestatuta, non obstante appellatione, teneatur ad pœnam.*

38 *An appellans à sententia lata post terminum à lege præscriptum vtendo aliqua cautela, teneatur alteri restituere, quod per priorem sententiam illi erat debitum, insuper & supplicationis expensas.*

39 *An si postquam transiuit sententia in rem iudicatam, altera pars non alleget appellationem esse nullam, sed acta prosequatur, ac si appellatio esset valida, possit postea allegare appellationem fuisse nullam, vel sibi noceat dicta prosequutio.*

40 *An meri exequutores, seu ij, quibus nudum ministerium aliquid exequendi à summo Pontifice committitur, possint contradicentes, seu executionem impedientes excommunicare.*

41 *An iudex alicuius oppidi dominorum temporalium, qui per aliquod tempus de licentia domini abest, debeat integrum salarium illius absentia temporis percipere.*

42 *An si causidicus pactum ineat cum clientulo de aliquo sibi dando, si victoriam litis obtinuerit, & victoria obtenta sibi det præmium promissum, teneatur causidicus id restituere.*

43 *An erit licitum donare aliquid iudicis concubinæ, vt faueat mihi apud illum in eo quod litem meam videat, &c.*

44 *An liceat alicui ex litigantibus informationes alterius partis subripere.*

## DVBIVM XVI.

*An quando pars aliqua appellat non simpliciter, sed in quantum sententia prolata est contra se, & alia pars non appellat de eo, quod est pro illa parte, censetur transire in rem iudicatam illa pars sententiæ, quæ est pro illa parte.*

1 EXempli causa, fertur sententia, quòd Petro soluantur redditus tantùm sex annorum ex duodecim super quibus lis erat mota. Petrus appellauit ab hac sententia, quatenus est contra se, videlicet quatenus præcipit, vt non soluantur redditus etiam aliorum sex annorum: alia verò pars litigans ex sua incuria non appellauit de ea parte sententiæ, quæ erat contra se: dubitatur, an sententia hæc quoad redditus sex annorum Petro soluendos transeat in rem iudicatam.

2 Ratio dubitandi est, quia appellatio est communis, *l. ampliorem, C. de appellat.*

3 Sit conclusio. Talis appellatio non suspendit, nisi in articulo, super quo est appellatum, & quo ad alium articulum transit sententia in rem iudicatam. Sic decidit Boërius *in suis decisionibus, quæst. 73.* & refert Baldum, Fabrum, & Salizetum *dicta lege ampliorem. C. de appell.* & plures alios Doctores Iurisperitos, latè hoc tractans, & disputans egregiè.

## DVBIVM XVII.

*An iudex extrahens homicidam ab Ecclesia casu, quo eius immunitate gaudet, ipsúmque iuxta allegata, & probata suspendens, teneatur restituere hæredibus occisi, de se iniustè suspendisset.*

DVplex est sententia.

1 Prima docet teneri restituere. Probatur primò, iudex nil aliud est, quàm lex animata, & in tantum iuste iudicat, in quantum secundùm leges iudicat, & quando contra leges iudicat, tenetur restituere ex tali iudicio tanquam iniusto damna sequuta; sed leges præscribunt, vt iudex non puniat reum Ecclesiæ immunitate gaudentem: ergo si puniat, iniustè, & contra leges iudicat, & sic tenebitur damna inde sequuta compensare. Secundò probatur, iudex contra iustitiam suspendit hunc reum, adeò vt si posset ei vitam restituere, absque dubio ad id teneretur: ergo saltem tenebitur restituere id, quo vita est compensabilis, & alia damna. Tertiò probatur, quia priuilegium immunitatis Ecclesiæ non fuit in solius Ecclesiæ fauorem, sed etiam in fauorem reorum, vt aliqui rei locum haberent, in quem confugerent: si enim tantùm Ecclesiæ, & non reo iniuriam faceret iudex extrahens reum ab Ecclesia, perinde esset occidere reum iniustè ab Ecclesia extractum, ac suspendere in die festo reum (hoc enim tantùm in fauorem diei festi institutum est, ne in ipso actus iudicij fiant) quòd tamen & veritati, & communi conceptioni hominum repugnat: omnes enim vocant iudicem extrahentem reum ab Ecclesia, & ipsum punientem, iniustum; at punientem in die festo non iniustum, sed irreligiosum vocant: ergo iudex suspendens reum ab Ecclesia iniustè extractum, tenetur illi hanc iniuriam resarcire. Item quartò, quia si soli Ecclesiæ non reo fieret iniuria, teneretur reus extractus iniustè ab Ecclesia respondere iudici interroganti, sicut tenetur respondere iudici petenti iuramentum in die festo, quia non posse petere in die festo iuramentum, est tantùm in fauorem sacri temporis: sed iniustè extractus ab Ecclesia non tenetur iudici respondere, vt docet optimè Sotus *vbi infrà*; ergo. Tandem probatur, iudex sæcularis suspendens Clericum dignum morte, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere; quia Clericus tatione priuilegij Clericalis est exemptus, ac proinde iudex sæcularis non est suus iudex; sed similiter confugiens ad Ecclesiam est exemptus, & hic non est suus iudex; ergo. Hanc sententiam tenent Medina *summa instruct. confess. lib. 1. cap. 16. § 3. & cap. 9. § 2.* Henriquez à me consultus, & multi viri ex recentioribus valde docti. Et fauet valde huic sententiæ Sotus *lib. de tegendo secreto, memb. 2. quæst. 7. concl. 7.* vbi asserit iudicem, qui iniustè reum ab Ecclesia extraxit, non esse competentem eius iudicem, sicut nec est Clerici; quare talis reus non tenetur ad interrogata respondere. Hæc Soto, & etiam expressè Bañes 2. 2. *quæst. 67. art. 1. dub. 4.* Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 15 puncto 1. quæstiuncula 2.* Manuel *tomo 1. summi, verbo, immunidad. c. 155. n. 2.* Lud. Lopez *1. p. instruct. c. 33. & cap. 288.*

2 Secunda sententia docet talem iudicem non teneri restituere aliquid reo suspenso, vel eius hæredibus. Ratio, quia re ipsa iudex habebat ius contra reum, licèt peccarit contra religionem, & ius Ecclesiæ. Item quia priuilegium immunitatis Ecclesiæ non datur per se primò in gratiam reorum, sed Ecclesiæ: & sic iniuria per se primò fit Ecclesiæ, licèt secundariò redundet in damnum rei: sicut distributor ex lege iustitiæ tenetur dare beneficium digniori, quia tamen hoc non per se primò ordinatur in dignioris fauorem, sed in fauorem Ecclesiæ, licèt secundariò in fauorem dignioris, qui dat minus digno violans hanc iustitiam, non tenetur ipsi digniori læso, sed Ecclesiæ restituere: sic ergo cùm immunitas Ecclesiæ sit per se primò in Ecclesiæ fauorem, licèt secundariò in fauorem rei, violans hoc ius Ecclesiæ, tenebitur Ecclesiæ satisfacere, non autem ipsi læso. Item quia cùm hoc ius, quod habet reus ad Ecclesiam confugiens, inde possit extrahi, sit humanum, potest consuetudine explicari, ac temperari; quare sicut Papa posset temperare hoc ius, vt iudex extrahens reum ab Ecclesia, & puniens, non teneatur eo satisfacere, ita etiam hoc potest consuetudo; & videtur id temperasse, ac explicuisse consuetudinem; praxi enim omnium receptum est, vt iudex leui pœna Ecclesiæ satisfaciat, & nil amplius facere iubetur. Hanc sententiam videtur tenere D. Thom. 2. 2. *q. 99. art. 2. ad 3.* vbi dicit prædictum iudicis crimen nullam aliam habere deformitatem; quàm violationis loci sacri. Fauet huic sententiæ D. Anton. *3. p. tit. 12. c. 3. § 3.* & Sylu. *immunitas 2. quæst. 10.* vbi hunc iudicem pœna pecuniaria applicanda personæ, vel Ecclesiæ damnandum esse docent: vbi videntur dicere alterum horum sat esse. Et Turrecr. *cap. sacrilegium 17. quæst. 4. fine*, vbi rogans cui sit applicanda talis pœna, respondet, quòd Ecclesiæ læsæ. Fauent etiam huic sententiæ Angel. *verbo, immunitas, n. 21.* Armil. *verbo, immunitas, n. 16* vbi & Tabien. *num. 12.* Nauarr. *cap. 25.* Lat. & Hisp. *num. 17.* vbi agentes de hoc iudice dixerunt peccare mortaliter, & non meminere restitutionis. Immo Angel. *num. 68.* & Tabien. *n. 20.* tractantes ad quid teneatur faciens contra immunitatem Ecclesiæ, cùm in aliis casibus dicant teneri ad restitutionem; in hoc casu dicunt peccare mortaliter, & non meminere restitutionis. Fauet etia m Montaluus *par. 1. tit. 11. l. 4. fine*, vbi varias referens pœnas, quas hic iudex incurrit, non meminit restitutionis; consultus etiam de hoc casu Henriquez, hæc verba in quadam Epistola eius nomine subscripta respondit: *Ante factum deterrendus est iudex, proponendo ei quod in rigore, vt ratio speculatiua magis suadet, tenetur restituere: cæterum post factum non videtur constringendus restituere.* Et sic visum fuit aliis doctis Magistris ex neotericis, qui dixerunt se in praxi sequutos fuisse hanc sententiam, quia probabilis est. Idem respondit Hen-





riquez ab alio iterum consultus.

3 Sit conclusio. Prior sententia probabilior est, at pòsterior est etiam probabilis, & potest in praxi turò seruatuari, cùm habeat patronos graues, & rationes probabiles pro se.

4 Tamen quia argumenta prioris sententiæ videntur conuincere posteriorem esse omnino improbabilem, respondetur ad primum maiorem esse veram, quando iudicat contra leges primariò in fauorem rei editas, qualis non est lex de immunitate Ecclesiæ; sicut dans beneficium minus digno peccat contra leges distributionis, sed quia hæ non sunt principaliter in fauorem dignioris, non tenetur ipsi restituere.

5 Ad secundum respondetur peccare contra iustitiam, non primariò in fauorem rei, sed Ecclesiæ; & teneretur vitam restituere, non primariò propter damnum rei, sed propter Ecclesiæ læsionem, vt reum Ecclesiæ restitueret, & ideo non tenetur restituere reo, sicut dans beneficium minus digno, si posset collationem annullare, teneretur, at non propter digniorem, sed propter Ecclesiam; & ideo non tenetur digniori, sed Ecclesiæ satisfacere.

6 Ad tertium fateor fuisse in fauorem rei; sed non directè, & primariò, sed indirectè, & secundariò, & nego simile de die festo, hic enim nullum habet ius ad protegendum reos; at Ecclesia ius habet ad protegendum reos ad ipsam confugientes. Item ius ne suspendatur quis in die festo, nullo modo est in fauorem rei; at ius immunitatis Ecclesiæ est in fauorem rei secundariò.

7 Ad quartum nego sequelam, quia ideo non rogat iuridicè, quia contra ius Ecclesiæ primarium, & secundarium procedit iudex: & ad simile de die festo patet ex dictis.

8 Ad vltimum est dispar ratio; quia priuilegium clericale est omnino in Clericorum fauorem; at Ecclesiæ immunitas non est primariò in fauorem reorum, nedum omnino.

## DVBIVM XVIII.

*An si iudex excommunicatus denunciatus, vel notorius Clerici percussor, qui secundum omnes est suspensus iurisdictione, & gesta per eum nihil valent, proferat sententiam alias iustam suspendendi latronem, & eam exequatur, teneatur restituere damnum sequutum ex tali sententia, verbi gratia, vxori, & filiis occisi.*

1 REspondetur, quod eisdem argumentis, quibus dubio præcedenti probatum est iudicem extrahentem reum ab Ecclesia iniustè, & illum suspendentem, teneri restituere, potest probari etiam teneri in hoc casu, & sicut in illo diximus esse valde probabile non teneri restituere; idem dicimus in hoc casu, propter rationes *ibi* factas, non enim in fauorem ipsius rei est priuatio ista, seu priuatio iurisdictionis excommunicati. Sic nonnulli ex recentioribus valde docti Magistri.

## DVBIVM XIX.

*An possit Princeps supremus, vel iudex inferior in aliquo casu abolere, vel non admittere accusationem satisfaciendo alia via.*

1 PRima conclusio. In aliquo casu particulari ob bonum commune id potest Princeps, quia ad ipsum spectat in lege dispensare. Sic Caiet. 2. 2. *q. 62. art. 3. ad 3.* & docti recentiores.

2 Secunda conclusio. Iudex inferior potest etiam in

Universidad de Deusto
Biblioteca



hoc casu raro vtendo epiikeia. Sic Caiet. *ibi*, & Magistri citati: licèt hoc non videatur admittere de iudice inferiori. Sotus de sigillo *memb.2.q.5.concl.5.*

## DVBIVM XX.

*An possit Clericus, vel Prælatus cognoscere de causis criminalibus ad puniendos laicos ex commissione Principis, vel iudicis secularis, & an si delinquat in officio, possit puniri per iudicem, vel Principem secularem.*

1 EX vna parte videtur quòd possit committi cuicumque Prælato, & Clerico talis causa, ex *cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus*, vbi Rex Siciliæ commisit cuidam Episcopo quandam causam criminalem aduersùs laicum, & Papa definit posse eam acceptare, modò non interueniat causa sanguinis. Vbi glossa *verf. commiserit*, ait posse Principem Episcopo delegare causam criminalem, vbi noni nterueni t sanguis.

2 Pro alia parte facit, quia Couar. 3. *var. c.20.n.2.* defendit *dictum c. in Episcopatu*, quia ea causa quodammodo ad religionem pertinebat: idem dicit Couarru. *Clement. si furiosus, 2.p.§.5.n.8.* idem Anan. *dicto cap. in Episcopatu*, & *ibi* Panorm. *num.3.& cap. 2. de iudiciis, n.* 8. Sit tamen

3 Prima conclusio. Nequit Clericus, vel Prælatus esse generalis officialis iudicis, vel Principis sæcularis quoad causas criminales laicorum, etiam vbi non interueniret causa sanguinis: at in vno negotio bene potest esse, modò non interueniat causa sanguinis. Probatur prima pars ex *cap. sed nec, ne clerici, vel monachi, & c. sepè 23.q.8.& cap.te quidem, 11. q.1.* Probatur secunda pars ex *dicto c. in Archiepiscopatu.* Item quia licèt Clerici nequeant esse generales procuratores laicorum; at possunt esse in vna causa, vt ex multis Doctoribus probat Bernard. Diaz *pract. crimin. cap. 60. & 57. & ibi* Salzedo. Hanc tenent Panorm. *dicto cap. sed nec, & cap. Clericis, ne cler. vel monachi, n.11.* & Couar. *Clement. si furiosus, 2.p.§.5.n.8.* Ripa *cap. de iudiciis, n. 106.* Innoc. *cap. vnico, de oblig. ad ratiocinia.*

4 Nota primò intelligendam esse conclusionem de Clericis constitutis in sacris, vel si sint in minoribus, si habent beneficium; si enim sint in minoribus, & non habeant beneficium, possunt quodcumque sæculare officium exercere, vt laici, modò non gestent coronam. Sic Nauar. summa Lat noua, *c.25.n.110. vers.* 33. omnia enim interdicta Clericis in sacris censentur etiam beneficiariis interdici, vt bene Nauar. *comment. 4. de regular. num.28.*

5 Secundò nota, quòd in quantum dicit conclusio posse habere talem commissionem in vna causa, intelligenda est, nisi ea causa ita esset ardua, & diffusa, vt haberet distrahere Clericum, sicut multa negotia. Sic notat in alio simili alios referens Bernard. Diaz *vtroque loco citato*, dicit enim posse Clericum esse procuratorem laici in vna causa, nisi ea sit ita ardua, vt habeat distrahere Clericum, sicut multæ.

6 Tertiò nota, quòd in quantum dicit conclusio, nisi in causa sanguinis, intelligenda est de crudeli, & periculosa effusione, posset enim damnare ad fustigationem, cùm tamen de facili caueri nequeat, quia in fustigatione exirer sanguinis gutta. Sic notat Greg. Lopez in alio simili, *l.48. tit.6. part.1. vers. en lo temporal. ibi* enim docet Episcopum habentem iurisdictionem temporalem, non posse punire in criminalibus, vbi interuenit causa sanguinis, sed debere habere ad id ministrum iudicem laicum, & limitat vbi est crudelis, & periculosa effusio; potest enim ad verbera damnare, &c.

7 Quartò nota, quòd si reus meretur pœnam sanguinis, non per hoc videtur remissa à Principe, quòd causæ cognitionem delegauerit Clerico, qui ea pœna damnare nequit; sed tunc Clericus debet remittere causam deleganti. Sic Couar. *Clem. si furiosus 2.p.§.5. n.8.* Salzed. *pract. crimin.* Bernard. Diaz *c.99. litera A.*

8 Secunda conclusio. Vtcumque fiat hæc delegatio causarum criminalium ad puniendos laïcos Clerico, vel Prælato, si ipse accepret, factum tenebit; capax enim est iurisdictionis, vt colligitur ex *dicto cap. in Archiepiscopatu*, peccabit tamen grauissimè Clericus eam acceptando, nisi eo modo, quo dixi in prima conclusione. Sic Couarr. *dicto §.5.n.8. fine*, Salzedo *dicto cap.99.* Panorm. loquens etiam, quando hæc delegatio fieret à iudice inferiori, *cap.2. de iudiciis, n.7.* & Sapiacius additionator *ibi.* Idem Panorm. *dicto cap. in Episcopatu, n.3.* Federicus *consil.293.* Roman. *consil.293.* & facit quod notat idem Federicus *consil. 270.* vbi dicit, quòd licèt Clericus non possit esse generalis procurator laïcorum, si tamen fiat, commissio non erit nulla ipso iure.

9 Tertia conclusio. Possunt Clerici causas ex compromissaria à patribus tributa potestate, iudicare, *l. non distinguemus, §. sacerdotali. ff. de arbitr. l. si qui ex consensu, & l. sequenti, C. de Episcopali audient. l.48. tit.6. p.1.* & ratio est, quia est pium, & sacerdotis munus, ancipites causas componere. Sic Ioan. Andr. quem refert, & sequitur Greg. Lop. *dicta l.48. vers. Por su aluedrio.* Salzedo *dicta pract. crimin. c.61. fine.*

10 An verò Clerici, quibus commissum est officium sæculare à Principe sæculari, possint per ipsum puniri, si in ipso officio delinquant. Videtur posse, per *cap. sacerdotibus, ne Cleri, vel monachi*, vbi dicitur, quòd sacerdotes acceptent officium sæculare, & occasione ipsius delinquant, indigni sunt, vt eis ab Ecclesia subueniatur, vbi Glossa *vers. ab Ecclesia*, dicit ex hac litera sumere quosdam argumentum, quò laïcus authoritate huius canonis possit Clericum occasione administrationis delinquentem capere. Et sic apud Gallos esse receptum testantur Aufrerius *Clem.1. de offic. ordin. reg.1. fallentia 17.* & Benedictus *cap. Raynutius, de testam. verb. & vxorem, decis.2.n.447.*

11 Cæterùm dicendum est nullo modo posse, nec contrarium iure probatur; & sic tenet Glossa *dicto cap. sacerdotibus, vers. ab Ecclesia*, dicitque esse falsam sententiam. quam inde aliqui inferunt, scilicet posse puniri à iudice sæculari. Vnde, inquit, illud caput non debet intelligi de subuentione respectu fori, sed vt subleuetur à fraude commissa dando auxilium, vel fauorem. Idem Innoc. & Host. & Panorm. *ibi num.6.* addens, quòd si sæcularis iudex talem Clericum propria temeritate distringeret, Ecclesia illi subueniret, non tam respectu personæ, quàm respectu libertatis Ecclesiasticæ. Idem tenet licèt talis Clericus sit in minoribus constitutus, casu quo non amittit priuilegium fori, Couarr. dicens esse communem, *quæst. practicis, cap. 33. num.6.* & ob id dicit caueri *l.17. tit.3. lib.1. ordin.* vt hæc officia non detur Clericis primæ tonsuræ: idem tenet dicens esse communem Doctorum *dicto cap. sacerdotibus*, Aufrerius, & Benedictus *suprà*. Idem Salzedo *dicto cap. 61. litera B.* & Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. finali, quæst. 36. vers. Quæro pone.* subditque malè seruari, quia quotidie Principes sæculares Clericos etiam in sacris officiis priuant, & mulctant pœna pecuniaria, licèt) inquit) hoc malè de iure sustineri possit.

## DVBIVM XXI.

*An quando iudex exhibet vnicum mandatū ad incarcerandum decem personas, siue pro debitis, siue pro delictis, possit exigere decem integra salaria pro decem mandatis a lege taxata, perinde, ac si totidem mandata expediret.*

1 SIt prima conclusio. In causis criminalibus non potest, sed debet habere salarium taxatum pro vnico mandato. Sic enim expressè deciditur *lib. 3. noua recop. tit.10. de los aranzeles*, sub titulo, *en causas criminales, n.3.* quia vnum delictum est, licèt à pluribus committatur.

2 Secunda Conclusio. In causis ciuilibus si ad instantiam alicuius creditoris sit petita executio contra plures debitores, vel contra vnum debitorem diuersarum summarum, pro qualibet persona, vel pro quolibet debito debetur integrum salarium signatum pro mandatum exequente, licet sub vnico mandato, & subscriptione contineantur. Ratio, quia censentur plures executiones, & tot sunt contractus, & obligationes, quo sunt res, vel summæ deductæ, & comprehensæ in ipso contractu, licet sub vnica verborum conceptione exprimatur. Sic latè probans Anton. Gomez *libro secundo variar. capite 11. numero 16. fine.* Nec obstat lex citata *dicto num.3.* dicens, *De mandamiento para prender à vno, o muchos por delicto, o otras cosas*, quia intelligi debet de similli, id est, quasi delicto, vt ex rubrica, sub qua situatur, scilicet *en causas criminales*, vbi enim textus est dubius, debet intelligi iuxta rubricam, Bald. *l.1. Cod. ne liceat tertio prouocare, num.8.* & glossa *dicta l.1. vers. retractari*, optimè Gutierrez *2. pract. quæst. 94. num.2.* Euerardus *loco à rubro ad nigrum*, & patet, quia *eadem lapsalo inferius sub tit. en las causas ciuiles*, nil tale dicitur, sed solùm *que de mandamiento para emplazar, aunque sea à muchos personas no se lleue mas de vn salario.* Sic tenuerunt docti Iurisperiti.

## DVBIVM XII.

*Quando possint Alguazelli executionem facientes, iura executionis percipere.*

1 SIt prima Conclusio. Nullus Alguazellus potest percipere decimam executionis, id est, decimam partem debiti, pro quo fit executio, nisi vbi fuerit consuetudo de hoc, demptis Alguacellis Cancellariæ: & nulla iura executionis, licet non sit decima pars, potest Alguazellus percipere, donec solutum sit suum debitum creditori, & expensæ factæ ad debitum recuperandum. Sic habetur *l.7. tit.21. lib.4. nouæ recop. & l.8. eodem tit. & l.10. tit.6. lib.3. eiusdem recop.* & insuper non possunt executores capere decimam pro pœnis, quas exequuntur propter obligationes exorbitantes, qua *lex 7. tit.21. lib.4. nouæ recop.* vocat *de saforadas*, pro quibus nec decimam, nec ius aliquod capere possunt, vt habetur *eadem l.7.*

2 Nota primò, quod vt Alguazelli possint percipere has decimas executionum, demptis Alguazellis Cancellariæ requiritur non quæuis consuetudo, sed immemorialis. Sic Auendaño *lib.10. de exequendis mand. Regum, cap.17. num.2. & 3* vbi bene addit, quod si hæc consuetudo sit, vt Alguazellus percipiat hanc decimam executionum, illa est seruanda etiam in casu, quo ipse met corrector per propriam personam exequatur: nam quando per Alguazellum exequitur, ipsemet iudex dicitur exequi, *l. certè, §.1. ff. de precario, & cap. qui per alium, de reg. iuris in 6.*

3 Secundò nota, quod vt iustè exigatur decima, debet executio fieri ratione quantitatis debitæ, vt prosunt illa verba *l.21. por deuda*; & sic non debetur decima, quando executio fit in actione reali, quando scilicet res capitur, & creditori traditur, quia fuit condemnatus in illa, & similiter quando pecunia debita non soluitur, vt quia debitor bona non habet, incarceratur, & cedit bonis, hæc decima non debetur Alguazello. Sic Paris de Puteo, quem refert, ac sequitur Auendaño *num.6.*

4 Tertiò nota, quod licet prius debeat solui parti, quàm debeatur decima, vel aliàs iura executionis, vt dixi *in Conclusione*, at sat est, vt prius soluatur verè, vel fi-



ctè creditori, verè scilicet, quando solutione eius, quod debetur, tollitur obligatio fictè, quando datur aliud in compensationem debiti, vel per creditorem stat quominus ei soluatur, quia iam fecit debitor depositum pecuniæ debitæ: vel quando transacto termino, in quo debebatur decima, id est, viginti quatuor horis post executionem, vt statim dicam, creditor dat dilationem debitori, vel remittit ei debitum: patet clarè ex *l.10. tit.60. lib.3. nouæ recop.* vbi dicitur, *que lleue decima, siendo primero pagada la parte, o si las partes se concertaren, & dicta l.7. sub finem*, clarè supponit, quòd si pars dederit dilationem, potest statim recipere decimam Alguazellus: & hoc tenet Anendaño latiùs probans *dicto capite 17.a num.6. vsque ad 9.*

5 Quartò nota, quod cum executor habeat statim ius de præsenti ad hanc decimam, tale ius habetur inter bona propria exequutoris, & transmittit ad hæredes, sicut cætera bona hæreditaria: item ratione huius debiti potest exequitor pignus capere statim, ac facit exequutionem, & deponere apud aliquem, donec postquam creditori fuerit satisfactum, soluatur sibi decima, vt habetur *dicta l.7. tit.21. lib.5. nouæ recop.* Sic Auendaño alios referens *num.9.*

6 Quintò nota, quòd facta semel exequutione per vnum exequutorem, si ille moriatur, vel remoueatur ab officio, executor, qui eius loco ponitur, non debet habere decimam, sed expensas tantùm finiendæ executionis, id est, expensam aliquam pro labore in finienda executione: & decima est danda primo executori. Sic Auendaño latè probans, & alios referens *numero 9. & 10.*

7 Sextò nota, quòd quandò executio non sortita est effectum, sed pronunciatur nulla ex inualiditate contractus, non debetur decima: si verò pronuncietur nulla ex defectu ordinis, isto casu si fit ordinatè, debetur decima: si verò quia iam debitum erat solutum, qui iniustè petit exequutionem, soluet decimam executori. Sic Auendaño latiùs probans *num.10.*

8 Septimò nota, quòd si debitor non habet tantùm in bonis, quòd possit solutio fieri tam debiti principalis, quàm decimæ, nihilominus iuxta id, quod soluitur, debet executor habere decimam; quia non dicitur esse in bonis debitoris, nisi quod superest deductis expensis faciendis ad exequendum debitum. Sic Auendaño alios referens, & latiùs probans *n.10.*

9 Secunda Conclusio. Pro vno debito non nisi semel possunt recipi iura executionis, atque ita si pars dilationem concedat, & iam fuerint Alguazello soluta executionis iura, & transacto dilationis tempore, continuetur executio, non potest exigere alia iura executionis. Sic habetur expressè *l.10. tit.6. libro tertio nouæ recopilat. & leg. septima, titulo 21. libro 4.* Auendaño *num.10.*

10 Tertia Conclusio. Si pars requisita ab Alguazello statim vult soluere debitum, aut ostendit solutionis iam factæ chirographum, quamuis hoc factum sit post exhibitum mandatum executionis, non potest Alguazellus salarium executionis accipere, sed solum stipendium mandati, aut itineris, si extra oppidum se contulerit ad faciendam executionem. Sic habetur expressè *leg.18. tit.21. libro 4. nouæ recopilat.* Et quando iura non sunt aliud, quàm decima, satis est, vt debitor non teneatur soluere, quod soluat principale debitum intra viginti quatuor horas, vt dixi *suprà dub. 11.*

vbi quid quando intra hoc tempus viginti quatuor horarum initur pactum, aut dilatio fingitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXIII.

*An quando Alguazellus, vel executor iter facit ad faciendas plures executiones in vnum, vel plura oppida, possit a quolibet debitore exigere integrum salarium executionis, & an idem possit tabellio concomitans.*

1 REsponderur non posse illos recipere iura, quasi plura fecissent itinera, sed pro vno tantùm itinere: atque hoc salarium vnius itineris non est exigendum à quolibet debitore in integrum, sed inter omnes distribuendum pro rata executionum, quas fecerint. Sic habetur expresè *libro tertio ordin. tit. 6. l. 32. & tit. 4. leg. 40. & lib. 4. tit. 29. l. 1. num. 10* & tenet Azebedo *lib. 8. recop. tit. 7. l. 2. num. 58.* Auiles *cap. 43. Pretorum*, §. *no consentan. num. 1. &* 2. vbi addit teneri restituere, si vltra hoc recipiat. Idem Manuel. 2. *tomo summæ, cap.* 48. *n.* 2. at dicit recipere posse, quod amplius suo labore meretur.

2 Quid tamen, si hic Alguazellus vadat per longiorem, & magis transuersam viam, vt habeat maius salarium. Ibi Auiles *num.* 4. dicit cum Bartolo, quòd non habebit maius salarium: & idem Auiles *cap.* 54. §. *salario, num.* 3. dicit idem, quando vadit per viam non rectam propter timorem, quia non debet habere salarium pro via, quam fecit, sed pro ea, quam facere debet: & si in vna die (inquit) propter suam diligentiam, & extraordinarium laborem expediuit, quod duabus diebus erat expediendum, duplicabitur salarium, & refert alios.

## DVBIVM XXIV.

*An qui mittit alium ad exigendum aliquod debitum, vel ad faciendam executionem, possit accipere partem salarij ab executore: aut si multa sunt exigenda debita, possit dare illi plura salaria soluenda ab ipsis debitoribus.*

1 DIco primò: si est iudex, qui mittit, est iniustum exigere partem salarij ab Alguazello, vel famulo, qui mittitur, quia cùm teneatur eligere, non facit gratiam, iuxta *dicta lib. 1. cap. 1. de acceptione person. dub. 38. num. 18.* & quia id salarium non assignatur nisi ipsi eunti ad illud negotium.

2 Dico secundò: creditor, ad quem spectat debitum, quando non est assignatum salarium in instrumento publico obligationis, sed iudex illud assignat, non potest exigere partem salarij ab executore; quia illud salarium debetur eunti, & non est in fauorem creditoris, sed ad exactionem, seu receptionem, & per modum meri salarij: & si plures sunt faciendæ executiones, aut exactiones, non potest hic executor recipere integrum salarium pro qualibet; sed vnum tantùm pro rata soluendum ab omnibus debitoribus, iuxta dicta *dubio præcedenti.*

3 Dico tertiò, quando in instrumento obligationis assignatum fuit salarium eunti ad recipienda debita, potest creditor conuenire cum eo, quem mittit pro minori salario, & sibi reliquum reseruare. Quòd si multæ sunt faciendæ executiones, potest à singulis debitoribus integrum salarium in scriptura constitutum accipere. Ratio est, quia hoc salarium est in fauorem creditoris, vt debitor curam habeat soluendi opportuno tempore éstque quasi lex conuentionalis in pœnam morosi solutoris.

## DVBIVM XXV.

*Cuius expensis debeat assignari socius iudici, vel tabellioni recusatis.*

1 PRimò dico; quando recusatur iudex, debet assumi socius expensis proponentis recusationem; quia recusatio proposita est causa illarum expensarum, & iudex recusatus ad id coget recusantem, & capiet pignora, donec soluat: non tamen potest dicere, cùm recusatur, quòd recusans deponat certam summam pecuniæ, & aliter non admittit recusationem; quia non est in potestate iudicis se facere non suspectum. Sic Auendaño *lib. 2. de exequendis mandatis Regum, cap. 23. num. 15.*

2 Secundò dico: Quando recusatur tabellio, assumendus est socius alius tabellio de tabellionum numero. Quis autem administrare teneatur salarium tabellioni socio pro labore illius causæ, dubium est; quidam enim dicunt recusantem, quia est causa, & in vtilitatem eius cedit, & licèt secundariò resultet alteri parti vtilitas: at secundaria vtilitas non habetur in consideratione, vt per glossam *cap. 2. de pactis, num. 6.* & glossa *l. decimo. ff. de re iudic.* Alij dicunt, quòd tabellio recusatus soluet; quia recusatus dat causam, & recusans authoritate iuris petit assignari alium tabellionem, & cùm iustè id petat, actus à lege permissus non debet ei esse onerosus. Alij deinde, & fortè meliùs, dicunt, quòd tabellio associatus nullum debet habere salarium, quia tenetur assistere, cùm sit de numero tabellionum; sed expensæ, quæ dandæ sunt à parte tam pro regestro, quàm pro transumpto, quod debet esse signatum ligno vtriusque notarij, erunt communes inter ambos tabelliones, & à die associatis diuidentur, quia deinde est protocollum commune. Sic Auendaño *dicto libro secundo cap. 15. num. 6.*

3 Vltimò dico. Quando iudici recusato datur socius, cùm sit ordinarius in illa causa, pœnæ iudicibus applicandæ diuidentur inter eos, & fiet æqualiter diuisio. Sic Auandaño *eodem cap. 15. num. 6.* & sic dicit semper fecisse practicari.

## DVBIVM XXVI.

*An qui fuit Aduocatus in aliqua causa, possit esse iudex in eadem.*

1 REspondetur negatiuè: & idem est, si in illa causa consuluit, vt expresè habetur *l. eos, in principio, Cod. de appellat. & l. 10. tit. 4. part. 3. & l. 17. & 18. tit. 5. lib. 2 recop.* vbi redditur optima ratio: quia iudicium talis iudicis redditur valde suspectum: si enim sententiam fert pro clientulo, pro quo aduocauerat, vel cui consuluerat, redditur suspectus ex illius affectione sententiam protulisse: si verò pro aduersario sententiam ferat, præbet se malum, & fictum Aduocatum, seu consiliarium. Idem etiam tenent Speculator *tit. de assistente,* §. *fin.* Alexand. *l. solent, ff. de iurisdict. omnium iudic.* Gregor. Lopez *dicta l. 10. vers. no deue.* Auendaño *lib. 2. de exequendis mand. Regum. cap. 23. num. 10.* Bald. *l. aperissimi, Cod. de iudiciis,* Auiles *cap. 3. Prætorum.* §. *abogados, n. 1.* D. Anton. 3. *part. tit. 6. cap. 1.* §. 1. quasi *in fine,* Paulus de Castro *l. qui quis, Cod. de postul,* & plures alij, quos refert Auiles *num. 3.* Idem Montaluus *l. 3. tit. 9. de los Bogados lib. 1. legum fori,* §. 1 *fine* glossa *cap Romana, de restitutionib. 6. vers. appellationis.*

2 An verò sententia sit valida, si is, qui fuit Aduocatus in ea causa, fiat postea iudex, & sententiam ferat. Alexand. *vbi suprà,* dicit sententiam teneri, nisi fuerit recusatus, Paulus de Castro, & Auiles *suprà num. 4.* dicunt, quòd si iudex erat ordinarius, tenebit sententia; si verò erat delegatus, non tenebit.

3 At verius est non tenere sententiam, quia leges citatæ denegant huic iudici iurisdictionem. Sic Speculator, Auendaño *vbi suprà,* & in hanc multò magis inclinat Gregorius Lopez *vbi suprà,* licèt tandem relinquat cogitandum.

4 Nota primò, quòd intelligitur in eadem causa, in qua fuit Aduocatus, secus in alia, nisi forsan esset connexa, vel dependens ab illa, in qua fuit Aduocatus. Sic Auiles alios referens *num. 3.*

5 Secundò nota, quòd si Aduocatus fuit consultus in aliqua causa, & nondum dedit responsum, potest esse iudex in ea. Hoc est contra Anton. *cap. irrefragabili, de offic. ordin.* id negantem, quia huic sunt reuelata secreta causæ. Sed nostrum notabile tenet Panorm. *dicto capite irrefragabili,* Auiles *suprà numero tertio.* & ratio est, quia cessat causa prohibitionis: ad idem est glossa *cap. dilecte, de testament.* vbi dicit quòd non debet quis remoueri à iudicando, quia reuelauit ei secreta causæ; quia non debet iudicare secundùm reuelata per partem, sed secundùm legitimas probationes.

6 Tandem nota, quòd is, qui fuit iudex in aliqua causa, potest postea patrocinari in ea; quia cessat causa prohibitionis: & satis expresè probatur *l. fin. de assess.* & tenent Cynus, & Montaluus, quos refert, & sequitur Auiles *suprà num. 2.*



## DVBIVM XXVII.

*An quando reus ipse se coram iudice præsentat, illius arma ad hunc pertineant.*

1 CIrca *legem 28. titulo 23. libro 4. nouæ recopilat.* quæ disponit, vt arma delinquentis, quæ habebat, quando deliquit, ad Alguazellum, aut alium iustitiæ ministrum prehendentem pertineant: quamuis non in fragranti delicto comprehendat, dubitatur, si nondum prensus reus ipse se præsentat, an eius arma ad iudicem spectent, cui se præsentauit.

2 Cuidam docto Iurisperito visum est, non pertinere ad iudicem, lex enim Alguazellis, & aliis ministris arma applicauit, propter laborem prehendendi, & inuestigandi delinquentis.

3 Mihi videtur, quòd vbi vigeat consuetudo, vt illa capiat iudex, non apparet, qua ratione damnari possit; quandoquidem reuera iudex in hoc casu visus est prehendere, léxque amitti vult arma delinquentis, & applicari prehendenti; nullúmque alium video, cui maius ius in ea competat, quàm iudici. Atque hoc communi consuetudine seruari mihi asseuerauit quidam Iurisperitus, qui diu iudex extitit; licèt in aliquibus oppidis sit consuetudo illa arma applicandi camerææ.

## DVBIVM XXVIII.

*An Alguazelli volentes aliquem capere, teneantur ostendere mandatum iudicis in scriptis.*

1 ANtequam soluam dubium, oportet generaliùs quærere, an teneatur aliquis obedire delegato, si literas suæ delegationis non exhibeat.

2 Sit conclusio. Non tenetur quis illi obedire, antequam literas suæ delegationis ostendat. Ratio, quia cùm iurisdictio delegata sit odiosa, non præsumitur pro ea: patet etiam ex *lege vnica, cap. de mandat. Princip. & cap. cum in iure, de offic. deleg. fine,* ibi, *exequi non cogeris.* Et docet ibi glossa *vers. mungo,* & *ibi* Butrio *n. 9. &* 10. & ibi Panorm. *n. 2. &* 3. Felin. *ibi n.* 3. Anchar. *ibi initio* Innocent. *cap. venerabili, de censibus, n.* 5. Maranta *de ordine iudic. 4. p. d. 5. n. 59.* Bart. *l. 2. ff. si quis in ius vocatus,* Syluest. *verbo delegatus, quæst. 4.*

3 Nota non posse, nec sufficere, vt delegatio probetur per testes. Sic contra Plateam tenet latiùs probans Auiles *cap. 1. prætorum glossa cartas, num. 5.* glossa *capite* 1. *de censibus in 6.* Immo dicit Auiles *numero 9.* referens alios, quòd licèt talis scriptura delegationis præcesserit, si est deperdita, non potest probari per testes, nisi antequam perderetur, esset præsentata: & quòd licèt sciat se esse delegatum, non potest vti iurisdictione, antequam scripturam delegationis habeat; quia ex tunc incipit iurisdictio.

4 Secundò nota non satis esse ostendere rescriptum parti, sed etiam teneri dare ei copiam commissionis, quia fortè volet de falsitate redarguere, ad quod opus est studio. Sic glossa *cap. porrò, de priuileg. vers. ex inspectione,* Felin. *dicto cap. cum in iure, num. 5. fine.*

5 Tertiò nota intelligi conclusionem, quando petitur à delegato, vt ostendat commissionem, non enim tenetur ostendere, nisi petatur, quia *dicto cap. cùm in iure,* tantùm dicitur, *non cogeris exequi;* & sic notat *ibi* Panor. *n. 4.* Butrio *ibi, num. 10.* & videtur tenere *ibi* Felin. *num. 3.* dicit enim teneri ostendere petenti.

6 Quartò nota, quòd quidam limitant conclusionem, nisi delegatus sit Cardinalis; tunc enim sibi est credendum, licèt literas delegationis non exhibeat. Sic Hostiens. Speculator, Panorm. quos refert. Felinus *dicto cap. cùm in iure, num. 6.* & eorum fundamenta *ibi* refert. Sed meritò contrarium tenet *ibi* Felinus, multos referens *num 6.* & latè probans, ac soluens fundamenta contraria.

7 Maius autem dubium est, an si iudex delegatus citat aliquem, vt coram se compareat, teneatur ostendere copiam suæ delegationis, vel credatur ei dicenti se esse delegatum. Quidam affirmant non esse necessarium ostendere, sed citatum teneri comparere, licèt parti comparenti teneatur dare copiam rescripti; & hoc quando citatus esset in eodem loco, in quo iudex vel modicum distaret, secus vbi multum distaret. Ratio, quia oritur modicum præiudicium in comparendo, ex quo iudex est in eodem loco, & ex hoc quòd illi asserit se esse delegatum, oritur dubium iurisdictionis. Sic Felinus *dicto cap. cùm in iure, num. 5.* licèt *in principio,* hanc sententiam asserat sine dicta limitatione; at mox adhibet dictam limitationem. Idem additionator ad Felinum *ibi vers. si delegatus.* Panorm. *cap. præterea, de dilat. n. 5.* & *ibi* Butrio, Syluest. *suprà.*

8 At verius est sic citatum non teneri comparere, nisi delegatus exhibeat delegationis literas, quia procedit eadem ratio; cùm enim citatus ignoret citantem esse suum iudicem, nec pro iurisdictione ipsius delegata, eo quòd est odiosa, præsumendum sit, non video, quare citatus teneatur ei obedire. Et idem colligitur ex *capite præterea, de dilat. in principio*; & hanc dicit esse communem additionator ad Felinum *suprà*, Ioan. Andreas *dicto cap. præterea, vers. hic habes expressum.* & *ibi* Innocent. *num.* 1. Butrio, *cap. super literis, de rescriptis,* & *dicto cap. cùm in iure, num.* 31. Maranta *super num.* 59. Speculator, Lapus, Alexand. Decius, Guido Papa, quos refert Felin. *dicto cap. cùm in iure, num.* 5. idem tenet Bart. *auth. qui semel. vers. expeditis contrariis, C. quomodo, & quando iudex,* & expressiùs *l. 2. ff. si quis in ius vocatum non ierit, vers. sed iuxta hoc quæro,* glossa *cap. si Episcopus, 3. q. 2. vers. conuocari,* ibique Archid.

9 Ex dictis fit; quòd si delegatus excommunicet non obedientes sibi, petitus vt delegationis literas exhibeat, eásque non exhibens, non tenet excommunicatio, in culpa enim non est alter non obediens. Sic Panorm. *dicto cap. cùm in iure, num.* 3. Butrio, *ibi num.* 32. Archidiac. *initio.* Felinus *ibi num.* 3. Innoc. *cap. venerabilis, de censibus, num.* 5. Syluest. *suprà.*

10 His præmissis, vt resoluamus dubium initio propositum, præmittendum est, quòd Alguazellus non potest capere aliquem, nisi in fraganti delicto absque mandato iudicis, vt habetur *lege 10 tit. 9. part. 2* & *ibi* Gregor. Lopez alios allegans, *versic. sin mandado,* idem habetur *l. 7. titulo 23. lib. 4. recopil.* & *ibi* Azebedo *numero 1.* Auiles *cap. 35. Prætorum glossa mandado, numer. 1.* Xuarez *l. 2. titul. de los emplazamientos, lib. 2. legum fori, vers. sed vnum tene.* Et hoc mandatum debet esse speciale, vt tenent Bartol. Felinus & Alexand. quos refert, & sequitur Azebedo *ibidem numero 2.* & probat *lege 2. titul. 29.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*part 7.* debéque insuper mandatum esse in scriptis, nec potest per testes probari, vt tenet Carolus de Grassalis, quem refert, & sequitur Azebedo *ibi num. 3.* Xuarez *supra.* Perez *lib. 2. ordinam. tit. 14. lege 8.* Auiles referens Iasonem, Baldum, & aliquos textus *dicta glossa mandado, num. 2. & cap. 1. prætorum*, glossa *cartas, num. 6.* Immo nec citare potest Alguazel. nisi expressè sibi sit mandatum à iudice. *l. 3. tit. 3. lib 4. recop.* vbi & Azebedo multos referens *num. 23. & dicta l. 7. n. 1.*

11 Nota tamen, quòd dum dicimus posse Alguazellos capere absque mandato iudicis delinquentem, dum est in fragranti delicto, intelligitur etiam post delictum commissum, quando est in fuga, vt tenent Bald. Hippolytus, quos refert, & sequitur Auiles *cap. 1. prætorum, glossa cartas, num. 6. versic. & in quantum, & cap. 36 gloss. mandado, num. 5.*

12 His præmissis circa casum initio propositum, an scilicet teneatur Alguazellus ostendere scripturam mandati iudicis quando vult aliquem capere non in fragranti delicto, sed, verbi gratia, ob debita. Quidam dicunt, non teneri ostendere, quando iudex capturam præcipiens est in eodem loco, sed statur dicto Alguazelli asserentis ita sibi fuisse iussum. Vnde limitant, quòd Alguazellus non possit capere absque mandato in scripturis, vt intelligatur præterquam in eo loco, in quo est iudex. Sic Iason *lege ex quacumque, num. 5. ff. si quis in ius vocatus.* Grammaticus *consil. 54. num. 17.* quos refert, & sequitur Auiles *cap 35. prætorum, glossa mandado, num. 3.* in additis de nouo.

13 At dicendum est teneri ostendere mandatum capto id petenti; aliàs potest captus impunè ipsi resistere. Probatur ex dictis, quia cùm Alguazellus ad capiendum in hoc casu sit merè delegatus, non tenetur ei captus obedire, nisi literas suæ delegationis ostendat, &, vt diximus, delegatus tenetur ostendere, quando pars petit. Sic Paris de Puteo, & Corsetus, quos refert, & sequitur Azebedo textus allegans *libro 4. recopilat. titulo 23. lege 7. num. 4. & 5.* vbi dicit hac de causa defendisse quosdam, qui non occurrerunt voci cuiusdam Alguazelli pro parte Regis auxilium postulantis, dum debitorem quendam capere vellet, debitor resistebat ei, eo quòd mandatum ad ipsum capiendum non demonstrabat.

## DVBIVM XXIX.

*An Archiepiscopus in diœcesibus suorum suffraganeorum possit constituere officialem foraneum ad cognoscendum de causis appellationum sui suffraganei ad ipsum Archiepiscopum deuolutis, vel deuoluendis.*

1 DIco primò non posse; quia non potest iudicare in diœcesi suffraganei, vt expressè probatur *c. 1. de offic. ordin. in 6.* Sic Paz *practica, 2. tomo preludio 1. numero 19.*

2 Secundò dico, quòd si de consuetudine speciali habeat ponere, tunc poterit, *dicto cap. 1. §. quia in causis.* Ex qua consuetudine Archiepiscopus Compostellanus ponit vicarium foraneum in diœcesi Salmantina, qui cognoscit de causis suffraganeorum suorum totius prouinciæ per appellationem ad eum deuolutis, vel alio modo ad eius cognitionem pertinentibus; & sic à sententiis Episcoporum suffraganeorum, vel eorum officialium recta via appellatur ad hunc vicarium foraneum; at à sententia ipsius Episcopi Salmantini, vel eius vicarij recta via appellatur ad ipsum Archiepiscopum Compostellanum, qui postmodum causam delegat huic vicario suo foraneo Salmanticæ existenti: quam delegationem debet, & potest facere, iuxta textum *in dicto cap. 1. & ibi glossa verbo, possunt, & cap. vt litigantes, de offic. ordin. in 6.* Sic Paz *ibi, num. 19. & 20.*

## DVBIVM XXX.

*An Clericus possit coram iudice laico conueniri ratione obligationis realis.*

1 SEnsus dubij est, an quando clericus emit domum, super quam est impositum aliquod tributum, v.g. aliquis census, an per iudicem laicum possit fieri executio in ea domo censui obligata.

2 Supponendum est, quòd actor debet conuenire clericum coram suo Episcopo, & non coram iudice sæculari, *cap. 1. & cap. si diligenti, de foro compet. cap. inolita, & c. placuit. 11. quæst. 1. l. 5. tit. 3. lib. 1. recopil.* Maranta *de ordine iudic. d. 11. num. 2 fol. 98.*

3 Quod adeò verum est, quòd si clericus datus sit fideiussor coram iudice sæculari, non potest priuilegio fori renunciare, vt coram ipso possit conueniri. Gratianus alios referens *regula nona numero 4.* Gutierrez *lege nemo potest, ff. de legat. num. 106.* Gregor. Lopez *l. 45. tit. 6. parte 1.*

4 Item licèt clericus falsum deponat coram iudice sæculari, non per ipsum, sed per Ecclesiasticum est puniendus. Sic contra quosdam Gratian. alios referens *dicta regula 9. num. 6.* Iulius Clarus *practica crimin. §. finali, quæst. 38. num. 14.*

5 Item adeò est hoc verum, vt si laicus cum clerico simul delinquat, vel sit debitor, multi Doctores, quos refert Couarru. *vbi infrà*, dicunt conueniendum esse laicum coram iudice Ecclesiastico propter clerici priuilegium: quod tamen minus verum est, nec praxi seruatur, sed clericus coram Ecclesiastico, laicus verò coram iudice sæculari conueniendus est. Sic tenent multi, quos refert, & sequuntur Padilla *lege 1. §. si libellum, C. de diuersis rescriptis, num. 6.* Iulius Clarus *dicta q. 38. n. 27.* Gratian. *dicta reg. 9. num. 5.* Couarruuias *quæst. practicis, capite 32. numero primo.* Quòd benè limitat *n. 2.* nisi causa sit indiuidua, & communis, ita vt nulla possit congrua distinctio, nec diuisio fieri inter socios, quorum alter habet fori priuilegium; tunc enim tota causa etiam quoad socios non habentes fori priuilegium, erit tractanda coram iudice habentis priuilegium fori. Idem Maranta *supra num. 24.* & alij, quos hi referunt. Quod intelligitur quando plures conueniuntur vt singuli, secus si vt vniuersi: vnde si esset aliqua vniuersitas, vel collegium, vbi essent clerici, & laici, si esset conueniendum, debet attendi, an sint plures clerici, vel laici, quia si sunt plures clerici, tanta vniuersitas reputatur Ecclesiastica, & conuenietur coram iudice Ecclesiastico; si verò plures laici, dicetur collegium sæculare, & conuenitur coram iudice sæculari; quia in indiuiduis quando plures conueniunt, vt collegium, denominatio fit à maiori parte, licèt ea indignior sit: quando verò considerantur vt singuli, denominatio fit à dignioti, licèt ea minòr sit. Sic alios referens Maranta *ibi num. 23.* Couarr. *ibi num. 1.* & subdit quòd si par sit numerus laicorum, & clericorum, accipitur denominatio à clericis, & censetur totum collegium Ecclesiasticum.

6 Item in tantum gaudet clericus priuilegio fori, vt possit hanc exceptionem opponere quocumque tempore, etiam post sententiam, vt latè Iulius Clarus *supra quæstione 36.* & Couarr. *quæst. practicis, cap. 33. à n. 3.* vbi optimè tractat an tunc damnandus sit expensis, & *n. 3.* tractat latè qualis probatio clericatus sat sit.

7 Potest tamen iudex laicus dare curatorem bonis clerici. Sic alios allegans Gratian. *ibi num. 14.* Mieres *de maioratu, 1. part. quæst. 58. num. 64.*

8 Item iudex laicus dat curatorem ad litem clerico minori litiganti coram se, quia semper talis curator datur per iudicem, coram quo lis vertitur. Sic alios referens Maranta *supra num. 39.*

9 Item quando iudex laicus fecisset depositum penes clericum, posset præcipere clerico, quòd restituat. Sic



Sic alios referens Maranta *supra n. 37.*

10 Veniendo ergo ad dubium initio propositum, Guillermus, *l. de his, C. de Episcop. & Cleric.* dicit in actione reali, vt si deberet tributum ex sua possessione, possit clericum conueniri coram iudice sæculari; quia tunc magis conuenitur res ipsa, quàm persona; quod Bartol. *l. Imperator, ff. de publican.* dicit esse multum notandum: & Gregor. Lopez *l. 51. tit. 6. p. 1. vers. Por razon*, dicit cum Baldo *dicta l. de his*, quòd quando possessio habens tributum emitur, vel alia via deuenit ad clericum, potest iudex sæcularis facere exequutionem in illa re, non tamen potest aliquid facere in persona clerici. Idem Olanus dicens communem *in concordia, litera C. n. 31.* Gutierrez *lib. 1. pract. q 4. num. 2.* Quesada *quæst. iuris, cap. 4. n. 15.* Albericus *authent. statuimus, n. 7. C. de Episc. & Clericis*, & Host. *in summa tit. de foro competent. §. 2.* dicit, quòd quando iudex Ecclesiasticus in hac executione esset negligens, posset iudex sæcularis eius negligentiam supplere: quod non potest in actione personali.

11 At dicendum est etiam in actione reali conueniendum esse clericum coram iudice Ecclesiastico. Ratio, quia licèt conuenire clericum ratione tributi respiciat onus reale, at stare in iudicio respicit personam; & sic persona clerici subiiceretur iudici sæculari. Item quia si persona est exempta; ergo & res, *l. 2 ff. de censibus.* Item *authent. statuimus, C. de Episcop. & Cleric.* prohibetur ne clericus trahatur coram iudice sæculari in criminali causa, nec ciuili, at causa realis est ciuilis. Sic tenet multis aliis rationibus probans Panormitan. *cap. qualiter, de iudic. n. 8. & c. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. n. 22.* Maranta *supra n. 2.* Sozinus *cap. sanè, de foro competent.* Collectatius, quem refert Panorm. *dicto c. qualiter, n. 8.* vbi etiam addit Panorm. esse minus verum dictum Host. citatum, quia iudex inferior, qualis est sæcularis, non debet supplere defectum iudicis superioris, qualis est Ecclesiasticus.

12 Tandem nota, quòd si clericus est tutor laici, & sit conueniendus pro debito sui pupilli, est conueniendus coram iudice sæculari: & econtrà si laicus sit tutor clerici, & sit conueniendus pro debito sui pupilli clerici, debet conueniri coram Ecclesiastico, quia vtroque casu perinde omnino est, ac si conueniretur pupillus. Sic docti Iurisperiti.

## DVBIVM XXXI.

*An si pecora clerici damnum inferant in pascuis alienis, vel fructibus vetitis, possint per iudicem sæcularem capi.*

1 ALiqui dicunt, quòd si pro *supra* dictis agatur contra clericos, conueniendi sunt coram iudice Ecclesiastico; quia iudex laicus non est competens contra ipsos: & sic nequit eos compellere ad solutionem dictarum pœnarum: si verò agatur contra res clericorum, & sic contra animalia damnum dantia, pro pœnis statuto villæ, vel vrbis impositis, iudex sæcularis sit competens, quia ipsa animalia, quæ damnum infecerunt, sunt de foro sæculari. Et probatur ex *l. 12. tit. 3. lib. 1. nouæ recop.* vbi sic dicitur, *si fuere hallado, que las bestias, y ganados de los clerigos hazen daño, en razon de pagar las penas, y lo que assi fuere ordenado, todos assi clerigos, como legos, lo paguen, y que las rendas se cobren, assi de seglares.* Item, quia ipsa animalia, quæ damnificant, sunt de foro sæculari. Sic tenet Gutierr. *lib. 1. pract. q. 4.* dicens sic obtinuisse in quadam lite, cùm in Pincianam Curiam res delata esset per modum violentiæ. Ad idem est Azebedo *lib. 1. recop. tit. 3. l. 12.* vbi, inquit, quòd quando damnum petendum est à clerico, debet peti coram Ecclesiastico, quia debet lis agitari, & audiri clericus: sed si pœna exigenda est secundùm statuta, vel loci consuetudinem, vel id quod soluendum est pro pastura, distributum per distributores communiter ad hoc destinatos, tunc ex bonis clerici potest sæcularis capere, vt soluat, vel potest pignora capere, & sic dicit obtinuisse in quadam lite. Pro eadem sententia facit, quod decidit Lucas de Penna *l. iubemus, C. de nauibus non excus. lib. 11.* vbi resoluit, quòd Princeps sæcularis potest statuere, quòd animalia clericorum à suis pascuis priuatorum, & quòd si inueniantur in illis pascua sumentes, soluant pœnam; aliàs impune possint offendi: quem refert, ac sequitur Auiles *cap. 17. prætorum*, glossa *buenas, n. 12.* & dicit eleganter dictum Gutierrez *dicta q. 4.*

2 Cæterùm verius existimo non posse iudicem sæcularem procedere contra personam, nec contra res clerici; quia bona accessoria sunt personæ. Et probatur ex his, quæ latè dixi *supra* de tributis & vectigalibus *dub. 55. cap. 3 §. quod vertitur in dubium.* Et pro hac sententia est Greg. Lopez *p. 7. tit. 15. l. 24. vers. el ganado.* vbi dicit clericos per suum iudicem Ecclesiasticum damnandos esse, quando eorum animalia damnificant, & Castillo *l. 70. Tauri, n. 18.* vbi dicit, quòd clerici in his casibus, si contraueniant, puniuntur pœnis statuti per iudicem Ecclesiasticum.

3 Nota tamen, quòd iudex sæcularis posset procedere contra clerici pastores, propter malam custodiam, vt soluant pœnam, & damna. Sic Gregor. Lopez *ibi.* Anton. *cap. grauem. de sentent. excommun. & ibi* Ioan. Andr. Cardin. & Anchar. *ibi* Auendaño *1. p. c. p. prætorum, c. 4. numero 30.*

## DVBIVM XXXII.

*An appellatio suspendat sententiam censurarum, scilicet, suspensionis, & excommunicationis, & interdicti, ita vt hæ censuræ post appellationem latæ sint nullæ.*

1 VT huic dubio plenè satisfiat, oportet præmittere aliqua de appellatione, quæ per diuersas difficultates aperientur.

2 Prima difficultas quid, & quotuplex sit appellatio.

3 Primò dico, quòd *appellatio est à minori ad maiorem, seu superiorem prouocatio cap. omnis oppressus 2. q. 6. & cap. si quis, & cap placuit*, docet Syluest. *verbo appellatio, initio*, & omnes.

4 Secundò dico, quòd licèt Baldus *rubr. de appellat.* dicat esse quadruplicem appellationem; at, vt bene notat Neuo *rubr. de appellat. n. 21.* propriùs loquendo, & secundùm quod communiter loquuntur canones, est duplex: quædam extraiudicialis, vt quando appellatur ab actu omnino facto extra iudicium: vt si appelletur à collatione beneficij, electione, præsentatione, vel à quocumque alio, quod fit ex publico officio, vel quasi publico, vt *l. 1. §. solet, ff. quando appell. sit.* Quædam verò iudicialis, scilicet quæ interponitur in iudicio, siue ante litem contestatam, siue pòst: & hæc quando interponitur in iudicio, siue ante litem contestatam, siue pòst, dummodo interponatur ante sententiam diffinitiuam, dicitur appellatio ab interloquutoria; quando autem ab ipsa sententia diffinitiua, dicitur appellatio à diffinitiua.

5 Pro maiori intelligentia nota, quòd triplex est sententia, quædam interloquutoria, quædam definitiua, quædam mixta. Interloquutoria, & definitiua in hoc distant, vt benè Syluest. *verbo sententia, quæst. 3. & 4.* & Francus *cap. cum cessante. de appellat. num. 36.* & glossa *Clement. 1. de sequestrat. fruct. vers. definitiua*; quòd definitiua est, quæ fertur super causa principali, de qua lis agitatur, non super incidentibus, vel emergentibus: interloquutoria verò, quæ fertur inter principium, &

finem

Universidad de Deusto
Biblioteca



finem causæ super his, quæ incidunt, vel emergunt super ipsa causa. Et *ibi* latè prosequitur Francus, & Rebuff. statim citandus de diuersis sententiis, an sint interloquutoriæ, vel definitiuæ. Interloquutoria verò mixta est, quæ habet vim definitiuæ, & partim interloquutoriæ; quia scilicet non absoluit totum negotium principale, & partim definitiuæ, quia aliqui patti principali finem imponit. Est ergo hæc interloquutoria habens vim definitiuæ, vt docet Butrio *consil.6.* quæ negotium inter partes ex toto determinat, & definit: seu, vt dicit Rebuff. *Lquod iussit, in præfatione, num.42.ff. de re iudic.* quæ causam principalem non definit, sed vnam partem substantialem, nec toti causæ, sed aliquando instantiæ finem imponit.

6 Secundò nota, quòd appellatio extraiudicialis potest dupliciter fieri, scilicet vel à iudice extraiudicialiter procedente, vt si appelletur ab Episcopo, vel exequutore, ne det beneficium, vel secundò ab ipsa parte faciente grauamen aliquod alteri. Sic Maranta *practica 6. part. titul quandoque appellatur, numero* 278. Francus *cap. bonæ, de appellat.* & *ibi* Neuo *num.*40.

7 Tertiò nota, quòd multæ sunt differentiæ inter appellationem iudicialem, & extraiudicialem, de quibus latissimè Francus *cap. bonæ, de appell.* & *ibi* Panorm. & Neuo: sed præcipuè sunt hæ.

Prima differentia, quòd extraiudicialis valet, licèt sit generalis respectu personarum, seu grauaminis, & valet à futuro grauamine, *cap.bonæ, de appell.* at iudicialis non valet generalis, nec à futuro grauamine, sed specialis, & à præsenti grauamine debet esse, *c. vt debitus, & cap.cùm causam, in fine, de appellat.* Sic Francus alios referens *dicto cap.bonæ*, *n.*4. & *ibi* Neuo *n.*45.46. Panor *ibi n.9.& 10.*

8 Secunda differentia est, quòd appellatio extraiudicialis quando fit ab ipsa parte, habet vim citationis in causa beneficiali, & tenetur pars contraria, à qua appellatur, coram iudice ad quem comparere sine alia citatione, aliàs proceditur in illa causa in eius contumaciam; & dantur in hoc duo termini. Primus est vnus mensis ad iter accipiendum à die interpositæ appellationis. Deinde post aduentum appellantis expectatur appellatus per viginti alios dies, intra quos si non comparet, proceditur in eius contumaciam, textus & *ibi* glossa *verf. absentia, cap. 1. de elect.in 6.* In aliis autem causis non beneficialibus non operatur hoc effectum sine citatione, vt bene Abbas *cap. cùm sit Romana, de appellat.* Hæc Maranta *practica, 6. part. tit. & quandoque appellatur, num.* 279. & dicit esse mirabilem effectum; de facili enim potes decipere aduersarium, qui te molestat super aliquo beneficio, appellando ab eius molestia ad Papam, & deinde producendo omnia acta tua, quæ faciunt pro victoria tuæ causæ: nam pars appellata non aduertet in comparendo expectans se citari: & sic poteris formare processum, & facilè obtinere, cùm non habeas contradictorem. Hæc Maranta *ibi*, dicens sic pluries vidisse obseruari.

9 Tertia differentia est, quia in iudiciali causa appellandi debet esse vera, *cap.vt debitus & cap. interposita, de appellat.* sed extra iudicium satis est, quòd causa sit verisimilis, & probabilis, vt si verisimiliter timui grauari in aliqua re, licèt non sim grauatus, possum extra iudicium appellare, *cap.bonæ, de appellat. & Clem. sicut, eodem tit.* Sic Panor. *eodem cap.bonæ, n.*7. & *ibi* Neuo *num.*40.

10 Quarta differentia, quia iudicialis dicitur propriè appellatio, & extraiudicialis non, sed dicitur prouocatio: vnde in dispositionibus odiosis non comprehenditur nomine appellationis. Sic Neuo *cap.bonæ, de appell.n.*41. & *ibi* Panorm.*n.*8. licèt idem Panorm. *cap. finali, de seq.possess.* dicat comprehendi.

11 Quinta differentia, in petitione apostolorum, quia in iudiciali semper sunt petendi, in alia verò non semper, vt dicam *infrà*.

12 Sexta differentia, quòd excommunicatus non potest appellare extraiudicialiter: potest tamen iudicialiter, quia hoc est se defendere, illud verò est agere. Pro cuius intelligentia nota, quòd quidam absolutè dicunt excommunicatum non posse appellare. Sic Lancellotus alios referens, *de attent.2.part.cap.* 12. *limitat.* 50.*à num.*15.*ad* 19. Enriquez *lib.*13. *de excommunicat. cap.*7. *num.*5. Innoc. autem fuit sibi contrarius, quia *cap.dilectis, de maioritat.& obedient.* tenuit posse appellare extraiudicialiter; sed *cap. cùm inter, de excepr.* tenuit contrarium; & Panorm. & Cardinal *eodem cap. dilectis*; dicunt nunquam posse excommunicatum appellare extraiudicialiter, etiam à iudice extraiudicialiter procedente. Sed sic distinguendum est; aut appellatio non est merè extraiudicialis, vt si à iudice extraiudicialiter procedente, vt si appellatur ab executore volente prouidere de beneficio: & tunc potest excommunicatus appellare; quia si exequutor assumit partes iudicis, iam est iudicialis appellatio: si verò non assumit, non est merè extraiudicialis, cùm collatio fiat ab habente iurisdictionem. Aut appellatio est merè extraiudicialis, & tunc non potest; quia talis appellatio est prouocatio ad causam: vnde dicitur ipse agere, & prouocare ad iudicium, quod est interdictum excommunicato. Sic Ioan. Andr. Archidiaconus & Dominicus *cap. pia, de except. in 6.* Neuo *cap.bonæ, de apell.numero* 46. & *ibi* Panorm. *numero* 10. *& cap.cùm inter, de except.* vbi & Immola.

13 Septima differentia, quia in appellatione iudicialiannus ad prosequendam appellationem incipit currere à die interpositæ appellationis, sed in extraiudiciali à die grauaminis, *Clem.sicut, de appellat.* Neuo *d.cap. bonæ, num.*46.

14 Octaua differentia respectu suspensionis, quia appellatio iudicialis suspendit iurisdictionem iudicis à quo in totum quoad illam causam; at extraiudicialis non suspendit actum de præterito, nec etiam actum futurum consequutiuum ad actum de præterito, *c. constitutus, de appell.* Vnde si appellatur à collatione beneficij, vel confirmatione electionis iam factæ, sicut ipsa confirmatio; vel collatio non suspenditur per appellationem subsequentem; ita nec actus inuestituræ, nec traditio possessionis, ex quo sunt actus consequutiui ad ipsum actum collationis vel confirmationis de præterito. Vnde tantùm suspendit, quod fit postea contra ipsam appellationem. Sic Neuo *c.bonæ, de appell.n.*47. & *ibi* Panorm.*n.*10.

15 Hinc fit, quòd in appellatione iudiciali reuocantur omnia attentata, etiam quæ non sunt directè contra appellationem; sed in extraiudicali tantùm, quæ sunt contra appellationem. Sic Maranta *practica 6.p.tit.& quandoque appellatur.n.*401. Francus *c.1. de appell.*

16 Nona differentia ponitur ab aliquibus respectu termini ad appellandum. Sed de hac *infra*.

17 Decima differentia, quòd appellatio iudicialis potest fieri ad proximum superiorem; sed extra iudicium non potest appellari nisi ad illum, qui potest aditi per viam querelæ. Sic Neuo *cap.bonæ, de appell.num.*48. Panorm. *cap.dilecti, el 2. de appoll n.6.7.* vnde infert Panormon posse ab Episcopo ad Archiepiscopum appellari extraiudicialiter, nec à subditis Episcopi suffraganei ad Archiepiscopum; quia Archiepiscopus non potest per viam querelæ eos audire, sed tantùm per viam appellationis, *cap.pastoralis, de offic.ordin.* Sed Decius *eo c. dilecti, num.* 9. impugnat hanc differentiam, & sic dicit posse ad Archiepiscopum appellari, etiam extraiudicialiter.

18 An verò extraiudicialis sit interponenda in præsentia iudicis, & eo deficiente, coram honestis personis, *infrà* dicam. Vltimò



19 Vltimò dico, quòd appellatio alia est verbalis, quæ fit verbis, vt fit communiter, alia facti, quæ fit facto per arreptionem itineris ad superiorem, vt habetur *c.dilecti, el 1.de appellat.*

20 Nota primò, quòd gloss. *eo c.dilecti, verf.facto*, dicit tantùm habere locum appellationem hanc facti, quando iter arripitur ad Sedem Apostolicam, quia in hoc casu expresè loquitur illud caput. Sed melius *ibi* Decius *num.* 9. dicit idem esse, quando ad alios superiores. Et *in eo cap.* ponitur de itinere ad Sedem Apostolicam tantùm gratia exempli; quod non arctat regulam.

21 Secundò nota quosdam dicere, quòd hodie iter arreptum non habetur pro appellatione post sententiam, sed viua voce est appellandum incontinenti, vel in scriptis, quando appellatur ex interuallo, vt dicam *infra*: sed ante sententiam videtur appellare qui iter arripit. Sic gloss. *c.dilecti, el 2.de appell.verf. facto*; *& cap. ad reprimendam, de offic.ordin, verf.conquestus.* Idem Host. *d. c.dilecti*; & addit hæc, quinimmo ex quo quis vocatus est ad iudicium, nunquam arripiendo iter, videtur hodie appellasse. Idem Lapus *alleg.*39.

22 At verius est etiam hodie arreptionem itineris ad superiorem habere vim appellationis facti, seruatis, quæ seruari debent in appellatione verbali. Sic Nauarra *lib. 2. consil. in antiquis, tit. 17. de sentent. & re iudic.consil. vnico, num.7.in nouis, l.b.2.tit de appell. consil.*5. *num.* 7. Decius *c.dilecti, el 2. de appell.num.*9. Henricus *ibi n.* 4. & 5. Neuo *ibi num.*15. Ant. *ibi fine*, Panorm. *ibi num.* 5. vnde infert, quòd sicut appellans in iudicio, vel extrà ante diffinitiuam, tenetur exprimere causas in scriptis, & petere apostolos; ita hic, qui arripit iter: vnde sic debet dicere superiori. Tu me grauas in tali articulo, nolo ampliùs litigare coram te, sed adeo Papam, & pero apostolos: tunc enim licèt non dicat, appello, itinerando censetur facto appellare. Similiter si appellet à diffinitiua, vel extra iudicium, vt seruet ea, quæ in ea seruari debent. Hæc Panorm. Vnde hæc arreptio itineris debet esse intra decem dies datos iure canonico, ad appellandum. Sic Lancellotus *de attent.2.p.c.*12. *limit.* 50.*n.*115.

23 Secunda difficultas sit. Quotuplex sit appellationis effectus?

24 Sit conclusio. Duplex est principalis effectus appellationis. Primus est deuolutiuus, id est, deuoluit cognitionem causæ ad iudicem, ad quem appellatur, *c.dilectis, c.vt debitus, de appellat.l.eos, l.à proconsulibus, C. de appellat.* & sic eximit litigantem à iurisdictione iudicis à quo, quoad illam causam, & transfert ad iurisdictionem iudicis ad quem, *c.dilectus, c. ad audientiam, de appellat.* Secundus effectus est suspensiuus, suspendit enim, & non extinguit sententiam, *c.venientes, de iureiur. c.pastoralis, § præterea, de offic.deleg. c. sæpè, de appell. l. præcipimus, l. eo casu, C. de apellat.* Qualiter autem hoc habet verum in appellatione extraiudiciali, dixi *supra*.

25 Hinc infertur hæc regula, quòd appellatio ligat statim manus iudicis à quo, eiusque iurisdictionem suspendit sine alia inhibitione, adeò quòd nil potest facere appellatione pendente: immo nec ante interpositam appellationem infra terminum iure concessum ad appellandum scilicet infra decem dies, *l.*1. & *ibi* Bart. *ff. nil innou. appell. & c.non solum, de appell.in 6.* & *ibi* omnes, & docet optimè Maranta *practica 6 p.tit.& quandoque appellatur, n.*400. & 173.

26 Hæc tamen regula præter aliquas limitationes, quæ non faciunt ad rem præsentem, de quibus consule Dueñas *regula* 42. & Maranta *proximè citatum à num.* 174. *vsque ad* 207. patitur alias limitationes, quæ ad rem faciunt.

27 Prima limitatio est, quòd fallit, quando postmodum appellatio non fuisset interposita in tempore debito, tunc enim cessant attentata, & gesta pendente termino ad appellandum non reuocantur. Sic Dominicus *c. venerabilibus. §. porrò, de sentent.excommun. in 6. ad finem*: & gloss. *ibi versic. secundò nota.* Francus *ibi num.*6. Felin. *c. quoad consultationem, de sentent. & re iudic. num.* 38. Lancellotus, dicens sic esse resolutum in curia Burgensi, & esse communem, *de attentat.* 2. *parte c.*11. *num.*42. Couarr. *practica c.*23. *num.*2. *verf. illud tamen.*

28 Ex quibus, inquit Lancellotus *ibi num.* 23. subsistendum videtur de eo quod legitur in decisione Mohedan. 150. *sub rubr. de præbend.* quòd prouisio facta per Papam infra decem dies datos ad appellandum, non conualescit, si verè postea non appelletur: & decisione Chissanen. 1. *incipiente, in termino ad appellandum, in fine*, vbi refertur, quòd collatio facta ab ordinario, pendente termino ad appellandum à sententia priuatoria, est nulla, licèt appellatio non interponatur postea.

29 Secundò limita regulam, nisi pendente appellatione appellans aliquid contra appellationem innouet; potest enim tunc iudex à quo, procedere contra illum. Probatur ex *c. cùm teneamur, de appellat.* vbi habetur, quòd si appellans turbatur in possessione per aduersarium, appellatione pendente, potest iudex à quo contra illum procedere, & tueri in possessione. Quem textum licèt variè intelligant Doctores, at communis intellectus est, vt possit iudex à quo reuocare nouiter attentata pendente appellatione, & ratione nouiter attentari possit se intromittere; quia illa est noua causa. Sic glossa *ibi*, Panorm. *ibi num.*1. & 4. dicens communem Beroius *rubr. de appell.n.*46. Maranta *practica 6. p.tit.& quandoque appellatur, n.*194. Decius *dicto c. cùm teneamur, num.* 4. 18. Francus *ibi num.*13. Innocent. *ibi.* Ioan Andr. *num.* 2. Immol. *num.* 1. 3. Cardin. *ibi.* Anton. *ibi num.*6. Anchar. *num.*3. Henricus *num.*1. & 2. Host. *ibi, initio.* & est similis textus, & glossa *verf. districtius, c.2. de matrim. cont. contra interd. Ecclesiæ*, vbi iudex à quo pendente appellatione iubet partibus, ne denuo contrahant.

30 Nota primò hoc habere verum, licèt iudex à quo detulerit appellationi; quia hæc est causa noua. Sic Neuo *dicto c.cùm teneamur, num.* 8. Immola *numero* 5. Ant. *num.*7. Lancell. *de attent.2.parte c.*12. *limit.* 4. *num.*23. Federic. *consil.*83. Ioan. Andreas *c. cùm appellationibus, de appellat. in* 6. Item habet verum, licèt iudex ad quem canonicè inhibuisset iudici à quo, ne aliquid attentaret; quia inhibitio operatur in his, quæ sunt contra appellationem: facit textus *c.audita, de restitut.spoliator.* Sic Neuo *ibi num.*9. Francus *num.*22. Lancel. *num.*19.

31 Sed dubitatur, an hoc procedat in iudice delegato, vel tantùm in ordinario. Quidam dicunt tantùm protedere in ordinario. Ratio, quia per appellationem tantùm suspenditur eius iurisdictio quoad illam causam; quare cùm id, quod innouat, sit causa noua ratione iurisdictionis generalis, quam habet, potest se in illa intromittere; secus in delegato, quia cùm tantùm habeat iurisdictionem in illa causa, & per appellationem sit suspensa, nil potest. Sic Beroius *rubrica de appell.num* 46. gloss. *dicto c.cùm teneamur, verf. præterquam.* Idem Ant. *ibi num* 6.7. nisi (inquit) oppositum esset ei delegatum: quod rarò fit. Idem Panormitanus *ibi num.* 5. & Lancellot. *proximè citatus, num.* 26. limitant ambo, quando delegatum iam detulit appellationi: secus antea.

32 At verius est habere etiam locum in delegato, licèt detulerit appellationi; nam per delationem appellationis non abdicatur in totum iurisdictio iudicis à quo; appellante enim non prosequente, reuertitur iurisdictio ad ipsum. Sic tenet reprobans Panormitan. Neuo *dicto cap. cùm teneamur, numero* 23. Cardin. *ibi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Idem dicunt fortè esse verum Innoc. & Ioan. Andr. *ibi n.2.* idem videtur tenere Anchar. *ibi n.3. in fine*; & tenet Enticus *ibi n.* 2. saltem quando ipse appellans innouaret; secus, si alius: & in hoc casu dicit fortè esse verum Hostiens. *ibi.*

33 Hinc inferunt Doctores non esse suspensam iurisdictionem iudicis à quo in tendentibus ad faciliorem exitum causæ appellationis, dummodo abstineat à cognitione causæ appellationis, & sunt talia, quæ possunt experiri absque cognitione causæ appellationis: & hinc euenit, vt iudex à quo appellatione interposita possit præfigere terminum ad prosequendam appellationem, vt dicam *infrà*. Sic Neuo *dicto cap. cum teneamur, numero* 7. *&* 8. Immol. *ibi numero* 1. Anton. *numero* 3. Decius *numero* 4. Francus *numero* 3. Beroïus *rubr. de appellat. num.* 46. Lancell. *de attent. 2. parte cap.* 12. *limit. 4. num.* 8. *&* 28. & est communis. Maranta *pract. 6. p. tit. & quandoque appellatur, num.* 196. Dueñas *reg.* 42. *num.* 17.

34 Secundò inferunt Doctores, quòd appellans adeundo iudicem à quo, non super appellatione interposita, sed super innouatione, non videntur renunciare appellationi suæ. Sic Maranta *proximè citatus, n.* 425. & Panorm. *dicto c. cum teneamur, n.* 2. Neuo *ibi n.* 10. glossa *ibi vers. prætermissio.* Decius *n.* 6. Francus *n.* 4. Cardin. *ibi.* Innoc. *ibi*, Immol. *c. gratum, de offic. deleg.* & ampliat Decius, licèt petat vt à iudice.

35 Tertiò infertur iustificatio praxis iudicum Ecclesiasticorum, dum enim iudex laicus extrahit reum ab Ecclesia, præcipit Ecclesiasticus sub excommunicatione, vt restituat Ecclesiæ, appellat laicus, si non obstante appellatione, vellet laicus innouare, vt damnando reum, ipsum excommunicat Ecclesiasticus: & hoc ratione nouæ causæ, scilicet innouandi pendente appellatione, iuxta dictum *capue cum teneamur.*

36 Tandem intellige dicta in hac limitatione, quòd scilicet iudex à quo possit pendente appellatione procedere, quando aduersarius innouat, quando alius esset contentus: secus si contradiceret. Sic Lancell. *proximè citatus, num.* 27. Francus, & Panorm. *c. constitutus, de appellat.*

37 Tertiò limita regulam principalem positam, vt intelligatur de appellatione à diffinitiua: secus in interlocutoria, licèt enim appellatio ab interlocutoria eximat appellantem à iurisdictione iudicis à quo *cap. ad audiendam, & cap. dilectus, de appellat.* non ligat manus iudicis à quo, quin possit procedere ad vlteriora, donec per iudicem appellationis fuerit inhibitum, vt habetur expressè *c. non solùm, de appellat. in* 6. vbi Glossa *versic. ante*, reddit rationem differentiæ, quia appellatio ab interlocutoria, vel grauamine debet proponi expressa causa probabili, nec sat est esse probabilem, nisi sit vera, *c. interposita, de appellat. in principio*; & sic est necesse vt priùs constet de veritate. Sic omnes, & præcipuè Lancel. *de attent. 2. p. c.* 12. *limit.* 1. *a num.* 1. *vsque ad* 11. Maranta *practica 6 p. tit. & quandoque appellatur, num.* 172. vbi addit, quòd potest procedere vsque ad definitiuam inclusiuè, donec inhibeatur, non obstante appellatione: nec requiritur aliqua citatio partis, sed iudex potest procedere ad omnem actum vsque ad sententiam parte non citata, ex quo appellando videtur se facere contumacem, & declarare animum suum, & non vult comparere, *cap. eum, qui de dolo, & contum. in* 6. *& Clement.* 5. *eodem tit.* verùm quando iudex appellationis pronunciat bene appellatum, omnia attenta reuocantur. Hæc referens Bart. & Baldum Maranta *ibi.*

38 Hæc tamen tertia limitatio, quòd potest iudex pendente appellatione ab interlocutoria vltrà procedere, debet intelligi cum aliquibus sublimitationibus. Prima est, nisi iudex à quo sit inhibitus per iudicem ad quem, *cap. non solùm, de appellat. in* 6. Quod tamen intellige, quando inhibitio fuit legitimè interposita, & cum causæ cognitione, & parte citata; aliàs inhibitio non valet. Maranta multos referens *proximè citatus, num.* 207. 208. quod adeò verum est, quòd licèt iudex pendente appellatione à grauamine, vel interlocutoria, potest grauamen, vel interlocutoriam reuocare, *cap. cum cessante, de appellat.* & talis reuocatio iustitat, & annullat processum per iudicem ad quem medio tempore factum, vt benè Lancel. *de attent. 2. p. c.* 12. *limit. 1. numero* 15. *vsque ad* 16. Immo hoc potest arbiter, vt probat *ibi* Lancel. *numero* 17. At fallit hoc, nisi inhibitus esset per iudicem ad quem: tunc enim non posset reuocare interlocutoriam, nisi esset aliàs nulla, vel inhibitio non esset legitima. Sic Lancell. cum aliis *ibi n.* 21. 22. Secunda sublimitatio est, nisi interlocutoria habeat vim diffinitiuæ. Lancell. *ibi numero* 18. *&* 52. Tertia est, nisi sit sententia excommunicationis, de qua *infrà* eadem difficultate. Quarta est, nisi iudex à quo appellationi detulit coram eo interpositæ ab interlocutoria, quia deferendo ligat manus sibi ipsi, & abdicat à se omnem iurisdictionem, & in superiorem transfundit, *cap. cum appellationibus, de appellat. in* 6. & tenet Ioann. Andreas *cap. cum cessante, de appellat.* & Francus *ibi* alios referens, *numero* 14. Maranta *num.* 209. Lancell. *eo c.* 12. *limit.* 6. *numero* 20. *& limitat.* 1. *numero* 66. *& sequentibus*, in quo *numero* 66. ampliat hoc esse verum, nisi appellatio, cui iudex detulit, esset omnino nulla, quia non est interposita termino concesso ad appellandum, scilicet intra decem dies; in hoc enim casu licèt iudex illi deferat, nil operatur, vt dicemus *infrà*. Secundò amplia, siue iudex ex ignorantia, siue ex propria voluntate detulerit appellationi, quæ iure non erat admittenda, Antonius Gomez alios referens *tomo 3. var. c.* 13. *numero* 39. Tertio amplia esse verum non tantùm quando expressè defert appellationi, sed etiam quando tacitè, scilicet dando acta pro apostolis, vel nil respondendo de apostolis, vt in pulchro casu tradit Lapus *allegat.* 124. Sic Lancellot. *illa limit. 1. numero* 75. 76. 77. *& limit. 6. numero* 24. Quarto amplia, non tantùm quando ipse iudex defert, sed etiam quando delegatus ab eo, cum clausula, *donec vices suas duxerit, reuocandas*; si enim is deferat appellationi, antequam ordinarius reuocet vices suas, non potest vltrà ordinarius, etiam vbi reuocauit vices suas, in illa causa procedere. Lancell. alios referens *ea limit. num.* 22. *& limit.* 1. *numero* 79. Quinto amplia, etiam si appellatio esset sine causa. Lancel. *limit. 6. n.* 20. *& limit. 1. num.* 69. Rolandus *consil.* 77. *n.* 2. *lib.* 2. Parisius, quem refert Lancel. *ibi.* Sextò amplia, licèt appellatio sit sine scriptis, quamuis huiusmodi appellatio aliàs non valeat, vt dicam *infra*. Lancell. *limit. 1. num.* 70. idem Rolandus, & Parisius, *proximè citati*. Septimò amplia, etiamsi per iudicem ad quem non fuerit sibi inhibitio facta. Rolandus *ibi*. Lancell. *limit. 1. num.* 78. Octauò amplia, etiam si non essent petiti apostoli. Parisius, & Rolandus *ibi*, Lancel. *limit.* 1. *num.* 71. Nonò amplia quòd hanc iurisdictionem non recuperat iudex, qui detulit appellationi, etiam si grauamen, & iurisdictoriam reuocaret. Sic alios referens Lancel. *ea limit. num.* 68. quod dicit *num* 72. *&* 73. esse verum, licèt vel-ler reuocare grauamen de consensu partium, *& num.* 74. licèt res esset integra, & citat alios. Sed contrarium quòd scilicet possit vltrà procedere, quando reuocat grauamen, & interlocutoriam de consensu vtriusque partis, vel saltem solius appellantis, quando res est integra, quia scilicet per iudicem appellationis non est inchoatus processus, tenet alios referens, & latè probans Lanfrancus *c. cum cessante, de appellat. num.* 14. & hoc siue iudex sit ordinarius, siue delegatus; quia potest appellans renunciare suæ appellationi, & sic redire ad iudicem à quo, *c. vt super, de appellat. in* 6. idem Iacobus Henric. *consil.* 34. *lib.* 3. & Lancel. *ea limit. 1. n.* 74. dicit fortè esse probabile, & *num.* 82. tenet in iudice ordinario. Quæ tamen omnia, nempe quòd iudex deferens appellationi abdicet à se omnem iurisdictionem, nec possit vltrà procedere, limita, quando detulit simpliciter appellationi; secus si detulit cum clausula solita, scilicet, *si & in quantum facere teneor*, quia in hoc casu si appellatio erat iusta, & ex rationabili causa, & sic de iure admittenda, censetur admissa: si autem de iure non erat admittenda, non censetur ei delatum. Sic Rolandus *dicto consil.* 77. *num.* 18. Lancel. multos referens *dicta limit. 1. à num.* 83. Maranta alios referens *vbi supra num.* 211. & aduertit Lancel. *ibi num.* 88. quòd si interlocutoria esset lata à duobus iudicibus, & alter appellationi detulit, potest antequam alius deferat, suam delationem reuocare: & refert alios. Aduertit etiam Maranta *num.* 210. quòd si appellatio est interposita ex causa iusta, tenetur iudex illi deferre; aliàs punitur. *cap. de priore, de appellat. lege quoniam, Cod. de appellat.* Quid autem quando est dubium, dicam *infrà*. Quinta sublimitatio est, vt non habeat locum, quando iudex, à cuius interlocutoria est appellatum, præfixit terminum appellanti, aut ad prosequendum appellationem, aut ad audiendum responsum, etiamsi appellationi non detulisset; quia hæc termini præfixio habet vim dilationis, & dilatione præsenti iudicis officium conquiescit. *cap. significasti, de appellat.* & pro hoc est textus, & *ibi* Glossa indistinctè loquens, tam in appellatione à diffinitiua, quàm ab interlocutoria, *cap. personas, de appellat. versic. diem.* Panorm. *ibi*, & Francus *num.* 19. Lancel. *dicta limit. 1. num.* 58. 59. Sexta sublimitatio est, quando iudex à quo, à cuius interlocutoria appellatur, debitè requisitus non dedit apostolos, quando scilicet debitis loco, modo, & tempore requisitus eos expressè denegat, vel infra debitum negligenter, vel malitiosè tradere, prætermittit; tunc enim non potest iudex procedere, nisi appellationi sit renunciatum, & si procedit, est nullus processus, *cap. ab eo, de appellat. in* 6. & docet Glossa *cap.* 1. *de appellat. in* 6. *versic. exhiberi*, & Lancell. *dicta limit. 1. num.* 60. 61. 62. alios referens. Quòd si dicas, tradens apostolos, defert appellationi, *cap. dilectis, ad finem, de appellat.* & tunc nullo modo poterit procedere. Respondetur cum Glossa *cap.* 1. *de appellat. in* 6. *versic. exhiberi*, hoc esse verum, quando tradit Apostolos dimissorios, vel reuerentiales; secus si refutatorios. Vltima sublimitatio est, vt non procedat in grauamine, & actui irreparabili per diffinitiuam, vt si iudex interloqueretur aliquem esse torquendum, quia tunc pendente appellatione ab hac interlocutoria non potest vltrà procedere, sicut quando appellatur à diffinitiua. Sic multi, quos refert, ac sequitur Maranta *practica 6. part. titul. & quandoque appellatur, num.* 212. Lancellot. *dicta limit. 1. à num.* 92. *vsque ad* 98. Dueñas *reg.* 52. *limitat.* 13. *n.* 13. Menoch. *de adipisc. possess. remedio 4. quæst.* 100. *num.* 866. Idem dic quando actus magna cum difficultate esset reparabilis per diffinitiuam. Lancel. *ibi*, alios referens. Alias sublimitationes ponit *ibi* Lancell. Sed hæ sunt, quæ magis ad præsens faciunt.

39 Vltima limitatio ad regulam principalem, quòd scilicet pendente appellatione iudex à quo nil potest innouare, est nisi appellatio sit manifestè friuola, & frustratoria; quia ea non obstante potest iudex vltrà procedere, vt habetur expressè *cap. cum appellationis, de appellat. in* 6. & *ibi* Dominicus, & omnes Panorm. *cap. constituti, el* 3. *de appellat.* Maranta *pract. part. 6. tit. & quandoque appellatur, num.* 182. vbi alios refert. Nau. *lib. 2. consil. tit. de appellat. in nouis, consil. 2. fine, in antiquis, consil.* 3. *n.* 1. *vsque ad* 6. & reddit rationem *num.* 8. quia paria sunt aliquid non fieri, & minus legitimè fieri, vt considerat Iason. *l. præses, n. 4. ff. de sentent. & re iudic.*

40 Limita hoc nisi iudex à quo appellationi detuletit, tunc enim abdicat à se omnem iurisdictionem, vt latè dixi *numero trigesimo octauo* omnia enim *ibi* dicta ad hoc sunt applicanda.

41 Nota primò, quòd friuola appellatio dicitur ea, quæ est interposita contra leges. Sic Maranta *proximè citatus num.* 182. Item quæ est interposita sine causa, vel ex minus iusta causa, vel falsa causa, vbi scilicet quis appellat, quando non est grauatus iniustè. Sic Maranta *ibi numero* 347. Glossa *cap. cum appellationibus, de appellatione in* 6. *notab.* 1. & *ibi* Dominicus. Vnde inquit Maranta, idem est friuola, quod inanis, frustratoria, & vana, vel vt alij dicunt, relinquitur arbitrio iudicis quæ appellatio sit friuola. Sic Menochius cum aliis, quos refert, *de arbitr. lib. 2. centur. 2. casu* 197. *num.* 6. 7. Lancell. *de attent. 2. part. cap.* 12 *limit.* 6. *num.* 5.

42 Hinc fit, quòd quoties non potest appellari de iure, potest iudex non obstante appellatione innouare. Dueñas *regula* 42. *num.* 10. Maranta *practica 6. part. titul. & quandoque appellatur, num.* 183. Innoc. *cap. pastoralis, de offic. deleg.* Glossa *cap. non solùm, de appellat. in* 6. *versic. casibus.* Quod tamen limita nisi in talibus casibus prohibitis appellans allegaret aliquam iustam causam, ex qua deberet admitti eius appellatio; quia tunc iudex tenetur eius appellationi deferre, & interim nequit innouare. Sic Glossa *cap. Romana, de appellat. in* 6. *§. si autem, &* ibi Dominicus *fine.* Romanus *consil.* 324. Panorm. *cap. consuluit, el* 3 *de appellat.* Maranta, & Dueñas *proximè citati.* Et quando iudex tenetur deferre appellationi, & qualiter peccet negando, quando debet deferre, vel deferendo, quando debet negare.

43 Secundò nota, quòd quando est dubium de iure, vel de facto, an sit legitima appellatio, est illi deferendum, nec ea pendente potest iudex à quo aliquid innouare, *cap. cum speciali, §. porrò, de appellation.* & docent Syluest. *verbo appellatio. quæst.* 12. Tabien. *ibi quæst.* 19. *n.* 2. D. Anton. 3. *p. tit.* 9. *c.* 14. *§.* 2. Speculator *tit. de appell. §. nunc dicamus, num.* 8. Lancel. *de attent. 2. par. c.* 12. *limit. 6. num.* 48. Iason. *l. præses. n. 4. ff. de sentent. & re iudic.* Nauarr. *lib. 2. consil. tit. de appellat. in antiquis, consil. 4. num.* 2. Baptista *praxi iudic. §.* 31. *cap. 2. limit. 2. num.* 8. *fine.* Decius *cap. de priore, num. 4. de appellat.* Innoc. *c. dilectus, 2. de rescript.* Bald. Angel. Cardin. quos *ibi* refert Decius, Dicunt tamen, & benè Syluest. Tab. D. Anton. *ibi*, quòd potest vti cautela verborum, dicendo, admitto, si, & in quantum de iure teneor. Quæ verò sit vis horum verborum, dixi *supra num.* 38. Limitat tamen optimè Beroïus *c. super eo, de appellat. num.* 2. quòd appellatio in dubio sit admittenda, quando sumus in casu quo appellatio regulariter esset permissa; tunc enim appellans habet fundatam suam intentionem; secus quando essemus in materia, in qua regulariter appellatio esset prohibita, & de iure non admitteretur; quia denegans appellationem haberet fundatam intentionem, ex quo haberet regulam pro se, vt est in casu, in quo ab interlocutoria vellet quis de iure ciuili appellare.

44 Tandem nota, quòd quando dubitatur an appellatio sit deserta, pronunciari debet in dubio non esse desertam; quia hoc est minus præiudiciale. Sic Decius *c. de priore, de appellat. num.* 5. Paulus de Castro *l.* 1. *per illum textum, ff. si quis caut.* & *ibi* Alexand. & Iason. Felinus *cap. significauerunt, de testibus.* Maranta *pract. 6. titul. & quandoque appellatur. num.* 408. Decius *l. quoties, ff. de reg. iuris.*

45 Tertia difficultas, quæ sint de essentia appellationis, ita vt eis deficientibus, appellatio sit nulla.

46 Primò dico, quòd de essentia appellationis, vt sit valida, sunt quinque.

Primum est, vt interponatur à legitima persona. Sic Lancellotus alios referens, *de attent. 2. part. cap.* 12. *limit.* 50. *à num.* 14. *vsque ad* 19. dicit minus legitimam personam esse, quæ non potest stare in iudicio. Hi sunt seruus, filius familias, furiosus, monachus, & is, cui denegata est audientia tam in agendo, quàm in excipiendo,

Universidad de Deusto
Biblioteca



& se defendendo ; & *num.* 20. 21. 22. dicit idem quando fuit interposita per procuratorem reuocatum, vel qui non habebat mandatum, vel minus sufficiens ; & *numero* 32. probat non requiri mandatum speciale, sed sat esse generale ad lites. An verò excommunicatus sit legitima persona ad appellandum, vide *suprà in hoc eodem dubio num.* 12.

47 Secundò est de essentia appellationis, vt valeat, vt interponatur intra debitum tempus, scilicet iure concessum ad appellandum. Sic multos referens Lancel. *proximè citatus*, *num.* 36. 37. 38. & referam multos *infra* disputando de hoc termino.

48 Tertiò est de essentia appellationis, vt proponatur coram legitimo iudice, Lancell. *ibi numero* 184. & alios referam *infrà*, disputando de hoc iudice quis debeat esse.

49 Quartò est de essentia, vt appellatio fiat ad legitimum iudicem. Lancell. *ibi num.* 212. & alios referam *infrà* agens de hoc.

50 Vltimò est de essentia, vt seruetur debita forma in appellatione, vt quòd fiat in scriptis, & aliquando cum expressione causæ: de quo latè *infrà* disputabo.

51 Secundò dico, quòd, vt refert Neuo *vbi infrà*, alij dicunt esse de substantia appellationis, vt contineat nomen appellantis, & iudicis à quo, & ad quem, & aduersarij, & sententiæ, à qua appellatur : & hoc tenent de nomine iudicis à quo, & aduersarij, à qua sententia, Sylueſter *verbo appellatio*, *quæſt.* 6. §. 8. Tabien. *ibi*, *quæſt.* 15. §. 17. 18. D. Anton. 3. *part. tit.* 9. *cap.* 14. *num.* 1. At hoc reprobat Neuo *rubr. de appellatione à numero* 26. probans hæc non esse de essentia, sed sat esse, vt constet ex circumstantiis super quo appelletur, & quis, à quo, & ad quem, & contra quem appelleț ; sat enim est vno verbo appellare, dicendo, Appello, vt *infrà* latiùs. Et quòd non sit de substantia explicare nomen aduersarij, tenet etiam Lancell. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *limit.* 50. *num.* 190. & 191. dicit cum aliis non esse inualidam, licèt falsum nomen aduersarij exprimeretur. Nec est inualida, si appelletur à sententia lata, verbi gratia, die decimo mensis, cùm tamen lata fuerit die vndecimo ; quia falsa hæc demonstratio non vitiat appellationem. Sic Neuo *rubr. de appell. n.* 33. Bald. *l. etiam, Cod. de falsſ. cauſ. adim. legat.*

52 Nota quòd alij dicunt esse de substantia appellationis, vt in ea petantur apostoli, id est, literæ dimissoriæ, seu testimoniales appellationis. Sic Maranta alios referens, *practica* 6. *part. tit.* & *quandoque appellatur*, *numero* 131. Lancell. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *limit.* 50. *numero* 102. & alij, vt refert Sylueſter *verbo appellatio*, *quæſtione* 6. Sed dicendum est non esse de essentia appellationis ; quia possunt peti intra triginta dies à die latæ sententiæ, vt dicemus *infrà*. Et tamen appellatio interim proposita, scilicet intra decem dies, valida erit: hoc tamen est verum, quòd si postea debito termino non petantur apostoli, manebit appellatio deserta, vt dicam *infrà*. Sic Sylueſt. *ibi*, & D. Anton. 3. *parte titulo* 9. *cap.* 14 §. 1.

53 Quarta difficultas circa secundum requisitum, vt appellatio valeat, scilicet, vt proponatur appellatio intra debitum tempus, quale tempus sit hoc, & quomodo computetur.

54 Nota, quòd triplex est tempus. Primum est ad proponendam appellationem : & hoc est de substantia appellationis, si enim transactum sit tempus, intra quod debet proponi, appellatio postea proposita est nulla, vt statim dicam. Secundum tempus est ad prosequendam appellationem. Tertium tempus est ad petendum apostolos ; & hæc duo tempora seruari non est de substantia appellationis, vt proximè dicebam ; quia si appellatio à principio fuit bene proposita, iam fuit valida, & sic non potest non esse valida ex futuro euentu ; quia scilicet postea non fuit prosecuta tempore debito, vel non sunt petiti apostoli. De his ergo temporibus seorsum agendum est.

55 Dubitatur ergo, quod tempus sit ad proponendam appellationem iure statutum, & quando incipiat currere. Sit

56 Prima conclusio. Iure antiquo communi ; & Regni Hispaniæ sunt decem dies tempus, intra quod debet proponi appellatio, *authent. hodie*, *C. de appellat. l.* 22. *tit.* 23. *parte* 3. at iure nouiori Hispaniæ tantùm sunt quinque dies, *l.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *nouæ recopil.* iure autem canonico sunt decem dies, siue appelletur à diffinitiua, vel interlocutoria, vel quocumque grauamine, vel actu extrauiudiciali, *cap. concertationi*, & *cap. non solum*, *de appellat. in* 6. *cap. cum dilectus*, *fine*, *de elect. cap. significauerunt*, *de testibus*, *cap. anteriorum*, 2. *quæſt.* 6. *quod ad conſultandum*, *de sentent. & re iudic.* Et ita tenent omnes, præcipuè Maranta alios referens, *practica* 6. *p. tit.* & *quandoque appellatur*, *num.* 213. Vnde vt benè Azebedo *lib.* 4. *recopil. tit.* 18. *l.* 1. *num.* 47. in tribunali Ecclesiastico seruabitur ius canonicum constituens decem dies ad appellandum, in foro verò sæculari in Hispania ius regium.

57 Hinc infertur quosdam ( vt refert Neuo *infrà* ) malè dicere hunc terminum decem dierum tantùm habere in locum in appellatione iudiciali, secus in extrauiudiciali : sed est hoc contra *cap. concertationi*, *de appellat. in* 6. & vltra Doctores citatos, quòd procedat etiam in extrauiudiciali, tenent Specul. *tit. de appellat.* §. *restat*, *numero* 1. Neuo *cap. bonæ*, *de appellat. numero* 48. & *ibi* Panorm. *num.* 10. Francus *ibi num.* 19. Lancellot. *de attent.* 2. *parte c.* 12. *limitat.* 50. *num.* 137. 138. At post decem dies licèt appellatio extraiudicialis non audiatur, at potest audiri per viam querelæ, cùm extrauidicialia non transeant in rem iudicatam. Neuo, Panorm. & Francus *ibi*.

58 An verò procedat in sententiis censurarum, & in aliis, quæ non transeunt in rem iudicatam, & in sententiis latis sub conditione, dicam *infrà sub hoc eodem dubio*.

59 Amplia primò conclusionem, vt procedat in eo, qui ratione minoris ætatis, vel alia ratione restitutus est ad appellandum ; tenetur enim intra decem dies appellare. Sic Lancell. *proximè citatus*, *limit.* 5. *num.* 109. & *num.* 110. dicit etiam procedere in appellatione à sententia arbitri.

60 Secundò amplia, vt etiam appellatio quæ fit coram honestis personis, eo quòd non est copia iudicis, debeat etiam fieri intra decem dies ; quia succedit loco legitimæ appellationis. Sic Lancell. referens Francum *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 47.

61 Tertiò amplia, quòd si quis sine mandato appellauit alieno nomine, debet illam appellationem facere ratificari à domino litis infra decem dies computandos à die, quo sciuit latam esse sententiam contra se : & elapsis decem diebus non posset ratificare, sed sententia transiret in rem iudicatam. Ratio, quia ratificatio debet fieri intra tempus habile, *lege bonorum*, *ff. rem ratam hab.* Sic D. Anton. 3. *part. tit* 9. *cap.* 14. §. 1. Lancell. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *num.* 53. 54. Maranta *practica* 6. *part. tit.* & *quandoque appellatur*, *num.* 118. Corneus, & Specul. quos *ibi* refert & notat, quod Speculator dicit, debere ratificare infra decem dies à tempore, quo sciuit appellatum, & non dicit à tempore scientiæ latæ sententiæ. Sed dicit *ibi* Maranta, quòd pura veritas est currere à tempore, quo sciuit sententiam esse latam, quia ex illo tempore currunt sibi decem dies ad appellandum.

62 Quartò amplia, quòd licèt iudex appellationi friuolæ deferens abdicet à se omnem iurisdictionem, & sic suspendatur sententia, vt dixi *suprà*, at hoc fallit, quando appellatio esset ex eo nulla, quia non esset interposita intra decem dies, qui dantur ad appellandum.





Lancel. *de attent.* 2. *p. c.* 12. *limit.* 6. *num.* 42.

63 Limita tamen conclusionem, nisi grauamen illarum haberet tractum successiuum : quia tunc semper potest appellari, quandiu durat grauamen, etiam post decem dies, vt si quis detineatur in carcere, potest semper appellare à detentione ; quia semper grauatur. Sic Ioan. Andr. Bald. Specul. Francus, Paris, quos refert, & sequitur Maranta *practica* 6. *p. tit.* & *quandoque appellatur*, *n.* 26. Lancell. *de attent.* 2. *p. c.* 12. *limit.* 50. *n.* 131. 132. Quod tamen intellige, nisi iudex tulisset sententiam interlocutoriam, quòd ille esset carcerandus, tunc enim debet appellare infra decem dies à die prolationis interlocutoriæ, aliàs transiret in rem iudicatam. Sic Francus, & Maranta *ibi*, Lancel. *ibi n.* 134.

64 Hinc fit, quòd si non appellerut à sententia infrà decem dies, manet firma, & transit in rem iudicatam. Sic habetur *Clement. si appellationem*, *de appellat.* & *l.* 2. *fine*, & *l.* 22. *tit.* 23. *p.* 3.

65 Nota tamen, quòd licèt appellatio interposita post decem dies, vel aliàs omissa forma necessaria, sit nulla, si tamen iudex ad quem inhibuisset, gesta per iudicem à quo post latam inhibitionem essent inualida, & tanquam attentata reuocanda. Sic Lancel. multos referens, *de attent.* 2. *p. c.* 12. *limit.* 50. *n.* 128. 129. 130. licèt alij, quos *ibi* refert, teneant oppositum.

66 Secunda conclusio. Hi dies non computantur naturaliter, sed de momento ad momentum. Explico conclusionem : naturaliter computarentur, quando pars diei, in qua lata est sententia, vel notificata, computaretur pro die ; & sic si fuit die lunæ hora vndecima, die Mercurij complerentur decem dies : at non sic computantur ; sed à momento, quo lata est : aut secundùm alios, vt statim dicam, notificata est sententia, incipiunt currere decem dies, ita vt quælibet dies habeat viginti quatuor horas, vt benè explicat Antonius Gomez *l.* 70. *Tauri*, *n.* 25. & sic lata est, seu promulgata patri sententia die lunæ hora vndecima, complebuntur decem dies die Iouis hora vndecima. Probatur, quia, vt docet Anton. Gomez *ibi*, regulariter tempus incipiens ab aliqua die determinata, computatur de momento in momentum. Et ad hanc materiam in quibuscumque casibus occurrentibus, an tempus currat de momento ad momentum, vel potiùs dies ex quo terminus statuitur, non computetur in termino, est latè videndus Tiraquel. *de retractu lignagier*, §. 1. *gloſſ.* 11. *num.* 17. per plures. Et in propriis terminis docent hanc conclusionem Lancel. *de attent.* 2. *p. c.* 12. *limit.* 50. *num.* 40. 41. 42. 47. alios referens, Felin. *cap. quoad conſultationem*, *de sentent. & re iudic. n.* 37. Bartol. *authent. de appellat. in princ.* Gregor. Lopez *l.* 22. *tit.* 23. *p.* 3. *verſic. dies*, Gloſſ. *c. concertationi*, *verſic. sciuerit. de appell. in* 6. Azebed. *lib.* 4. *recopil. tit.* 18. *l.* 1. *n.* 48. Specul. *tit. de appell.* §. *reſtat*, *n.* 3. Præpos. *c. ex ratione*, *de appell. n.* 1. Perez *lib.* 3. *ordin. tit.* 16. *l.* 1. *verſic. cinco dias*. Maranta *pract.* 6 *p. tit.* & *quandoque appellatur*, *num.* 214 216. Glos. & Bart. *l.* 1. §. *dies ff. quando appellandum*.

67 Hinc fit, quòd dies feriati computantur in hoc termino, cùm sit continuum hoc tempus. Sic habetur *l.* 24. *tit.* 23. *p.* 3. & docet Azebed. *lib.* 4. *recopil. titul.* 17. *l.* 2. *num.* 25.

68 Duplex tamen circa hunc terminum decem dierum est difficultas : altera est, à quo die incipiat currere, scilicet an à die latæ sententiæ, vel à die scientiæ.

Duplex est sententia.

69 Prima ait incipere à die prolatæ sententiæ. Probatur ex *c. anteriorum* 2. *quæſt.* 6. & *l.* 2. *tit.* 23. *p.* 3. cui consonat *authent. hodie. C. de appellat.* vbi dicitur currere à die sententiæ. Sic tenent Lancel. *de attent.* 2. *p. c.* 12. *limit.* 50. *num.* 43. & *num.* 47. vbi alios refert, & *cap.* 11. *initio*, *num.* 6. vbi refert Milis, & decisionem Tolosanam. Idem Rota *decis.* 313. *in antiquis*, Sylueſt. *verbo appellatio*, *quæſt.* 1. D. Ant. 3. *p. tit.* 9. *c.* 14. §. 1. Angel. *verbo appellat. n.* 1. Tabien. *ibi quæſt.* 3. *n.* 4. Couar. *c. alma mater* 1. *p.* §. 10. *num.* 4.

70 Secunda sententia multo probabilior dicit currere à die scientiæ, scilicet postquam peruenit ad notitiam partis. Ratio, quia hic terminus datur ad deliberandum ; an velit reus stare sententiæ, vel appellare ; at ignorans non potest deliberare. Probatur etiam ex iis, quæ in simili habes *infrà cap.* 1. *de teſtamentis*, *dubio* 51. Sic tenent Gloſſa *cap. anteriorum*, 2. *quæſtion.* 6. *verſic. à recitatione*, & *cap. concertationi*, *de appellat. in* 6. *verſic. sciuerit*, & *authent. hodie*, *C. de appellat.* Cardin. Clement. 1. *de dolo*, & *contum. numero* 4. Anan. *c. quo ad conſultationem*, *de sentent. & re iudic. num.* 2. vbi Immol. & Felin. *num.* 22. Perez *lib.* 3. *ordin. tit.* 16. *l.* 1. *verſic. cinco dias*, Azebed. *lib.* 4. *recopil. tit.* 18. *l.* 1. *num.* 52. & habetur expresè *l.* 2. *fine. tit.* 23. *part.* 3. & *ibi* Gregor. Lopez *verſic. superiore*, Gofredus *tit. de appellat. num.* 14. Bertachinus alios allegans *in suo repertorio*, *verbo terminus ad appellandum*. Bartol. *authent. hodie*, *Cod. de appellat.* Francus *cap. bonæ*, *num.* 20. *de appellat.* vbi & addit, quòd in dubio præsumitur interposita appellatio intra decem dies. Maranta *pract.* 6. *parte tit.* & *quandoque appellatur*, *num.* 215. Speculator *titul. de appell.* §. *reſtat. num.* 1.

71 Immo non sat est quæcumque scientia, vt terminus incipiat currere, sed est necessaria notificatio. Sic Azebed. *proximè citatus*, & latiùs multos referens *lib.* 4. *recopil. tit.* 7. *l.* 2. *n.* 34. & 35.

72 Nota quòd hic terminus non currit impedito, vt dixi *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 53. *num.* 7. & patet ex iis, quæ dicam *c.* 1. *de Teſtamentis*, *dub.* 51. & docent Maranta, Sylueſt. D. Anton. Specul. *num.* 2. vbi eos retuli *num.* 70. Idem Gloſſ. *c. anteriorum*, 2. *quæſt.* 6. *verſic. recitatione*, & communis.

73 An verò tunc requiratur protestatio de impedimento, dicam *infrà*.

74 Altera difficultas est, an terminus hic decem dierum possit ex partium consensu, vel per iudicem augeri, vel minui. Primò ergo disputamus de consensu partium.

75 Dico ergo, quòd de consensu partium potest hic terminus breuiari : patet, quia partes pacto possunt in totum tollere tempus decem dierum, & quòd infrà nullum tempus appellare liceat, *l. finali*, *in fine*, *C. de tempor. appell.* ergo & consequenter magis restringere poterunt ; quia cui licet quod plus est, licet quod minus est, *c. cui licet*, *de reg. iuris*, *in* 6. & docet Beroius *c. cum sit Romana*, *de appell. num.* 63.

76 Sed maior difficultas est, an partes possint communi consensu prorogare hunc terminum decem dierum ; communis enim sententia negat posse, quia non possunt facere, quòd iurisdictio deuoluatur ad non habentem eam, *l. priuatorum*, *C. de iurisdict. omn. iud.* Sed prorogando vltra terminum facerent, quòd iudex appellationis haberet iurisdictionem, quam iure non haber, nisi appelletur intra decem dies ; ergo. Secundò ; quia partes nequeunt facere, quin sententia lata transeat in rem iudicatam post decem dies : & sic *Clement. si appellationem*, *de appellatione*. dicitur, quòd licèt post hunc terminum vtraque pars scienter procedat in appellatione, non valebit sententia data etiam vtraque parte consentiente. Sic tenent Bald. *authent. hodie*, *C. de appellat.* & *authent. ei*, *qui*, *C. de tempor. appellat.* Lanc. *de attent.* 2. *p. c.* 11. *initio*, *num.* 2. 3. Gregor. Lopez *l.* 22. *tit.* 23. *part.* 3. *verſic. diez*, Maranta *practica* 6. *parte tit.* & *quando appellatur*, *num.* 241. Panorm. *conſil.* 77. *volum.* 2. Gloſſ. *authent. offeratur*, *C. de litis conteſtat.* Francus *cap. ex ratione*, *de appellat.* Cardin. *Clement. quandiu*, *de appellat. quæſt.* 5. & *ibi* Paulus, & Immola, Ant. *c. licèt cauſam*, *de probat.* Felin. *c. penult. de iudic. verſic. secunda declaratio.*

77 Alij verò dicunt posse suspendi cursum huius

Universidad de Deusto
Biblioteca



temporis per partium consensum, non verò prorogari. Differentiam verò inter suspendi, & prorogari assignat Beroïus *cap. cùm sit Romana, de appellat. n.* 53. quòd suspendi dicitur, quando lis non agitur: prorogari verò, cùm datur maior terminus ad appellandum, non cessante, sed prosecuta interim lite. Sic tenent Azebedo *lib. 4. recopil. tit. 18. l. 1. num. 52.* Gutierr. *de iuramento confirmat. 3. p. c. 5. num. 15.* Perez *lib. 3. ordin. tit. 1. l. 4. fol. 446. ante § ampliatur 6.*

78 At satis probabiliter Beroïus *cap. cùm sit Romana, de appellat. à num. 64.* per plures defendit posse partes communi consensu expresso hoc tempus decem dierum ad appellandum prorogare: & in hoc magis inclinat Neuo *ibi num. 18.* dicit enim se multum dubitare de prima sententia. Et probat Beroïus, quia hoc tempus fuit introductum in fauorem partium; ergo huic suo fauori possunt suo consensu renunciare: & probat aliis rationibus; &

Ad primum oppositæ sententiæ respondet: quia in hoc casu non deuoluitur iurisdictio in non habentem, sed in habentem ordinariam, & licèt partium consensu non possit iurisdictio de nouo dari, potest tamen prorogare in eum, qui aliàs iurisdictionem ordinariam habet; & probat *ibi*.

Ad secundum respondet, quòd ille textus tantùm probat, quòd si sententia transiit iam in rem iudicatam ob lapsum termini ad appellandum, partes paciſci nequeunt quòd hoc non obstante valeat secunda sententia; & hoc ex vi sententiæ, vi tamen pacti bene possent facere, vt valeret: at possunt paciſci, antequam labatur terminus, & sic sententia transeat in rem iudicatam, vt protrahatur terminus.

79 Sed quid dicendum de iudice, an possit breuiare, vel prolongare hunc terminum decem dierum ad appellandum. De iudice ad quem constat id non posse, quia idem dicemus *infrà* de termino ad prosequendum appellationem. Item quia ante appellationem interpositam nondum est iudex causæ. Sic Beroïus *cap. cùm sit Romana, de appellat. n.* 70.

80 Difficultas ergo est de iudice à quo.

Primò dico, quòd non potest hoc tempus prorogare; quia hoc fuit introductum in fauorem partium, nec respicit iudicis officium. Sic Beroïus *consil.* 70. latiùs probans Francus *cap. cùm sit Romana, num.* 7. & 8. *de appellat.* Neuo *ibi*, 19. Glossa *num. ibi vers. rescissius & ibi* Decius, Maranta, *practica 6. p. tit. & quandoque appellatur, n.* 241. Lancel. *de attent. 2. p. c. 11. initio, n.* 2. 3. & communis.

81 Secundò dico, quòd iudex non potest minuere hoc tempus. Probatur eadem ratione: & tenent Francus, Lancel. Glossa, Maranta citati *dubio præcedenti.* Sed Panor. *eo c. cùm sit Romana, n.* 13. hoc limitat, nisi ex magna causa, scilicet scandalo, vel ex alia vtilitate publica; & Neuo *ibi n.* 21. dicit fortè hoc posse sustineri, & Beroius *eo n.* 70. licèt principio hoc reprobet, in fine concludit posse sic limitari.

82 Tandem nota, quòd terminus decem dierum ad appellandum procedit, etiam si pendente hoc termino fuerit factum compromissum intet partes super lite: licèt stante hoc compromisso tempus prosequendi appellationem non currat appellanti, *Clementin. quandiu, de appellat.* Sic Lancel. *de attent. 2. p. c. 12. limit. 50. numero 76.*

83 Quinta difficultas, quod tempus sit iure concessum ad prosequendum appellationem.

84 Sit conclusio. Iure ciuili dantur duo menses ad prosequendum appellationem; aliàs sententia transit in rem iudicatum, *authent. de indic. §. appellationes, collat. 7. & l. 1. C. de tempor. appellat.* idem iure Regio antiquo Hispaniæ *l. 23. tit. 23. p. 3.* At in noua *recopil. lib. 4. tit. 18. l. 2. & 3.* assignantur quadraginta dies, si est vltra portus; & quindecim, si est intra. At iure canonico sic definitur *cap. cùm sit Romana, de appellat.* datur vnus annus ad prosequendum appellationem, & ex causa necessaria, & euidenti biennium; at potest iudex à quo appellatum fuit, secundùm locorum distantiam, & personarum, & negotij qualitatem tempus hoc moderari; & si intra tale tempus appellans non est prosequtus appellationem, si appellatum fuit à sententia, transit ea in rem iudicatam: si verò ante sententiam lite incepta, tenetur stare iudicio, ac si non appellasset; si verò sit à grauamine ante litis ingressum, audietur appellatio. Hæc ad pedem literæ *dicto cap. cùm sit Romana, & Clement. sicut de appellat.* Explicatur quòd hoc tempus non tantùm est ad prosequendam appellationem, sed etiam ad finiendum; aliàs transeat sententia in rem iudicatam. Et quando incipiat hoc tempus, vide Glossam, & Doctores *dicta Clement. sicut*, & Doctores *dicto c. cùm sit Romana*, maximè Beroium *ibi, n.* 26. 27. Et dixi aliquid *suprà hoc eod. dubio.* Et an impedito intra biennium detur tertius annus, vide Glossam, & Doctores *dicto cap. cùm sit Romana*, & maximè Beroium *ibi, num.* 46. Et quando aliquis bis appellat, vt statim viua voce, & pòst in scriptis, tempus prosequendi appellationem currit ab ea appellatione, quæ valida fuit; quia alia est frustrà. Sic Azebed. 46. *lib. 4. recopil. tit.* 18. *l.* 2. *num.* 22. 23. Maranta *practica 6. p. tit. & quandoque appellatur, num.* 144. In quantum verò dicitur *dicto c. cùm sit Romana*, quòd si appellatio sit à grauamine ante litis ingressum, audietur transacto tempore, Glossa *ibi*, & Panorm. intelligunt de appellatione extraiudiciali, vt in electionibus. Et Panorm. *ibi n.* 20. dicit, quòd non audietur per viam appellationis, sed per viam querelæ; quia extraiudicialia non transeunt in rem iudicatam. Vide *ibi* Beroium *à num.* 74.

85 Quid verò possit iudex circa hoc tempus, an scilicet possit prolongare, vel minuere. Sit

86 Prima conclusio. Non potest iudex ad quem abreuiare, vel prolongare terminum ad prosequendum appellationem, datum à iudice à quo, nisi subsit periculum animæ. Sic Specul. quem refert, ac sequitur Neuo *c. personas, de appellat. n.* 47. Panorm. *c. cùm sit Romana, eod. tit. n.* 17.

87 Nota tamen, quòd iudex ad quem solet parti mandare, vt intra certum tempus coram eo trahat processum, & tunc si intra illum terminum non trahat, manet appellatio deserta. Sic Azebedo *lib. 4. recop. tit.* 18. *l.* 2. *n.* 13. Auendaño *resp. 2. n.* 4.

88 Secunda conclusio. Iudex à quo potest tempus hoc moderari secundùm locorum distantiam, & personarum, & negotij qualitatem. Sic habetur expresse *c. cùm sit Romana, de appellat.*

89 Nota primò, quòd si iudex malè arbitraretur in restringendo, vel in ampliando iuris terminum, potest appellari; quia in commissis iudicis arbitrio potest appellari, si iudex malè arbitretur, vt notat Glossa *cap. super his, de accusat.* & Bart. *l. si qua pœna. ff. de verb. sig. nisi.* Sic Panorm. *c. cùm sit Romana, de appellat. n.* 15. Innoc. *c. ad petitionem, de accusat.* D. Ant. *3. p tit 9. c. 14. §. 1.* Sylu. *verbo, appellat. quæst. 3.*

90 Secundò nota, quòd iudex non tenetur præfigere, ac restringere hoc tempus. Ratio, quia à iure est prouisum de tempore; potest tamen, vt occurrat malitiæ eorum, qui causa prorogandi litem appellant. Sic Beroius *c. cùm sit Romana, de appellat. n.* 25.

91 Tertiò nota, quòd postquam semel præfixit tempus non potest illud longius, vel breuius facere, quia pendente temporis dilatione eius officium conquieſcit. *l. siue pars C. de dilat.* ac semel abbreuiando functus est officio suo. Sic Beroius *eodem num.* 25. Panorm. *cap. personas, de appellat.* Immola *cap. ex insinuatione, eod. tit.*

92 Quartò nota, quòd aliqui dicunt, quòd iudex assignando terminum, videtur tacitè appellationi deferre: nam qui vult consequens, videtur quoque velle antecedens: at appellario est præambulum necessarium ad talem terminum: ergo. Probo maiorem ex §. *Instit. ex quibus causis mai.* Sic Azebedo *lib. 4. recop. tit.* 18. *l.* 2. *num.* 5.

93 Sed contrarium latè probat Glossa *cap. cùm appellationibus, de appellat. in 6. ver sic. remittenda. & ibi* Archid. Ioann. Ande Rota, Specul. quos refert. & sequitur *ibi* Francus § *si verò, num.* 8. & *ibi* Dominicus, & Beroius *c. cùm sit Romana, de appellat. num.* 18. addens hoc intelligi, quando iudex incepit à non admissione appellationis, licèt enim postea præfigat terminum, non censetur appellationi deferre, quia expressum facit tacitum, *l. cum filio. ff. de vulg.* secus si prius à termini præfixione cœpisset.

94 Quintò nota esse graue dubium, an si iudex non detulit appellationi, possit adhuc terminum præfigere, quidam enim dicunt posse. Sic alios referens, & latè probans Neuo *cap. cùm sit Romana, de appellat. à num. 6. vsque ad* 9. Felin. & Peruf. *cap. personas, de appellat.* Dominic. allegans Specul. *cap. cùm appellationibus, de appellat. in 6. ibi* Ioan. Andr. Francus *ibi* § *si verò, num.* 8. & *ibi* Anchar. Et saltem quando nec refert, nec negat, tenet idem Decius *d. cap. cùm sit Romana, num.* 6. & cum Decio tenet Azebedo *lib. 4. recop. tit. 18. l. 2. n.* 5. Alij verò tenent non posse. Sic Beroius latè probans *dicto c. cùm sit Romana, à num. 16. vsque ad 18. & ibi* Panorm. Innoc. *cap. finali, de accusat.* Roman. *singulari* 165. Villalobos *in commun. opin. litera A,* 207. & est communis secundùm Decium *supra.* Dicit tamen Beroius *n.* 16. hanc sententiam esse intelligendam in appellatione, ante sententiam diffinitiuam, non autem in illa; quæ sit à diffinitiua. Ratio, quia appellatio à diffinitiua non requirit delationem iudicis; secus de appellatione ab interlocutoria; si huic enim non defert iudex, potest vltrà procedere, vt dixi *suprà*, & sic quoad iudicem habetur pro non appellante.

95 Sextò nota, quòd Perez *lib. 3. ordinam. tit. 16. l. 2. initio*, referens Rotæ decisionem, dicit, quòd iudex etiam deferens appellationi, debet statim terminum præfigere appellanti, nec id potest ex interuallo, quia per delationem appellationis videtur totum negotium deuolutum ad iudicem ad quem. At dicendum est posse etiam ex interuallo, nam quoad præfigendum hunc terminum non censentur ligatæ manus iudicis à quo, etiam pendente appellatione, vt benè Maranta *practica 6. part. tit. & quandoque appellatur, num.* 105. & vt *suprà* dixi, potest tendentibus ad faciliorem appellationis exitum, quale est hoc. Probatur etiam ex *cap. 1. de appell. in 6. ver. so. post hæc*, vbi probatur, quòd iudex potest præfigere terminum ad prosequendum appellationem post traditionem Apostolorum, sed Apostoli possunt tradi post appellationem vsque ad triginta dies: ergo. Sic dicens communem Decius *cap. cùm sit Romana, de appell. in 6.* & *ibi* Neuo *num* 6. 7. 8. & meliùs *cap. personas eod. tit. n.* 24. Azebedo *lib. 4. recop. tit. 18. l. 2. num. 6.* Villalobos *in commun. opin. litera A, num.* 205. Milis, & Rota, vt refert, & sequitur Lancel. *de attent. 2. part. cap.* 12. *limit.* 2. *num.* 87.

96 Septimò nota esse graue dubium, an terminus assignatus à iudice sit ad finiendam intra illum appellationem, vel tantùm ad prosequendam: aliqui enim (vt refert Gloss. *cap. cùm sit Romana, de appellat. vers. rescissius*) dicunt posse etiam signare ad finiendam appellationem, quantum est in se; sed si remaneret per iudicem, non est ei imputandum. Et hoc fortiter defendit *ibi* Beroius *num.* 13. & 24. nec hoc est, inquit, legem imponere iudici ad quem, qui est superior: nam duplex est finis, vnus qui ad iudicem, scilicet definire, & iudicare: alter verò, qui ad appellantem, scilicet causam appellationis instituere formando processum, probando, allegando in iure, & in facto, qui solet durare vsque ad conclusionem causæ, & de hoc fine intelligitur hic terminus. Probat Beroius, quia tempus iudicis restrictiùs succedit loco termini iuris, & pro eo subrogatur *dicto cap. cùm sit Romana*; ergo debet intelligi secundùm naturam temporis subrogati. Vnde dicit quòd præfixio termini facta à iudice appellanti, nisi expresse declaret præfigi ad prosequendam appellationem, intelligi vt tempus iuris, scilicet etiam ad finiendum.

97 At communis sententia est, quòd in hoc differant præfixio termini ab homine, & à iure, quòd terminus iuris, scilicet annus, & ex iusto impedimento biennium sit ad prosequendum, & finiendum appellationem, vt patet ex *Clementin. sicut, de appellat.* at tertiuinus ab homine positus sit tantùm ad prosequendum, nec possit imponere terminum ad finiendum, & probatur ex *cap. ex insinuatione, de appellat.* vbi dicitur, quòd præfixio termini facta per iudicem à quo, non afficit iudicem ad quem: quia hoc esset legem imponere superiori. Sic tenet Glossa *dicto cap. cùm sit Romana, vers. rescissius, & ibi* Neuo *num* 5. Panorm. *ibi num.* 11. 12. Decius *cap. personas, num.* 11. *eodem tit.* dicens communem, Maranta alios referens *practica, 6. part. & quandoque appellatur, num.* 205. Villalobos *in commun. opinion. litera A, num.* 203. Azebedo *lib. 4. recopil. tit. 18. l. 2. numero* 8. 9. & est communis.

98 Sed dubitabis, quid teneatur facere appellans intra terminum à iudice præfixum, ne lapsu termini appellatio maneat deserta. Breuiter dic, quòd diuersimodè assignatur hic terminus; primo modo ad iter arripiendum, vt *cap. peruenit, de appellat.* & hoc casu constat sat esse iter arripere. Secundo modo ad se præsentandum coram iudice ad quem: & tunc non sat est iter arripere, sed se præsentare. Tertio modo ad prosequendum appellationem, & de hoc loquitur *cap. cùm causa de sentent. & re iudic.* & hoc casu sat est iter arripere pro prosequenda appellatione (licèt vltimo die termini iter arripiat; secundum Speculatorem, & Neuo *ibi*) licèt alij dicant teneri se præsentare in eo termino, quod etiè verum quando iudex ad quem est in eodem loco, vbi terminus assignatur. Quarto modo statuitur terminus appellanti ad præsentandum se coram iudice ad quem, & ad redeundum cum literis impetratis, seu testimonio appellationis: & talem terminum assignare non potest iudex à quo, quia hoc esset imponere legem superiori, vt si iudex ad quem det literas omnino præfixo à iudice à quo; sed talis terminus valebit, vt teneatur intra illum se præsentare, & vltrà non ligat: præsentare, inquam, coram iudice ad quem, vt docet Panormit. *capite ex insinuatione, de appellat.* Hæc docent referentes Speculat. & alios, Neuo *capite personas, de appellat. à numero vigesimo secundo vsque ad* 38. & *ibi* Panormitanus *numero* 8. 9. 10. 11.

99 Octauò nota, quid possint partes communi consensu facere circa hunc terminum prosequendi appellationem, an scilicet possint illum prolongare, vel breuiare.

100 Hac in re constat primò apud omnes Doctores citandos; quòd partes communi consensu possunt sibi breuiare tempus prosequendi appellationem à iure, vel homine præfixum, vt patet ex *cap. personas, de appellat.*

101 Secundò constat, quòd possunt suspendere hoc tempus: vnde non currit hoc tempus durante compromisso inter partes facto, vel aliàs eis expresse consentientibus, vt habetur expresse *Clement. quandiu, de appell.*

102 Limita de compromisso, quando est factum in arbitros, secus si in arbitratores, sic Maranta *pract. 6. part. tit. & quandoque appellatur, num.* 242.

105 Nota, quòd dixi *de expresso consensu*; quia tacitus non sat esset, scilicet quòd partes ad domicilium re-

Universidad de Deusto
Biblioteca



deunt, vel longam peregrinationem attipiunt; quia textus dicit, *de expresso consensu*, & tenet *ibi* Glossa *vers. expresso*, & Neuo *cap. cùm sit Romana, de appell. num.* 18. & *ibi* Beroius *num.* 51. dicit fortè esse verum.

104 Secundò nota, quòd compromisso deserto, vel tempore, de quo conuenit, finito, non habebit appellans integrum tempus à iure, vel ab homine præfixum, sed quantum tempore compromissi supererat, dormit enim tunc temporis illius cursus. Sic Glossa *dicta Clem. quandiu, vers. currere.*

Duo tamen vertuntur in dubium.

105 Primum est, an partes possint breuiare talem terminum, non tantùm ad prosequendum appellationem, sed etiam ad finiendum. Panorm. *dicto cap. cùm sit Romana*, censet non posse ad finiendum; quia esset legem imponere superiori. At Beroius *ibi à num.* 14. dicit fortè contrarium esse verius, quia licèt non possit appellans restringere tempus iuris, quoad iudicem ad quem, vt is teneatur causam finire intra id tempus: at potest sibimet præfigere, vt ex parte sua teneatur intra illud tempus finire, quia si potest in totum renunciare appellationi etiam interpositæ, *l. finali, §. fin. Cod. de tempor. appell.* ergo etiam tempus anni datum à iure ad finiendam appellationem.

106 Alterum, quod vertitur in dubium, est, an partes possint non tantùm suspendere hoc tempus, sed etiam prorogare; quidam enim censent non posse, quia aliàs causæ ad longum tempus agitarentur magnis expensis, quod est contra publicam vtilitatem: secus quando suspenditur tempus, quia interim lis non agitur, sed dormit. Sic tenet dicens communem, ex multis confirmans, & referens Alexand. Baldum, Matthæum Beroius *cap. cùm sit Romana, de appell. num* 52. 53. Panorm. *cap. ex ratione, eodem tit.*

107 Contrarium tamen multos referens, latissimè probat, scilicet posse etiam prorogare, Maranta *pract. 6. part. tit. & quandoque appellatur a num.* 236. Perus. *dicto cap. cùm sit Romana*, & Decius *dicto cap. ex ratione*, & est satis probabilis vtraque sententia.

108 Nonò, principaliter nota, quòd transacto termino à iure, vel ab homine præfixo, si intra illum appellans non prosequutus fuerit appellationem, vel non finierit, quando tenebatur finire, transit sententia in rem iudicatam, vt habetur *dicto cap. cùm sit Romana*, & dixi *suprà hoc eodem dubio.*

109 Tria tamen vertuntur in dubium circa hoc. Primum est, an transacto primo anno possit iudex à quo exequi sententia, tanquam appellatione deserta, si non constat sibi aliter de impedimento. Doctores communiter, vt refert Maranta *vbi infrà*, dicunt quòd non; quia sententia non confirmatur, donec transeat biennium: & tenent Bartol. Bald. Francus, quos *ibi* refert Maranta. At verius est posse statim exequi, at citato appellante ad dicendum, quare sententia executioni mandari non debeat, quia posset pars citata probare impedimentum, & sic daretur sibi secundus annus. Probatur, quia ius non dat appellanti simpliciter secundum annum sed sub conditione, si est scilicet impeditus, *cap. cùm sit Romana, de appell.* Ergo si non apparet de impedimento, iudex habet fundatam suam intentionem ex lapsu primi anni. Sic Panorm. *cap. ex ratione, de appell.* & *ibi* Innoc. Anton. Immola, Angel. Alexand. & alij, quos refert, ac sequitur latissimè probans Maranta *pract. 9. part. titul. & quandoque appellatur à numero* 231. *vsque ad* 235.

110 Nota tamen, quòd lapso iam termino potest iudex à quo procedere ad executionem, quia habetur, ac si appellatum non esset, vt benè Maranta *ibi num.* 199. & si appellatio est deserta ex non prosecutione, quia scilicet numquam est aditus index ad quem, & nullus actus est factus coram eo, tunc non est opus, vt iudex à quo pronunciet appellationem esse desertam, sed pars appellata adeat iudicem à quo, vt sententiam exequatur, & si ille videt lapsum terminum iuris, vel hominis ad prosequendum, potest, si vult, exequi sine alia pronunciatione: & hoc est vtile, vt causa citiùs expediatur, ne detur materia vlteriùs appellandi ab ea pronunciatione; potest enim appellari, vt docet Francus *cap. ex ratione, de appell.* Angel. & Bald. quos Maranta *vbi infrà.* At etiam est vtile pronunciare desertam, vt pronunciet appellantem condemnando ad expensas, vt docet Panormit. *cap. sæpe, de appellat.* Hæc Maranta *ibi numero* 200. 201. & 203. dicit cum Franco *capite sæpe, de appellat.* quòd quando iudex à quo pronunciat sic appellationem desertam, non requiritur citatio partis; & *numero* 409. dicit non requiri; quòd opponatur de desertione, quia iudex potest ex officio etiam parte non opponente opponere, & pronunciare appellationem esse desertam: & citat Francum, Baldum, Speculat. Verùm si fuit aditus iudex ad quem, & fuit coram eo proposita appellatio; tunc ipse debet pronunciare super desertione. Sic Maranta *ibi num.* 200.

111 Secundum, quod vertitur in dubium, est, an sit necessaria aliqua protestatio de impedimento, quod quis habet ad non prosequendum, vel non definiendum appellationem intra annum, vt sic concedatur sibi biennium, Glossa *c. fin. de appell. vers. excusat*, & *ibi* Anchar. dicunt requiri.

112 At dicendum est, quòd si impedimentum proueniat ex facto iudicis, debet protestari, & similiter quando ex facto cuiuscunque tertij, vt aduersarij, vel legis municipalis: secus quando prouenit ex facto appellantis, vt ex causa infirmitatis, vel iustæ absentiæ, tunc enim tale impedimentum excusat absque protestatione. Sic Francus *c. final. de appell. numero* 13. & *ibi* Immola *numero* 3. & *ibi* Decius *num.* 21. Neuo *ibi numero* 25. 26. Maranta *pract. 6. part. tit. & quandoque appellatur, numero* 230. licèt (inquit) tutiùs sit semper protestari. Non dicunt tamen Maranta nec Neuo esse necessariam quando impedimentum prouenit ex facto tertij, qui non sit iudex; immo Maranta generaliter dicit non requiri, quando impedimentum non est ex parte iudicis, dicit non sat esse semel protestari, sed requiri pluries, & refert multos.

113 Hinc fit minus benè Bart. *l. 2. §. sed quod diximus, ff. si quis caut.* dicere requiri protestationem, quando impedimentum prouenit ex casu fortuito, vt ob aëris intemperiem, periculum maris, vel discrimina viarum: & sic contrarium docent Francus, & Immola *ibi*, limitat etiam *ibi* Francus non requiri protestationem, quando impedimentum prouenit ex parte appellantis, nisi causus, in quo debeat mittere procuratorem, juxta nota *c. querelam, de procurat.*

114 Tertium, quod dubitatur, est, an in causis beneficialibus, quando iudex à quo constituit terminum ad prosequendam appellationem, per lapsum termini transeat sententia in rem iudicatam, Lapus *Clement. 1. de appell.* affirmat. At contrarium tenet *ibi* Ancharan, quia in causis beneficialibus petit exceptionem dispositam *in cap. cùm sit Romana, de appell.* scilicet quòd iudex à quo potest restringere terminum iure concessum; in his enim non potest assignare alium terminum, quàm expressum *cap. 1. & cap. capientes, §. quòd si per viginti, de elect. in 6.* vt tenet etiam Glossa *eo §. quòd si per viginti, vers. quindecim*, & communis.

115 Dicendum tamen est, quòd si iudex assignat terminum breuiorem partibus assentientibus, vel præsentibus, & non contradicentibus, lapsu termini transit sententia in rem iudicatam. Ratio, quia vtraque pars consentiente, vel non contradicente; cùm possit potest iudex à quo talem terminum assignare; cùm enim in beneficialibus partes possint renunciare appellationi, *capite quamuis, de elect. in 6.* possunt etiam renunciare fauori suo, scilicet termino iuris. Si verò iuuitis partibus assignet, non transit in rem iudicatam; quia, nisi vtraque parte volente, id non potest, vt docet etiam bene Maranta *practica, 6. part. tit. & quandoque appellatur, n.* 415. Sic tenent *c. cùm sit Romana, de appell. in 1. n.* 31. 32. 33 & Francus *ibi n.* 16. vbi alios refert.



116 Nota primò, quòd licèt lapsu termini iure concessi *cap. 1. & cap. cupientes, §. quod si per viginti, de elect. in 6.* non transeat in beneficialibus sententia in rem iudicatam, ex quo *dicto cap. 1.* imponitur alia pœna ipsi contumaci, quòd scilicet proceditur in eius absentia, vt benè docet Anchar. *Clement. 1. de appellatione.* at si iudex assignaret terminum istum iuris, maneret deserta appellatio, quia mitius agitur cum lege, quàm cum homine, *l. Celsus. ff. de arbit.* Sic Florianus *eadem Clem. 1. fine* Francus *dicto n.* 16.

117 Secundò nota, quòd licèt appellatio sit deserta per negligentiam partis in beneficialibus, at nunquam censetur deserta quoad iudicem: sed semper potest iudex supplere, & procedere ex officio, & cognoscere de meritis causæ. Sic Maranta *proximè citatus*, 415. Franc. *cap. constitutus, el 2. de appell.*

118 Sexta difficultas principalis est, intra quem terminum teneatur appellans petere apostolos. Sit

119 Prima conclusio. Appellans tenetur petere apostolos infra triginta dies, aliàs appellatio manet deserta, *cap. ab eo, de appellat. & Clem. quamuis, eod. tit. l. iudicibus, C. eodem tit.* Maranta cum multis *pract. 6. part. tit. & quandoque appellatur, num.* 416. & 219. addit, quòd quando fiaret per iudicem, vt non der, quia requisitus non dat, debet appellans id protestari, *dicta Clem. quamuis.*

120 Secunda conclusio. Licèt sit magna varietas inter Doctores, quando incipiant currere hi triginta dies, vt refert Maranta proximè citatus *numero* 222. quibusdam dicentibus à die interpositæ appellationis, quos sequitur Azebedo *libro 4. recopil. titulo 18. l. 2. num.* 18. 19. 20. aliis à die sententiæ, quos sequitur D. Anton. *3. part. tit. 9. cap. 14. §. 1.* At magis (inquit Maranta eam amplectens) communis sententia est currere à die scientiæ sententiæ latæ, à quo die habuit facultatem appellandi.

121 Tertia conclusio. Non sat est petere cum instantia apostolos, sed si iudex de ipsis expresè non respondendo, appellanti terminum iuris, vel alium dederit, tenetur appellans infrà terminum pro illis redire; aliàs appellatio manet deserta, *dicta Clement. quamuis, de appellatione & cap. ab eo, eodem tit. in 6.* Lancel. *de attent. 2. p. cap. 12. limit. 50. à n.* 196. & limitat *n.* 230. nisi iudex appellationi detulerit.

122 Nota primò, quòd si iudex statuit terminum appellanti ad recipiendum apostolos pro tali die, & appellans non comparuit in illa die, censetur deserta appellatio, etiamsi iudex non venerit ea die ad locum, quo casu etiamsi comparuisset appellans, non potuisset illos habere; quia non curratur de præsentia iudicis, sed tantum lex considerat diligentiam appellantis, qui debet summa ope niti: vnde debet comparere, & protestari, quòd per eum non stat, aliàs appellatio efficitur deserta. Sic Maranta proximè citatus *num.* 42. Card. *Clem. quamuis. §. fin. q. 1. de appellat.*

123 Secundò nota, quòd quando à iudice petuntur apostoli, & defert appellationi, debet dicere appellationi defero, & apostolos refutatorios concedo. Sic Sylvest. *verb. appellatio, q.* 12. Tabien. *ibi quæst. 19. §. 20.* D. Anton. *3. part. tit. 9. cap. 14. §. 2.* Quando verò concedens apostolos censeatur appellationi deferre, & damnum iudicis non concedentis apostolos, habes *suprà* hoc eodem dubio. Et an sint necessariò petendi in ipsa appellatione, & sic sit de essentia petitio apostolorum, habes etiam *suprà* hoc eodem dubio.

124 Quarta conclusio. In appellatione extraiudiciali quidam dicunt non esse petendos apostolos. Sic Glossa *capite 1. de appellatione in 6.* sed eadem, *cap. vt super, eodem titulo in 6. vers. ille iudex*, tenet debere peti sub conditione, scilicet si est qui illos dare possit. Sed dicendum est, quòd quando appellatur à iudice extraiudicialiter procedente, debent peti, quia est, qui illos det: sed quando appellatur à parte, non est necessarium, quia non est qui illos det: licèt tutius sit etiam tunc petere sub conditione. Sic Maranta citatus *in prima conclusione, numero* 227. Francus *cap. bonæ, de appellat.* & *ibi* Neuo *numero* 43.

125 Hinc fit, quòd quando appellatur in absentia iudicis, non est necesse petere apostolos; quia non est iure cautum, nisi in appellatione propriè sumpta. Sic Baldus *capite finali de appellatione* & *ibi* Anton. *num.* 16. Immola *numero* 6. Neuo alios referens, *num.* 30. Francus *numero* 35. 36. & concludit Neuo *num.* 32. & Francus *num.* 38. quòd iudice postea reuerso, non est necessum iterum adire eum pro petendis apostolis; quia sat est initio eum quæsiuisse.

126 Septima difficultas principalis est circa tertium quod est de essentia appellationis positum *suprà* hoc eodem dubio, quòd scilicet interponatur appellatio coram legitimo iudice: dubitatur ergo, an necessariò sit interponenda coram iudice à quo.

127 Quidam tenent valere appellationem interpositam in absentia iudicis, modò ipsi postea intimetur. Ratio, quia præsentia iudicis non videtur ad alium finem requiri, nisi vt iudex habeat notitiam appellationis. Sic tenent Decius *capite suggestum, de appellatione 16. 17.* Innocentius *cap. dilectis, eodem titulo numer. 6. vers. sed oppones.* Paulus *Clement. causam, de elect. vers. absentia*; & videtur tenere Specul. *titulo de appellatione §. qualiter, numero* 8. vbi hæc dicit; appeller coram iudice, vel appellationem ab eo interpositam sibi significet; & videntur tenere Archid. *cap. biduum, 2. quæst. 6.* & Lapus *allegatione* 39. tenent Nauarr. *cap. cùm contingat. de rescript. 6. causa, n.* 10. modò intimetur iudici intra tempus appellandi. Qualiter verò fiat hæc intimatio, dicam *infrà.*

128 Sit tamen prima conclusio. Appellatio necessariò est interponenda coram iudice à quo, excepto casu necessitatis, quia scilicet impedit metus, vel iudicis à quo non est copia: & appellatio aliter interposita est nulla. Probatur ex *l. 1. ff. quis, & à quo appell. & l. 2. §. dies. ff. quando appellat. & l. 22. tit. 23. part. 3. c. biduum 2. quæst. 6. & Clement. 1. de appell. & c. vt debitus, eodem titulo.* quibus in locis decernitur, vt appellatio interponatur coram iudice à quo, *& cap. final. de appellatione*, tantùm excipitur casus necessitatis, quia scilicet impedit metus, vel iudicis absentia. Immo *ea Clement. 1.* decernitur, quòd si plures iudices ferant sententiam, debet saltem coram maiori illorum parte appellari. Et ratio est, quia per appellationem rescinditur factum ipsius iudicis à quo, & agitur de iustitia eius: vnde vt debitus honos deferatur ipsi iudici, statuit ius coram ipso interponendam esse appellationem. Et sic tenent Glossa *Clement. 1. de appellat. vers. coram, & cap. final. eodem titulo, vers. coram, & cap. appellatio. eodem titulo in 6. & c. suggestum, de appellatione vers. in vocem.* Immola *dicta Clement. 1. in principio, & dicto cap. suggestum, & dicto c. finali, numero 1. & 4.* Ancharan. *dicto cap. finali*, & *ibi* Innocent. *fine*, & *ibi* Ioan. Andr. *numero 6.* & *ibi* Francus *num. 3. & 17.* & *ibi* Hostiens. *& dicto cap. suggestum.* Henricus *eo cap. suggestum, num. 4. & 5.* & *ibi* Neuo *num. 12.* & *ibi* Panorm. *num. 4. & 7.* & explicat Doctores oppositos, vt intelligantur in dicto casu necessitatis; & *ibi* Anton. *num. 3. & dicto cap. finali, num. 4.* Bellamera *decis. 381. & d. cap. suggestum.* Rota *decis. 356.* Dominicus *cap. appellatio, de appell. in 6.* Angel. *consil. 126.* Isernia *dicto cap. fin.* Speculator *tit. de appellat. §. nunc decimas, num. 10.* & *ibi* Bald. *in addit. & l. apertissimi, C. de iudic.* Decius *dicto cap. suggestum, num. 4.* Grammaticus *decis. 36. num. 73. 77.* Lancel. alios referens *de attent. 2. part. cap. 12. limit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*limit.* 50. 184. 185. *& ampliat.* 15. *num.* 1. 2. 3. Villalobos *in commun. littera A, n.* 198. Maranta *pract.* 6. *p. tit. & quandoque appellatur, num.* 133. Sylueſt. *verbo appellatio, quæſt.* 6. & *ibi* Angel. *num.* 12. & Tabien. *quæſt.* 13. §. 14. D. Anton. 3. *part. titul.* 9. *cap.* 14. §. 1. Azebedo *lib.* 4. *recopil. titul.* 18. *l.* 1. *num.* 8.

129 Hinc fit, quòd ſi Epiſcopus vellet me excommunicare, & abſens appellem, non valet appellatio: & ſic tenebit excommunicatio poſtea lata. Sic Gloſſ. *cap. ſuggeſtum, de appell. verſ. in vocem.*

130 Nota primò aliquos dicere ſat eſſe ſi appellatio interponitur coram iudice ad quem, licèt, ſit copia iudicis à quo. Sic videntur tenere Innocent. *capite finali, de appellat. fine*, & Ioann. Andræas *ibi num.* 6. & Hoſtienſ. *ibi*; dicunt enim hæc verba, ſi eius copiam habere poſſit à quo, vel ad quem appellandum ſit: & ad eum non accedat, ei imputatur. Sed meo videri poſſunt facilè intelligi, iuxta ſtatim dicenda, quando deeſt copia iudicis à quo: tunc enim non ſecundùm multos eſt neceſſarium appellare coram iudice ad quem, & in hac ſententia videtur reſidere Anton. *dicto cap. finali.*

131 At dicendum eſt, non ſat eſſe, quia *cap. biduum, verſ. ſi quis ipſius* 2. *quæſt.* 6. *& l.* 1. §. *ſi quis ipſius. ff. quando appelland.* dicitur appellandum eſſe coram iudice ad quem, quando non poteſt haberi copia iudicis à quo; & ſic tenent Immola *cap. finali, de appellat. num.* 6. & *ibi* Neuo *num.* 23. Francus *ibi num.* 22.

132 Secundò nota, quando dicetur non eſſe copiam iudicis à quo, hoc explicatur *cap. biduum* 2. *quæſt.* 6. *verſ. dies, & l.* 1. §. *dies. ff. quando appell.* vbi dicitur quòd tunc dicitur eſſe iudicis copiam, quando exhibet ſe iudex in loco ſui tribunalis, nec tenetur appellans ipſum quærere in domo. Idem Gloſſ. *appellatio, verſ. iudici. de appell. in* 6. Bart. *lege de pupillo*, §. *ſi quis ipſi prætori, ff. de oper. noui nunc. quæſt.* 6. Rota *deciſ.* 366. Lapus *alleg.* 39. *circa finem*, Immola *cap. fin. de appell. num.* 10. & addit, multo minus teneri ad eum ire, ſi diſtet per vnam dietam. Francus *eo cap. fin. num.* 23. Neuo *cap. ſuggeſtum, de appell. num.* 13. limitans cum Franco *dicto cap. fin. num.* 24. niſi iudex eſſet conſuetus dare audientiam, & reddere ius in domo, vel in ſua camera; ibi enim debet requiri. Idem Bald. *dicto cap. ſuggeſtum.*

133 Aduerte quòd Azebedo *lib.* 4. *recopill. tit.* 18. *lege* 1. *num.* 10. dicit hoc intelligi, quando intra tempus conceſſum ad appellandum, eius copia haberi non poteſt; aliter enim in eius præſentia eſt appellandum. Ad idem eſt Immola *cap. finali. num.* 9. *de appell.* vbi docet, quòd ſi ob metum non appellatur coram iudice, ceſſante metu intra terminum ad appellandum, ſcilicet decem dies, eſt coram ipſo appellandum. Sed meritò contrarium tenet Francus *eo cap. final., num.* 15. & Bald. *l.* 2. *C. de his, qui per met. iud.* vbi dicunt, quòd vbi quis iam appellauit coram honeſtis perſonis, propter metum iudicis proteſtatione præmiſſa, de qua poſtea dicam, licèt poſtea intra decem dies ceſſet metus; non tenetur coram iudice appellare; quia iam illa proteſtatio ſuum effectum eſt ſortita appellationis. Faciunt ad hos dicta *ſuprà* hoc eodem dubio, quòd vbi ſemel eſt quæſitus iudex, & non comparet pro petendis apoſtolis, eo ſtatim reuerſo non eſt opus iterum eum adire; & Nauarr. *cap. cum contingat, de reſcript. cauſa* 14. *num.* 4. dicit cum Rota, non oportet adire iudicem abſentem, etiam ſi poſſit, & ſciat vbi ſit intra decenduum.

234 Secunda concluſio. Licèt multi Doctores valde probabiliter dicant, quòd vbi non eſt copia iudicis à quo, debet interponi appellatio coram iudice ad quem, ſi eſt eius copia, nec tunc ſat erit coram honeſtis perſonis: & probant ex *cap. biduum* 2. *queſt.* 6. *verſ. ſi quis ipſius, & l.* 1. §. *ſi quis ipſius. ff. quando appelland.* vbi patet, quòd ſi non appellerur, tunc coram iudice ad quem, curit tempus decem dierum ad appellandum, quaſi alia appellatio non ſit valida. Hi Doctores ſunt Lancel. *de attent.* 2. *p. cap.* 12. *ampliat.* 15. *n.* 51. Ruinus *conſ.* 6. *volum.* 4. Panorm. *cap. ſuggeſtum. de appell. n.* 4. & *ibi fine.* Innocent. *Gloſſa Clem.* 1. *de appell. verſ. maiori. fine.* At probabilius eſt non eſſe id neceſſarium, ſed ſat eſſe tunc coram honeſtis perſonis. Probatur ex *cap. finali, de appell.* vbi expreſsè, & abſolutè dicitur; *coram iudice à quo, vel ſi eius copiam habere nequiuiſti, in præſentia bonorum virorum.* Vnde, vt inquit Neuo *vbi infrà*, *cap. biduum*, citatum pro oppoſita ſententia, debet intelligi, quòd currit tempus, niſi interim appellet coram honeſtis perſonis, vt vitetur iurium correctio. Sic Neuo *cap. ſuggeſtum, de appell. num.* 20. 21. Francus *c. fin. eodem tit. n.* 21. & ita videtur de mente Baldi *l. apertiſſimi, C. de iudic. in principio*, dicentis in abſentia iudicis à quo poſſe appellari coram iudice ad quem, quaſi ſentiat id non eſſe neceſſarium: & videtur expreſsè tenere Maranta *in pract.* 6. *p. tit. & quandoque appellatur, num.* 133. dicit enim poſſe appellare coram honeſtis perſonis, vel adire iudicem ad quem. Idem videtur expreſsè tenere Specul. *tit. de appell.* §. *nunc dicamus, num.* 10. vbi hæc dicit, *Appellatio debet porrigi iudici à quo, ſi fieri poteſt, aliàs ad quem appellatur, vel ſaltem fiat coram notario, vel publicis perſonis.*

135 Tertia concluſio. Licèt multi Doctores ſentiant, quando deeſt copia iudicis, non eſſe neceſſarium, ſed tantùm conſilium, appellare coram honeſtis perſonis: & probatur per *cap. biduum* 2. *quæſt.* 6. §. *dies*, & §. *ſi quis ipſius, & l.* 1. §. *ſi quis ipſius, & §. dies, ff. quando appellandum ſit.* vbi dicitur non currere tempus quando non poteſt haberi copia iudicis à quo, vel ad quem. Sic Immola *cap. fin. de appell. fine. & ibi* Francus *n.* 31. dicit verius hoc videri in puncto iuris; quia *cap. finale, de appell.* quod requirit hanc appellationem coram honeſtis perſonis. Ioquitur, quando impedit metus appellare coram iudice: addit Francus, dummodo hoc proteſtetur; & videtur tenere Bart. *dicta l.* 1. §. *dies*, dicit enim ſe conſulere, quod quando non poteſt haberi copia iudicis, appellatur coram honeſtis viris: & ſic videtur dicere non eſſe neceſſarium, & videtur etiam tenere Speculator *tit. de appellat.* §. *reſtat. num.* 1. vbi hæc dicit, non currit tempus eis qui non habet in publico poteſtatem adeundi iudicem à quo, dummodo id proteſtetur, vel etiam ad eum, ad quem appellare intendit. At multo verius eſt, id eſſe neceſſarium. Primò, quia *cap. fin. de appellat.* dicitur eſſe neceſſarium, quando ob metum non eſt copia iudicis: at eadem prorſus ratio eſt, quando ob abſentiam. Secundò, quia *cap. paſtoralis. de offic. ordin. fine*, ad hoc vt non currat tempus ob iudicis carentiam, requiritur, vt in ſubſidium fiat actus coram honeſtis perſonis. Sic tenent Sylueſt. *verbo appellatio, quæſt.* 8. D. Anton. 3. *p. tit.* 9. *cap.* 14. §. 2. Archid. 2. 7. 6. *cap. biduum*. Præpoſit. dicens communem, *cap. fin. de appell. num.* 8. Maranta *pract.* 6. *part. tit. & quandoque appellatur, num.* 133. Anton. *cap. fin. de appel. & ibi* Neuo *n.* 24. reſpondétque ad textus pro oppoſita ſententia adductos, dum dicunt non currere tempus, & ſupplendos eſſe per alios textus, modò appelletur coram honeſtis perſonis, vt vitetur iurium correctio. Idem tenet Ioan. Andr. *eo c. fin. n.* 4 & Hoſt. *ibi*, & Speculator *tit. de appel.* §. *nunc dicamus, n.* 10. Panorm. *c. ſuggeſtum, de appell. num.* 4. Gloſſa *Clem.* 1. *de appel. verſ. maiori. fine.* Azebedo *lib.* 4. *recop. tit.* 18. *l.* 1. *n.* 8. 9. Villalobos *in opinion. commun. littera A. n.* 198 Lancel. dicens communem, *de attent.* 2. *p. c.* 14 *ampliat.* 15. *n.* 9. *& limitat.* 50. *n.* 187 Ruinus *conſil.* 6. *n.* 8. *vol.* 4. *& conſil.* 85. *n.* 4. *volum* 5. Mandoſius *regula de annali, q.* 44 *n.* 4. & Francus *c. fin. de appell. n.* 32. dicit ſatis poſſe dici hoc requiri de iure.

136 Nota primò aliquos dicere requiri multas honeſtas perſonas; quia textus citati dicunt, *coram honeſtis perſonis.* Sic Præpoſ. Bald. & Card. *c. fin. de appell.* Eueraldus *in ſuis topicis, loco, à numero, in principio.* At multo verius eſt ſat eſſe vnam honeſtam perſonam; ſæpè enim plurale pro ſingulari vſurpatur, vt latiſſimè probat Tiraquel. *lege ſi vnquam, C. de reuoc. donat. à num.* 244. per plures; & in noſtro caſu tenet Gloſſa *l. vt perfectius, verbo tabulariorum, C. de annali excepr.* Speculat. Abbas, Antiquus Romanus, Alexand. Iaſon, & multi alij, quos refert, & ſequitur Tiraquell *ibi num.* 249. & 229. Panorm. *cap. fin. de appellat. num.* 3. & *ibi* Neuo *num.* 9. Anton. *num.* 14. Franeus *num.* 30. Decius *num.* 15. Villalobos *in opinion. comm. littera A, num.* 198. Lancel. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 16. Maranta *practica* 6. *part. titul. & quandoque appellatur, numero* 133. D. Anton. 3. *part. titul.* 9. *cap.* 14. §. 2. Sylueſt. *verbo appellatio, quæſt.* 8. Tabien *ibi quæſt.* 13. §. 14.

137 Aduerte tamen, quòd debet fieri in præſentia duorum teſtium, Panorm. *cap. fin. de appell. num.* 3. & *ibi* Neuo *num.* 7. 8. Francus *ibi num.* 30. Lancel. proximè citatus *n.* 16. Ioan. And. *dicto cap. fin. num.* 4. & *ibi* Hoſt. Præpoſ. *ibi num.* 8 Villalobos proximè citatus *num.* 198. Addunt Præpoſ. & Villalobos etiam coram notario, & Maranta proximè citatus *num.* 133. hoc declarans, quando appellatio eſſet probanda per miniſtrum.

138 Secundò nota, quæ ſint hæ honeſtæ perſonæ, nam Ioan. Andr. *cap. fin. de appell. num.* 4 & *ibi* Hoſt. explicant, vt coram Epiſcopo, vel alio iudice; at non videntur hoc ponere tanquam neceſſarium, ſed gratia exempli, & ſic ſat eſt, quòd fiat coram ſimplici Sacerdote, Speculator, quem refert, & ſequitur Francus *cap. fin. de appell. num.* 30. immo non refert, an honeſti viri ſint laici, vel clerici, Francus *ibi*, & Bald. *eo cap. fin.* Lancel. *de attent. ſecunda parte, cap.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 14. immo quæ ſint honeſtæ perſonæ, relinquitur arbitrio iudicis. Lancel. *ibi num.* 4. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centuria* 1. *caſu* 69. *num.* 9. at excommunicatus non cenſetur honeſta perſona, cùm non toleret Eccleſia, Menochius *ibi*, Lancel. *ibi num.* 44 45. alios referens, Decius *cap. final. de appellat. num.* 16. 17. Sozinus, & Anton. quos refert Menoch. *ibi.*

139 Tertiò nota aliquàdo non ſat eſſe, ſi quando iudicis non eſt copia, appelletur coram notario, & teſtibus, ſed vltrà requiri honeſtam perſonam; quia *cap. finali, de appellat.* dicit, *coram honeſtis perſonis.* Sic Panormit. *ibi num.* 3. Francus *ibi num* 30. Anton *ibi num.* 14. At contrarium eſt ſatis probabile, quod tenet Speculator *titulo de inſtrum. edit.* §. *nunc vero, verſ. ſed nunquid*, Neuo *cap. final. de appellat, num.* 8. 9. Maranta *pract.* 6. *part. tit. & quandoque appellatur, num.* 134. & refert Bald. & Alexander, idem videtur tenere Lancel. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 17. & Nauar. *cap. cum contingat, de reſcript. cauſa* 14. *num.* 4.

140 Quartò nota, quòd eſt neceſſaria proteſtatio, quòd non appellat coram iudice ob metum, vel quia eius non eſt copia Probatur ex *cap. fin. de appellat.* ibi, *dummodo intra tempus, quo licitè pronocatur, ſi iudicis copiam habere nequiuiſti, conteſtatione ſuper hoc facta*, &c. Et ſic tenet ibi Neuo *num.* 25 *& cap. ſuggeſtum, eodem titul. num.* 13. Anchar. *dicto cap. fin. num.* 3. & *ibi* Anton. *num.* 5. Immola *num.* 2. 3. Francus *numero* 13. Ioan. Andr. *numero* 3 Henricus *num.* 2. Panorm *ibi*, Sylueſt. *verbo appellatio, quæſt.* 6. Tabien *ibi quæſt.* 13. §. 14. Anton. 3. *part. titul.* 9. *cap.* 14. §. 3. Gloſſa *dicto cap. finali, verſ. excuſat. & cap. plerumque, de reſcript. & cap. cupientes*, §. *quod ſi verſ. propoſita, de elect. in* 6. Maranta *practica* 6. *part. titul. & quando appellatur. num.* 133. Speculator *titul. de appellat.* §. *reſtat. verſ. ſed numquid*: & patet ex his, quæ habes *ſupra* hoc eodem dubio, vbi dicitur, quod quando impedimentum appellandi prouenit ex parte iudicis, eſt neceſſaria proteſtatio; patet etiam ex dictis *ſuprà* hoc eodem dub. *n.* 122. *concluſione* 3. vbi licèt aliqui Doctores dicant non eſſe neceſſe appellare coram honeſtis perſonis, farentur tamen eſſe præmittendam proteſtationem, quòd nequit haberi copia iudicis.

141 Et aduerte circa hanc proteſtationem, quòd ſi neuerus eſt ad appellandum coram iudice, non verò ad proteſtandum coram eo; debet appellans coram eo proteſtari, aliàs coram honeſtis perſonis. Sic Anton. *cap. fin. de appell num.* 5. Ioann. Andr. *num.* 3. vnde quando appellare non ob metum iudicis, ſed ob metum alterius, vt aduerſarij debet fieri proteſtatio coram ipſo iudice. Sic Panorm. *eo cap. fin.* vbi Henricus *num.* 3. Anton. *num.* 11. Card. *ibi.*

142 Aduerte etiam, quòd hæc proteſtatio debet fieri intra tempus ad appellandum conceſſum, vt expreſsè habetur *cap. final. de appellat.* & ratio eſt, quia ſubrogatur loco appellationis, & ideo debet fieri intra tempus appellandi. Sic alios referens *eo cap. fin. num.* 11. Ancharan. *n.* 3. Francus *num.* 14. & patet ex dictis *ſuprà*, hoc eodem dubio, vbi habes intra idem tempus debere fieri appellationem coram honeſtis perſonis. Item hæc proteſtatio, quæ ſit ob iudicis carentiam, debet neceſſariò fieri in loco tribunalis, vbi ius appellato conſueuit reddere iudex. Sic Ioan. Andr. Domin. *cap. ab eo*, §. *de appell. in* 6. Neuo *cap. finali, de appell. num.* 28. 29. *& cap. ſuggeſtum, eodem tit. num.* 13. Bart. *l. de pupillo*, §. *ſi quis, de oper. noui nunc, quæſt.* 16. *& ibi* Iſernia: & addit Neuo, quòd ſi alibi fieret, non valeret, nec aliquid prodeſſet. Et quòd debeat fieri in tribunali, tenet etiam Ant. *eo cap. fin.* 12. ſecus, inquit, quando appellatur coram honeſtis perſonis ob metum, quia poteſt tunc fieri vbicumque.

143 An verò ſint petendi tunc apoſtoli, habes *ſuprà* hoc eodem dubio *difficultate, concl.* 4.

144 Hinc fit, quod dum *cap. finale, de appellat.* petit, vt in hac appellatione coram honeſtis perſonis exprimantur cauſæ appellationis, intelligitur de cauſis ob quas non appellatur coram iudice, ſcilicet proteſtor, quòd libenter appellarem coram iudice, at id non facio propter metum, vel quia eius copiam non habeo. Sic Anton. *ibi fine* Francus *ibi num.* 14. Lancel. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 48. 49. 50. Gloſſa *eo cap. finali, fine*, in ſecunda expoſitione.

145 Quintò nota non requiri præſentiam aduerſarij, quando appellatur in iudicio, vel extra à iudice, ſed ſat eſt, quòd appellatio ſibi intimetur, *Clem.* 1. *in fine, de appel.* Sic Panorm. *cap. ſuggeſtum de appell. num.* 6. 7. & *ibi* Neuo *num.* 17. Henricus *num* 3. Francus *cap. final. eodem titul.* 18.

146 Sextò nota, quòd quando appellatur ex iuſta cauſa in abſentia iudicis, non requiritur, vt ipſi intimetur, ad hoc vt valida ſit appellatio, quoad deuolutionem cauſæ ad ſuperiorem. Sic Bartol. *l. pupillo*, § *ſi quis ipſius, ff. de oper. noui nunc*, Neuo *cap. ſuggeſtum, de appellat. num.* 28. Francus *cap. fin. eodem titul. num.* 41. 42. Lancel. *de attent.* 2. *parte, cap.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 21. At verò ad reuocationem attentatorum eſt neceſſe, vt ipſi iudici intimetur; aliàs interim geſta valebunt, *cap. ſi duobus, de appellat.* & ſic debet exponi Innocent. *cap. dilectis de appellat.* vbi dicit, quòd appellans in abſentia iudicis ante intimationem eſt exemptus ab eius iuriſdictione, intelligitur enim quoad deuolutionem iuriſdictionis, ſed non quoad reuocationem attentatorum. Sic Lancel. *ibi*, Neuo *ibi num.* 28. Francus *ibi num.* 43. Immola *cap. fin. de appellat.* Rota, Lapus, Dominicus, Paulus, quos referunt Doctores citati, & videtur tenere Gloſſa *cap. cùm parati, verſ. obtenu, de appellat.* vbi ponderat ad hoc, vt actus geſtus à iudice poſt appellationem in eius abſentia factam valeat; quòd iudex ignorabat appellationem, iuxta *dictum cap. ſi duobus.*

147 Hoc tamen, quòd interim, dum non intimatur appellatio iudici, valeant ab eo geſta, limita primò, vt intelligatur, quando poteſt imputari appellanti, quòd intimarit; ſecus quando non poteſt imputari, vt quia exiſtens in loco remoto recepit citationem: & timens ne excommunicaretur, appellauit, nec potuit infra tempus habere copiam iudicis à quo, vel ad quem; quia tunc appellatio facta in præſentia bonorum virorum defendit appellantem, vt non teneant geſta contra eum. Et patet ex *capite primo, de conceſſ. præben.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*prabend. in 6.* vbi paret, quod excommunicatio lata à iudice ignorante priuilegium eius, quem excommunicat, non valet. Et ad caput, *si duobus*, respondent Doctores *hic* citandi, quòd non loquitur in iudice à quo, sed in iudice ad quem: nam ibi ratione contumaciæ valet processus, licèt contumax appellarit ad superiorem: at in nostro casu nulla reperitur contumacia, nec culpa in appellante: ex quo nihil ei potest imputari, cui non intimauit appellationem iudici. Sic Neuo *cap. suggestum, de appellat. num.* 28. & *ibi* Panorm. *num.* 7. & melius *cap. cùm parati, eodem tit. num.* 16.

148 Secundò limita, nisi iudex à quo certus sit de appellatione, tunc enim nil posset attentare, nec esset appellationem ipsi intimari. Sic Glossa *cap. cum parati, verf. obtentis, de appellat.* Neuo *cap. suggestum, eodem tit. num.* 35. Francus *cap. fin. eodem tit. num.* 46. Lancel. *de attent. 2. part. cap.* 12. *ampliat.* 15. *cum.* 28.

149 Tertiò limita, nisi appellatus sciat appellationem interpositam, tunc enim licet iudex ignoret, non valet, processus iudicis à quo. Hoc est contra Francum *cap. finali, de appellat. num.* 50. & Lancel. *dicta ampliat.* 15. *num.* 26. 27. dicentes in hoc casu non valere. At nostram sententiam tenent Anton. *cap. fin. de appel.* Lapus *allegat.* 79. Panorm. *cap. suggestum, eodem tit.* & *ibi* Neuo *num.* 35. & vterque intelligit hoc, si processus agitatus per iudicem concernit commodum partis, secus si non concerneret; quia tunc valeret à iudice à quo ignorante appellationem interpositam.

150 Sed an oporteat intimationem appellationis fieri personaliter, vel sufficiat ad domum, Speculator *tit. de appell. § qualiter*; & Francus *cap. fin. de appellat. num* 43. dicunt sufficere ad domum. Ratio, quia vbi est facta intimatio, vel citatio ad domum, præsumitur de ipsa habere notitiam, vt docet Bart. *l. quidam, §. finali, ff. de administr. tutor.* Baldus *l. scire oportet, §. oportet, ff. de excusat. tut.* vbi per illum textum cum Angel. *auth. hodie, Cod. de appell.* dicit, quòd si est lata sententia contra absentem, & notificata ad domum, statim labitur tempus decem dierum ad appellandum, cum per hoc veneris in notitiam præsumptam.

151 Sed Neuo *cap. suggestum de appellat. num.* 32. dicit necessariò faciendam esse personaliter ipsi appellato, vel procuratori eius specialiter constituto; & si nequit fieri personaliter; vt quia appellatus, vel eius procurator est absens, vel non potest inueniri: tunc potest fieri intimatio ad domum appellati, habetur expressè *Clem. causam. de elect.* & textus ille *in fine*, dicit, quòd idem debet seruari in aliis casibus, in quibus est facienda intimatio, & Glossa *ibi fine*, colligit omnes casus, in quibus fieri debet intimatio, & inter cæteros numerat casum *Clem. 1. de appellat.* quæ loquitur de appellatione. Vnde idem dicit *ibi* Neuo de facienda intimatione sententiæ illi, contra quem est lata sententia, quòd antè non currat tempus ad appellandum, , quàm intimetur personaliter ei, vel eius procuratori, vbi potest inueniri: si autem non potest inueniri, tunc sat fit intimatio facta ad domum; & *num.* 34. & 35. concludit Neuo cum Glossa *dicta Clem. causam, verf. plena*, quòd si ad appellatum peruenit plena, & certa notitia, sat est perinde, ac si intimatio esset facta.

152 Aduerte, quòd si appellans vult intimare appellationem iudici, vel appellato, & illi se abscondunt, ipsis imputatur. Sic Neuo *cap. suggestum, de appel. num.* 35. Francus *cap. fin. eodem tit.* 47. Cardin. *Clem. causam, de elect. quæst.* 14. & *ibi* Immola, Lancel. *de attent.* 2. *part. c.* 12. *ampliat.* 15. *num.* 40. & de hac citatione ad domum consule Couarr. *cap. alma mater, 1. part. §.* 9. *num.* 4.

153 Vltima Conclusio. In appellatione extraiudiciali, si appellatur à iudice, idem dicendum est, quod dicitur de appellatione iudiciali, quòd scilicet est interponenda coram iudice à quo, & in eius absentia coram honestis viris. Sic Panorm. *cap. suggestum, de appell. num.* 4. & *ibi* Host. Immola, Henricus *ibi num.* 4. Anton. *ibi num.* 5. Neuo *ibi num.* 26. Francus *cap. finali, de de appell. num.* 40. Speculator *tit. de appell. § sequitur videre, verf. notandum.* Probatur ex *cap. 1. de appell. in 6.* vbi sic dicitur *Sanctimus, vt si quis in iudicio, vel extrà super interlocutoria, vel grauamine aliquo appellet, causam appellationis in scriptis significet, & petat apostolos*, Glossa *vbi verf. vel extrà*, inquit, intellige, quando appellatur à iudice, & ab interlocutoria, ad actus iudiciales referas, à grauamine ad factum extraiudiciale, per iudicem tamen illatum. Si verò appelletur ab alio, quàm à iudice extraiudicialiter, non requiritur præsentia eius, contra quem appellatur, sed sat est postea sibi intimari, & sat est interponi coram honestis personis. Sic Panorm. *ibi eodem num.* 4. Neuo *num.* 26. Henricus, Anton. Francus *ibidem.*

154 Octauò, difficultas principalis est circa quartum, quod est de essentia appellationis positum *supra difficultate 3. §. tertiò est de essentia*, quòd scilicet appelletur ad legitimum appellationis iudicem, ad quem sit appellandum, vt valeat, an scilicet necessariò debeat esse ad iudicem determinatum, & superiorem, &c.

155 Prima Conclusio. De essentia appellationis est, vt valeat, vt non appelletur ad iudicem inferiorem eo, qui sententiam tulit, aliàs non valet appellatio. Habetur expressè *l. 1. §. si quis, ff. de appell. & part. 3. tit. 23. l.* 18. & docet Lancel. *de attent. 2. part. cap. 14. limit.* 50. *num.* 212. & Azebedo *lib. 4. recop. tit. 18. l. 1. num.* 13. *& num.* 14. agit cum multis, an valeat consuetudo contraria. Idem omnes Doctores citandi *conclus. sequenti.* Et ratio est, quia iudex appellationis debet cognoscere, an sententia iudicis à quo fuerit iusta, vt illam retractet, vel confirmet, quod inferior facere nequit. Limitat Azebedo *num.* 15. nisi cum appellatione ad minorem facta adiungatur clausula ordinaria: *& appellatio ad quem melius de iure possum.* Et aduertit *n.* 17. quòd quando appellans est dubius, an appellatio sit benè interposita ad inferiores, se etiam præsentet coram superiore intra terminum concessum ad appellandum, vt si iudex iile non sit legitimus, non sit appellatio deserta.

156 Secunda Conclusio. Licèt graue dubium sit, an valeat appellatio, quando interponitur ad iudicem parem illi, qui sententiam tulit, quidam enim id negant. Sic Glossa *l. 1. §. si quis. ff. de appell. verf. minorem, & verf. vel parem.* Idem *ibi* Bart. Alberic. Paulus de Castro, & communis, vt testatur Gregor. Lopez *vbi supra.* Idem Sylvest. *verbo appellatio, quæst.* 6. D. Anton. *3. part. tit. 9. cap. 14. §.* 1. Beroius *rubr. de appellat. num.* 10. Maranta *practica. p. 6. part. tit. & quando appellatur, num.* 129. addens cum Panorm. & Felino *rubr. de appell.* non valere consuetudinem, vt ad minorem, vel æqualem. At verius est valere appellationem; at non cognoscet de ea talis iudex, sed superior. Sic definitur expressè *l.* 18. *tit.* 23. *part.* 3. & tenet *ibi* Gregor. Lopez *verf. igual.* Glossa *l. 1. citata, verf. vt minorem, initio, & verf. consules, fine*, Azebedo *lib. 4. recop. tit. 18. l. 1. num.* 13. Villalobos *in antinomia iuris, littera A. num.* 63. Gomez de Leon dicens ita fuisse pronunciatum in sua centuria informationum iuris *loco* 75. Olanus *in concordia, littera A. num.* 129.

157 An verò si non appelletur gradatim, sed omisso medio, valeat, alibi dicam.

158 Tertia Conclusio. De essentia appellationis, vt valeat, est, vt appelletur ad iudicem, de cuius iurisdictione est iudicandus, aliàs non valet. Sic habetur expressè *l. 18. tit. 23. part. 3. & ibi* Gregor. Lopez *fine*, Glossa *l. 1. §. si quis, verf. vel maiorem, ff. de appell.* Azebedo *lib. 4. recop. tit. 18. l. 1. num.* 13. 14. Sylvest. *verbo appellatio, quæst.* 6. D. Anton. *3. part. tit. 9. cap. 14 §. 1.*

159 Quarta Conclusio. Licèt de iure ciuili constet apud Doctores valere appellationem non determinando iudicem, sed tantùm dicendo, Appello, vel appello ad iudicem competentem, vt etiam expressè habetur *l. 22. tit. 23. parte tertia.* An valeat de iure canonico, est graue dubium; quidam enim negant, & ratio differentiæ est, quia genus; quod non potest verificari nisi in vna specie, non inducit incertitudinem, & cùm de iure ciuili non possit appellari etiam ad Imperatorem, omisso medio, illa generalitas respectu iudicis non inducit incertitudinem; quia debet intelligi de iudice superiore immediato, & sic non vitiat; at de iure canonico cùm possit appellari omisso medio ad Papam, vt suo loco dicam, talis appellatio generalis inducit incertitudinem, & sic vitiat; quia iudex debet esse certus, *cap. ad hæc, de rescript.* Sic Maranta *practica 6. p. tit. & quandoque appellatur, num.* 132. Francus *cap. dilecti 3. de appell. q.* 16. Panor. *cap. 2. eod. tit. num.* 8. 9. Ioan. Andr. addit. ad Specul. *tit. de appell. §. nunc tractemus, numero* 16. *verf. in principio.* Perusinus, quem refert Neuo *infrà.* Vnde in hoc regno Hispaniæ idem dicerent hi Doctores iure ciuili, cùm in eo possit appellari ad Regem, omisso medio. Limitant hi Doctores primò, nisi intra terminum appellationis, scilicet decem dies, designet iudicem; quia intra illum posset denuo appellare. Sic Ioan. Andr. *ibi*, & est certa hæc limitatio, vt mox dicemus. Secundò limitat Panorm. *n.* 10. nisi euitetur incertitudo, vt si appellatur à subdelegato delegati Papæ; quia tunc nequit appellari, nisi ad delegatum. Tertiò limitant, nisi appellans habeat probabile dubium ad quem debeat appellare, vt si appellaret à subdelegato, & nesciret an delegatus subdelegasset in totum vices suas, nec per iudicem, vel aduersarium de hoc certificaretur. Et hanc ponit tanquam certam Neuo *cap. 2. de appell. numero* 13. alios referens. At verius est etiam iure canonico valere semper appellationem, non determinando iudicem, sed dicendo, Appello; vel appello ad iudicem competentem; quia de iure canonico gradatim debet appellari, præterquam in duobus, scilicet Papa, & Legato: vnde in dubio videtur in aliis vti iure communi, & non speciali; quare talis appellatio incerta debet intelligi ad proximum superiorem, quia potius videtur electa via communis iuris, quàm specialis, vt notatur *l. quanquam Cod. de testament. militar. & l. precibus, Cod. de postul. & aliis substitut.* Sic tenent Tancredus, & Bixiensis, quos refert, & sequitur Neuo *cap. 2. de appel. num.* 13. *vsque ad* 21. Immola *l. 1 ff. de appell.* Speculator *tit. de appellat. §. nunc tractemus, n.* 19. Archid. *2. q. 6. c. anteriorem.* Sylvest. *verbo appellatio, q.* 11. Tab. *quæst.* 15. §. 18. D. Ant. *3. p. tit. 9. c.* 14. *initio.* Ioan. Andr. *c. vt debitus, de appellat.* Bald. *c. 2. eodem tit. & l. apertissimi, C. de iudic.* Gloss. *cap. cùm causam. fine, de appellat. & cap. cùm in Ecclesia, eodem tit.*

160 Hinc infertur primò, quòd si appellans ab Episcopo, dicat; appello ad maiorem iudicem, licèt Angelus, quem refert Neuo *c. 2. de appellat. n.* 22. dicat intelligi ad Papam, & sic coram illo prosequi posse appellationem; at verius est intelligi ad proximum superiorem; quia (vt dixi) potius videtur electa via iuris communis; quàm specialis. Sic Neuo *ibi*, Specul. *tit. de appellat. §. nunc tractemus, n.* 20.

161 Nota valere appellationem., licèt non dicatur appello, sed per hæc verba, *submitto me protestationi, & tuitioni talis iudicis.* Sic Maranta *pract. 6. p. tit. & quandoque appellatur, n.* 135. Bald. quem *ibi* refert. Et Sylu. *verbo appellatio, q.* 11. Tabien. *ibi quæst.* 15. §. 18. D. Anton. *3. p. tit. 9. c.* 14. *initio.*

162 Secundò infertur solutio illius quæstionis, an scilicet valeat appellatio alternatiua, scilicet, appello ad Episcopum, vel ad Papam. In qua tres casus sunt indubitabiles, vt ait Neuo *c. 2. de appellat. num.* 23. & primum, & tertium admittit *ibi* Panorm. *fine.* Primus est, quando subest probabile dubium, ad quem sit appellandum, vt explicui *suprà numero* 159. Secundus est quando appellans determinat iudicem intra terminum concessum ad appellandum, scilicet decem dies. Tertius est, quando alter tantùm ex iudicibus esset iudex competens, vt si quis ex Archidiacono appellaret ad Episcopum, vel Archiepiscopum; quia cùm non possit omisso medio appellare, tantùm Episcopus, qui est immediatus, est competens iudex. Et primum, & secundum casum admittit etiam Glossa *c. si is, cui, de offic. deleg. in 6.* At extra hos casus quidam censent non valere, quia est iudex incertus. Sic Glossa *dicto cap. is, cui.* Panorm. Bald. & Decius *cap. 2. de appell. fine.* Ioan. Andr. *cap. in alternatiuis, de reg. iuris, in 6* Lancell. *de attent. 2. parte c. 12. limitat. 50. numero* 122. 123. Villalobos *in commun. litera A. numero* 168. Beroius *consil.* 80. *num.* 12. *lib.* 3. Limitat duplicitet Lancel. primò limita *num.* 124. cum Beroio citato, nisi appellaretur ab eo, qui non recognoscit nisi Papam in superiorem; si enim ab eo appelletur ad Papam, vel ad alium iudicem competentem, est bona appellatio; nec oportet, vt intra decem dies fiat declaratio; quia cùm vnus sit tantùm iudex competens, non potest dici incerta appellatio. Secundò limitat *numero* 125. nisi in appellatione fuerit apposita clausula, optione coram quo iudice prosequi voluerit, sibi retenta: tunc enim iudicis declaratio potest fieri intra totum tempus datum ad prosequendum appellationem, vt cum aliis etiam tenet Beroius *consil.* 7. *numero* 17. 18. *lib.* 1. Alij autem dicunt absolutè valere. Sic Rota *decis.* 290. Alij verò dicunt valere quando in alternatiua est positum, vel ad iudicem competentem, Sic Bald. *lege cum proponas, fine Cod. de bonis autor. iudic. possid.* & *ibi* Salizetus, Immola *1. ff. de appell.* Sed Neuo *cap. 2. de appell. numero* 25. 26 27. 28. Dominicus *cap. si is, cui, de offic. deleg. in 6.* sic conciliant, dicunt enim valere appellationem alternatiuam, quando appellatio est recepta, & assignatus terminus à iudice à quo ad prosequendum appellationem, quia in illum terminum potest appellans determinare iudicem: non valere verò, quando hoc non factum est, scilicet quia non est recepta, nec assignatus terminus.

163 Tertio infertur, quid dicendum, quando aliquis appellat ad plures copulatiuè, vt ad Episcopum, & Legatum, & Papam. Speculator *tit. de appell. §. nunc tractemus, n.* 16. dicit valere, & Papam debere cognoscere. Sed Ioan. Andr. *ibi in addit. verf. in principio* dicit non valere, nisi quando esset probabile dubium ad quem appellandum sit, vel nisi intra decem dies determinet. Sed Neuo *cap. 22. de appell. n.* 31. dicit idem dicendum esse, quod in appellatione alternatiua, & *numero* 32. dicit etiam Neuo idem dicendum in appellatione hac, *Appello ad Archiepiscopum, & ad quemlibet alium iudicem competentem*; licèt Perusinus, quem *ibi* refert, dicat non valere. Et idem colligitur ex doctrina aliorum citata, dicentium non valere, quando iudex est incertus.

164 Appellatio extraiudicialis ad quem fiat, vide *suprà* hoc eodem dubio.

165 Tandem nota, quid dicendum in hoc, an scilicet, qui semel appellauit coram vno iudice possit variare appellando coram alio. Bald. *l. si quis libellos, C. de appellat.* tenet non posse, etiamsi sit intra decem dies ad appellandum concessos, nisi errauerit. At dicendum est posse, si sit intra illos decem dies, & præualebit secunda appellatio. Sic Glossa *dicta l. si quis libellos*, & *ibi* Bart. Angelus & Salizetus. Idem Neuo *cap. fua, de appellat. num.* vbi & Panormit. *& cap. dilecto, eodem tit.*

166 Nona difficultas est circa quintum requisitum de essentia appellationis, positum *suprà* hoc eodem dubio, difficultate tertia, §. vltimo, est de essentia, quòd scilicet seruetur in ea debita forma, an sit necessarium, vt appellatio valeat. vt fiat in scriptis.

Universidad de Deusto
Biblioteca



167 Ad formam appellationis pertinent duo. Alterum, vt appelletur in scriptis, alterum, vt in appellatione inferatur causa: & in hoc est differentia inter appellationem ab interlocutoria, & à diffinitiua. Et ideo claritatis grãia seorsum hoc conclusionibus explicabo, primò de diffinitiua, deinde de interlocutoria. Sit

168 Prima conclusio. Quando appellatur à diffinitiua; si appelletur in continenti, ac illico, vt fertur sententia, potest appellari viua voce. Sic habetur expressè *l.2.ff.de appell.& litigatoribus,C.eod.tit. & l.à sententia, in fine,C.eod.tit.& l.22.tit.23.p. 3.* & docent omnes Doctores citandi.

169 Nota primò, quòd licet, quando appellatur in scriptis, sat est appellare vbicumque iuuenitur iudex, nec est necesse, quòd sedeat pro tribunali, *l.1.ff.dies,ff. quando appell.* at quando appellatur à iudice verbo, est necesse quòd appelletur in loco tribunalis, & iudice sedente pro tribunali, *l.1.& 2.ff.de appell.* Sic Neuo *c. suggestum, ne appell. num.*14. Francus *c.fin eod.tit.n.*26. Maranta *pract.6.p.tit.& quandoque appellatur,n.*140. Dominic. *c.appellatio,de appell.in 6.* & potest iudex quando appellatur in scriptis extra tribunal tradere apostolos; quia talis traditio non est actus iudicialis, sed extraiudicialis, & sic possunt tradi die feriato. Sic Neuo, & Domin. *ibi.*

170 Secundò nota esse magnum dubium, quando censeatur fieri illico appellatio, vt sic possit fieri viua voce; quidam enim censent censeri illico factam, si fiat eadem die, qua lata est sententia, & iudice sedente pro tribunaii. Sic Glossa *l.2.ff.de appellat.* Bart. *l.eos,la* 1.§. *fin autem,n.3.& l.litigatoribus,n.3.C. de appellat.* Sylvest. *verbo appellatio,quæst.*4. D. Ant.3.*tit.9.c.*14.§.1. Idem videntur sentire Bald. & Francus, vt refert Maranta *vbi infrà*, & videntur tenere Bald. *dicta l.litigatoribus, numero* 1. & glossa *ibi,vers. illico*, in vltima sententia,quam *ibi* ponit; dicunt enim illico censeri iudice sedente pro tribunali, non distinguendo, an ad alios actus diuerterit. Immola, Bartol. & Glossa *dicta l.* 2. expressè dicunt hoc esse verum, licèt iudex ea die ad alios actus diuerterit Et Immola ea *l.* 2. dicit posse de iure sustineri.

171 Alij verò dicunt illico censeri antequam appellans ad alios actus diuertat, etiamsi iudex ad alia diuerterit; quia appellatio non est actus iudicis, sed appellantis. Sic Bald. *d.l. eos,§.fin autem.C. de appellat. numero* 1.

172 Alij dicunt, & hoc est verius, censeri illico, quando iudex sedet pro tribunali, & non diuertit ad alios actus extraneos, secus si diuerteret ad actus extraneos, vt ad prandium, &c. licèt postea reuerteretur. Et fauent huic sententiæ verba geminata *l.22.titulo* 23.*p.*3. ibi, *Luego que fuere dado el juicio*; & ibi; *mas si estonces luego.* & sic tenet hæc verba ponderans Gregor. Lopez *ibi*, *vers. luego.* Villalobos *in commun. litera A,num.*179. Specul. *tit.de appell.§.qualiter,numero* 1.& *ibi* Ioan. Andr. *vers.diuerterit.* Maranta *pract.6.p.tit.& quandoque appellatur,num.*137. Idem dicunt Ioan. Andr. Maranta dicens communem, quando ipse appellans ad alios actus diuertit; non enim dicetur, tunc illico, & incontinenti fieri: primum etiam tenet Francus *cap.* 1. *de appell.in 6.* §.1. *num.*5.

173 Aduerte, quòd quidam, vt refert Maranta *ibi*, intelligunt hoc, quando non diuertit iudex tam ad actus extraneos ad prandium, v.g. quàm etiam ad actus intraneos, id est, ad alias causas decidendas, antequam etiam à tribunali surgat: si enim diuertit ad alias causas decidendas, non dicitur illico appellari; & sic non valebit appellatio viua voce. At verius est dici illico, dum iudex non diuertit ad actus penitus extraneos à iudicio, animo non statim reuertendi, verbis gratia si iudex stet tota illa die in tribunali, quamuis varia negotia expediat, dicetur illico appellari; si verò surrexit à tribunali causa faciendi aliud negotium penitus extraneum, tunc aut surrexit cum animo statim reuertendi, non relinquendo totaliter tribunal pro illo sero, quia dimisit *ibi* actorum magistrum negotiantem in actis interim, & tunc si statim reuertitur, habetur ac si non recessisset: si verò surrexit cum tota eius curia causa eundi ad prandium, vel deambulandum, ita, quòd non apparebat de animo reuertendi pro illo sero, & tunc dato, quòd postea reuerteretur, non dicitur fieri in continenti, & illico, & sic non posset appellari viua voce. Hæc Maranta alios referens, & probans *eo numero* 137.

174 Secunda conclusio. Si non appelletur illico, & incontinenti à diffinitiua, est necesse, vt appelletur in scriptis; aliàs appellatio non valet. Sic habetur expressè *l.*1.§.*libelli*, *ff.de appellat.& l.à sententia*, *fine.& l.litigatoribus, Cod. de appellat.& lege* 22.*titulo* 23.*pag.*3. & tenent omnes Doctores citandi.

175 Limita, nisi in causis breuioribus, in quibus potest appellari viua voce. Sic Maranta *ibi num.*143. Bald. *l.& maioribus,fine*, *C.de appell.* Quæ verò dicantur causæ breuiores, remittit se Baldus ad ea, quæ habentur *auth. nisi breuiores,C.de sentent.ex breu.recit.*

176 Secundò nota, quòd non sat est, vt dicatur fieri appellationem in scriptis comparere in iudicio, & dicere notario, scribe qualiter appello, sed tunc dicitur in scriptis, quando porrigitur libellus scriptus appellatorius: aliàs si viua voce dictaret appellans, & notarius redigeret in scriptis, non diceretur appellatio in scriptis, & sic elapsis decem diebus sententia transiret in rem iudicatam. Sic Maranta *supra numero* 135. Francus *capite vt debitus*, *vers.quarto quæritur*, *de appellat.* & *ibi* Neuo *numero* 15. licèt (inquit) fuit lis coram iudice. Corneus *consil.* 95. *fine*, & 96. *volum.* 4. Iason referens Angel. & Baldum, *lege* 1.*ff. de edendo*, *numero* 10. facit Glossa *l.in sacris*, *la* 3. *Cod.de prædmis sacrorum scriniorum,lib.* 12. & *ibi* Bart. *numero* 3. vbi dicunt quòd si quis vadit coram iudice, & dicit notario actorum, scribe, quòd peto à Titio decem, & peto condemnari; non dicitur per hoc in scriptis offerre, licèt notarius hoc scribat. Hoc etiam tenet Francus *capite* 1. *de appell. in 6. numero* 10. & Nauarr. *cap. cum contingat,de rescript.causa* 6. *nullitatis, num.*8. citans Immolam, & dicit communem.

177 Tertiò nota conclusionem intelligi tam de iudiciali; quàm de extraiudiciali appellatione; vtraque enim fieri debet in scriptis: & tenent Panorm. *cap.bona, de appellat. numero* 10. & *ibi* Ancharanus *fine.* Et quando est appellatio ab interlocutoria, vel grauamine, definitur *capite* 1. *de appellat. in 6.* vide *infrà* hoc eodem dubio.

178 Aduerte quòd appellatio interposita ab actu gesto per iudicem ante citationem, dicetur extraiudicialis: si verò iam citatus est, dicetur iudicialis, quia à citatione incipit iudicium. Sic Francus *cap.*1.*de appell. in 6.* §. 1.*num.*1.& *ibi.* Ioan. Andr.& Dominicus, Glossa *in vers. in iudicio.*

179 Quartò nota non esse necessarium, vt appellatio valeat, quòd legatur scriptura appellationis coram iudice à quo, sed sat est illi præsentari, vt expressè decidetur *cap. appellatio, de appellat. in 6.* nec etiam est necessaria scriptura publica appellationis, sed sat est priuata. Innoc. quem refert, ac sequitur Glossa *cap.*1.*de appellat. in 6. vers.in scriptis*, & *ibi* Francus §.1.*n.*11.

180 Tertia conclusio. In appellatione à diffinitiua non est necesse inseri causas grauaminis in specie, sed sat est, appellans dicat se grauatum in genere, vel sententiam iniustam esse sine alia causa *lege* 2. *de appellat.* & notant Glossa, Panormit. Francus, *c. cum in Ecclesia, de appellat.* Bartol. Ang. Rom. quos refert ac sequitur Maranta *practica 6.part.tit. & quandoque appellatur, num.*142. & 153. Sylvest. *verbo appellatio, q.*4. D. Anton. 3.*part.tit.9. cap.*14.§.1. Speculator *tit. de appell.§. qualiter,num.*2.



181 Limita tamen, vt non intelligatur in causis, in quibus de iure non admittitur appellatio à diffinitiua, tunc enim debet exprimi causa grauaminis, vt teneat appellatio. Ratio, quia cùm appellatio sit prohibita, appellans habet iuris præsumptionem contra se: & sic iudex non tenetur deferre, nisi iusta causa ostendatur. Sic multos referens, & dicens procedere, siue appellatio à lege, siue ab homine vetita, vt cùm committitur causa appellatione remota, Maranta *supra num.*155.

182 Quarta conclusio. Appellatio ab interlocutoria sententia, siue fiat ex interuallo, siue in continenti, debet necessariò fieri in scriptis, vt valeat Probatur ex *cap.*1.*de appellat. in 6.* vbi sic dicitur, *si quis ab interlocutoria, vel grauamine in iudicio, vel extra ad nos duxerit appellandum, causam appellationis assignare deproperet.* Hæc est contra Hostiens. & Guid. vt refert Glossa *vbi infrà*, dicentes hoc procedere tantùm in appellatione ad Papam; quia textus *ibi* dicit; *ad nos duxerit appellandum*, & tenet *ibi* Dominicus. Sed hanc tenet *ibi* Gloss. *vers. ad nos*, & explicat, *maximè ad uos*, *& vers. in scriptis*, & *ibi* Francus §. 1. *num.*10. Speculat. *tit. de appellatione.* §. *qualiter*, *num.*1. & *ibi* Ioann. Andr. *in additione litera E*, referens Rotam, Bald. *lege eam*, *el* 1. § *fin autem*, *num.*1. *Cod. de appellat.* Bart. *ibi num.* 3. Practica forensis *lib.* 1. *tit. de appellat.* §. 9. Ferrara per ipsum citatus, Nauarr. *lib.* 4. *consil. tit. de appellat. in antiquis, consil.*2. *in nouis consil.* 1. & 2. Maranta *pract.* 6. *p. tit. & quandoque appellatur,num.*38. Paulus de Castro, Aug. Rom. quos refert *ibi.* Villalobos *in communi littera A, n.* 178. Sylvest. *verbo appellatio*, *quæst.* 4. Neuo *cap. vt debitus*, *num.*14. *de appellatione.*

183 Limita primò conclusionem, nisi interlocutoria habeat vim diffinitiuæ; quia ab ea licet appellare in continenti viua voce, sicut à diffinitiua, & omnes solemnitates in ea seruantur, quæ seruari debent in appellatione à diffinitiua. Sic Francus *cap. vt debitus, quæst.* 7. *de appellatione* Angel. & Rom. quos refert, & sequitur Maranta *supra numer.* 142. & patet, quia interlocutoria vim diffinitiuæ habens regulatur secundùm naturam diffinitiuæ, vt tradunt Alexand. Socinus, Conradus, quos refert, & sequitur Lancell. *de attent.* 2. *part. cap.* 12. *limit.* 1. *num* 52. Barbat. *consil.*31.*num.*3. *lib.*3. Natta *consil.*92.*num.*2. *lib.*1.

184 Secundò limitant aliqui, vt procedat de iure canonico; secus de iure ciuili. Sic Baldus citatus *in conclusione*, & Glossa *lege* 2. *ff. de appellatione.* At communiter seruatur idem de iure ciuili, vt docent Practica forensis, Ferrara, Maranta citati *in conclusione*, & Bart. *lege eius.ff. de appell.*

185 Hinc fit minus benè Sylvestrum *verbo appellatio, quæstione* 4. & D. Anton. 3.*parte tit.*9. *cap.* 14. §. 1. dicente, quòd si appellans viua voce ab interlocutoria impetrat causam legitimam, non videtur ratio cur non valeat.

186 Quinta conclusio. In appellatione ab interlocutoria, vt valeat, debent exprimi causæ grauaminis, siue appellatio iudicialis sit, siue extraiudicialis. Sic habetur expressè *cap.vt debitus*, & *ibi* omnes, *de appellatione & cap.* 1. & *ibi* omnes, *eodem titulo in* 6. Sylvester *verbo appellatio, quæstione* 4. *& quæst.* 5. §. 7. D. Anton. 3.*part. tit.* 9. *cap.*14.§.1. Specul. *tit.de appellat.* §.*qualiter*, *n.* 2. Bald. *lege eos, la* 1.§. *fin autem, Cod. de appellat. num.* 1. addens secus esse de iure ciuili, Nauarr. *lib.*2. *consil.tit. de appellat.in antiquis, consil.* 1. *in nouis consil.*1. Maranta *Practica,6.part.tit.& quandoque appellatur, num.* 153. vbi multos alios refert.

187 Amplia in tantum esse hoc verum, vt non sat sit exprimere causam generalem, vt quia contra ius me grauatis; pater primò ex *Clement appellanti, de appellat.* ibi, *nominatim expressas.* Item, quia talis causa generalis tacitè inest in qualibet appellatione; & sic expressa nil operatur. Sic Francus *cap.* 1. *de appellat. in* 6. §. 1. *num.*6. Bald. *lege eos lege* 1.§. *fin autem*, *num.* 1. *Cod. eodem tit.* Maranta alios referens, *num.*153. licèt minus bene Innoc. *cap. significantibus, de noui oper. nunc. fine*, dicat valere, si dicat, quòd est iniusta sententia: immo videtur dicere id non esse necessarium, dicit enim sic, *valet, si dicat appello*; & maximè si addat, quia sententia est iniusta. Vide *infrà vers. sextò limita*, *num.* 197. quando hoc sit verum.

188 Secundò ampliat Maranta *eo num.*153. non sat esse facere relationem ad acta, sed oportere nominatim exprimi iuxta dicta. Idem Nauar. *cap. cum contingat, de rescript.causa* 14.*num.*1.

189 Tertiò ampliat Maranta *ibi* non sat esse dicere, appello ex tali causa, & ex aliis ex actis apparentibus; quia talis clausula generalis nil operatur. Sed hoc intellige, non quòd non valeat talis appellatio, sed quòd non poterit appellans prosequi alias causas, quàm nominatim expressas; & sic quoad hoc nil operabitur talis clausula generalis, iuxta *Clem. appellanti, de appellat.* Sic explicat hoc Francus *dicto cap.*1.§.1.*n.*6.

190 Quartò amplia, etiamsi causa grauaminis sit notoria, quia licèt notorium releuet ab onere probandi, non tamen ab onere allegandi. Maranta *num.*154. Francus *dicto cap.* 1. *num.* 6. Dominicus *ibi* Glossa *Clement. appellanti,de appellat. vers.alias*, & *ibi* Cardin. *quæstione* 5. licèt Glossa *cap.accedens*, *el* 1.*de lite non contest.* teneat contrarium.

191 Quintò amplia, quòd talis expressio causæ, vt valeat appellatio, debet fieri coram iudice à quo: nec sat est coram iudice ad quem, *cap. vt debitus*, *de appellat.* ibi, *coram eodem iudice causa probabilis appellationis exposita*; & tenet *ibi* Panormit. Batt. quem refert, ac sequitur Maranta *num.*153.

192 Limita tamen primò, nisi intra decem dies concessos ad appellandum exprimat causas grauaminis; potest enim appellans quandocumque intra dictum terminum specificare. Maranta *num.* 154. Francus *cap. vt debitus, de appellat. quæst.*15. *& cap.*3. *eodem tit. in* 6.§.1. *num.*8. & Bald. quem *ibi* refert.

193 Secundò limita, vt non intelligatur in interlocutoria habente vim diffinitiuæ; quia non requiritur expressio causæ. Sic Francus *vbi in præcedenti limitatione.* Panormit. Bald. quos refert, ac sequitur Maranta *num.*157. Ratio, quia hæc regulatur secundùm naturam diffinitiuæ, vt dixi *supra hoc eodem dubio.*

194 Tertiò limita, quando causa grauaminis consisteret in mero iure; adeò quòd nullam requirit probationem in facto; tunc enim valet appellatio sine expressione causæ, quia in allegationibus iuris deduci potest. Sic Cardin. Francus, Dominic. Bald. quos refert, ac sequitur Maranta *num.*156.

195 Quartò limita, nisi appelletur in maioribus causis soli Papæ reseruatis. Sic Francus *cap.*1. *de appellat. in* 6. §.1.*num.*7. cum Hostiens. quem *ibi* refert.

196 Quintò limita, nisi appelletur à grauamine, & interlocutoria, de cuius grauamine verè constat ex inspectione sententiæ, vt quia in ea sit inserta causa à iure reprobata. Anchar. *Clementina appellanti, de appellatione.* Francus *eodem numero septimo proximè citato.*

197 Sexta limitatio, quia licèt causa non sit expressa specialiter; at sufficit exprimere per relationem ad aliud, vt dicendo, appello ab interlocutoria iniqua, provt ex dictis apparet; quia si iniquitas allegetur ex dictis, & allegationibus iuris absque alia probatione facta, valet appellatio. Et in hoc casu potest intelligi

Universidad de Deusto
Biblioteca



dictum Innoc. reprobatum *suprà n.*187. *ampliat.* 1. Sic Paulus,& Lapus,*Clement. appellanti, de appellat.* Francus *cap.* 1.*eod.tutulo in* 6.§.1.*num.*7.& *ibi* Dominicus. Sed aduertit Francus *num.*8 cum Baldo,& Rota, hoc procedere,si exprimatur nominatim ex qua parte actorum appareat grauamen; quia tunc satis diceretur fieri expressionem causæ. Et hoc idem Nauarr. *cap. cum contingat, de rescript. causa* 14. *num.*1.

198 Ex dictis inferuntur quatuor differentiæ in appellatione ab interlocutoria, & diffinitiua. Prima, quòd illa semper debet esse in scriptis: hæc autem in continenti potest fieri viua voce. Secunda, quòd in illa est necesse exprimere causas; in hac verò non. Tertia, quòd appellatio ab illa non omnino suspendit iurisdictionem iudicis à quo; appellatio verò ab hac omnino suspendit, vt latè *suprà hoc eodem dubio, difficultate secunda.* Quarta, quòd in appellatione à diffinitiua possunt allegari nouæ causæ grauaminis coram iudice ad quem: at in appellatione ab interlocutoria non, sed statim propositæ coram iudice à quo, *Clement. appellanti, de appell.* De qua differentia cum aliquibus limitationibus consule Marantam *pract.*6.*part. titul. & quandoque appellatur, à num.*161.*usque ad* 173.

199 Sed dubitatur circa dicta, an in appellatione extraiudiciali à grauamine, in qua *cap.* 1. *de appellatione in* 6. dicitur necessariò exprimendam esse causam grauaminis in scriptis, hoc sit necessarium, quando talis appellatio non fit à iudice, sed ab aliquo grauante; quidam enim sentiunt non esse necessarium, nisi in appellatione extraiudiciali, quæ fit à iudice. Sic Innocent. Ioann. Monachus, Archid. *cap.* 1. *de appell. in* 6. & videtur *ibi* tenere Glossa, *verſ. vel extra.* At verius, & communis est illum textum habere locum in omni appellatione extraiudiciali ab interlocutoria, vel grauamine illato, vel inferendo, siue à iudice, siue ab alio appelletur; talis enim appellatio debet continere causam grauaminis in scriptis, vt valeat, aliàs reputabitur non appellans, iuxta illud *cap.* 1. quod indistinctè loquitur, & tenet *ibi* Francus §.1. *num.*4. & 5. & *ibi* Dominicus, & optimè Gloss. *cap. vt debitus, de appellat. verſ. ex rationabili, & cap. cùm causam, in fine, eodem tit. & cap.* 1. *de postul. prælat. verſ. appellatum.* Innocent. *cap. ad aures,num.*2.*de tempore ordin.*

200 Decima difficultas principalis est, an ab interlocutoria sententia detur appellatio.

201 Hæc difficultas tractanda est secundùm ius ciuile, & secundùm ius canonicum antiquum, & secundùm Concilium Tridentinum.

202 Primò ergo de iure ciuili quidam, vt refert Syluest. *vbi infra*, dicunt dari appellationem per *legem ait Prætor*, §. *quid tibi, ff. de minoribus.* At communis sententia tenet non dari, nisi quando habet vim diffinitiuæ, aut continet grauamen irreparabile per diffinitiuam. *lege ante sententia. Cod. de appellat. l.*2. *Cod. de Episcop. aud.* tenent Syluest.*verbo appellatio,quæſt.*5.Greg.Lopez *l.*13. *tit.*23.*part.*3.*verſic. noſe puede,* & ferè omnes; quod approbatur per *illam legem* 13. ibi enim dicitur non posse appellari ab interlocutoria, nisi quando est talis, quòd de facili non emendaretur sine damno, aut magna verecundia condemnati.

203 Secundò stando in iure canonico, & sic in tribunali Ecclesiastico, quòd secundùm ius canonicum procedit, admittitur appellatio ab interlocutoria, modò fiat in scriptis, & exprimantur causæ appellationis, vt latè diximus, & habetur *cap.* 1. *de appellat. in* 6. *& cap. vt debitus, cap. super eo, el* 2. *de appellatione.* & docent omnes.

204 Tertiò Trident. *sess.*13. *cap.*1. *de reformat. fine*, statuit, vt in causis criminalibus ab Episcopo, seu ab eius Generali vicario in spiritualibus ante diffinitiuam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine non appelletur, nec huic appellationi tanquam friuolæ deferre Episcopus, vel eius vicarius teneatur, nisi grauamen huiusmodi per diffinitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa diffinitiua appellari non possit, & *sess.* 24. *cap.*20. *initio*, definitur, quòd causæ omnes Ecclesiasticæ in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur: nec appellationes ab eis interpositæ per superiores quoscumque recipiantur, nisi prà diffinitiua, vel diffinitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem à diffinitiua reparari nequeat. Et Gregorius XIII. *in suis regulis cancellariæ, reg.*55. statuit quòd in causis in Romana Curia pendentibus, & quas in posterum contigerit agitari, nulli ante diffinitiuam sententiam liceat appellare; nec appellatio admittatur, nisi ab interlocutoria, quæ vim habet diffinitiuæ, vel à grauamine non concernente negotium principale,quod non possit per appellationem à diffinitiua reparari.

205 Dubitatur circa prius decretum Trident. an dum disponit *sessione* 13. *capite primo de reformat. fine*, vt in causis criminalibus non admittatur appellatio ab interlocutoria, &c. procedat illud in omnibus iudicibus Ecclesiasticis, vel tantùm in Episcopo, & eius Vicario Generali. Iuxta sententiam, quam statim referam, ait Paz, dicendum est in omnibus procedere; & eius rationes id probant.

206 At verius est id decretum habere locum tantùm in criminalibus, quæ tractantur coram Episcopo & eius Vicario Generali, & non in eis, quæ tractantur coram inferioribus, vel delegatis, vel Legato Papæ: tunc quia proœmium eius, ex quo finis decreti colligitur, habet id, statui in authoritatem Episcoporum, quo libentiùs resideant in suis Episcopatibus; tum quia verba sæpe repetita tantùm loquuntur de Episcopis, & eorum Vicariis Generalibus, & non de quibuscumque Vicariis: tum denique quia est ius correctorium, & nouum, & sic per illud non recedimus ab antiquo, nisi quatenus ab eo exprimitur. Sic tenet Nauarr. summa Hispan. *capite* 28. *addit.ad numer.* 14. *capite* 25. Latina *capite* 25. *numero* 15. *verſicul. nota secundò.*

207 Hinc fit habere locum in causis criminalibus, etiamsi tractentur coram Episcopo, vel eius Vicario Generali, in secunda instantia, id est, in gradu appellationis ab aliquo inferiori; quia verè tunc tractatur tanquam coram Episcopo, & eius Vicario, & decretum hoc non distinguit an sit in prima instantia, vel secunda. Non verò procederet, quando tractatur aliqua causa criminalis coram Episcopo, vel Vicario ex delegatione Papæ, vel Legati; quia tunc non procedit, vt Episcopus, vel Vicarius, sed vt delegatus.

208 At secundum decretum citatum Tridentini *sess.*24. *de reformat.cap.*20. *initio*, vniuersaliusest, & loquitur in omnibus causis ciuilibus, & criminalibus, quæ tractantur coram quibuscumque ordinariis; & proinde habet appellationem ab interlocutoria, nisi in casibus relatis. Vnde hoc decretum habebit locum in quibuscumque ordinariis, etiam Episcopo inferioribus.

109 At graue dubium est, an habeat locum in iudicibus delegatis etiam, & in ipsis ordinariis, quando cognoscunt in secunda instantia, vel tantùm quando cognoscunt in prima instantia.

210 Quidam censent, & satis probabiliter, procedere in interlocutoriis latis tam à iudice ordinario, quàm à delegato, tam in prima instantia, quàm in secunda. Probant primò, quia hoc decretum non est correctorium iuris communis, sed potius declaratorium, cùm ius antiquum declaret in quantum simpliciter disposuerat, ab interlocutoriis esse appellandum, vt intelligitur quando continent grauamen irreparabile per diffinitiuam: & lex declaratoria extendi debet ad casum similem, vt benè Bart. *l. si constante, ff. solut.matrim. num.*43. Item esto, sit correctorium, est extendendum ex identitate rationis assignatæ in eo, vt latè habes *lib.*3.*de matrim.disp.*42.*num.*4. ex multis Doctoribus. Sed *in dicto capite* 20. *Trid.* disponitur, quòd causæ in prima instantia terminentur biennio, & quòd ab interlocutoriis non appelletur: ergo mens, & ratio Concilij est, ne illud biennium consumatur in interponendis appellationibus ab interlocutoriis; sed in secunda instantia vertitur eadem ratio; immo & maior, cum vno anno terminari debeat, *capite cum Romana, de appellat.* & eadem ratio etiam procedit in iudice delegato: ergo. Tertiò, quia quando maior fauor vertitur in extensione legis, quàm in eius restrictione, debet extendi ex rationis identitate, vt benè Alex. *lege si constante, numero quinto, ff. solut. matrimonio.* Sed in extensione vertitur fauor Reipublicæ, cùm ad eam interest, vt litibus finis imponatur, in restrictione verò tantùm fauor priuati appellantis; ergo. Sic tenet Paz *pract.* 10. *tom.* 6. *part. proœmio. numero* 25.26. 27.28.

211 At satis probabile est etiam intelligi tantùm in iudicibus ordinariis, & quando cognoscunt in prima instantia; quia expressè in hoc casu loquitur, estque iuris communis correctorium, vt expressè dicit. Nauar. *suprà*; & patet, quia secundùm communem, vt diximus, erat discrimen inter ius ciuile, & canonicum, quòd iure ciuili non est appellatio ab interlocutoria; at iure canonico est: at si iure canonico tantùm esset, quando non poterat damnum reparari per diffinitiuam, nulla esset differentia: nam in hoc casu etiam iure datur appellatio, vt diximus: si ergo est correctorium, non debet extendi etiam ex identitate rationis, vt ex multis dixi *loco citato, de matrimonio*, maximè, quia totalis ratio huius decreti non est, vt finis litibus imponatur, sed etiam vt debitus honor deferatur ordinariis, à quibus passim auocabantur causæ. Secundò probatur, quia post Trident. Gregorius XIII. *in regula sua cancellariæ* 35. *citata supra numero* 204. tanquam quid speciale determinat, vt in causis agitatis in Romana Curia non admittatur appellatio ab interlocutoria, &c. Si ergo sensisset decretum Trident. intelligi generaliter, frustrà id tanquam speciale statuisset in illis causis. Sic colligitur ex sententia Nauarri citata.

212 Tandem nota quatuor circa exceptiones positas in dicto decreto Trident. & circa appellationes ab his interlocutoriis.

Primò nota, quòd *ibi* excipitur, vt liceat appellare, quando grauamen interlocutoriæ non potest reparari; quod idem est, quando difficile valde potest reparari in hoc enim casu æquiparantur, vt in simili habes ex multis *suprà hoc eodem dubio.* Et quia in maioribus, quod est valde difficile, reputatur impossibile; & sic *libro quinto de matrimonio, disputat. quinta*, 12. & 13. dixi esse probabile, quòd id quod pendet à voluntate Principis, quando difficile solet concedere, reputatur impossibile.

213 Secundò nota, quod licèt in secundo decreto Trident. non excipiatur casus in quo licèt appellare ab interlocutoria, scilicet quando non admittitur appellatio à diffinitiua, vt in primo decreto citato exceptus est: at adhuc censetur exceptus, quia tunc verè dicitur non posse grauamen reparari per appellationem à diffinitiua; quia est casus *ibi* exceptus, cùm non detur locus tali appellationi: & sic est regula generalis, quòd queries cauetur lege, vel statuto, quòd in aliquo casu non habeat locum appellatio, debet intelligi, quoad decisionem totius litis, & causæ principalis, non tamen in interlocutoria, vel actu, qui totam litem non





diritmit; quia tale grauamen non speratur reparari, vt docent Baldus *l. post sententiam, Cod. de sentent. & interlocut.* Antonius Gomez *tomo tertio, variar. capite* 13.*num.* 31.

214 Tertiò nota, quòd licèt decretum Concilij non excipiat, vt liceat appellare ab interlocutoria habente vim diffinitiuæ, adhuc liceret appellare: quia interlocutoria vim diffinitiuæ habens regulatur secundùm naturam diffinitiuæ, vt tradunt Alexand. Socinus, Conradus, quos refert, & sequitur Lancel. *de attent.* 2. *parte, capite* 12. *limit.* 1. *numero* 52. Barbat. *consil.* 31.*numero tertio, libro tertio*, Natta *consil.*92. *numero* 2.*lib.* 1. & sic Lancel. *ibi numero* 55. dicit, quòd statutum prohibens appellationem ab interlocutoria, non intelligitur de interlocutoria mixta, quæ habet vim diffinitiuæ, vt post Bart. & alios *l. Titia, ff. de accusat.* & Baldus, & alios per eum allegatos docet Alciatus *consil.*12. *numero quinto, lib.*7. Ruinus *consil.* 78. *num.*4. *volum.* 5. Butrio *consil.* 6. & ambo addunt, quòd statutum prohibens appellationem à diffinitiua, habet locum in interlocutoria habente vim diffinitiuæ.

215 Vltimò nota, quòd quando aliquis appellauit ab interlocutoria, & iudex non admisit appellationem, debet etiam ab ista non admissione appellare: aliàs appellatio censetur deserta, & non potest grauamen reparari per appellationem à diffinitiua. Sic Card. *Clement.* 1.*de dolo, & contum.quæſt.* 4. Matthæus, quem refert, ac sequitur Maranta *pract.*6.*part. tit. & quando appellatur, num.*421.

216 Vndecima difficultas est, an appellatio suspendat sententiam excommunicationis, & interdicti. Sit

217 Prima conclusio. Si appellatio præcedat has sententias, suspendit eas, ita vt hæ sententiæ post appellationem latæ sint omnino nullæ. Conclusio est certissima, & habetur expressè de excommunicatione, & interdicto, *capite dilectis, de appellatione*, & de excommunicatione idem habetur *capite licet de sententia excommunicationis in* 6. & *capite ad hæc quoniam, el* 5. *de appellatione*, & *ibi* à contrario sensu idem de interdicto: & de omnibus tribus idem habetur *capite præterea, el* 2. *de appellatione*, & ratio est, quia ad ferendas has censuras requiritur iurisdictio, quæ per appellationem est suspensa; vt latè dixi *in præcedentibus.*

218 Amplia primò appellationem legitimam suspendere, licèt non admittatur à iudice à quo; quia appellatio legitima ex se habet, quòd suspendat iurisdictionem iudicis à quo, & sit inualidum quidquid postea gesserit, *capite non solum, de appellatione in* 6. Sic Panormitanus *capite sæpe, eodem titulo,numero vigesimo*, & *ibi* Francus *numero decimo quarto*, Anchar. *numero sexto*, Antonius *numero* 25.

219 Secundò amplia conclusionem esse veram, licet non fuerit prosequutus appellationem, sed illam deseruerit, non enim conualescit sententia lata post legitimam appellationem, vt expressè habetur *capite licèt de sentent. excommunicat. in* 6. & ratio est, quia si præcessit appellatio legitima, iurisdictio iudicis fuit suspensa, & sic excommunicatio postea lata, fuit nulla: quod autem à principio nullum est, tractu temporis non conualescit; nisi denuo proferatur, *capite non formatur, de regul. iuris in* 6. Hoc etiam est contra Innocent. *capite sæpè de appellat. numero* 5. dicentem, quòd si intra terminum præfixum appellationi prosequendæ eam non prosequatur, est retro excommunicatus à die excommunicationis latæ. Idem Syluest. *excommunicatio, vltimo,quæstione secunda*, §. *tertio*, vbi ait, fortè dici posse, quòd appellatio excommunicationem non suspendit, nisi vsque ad terminum temporis, intra quod prosequenda erat, & consequenter hic est verè excommunicatus post illud

Universidad de Deusto
Biblioteca



tempus,& celebrans irregularis : & probat, quia *eo capite licèt* decernitur, vt hic expresè, & nominatim excommunicatus post appellationem , si eam non prosequatur, denuncietur excommunicatus , & ab omnibus vitetur tam in iudicialibus , quàm extrà : ergo est verè excommunicatus ; alioquin Ecclesia concedens ipsum posse denunciari excommunicatum, concederet posse mentiri. At nostram ampliationem docent Glossa *ibi verſ. excommunicationis* , & *ibi* Dominicus, & Archid.*numero ſecundo,& tertio*,Francus *numero* 1.Couar.*cap.alma mater*, 1.*parte* §.10.*num.*6. Neuo *cap. ſæpe,de appellat.num.* 74. 75. & *ibi* Panorm. *nnm.* 14. Ant.*ibi num.* 29. Immol. *ibi num.*30.Lapus *allegat.*1.Rota , quam *ibi* referunt Anchar. *eo capite licèt ,num.*1.& 2. Rosel. *verbo appellatio, num.*4. Angel. *ibi num.* 5. Tabien. *ibi quæſt.*6.§.7.& communis.

220 Nota primò , quòd licèt *dictum cap. licèt* loquatur de sententia excommunicationis : at idem dicendum est de suspensione , & interdicto , æquiparatur enim *cap.quærenti,de verb.ſignificat.* Sic Glossa, Francus , Archid. Dominic. Panorm. Neuo , Anchar. Anton. Immola *ibid.*

221 Secundò nota, quòd idem est , si appellans renunciet appellationi ; non enim per hoc conualescet excommunicatio post appellationem lata : patet eadem ratione. Sic Couar. Neuo *num.* 177. Panormit. Francus, Anchar.Ant.Immol.*ibi.*

222 Tertiò fit non esse irregularem eum , qui post appellationem fuit excommunicatus , & quia non prosequurus fuit appellationem , est denunciatus , iuxta *dictum cap.licèt,de ſentent.excommun. in* 6. licèt celebret; quia denunciatio illa non plus eum ligat , quàm excommunicatio , quæ fuit nulla , & ita non denunciatur tanquam verè excommunicatus , sed præsumptiuè. Sic contra Syluest. citatum tenent Rosel. *verbo appellatio, num.*4.& *ibi* Ang *n.*5.Tabien.*ibi q.*6.§.7. Archidiac. *dicto cap.licèt,num.*3. & *ibi* Dominicus , & videtur tenere Glos*l.verſ.nunciari.*

223 Quartò hinc fit , quòd licèt quando iudex non admittit appellationem ab interlocutoria , oporteat appellare à non admissione , aliàs appellatio manet deserta , vt dixi *suprà numero* 215. & appellatio ab excommunicatione æquiparetur , vt *infrà* dicam , appellationi ab interlocutoria : at licèt non appellet à non admissione , adhuc excommunicatio lata post appellationem est inualida ; quia ex quo legitima fuit appellatio, iam suspendit iurisdictionem iudicis , & excommunicationem. Item quia in appellationibus ab aliis interlocutoriis non suspenditur iurisdictio iudicis à quo, vt *supra* dixi ; secus in excommunicatione , vt *ſtatim* dicam. Item quia etiam appellatio manet deserta, quando eam non prosequitur appellans in termino, vel quando appellans illi renunciat. Et tamen excommunicatio antea lata post talem appellationem non conualescit ; quia si à principio fuit nulla , non conualescit postea. Sic quidam doctus recentior Iurisperitus.

224 Tertiò amplia conclusionem , vt non valeant excommunicatio , & aliæ censuræ post appellationem latæ , in tantùm hoc esse verum , vt licèt appellatio ab interlocutoria non impediat, quin iudex à quo possit vltrà procedere , vt *suprà* habes : at fallit quando excommunicatio , vel aliæ censuræ feruntur post appellationem ab interlocutoria ; sunt enim nullæ , & tanquam attentatæ reuocandæ. Sic Rota , Immola , quos refert, ac sequitur Lancellot.*de attent.*2.*p.c.*2 *ampliat.*8. *numero* 2.3.4. *& limit.*1.48.90.91.Francus *cap.bona, numero* 35. *verſ. ſecunda concluſio , de appellationib.* & alij , quos *ibi* refert.

225 Quartò amplia conclusionem , vt excommunicationem , & alias censuras suspendat præcedens appellatio , etiamsi extraiudicialis sit , vt expresè habetur *capite dilecti,el* 2.*de appellat.* & tenent *ibi* Panormitanus *numero ſecundo*, Francus *numero ſecundo*, Anton. *ibi numero ſecundo*, Immola *ibi num.ſecundo*,Neuo *ibi num.*9. Decius *ibi numero* 2.Cardin. *ibi num.*1. Beroius *cap.* 2.*de appell. num.* 14.Sylueſt. *verbo appellatio , quæſt.* 2. & *ibi* Ang. *num.* 2. Tabien. *excommunicatio* 2. §. 16. Maranta *practica* , 6.*part.tit. & quandoque appellatur , num.* 181. Dueñas *regula* 42.*limit.*8.

226 Hinc fit , quòd timens iniustè excommunicari à superiore,habet promptum remedium , scilicet appellare extra iudicium , & suspendet iurisdictionem iudicis. Sic Panorm. Fancus , Tabien. *ibi.*

227 Limita tamen primò conclusionem , si appellatio præcedens non suspendat excommunicationem , & censuras , quando iudex procedit extraiudicialiter , vt pars ad conseruationem iurium suorum , v. g. Episcopus est in possessione visitandi monasterium , admonet Abbatem , vt paret se ad visitationem , Abbas respondet monasterium esse exemptum , offert se in continenti probaturum coram ipso Episcopo , vel alio iudice competenti:& videns Episcopum paratum ad excommunicandum , appellauit ad Papam iusta causa expressa, Episcopus non obstante appellatione excommunicauit eum; talis excommunicatio valet , si constat Episcopum esse in possessione ; quia cùm esset in possessione, non tenebatur in præiudicum sui iuris admittere appellationem , nec etiam probationem recipere ; quia Episcopus procedit, vt pars pro conseruatione sui iuris, non autem vt iudex:& sic oblatio probationis non habet iustificare appellationem,vt habetur *capite interpoſita , de appellat. & capite cum inter Canonicos , de elect.* Vnde in hoc casu non tenetur Episcopus assumere causæ cognitionem. Sic licèt subobscurè , Innocentius *capite venerabili,de cenſibus , numero ſecundo , tertio*, Panormitanus clarè *ibi numero tertio*,Sylueſt. *Excommunicatio* 2. *numero primo, verſic. ſeptimo* , Angel. *excommunicatio* 3. *numero nono*, Armill.*verbo excommunicatio, numero* 16. subdit Panormitanus cum Innocent. esse consilium , vt Episcopus semper procedat extraiudicialiter , vt pars ad conseruationem iurium suorum , quia tunc non tenetur admittere probationem , vel appellationem , sed potest se defendere gladio spirituali , & temporali , vt *capite dilecto, de ſentent. excommunicat. in* 6. subdit etiam Panormitanus , quòd si sit dubium , quis sit in possessione. pendet ex futuro euentu ; si enim declaretur Episcopum esse , tenebit excommunicatio ; si verò declaretur monasterium esse in possessione , non tenebit. Sed hoc non placet , quia , vt statim dicam, excommunicatio nunquam est in pendenti , nec pender ex futuro euentu:maximè quia in hoc casu iustissimè propter dubium se tuetur monasterium.

228 Secundò limita conclusionem , quòd appellatio præcedens suspendat censuras , quando appellatio est legitima , id est , habet essentialiter requisita , vt sit valida ; alia enim appellatio , cùm non sit valida, non operatur appellationis effectus. Probatur ex *capite licèt , de ſententia excommunicationis in* 6. ibi *licèt excommunicationis ſententia post appellationem legitimam , & capite primo, de appellatione in* 6. *verſ. quod ſi* , vbi sic dicitur, *ſi appellatio præmiſſa non obſtante, reputabitur non appellans* ; & patet etiam ex iis , quæ tradit Felinus cum aliis , quos refert *capite cùm dilecta de reſcript. in* 6. §. *geſta contra formam* , vbi latè tradit gesta contra formam actus omnino corruere:& in propriis terminis tenet Couarruuias *practica, capite vigeſimo tertio , numero quarto , verſ. ſexto* , vbi hæc dicit : *Quoties appellatio iure non eſt admittenda, non operatur effectum ſuſpenſiuum , nec deuolutiuum*, & Lancel. *de attent.ſecunda parte , capite duodecimo , limitat.*50. *à numero* 1. per plures , Guido Papæ *deciſ.* 213. *numero* 6.Francus *capite vt debitus , num.* 47. *de appellat.* & multi alij , quos refert *ibi* Lancell. dicunt appellationem suspendere , quando est valida : & addit Lancellot. *à numero* 3. *vſque ad* 13. non tantùm hoc intelligi,quando appellatio est nulla , quia est friuola , & frustratoria , vel quia est prohibita appellatio , sed etiam quando poterat interponi ; at est nulla ob defectum aliquem substantialem requisitum ad appellationem , vt quia fit à minus legitima persona , non coram legitimo iudice, vel ad non legitimum iudicem , vel non interponitur tempore debito ; & sic Glossa *capite ſuggeſtum , de appellatione verſ. in vocem* , dicit quòd si Episcopus me excommunicet , & absens appellem , non suspenditur excommunicatio ; quia deficit aliquid substantiale appellationi , scilicet vt interponatur coram iudice à quo. Habes etiam *infrà.*

229 Intellige tamen hæc , nisi iudex etiam ex ignorantia deferat appellationi , quia quantumcumque inualida sit appellatio , modò sit interposita intra legitimum tempus , scilicet decem dies , suspendit , si iudex illi deferat , vt dixi latè *suprà hoc eodem dubio.* Si verò sit interposita post tempus , etiam si iudex illi deferat , non suspendit ; si tamen antequam labatur tempus appellandi,iudex ad quem inhibeat iudicem à quo,vt dixi etiam *suprà hoc eodem dubio.*

230 Sed quid dicendum , quando appellatio est friuola , non quia habeat defectum alicuius substantialis requisiti , vt sit valida ; sed quia causa grauaminis est falsa , verbi gratia , excommuniat me iudex , nisi soluero intra decem dies centum aureos , quos reuera debeo ; appello allegans falsò , me non debere , quia iam illos solui , & offero me probare : dubitatur , an hæc appellatio suspendat excommunicationem , ita vt transactis illis diebus non maneam excommunicatus non soluens.

231 Vt secernamus certa ab incertis , certum est , quòd si iudex à quo detulit appellationi , vel licèt non detulerit , est inhibitus per iudicem ad quem ante lapsum termini , in quo erat incurrenda excommunicatio , suspendit, vt *proximè* dicebamus.

232 Sed dubium est , quando iudex à quo non detulit appellationi , nec est inhibitus intra dictum terminum: & in hoc casu duplex est sententia.

Prima docet , quòd si est notorium , & constat appellationem esse friuolam , non suspenditur excommunicatio , sed ligat : si verò id non constat , sed dubium est , tunc quoad nos est dubia excommunicatio , & pendet ex futuro euentu , sed in se statim ligat , vel non ligat , si enim declaratur appellationem valuisse , non ligabat ; si autem declaratur non valuisse, ex tunc ligabat; quia ipsa excommunicatio nunquam stat in suspenso. Probatur, quia talis appellatio reuera est friuola , vt dixi *suprà* , & vt *ibi* dixi , appellatio friuola non suspendit, alias nunquam verificaretur , appellationem friuolam, id est , ex falsa causa , nihil operari. Secundò, quia *cap. licèt de ſentent. excommunic. in* 6. dicitur appellationem legitimam suspendere. Vbi Glossa *verſ. legitima*, inquit , id est , *ex causa vera* ; & *capite venerabilibus, de ſentent. excommunic. in* 6. *paragrapho ſed ſi* , dicit textus, suspendere , si ex legitima , & probabili causa appellet ; at falsa causa nec est legitima , nec probabilis.Hanc tenent Panormit. *capite Paſtoralis , paragrapho verum, numero* 14. *de appellatione & ibi* Henricus *num.* 11. 12. & *ibi* Anton. *num.* 17. & *ibi* Glossa *verſ. excommunicatio ſecum.* Cardinal. *ibi num.*3. Ancharan. *ibi num.*8.Ioan. Andr. & Hostiens. *ibi.* Neuo *ibi num.* 21. 22. 23. Immola *ibi num.* 5.

233 Secunda sententia probabilior docet, quòd excommunicatio nunquam pendet ex futuro euentu, sed quando sententia censuræ fertur post appellationem legitimam , statim est nulla , nec oportet aliter iustificare, & probare veritatem causæ appellationis , an sit vera, vel non : sed sat est , quòd sit appellatum prima facie ex tali causa , quæ si esset vera , deberet legitima reputari, vt excommunicatio post appellationem lata non valeat : vnde frustrà expectatur hic futurus euentus. Hactenus sunt formalia , & ad pedem litteræ verba Doctorum huius sententiæ , quos *mox* referam. Probatur ex *capite vt debitus , de appellatione* vbi docens textus appellationem interpositam ex legitima causa suspendere, subdit explicans , quæ sit causa rationabilis , id est , *talis, quæ ſi foret probata , deberet legitima reputari* ; & idem *ibi* Glossa *verſ. ex rationabili.* Item , quia iudex à quo tenebatur admittere talem appellationem , cùm sit manifestè friuola , immo causa rationabilis , de cuius falsitate non illi constat ; allegatur : vt patet ex *suprà* dictis : ergo licèt non deferat , suspenditur eius iurisdictio, vt constat ex dictis. Item quia quando allegatur causa iusta , licèt postea non iustificetur ea causa , appellatio illa annihilat postea facta , vt docent Francus *capite bona , numero* 35. *verſ. ſecunda concluſio , de appellatione.* & alij , quos *ibi* refert , & Rota , & Immola , quos refert , ac sequitur Lancellot. *de attentat.ſecunda parte cap.* 12. *ampliat.* 8. *numero* 2. 3. 4. *& limitatione* 1. *numero* 48. 90. 91. & etiam si postea declaratur causam appellationis non fuisse iustam , vt docet Lancellot.*eo cap.*12. *limitatione* 6. *numero* 46. 47. & Nauarr. *lib.* 1. *conſil. in nouis , titulo de offic. delegat. conſil.* 5. *numero* 5. Et licèt non probetur veritas causæ , Syluest. *verbo appellatio, quæſt.*2.Angel. *ibi numero* 11. Tabien. *quæſt.* 12. §.13. vnde dum textus , & Doctores citati pro prima sententia dicunt appellationem friuolam , & ex falsa causa, vel non rationabili , nil operari intelliguntur , quando notoriè est falsa, vel ita inanis , & frustratoria , vt etiam probata , & verificata non reputaretur iusta , & hoc esset clarum , vt probaui ex *cap. vt debitus , de appellat.* nam quoties est dubium,tenetur iudex appellationem admittere , vt probaui *suprà hoc eodem dubio.* Hanc tenent Francus *capite paſtoralis , §. verum, numero ſeptimo de appellationibus* , & Decius *ibi numero* 14. & docti Iurisperiti ex iunioribus

234 Hinc fit minus bene Sylueſtrum *verbo ſuſpenſio, quæſtione* 3. Bernard. & Hostiens. *capite paſtoralis , de appellat.* quos *ibi* refert , dicere , quòd appellans ex causa non legitima ab excommunicatione , & postea celebrans, si postea iudex declaret causam non fuisse legitimam , erit irregularis : at contrarium est omnino dicendum , quia hæc irregularitas est in pœnam contemptus censuræ ; hic verò deest hic contemptus. Item quia , vt dixi , hæc appellatio suspendit. Sic glossa communiter recepta *capite ſolet,verſ. in officiis , de ſentent. in* 6. Francus, & Probus *ibi.* Nauarr.*cap. cùm contingat, de reſcript. remedio* 3. & vtraque summa Lat. *cap.* 23. *numero* 104. *ſub finem* , Couarru. *cap. alma mater , 1.part.*§.7. *num.*7. *ſub finem.*

235 Tertiò limita conclusionem principalem , quòd appellatio præcedens suspendat censuras , modò in appellatione exprimatur causa rationalis , & probabilis grauaminis ( quæ verò sit rationabilis , & probabilis causa , explicui *suprà numero* 233. ) & ratio est , quia sententiæ censurarum sunt interlocutoriæ , vel trahuntur ad naturam sententiæ interlocutoriæ, quia omne præceptum iudicis , & omnis vox eius ad causam faciens dicitur sententia interlocutoria , vt bene Syluester, Angelus, Tabien. Armill. *vbi infrà.* Et quòd sententiæ censurarum sint interlocutoriæ , docent Sylueſter. *verbo ſententia , quæſtione* 3. Angelus *ibi initio.* Tabien. *ibi,* §. 1. Armill. *ibi numero primo.* Hieronymus , Paulus *practica cancellar. titul. ſi non obſtante lapſu temporis, fol. apud me* 553. *in praxi benefic.* Rebuffus *in fine.* Panormitanus *cap. paſtoralis, §. verum , numero* 11. *de appellat.& cap. præterea, el* 2. *eodem titul. numero* 14.*& cap. ſacro , de ſentent. excommunicat. numero* 5. Ioann. Andr.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*cap. venerabilibus, fine, de sentent. excommunicat. in 6.* Felin. *rubr. de sentent. & re iudic. numero 15.* Francus *cap. 1. de appellat. in 6. §. 1. num. 5.* Archidiac. *dicto cap. venerabilibus, numero 3. fine,* Dominic. Anton. Cardinal. & multi alij, quos refert *ibi* Felinus, at in appellatione ab interlocutoria necesse est, vt valeat exponere causas, vt dixi *suprà num. 186.* & pluribus aliis numer. sequent. Sic tenet Innocent. *capite ad reprimendam, de offic. ordin. numero 2. & capite per tuas, de sentent. excomm. numero tertio.* Panorm. *cap. sacro, eodem tit. num. 5.* Speculator *titul. de appellat. §. qualiter, num. 2.* Sylvest. *verbo appellatio, quæst. 4.* Ioann. Andr. Felin. Francus *hic* citati. addunt Innoc. *eo cap. per tuas, num. 3.* & Ioan. Andr. *dicto cap. venerabilibus, fine,* quòd licèt aliqui dicant valere appellationem ab his censuris absque expressione causæ: at id non est verum ratione dicta: & Nauarr. *cap. cùm contingat, de rescript. 6. causa. num. 7. 8.*

236 Hinc infertur primò, quòd etiam appellatio à censuris, vt suspendat, debet esse in scriptis, quia appellatio ab interlocutoria, vt valeat semper debet esse in scriptis, vt dixi *suprà num. 128.*

237 Secundò infertur, quòd sicut iudex potest reuocare sententiam interlocutoriam malè datam, non verò diffinitiuam, ita potest suam excommunicationem iniustè latam reuocare, non obstante contradictione partis aduersæ. Sic Panormitanus *cap. sacro, de sentent. excommun. num. 5.*

238 Quartò limita conclusionem principalem, vt appellatio præcedens non suspendat excommunicationem, quando alter litigans appellat ad Papam; alius verò ad inferiorem, tacito quòd alter appellarit ad Papam: & ille iudex ignorans alterum appellasse ad Papam, citat eum, & non comparet, nec mittit responsalem, quòd appellarit ad Papam: si enim hic excommunicet eum pro contumacia, valet. Sic habetur expressè *capite si duobus, de appellatione.* & glossa *vers. renebit*, reddit rationem, quia debuit ire, & allegare priuilegium suum. Idem Dueñas *regula 42. limitatione 4.* vide *suprà num. 147.* vbi ad hunc textum habes duas limitationes.

239 Quintò limita conclusionem, vt appellatio præcedens non suspendat excommunicationem, & censuras, quando iudex datus est cum clausula; *appellatione remota*; cùm enim non teneatur deferre appellationi, si excommunicat post appellationem, valet etiam si alter probabiliter appellet, nisi illa appellatio expressè reperiatur in iure approbata in illo casu, quia alia appellatio non suspendit iurisdictionem iudicis à quo. Sic tenent Panormitanus *capite pastoralis, de appellatione initio. numero nono* & *ibi* Francus *numero septimo* & *ibi* Decius *numero 35.* Abbas antiquus *ibi*, teste Franco, Lancellotus *de attent. 2. parte cap. 12. ampliat. 8. num. 11.*

240 Secunda conclusio principalis est. Si appellatio sit interposita post sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, non suspendit, nec tollit effectum harum censuratum, sed valent. De excommunicatione habetur *capit. pastoralis, §. verum, de appellat.* & de interdicto habetur expressè *cap. ad hæc quoniam, el 5. de appellatione.* & de excommunicatione, & suspensione habetur expressè, *cap. is, cui, fine, de sententia excommunicationis in 6.* Ratio assignatur in textu *dicto capite pastoralis, §. verum*, quia hæ sententiæ secum trahunt executionem, licèt Panorm. & Doctores *ibi* valde dubitent de hac ratione, & nituntur alias assignare.

241 Amplia primò conclusionem, vt non obstante tali appellatione possit iudex à quo interim, dum non absoluitur, priuare illum fructibus beneficij; & distributionibus quotidianis; quia excommunicatus iis priuatur. Sic Panormitanus *capite pastoralis, §. verum, de appellatione numero 17.* & *ibi* Immola, & Francus *ibi*, Dueñas *regula 42. limitatione 8.* Maranta *practica 6. parte titulo & quandoque appellatur, num. 179.* Lancel. *de attent. 2. part. cap. 12. limit. 22. num. 1.*

242 Secundò ampliant aliqui, non obstante appellatione, posse denunciari; sed de hoc habes *dubitatione sequenti.*

243 Limita tamen primò conclusionem, vt appellatio post excommunicationem, & alias censuras interposita, ipsas non suspendat, at si appelletur à declaratione, seu denunciatione excommunicationis, & censurarum, suspendet, & talis non potest declarari: quòd si declaretur, non valebit declaratio. Sic Tabien. *verbo appellatio, quæstione 9. numero 10.* Sylvester *ibi quæstione 5.* Angel. *ibi numero 8.* Maranta *practica 6. parte tit. & quandoque appellatur, num. 180.* Felin. *cap. Rodulphus, de rescript. num. 43.* multos referens. Francus *cap. is, cui, §. sanè, num. 1. de sentent. excommunicat. in 6.* Lancellot. *de attent. 2. cap. 12. limit. 21. num. 22.* Cardin. & Lapus *Clem. 1. §. si quis, de sequest. possess. quæst. 11.* Decius *cap. peruenit. el 1. de appell.* Couarr. *cap. alma mater, 1. part. §. 10. num. 4.* Ioann. Andr. *capite pastoralis, §. verum, de appellation.* & *ibi* Immola *fine,* Dueñas *regula 42. limit. 8.* Enriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 16. numero 2.* Perusinus *cap. is, cui, §. finali, de sentent. excommunicat. in 6.* Nauarr. *capite cùm contingat, de rescript. causa 15. nullitatis, & lib. 5. consil. in antiquis, tit. de sentent. excommunicat. consil. 12.* Gratian. *regula 173. num. 1.* limitant Immola, Tabien. Angel. Sylvest. Francus, & Lancellot. *num. 25.* nisi factum esset notorium: & addunt Angel. & Tabien. ita vt nulla tergiuersatione celari possit. Sed adhuc in hoc casu non potest hodie denunciari, quia licèt non appellasset à denunciatione, sed à sola excommunicatione, non potest hodie denunciari; quia licèt non appellasset à denunciatione, sed à sola excommunicatione, non potest hodie denunciari, vt habes *dub. sequenti.*

244 Nota in tantum hoc esse verum, quòd appellans à declaratione excommunicationis, de cuius valore dubitatur, licèt postea iudex aliquem declaret fuisse validam excommunicationem, non sit irregularis celebrando. Ratio, quia hîc non est contemptus obseruantiæ excommunicationis. Sic Immola, Dominicus, Lapus *Clement. 1. de sequestrat. possess.* Felinus *capite Rodulphus, de rescriptione numero 43.* Nauarr. vtraque summa Latin. *cap. 23. num. 104 sub finem.* At collatio beneficij huic facta erit irrita, quia ab hoc non excusat ignorantia. Felin. *ibi.*

245 An verò sine citatione possit aliquis denunciari, dicam *alibi.*

246 Secundò limita conclusionem, vt intelligatur de suspensione, & interdicto à spiritualibus, vt ab ingressu Ecclesiæ, à sacris, ab officio: at si sint à temporalibus, suspenduntur per sequentem appellationem; vt si sit interdictum, vel suspensio ab ingressu promerij possessionis, vel aqua, & igni. Ratio, quia *capite is, cui, de sententia excommunic. in 6.* tantùm dicitur, non suspendi per appellationem subsequentem suspensionem, & interdictum ab Ecclesiæ ingressu, & ab officio: & sic tantùm habet locum in iis spiritualibus, per quæ ligatur anima. Sic glossa *eo capite is, cui, fine*, Neuo *capite hæc quoniam, de appellat. numero tertio* & *ibi* Francus *numero 3.* Ioann. Andr. *num. 2.* Panormitanus *numero primo.* Henricus *num. 6.* Decius *num. 6.* Innocent. *numero 1.* Anton. *num. 2.* Immola *numero 1.* Hostiens. & Bald. *ibi.* Præpos. *ibi num. 2.* Sylvest. *verbo suspensio, quæstione 3.* Armill. *ibi numero 19.* Tabien. *ibi num. 9.* Angelus *suspensio, 2. num. 1.* limitat Decius, nisi id temporale esset connexum, & penderet ab excommunicatione, vel interdicto in diuinis.

247 Sed quid dicendum de sententia depositionis ab ordine. Iuxta sententiam Hostiens. Sylvest. Tabiena Armill. Innocent. *infrà* citandam *num. 251.* asserentium non suspendi per appellationem subsequentem suspensionem à beneficio, quia est quid spirituale: idem dicendum erit de depositione ab ordine, quia est quid spirituale.



248 At verius est sententiam depositionis suspendi per appellationem sequentem, sicut aliæ sententiæ capitales suspenduntur. Nec obstat, quòd depositio ab ordine continet in se suspensionem, quia respondent Doctores citandi huius sententiæ, quòd differunt in hoc, quòd suspensio non dicit ex natura sua remotionem perpetuam ab altaris ministerio, sed ad tempus: at depositio est perpetua remotio ab altaris ministerio; vnde (inquiunt) depositio non est propriè censura: vel (vt dicit Sylvester *verbo degradatio, initio*,) differunt suspensio, degradatio, & depositio, quòd degradatio propriè importat priuationem executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis cum certa solemnitate, & priuatione omnis priuilegij clericalis; depositio verò est priuatio eorumdem absque spe restitutionis, & perpetua, sed retento clericali priuilegio canonis, & fori: suspensio est priuatio eorumdem simpliciter, & ad tempus cum spe dispensationis: at speciale est in censuris, ne suspendantur per appellationem subsequentem; quia sunt medicinales, & ad correctionem ordinatæ, ne prætextu friuolarum appellationum impediatur correctio; at depositio est maxima pœna. Sic Neuo *capite sæpè, de appellat. numero 81. 84.* Francus *ibi numero 32. 33.* Panormitan. *ibi numero 15.* glos. *ibi vers. sententia*, Anton. *ibi num. 30.* Præpos. *ibi num. 38.* Lancell *de attent. 2. p. c. 12. præfatione num. 84. 95.*

249 Hinc fit idem dicendum à fortiori de sententia degradationis, quòd scilicet suspenditur per appellationem subsequentem.

250 Secundò infertur contra Neuo *dicto cap. sæpè numero 81.* dicentem non posse sic depositum, pendente appellatione, exercere ea, quæ habet ratione publici officij; secus quæ ratione priuati: infertur (inquam) posse vtraque exercere sicut ante depositionem, quia reuera non est depositus: cùm enim appellatio suspendat sententiam, reducit res ad pristinum statum. Sic Francus *eo capite sæpè, numero 36.* & *ibi* glossa *vers. sententia.* Panormitan. *cap. 2. vt lite pendente, num. 6.* Anton. *eo cap. sæpè, num. 30.* Lancellot. vbi proximè citatus.

251 Sed quid dicendum de sententia suspensionis à beneficio. Quidam dicunt suspendi per appellationem subsequentem, quia est suspensio à perceptione fructuum, vel à præbenda; quia hæc temporalia sunt: secus si est suspensio ab ipso beneficio, vel canonicatu; quia hæc spiritualia sunt. Sic Host. *cap. ad hæc quoniam, el 5. de appellat.* & videtur *ibi* tenere Innoc. & idem dicit videri tenendum Sylvest. *verbo suspensio, quæst. 3.* & tenet *ibi* Tabien. *quæstion. 8. §. 9.* & Angel. *suspensio, 2. num. 1.*

252 At verius est suspendi per appellationem subsequentem suspensionem à beneficio; quia *cap. is, cui de sentent. excommun. in 6.* tantùm dicitur non suspendi suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ: & sic tantùm habet locum in his spiritualibus; per quæ ligatur anima, & quorum violatio inducit irregularitatem. Sic glossa *eo cap. is, cui, fine,* & *ibi* Ioan. Andr. Nauarr. *lib. 1. consil. in antiquis, tit. de elect. cons.* 8. Henricus *cap. ad hæc quoniam, el 5. de appellat. numero 6. 7.* Panorm. *ibi num. 3.* Francus *ibi num. 3.* Anton. Immola *ibi num. 1.*

253 Hinc infertur suspendi etiam per appellationem subsequentem suspensionem à pontificalibus, & vsu pallij, quia horum violatio non inducit irregularitatem, & quia hæc plus dependent à iurisdictione, quàm à potestate clauium. Sic contra Innocent. *dicto capite ad hæc, quoniam, num. 4. fine,* tenent *ibi* Neuo *numero septimo*, Panormitanus *numero primo*, Immola *numero 1.* Francus *numero 3.* Nauarr. *proximè citatus*, Anton. *eodem cap. num. 3.*

254 Secundò infertur suspendi etiam per appellationem subsequentem suspensionem à voce actiua, & passiua, à collatione, vel possessione beneficij, quia horum violatio non inducit irregularitatem. Sic Nauar. *proximè citatus.*

255 Tertiò limita conclusionem, vt intelligatur non suspendi suspensionem per appellationem subsequentem, quando suspensio imponitur ob contumaciam, vt si iudex iubeat aliquid facere sub pœna suspensionis latæ: secus verò quando imponitur in pœnam delicti, vt si iudex ob aliquod delictum damnet clericum pœna suspensionis, talis enim sententia suspensionis suspenditur per appellationem subsequentem. Hoc est contra Neuo *capite ad hæc quoniam, el 5. numero nono, & capite sæpe, numero 86. de appellat.* & *ibi* Francus *numero 34.* & Azebedo *libro tertio recopilat. titulo quinto, l. 12. numero tertio*, dicentes non suspendi per appellationem subsequentem suspensionem inflictam in pœnam delicti, quia *is, cui, de sentent. excommunic. in 6.* simpliciter dicitur, quòd suspensio ab officio non suspenditur per appellationem subsequentem; ergo indistinctè debet intelligi, siue fiat ob contumaciam, siue ob delictum. At satis probabile est suspendi per appellationem subsequentem. Ratio, quia ideo dicunt Doctores, vt dixi *suprà numero 247.* sententiam depositionis suspendi per appellationem subsequentem; quia est speciale in censuris, vt non suspendantur, quia sunt medicinales, *capite primo de sentent. excommunic. in 6.* fiunt enim, vt peccator conuertatur, & pœniteat, & cesset contumacia, *capite ex parte, el 1. de verborum significatione*: vnde vt clericus conuertatur, iura non permiserunt, quòd per appellationem censuræ suspendantur: at depositio est maxima pœna, nec datur, vt medicina, vt resipiscat, & cesset contumacia: at idem est in suspensione (& simile est in interdicto, licèt Doctores citandi id non explicent) quando non fertur in contumaciam, vt resipiscat, sed pro delicto præterito: ergo. Secundò probatur à simili: nam etiam iura disponunt, vt suspensio non feratur sine monitione. *capite reprehensibilis, de appellat.* Et simile est de interdicto, argument. *capite statutum, de sentent. excommunicat. in 6.* & docet Panormitanus *eo capite reprehensibilis*, & Sylvest. *verbo suspensio, quæst. 4.* At hæc intelliguntur, quando feruntur pro contumacia, non autem quando feruntur in pœnam delicti; & videtur colligi ex *capite tam literis, de testib.* Et Sic tenet *ibi* Sylvest. & Innocent. *cap. 1. de excess. numero 3. & capite ad hæc quoniam, el 5. de appellat. numero 4.* Panormitanus, & Præpositus, statim citandi. Et ratio est, quia tunc non est medicina, sed pœna: ergo similiter in nostro casu. Hanc sententiam tenet Panormitanus *capite sæpe, de appellat. numero 26.* & *ibi* Præpositus. *numero 37. 38.* Gregorius Lopez *parte prima, titulo 9. leg. 21. vers. de diuidendo*, & idem dicit Præpositus. de interdicto lato in pœnam.

256 Quartò limita conclusionem, vt intelligatur, quòd appellatio subsequens non suspendat has censuras, quando purè latæ sunt: si enim ferantur sub conditione, vt nisi solueris intra tot dies, sis suspensus, vel excommunicatus; si ante euentum conditionis appellet alter, talis appellatio subsequens suspendit, vt habetur expressè *capite præterea, el secundo de appellat.* & docent omnes citandi: & ratio est, quia ante conditionis euentum hæc sententia non fortitur vires.

257 Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca



257 Sed circa has sententias conditionales sunt aliquæ difficultates hic disputandæ; antequam vlteriùs progrediamur: & suppono priùs quòd dictio *nisi*, posita in sententiis, facit dispositionem conditionalem, vt tradit Decius *cap. præterea, el 2. de appellat. notab. 1. & ibi* Francus *numero 3.* per illum textum, Præpositus *ibi num 1.* Anton. & Immola *ibi*, Lapus *allegat. 73.* Rota, vt refert, & sequitur Lancellot. *de attent. 2 part. cap. 12. præfatione, n. 103.* & dicit *num. 102.* esse hoc maximè notandum in curia Romana, vbi ferè semper solet excommunicationis sententia ferri sub hac forma, nisi ad primam, vel intra dies, suspenditur enim per appellationem.

258 Prima ergo difficultas est, an in sententiis censurarum latis sub conditione, verbi gratia si intra triginta dies non solueris, excommunico te, requiratur vt intra decem dies appelletur: vt appellatio valeat, vel sat sit quandocunque ante euentum conditionis.

259 Duplex est sententia (non enim curo de sententia Gofredi, & Rofredi, quam refert Panormitanus *ibi infrà*, dicentium in quibuscunque sententiis conditionalibus sat esse appellare ante conditionis euentum, licèt transacti sint dies; eam enim communiter Doctores reiiciunt, nec facit ad meum propositum.

Prima sententia ait, quòd tenetur appellare intra decem dies, licèt nondum impleta sit conditio, aliàs sententia transibit in rem iudicatam; nec suspendetur excommunicatio, sed contrahetur adueniente conditione. Ratio, quia aut sententia lata sub conditione grauatur, aut non: si grauatur; ergo debet appellari necessariò intra decendium, vt patet ex *supra* dictis: si non grauatur; ergo ante euentum conditionis nequit appellari. Sic tenent Brixiensis, Ægidius, Tancredus, & Vincentius, quos refert, dicens hanc sententiam in puncto iuris esse veriorem, licèt oppositam dicat esse communem, & ab ea non recedendum, Neuo *capite præterea, el 2. de appellat. numero vigesimo septimo*, Panormitanus *ibi numero octauo, nono*, Tabien. *verbo appellatio, quæstione sexta, §. septimo*, & hanc dicit esse probabilem Decius *eo capite præterea, num. 15.*

260 Secunda tamen sententia multò probabilior, & communior ait, quòd licèt in aliis sententiis sit necessarium appellare intra decendium, licèt conditio non sit implicita; at in censurarum sententiis potest appellari intra totum illud tempus ante conditionis euentum, licèt transactum sit decendium. Probatur ex *cap. præterea, el 2. de appellat.* vbi dicitur, quòd quando fertur excommunicatio, nisi intra viginti dies solues, si medio tempore appelles, suspenditur excommunicatio; sed licèt appelles post decendium, diceris medio tempore appellare: ergo. Et ratio differentiæ est inter sententias censurarum, & alias; quia in sententia censuræ conditio non trahitur retrò (vt post omnes Doctores citandos tradit optimè, & cum multis Couarr. *capite alma mater, prima parte, §. decimo, numero sexto*) aliàs adueniente conditione, non tantùm tunc, sed etiam medio tempore erit excommunicatus: & sic, si celebrarit, erit irregularis: & sic cùm vsque ad euentum conditionis ipsa censura non liget, appellatio interposita præcedet censuram, & sic suspendet: at in aliis sententiis conditio trahitur retro ad diem prolationis sententiæ. Item, quia quando grauamen habet causam succeßiuam, etiam post decendium licet appellare, vt *suprà* dixi; secus quando tantùm habet momentaneam: at cæteræ sententiæ non dicuntur habere causam succeßiuam, sed momentaneam; quia trahitur conditio retro ad momentum sententiæ, non sic in sententiis censuræ, quæ non trahuntur retro, nisi ad tempus existentis conditionis, & ideo interim ante conditionis euentum toto eo tempore dicuntur grauamen habere succeßiuum. Et quòd non retrotrahatur in censuris, patet, quia ante euentum conditionis non est contumacia, quæ requiritur ad extrahendam excommunicationem, & alias censuras. Hanc tenent glossa *cap. præterea, el 2. de appellat. verßc. impedire*, & *ibi* Ioan. Andr. *numero 17.* Præpost. *num. 14. 15.* Innocent. *numero 4.* Francus dicens communem *num. 9.* Anton. *num. 22.* Cardinal. *propè finem.* Henricus *num. 2.* Anchar. *num. 5.* Immola *num. 7.* Decius *num. 15.* Host. *ibi*, Archid. *cap. biduum, 2. quæst. 6.* Baldus *l. etsi clericus, Cod. de Episcop. audient.* Speculator quem refert, & sequitur Francus *supra*, Ioan. Monachus *cap. quicumque, de sententi. excommunicat. in 6.* Couarr. *cap. alma mater, 1. part. §. 10. num. 4.* Lancell. *de attent. 2. part. cap. 12. limitat. 21. numero 15. & limitat. 50. num. 177. & à num. 104. ad 109.* Sylueſt. *excomm unicatio, vltimo, quæſt. 1.* Nauarr. summa Lat. noua *cap. 27. num. 273. fine, & cap. cum contingat, de reſcript. cauſa 14. n. 7.* Francus *cap. is cui, §. sanè, num. 2. de sentent. excomm. in 6.* & *ibi* Perusinus.

261 Nota quòd aliqui Doctores huius sententiæ eam limitant, vt valeat talis appellatio à sententia conditionali censurarum ante euentum conditionis, transacto etiam decendio, quoad effectum suspendendi censuras, non verò quoad effectum deuoluendi negotium ad superiorem, nisi appelletur intra decendium. Hoc videtur tenere Præpositus *cap. præterea el 2. de appellat. num. 14.* & id attribuitur Ioan. Andr. & Antonio *illic*, & id etiam attribuunt sic Doctores Immola *eo cap. præterea, fine*, & *ibi* Francus *num. 9.* Sed Antonius, & Ioan. Andr. id non dicunt, sed quod *infrà notabili 4.* vnde dicendum est talem appellationem post decendium interpositam habere vtrumque effectum; quia *dictum cap. præterea*, indistinctè loquitur. Sic Francus & Immola *ibi.*

262 Secundò nota esse limitandum, quòd sententia conditionalis censurarum suspendatur appellatione interposita ante conditionis euentum, quando sententia lata est ab homine; secus si per prædicta verba lata est à canone, vt *in capite 2. de rebus Eccleſ. non alienand. paragrapho laici*; & multis aliis textibus, quia à sententia iuris non appellatur. Sic Ioan. Andr. *eo cap. præterea, num. 17.* Anchar. *ibi num. 5.* Henricus *cap. ad hæc quoniam, el 5. num. 5. de appell.*

263 Tertiò nota, an appellatio ante euentum conditionis ab excommunicatione conditionali suspendat non tantùm excommunicationem, sed etiam quod præcipitur sub excommunicatione, si transactum sit decendium; sic enim est distinguendum, dupliciter potest dicere iudex. Primò condemnando ad aliquid soluendum, quod si non soluat intra certum tempus, verbi gratia triginta dies, excommunicat. Secundò si excommunicat aliquem, nisi soluat centum intra triginta dies. Quando hoc secundo modo dicit, est vnum mandatum, & sic quandocumque appellet, ante conditionis euentum, suspendetur non tantùm excommunicatio, sed etiam solutionis præceptum; si verò primo modo, tunc sunt duo mandata, & sic si appellauerit intra decendium, suspenditur vtrumque, si verò post, ante tamen conditionis euentum, suspendetur excommunicatio; at mandatum de soluendo transibit in rem iudicatam, est enim speciale in sententia censuræ: & cùm sint duo mandata diuersa, nihil prohibet valere appellationem in vno, in alio verò non. Quòd si opponas, ad suspendendum excommunicationem, est opus, vt appellatio sit legitima; hæc verò videtur iniusta, cùm condemnatio transierit in rem iudicatam. Respondent Ioan. Andr. & Anchar. *vbi infrà*, quòd licèt teneat condemnatio, grauari potest in executione. Sic tenent Ioan. Andreas *capite præterea, el 2. de appell. n. 4.* & *ibi* Henric. *n. 1. 2. 3.* Anchar. *ibi num. 6.* Innoc. *ibi num. 1.* Host. *ibi principio.* Præpost. *num. 21.*

264 Quartò nota hoc etiam esse speciale in sententiis conditionalibus: quòd si in aliis sententiis conditionalibus, quæ non sunt censurarum, conditio, vel dies existat intra decem dies, adhuc vsque ad decimum diem potest appellari, non obstante, quòd euenerit conditio: at in sententiis censurarum non quoad suspendendum censuram, sed necessariò debet appellari ante euentum conditionis, licèt benè quoad deuoluendum negotium ad superiorem. Sic Ioann. Andr. *capite præterea, el 2. de appellat. numero 17.* & *ibi* Anton. *numero 22.* & *ibi* Francus *num. 9.*

265 Sed quid dicendum, quando non est excommunicatio lata, sed iudex protulit sententiam diffinitiuam contra me, & quia illi nolo parere, & nondum est transactum decennium, in quo mihi licèt appellare, me excommunicat, appello postea, antequam ttansactum sit decennium à prolatione sententiæ diffinitiuæ, an valeat talis excommunicatio, vel potiùs suspendatur per appellationem postea factam intra decennium à tempore diffinitiuæ. Archidiac. *capite non solum, de appellat. in 6. numero secundo, & capite venerabilibus, de sentent. excommun. in 6. numero secundo*, & Innocent. *cap. solet, de sentent. excommun. numero 11.* dicunt reuocandam esse tanquam attentatam, quia *eo cap. non solum*, decernitur non tantùm facta post appellationem reuocari tanquam nulla, & attentata, sed etiam facta intra tempus datum ad appellandum. Subdit tamen Archid. *eo cap. venerabilibus, numero secundo* esse absoluendum ab excommunicatione: quod Ioan. Andr. *ibi n. 5.* dicit se non capere, quomodo dicat indigere absolutione, cùm dicat sententiam tanquam attentatam, & nullam reuocandam.

266 At dicendum est excommunicationem ligare, nec suspendi per appellationem sequentem; quia hoc est speciale in censuris, quòd latæ intra tempus datum ad appellandum ligant, nec per appellationem sequentem suspenduntur. Sic Glossa *cap. venerabilibus, de sentent. excommun. in 6. §. porrò, verſ. appellatum*, per illum textum, idem Ioann. Andr. *ibi numero 5.* Francus *ibi numero 5.* & *ibi* Dominicus, Henricus *cap. per tuas, de sentent. excommun. numer. 1. 2. & cap. paſtoralis, de appellat. 9. 10.* Neuo *ibi*, §. *verum, num. 21.* Speculator *tit. de appellat. §. de officio, num. 17.* Couar. *pract. cap. 23. num. 2. fine*, Felin. *cap. quod ad conſultationem, de sentent. & re iudic. num. 27.* Nauarr. *cap. cùm contingat, de reſcript. 7. cauſa nullitatis, num. 14.* Milis *in repertorio, verbo sententia excommunicationis lata, & verb. attentata pendente tempore, fol. 29.* Lancel. *de attent. 2. part. cap. 11. num. 34.* & communis.

267 Sed contra, excommunicatio non potest fieri absque culpa mortali, sed ille non peccat mortaliter, non parendo diffinitiuæ intra tempus appellandi, cùm adhuc possit appellare: ergo. Respondetur, quòd hæc doctrina non potest intelligi, quòd statim ac non paret sententiæ, possit iudex illum excommunicare, cum etiam decennio transacto id non possit, sed debet præcedere monitio comminans excommunicationem, nisi paruerit, & tunc in hoc casu licèt iudex malè faciat cogendo, & excommunicando, nisi pareat, antequam transeat decennium, at tenebit factum: & sic necessariò est dicendum peccare mortaliter, ni pareat tatione præcepti. Hoc colligitur ex Glossa *eo cap. venerabilibus, §. porrò, in summa illius §. paulò post principium*, vbi sic dicit; *Meus Episcopus condemnauit me, & monuit sub pœna excommunicationis, vt soluerem Titio aliquam summam infra octo dies: certum est, quòd Episcopus debet expectare decem dies, antequam me excommunicet: si tamen transactis illis octo diebus me excommunicet, iniustè facit, at tenet excommunicatio, licèt postea appellem.*

268 Secunda difficultas circa has censuras conditionales est, an sicut suspenduntur, si ante conditionis euentum appelletur: ita etiam si à iudice effectus interdicti, vel aliarum censurarum suspendatur ad tempus, & durante suspensione appelletur, appellatio illa suspendat deinceps effectum harum censurarum

269 Triplex est sententia.

Prima omnino negat suspendi. Ratio, quia hæc non est noua sententia, sed censetur vnum, & idem interdictum: vnde cùm non fuerit appellatum, antequam incurreretur, si modo durante illius suspensione appelletur, non suspenditur. Sic Gregor. Lopez *part. 1. tit. 9. l. 21. verſ. de denedo*, Innoc. *c. cùm inter, de consuet. num. 2.* Calderinus *cap. ad hæc quoniam, el 5. de appell.* & *ibi* Perusinus, & *ibi* Decius *num. 14.* & *ibi* Baldus & *l. finali, C. si à non compet. iud.* Angel. *l. si vnus, §. 1. ff. de pact.* Henricus *dicto cap. ad hæc quoniam, num. 5. 6.* & videtur tenere *ibi* Francus *num. 6.* & tenent Vicentius, Laur. Tancred. vt refert, & sequitur Glossa *cap. dilectis, de appell. verßc. suspendendum.*

270 Secunda sententia docet, quòd, si quando latum est interdictum, non appellauit, antequam ferretur, & iam est transactum decendium, ex quo latum est, licèt postea suspendatur, & appellet, nil prodest appellatio: quia non est nouum interdictum, & iam est lapsus terminus appellandi, si verò antequam labantur decem dies, qui dantur ad appellandum, suspendatur interdictum, & interim ante lapsum decendij appelletur, suspenditur interdictum. Sic Neuo *ad hæc quoniam, el 5. de appell. num. 34.*

271 Tertia sententia probabilior docet, absolutè suspendi effectum imterdicti per talem appellationem, quia reuera tunc interdictum non ligat, & censetur, ac si latum esset sub conditione, & appellaretur ante conditionis euentum: fauet etiam valde *cap. dilectis, §. quia verò, de appell.* Sic tenent Host. *cap. ad hæc quoniam, el 5. de appellat.* & *ibi* Panorm. *num. 5.* Immola *ibi, fine*, Anton. *ibi num. 5.* Ioann. Andr. *ibi num. 6.* Card. *ibi fine*, Sylueſt. *interdictum 3. quæſt. 8. particula 2.* Rosel. *interdictum 4. num. 4.* Angel. *interdictum 8. numero 4.* Tabien. *interdictum 1. quæſt. 1. §. 2. differ. 7.* Armill. *verbo interdictum num. 3.* Additque Card. hoc esse verum, licèt sit transactum decendium postquam latum est interdictum. Tenet etiam D. Anton. *3 part. tit. 26. cap. 5. initio.*

272 Nota idem dicere de suspensione: at negant id de excommunicatione, quia (inquiunt) effectus excommunicationis non potest suspendi ad tempus, Sylueſt. D. Anton. Angel. Rosel. Host. *ibi*, at cùm satis probabile sit posse etiam effectum excommunicationis suspendi ad tempus, vt in materia de excommunicatione dicitur, dicendum est etiam, quòd si tunc appellaretur, teneret appellatio, & suspenderet Sic Tab. *ibi*; & idem dicerent reliqui Doctores, si censerent posse eius effectum suspendi; quia quoad suspensionem per appellationem, hæ tres censuræ sunt anomalæ, vt benè docet Gregor. Lopez *part. 1. tit. 9. l. 21. verßc. de denedo*, & constat ex omnibus dictis, eodem enim modo, & textus, & Doctores de illis loquuntur.

273 Tertia difficultas circa has censuras conditionales est an si in sententia excommunicationis, vel aliarum censurarum lata sub conditione, vel in diem, dicat iudex, nisi solueris intra viginti dies, ex nunc, provtunc, sis excommunicatus: an tunc eo non soluente retrotrahatur excommunicatio, ita vt excommunicatus, sit ex die, quo lata est, vel tantùm ex die, quo non impleuit conditionem. Et videtur retrotrahi, quia illud *ex nunc*, denotat momentum immediatum, *l. lecta, §. finali*, vbi per Bartol. & alios, *ff. si certum petatur.* Et sic Bald. *l. si contra rogatus, in principio, C. ad Trebel.* dicit, quòd dicta verba operantur, vt conditio retrotrahatur, vbi aliàs non traheretur.

274 At dicendum est non retrotrahi, quia censura non potest ligare, antequam sit contumacia; at non est contumacia ante euentum conditionis, Sic Bald *proximè citatus, & cap. præterea, el 2. de appellat. & ib* Francus *numero 15.* dicens communem, Decius *num. 22* Innocent. *num 4.* Hostien. *ibi*, Panorm. *n. 11.* Neuo *ibi num. 45*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*num.*45.46.Tabien. *excommunicatio*, 2. §.16.facit Glossa *Clem.*1. *de concess. præbend. vers.ex tunc.*

275 Hinc fit, quòd si interim appellatur, suspendetur excommunicatio. Sic Anchar. *consil.*204.Gregor.Lopes *part.*1.*tit.*21.*l.*9.*vers.de deuiedo.*

276 Quarta difficultas est circa has censuras conditionales, an si iudex præcipiat Petro, vt faciat aliquid intra viginti dies sub excommunicatione lata, si interim Petrus mutet domicilium, & efficiatur de alieno foro, incurrat adueniente conditione.

277 Quidam dicunt incurrere, nisi medio tempore appellasset, argument. *cap. penult.de foro compet.& l.statu liberi, Cod.de testam. manum.* Sic Glossa *cap. præterea, el.*2.*fine, de appellat.* Tancredus, Goffredus, Brixien.quos refert Butrio *infra.* Idem Francus *eo c.præterea, num.*10. Innocent.*num.*1.Hostiens. *in principio, & fine*, Panor. *ibi numero* 10. D.Anton. 3.*part. titul.*24.*cap.*74.Angel.*excommunicatio* 3. *num.* 18. Rosel. *excommunicatio* 7. *numero* 31.Tabien. *excommunicatio* 2.§.10. Sylvest. *ibi* §.1. *casu* 15.

278 Alij verò dicunt non incurrere, quia si per appellationem medio tempore factam cessat excommunicatio, quia suspenditur iurisdictio iudicis, à fortiori per mutationem fori, in quo omnino extinguitur iurisdictio. Sic Archid. *cap.*2.*de constit. in* 6. & Damasus, quem refert Butrio *infrà.*

279 Primò dico, quod si ex mutatione fori simul muratur causa sententiæ, non ligat, vt si excommunicauit, nisi intra triginta dies resideat in beneficio, & interim illud renunciet, vel expressè, vel tacitè nubendo, quia iam cessat causa residentiæ. Et sic tenent omnes Doctores citandi, nec negarent Doctores primæ sententiæ: quia est clarum, etiamsi non mutauit domicilium; quia iam cessat omnino causa residentiæ, nec residere potest.

280 Secundò dico, licèt non cessarit causa sententiæ, si delictum originem habuit in domicilio excommunicantis, vt si iudex excommunicat, nisi solueris Titio, qui est intra illud domicilium, intra triginta dies, tunc licèt interim mutes domicilium, incurres; quia iam delictum, & contumacia cœpit in illo domicilio. Et in hoc concordant Doctores citandi cùm prima sententia Glossæ, & aliorum. Sic Neuo *cap. præterea, el* 2. *de appellat. numero* 36. Immola *ibi numero* 7. Baldus *ibi* Anton.*ibi numero* 23. Præpos. *ibi num.* 17. Anton. addit contra Doctores primæ sententiæ hoc habere verum, licèt medio appellet; quia mutando forum, remanet appellatio deserta. Sed *in fine illius numero* 23. concludit veram esse sententiam Glossæ, & aliorum, quòd si medio tempore appellet; quia si appellatio initio suspendit, iam non valet excommunicatio, quæ postea non sortitur vires, eo quòd deseratur appellatio, vt *suprà* probaui. Si verò (inquit Anton. *eo numero* 23.) delictum non habuit originem in loco domicilij, sed omnino extrà, non incurrit, vt si iudex excommunicat furem, si furtum feceris, & mutas domicilium, & ibi furaris; non incurris, per *cap.*2. *de constit. in* 6. §. 1. At contrarium cum Doctoribus primæ sententiæ tenent, scilicet in hoc casu etiam incurrere, reprobantes Antonium Baldus, Immola, Præpositus, Neuo *proximè citatus*, quia quoad iurisdictionem inspicitur principium iudicij, *l. cùm quædam, ff. de iurisdict. omn. iud.* Et sic sat est, si fuerit de iurisdictione, cùm excommunicatio lata est sub conditione, si furtum feceris. Nec obstat *cap.* 2. *de constit. in* 6. §. 1. vbi excommunicatio contra delinquentes non ligat delinquentes extra territorium; quia loquitur in statuto; secus in excommunitione lata contra certam personam: ligat enim delictum factum extra territorium, cùm sic præuenta persona: & Præpos. dat rationem differentiæ inter statutum, & sententiam; quia in legibus conditio nunquam retrahitur, sed inspicitur tempus celebrati actus, *l.*1. *ff. de pec.* & sic non mirum, si statutum conditionale non liget personam, quæ mutauit, rerum pendente conditione.

281 Quinta difficultas circa has sententias conditionales censurarum, an si pendente conditione iudex est mortuus, vel amotus ab officio, liget censura committentes delictum, v. g. excommunicat me iudex, nisi soluam intra triginta dies, interim moritur, vel cessat eius officium, an si non soluam illo termino, incurram.

282 Quidem affirmant incurrere, quia per mortem, vel remotionem iudicis acta, & sententia non expirant. Sic tenet Glossa *capite Salonitanæ* 63. *dist. verse. sub excommunicationis, fine*, Baldus *capite præterea, el* 2. *de appellat.*

283 Sed dicendum est, quod si tulit excommunicationem per viam statuti, scilicet faciendo statutum, non expirat, quia statutum est perpetuum, secus si per modum sententiæ, quia excommunicatio lata ab homine expirat authore mortuo, vel amoto ab officio, vt dicitur in materia *de excommun.* Sic Sylvest. *excommunicatio* 2.§. 1. *casu* 15. Angel. *excommunicatio* 3. *numero* 18. Rosel.*excommunicatio* 2. §.10. Anton. *tertia parte, titulo* 24.*capite* 74.*fine*, Archid.*capite* 2.*de constit. in* 6. Ioan. And.*cap.*1.*ne sede vacante in* 6. Glossa *cap. à nobis, el* 1. *de sentent.excommunicat.vers. non nisi*, & *ibi* Panormitanus *numero* 12.Neuo *cap.præterea, el.*2.*de appellat. numero* 38. & *ibi* Francus *numero* 11. & *ibi* Præpositus. *numero* 9.

284 Sexta difficultas circa has censuras conditionales, an si conditio sit de non appellando, an incurrat appellans. Breuiter dico, quòd si iudex sic dicat, excommunico te, si appellas, vel si te disposueris ad appellandum, adhuc appellatio suspendit, quando est iusta; quia sententia continet intolerabilem errorem, cùm dicat defensionem, quæ est de iure naturæ: si verò appellatio est friuola, non suspendit, sed tenet sententia. Sic contra Ioannem Andr. dicentem absolutè non suspendere, tenet Sylvest. *excommunicatio* 2. *numero* 16.& *excommunicatio* 10.*quæst.*1.& Innoc. Host.Anton. *cap.præterea, el* 2. *de appell.* quos *ibi* refert, & Tabien. *excommunicatio* 2.*num.* 10.*casu* 16.

285 An autem in dubio præsumatur excommunicatio lata ante appellationem, vel post, consule Couar. latè disputantem *capite alma mater, prima parte*, §. 2. *num.* 6.

286 Vltima Conclusio sit: licèt appellatio subsequens non suspendat censuras, non est tamen vana, habet enim duos effectus. Primus est, quòd impedit, ne possit denunciari, iuxta veriorem sententiam, vt habes *infrà dubio sequenti.* Secundus est, quòd talis appellatio habet effectum deuolutiuum, transfert enim causam ad superiorem, & eximit appellantem à iurisdictione iudicis à quo, *cap. per tuas, de sentent. excommun. initio*, vbi Henricus id tenet *numero* 2. Felinus *ibi numero* 1. Speculator *tit.de appellat.* §. *in quibus, numero* 16. Panorm.*cap. ad reprimendam. de offic. ordin. num.* 8. 9. & *ibi* Immola *numero* 9.Innoc.*numero* 2.Anton.*numero* 20.Card. *quæst.* 2.Nauarr.*cap.cùm contingat, de rescrip.* 7. *causa nullitatis, numero* 14.Angel.*excommunicatio* 3.*numero* 10. Sylvest.*verbo appellatio*, §.1.Tabien. *excommunicatio* 2. §. 16.Entiquez *lib.*13 *de excomun. cap.*16. *numero* 2. *in comment.litera M.*

287 Nota tamen, quòd vt appellatio hæc habeat hos duos effectus, debet fieri intra decennium, licèt enim censuræ sententia non transeat in rem iudicatam quoad effectum irretractabilem, potest enim talis censura relaxari, licèt pars non appellet intra decennium, sed quoad alios effectus tranfit in rem iudicatam, sicut aliæ sententiæ, nisi intra decennium appellatur



appelletur, & transacto hoc termino non audietur via appellationis, nec eximetur à iudice à quo, nec transferet potestatem in iudicem ad quem. Sic contra Ioannem, & Vincentium, quos refert Henricus *dicto capite per tuas*, dicentes semper posse appellare, tenent Glossa *capite ad reprimendam, de offic. ordin. verficulo suspendatur*, & *ibi* Anchar. *numero primo*, Ioannes Andreas *numero decimo quarto*, Cardin. *quæst.*2. Panormitanus *numero* 6. dicens communem Immola *numero* 9. Antonius *numero vigesimo tertio*, Henricus *capite per tuas, de sententia excommun.num.*2.

288 Limita, nisi detur notum grauamen, vt si intra decendium non appellauit; iam non habet locum appellatio: at potest vti excommunicatus hoc remedio, nempe debet petere ab excommunicatore absolutionem, & si nolit impendere, potest ab hoc grauamine nouo appellare: & sic per appellationem transfert totam causam ad superiorem. Sic Immola *ibidem numero decimo*, Antonius Cardin. Ioannes Andreas, *ibidem*, Henricus *ibidem numero tertio*, Anchar.*eodem num.* 11. Altensis *lib.* 7.*summæ, tit.de damnis excommunicationis, ver.*1. *ad finem*, & Lancel. generaliter, quoties sententia non transit in rem iudicatam, *de artem.* 2. *capite* 12. *limitat.* 50. *numero* 71. facit etiam ad hoc doctrina eiusdem Lancell. *ea limit.* 50. *numero* 120. & Innocent. *capite finali, de noui oper.nunciat.* Guido Papæ *de appellat. quæst.* 108. vbi dicunt, quòd si quis ab interlocutoria non appellet, sed solùm petat contrario imperio reuocari, & iudex illam non reuocet, sed confirmet, potest ab hac confirmatione appellare etiam post decendium à die primæ interlocutoriæ, & per talem appellationem tota causa deuoluetur ad iudicem ad quem.

289 Secundò nota, quòd etiam transacto decendio potest censura ligatus adire superiorem via querelæ. Sic Glossa *capite ad reprimendam, de offic. ordin. versicula suspendatur*, & *ibi* Panormitanus *numero* 6.Immola *numero* 9. Cardin. *quæst.*2. Antonius *numero* 23. Anchar. & Ioannes Andr. *ibi*, Henricus *capite per tuas, de sentent. excommun.num.*2.

290 Non potest tamen post decem dies adiri is superior, qui nequit audire, nisi per viam appellationis; quia iam cessat appellatio, & tantùm est via querelæ. Sic Panormitanus, & Ant. *ibi.*

291 Quis autem sit superior, qui potest audire per viam querelæ, & quis, qui potest via appellationis, & an debeat remittere excommunicatum absoluendum ab excommunicatore, vel debeat citari excommunicator, dicam *infrà.*

292 Ex dictis fit, quòd si excommunicatus non appellauit intra decem dies, licèt excommunicatio non transeat in rem iudicatam, an super eo pro quo est excommunicatus, non audietur tunc, sed quoad illud transibit in rem iudicatam, vt si fuit excommunicatus pro contumacia, non audietur post decendium volens se defendere super contumacia, seu super expensis, quæ ratione contumaciæ debentur. Sic Panormitanus *capite ad reprimendam de offic. ordin. numero septimo.*

293 Tandem ex dictis omnibus infertur resolutio cuiusdam casus, de quo consultus fui; iudex quidam Ecclesiasticus protulit sententiam, vt quidam vinctus restitueretur Ecclesiæ, notificata est iudici, qui dicit notario, scribe, quòd appello: & sic transacti sunt decem dies, his transactis iudex Ecclesiasticus protulit sententiam excommunicationis contra sæcularem, ni restitueret vinctum Ecclesiæ intra viginti quatuor horas: appellauit sæcularis iudex: non obstante appellatione, ipsum excommunicauit Ecclesiasticus: an hæc excommunicatio valeat; & respondi valere excommunicationem. Ratio, quia prior sententia transierat in rem iudicatam: & sic appellatio erat manifestè friuola, nec ipsi detulit iudex, & sic non suspendit excommunicationem iuxta dicta. Et quòd prior sententia transierit in rem iudicatam, patet, quia illa appellatio non valuit, quia non fuit in scriptis, iuxta *supra* dicta. Et si dicas, quòd fuit incontinenti, & sic sat erat verbo: id est verum, quando in præsentia iudicis antequam surgat è tribunali, &c. vt *suprà* dixi. Secundò, quia appellatio debet esse coram iudice à quo, & hæc non fuit. Et si dicas esse opinionem probabilem sat esse coram notario, modò intimetur iudici intra decendium, vt habes *suprà numero* 128. at hæc non est intimata iudici. Item secunda appellatio ab excommunicatione debebat esse in scriptis, & cum expressione causæ: defuit vtrumque; & sic Nauarr. *capite cùm contingat, de rescript.* 6. *causa nullitatis, numero septimo, & octauo*, quandam appellationem à censura dicit esse nullam, & non excusasse; quia non in scriptis, & sine vllius causæ assertione facta est.

294 Et nota circa sententiam positam *suprà numero* 128. quòd scilicet sat est appellare coram notario, modò intra decendium, quod est tempus appellandi, intimetur iudici, quod Nauar. *capite cùm contingat, de rescript.*6.*causa nullitatis, numero vndecimo, & duodecimo* adductis aliquibus in contrarium, concludit esse verius, sat esse, vt hæc notificatio fiat iudici per quemcunque, siue per partem, vel procuratorem, negotiorum gestorem, vel quemuis alium; ita vt, si venerit ad notitiam iudicis à quo, vndecunque id sciat, modò sit intra decendium, valeat appellatio: probat per doctrinam Glossæ *ibi* receptam per omnes, *Clement. causam, de elect. vers.c. recepta, sub finem*, quæ dicit sat esse notitiam appellationis fieri parti appellatæ per amicum ipsius. Quod ipsum tenet Adrian. Siculus, Ripa, & Rota, vt *ibi* refert; & licèt loquantur in appellatione extraiudiciali: at idem potest dici in iudiciali, per *cap.si duobus, de appell.* quod probare videtur sufficere scientiam appellationis ad iudicem peruenisse quomodolibet, quamuis aliter non intimetur ei. Addit tamen idem Nauar. *numero* 13. non teneri iudicem à procedendo desistere, donec pars id petierit, vt videtur tenere Decius *eo cap. si duobus, num.*14. quod tamen videtur saltem tacitè petere is, qui per se, vel procuratorem intimat appellationem.

295 Nota etiam quòd Angel. *l. à sententia*, §. 1. *ff. de appell.* ait, non esse appellationem fieri in scriptis, sed oportere addere hæc verba, in his scriptis, *in tali appellatione*', aliàs non valeret. Sed Immola *ibi* communiter in hoc receptus, vt refert, & sequitur Nauar. *cap. cùm contingat, de rescript.* 6. causa nullitatis, & Neuo *capite vt debitus, numero decimo quinto de appell.* meritò tenent contrarium.

## DVBIVM XXXIII.

*An quando interposita est appellatio ab excommunicatione post ipsam contractam (in quo casu certum est non suspendi excommunicationem) talis appellatio suspendat denunciationem, ita vt non posit talis excommunicatus denunciari appellatione pendente.*

1 ET videtur clarè posse denunciari, ex *capite pastoralis*, §. *verum, de appellatione*, vbi expressè habetur posse denunciari, non obstante appellatione: reddit *ibi* rationem Panormitanus, quia licèt interposita appellatione desinat esse iudex, habet enim talis appellatio saltem effectum deuolutiuum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



at id est respectu actus omnino futuri, non autem respectu actus, qui non est omnino futurus, sed accessorius ad excommunicationem iam incursam, non obstante appellatione, tenent *ibi* omnes, & Couarr. *capite alma mater, prima parte*, §.10. *numero quarto*, Dueñas *regula quadragesima secunda, fallentia octaua*, Nauarr. *capite cum contingat, de rescript. causa decima quinta nullitatis.*

2 At dicendum est per talem appellationem suspendi denunciationem, & sic illum non posse denunciari, saltem vbi non est notorium nullam esse excusationem, nec exceptionem. Ratio, quia *dictum caput pastoralis, §. verum*, dum definit posse excommunicatum denunciari, non obstante tali declaratione, reddit rationem textus; quia, inquit, excommunicatio secum trahit executionem, & per denunciationem amplius non ligatur. Ex quo textu colligunt aliqui Doctores, quòd quando per denunciationem amplius ligaretur, vel strictior, seu fortior redderetur excommunicatio, vt contingit in casu *cap. tua, de sententia excommun.* in quo absolutio ante denunciationem competit ordinario, post verò Papæ, non potest interposita appellatione denunciari. Hi sunt Anton. de Butrio *dicto* §. *verum, numero* 11. & refert Ioannes Andr. pro ea. Idem Immola *ibi, sub finem*, Neuo *ibi numero septimo*, Lancel. *de attent. 2. part. cap.* 12. *limit. 21. num.* 14. 15. & *ibi* Perusinus *sub finem*, & Nauarr. *cap. cum contingat, de rescript. remed. 6. num.* 7. Quare cùm hodie post *Extrauag. ad euitanda*, maximas vires recipiat excommunicatio per denunciationem; nam antea non tenebamur vitare illum, & omnia gesta per illum erant valida; post verò non; non potest tali appellatione pendente denunciari. Et sic tenet Nauar. *dicto remed. sexto, numero octauo*, Enriquez *libro decimo tertio de excommunicatione capite* 16. *num.* 2. *commento, litera M.*

## DVBIVM XXXIV.

*An appellatio à monitorio pœnali cum pœna excommunicationis latæ cum audientia, & facultate allegandi, quæ volet suspendat eam excommunicationem.*

1 Respondetur non suspendi; quia per monitorium pœnale cum audientia, & facultate allegandi, quæ volet, non dicitur quis grauari, vt optimè Panormitanus *capite ex parte, el 1. de verb. signif. num.* 8. vbi ex Glossa *ibi fine*, & Anton. *ibi numero vigesimo secundo*, quod dicit perpetuò mente tenendum, dicit, quòd ante citationem rei, & antequam constet iudici de delicto, vel debito, possit per suas litteras præcipere absenti, vt satisfaciat, vel comparcat, aliàs potest eum excommunicare: ex hoc enim præcepto ante causæ cognitionem facto non potest dicere reus se grauatum: nam propter illam iustificationem, vt compareat, resoluitur præceptum in simplicem citationem, si vult comparere. Hæc Panormitanus *ibi*; & idem docet latiùs probans ex aliis Doctoribus *capite de causa possess. numero sexto*, cùm ergo tale monitorium non grauet, non potest immediatè appellari, sed priùs debent exceptiones opponi, & illæ reiici, vt benè Probus *capite secundo de constit. in 6.* & latiùs Ioannes Lupus *tract. de beneficio vacante*, §. *finali*. Hæc Nauar. *capite cum contingat, de rescript. causa 5 nullitatis, num.* 5. 6. vnde infert *ibi*, in excommunicationem incidere, qui Salmanticæ à monitoriis conseruatoris Academiæ per eiusmodi clausulas iustificatis, appellant simul, ac eis notificatur, ac deinde mittunt appellationem ad eum, dicentes se non subesse illius iurisdictioni, quia per solam citationem nemo grauatur: immo licèt habeat exceptiones declinatorias fori, debet comparere per se, vel per procuratorem ad allegandum eas: nisi notorium sit citationem esse nullam, vel citatum non subesse citanti. Hæc Nauarra *ibi*.

## DVBIVM XXXV.

*An cùm excommunicatus accedit ad superiorem excommunicatoris, debeat ab ipso absolui, vel remitti ad excommunicantem.*

1 Svpponendum est, quòd dupliciter potest quis adire superiorem, scilicet via appellationis, aut via querelæ. Qui potest adiri via appellationis, est superior excommunicantis, vt Papa in toto Orbe, Legatus in sua Prouincia, Archiepiscopus respectu Episcoporum suffraganeorum, *capite pastoralis, de officio ordin.* & Episcopus respectu Prælatorum inferiorum suæ diœcesis, secundùm omnes.

2 Per viam autem querelæ potest adiri is superior tantùm, qui habet immediatam iurisdictionem in partes litigantes, ità vt possit cognoscere de causa in prima instantia, & sit locus præuentioni inter ipsum, & alium superiorem cognoscentem. Hæc regula non ita traditur à Doctore: at colligitur ex iis, quæ statim referam ex ipsis; ideo enim dicunt posse adiri Archiepiscopum in causa Episcopi, qua Archiepiscopus est iudex ordinarius, & proximus Episcopi, non autem in causa subditorum suffraganei, quia non est ordinarius, & immediatus iudex ipsorum, & ideo dicitur Episcopum posse adiri via querelæ respectu Prælatorum inferiorum suæ diœcesis; quia concurrit in iurisdictione cum ipsis; ita vt detur locus præuentioni; & quando hoc non ita se habet, non potest.

3 Hinc infertur, quòd Papa potest in toto Orbe adiri via querelæ: & idem dicunt Doctores de Legato respectu prouinciæ sibi commissæ, per *caput primum de officio legati*, per quod constat concurrere in iurisdictione cum Episcopis suæ prouinciæ, & habere primam instantiam, esseque locum præuentioni inter ipsum, & Episcopum. Sic Immola *capite ab excommunicato, de rescriptione, numero decimo*, quod tunc verum erat per illud *caput primum de officio legati*. At cùm hodie per Tridentinum *sessione vigesima quarta, capite vigesimo, de reformatione*, non possit cognoscere de causis in prima instantia, nec sit locus præuentioni, non poterit adiri per viam querelæ, nisi in casibus, in quibus dicemus posse Archiepiscopum adiri per viam querelæ respectu Episcoporum.

4 Secundò infertur, quòd Archiepiscopus non potest adiri per viam querelæ in causis diœcesis suffraganei, quia non est immediatus, & ordinarius superiorum subditorum suffraganei, nec est locus præuentioni inter ipsum, & Episcopum, sed est tantùm iudex in causa appellationis. Sic omnes Doctores citandi *caput pastoralis, de officio ordin.*

5 Excipiuntur tamen aliqui casus à Glossa *dicto capite pastoralis, verf. exceptis*, & Doctoribus citandis *ibi*, sed qui ad rem conferunt, sunt sequentes.

6 Primus casus est, quando causa est cum ipso Episcopo; secus quando cum Episcopi subditis. Ratio, quia Archiepiscopus est ordinarius, & immediatus Episcopi superior, non autem eius subditorum, sed tantùm in causa appellationis: & ideo quando causa est cum Episcopo, potest via querelæ adiri, non verò quando causa est cum Episcopi subditis. Sic Immola *capite ab excommunicato, de rescript. numero* 10. Panormitan. *repetit. cap. si quis contra clericum, de foro compet. num.* 40. *& capite pastoralis, paragrapho 1. numero* 2. *de offic. ordin.* vbi Hostiens. & Glossa *ibi verf. sanctitum*, & Anchar. *ibi numero* 3. Cardin. *ibi oppos. 4. d. 15. tit. 5. p. 1.* D Anton. 3. *p. titul. 20. cap. 4. initio*, Syluest. *verbo, Archiepiscopus*, §. 1. vbi Rosell. *num.* 1. Tabien §. 3.

7 Hinc fit, quòd quando ex officio Episcopus excommunicat aliquem, potest Archiepiscopus adiri via querelæ; quia tantùm agitatur lis cum Episcopo: secus quando non ex officio, sed ad instantiam partis excommunicat; tunc enim non potest adiri nisi via appellationis, quia agitur lis cum parte, quæ non est immediatè subiecta Archiepiscopo. Sic immola *capite ab excommunicato, de rescript. numero* 10. & *ibi* Anton. *numero* 29. 30. & *ibi* Panormitan. *numero* 13.

8 Secundus est propter Episcopi negligentiam, vt si esset negligens in absoluendo excommunicatum petentem absolutionem, vel in alio negotio. Hic casus est contra aliquos id negantes, quia nullo iure est expressus; & esset omnes ferè casus comprehendere, & facere illum iudicem ordinarium. Hi sunt Versellinus, quem refert, & sequitur Panormitanus *capite pastoralis, paragrapho 1. numero* 10. *de offic. ordin.* & latiùs repetit *capite si quis contra clericum, de foro competent. numero* 40. vbi addit posse tunc Archiepiscopum cogere Episcopum, vt procedat: & Cardin. *capite* 2. *de offic. ordin. opposit.* 3. *& capite nullus, de iurepatron. quæstion.* 1. & *ibi* Ioan. Andr. Archidiacon. *capite* 1. *de suppl. negligent. Prælat. in* 6. Sed noster casus probatur ex *capite cum simus*, 9. *quæst.* 3. *& capite ex frequentibus, de institut.* & tenet totus mundus, vt ait Felinus *dicto capite pastoralis, paragrapho* 1. *numero* 6. & in hanc ipse magis inclinat, & tenet Glossa *dicto capite pastoralis, paragrapho* 1. *verf. exceptis*, vbi Ancharan. *numero* 5. Anton. *numero* 16. Ioan. Andr. *numero* 21. Immola *numero* 8. idem Ancharan. *capite ad reprimendam, de offic. ordinam. numero* 6. Immola *capite ab excommunicato, de rescript. numero* 10. Francus *capite* 1. *de suppl. negligent. Prælat. in* 6. *numero* 3. & *ibi* Ioan. Monachus, & *ibi* Glossa *verf. culpæ, & dicto capite cum simus, fine.* Rosell. *verbo Archiepiscopus, numero* 1. Tabien. *paragrapho* 3. Syluest. *quæst.* 1. *paragrapho* 2. Armill. *numero* 6. Host. *dicto cap. pastoralis, & in summa, titulo de offic. ordin. paragrapho quid pertinet. sub paragrapho sunt autem, verf. debet præsul.* Calderin. *cap. nullus, de iurepatr.* D. Anton. 3. *p. titul.* 20. *cap.* 4. *initio.* Vnde dicit Host. *eo cap.* 1. quòd si Episcopus tertiò monitus non procedit, vel prima vice denegauit expresè velle procedere, potest Metropolitanus.

9 Tertius casus, in quo potest Archiepiscopus adiri via querelæ, est quando sententia excommunicationis est notoriè iniusta. Glossa *dicto capite pastoralis, paragrapho* 1. *verf. exceptis*, & *ibi* Anton. *numero* 29. 30. & *ibi* Hostiens. Immola *capite ab excommunicato, de rescript. numero* 10. D. Anton. Rosell. Tabien. *proximè citati.* Et idem est dicendum, quoties delictum est notorium, & Episcopus non procedit, quia arguit Episcopi negligentiam; & tenent Syluester Angel. Armill. Rosell. Tabien. *proximè citati.* Panormit. *cap. ex frequentibus, de institut. numero* 10. Immola *dicto cap. pastoralis*, §. 1. *n.* 8.

10 Tertiò infertur, quòd Episcopus potest adiri via querelæ respectu Prælatorum inferiorum subditorum sibi; quia concurrit in iurisdictione cum ipsis, & datur locus præuentioni. Hoc est contra Panormitan. *ibi* Anton. *num.* 12. & *ibi* Glossam *verf. inuitum.* Sed nostrum corollarium tenent Neuo *capite qua fronte, de appellat. numero* 32. *fine*, & 33. Immola *cap. ab excommunicato, de rescript. numero* 10. vbi Anton. *numero* 29. 30. Idem Immola *cap. pastoralis, de offic. ordin. paragrapho* 1. *num.* 6. vbi Innoc. *num.* 1. Hostiens. *ibi* Panorm. *repetit. cap. si quis contra clericum, de foro competent. numero* 40. *fine, & dicto cap. ab excommunicato, numero* 13. Hugo, Vincentius, Goffred. Tancred. Philip. quos refert Panorm. *dicto c. pastoralis.*

11 Limita, nisi priuilegium, aut consuetudo dans iurisdictionem ipsi inferiori Prælato, subtraxit in totum subditos, in quos datur iurisdictio ab immediata Episcopi subiectione, ita vt solus inferior secluso Episcopo cognoscere consueuit; tunc enim Episcopus solùm per viam appellationis poterit adiri. Sic Henricus *dicto capite pastoralis, numero secundo & tertio*, & *ibi* Ancharanus *numero tertio*. Cardin. *quæstion. secunda*. Ioan. Andreas *num.* 17.

12 His suppositis, circa dubium propositum quidam dicunt non esse necessariam remissionem ad ipsum excommunicatorem, vt absoluat, siue via querelæ, siue appellationis adeatur superior: sic Goffred. & Damasus, quos refert Cardin. *cap. ad reprimendam, de offic. ordin. quæstion.* 3.

13 Alij verò dicunt in vtroque casu esse remittendum ad excommunicatorem, nisi sit periculum in mora, vel nisi notorium sit excommunicationem esse iniustam: aliis autem in casibus non absoluit superior, quia potest esse quòd sit excommunicatus pro notoria offensa; vnde si Episcopus excommunicator non vult absoluere post remissionem ad ipsum factam, si aut non rescribit, aut non rationabile aliquid, absoluet Archiepiscopus superior; si verò notoriam offensam allegat, citet partes, & procedat, *capite solet, de sentent. excommun. in sexto*. Sic Hostiens. *capite ad reprimendam, de offic. ordinam.* Et quòd semper sit remittendus ad excommunicatorem, nisi notorium sit esse iniustam excommunicationem, tenet etiam Innoc. *ibi num.* 1.

14 Alij verò dicunt, quòd quando aditur superior via querelæ, non potest absoluere, sed tenetur remittere: quando verò per viam appellationis, potest absoluere, vel remittere, per *caput ad reprimendam, de offic. ordin.* Sic tenet *ibi* Anton. *numero* 22. Specul. *titulo de appellat. paragrapho in quibus, numero* 17. Glossa *capite ab excommunicato, de rescript. verf. ad excommunicatorem.* Idem omnino alij, sed cum quadam limitatione, limitant enim primam partem, quòd quando per viam querelæ non potest, sed tenetur remittere, nisi notorium sit iniustam, vel nullam esse excommunicationem, per *caput solicitudinem, de appellat.* vel esset periculum in mora, *capite sacro, de sentent. excommunic. capite venerabilibus, paragrapho sanè, de sentent. excommunic. in sexto.* Sic Ancharanus *capite ab excommunicato, de rescript. numero* 5. & *ibi* Calderin. & Cardin. *ibi quæst.* 3. *numero* 16. Panormitan. *ibi numero* 12. 13. Rosell. *verbo Archiepiscopus, numero* 1. Tabien. *paragrapho* 3. Syluest. *absolutio* 2. *quæstion.* 7. Addunt tamen Cardin. & Calderin. quòd si citra hos casus absolueret superior etiam per viam querelæ aditus, teneret factum, ex quo aliàs est iudex; quia dicitur hæc absolutio facta contra ius litigatoris potius, quàm contra ius commune, *dicto capite venerabilibus, paragrapho vbi autem.* Quod tamen intelligit, & benè, Panormitan. *ibi numero* 13. quando aditur superior, qui potest per viam querelæ audire: & clarè in hoc casu intelligunt, dicunt enim Doctores hi valere, quia est iudex. Secundam autem partem, scilicet quòd non tenetur remittere, quando via appellationis, limitant

Universidad de Deusto
Biblioteca



Panormitanus *ibi numero decimoquarto*. Rosell. & Tabien. Sylueſter *ibi*, eſſe verum quando eſt dubium, an excommunicatio ſit iuſta, tunc enim poteſt remittere, vel abſoluere: ſi enim conſtet eſſe iuſtam, debet remittere, niſi periculum ſit in mora, vel excommunicator requiſitus malitioſè deneget abſolutionem: ſi autem certum ſit eſſe iniuſtam, debet non remittere. Et hæc limitatio expreſsè habetur *dicto capite venerabilibus, paragrapho ſanè*. Et quòd loquatur hic textus de præcepto, paret; quia dicit, quando eſt certum eſſe iuſtam, niſi ſit periculum, &c. debet remittere prorſus: at quando eſt dubium, poteſt abſoluere, vel remittere, licèt honeſtius ſit remittere; ergo in priori caſu non intelligit de honeſtate, ſed de neceſſitate. Addunt Sylueſter, Roſell. Tabien. *ibi*, & Gloſſa *eo capite venerabilibus, verſ. nec debet*, quòd ſi abſoluat, tenet factum, quia eſt iudex.

15 Nota, quòd omnes ſententiæ dictæ loquuntur, quando iudex, qui excommunicauit, eſt ordinarius, nam de delegato ſtatim dicam, quid ſentiant hi Doctores.

16 Vt ergo hæc res adeò obſcura clarior fiat, ſtatuam aliquot concluſiones.

17 Prima concluſio. Si iudex qui excommunicauit, eſt ordinarius, & ſuperior, qui aditur, eſt iudex competens, nempe quando aditur per viam appellationis, eſt iudex competens appellationis, & quando aditur per querelam, eſt iudex competens via quærelæ, iuxta dicta, ſi abſoluat, non remittendo ad excommunicatorem, tenet factum: vnde in hoc caſu remiſſio fit ex voluntate. Si verò non eſt iudex competens, non tenebit factum defectu iuriſdictionis: vnde tunc remiſſio ad excommunicatorem, vt abſoluat, fit ex neceſſitate. Sic Immola *capite ab excommunicato, de reſcriptione numero decimo & ibi* Anton. *numero* 26. 29. 30. Cardin. & Calder. citati *proximè* in ſententia præcedenti, vt enim *ibi* dixi, loquuntur etiam, quando ſuperior aditur via querelæ: & cum ipſis tenet Panormitanus *ibi* citatus, quando eſt iudex competens via querelæ: & *ibi* rationem huius poſui. Et quando via appellationis, tenent idem Gloſſ. Sylueſt. Roſel. Tab. *ibidem* citati.

18 Secunda concluſio. Malè faciet iudex ſuperior remittendo ad excommunicatorem, quando conſtat excommunicationem eſſe iniuſtam, malè faciet abſoluendo, ſed tenetur remittere ad excommunicatorem: quando verò res eſt dubia, poteſt abſoluere, vel remittere, & honeſtius erit remittere. Sic habetur expreſsè *dicto capite venerabilibus, paragrapho ſanè*. Et in vltima opinione poſita allegaui Doctores, & duas poſui limitationes, nempè, quòd quando conſtat eſſe iuſtam, poteſt in duplici caſu licitè abſoluere abſque remiſſione. Primus eſt, quando eſt periculum in mora: ſecundus, quando excommunicator requiſitus, malitioſè denegat abſolutionem: & vterque caſus habetur illo §. *ſanè*, & docetur à Doctoribus citatis pro vltima ſententia.

19 Sed contra hanc concluſionem videntur Immola, & Antoninus, vbi citati ſunt pro prima concluſione; dicunt enim abſolutè, quòd quando eſt iudex competens, fit remiſſio ex voluntate. Sed credo intelligere, quoad tenere factum, non verò quoad licitè fieri, ne loquantur contra textum expreſſum.

20 Tertia concluſio: licèt Archiepiſcopus non poſſit cognoſcere de iniuſtitia excommunicationis latæ ab Epiſcopo poſt appellationem ad Papam, vt dicitur *capite ſolicitudinem, de appellatione*. At poteſt coram Archiepiſcopo peti abſolutio ad cautelam, dummodo præſtetur cautio de parendo mandatis iudicis ad quem; hoc enim poteſt fieri abſque eo, quòd cognoſcatur de articulo appellationis, per notata *capite qua fronte, & capite cùm teneamur, de appellatione*, ſecus ſi vellet cognoſcere de nullitate excommunicationis, tunc enim non poſſet, cùm tangat articulum appellationis. Sic Francus alios referens *dicto capite ſolicitudinem, num.* 8.

21 Quarta concluſio. Quando iudex excommunicator eſt delegatus, quomodocumque adeatur delegans, poteſt abſoluere, nec tenetur remittere. Ratio, quia poteſt totam iuriſdictionem ad ſe auocare, *lege iudicium ſoluitur, ff. de iudic.* ergo à fortiori, partem, argum. *capite cui licet, de regul. iuris in 6.* Sic Immola *capite ab excommunicato, de reſcriptione numero decimo*, & *ibi* Anton. *numero trigeſimo*, Gloſſa *ibi verſ. ad excommunicatorem.* Cardinal. *ibi quæſtione tertia numero decimo ſexto & ibi* Calder. & Hoſtienſ. Immola *ibi numero tertio.* Ioan. Andr. *numero* 6. 7. 8. Anchar. *n.* 5. Panormitanus *num.* 14.

22 Nota idem eſſe dicendum, ſi adeatur delegans primus querela infuſa contra delegati ſubdelegatum; quia poteſt abſoluere, vel remittere ad delegatum, vel ſubdelegatum. Sic Immola *dicto capite ab excommun. numero decimo.*

23 Sed difficultas eſt, quando poſſit remitti ad delegatum, vt abſoluat? & dicendum eſt, quòd ſi fuit appellatum, & appellatio eſt recepta, non fit remiſſio, nec valeret, quia deſiit eſſe iudex, niſi fiat ei noua commiſſio, *capite paſtoralis, §. præterea, de offic. deleg.* Si verò non fuit recepta, poteſt fieri remiſſio. Cardin. Calderin. Innocent. Ancharan. Ioan. Andr. Hoſtienſ. Panormitanus citati *in 4. concluſione.* Et addunt omnes hi, demptо Panormitano qui nihil dicit, quòd ſi in hoc caſu quando appellatio non eſt recepta, delegatus abſoluat, etiam remiſſione non facta, valet, *capite paſtoralis, de offic. ordin. 2. reſponſo.* Si verò non fuit appellatum à delegato, ſi excommunicauit ante diffinitiuam, poteſt ad eum remiſſio fieri, & idem ſi excommunicauit poſt diffinitiuam, & annus non eſt elapſus à die diffinitiuæ, *capite prudentiam, de offic. deleg. paragrapho caterum*; ſi verò poſt diffinitiuam, & annus eſt elapſus, non fit remiſſio, quia deſiit iudex. *capite quærenti, de offic. delegato.* Sic omnes *proximè* citati.

## DVBIVM XXXVI.

*An ad abſolutionem ab excommunicatione teneatur ſuperior, ad quem recurritur pro abſolutione, citare partem.*

1 SIt prima concluſio. Vt iuſtè fiat talis abſolutio, requiritur citatio partis. Probatur, quia pars aduerſa poteſt prætendere intereſſe; fortè enim expenſas fecit, quas conſequi debet ante abſolutionem, vt *capite venerabilibus, paragrapho idem, de ſentent. excommun. in 6.* vel fortè poſſet prætendere manifeſtam offenſam, cui ante abſolutionem erat ſatisfaciendum; ergo debet citari, cùm eius intereſſit, vt *cap. intra quatuor, de maiorit. & obedient.* Sic tenent Speculat. *titulo de contumacia, paragrapho finali, verſ. ſed pone excommunicatus.* Panormitan. dicens communem, *cap. quæ fronte, de appellat. num.* 6. & *ibi* Hoſt. Neuo *ibi num.* 31. Anchar. *ibi num.* 6. Anton. *num.* 11. Immola *numero* 8. Cardin. *ibi propè finem.* Ioan. Andr. *ibi num.* 5. Ægidius, & Abbas Antiquus, quos *ibi* refert Ioan. Andr. Sylueſt. *abſolutio 2. quæſtion.* 8. licèt Innoc. *capite prudentiam, de offic. deleg. numero* 14. *verſ. ſed nónne*, teneat oppoſitum.

2 Amplia, vt hoc procedat etiam in abſolutione ad cautelam ab excommunicatione, in ea enim requiritur citatio partis. Sic Neuo *ibi*, Hoſtienſ. Ioann. Andr. *cap. ſolet de ſentent. excommunicat. in 6.*

3 Limita tamen primò, niſi ſit periculum in mora. Neuo *ibi*, Ant. Immola Hoſt. Ioan. Andr. citati *in prima concluſione.*

4 Secundò limita, vt intelligatur quando iudex ad inſtantiam partis excommunicauit; ſecus ſi ex officio ſuo; quia tunc non requiritur citatio partis. Sic Panormitan. Neuo, Sylueſt. Anton. Immola, citati *in prima concluſione*, Gloſſa *c. excommunicatos 11. quæſt. 3. paulo poſt principium.*

5 Secunda concluſio. Si fiat abſolutio à legitimo iudice, vt ab excommunicatore, vel à ſuperiore adito legitimè, vt per appellationem, licèt ſit iniuſta, non citata parte, at eſt valida. Ratio, quia eſt actus pœnitentialis, & ideo ad ſui eſſentiam non requirit citationem aduerſarij. Item probatur ex *capite venerabilibus, paragrapho vbi autem, de ſentent. excommunicat. in ſexto*, vbi traditur regula generalis, quòd dummodo fiat abſolutio à iudice habente iuriſdictionem abſoluendi, quantumuis iniuſta ſit, valet, quia potius eſt contra ius litigatoris, quàm contra ius commune. Sic Panormitanus *numero* 7. Neuo *numero* 32. 33. 34. 35. Sylueſt. Speculator, Anton. Immola, Cardinal. Ioan. Andreas Anchar. *vbi in prima concluſione.*

6 Amplia tenere verum, licèt fiat abſolutio parte non citata à iudice, qui poteſt adiri per viam querelæ, valeret enim abſolutio; quia eſt legitimus iudex. Neuo *numero* 35.

7 Vltima concluſio. Si ſuperior velit reuocare ſententiam tanquam iniuſtam, vel denunciare eam nullam, partibus non citatis, non teneret. Ratio, quia talis declaratio, ſiue pronunciatio eſt quaſi diffinitiua pronunciatio ſuper excommunicatione, & actus iudicialis. Probatur etiam ex *capite Romana, paragrapho ſententias, de appellat. in ſexto*, vbi habetur ſententiam excommunicationis, vel interdicti nullatenus eſſe reuocandam, vel nullam declarandam, niſi cauſa appellationis fuerit examinata partibus citatis. nam verbum, *nullatenus*, importat, quòd actus aliter factus eſt nullus. Sic tenent Ioan. Andr. & Dominicus *eo cap. Romana*, Panormitan. *dicto num.* 7. Neuo *num.* 35. Sylueſt. *abſolutio 2. quæſt.* 8.

## DVBIVM XXXVII.

*An qui iuſtè damnatus ad pœnam pecuniariam appellauit ex cauſa omnino falſa, quia ſcilicet negauit iniuſtè, & falsò, & teſtibus falſis ſe tuetur, cùm tamen ſit plenè probatum delictum, & pœna pecuniaria ſit lege ſtatuta, an non obſtante appellatione, teneatur ad pœnam.*

1 VIdetur teneri, quia appellatio eſt friuola, cùm ex cauſa omnino falſa, & delictum plenè probatum ſit: ſi enim non eſſet plenè probatum, ex hac parte eſſet iuſta appellatio, quia abſque plena probatione iniuſtè damnaretur: at appellatio friuola non ſuſpendit. Item, quia hic tenebatur non appellare: & ſic tenet Beia *caſu 65.*

2 At dico primò eſſe ſatis probabile non teneri ad pœnam, donec per iudicem appellationis confirmetur ſententia; quia talis appellatio facta intra debitum tempus, ſcilicet quinque dies, ſi eſt in foro ſæculari in hoc regno Hiſpaniæ; & decendium, ſi eſt in tribunali Eccleſiaſtico, vt dixi *ſuprà dub.* 32. ſuſpendit ſententiam, & per conſequens illa non obligat, vel non fuit admiſſa, vel iudex à quo eſt inhibitus per iudicem ad quem: & in hoc caſu non eſt dubium, quin ſuſpendat, vt dixi *ſuprà dub* 32. vel non eſt admiſſa, & adhuc ſuſpendit: quia tenebatur admittere, cùm non notoriè conſtet falſam eſſe cauſam, vt *ibi* latè probati; maximè, quia hæc eſt appellatio à diffinitiua, in qua non eſt neceſſe exprimere cauſam, & poteſt iuſtificari ex nouis actis, vt dixi *dicto dub.* 32. & ſic non poteſt conſtare iudici quid allegauit in appellatione, vt ipſi non deferat. Hoc conſtat ex dictis *dicto dub.* 32. vbi & Doctores allegaui. Et ſic tenuerunt docti recentiores à me conſulti; & videtur tenere Palacios *lib. 4. de contract. capite 5. folio 273. pagina 2. ante paragraphum Porro frater*, vbi dicit non teneri reum ad pœnam, donec vltima ſententia damnetur.

3 Secundò dico hunc teneri non proſequi litem, & nullas alias diligentias facere, ſed omittere litem, vt ex allegatis feratur ſententia. Ratio, quia eſt lis iniuſta. Sic docti recentiores.

4 Vltimò dico teneri ad expenſas parti contrariæ, ſicut *lib. 2. ſumm. cap. 22. numero 22. & lib. 10. de matrimon. diſput. 8. numero* 14. diximus ex communi Doctorum, reum, qui negauit delictum iniuſtè, non teneri ad pœnas, bene tamen ad expenſas. Sic docti recentiores; iuxta enim hanc ſententiam procedunt *hic* dicta; qui enim tenent hunc reum teneri ad pœnam, à fortiori *hic* dicent idem.

## DVBIVM XXXVIII.

*An appellans à ſententia lata poſt terminum à lege præſcriptum, vtendo aliqua cautela, teneatur alteri reſtituere, quod per priorem ſententiam illi erat debitum, inſuper & ſupplicationis expenſas.*

1 IVxta Regni leges taxatur terminus, intra quem liceat à ſententia lata appellare, aut ſupplicare, vt patet *libro 4. noua recopil. titul. 18. l. 1. & titulo 19. lege 1.* & ſi pars intra illum non appellarit, aut ſupplicarit, ſententia tranſit in rem iudicatam, ſic enim dicitur illis legibus, *Si deſpues del dicho termino ſupplicare, la ſuplicacion no valga, y manden los oydores dar, y den carta executoria de la tal ſentencia, como de ſentencia paſſada en coſa iuzgada.* Dubitatur ergo an ſi iniuria, aut obliuione partis, aut procuratoris ſupplicatio intra dictum terminum non interponitur, verbi gratia ſi ſententia venit in partis notitiam tertia die Februarij, delere tertiam, & ſcribere quartam, vt vel ſic non ſit tranſactus terminus, teneatur ea caurela vtens, & pars, quæ ſupplicat, reſtituere alteri quod per priorem ſententiam, quæ tranſierat in rem iudicatam, illi erat debitum, inſuper & ſupplicationis expenſas. Sit

2 Prima concluſio. Quando manifeſtè conſtaret ſententiam latam contra hunc appellantem fuiſſe iniuſtam, quia nitebatur falſæ præſumptioni, vel quia ex prauo iudicis affectu procedebat, tunc quamuis peccauerit appellans vtendo prædicta cautela, nullam tamen alteri parti intulit iniuriam, ac proinde nil tenetur reſtituere.

3 Secunda concluſio. Quando verò non conſtaret de iniuſtitia ſententiæ latæ, ſed potiùs vtriuſque partis ius eſſet dubium, id quod communiter ſolet contingere, & in quo eſt difficultas, hic appellans, qui prædicta fraude vſus eſt, tenetur reſtituere alteri parti expenſas, quas fuit in

Universidad de Deusto
Biblioteca



causa, vt alter faceret, & insuper damnum, quod illi intulit, vtendo illa cautela in appellando. Ratio est, quia pars vincens per sententiam in suum fauorem latam; & quæ transacto termino ad appellandum præscripto, transiuit in rem iudicatam, acquisiuit iam ius iustitiæ ad recuperandum damnum sibi illatum absque vllis nouis expensis faciendis, & pars victa tenebatur ex iustitia parere sententiæ latæ. Nec obstat quòd alicui videri possit hunc appellantem posse excusari à restitutione, eo quòd lex præscribens terminum appellationis sit condita in pœnam iniuriæ, seu negligentiæ non appellantium, atque ita non obliget ante comdemnationem; quia hæc lex non fuit præcipuè condita ad puniendam culpam eiusmodi iniuriæ, seu negligentiæ, sed est iusta iuris dispositio ad obuianda plura inconuenientia, & ad finiendas lites, sicut leges de rerum præscriptione: quamuis aliquando supponant negligentiam, vel incuriam in re propria petenda, non ideo sunt leges pœnales. Ita docti recentiores, quibus visum est tolerari posse, quòd hæc restitutio non fiat in integrum, sed secundùm dimidietatem, vel aliquid amplius; quia quamuis verum sit, quòd hic appellans commisit iniustitiam, adhuc etiam est verum, quòd præcipua, & primaria intentio legis præscribentis terminum appellationi, non est præbere ius alicui parti, nisi post tres sententias: secundariò autem, & minus principaliter intendit lex, quòd si appellatio non fiat in tempus præscriptum, detur parti vincenti eiusmodi ius, siue per vnam, siue per alteram sententiam: atque adeò videtur; quòd illata iniustitia non sit ita magna, ac propterea quòd hac de causa possit aliquid detrahi ab integra restitutione. Quæ limitatio non est mihi improbabilis.

## DVBIVM XXXIX.

*An si postquam transiuit sententia in rem iudicatam, altera pars non alleget appellationem esse nullam, sed acta prosequatur, ac si appellatio esset valida, possit postea allegare appellationem fuisse nullam, vel sibi nocent dicta prosequutio.*

1 SEntentia transit in rem iudicatam, eo quòd pars non appellauit intra terminum, vel conditionibus iure præscriptis, vt appellatio teneat, in quo casu si altera pars non alleget appellationem esse nullam, sententiámque iam transisse in rem iudicatam, sed acta prosequatur, ac si appellatio esset valida, dubitatur, an possit postea allegare appellationem fuisse nullam, vel sibi noceat dicta prosequutio.

2 Sit conclusio. Nullo modo huic nocet dicta prosequutio, sed potest quandocumque allegare appellationem fuisse nullam, & sententiam iam transisse in rem iudicatam. Ita habetur expresiè *Clementin. si appellationem, de appellat.* vbi etiam Innocent. & Glossa; reddit rationem *ibi* Glossa *verbo appellatus*, & Aimon *consil.* 273. quia cùm iam prior sententia transierit in rem iudicatam, perinde est, ac si fuisset vltima sententia lata à iudice appellationis, quàm Hispanè appellant, *sentencia de reuista*. Et sicut lata hac sententia expirat iurisdictio illius iudicis appellationis, qui iam functus est munere suo, ita lata priori sententia, quæ iam transit in rem iudicatam; expirat iurisdictio iudicis appellationis, & sic cùm non legitimus iudex, potest id quandocumque altera pars allegare, sicut si litigaret coram homine priuato.

3 Hinc infert Glossa *eodem vers. appellatus*, referens Hostiensem, quòd adhuc lata secunda sententia potest pars allegare secundam esse nullam licèt ea primam reuocauerit, quia secunda fuit lata à non suo iudice; quando enim prima sententia per appellationem suspensa est, bene tenet secunda sententia contra primam; sed quando cessat prædicta suspensio, quia appellatio non nocet, eo quòd sententia prima transit in rem iudicatam, non valet secunda, sicut non valeret, si appellatum non fuisset.

## DVBIVM XL.

*An meri executores, seu ij, quibus nudum ministerium aliquid exequendi à Summo Pontifice committitur, possint contradicentes, seu executionem impedientes excommunicare.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit posse, quia aliàs delusoria, & sine exitu esset talis commissio. Item probatur per *caput ex literis, & caput præterea, de offic. deleg.* & exemplum huius ponit Panormitanus *dicto capite ex literis*, vt quando Auditores excommunicauerit in curia, & committunt alicui, vt alicubi denunciet illum excommunicatum, hic commissarius si impediatur, ne denunciet, potest impedientem, seu contradicentem excommunicare. Sic tenent gloss. *eo capite ex literis, capite super quæstionum, eodem titulo & capite final. eodem titulo vers. commissum.* Hostiens. *eo capite ex literis*, & *ibi* Panormitanus *numero quarto*, dicit esse satis probabilem. Et eam sequuntur Vincentius *capite final. eodem titulo* & *ibi* Immola *numero* 16. cùm hac limitatione, nempe quando exequutor non præsens in curia, secus quando est præsens, quia potest recurrere ad delegantem, vt excommunicet, & coërceat contradicentes.

2 Secunda opinio probabilior ait non posse. Probatur ex *capite finali, de offic. deleg.* vbi absolutè dicitur hos executores nullam habere iurisdictionem; ergo non possunt excommunicare, cùm hoc requirat iurisdictionem: sic ergo tantùm id poterunt, quando vltra executionem apponitur in commissione clausula, *contradictores compescendo*, vel alia similis. Nec obstat *cap. ex literis*, quia respondet Panormitanus *dicto cap. finali, ibi* delegatum delegasse vices suas, quo ad actum excommunicationis. Nec obstat *cap. præterea*, quia *ibi* loquitur de iudice. Sic Panorm. *dicto cap. ex literis, numero 4. & dicto cap. final. §. cæterùm, numero 5. & ibi* Hostiens. Ioann. Andr. *vtroque loco.*

## DVBIVM XLI.

*An iudex alicuius oppidi dominorum temporalium qui per aliquod tempus de licentia domini abest, debeat, integrum salarium illius absentiæ temporis percipere.*

1 DIco teneri dominum integrum persoluere salarium. Probatur ex *l. hac lege, Cod. de proxim. sacro. scrin. lib.* 12. in illis verbis, *vt qui liberam profiscendi licentiam pronunciatione commeatus adeptus fuerit, sine qualibet stipendiorum, aut elementarum peregrè degat.* Per quam notat *ibi* glossa, quòd clericus, qui fuit absens de licentia Papæ, debet habere præbendam pro toto tempore absentiæ, ac si esset præsens, & Bartol. ex eadem lege dicit *ibi*, nota quòd si ciuitas Perusij concessit alicui suo stipendiario licentiam, vt iret Alemaniam, vel ad bellandum, & staret certo tempore absens, quòd debet habere stipendium, sicut si principaliter seruiret, & eodem modo si concederetur licentia potestati, vel Capitaneo. Idem Alexand. *in additionibus* ad eundem Bartolum, idem Lucas de Penna *ibi*. Idem glossa *lege tertia paragrapho si ad diem, digestis de re milit.* quam ac notabilem allegant Baldus *lege si ea condutione, Codice de condutione.* Alexand. ad Bartol. *lege prima, paragrapho ditus, vers. quaro quid, numero decimo septimo, digestis de variis, & extraordinariis cognitionibus.* Iason *lege diem functo, numero* 31. *ff. de offic. assess.* dicens, quòd si Doctor, vel stipendiarius se absentet cùm licentia Principis, debet habere salarium pro eo tempore, quo absens extitit. Idem Gregor. Lopez *lege* 16. *titulo* 16. *parte prima, verbo otorgase*, Baëza *de decima tutoris, capite vndecimo numero* 16. Auiles *capite primo. verbo salario, numero* 12. vbi latè.

## DVBIVM XLII.

*An si causidicus pactum ineat cum clientulo de aliquo sibi dando, si victoriam litis obtinuerit, & victoria obtenta detur præmium promissum, teneatur causidicus id restituere.*

1 RAtio dubitandi est, quia *lege octaua titulo decimo sexto libro secundo nouæ recopilat.* vbi huiusmodi pactum interdicitur, sic habetur: *Mandamos, que ningun abogado pueda hazer partido, ni iguala con la parte, que le de cierta cantidad, ni otra alguna por razon de la victoria del pleyto.* Et verbum, *no pueda*, reddit omnino inhabilem ad recipiendum, ita vt recipiens teneatur restituere, vt latè habes *supra dubitatione prima.*

2 Pro altera parte, quòd scilicet non teneatur restituere, est, quia aliud est, *no puedan auer, o recibir*; quia tunc, *non possint*, cadit *suprà receptionem*, & reddit ipsam nullam, & sic receptum est restituendum: aliud est, *no puedan hazer pacto*, quia si contra fiat pactum, nullam inducit obligationem, si non tenetur clientulus, cum quo pactum est initum, aliquid soluere; at si soluat, non teneatur causidicus acceptum restituere. Vnde Couarruuias *regula peccatum secunda parte, paragrapho secundo, numero septimo.* inquit, licèt conuentiones, & pacta in quibus ex vtraque parte versatur turpitudo, iure reproba, & nulla sint, id procedit ad hunc effectum, vt ex iis agi non possit, nec teneatur quis promissa seruare: non tamen ad hoc, vt datum sit restituendum, & tunc acceptum erit restituendum; quando conuentiones iure sunt reprobæ, & nullæ ex defectu solemnitatis iure requisitæ, vel ob deficientem legitimum consensum pacisentis ad perfectam rei promissæ translationem. At constat huiusmodi pactum non esse iure nullum ob defectum solemnitatis, & consensus; ergo virtute illius acceptum non est restituendum. Item quia licèt stipulationes turpes nullius sint momenti, *lege generaliter, digestis de verborum obligatione.* At id procedit ad hunc effectum, vt promittens non teneatur soluere: non tamen ad hunc, vt si soluatur, sit restituendum, vt optimè Nauarra *capite decimo septimo* Hispan. *numero trigesimo tertio.* Latin. *numero trigesimo.* Ergo licèt pactum illud causidici nullum sit, id erit ad hoc, vt clientulus non teneatur fidem seruare; non tamen ad hoc, vt si seruet, teneatur causidicus restituere, sicut si lex dicat, non possis acquirere lucrum taxillorum ludo partum, lucrans tenetur restituere: at si lex diceret, non possis ad taxillos ludere, ludens peccaret: at non teneretur lucrum restituere. Item quia Doctores omnes de hac re tractantes licèt dicant peccare causidicum, qui huiusmodi pactum init, at nullus eum damnat ad restitutionem. De hac re consului Enriquez, & respondit mihi ex Salmantica hæc verba, *Nullo modo tenetur causidicus restituere sic acceptum; quia hac lex non est taxatoria salarij, sed prohibitoria periculi propter præsumptionem.* Et hæc sententia est tenenda.



## DVBIVM XLIII.

*An erit licitum aliquid donare iudicis concubinæ, vt faueat mihi apud illum, in eo quod meam litem videat? &c.*

1 VIdetur licitum, quia peto rem à prætore, quam potest bene facere.

2 Respondetur non licere: tum quia vtor amore turpi, & eo vt tali mihi patrocinari volo: tum, quia ipsa moraliter nequit benè facere; quia ipsam pergere ad allòquendum iudicem est mortale ratione scandali sui, cùm exponat se vehementissimo periculo peccandi, & alieni, quia exponit alium eidem periculo. Sic mihi, & aliis visum fuit post magnam de hoc altercationem.

## DVBIVM XLIV.

*An liceat alicui ex litigantibus informationes alterius partis subripere.*

1 DIco primò, id nullo modo licere, sed potiùs esse contra iustitiam; quia cùm iis sit dubia, alter habet ius iustitiæ ad seruandum ea, quæ sibi possunt, contra quod ius facit ille, qui extrahit informationes alterius partis illinc, vbi ab ea reseruabantur, quia in dubio litis sibi vsurpat rem alienam cùm notabili damno alterius litigantis, armis valde imparibus contra illum dimicat, sciens fundamenta sui aduersarij penitus ignorantis ea, quibus alter nititur.

2 Hoc limita, nisi fortè litigans obiter informationes inuenit; tunc enim licitè potest illas capere, & illis vti ad tuendam partem litis, quam iustè defendit; quia vtitur iure suo, nec iniuriam irrogat alteri parti.

3 Dico secundò esse peccatum mortale petere ab impressore, vel à famulo iudicis, seu Auditoris, vel ab amanuensi Aduocati, vt prædictas informationes capiat, & tradat litiganti. Ratio est, quia si ipse litigans non potest illas iustè capere, à fortiori non poterit ab altero petere, vt illas capiat; præsertim, quia alij teneatur ex iustitia seruare secretum tanquam personæ, quibus altera pars, vel iudex, vel Aduocatus confidit. Ita docti iuniores.

4 Dico tertiò, duæ præcedentes conclusiones intelligendæ sunt, quando litigans non esset certus, quòd aduersarius subripuisset suas informationes; nam in tali casu sibi posset licitè recompensare, capiendo etiam aduersarij sui informationes: & si impressor, vel famulus, aut amanuen-

sis

sis haberet eandem certitudinem, posset etiam eas illi tradere, quia id esset iuuare ad iustam recompensationem.

5 Dico quartò, quando litigans non potest prædictas informationes capere, iuxta dicta in prima conclusione, non potest Aduocatus illas recipere, nec amanuensis illas scribere; quia licet studium Aduocati, & actio scribendi sint res indifferentes, at litigans vult illis abuti contra iustitiam, immo nec in dubio, an litigans peccauerit capiendo prædictas informationes, poterunt Aduocatus, aut amanuensis prædicta facere, quia quod communiter contingit, est perperam, & iniustè illas vsurpare, & ratissimè oppositum accidit, nisi, vt dictum est, constaret alteram partem priùs prædicti litigantis informationes vsurpasse.

*FINIS.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

# INDEX

## Rerum, quæ in hoc primo Tomo Consiliorum moralium continentur.

*Primus numerus librum; secundus libri caput; tertius capitis dubium; quartus denique, & sequentes, eiusdem dubij sectiones margini adscriptas demonstrant: at vbi vnus solus est numerus, is intelligitur esse marginalis dubij proximè prænotati.*


Abbas, vel Abbatissa, an possit præsentare, quando præsentatio pertinet ad monasterium. libr. 2. capit. 3. dub. 71. num. 24.

Abbatia, vide *Beneficium.*

Abbatissa, vide *Abbas.*

*Absens*, vide *Præsentari.*

Absens si præsenteretur, & præsentatio teneat, intra quod tempus debeat præsentationem acceptare. 2.3.73.6

*Absolui* an possit, dum procurat dispensationem, seu revalidationem tituli, vel sit cogendus statim resignare, qui simoniacè, vel existens excommunicatus obtinuit beneficium. 2.3.113.1

Absolutio ab excommunicatione per ordinarium lata, an teneat, si superior, qui aditur, sit iudex competens, & absoluat. 3.1.35.17

Et quid si non sit iudex competens, & absoluat, an teneat, vel debeat fieri remissio ad superiorem. ibid.

Absolutio ab excommunicatione lata ab Episcopo post appellationem ad Papam an possit coram Archiepiscopo peti ad cautelam. 20

Absolutio facta à delegato post appellationem ad delegantem, an teneat, si ad eum fiat remissio, vel recipiatur appellatio, licèt remissio non fiat. 3.1.35.32

Absolutio facta à legitimo iudice absque citatione partis, an sit iusta, & teneat. 3.1.36.5. & 6

Absolutus ab excommunicatione, vide *Dispensatus.*

*Abstinens*, vide *Ieiunans, & Ieiunare.*

Abstinere, vide *Ieiunare.*

*Accidentes* furnos, vide *Festum.*

*Acceptio* personarum quid sit. 2.1.1.1

Acceptio personarum directè opponitur iustitiæ distributiuæ 3

Acceptio personarum tantummodo locum habet in his, quæ ex iustitia debentur. 5

Acceptio personarum in quibus rebus committatur. 8

Et quale peccatum sit. 9

An verò committatur in honoribus exhibendis. 2.1.40. à 3. ad 14

Acceptio personarum an locum in iudiciis habeat. 2.1.41.1. & 2

Acceptio personarum an habeat locum in his, quæ in fauorem iudicis conceduntur. 3

Et an committatur acceptio personarum in iis, quæ in causarum fauorem concessa sunt. 4

Acceptio personarum an sit definire aliquam causam prius quàm antiquiorem aliam. 7

Acceptio personarum an committatur in tributis exigendis, quando non seruatur debita proportio ad causam pro qua imponuntur. 2.1.42.1.

Acceptio personarum an sit eximere aliquem à tributis ex rationabili causa. 2

Acceptio personarum an possit contingere in aliis legibus ferendis. 3

Acceptio personarum an sit dispensare faciliùs in matrimonio contrahendo cum diuitibus, quàm cum pauperibus. 2.1.42.4

*Acceptor* personarum an 'sit, qui considerat aliam rationem ad rem, quæ confertur, non congruentem, licèt sit congruens respectu alterius. 2.1.1.4

Acceptor personarum non est, qui, omisso extremè indigenti, confert eleemosynam amico non indigenti. 6

Acceptor personarum an sit qui excludit inimicum quãdo ex proprijs bonis inuitat omnes ciues ad cœnandũ, vel donat aliquod pretium communitati, vt distribuat ciuibus pro meritis, vel illis paret conuiuium. 7

Acceptor personarum an sit Princeps remittens vni pœnam, alteri verò non, eodem crimine, & circumstantiis existentibus. 2.1.41.8

Acceptor personarum an sit Prælatus qui simili causa existente dispensat cum vno, & non cum alio. ibid. & 2.1.42.1

Et quid si dispenset cum aliquo absque iusta causa. 2

Quid verò dicendum de eo, qui cùm in aliquo inueniantur omnes causæ iustæ, non vult cum illo dispensare. 3

Acceptor personarum an sit pater in successione hæreditaria filium minus dignum, vel indignum cæteris præferens. 2.1.43

Et quid si eligatur filius indignus à parente, vel ab alio domino bonorum ad maioratum per ipsum institutum, cui iurisdictio, seu administratio annexa est. 4

*Actus* factus virtute citationis, vide *Citatio.*

*Aditio* hæreditatis, vide *Hæreditas.*

*Administrator* an ex bonis Ecclesiasticis in pios vsus deputatis possit aliquid tribuere consanguineis pauperibus. 2.2.37.8

Quid verò dicendum quando pauperes ex decimis suas partes non habent. 9

*Aduentitia* bona, vide *Filius.*

*Aduocatus*, vide *Causidicus, Restituere, & Index.*

Aduocatus an possit esse in aliqua causa, qui fuit iudex in eadem. 3.1.26.6

*Ædificia* publica in festis perficere, vide *Laborantes.*

Ædificia tollere, vel moliri, vide *Ædes suas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

# Index Rerum.


Ædes suas erigere, vel feneſtras aperire, an liceat in quouis caſu. 1.5.9.à 1.ad 13
Et an hæc liceant, licèt inde ſequatur damnum religioſis domibus. 16.& 18
Et an ſi via media interſit, vicinus poſſit in altum tollere ædificium, licèt vicini domus pateat. 19
An verò ſint demolienda ædificia, quæ cùm in plateis, vel viis ſint, eas impediunt. 20
*Ætas* quænam requiratur ad Epiſcopatum, ad dignitates inferiores, curam animarum habentes, ad reliquas dignitates non curatas, ſeu perſonatus. 2.2. 16. 2
Ad beneficia ſimplicia.
Ad Canonicatus, & portiones. 4
Ad Prælatos Religionis. 5
*Æthiopes* quibus titulis in ſeruitutem redigi poſſint. 1. 1.4.1.
Et quando iſti tituli reddantur iniuſti. 2
Æthiopum contractatio qua adducuntur ex ſuis regnis ad noſtra vendendi tanquam ſerui, quando ſit licita vel illicita, & peccatum mortale, & teneantur adducentes eos manumittere, 10. vſque ad finem dubij.
*Agitatio* taurorum, vide *Ludus agitationis*.
*Agricolæ*, vide *Pinſores*, *Pauperes*, & *Feſtum*.
*Alcaballa*, vide *Gabella*.
Alcabalſa ex quibus contractibus debeatur. 2.4.17.2
Et an eam debeat venditor, vel emptor. ibid.
Alcauala an debeatur ex venditione rerum non lucri, aut negotiationis cauſa facta, ſed ad ſubueniendum propriis neceſſitatibus. 2.4.47.2
*Aleatores*, ſeu habentes menſas aleareas, id eſt, *tablajeros*, an peccent mortaliter, & teneantur reſtituere, quando ludentes, tenentur, & non reſtituunt. 1.8.21. 2. & 5
An verò qui ab aleatoribus aliquid furatur, vel illos percutit tempore ludi, teneatur reſtituere, & cui teneatur. 2. & 3
Qui verò dicantur aleatores. 4
An idem dicendum ſit de iis, qui dederunt inſtrumenta, vel domum, vel lumen. 5
An etiam teneantur reſtituere, qui alicui præbent nummos, vt vice amborum ludat. 1.8.22.1.2.& 3
Quid autem dicendum caſu quo quis ab altero furatur, & non habens aliam pecuniam præter furto ablatam, eam ludit cum illo, an teneatur reſtituere lucrum. 4
*Alguazellus*, vide *Exequutor*.
Alguazellus an poſſit percipere decimam exequutionis, & quando executionis iura poſſit percipere. 3. 1. 22. 1
An verò vt poſſit percipere decimam exequutionis requiratur immemorialis conſuetudo. 2
Alguazellus, vel exequutor, qui iter facit ad faciendas plures exequutiones in vnum, vel plura oppida, an poſſit à quolibet debitore integrum exequutionis ſalarium exigere: & an idem poſſit tabellio concomitans. 3.1.23 1
Quid verò dicendum, ſi hic Alguazellus per longiorem, & magis tranſuerſam viam: vel ſi in vna die expediat, quod duobus diebus erat expediẽdum. 2
Alguazellus an poſſit capere aliquem extra fragrans delictum abſque ſpeciali mandato iudicis. 3.1.28.10
An verò id poſſit abſque mandato iudicis, quando eſt in fuga delinquens. 11
Alguazellus volens aliquem capere non in fragranti delicto, ſed, v. g. ob debita, an teneatur oſtendere ſcripturam mandati iudicis. 13
*Alimenta*, vide *Homicida*, & *Quintum*.
Alimentans ſeruum, vel filium expoſitum an acquirat aliquod ius in perſonam. 1.5.4.5
Alimentans expoſitum quando, & quas expenſas poſſit petere. à 8. ad 14
*Amanuenſis*, vide *Cauſidicus*, & *Informationes*.
Ancilla poteſt fugere tuta conſcientia, ſi dominus eam impetat, & ſtare ac ſi eſſet libera, & implorare officium Epiſcopi, vt manumittatur, & poteſt ipſe Epiſcopus ad hoc compellere. 1.1.9.1
Quid ſi dominus publicè eam proſtituat. 2
*Anniuerſaria* an requirant eandem aſſiſtentiam ad ea lucranda, quam requirunt diſtributiones. 2.2.105.1
Quid verò ſi teſtator petat aſſiſtentiam in anniuerſario, an lucrabitur qui impeditus eſt ob aliquam cauſam ſufficientem ad lucrandas diſtributiones. 4
*Annui* redditus an ſint propriè mobiles, vel immobiles. 2.4.42.5
An verò ſequantur bonorum immobilium naturam. ibid.
Et an cenſeantur extare illic, vbi ſunt bona, ſuper quibus conſtituti ſunt. 6
*Annus*, vide *Dies*, *Beneficium*, & *Exequutor*.
*Antiſtites* ludere, an ſit peccatum mortale; & qui ludi illis prohibeantur, v. *Ludere*.
*Apoſtoli* an ſint petendi in appellatione. 3.1.32.11
*Apparatus*, vide *Feſtum*.
*Appellandi* cauſa an debeat eſſe vera, vel ſufficiat veriſimilis, & probabilis. 9
Appellando coram alio, an poſſit variare, quia appellauit coram vno iudice. 165
Appellans an videatur renunciare appellationi adeundo iudicem à quo tantùm ſuper innouatione. 34
Appellans alieno nomine ſine mandato à quo, & intra quod tempus debeat facere illam appellationem ratificari à domino litis. 61
Appellans quid teneatur facere intra terminum à iudice præfixum, ne lapſu termini appellatio maneat deſerta. 3.1.32.89
Appellans quod tempus habeat, compromiſſo deſerto, vel tempore, de quo conuenit, deſerto. 104
Appellans intra quod tempus teneatur petere apoſtolos, & an debeat proteſtari, ſi iudex non det illos. 119
An verò ſufficiat eos petere cum inſtantia, vel teneatur appellans infra terminum pro illis redire. 121
Appellans extraiudicialiter, an teneatur petere apoſtolos. 124
Appellans in abſentia iudicis, an teneatur petere apoſtolos, & an debeat iudice reuerſo adire eum pro petendis apoſtolis. 125
Appellans an teneatur quærere iudicem in domo, vt coram eo interponat appellationem. 132
Appellans coram honeſtis perſonis ob metum iudicis proteſtatione præmiſſa, an teneatur coram iudice appellare, ſi ceſſarit metus intra decem dies. 133
Appellans à diffinitiua, an ſat ſit, ſi dicat ſe eſſe grauatum in genere, vel ſententiam eſſe iniuſtam ſine alia cauſa: vel debeat in appellatione inſerere cauſas grauaminis in ſpecie. 180.& 181
Appellans ab interlocutoria, ſi iudex non admittat appellationem, an debeat ab iſta non admiſſione appellare. 215
Appellans an incurrat cenſuras condicionales, ſi conditio ſit de non appellando. 284
Appellans à ſententia lata poſt terminum à lege præſcriptum, vtendo aliqua cautela, an peccet, & teneatur aliquid alteri parti reſtituere, ſi manifeſtè conſtet ſententiam contra ſe latam fuiſſe iniuſtam. 3.1.38.2
Et quid ſi non conſtet de iniuſtitia ſententiæ latæ, ſed vtriuſque partis ius eſſet dubium. 3
Vide *Reus*.
Appellare an debeat intra tempus appellationis, qui ratione minoris ætatis, vel alia ratione eſt reſtitutus ad appellandum. 3.1.32.59
Appellare an liceret ab interlocutoria habente vim diffinitiuæ, ſi decretum Concilij non excipiet.




Index Rerum.


Appellare ab interlocutoria, an liceat, quando cauetur lege, vel ſtatuto, quòd in aliquo caſu non habeat locum appellatio. 213
Vide *Clericus*.
Appellari an poſſit ad ipſum dominum à iudicibus inferioribus in oppidis per dominum conſtitutis ad appellationum cauſas. 3.1.6.1
An verò poſſit appellari ad Regem. 3
Et an ſit appellandum ad ſolum Regem à iudice delegato, cui dominus cauſam aliquam appellationis ſpecialiter commiſit. 4
Appellari an poſſit, ſi iudex malè arbitretur in reſtringendo, vel ampliando iuris terminum. 3.1.32.89
An verò poſſit appellari in commiſſis iudicis arbitrio, ſi iudex malè arbitretur. ibid.
Appellari an poſſit viua voce, quando appellatur à diffinitiua illico, ac fertur ſententia. 168
Et an tunc ſit neceſſarium quòd appelletur in loco tribunalis, & iudice ſedente pro tribunali, & quid ſi appelletur in ſcriptis. 189
Quando verò cenſeatur illico fieri appellatio. à 170. ad 173
Appellati in ſcriptis an ſit neceſſe quando à diffinitiua non illico, & incontinenti appellatur. 174. 175. & 156
Et an ſit neceſſe addere aliqua verba. 295
Appellari an liceat in omnibus ſententiis conditionalibus, quæ ſunt cenſuræ, vel non ſunt; ſi conditio, vel dies exiſtat intra decem dies. à 259.ad 264
Appellatio in aliquando legibus iuſtè tollatur. 3.1.10.3
Vide *Partes*.
Appellatio an ſuſpendat partem ſententiæ, ſuper quæ non eſt appellatum. 3.1.16.3
Appellatio, quid ſit. 3.1.32.3
Quotuplex verò ſit. 4.& 19
Appellatio extraiudicialis quotupliciter fieri poſſit. 6
Appellatio extraiudicialis facta ab ipſa parte, an habeat vim citationis. 8
Appellatio generalis, & à futuro grauamine an valeat. 3.1.32.7
Appellatio iudicialis, in quo differat ab appellatione extraiudiciali. à 7. ad 17
vbi multa circa has appellationes.
Appellatio an dicatur proptiè iudicialis, vel extraiudicialis. 10
Appellatio an reuocet omnia attentata contra eam. 15
Ad quem verò poſſit fieri. 17
Appellatio facti quando habeat locum. 20
Appellationis vim an hodie habeat itineris arreptio ad ſuperiorem. 22
Appellationis effectus quotuplices ſint. 24
Appellatio an ſtatim liget manus iudicis à quo, & eius iuriſdictionem ſuſpendat. 14.& 25
Appellatio extraiudicialis à collatione beneficij, vel confirmatione electionis iam facta, an ſuſpendat ipſam confirmationem, & electionem, vel inueſtituram, aut traditionem poſſeſſionis. 14
Appellatio ab interlocutoria, vel tantùm à diffinitiua, an ſtatim liget manus iudicis à quo, quin poſſit procedere ad vlteriora, vel tantùm poſtquam inhibitum fuerit per iudicem appellationis. 37. & 38. vbi multa.
Appellatio, quæ dicatur friuola. 41
de Appellationis eſſentia quid ſit. à 46. ad 50
Appellationem interponi à legitima perſona an ſit de eius eſſentia. 46
An ſit de eius eſſentia, vt interponatur intra debitum tempus. 47
Et vt proponatur coram legitimo iudice. 48
Et vt fiat ad legitimum iudicem. 49
An verò ſit de eius eſſentia, vt ſeruetur in appellatione debita forma. 50
de Appellationis eſſentia an ſit, vt contineat nomen appellantis, & iudicis à quo, & ad quem, & aduerſarij, ac ſententia, à qua appellatur. 51
Appellatio an ſit inualida, in qua falſum nomen aduerſarij exprimitur, vel alius dies ab eo, in quo ſententia lata fuit. ibid.
de Appellationis eſſentia, an ſit quòd in ea petantur apoſtoli. 52
Appellationis tempus quotuplex, & quod ſit de eius eſſentia. 54
Appellatio intra quod tempus proponi debeat iure communi antiquo, & Regni Hiſpaniæ. 56
Et quid ſi grauamen illatum habeat tractum ſucceſſiuum. 63
Appellatio extraiudicialis an poſſit audiri poſt terminum appellationis. 57
Appellatio, quæ ſit coram honeſtis perſonis eo quòd non eſt copia iudicis, an debeat fieri intra decem dies. 60
Appellatio intra quem terminum debeat proſequi. 84
Appellatio an maneat decreta, ſi iudex ad quem mandet parti, vt intra certum tempus trahat coram eo proceſſum, & non trahat. 87
Appellationem proſequendi tempus an poſſint partes de communi conſenſu breuiare. 100
An verò poſſint illud ſuſpendere. 101
Et an poſſint illud breuiare ad appellationem finiendam 105
An verò poſſint illud prolongare. 107
Appellatio an maneat deſerta in beneficialibus, ſi iudex aſſignet terminum iuris. 116
An verò ſit deſerta per negligentiam partis in beneficialibus etiam quoad iudicem. 117
Appellatio an maneat deſerta, ſi iudex ſtatuat terminum appellanti ad recipiendum apoſtolos pro tali die, & appellans non compareat in illa die. 222
Appellatio an ſit neceſſariò interponenda coram iudice à quo. 128.& 294
Et quid ſi plures iudices ſententiam ferant. 128
An verò ſat ſit ſi appellatio interponatur coram iudice ad quem. 130.& 131
Appellatio an teneat, ſi Epiſcopo volente me excommunicare, ego appellem. 129
Appellatio, an ſat ſit, ſi interponatur coram honeſtis perſonis, vbi non eſt copia iudicis à quo, & eſt copia iudicis ad quem. 134
An ſit neceſſariò interponenda coram honeſtis perſonis, vbi non eſt copia iudicis. 135
Et an requirantur multæ honeſtæ perſonæ, vel ſat ſit vna. 136
An verò debeat fieri in præſentia duorum teſtium. 137
Appellatio an ſat ſit ſi interponatur coram notario & teſtibus vbi non eſt copia iudicis. 139
Appellatio facta in abſentia iudicis ex iuſta cauſa an neceſſariò debeat ipſi intimari. 146
An verò ſit neceſſaria præſentia aduerſarij, quando appellatur in iudicio, vel extra à iudice, vel ſat ſit, quod ſi ſibi intimetur. 145
Appellatio an debeat intimari perſonaliter, vel ſufficiat ad domum. 151
Appellatio extraiudicialis coram quo ſit interponenda, & an in præſentia aduerſarij. 153
Appellatio, vt teneat, an debeat fieri ad iudicem ſuperiorem. 155
Quid verò teneatur facere appellans, quando dubitat an appellatio ſit bene interpoſita ad inferiores. 155
Appellatio interpoſita ad iudicem parem an teneat. 156
Appellatio, vt teneat, an debeat fieri ad iudicem de cuius iuriſdictione eſt iudicandus. 158
Appellatio an teneat iure ciuili, & canonico, ſi fiat non

Universidad de Deusto
Biblioteca

# Index Rerum.


nominando iudicem, sed dicendo, Appello, vel appello ad iudicem competentem. 159
Appellatio sic interposita, Appello ad maiorem iudicem, ad quem intelligatur. 160
Appellatio an teneat per hæc verba: Submitto me protectioni & tuitioni talis iudicis. 161
Appellatio alternatiua, scilicet, appello ad Episcopum, vel ad Papam, an teneat. 162
Appellatio copulatiua, v.g. Appello ad Episcopum, & Legatum, & Papam, an teneat. 163
Ad appellationis formam quid pertineat. 167
Appellatio in scriptis an possit interponi, vbicumque inuenirur iudex. 179
Quando verò dicatur appellatio in scriptis, & an sat sit dicere notario, Scribe quòd appello. 176
Appellatio interposita ab actu gesto per iudicem quando dicatur iudicialis, vel extraiudicialis. 178
Appellatio vt valeat, an sit necesse, quòd appellationis scriptura coram iudice à quo legatur, vel sat sit illi præsentari, & sufficiat scriptura priuata. 179
Appellatio ab interloquutoria an debeat fieri in scriptis. 182
Et quid si interlocutoria habeat vim diffinitiuæ. 183
Et an sit idem de iure canonico, ac ciuili. 184
Appellatio ab interlocutoria, vt valeat, an debeant in ea exprimi causæ grauaminis. 186
Et an sat sit exprimere causam generalem. 187
An verò oporteat nominatim exprimi. 188
Et an sat sit dicere, Appello ex tali causa, & ex aliis actis apparentibus. 189
Quid verò dicendum, si causa grauaminis sit notoria. 190
An verò talis expressio causæ debeat fieri coram iudice à quo. 191
Et an possit appellans intra decem dies specificare. 192
Et quid dicendum si interlocutoria habeat vim diffinitiuæ. 193
Et quid, si causa grauaminis solùm in mero iure consistat. 194
Quid verò dicendum, si appelletur in maioribus causis soli Papæ reseruatis. 195
Et quid si appelletur à grauamine, & interlocutoria, de cuius grauamine verè constat ex inspectione sententiæ. 196
An verò sufficiat exprimere causas grauaminis per relationem ad aliud. 197
Appellatio ab interlocutoria, vel diffinitiua an omnino suspendat iurisdictionem iudicis à quo. 198
in Appellatione à diffinitiua, vel interlocutoria an possint nouæ causæ grauaminis allegari. ibid.
Appellatio extraiudicialis à grauamine an debeat in scriptis continere causam grauaminis, quando fit non à iudice, sed ab aliquo grauante. 199
Appellatio an detur iure ciuili ab interlocutoria sententia. 202
Et an iure canonico, & stando in tribunali Ecclesiastico. 203
Qnid verò circa hoc statuat Trid. *sess.* 13. *c.* 1. *in fine de reform. & sess.* 24. *c.* 20. *initio*, & Gregor. XIII. *in suis regulis regula* 35. 204
Appellatio præcedens sententiam excommunicationis, & interdicti an eas suspendat. 217. & 218. vsque ad 239
Aliquot ampliationes, & limitationes.
An verò sit necesse, vt exprimatur causa rationabilis, & probabilis grauaminis. 235
13 An denunciator possit esse testis contra delinquentem, vt sic procedatur ad punitionem. ibid.
14 An quando iudex, vel Prælatus præcipit denunciare delicta, sit priùs facienda secreta monitio. 149
15 An peccata præterita iam emendata sint denuncianda ad mandatum superioris. 150
16 An crimina non visa, sed tantùm audita sint denuncianda. 151
17 An sit denunciandum Prælato, qui creditur nullum remedium adhibiturus. ibid.
18 An aliquæ personæ propter priuilegium iuris excusentur à denunciando ad mandatum iudicis, vel à testificando si iudex eas specialiter vocet, vt testimonium ferant: & an qui ob defectum aliquem sunt facti inhabiles ad testificandum teneantur denunciare ad mandatum iudicis ibid.
19 An filius teneatur patrem hæreticum denunciare inquisitoribus, & comprehendatur sub edictis talem denunciationem iubentibus. 152
20 An teneantur illi denunciare ad edicta vel testificari si iudex interroget, quibus delictum pro consilio vel remedio capiendo, vel sub sigillo secreti detectum est. 153
21 An qui iurauit non denunciare, vel non ferre testimonium teneatur respondere ad edicta, vel iussus à Prælato testificari. 154
22 An propter damnum, quod denunciatori, vel reo denunciato sequitur, excusetur quis à denunciando, vel testificando. ibid.
23 Quæ sint causæ in summa ob quas quis excusetur à mandatis de denunciandis criminibus. 155
24 Quæ causæ excusent à denunciatione facienda de rebus furtiuis. ibid.
25 Quantum temporis duret edictum superioris cum vi obligandi ad denunciandum, & similiter literæ excommunicatoriæ, quæ promulgantur ad partis petitionem, vt sibi aliquid restituatur. ibid.
26 An errent iudices præcipiendo generaliter in edictis malefactores denunciari. 156
27 Quod sit discrimen inter eum qui respondet ad edicta vt testis, & inter eum, qui vt denunciator. ib.

## CAPVT III.

*De inquisitione.*

Dvb. 1. Quæ dicantur crimina minora, grauiora, & enormia. 157
2 Quæ crimina dicantur esse contra Rempublicam, & in damnum commune. 158
3 Quid & quotuplex sit publicum, & notorium, & famosum, & manifestum, & occultum. ibid.
4 Quid sit infamia secundùm ius, & quotuplex. 159
5 Quo pacto incurratur infamia facti. Quis sit eius effectus & quomodo possit tolli. 160
6 Quo pacto iuris infamia incurratur, & quomodo tollatur. 162
7 Quid sit purgatio canonica, & quãdo sit necessaria. 164
8 Quid sit causa iudicialis, & quotuplex. ibid.
9 Quid & quotuplex sit sententia iudicialis. ibid.
10 Quæ dicatur sententia iusta, vel iniusta, quæ valida, & quæ nulla. 165
11 Quid sit procedere in iudicio simpliciter & de plano sine figura, & strepitu. ibid.
12 Quæ probatio in iudicio sit sufficiens. 166
13 An confessio iudicialis facta ab ipso reo valeat pro sufficienti probatione. ibid.
14 Quæ sint indicia sufficientia ad probationem faciendam. ibid.
15 An sufficiat vnum indicium ad procedendum in iudicio, vel sint necessaria plura, maximè ad torquendum. 167
16 Quid & quotuplex sit inquisitio. 168
17 An necessarium sit ad inquisitionem de aliquo delicto faciendam, præcedere infamiam, vel fat sint indicia. ibid.
18 An sit de iure naturali, & diuino, vt ad inquisitionem non procedatur absque infamia. 169
19 An sint aliqui casus excepti in iure, in quibus non sit necessarium præcedere infamiam ad inquisitionem. ibid.
20 An vbi delictum est notorium, peccator verò occultus: vt si inueniatur homo mortuus, & ignoretur à quo, possit iudex inquirere quis fecerit. 171
21 Vtrùm econtrà quando persona diffamata est, & conuicta de vno crimine, possit interrogari de aliis criminibus occultis de quibus nõ est illa infamia. ib.
22 An conuictus de vno crimine possit iure interrogari de sociis occultis, qui nulla laborant infamia. 172
23 An in peccato contra naturam liceat interrogare pro socio, vt in sodomia, sicut in vitiis, quæ sunt contra bonum commune. 173
24 An iudices interrogantes socios criminum, peccent, socios (inquam) contra quos non habent probatam infamiam. ibid.
25 An inquisitio contra Religiosos possit fieri absque infamia. ibid.
26 An sufficiat infamia orta postquam reus in carcerem detrusus est, ad inquisitionem? & an ex simplici infamiæ informatione, possit iudex procedere ad inquirendum, vel sit necessarium infamiam priùs esse iuridicè probaram. 174
27 An in omnibus delictis possit inquisitio fieri: & an herus possit in sua familia inquirere. ibid.
28 An aliquo casu teneatur reus se prodere ad mandata, vel edicta generalia iudicis. ibid.
29 An quotiescumque reus interrogatur à iudice iuridicè de proprio delicto, teneatur reus proprium delictum fateri. 175
30 An reus rogatus de crimine hæresis, vel læsæ maiestatis in quibus non requiritur tanta solemnitas ad inquirendum, teneatur suum crimen, scilicet hæresim prodere, maximè si crimen sit notorium, vt si hæreses in publico productæ sunt, nulla tamen infamia vel indiciis laborat. 176
31 An quando reus, vel testis ignorat an iudex iustè, & secundùm ius interroget, teneatur fateri crimen. ib.
32 An ad hoc quod reus teneatur respondere, satis sit esse de eo infamiam, vel indicia, vel requiratur etiam quod sint probata, & illi notificata. 177
33 An mentiri in iudicio sit peccatum mortale. ibid.
34 An sit licitum in principio litis accipere iuramentum calumniæ super veritate dicenda ab ipso reo. 178
35 An liceat iudici vti simulatione aliqua, vt à reo, actoréve veritatem rei apud ipsum dubiæ quam iuridicè rogat extorqueat, & an possit delatum de crimine ad pœnam damnare ex sola confessione, quam ab ipso, promissa criminis impunitate, extorsit. ibid.
36 An vt testes teneantur fateri, sit necessarium, sciant esse infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem. ibid.
37 An quando factum est notorium, at peccator occultus, teneatur testes manifestare delinquentem iudici interroganti. 179
38 An si aduersus testes obiiciantur aliqua ad eorum testimonium repellendum, possit iudex interrogare testes de veritate obiectorum, & testes teneantur respondere. ibid.
39 An iudex, qui contra ius aliquid nouit à reo vel teste possit ex eo procedere in iudicio. 180
40 An quando proceditur via inquisitionis sit insligenda pœna integra. 181
41 An probatio requiratur ad puniendum per viam inquisitionis? Item quæ forma & solemnitas sit seruanda in via inquisitionis. ibid.
42 An peccata publica, sint necessariò publicè puniendа. ibid.

## CAPVT IV.

*De reo.*

Dvb. 1. An reus accusatus, possit licitè petere ab accusatore, vt ab accusatione desistat, etiam dato sibi ad hoc pretio. 182
2 An licitum sit appellare ad superiorem, eo quòd habeat contrariam opinionem, vel quia fauore aliquo ductus differet sententiam, vel mitius puniet. ib.
3 An reus contra quem extant legitimæ probationes possit torqueri, vt si fateatur, negetur ei appellatio. ib.
4 An proprium crimen confessus, possit appellare. 183
5 De tortura rei. ibid.
6 Quid requiratur, vt reus possit in carcerem trudi. ibid.
7 An liceat damnato iustè ad mortem, si possit fugere non illata vi custodibus, nec effringendo carceres, vel rumpendo vincula effugere è carceribus? & similiter an aliis victis iustè, qui nec morte, nec corporali supplicio damnati sunt liceat fugere. 184
8 An vinctus non damnatus, nec damnandus ad pœnam sanguinis, vel mutilationis, sed ad aliam punitionem, aut ad debita soluenda, vel pœnam pecuniariam, possit licitè fugere. ibid.
9 An liceat reo carceres effringere, vel perforare, vinculáque disrumpere, vt sic fugiat. 185
10 An licitum sit consulere vinctis, vt fugiant, vel carceres, vel vincula rumpant, & ad id opem præstare. ibid.
11 An Religiosis liceat fugere à carceribus suorum Prælatorum. 186
12 An damnati ad carcerem perpetuum, vel temporalem fugere possint ibid.
13 An reus damnatus ad mortem, qui potest è carceribus fugere, teneatur ad id, vel possit in carceribus manere. ibid.
14 An reo damnato ad mortem famis liceat abstinere à cibo. ibid.
15 An licitum sit reo obedire ministris iustitiæ, ascendendo locũ supplicij, & alia similia faciendo. 187
16 An vinctus, qui promisit, vel iurauit se rediturum ad carcerem, teneatur redire. ibid.
17 An condemnatus iustè possit iudici, vel ministris iustitiæ resistere? & quid de innocente, damnato tamen iuxta allegata & probata. ibid.
18 An damnatis ad triremes liceat fugere. 188
19 An damnati ad exilium, qui bona anni parte latent intra locum, à quo exularunt, peccent mortaliter. ib.

## CAPVT V.

*De testibus.*

Dvb. 1. In quibus casibus teneatur homo ad testimonium ferendum. 189
2 An omnibus casibus dictis sit peccatum mortale non se offerre ad testificandum. ibid.
3 An possit quis se abscondere, vel fingere inhabilitatem vel inimicitiam, vt sic excusetur à testimonio ferendo? & an sic se abscondens, vel fingens teneatur restituere. ibid.
4 An quod dicitur de indiciis, quòd debent esse probata ad hoc vt testis teneatur fateri veritatem, idem sit dicendum de infamia, quod scilicet debeat esse probata ad hoc, vt testis veritatem fateri teneatur, siue per accusationem, siue per inquisitionem procedatur, vel satis sit esse infamiam, licèt non probatam. 190
5 An quod dictum est testes non teneri ad reuelandum crimina, nisi sit infamia, vel indicia probata in iudicio, vel testis semiplenè probans deposuerit in iudicio, sit etiam verum in criminibus exceptis, vel in grauissimis vt in morte Principis, & in his, quæ sunt contra bonum commune quando damnum non pendet in futurum. ibid.
6 An religiosi & sacerdotes teneantur ferre testimonium. 191
7 An testis vocatus ab aliquo, vt testimonium reddat, teneatur etiam manifestare, quæ pro aduersario faciunt. ibid.
8 An testis interrogatus de delicto, quod si explicet manifestatur turpitudo ipsius testis occulta. v. g. quia fuit complex in eodem delicto, teneatur illud manifestare. ibid.
9 An ad iudicium sufficiat duorum, vel trium testimonium. ibid.
10 An aliquando vnus testis sufficiat ad probationẽ. 192
11 An in aliquibus casibus non sufficiant duo testes. ibid.
12 An testes singulares in aliquibus casibus sat sint & faciant probationem. ibid.
13 An si testes discordent secum, vel cum aliis sit validum eorum testimonium. 193
14 Qui sint legitimi testes, & quas conditiones habere debeant. ibid.
15 An esse socium criminis sit circumstantia, ob quam testis sit illegitimus. 194
16 An testes inhabiles valeant aliquid in iudicio. ibid.
17 An quando personæ sunt priuilegiatæ valeat aliquid eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca



eorum testimonium. 195
18 An aliquis in causa propria, vel sibi, & alteri communi possit esse testis. ibid.
19 Quæ solemnitas necessariò requiritur in recipiendo testimonio. ibid.
20 An pars aduersa possit ad sui defensam detegere occultos testium defectus. ibid.
21 Ad quid teneatur testis, qui falsum deposuit. 196

## CAPVT VI.

*De seruando secreto.*

Dvb. 1. An seruare secretum sit actus virtutis, & sit in præcepto. ibid.
2 An teneatur quis potius vitam exponere, quam secretum fidei suæ commissum, vel peccatum alienum occultum, quod tamen ipse vidit, detegat. 197
3 An alienas literas aperite, & legere, sit peccatum mortale. ibid.

## CAPVT VII.

*De Aduocatis.*

Dvb. 1 Vtrũ Aduocatus teneatur patrocinari pauperi. 198
2 Quibus personis interdictum sit officium aduocationis. ibid.
3 An in aliquo euentu fas sit clericis & Episcopis patrocinari. ibid.
4 An qui iure prohibiti sunt patrocinari, delinquant mortaliter si munere hoc fugantur. 199
5 An clericis interdictum sit tabellionis officium, seu notarij. ibid.
6 An clericis & Episcopis fas sit tutoris functionem obire. 200
7 An causidico fas sit vtramque partem tueri, scilicet sui clientis, & aduersarij collitigatoris. ibid.
8 An Aduocatus habens causam iustam, possit aduersarium decipere, & cauillationibus vti. ibid.
9 An Aduocato liceat cœpta lite pacisci de salario. Item conuenire de quota sibi danda. ibid.

## CAPVT VIII.

*De ordine seruando à Prælato Regulari, inquirendo de crimine graui alicuius Religiosi.*

Dvb. 1. Qualiter Prælatus Regularis debeat procedere ad cognoscendum iudicialiter de delicto graui Religiosi sibi subditi. 201
2 Qualiter Prælatus Regularis procedere debeat per viam inquisitionis. 202
3 An Prælatus procedens contra subditum Regularem possit recusari. 204
4 Qualiter Prælatus Regularis debeat procedere per viam accusationis contra subditum Regularem. 208
5 Qualiter Prælatus debeat procedere contra Regularem via denunciationis euangelicæ, seu fraternæ. ibid.
6 Qualiter procedere debeat Prælatus contra Regularem via denunciationis canonicæ. 209

## CAPVT IX.

*De exemptione Regularium.*

Dvb. 1. Qualiter Religio Societatis Iesu exempta sit à iurisdictione ordinariorum. ibid.
2 In quibus subiecti sint post Tridentinum concilium ab ordinariis exempti. 213
3 An contra exemptos possit procedere iudex Papæ delegatus ad corrigendos clericos, non facta de exemptis mentione. 215
4 An exempti citati ab ordinario teneantur coram ipso priuilegium exemptionis exhibere ibid.
5 Qua forma respondendi vtetur Religio exempta, vel Religiosus exemptus, quando ante ordinarium conuenitur, & quo pacto suã exemptionẽ defendet. ibid.
6 An quando Religio est actor, aduersus laicos, possit ipsos conuenire coram iudice conseruatore per ipsam electo. 217
7 An possit constitui monasterium Religiosorum absque Episcopi auctoritate. ibid.
8 An quando in priuilegio continetur, vt non intelligatur reuocatum, nisi de eo fiat specialis mentio de verbo ad verbum, intelligatur reuocatum per clausulam: *non obstante quocumque priuilegio, etiamsi habeat clausulam, vt de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cuius tenorem pro inserto volumus hic haberi.* 219
9 An Regulares possint vti suis priuilegiis contra alios Regulares similia priuilegia habentes, etiamsi illis non vtantur? & similiter familiares Religiosorum an possint vti priuilegiis Religionum contra ipsos Religiosos, etiamsi ipsis priuilegiis Religiosi non vtantur. 219

## LIBER VII.

*Circa ordines.*

## CAPVT I.

*De ordine.*

Dvb. 1. An ordo sit sacramentum, characterémque imprimat, ac de eius materia & forma in generali. 220
2 An sit de essentia huius sacramenti, vt qui initiatur tangat materiam. ibid.
3 An sit de essentia sacramenti ordinis in sacerdotio, & diaconatu manus impositio. 221
4 An sit de essentia ordinis, vt ministrétur ab Episcopo faciente sacrum. 222
5 An sit de essentia sacramenti ordinis, vt idem Episcopus, qui profert verba, porrigat materiam tangendam ab ordinando. ibid.
6 An prima Tonsura sit ordo, & sic sacramentum: characterémque imprimat & gratiam conferat. 223
7 An quatuor minores ordines sint verè ordines, & sic sacramenta characterémque imprimant. ibid.
8 An subdiaconatus, & diaconatus sint ordines verè, & propriè, sicq; sacramenta, & characterẽ imprimant. 224
9 An Episcopatus sit verè & propriè ordo, sicque sacramentum, & characterem imprimat, gratiámque conferat. ibid.
10 An Cardinalatus sit ordo, & in quo ab Episcopatu differat. 226
11 Quid distet inter Episcopos, & simplices sacerdotes inter se, & inter Episcopos, & Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, & Papam. ibid.
12 Quæ sit materia, & quæ forma singulorum ordinũ, & in quo actu imprimatur character illius ordinis. 227
13 An si in celebratione ordinum aliquid omittatur sit supplendum. 228
14 An character vnius ordinis necessariò supponat characterem alterius ordinis. 229
15 Quæ requirat essentialiter consecratio Episcopalis, & quæ tantùm ex præcepto. 230
16 Quid conferat Pallium Patriarchæ, & Archiepiscopo seu Primati, id est, quæ possit ante Pallij receptionem. 232
17 Qui sint actus proprij, & ministeria singulorum ordinum. 233
18 Quis sit huius sacramenti minister. 234
19 Quibus in iure commissum sit primam tonsurã & ordines minores conferre, cùm Episcopi non sint. 235
20 Quis sit minister sacramenti ordinis necessitate præcepti. 237
21 An Abbates, & alij Prælati, qui non sunt Episcopi, habent tamen iurisdictionem quasi episcopalem in subditos sæculares, possint illis dare literas dimissorias ad ordines, vel hoc solùm possint Episcopi. 242
22 Quis sit proprius Episcopus alicuius ad hunc effectum, vt possit illum licitè ad ordines promouere, & illi conferre literas dimissorias, vt ab alio ordinetur. 243
23 Qualiter ratione beneficij Ecclesiastici contrahatur domicilium. 244
24 Quis sit Episcopus proprius, vt possit ad ordines promouere professum ejectum à Religione, & an talis possit ad ordines promoueri. 245
25 An si dedit Papa alicui facultatem, vt ordinaretur extra tempora à suo ordinario, tantùm possit ordinari ab alio cum literis dimissoriis sui ordinarij. ibid.
26 An capitulum sede vacante ante annum elapsum, possit licentiam concedere alicui Episcopo, vt in ea diœcesi ad ordines promoueat alienos habentes dimissorias proprij Episcopi, aut sui Prælati Regularis, vel personas eiusdem diœcesis habentes dimissorias Episcopi mortui vel Nuntij Apostolici, vt à quocumque Antistite ordinetur. ibid.
27 An cùm proprius Episcopus dat literas dimissorias alicui subdito, vt ordinetur à quocumque Episcopo, videatur illi concedere, vt dispenset cum ordinato in quacumque irregularitate, & quouis alio impedimento ad ordines, in quo posset proprius Episcopus dispensare. 246
28 An initiatus Prima Tonsura, vel quatuor minoribus ordinibus ab alieno Episcopo absque licentia proprij, gaudeat priuilegiis clericalibus, sitque capax beneficij, vel Tonsura ei in nullo prosit, & an possit proprius Episcopus ratam habere hanc ordinationem. ibid.
29 An possit proprius Episcopus cogere subditos ad recipiendum ordines, vel eis petentibus negare ordines. 247
30 An fœmina sit ita iure diuino incapax ordinis recipiẽdi, vt si de facto ordinaretur nõ teneret ordo. 248
31 An hermaphroditus sit capax ordinis, ita vt si ordinetur teneat factum. ibid.
32 An ætas determinata sit de necessitate sacramenti in sacramento ordinis, vel sat sit quæcumque ætas, etiam ante vsum rationis, vt sacramentum hoc collatum sit validum. 249
33 Qualis ætas requiratur ex necessitate præcepti tam ad ordines sacros, quàm ad minores. ibid.
34 Quale beneficium, vel patrimonium debeat habere promouendus ad ordines. 251
35 Quale beneficium, vel patrimonium requiratur post Tridentinum sess. 21. cap. 7. de reformat. vt quis titulo illius possit ad ordines promoueri. 252
36 An clerici patrimonium ad cuius titulum sacros ordines recipit, habeat priuilegia iure concessa bonis Ecclesiasticis, scilicet vt de illo non soluatur decima, item non possit alienari sine solemnitatibus requisitis ad alienationem bonorum Ecclesiastico-rum. 254
37 An vt promoueatur quis ad ordines minores requiratur beneficium, vel pattimonium, vel tantùm ad ordines sacros. ibid.
38 An renunciatio beneficij, vel patrimonij, ad cuius titulum aliquis ad ordines sacros promouetur, valida sit. ibid.
39 An si quis habens patrimonium ordinetur non facta patrimonij mentione, censeatur ad illius titulum ordinatus. ibid.
40 An qui habens patrimonium, & ad titulum illius est initiatus subdiaconus, & postea renunciauit, nullum aliud beneficium, vel patrimonium habens, & initiatus est diaconatu, & sacerdotio, ostendens prius testimonium patrimonij, tacénsque renunciationẽ postea factam, incurrat pœnas statutas contra eos qui absque patrimonio initiantur. 255
41 An qui ficto patrimonio initiatus, est subdiaconus, possit absque nouo patrimonio vero ad superiores ordines ascendere. ibid.
42 An qui recipit donatione prædium, vt ad titulum illius ad ordines promoueretur, & postea contraxit debita, vel promisit sorori certam summam, vt nuberet, quæ sunt maiora valore prædij, possit ad illius prædij titulum ad ordines promoueri. ibid.
43 An patrimonium ad cuius titulum quis ordinatus est possit sine licentia Episcopi vendi, antequam quis sit adeptus beneficium, vel aliundè habeat, vnde commodè viuat. ibid.
44 An si pater melioret filjum, vt bona illa sint patrimonium, ad cuius titulum ad ordines sacros promoueatur, possit post promotionem reuocare hoc. ibid.
45 Qualis scientia requiratur in eo, qui ad ordines promouendus est. ibid.
46 An vitæ, & morum honestas requiratur in promouendo ad ordines. 257
47 Quid requiratur, vt clericus peregrinus possit in aliena diœcesi celebrare. 258
48 An si fundans Capellaniam ex propriis bonis, præcipiat, vt Capellanus teneatur dicere tot Missas in hebdomada, talis Capellania requirat actu ordinem sacrum. ibid.
49 An clerici teneantur deferre habitum, scilicet vestes clericales, & tonsuram, quæ clerica dicitur, id est, *corona.* 261
50 Quo in loco sint ministrandi ordines. 262
51 Quo tempore ordines sacri celebrandi sint. 263
52 Quo tempore possint ordines minores conferri. ibid.
53 An omnes ordines possint simul vna die eidem conferri. 264
54 Quis possit dispensare in interstitiis seruandis inter receptionem duorum ordinum, quæ præcipit seruari Trid sess. 23. c. 11. 13. & 14. de reformatione. 265
55 An ad dispensandum in interstitiis requisitis inter ordinum receptionem, exigatur causa. 266
56 An eadẽ causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ, quæ requiritur in Trid. sess. 23. c. 11. de reform. & c. 14. requiratur in dispensatione, & in interstitiis inter ordinem minorem, & alium minorem & inter subdiaconatum, & diaconatum: eadem (inquam) quæ ibi requiratur in dispensatione in interstitiis inter vltimum ordinem minorem, & subdiaconatum, & inter diaconatum, & sacerdotium. 268

## CAPVT II.

*De obligatione recitandi Horas canonicas ratione ordinis.*

Dvb. 1. Quot sint Horæ canonicæ, & quinam ad illas teneantur. 268
2 An clerici minorum ordinum teneantur ad Horas canonicas, vel saltem ad aliquam aliam orationem plusquam laici. 269
3 An religiosi professi tam viri, quàm fœminæ in Religione approbata, teneantur ad Horas canonicas: & quo iure ad id teneantur. ibid.
4 An Monachus professus ad chorum, qui extra suum monasterium viuit, vel iusta dispensatione, vel quia ejectus est teneatur ad Horas. 270
5 An equites, quos vulgò *comendadores*, appellamus, teneantur sub mortali recitare eas orationes, quas loco Horarũ canonicarum præscribit eorũ regula, vt recitent, in illisque recitandis seruare interdictũ. 271
6 An Nouirij teneantur Horas recitare. ibid.
7 An qui hora nona, id est, *alas nueue* initiatur subdiaconatus ordine, teneatur ad integras Horas totius diei, & idem quæritur de eo, qui hora nona professionem emittit. ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca



8 An qui tenentur ad Horas canonicas, satisfaciant, si sola mente dicant, vel teneátur voce alta dicere. ibid.
9 An qui Ecclesiæ præcepto tenentur ad Horas, peccent, si in peccato mortali eas recitent, quando priuatim recitant. 272
10 An saltem clerici dicentes Horas publicè in choro, peccent si sint in peccato mortali. ibid.
11 An peccet mortaliter obligatus ad Horas, qui omittit aliquam, vel partem notabilem. ibid.
12 An qui ex negligentia, vel plena deliberatione omittit aliqua die septem Horas canonicas, contrahat septem peccata mortalia. 273
13 An qui alternatim recitat cum alio, dicendo partem, & audiendo aliam partem, censeatur integrè recitare, siue sit Hora canonica, siue sint preces, ex pœnitentia sacerdotali, vel ex defuncti institutione. ibid.
14 An quando aliquis dicit officium diuinum in choro, & audit partem, quam canit alter chorus, & partem suam non canit, sed submissa voce dicit, satisfaciat præcepto. ibid.
15 An censeatur integrè recitare, qui dum dicitur diuinũ officium in choro, occupatur occupatione necessaria ad ipsum diuinum officium, vt præuidendo lectionem, quam est cantaturus, vel mittitur ad thuri-ficandum, vel ad comitandum thurificaturum altare, &c. nec repetit ea, quæ interim ab aliis dicuntur in choro: vel si aliquantulum ex causa necessaria cesset, vt quia sanguis è naribus effluit. ibid.
16 An censeatur integrè recitare, qui audit partem, quam cantat chorus, & aliam partem organo pulsat, vel teneatur partem illam, quam organo dicit, supplere, & similiter chorus satisfaciat, dicendo suam partem & audiendo partem, quam pulsat organum, vel teneatur partem illam supplere. 274
17 An qui Horas dicunt syncopando censeantur integrè recitare, & sic satisfaciant & famuli, qui cum his recitant. ibid.
18 An qui ex obligatione partem Horæ omittit, vel quia intrat tardè chorum, vel exit ante finem Horæ, censeatur integrè recitare, licèt non repetat totam Horam. ibid.
19 An qui Horam interrumpit, censeatur integrè recitare, vel potius teneatur totam Horam repetere. ibid.
20 An sit licitum dividere Matutinum à laudibus, ita vt Matutinum dicatur vespere diei præcedentis, & laudes aurora sequentis: & tunc sit dicenda oratio in fine laudum. 275
21 An cùm Sacerdos solus recitat debeat dicere ante orationem *Dominus vobiscum*. ibid.
22 Quam Breuiarij formam teneantur sequi, qui tenentur ad Horas canonicas. 276
23 An quando Religiones, vel Ecclesiæ cathedrales, seu collegiatæ, quę ante ducentos annos habent Breuiarium non acceptant hoc nouum, sed recitant iuxta suum, Religiosi priuati, vel priuati clerici, subditi talium diœcesum possint, vel teneantur recitare iuxta hoc nouum Breuiarium, vel potius iuxta Breuiarium suæ Ecclesiæ vel Religionis. ibid.
24 An sit modò peccatum lethale, recitare iuxta aliud Breuiarium, quam Pij Quinti. ibid.
25 An mutans qualitatem officij peccet mortaliter. v. g. qui recitare tenetur Horas canonicas si recitaret de sancto quãdo debet recitare de feria, vel contra. 277
26 An possit Episcopus dispensare cum suo subdito, vt secundùm aliud Breuiarium recitet. ibid.
27 An qui tenentur ad Horas, teneantur ad omnia officia, quæ sunt in Breuiario, scilicet ad Psalmos pœnitentiales, officium defunctorum, letanias, canticum graduum, officium paruum Beatæ Mariæ. ibid.
28 An attentio sit in præcepto in Horis canonicis, & aliis precibus, quæ ex præcepto dicuntur. 278
29 An sit præceptum orandi deuotè. 279
30 An qui recitat Horas absque attentione requisita, ita vt defectu attentionis peccet mortaliter, teneatur Horas repetere. 280
31 An in orationibus, quas quis non ex præcepto, sed ex deuotione recitat, sit peccatum recitare sine vlla attentione actuali vel virtuali. ibid.
32 An qui tenetur ad Horas, possit sine peccato simul exercere aliquas operationes externas. ibid.
33 An dormientes, vel dormitantes inter recitandum, satisfaciant præcepto recitandi. 281
34 An qui non recordatur se dixisse aliquem Psalmum vel Horam, teneatur repetere. ibid.
35 Quòd sit tempus competens, & legitimum ad recitandum Horas canonicas, siue in communi, siue in particulari. ibid.
36 An peccet qui non recitat Horas canonicas priuatim debitis, & competentibus horis. 282
37 An Matutinum, & laudes, & reliquæ Horæ diei præsentis possint recitari vespere præcedentis diei, & qua hora. ibid.
38 An teneatur sacerdos recitare Matutinum antequam faciat sacrum. 283
39 An facere sacrum conuentuale, seu maius, quod dicitur solemne, ante Matutinum recitatum, sit peccatum. 284
40 An sit peccatum facere sacrum antequam recitetur Prima. ibid.
41 An peruertens ordinem Horarum quando priuatim dicuntur, vt recitans Tertiam ante Primam, peccet. ibid.
42 An non recitare Horas canonicas publicè in choro horis debitis, vel ibi ordinem Horarum peruertere, sit peccatum mortale. ibid.
43 An omittens, vel non potens recitare Horam canonicam tempore debito, teneatur intra eumdem diem recitare illam siue præponendo, siue postponendo. 285
44 Quo in loco sint dicendæ Horæ canonicæ. ibid.
45 An infirmitas excuset ab Horis canonicis recitandis, & qualis esse debeat. ibid.
46 An cæci, & ita oculis caligantes, vt legere nequeant, teneantur ad Horas canonicas, vel memoriter dicendo, si memoria retineant, vel memoriæ mandando, vt memoriter recitent. 286
47 An infirmus, qui nequit dicere omnes Horas, teneatur ad partem, quam potest. ibid.
48 An qui æger est, ita vt solus recitare nequeat teneatur adiuncto socio recitare. 287
49 An qui non potest dicere Horas canonicas, potest tamen ab alio audire, teneatur ad id. ibid.
50 An qui tenentur ad Horas, & nequeunt illas dicere, teneantur dicere, vel facere aliquid loco Horarum. ibid.
51 Ab ob carentiam Breuiarij excusetur quis à recitandis Horis canonicis. ibid.
52 An vrgens alicuius rei faciendæ necessitas excuset ab Horis canonicis recitandis. 288 ibid.
53 An dispensatio excuset ab Horis. ibid.
54 An excommunicatio, suspensio, degradatio, irregularitas excusent ab Horis. ibid.
55 An possit subdiaconus dicere, *Dominus vobiscum*. ibidem.





# THOMÆ SANCHEZ, E SOCIETATE IESV,

## Opusculorum moralium, seu Consiliorum, TOMVS POSTERIOR.

## LIBER QVARTVS.

*De consiliis, seu casibus particularibus circa vltimas voluntates, vbi de illegitimis.*

### CAPVT I.

*De Testamentis.*

SVMMARIVM.

DVB. 1. *Quid, & quotuplex sit testamentum, & qualiter se habeat solemnitas in testamentis requisita? an scilicet sit tantum solemnitas requisita ad probandum veritatem testamenti, vel sit essentialis constitutioni testamenti.*
2. *Quam solemnitatem requirat testamentum nuncupatiuum, id est,* testamento abierto.
3. *Quam solemnitatem requirat testamentum in scriptis, id est, clausum.*
4. *Quæ solemnitas requiratur in testamento cæci.*
5. *Quam solemnitatem requirat testamentum inter liberos, siue sit nuncupatiuum, siue in scriptis.*
6. *Quam solemnitatem requirat testamentum tempore pestis.*
7. *An ad legata pia requiratur eadem solemnitas.*
8. *Quam solemnitatem requirat mandatum ad testandum, id est, potestas, quam alteri aliquis præbet, vt nomine illius testamentum condat.*
9. *An si quis cœpit facere testamentum nuncupatiuè coram sufficienti numero testium, & solemnitate legitima, & fecit institutionem, & aliqua legata, & capitula, & morte præuentus non perfecit, valeat in iis, quæ disposuerat.*
10. *An testamentum in scriptis carens debita solemnitate, habens tantùm solemnitatem nuncupatiui, valeat vt nuncupatiuum.*
11. *An si maritus, & vxor, seu alij duo coniunctim in eadem charta testentur in scriptis (quod fieri concedit* l. 1. eo quòd à multis. C. si certum petatur, *& ibi docent omnes) requirantur duæ solemnitates, scilicet quatuordecim testes, &c.*
12. *Quæ solemnitas requiratur in codicillis.*
13. *Quam solemnitatem requirat donatio causa mortis.*
14. *An quando contractus iure ciuili nullus est ob defectum alicuius solemnitatis eo iure requisitæ, sit etiam in foro conscientiæ nullus, ita, vt per illum non transferatur dominium.*
15. *An idem, quod diximus dubio præcedenti de testamentorum solemni circa eius obligationem in foro conscientiæ, dicendum etiam sit de contractu cum Ecclesia gesto, cui deest solemnitas iure requisita.*
16. *Qualiter testamentum sit vsque ad mortem reuocabile.*
17. *An si quis iurauit se non reuocaturum testamentum, possit postea reuocare.*
18. *An donatio facta in pœnam mutationis testamenti valeat.*
19. *An ex Principis facultate, testantis consensu interueniente, concessa ad hoc, vt testamentum reuocari non valeat, possit testamentum irreuocabile effici.*
20. *An si quis vouerat Deo relinquere in testamento mille aureos pauperibus, & testamentum condat, in quo eos relinquat prædictis pauperibus, possit pœnitere, & testamentum reuocare.*
21. *An constituto à duobus testamento ex communi consensu, confirmetur illud testamentum morte alterius.*
22. *An si duo testamenta à duobus hæredibus producantur, ab eodem testatore eodem die facta, neque apparere possit, quod prius confectum sit, quid sit dicendum.*
23. *An quando testator in primo testamento apponit clausulam derogatoriam sequentis testamenti, si postea faciat aliud testamentum, maneat primum derogatum.*
24. *An quando testator relinquit, vt consanguinei pauperibus quot annis centum aurei distribuantur, vel vt in Capellania succedant consanguinei, vsque ad quotum gradum protendatur hæc consanguinitas.*
25. *An testamentum, quod fecit pater non habens liberos, validum sit quoad omnia legata, si diu superuixit, nec reuocauit, nec confirmauit, cum postea liberos habuerit.*
26. *An si possessor maioratus, qui in illo successit tempore, quo erat habilis, & vocatus ad illum, incurrat postea aliquod impedimentum excludens à successione maioratus secundùm illius restitutionem, illum amittat, vel possit adhuc illum retinere.*
27. *An si quis decedat ab intestato, teneantur eius successores quintum bonorum pro eius anima expendere.*
28. *An quarta bonorum, quæ debetur alteri coniugi pauperi non habenti, vnde decenter sustentetur, minuat legitimam filiorum, ita vt non sit detrahenda de quinto, nec si habeat ascendentes de tertio bonorum.*
29. *An si quis faciat donationem irreuocabilem medietatis bonorum, quæ tempore mortis habuerit, apposita clausula solita, quòd ex tunc se desistit, & priuat dominio horum bonorum, seque constituit tanquam in-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*quilinum, & vsufructuarium illorum, possit dum vixit, pro libito disponere de his bonis, illáque donare, vt sibi placuerit.*

30. *An meliorationes in re viri factæ constante matrimonio sint communicandæ, seu diuidendæ inter virum, & vxorem tanquam lucra constante matrimonio acquisita, vel debeant esse viri.*
31. *An successor maioratus teneatur soluere debita à prædecessore contracta.*
32. *An possidens bona fide prædium aliquod vinculo maioratus obiectum, quia scilicet bona fide emit à possessore maioratus, illúdque bona fide propriis expensis reddidit melius, possit à maioratus possessore pretium, quo emit, ac melioritionis expensas exigere, prædiumque retinere, donec sibi soluantur.*
33. *An si Ioannes, v.g. constitutus sit vsufructuarius omnium bonorum testatoris, cum faculrate, vt possit in suo testamento liberè disponere de quantitate centum aureorum ex dictis bonis, & moriatur ab intestato, succedant in his centum aureis hæredes ab intestato dicti Ioannis, vel succedat is, cui proprietas bonorum relicta est post obitum Ioannis.*
34. *An ex renunciatione legitimæ, vel ex pacto de futura successione oriatur obligatio naturalis, ita vt teneatur qui hæc pacta iniuit, illis stare in foro conscientiæ, licèt non oriatur actio ciuilis, id est, non cogatur in foro externo stare contractui.*
35. *An quando quis decedit non relictis descendentibus, sed tantùm ascendentibus in hoc regno Hispaniæ, expensæ funeris deducendæ sint ex toto corpore hæreditatis, vel de solo tertio, de quo testatus est.*
36. *An pater meliorans filiam causâ dotis contra pragmaticam 101. Matriti, quæ hodie est* l. 1. nouæ recopil. *peccet mortaliter.*
37. *An si Petrus, v.g. institutus sit hæres sub fideicommisso, vt quidquid supersit ex hæreditate tempore mortis, restituat Paulo, possit Petrus sic institutus hæres testari, vel aliàs alienare talia bona.*
38. *An hæres, vel legatarius interficiens testatorem, amittat hæreditatem, vel legatum, ita vt ante iudicis sententiam teneatur ad illius restitutionem.*
39. *An successor in primogenio occidens possessorem primogenij, illud amittat.*

## DVBIVM I.

*Quid, & qnotuplex sit testamentum, & qualiter se habeat solemnitas in testamentis requisita, an scilicet sit tantùm requisita ad probandum veritatem testamenti, vel sit essentialis constitutioni testamenti.*

RIMO dico, quòd *testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* Sic habetur *l. 1. ff. de testam.* id est, est vera, & vndequaque declaratio destinationis voluntatis, qua quid disponere vult testator, liceat, & quidquid disposuerit, pro lege habeatur. *Auth. de nupriis, §. disponat*; per quod differt ab aliis vltimis voluntatibus, in quibus non potest testator quidquid velit, disponere: nam in codicillis de iure communi saltem, & in donatione causa mortis non potest hæredem instituere, sicut potest in testamento. Dicitur autem, *iusta sententia*, id est, solemnis declaratio voluntatis: per quod etiam differt à codicillis, & à donatione causa mortis; non enim tantam solemnitatem semper requirunt ac testamentum, vt infrà declarabimus. Sic Matienzo alios referens *lib. 5. ordinam. tit. 4. l. 1. gloss. 1. num. 1. & 2.* & per totam illam glossam, vbi etiam multis aliis modis declarat, *iusta sententia*, non tamen ponit ibi secundam differentiam, quam hîc posuimus inter testamentum; & alias vltimas voluntates, sed tantùm primam differentiam ponit: sed constabit ex dicendis dubiis sequentibus.

Secundò dico, quòd testamentum est duplex: quoddam in scriptis, qnod Hispanè, *testamento cerrado*, dicitur: aliud verò nuncupatiuum, quod Hispanè; *testamento abierto*, appellatur: sic habetur *l. 3. Taur.* quæ hodie est *l. 2. tit. 4 lib. ordinam.*

Tertiò dico, quòd Menchaca *lib. 3. de succes. creat. §. 30. num. 7.* asserit testamenti solemnitatem non ad formam, & essentiam testamenti, sed ad probationem tantùm exigi, sicut in aliis contractibus testes, & scriptura non requiruntur ad formam & essentiam, sed tantùm ad probationem: & idem tenentur dicere saltem quoad forum conscientiæ Doctores infrà citandi, qui asserunt testamentum minus solemne esse validum in conscientia. Et probatur hæc sententia ex *dicta lege 3. Taur. & dicta l. 2. nouæ recopil.* vbi dicitur, quòd testamentum minus solemne nec fidem, nec probationem faciat: & ex *ordine veteri l.... titulo 2. libro 5.* vbi sic dicebatur, *otro si que valga el testamento, que fuere hecho con buenos testimonios.*

Sed dicendum est talem solemnitatem non tantùm esse probatoriam, sed etiam esse formam substantialem, qua deficiente, est inualidum testamentum. Quod latissimè probat Matienzo *lib. 5 nouæ recop. tit 4. lib. 1. glossa à numero 6 vsque ad 21.* dicens, & probans solemnitates inductas in testamentis, *l. 1. & 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* esse formas substantiales testamentorum; ita vt earum quauis minima parte deficiente, sit nullum testamentum, quia solemnitas est indiuidua, *l. si vnus*, & ibi latissimè Iason *C. de testam.* Probatur primò, quia, vt optimè dicit Matienzo *ibi num. 19.* cùm ad probationem duo tantùm desiderentur testes, *l. vbi numerus, ff. de testibus*, & Matth. 18. *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* quoties plures desiderantur testes, hoc non tantùm ad probationem, sed etiam ad substantiam est referendum, vt contingit in testamentis. Secundò probatur ex *l. 39. Taur.* quæ est *l. 13. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* vbi dicitur non valere mandatum ad testandum concessum commissario, nisi habeat solemnitatem requisitam ad testamentum; ergo à fortiori non valet testamentum. Nec contrà faciunt verba illa *l. 3. Tauri no hagan prueba*, &c. quia ea probant etiam solemnitatem requiri ad probandum, quod omnes etiam fatemur, sed addimus esse etiam formam substantialem: & sic hanc etiam partem cum Matienzo tenent Ioannes Lupus *l. 3. Tauri, numero 64.* Cifuentes *ibi numero 14.* Castillo *ibi, verbo, no haga fee.* Anton. Gomez *ibi num. 123. vers. Quintò facit.* Gomez Arias *ibi num. 48. & 54.* quæ apud ipsum est *l. 1. Tauri.* Burgos de Paz *l. 3. Tauri, num. 444. & 1368.* Talauera *l. 3. Tauri num. 54.* Couarruu. *cap. cum omnes, de test am. num. 8.* Immo iure etiam communi numerus testium ad testamentum requisitus, est solemnitas substantialis, vt bene Matienzo *ibi num. 12.* Tello *l. 3. Tauri, num. 21. & sequentibus*, & ibi Burgos de Paz *num. 444.* Couar. *d. cap. cum omnes, de testam. num. 8.* vbi multos Doctores referunt.

## DVBIVM II.

*Quam solemnitatem requirat testamentum nuncupatiuum, id est,* testamento abierto.

1 PRimò dico, quòd omissa ea, quam requirebat iure communi, de qua videndus est Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 1. glossa 3. à num. 2.* hodie iure Regio, si fiat absque tabellione, vel in scriptura priuata, sunt necessarij quinque testes vicini eius loci, vbi fit testamentum, si tamen locus sit adeò desertus, quòd in eo non adsit copia testium, sufficiet, si tres adhibeantur vicini eius loci. Si verò coram tabellione fiat testamentum nuncupatiuum in publicam formam redactum, tres sufficiunt testes vicini eius loci, vbi fit testamentum; si verò adhibeantur septem testes, sufficient sine tabellione, & licèt non sint vicini eius loci, vbi fit testamentum. Sic habetur *l. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil. iuncta l. 2. ibid.* desumpta ex *l. 3. Tauri*, quæ explicat, illam l. 1. intelligi de testamento nuncupatiuo.

2 Sed dubium est circa hoc, an si in loco, vbi testamentum fit, haberi possit copia tabellionis, valeat testamentum nuncupatiuum factũ coram paucioribus, quàm septem testibus. Quidam dicunt non valere. Sic Tello *l. 3. Tauri, 2. part. n. 14.* Cifuentes *ibi.* Alij verò dicunt valere etiam coram tribus testibus tantùm, quando locus est tam desertus, vt in eo non adsit copia testium, licèt sit absque tabellione, licèt in eo loco sit tabellio. Sic Anton. Gomez *l. 3. Taur. n. 47.* Couarr. *cap. cum omnes, de testam. num. 2.*

3 Sed vetius est sufficere quinque testes sine tabellione, licèt sit copia tabellionis: tres tamen non sufficere, licèt alij haberi non possint, si adsit tabellio in loco, vbi testamentum fit, & absque tabellione fiat. Probatur ex verbis *d. l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* ibi, *y si no pudieren ser auidos cinco testigos, ni escriuano en el dicho lugar, sean tres testigos.* Ergo à contrario sensu, si adsit in loco tabellio, non sufficient tres testes. Sic tenent Matienzo *eadem l. 1. glossa 3. n. 6.* Menchaca *lib. 3. de succes. creat. §. 21. num. 10.* Burgos de Paz *l. 3. Taur. num. 826.*

4 Secundò dico requiri etiam pro forma testamenti nuncupatiui facti coram tabellione, vt legatur coram testibus ante mortem testatoris: & non præsumitur esse lectum, nisi probetur: id verò probatur per assertionem tabellionis expressam, vel tacitam, vt si dicat tabellio in fine testamenti, vt fieri solet, actum, & absolutum fuit coram me; vt probat Matienzo *d. l. 1. glossa 3. n. 4.* vbi alios refert. Et quòd debeat legi, habetur *l. 103. fine tit. 18. part. 3.* & in genere de omnibus instrumentis statuitur idem *l. 54. fine tit. 18. part. 3. & lib. 4. nouæ recopil. tit. 25. l. 13.* Sic Matienzo *ea glossa 3. n. 4.* Anton. Gomez *l. 8. Tau. n. 107.* Burgos de Paz *1. part. legis 3. Taur. n. 207.* Couar. *cap. relatum, el 1. de testam. num. 11.* vbi hoc limitat, quando quis probare vult testamentum per scripturam; secus si probare velit per ipsos testes, qui confectioni testamenti præsentes fuerunt. Et idem Matienzo *eodem n. 4.* & Burgos de Paz *n. 215.* Immo requiritur, vt testes sint præsentes explicationi voluntatis testatoris, eúmque visu percipiant, vt agnoscere possint, & intelligant omnia contenta in testamento. Sic multos referens Matienzo *eadem l. 1. glossa 4. à num. 1. vsque ad 5.* inclusiuè contra Menchacam: & *eo num. 5.* multos referens infert, cæcum non posse esse testem in hoc testamento.

5 Tertiò, quòd in testamento nuncupatiuo coram tabellione facto est necessaria subscriptio testatoris. Hoc est contra Auendaño *lib. 2. de exeq. mand. Regum c. 16. n. 1. vers. Septimus casus.* Et Couar. in priori editione *cap. cum omnes, de test am. num. 2.* quorum fundamenta affert Matienzo *vbi infrà.* Sed probatur nostrum dictum ex *l. 13. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* quæ in omnibus scripturis, & testamentis publicis requirit partis subscriptionem. Sic tenet latius probans Matienz. *lib. 5. recop. tit. 4. l. 1. gloss. 3. n. 7.* Gregor. Lopez *l. 2. vers. su nome. tit. 1. part. 6.* Couar. *in 2. editione, cap. cum omnes, de testam. num. 2.* Burgos de Paz *l. 3. Taur. num. 1096. & sequentibus.*

6 Quartò dico requiri, vt testes, quando sunt pauciores quàm septem, sint vicini eius oppidi, in quo fit testamentum, vt expressè habetur *d. l. 1.* Quis verò dicatur vicinus ad hunc effectum, latissimè Burgos de Paz *lege 3. Taur. à n. 367.* & Matienzo *d. l. 1. glossa 5* & in genere dicit Matienzo *ibi n. 2. & 3.* & Burgos de Paz *ibi n. 367.* requiri vt ciuis sit, seu incola loci, in quo fit testamentum, nec sat esse, quòd sit originarius, nisi ibi cum aliis vicinis, seu ciuibus commoratus fuerit, vel pro vicino receptus fuerit, vel vulgus pro tali habeat, licèt maiori anni parte ibi non habitet.

7 Quintò dico non oportere, vt testes sint omni exceptione maiores, etiam in casu, quo valet testamentum nuncupatiuum coram tribus testibus absque tabellione, sed sat est, vt non sint testes ex iis, qui prohibentur esse testes in testamento. *l. 9. & 10. tit. 1. p. 6.* Hoc est contra aliquos, quos refert, & sequitur Tello *l. 3. Taur. 2. p. n. 13. §. sed quando probetur*; dicentes requiri vt testes sint omni exceptione maiores, quando testamentum fit coram quinque testibus sine tabellione, vel coram tribus, de qua sententia dicit Gregor. Lopez *l. 1. tit. 1. vers. ante siete, part. 6.* semper dubitasse. Et sic nostram sententiam tenet Burgos de Paz *l. 3. Taur. n. 356. & 357.* Matienzo *d. l. glossa 7. n. 10.* nisi (inquit) ex aliis coniecturis iudex suspicaretur eos testes falsum deponere, vel omnes, aut maior eorum pars essent suspecti: quod arbitrio iudicis relinquitur.

8 Sextò dico, quòd hi testes testamenti nuncupatiui debent habere omnes qualitates iure communi, & Partitarum requisitas: vnde debent esse masculi, & non fœminæ, vt *§. testes, Instit. de testam. & l. 9. tit. 1. part. 6 l. 17. tit. 16. part. 3.* sic Ioann. Lupus *l. 3. Tauri, n. 24.* Cifuentes *ibi num. 2.* Castillo *ibi vers. siete testigos.* Anton. Gomez *ibi num. 5.* Paz *ibi n. 547.* Couar. *cap. cum omnes. n. 14. & cap. relatum, el 1. n. 5. de testam.* Tello *l. 3. Taur. n. 15.* Montal. *l. 7. tit. 1. part. 6.* Menchaca *de succes. creat. lib. 2. §. 12. n. 33.* Matienzo *d. l. 1. glossa 8. num. 3* licèt ipse Menchaca §. 30. *n. 26.* contrarium teneat. Et debent etiam testes esse puberes. *l. 9. tit. 1. part. 6. §. testes, Instit. de testam.* sic Doctores proximè citati, Matienzo *num. 4.* Menchaca *d. §. 12. n. 70.* Item debent esse liberi, & non serui, *§. testes, Instit. de testam. l. 1. & 9. tit. 1. part. 6.* Matienzo *ibi num. 5.* multos referens, nisi tempore (inquit) confectionis testamenti communiter reputabantur liberi. Infames etiam, & omnes alij prohibiti per leges antiquas, non possunt esse testes in testamento: de quibus abundè Castillo *l. 3. Tau. vers. siete.* & Greg. Lopez *l. 1 & 9. tit. 1 part. 6.* sic Matienzo *num. 6.* & concludit *n. 11.* contra Tello, & alios cum Gregor. Lopez *l. 11. tit. 1. part. 6.* indistinctè, & in omni casu admitti iure Regio legatarium vt testem testamenti siue in scriptis, siue nuncupatiui, siue fiat de eo scriptura publica, siue non, siue quinque interueniant testes, siue tres, nisi in vno tantùm casu, cùm scilicet de eius legato agitur: quia tunc cùm principaliter eius interest, æquum non est admitti.

9 Septimò dico, quòd oportet testes esse rogatos, vel à testatore, vel à tabellione eius nomine *l. 1. tit. 1. part. 6.* & ibi Gregor. Lopez *verbo rogados.* Paz *l. 3. Taur. num. 550.* Menchaca *§. 13. n. 64. 65.* Matienzo *dicta glossa 8. num. 8.* dicit tamen Ioannes Lupus *l. 3. Taur. num. 66.* quòd iure Regio sat est testes esse præsentes, licèt rogati non sint, quia eo ipso intelliguntur rogati. Idem Castillo *l. 3. Taur. vers. no haga fee.* Anton. Gomez *ibi num. 29.* sed hoc dicit verum Matienzo *eodem num. 8.* quoties testator permisit testes describi in testamento, vel subscripserunt testamento.

10 Octauò dico, quòd licèt iure communi, & Partitarũ institutio hæredis erat de substantia testamenti, eiúsque caput, hodie iure Regio nouiori valet testamentum, licèt non sit in eo hæredis institutio, & omnia in eo confecta sunt adimplenda, succeditque in hæreditate hæres ab intestato. Sic habetur expressè *l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* & ibi Matienzo *glossa 10. n. 1.* Gregor. Lopez *tit. 3. part. 6. præomio.* Paz *l. 3. Taur. n. 853* & *ibi* Tello *3. part. in principio*; & omnes interpretes *ibi.*

11 Hinc fit, quòd licèt iure communi hæredis institutio, quando erat in solemni testamento facta, non reuocabatur per verbalem reuocationem testator is coram legitimo numero testium factam, nisi in ea adsit hæredis institutio, quia hoc secundum non erat testamentum: at hodie iure Regio, cùm valeat hoc vltimum, testamentum, reuocatur primum per hoc secundum, reuocationem primi dumtaxat continens, modò solemnitas iuris Regij in eo intercedat. Sic Matienzo *eod. glos. 10. n. 5. & 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



12 Nonò dico, quòd si quis relinquit alterum hæredem, vel legatarium, vt hæreditatem, seu legatum alteri restituat, si talis hæres, vel legatarius acceptare, aut renuntiare hæreditati, vel legato noluerit, substitutus, aut substituti illam hæreditatem, seu legatum habere debent. Sic haberur expresè *l. 1. tit. 4. lib. 5 nouæ recopil.*

13 Vltimò dico, quòd licèt iure communi, & Partitarum requireretur aditio hæreditatis, aliàs testamentum erat omnino nullum; at hodie iure Regio validum est, & omnia in eo contenta sunt implenda, licèt hæreditas non acceptetur ab hærede instituto in testamento, vt habetur expresè *l. 1. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* & licèt multi dicant requiri acceptationem venientium ab intestato, aliàs illis etiam non acceptantibus, non debentur legata; hi sunt Couar. *cap. Raynaldus, de testam. §. 3. n. 8. & 11. ad finem.* Perusius *l. 1 tit. 2. lib. 5. ordin.* Talauera *l. 3. Taur. n.* 83. 87. *&* 94. At verius est non requiri hoc, sed etiam illis non acceptantibus deberi legata: quod tenet, & latè probat Matienzo *dicta l. 1. gloss. 14. num. 7. &* 8. vbi alios refert. Greg. Lopez *l. 37. tit. 9. par. 6. verbo fructus, & tit. 3. in proœm. 10, & tit. 12. l. finali, verbo nasca.* Anton. Gomez *1. tomo var. c. 12. n. 11.* Paz *l. 3. Taur. n* 876. & pluribus sequentibus.

## DVBIVM III.

*Quam solemnitatem requirat testamentum in scriptis id est, clausum.*

1 SIt conclusio. Testamentum in scriptis, id est, clausum, requirit septem testes cum tabellione, qui omnes cum tabellione, & testatore debent subscribere supra ipsum testamentum clausum, si scribere sciant, & possint; quòd si nescierint, aut testator non potuerit subscribere, alij pro aliis subscribant, ita vt octo dentur subscriptiones, & insuper tabellionis signum. Sic habetur *l. 3. Tauri*, quæ hodie est *l. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recop.*

2 Nota primò, quòd hi testes debent habere qualitates iure communi, & Partitarum requisitas, scilicet, quòd sint masculi, puberes, liberi, & cæteras qualitates, quas diximus requiri *dub. præced.* in testamento nuncupatiuo, præter qualitatem illam, quòd testes sint vicini, hæc enim non requiritur *dicta lege 2.* in testamento in scriptis. Sic Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 2. gloss. 5. n. 1. &* 2. Paz *l. 3. Taur. n* 531. *& pluribus sequentibus.*

3 Secundò nota non constare inter Doctores an testamentum in scriptis possit fieri absque tabellione, vt in scriptura priuata: quidam enim affirmant posse sequuta post mortem testatoris publicatione legitima, & solemni vt legibus iuris communis, & Partitarum fieri poterat, *l. publicati, C. de testam. l. 5. tit. 2. part. 6.* vnde explicant *dictam l. 2. recopil.* vt loquatur, quando quis testatur scriptura publica. Sic tenent Ioan. Lupus *l. 3. Taur. n. 2. 14. 52. 55.* Castillo *ibi verbo, Testamento cerrado.* Paz *ibi num. 1029. & sequentibus.* Greg. Lopez *l. 3. verf. debent. l. 4. verf. scripto, tit. 2. part. 6. & l. 1. verf. otro si, tit. 1. p. 6.* At verius est non valere absque tabellione; quia *dicta l. 2. recopil.* expresè petit octo subscriptiones, & signum tabellionis. Sic Cifuentes *l. 3. Taur. n. 2.* Anton. Gomez *ibi n. 38. & tribus sequentibus.* Menchaca *lib. 2. de succeff. creat. §. 15. n. 17. & lib. 3 §. 21. n. 21.* Matienzo *dicta l. 2. gloss. 4. a n. 3.* latissimè probans, & *n 6.* limitat, vt procedat quoties repetitur tabellio in loco, in quo fit testamentum: quòd si non reperiatur, sat est, si fiat in scriptura priuata, iuxta formam legis *1. & 2. tit. 1. part. 6.* & mortuo testatore publicetur, & in publicam redigatur formam, modò testator non potuerit ob morbi grauitatem commodè nuncupatiuè testari, sed scripturam priuatam, quam habebat, dixit esse suum testamentum.

4 Tertiò nota solemnitatem hanc subscriptionum testamenti in scriptis non in papyro alba esse collocandam, sed à tergo testamenti scripti, ita vt non sit vllus falsitati locus, vt constat ex verbis illis *dict. l. 2. recop. En cima de la escritura del dicho testamento. & l. finali tit. 2. p. 6. & l. 3. tit. 2. part. 3. & l. 2. tit. 2. p. 6.* Paz *l. 3. Taur. n. 1161. & sequentibus.* Marienzo *dicta l 2. gloss. 5. a n. 5.* Nec sat est, vt subscriptio testatoris sit intra ipsum testamentum; etiamsi coram tabellione, & testibus asserat subscripsisse intra testamentum; quia oportet, vt subscribat coram tabellione, & testibus, vt patet ex *l. 13. tit. 25. lib. 4. nouæ recop.* Sic Paz *l. 3. Taur. n. 1145. & 1156.* Matienzo *eadem glossa 5. n. 4.* addens contra Paz *n. 1158.* sat esse, si subscriptio initio inclusa fiat coram tabellione, & testibus.

5 Quartò nota, quòd licèt iure communi pro testatore ignoranti scribere erat octauus testis adhibendus. *l. hac consultissima. §. quòd si literas. C. de testam.* At iure Regio vnus ex septem testibus testamenti, vel alius qui scribere sciat, sat est pro ipso subscribat, *dicta l. 2. recopil. & l. 13. tit. 25. lib. 4. nouæ recopil.* ipse verò testator, vel tabellio non potest pro testibus, nec hic pro testatore subscribere. Matienzo *ea glossa 6. n. 3.* licèt in hoc vltimo contrarium teneat Paz *l. 3. Taur. n. 1186.* Et potest vnus testis subscribere pro se, & pro aliis testibus, & testatore scribere nescientibus, vel non potentibus: non tamen sat erit, si vnam subscriptionem pro omnibus ponat, sed tot debet facere subscriptiones, quot sunt personæ, pro quibus scribit. Sic Matienzo *dict. l. 2. gloss. 2. n. 3.* Anton. Gomez *l. 3. Taur. n. 31.* Paz *l. 3. Taur. n. 1183.* Et vt alius possit pro testatore, vel teste subscribere, sat est, vt testator, vel testis nesciat, vel non possit præ infirmitate, vel tremore manus scribere. Paz *l. 3. Taur. n. 1170.* Matienzo *l. 2. gloss. 6. n. 4.* Potest tamen ille, qui non potest, vel nescit scribere, facere subscriptionem, alio manum gubernante. Paz *n. 1194. 1195. 1191.* Matienzo *gloss. 6. n. 4.* & addit *num. 5.* quòd testis qui pro alio subscribit, non debet in subscriptione nomen alterius pro quo subscribit, ponere, sed suum nomen, & cognomen. Idem Paz *n. 1197.*

6 Quintò nota aliquos dicere non requiri subscriptionem tabellionis, in qua suum nomen & cognomen apponat, sed sat esse suum signum; quia *dict. l. 2. recopil.* tantùm petit octo subscriptiones, scilicet testium, & testatoris, & signum tabellionis. Sic Paz *l. 3. Taur. n. 1245. & pluribus sequentibus.* Castillo *l. 3. Taur. verba, el escriuano.* Sed verius est requiri etiam subscriptionem tabellionis: quod tenet Couarr. *cap. cum omnes, n. 1. de testam.* Matienzo *dict. l. 2. gloss. 7. n* 4. & addit *num. 3.* quòd si testator duos rogauerit tabelliones, non requiritur vtriusque signum, sed sat est alterius; & idem Paz *num. 1253.* Dicit etiam Matienzo *eodem n. 5.* posse sigillum poitea apponere, licèt non apposuerit tempore quo testator & testes subscripsere: idem Paz *n. 1278.*

7 Sextò nota, quòd non tenetur tabellio testatorem agnoscere, nec de hoc fidem exhibere in testamento in scriptis, vt latè probat Matienzo *dict. l. 2. gloss. 7. n. 6.* Paz *l. 3, Taur. n. 280.*

8 Tandem in testamento in scriptis, & quoliber alio instrumento publico debet apponi dies mensis & annus, aliàs non valet *l. 54. & l. 111. tit. 18. part. 3.* & *ibi* Gregor. Lopez, *& l. 1. & 9. tit. 19. part. 3. & l. 2. tit. 3. lib. 1. fori, & l. penul. tit. 2. part. 6. & l. 13. tit. 25. lib. 4. nouæ recop.* Ant. Gomez *l. 3 Tau. n. 42.* Matienzo *dict. l. 2. gl. 7 n. 8.* vbi limitat cum Anton. Gomez procedere in testamento in scriptis coram tabellione facto; secus quando est factum in scriptura priuata sine tabellione, tunc enim non requiritur, vt scribatur dies, mensis & annus, nec locus, in quo fit. Addit etiam Matienzo *illo n 8.* quòd etiam locus, in quo fit, debet exprimi in scriptura publica, vt patet ex *l. 13. tit. 25. lib. 4. nouæ recopil.* & est communis sententia etiam iure communi, vt docet Couarr. *qq. practicis, c. 10. n. 2.*

## DVBIVM IV.

*Quæ solemnitas requiratur in testamento cæci.*

1 DIco primò, quòd in testamento cæci debent interuenire quinque testes. Sic habetur *l. 3. Taur.* quæ hodie est *l. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* quæ lex corrigit ius commune, & Partitarum, quibus requirebantur septem testes, vt patet ex *l. hac consultissima. C. qui testam. facere possunt. l. 14. tit. 1. part. 6.* Cæteræ tamen solemnitates iure communi; & Partitarum requisitæ in hoc testamento manent in suo robore. Sic Matienzo *eadem l. 2. recopil. gloss. 8. n. 1.* Cifuentes *l. 3. Taur. n. 9.* Paz *ibi n. 1299.* Tello *ibi 4. p. n. 1.* Gregor. Lopez *dicta l. 14. verf. escriuir.*

2 Vnde secundò dico, quòd debent interuenire sequentia. Primò in scriptis testari non potest, sed nuncupatiuè: & semper debet intertenire tabellio simul cum quinque testibus supradictis, vt *in dicta l. hac consultissima*, & *dicta l. 14.* & coram eis debet hæredes nominare, ita vt de eis dubitari non possit, vel expressa dignitate, vel officio, vel alio signo, quo facilè cognosci possint, vt *in dicta l. hac consultissima*; quod exprimi necesse non est, si aliàs constat de eorum personis, vt tenet ibi communis. Requiritur etiam, vt tabellio scribat testamentum coram testibus, vel si antea erat scriptum, debet legi coram testibus, & testatore, qui debet dicere esse suum. Requiruntur etiam subscriptiones testium, & pro cæco, & teste, qui scribere nescit, debet alius subscribere, vt patet ex *dicta l. 14. part. iuncta l. 13. tit. 25. lib. 4. nouæ recop.* Sic Matienzo *dicta gloss 8. n. 2. &* 3. vbi alios refert, & Paz *l. 3 Taur. n. 1301* Greg. Lopez *dicta l. 14. part.* & quòd illa *l. 14.* dicit requiri sigilla testium, dicit *ibi* Greg. Lopez esse vsu derogatum: sed Matienzo *num. 3.* dicit intelligi per sigilla testium subscriptiones, vulgo *las firmas*, in quibus nomen, & cognomen scribitur. Et quòd requirantur subscriptiones testium, dicit Matienzo *ibi n. 4.* & Paz *num. 1302. 1303.* & Cifuentes *l. 3. Taur.* dubium non esse, licèt Gregor Lopez *dicta l. 14. verf. escriuir*, teneat, dubitans tamen contrarium.

3 Nota, quòd id, quod diximus requiri tabellionem in testamento cæci, intelligitur, quando coram quinque testibus nuncupatiuè testatur: at potest coram octo testibus octauo adhibito loco tabellionis, quando tabellio inueniri nequit, vt probat Matienzo *n. 5.*

4 Secundò nota non requiri, vt quinque testes testamenti cæci sint vicini; quia lex id non requirit. Sic Matienzo *ibi n. 8.* Paz *n. 1315.*

5 Tertiò nota in testamento cæci inter liberos requiri omnino eandem solemnitatem dictam, vt probat Matienzo *ibi n. 8.* Calataiud. *l. 3. Tauri*, vbi Anton. Gomez, Talauera, Paz 1313. 1314.

6 Tandem est dubium, an in testamento cæci sit necessarium ab hæredis institutione incipere, vt disponitur *dict. l. hac consultissima*, ita vt si aliter fiat, & legata præcedant hæredis institutionem, sit nullum testamentum: multi enim dicunt esse nullum, quos referunt Matienzo *n. 6.* & Paz *num. 1298.* ipsi tamen cum aliis tenent contrarium.

## DVBIVM V.

*Quam solemnitatem requirat testamentum inter liberos, sine sit nuncupatiuum, sine in scriptis.*

1 HAc in re certum est, quòd licèt iure communi, & Partitarum, vt patet ex *l. hac consultissima, §. ex imperfectio, C. de testam. & l. 7. tit. 1. part. 6.* poterat pater testari nuncupatiuè, & in scriptis inter liberos solis duobus testibus absque alia solemnitate iuris ciuilis, qualescumque essent illi duo testes, sola enim iuris gentium, & diuini solemnitas exigebatur, quo testimonium in ore duorum consistit, vt habetur *Matth. 18. & Deut. 19.* at iure regio nouiori eadem solemnitas requiritur in testamento nuncupatiuo inter liberos, quàm diximus suprà requiri inter extraneos, vt habetur *l. 3. Taur.* quæ hodie est *l. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recop.* & notat Matienzo alios allegans *eadem l. 2. gloss. 1. n. 1. 2. & 3.*

2 An verò possit fœmina esse testis in testamento inter liberos stante iure Regio nouiori, quidam negant. Sic la-





tè probans Matienzo *dicta l. 2. gloss. 1. n. 15.* Castillo *l. 3. Taur. verf. siete testigos.* Gregor. Lopez *l. 7. tit. 1. part. 6. verf. alos hijos.* Sed verius est contrarium; quia iure communi poterat, & *dicta l. 2. nouæ recopil.* nil immutat circa hoc, sed in his, quæ attinent ad numerum testium, non verò ad qualitates eorum, vt constat ex eius verbis, *la solemnidad de la ley del ordenamiento, que dispone quantos testigos son menester en el testamento, se entienda tambien en el testamento entre los hijos.* Sic Paz *l. 3. Taur. n. 142.* Tello *ibi 1. p. n. 15.* Anton. Gomez *ibi num. 53.*

3 Sed dubium est, an testamentum in scriptis inter liberos requirat iuxta dictam *l. 2. recopil.* eandem solemnitatem, quam testamentum in scriptis inter extraneos: quidam enim negant, quia tantùm loquitur de testamento nuncupatiuo inter liberos *dicta l. 2.* & in hoc tantùm corrigit ius commune. Sic Calataiud. *l. 3. Tauri*, & Paz *ibi n. 64.* Menchaca *lib. 3. de succeff. creat. §. 21. n. 13. 14. & 15.* At multo verius est requirere eandem solemnitatem: quod tenet, & latissimè probat Matienzo *dicta gloss. 1. num. 5. & infra.* Cifuentes dicens esse praxi receptam, *l. 3. Taur. n. 7.* Gomez Arias *ibi num. 5.* Castillo *ibi verf. entre los hijos.* Anton. Gomez *ibi n. 59. 60.* Greg. Lopez *l. 7. tit. 1. part. 6. verf. alos hijos.* Couar. *4. decret. 2. p. c. 8. §. 4. n. 13. in fine.* Fatetur tamen Matienzo cum aliis *n. 9.* quòd testamentum inter liberos factum censetur habere clausulam codicillarem, licèt in eo non apponatur, quæ operatur duos effectus. Primus est circa solemnitatem, quòd scilicet si testator tantùm adhibuit quinque testes, qui sat sunt iure communi ad codicillos faciendos, vt valeat testamentum in vim codicillorum. Secundus est respectu voluntatis, vt talis institutio facta in testamento obliget, & valeat in vim fideicommissi, ita vt hæredes legitimi teneantur eam hæreditatem restituere hæredi in eo testamento scripto, detracta quarta Trebellianica. Vnde concludit Matienzo *n. 10.* cum Antonio Gomez *l. 3. Tauri, n. 65.* & Calataiud. *ibi*, Parisio *l. 1. tit. 2. lib. 5. ordin.* quòd si testamentum huiusmodi habeat quinque testes, valebit vt codicillus, & obliquabitur institutio in eo facta modo expositio. Non tamen sat sunt tres testes vicini cum tabellione; quia licèt hi sat sint iure Regio ad codicillum nuncupatiuè, non tamen ad codicillum in scriptis, vt dicemus *infrà*. Sic Gregor. Lopez *l. vltima, tit. 12. part. 6.* Anton. Gomez *l. 3. Tauri, n. 65. & 66.* quod limitat Matienzo *n. 10.* nisi testamentum contineat tres testes cum tabellione, vel sine eo, si alij reperiri nequeunt; cùm hoc enim sat fit ad codicillum nuncupatiuum, vt infrà dicam, sustinetur testamentum virtute clausulæ codicillaris eo modo, quo valere potest, scilicet, vt codicillus nuncupatiuus.

4 Quam verò solemnitatem exigat testamentum cæci, dixi dubio præcedenti.

## DVBIVM VI.

*Quam solemnitatem requirat testamentum tempore pestis.*

1 DIco, quòd licèt multi asserant iure communi requiri minorem: at de iure Regni eadem tunc requiritur in testamento nuncupatiuo; patet: nam *l. 3. Tauri*, quæ est *l. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* indistinctè petit solemnitatem ibi positam. Sic Anton. Gomez *l. 3. Taur. num. 48.*

## DVBIVM VII.

*An ad legata pia requiratur eadem solemnitas.*

1 PRima conclusio. Ad legata pia sat est, si fiat testamentum coram duobus, vel tribus testibus. Patet ex *cap. relatum, el 1. de testam.* vbi etiam id docet glossa, & Couarr. *ibi num. 1.* multos referens.

2 Secunda conclusio. Si testamentum fiat principaliter ad causas pias, valet factum coram duobus testibus, etiam quoad legata non pia in eo relicta: quia princi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



pale trahit ad se accidentia. *Auth. quod sine, C. de testam.* Sic contra Iasonem Couarr. *ibi n.* 2. multos referens.

3 Tertia conclusio. Licèt testamentum sit inualidum quoad hæredis institutionem, & sic principaliter factum ob legata non pia, & quoad ea inualidum, valet quoad legata pia, si adsit solemnitas ad legata pia requisita, vt colligitur ex *l.* 21. *tit.* 1. *part.* 6. Couarruias *supra num.* 2. & 3. multos referens contra alios, quos ibi refert.

4 Quarta conclusio. Duo testes requisiti ad legata pia sat est vt habeant quod possit ius gentium: vnde fœminæ, infames, &c. qui solo iure ciuili non valent vt testes, valent ad talia legata. Patet ex *dicto cap. relatum*, vbi sic dicitur, *ad legata pia sat est solemnitas iuris gentium.* Sic Couarr. *ibi num.* 5.

5 Quinta conclusio. Testamentum imperfectum respectu solemnitatis valet ad pia legata, non tamen si sit imperfectum respectu voluntatis, v.g. testator disposuit plutima circa proprium testamentum, & cùm esset notarius vocandus, & testes, coram quibus illa rata haberet, iusserat enim, aut animo destinarat, vt vocarentur, vt fieret solemne testamentum, & obiit ante hanc ipsius voluntatis perfectionem, tunc etiam quoad legata pia est nullum. Couarr. *ibi num.* 9. multos referens Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l. glossa* 14. *n.* 1. Si verò esset perfectum ratione voluntatis, quoad legata pia, licèt quoad cæteta imperfectum, tenebit tantùm quoad pia, v.g. cœpit legare coram idoneis testibus, non intendens aliam solemnitatem adhibere, & cùm aliqua pia legasset, vellétque alia legare, obiit, testamentum valet quoad pia. Sic multos referens Couarr. *ibi num.* 10.

6 Sexta conclusio. Vltima voluntas propria testatoris manu scripta, ita vt hoc dubium non sit, licèt non sit coram testibus, & notario, est valida quoad legata pia. Sic plures, quos refert Couar. *ibi num.* 10. & dicit, quòd mallet adhærere oppositæ, pro qua etiam alios refert, nisi fauor piæ causæ præcipiti iudicio auerteret: sed verius est, quod diximus in conclusione, de quo iterum infrà.

## DVBIVM VIII.

*Quam solemnitatem requirat mandatum ad testandum, id est, potestas, quam aliquis alteri præbet, vt nomine illius testamentum condat.*

REspondetur, quòd requirit eandem omnino, quam requirit testamentum, aliàs est nullum. Sic habetur expressè *l.* 39. *Taur.* quæ est *l.* 13. *tit.* 4. *lib.* 5. *nouæ recopil.* & docet Matienzo *ea l.* 13. *glossa.* 1. *num.* 1. vbi addit contra Antonium Gomez *lege vigesima nona Tauri, numero primo.* quòd licèt mandatum contineat solemnitatem testamenti nuncupatiui, potest commissarius virtute talis mandati testamentum in scriptis facere, & ibi probat.

## DVBIVM IX.

*An si quis cœpit facere testamentum nuncupatiuè coram sufficienti numero testium, & solemnitate legitima, & fecit institutionem, & aliqua legata & capitula, & morte præuentus non perfecit, valeat in iis, quæ disposuerat.*

REspondetur, quòd si constiterit quòd volebat vlteriùs procedere, non valet: aliàs valet etiam in dubio, *lege si is, qui. ff. de testament. & lege* 23. *titulo* 1. *parte sexta.* sic multos referens Antonius Gomez *lege* 3. *Tauri, numero* 18 19. dicens etiam procedere in testamento inter liberos: & patet etiam ex dictis suprà *dubio septimo.* vbi quid dicendum sit in hoc casu quoad legata pia, diximus.

## DVBIVM X.

*An testamentum in scriptis carens debita solemnitate, habens tamen solemnitatem nuncupatiui, valeat vt nuncupatiuum.*

REspondetur, quòd si testator voluit testari in scriptis, & non nuncupatiuè, non valebit vt nuncupatiuum: at verò si non constat de hac voluntate, in dubio valebit vt nuncupatiuum, quia id voluisse testatorem, in dubio præsumendum est, ne actus subuertatur, quod velle nemo præsumitur. *l.* 3. *ff. de testam. militis.* sic tenent multi, quos refert, & sequitur Matienzo *lib.* 5. *recop. tit.* 4. *l.* 2 *glossa.* 10. *n.* 4. Greg. Lopez *l.* 2. *tit.* 1. *part.* 6. *versus pars dada.* Cifuentes *lib.* 3. *Taur. ad fin.* Menchaca *lib.* 2. *de succes. creat.* §. 11. *n.* 11. & 12. Paz *l.* 3. *Taur. n.* 71. Quando verò quis dicatur testari in scriptis, & quando non, fusè Paz *ibi à num.* 1375.

## DVBIVM XI.

*An si maritus, & vxor, seu alij duo coniunctim in eadem charta testentur in scriptis (quod fieri conceditur l. eo quod à multis. C. si certum petatur, & ibi docent omnes) requirantur duæ solemnitates, scilicet quatuordecim testes, &c.*

ET videtur requiri, quia sunt duo testamenta. Sed dicendum est vnam tantùm requiri solemnitatem, scilicet septem subscriptiones testium, & sigillum scribæ: nec requiritur, vt singuli binas subscriptiones faciant: at ambo testatores debent subscribere: & similiter est dicendum de testamento nuncupatiuo à duobus coniunctim facto in eadem charta; immò quando non simul, & coniunctim, eadem tamen in charta testantur, quia etsi duo sint testamenta, est tamen vna charta, & quilibet testis est æquè testis vtriusque testamenti, & quælibet subscriptio æquè deseruit vtrique testamento. Sic multos allegans Burgos de Paz, & latè probans *lege* 3. *Taur.* 2. *p.à n.* 1213. Et tandem hoc firmat *n.* 1236. ibique numeris sequentibus alia disputat circa hoc.

## DVBIVM XII.

*Quæ solemnitas requiratur in codicillis.*

1 CErtum est requiri eandem solemnitatem, quæ requiritur in testamento nuncupatiuo: sic enim habetur *l.* 3. *Taur.* quæ hodie est *l.* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopil.* quod certum est quando codicilli fiunt nuncupatiuè, vt bene Matienzo *dict. l.* 2. *glossa.* 9. *n.* 3. & addit ibi cum Tello 4. *p. l.* 3. *Taur. n.* 12. requiri eandem solemnitatem non tantùm quoad numerum testium, sed etiam quoad qualitatem vicinitatis, id est, quòd testes sint vicini: idem enim requiritur in testamento nuncupatiuo per legem ordinamenti, vt suprà diximus.

2 Sed an fœminæ possint esse testes in codicillis, non constat, quidam enim negant posse; quia eadem solemnitas requiritur in iis, quæ in testamento nuncupatiuo: in hoc verò non possunt esse testes: licèt non per legem ordinamenti, per alias tamen leges excluduntur, vt suprà dixi. Sic Matienzo latissimè probans *dict. glossa.* 9. *à num.* 9. *vsque ad* 15. Castillo *l.* 3. *Taur. versus tiete testigos.* At verius est posse, quia *l.* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *nouæ recopil.* dicit in codicillis requiri eandem solemnitatem, quæ requiritur in testamento nuncupatiuo secundùm legem ordinamenti, sed secundùm legem ordinamenti non excluduntur fœminæ, ne sint testes in testamento nuncupatiuo, nec alio iure Regio, nec communi excluduntur, quin sint testes in codicillis; ergo. Sit licèt anceps Burgos de Paz *l.* 3. *Taur. num.* 1350. Cifuentes *ibi n.* 12. Anton. Gomez *ibi n.* 71. Ioann. Lupus *ibi num.* 34.

3 Maius autem dubium est, quæ solemnitas requiratur in codicillis in scriptis, id est, *cerrados*; quidam enim dicunt requiri eandem, quæ in testamento nuncupatiuo, quia *dicta l.* 2. *recopil.* petens eandem solemnitatem in codicillis,



codicillis, quæ requiritur in testamento nuncupatiuo, generaliter & indistinctè loquitur de codicillis. Sic Burgos de Paz *l.* 3. *Taur. n.* 1360. Sed verius est, quòd illa *l.* 2. loquitur de codicillo nuncupatiuo; de codicillo verò in scriptis nihil loquitur, sed manet in dispositione iuris communis, & Partitarum, iuxta quod semper, & indistinctè requiruntur quinque testes, & subscriptiones eorum: non verò sigilla, siue interueniat tabellio, siue non, nec requiritur testes esse rogandos. Patet ex *l. vlt. C. de codicil. l. vlt. C. de fideicom. Instit. de fideicom.* §. *vlt. l.* 32. *tit.* 16. *part.* 3. *l. vlt. & l. finali, tit.* 12. *part.* 6. & tenet Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 2. *glossa.* 9. *n.* 1. 5. & 6. Cifuentes *l.* 3. *Taur. n.* 10. & ibi Ant. Gomez *n.* 69. Gregor. Lopez *l. finali, tit.* 12. *part.* 6.

4 Tandem nota, quòd potest iure Regio in codicillis fieri institutio hæredis, & adimi hæreditas, licèt iure communi non posset, nisi obliquè, scilicet per fideicommissum, dicendo: volo vt hæres restituat hæreditatem Titio. Sic Burgos de Paz *l.* 3 *Taur. n.* 1338. dicens sic indicatum esse in Cancellaria Pinciana: & videtur sentire Greg. Lopez *l.* 50. *tit.* 8. *part.* 6. *vers. como el*; & tenet Matienzo *dict. glossa.* 9. *à n.* 20. *vsque ad* 24. vbi limitat, nisi codicilli fiant in scriptis, & testamentum quoque in scriptis; quia tunc cùm sint vniuersæ solemnitates, non valebit institutio hæredis directè, sed obliquè, vt valebat iure communi: quod explicat idem Matienzo *ibi n.* 16. & 17. v.g. si dicat, *mandado, vel rogo hæredi, vt det hereditatẽ Titio*; valebit enim hæc institutio, & primus hæres retinebit quartam Trebellianicam; immò licèt instituat directè hæredem, valet, & trahitur ad fideicommissum, vt defuncti voluntas conseruetur, & refert alios Matienzo *ibi.*

## DVBIVM XIII.

*Quam solemnitatem requirat donatio causa mortis.*

1 HIc simul agendum est summatim de donatione causa mortis.

2 Primò dico, quòd donatio causa mortis in hoc potissimum distat à donatione inter viuos, quòd hæc irreuocabilis est, illa verò reuocabilis, vt mox dicemus: & donatio causa mortis quoad sui initium, & ordinationem potiùs accedit contractui, quàm vltimæ voluntati, licèt quoad alia, vt quoad effectum, potiùs accedit vltimæ voluntati, similisque est legatis. Sic Matienzo multos referens *lib.* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 7. *glossa.* 2. *n.* 3. & *pluribus sequentibus.* Couarr. *rubr. de testam.* 3 *part. à num.* 2. *vsque ad* 15. Xuarez *allegat.* 20. Anton. Gomez *tomo* 2. *var. cap.* 4. *num.* 16.

3 Hinc fit primò, quòd ex donatione causa mortis detrahitur falcidia, sicut ex legatis. *l. si mortis, C. ad l. falcid.* Anton. Gomez *dict. cap.* 4. *num.* 17. Matienzo multos referens *dict. glossa.* 2. *num.* 43. Couar. *suprà n.* 20. vbi hoc limitat, quando donatio causa mortis fit in testamento, vel codicillo: secus quando fit extrà. Sed Matienzo hanc limitationem reprobat; quia textus, & Doctores indistinctè loquuntur.

4 Secundò fit, quòd sicut morte testatoris transfertur statim dominium legati in legatarium absque traditione. *l. à Titio, fine. ff. de furtis, l.* 34. *tit.* 9. *part.* 6. Sic donationis causa mortis dominium transfertur statim sequuta morte donantis in donatarium absque alia traditione. *l.* 1. *fine, cum l. sequenti. ff. de publica.* & ibi glossa. Bald. Angel. & cæteri interpretes, quos, & alios refert, ac sequitur Matienzo *dict. glossa.* 2. *n.* 40. Couar. 3. *p. rubr. de testam. n.* 15. Ant. Gomez *tomo* 2. *var. cap.* 4. *n.* 17. Palacios Rubios *rubr. de donat.* §. 77. *n.* 2.

5 Secundò dico, quòd donatio causa mortis requirit eandem solemnitatem, quam diximus suprà *dubit.* 2. requirere testamentum nuncupatiuum, positam *l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *nouæ recopil.* Patet, quia *ea l.* 1. dicitur eam solemnitatem requiri in testamentis, vel quauis alia vltima voluntate; sed nomine vltimæ voluntatis comprehenditur codicilli, & donatio causa mortis, vt optimè Couar. *rubr. de testam.* 3. *p. n.* 1. Sic Couarr. *ibi num.* 21. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 1. *glossa* 2. *num.* 2. & *tit.* 10. *l.* 7 *glossa.* 1. *num.* 8. Burgos de Paz *l.* 1. *Taur. n.* 814. & 815. & *sequentibus.* Vnde si donatio causa mortis fiat coram tabellione, sat sunt tres testes vicini; si verò priuatim absque tabellione, quinque testes requiruntur. Sic Matienzo *duplici loco citato*, Burgos de Paz *ibidem*, qui censet, quòd vbi non adest tabellio, sat sunt quinque testes non vicini, licèt *dicta l.* 1. *recopil.* in testamento requirat esse vicinos: sed Matienzo *dicta l.* 7. *glossa* 1. *num.* 8. dicit valde dubitare de hoc; quia quoad solemnitatem testium codicillis comparatur, vnde videtur eadem solemnitas necessaria.

6 Nota quòd sicut suprà *dub.* 1. diximus solemnitatem testamenti non esse tantùm probatoriam, sed de substantia, & essentia, sic dicendum est de solemnitate donationis causa mortis, quòd scilicet est de eius essentia. Sic tenet Matienzo *lib* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 7 *glossa* 2. *n.* 8. & probatur ex dictis suprà *dub.* 1. vbi diximus, quòd vbi requiruntur plures, quàm duo testes, solemnitas requisita est substantialis: at in donatione causa mortis plures, quàm duo testes requiruntur. Item, quia (vt dixi *eodem dub.* 1.) solemnitas contenta *l.* 5. *recop. tit.* 4. *l.* 1. & 2. est substantialis: at *ea l.* 1. etiam comprehendit donationem causa mortis, quia dicit, *O en otra vltima voluntad*, sub qua codicilli, & donatio causa mortis comprehenduntur, vt dicit Matienzo *ea l.* 1. *glossa.* 2. *n.* 2.

7 Tertiò dico, quòd donatio causa mortis est, quæ fit à constituto in periculo mortis propinquè ab hostibus inferendæ, aut odio, aut causa nauigationis ineundæ, aut transitus per insidiosa loca, vel ratione ætatis; quia iam est valde senex, hæc enim omnia denotant mortis periculum. *l.* 2. *cum quinque sequentibus. ff. de mortis caus. donat. l. vltima, tit.* 4. *p.* 5. Nota tamen non sat esse donationem ab infirmo fieri, sed oportet in ea expressam mentionem mortis, vel instantis periculi fieri: aliàs erit donatio inter viuos, *l. Seia.* §. *vlt. ff. de don. cau. mort. l. vlt. tit.* 4. *part.* 5. & ibi Gregor. Lopez *verbo de la muerte.* Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 7. *glossa.* 1. *n.* 1. Anton. Gomez *tomo* 2. *var. cap.* 4. *n.* 15. Dueñas *regula* 218. Couar. *rubr. de testam.* 3. *p. n.* 25. vbi alios referunt, Gomez Arias *l.* 11. *Taur. num.* 17. 19. Montalbus *l.* 9 *glossa*, 1. *tit.* 12. *lib.* 3. *fori.* Quod extende non tantùm quando expresè dicit se donare ratione talis periculi, sed etiamsi facta mentione mortis, vel periculi donet, est donatio causa mortis, licèt non exprimat ea ex causa donare. Sic Matienzo *ibi n.* 2. Couar. *n.* 25. vbi alios referunt; & ibi vterque hoc limitat, vt intelligatur concurrentibus aliis coniecturis, vt si quis iturus ad bellum, vel nauigaturus, vel æger donet post mortem suam, tunc est donatio causa mortis, licèt donans non exprimat se causa mortis donare. Secundò extende, etiamsi donator nulla facta mentione mortis vtatur verbo, *relinquo*, tunc enim erit donatio causa mortis. Sic Couar. *eo num.* 25. Matienzo *n.* 3. Tertiò extende, etiamsi donans tradat in vita rem donatam donatario, adhuc enim censetur donatio causa mortis, Matienzo *n.* 3. alios referens.

8 Sunt tamen aliqui casus, qui ab hac regula excipiuntur. Primus, nisi constet habuisse animum donandi inter viuos, Matienzo cum aliis *eadem l.* 7. *glossa* 1. *num.* 4. Secundus, quoties mortis mentio esset dilationis causa adiecta in verbis executionem importantibus, vt, Dono fundum, reseruato vsufructu in tempus vitæ meæ, est inter viuos; quia tempus mortis non additur verbis dispositiuis, sed exequutiuis, & sic tantùm demonstrant tempus exequutionis. Matienzo *n* 15. Couar. *n.* 25. Ant. Gomez *dicto cap.* 4. *n.* 19. & idem dicendum est, quando fit mentio mortis, vel periculi, non vt sit causa donationis, sed vt sit designatio temporis, à quo donatio incipiat, vt, dono fundum post mortem meam, & inter viuos, & sic irreuocabilis. Couarr. *num.* 25. Matienzo *num.* 6. Anton.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Gomez *num.*19. Gregor. Lopez *l.vlt. tit.*4. *p.*5. *vers. de la muerte.* Tertius casus est, si in donatione fiat mentio hæredum, vt, dono Titio, & hæredibus, est inter viuos, licèt in ea donatione fiat mentio mortis; quia hæc adiectio non conuenit donationi causa mortis, cùm donatario præmoriente cesset, nec transeat ad hæredes, vt mox dicemus. Dueñas *regula* 217. Couar. *n.*25. Matienzo *n.*7. vbi alios refert contra Bald. & alios, quos ibi refert, dicentes adhuc non esse donationem inter viuos, sed causa mortis, & habere hunc sensum, vt præmoriente donatore, competat donatario, & eius hæredibus: quod Matienzo *ibi n.*7. dicit esse verum, quando donator expressè diceret se donare causa mortis Petro, & eius hæredibus: secus si hoc non dicat expressè, licèt in donatione fiat mentio mortis. Quartus casus est, quando solemnitas requisita in donatione causa mortis defecerit, tunc est donatio inter viuos, licèt in ea fiat mortis mentio. Sic multi, quos refert Matienzo *n.*8. ipse tamen *n.*9. hoc limitat, nisi expressè dicat donans se causa mortis donare, tunc enim non transibit in donationem inter viuos propter solemnitatis defectum, sed omninò erit nulla. Quintus casus est, nisi apponatur clausula de non reuocando, vt dono Titio, &c. & promitto non reuocare, vel ratam habere, & nunquam ei contradicturum, vel non reuocare eueniente tali conditione, & conditio iam euenit. Matienzo *n.*10.13.& 17. Dueñas *regula* 217. Couarr. 2. *p. rubr. de testam. n.*11.12.& 13. Ant. Gomez *dict. c.*4. *n.*22. vbi alios referunt. Quod tamen intelligendum est cum aliquibus limitationibus. Prima est, quoties ea verba apponuntur in ipsius contractus dispositione, & substantia, vt dono fundum quem non reuocare promitto; secus si apponantur in verbis executionem denotantibus. Matienzo *n.*14. Couar. Dueñas, Anton. Gomez. *loco proximè citato*; immò si in ipsa exequutione contractus adiiciatur clausula non reuocandi donationem, non fiet donatio inter viuos, & irreuocabilis: tum, quia quæ in executione contractus apponuntur, non augent dispositionem: tum etiam, quia prædicta verba in fine contractus posita, & sic in eius executione, & tabellionum potius vsu, quàm ex contrahentium consensu apponuntur. Sic Matienzo *n.*15.16. Couar. 2. *p. rubr. n.*13.14. Secunda limitatio est, nisi tale pactum non reuocandi redderet donationem inter viuos inualidam: vt si quis donet causa mortis omnia bona cum pacto non reuocandi, non redditur donatio inter viuos, quia esset inualida, & ne actus omnino infirmetur, manet donatio causa mortis. Matienzo multos referens *n.*18. Dueñas *regula* 213. Tertia limitatio est, nisi in testamento, vel codicillo fieret donatio causa mortis cum pacto non reuocandi, adhuc enim manet donatio causa mortis, & reuocabilis, quia in testamento tale pactum non valet, vt infrà dicemus. Sic Matienzo *n.*20. alios referens. Sextus casus est, quando donans causa mortis apponit iuramentum, etiam in verbis executionem actus inducentibus, quo promittit non reuocare: tunc enim est donatio inter viuos, & irreuocabilis; iuramentum enim non potest à notario absque expresso contrahentium consensu adscribi. *cap. penult. de iureiur.* secus si simpliciter apponatur iuramentum in donatione causa mortis; tunc enim non est donatio inter viuos, nec irreuocabilis; quia iuramentum simpliciter præstitum in aliquo actu est intelligendum iuxta naturam illius actus: vnde per tale iuramentum tantùm censetur iurare illam esse propriam, & liberam, & non coactam eius voluntatem. Sic Couarr. *rubr. de testam. 2. parte num.*14. *conclus.*4.& 5. Matienzo *n.*21.22. vbi alios refert. Septimus casus est, quando merita donatarij præcessetint; quia tunc præsumitur potiùs donatio inter viuos, vt ita sit efficacior. Sic Bald. & Tiraquell. quos refert, & sequitur Matienzo *ibi num.*23.

9 Quartò dico, quòd in dubio potius præsumitur donatio inter viuos, quàm causa mortis; quia hæc improp. iè donatio est. Sic Gregor. Lopez *l.vltima. glos.*1.& *tit.* 4. *part.*5. & alij quos refert, & sequitur Matienzo *dicta l.*7. *glos.*2. *num.*1.

10 Quintò dico, quòd donatio causa mortis iure Regio non requirit præsentiam donatarij, sed potest fieri absenti. Sic Matienzo *dict. l.*7. *glos.*2. *num.*22. Couarr. *rubr. de testam.*3 *p.n.*14. *ad finem.*

11 Sextò dico, quòd donatio causa mortis reuocatur quatuor modis. Primus est ex donantis pœnitentia, scilicet, vel sibi retinendo, vel donando alteri; cùm enim hæc donatio vires non assumat vsque ad donantis mortem, potest interim pœnitentia reuocari: & licèt in reuocatione testamenti requirantur tot testes, quot in eius confectione, quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. *l.nihil tam naturale. ff. de regul. iur.* & *c.*1. *de regul. iur. in* 6. at in donatione causa mortis, licèt ad eius confectionem requirantur quinque testes, ad probationem tamen reuocationis, vel pœnitentiæ sat sunt duo testes. Et ratio differentiæ est, quia ad reuocationem testamenti sola voluntas contraria non sat est, nisi per solemnem voluntatem id fiat: at donatio causa mortis solùm contraria voluntate reuocatur. Hæc omnia Matienzo, alios referens *lib.*5. *recop. tit.*10. *l.*7. *glos.*3. *n.*2.& *ibi n.*1. dicit cum Couar. *rubr. de testam.*3. *p.n.*23. & aliis, posse donationem causa mortis reuocari sola pœnitentia, licèt fuerit acceptata à donatorio. Et quòd sola pœnitentia, & contraria voluntate reuocetur donatio causa mortis, patet ex dicendis *dub.*38. *huius libri*, vbi dicam testamentum non posse reuocari ex nuda voluntate; secus verò de legatis, quæ reuocantur non tantùm ex expressa, sed etiá ex tacita voluntate, vt propter superuenientes inimicitias, vbi etiam dicam, an donatio causa mortis reuocetur ob tacitam voluntatem, vt ob inimicitias superuenientes. Secundus modus, quo reuocatur donatio causa mortis, est, si prius decedat donatarius, quam donator, *l.*1.& *l. si mortis. ff. de mortis can. donat. l. vlt. tit.*4. *part.*5. Matienzo *ibi n.*3. Tertius modus est, si cùm donator esset infirmus, vel in aliquo imminenti periculo constitutus tempore donationis, postea conualuit, vel à periculo euasit; tunc enim reuocata censetur: sed si non erat infirmus, vel in periculo cùm donauit, licèt postea incidat in illud, vel infirmetur, & conualescat, vel eripiatur à periculo, non reuocatur donatio, *l. si is seruus. ff. de donat. inter vir.* & *vx. l. vlt. tit.*4. *part.*5. Matienzo *n.*4. Couar. *rubr. de test.*3. *p.n.*23. Ant. Gomez *tom.*2. *var. c.*4. *n.*19. qui cum Matienzo *n.*5. intelligit priorem partem huius casus, quoties donatio causa mortis facta fuerit præsenti, secus si absenti; quia tunc cùm in omnibus æquiparetur vltimæ voluntati, non reuocatur per conualescentiam, vel euasionem à periculo, sicut nec legatum. Quartò, reuocatur donatio causa mortis, si donans rem donatam alienet; quia ex tunc censetur pœnitere, & reuocare. Sic Matienzo *eadem l.*7. *glos.*2. *n.*47. Ant. Gomez *dict. c.*4. *n.*18. Couar. 3. *p. rubr. n.*19. vbi hoc limitat cum Matienzo *eo n.* 47. quando dispositio alienationis est specialis rei donatæ; secus si sit generalis, vel vniuersalis, vt si facta donatione causa mortis alicuius rei, fiat postea generalis hæredis institutio, non censetur ex hoc derogatum donationi causa mortis: & idem dicendum est in qualibet alia generali alienatione. Hæc Matienzo & Couar. *ibi.*

12 Nota primò quandoque non reuocari donationem tribus prioribus modis, scilicet pœnitentia, præmoriente donatario, conualescentia, scilicet, si conuenerit inter eos de non reuocando ex his causis. Sic Matienzo *dict. l.*7. *glos.*3. *n.*8. Couar. 3. *p. rubr. n.*23.

13 Secundò nota aliquos dicere non cessare donationem causa mortis, licèt expressè donantem pœnituerit, quando donator decessit sine aliquo hærede ex testamento, & ab intestato. Sic multi quos refert Couar. dicens esse communem 3. *p. rubr. num.*24. Sed meritò Couar. ibi cum aliis quos refert, tenet contrarium.

14 Tertiò nota aliquos dicere reuocari donationé causa mortis per professionem donantis in religione: sed contrarium est verius, quod tenet Xuarez *allegat.* 20. Matienzo *lib.*5. *recopil. tit.*10. *l.*7. *glossa* 3. *num.*7.

15 Tandem nota, quòd quando res donata causa mortis tradita est in vita donantis ipsi donatario, reuocata postea donatione tenetur donatarius restituere rem illam cum fructibus perceptis, patet ex *l. cùm quis. ff. de condict. caus. data*, & ratio est, quia huiusmodi donatio fuit conditionalis, scilicet, nisi reuocetur, & sic deficiente conditione perinde est, ac si facta non esset. Sic multi, quos refert, ac sequitur Matienzo *dicta l.*7. *glos.*3. *à n.*10. *vsque ad finem*, Anton. Gomez *tomo* 2. *var. cap.*4. *n.*21.

## DVBIVM XIV.

*An quando contractus iure ciuili nullus est ob defectum alicuius solemnitatis eo iure requisitæ, sit etiam in foro conscientiæ nullus, ita vt per illum non transferatur dominium.*

EXemplum esse potest, quando testamentum est minus solemne, tunc enim nullum est iure ciuili; dubitatur tamen, an etiam in foro conscientiæ sit nullum; ita vt hæres, vel legatarius in illo institutus teneatur restituere hæreditatem, vel legatum hæredibus ab intestato: sicut in foro externo ad id cogeretur. Aliqui etiam ponunt exemplum in contractu gesto ab Ecclesia sine solemnitate, & in contractu gesto à minore sine auctoritate curatoris: sed de primo casu, id est, de contractu gesto ab Ecclesia sine solemnitate, dicam *dub. sequenti*; quia de secundo latè dixi *lib.*1. *de matrim. disp.*38. *n.*9.

2 Triplex est sententia. Prima ait, quòd talis contractus est validus in foro conscientiæ, quando constat eam fuisse testatoris voluntatem, nullámque interuenisse fraudem: vnde hæres & legatarius relictus in tali testamento potest tuta conscientia capere hæreditatem, vel legatum, & si hæres ab intestato caperet, licèt in foro externo sibi applicaretur, teneretur in foro conscientiæ restituere hæredi relicto in tali testamento. Probatur ex *cap. cùm omnes, de testam.* vbi consultus Pontifex de vsu Episcopatus Hostiensis, scilicet quòd non implebatur minus solemne, respondit eum vsum non esse obseruandum, quia est contra legem diuinam, &c. Secundò, quia hæ leges edictæ sunt propter falsitatis præsumptionem, quæ cessat in foro conscientiæ; ergo. Sic tenent Panor. *dicto cùm omnes, num.*10. & 15.& *cap. quia plerique, de immun. Eccles.* Plinius, Anchar. Innoc. Immol. Alex. Iason. Alciatus, Albertus Brunus, quos refert Couar. *vbi infrà.* Bart. Anton. Alb ericus, Florianus, Guido, Martinus de Lauduno, Cornelius, quos refert Matienzo *lib.*5. *recopil. tit.*4. *l.*1. *glos.*10. *n.*13. eandem sententiam tenent Tiraquell. post leges cõnub. *glos.*4. *n.*21. Felinus *cap.*1. *de constit. n.*39. Oroscius *l. omnes populi, n.*65 *ff. de iust.* & *iure.* Angles *floribus* 2. *p. mater. de dominio, fine, fol.*138.139. Adrian. *quodlib.*6. *art.*1. *conclus.*2 *corol.*2. Medina *q.*23. *de restit. fine.* Angel. *verbo alienatio, n.*14.& *verbo hæres. n.*5. Armil. *verbo hæredit. n.*14. Syluest. *verbo alienatio q.*13.& *testam.*2 *q.*5. *hæreditas,* 3. *q.*7. Nauar. *summa Hisp. c.*28. *addit. ad n.*58. *c.*25. Caldas de Pereira *l. si curatorem. C. de in integ. restit. verbo læsis, n.*71. Sarmiento *de redditibus* 1. *part. c.*2. *n.*3. Talauera *l.*3. *Taur. n.*81. Perez *lib.*5. *ordin. tit.*2. *l.*2. *fol.*107. 108. Tabiena *verbo hæres, n.*4. Segura *l.*1. *§. si vir. ff. de acquir. possess. n.*125. 126. 127. Gomes Arias *l.*52. *Taur. n.*86. & infrà per plures numeros. Ioann. de Molina *in differ. inter forum conscientiæ, & animæ, differ.*11. Et quatuor magistri perissimi in sacra Theologia consulti de hac re, vt refert Anchar. *reg. possessor, de regul. iuris in* 6. *q.*1. & hæc est communis sententia Iurisperitorum.

3 Nota quòd multi Iurisperiti, immo communis eorum sententia, vt refert Burgos de Paz 5 *p. l.*3. *Taur. n.*1492. quos sequitur Gutier. *l. nemo potest. ff. de legat. 1. n.*459 464. constituunt discrimen inter legatarium, & hæredem in minus solemni testamento relictum, quòd legatarius potest retinere rem in minus solemni testamento relictam, non verò hæres.

4 Secunda sententia dicit talem contractũ, vel testamẽtum esse etiam nullum in foro conscientiæ; vnde qui virtute talis contractus, aut testamenti aliquid recepit, tenetur in conscientia restituere. Probatur primò, quia ob bonum commune potest Princeps statuere, vt talis modus seruetur in translatione dominij, alias nõ transferatur, sed id fecit per leges iustas; quia *l. hac consultissima. C. de testa.* dicitur: *vbi numerus testium non est iustus, id est, completus, & testamentum est minus solemne, nolumus voluntatẽ testatoris impleri*; & *l.*3. *Tau.* quæ est *l.*2. *tit.*4. *lib.*5. *nouæ recopil.* dicitur, *el tal testamento no haga fee in juicio, ni fuera.* Secundò, quia sententia iudicis non innitens falsæ præsumptioni, obligat in conscientia; sed cessante omni fraudis suspicione, & constante veritate, iudex iudicabit testamentũ minus solemne nullum esse; ergo est etiam in conscientia nullum. Tertiò, quia (vt suprà diximus *dub.*1.) solemnitas testamenti, non tantùm est probatoria, sed de eius substantia, & essentia; ergo ea deficiente est nullum omnino testamentum. Sic tenent Baldus, Fulgosius, Paulus de Castro, Cynus, Fortunius Garcia, Loriotus, quos refert, & sequitur Matienzo *lib.*5. *recopil. tit.*4. *l.*1. *glos.*10. *n.*23. 26. 31. 32. Padilla *l. cùm quis, n.*10. 11. 12. *vsque ad* 16. *C. de iuris,* & *facti ignor.* Greg. Lopez *l.*31. *tit.*14. *par.*5. Menchaca *de succes. creat. §.*1. *n.*21. Mexia *super pragmatic. panis, conclus.*6. *n.*75. 76. 98. 100. Couarr. *cap. cùm omnes, de test. n.*6. 7. 8. 10. *& reg. peccatum.*2. *p. §.*3. *n.*9. Ant. Gomez *l.*3. *Taur. n.*123 Ledel. 2. 4. *q.*18. *art.*1. *dub.*12. Idem Victoria citatus à Perez *vbi suprà*, & magistri Salmantini iampridem hanc tenent vt refert Sotus *vbi infrà.*

5 Tertia sententia est media, dicitque non esse omnino nullum in foro conscientiæ, sed quoad hoc quòd primò occupans hæreditatem, vel legata in testamento minus solemni potest ea possidere, donec condemnetur: vnde hæres ab intestata non tenetur restituere hæreditatem, vel legata instituta in minus solemni testamento, & si hæres, vel legatarius in eo testamento institutus capiat, potest hæres ab intestato ipsum conuenire coram iudice, & post condemnationem capere; similiter si hæres, vel legatarius, obtineat hæreditatem, vel legatum in minus solemni testamento relictum, in quo constat nullam interuenisse fraudem, non tenetur restituere, sed potest retinere, donec per sententiam condemnetur: at post condemnationem tenetur restituere: vnde si hæres ab intestato non petit, quia ignorat testamenti nullitatem, quamuis possessor id sciat, non tenetur ei reuelare. Hanc tenet Sotus *lib.*4. *de iust.q.*5. *art.*3. Ludou. Lopez 2. *p. instruct.* 14. Palacios *summa, verbo hæreditas.* Enriquez, & alij: & hanc dicit esse valde probabilem Alcozer *lib. de ludo, c.*23. Hanc etiam tenet Burgos de Paz 5. *part. legis* 3. *Taur. per plures numeros.* nam *à n.*1460. *vsque ad n.*1478. defendit hæredem ab intestato posse retinere legata alij relicta in testamento minus solemni, & si alius ea obtineat, posse in conscientia petere coram iudice, & *n.*1452. dicit, quòd si legatarius primò occupauerit bona, potest ea retinere, donec condemnetur, & *n.* 1493. dicit hoc procedere, licèt hæres ab intestato in iudicio ea petat: potest enim retinere, donec condemnetur; & *n.* 1492. dicit hac in re non esse differentiam inter legatarium, & hæredem in minus solemni testamento relictum.

6 Sit conclusio: licèt omnes tres sententiæ probabiles sint; at tertia est probabilior. Et ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis; & sic possidens non tenetur restituere: ergo quando testamentum est minus solemne, cùm valdè dubium sit vter habeat melius ius in foro conscientiæ, scilicet hæres ab intestato, & institutus in minus solemni testamento, & pro vtroque sint opiniones valdè probabiles, qui prius occupauerit bona, iuuabitur possessione, melióq; ius habebit in foro conscientiæ.

7 Nota primò idem dicendum esse, quãdo hæres institutus in minus solemni testamento obtinuit bona, dubitárque probabiliter de testantis animo, & an fuerit fraus; potest enim adhuc retinere in conscientia, quia in dubio melior

Universidad de Deusto
Biblioteca



melior est conditio possidentis. Sic Burgos de Paz *ibi num.* 1482.

8 Secundò nota idem de testamento, & legatis quoad pias causas esse dicendum; si enim desit solemnitas, quam diximus suprà *dub.* 7. requiri, scilicet si duo testes desint, non tenebitur hæres ab intestato ea implere. Sic Burgos de Paz *ibi num.*1478.

9 Tertio nota idem dicendum esse de donatione causa mortis, si enim desit solemnitas iure requisita, quando ob id non transit in donationem inter viuos, iuxta dicta *dub. præcedenti*, corruit, estque inualida eo modo, quo diximus de testamento. Ratio, quia solemnitas in tali donatione requisita, cùm sit quædam vltima voluntas, & testamento æquiparetur, non est probatoria tantùm, sed essentialis, vt dixi *dub præced.* Sic contra Bald. *auth. sed nouo iure, C. si certum petatur*, dicentem valere, si constet verè factam esse, licèt desit solemnitas, tenet Matienzo *lib.*5 *recopil.tit.*10.*l.*7.*gloss.*2.*n.*8.

10 Ex dictis infertur primò, quòd si hæres in minus solemni testamento relictus habeat legata aliqua in eo testamento relicta, potest cui malit tradere, scilicet legatario, vel hæredi ab intestato; quia vterque habet ius. Sic Burgos de Paz *ibid.n.* 1514.1518.1519.1520.

11 Nota tamen, quòd talis hæres non potest retinere hæreditatẽ & nolle soluere legata, quasi vtens vna opinione, quoad retinendum hæreditatem, scilicet, quòd est validum id testamentum in foro conscientiæ, & alia opinione, quoad retinendum etiam legata, scilicet, quia non debentur relicta in minus solemni testamento. Ratio, quia sententia, quæ dicit non deberi ea legata, non ea applicat sibi, sed hæredi ab intestato. Item, quia vbi semel vult vti illo testamento tanquam valido, tenetur omnia eius legata implere, saltem vel dando legatariis, vel hæredi ab intestato, vt diximus. Sic nonnulli docti recentiores.

12 Secundò infertur, quòd si alter eorum, scilicet hæres institutus in minus solemni testamento, vel hæres ab intestato obtineat iam, & possideat hæreditatem in eo relictam, nõ potest alter propria authoritate ab eo capere illa bona, nec recompensationem sibi facere aliorum debitorum, quæ occultè debebat illi: quod ita verũ credo, vt nõ censeam probabile contrarium, quamcumque ex dictis sequamur sententiam. Ratio, quia secundùm omnes ad recompensationem requiritur, quòd luce clariùs constet de debito, in dubio enim an sit debitum, melius ius habet possidens, & in hoc casu, siue possideat hæres ab intestato, siue hæres institutus in tali testamento, non est luce clarius alteri deberi, cùm vterque habeat opinionem valde probabilẽ quod potest retinere. Sic prædicti recentiores.

13 Tertiò infertur. quòd si hærede ab intestato petente coram iudice hæreditatem in minus solemni testamento relictam, hæres in eo scriptus negaret, vel falsis testibus se defenderet, vel occultaret testamentum, tenetur eam restituere hæredi ab intestato. Ratio, quia hæres ab intestato habebat verum ius ex iustitia ad illam hæreditatem, & non per legem pœnalem, sed per legem, quæ directè concedit illi ius ad illa bona: ergo alius facit illi manifestam iniuriam impediendo illum, ne consequatur suum ius, ac per consequens tenetur illi restituere. Sic ex neotericis nonnulli docti magistri.

14 Quartò infertur, quòd si hæres institutus in minus solemni testamento possidens hæreditatem in eo relictam, esset tutor hæredis ab intestato, teneretur agere contra seipsum pro bono pupilli, sicut teneretur contra alium. Ratio, quia ex iustitia, & officio tenetur, quantum potest, procurare bonum pupilli. Vnde sanum consilium erit, vel non acceptare tutelam, vel eam renunciare, antequam adueniat hæreditas. Sic neoterici præfati.

15 Quintò infertur, quòd si quis in articulo mortis existens executori sui testamenti, vel suo hæredi dixit: Post obitum meum da Petro centum aureos ex meis bonis; non tenetur dare, nisi adsint testes in numero requisito ad testamentum nuncupatiuum, quando hæres non promisit defuncto se daturum. Ratio, quia ea vltima voluntas solemnis non est, siue sit testamentum, siue codicillus, siue donatio causa mortis. Sic Sotus *lib.*4.*de iust.q.... art.*3.*vers. tertiò arguitur*, & quidam doctus Iurisperitus, qui dixit secus esse, si hæres promisit se daturum; quia tunc teneretur dare ex contractu cum ipso defuncto inito: & idem apertè Sotus, cùm limitat, nisi hæres promisit.

16 An verò quando testator secretò reuocat legatum, vel donationem causa mortis, vel testamentum, teneatur hæres, vel legatarius, vel donatarius restituere, vide quæ dixi *dub. præcedenti, vers. sexto dico*, & *dub.*38.dicam.

17 Tandem respondetur ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum omissis multis solutionibus, dico, supposito duobus, alterum est, quòd Papa potest annullare, & mutare leges humanas in terris, quarum est dominus temporalis: alterum, quòd id, quod Papa directè respondet ad quæsitum, decernit vt Papa, quod verò subdit pro ratione, subdit vt Doctor particularis: vnde in hoc potest errare. Nunc respondetur, quòd Papa directè respondit non esse seruandam talem consuetudinem, annullauit enim ipsam, cùm sit dominus temporalis Episcopatus Hostiensis; non verò annullauit in terris, quarum non est dominus temporalis: & quod subdit, quod est contra ius diuinum, dixit vt Doctor: vnde erauit.

18 Ad secundum respondetur cum Couarr. *d. cap. cùm omnes, num.*9. quòd lex fundata in præsumptione ob defectum probationum, non obligat in conscientia; secus verò ob defectum solemnitatis essentialis.

## DVBIVM XV.

*An idem, quod diximus dubio præcedenti de testamento minus solemni circa eius obligationem in foro conscientiæ, dicendum etiam sit de contractu cum Ecclesia gesto, cui deest solemnitas iure requisita.*

1 SVpponendum est, quòd iure Pontificio cautum est, ne res Ecclesiæ sine tribus tractatibus distrahantur, & aliquibus aliis solemnitatibus. 10 *q.*2.*c.ea enim, &* 12. *q.*2.*cap. sine exceptione, & in Decretalibus tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

2 Secundò supponendum est tanquam certum, quòd contractus gestus ab Ecclesia valet, in quantum est in fauorem ipsius, ipsique vtilis, quia minor, & Ecclesia sunt pares in hoc, vt patet ex *tit. de in integ. restit. in fi.* Probatur ex *c. si qua de rebus.*12.*q.*2. Sic Nauarr. Summa Lat. noua *c.*20.*n.*12 Lat. antiqua, & Hisp. *c.*19. *n.*9. Bañes 2.2.*q.*32.*art.*7.*fol.*1178. Matienzo alios referens *lib.*5. *recopil.tit.*3.*l.*2.*gloss.*1.*n.*14. 15. Sarmiento *lib.* 3. *select. cap.* 13.*n.*2. *& de redditib.*1.*part.c.*2.*num.*16.17. Vnde inquit, quòd est in optione Ecclesiæ cum authoritate suorum administratorum stare contractui, vel non, at restituere pretium, in quantum facta est locupletior.

3 Sed dubitatur, an absolutè teneatur in foro conscientiæ alienatio facta ab Ecclesia sine debita solemnitate, quando Ecclesia re vera non est defraudata, ita vt is, in quem res illa Ecclesiæ alienata est, non teneatur in conscientia rem illam restituere, antequam in foro externo compellatur restituere.

4 Multi Doctores dicunt in hoc casu idem, quod dixerunt circa dubium præcedens de minus solemni testamento: & sic dicunt quòd talis non tenetur restituere, quia cessat fraudis præsumptio. Sic Sylu. *verbo alienatio, q.*1. 14. Ang. *ibi n.*14. Tabien. *ibi q.*8. Armil. *ibi n.*15. Ant. de Butrio, & Panorm. *c. quia plerique, de immun. Eccl.* Felin. *c.*7.*de constit.* & limitat Sylu. quando in tali alienatione interuenit authoritas, & consensus eius, qui iure gentium potest consentire, vt Rectoris Ecclesiæ, si sit solus, vel capitis cum membris, si sit collegium, licèt desint aliæ solemnitates iure Pontificio requisitæ. Et hanc sententiam dicit probabilissimam esse Petrus de Ledesm. *super question.*45.*de matri.art.*5.*f.*179.*pag.*1.*vers. secundò arguitur.* Similiter



5 Similiter Sotus 4.*de iust.q.*5.*art.*3.*vers. nunc igitur*, dicit idem, quod circa dubium præcedens de minus solemni testamento: vnde dicit, quòd si quis iusto pretio emit sine fraude bona Ecclesiæ, licèt non interueniat solemnitas requisita, potest Ecclesia tacente, possidere, & Ecclesia etiam potest bona conscientia repetere.

6 Sed dicendum est, vt benè aduertit Sarmiento *vbi infrà*, quòd longè diuersa est ratio in hoc casu, & in casu testamenti minus solemnis; quia testamentum illud habet perfectũ testatoris consensum, & secundùm ius naturale perfectum est, desuntque solæ solemnitates iuris ciuilis: at in alienatione Ecclesiæ deest consensus potentis alienare; quia cùm Ecclesia sit persona mystica, nequit præstare consensum, nisi mediante actu, voluntatéque eorum, quibus hoc explicare à iure est permissum, & eo modo, & forma, quibus est eis à iure consensum explicare permissum: & si aliter fiat sine consensu sufficienti, obligaretur Ecclesia. Item probatur ex *c. sine exceptione* 12.*q.*2. vbi dicit Leo Papa, quòd si aliter fiat alienatio Ecclesiæ, sit irrita; vnde accipiens rem ab Ecclesia per talem alienationem minus solemnem, tenetur restituere tanquam habens rem sine domini consensu. Sic Ledesma 2.4.*q.*28.*art.*1.*dub.*12.*fol.*226.*pag.*2. Anton. Gomez *l.*3. *Taur.n.*124. Innoc. *cap. quia plerique, de immunit. Eccles.* Monaldus *tit. de alienat.* Sarmiento *de redditibus p.*1.*c.* 2.*n.*2.3.4. & addit *num.*6. quòd potest retinere, donec Ecclesia restituat sibi pretium, in quantum facta est locupletior; quia licèt compensatio non soleat de specie ad quantitatem admitti, at in foro conscientiæ potest quis retinere id, quod possidet sui aduersarij, siue id species sit, siue quantitas, si is rem, vel quantitatem, quam debet, similis æstimationis non restituat: si tamen (inquit) non sit effecta locupletior, sed pecuniam perdidit, tenetur emptor in conscientia, & in foro externo rem gratis restituere. Et quòd nequeat capere pretium ab Ecclesia, nisi sit conuersum in eius vtilitatem, docent etiam Angel. & Monaldus *vbi suprà.*

## DVBIVM XVI.

*Qualiter testamentum sit vsque ad mortem reuocabile.*

1 Sit conclusio. Testamentum potest vsque ad mortem mutari, minui, corrigi, & reuocari. *c. vltima voluntas* 13.*q.*2.*c. cùm Martha, de celebr. Miss. l.*4 *ff. de admend. legat.* & plures alij sunt textus.

Nota hoc adeò verum esse, vt nulla ratione possit inueniri via, vt testamenta irreuocabilia fiant, nec pactum non reuocandi aliquid efficit, *l. cum duobus. § idem respondit. ff. pro socio*, ibi, *nec libertatẽ de supremis iudiciis restringere quis poterit. l.*25.*tit.*1.*part.*6. ibi, *Ninguno puede hacer testamento tan firme, que no lo pueda despues mudar, quando quisiere.* & tenet *ibi* Gregor. Bart. Decius, Berous, quos refert, & sequitur Molina *lib.*4.*de primog. c.* 2. *numero* 2. Burgos de Paz 2.*p.l.*3.*Tauri, n.*1223.

## DVBIVM XVII.

*An si quis iurauit se non reuocaturum testamentum, possit postea reuocare.*

1 DVplex hic iuuoluitur difficultas: altera est, an si reuocet, teneat factum, & sic secundum testatum valeat: altera, an sit periurus reuocando.

2 Circa priorem difficultatem quidam dicunt, posterius testamentum non valere, quia est contra iuramentum non reuocandi prius. Sic tenent Host. Speculator, Oldradus, Iacobus Butrio, & alij quos refert Anton. Gabriel *vbi infrà.*

3 Cæterùm certissima res est posterius testamentum valere. Ratio, quia de testamenti natura est esse vsque ad mortem reuocabile, at iuramentum non aufert hanc testamenti naturam; ergo non obstante iuramento potest reuocari. Item, quia nullum medium dari potest, vt testamentum non sit vsque ad mortem reuocabile, vt expresse habetur *l. si qua, in princip ff. de legat.* 3. & *l.* 25. *tit.*1.*part.*6. vbi etiam id docet Gregor. Lopez, & Burgos de Paz 2.*p.l.*3.*Taur. conclus.*6.*num.* 1223. Vltra authores citandos hanc conclusionem, vt certissimam docent omnes authores infrà citandi pro vtraque sententia, & Sylvest. *testamentum*, 1.*q.*12.*dict.*4. Molina *lib.*4.*de primogen. cap.*2.*num.*2. Benedictus *cap. Raynutius, de testam.* §. *testamentum*, 2.*num.*25. Armill. *verbo, testamentum, num.* 14. Tabien. *ibi, num.*12. Gutierr. *de iuram. confirmat.*2.*part, cap.*1.*num.*2.

4 Nota tamen tale iuramentum appositum in priori testamento habere vim clausulæ deregatoriæ, & sic non reuocari per secundum, nisi in ipso secundo testator reuocationem primi testamenti ponat: sicut si testator in primo testamento poneret clausulam derogatoriam ad alia futura testamenta, dicens, nolo aliud testamentum per me faciendum valere, non derogaretur per secundum testamentum, nisi in testamento secundo poneretur clausula derogatoria prioris. Sic tenent Bart. *vbi infrà num.*15. Couar. *vbi infrà n.*19. *vers. tertiò ex principali.* Ioan. Andr. Bertrand. Sozinus, & alij, quos refert, & sequitur Iulius Clarus *vbi infrà*, Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat.* §.12.*n.*23. Anton. Gomez *l.*3. *Taur.n.*96. Segura *l. filius dum in cunctate. ff. verb. oblig. vers. ex hoc infertur, & nono.* Perez *super Seguram, & lib.*5 *ordin. tit.*2 *l.*1. §. *quæro vtrum, fol.*112. Gutier. *n.*6. vbi etiam optimè defendit contra Couar. non sat esse in hoc casu clausulam generalem derogantem testamentum quibuscunque verbis conceptum, sed oportere fieri expressam mentionem iuramenti. Et quòd quando in priori testamento est clausula derogatoria futurorum testamentorum, sit necessario de illa mentio facienda, aliàs, secundum testamentum nullum erit, tenet etiam Molina *lib.*4 *de primog.c.*3.*n.*30. quod benè limitat *n.*33. quando clausula derogatoria est voluntatis, vt nolo aliud testamentum per me faciendum valere; secus si esset derogatoria potestatis, id est, volo non posse derogare; tunc enim cùm ea clausula nulla sit, quia nemo potest sibi tollere facultatem reuocandi testamentum, non est opus in secundo testamento de illa mentionem facere.

5 Secundæ difficultatis, an scilicet reuocans testamentum, quod se non reuocaturum iurauerat, sit periurus, & peccet, resolutio constat ex iis, quæ dixi *lib.*3. *summæ, c.* 12 *à n.*19. *ad* 23. *& c.*9. *à n.* 29. *vsque ad* 36. scilicet esse periurum, quia cùm possit licitè iuramentum seruare, illud violat.

## DVBIVM XVIII.

*An donatio facta in pœnam mutationis testamenti valeat.*

1 EXemplum esse potest: conficit quis testamentum, promittens se non reuocaturum, & addit hæc, si contigerit me reuocare, ex nunc dono hæc bona donatione inter viuos.

2 Sit prima conclusio: Talis donatio non valet. Probatur, quia *l. stipulatio, ff. de verb. oblig.* tale pactum reprobatur; & contra bonos mores reputatur pœnalis stipulatio contra libertatem reuocandi testamentum adiecta. Sic tenet Bart. *l. si quis, in princip. ff. de legat.*3. Iulius Clarus *lib.* 3. *recept. sentent. § testamentum, q* 95. Sylu. *testamentum* 1.*q.* 12. *dicto* 4. Tabiena *verbo testamentum, n.*12. Alexand. & plures alij, quos refert, & sequitur Couar. *rubr. de testam.* 2.*p.n.*16. & 17. Gutier. *de iuram. confirm.*2.*p.c.*1.*n.*3.

3 Nota aliquos Doctores limitare prædictam conclusionem, vt teneat verum, quando adiicitur pœna reuocationi totius testamenti, at posse adiici reuocationi certi legati. Sic Bald. Guttier. Paulus, Alex. Francus: alios item limitare, nisi fauore piæ causæ fiat, quasi apponi possit ea pœna fauore causæ piæ. Sic Iason *dicta l. stipulatio.* quos omnes refert Couar. *vbi supra.* At verius est non valere talem pœnæ appositionem, etiam fauore causæ piæ, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca



vel reuocationis certi legati, quia ratio *dicta l. stipulatio*, & lex illa etiam in his duobus casibus vim habet. Sic Carolus Molineus, quem refert, & sequitur Couarr. *ibi.*

4 Sed quid si testator talis, qui de non reuocando testamentum fidem dedit, & apposuit sibi dictam pœnam, si reuocaret, faciat, vt hæres promittat legatariis, vel fideicommissariis præsentibus, vel si sint absentes, notario eorum nomine stipulanti, præstare eis legata, vel fideicommissa in testamento relicta? an si testator reuocet testamentum, teneatur hæres ea legata in eo relicta soluere. Quòd enim teneatur, videtur, quia absolutè se ea soluturum promisit, & transierunt ea legata in vim contractus; & ita colligitur ex dictis Bartoli *l. nemo potest, circa princip. vers. contra hoc ff. de legat.* 1. quem Doctores communiter sequuntur.

5 Secunda conclusio: Probabilius est eum hæredem non teneri ea legata, vel fidei commissa in eo testamento relicta soluere, licèt soluturum se promiserit, si testator postea reuocet id testamentum. Ratio, quia hæres videtur promisisse tanquam hæres, & non de suo patrimonio; ergo si desierit esse hæres, non tenebitur ad legata. Item, quia, promissio omnis intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, at hîc est notabilis mutatio. Item, quia intelligitur, perseuerantibus legatis, at reuocato testamento legata reuocata sunt. Ita dicit Iulius Clarus *lib. 3. recept. sentent. verb. testamentum. q.* 95. sibi placere, licet postea cogitandum relinquat: & sic dicit colligi ex Bart. doctrina *l. cùm quis dedecens*, §. *qui testamento. ff. de legat. 3.*

## DVBIVM XIX.

*An ex Principis facultate testantis consensu intercedente concessa ad hoc, vt testamentum reuocari non valeat, possit testamentum irreuocabile effici.*

1 DVplex est sententia.
Prima affirmat posse, quia quòd ex pacto, & consensu testantis non possit fieri irreuocabile, est ius humanum, in quo Princeps potest dispensare. Sic tenet Archid. *c. vltima voluntas, 13. q.* 2. Bartholo. à Belenzinis *addit. ad Panor. cap. cùm Marthæ, de celebrat. miss. not ab.* 6. Decius *cap. cùm accessissent, de constitut.* Couarr. *rubr. de testam. 2. part. num.* 6. *fine.*

2 Secunda sententia probabilior negat id posse effici. Probatur tum ex dictis suprà *dub.* 6. vbi ex multis diximus non patere viam, qua testamentum effici possit irreuocabile: tum etiam, quia quòd testamentum irreuocabile sit, & confirmetur, nisi testantis morte, non est ius aliquod ciuile, in quo possit Princeps dispensare, sed est ius gentium, quod à Principe nequit auferri. Et quòd non sit ius aliquod particulare ciuile, probatur ex D. Paulo *ad Hebr.* 9. vbi probans testamentum vetus reuocabile fuisse, quia non intercessit mors testatoris, hæc ait, vbi testamentum est, mors, necesse est, intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Sic tenet latè probans Padilla *l. clari, C. de fideicomm. num.* 18. Molina *lib. 4. de primog. cap. 2. n.* 2. Baldus *cap. 1 num.* 13. *de confirm. vtili, vel inutili.* Vnde meritò Guillelmus Benedictus *cap. Raimutius, de testam. verbo testamentum. 2. n.* 25. dubitat de priori sententia.

## DVBIVM XX.

*An si quis voueat Deo relinquere in testamento mille aureos pauperibus & testamentum condat, in quo eos relinquat prædictis pauperibus, possit pœnitere, & testamentum reuocare.*

1 VIdetur non posse reuocare, quia obstat votum, quod cùm sit de re licita, obligat: sed votum fuit de legando in testamento, ita vt sortiretur effectum, ergo.

2 Sed mihi probabilissimum est posse reuocare. Ratio, quia sicut iuramentum contractui simpliciter appositum non mutat, nec alterat eius naturam, sed illam in omnibus sequitur, & sic recipit eius conditiones, subauditiones, & limitationes, quæ veniunt ex natura contractus illius, vt patet ex *lege finali. Cod. de non numer. pecun. cap. quemadmodum, de iureiur.* & ex modernis tenent multos antiquos referentes, Molina *lib. 4. de primog. cap. 2. n.* 56. Gratian. *regula* 275. Guttier. *auth. Sacramenta puberum. C. si aduersus venditorem, n.* 26. Angel. *iuramentum, q.* 1. Matienzo *dialogo 3. p. cap. 32. n.* 5. Couarr. *rubr. de testam. 2. p, n.* 10. 11. 12. *& cap. quamuis pactum, 1. p. §. 4. n.* 1. *& sequentibus.* Mieres *de maioratu 1. p. q.* 21 *n.* 9. Ita idem de voto dicendum est, quia eadem est vtriusque ratio, quando sit Deo: ergo votum hoc legandi in testamento, intelligi debet iuxta naturam testamenti, scilicet reuocabiliter, & debet pati conditionem testamenti, scilicet quòd valeat, sit tamen vsque ad mortem reuocabile. Item quia votum ingrediendi religionem intelligitur iuxta naturam, & conditionem actus, & quia ingresso datur iure canonico annus ad experiendum, tale votum intelligitur, modò in illo anno sibi grata sit religio, & si inuenit illo anno minus gratam, potest retrocedere, & censetur impleße votum: ergo similiter in nostro casu debet votum intelligi iuxta naturam testamenti, cui adiicitur. Item quia aliàs esset via, vt redderetur testamentum irreuocabile, quod negauimus suprà *dubit.* 16. verbi gratia, si quis vouisset instituere xenodochium in hæredem suum, & tale, vel tale legatum pauperibus relinquere, & testamentum nil ampliùs contineret: ecce emittendo votum esset via, qua fieret irreuocabile testamentum. Item quia adeò verum est iuramentum simpliciter adiectum contractui sequi eius naturam, vt dicat Molina alios referens, *dicto num.* 56. quòd cùm maioratus sit reuocabilis, si apponatur iuramentum simpliciter, est etiam reuocabile. Tandem, quia si apponatur iuramentum simpliciter in testamento, est reuocabile secundùm omnes; si verò apponatur iuramentum non reuocandi, est reuocabile secundùm veriorem sententiam, vt dixi suprà *dubit.* 17. ergo à fortiori in nostro casu, vbi votum apponitur simpliciter, & non apponitur votum non reuocandi. Et sic Doctores ibi pro hoc citati fauent huic sententiæ: & eam tenuit à me consultus quidam doctus Iurisperitus.

## DVBIVM XXI.

*An constituto à duobus testamento ex communi consensu, confirmetur illud testamentum morte alterius.*

1 SIt prima conclusio, constituto à duobus testamento, potest alterum pœnitere, nec confirmatur morte alterius, quoad bona superstitis, sed potest superstes quoad sua bona altero mortuo reuocare. Ratio, quia sub vna scriptura hîc duo testamenta continentur. Sic tenent Oldradus, Corneus, Pechius, quos refert, & sequitur Couarr. *rubr. de testam. 2. p. num.* 8. Tello *l.* 17. *Taur. num.* 13. Xuarez *l. quoniam in prioribus, C. de inoffic. testam.* declarat ad legem Regni *limit.* 5. *n.* 12. Burgos de Paz *l.* 3. *Tauri 2. p. num.* 1214. 1215. 1217. Molina *lib.* 4 *de primog. cap. 2. n.* 84. Padilla *l. clari, C. de fideicomm. num.* 19. Molina *tomo* 1. *de iust. tract. 2. disp.* 152.

2 Immo constituto à duobus primogenio, vt à viro, & vxore, vel ab aliis ex vtriusque patrimonio factâve melioratione, quando non fit cum conditionibus requisitis per leges Tauri, vt sit irreuocabilis facta inter viuos, potest alter quoad propria bona alio inuito, vel etiam mortuo reuocare. Hoc est contra Bologninum *consil.* 62. & Tiraquellum *quæst. de primog.* dicentes non posse altero mortuo reuocare, quia fieret illusio illi mortuo, qui ratione illius communis consensus illum actum egit, aliquin minimè acturus. Sed tenendum est posse, nec fit cuiquam iniuria, cùm notum sit omnibus eam conditionem illum actum gerere. Sic Oldradus, Corneus, Pechius, Couar. Molina *ibidem.* Tiraquell. sibi contrarius *q.* 68. *de primog.* Xuarez *ibidem num.* 14. Burgos de Paz *ibidem num.* 1215. Pater Molina *ibidem.*



3 Secunda conclusio. Testamentum, quo quis de re aliena ex licentia domini disponit, morte testantis confirmatur, etiam inuito ipsius rei domino: vnde si vir ex legitimo consensu vxoris maioratum iostituat bonis vtriusque in illud vinculum deductis, confirmatur morte viri, nec potest vxor pœnitere; quia tunc est vnicum testamentum, & sic morte testatoris confirmatur. Sic Tello *suprà num.* 14. Auendaño *l.* 17. *Taur. glossa* 4. *n.* 1. Xuarez *suprà num.* 23. Couar. *eodem num.* 8 Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 6. *l.* 1. *glossa* 1. *num.* 3. Benedictus *cap. Raymutius, de testam. verbo couidit, el* 1. *num.* 2. Iason *l. cum rem alienam, num.* 5. *C. de legatis*, Menchaca *de succes. resol.* §. 1. *num.* 11. Peralta *l.* 3. §. *qui fideicommissum. ff. de hæred. inst. num.* 57. Pechius, Rolandus, Marzarius, quos refert & sequitur Molina *ibidem.* Immo nec viuente testatore potest, qui consensum præstitit, reuocare, sed solus testator potest reuocare. Ratio, quia hoc non est testamentum præstantis consensum, sed illius qui disposuit. Sic videtur expressè sentire Tello *eo num.* 14. Hæc enim dicit, *solus consensus disponentis sufficit, alterius nihil operatur*; & expressè etiam videtur sentire Couar. *concl.* 8. hæc enim dicit: *solus vir pœnitere potuisset, si viueret.* Idem nonnulli docti Iurisperiti.

4 Sed nota primò, quòd dicta in hac secunda conclusione intelliguntur, quando quis proprio nomine testatur etiam de bonis alterius cum illius licentia; quia tunc illud testamentum est proprium ipsius testantis, secus quando testatur vt commissarius alterius, quia scilicet aliquis committit alteri, vt suo nomine testetur; tunc enim commissarius alieno nomine testatur; est-que testamentum illud committentis, eiúsque morte confirmatur, vt bene Matienzo *lib. 9. recopil. tit. 4. l. 9. glossa 1. num.* 2. Vnde ille committens potest reuocare illud testamentum: immo eo ipso quòd facit aliud testamentum post datam commissionem, censetur testamentum illud factum à commissario, reuocatum, *l. sancimus, C. de testam.* & ibi communis, vt refert, & sequitur Ant. Gomez *l.* 32. *Taur. fine.* at ipse commissarius testamentum illud à se factum non potest reuocare, vt expressè habetur *l.* 35. *Taur* quæ est *l. 9. tit. 4. lib. 5. nouæ recopil.* & sic mihi dixerunt nonnulli Iurisperiti valdè docti.

5 Secundò nota, quòd Xuarez *suprà numero* 13. dicit hæc, videtur, quòd quando licentia data fuit ei, qui proprio nomine testatur, ad testandum de omnibus bonis, & successione alterius, nil valet: sicut non valet donatio omnium bonorum præsentium, eo quòd quis auferat sibi potestatem testandi; quod similiter fit per hanc licentiam: & tandem relinquit hoc aliis cogitandum. Hæc Xuarez *ibi.*

6 Tertiò nota, quòd si vir, & vxor simul testentur, & de suis bonis maioratum instituant, vel in alia pia opera iubeant ea expendi, & vtriusque bonorum vsufructu iubeant superuenientem potiri iubeant adhuc superuiuens, licèt vsufructu potiatur per alterius mortem, potest quoad sua bona reuocare. Ratio, quia dictus vsusfructus ponitur ob mutuum amorem relictus adinuicem videtur, quam ob id, quod testamentum non immutetur, vt patet ex *l. ff. de donat. inter vir. & vxor.* & ex traditis ab Imola *cap. officiis, de testam.* Item ex eo præmortuum alteri vsumfructum concessisse censendum est, quod alius sibi ipsi quoque tributerit, *l.* 1 §. *quæ honorandæ. ff. quarum rer. non detur, & l. si ventri*, §. *finali*, & illic glossa, *ff. de privileg. credit.* cum aliis, quæ Tiraquell. congerit *l. si vnquam, verbo donatione largitus. n.* 101. 102. 103. *& sequentibus. C. de revoc. donat.* Nec in hoc fit præmortuo iniuria: quia enim est vtriusque conditio, poterat namque superuiuens prius mori, & alter potiretur vsufructu, posséque testamentum reuocare. Sic Burgos de Paz 2. *part. legis* 3. *Taur. n.* 1219. *& sequentibus vsque ad* 1230. An verò si alter doloso animo prosua parte reuocandi hoc fecit, teneatur restituere, vide *infra dub.* 36.

7 Immo licèt in ipso testamento apponeretur hoc onus, vt nequiret superueniens reuocare; & ob id fructus superuenienti relinqui, posset adhuc superueniens reuocare; quia pactum non reuocandi testamentum nil valet, vt dixi *suprà dub.* 16. Burgos de Paz, *ibi*, latè probans *n.* 1224.

8 An verò testamentum in eo casu, quo exprimitur, vsumfructum superuiuenti relinqui hoc onere, vt testamentum non reuocet, reuocans teneatur vsumfructum perceptum restituere: videtur quòd non, ex *l.* 3. *tit.* 4. *part.* 6. vbi dicitur, quòd hæreditas, & legatum relicta sub conditione de iure impossibili, debentur conditione non impleta, perinde est enim, ac si talis conditio non apponeretur, sed conditio non reuocandi testamentum est iure impossibilis, & reprobata; ergo. Burgos de Paz *ibi n.* 1228. manet dubius, & relinquit cogitandum: sed quidam admodum doctus Iurisperitus à me consultus dixit teneri restituere; quia licèt conditio impossibilis apposita in donatione, vel legato, vel hæredis institutione non annullet hos actus, quando non impletur, at apposita in contractibus annullat, §. *si impossibilis, Instit. de inutil. stipulat.* at hic fuit contractus, vt superuiuens potiretur vsufructu, si testamentum non reuocaret.

## DVBIVM XXII.

*An si duo testamenta à duobus hæredibus producantur, ab eodem testatore eodem die confecta, nec apparere possit, quod prius confectum sit, quid sit faciendum.*

1 HIc casus potest disputari stando in solo iure communi, & quid de iure Regni.

2 Stando ergo in iure communi quidam dicunt valere vtrumque testamentum, & vtrumque hæredem succedere immediatè. Sic Rofredus, & Guillelmus de Suza, quos refert Anton. Gomez *l.* 45. *Taur. n.* 147. & ibi affert aliquas leges pro hac sententia.

3 Cæterùm communis, & verior sententia tenet vtrumque testamentum propter incertitudinem corruere, & succedere hæredem ab intestato, *l. duo sunt Titij, ff. de testam. tutel.* Sic glossa Bart. Dynus, Azo, Albericus, Corneus, Iason, Curtius, Sebastianus Sapia, Alciatus, Boërius, quos refert, & sequitur Padilla *l. clari. C. de fideicomm. n.* 15. Tiraquel. *de primog. q.* 17. *opinione* 6. *n.* 5. Peralta *l. si quis in principio testamenti, num.* 86. *ff. de legat.* 3. Iulius Clarus *lib.* 3. *recept.* §. *testamentum, q.* 100. Anton. Gomez *l.* 45. *Tauri, num.* 148.

4 Hoc tamen limitandum est primò, nisi alter eorum possideret, in hoc enim dubio potior erit sua conditio. Sic Anton. Gomez *ibi n.* 149. multos referens.

5 Secundò limita, quando in vtroque testamento essent instituti hæredes extranei, secus si in aliquo essent instituti venientes ab intestato, quia illud testamentum præfertur. Item si in vno testamento esset instituta causa pia: immo, quod plus est, si in vno reperiatur legatum ad piam causam, illud præfertur, & valet. Sic Ant. Gomez *eo n.* 149. alios referens.

6 Tertiò limita, nisi ex protocollo notarij, à quo ordinatum est testamentum, appareat de posteritate testamenti, ex eo quòd posterius reperitur ibi scriptum. Sic Anton. Gomez alios referens *eo n.* 149.

7 Maius autem dubium est de iure huius Regni quid sit dicendum; nam Padilla *eo n.* 15. dicit idem esse dicendum, *& ad l.* 3. *tit.* 14. *p.* 3. *fine*, vbi oppositum videtur significari in illis verbis: *Et si ambos monstraren, que an igual derecho en los bienes del finado, ambos deuen ser metidos en possession dellos igualmente.* respondet quòd præmiserat illa lex duos hæredes habentes æquale ius, &c. non loquês de duobus testamentis eodem die confectis, de quorũ prioritate constare non possit, sed potiùs ea lex referenda est ad duos hæredes eodem testamento conscriptos, qui cùm æquale habeant ius, æquè est eis danda bonorũ possessio.

Universidad de Deusto
Biblioteca



8 Sed meliùs Anton.Gomez *eodem num.*149. dicit per iusbuius Regni *dicta l.*3. *titulo* 14. *parte* 6. corrigi communem opinionem, & approbari primam: vnde vterque hæres scriptus in illis duobus testamentis habebit pro dimidia parte hæreditatem: nec in hoc habebunt locum (inquit) limitationes positæ ad communem sententiam, scilicet, vt si in vno testamento reperiatur legatum ad pias causas, vel in eo instituantur venientes ab intestato, vel alter sit in possessione, illud testamentum præferatur; quia illud procedebat, dum non erat decisum, quod testamentum valeret, sed cùm hodie iam sit decisum, quòd vtrumque valeat, & vterque institutus sit hæres, non recipit prædicta lex Partitæ dictas limitationes: bene tamen recipit dictam limitationem, quando scilicet ex protocollo notarij apparet, quod sit posterius, illud enim præferendum est.

9 Tandem nota, quòd dubium hoc procedit in testamentis, in quibus semper posterius derogat priori, quia nemo potest cum duobus testamentis decedere, nisi miles, *l.*1.*C.de testam.milit.& §.posteriore, Institt. quib. mod. testam.infirm.* Sed diuersum ius in codicillis est, in quibus si diuersi à testatore sint facti, posteriores non derogant prioribus, *l. Diuus, versf. codicillos ff. de iure codicil. dicto §. finali, Institt.de codicil.* Si verò sint contrarij, & dissonantes, posteriores prioribus derogabunt, *l.*3.*C.de codicil.* Sic Padilla *ibi num.*16.

10 Sed contra id, quòd scilicet nemo potest cum duobus testamentis decedere, videtur *l.*34.*Taur.* quæ hodie est *l.*8.*tit.*4 *lib.*5. *recopil.* vbi dicitur, *El comissario no pueda renocar el testamento del testador, si no le dio poder especial para ello.* ergo iam testator duplici testamento decedet, altero, quod ipse fecerat; altero, quod commissarius nomine ipsius facit. Dico cum Matienzo *lib.*5.*recopil.tit.* 4 *l.*8.*glos.*1.*num.*5.& Tello *l.*34.*Taur. num.*2. quod hæc non dicuntur duo testamenta, sed vnum, vltimum enim à primo dependet, cùm testator dans alteri commissionem ad testandum, nec exprimens in commissione, vt possit reuocare suum testamentum, noluerit illud reuocare, vt expressè dicitur *in illa lege.* Vel potest dici, vt ait Matienzo *ibi*, quòd primum est testamentum, & quod fecit commissarius, est codicillus.

11 Hinc fit, quòd firmitas testamenti potest valente testatore dependere à voluntate tertij post mortem testatoris explicanda. Probatur ex *eadem l.*34.*Taur.* & *l.*8. *recopil.* vbi habetur, quòd *possit commissarius reuocare testamentum, cùm ad id potestatem acceperit à testatore.* ergo testamentum testatoris potest pendere à voluntate commissarij volente testatore. Sic Matienzo *eadem l.*8.*glossa* 2.*num.*2.

## DVBIVM XXIII.

*An quando testator in primo testamento apponit clausulam derogatoriam sequentis testamenti, si postea faciat aliud testamentum, mancat primum derogatum.*

1 SVpponendum est, quòd quando in primo testamento non est clausula derogatoria sequentis testamenti, derogatur per secundum testamentum, etiamsi de priori nulla facta sit mentio, nec ponatur in secundo aliqua clausula derogatoria priorum testamentorum. §. *posteriore, Institut. quib. mod. testam. infir.* & docent Cou. alios referens *rubr. de testam.* 2.*p. n.*1. & 2. Iulius Clarus *lib.*3.*recept §. testamentum, q.*94.& 99.*initio.*

2 At dubium est, quando in primo testamento est clausula apposita derogatoria posteriorum. Nota, quòd hæc clausula derogatoria potest dupliciter poni, primo modo derogando potestatem testandi, seu reuocandi illud testamentum, vt dicendo, nolo me posse condere aliud testamentum, vel nolo hoc testamentum reuocare. Secundo modo non derogando potestatem, sed tantùm voluntatem: vt dicendo, si condidero aliud testamentum, nolo illud valere.

3 Sit ergo prima conclusio. Quando in primo testamento apponitur clausula derogatoria potestatis testandi, seu reuocandi testamentum, reuocatur per secundum simpliciter factum, etiam nulla adhibita mentione, nec generali prioris testamenti. Ratio, quia cùm nullus possit sibi liberam testandi voluntatem auferre, aut reuocandi testamentum, vt *supra* diximus, talis clausula nil operatur, & pro non apposita habetur. Sic Bart. & multi alij, quos refert, & sequitur Iulius Clarus *dicta q.*99. §. *hoc autem*, & faretur communem Couarr. *supra* 2.*p.n.*19. § *secunda conclusio*; licèt ipse teneat cum aliquibus, quos ibi refert, contrarium: & ait idem dicendum esse in hoc casu, quod dicemus, quando est clausula derogatoria solius voluntatis.

4 Secunda conclusio. Quando est clausula derogatoria solius voluntatis, si in secundo testamento nulla clausula derogatoria est, etiam generalis, tunc primum testamentum non reuocatur. Ratio, quia præsumitur in secundo testamento defectus voluntatis. Hæc est certa apud omnes, vt refert, & sequitur Iulius Clarus *dict.q.*99. *versf. primus casus.*& Couarr. *dict.n.*19.

5 Tertia conclusio. Si verò in secundo testamento est clausula generalis reuocatoria, vt dicendo, reuoco omnia testamenta à me antea facta, quæ communiter solet apponi à notarijs in omnibus testamentis: tunc si duo, vel plura testamenta præcesserunt hoc vltimum testamentum, certum est, quòd non sat est ad reuocationem testamenti habentis clausulam derogatoriam. Ratio, quia talis reuocatoria generalis, etiamsi expressa non sit, tacitè inest ex natura actus, & sic expressa nil operatur. Sic dicens esse omnium Clarus *dict. q.*99.§. *secundum est. iuncto §.& hæc quidem.* Quando verò vnicum tantùm testamentum præcesserat, quidam dicunt sat esse talem derogatoriam generalem, quos refert *ibi* Clarus. At verius est non sat esse, sed requiri specialem derogationem, tum ob rationem dictam, tum etiam quia clausula illa derogatoria in primo testamento posita facit præsumi secundum testamentum, in quo non est illi clausulæ derogatum, esse factum potius ad suggestionem, vel voluntatem alterius, quàm ex voluntate ipsius testatoris. Sic alios referentes, & dicentes esse communem, Clarus *dict.q.*99.§.*& hæc quidem*, Couar. *dict. num.*19.§. *tertium hanc.*

6 An verò dicatur facta mentio specialis clausulæ derogatoriæ, vt censeatur primum testamentum reuocatum, quando ipsius testamenti primi nominatim, & in indiuiduo mentio fit, vt si dicat, non obstante tali testamento, quod tali die feci, vel quod feci coram tali tabellione, vel in quo talem hæredem institui, non faciendo mentionem, saltem in genere clausulæ derogatoriæ. Multi affirmant sat esse, quos refert Clarus *dict. quæst.*99. § *sed quæro*; ipse tamen benè distinguit cum aliis, quos ibi refert, & idem Couar. *dict. num.*19. *tota prima conclus. & post* 3.*conclus.* §.*quartum ex his.* aut enim clausula derogatoria in primo testamento inserta, erat simplex, vt, si fecero aliud testamentum, nolo illud valere, & tunc sat est dicta reuocatio: aut clausula non erat simplex, sed habebat aliquam specialem formam, vt, nolo aliud testamentum per me faciendum valere, nisi in eo sit posita oratio Dominica, vel aliquid aliud: & tunc non sat est dicta reuocatio nominatim, & in indiuiduo prioris testamenti, nisi etiam saltem in genere clausulæ derogatoriæ mentio fiat.

7 Quarta conclusio. Ad reuocationem talis testamenti, in quo est clausula derogatoria etiam cum speciali forma, non oportet facere indiuiduam reuocationem illius formæ, sed sat est indefinita, & generalis reuocatio clausulæ, v.g. non opus est dicere, non obstante, quod in tali testamento dixi, quòd ponatur in sequenti, v.g. oratio dominica; sed sat est dicere, non obstante quacumque clausula derogatoria, vel aliqua clausula derogatoria in alio testamento inserta. Ratio, quia tunc expressa, & specialiter derogatur prima voluntas, quod sat est. Sic Couar. alios referens *dict.num.*19.*versf.tertia conclusio.& versf.primum*, *& versf.secundum*, *& versf.quartum.* Iulius Clarius *dict.q.*99. *versf. in proposito.* vbi addit non sat esse dicere in generali, reuoco omne testamentum à me confectum, & omnia in eo contenta; sed oportet mentionem facere clausulæ derogatoriæ, saltem in communi: & dicit in hoc ferè omnes conuenire: at sufficiet sic dicere, reuoco omne testamentum, quæcumque verba derogatoria habens, vel sub quibuscumque verbis derogatoriis confectum. Sic Couar. *dicta conclus.*3. *& dicto versf.primum.*

8 Nota limitandam esse conclusionem, nisi constet ex coniecturis testantem prioris voluntatis pœnituisse: tunc enim quæcumque verba derogatoria habeat, tollitur per secundum, nulla prioris etiam generali mentione facta. Ratio, quia reuocatio prioris testamenti vtcumque facti pendet à voluntate testantis; ergo si eius voluntas ex coniecturis deprehendi potest, non erit dubia actus mutatio. Sic multi, quos refert, & sequitur Couarr. *dict.n.*19 *versf.quarta conclusio.* Iulius Clarus dicens esse communem *dicta q.*99.§.*exterum.*

9 Hinc fit, quòd si inter primum, & secundum testamentum effluxit tempus decennij, valebit secundum, licèt in eo non sit facta mentio clausulæ derogatoriæ, quia per lapsum decennij inducitur præsumptio obliuionis, & sic ex obliuione non fecisse mentionem clausulæ. Sic alios referens, & dicens esse communem Iul. Clarus *dict.q.*99.*versf. scias etiam*, contra alios, quos refert, sequitur Couar. *dict.n.*19.*versf. non ò non erit.*

10 Secundò nota, quòd si in secundo testamento esset iuramentum, quo testator iuraret hoc velle valere, vel esse suum testamentum, maneret etiam derogatum primum: quia habet iuramentum vim clausulæ specialis derogatoriæ. Sic Iulius Clarus cum aliis *dicti.q.*99.*versf. item fcias*, Cou. *dict.num.*19.*versf. prima testamenta.* subditque cum aliis contra Iasonem, hoc esse verum, etiamsi in testamento secundo nec generalis reuocatio primi fiat, dicendo, reuoco quodcumque aliud testamentum.

11 Quando verò testamentum sit inter liberos, etiamsi non habeat clausulam generalem reuocatoriam expressim ad sequentia testamenta, habet tamen tacitam, *l.*8. *tit.*1 *part.*6. & ideo quo pacto debeat per secundum reuocari, consule Couar. *dict.n.*19.*versf. sexto deducitur*, & Iulium Clarum *dict.q.*99 *fine*, & *tota q.*98.

## DVBIVM XXIV.

*An quando testator relinquit, vt consanguineis paupertibus quotannis centum aurei distribuatur vel vt in capellania succedant consanguinei, vsque ad quotum gradum protendatur hæc consanguinitas.*

1 SVpponendum est primò, quòd legatum annuum est perpetuum, *l.pennlt. & antepenult. & l.annuam, & l.annua.*§.*finali ff. de annuis legatis.*

2 Secundò supponendum est, successio ab intestato vsqque ad quotum gradum consanguinitatis protendatur: quod sequentibus conclusionibus explicatur.

3 Prima conclusio. In linea ascendentium, & descendentium non coarctatur successio ab intestato vsque ad aliquem gradum, sed vsque in infinitum succedent sibi. Sic Matienzo *lib.*5.*recopil.tit.* 8 *l.*5.*glos.*1.*n.*2. Anton. Gomez *l.*8.*Taur.n.*5.

4 Secunda conclusio, Licèt de iure antiquo in linea transuersali agnati, id est, consanguinei per lineam masculinam succedebant vsque ad decimum gradum: cognati verò, id est, consanguinei per lineam fœmininam, vsque ad sextum, vt §.*finali. Institut. de success.cognat.* hodie verò quoad hoc est sublata differentia cognationis, & agnationis, & succedunt vsque ad decimum gradum, §. *nullam, authent. de hæred, ab intest. l.*6.*tit.*13.*part.*6. & *ibi* Gregor. Lopez *versf. deceno.* Anton. Gomez *eo num.*5. Matienzo *eo num.*2. vbi multos referunt, Azebedo *lib.*5. *recopil.tit.*8.*l.*12. *initio*, Couar. *epitome de success.ab intestat. n.*11. & deficientibus his consanguineis, succedit vxor, *l.*1.*& auth. præterea, C. vnde vir. l.*6.*fine, tit.*13.*part.*6. & idem censetur dispositum de viro, quando vxor deficit ab intestato, quia vir, & vxor sunt correlatiua, & correlatiuorum est eadem ratio, & dispositum in vno ex correlatiuis, censetur dispositum in reliquo, vt latè per Euerardum *in argumento ex correlatiuis.* Sic Azebedo *dict. l.*12.*n.*3.& *ibi* Matienzo *glos.*2.*num.*2.& habetur expressè *l.*6.*fine, tit.*13.*part.*6.& deficiente marito, siue vxore, succedit fiscus, vt habetur *in legibus citatis.*

5 Nota tamen, quòd hæc successio ab intestato in linea transuersali est hodie correcta in Hispania per *l.* 9. *tit.*10.*lib.*1.*nouæ recopilat.* vbi sic dicitur: *Mandamos, que dexen à los tesoreros de la Cruzada pedir, y demandar los ab intestatos, de los que no dexan hæderos dentro del quarto grado.* vnde tantùm succedunt collaterales ab intestato in Hispania, vsque ad quartum gradum, & statim Rex.

6 Sed dubitatur circa hoc, an deficientibus his consanguineis vsque ad quartum gradum, succedat statim fiscus, & sic censeatur exclusa vxor, vel succedat statim vxor, vt de iure communi, & Partitarum succedebat. Quidam dicunt succedere vxorem, ne inducatur correctio iurium: vnde dum *l.*10.*tit.*8.*lib.* 5.*recopil.* dicitur: *Quando vno muere ab intestato, y no huuiere de linea derecha, o de transuersa, todos los bienes sean para nuestra Camara:* debet suppleri per alias leges, scilicet & deficientibus viro, & vxore, vt viteatur legum correctio. Sic Azebedo *lib.*5.*recopil.tit.*8.*l.*12.*n.*2.& *ibi* Matienzo *glos.*2. *n.* 2. Gutier. *lib.*2.*practic.q.*113. Perez *l.*20.*initio, tit.*10.*lib.*8. *ordin.pag.*371.*colum.*2.

7 At dicendum est esse excludam vxorem: nec mirum, quòd Doctores citati contrarium dixerint, quia non meminere *dict.l.*9.*tit.*10.*lib.*1. *recopil.* vbi manifestè excluditur; nam ius commune, Partitarum admittebat vxorem post consanguineos, vsque ad decimum gradum; vnde vxor non habebat ius ad successionem ab intestato ante consanguineos vsque ad decimum gradum, sed *dict. l.*9. ante dictos consanguineos post quartum gradum admittit fiscum, excludens alios consanguineos; ergo à fortiori exclusa censetur vxor: nam si fiscus vincit sex gradus consanguineorum vincentes vxorem, à fortiori vincet vxorem. Sic tenet Tello *l.* 3. *Taur.part.*3.*n.*13.*& l.*32.*n.*4. Olanus *in concordia iuris, littera V.n.*21.*& in correctione legum Part.p.*6.*n.*118.& quidam docti Iurisperiti, qui mihi dixerunt sæpè sic decisum esse in Cancellaria Vallisoletana.

8 Secundò nota conclusionem secundam intelligi, quando tractatur de successione simplici, & particulari, secus si tractaretur de successione Regni, Ducatus, vel cuiuslibet maioratus; quia tunc succedent omnes collaterales vsque in infinitum. Sic Mantica *lib.* 8. *de coniect. vlt.volun.tit.*12.*n.*37. Couar.3.*var.cap.*5.*n.*4.*versf. quintò hinc.* Molina *lib.*1.*de primog.c.*4.*n.*42. Azebedo *lib.* 5. *recop.tit.* 8 *l.*12.*initio*, & *ibi* Matienzo *l.*5.*glos.*1.*n.*3. Anton. mez *l.*8.*Tauri, n.*6. Greg. Lopez *part.*6.*tit.*13.*l.*6. *versf. deceno*, & multi, quos hi referunt.

9 Tertiò nota, quòd successio in iurepatronatus similis sit successioni maioratus, & sic potest ab vno ad aliud fieri argumentum, vt benè Molina *lib.*1.*de primog.cap.*4. *num.*10. Peralta *rub.de hæred.institit.num.*123. Anton. Gomez *l.*40.*Tauri.num.*65.*ad finem.* Padilla *rubr.de fideicom. num.*8.

10 His suppositis, circa dubium propositum initio videtur dicendum, quòd ad legatum consanguineis relictum tantùm habeant ius collaterales, qui succederent ab intestato; cæteri verò omnino, vt extranei reputentur, vt expressè docent multi Doctores, nempè Tiraquel. *de retractu lignagier.*§.1.*glos.*9.*n.*24. Mantica *de coniect. vlt. voluntat.lib.*8.*tit.*12.*n.*37. Cephalus *consil.*386.*n.* 18. *vol.* 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

Paulus de Castro *consil.383.num.3.volum.1.* Alciatus *de verb.signif.l.pronunciatio*, quæ est 195.*vers.neptes,& vers. agnatorum, ad finem,& consil.31.num.42.lib.9.& consil. 50.num.9.& consil.72.num.3.&* 4. Patisius *consil.51. num. 78.volum.2.* Decius *consil.321.n.2.& 3.& consil.323.fine*; vbi omnes hi hæc verba dicunt, Legatum, vel fideicommissum propinquis, vel consanguineis relictum, iis tantùm intelligitur relictum, qui vocantur de iure ciuili ab intestato ad successionem, scilicet vsque ad decimum gradum. Hæc hi Doctores. Et aduerte, quòd licet aliqui, vt Paulus de Castro, dicant vsque ad septimum gradum: at id dicunt, quia intelligebant successionem tantùm vsque ad septimum gradum protendi: & sic omnes hi Doctores dicunt, & assignant pro regula gradum, ad quem extenditur successio iure ciuili, quicumque ille sit. Et sic explicat Mantica. Ad idem sunt Bald.*cons.334. num.3 volum.3.*& Anchar.*cons.95.num.4.* vbi hæc verba dicunt, Propinqui simpliciter, & absolutè loquendo illi sunt tantùm, qui vocantur de iure ciuili ad successionem ab intestato. Pro eadem sententia facit, quia docet Tiraquell. cum multis, *de retractu lignager. §.1.gloss.9. num.23.* vbi dicit leges concedentes consanguineis retractum ratione sanguinis, intelligi de consanguineis vsque ad eum gradum, in quo de iure ciuili succedunt. Pro eadem sententia facit, quod *cap.postremo,de appellat.* dicitur posse iudicem consanguineum alicuius partis ab altera recusari: quod licèt quidam intelligant de consanguineo intra quartum gradum, vt refert *ibi* Hostiens. & *ibi* Innoc. sub disiunctione ponit hanc sententiam, vel communem, quam mox explicabo. Alij verò, & est communis sententia, dicunt intelligi vsque ad eum gradum, vsque ad quem durat successio ab intestato, scilicet vsque ad decimum gradum. Sic glossa *ibi vers.consanguineus*, & *ibi* Immola *num.3.* Host. & Innoc. *ibi*, & *ibi* Henricus *num.5.* Greg. Lop. *l.9.tit.4.part.3.vers.compana*, Bart. & communiter Doctores *l.qui iurisdictioni ff. de iurisd. omn.iudic.* licèt ab hoc discrepent Anchar. *dict.cap.postremo,num.3.* & *ibi* Ioan. Andr. *num.8.* Panor. *ibi num.4.* Neuo *ibi num.24.* dicunt enim attendendam esse consuetudinem loci, vsque ad quem gradum durat affectio, & cessante consuetudine in his, qui sunt de eadem stirpe masculina, admittitur recusatio indifferenter; quia propter idem cognomen semper durat affectio inter eos, in reliquis verò tenet verum sententia communis posita.

11 Sit tamen prima conclusio: legatum consanguineis relictum debetur consanguineis in quocumque gradu, si sint ex ascendentibus, vel descendentibus testatoris. Probatur, quia iuxta omnes Doctores citatos debetur consanguineis in eo gradu, in quo succeditur ab intestato; at in hac linea durat in infinitum successio; ergo. Sic tenuerunt nonnulli valdè docti Iurisperiti, quos ego consului. At dubium est de collateralibus.

12 Secunda conclusio; quando agitur de successione in iure patronatus, vt si testator vocet consanguineos ad ius patronatus, & iis deficientibus, extraneos, præferentur consanguinei etiam collaterales in quocumque gradu. Ratio, quia, vt dixi, in maioratibus id est certum, &, vt dixi, in patronatu succeditur vt in maioratu, adeò vt ab vno ad aliud argumentari liceat. Sic præfati Iurisperiti.

13 Tertia conclusio. In legatis temporalibus relictis consanguineis: vt si quis leget mille aureos inter consanguineos distribuendos, est verum non habere ius ad talia legata, nisi consanguineos intra eum gradum, intra quem succederent ab intestato iure ciuili. Patet ex omnibus Doctoribus citatis, qui ad minimum in legatis temporalibus intelligendi sunt. Et sic dixerunt esse certum Iurisperiti prædicti.

14 Maius autem dubium est, quando legatum esset perpetuum, vt legatum, vt quotannis dentur centum aurei consanguineis: nam quidam doctus Iurisperitus dixit in legatis perpetuis non esse intelligendam doctrinam Doctorum, quos suprà citaui, sed necessariò præferendos esse consanguineos collaterales, in quocumque gradu sint, extraneis. Ratio est ex præsumpta voluntate testatoris, cùm enim velit legatum esse perpetuum, & norit consanguinitatem intra gradum successibilem non durare in perpetuum, censendus est velle in hoc casu consanguinitatem durare in perpetuum.

15 At maximè dubito de hac doctrina. Primò, quia Doctores citati expressè loquuntur generaliter de legato, & fideicommisso, & in nullo eorum, cùm omnes ocularim viderim, inuenio, quòd innuant restringi ad legatum temporale. Secundò, quia Mantica *de coniectur.vltim. volunt.lib.8.tit.12.num.37.* expressè loquitur de legato, & fideicommisso perpetuo; hæc enim dicit: *Fideicommissum relictum consanguineis non debet extendi vltra decimum gradum, in quo successio iure ciuili restringitur, nisi alia sit voluntas testatoris, qui velit fideicommissum esse perpetuum, & in infinitum protendi gratia conseruandæ agnationis.* Ecce quàm clarè tantùm excipiat fideicommissum perpetuum, non qualitercumque, sed quod fit ad conseruandã agnationem: quod est instar maioratus, & sic aperè vult testator successionem esse perpetuam. Et apertiùs hoc sentit Mantica *ibi*, nam referens sententiam Couar. *3.var. cap...num.4.vers.quinto*, vbi hæc dicit; quidam censent fideicommissum ita à testatore relictum familiæ, vt deferatur proximiori masculo gradatim, esse intelligendum in his proximioribus, qui ad intestati successionem iure ciuili admittuntur: sed æquissimè defendi potest contrarium inspecta testatoris voluntate, simul & considerata hac communi horum fideicommissorum interpretatione. Hæc Couarr. Et relata hac sententia dicit Mantica *ibi num.38.* nisi hæc voluntas testatoris verbis testamenti, vel legitimis coniecturis concipi possit, non puto recedendum à communi interpretatione. Hæc Mantica *ibi*. Ecce quàm clarè loquitur de legato, vel fideicommisso perpetuo. Tertiò, quia multi, quos refert Mantica *eodem lib.8.tit.2.num.21.vers. rursus*, dicunt, quòd licèt testator velit aliquid perpetuò in sua familia remanere, at *familiæ* nomen non egreditur quartum gradum. Et licèt Mantica, & alij, quos refert, impugnent hoc, dicentes, familiam extendi in infinitum, sicut & descendentes: at consanguinitas, vel propinquitas in transuersa linea, vt iam habemus ex multis Doctoribus, quòd non egreditur gradum, ad quem protenditur successio. Ecce quàm clarè loquuntur hi in legato perpetuo.

16 Ideo mihi videtur sic distinguendum: quando taliter legatum est perpetuum, vt perpetuitas cadat super consanguineos, & non super extraneos, credo esse veram sententiam prædicti Iurisperiti, scilicet, quòd debetur consanguineis etiam collateralibus in perpetuum, vt si testator leget, vt dentur quotannis centum aurei suis consanguineis, vel instituat capellaniam iubens ad eam præsentari suos consanguineos. Et in hoc etiam approbo sententiam Couarr. proximè citati. Ratio est ex præsumpta voluntate testatoris, cùm enim velit legatum esse non tantùm in se perpetuum, sed etiam perpetuum inter consanguineos, cùm nullos alios vocet, manifestè vult perpetuam esse hanc consanguinitatem. At verò quando taliter legatum est perpetuum, vt perpetuitas non cadat super consanguineos, sed in aliis saltem talis perpetuitas, tunc credo non deberi consanguineis collateralibus in perpetuum, sed illis tantùm, qui iure ciuili vocantur ad successionem ab intestato: & in hoc conuenio cum Doctoribus citatis dicentibus legatum relictum consanguineis, tantùm deberi iis, qui succedunt iure ciuili ab intestato, vt si testator relinquat mille aureos dandos pauperibus quotannis, & quòd præferantur consanguinei; quia in priori casu citò euaneisceret legatum, & esset caducum, si non vocarentur consanguinei in perpetuum; citò enim deficerent consanguinei,



consanguinei, qui succedunt ab intestato, & cùm non vocentur alij, redderetur legatum caducum: quod est contra voluntatem testatoris, quia eo ipso quòd legauit aliquid annuum, censendus est legasse in perpetuum: at in posteriori casu perpetuitas non cadit super consanguineos, & ipsis deficientibus non redditur caducum legatum, cum vocentur quicumque pauperes: vnde non est clara coniectura, quod testator vocauerit consanguineos collaterales in perpetuum: & sic standum erit communi Doctorum interpretationi sentientium tantùm comprehendi, qui succedunt ab intestato, secundùm ius ciuile.

17 Et nota, quòd cùm hi Doctores dicant nomine consanguineorum tantùm comprehendi eos, qui secundùm ius ciuile admittuntur ad successionem ab intestato, & in Hispania, vt dixi, tantùm admittantur vsque ad quartum gradum, & hoc secundùm computationem graduum, vt computat ius ciuile, vt docent omnes doctores citati, & specialiter Alciatus *loco citato*, successio enim est ciuilis, sit vt secundùm doctrinam citatam intelligatur tantùm consanguinei collaterales vsque ad quartum gradum, vt computat gradus ius ciuile, iuxta quod est quartus gradus, qui est secundus iure canonico. Et sic tenuit quidam doctus Iurisperitus.

18 Tandem notanda est resolutio huius casus, de quo consultus fui. Quidam testator patronatum reliquit, iusitque certum redditum quotannis distribui pauperibus, ita vt consanguineæ famulæ, aliue fœminæ testatoris coniunctæ tribui non posset, ne ob affectionem patronus inquireretur. Dubitatur, vtrùm consanguineæ vltra quartum gradum, secundùm computationem ciuilem, vt.g. consanguineæ patroni in secundo gradu secundùm ius canonicum tribui hic redditus possit; videtur enim, quòd sic, ex doctrina traditarat credo non posse ex præsumpta testatoris voluntate, sicut etiam posset recusari iudex in tali gradu coniunctus, non obstante doctrina citata Doctorum; quia cùm hoc in affectionis, & passionis præsumptione fundetur ob consanguinitatem, & in hoc gradu permaneat, mihi videtur computandum esse vsque ad decimum gradum, vt est de iure communi, & peritatum, quia vsque ad illum censetur durare affectio. Sic Iurisperitus præfatus.

## DVBIVM XXV.

*An testamentum, quod fecit pater, non habens liberos, validum sit quoad omnia legata, si diu superuixit, nec reuocauit, nec confirmauit, cum posteà liberos habuerit.*

1 NOta iure certissimum esse, quòd quando pater præterit filium, vel ipsum absque causa exhæredat in testamento, testamentum est nullum, quoad hæredis institutionem; at validum est quoad reliqua. Et sic valebunt legata, quæ pater potuit in præiudicium filiorum prælegare, *auth.ex causa,C.de liber.præterit.l.fin.tit.8. part.6.*, quod hodie per *l.24.Taur.* quæ est *l.8.tit.6.lib.5. nouæ recopil.* ampliatum est, vt etiam melioratio in tertio, & quinto valeat. Et ratio huius est, quia pater voluit, vt testamentum illud valeret, in quantum potuit, & in quantum potuit, voluit exhæredare filios: ergo in illa parte, in qua potuit, valebit; non potuit autem in hæredis institutione; sed tantùm in legatis (in nostra Hispania in quanta parte, in aliis autem regionibus iuxta illarum leges;) ergo.

2 Secundò nota hoc certissimum esse, quando pater scienter præteriit, vel exhæredauit filium absque causa sufficienti. At quando ignoranter, vt si ignorauit se filium habere, v.g. posthumum, quia dum obiit, ignorabat mulierem esse grauidam, vel obiit longè distans ab vxore, & ignorabat habere filios, est grauis difficultas.

3 Duplex est sententia celebrior, inter alias, quas latè refert Tiraquel. *l.si vnquam,C.de reuoc.donat. verbo, donatione largitus.à num.250.*

Prima dicit adhuc valere legata. Ratio, quia cùm donatio statim, ac fit, sit irreuocabilis, si non reuocaretur natiuitate filiorum, nullum aliud superesset medium, vt reuocaretur, ne filiis postea natis præiudicium inferret: at legatum cùm sit reuocabile vsque ad mortem, si non reuocetur natiuitate filiorum, medium superest ad sui reuocationem, scilicet, vt pater reuocet in alio testamento: ergo statutum, vt donatio reuocetur natiuitate filiorũ, quos pater tempore donationis non cogitabat, non extendendum est, vt procedat in legatis. Hanc tenet Perez *lib.5.ordin.tit.2.l.1.fol.82.vers. Quæro vtrum legat.* & videtur sequi Gregor. Lopez *l.fin.tit.8.part.6.vers. desheredado.* Idem Accurs. sibi contrarius, Paulus de Castro, Immola, Aretinus, Bald. Raphaël Fulgosius, quos refert Tiraquell. *suprà num.262.*

4 Secunda sententia multo probabilior est, quòd reuocentur, nec valeant talia legata, quando pater ignoranter fecit. Ratio, quia legatum est donatio quædam, *l.legatum, ff. de legat.* 2. sed donatio reuocatur natiuitate filiorum, *l. si vnquam, C. de reuocat. donat.* ergo. Item, quia donatio maiori firmitate nititur, cùm statim fiat irreuocabilis, quàm legatum, quod est reuocabile vsque ad mortem; sed illa reuocatur, &c. ergo. Item, quia etiam legatum reuocatur ex præsumpta testatoris voluntate, vt dicemus infrà agendo de legatis; sed hic est præsumpta voluntas: ergo. Item, quia ideo non reuocantur legata, vt dixi *notab.1.* quia pater voluit valere testamentum, in quantum potuit, cùm sciens, & prudens filium præterierit; sed quando ignoranter præterit, non est præsumendum, magis dilexisse extraneos, quàm filios, & sic hos voluisse legatis priuare, cùm ignorantia tollat voluntarium: ergo in hoc casu non valebunt legata. Sic tenent Castillo *l.24.Taur.num.58.* Iulius Clarus *lib.3.recept.sententiar.§. testamentum,quæst.46.&* 52. Matienzo *lib. 5.ordin.tit.6 l.8 glossa 1. num 5.* Antonius Gomez *l. 24. Taur.num.6.* Gratian. *regula* 278. Bernardus Diaz *regula* 56. Bart. & Iason. *dicta auth.ex causa.* Petrus, Iacobus, Ripa, Fortunius Garcia, Oroscius, Paulus de Castro, Alex. Barbatius, Roman. Cardin. Anan. quos refert *ibi* Gratian. Anton. Gabriel *2.tomo communium,lib.10. fol.9. verbo legatum.* Accurs. Azo, Iacobus de Butrio, Raynerius, Oldradus, Cynus, Albericus, & plures alij, quos refert Tiraquel. *suprà verbo donatione largitus,n.260.* Idem Mantica *de coniect.vltim.volunt.lib.12.tit.2. num.30.* Guillelmus Benedictus *cap.Raynutius, de testam. §.in eodem testamento relinquens,el 1.num.232.* Et hæc est communis sententia.

5 Nota primò hanc sententiam habere verum etiam in legatis piis, ea enim non valent, quando filius ignorantèr est præteritus. Sic Bart. *l.1.C.de sacrosanct.Eccles. n.59. dicta auth. ex causa, numero tertio & sexto.* limitans, nisi sint talia, quæ testator verisimiliter relinquisset, etsi de liberis cogitaret, iuxta limitationem, quam statim ponam.

6 Secundò nota, quòd hæc sententia habet duas limitationes.

Prima est, vt intelligatur in legatis tam magnis, quæ testator verisimiliter non reliquisset, si de liberis cogitasset; secus in paruis, quæ etiamsi cogitasset, fecisset. Ratio, quia hæc legata reuocantur ex præsumpta voluntate; ergo tantùm iuxta præsumptam voluntatem reuocantur. Sic Bart. *l.filio præterito ff. de iniusto testam.* Baldus *dicta auth.ex causa*, Paulus de Castro, & Corneus, *ibi*. Iason *ibi num.6.* Franciscus Aretinus, Barbatius, Socinus, quos refert, & sequitur Tiraquel. *dicta l.si vnquam, verb. omnia vel partem, num.25.* Mantica *vbi suprà n.30.* Guillelmus Benedictus *num.233.*

7 Aduerte arbitrio iudicis relinqui, an ea sint legata, vt testator, fecisset, licèt de liberis cogitaret: qui considerabit quantitatem rei, & qualitatem personarum, scilicet legantis, & legatarij, & an sint coniuncti, necne, & in quo gradu, & an vnum tantùm, vel plures liberos

Universidad de Deusto
Biblioteca



suscepit post ea legata; minus enim præsumitur quod daret, qui plures liberos habet. Sic Iason *dicta auth. ex causa, n.6.* Angel. Paulus à Castro, Barbatius, & alij plures, quos refert, ac sequitur Tiraquel. *d. verb. omnia, vel partem, n.28. 29. 30.* Guillelmus Benedictus *n.233.*

8 Secunda limitatio est, quando testator nullum alium filium hæredem instituit, & legata reliquit, sed si aliquem filium hæredem instituerit, & legata reliquerit, licet alium filium ignoranter prætericrit, at legata debebuntur; quia sicut vnum filium, quem instituit, grauauit legatis, sic verisimile est ita facturum, si de alio, quem præteriit, cogitaret, *l. Titius, §.1. ff. de liber. & posthum.* & *ibi* Bald. Guillelmus Benedictus *dict. n.233.* Alexand. *dict. auth. ex causa.* Sed Iason *ibi num.6*, dicit hanc coniecturam esse periculosam; quia minus præsumitur legaturum patrem habentem plures filios, quàm habentem vnicum: vnde credo standum esse arbitrio prudentis iudicis, an si cogitasset de illo filio, tot legasset.

9 Sed adhuc difficultas manet in nostro casu, quia hic pater diu superuixit, postquam liberos habuit, necreuocauit ea legata, cùm potuerit: vnde dubium est, an hoc censendum sit tacita voluntas confirmandi dicta legata, & sic valeant.

Duplex est sententia.

10 Prima ait, in hoc casu valere legata propter rationem dictam. Sic Bellamera, Paulus à Castro, Roman. Alexand. Corneus, Barbatius, Decius, quos refert Tiraquel. *supra, verbo, si quis aliquem liberos, num.212. 213. 214.* Mantica *supra num.31.*

Secunda sententia omnino tenenda docet adhuc in hoc casu reuocari legata. Probatur, quia esto testator hoc voluisset in eo medio tempore, hæc voluntas non fuit legitima, nec facta solemni numero testium: & sic est nullius momenti. Item sæpe non reuocant, quia non aduertunt, vel quia differunt condere testamentum vsque ad mortem, & tunc vel obliuiscuntur, vel sæpè non habent testandi locum. Item probatur ex *l. filio, §. Seia. ff. de adim. legat.* vbi habetur, quòd si quis in testamento legauit alicui, & pòst superuenere inimicitiæ inter testatorem, & legatarium, per quas tacitè reuocatur legatum, & postea superuixit testator, & fecit codicillum, in quo non reuocauit legata, adhuc manent reuocata, & non debentur. Et ratio est, quia cùm semel annullata fuerint, oportet, vt expresè firmentur, vt sint valida: ergo similiter in nostro casu, cùm natiuitate filiorum fuerint reuocata legata, & postea non fuerint expresè confirmata, reuocata manebunt, & fortiori ratione in nostro casu, quia dictus pater non fecit testamentum, vel codicillum post filiorum natiuitatem. Sic tenent Gratian. Iason, Bernardus Diaz *supra*, Batt. *consil.* 210. 235. Ang. *ibidémque erit*, quam legit cum *l. qui iure ff. de milit. testam.* vbi dicit ita consuluisse Collegium Perusinum, Franciscus Aretinus, & alij, quos refert, & sequitur Tiraquell. *dict. l. si vnquam, verbo suscepcrit liberos num.* 220. Guillelmus Beredictus *supra §. in eodem testamento reliquens, el 1. num.233.* Iulius Clarus *supra quæst.46.*

## DVBIVM XXVI.

*An si possessor maioratus, qui in illo successit tempore, quo erat habilis, & vocatus ad illum, incurrat postea aliquod impedimentum excludens a successione maioratus secundum illius institutionem, illum amittat, vel possit adhuc illum retinere.*

1 IN institutione cuiusdam maioratus Hispaniæ habetur hæc clausula: *Ita sit, & esse intelligatur, non esse, nec fore vocatos ad hunc maioratum, nec ad succedendum in illo eos, qui fuerint Religiosi, aut Sacerdotes, aut alicuius ordinis impedientis, ne possint contrahere matrimonium.* Supposita igitur hac clausula, est præsens dubium, an si Petrus, v.g. antequam haberet aliquod impedimentum ad contrahendum matrimonium, successit in hoc maioratu, & illum possidet, postea verò recipiat ordinem sacrum, amittat maioratum, vel possit adhuc illum sibi retinere.

2 Ratio dubitandi est, quia clausula dicit, *fuerint Religiosi, aut Sacerdotes*, & verbum, *fuerint*, cùm sit de futuro, reddit hunc sensum, scilicet, quòd ille, qui in quocumque tempore futuro fuerit Sacerdos, &c. Item quia hoc intendit ratio à testatore allata, quæ cùm sit expressa in testamento, est finalis, quatenus asserit se non vocare ad hunc maioratum Religiosum, aut Sacerdotem, quia non possunt contrahere matrimonium, quæ ratio æquè militat in eo, qui ordinatur, postquam successit in maioratu, ac tanquam in illo succederet. Et denique quoniam ad hunc maioratum omnes videntur esse vocati sub conditione, scilicet, si non habuerint ordinem impedientem matrimonium.

3 Sit tamen conclusio. Bene potest iste retinere primogenium, licèt ad sacrum ordinem promoueatur, postquam in primogenio successerat.

Probatur primò, quia de iure communi, & Regni Clerici possunt succedere in quouis primogenio, vt tenet alios allegans Molina *lib.1. de primog. cap.13. n.96. 97.* Anton. Gomez *l.40. Taur. n. 66.* ergo cùm hæc clausula primogenium instituens sit correctoria iuris communis, & Regij, restringenda est: cùm ergo tantùm dicat, *non succedat, qui fuerit ordinis sacri*, non est extendenda, vt qui legitimè successit, si postea Clericus fiat ordinis sacri, amittat primogenium: sed hic casus tanquam omissus, dispositioni iuris communis relinquendus est, *l. commodissimè ff. de liber. & posthum.*

4 Secundò probatur, quia qualitatem sat est adesse tempore per institutionē requisito, scilicet initio successionis, & si semel qualitas illa adfuerit tempore requisito, licèt postea deficiat, non vitiatur actus, *l. sciendum, §. fin. ff. qui satisd. cog.* vbi si semel quis excusatur à cautione, quia tempore incepti iudicij immobilia possidebat, licèt durante iudicio alienauerit, non cogitur denuò satisdare: & tamen qualitas, quæ aderat tempore incepti iudicij, defuit facto, & volùtate personæ, in qua requirebatur: & ita in simili tenent plures Doctores: licèt enim causæ Ecclesiasticæ committi non possint, nisi personis in dignitate constitutis, vel canonicis, per *cap. statutum, de rescriptis in 6. §. sancimus*, tamen si tempore commissionis causæ erat canonicus, sufficit, licèt postea desinat esse, vt docet *ibi* glossa, *vers. Canonicis, & ibi* Dominicus, Francus *ibi §.1. num.8.* Anchar. *ibi q.4.* & omnes scribentes, Panor. *consil.9.* Paulus de Castro *consil.319.* Federicus *consil.32.* Rota *decis. antiq. tit. de rescript.* Bald. *l. generaliter, C. de Episcop. & Cler.* Præterea in alio simili docent nostram conclusionem alij Doctores, scilicet Ripa *l. ex facto ff. de vulgari, n.40.* vbi dicit; quòd stante statuto, quòd fœminæ extra territorium matrimonium contrahenti non possit aliquid legari, si tamen aliquid legetur ante matrimonium existenti in ciuitate; obtinebit legatum, etiamsi postea extra territorium contrahat matrimonium: quia post actum perfectum non reuocatur acquisitio, licèt res deueniat ad casum, à quo incipere non potuit, per *l. sic Gaudentius, C. de contrahen. empr.* & notant Batt. & alij *l. si si pluribus, §. & si placeat, ff. de verb. obligat.* & resoluit optimè Corrasius *l. si pro parte, in princip. n.9. de seruit.* Et de iudice habetur casus *in l. cæcus. ff. de iudic.* vbi dicitur, quòd licèt cæcus non possit esse iudex, tamen si prius fiat iudex, quàm sit cæcus, non amittit officium propter cæcitatem postea interuenientem. Item Paulus de Castro, Baldus, & plures alij, quos refert, & sequitur Tiraquel. super *l. si vnquam, C. de reuoc. donat. vers. Suscepcrit liberos n.189.* docet relictum mulieri sub hac conditione: *si vidua erit*, deberi, si semel fuerit vidua, licèt in viduitate non perstiterit, per *l. finalem, C. de indict. viduit.* Et ratio est, quia sat est conditionem vno, primóque actu impleri, erit non duraret, *l. hæredibus, in princip. ff. ad S.C. Trebell.* Quam doctrinam egregiè, & plura inferens, pluréque Doctores referens, docet Tiraquel. *loco citato à n.187.* per plures numeros: & in regula super *l. boues. §. hoc sermone ff. de verb. signum. n.18.*



*num.118.* Molina *lib.3. de primog. cap.10. num.8.* Item quia excommunicatus irregularis, & suspensus incapaces sunt recipiendi beneficium Ecclesiasticum: at si hæ censuræ superueniant post acquisitionem beneficij, non amittitur, vt dicitur in materia de censuris, & beneficiis.

5 Tandem probatur, quia quando alicui ius quæritur ex alicuius causæ existentia, non est eo iure priuandus, licèt causa defecerit, *l. post mortem, §.1. ff. de bonor. possess. contra tabul.* Et hinc est, quòd in maioratibus, in quibus non potest succedere fœmina, quando datur masculus, si postquam defectu masculi successit fœmina concipere-tur, & nascereturmasculus, qui si tempore vacationis maioratus esset conceptus, illam excluderet, nullo modo illam excluderet, si concipiatur, & nascatur, postquam fœmina in maioratu successit, vt per plura tenet & resoluit Molina *lib.3. de primog. cap.10.* insuper conclusionem postram tenuerunt plures Iurisperiti huius Cancellariæ Granatensis.

Ad argumenta in oppositum respondetur.

6 Ad primum quòd illa qualitas, scilicet, quòd *fuerit Sacerdos*, limitatur per verbum illud, *non succedat*, quia qualitas adiuncta verbo debet restringi, & limitari secundùm tempus verbi, à quo regulatur, *l. in dilectis, §. si extraneum, cùi vulg. ff. de noxali.* Et ita vult dicere, quòd qui fuerit Sacerdos tempore, in quo successurus est, nō succedat.

7 Ad secundum nego esse eamdem rationem: nam qui ante successionem erat Sacerdos, seu ordinis sacri, non poterat contrahere matrimonium, & iam erat exclusus per clausulam: at qui postquam successit in maioratu, ordinatur, poterat contrahere matrimonium tempore quo successit, & ita non est exclusus per clausulam.

8 Ad tertium nego esse conditionalem clausulam, sed est absoluta, & tantùm petit, vt tempore successionis non sit successurus Clericus ordinis sacri.

## DVBIVM XXVII.

*An si quis ab intestato decedat, teneantur eius successores quintum bonorum pro eius anima expendere.*

1 HAc in re aliqua sunt certa apud omnes.

Primò certum est, quòd si quis non constituat hæredem, nec det potestatem commissario (id est, ei, cui dat potestatem pro se testandi) constituendi hæredem, nec explicuit ad quid daret potestatem, talis commissarius, cui absolutè est data testandi potestas pro defuncto, tantùm potest soluere debita defuncti, & deducto ære alieno, ex bonis, quæ supersunt, potest dare solùm quintum in opera pia pro anima defuncti, si defunctus habeat consanguineos, qui succedunt ab intestato, & tales succedent in residuo bonorum: si verò tales consanguineos non habeat, debet commissarius dare vxori, quod secundùm leges Hispaniæ ad ipsam pertinet, & residuum tenetur expendere pro anima defuncti: sic enim habetur expresè *l.32. Taur.* quæ hodie est *l.6. tit.4. lib.5. nouæ recopil.* per quam in hoc regno Hispaniæ corrigitur *cap. cum tibi, de testam.* iuxta quod is, cui datur commissio ad testandum pro defuncto, tenebatur omnia eius bona in pias causas expendere. Sic notat Couar. *dict. cap. cum tibi, n.10.* Ant. Gomez *l.32. Taur. n.1.* Matienzo *lib.5. ordin. tit.4 l.6 gloss.3. num.4.*

2 Nota primò, quid sit hoc, quod relinquendum est vxori? Dic quòd dos, arrhæ, & sponsalitia largitas, vt *l. 1. 2. & 4. tit. 2. lib.5. nouæ recopil.* & dimidia pars bonorum constante matrimonio acquisitorum, *l.2. & 3. tit.9. lib.5. eiusdem recopil.* Matienzo *dict. l.6. gloss.5. num.1.* Castillo *l.32. n.10. vers. le puede.* Item lectus quotidianus; hic enim debetur vxori, iuxta *l.6. tit.6. lib.3. legum fori.* Castillo *ibi.* & nota quòd hic lectus quotidianus si sit sericus, vel pretiosus, qui non conuenire videatur statui vidui, vel viduæ, non debetur vxoti, mortuo viro, vel vito, mortua vxore: sed debetur lectus decens statui vidui, vel viduæ, vt ex multis latè probat Gutierr. *lib.2. quæst. practic. q.93.*

An verò si vxor sit pauper, scilicet non habens vnde alatur, debeat in hoc casu ei relinqui quarta pars bonorum mariti. Matienzo *dict. l.6. gloss.6. num.2.* negat: at posset (inquit) commissarius ei dare, sicut reliquis pauperibus. Ratio, quia hæc quarta pars non debetur vxori, quando vir facit testamentum, sed quando decedit intestatus: at in hoc casu non decedit intestatus, cùm commissarius ipsius nomine testetur. At verius est deberi talem quartam, quia hæc quarta debetur vxori pauperi, iuxta *Auth. præterea, C. vnde vir, & vxor. & l.6. tit.13. p.6.* non tantùm quando vir decedit ab intestato, sed etiam quando decedit testamento facto, vt benè notat Gregor. Lopez *ea l.6. vers. non dexasse*, qui in tota illa lege optimè tractat quando æqualiter hæc quarta viro, vel vxori debeatur. Sic Castillo *dict. num.20.*

3 Hinc fit, quòd licèt deficientibus consanguineis succedant sibi inuicem ab intestato vir, & vxor, & si non sint coniugati, succedat fiscus, *l.1. & 4. C. de bonis vacant. lib.10. & l.1. §. diuus. ff. de iure fisci, & l.6. tit.13. part.6.* at in præsenti casu excluduntur, quia in hoc casu vir non decedit intestatus. Matienzo *dict. l.6. gloss.5. n.2. & 3.*

4 Secundò nota, quòd aliqui limitant primum dictum certum ex *l.32. Taur.* quatenus ait posse commissarium disponere in opera pia quintum extantibus consanguineis, vt procedat quando consanguinei sunt transuersales: si enim sint ascendentes, vel descendentes, non poterit expendere quintum pro anima; quod colligunt ex *l. 36. & 37. Taur.* Sic Tello *l.32. Taur. n.10. & l.36. n.4.* Gutierrez *lib.2. quæst. pract. q.44 & 47.* Azebedo *lib.5. recopil. tit.4. l.6. n.28. 29.* notat Azebedo *ea l.6. n.31. 32.* quòd totum quintum non potest expendere, licèt tantùm reliquerit transuersales, vel hæredem extraneum; quia verbum, *pueda*: positum in ea lege dicit arbitrium boni viri, & sic tantùm potest expendere, quod bonus vir arbitrabitur, attenta qualitate defuncti, & bona eius vita, & regionis vsu, & ascendentibus, vel descendentibus, quos reliquit, modò non excedat quintum. Cæterùm etiam in hoc casu tenendum est posse expendere quintum pro anima: quia *d.l.32. Taur.* loquitur vniuersaliter: & diuersus est casus *l.36.* Sic Angulo *lib. circa leges regias meliorationum, l.13. glos.4. n.5.* Ant. Gomez *l.37. Taur. n.2.* Matienzo *lib.5. ordin. tit.4. l.11. gloss.2. n.2. & gloss.3. n.1. & 2.*

5 Secundò est certum, quòd si testator nominauit hæredem, & dedit potestatem commissario perficiendi testamentum, talis commissarius tantùm potest expendere quintum, & reliqua bona sunt talis hæredis, nisi testator expresè dedit potestatem ad expendendum amplius, quàm quintum. Sic habetur *l.37. Taur.* quæ hodie est *l.11. tit.4. lib.5. nouæ recopil.* Quod limitant Tello, & Gutier. citati *notab. præced.* quando hæres nominatus à testatore non est ascendens, vel descendens: sed benè reprobant Matienzo, Anton. Gomez, & Angulo, vt dixi *notab. præced.* In quantum verò dicit hæc lex, quòd potest commissarius disponere amplius quàm de quinto, si testator dedit ei potestatem, intelligenda est, nisi testator habeat ascendentes, vel descendentes; si enim habet ascendentes, tantum potest dare potestatem ad disponendum de tertio: si verò habeat descendentes, tantùm de quinto. Anton. Gomez *l.37. Taur. n.2.*

6 Primò nota, quod commissarius non potest quouis tempore facere testamentum nomine defuncti. nam per *l.33. Taur.* quæ hodie est *l.7. tit.4. lib.5. nouæ recopil.* præfigitur tempus quatuor mensium, si tempore commissionis præsens erat in loco, in quo facta fuit, & sex mensium, si erat tunc absens, & vnius anni, si erat eo tempore extra regnum, qui terminus currit à die mortis testatoris, licèt non venerit in notitiam commissarij, vt ibi dicitur: & subditur, quòd transacto hoc termino, si commissarius non fecit testamentum, succedant hæredes ab intestato, nisi consignasset testator hæredem, vel aliquid speciale legasset, id enim vim habebit. Hic tamen terminus præfixus à lege intelligitur, nisi testator aliud disponat, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



maius, vel minus tempus præfixerit: illud enim omnino est seruandum tam in exequutore testamenti, quàm in commissario, quia præfixio illa termini est in fauorem testatoris. Sic Matienzo *lib.5. recop. tit.4.l.7. glos.2. n.3.* Castillo *l.33. Taur. glos.1.* Ioan. Lupus *ibi num.6.* Tello, & Anton. Gomez *ibi n.2.* Couar. *cap. nos quidem, de testam. num.1.* Greg. Lopez *l.6. tit.10. part.6. vers. sic. hasta vn año.* Gutierrez *lib.2. pract. quæst. q.45.* Menchaca *de succes. creat. §.4. num.3.*

7 Secundo nota, quòd commissarius non tenetur acceptare officium, sicut nec executor testamenti, vt clarè colligitur ex *d.l.33. Taur.* & docet Matienzo *eadem l.7. glos.6. num.2.*

8 Tertiò nota, quòd commissarius semel à se factum testamentum non potest reuocare, nec facere codicillum etiam ad pias causas, nec aliquid addere, nec detrahere, nec declarare, licèt reseruarit sibi potestatem ad hoc. Sic habetur *l.35. Taur.* quæ hodie est *l.9. tit.4. lib.5. noua recopil.* nec potest reuocare testamentum in toto, nec in parte, quod testator fecerat, nisi expresè ad id dedisset potestatem. Sic habetur *l.34. Tauri*, quæ hodie est *l.8. tit.4. lib.5. recopil.*

9 An verò si testamentum, quod fecit commissarius, est nullum, vel non seruauit in eo formam traditam à defuncto possit iterum facere testamentum, vide Tello *l.35. Taur. num.2.* & *ibi* Castillo, & Matienzo *lib.5. recop. tit.4. l.9. glos.1. num.4.*

10 Tertiò est certum, quòd quando testamentum non fecit defunctus, sed dedit alicui commissionem ad testandum pro eo, quæ commissio non est sortita effectum, quia commissarius non fecit testamentum, vel non fecit intra terminum, in quo poterat vti commissione, tunc hæredes ab intestato, ad quos talia defuncti bona pertinent, si non sint ascendentes, vel descendentes legitimi, tenentur expendere quintum pro anima defuncti: sic enim habetur *l.36. Taur.* quæ hodie est *l.10. tit.4. lib.5. noua recop.*

11 Dubium tamen est, quando omnino decessit ab intestato, nullo assignato commissario, ad quid teneantur hæredes ab intestato.

12 Rojas *epitome succes. cap.3. n.7.8.* & 9. dicit, quòd si hæredes succedentes ab intestato sint filij, non tenentur expendere quintum pro anima defuncti: secus si sint transuersales; quia *dict. l.36. Tauri* statuit, vt quando defunctus assignato commissario, qui non est vsus facultate decessit, teneantur successores transuersales expendere quintum pro anima defuncti; quia præsumit lex eam fuisse defuncti mentem, sed quando omnino decedit ab intestato, præsumitur esse eandem mentem; ergo, &c.

13 At dicendum est non teneri expendere quintum pro anima etiam transuersales, vel quosuis alios hæredes ab intestato; quia ex lege omnia bona defuncti ab intestato sunt venientium ab intestato. *l.3. tit.3. part.6.* nec aliqua lege cauetur, quòd quintum pro anima expendere teneantur. Nec est simile de casu contento *in d.l.36. Tauri*, nam ex quo testator fecit commissarium; lex intelligit animum defuncti fuisse, vt anima sua præferretur venientibus ab intestato, & eam voluntatem, quæ ad omnia bona extendebatur ex doctrina Innoc. *cap. cum tibi, de testam.* lex restringit ad quintum, quando succedunt transuersales: at in nostro casu nil disponit lex. Sic tenent Angulo super leges regias *de meliorationibus, l.13. glos.4. n.3.* & 4. Anton. Gomez *l.36. Taur. n.2.* Castillo *ibi n.2 §. del testador*, Tello *ibi n.3.* Gutier. *practic. quæst. lib.2. q.46.* Azebedo *l.6. tit.4. lib.5. recopil. n.32.* & communis.

14 Vnde, vt dicit *ibi* Angulo, tantùm tenentur ad expensas necessarias funeris cum epikeia, & moderamine secundùm consuetudinem patriæ, & Gutierr. dicit, tenebuntur tantum pro anima defuncti expendere, quantum decear, attenta qualitate personæ defuncti, & quantitate bonorum, iuxta morem consuetum regionis, iuxta *l. si quis sepulchrum, vers. sumptus funeris. ff. de religios. & sumptib. funer.* Idem Azebedo *ibi.*

15 Hinc fit primò, quòd vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vno eorum defuncto ab intestato, non potest alter quidpiam distribuere pro anima defuncti de bonis defuncti, aliàs tenebitur resarcire de propriis bonis venientibus ab intestato. Sic Castillo *loco proximè citato*, dicens sic iudicatum fuisse in curia Imperiali.

16 Secundo fit, quòd quando defunctus relinquit commissarium, qui pro ipso testetur, si habet ascendentes, vel descendentes, fauorabilius est ipsis, ne commissarius exequatur; quia si non exequitur commissionem, non tenentur hi quintum pro anima expendere, vt dixi ex *l.36. Taur.* Si verò commissarius testatur, potest integrum quintum expendere, vt dixi ex *l.32. Taur.* At si talis defunctus solùm habet collaterales, fauorabilius est ipsis, vt commissarius exequatur; quia si non exequitur, tenentur integrum quintum pro anima expendere, iuxta *l.36. Taur.* si verò exequitur, potest eos minus quinto gratiare, cùm *l.32. Taur.* dicat, quòd possit integrum quintum expendere, quod importat liberam voluntatem, Angulo *ibi num.6.* & 7.

## DVBIVM XXVIII.

*An quarta bonorum, quæ debetur alteri coniugi pauperi non habenti, vnde decenter sustentetur, minuat legitimam filiorum, ita vt non sit detrahenda de quinto, nec si habeat ascendentes, de tertio bonorum.*

1 SVpponendum est iuxta *Auth præterea, C. vnde vir, & vxor, & l.7. tit.13. part.6.* coniugi non habenti vnde decenter sustentetur, deberi quartam partem bonorum. Quo supposito dubitatur, an illa detrahenda sit de legitima filiorum, an potiùs de quinto, vel si non habeat ascendentes, de tertio bonorum.

2 Sit conclusio. Talis quarta non deducitur de tertio, nec de quinto bonorum, sed de toto hæreditatis corpore, & sic ea non obstante potest pater liberè testari de quinto, & inter filios de tertio; & si est descendens, poterit liberè disponere de tertio. Ratio, quia sicut debita ex contractu orta præferuntur legitimæ filiorum, ita debita legalia, quale est hoc. Sic Gregor. Lopez *ea l.7. vers. hinc.* Tello *l.9. Taur. à n.31.* Angulo *de meliorat. l.13. glos.3. n.34.* & *l.9. glos.2. n.5.* & quidam doctus Iurisperitus.

3 Vnde quarta hæc prius extrahenda est, quàm quintum, quia est debitum legale. Angulo *ea l.13. glos.3. n.33.*

## DVBIVM XXIX.

*An si quis faciat donationem irreuocabilem medietatis bonorum, quæ tempore mortis habuerit, apposita clausula posita, quòd ex nunc se desistit, & priuat dominio horum bonorum, séque constituit tanquam inquilinum, & vsufructuarium illorum, possit dum viuit pro libito disponere de his bonis, illàque donare, vt sibi placuerit.*

1 ET videtur, quòd non, primò quia videtur translatum dominium medietatis bonorum in donatarium, vt expresè dicit dicta clausula: & quia per reservationem vsusfructus statim transfertur dominium in donatarium. *l.quamuis, & l.si quis argentum, §. sed si quidem, C. de donat. & l.9. tit.30. part.3.* Secundò, quia prior donatio est irreuocabilis, ergo per nullam posteriorem potuit reuocari. Tertiò, quia *auth. conti à rogaith. C. ad S.C. Trebel.* disponitur, quòd quando testator instituit Ioannem hæredem sub ea conditione, vt quod ex ea hæreditate superfit tempore mortis, relinquat Petro, tenetur reseruare Petro quartam partem hæreditatis, & dare fideiussores: ergo similiter in nostro casu.

2 Sed dicendum est non teneri reseruare aliquid ex illis bonis donatario, sed posse liberè disponere de illis, dum viuit, faciendo alias donationes de illis, vt placuerit primò quia casus illius Auth. est valdè diuersus ab illo: in illo enim legatum relictum Petro non habuit ortum ab ipso Ioanne instituto hærede, sed à priori testatore instituente fideicommissum: quæ institutio fideicommissaria ne omnino euanescat, præsumit lex testatoris mentem fuisse, vt fideicommissarius aliquid haberet ex hæreditate; & hoc voluit esse ad minus quartam partem: at in nostro casu nulla est institutio, sed donans ipse voluit se obligare ad medietatem bonorum, quæ remanserint tempore suæ mortis: ergo non est obligatus ad reseruandum aliquid donatario. Nec obstat clausula addita, *quòd se constituit tanquam inquilinum*, &c. quia cùm non assignet aliqua bona in particulari, quorum se constituat inquilinum, & non sit maior ratio horum, quàm illorum, nullo modo transfertur dominium, *l.3. §. incertum. ff. de acquir. possess.* Nec etiam obstat, quòd prima donatio fuerit irreuocabilis; quia id verum est quantum ad medietatem bonorum, quæ remanserint post eius vitam, & ita etiam visum est doctis Iurisperitis.



## DVBIVM XXX.

*An meliorationes in re viri factæ constante matrimonio sint communicandæ, seu diuidendæ inter virum & vxorem tanquam lucra constante matrimonio acquisita, vel debeant esse viri.*

1 SIt conclusio. Meliorationes in re mariti factæ constante matrimonio ipsi marito cedunt, earum tamen æstimatio diuidenda cum vxore. *l.9. tit.4. lib.3. fori.* Sic Couar. 4. *decret. 2 part cap.7. §.1. num.9. fine*, Perez *l. fin. tit.4. lib.5 ordinam.* Nauar. *lib.3. de restitut. c.1. n.150.*

2 Nota excipiendas esse meliorationes, quæ fiunt in aliquibus rebus maioratus; eæ enim, nec earum æstimatio, non diuiduntur cum vxore, nec cum aliis cohæredibus, sed accrescunt maioratui, per *l.46. Taur.* quæ hodie est *l.6. tit.7. lib.5. recopil.* cuius verba sunt: *Todas las fortalezas, que de aqui adelante se hizieren en las ciudades, villas, y lugares, y heredamientos de mayorazgo, y todas las tercias de las dichas ciudades, villas, y lugares de mayorazgo, assi las que de alli adelante se hizieren de nueuo, como lo que se reparare, o mejorare en ellas, y assi mesmo todos los edificios, que de alli adelante se hizieren en las casas de mayorazgo, labrando, o reparando, o reedificando sean assi de mayorazgo, como lo son, o fueren las ciudades, villas, y lugares y heredamientos, y casas donde se labraren: y mandamos, que en todo ello succeda el que fuere llamado al mayorazgo cō los vinculos, y condiciones en el mayorazgo contenidas, sin que sea obligado a dar parte alguna de la estimacion, o valor de los dichos edificios, a las mugeres del que los hizo, ni a sus herederos, o successores.* Hæc in illa l.46.

3 Hæc lex 46. Taur. extendi debet, vt etiam procedat in vinculis, & maioratibus factis absque Regia facultate, vt ex tertio, & quinto, si quis habeat descendentes, vel ex omnibus bonis, si ascendentibus, & descendentibus careat, licèt Perez videatur contrarium tenere, *l.1. tit.2. lib.5. ordinam. fol.133* etsi tandem relinquat cogitandum: at dicendum est habere etiam locum in his, sunt enim verè maioratus, vt latè probat Gutier. *vbi infrà*, multos allegans, & lex vniuersaliter loquitur. Sic Gutier. *lib.2. pract. q.85.* Padilla *Cod. de fideicomm. rubr. num.10.* Molina *lib.5. 1. de primog. cap.1. n.27.* Couar. *lib.3. var. cap.5. n.7.* Peralta *rub. ff. de hæred. iustit. num.123.* Burgos de Paz iunior *q.6. ciuili, n.45.* Ioan. de Garcia *de expensis, & meliorat. cap.13. n.46. de coniug. ac quæstu, n.89.* Immo idem est in anniuersariis, & patronatibus, qui iure maioratus relinquuntur, in quibúsque iure maioratus succedendum est. Sic Molina, Gutier. Ioan. Garcia, Padilla *ibi*, Burgos *eadem q.6. n.46.* Auendaño *l.46. Taur. glos. 6. n.12.* Mieres *de maioratu, in principio, n.5. & 1. p.q.10. num.21.*

4 Secundò aliqui ampliant dictam *l.46. Taur.* vt habeat locum non tantùm in fortalitiis, muris, aut domibus, quæ tantùm in ea lege expressa sunt, sed etiam protrahunt ad ædificia, & melioramenta in omnibus aliis rebus maioratus facta, quia ratio differentiæ commoda assignari nequit: vnde exempla *in l.46. Taur.* apposita non causa restrictionis, sed potius gratia frequentioris vsus adhibita sunt, ac sic decisionem legis non restringunt. Sic Molina *lib.1. de primog. cap. 26. num. 15.* & sic iuxta hanc sententiam dicit non semel esse decisum sententia supremorum Iudicum, licèt propter varias opiniones quidam iudices vni, quidam alteri opinioni adhærere solent. Idem tenet Ioan. Garcia *de expensis, & meliorat. cap.13. num.45. & de coniug. ac quæstu, n.80. 81. 82.* Azebedo *lib.5. recopil. tit.7. l.6. num.2.* Auendaño *l.46. Tauri. glos.6. à num 4.* & videtur expresè tenere Couar. *4. decr. 2. p.c.7. §.1. n.9. fine*, vbi vniuersaliter dicit in bonis maioratus melioriationes factas non diuidi cum vxore.

5 At contraria sententia probabilior est, scilicet, tantùm intelligi in casibus positis in illa l.46. Taur. Ratio, quia lex illa est odiosa, & iuri communi contraria, adeo vt eam iniquam reputet Palacios Rubios *l.46. Taur. n.3. & rubr. de donat. §.62. n.16.* Gomez Arias *l.44. Taur. n.28.* Cassanæus *consuet. Burgundiæ rubr.4. §.13. n.6.* Menchaca *de succes. creat. lib.1. §.5. n.13.* Burgos de Paz *lib.1. consil.3. num.106.* Et quòd sit exorbitans à iure communi, & contraria, tenet etiam Perez *lib.5. ordinam. tit.4. l. finali, fol.168. col.2.* & Couar. *4. decr. 2. p.c.7. §.1. n.9. fine*, dicit esse contra priora iura: ergo non est extendenda, immo cùm exorbitet à iure communi, strictissimè venit interpretanda, *l. ius singulare, & l. quod verò. ff. de legibus, & c. quæ à iure communi, de regul. iur. in 6.* & quanto minus potest, debet corrigere ius commune, cùm legum correctio sit vitanda, *l. vnica, C. de inoffic. donat. & cap. cum expediat, in princip. de elect. in 6.* & licèt secundùm aliquos, non sit exorbitans à iure communi, & correctoria, sed declaratoria, tenet Burgos de Paz *proœmio legum Taur. n.43 & l.3. Taur. n.37.* Molina *lib.3. de primog. cap.6. n.24.* Burgos de Paz iunior *q.6. ciuili, n.36. 38.* Gutier. *lib.2. practic. q.82.* at, vt ibi benè dicit Gutier. est in præiudicium medietatis lucrorum, quæ aliis Regni legibus debebatur vxori, & in præiudicium legitimæ filiorum, vt benè etiam Molina *lib.1. de primog. cap.26. n.15.* Burgos de Paz iunior *q.7. ciuili, n.49* ergo non est extendenda. Item quia hìc non militat eadem ratio, quia expensæ factæ in prædictis rebus expressis in *l.46.* spectant magis ad otnatum, & honorem, quàm ad vtilitatem: quæ ratio cessat in expensis factis in aliis rebus. Nam magis spectant ad vtilitatem, quàm ad ornatum. Sic tenent Burgos de Paz *lib.1. consil.3. à num.104.* Burgos de Paz iunior *q.7. ciuili, n.15.* Ant. Gomez *l.40. Taur. n.72. fine*, Gomez Arias *l.44. Taur. n.40. vers. aduerte*, dicitque ita iudicatum esse in supremo Consilio, Celsus *in repertorio, verbo maioratus*, Perez *l. fin. tit.4. lib.5. recop. pag.168. col.2.* Nauar. *lib.3. de restit. c.1. n.150. col.53.* Aluarus Valascus *1. p. de iure emphyt. q.25. n.29.* Mieres *de maiorat. 4. p.q.33. in princip. & 1. p.q.10. n.18. & 29* Gutier. *lib.2. pract. q.82. n.3. & lib.3. q.70. n.22.* Barbos. *l. diuortio 8. §. fi. 1. p. n.117. fi. & 118.* Matienz. *lib.5. recop. tit.7. l.6. glos.1 n.2.3. & glos.3. n.11.12.* & ita dicit Ioann. Garcia *dicto num.45.* fuisse pronunciatum à duobus peritissimis Aduocatis, cùm essent arbitri in quadam lite. Vnde iuxta hos omnes Doctores meliorationes factæ in aliis rebus maioratus, præterquam in fortalitiis, muris, & domibus maioratus, qui sunt casus expressi in illa l.46. Tauri, diuidendæ sunt quoad earum æstimationem cum vxore, & filiis aliis.

6 Tertiò aliqui ampliant dictam l.46. Taur. vt quando loquitur de expensis factis in domibus maioratus, intelligatur non tantùm de domo principaliori habitationis ipsius maioratus possessoris, sed etiam de quacunque alia domo vinculo subiecta; quia hæc etiam verè dicitur domus maioratus, & lex generaliter loquitur. Sic tenent multi Aduocati peritissimi, vt refert Burgos de Paz iunior *q.7. ciuili, num.18.* ipse tamen cogitandum reliquit. Idem tenent Auendaño *l.46. Taur. glos.6. num.8.* Gutier. *lib.2. pract. q.83.* Et potest etiam probari, quia lex dicit indefinitè, & indefinita æquipollet vniuersali, quando ponitur in lege, *l. si seruitus, ff. de seruit. vrb. prad.* tradit latè

Couar.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quar. *lib.*1.*var.cap.*13.*per totum* præcipuè *num.*8.

7 At verius est intelligi tantùm de domo principaliori: primò, quia expensæ in hac factæ magis spectant ad honorem, & ornatum, cùm hæc nullos pariat redditus; at expensæ in aliis factæ magis spectant ad vtilitatem: tum etiam, quia iuxta communem modum loquendi, qui præfertur propriæ verborum significationi, *l.librorum, § quod tamen.ff.de verb.signif.l.*4.*tit.* 33.*part.* 7. absolutè tantùm appellatur domus principalis, domus maioratus; solùm enim de illis solet dici, *hæ sunt ædes maioratus.* Nec obstat illa regula, *Indefinita posita in lege, æquipollet vniuersali*; quia respondet Mieros *vbi infrà*, hanc intelligi iuxta Dynum *rubr.de regul. iur.in* 6. communiter approbatum, quando est eadem ratio omnium particularium. Sic tenent multi doctissimi, vt refert Burgos de Paz iunior citatus; idem Matienzo *lib.*9.*recop.tit.*7.*l.*6.*gloss* 1.*n.* 1.*&* 2.*& gloss.*3.*n.* 11. Mieres *de maiorat.* 4.*p.q.*33.*n.*6.*&* 1.*p.q.*10.*n.*20. Ioan. Garcia *de coniug. ac quæstu, n.* 85. vbi tenet dictam l. Taur. non intelligi vniuersaliter; idem quidam doctus Iurisperitus à me consultus.

8 Immo tantùm habet locum dicta l. 46. Taur. in expensis factis in reparandis, vel augmentandis antiquis domibus maioratus, & non loquitur de domibus nouè constructis in solo, vel area maioratus, vnde ad illas non est extendenda. Et confirmatur ex illis verbis dictæ l.46. *Que de a qui adelante se hizieren en las casas de mayorazgo.* Sic contra Auendaño l.46. *Taur. gloss.*6.*n.* 7. tenent Burgos de Paz *lib.*1.*conf.*3. *n.*109. Mieres *de maiorat.*4. *p.q.*33.*n.* 3. Barbosa *l.diuortio* 8 *§. fin.* 1.*p.n.*122.*ff.soluto matrim.* Burgos de Paz iunior, *q.*7.*ciuili, n.*19. vnde infert *n.* 21. & Barbosa *ibidem*, quòd si possessor maioratus reficiat domum penitus destructam, ac solo æquatam, quæ fuit maioratus, non habet locum l.46. Taur. quia tunc potiùs dicitur nouum ædificium: & facit *l.* 25.*tit. fin.part.*3. ibi, *mas de nueuo*, vbi ait Gregor. Lopez *vers. de nueuo*, quòd si domus esset destructa vsque ad aream, non tenetur dominus reficere; quia dicetur noua constructio: quod etiam colligitur ex ipsa l.46. nam in castellis, vel turri dicit, *quæ ab hinc ædificata fuerint*, cùm in aliis casibus dicat *reædificationem.* Hoc ramen contra Auendaño *l.*46.*Taur.gloss.*2.*num.*2.

9 Quarrò aliqui limitant dictam l. 46. Taur. vt procedat in maioratu antiquo, non autem in maioratu nouiter instituto ab ipso ædificante; quia expressè loquitur in possessore maioratus antiqui. Sic Burgos de Paz *lib.*1. *conf.*3.*num.*106.108. Barbosa *eodem num.*122. sed Burgos de Paz iunior *q.*7.*ciuili, num.* 13. cogitandum relinquit.

10 Quintò limita dictam l.46. Taur. nisi institutor maioratus expressè in eo disponat expensas tales esse soluendas per successorem maioratus. Sic Burgos de Paz iunior *quæst.*7.*ciuili, num.*14. Molina *lib.*1. *de primog.cap.* 26.*num.*14. Menchaca *lib.*1.*de succes. progressu,*§.5.*tit.de testatoris potestate*, *num.* 13.

11 Sexto limita l. 46. Taur. vt non procedat, quando possessor oppidi, quod est in maioratu, emit in eo aliquam aream, in qua facit fortalitium, seu aliquam domum, quia loquitur de factis in re, quæ erat maioratus, Sic Burgos de Paz iunior *q.*7. *ciuili, num.* 25. Castillo *l.* 46.*Taur. gloss.*1. *versic.si tamen possessor.*

12 Septimò limita *l.*46. Taur. vt procedat in ædificiis factis in rebus, quæ tunc sunt maioratus: secus si postea incorporentur, vt latè probat Burgos de Paz iunior *quæst.* 7.*ciuili, num.* 26.

13 Octauò aliqui limitant l. 46. Taur. vt procedat, quando expensa fuerit modica, vel saltem mediocris, habita consideratione ad qualitatem, & redditus maioratus, & ad filios, quos habuerit ædificans, secus quando est magna, his consideratis. Sic latè probat Burgos de Paz iunior *q.* 7. *ciuili, num.*27. *& sequentibus*, Palacios Rubios *l.* 46.*Taur. n.* 1. Castillo *ibi gloss.* 1. Pinellus *de bonis maternis, l.* 1.*p.*2.*n.*71. Gutierrez *lib.*2.*pract.q.*83. *fine*, limitans cum Pinello, quando inde resultat notabilis vtilitas successori maioratus. Et videtur tenere Mieres *de maioratu,* 1.*part.q.*10.*num.*14. Sed hanc benè reprobat Auendaño *l.*46.*Taur.gloss.*6.*n.*6.& Ioan. Garcia *de coniug. ac quæstu,num.*86. Barbosa *eo §. fin.*1.*part.num.*116.

14 Nonò non habet locum *l.* 46.*Taur.* quando vir fecit dictas expensas ex dote vxoris: tunc enim vxor potest repetere dictas expensas à successore maioratus, quia loquitur in bonis acquisitis constanti matrimonio. Sic tenet latissimè probans Burgos de Paz iunior *q.*7. *ciuili, à n.*51. Gutier. *lib.*2.*pract. q.*84 *fine*, Ioan. Garcia *dict.n.* 86. *& expensis, cap.*13.*num.*48. limitat Burgos *num.*55. nisi vxor consentiret, vt vir dotem consumeret in prædictis ædificiis; & *n.*56. dicit hoc esse intelligendum, nisi ipsa mulier remaneret pauper, & absque dote alia, quia tunc ei non præiudicauit talis consensus, quia est donatio omnium bonorum, contra *l.*69. *Taur.* quæ est *lib.*5.*tit.* 10 *l.*8. *recopil.* & largissimè *ibi* hæc probat.

15 Decimò non procedit *l.* 46. *Taur.* quando vir fecit prædictas expensas, & melioramenta in maioratu vxoris: tunc enim hæredes viri possunt petere dictas expensas ab ipsa vxore, vel ab alio successore in dicto maioratu, Sic Burgos de Paz iunior *q.*7.*ciuili, àn.*61. latissimè probans. Nec similiter quando vxor fecit in proprio maioratu Barbosa *eo §.finali,*1.*part.num.* 122. *fine.*

16 Alias limitationes vide duobus dubiis sequentibus.

17 Tandem nota, quòd in omnibus casibus, in quibus diximus vxorem, atque hæredes maioratus possessoris non posse repetere ædificia in rebus maioratus facta, poterunt ex eisdem ædificiis tollere ea, quæ absque ipsarum rerum detrimento tolli possunt, ita vt non remaneant res deteriores, quàm si à principio facta non fuissent ædificia *l.in fundo.ff.de rei vendic.* nisi maioratus successor tantum velit præstare, quantum ex iis rebus ex melioramentis ablatis habituri, vel percepturi essent vxor, seu hæredes præcedentis maioratus possessoris, *dict.l.in fundo, & l.idémque, §.idémque ff.mandati*, & docent Tiraquel. *l.de retractu conuent.* §. 7. *gloss.* 1. *num.*6. Molina *lib.* 1.*de primog. cap.*26. *num.*16. Burgos de Paz iunior *q.*7.*ciuili, n.*68. *&* 71. Idem Ioan. Garcia *de coniug. ac quæstu, num* 87. Mieres *de maioratu,*4.*p.q.*33.*à num.*9. quod infrà *dub.*32. latiùs confirmabimus.

## DVBIVM XXXI.

*An successor maioratus teneatur soluere debita à prædecessore contracta.*

1 HAc in re certum est, quòd tenetur, quando succedit in aliis bonis præter maioratum, vel quando se obligauit ad debita soluenda, vel quando maioratus præmissa licentia regia obligatus est ad debita, & ita fatentur omnes Doctores citandi. Quare præsens dubium est, quando non succedit in aliis bonis, nec prædicta obligatio intercedit.

2 Hac in re distinguendum est, aut enim debita contracta sunt à primo maioratus institutore, vel ab alio maioratus possessore.

3 Prima conclusio. Successor maioratus tenetur ad debita persoluenda, quæ contrahit maioratus institutor, siue illius immediatus, siue mediatus successor sit. Patet ex *l.filiusfamilias,§.diui,el* 2.*ff.de legat.*1. Et ratio est, quia ille maioratus successor repræsentat defunctum institutorem quoad vniuersum patrimonium: at æs alienum vniuersum patrimonium spectat *l. hæreditas, ff. de regul. iuris.* Sic tenent multi, quos refert, & sequitur Molina *lib.*1.*de primog.cap.*10.*n.* 1. *&* 2. Gregor. Lopez *l.* 4. *tit.* 15.*p.*2.*vers.sus deudas*, Auendaño *l.*46.*Tauri, gloss.*9.*n.*3. Palacios Rubios *rubr.de donat.*§ 16.*n.*14. Padilla *l. vnum ex familia,§. si de falcid.n.*7 *ff.de legat.*2. Tiraq. *tract.primog.q.*35.*à n.*27. Gutier. *lib.*2.*pract.q.* 53. Matienzo *lib.*5. *recopil.tit.*7.*lib.*6.*gloss.*3.*n.*21. Ant. Gomez *l.*40.*Taur.n.*72. Parel. *l.*3.*§.qui fideicom.n.*128 *ff.de hæred.instit.*& omnes

4 Amplia,



4 Amplia, etiamsi maioratus instituatur ex tertio, & quinto bonorum; quia prælegatarius tertij, & quinti tenetur soluere debita testatoris pro rata prælegati, *l.*21. *Taur.* quæ hodie est *l.*5.*tit.*6.*l.*b.5.*recop.* Sic Auendaño *n.*4.

5 Limitanda tamen est hæc conclusio. Primò nisi bona superstint libera; quia tunc illa alienate oportebit pro solutione debitorum, non verò vinculata. Sic Gutierr. *ibi*, Molina *n.*4. Matienzo, Greg. Lopez *ibi*, Padilla *num.*7. & Auendaño *n.*5. Molina *lib.*4.*de primog.c.*7.*à n.* 1. & omnes: vbi optimè resoluit Molina, quòd etiamsi Rex concedat facultatem alienandi, seu hypothecandi bona maioratus, & non apponat clausulam solitam apponi, scilicet, *deficientibus bonis liberis*, censetur ipso iure apposita, & illis extantibus, non prodest dicta licentia, etiamsi bona vinculata essent illis debitis specialiter hypothecata.

6 Ex his deducitur resolutio cuiusdam casus, de quo fui consultus, videlicet. Quidam canonicus instituit Collegium quoddam Societatis hæredem suorum bonorum, sub ea conditione, vt in eius domo ædificaretur Ecclesia, & ipsum Collegium Societatis, & perpetuò in illa remanerent: quòd si illam desereret, eo ipso hæreditatem amitteret; & præterea reliquit alia legata, quæ Collegium iam soluit, quia lite mota per sententiam iudicis compulsum fuit Collegium omnia bona hæreditatis reddere legatariis, præter domum: nunc autem supersunt alia debita defuncti, dubitatum est, an Collegium teneatur soluere prædicta, an potiùs legatarij. Respondeo hoc fuisse veluti quoddam vinculum illius domus, quod prædictus canonicus instituit, siquidem illam domum reliquit, vt in ea Ecclesia, & Collegium perpetuò remanerent, & consequenter eius alienationem prohibuit: vnde quod attinet ad debita soluenda, regulandum est sicut debita cuiuscumque alterius institutoris maioratus, ad quæ tenetur successor, nisi supersint alia bona libera, at aliis bonis liberis extantibus, non tenetur, *l. pater filium, ff.de legat.*3. vt benè Molina, & alij citati, vt supra diximus. Vnde cùm præter dictam domum remanserint alia bona libera prædicti canonici, ex quibus soluta fuerunt legata, ex his bonis tenentur legatarij prædicta debita soluere. Quòd si prædicta bona non sufficiunt, quod superest debiti, soluendum est à Collegio, quod est hæres illius vinculi, & præterea casu quo legatarij non habeât, vnde soluant, vel bona fide insumpserint, nec facti sint locupletiores, cùm possessor bonæ fidei tantum teneatur restituere, in quantum factus est locupletior, tenebitur hæres, quia alter, scilicet creditor citra culpam suam non tenetur amittere pecuniam sibi debitam. Sic docti Iurisperiti, & Theologi à me consulti.

7 Quid tamen dicendum erit, quando bona illa, ex quibus institutus est maioratus, erant specialiter hypothecata his debitis, & sunt alij creditores, an tunc possit habens hypothecam specialem bonorum maioratus ex illis recuperare, vt cæteri creditores recuperent ex bonis liberis. Molina *eo c.*7.*n.*20. defendit posse compelli ad instantiam aliorum creditorum recuperare ex bonis maioratus; & *n.* 29. hoc extendit etiam quando bona maioratus libera sunt, & subiecta generali hypothecæ. At Auendaño *n.*7. vtrumque reprobat, dicens non posse procedere ad recuperandum ex bonis maioratus, nisi priùs excussis bonis liberis; & *n.*9. hoc extendit, etiamsi super bonis liberis esset controuersia, & latè probat.

8 Prima tamen limitatio conclusionis posita suprà intelligitur, quando supersunt bona libera habilia, scilicet ex quibus testator liberè disponere poterat; si enim sit legitima filiorum, aut ascendentium clarum, est non esse omnia debita soluenda ex ea legitima, sed pro rata esse persoluenda ex bonis maioratus. Sic aliqui Iurisperiti docti.

9 Secundò limitanda est conclusio, quando debita contracta sunt ab ipso maioratus institutore antequam maioratus, vel melioratio fieret irreuocabilis vno ex tribus modis contentis *l.*17. *Tauri.* nam si pòst contracta sint, non amplius tenetur successor ad illa, quàm ad debita contracta à quouis maioratus possessore, qui eius institutor non sit. Ratio, quia vbi semel maioratum irreuocabilem constituit, non potest ampliùs illum hypothecare, aut vendere, &c. Sic Anton. Gomez, Peralta, Gutier. Greg. Lopez *supra*, Molina *lib.*1.*de primog.c.*10.*n.*11. Mieres *tract.de maioratu,*1.*p.q.*24.*n.*35. Matienzo *dict. gloss.*3. *n.*21. Auendaño *l.*21.*Taur.gloss.*1. *n.*15.16. licèt Angulo *de meliorat.l.*5 *gloss.*4.*n.*2. credat debita, quantumcumque posteriora, ex prælato irreuocabili esse deducenda; quia melioratio tertij, & quinti regulanda est ex quantitate bonorum, quæ supersunt tempore mortis, quantumuis irreuocabilis facta sit, iuxta *l.*19.*&* 23.*Taur.* ergo necessariò debent ex ea deduci debita pòst contracta. Sed respondet ibi Auendaño, quòd debet regulari secundùm tempus mortis, deductis debitis ante melioriationem irreuocabilem contractis, & non aliis postea contractis; quia cùm quantitas quotæ, licèt incerta esset, à dominio melioriationis à tempore, quo facta est irreuocabilis, exiret, nulla ratione potuit postea minui.

10 Sed quid dicendum, quando debita non sunt contracta à primo institutore maioratus, sed ab aliis possessoribus, an teneatur successor ea soluere. Quidam dicunt teneri, quia *l.*4.*tit.*15.*par.*2. cauetur teneri successorem in Regno soluere debita, quæ contraxit vltimus possessor: ergo idem dicendum est in cæteris maioratibus. Sic tenent Oldradus *cons.*94.*n.*16. Lecirier *lib.*2.*de primog. q.*5. *n.*3. Castillo *l.*40.*Taur.n.*26. Cifuentes *ibi, c.*16. Boërius *decis.*204.*n.*21. Albericus, Lucas de Penna, Anchar. quos refert cum aliis Matienzo *vbi infrà*, Panor. *consil.*12.*lib.*1. *& consil.*3.*lib.*2. Tiraquell. *de iure primogenitur æ,q.*35. *n.*3. 25.26 27.

11 Secunda tamen conclusio sit. Non tenetur successor maioratus soluere debita, quæ non ab institutore maioratus, sed ab aliis possessoribus contracta sunt. Ratio, quia hic successor in maioratu tantùm est electus, & nominatus ab ipso primo fundatore, & illi tantùm succedit, *l.vnum ex familia,§.si de falcidia ff.de legat.*2. Sic tenent latè probantes Bald. Alex. Carolus Molinæus, quos refert, & sequitur Padilla *dict.l.vnum ex familia,§ si de falcidia, n.*7. Ant. Gomez *l.*40.*Taur.n.*72. Greg. Lopez *l.*4. *tit.*15. *part.*2.*vers.sus deudas.* Matienzo *lib.*5. *recopil. tit.* 7.*l.* 6. *gloss.*3.*n.*13. Gomez Arias *l.*44 *Taur. n.* 39. Menchaca *de succes.creat.*§.26.*n.*51. Costa *lib patrui, & nepotis, pag.*140. Molina *lib.*1.*de primog.c.*16.*n.*14. Auendaño *l.* 46. *Taur. gloss.*9.*num.*18. & communis.

12 Amplia, vt etiam habeat verum in Rege, non enim tenetur soluere debita prædecessoris: & ad l. Partitæ pro parte contraria citatam respondent Doctores citandi communiter, quòd intelligitur debene esse, & debito honestatis, quod significat verbum, *debet*, in ea positum, *c.*1.*cum gloss. de desponsi. impub.* vel intelligitur, quando Rex successit in aliis bonis liberis. Sic contra Acosta *supra de successione Regni, num.*9. & Ioan. Garcia *de expensis cap* 16.*à n.*15.*vsque ad* 33. tenet Padilla *eo n.*7. Molina *n.* 30. Greg. Lopez *ibidem*, Ant. Gomez *dict.n.*72. Auendaño *dict.gloss.*9.*n.*23. Matienzo *n.*19. Peralta *l.*3.*§.qui fideicommissam, n.*138 *ff.de hæred.instit.*

13 Hinc benè infert Gregor. Lopez *ibi*, non teneri successorem in maioratu soluere arrhas, quas prædecessor maioratus possessor promisit vxori, si nulla supersint alia bona libera.

14 Hæc tamen conclusio limitatur primò, nisi debita essent parua, & tangerent exonerationem animæ defuncti. Sic Padilla *ibi n.*10. Matienzo *n.*19. & 23. Ioan. Garcia *de expensis cap.*16.*n.*35. sed meritò hoc reprobat Molina *dict.cap.*10.*n.*34.

15 Secundò limitatur, nisi sit impensa funeris, quia hanc tenetur successor maioratus persoluere, nisi sint alia bona. Sic Padilla *num.*11. Matienzo *num.* 19. & 23. Ioan. Garcia *cap.*16. *num.*33. Sed hanc meritò reprobat Molina *num.* 33.

16 Tertiò

Universidad de Deusto
Biblioteca



16 Tertiò limitatur, nisi debita sint contracta pro necessaria sustentatione vltimi possessoris maioratus, quia successor in beneficio tenetur ad debita contracta pro sustendanda persona sui prædecessoris, vt docet Panorm. *cap. ex præsentium, n. 5. de pignor. & cap. si quorundam, n. 2. de resolut.* Sic Padilla *supra num. 11.*

17 Sed hanc reiicit Matienzo *n. 32.* quia vel prædecessor habebat redditus sufficientes ad se sustentandum, & malè consumpsit, & tunc non est æquum, vt successor soluat pœnas: vel non habebat, & tunc non est æquum successorem, qui se commodè alere nequit, provt non poterat prædecessor, debitorum aliorum solutione grauari.

18 De eadem limitatione dubitat Peralta *supra numero 131. 132.* & concludit eam esse intelligendam eo tantùm casu, quando scilicet primus maioratus institutor tenebatur talem maioratus possessorem alere: ad hoc namque debitum tenebitur maioratus successor non tanquam debitum à maioratus possessore contractum, cui ipse non succedit, sed ab eiusdem institutore, cui succedit. Idem Molina *dict. cap. 10. num. 32.* Ioan. Garcia *dict. cap. 16. n. 34.* & mihi placet.

19 Maius autem dubium est, quando debita contracta sunt propter necessitatem, vel vtilitatem ipsius maioratus; si enim propter necessitatem tantùm ipsius possessoris maioratus, iam diximus non teneri successorem soluere. Et quidem quando expensæ sunt ad tempus, vt quando fiunt propter fructus colligendos, & conseruandos, vel ad recuperandam rem aliquam maioratus, non dubium est, sed certum quòd maioratus possessor successor prioris non tenetur soluere debita propter has expensas contracta, quia hæ expensæ tantùm in possessoris commodum sunt, & ex maioratus fructibus fieri debent. Sic Ioan. Garcia *de expensis, cap. 16. n. 11.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 10. n. 23.* vbi hoc limitat *n. 24.* nisi vtilitas illa permaneat in tempus sequentis successoris. Sed bene hoc reprobat Ioan. Garcia *ibi.*

20 Dubium ergo est, quando debita sunt contracta occasione maioratus, scilicet ad ipsius maioratus accedentem, & permanentem vtilitatem, an teneatur successor ea soluere.

21 Tres sunt sententiæ, & omnes satis probabiles.

Prima tenet teneri successorem ea soluere; quia, qui sentit commodum, sentire debet & damnum: sed hæc debita cedunt in commodum ipsius successoris maioratus; ergo tenetur ea soluere. Ponit exemplum Perez *vbi infrà*, vt si possessor maioratus contraxit debita ad litigandum pro defensione alicuius præsidij maioratus, vel si pecunia consumpta est in redemptione tributi constituti super maioratu. Hanc tenent Ioann. Garcia *dict. cap. 16. n. 10.* & 14. Anton. Gomez *l. 40. Taur. n. 72.* Perez *lib. 5. ordin. tit. 4. l. fin. pag. 168. colum. 2.* Greg. Lopez *l. 4. tit. 15. part. 2. vers. sus deudas* Padilla *l. vnum ex familia. §. si de falcida, n. 9. ff. de legat. 2.* Peralta *l. 3. §. qui fideicommissum, n. 130 ff. de hered. instit.* Matienzo *lib. 5. recop. tit. 7. l. 6. glos. 3. n. 19.* & 22. Quesada *diuersis quæst. iuris, cap. 32. num. 18.*

22 Aliqui ex his limitant, nisi meliorationes, & expensæ, propter quas contracta sunt debita, pertineant ad ædificia; quia in iis non tenetur successor, propter *l. 46. Taur.* Sic Ioan. Garcia, Anton. Gomez, Perez *ibidem.* Vnde (inquit Ioan. Garcia) *l. 46. Taur.* in omnibus etiam creditoribus intelligenda venit: & illa verba, *a su muger, y hijos*, tantum gratia exempli apposita sunt; & hoc dicit esse verum, licèt pecunia illa mutuata sit ad hæc ædificia. Sed Matienzo dicit esse veram hanc sententiam, licèt debita contracta sint pro ædificiis, & meliorametis in maioratus rebus factis, demptis tribus speciebus *in l. 46. Tauri* contentis; quia in illis tantùm intelligitur, vt dixi *dub. præcedenti.*

23 Secundò ait Matienzo non teneri successorem maioratus soluere hæc debita pecunia, si ea non abundet, sed redditibus maioratus relictis sibi congruis alimentis.

24 Tertiò addit Quesada *n. 23.* esse veram hanc sententiam, licèt creditor non mutuaret pecunias, vt expenderentur in vtilitatem maioratus, immo crederet malè expendendas, si verè in vtilitatem maioratus expensæ sunt: idem dicit *num. 31.* quando reuera possessor maioratus in vtilitatem ipsius expendit, at verò res maioratus pretiosior facta non est, quia res facta pretiosior, & vtilior est, eo quòd non est facta deterior, *l. in pupillo, ff. de solut. & num. 35.* limitat, quando pecunia non est amplior mutuata, quàm necessaria pro maioratu sit; quia si indiguit mille, & insumpsit duo millia, non tenetur, nisi ad mille.

25. Secunda sententia docet non teneri successorem maioratus ad hæc debita, licèt ad vtilitatem perpetuam maioratus contracta sint, nisi essent contracta propter præcisam necessitatem conseruationis maioratus; quia nisi ea ædificia fierent, res quibus adhæret maioratus necessariò perirent, & in hac re vera pecunia illa consumpta fuerit, nec amplior, quàm ad id præcisè necessaria erat, expensa est. Addit Molina *vbi infra num. 17.* simul cum hoc requiri, vt pecunia expressè mutuata sit in refectionem rerum maioratus; & adhuc cum omnibus his limitationibus cogitandum relinquit: licèt hanc vltimam limitationem reiiciat Auendaño *vbi infrà num. 15.* Ratio, quia possessor maioratus non tenetur ad ædificia perpetua, etiamsi conseruationi maioratus necessaria sint, propriis expensis & fructibus faciendo: ergo à fortiori non tenetur debita contracta à prædecessore propter hæc ædificia soluere. Vnde inquit Molina *n. 17.* hoc esse verum etiam non extante *l. 46. Tauri.* Hanc tenet Molina *lib. 1. de primog. cap. 10. num. 17. 18. 23. 24* & 27. Auendaño *l. 46. Taur. glos. 9. num. 12. 13. 15. 16. 17.* & *n. 13.* dicit *l. 46. Taur.* extendi etiam ad creditores, & verba illa in ea posita, *a su muger, y hijos*, esse gratia exempli. & non restringendi causa. Et probatur, quia ille maioratus possessor est veluti donatarius rei particularis, at donatarius rei particularis non tenetur ad debita donantis.

26 Tertia sententia docet teneri successorem maioratus debita hæc soluere, non tantùm, quando in vtilitatem maioratus meliorando illum contracta sunt, sed etiam ex quacumque causa contracta sint, modò prius contracta sint, quàm facta sint dicta melioramenta. Ratio, quia l. 46. Taur. tantùm loquitur in filio, & vxore, qui propriè creditores non sunt, sed impropriè, & ex iure humano ille legitimè, hæc medietatis lucrorum, cui iuri Princeps lege sua derogare potest; quare non est cur extendatur ad reliquos creditores. qui verè creditores sunt, & iure naturæ est eis soluendum. Item quia successor maioratus tenetur soluere debita fundatoris contracta ante fundationem irreuocabilem ipsius, vt diximus; sed maioratus, qui fit de talibus expensis, est nouus maioratus ordinatus per *l. 46. Taur.* eo ipso quòd tales expensæ fiunt, & sic post alia debita contracta; ergo. Hanc, quæ cæteris probabilior est, tenet Gutier. *lib. 2. practic. q. 84. n. 1.* Burgos de Paz iunior *q. 7. ciuil. à n. 42. vsque ad 51.* & sic dicit *num. 45.* quòd non tantùm primus successor, sed omnes consequenter successores adstricti sunt ad id, donec integrè talia debita persoluantur.

27 Aduerte hîc quod notauimus *dub. præcedenti, fine*, nempe quando non possunt recuperari expensæ, posse tolli melioramenta, vt ibi explicui.

28 Tandem nota decisionem cuiusdam casus, nempe an maioratus possessor, qui bona maioratus, super quibus erat annuus redditus regia facultate impositus, ab eodem annuo redditu illum redimendo liberauit, possit absque noua regia facultate super eisdem bonis maioratus alij creditori eundem censum imponere, & eiusdem maioratus successores perpetuò ad huiusmodi census solutionem obligatos relinquere; quòd enim possit, videtur apertè probare *l. pater filium, in princip. ff. de legat. 3.* & ratio huius legis, quam reddit Bart. *ibi num. 1.* At dicendum est hoc posse fieri, quando tempore, quo debitum à maioratus possessore soluebatur, vel ante solutionem, ea lege, ac pactione solutum fuerit, vt res maioratus ei, à quo pecuniam mutuam accepit, vel alteri pro eadem quantitate obligata remaneant, tunc enim cùm hæc obligatio ea lege facta fuerit, vt obligatio primæua non finiatur, sed in alterum transfundatur, nimirum si ex ea obligatione bona maioratus remaneant obligata secundo creditori, sicut primo obligata, atque hypothecata fuerant: secus verò quando debitum simpliciter, & sine tali pactione solutum est, quia cùm ex hac solutione actio omnino peremptа sit, non poterit maioratus possessor, pro illo debito peremptо, atque extincto, ampliùs absque noua regia facultate obligare. Sic Molina *lib. 2. de primog. cap. 10. num. 27.*

## DVBIVM XXXII.

*An possidens bona fide prædium aliquod vinculo maioratus subiectum, quia scilicet bona fide emit à possessore maioratus, illudque bona fide propriis expensis reddidit melius, possit à maioratus successore pretium, quo emit, ac meliorationis expensas exigere, prædiumque retinere, donec sibi soluantur.*

SVpponenda sunt aliquot fundamenta.

Primum est, expensæ sunt in triplici differentia: quædam sunt necessariæ, quæ scilicet si factæ non essent, res periret, vel deterior fieret: aliæ vtiles, scilicet, sine quibus res non periret, nec deterior fieret, at meliorem rem faciunt; & ex qua aptiores redditus acquiruntur: aliæ voluntariæ, quæ scilicet speciem tantùm ornant, non fructum augent, vt picturæ, &c. Sic habetur expressè *l. impensæ. ff. de verb. signif. l. vtiles. ff. de petit. hær. l. 1.* & *2. & sequentibus ff. de impensis in res dotal. l. 44. tit. 28. part. 3.* & docent Sylvest. *verbo expensæ, q. 1.* Tab. *quæst. 4.* Angel. & Armil. *num. 5.* Ioannes Garcia *de expensis, cap. 1. num. 10.*

2 Nota quòd vtilitas hæc expensarum non ex possessore expendenda est, sed ex domino, & sic si perfecta qualitate domini expensæ sunt inutiles, etiamsi possessori vtiles sint, dicendæ sunt inutiles, *l. Titius, ff. de actio. empt. & vend. l. si seruus, ff. de pignor. act.* Sic Ioan. Garcia *vbi num. 30.* Sarmiento *lib. 1. select. cap. 10. num. 6.* & potuit exemplum, v. g. pauperi quid vtilitatis affert sumptuosum, & magnificum ædificium, cuius impensam diuenditis omnibus bonis vix soluere potest? Et concludit quòd quoties in damno vel dominus rei, vel is, qui bona fide impendit, futurus est, potior est causa domini, *l. in fundo ff. de rei vendicat.*

3 Secundum fundamentum sit, ne passim eadem repetamus quoties possessori bonæ, vel malæ fidei permittitur abrasio ædificiorum, seu meliorationum, id intelligendum est, quoad ea, quæ absque ipsarum rerum detrimento tolli possunt, ita vt non remaneat res deterior, quàm si à principio facta non fuissent dicta melioramenta: & tunc adhuc non potest abradere, si velit dominus veram æstimationem, quam ex dictis melioramentis ablatis habiturus est, soluere, vt constat ex *l. 41.* & *44. tit. 28. part. 3.* & tenent alios Doctores referentes, Molina *lib. 1. de primog. cap. 16. num. 16.* Burgos de Paz *quæst. 7. ciuil. num. 68.* & *71.* Anton. Gomez *l. 46. Taur. num. 2.* Menochius *de recuper. possess. remedio 15. num. 531.* Ioannes Garcia *de expensis, cap. 1. num. 33.* vbi refert Bartol. & alios, & *num. 34.* referens Baldum dicit hoc esse verum, licèt initum esset pactum, vt omnino abradere liceat; hoc enim non obstante, vt malitiæ hominum obsistatur, non licebit abradere, si dominus offerat dictam æstimationem. Idem dicit Menochius *num. 531.* referens Marsilium.

4 Tertium fundamentum sit: possessor bonæ fidei recuperat expensas necessarias, quas bona fide fecit in re meliorandâ. Hoc est certissimum apud omnes, cùm etiam possessori malæ fidei hoc concedatur, vt dicemus *infrà*, & in fundamento sequenti citabimus leges: & ratio est, quia non patitur naturalis æquitas aliquem cum iactura alterius locupletari.

5 Nota primò hoc esse verum, non tantùm in melioramentis ab ipso possessore factis, sed etiam ab amico possessoris contemplatione factis, nam & illa recuperat, *l. idémque, in fine, & l. sequenti. ff. mandati, l. sed si plures, §. in arrogato. ff. de vulg.* ex quibus illa sumitur communis iuris regula, *A me factum dicitur, quod mei contemplatione ab amico est factum.* Sic referens Molinæum, & alios Menochius *dicto remed. 15. n. 109.*

6 Secundò nota, quòd hæ expensæ repetendæ sunt secundùm valorem tempore restitutionis, non verò tempore, quo sunt factæ, id est, cùm fundus melioratus restituitur domino, reddere debet dominus impensam meliorationis secundùm tempus solutionis, id est, quanti æstimatur illa melioratio fundi tempore, quo soluenda est, non autem attendendum est ad id, quod expensum est, *l. domos hæreditarias. ff. de legat. 1.* vbi Bart. Bald. Paulus *num. 1.* Alexand. *num. 1.* Iason *num. 4.* & communiter scribentes, *& l. in fundo. ff. de rei vendicat.* Molina *lib. 1. de primogen. cap. 26. num. 13.* Quesada *quæstion. iuris cap. 15. num. 12.* Anton. Gomez *l. 46. Taur. num. 3.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 7. l. 6. glos. 3. num. 4.* Burgos de Paz iunior *quæst. 7. ciuili, num. 72.* Simancas *lib. Institut. tit. 9. num. 110.* Molinæus *in consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. glossa 5. num. 97.* & *98.* & contra Baldum, & Iasonem, qui contrarium absque fundamento censuerunt, vt benè ait Molina *dicto cap. 26. num. 13.* vbi subdit, quòd siue tempore solutionis plus valeat, siue minus, soluendum est quod tunc valet, & refert multos. Et ratio est, quia illa melioramenta sunt possessoris; ergo sibi accrescunt, vel decrescunt in pretio. Item quia cùm restituitio sit actus iustitiæ commutatiuæ, quæ æqualitatem respicit, ad hoc tendere debet, vt nec plus, nec minus restituatur domino, sed æquale: si autem tempore restitutionis, meliorationis pretium auctum esset supra id quod consumptum in ea est, plus restitueretur domino, si tantum pretium in ea expensum soluisset: si autem eo tempore solutionis minus valeret æstimatio, quàm pretium in ea consumptum, & dominus deberet soluere integrum pretium consumptum, iam minus sibi restitueretur; ergo, vt seruetur æqualitas restitutionis, æstimatio meliorationis pensanda est secundùm tempus, quo soluitur.

7 Hinc infertur, malè Ioannem Garcia *de expensis cap. 1. n. 15.* asserere esse integras expensas soluendas bonæ fidei possessori, licèt sint maiores, quàm fructus: nam, vt diximus, in tantum sunt soluendæ expensæ illæ, in quantum sunt vtiles domino, vt benè Angel. *verbo expensæ, n. 3.* &, vt diximus in primo fundamento, & notabili ibi posito, vtilitas expensarum ex domino pensanda est, & cùm aliquis est futurus in damno, potior debet esse causa domini, quàm possessoris.

8 Secundò infertur malè Menochium *de recuper. possess. remedio 15. num. 511. 512.* vbi alios refert, dicere posse possessorem bonæ fidei recuperare hæc melioramenta, licèt perierint, & licèt res ipsa meliorata perierit, absque culpa tamen sua: sed contrarium apertè colligitur ex Doctoribus citatis in notabili hîc posita: nam si soluenda est melioratio iuxta æstimationem tempore solutionis, & tunc nullâ habet, quia periit, nil soluêdum est: & sicut, si minus tunc valeret, minus esset soluendum, ita si nil valet, nihil soluendum est. Item quia cessat naturalis æquitas, quæ est ratio soluendi has expensas, cùm in hoc casu non locupletetur dominus. Item, quia resultaret inæqualitas contra rationem iustitiæ commutatiuæ, quæ est radix restitutionis, cùm in hoc casu dominus soluat id, quod in suam vtilitatem non cessit. Item, quia, vt dicebam *coroll. præcedenti*, potius debet sentire damnum possessor, quàm dominus; at in hoc casu, vt seruetur indemnis possessor, totum deberet sentire dominus. Tandem, quia res perit domino, at illa melioramenta sunt possessoris; ergo.

Universidad de Deusto
Biblioteca



9 Quartum fundamentum, possessor bonæ fidei recuperat etiam expensas vtiles, *l.in fundo.ff.de rei vendicat.* vbi Bald.Bart.Odofred.Albericus *l.41.& 44.tit. 28. part.* 3. Et ratio est, quia non patitur naturalis æquitas aliquem cum iactura alterius locupletari. Patet etiam, quia idem dicemus postea saltem in foro conscientiæ de possessore malæ fidei: & sic vltra Doctores citatos tenent Antonius Gomez *l.46.Taur.num.*2. Matienzo *lib.5.recopil.tit.7.l.6.glos.3.num.*3. Ioan Garcia *de expensis, cap.* 2. *n.*25.26.& 27. Sarmiento *lib.*1.*select.cap.*10 *num.*5. Menochius *de recup.possess.remed.*15.*n.*517 Nau.*lib.* 4. *de restit.cap.*1.*n* 34.*fol.*418. Sylvest.*verbo expensæ.q.*4 Tabien. *ibi,q.*2. Angel.& Armill.*n.*3.

10 Nota quòd Anton.Gomez *ibi* limitat hoc per dictam *l.in fundo*, vt habeat verum in his tribus casibus. Primus est,si eas dominus alias erat facturus. Secundus, si illico erat ipsam rem vtiliter melioratam venditurus, ne dominus commodum cum aliena iactura reportet. Tertius est,si sit dives, & habeat vnde dictas expensas soluere possit; aliàs (inquit Antonius Gomez) non potest eas repetere, sed permittitur abrasio sine detrimento prioris status. Et quòd, quando non potest ob paupertatem soluere, tantùm permittatur abrasio, si potest sine detrimento rei fieri, habetur *l.*41.*tit.*28.*part.* 3. & docent etiam Matienzo, Sylvest.Tabien. Angel.Armill. citati hoc 4. fundamento. Menoch.*dicto remedio* 15.*num.* 523.& refert Bart.*l.in fundo.ff. de rei vindic.num.* 8. *fine*, & alios, & Ioannes Garcia, licèt vbi citatus est in hoc fundamento dicat illos tres casus positos esse *dict. l. in fundo*,non ad limitandam regulam,sed causa exempli tantùm: at *cap.*6.*num.*11. videtur admittere hunc casum,& sic dicit cum Aluaro Valasco 1 *p.de iure emphyt.q.*25.*n.* 10.quòd quando dominus est pauper,& sine detrimento abradi nequeunt expensæ,debet saltem ex redditibus annuis quotannis soluere,donec soluat totam quantitatem, vel ad rationem vnius pro quatuordecim respectu totius summæ meliorationum: donec integram soluat: licèt dicat Ioan.Garcia esse durum,cùm non teneatur possessor suas expensas minutatim accipere, sed integras: & Sylvest.Tabiena, Angel, Armil.*ibidem* dicunt, quòd si sine rei læsione abradi non possunt melioramenta, soluet ea dominus,vel rem vendet melioranti.

11 Sed verius est, quòd licèt in hoc casu denegent leges actionem ad recuperandum expensas, at in foro conscientiæ sunt soluendæ, ne ditetur dominus cum iactura aliena, & seruetur inæqualitas: & sic Sarmiento citatus in 4. fundamento dicit semper recuperare: & Nauarra *ibi* citatus dicit,quòd licèt dominus sit pauper, adhuc possessor, licèt malæ fidei, nedum bonæ, has vtiles expensas recuperat, & quærat alter vnde soluat. Et sic placet modus Sylvest. Tabienæ, Angeli,Armil. quòd si non potest soluere has expensas, vendat ei rem: vel modus Aluari,& Ioan. Garcia, quòd soluat quotannis partem ex redditibus: &,vt mox dicam,potest alter retinere rem illam,donec sibi soluatur.

12 Quintum fundamentum.Possessor bonæ fidei non recuperat expensas voluntarias: quia cùm hæ non cedant in domini vtilitatem, cuius indemnitas potiùs attendenda est, vt diximus, non est æquum, vt cogatur eas soluere, sed vt seruet se indemnem, permittitur in hoc casu abrasio cum conditionibus dictis in 2. fundamento, *l.in fundo ff.de rei vindicat.l.*44.*tit.*28.*part.*3. Sic Aut.Gomez *l.*46.*Taur.n.*2. Matienzo *lib.*5.*recopil.tit.*7.*l.*6.*glos.* 3. *num.*3. Menochius *de recup.possess.remed.*15.*num.*530. vbi multos refert.

13 Hoc tamen habet duas limitationes: altera est, nisi eas dominus aliàs erat facturus; altera, nisi illico rem illam vendat, & propter eas expensas augetur pretium, quòd aliàs dandum erat. Et ratio vtriusque ea est, quia in vtroque casu iam illæ expensæ sunt vtiles, & locupletaretur dominus cum iactura alterius. Sic Menochius *ibi n.*532.533. & Ioan.Garcia *de expensis,cap.*5.*num.*26. vbi optimè docet etiam in his duobus casibus malæ fidei possessorem recuperare expensas voluntarias.

14 Sextum fundamentum sit. Hic possessor bonæ fidei in casibus, in quibus diximus, posse expensas recuperare, potest retinere rem melioratam, donec alter soluat expensas. Sic habetur *l.in area.ff.de condict. indeb. & l.*41. *&* 44.*tit.*28.*part.*3.& tenet Gregor. Lopez *dict.l.*41.*vers. entregado.*Burgos de Paz iunior *q.*7.*ciuili,n.*35. vbi refert per hoc Aluarum Valascum *de iure emphyt.p.*1.*q.*25 *n.*25. *fine*,& Fanum *de pignorib.*4.*memb.*5.*q.n.*8.

15 Septimum fundamentum sit; licèt aliqui dicant hunc bonæ fidei possessorem non teneri compensare has expensas necessarias, vel vtiles cum fructibus ex re illa perceptis, vt si percepit aliquos fructus ex prædio, vel aliquos redditus ex domo, sed debere habere integras expensas cum fructibus durante bona fide perceptis, innituntúrque duplici fundamento: alterum est, quòd fideicommissarius, id est, is, qui instituitur hæres alicuius rei,vt post mortem, vel certum tempus alteri restituat, recuperet expensas necessarias, vel vtiles perpetuò duraturas, nec compenset cum fructibus, sed fructus facit suos, & integras expensas tenetur soluere is, cui post tempus illud res est restituenda, *l. emptor,ff. de rei vindic.* & tenent multos allegantes Menochius *de recuper.possess.remed.*15.*num.*507.Matienzo *lib.*5.*recopil.tit.*7. *l.*6.*glos.*3.*num.*4.Gratian.*regula* 183.Mieres *de maioratib.* 3.*p.quæst.*9.*num.*27. Molina *lib.*1.*de primogen.cap.*26.*n.* 14.Iulius Clarus *lib.*4.*recept.§.feudum,quæst.*88.Azebedo *lib.*5.*tit.*7.*lib.*6.*recopil.num.*9. Tiraquel.*l.si vnquam,vers. reuertatur,num.*235.*C.de reuoc.donat.* Anton.Gomez *tom.* 1.*var.c.*12.*num.*40 *&* *l.*46.*Taur.num.*2. vbi subdit,quòd hic fideicommissarius non recuperat expensas voluntarias, sed ei permittitur abrasio, & allegat leges ad hoc. Alterum fundamentum est, quia hos fructus bonæ fidei possessor facit suos, *l. emptor,&* *l.sumptus, ff.de rei vendic.* Et sic hanc sententiam, quòd scilicet non teneatur bonæ fidei possessor compensare has expensas cum fructibus, tenent glossa *l.in fundo,& ibi* Bart *ff.de rei vendic.* & glossa *l.sumptus, eodem tit.* Simancas *de instit.Cath.tit.* 9.*num.*112. Matienzo *dict.l.*6.*glossa* 3.*num.*12. At absque dubio dicendum est teneri compensare cum fructibus perceptis, deductis expensis in iis colligendis factis. Sic habetur expressè *l.*41.*&* 44. *tit.*28 *part.*3. Et ratio est clara, quia saltem in foro conscientiæ tenebatur hos fructus restituere, vt latè in materia *de restitut.* Nec obstat primum fundamentum oppositum; quia, vt dicunt benè Molina, & Azebedo *ibi* citati, ideo procedit, quia fideicommissarius vsque ad diei restitutionis aduentum verus, ac perfectus dominus est; quare fructus omnino suos facit, nec compensat cum dictis expensis: secus in bonæ fidei possessore, qui dominus non est. Hoc fundamentum tenent Greg.Lopez *d.l.*41.*vers.que desemeneu.* Molina *lib.*1.*de primogen.cap.*26.*num.*14. Ioannes Garcia *de expensis,cap.*23. *num.*52. Anton. Gomez multos referens *l.*46.*Taur.num.*2. Afflictis *decis.*87.*ad finẽ* Capicius *decis.*93,*num.*9.Couar.*lib.*1.*variar.cap.*8.*num.*4. *vers.quod igitur.* Quod intellige de fructibus in quantum ex eis factus est ditior; quia hos tantùm tenetur restituere bonæ fidei possessor. Quare si pecunia illa, qua bona fide emit fundum alienum, erat empturus alium fundum, ex quo fructus erat percepturus, non in integris fructibus perceptis factus est ditior, sed deducendi sunt percipiendi ex alio fundo, qui non sunt compensandi cum expensis,percipiendi (inquam)dum bona fide possedit. Sic nonnulli docti recentiores.

16 An verò hic bonæ fidei possessor compenset expensas meliorationum etiam cum fructibus habitis ex illa melioratione,Gregor.Lopez *l.*41. *fine, tit.*28. *part.* 3. videtur tenere compensari etiam cum fructibus habitis ex illa melioratione,& dicit satis probari ex illa lege. Idem tenet Couarr.*l.*1.*var.cap.*8.*n.*4.*vers.quidigitur.*

17 At multo verius est fructus harum meliorationum non



non esse compensandos cum expensis meliorationum: sed fiet compensatio fructuum rei secundùm antiquum statum, antequam melioraretur. Ratio, quia illa melioratio est meliorantis; ergo iniquum est, vt fructus illius melioris, qui sui sunt, tanquam ex re sua percepti, compenset cum expensis meliorationis, quæ sibi debentur. Sic tenet Ioannes Garcia *de expensis, cap.* 2.3. *num.*56. dicens esse receptissimum apud supremum Regis Hispani Senatum, & sic lite mota fuisse iudicatum. Idem Molinæus *in consuetud. Paris. titul.*1.*part.*1. *glos.*5.§.1.*num.*86. Afflictis *decis. Neapolit.*87. & iuxta mensuram, qua ex fructibus recompensat expensas in meliorationibus factas, fructus correspondentes partibus melioratis pertinent ad verum dominum,& in hunc modum debet fieri eiusmodi recompensatio. Sic docti recentiores.

18 Octauum fundamentum. Malæ fidei possessor expensas necessarias potest recuperare. *l.domum,& l.in fundo,C.de rei vendicat.l.si area.ff. de condict. indeb. l.*44. *tit.* 28.*part.*3. & ratio est, quia si non feciset has expensas, teneretur de deterioritate rei, *l.ei qui.§.fin.ff.de petit.hared.*Sic contra Hostiensem *tit.de pœnit.& remission.*§.*quid de pœnam emendibus*, tenent Ioannes Garcia *de expensis cap.*2.*num.*1. Anton.Gomez *l.*46.*Tauri, num.*2. Bart. & communiter Doctores *dicta l. in fundo*, Sarmiento *lib.*1. *select.cap.*10.*à num.*1.*vsque ad* 6. vbi soluit textum fortiter in contrarium vrgentem. Metina *C.de restit.q.*6. *in* 2. *responsione,& in* 1.*respons.*Rosel.*restitutio.*7. *num.*18.Nauar. in omnibus summis *cap.*17.*n.*25. Menoch. *de recuper.possess.remed.*11.*num.*514.537.Richardus 4.*dist.*15.*art.* 5.*q.*6.Mercado *lib.*6.*de contract.cap.*14. D.Ant.2.*p. tit.*1. *cap.*12 § 16.Gabriel 4.*dist.*15.*q.*2.*art.*3.*dub.*1.Salzed.*addit.ad regulam* 302.Bernardi Diaz *vers.tertiam ampliationem.* Couarr.dicens esse verissimum etiam in foro conscientiæ,*reg.peccatum.*2.*p.*§.6.*num.*3.Sylvest.*verbo expens.q.*4.Tabien.*q.*2. Ang.& Armil.*n.*3.

19 At secundùm quam æstimationem, & quid faciendum,quando alter non est soluendo? idem dic,quod dixi circa possessorem bonæ fidei.

20 Nonum fundamentum. Possessor malæ fidei non recuperat expensas vtiles, sed ei permittitur abrasio, si fieri potest sine prioris status detrimento, *l. domum, & l. in fundo,ff.de rei vendicat.* Bart. & communis *dicta l.in fundo.* Idem dispunitur *l.*44.*tit.*28. *part.* 3. Idem Antonius Gomez *l.*46.*Taur.n.num.*2. Sarmiento *lib.*2.*select.cap.*10. *num.*5. Menochius *dicto remed.*15.*num.*540.541. Sylvest. *verbo expensæ,quæst.*4. Tabien.*q* 2 Angel.& Armil *num.*3. Ioannes Garcia *de expensis,cap.*2.*num.*2.*&* *cap.*5.*n.*1 *&* 2.*& nu.*7.concludit, quòd si abradi non possunt sine læsione rei, omnino eas amittit. Couar.*peccatum,* 2.*p.*§.6. *num.*3,licèt aliqui,quos *ibi* refert, attento iure communi dicant posse repeti. Expensas etiam voluntarias non recuperat fortiori ratione hic malæ fidei possessor. An verò permittatur abrasio, non constat de iure communi inter Doctores: quidam enim dicunt non posse abradere. Sic Anton.Gomez,Couar,Bart.*proximè citati.* Alij verò dicunt permitti abrasionem. Sic Molinæus *supra num.* 545. Sarmiento *dicto cap.*10.*num.*2, Ioannes Garcia *de expensis,cap.*5.*n.*9. Sylvest.Tabien.& Ang.*proximè citati.* At in Hispania res ista est absque controuersia: nam *l.*44.*tit.*28. *part.*3.definitur non posse abradere. Et sic aduertit Ioannes Garcia *eod.cap.*5.*n.*16.

21 Hoc autem, quòd possessor malæ fidei non recuperet expensas vtiles,& voluntarias,debet limitari, vt limitauit quintum fundamentum,& *ibi* probaui.

22 Aduerte tamen, quòd hæ leges negantes possessori malæ fidei expensarum, & meliorationum detentionem, & repetitionem, non habent locum in foro conscientiæ, sed solùm in foro externo; quia cùm hoc bonæ fidei possessori non negetur, vel est sumenda ratio talis denegationis à præsumpta malæ fidei possessoris donatione; cùm enim ædificet in re non sua scienter, videtur velle donare:vel à legali pœna ob malam fidem,& iniuriosam rei alienæ occupationem statuta. Quare cùm in foro conscientiæ non sit locus præsumptioni, nec legali pœnæ ante iudicis sententiam, sed tantùm agatur de damni illati restitutione, inde est, vt tales leges non habeant locum in foro conscientiæ, & inde est, quòd in foro conscientiæ potest retinere malæ fidei possessor expensas vtiles, quas in re aliena fecerit. Sic Couar, *reg. peccatum.*2.*p.*§.6.*num.*3.Gabriel 4.*dist.*15.*q.*2. *art.*3. *dub.*1. D.Anton.2.*p.tit.*1.*cap.*12.§.16.Nauar. *lib.*4.*de restit. c.*1. *num.*31.32.*fol.*417.Sylvest.*restitutio.*3.*q.*7.*dict.*1. *fine*, & *verbo expensæ.q.*4 vbi Tabiena *q.*2.Ang.*num.*3.Armil.*n.*3. Monaldus *verbo vsura* 5.addit Couarr.posse etiam possessorem malæ fidei in foro conscientiæ expensas voluntarias deducere per subtractionem materiæ ab ædificio absque læsione ipsius rei,& eius pristini status: & eamdem sententiam Couarruuiæ videtur approbare Menochius *de recuper.possess.remed.*15.*num.*538. dicit enim doctè ac pulchrè explicuisse Couarruuiam,quid in foro conscientiæ tenendum sit circa has expensas.

23 Hoc limitat Sylvest. *restitutio.* 3. *quæst.*7. *dict.* 1. *fine & verba furtum, quæst.*16. dic.ns malæ fidei possessorem, non recuperare in foro conscientiæ has expensas, si res deuenerit ad proprij domini manus; quia (inquit) dolo facit petens, quod necesse habet restituere: Vnde infert, quòd dominus poterit eas retinere. Sed meritò hoc reprobat Nauarra *illo cap.*1. *num.* 33. quia omnes, & ipse etiam, fatentur posse furem in conscientia retinere etiam expensas vtiles melioratas; ergo iniuriam illi facit dominus, qui rem cum illo melioramento sibi retinet, cùm ex restitutione locupletior fiat, & plus, quàm sibi debetur, accipiat.

24 Secundò limitat Gabriel *suprà*, dicens, quòd si furem dolosè meliorauit, vt eam sibi seruaret, tenetur eam cum melioramento reddere domino,etiamsi propter inopiam non soluat ibi melioramenta: subdit tamen, quòd, vt videtur,dominus refundit expensas,cùm potuerit.Sed hoc bene reprobat Nauarr.*eo cap.*1.*num.*34. quia videtur tantùm ex consilio obligare dominum ad soluendum expensas,cùm tamen ex præcepto teneatur.

25 Hinc fit non placere etiam quod docet Mercado *lib.*6.*de contract. cap.*14.vbi docet possessorem malæ fidei posse expensas recuperare,non autem mercedem laboris, quo res melior facta est; quia ob suam malitiam meretur oleum,& operam perdere. Sed hoc minus verum est: & ideo contrarium tenent Nauar. *illo cap.*1 *n.*31.32.Medina *q.*6.*de restitut.in* 2.*respons.&* 1.*responsione.*Richard.4.*dist.* 15.*art.*5.*q.*6 Couar.*reg peccatum,*2.*p.*§.6. *n.*4. Gabriel 4. *dist.*15.*q.*2.*art.*3.*dubio* 1.

26 Decimum fundamentum. Quando quis à principio est possessor bonæ fidei, & postea malæ fidei,tempore,quo habuit bonam fidem,deducit expensam,vt possessor bonæ fidei:tempore autem,quo habuit malam fidem, deducit expensas, vt possessor malæ fidei deducit. Sic Bart.*l.in fundo,ff.de rei vendic.n.*12.Menochius*de recuper. possess.remed.*15.*num.*546. Quando autem à principio fuit malæ fidei, & pòst effectus est bonæ fidei,Bart. *ibi n.*13. relinquit cogitandum: sed idem dicendum est, quod in casu posito Menochius *ibi n.*547.

27 Vndecimum fundamentum. Possessor nec bonæ, nec malæ fidei,qualis est qui dubitat,is enim nec bonam, nec malam fidem habet, glossa *l.*1.*C.de acquir. possess. & l.*3.§.*ex pluribus, ff.de acquir. possess.* vbi Iason *num.*8. & communem restatur Baldus *tract.præscript.*2. *particula* 3. *partis princip.quæst.*2.*in fine,& quæst.*3. Felin.*cap.vltimo, num.*9. *de præscript.* & latè Couarr. *reg. possessor.* 2.*p.* §.7. *num.*3.Menochius *dicto remed.*15.*num.*549.Hic (inquam) possessor deducet tanquam bonæ fidei possessor illas meliorationes, & expensas, quas ante dubitationem, vel post fecit: illas autem, quas fecit tempore dubitationis, deducet, vt malæ fidei possessor. Ratio, quia hic dubitans habetur potius,vt possessor malæ fidei, quàm bonæ;

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod ex eo demonstratur, quia non potest incipere præscribere, vt relati omnes affirmant. Item, quia suæ negligentiæ, & culpæ esset adscribendum, quòd in rem, quam alterius esse ambigit, impendere voluerit. Menochius *ibi num.* 549. Quod ego intelligo, quandiu dubitans reputatur malæ fidei, nempe quando non adhibet debitam diligentiam ad indagandum an res sit sua, si enim adhibuit iam debitam diligentiam, & adhuc manet dubius, an res sit sua, cùm in hoc casu possit iustè retinere, secundùm communem sententiam, eo quòd in dubio melior est conditio possidentis, ex tunc censebitur iam possessor bonæ fidei, & tanquam talis deducet expensas. Vide quæ latè dixi *lib.* 2. *summæ, cap.* 23.

28 His ergo suppositis, circa dubium initio propositum quidam dicunt nullo modo teneri maioratus possessorem soluere illi bonæ fidei emptori pretium, nec expensas meliorationis, sed esse illi prædium illud restituendum. Ratio, quia *l.* 46. 7 *aur.* bodie *l.* 6. *tit.* 7. *lib.* 5. *recopil.* de cuius intellectu latè egimus *supra dub.* 30. disponens melioramenta facta in rebus maioratus cedere ipsi maioratui, nec teneri successorem ea soluere vxori, nec filiis possessoris maioratus, procedit tam in melioramentis factis à possessore maioratus, quàm in aliis factis ab extraneo emptore bonæ fidei. Ratio, quia lex non principaliter respexit personam expendentis in ædificando, bonam, seu malam fidem habere; sed potiùs successorem in eo maioratu, ne scilicet ei in ea successione præiudicetur; & qualitatem successionis, quæ cùm perpetua, & indiuidua sit, & à lege deferatur, & non ab ipso possessore, in ea successori nequit præiudicari. Et confirmatur, quia ratio, ob quam iustificatur dicta l. 46. Taur. pariter procedit in hoc casu; ea enim ratio est, vt docent Anton. Gomez *eadem l. Tauri, num.* 4. Gutierrez *lib.* 2. *pract. quæst.* 81. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 26. *n.* 14. Burgos de Paz iunior *quæst.* 6. *ciuili, num.* 10 quia iniquissimum esset, quòd is, qui succedit in re fideicommisso subiecta, qui tempore mortis tenetur eam alteri restituere, soluere teneretur id, quod alter, qui etiam per tempus vitæ suæ illam possedit, fructúsque eius percepit, expendit; sed hæc ratio similiter procedit in hoc casu. Sic tenet Auendaño *l.* 46. *Tauri, gloss.* 2. *n.* 1.

29 Negare tamen non potest hæc sententia, quòd illi possessori bonæ fidei liceret abradere, iuxta dicta *suprà dub.* 30. *fine.*

30 Sed dico primò, quòd talis possessor bonæ fidei potest recuperare expensas meliorationis rei illius maioratus, quam bona fide emit, & successor tenebitur eas illi soluere, iuxta dicta 3. & 5. fundamentis positis de possessore bonæ fidei. Ratio, quia iure communi hoc concessum est bonæ fidei possessori; quod non tollit l. 46. Taur. vt diximus ex communi sententia *suprà dub.* 30. & si hoc tolleret, esset correctoria totius iuris. Secundò, quia dicta l. 46. Taur. expresè loquitur, quando talia ædificia in re maioratus fiunt per verum eius successorem; secus verò si per alium, qui bona fide credens esse rem suam ea facit, ibi, *a las mugeres del que los hizo, ni a sus hijos, ni herederos.* Quasi esset secus, si tertius eas fecit, & ratio, ob quam iustificatur dicta l. 46. Taur. tantùm loquitur, & procedit in expensis factis per verum possessorem maioratus, noluit enim lex, vt successorem grauaret debitis, cui non succedit successor, sed habet maioratum à primo fundatore. Item, quia æquitas non patitur, vt sudore possessoris bonæ fidei alter locupletetur. Præterea, quia in hoc casu ipsa maioratus possessio, in qua factæ sunt expensæ, est lege ipsa hypothecata possessori bonæ fidei, qui bona fide eas expensas fecit, donec ipsi solutio fiat, *l. in area. ff. de condict. indeb.* Sic tenent Burgos de Paz *lib.* 1. *consil.* 3. *num.* 107. & Burgos de Paz iunior *quæst.* 7. *ciuili, num.* 10. & 32. Mieres *tract. maioratus* 4. *part. quæst.* 32. *per totum.* & potest ampliùs confirmari ex dictis *dub. præced.* quia cùm respectu illarum meliorationum sit nouus maioratus, tenebitur successor ad debita præcedentia, nempè contracta ad illas meliorationes. Idem tenet Ioan. Garcia *de contiug. ac quæstu. num.* 90 *fine*; addit tamen quòd vxor non potest petere partem dimidiam harum expensarum, quas suus vir possidens maioratum soluit, censentur enim ab eo factæ.

31 Immo Burgos de Paz iunior *illa q.* 7. *num.* 39 40. 41. dicit, quòd licèt esset possessor malæ fidei, si talia melioramenta fuerint adeò necessaria, quòd res melioratus sine illis periret, tenetur etiam successor soluere: & constat ex dictis *dub. præced.*

32 Secundò dico, quòd talis bonæ fidei possessor potest prædium illud retinere, donec alter soluat expensas: vt diximus 6. fundamento; quia *l. in area. ff. de condict. indeb. & l.* 41. 44. *tit.* 28. *part.* 3. absolutè, & generaliter hoc ius retentionis concedunt: & tenet Burgos de Paz iunior *q.* 7. *ciuili, num.* 35. vbi ad idem refert Aluarum. Valascum 1. *part. de iure emphyt. quæst.* 25. *n.* 25. *fine*, & Fanum *de pignor.* 4. *memb.* 5. *p. n.* 8. & pro hoc expresè est Greg. Lopez *l.* 41. *tit.* 28. *part.* 3. *vers. entregado*, vbi ex illa lege collegit, quòd hæres defuncti, qui tenuit maioriam, potest retinere bona maioriæ pro expensis in ea factis ad perpetuam rei memoriam.

33 Quòd si obiicias, quomodo admittitur hîc retentio via compensationis, cùm ad hoc requiratur, quòd debitum sit clarum, & liquidum: at in hoc casu non est ita, sed sub iudice. Respondetur, Doctores citatos censere esse ita clarum, vt censeant esse locum compensationi. Sic docti recentiores à me consulti circa hanc difficultatem, & obiectionem, visis Doctoribus, & rationibus, censuerunt.

34 Tertiò dico, quòd hic possessor bonæ fidei tenetur compensare fructus perceptos cum expensis meliorationis, fructus (inquam) rei in statu, in quo erat ante meliorationes à se factas, vt diximus 7. fundamento, cum limitatione ibi posita, & sic sibi recompensare, donec suas expensas recuperaret, vel successor soluat: patet ex dictis *ibi.* Sic docti Iurisperiti.

35 Vltimò dico, quòd de pretio, quo emit prædium, censendum est, sicut de aliis debitis maioratus possessoris, cùm enim illud pretium non sit conuersum in vtilitatem prædij, non est prædium pro eo obligatum: immo res furtiua bona fide empta reddenda est domino, non petito ab eo pretio, secundum omnes: Quare si successor maioratus non fuit hæres aliorum bonorum liberorum venditoris, nec pretium illud conuersum est in vtilitatem perpetuam maioratus, non tenetur successor illud soluere, sicut nec alia debita maioratus possessoris, vt dixi *dub. præcedent.* Si verò conuersum in vtilitatem maioratus, tunc habebunt locum opiniones positæ *dub. præced.* Quare cùm hoc iam sub iudice sit, vt *ibi* vidimus, non potest is in hoc possessor bonæ fidei propria authoritate compensare. Sic Iurisperiti præfati.

## DVBIVM XXXIII.

*An si Ioannes, v. g. constitutus sit vsufructuarius omnium bonorum testatoris cum facultate, vt possit in suo testamento liberè disponere de quantitate centum aureorum ex dictis bonis, & moriatur ab intestato. succedant in his centum aureis hæredes ab intestato dicti Ioannis, vel succedat is, cui proprietas bonorum relicta est post obitum Ioannis.*

1 SIt conclusio. Succedunt hæredes ab intestato Ioannis. Probatur, quia eo ipso quòd Ioannes non disposuit, lex præsumit habere tacitam voluntatem relinquendi suis hæredibus ab intestato. *l. constituitur. ff. de iure codicil. in principio*, in illis verbis: *Sed ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimâ hæreditate.* Secundò probatur ex *l.* 1. §. 2. *quibus, vers. fit. sciendum. ff. de legat.* 3. vbi Iurisconsultus æquiparat hæc duo, & docet idem esse relinquere alicui rem suam, & illam illi non auferre, vt in illis verbis, *Sciendum est autem eorum fideicommittere quem posse, ad quos aliquid peruenturum est mortis eius, vel dum eis datur, vel dum eis non adimitur.* Tertiò probatur ex *l.* 4. *C. de contrah. & commit. stipulat.* vbi dicitur, quòd si quis certam contulit dotem alicui fœminæ, vt nuberet, sub ea tamen conditione, vt post illius obitum medietas ad ipsum dantem rediret, & de alia medietate posset ipsa disponere, docet textus hanc medietatem reputari inter bona ipsius fœminæ tempore suæ mortis: vbi Baldus sic summat: *Qui stipulatur, cum morietur, ei, cui velit dari, sibi, & hæredi suo intelligitur stipulari.* Quartò probatur, quia communiter Doctores dicunt, quòd si quis per contractum emphyteusis accepit aliqua bona pro tempore suæ vitæ cum facultate, vt possit nominare aliam secundam vitam, & mortuus est non facta nominatione, censetur nominare hæredem, atque ita ille succedit in dicta secunda vita. Sic tenet Alexand. *consil.* 232. *num.* 3. *lib.* 6. & alij plures, quos refert, & sequitur Pinel. *l.* 2. *num.* 11. *C. de bonis mater.* vbi in propriis hæredis ab intestato terminis loquitur idem Burgos de Paz *l.* 1. *Taur. num.* 436. & *num.* 428. *cum sequentibus* latè probat, quòd quando quis accepit in emphyteusim pro vita sua, & aliis duabus, quas nominauerit, eo decedente absque nominatione, transit ius nominandi in eius hæredes: quod idem decidit Panor. *consil.* 80. & Bologninus *consil.* 6. Et ratio est, quia hæres succedit in vniuersum ius, quod defunctus habebat, & in vniuersam potestatem, quam ipse habebat, *l. hæredem. l. hereditas, ff. de regulis iuris.* & sicut succedit in bonis, ita in iuribus, quæ pro eodem reputantur, *l. bonorum. ff. de verb. signif.* notat Baldus *in rubr. C. de rebus cred. num.* 3. Pinel. *rubr. C. de bonis maternis*, 1. *p. à num.* 1. Nec obstat dicere hoc ius disponendi esse personale respectu personæ Ioannis; quia tunc demum facta personæ cohærent, cùm eius industria requiritur, & non æquè commodè per alium explicari possunt, *l. inter artifices. ff. de solut.* quod hîc non contingit. Sic Marcus Anton. Natta referens Curtium iuniorem *consil.* 216. *num.* 10. vbi dicit hæc verba. Testator grauauerat vxorem hæredem de restituendo hæreditatem post eius mortem alteri, ita tamen quòd de hæreditate posset disponere vsque ad valorem mille; decessit vxor ab intestato, vxoris hæredes ab intestato possunt dicta mille detrahere: quia satis videbatur in eos disposuisse, per dictam *l. conficiuntur.* Eadem verba dicit Baldus Nouellus *in repetitione l. cum filio, ff. de legat.* 1. *n.* 4. quæ habetur *volum.* 4. *repetitionum.* Idem omnino Mantica *de coniect. vltim. volunt. tit.* 7. *lib.* 7. *n.* 4. Caldas de Pereira *de nominat. emphyteutica. q.* 7. *n.* 48.

2 Sed nota, quòd si sint plures hæredes, quando ille, qui accepit emphyteusim pro tempore vitæ suæ, & alterius, quem nominaret, si non nominauit, tenentur hæredes nominare. Sic quidam doctus Iurisperitus.

## DVBIVM XXXIV.

*An ex renunciatione legitimæ, vel ex pacto de futura successione oriatur actio naturalis, ita vt teneatur, qui hæc pacta iniit, illis stare in foro conscientiæ, licèt non oriatur actio ciuilis, id est, non cogatur in foro externo stare contractui.*

1 ANtequam respondeamus ad quæstionem propositam, oportet supponere aliqua, & præmittere resolutionem aliquorum dubiorum circa hæc pacta, ad videndum, quando sunt valida: & inde gradum faciemus ad solutionem propositi dubij, ad videndum scilicet, an quando talia pacta non producunt obligationem ciuilem, producant naturalem.

2 Primum fundamentum sit: quando ex contractu aliquo oriatur naturalis obligatio, & quando naturalis, & ciuilis simul, & quando neutra: dicendum enim est, quod vbi lex assistit contractui, oritur vtraque obligatio; quando nec assistit illi, nec resistit, oritur obligatio sola naturalis: quando verò illi resistit, neutra oritur: de quo dixi *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 7. *n.* 15.

3 Secundum fundamentum sit. Duplex est pactum, quoddam est non succedendi, seu renunciatio legitimæ facta ei, cui succedendum est: aliud est pactum succedendi, seu pactum de futura successione, seu de hæreditate viuentis, vt cùm quis in quemdam tertium renunciat legitimam, vel partem, vel facit in fauorem tertij pactum circa eam: circa quæ pacta quædam dubia sunt.

4 Primum dubium est, qualiter valeat pactum non succedendi, seu renunciatio legitimæ facta ei, cui succedendum.

5 Sit prima conclusio. Tale pactum iure ciuili non valet: patet ex *l. pactum dotale, C. de collat.* vbi dicitur tale peccatum improbari: & *l. pactum, quod dotali. C. de pactis, & cap. quamuis pactum, de pactis in* 6. dicitur legem ciuilem tale pactum improbare: & Gutierrez *dict. cap. quamuis pactum, initio*, vocat hoc pactum nullum, & reprobatum à iure. Ratio huius decisionis est, iuxta communem, vt testatur Cou. *dict. cap. quamuis pactum*, 3. *part. initio, num.* 1. ne facillimè ius futurum modico præsenti accepto remittatur, quæ optima est, licèt ipse eam reprobet. Aliam rationem ponit ipse, quia hæc renunciatio communiter fit à filiis ad parentum exhortationem, quibus facillimè non ex libero consensu, sed non ausi ob paternam reuerentiam refragari, eorum futuræ successioni renunciant.

6 * Hinc fit, non tantùm ius non assistere huic contractui, sed etiam illi resistere: patet ex dictis, quia cum reprobat, & reiicit,

7 Secunda conclusio: cùm hoc pactum non sit contra bonos mores iure canonico firmatur iuramento: patet ex *cap. quamuis pactum. de pactis, in* 6. quæ etiam seruanda est à iudicibus sæculatibus, & possunt ad id compelli per censuras: quia agitur de concernentibus peccatum. Sic glossa *dict. cap. quamuis pactum, vers. seruari.* Couar. *ibi* 3. *part.* §. 4. *n.* 9. Georgius Natta, Parisius, Guillelmus Benedictus, quos refert, & sequitur Gutierrez *ibi*, §. *improbet lex ciuilis.*

8 Nota primò, quòd licèt textus *d. cap. quamuis pactum*, loquatur de filia renunciante, dum nuptui tradebatur: at parum refert, quòd fiat tempore nuptiarum, vel ante nuptias, vel post eas, modò filia renuncians hæreditati paternæ dotem, vel congruam portionem eo tempore ex patrimonio patris accipiat. Sic Archid. Ioan. Andr. Dominicus, Francus, Georgius *dict. cap. quamuis pactum*, & *ibi* Couar. 3. *part.* 6. 2. *n.* 1.

9 Secundò licèt textus loquatur de bonis paternis, idem est de renunciante maternis, quia eadem est ratio. Sic tenet dicens esse sine dubio Gutier. *dict. cap. quamuis pactum* §. *nullum ad bona materna, n.* 1. An verò renunciatio facta à filio de bonis maternis, præiudicet vsufructui patris, alibi dixi.

10 Sed quid si nullam dotem recipiat; aliqui tenent non valere, quia textus dicit, *dote contenta.* Sic Anchar. Matthæus de Afflictis, Barbatius, quos refert Gutier. & alij, quos refert Couar. At contrarium tenent, & probant Couar. *ibi* 3. *part.* §. 2. *n.* 6. Gutier. *ibi*, §. *vt dote contenta, n.* 1. Anton. Gomez *l.* 22. *Taur. n.* 7. Molina *lib.* 2. *de primog. c.* 3. *n.* 27. & alij, quos hi allegant.

11 Tertiò nota, idem dicendum esse de pacto, seu promissione de renuncianda paterna hæreditate facta patri: quia absque iuramento non valet: at iurata valet, immo eo ipso facta censetur renunciatio. Sic Bald. Roma. Boërius, quos refert latè probans Couar. *ibi* 3 *p. initio, num.* 3.

12 Quartò nota dicta procedere, etiamsi renuncians sit minor, modò sit pubes, quia iuramentum idem supplet defectum minoris ætatis, & reddit firmam renunciationem,

Universidad de Deusto
Biblioteca



tionem. Sic contra Alciatum multos referens tenet Couar. *ibi 3. part. §. 1. num. 3.* Gutier. *ibi §. à filia, num. 1.* An verò hoc procedat in impubere proximo pubertati, alibi dicendum est. Nec est opus, vt minor iurans certioretur, iure ciuili hoc pactum esse nullum. Couar. ibi alios referens §. 1. *num. 4.* Gutier. *§. à filia, num. 3.* Item procedit etiam in filia non emancipata, sed sub patris potestate constituta Couar. *num. 5.* multos referens, Gutier. *num. 4.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 3. num. 5.*

13 Quintò nota, quòd licèt textus loquatur de filia, quæ renunciauit dote contenta, procedit etiam in filio masculo quacunque ratione recipiente aliquid, & renunciante cum iuramento. Sic Gutierrez *dicto §. à filia, num. 4.* dicens esse omnium.

14 Ex his fit licentiam testandi, quam possunt parentes quantumcunque habeant alios filios legitimos, in eorum præiudicium concedere filio; vt possit ad libitum disponere, & ea habita poterit filius relinquere parentibus, vt liberè disponant inter filios, & externos, vt latissimè probat Gutier. *dict. cap. quamuis pactum, initio, num. 19.* & 43. Ceruantes *l. 6. Taur. n. 74.* & supponunt Tello, & Molina statim citandi: fit, inquam, hanc licentiam debere esse cum iuramento, aliàs non valet; quia est renunciatio hæreditatis viuentis. Sic docet alios referens Molina *l. de primog. cap. 3. num. 49.* & 50. Tello *l 6. Taur. n. 65.* & quidam docti iurisperiti. Hoc intellige, nisi fieret in ipso actu testandi in vita, vel in morte; quia renunciatio tunc, seu consensus, vt non instituatur, valet sine iuramento. Anton. Gomez multos referens *l. 22. Taur. n.* quia non reputatur renunciatio hæreditatis futuræ, sed institutionis præsentis, quæ scilicet illo tempore sibi debebatur: & licèt in consequentiam veniat priuatio hæreditatis, non attenditur, cùm fundetur in iure de præsenti: idem Anton. Gomez *tom. 1. variar. c. 11. num. 14.* 31. Gutier. *c. quamuis pactum, § n. 27.* Suarez *l. quoniam in prioribus, 10. ampliat. n. 31. 32.* licèt alij teneant contrarium.

15 An verò consensus, quem præstant filij, vt soror melioretur à patre in tertio, & quinto bonorum, quæ melioratio aliàs est adeò inualida, & ei resistit *l. 1. tit. 2. lib. 5. nouæ recopil.* quando fit causa dotis ad matrimonium contrahendum, vt non firmetur iuramento, vt probant Gutier. *de iuram. confir. 1. part. c. 14. n. 14.* Baëza *de melior. fil. causa dotis. cap. 29. à num. 4.* indigeat iuramento; videtur enim indigere, quia est renunciatio legitimæ, tertium enim legitima est, vt docent, dicentes omnia bona parentum esse legitimam filiorum, deducto quinto, Segura *l. vnum ex familia, § sed si fundum, n. 49. & sequentib. ff. de legat. 2. & l. 3. § fin. n. 106. & 128.* & in addit. huius Perez, *ff. de liber. & posthum.* Palacios Rubios *l. 19. Taur. n. 5. & l. 23. n. 1. & 3.* Ant. Gomez *ead. l. 23.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 6. l. 2. gloss. 3. n. 2. & l. 1. gloss. 2. n. 2.* Tello *l. 27. Taur. n. 3.* Greg. Lopez *part. 6 tit. 9 l. 2. verf. la manda.* At renunciatio legitimæ facta ei, cui succedendum est, iuramento indiget, vt diximus; ergo.

16 Supponendum est, quòd licèt talis renunciatio tertij, & quinti facta filiæ per contractum inter viuos ratione dotis, vel matrimonij, non valeat, per dictam *l. 1. tit. 2. lib. 5. recopil.* at ex consensu aliorum fratrum valet, vt latè probat Baëza *de non meliorat. filia. cap. 10 à n. 55.* immo & ratificatio illorum talis melioratonis factæ sat est, vt probat idem *num. 96.* An verò sat sit, quòd filij simul se obligent cum patre ad dotem, consule Baëzam *ibi num. 129.*

17 Dico ergo non esse necessarium iuramentum, vt talis consensus, vel ratificatio valeat: quod clarè significat Baëza *dict. cap. 10. n. 60* ibi, dum dicit, nisi expresè, & legitimo modo iure approbato meliorationem ratificauerint iam minores, vel addito vinculo, quod ætatem suppleat: ergo clarè sentit non esse necessarium iuramentum, nisi quando fratres sunt minores ad supplendum defectum minoris ætatis, sicut in aliis minorum contractibus contingit. Idem quidam docti Iurisperiti à me consulti. Et ratio est, quia hæc renunciatio non est legitimæ, fit enim fauore sororis; at inter fratres tertium non est legitima, sed tantùm respectu extraneorum, & sic intelliguntur Doctores citati, dicentes esse legitimam. Quod inde probatur, quia legitimæ nullum grauamen potest imponi, *l. quoniam in prioribus. C. de inoffic. testam. l. 11. tit. 4. part. 6.* at inter filios, & descendentes potest grauamen imponi in tertio bonorum, vt patet ex *l. 27. Taur.* quæ est *l. 11. tit. 6 lib. 5. nouæ recopil.* Item quia legitima appellatur quæ necessariò debetur, ideóque appellatur debitum bonorum subsidium. *Auth. vnde etsi parens. C. de inoffic. testam. & l. si tot as, C. de inoff. donat.* at respectu filiorum non est debitum tertium, sed cuicumque illorum potest dari: immo, & cuicumque descendenti, omissis filiis; ergo non est legitima inter filios, sed respectu extraneorum, quibus non potest relinqui. Et sic docent vocantes illud potiùs prælegatum, Palacios Rubios *l. 17. Taur. n. 5. & sequentibus, & n. 10.* Castillo *l. 18. Taur. in principio, & l. 21. n. 5.* Gomez Arias *l. 16. Tau. num. vult.* Parlad. *de rebus quotid. c. 7. n. 3.* Spino *speculo testam. gloss. 18. n. 16.* Angulo *l. 11. de las mayoras. gloss. 10. fine.* Tello *l. 25. Taur. n. 2.* Baëza *de non melior. filia. cap. 9. à n. 49.* per plures Azebedo *lib. 5. recopil. tit. 6. l. 2. num. 9.* Matienzo *eodem tit. 6. l. 11. gloss. 1. n. 2.* Cou. 1. *variar. cap. 19. n. 3.* Xuarez *l. quoniam in prioribus, ampliat. 7. n. 4.* & *ibidem in declarat. l. Regni, q. 7. n. 1. fine,* & est communis.

18 Hinc respondi ad quemdam casum, de quo fui consultus. Quidam parens filiam meliorauerat, vt in matrimonium duceretur, scrupulum mortis tempore habenti alter filius illi dixit se remittere, quod ad semetipsum pertinebat; dubitauit dictus filius, vtrùm, mortuo patre, illud posset petere? & respondi non posse; & idem visum est nonnullis Iurisperitis doctis; quia ille ratificauit meliorationem factam, quod (vt dixi) sufficit, nec est necessarium iuramentum.

19 Secundum dubium est, an possit ingrediens religionem, si ex renunciatione lædatur enormissimè, restitui, v.g. si renunciauit opulentissimæ hæreditati modica dote, sufficienti tamen, possit rescindi huiusmodi renunciatio iurata per restitutionem in integrum.

20 Respondetur, quidquid sit in aliis casibus, at in hoc speciali, quando renuncians ingreditur monasterium, non potest rescindi. Sic renet latè fundans Couar. cum Decio, & Aimon. quos *ibi* refert, licèt dicar multos sentire oppositum, *cap. quamuis pactum, 3. part. §. 2. n. 5.* & *ibi* Gutier. *§. dum nuptui tradebatur, num. 3.* Molina *lib. 2. de primog. c. 3. n. 27.* Burgos de Paz *consil. 5. a n. 1.*

21 In aliis verò casibus citra hunc, quando ratione læsionis fit locus restitutioni, consule Molinam *dict. cap. 1. n. 9. & sequentibus,* & Gutier. *dicto cap. quamuis pactum. §. si tamen iuramento, n. 1. & 2.*

22 Nota tamen, quòd quoties de læsione in renunciationibus agitur, tempus factæ renunciationis considerandum est, & impertinens est, quòd postea parentum facultates excreuerint, sicut enim bonis postea diminuis id, quod ex causa renunciationis acceptum est, non est restituendum, ac diminuendum, ita supercrescentibus, augendum non est. Sic Alex. Decius, Parisius, Boërius, quos refert, ac sequitur Molina *lib. 2. de primogen. cap. 3. n. 29.* Menchaca *de succeff. creat. lib. 2. part. 1. §. 18. num. 79. cum sequentibus.* Couar. *cap. quamuis pactum, 3. part §. 18. n 7. ad finem.* Tello *l. 23. Tauri, n. 12.* Anton. Gomez *l. 22. Taur. num. 4.*

23 Ex hoc infertur, quòd dum diximus renunciationem valere absque iuramento, intelligitur, nisi filius in vita reciperet à patre integram legitimam; quia tunc valeret renunciatio hæreditatis, & licèt non renunciet, non potest rumpere testamentum patris, in quo est exhæredatus, licèt eius facultates nimium augeantur; quia tempus renunciationis considerandum est. Sic multos allegans Anton. Gomez *l. 22. Taur. n. 4.* Xuarez *l. quoniam in prioribus. C. de inoffic. testam. 4. limit. ad regiam, num. 4.* Tello



Tello *l. 2. Taur. num. 16.* Baeza *de non melior. filia, cap. 5. n. 30.* & multi alij per hos, & per Gutier. *cap. quamuis pactum §. à filia, n. 7.* relati. At hoc est valdè dubium, nisi renunciatio fiat cum iuramento; quia ad legitimam assignandam tempus mortis patris consideratur. Quare auctis tunc facultatibus potest filius residuum petere, nisi cum iuramento renunciarit, & eis diminutis tenetur superfluum reddere. Et sic tenet multos referens, & dicens communem Gutier. *ibi n. 8. & sequentibus,* & Couar. *cap. quamuis pactum, 3. p. §. 1. num. 2. & cap. Raynutius, de testam. §. 1. num. 8.* Menchaca *de succeff. creat. §. 20. n. 292.*

24 Tertium dubium est, quando renunciatio iurata hæreditatis paternæ, vel maternæ excludat filium renunciantem, & eius filiis noceat.

25 Sit prima conclusio. Talis renunciatio iurata excludit omnino filium renunciantem à successione, ita quòd in nullo succedet parenti, cuius hæreditati renunciauit, etiam ab intestato. Hæc est contra aliquos, dicentes succedere ab intestato; quia parens cui est facta renunciatio moriendo ab intestato tacitè videtur filium renunciantem cum aliis admittere ad successionem. Sed nostra conclusio probatur ex *cap. quamuis pactum, de pactis, in 6.* ibi, *nullum ad bona paterna regressum habebit.* Et sic tenet ibi Couar. multos referens 3. *part. §....n. 5.* Gutier. *ibi §. omnino seruari debebit, n. 1.* Ant. Gomez *l. 22. Taur. num. 8. & 9.*

26 Nota primò in hoc casu etiam excludi à legitima. Sic Couar. *ibi n. 3.* Gutier. *ibi n. 6.* & multi quos allegant licet dicant communè sententiam tenere contrarium, & ideo (inquit Gutier.) quòd ad tollendum omne dubiũ est optimum, vt renunciatio fiat etiam expresè de legitima.

27 Secundò nota, quòd etiam in hoc casu potest filius renuncians petere alimenta, si egeat, nec aliũde ea habeat, etiamsi renunciarit iuri petendi alimenta cum iuramento; quia tale pactum esset contra ius naturale; quo patet tenetur alere filium egentem. Sic Ant. Gomez multos referens, & latè probans *l. 22. Taur. n. 12. fine,* Gutier. *dict. §. omnino seruari debebit, n. 5.* Entiquez *lib. 13. de excomm. b. 56. n. 1. commento, litera N,* Molina *lib. 2. de primog. c. 15. fine,* Rojas *epit. succeff. cap 21. n. 78.*

28 Tertiò nota, quòd virtute talis renunciationis excluditur à successione immediata patris, non autem mediata, v.g. si frater renunciantis hæreditauit bona parentis, & postea decedat intestatus, succedet frater, qui renunciauit ab intestato, sicut alij fratres; quia iam non dicitur hæreditas parentis, sed fratris defuncti. Sic multi, quos refert, & sequitur latè probans Ant. Gomez *l. 22. Taur. n. 13* Gutier. *cap. quamuis pactum, §. omnino seruari debebit, num. 7. & ibi* Couar. *3 part. §. 3 num. 2.* Tiraquel. *de vtroque retract. 1. part. §. 1 gloss. 9. n. 44.* Molina *n. 20.* Quod est verum, etiamsi frater defunctus non adierit hæreditatem. Sic alios referens Anton. Gomez *ibi n. 13.* Couar. *n. 2.* Gutier. *n. 9* qui aduertit *n. 10.* quòd vt vtrumque casum comprehendat, est optima cautela renunciare cum iuramento non tantùm hæreditati paternæ, sed etiam fraternæ, & refert Iasonem.

29 Quartò nota, quòd virtute talis renunciationis excluditur tantùm à successione parentis iure sanguinis: vnde petere potest, & succedit in bonis parentum, quæ iure pœnæ, & reseruationis legalis sibi debentur, v.g. *l. fœminæ, C. de secund. nupt.* statutum est in pœnam parentum contrahentium secundas nuptias, quòd bona, quę ex filiis prioris matrimonij hæreditauerint, ipsis reseruentur, nec diuidantur cum filiis secundi. Dico ergo quòd filia, quæ renunciauit hæreditati paternæ, succedet in his bonis, quæ pater hæreditauit à fratre talis filiæ prioris matrimonij; qura hæc non tam iure sanguinis, quàm reseruationis, & pœnæ legalis sibi debentur. Sic Couar. multos allegans *cap. quamuis pactum, 3. part. §. 3. num. 1.* Molina *tomo 3. de iust. disp. 579. num. 21.*

30 Quintò nota, quòd virtute talis renunciationis non excluditur à bonis paternis, quæ feudalia sunt, & quæ etiam fœminis ex natura feudi deferuntur; cùm hæc bona non sint omnino paterna. Couar. allegans alios *dict. § 3. num. 6.* Molina *num. 22.*

31 Secunda conclusio. Si tempore renunciationis factæ à filio, vel filia, erant alij filij, vel descendentes, qui omnes, dempto renunciante, tempore mortis parentis obierint, corruit renunciatio, & renuncians est omnino necessarius hæres, ac si non renunciasset. Ratio, quia talis renunciatio censetur facta fauore aliorum filiorum, vel descendentium, & sub quadam tacita conditione, si hæreditas peruenit ad eos: vnde eis non extantibus deficit conditio, & sic renunciatio. Sic multos referentes, & textibus latè probantes Socinus senior *consil. 34. num. 5. vol. 4.* Parisius *consil. 23. 44. lib. 3.* Romanus, & Corneus, quos refert, & sequitur Menochius *consil. 335. num. 15. vol. 4.* Ant. Gomez *l. 22. Taur. num. 11.* Molina *lib. 2 de primog. c. 3. n 48.* Conar. *c. quamuis pactum, 3. p. § 3. n. 3. & 4.* Gutier. *ibi §. omnino seruari, num. 14.* Tello *l 6. Taur. n. 44.* Menchaca *de succeff. creat. lib. 2. §. 18. n. 146.* Immo hoc est verum, licèt renunciatio fiat fauore parentis propter dotem ab eo receptam, de fratribus verò, vel sororibus nulla sit facta mentio, quia semper præsumitur facta fauore fratrum, vel sororum tunc viuentium. Sic Tello *ibi num. 45.* Couar. *eo num. 4. vers. 6. & vers. 10.* nisi (inquit Tello *eo n. 45.*) constaret apertè renunciationem non esse factam, nisi patris contemplatione.

32 Immo licet tempore renunciationis non essent alij fratres, nec descendentes, si tempore mortis parentis non sint, sed solus, qui renunciauit, corruit renunciatio, & sic renuncians est hæres necessarius, ac si non renunciasset. Ratio, quia ex tacita coniectura præsumitur facta fauore aliorum filiorum nasciturorum: & sic habet tacitam conditione, si alij filij nascantur, nisi apertè constaret, quòd non est facta fauore aliorum filiorum nascendorum; quia expresè dixit renuncians, si non nascantur liberi possit cuicumque relinquere. Sic latè probans, ac multos referens Ant. Gomez *l. 22. Taur. n. 12.* Gutier. *d. §. omnino seruari debebit, n. 2. & 4* nisi, inquit Gutier. *n. 3.*) filius alius natus sit, & sit præmortuus, ac ex eo supersit filius: tunc enim valet renunciatio, cessat enim ratio, cùm in locum filij præmortui subintret eius filius.

33 An verò si tempore pacti; & renunciationis pater non habebat filium masculum, sed tantùm fœminas, nec postea nascatur masculus, corruat renunciatio, consule Couar. *eodem §. num. 4.*

34 Hæc tamen secunda conclusio patitur duas limitationes.

Prima est, nisi in Hispanorum primogeniis ex consensu, seu renunciatione filiorum institutis; talia enim non deficiunt, etiam omnibus aliis filiis, & descendentibus deficientibus, & sic renuncians non succedet. Ratio, quia suapte natura sunt perpetua, & in totius familiæ fauorem censentur instituta. Sic Molina *lib. 2. de primog. cap. 3. num. 48.* Gutier. *dict. §. omnino seruari debebit, fine.*

35 Secunda limitatio est, nisi filia renunciauit, vt in monachisimum abiret. Hæc tamen limitatio valde est sub iudice: quidam enim eam negant, & dicunt, quòd adhuc in hoc casu deficientibus aliis fratribus, & descendentibus, succedet monasterium, quia adhuc censetur facta fauore fratrum: illis enim magis videtur velle prospicere, quàm monasterio: quia magis videtur velle fauere monasterio, quàm extraneis, cùm æquitas, & ratio hæc suadeat. Sic Tello latè probans *l. 6. Taur. a num. 48.* & tandem *num. 63. fine*, relinquit cogitandum, propter authoritatem in oppositum sententium.

36 Alij verò dicunt, quod non succedet contra testamentum parentis, cuius bonis renunciauit: forsan tamen ab intestato succedet, quia cùm ingrediens monasterium non sit sollicita de bonis temporalibus, imo ad paupertatem perpetuã se obligare vult, dum hac de causa renuntiat, non videtur in fratrum fauorẽ, sed omnino absolutè enunciare. Sic Couar. *c. quamuis pacti. 3. p. n 4. vers. nono.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



37 Alij & melius dicunt, quòd nec etiam ab intestato succedet, id enim probat ratio facta; non enim censetur tunc facta renunciatio tantùm fauore fratrum, sed absolutè, & sic nullo modo renuncians habet ius ad hæreditandum etiam ab intestato. Sic Menchaca *de succeff. creat. lib. 2. § 18. num. 117.*

38 An verò talis renunciatio legitimæ iurata noceat filiis, & descendentibus renuncians, ita vt nec ipsi succedant, nec possint renunciationem reuocare, distinguendus est duplex casus: primus est, quando renuncians moritur post mortem patris, cuius hæreditati renunciauit. Secundus est, quando ante eius obitum moritur.

39 Tertia Conclusio sit. In primo casu, quando scilicet renuncians moritur post obitum parentis, cuius hæreditari renunciauit, tunc nocet talis renunciatio filiis, & descendentibus renuncians, & sic in illa non succedent. Ratio, quia tunc mortuo parente defertur hæreditas renuncianti, à qua tamen per renunciationem est exclusus. Sic Anton. Gomez *l. 22. Taur. n. 10.* referens multos, & latè probans Couar. *c. quamuis pactum, 3. p. §. 3. n. 7.* Gutier. *ibi §. vlt. n. 4* Rolandus à Valle *lib. 1. consil. 11. n. 8.* Molina *lib. 2. de primog. c. 3. n. 47.* Xuarez *l. quoniam in prioribus, 4. limitat. legis regiæ, num. 9. & 10.* & omnes citandi pro sequenti conclusione.

40 Aduerte tamen quòd, sicut dixi *præced. conclus.* deficientibus aliis fratribus corruit renunciatio, & succedet in hæreditate renuncians: similiter dico, quòd licèt filius, vel filia, quæ renunciauit, obierit post mortem patris, nepos ex tali filio, vel filia succedet, quando nulli supersunt descendentes. Ratio, quia succedit in eodem iure: ergo sicut renuncians, si viueret, succederet in hoc casu patri, sic eius filius. Sic Anton. Gomez *ibi n. 10, paulò ante vers. secundo, & melius*, Gutier. *eodem §. vlt. n. 5.* Rolandus à Valle *ibidem n. 22.* Xuarez *ibidem n. 9. & 10.*

41 Hinc infertur, quòd hæc renunciatio in hoc casu, quo renuncians superuiuit ei, cuius hæreditati renunciauit, non reuocatur natiuitate filiorum: patet, quia si nocet filiis iam natis, iuxta omnes Doctores citatos, à fortiori nocebit nascituris; quia facilius quid impeditur à principio, quàm ex postfacto tollitur. Sic Tiraquel. & alij, quos referunt, & sequuntur Couar. *eodem §. 3. num. 8.* Gutier. *eodem §. vltimo, num. 6.*

42 Vnde meritò Gutierrez *eod. num. 6.* reprehendit Couar. sibi contrarium *cap. Raynaldus de testam. §. 2. n. 4.*, vbi dicit non posse patrem consentire suæ exhæredationi in filiorum præiudicium.

43 In secundo verò casu, quando scilicet renuncians ante mortem patris obit, est grauis difficultas, an noceat filiis, & descendentibus renuncians; quidam enim dicunt nocere, & sic non succedere. Ratio, quia semper succedunt repræsentatiuè ex persona parentis, qui renunciauit, & non ex propria: ergo tantùm succedunt in iure quod habebant parentes, si viuerent: at illi nullum habebant propter renunciationem: ergo. Sic latè probans, & multos referens Anton. Gomez *l. 22. Taur. num. 10.* & est probabile.

44 Quarta tamen conclusio sit. Probabilius est in hoc secundo casu non nocere renunciationem filiis, & descendentibus renuncians; quare ea non obstante succedent, ac si non renunciasset. Ratio, quia talis renunciatio habet tacitam conditionem, si renuncianti deferatur hæreditas: at non delata est, cùm prius obierit: ergo. Secundò, quia nepos licet veniat ad aui successionem, eo quod fuit filius renunciantis, at mortuo parente, succedit ex propria persona. Sic multos referentes, & latè probantes Molina, Xuarez *num. 5.* Gutier. *num. 2. & 3.* Rolandus à Valle *num. 1. & 4.* vbi in præcedenti concluf. citati sunt, & omnes hi dicunt esse hanc communissimam sententiam: idem tenet Couar. *cap. quamuis pactum, 3. p. §. 2 num. 4. & §. 3. num. 7.* Tello *l. 6. Taur. num. 61.* Baeza *de non meliorat. filia, cap. 10. num. 112.*

45 Nota, quod conclusio est vera, licèt parens aliquo recepto renunciarit. Sic Tello *ibi*, Gutier. *num. 3.* Xuarez *num. 7.* Rolandus à Valle *num. 7.* & Bald. *in addit. contra alios per eos relatos.* Sed, vt benè dicit Ant. Gomez *eo n. 10.* & Gutier. *num. 3.* tunc saltem descendens tenetur in sua legitima computare portionem, quam eius parens tempore renunciationis percepit.

46 Secundò nota, quòd alij limitant conclusionem, quando nepos venit ad succedendum auo cum aliis neporibus: secus si cum patruis, vel auunculis, qui sunt in propinquiori gradu ipsi auo, cui succedendum est. Sed eam reprobat Anton. Gomez *eo num. 1.* dicens esse contra communem, Xuarez *num. 6* Bald. *in addit.* Gutier. *n. 3.* dicit limitationes non esse veras.

47 Quinta conclusio. Filius, vel filia, quæ renunciauit parentis hæreditati cum iuramento, potest succedere ei ex testamento: itaque potest pater, vel mater, quibus facta est renunciatio, instituere renunciantem in testamento, vel relinquere illi legatum, & remittere talem renunciationem. Ratio, quia pactum hoc cum parente initum est, & eius vtilitatem præcipuè respicit. Sic tenent latè probantes, & multos allegantes Anton. Gomez *l. 22. Taur. num. 10. vers. secundò, & melius*, Mexia *super l. Toleti, de los terminos, 2. p. fundam. 7. n. 35.* Xuarez *l. quoniam in prioribus, limit. 5. num. 7. C. de inoffic. testam.* Molina *lib. 2. de primog. c. 3, n. 6.* Menchaca *de succeff. creat. lib. 2. §. 18. n. 138.* Tello *l. 6. Taur. n. 40.* Azor *tom. 2. institut. mor. lib. 2. c. 29. q. 4.* Couar. *c. quamuis pactum, 3. part. initio, n. 7. & 8. & ibi* Gutier. *§. omnino seruari, num. 11.* vbi idem dicit, & benè per donationem inter viuos.

48 Amplia primò conclusionem, licèt iuramento promiserit patri, nec ex testamento, nec ab intestato successurum; quia pater in cuius fauorem principaliter iuramentum emissum fuit, potest illud remittere. Sic contra Menchacam *dict. §. 18. num. 145.* & Beroum *cap. in præsentia, de probat. nnm. 194.* tenent multi, quos referunt, & sequuntur Molina *dict. cap. 3. num. 6.* Tello *num. 41.* Xuarez, & Mexia *proximè citati*, Gutier. *num. 12.*

49 Secundò amplia, licèt testamentum sit factum ante renunciationem; quia ex quo non mutauit, creditur in eadem voluntate. voluisse permanere. Sic Arcinus, quem refert, & sequitur Anton. Gomez citatus in conclusione.

50 Tertiò amplia, vt talis filius recuperet iura suitatis, quæ amiserat per renunciationem. Sic alios referens Anton. Gomez *ibi.*

51 Quartò amplia, licèt talis renunciatio fiat expresè fauore fratrum patre consentiente, Gutier. *numero 13.* Suarez citati *in conclus.* Couar. *3. part. initio, num. 8. vers. tertius casus.*

52 Quintò amplia, vt possit filius renuncians succedere non tantùm quando institutus est expresè, & nominatim, sed etiam si in genere, & indefinitè, vt si pater dicat: Instituo omnes filios meos, vel filias meas hæredes; immo si instituit hæredes filios, qui non renunciarunt, & in aliqua parte testamenti, vel codicilli fecit aliquod legatum simpliciter, & in genere filiis suis, admitteretur ad huius legati partem filius, qui renunciauit. Sic optimè probans Anton. Gomez *eo num. 10. fine.*

53 Quartum dubium est, an idem omnino, quod dictum est de renunciatione, ac pacto non succedendi, quod facit descendens ascendenti, dicendum sit de renunciatione, ac pacto ab ascendentibus respectu hæreditatis descendentium factis. Respondetur affirmatiuè, quia pari ratione procedunt, *l. 1. §. si parens, ff. si quis à parente fuer. manum.* Sic tenet contra Baldum multos allegans Anton. Gomez *l. 22. Taur. num. 3.* Tello *l. 6. Taur. n. 64.* glossa *l. pactum, quod dotali, C. de collat. & l. pactum, Cod. de pactis*, & vtrobique omnes, vt refert, & sequitur Molina *lib. 2. de primog. cap. 3. num. 48.*

54 Quintum dubium est, an pactum de succedendo sit validum, id est, quando pactum renunciationis hæreditatis non fit ipsi, cui est succedendum in ea, sed alij, in cuius



cuius fauorem fit, vt si quis renunciet in fratres, vel alios hæreditatem viuentis, vel ineat pactum de certo modo diuidenda, vel acquirenda hæreditate viuentis, quæ vocantur pacta de succedendo, an sint valida hæc pacta.

55 Sit prima conclusio. Si tale pactum fiat de consensu eius, cuius hæreditati renunciatur, & in eo consensu perseuerat vsque ad mortem, valet: si verò non interuenit talis consensus, vel reuocat ante mortem, non valet. Sic habetur *l. fin. C. de pactis. & l. 9. tit. 10. part. 5. & l. 12. eadem part. tit. 5.* & assignatur ibi ratio, ne detur ansa captandæ mortis. Sic Gregorius Nata, & Alex. quos refert dicens esse omnium Gutier. *cap. quamuis pactum, initio, n. 2.* & Couar. *ibi 3. part. initio, n. 1.* Anton. Gomez *l. 22. Taur. n. 31.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 3. n. 2.*

56 Hinc fit posse patrem, vel eum, cuius hæreditati renunciatur, reuocare, dum viuit, consensum semel præstitum; quia leges citatę requirunt, vt tale pactum firmum sit, quòd pater in eodem consensu perseueret vsque ad mortem, sic omnes citati.

57 Secunda conclusio. Si interueniant dictæ conditiones in tali pacto, scilicet, consensus eius, cuius hæreditati renunciatur, & perseuerantia in eo vsque ad mortem, non oportet, vt adsit iuramentum, sed absque iuramento valet. Ratio, quia dictæ leges absolutè absque iuramento approbant tale pactum. Sic Molina *ibi n. 26.* dicens sic tenere omnes, *l. finali. C. de pactis*; idem Gutierr. *num. 5.* & Couar. *n. 8. vers. quartus casus*, vbi citati sunt in prima conclusione.

58 Tertia conclusio. Tale pactum absque dicto consensu non firmatur iuramento; quia est contra bonos mores, Sic glossa, & Doctores *l. finali, C. de pactis. & l. pactum, quod dotali, C. de collat.* Couar. *c. quamuis pactum, 3. p. initio, n. 2.* & *ibi* Gutier. *initio, n. 2. & 4. & §. improbet lex cinilis, n. 3.* Molina *lib. 2. de primog. c. 3. n. 3.* An. Gomez *l. 22. Taur. n. 31.* Greg. Lopez *l. 33. tit. 11. p. 5. vers. no deue valer*, & multi relati per Tiraquellum *l. si vnquam, in principio, n. 157. C. de reuoc. donat.* Xuarez *l. quoniam in prior b. u. 5. limit. ad l. Aegiam, n. 3. C. de inoffic. testam.* Bald. *c. ad nostram, el 1. de iureiur. n 9.*

59 Hinc fit minus benè Iasonem *l. fin. n. 13. C. de pactis*, affirmare hoc pactum firmari iuramento, & idem Roman. *l qui superstitis. ff. de acquir. hared.* Et ratio horum est, quia hoc pactum initum cum fratribus est de non succedendo, quod (vt diximus) firmatur iuramento. Sed hoc est contra omnes Doctores citatos: vnde optimè Anton. Gomez *dict. l. 22. Taur. n. 31.* eos reprobat, dicens quòd licèt pactum de non succedendo, quod fit patri, firmetur iuramento, non tamen pactum de non succedendo, quod fit fratribus, vel sororibus; quia licèt in verbis sonet de non succedendo, at virtualiter, & effectiuè est pactum de succedendo, & de hæreditate, & successione certo modo diuidenda: nam sicut quando agitur inter fratres, quòd post mortem patris, vel eius, cuius successionem sperant, vnus habebit certam partem, & alter aliam, dicitur pactum de futura successione diuidenda, & non valet, nec firmatur iuramento: ita quando vnus filius promisit aliis non succedere, videtur diuidere inæqualiter, vt ipse nil percipiat, alij verò totum, & sic est pactum de futura successione.

60 An verò si pater semel præstitit dictum consensum, & postea reuocet, si pactum hoc de succedendo fiat cum iuramento, valeat. Couar. *cap. quamuis pactum. 3. part. initio, n. 2.* tenet valere, & sic teneri paciscentes iuratam conuentionem omnino seruare: idem, licèt dubius, tenet *n. 8.* & refert pro ea Iasonem. Et ratio eius est, quia tale pactum initum cum consensu patris non iuratum valet, at potest reuocari reuocante patre consensum; ergo si iuretur, non poterit reuocari, quia iuramentum aliquid vltra debuit operari.

61 Quarta tamen conclusio sit. Proculdubio tale pactum iuratum adhuc non valet, reuocante patre consensum. Ratio, quia quando ex natura contractus ei ineft aliqua conditio, eadem etiam ineft in iuramento super contractu interposito. Sic tenet communis, vt etiam fatetur Couar. idem Bald. quem refert, & sequitur Gutierr. dicens esse sine dubio, *c. quamuis pactum, initio, n. 5.* Ant. Gomez *l. 22. Taur. n. 31* Molina *lib. 2. de primog. cap. 3. n. 4.* & Menchaca multos referens *lib. 3 contron. vsu freq. cap. 44. num. 13. & 14.*

62 An verò quando pactum non succedendi iuratum fit patri in absentia ipsius patris, valeat, consule Gutierr. *cap. quamuis pactum, initio, n. 5 2.* & Couar. *ibi 3. initio, n. 4.*

63 Nota primò, quòd sententia dicta, quòd scilicet renunciatio hæreditatis viuentis non valet absque eius consensu, limitanda est, quando agitur de hæreditate certi, ac determinati hominis: secus quando incerti, vt si quis contrahat societatem cum alio de communicandis bonis futuris prouenientibus ex aliqua successione, nulla expressa determinata persona, tale pactum valet, *l. 3. §. de illo. ff. pro socio*, & *ibi* glossa, Bart. Bald. Salic. & communis, & alij, quos refert, & sequitur Anton. Gomez *l. 22. Taur. n. 31.* & expresè habetur *l. 12 tit. 5. part. 5. & ibi* Gregor. Lopez *vers. no los*, notat, quòd si non nominant in fraudem, at in mente eorum est intentio de certa persona, non valet.

64 Secundò limita, vt intelligatur, quando agitur de futura successione diuidenda, & aliqua obligatione super ea contrahenda; secus quando agitur de aliqua liberatione, vel debiti remissione, vt si filius sperans hæreditatem patris iniuit pactum cum creditoribus patris viuentis, vt non conueniatur ab eis, postquam hæreditauerit bona patris, valet enim tale pactum fauore liberationis, *l. & suum hæredem §. idem probat, ff. de pactis.* Sic multos referens Anton. Gomez *eodem n. 31.* & licèt Paulus de Castro *l. fin. C. de pactis*, dicat hoc procedere in solis filiis, non verò in aliis hæredibus agnatis, vel cognatis: at Anton. Gomez *ibi* dicit intentionem omnium Doctorum esse in contrarium.

65 Similiter dicit *ibi* Anton. Gomez *fine*, cum Bart. Angelo, & Paulo de Castro, & aliis, quòd si filius, vel alter futurus hæres viuente eo, cuius successionem sperat, ineat pactum cum creditoribus patris, quòd eos liberabit, vbi hæreditauerit, valet pactum, quando ex causa onerosa liberauit aliquid à creditoribus recipiendo, & hoc fauore liberationis; secus verò si ex causa lucrariua.

66 Tandem ad dubium initio propositum, an scilicet ex pacto non succedendi, quando deest solemnitas iuris, scilicet iuramentū, & ex pacto de succedendo in futura hæreditate viuentis initio absq; consensu eius, cuius hæreditati succedendū est, vel si non perseueret vsque ad mortē in eo consensu, quo casu iuxta dicta nō oritur obligatio ciuilis, sed ius reputat hęc pacta inualida, an scilicet ex talibus pactis oriatur obligatio naturalis, & in foro conscientiæ.

67 Dico primò ex priori pacto non oriri obligationem naturalem: quia quando lex resistit contractui, non oritur talis obligatio, vt dixi initio huius dubij 34. at lex huic contractui resistit, vt *ibi* probaui: & sic tenuerunt docti Iurisperiti, & Theologi à me consulti.

68 Secundò dico, quòd ex posteriori pacto non oritur etiam naturalis obligatio, quia lex ei resistit, vt patet ex *l. finali, C. de pactis*, vt dicit lex esse contra bonos mores, & sic repellendum, & nihil ex eo obseruandum: & tenent *glossa l. pactum, quod dotali, C. de pactis, in principio*, Anton. Gomez *l. 22. Taur. n. 17.* & facit communis Doctorum, vt dixi, asserentium hoc pactum non firmari iuramento, quia est contra bonos mores.

## DVBIVM XXXV.

*An quandò quis decedit non relictis descendentibus, sed tantum ascendentibus in hoc regno Hispaniæ, expensæ funeris deducendæ sint ex toto corpore hæreditatis, vel de solo tertio, de quo testatus est.*

1 CErtum est apud omnes, legata gratuita extrahenda esse de tertio bonorum; quia cætera bona deducto

Universidad de Deusto
Biblioteca



deducto tertio sunt legitima ascendentium, *l.6.Taur.* quæ hodie est *l.1.tit.8.lib.5.recopil.*

2 At de expensis funeris est dubium: & est duplex sententia.

Prima dicit non esse extrahendas de tertio bonorum, sed ex toto hæreditatis corpore, & sic ascendentes qui hæreditant duas bonorum partes, soluent tertiam partem, & sic ad ambos hæredes pro rata bonorum pertinebunt. Ratio, quia iure communi expensæ funeris detrahendæ sunt de toto corpore hæreditatis, sicut & debita, computantur enim inter æs alienum, *l.penult.ff.de relig.& sumpt.fun.l.fin.§.in computatione.C.de iure delib. l.12. tit.12.p.6.* at ius huius Regni nihil in hoc immutat; sed tantùm disponit, *l.30.Taur.* quæ est *l.13.tit.6. lib.5.recopil.* quòd vbi quis descendentes habet, extrahantur tales expensæ de quinto: ergo est casus omissus circa tertium, quando quis solos ascendentes habet; & sic in hoc casu standum est iuri communi, vt extrahantur de toto hæreditatis corpore: lex enim Hispana, qua ratione vberiùs consuluit filio, concedens illi, vt tertium cuicumque posset relinquere, parciùs verò parentibus non nisi quintum, ea ratione quoque ex quinto deduci voluit expensas funeris, non verò ex tertio; fauorabilior est legitima descendentium, cùm ascendentes thesaurizare debeant descendentibus, non verò è contra. Sic tenent Ioan. Garcia *de expensis, cap.8.num.50.* Molina *tom.1.de iust.tract.2. disp.235.fol.1459* Ioan.Lupus *l.30. Taur.n.2.* & *ibi* Ant. Gomez *n.2.* Castillo *ibi n.18.* & est probabilis.

3 Secunda sententia probabilior tenet esse extrahendas de tertio: quia sicut omnia bona parentum deducto quinto sunt legitima filiorum, sic omnia filiorum deducto tertio sunt legitima parentum, at omnia dispositia in legitima filiorum, regulariter locum habent in parentum legitima. *Auth.cùm de appellatione cognoscitur.§. siue igitur, coll.at.8.l.nam etsi parentibus.ff.de inoffic.testam. Auth.de hared.& falcidia.§.1.* & statutum in vno ex correlatiuis, censetur per consequens statutum in alio. *l.fin. ff.le accept.* & sic licèt nulla lex sit disponens, vt parentes nequeant spuriis succedere, concludunt omnes nequire, eo quòd est dispositum, vt filij spurij non succedant parentibus, & sunt correlatiua. Hanc tenent Tello *l.30. Taur.n.3.* Couar. *cap.Raynaldus, de testam.§.3.n.2.* Rojas *epitome cap.9.n.31.* Gutier. *lib.2. pract.q.71.* & *l.nemo potest ff.de legat.1.n.93.& 509.* Greg.Lopez *l.2.tit.11.p.6. verſicias dispensus.* Castillo *l.6.Taur.* glossa *por su alma.* Angalo *de meliorat.l.13.gloss.3.n.1.* Azebedo *lib.5. recopil. tit.6.l.13. n.18.* & est communis.

4 Nota limitandum esse hoc, quòd expensæ deducuntur de quinto, quando supersunt descendentes, vel de tertio, quando ascendentes, quando quis habet ascendentes, vel descendentes, vbi enim omnibus his caret, sunt deducendæ de toto hæreditatis aceruo, & non ex quinto, quod legat alicui. Ratio, quia l.30. Taur. disponens esse de quinto extrahendas, loquitur quando testator inter liberos disponit; secus quando inter hæredes non necessarios, dicit enim; *a vn que el testador mande otra cosa*, quod non potest verificari inter hæredes non necessarios. Sic Couar.*n.2.* Angulo *n.3.* Azebedo *n.18.* Rojas *à n.27. vsque ad 31.* Gutier, *dict.l.nemo potest, num.92.* Anton.Gomez, & Cifuentes *l.30. Taur.n.1.* & *ibi* Castillo *n.17.* Gutier. *lib.2. pract.q.70.* Gregor. Lopez *l.2.tit.11. part.6.* glossa magna, Auendaño *l.30. Taur. glossa vnica n.5.*

5 Secundò nota, quòd alij limitant, quando in testamento disposuit testator inter ascendentes de tertio, vel inter descendentes de quinto, vbi verò in vita facta est melioratio, vel donatio irreuocabilis talis tertij, vel quinti, iuxta *l.17. Taur.* quæ est *l.1.tit.6.lib.5.nouæ recopil.* non extrahentur expensæ de illo tertio, vel quinto, quia iam cùm omnino sit alienatum, non retinet nomen tertij, vel quinti. Sic Auend.*l.30. Taur. glossa vnica, num.5.* Tello *ibi num.1.* cum hac moderatione, quòd talis donatio irreuocabilis tertij, vel quinti in vita tradita est: & latè probat, licèt tandem cogitandum relinquat.

6 At dicendum est adhuc de illo tertio, vel quinto sic donato extrahendas esse; quia hæc impensa funeris est onus, vel hypotheca cohærens ipsi tertio, vel quinto, & sic soluenda à quocumque possessore. Sic latiùs probantes tenent Matienzo *lib.5.recopil.tit.6.l.13.glossa 2.n.2.* & Azebedo *eadem l.23.n.20.21.* Angulo *de meliorat.l.13.glossa à n.8.per plures.*

7 Nota cum Angulo *eo n.8.* quòd hoc non habebit in Missis locum, in anniuersariis, eleemosynis, & aliis legatis à testatore præceptis; quia quoad hoc eius dispositio est nulla; ex vna enim parte obstat donatio facta, & altera filiorum legitima, quibus præiudicari nequit, cùm illæ impensæ non sint, quas leges vocant æs alienum: sed habebit locum in impensa funeris necessaria, siue qua funus duci nequit.

8 Tertiò limitandum est, quando testator habens descendentes, disposuit de quinto, si enim disposuit de tertio, & melioratum in eo grauauit, vt ex eo funeris expensæ deducerentur, tunc eius dispositio seruabitur, dummodo expensa non excedat quintum; quia in resi. duo tantùm eum meliorare visus fuit. Sic Tello *l.30. Taur.n.2.* Matienzo *dicta l.13.gloss.4.*

## DVBIVM XXXVI.

*An pater meliorans filiam causa dotis contra pragmaticam 101. Matriti, quæ hodie est l.1.tit.2.lib.1.nouæ recopil. peccet mortaliter.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit peccare mortaliter, quia hoc iustissimè illa lege prohibetur, & annullatur quidquid contra factum fuerit; & quia res donat alienas, cùm ex illa lege cæteris filiis applicentur: sicut peccaret pater mortaliter, qui alicui ex filiis donaret vltra tertium, & quintum, & legitimam, eo quòd hoc vergit in damnum aliorum filiorum qui iuxta leges Regni non possunt amplius, quàm tertio, & quinto priuari. Sic tenent Tello *l.26.Taur.fine.* Rojas *epit.succeſſ cap.3.num.41.* Baëza *de non melior.filia.cap.29.n.1.& 2.* Angul. *de melior.l.10.gloss. 9.n.3.* & videtur clarè sentire Azebedo *lib.5.recopil.tit.2. l.1.n.8.* nam remittit se in hac quæstione ad tradita per Tellum, & Baëzam *locis citatis*, qui, vt vidimus, dicunt peccare mortaliter. Addit Baëza, nec filiam esse tutam in conscientia, sed teneri restituere id, in quo causa dotis est meliorata; quia lex illa expresè annullat talem melioriationem.

2 Secunda sententia probabilior dicit hanc legem ita receptam esse, vt non obliget in conscientia, sed tantùm, vt detur actio in foro externo ad repetendum: quare nec transgressor illius peccat, nec filia meliorata ante repetitionem, & sententiam tenetur restituere. Probatur, quia sic videmus passim fieri dictas melioriationes, nec confessores iniicere scrupulum: & sic vsus videtur interpretari legem. Sic tenent Enriquez *lib.11. de matrimon. cap.20.n.4.* Ludou. Lopez *lib.1.instruct.noui, cap.275.a fol. 406.* & firmiùs idem tenet *lib.2.de contract.cap.42.initio.* Mexia *taxa panis, conclus.6.n.42.* Cord. *summa q.124.fine*, licèt postea aliquantulum trepidet; addit enim hæc: *se pase de los Iuristas como esto se vsa, y conforme a ello se podra hazer en conciencia.* Ad idem est Padilla *Auth.res, quæ communia, de legat.n.23.* vbi hæc dicit: *Mihi renunciatum est apud vtriusque prætorij æquissimos iudices hanc legem dissimulatione quadam exoleuisse.* Sed Azebedo *dicta l.1.n.1.* dicit falli, & semper vsu receptam esse. Nostram etiam sententiam tenet Manuel *1.tomo summæ, in nona c.97.n.3.*

3 Sed quid quando fraudulenter fecit pater dictam melioriationem, conueniens cum reliquis filiis, quod sic fieret, & postea reclament contra illam. Respondeo, quòd tunc tenentur restituere, & sic in conscientia non reclamare, quia deceperunt virum aliàs non contracturum matrimonium: secus quando pater bona fide, & non animo



animo doloso reclamandi id fecit, tunc enim potest postea reclamare, quia non dolosè fecit, & alter tenebatur sibi consulere attendendo, an posset reclamare. Et similiter quandò solus pater fecit eam melioriationem, & filij non consenserunt, sed tacuerunt, dicentes, quid ad nos, si iniuria nobis illata fuerit, reclamabimus: possunt enim contra illam postea reclamare; quia in hoc nulla interuenit fraus. Probatur à simili ex iis, quæ docet Molina *tomo 1.de iust.tract.2.disput.152.* vbi docet, quòd si duo communi consensu in eadem scriptura testentur, & se inuicem instituant hæredes: licèt mortuo vno illorum testamentum maneat irreuocabile comparatione illius: at alter superstes potest reuocare; similiter quando communi consensu testati sunt instituentes aliquod opus pium; at, inquit, si fraus, aut dolus interuenisset, quo aliquis alterum induceret ad aliquid communi consensu statuendum, aut ad se mutuò instituendum hæredes animo id ex sua parte reuocandi, si prius obiret, vel altero iam vita defuncto, teneretur restituere hæredibus, quos alter probabiliter erat instituturus, aut successuri illi erant ab intestato, si non fuisset ita iniustè deceptus. Similiter ergo in nostro casu, quando bona fide, & animo sincero meliorauit, potest reclamare, & ad nil tenetur; secus quando dolosè egit. Fauet Baeza *supra cap.10. n.88.* vbi dicit, quòd si filij sponsum decipiant, dicentes se renunciasse, tenentur de dolo.

4 Sed an stante *dicta l.1.tit.2.lib.5.nouæ recopil.* vt non possit à patre meliorari filia causa dotis, an, inquam, possit filia pacto dotali patrem dotantem adstringere, ne quemquam ex fratribus melioret, vt vel sic ipsa, quæ meliorari non potest, impeditis aliorum melioriationibus, possit in maiori portione dotari. Aliqui negant, & sic dicunt tale pactum non valere. Ratio, quia iuxta communem per illam l.1. filia non tantùm prohibetur meliorari in tertio, & quinto causa matrimonij, sed etiam in qualibet eius particula; & sic tantùm legitimam potest habere. At in hoc casu vltra legitimam melioraretur in parte tertij, & quinti. Sic tenent Gutierrez *de iurament. confirm.1.parte, capite 59. numero 14.* Azebedo *libro quinto recopil. titulo sexto, lege sexta, numero 24.*

5 At verius est valere tale pactum. Ratio, quia hic deficiunt duæ principales considerationes legis prohibentis melioriationem, scilicet ne filia capiat vltra legitimam, & ne alij in legitima damnificentur: nam filia non capit vltra legitimam, nec melioratur, meliorari enim est capere plus, quàm aduersarius, & competitor capit: at hæc non capit plus, immo æqualis est cum fratribus; vnde potius dicitur damnum fugere, quàm meliorari: nec dicitur filia vltra legitimam recipere, quæ nullo meliorato æqualem in omnibus patris bonis cum cæteris fratribus partem reportat, licèt enim tertium non sit legitima respectu filiorum, nec quintum respectu etiam extranei, tamen id est verum, quando vtitur pater facultate meliorandi sibi per leges concessa: at quando pater tali facultati renunciat, omnia bona æqualiter sunt legitima filiorum, veluti si ab intestato decederet. Item, quia *l.22. Tauri*, quæ est *l.6.tit.6.lib.5.recopil.* permittit tale pactum generaliter, nec excipit hunc casum. Sic tenet Angulo *de meliorat.l.6.à n.5.* Azebedo *lib.5.recopil tit.2.l.1.n.6.& 7.* Matienzo *eodem lib.5.tit.6.l.6.gloss.1.n.7.* & in simili tenet idem Baeza *de meliorand. fil. cap.22.n.9.*

6 Nota tamen, quòd si in promissione tali de non meliorando facta filiæ tempore constitutæ dotis adderetur, quòd si aliter fieret melioratio alicui fratri, censeretur facta ipsi filiæ, licèt prius pactum de non meliorando esset validum, at hoc posterius esset nullum; quia inde resultaret pactum meliorandi filiam ex causa dotis. Sic Azebedo *eo n.7.*

7 Ex dictis fit, quòd si in tali pacto de non meliorando quemcunque in fauorem filiæ facto addatur, quòd si quemquam melioraverit, talis melioratio non pariat præiudicium, nec intelligatur in damnum filiæ; valebit etiam hoc pactum, quia est idem cum pacto de non meliorando, & eundem effectum habet: vnde si pater aliquem melioret, valebit melioratio vnius respectu aliorum, non tamen respectu filiæ. Sic Augulo *ibi n.8.*

8 Secundò infertur, quòd non tantùm valebit pactum de non meliorando respectu filiæ, sed etiam valet, & eamdem vim habet traditio simplex dotis, quæ computatis omnibus bonis patris contineat æqualem partem cum alio quouis filio, nedum in legitima, sed etiam in tertio, & quinto, quia, vt probaui, talis filia in hoc casu non capit vltra legitimam, nec melioratur causa dotis. Vnde dum *l.1.tit.2.lib.5.nouæ recopil.* præcipit non meliorari filias causa dotis, nec in tertio, nec in quinto, nec in parte illius, intelligitur in parte, quæ tangeret aliorum partes æquales: sed in parte, quæ ex dicto tertio, & quinto æqualiter diuisis sibi tanquam vni ex filiis attineret, non dicitur meliorata, nec est interdicta ea ratione dotis capere, vt patet ex dictis: nec talis dos, quæ tempore, quo datur, non est excessiua, nec inofficiosa, efficietur ex postfacto inofficiosa, si decreuerint facultates parentis, vel ex eo quòd pater melioret aliquem ex filiis postea in tertio, & quinto; quia in arbitrio mariti relictum est, vt eligat tempus, secundùm quod inspicitur, an dos sit inofficiosa, nempe tempus assignationis ipsius, vel mortis patris. *l.3.tit.8.lib.5.recopil.* Nec pater potuit postea facere dictam melioriationem in præiudicium dotis datæ. Sic Angulo *n.9.10.11.12.* & vtrumque corollarium videtur approbare Azebedo *supra n.6.* dicit enim Angulum inferre duo notabilia ex sententia posita.

## DVBIVM XXXVII.

*An si Petrus, v.g. institutus sit hæres sub fideicommisso, vt quidquid superfit ex hæreditate tempore mortis, restituat Paulo, possit Petrus sic institutus hæres testari, vel alias alienare talia bona.*

1 SVpponendum est, quod *Auth.contra rogatus, C.ad S.C.Trebel.* definitur, quòd hic hæres tenetur reseruare quartam fideicommissario, & dare fideiussorem, quod ipsam reseruabit, nisi in quatuor casibus, in quibus permittitur huius quartæ diminutio, scilicet ex causa dotis, & donationis propter nuptias, & redemptionis captiuorum, etsi non habeat, vnde faciat expensas. Intellige ex causa dotis, & donationis propter nuptias, siue constituendæ, siue constitutæ restituendæ. Sic docet *ibi* glossa *vers.dotis*, & *ibi* Bald.*n.4.* Albert. & Bellapertica *ibi.* Et de redemptione captiuorum intelligunt Petrus, Cynus, Dynus, Bellapertica *ibi*, quando sunt de cognatione volentis redimere: idem Albericus *ibi.* Sed verius est intelligi de quibuscumque captiuis, modò egeni sint, quia textus generaliter loquitur. Sic Corneus, & Salizetus *eadem Auth.* & Bald.*ibi n.4.* & similiter de donatione propter nuptias, & dote etiam pro extraneo, tenet Paulus de Castro *dicta Auth.* & dicit probabile *ibi* Corneus.

2 Dubia tamen sunt aliqua circa hanc Auth.

Primum est, an si talis hæres nihil consumpsit de hæreditate, vel consumpsit minus quarta, an totum, quod supereſt tempore mortis, debeatur fideicommissario, vel sola quarta. Aliqui dicunt solam quartam deberi; quia diligentia, & custodia hæredis non debet sibi nocere. Sic glossa *eadem Auth fine.* Odofredus, Nicoleus, Marsilius, quor refert *ibi* Albericus.

3 At dicendum est, totum, quod supereſt, deberi: quia sic expresè disposuit testator: & in fauorem fideicommissarij statutum est, quòd saltem quarta sit ipsi reseruanda. Sic Oldradus, Cynus, Salizetus, Petrus, Fulgosius, vt refert, & sequitur dicens ferè omnes hoc tenere Corneus *ibi*, Bellapertica *ibi.* Bald. *ibi n.9.* Alex. *l.Titius, ff.ad S.C.Trebell.* Immola *l.nam quod §.finali.ff.eodem tit.*

4 Secundum dubium est, an talis hæres possit testamento disponere de illa hæreditate, reseruata quarta fideicommissario. Bald. *ea Auth.n.10.* tenet posse, quia testa-

tor

Universidad de Deusto
Biblioteca



tor tantùm dispoſuit, vt quod ſupereſt tempore mortis non alienatum, ſit fideicommiſſario, ſed hæres alienauit teſtamento: ergo.

5 Sed contrarium eſt dicendum; quia teſtamentum non incipit valere, niſi poſt mortem, at tunc non poteſt hæres alienare, quia quod ſupereſt tempore mortis, tenetur reſtituere commiſſario. Sic latè probans Corneus *eadem Auth.* Alex *dict. l. Titius, num. 9.* Raphaël, quem *ibi* refert, & quidam doctus Iuriſperitus.

6 Immo licèt in vita poſſit hæres alienare illam hæreditatem reſeruata quarta fideicommiſſario, vt diſponitur *dict. Auth.* hoc intelligitur, quoties non apparet alienare mala fide animo interuertendi fideicommiſſum; quod in dubio præſumitur, quando ex alienatio ne nullum lucrum quæſierit. Sic Anton. Gomez dicens communem *tom. 3. commun. ſuper titulo ad Trebell. fol. 264. pag. 1. n. 3. & 4.* Ruinos *conſil. 76. n. 13. vol. 2. & conſil. 121. n. 13. vol. 3. & conſil. 163. n. 2. vol. 3. & conſil. 121. vol. 3.*

7 Hinc infertur deciſio huius caſus: quidam inſtituit filiam coniugatam hæredem, rogando vt reſtitueret Titio, deducto eo, quod viro relinqueret, reliquit omnia viro, an id poſſit facere, dubitatur. Reſpondetur negatiuè, quia tenebatur quartam reſeruare Titio, iuxta dictam Auth. *contra rogatus.* Sic Dynus, & Albericus *ibi.*

## DVBIVM XXXVIII.

*An hæres, vel legatarius interficiens teſtatorem amittat hæreditatem, vel legatum, ita vt ante iudicis ſententiam teneatur ad illius reſtitutionem.*

1 SVpponendum eſt hoc fundamentum, ſcilicet, quando aliqua hæreditas per leges aufertur alicui tanquam indigno, ſi redditur incapax, & inhabilis per legem ad ſuccedendum propter delictum proprium, hæreditas illa non applicatur fiſco, ſed hæredibus venientibus ab inteſtato. Ratio, quia aliàs hæres ille propter delictum ſuum puniretur in hæreditate, quæ non eſt ſua, cum propter incapacitatem non acquiſierit in ea dominium. Item, quia talis inſtitutio hæredis habetur, ac ſi facta non fuiſſet, *l. 3. ff. de his, qua pro non ſcript. haben.* ibi. *Pro non ſcripto eſt, & l. 1. C. de hæred. inſtitut.* ibi. *ſed hæreditas in ea cauſa, ac ſi hæredes ſcripti non fuiſſent.* Incapax enim pro mortuo reputatur *l. 1. §. ſed ſi patronus,* ibi. *Pro mortuo habetur ff. de coniug cum emancip.* ergo ſuccedent hæredes alij, qui, ſi facta non fuiſſet, ſucceſſuri erant. Si verò non redditur incapax, & inhabilis, applicatur fiſco. Ita expreſsè Bald. *l. hæreditas, num. 6. C. de his quibus vt indig.* vbi Iaſon *n. 10.* Bart. *n. 3.* Paulus de Caſtro *n. 5.* idem Iaſon *l. 1. n. 3. verſ. tamen contraria opinio, C. de hæred. inſtituen.* Sozinus ſenior *conſil. 22. n. 13. lib. 1.* Menochius *conſil. 101. num. 36. volum. 1.* & meliùs *conſil. 186. n. 1. vol. 2.* Saliz. Raphael, Fulgoſius, & communiter ſcribentes *ibi,* Hippolytus *conſ. 93. n. 15. 17.* Guillielmus Benedictus *cap. Raymutus, de teſtam. verſ. mortuo itaque teſtatore, el 1. n. 37.* Couar. 4 *decret. 2 part. c. 8. §. 5. n. 9. fine,* Mieres *de maiorat 1. p. q. 1. n. 93.* Greg Lopez *l. 2 tit. 2. p. 7. verſ. ni puedan,* Ceruantes *l. 4. Taur. n. 38.* Lignier *pract. crimin. tit. de his, quibus vt indig. bona auferuntur, n. 3.* Xuarez *l. 1 fori, tit. de las ganancias, fol. 11.* & refert *l. 17. tit. 7. part. 6.* Molina *lib. 1 de primog. c. 9. n. 26. & 27.* Hæc tamen ſecunda pars, ſcilicet quando non redditur incapax, applicari fiſco, intelligenda eſt, niſi delictum illud reſpiceret offenſam certæ perſonæ; quia tunc illi, & non fiſco applicaretur, Iaſon, Paulus de Caſtro, Bartolus *ibi.*

2 Hinc infertur, quando lex priuans aliquem hæreditate, dicit eam competere hæredibus, priuatur ſtatim ipſo iure; quia aliàs hæredes non admitterentur, ſed veniret fiſcus, patet ex dictis, & docet expreſsè Iaſon *l. 5 1. ſi ab hoſtibus. num. 4. ff. ſoluto matrim.*

3 Difficultas ergo conſiſtit in hoc, an ſi hæres occidat teſtatorem, hæreditas deferatur aliis hæredibus, quia ſic erit priuatio ipſo iure, vel fiſco, quia ſic requiretur ſententia.

Duplex eſt ſententia.

4 Prima diſtinguit, dicitque hæredem neceſſarium, ſeu ab inteſtato non amittere ipſo iure hæreditatem, ſed requiri, vt per ſententiam priuetur, & applicabitur fiſco; at hæredem voluntarium, ſeu teſtamentarium ipſo iure amittere. Sic tenet Bald. *l. maritus, C. vnde vir. n. 3.* vbi ſic inquit, *vir occidens vxorem nil lucratur, nec ei ſuccedit,* & leges, quæ in contrarium videntur, loquuntur de iure ſuccedendi connexo naturæ inſeparabiliter idem tenet Roman. *eadem l.* & Palacios Rubios *rubr. de donat. inter vir. & vxor. §. 70. n. 14. 15.* Bart. *l. finali. fine. ff. de his quibus vt indig.* vbi ſic ait, *qui teſtatorem interemit, ſi capiebat hæreditatem ex legis diſpoſitione ab inteſtato, eſt indignus, & applicatur fiſco; ſi verò capiebat, ex diſpoſitione hominis, tunc non capit, ſed remanet apud hæredes.* Idem ſequitur gloſſa marginalis, Bart. *ibi.* Idem Guillielmus Benedictus *c. Raynut. de teſtam. verb. condidit, el 2. n. 10.* vbi ſic inquit: *ſi teſtator per hæredem legitimum occiditur, hæreditas ei acquiritur, ſed confiſcatur: lucrum verò, quod prouenit ex mera liberalitate, ipſo iure non capit, & ſic penes hæredes teſtatoris remanet.* Imo quòd nullus homicida ſuccedat occiſo, tenet Mieres *lib. inſtit. maior. 2. p. q. 4. illat. 1. à n. 11.* & maximè 20. 21. Ant. Gom. *tom. 3. var. c. 3. n. 51.* vbi ſic inquit: *homicida non poteſt ſuccedere in bonis occiſi ex teſtamento, nec ab inteſtato, ſed hæreditas auferetur, & applicatur fiſco.* Sed hic author potius eſt pro contraria ſententia, quia ſi ſentiret homicidam eſſe incapacem, non diceret hæreditatem applicandam eſſe fiſco, ſed aliis hæredibus. Probatur iſta ſententia ex *l. cum ratio, ff. de bonis damnat. §. fin & l. hæreditas. C. de his, quibus vt indig. l. indignum, ff. eodem, tit. l. Lucius, ff. de iure fiſci, l. his conſequenter, ff. familiæ erciſc.* Sed maximè probatur ex *l. ſi ab hoſtibus. §. ſi vir. ff. ſolut. matrim.* vbi textus ait, *ſi vir vxorem ſuam occiderit, dotis actionem hæredibus vxoris dandam eſſe Proculus ait, & rectè.* Cùm ergo applicetur hæredibus talis dos viri occidentis vxorem, ſignum eſt iuxta fundamentum poſitum, ipſo iure priuari homicidam tali ſucceſſione dotis: & cùm non ſit maior ratio de dote, quàm de alia hæreditate occiſi, idem videtur in alia dicendum: & ideo propter hunc textum Iulius Clarus *lib. 5. recept. ſent. §. homicidium, verſ. priuatur etiam homicida,* inquit, *ſi maritus occidat vxorem, lucrum dotis tranſit ad hæredes ipſius vxoris;* & refert pro hoc Ruinum, Rolandum, & Decium. Idem tenet eiſdem verbis Hippolytus *conſ. 93. n. 3.* Secundò probatur, quia legata reuocantur ipſo iure, ſi legatarius occidat teſtatorem, vel graues habeat cum eo inimicitias, vt infrà latè probabo, & patet ex *l. 3. §. fin ff. de adim. legat.* Et huius ratio eſt quia præſumitur, quòd ſi teſtator ſciret, reuocaſſet, & non fuit voluntas teſtatoris legare illi in tali caſu, ex qua voluntate dependent legata, vſque ad teſtatoris mortem: ſed eadem prorſus ratio militat in hæreditate, quæ ex ſola teſtatoris voluntate defertur: ergo idem ius: & ſic Couar. *c. Raynut. de teſt. n. 7.* explicans dictam legem 3 inquit, *procedit in ademptione legatorũ, quæ tacita voluntate, & præſumpta fit, cũ ab eodẽ teſtatore legata ex voluntate ad mortẽ vſq; reuocabiliter proceſſerint: ſecus in hæreditate, quæ a lege defertur.*

5 Secunda ſententia tenet, hæredem ſiue neceſſarium, ſiue teſtamentarium non priuari ipſo iure hæreditate, ſed per ſententiam applicari fiſco. Pro hac ſententia eſt Bald. *l. hæreditas, n. 7. C. de his, quibus vt indig.* vbi inquit, *accidens teſtatorem eſt indignus, tamen licet hæreditas poſſit ab eo auferri, antequam fiſcus auferat, eſt ipſe hæres cum effectu.* Idem eiſdem verbis Greg. Lop. *p. 6. tit. 7. l. 13. verſ. del heredero,* & Matienzo *lib. 5. ordin. tit. 8. l. 11. gloſſ. 5. n. 10.* Idem Bald. *l. ff. deicommiſſum, C. de fideicomm. n. 1.* vbi inquit, *per ingratitudinem non deſinit quis eſſe hæres, ſed effitur indignus, & ſuccedit fiſcus,* gloſſa *d. l. his conſequenter, §. 1. v. non pertinere,* vbi inquit, *Qui interficit teſtatorem, nonne amittit portionẽ ſuam.* Reſp. *portio nõ amittitur ipſo iure, quia interim eſt hæres, ſed per ſententiam applicatur fiſco.* Quam ſententiam refert Bart. *ead. l.* & dicit valde notandam, & ſic videtur approbare Alex. de Immola *l. maritus. C. vnde vir, num. 11.* vbi inquit, Doctores communiter tenent contra Bartoli diſtinctionem *l. finali, fine. ff. de his, quibus vt indig.* per *l. indignum.* & per *l. cum ratio,* vel eodem modo venit applicanda fiſco hæreditas, quæ ex diſpoſitione hominis deferebatur occidenti, ſicut ea quæ deferebatur ex diſpoſitione legis. Quare magis communis ſententia eſt contra deciſionem Baldi *dicta l. maritus,* quia illud eſt in hæreditate, quæ ſimpliciter defertur, quæ occiſori acquiritur, licèt fiſcus poſſit auferre, aliud in lucro dotis, quæ ex pacto debet obuenire marito; quia illa defertur ſub conditione, ſi vir culpam non commiſerit. Et hæc ſententia placet. Hanc Alexander *ibi.* Idem Alexand. de Immola *l. ſi ab hoſtibus, citata num. 4.* vbi reprobat eandem Baldi diſtinctionem, dicens, aliud eſſe in ſtatuto, vel pacto lucrandæ dotis, & aliud in iure ſuccedendi in vniuerſum; & *num. 16* refert diſtinctionem Bart. *dict. l. finali,* & reprobat, quia eſt, inquit, contra dictam legem, *cum ratio,* quæ loquitur in lucro veniente ex teſtamento, & ſic ex diſpoſitione hominis, & tamen confiſcatur. Angelus, Ioan. de Immola, Raphael *dict. l. ſi ab hoſtibus,* vbi idem dicunt eiſdem verbis, quod retuli ex Alexand. de Immola *dicta l. maritus, num. 11.* Salizetus dicta *l. maritus, num. 5.* vbi refert ſententiam Baldi ubi, & reprobat & tenet virum occidentem vxorem non perdere ipſo iure dotem, ſed fiſcum ei auferre, Iaſon *dicta l. ſi ab hoſtibus, num. 4.* vbi inquit: diſtinctio Bartoli *dict. l. finali,* eſt euidenter falſa contra d. l. *cum ratio,* vbi hæreditas defertur ex teſtamento, & ſic ex diſpoſitione hominis, & tamen ſi hæres occidat teſtatorem, admittitur fiſcus: & ad dictum *§. ſi vir,* dicit diuerſum eſſe in lucris nuptialibus, quia illis ineſt tacita conditio, niſi diuortium fiat culpa illius, qui vult lucrari. Et idem Iaſon *l. vorem. C. de his, quibus vt indig. num. 4.* inquit, qui occidit teſtatorem, non poteſt eſſe eius hæres: intellige cum effectu, nam ipſo iure benè ſuccedit, ſed fiſcus aufert. Paulus de Caſtro *dict. l. ſi ab hoſtibus, §. ſi vir, num. 2.* reprehendit Bart. diſtinctionem *dict. l. finali,* quia, inquit, *d. cum ratio,* docens hæreditatem hæredis interficientis teſtatorem confiſcari, loquitur de hæreditate ex teſtamento, vel ab inteſtato: & *dict. l. ſororem, n. 2.* inquit, hinc patet, quòd interficiens aliquem, non poteſt illi ſuccedere ex teſtamento, vel ab inteſtato, quod intellige cum effectu: nam ipſo iure benè ſuccedit, ſed ſibi aufertur hæreditas, & applicatur fiſco. Ludouicus Roman *ſingulari 467.* vbi inquit, occidens teſtatorem priuatur hæreditate tanquam indignus, & applicatur fiſco. Vbi authores additiònum inquirit, intellige, quòd occidens venit ad ſucceſſionem occiſi, ſed ei vt indigno fiſcus aufert. Iulius Clarus *lib. 5. recept. ſentent. §. homicidium, verſ. priuatur etiam,* Vbi inquit, priuatur homicida ſucceſſione eius, quem interfecit, vbi ex teſtamento, vel ab inteſtato talis ſucceſſio ad eum pertinet, & hoc non vt ab eà excludatur tanquam incapax, ſed vt admittatur ad ſuccedendum, & deinde fiſcus illam auferat tanquam ab indigno. Ledeſ. 2. 4 q. 18. *art. 1.* poſt *duò. 16. fol. 232.* vbi inquit. Qui occidit teſtatorem, vel patrem, aut alium, cui erat ſucceſſurus alias, non fit ante iudicis ſententiam incapax, ſed hæreditatem adire poteſt. Bart. *dict. l. ſi ab hoſtibus, §. ſi vir, n. 2.* licèt aliquantulum variè loquatur, dicit quòd ibi diſponitur, ſcilicet lucrum dotis viri occidentis vxorem acquirit hæredibus vxoris, eſſe ſpeciale in lucris nuptialibus. Vnde mutauit ſententiam, quam habuit *dict. l. finali, fine,* quam retuli in prima ſententia, vt benè aduertit gloſſa imaginalis Bartoli *d. l. finali.* Et probatur hæc ſententia: primò, quia licèt legata reuocentur tacita voluntate præſumpta teſtatoris; & ſic per ingratitudinem, aut graues inimicitias ſuperuenientes, at inſtitutio hæredis non reuocatur tacita voluntate teſtatoris: immò nec expreſſa, niſi certis ſolemnitatibus, & ſic per ingratitudinem,





aut graues inimicitias non reuocatur, vt benè docet gloſſa *l. 3. §. fin. ff. de adim. legatis, verſ. nuda.* Vbi inquit hæredis inſtitutio non reuocatur tacita voluntate, immò nec expreſſa, ſed oportet factum defuncti interuenire, linum concidendo, aut teſtamentum dirumpendo. Idem eiſdem ferè verbis Bart. *eodem §.* idem Iaſon *dicta l. hæreditas, num. 2.* Bald. *l. fideicommiſſum, C. de fideicom. numero 2.* & *ibi* Paulus de Caſtro *num. 3.* Ripa *l. fin. C. de reuocan. donat quæſt. 46. n. 154.* Molina *lib. 1. de primog. cap. 9. n. 22. 23.* Lemeſm. *vbi ſuprà.* Et probatur apertè ex *l. ex parte ff. de adim. legat.* vbi eſt caſus, Titius inſtituit hæredes Seiũ, & Caium, quem Caium inſtituit etiam legatarium, poſtea ortæ ſunt grauiſſimæ inimicitiæ inter teſtatorem, & Caium pro parte hæredem, & pro parte legatarium; propter quod teſtator cœpit facere aliud teſtamentum ad reuocandum hæreditatem, & legatum: morte præuentus non perfecit. Dubitatur an dictus Caius ſit habiturus hæreditatem, & legatum? reſpondet lex, habebit hæreditatem, ſed non legatum: & rationem differentiæ aſſignat *ibi* gloſſa, *verbo denegabuntur,* quia cùm inſtitutio hæredis ſit caput, & ſubſtantia teſtamenti, non poteſt reuocari, niſi certis modis, ſicut & teſtamentum, non ſic autem legatum. Quam differentiam dicit notandam Bart. *dicta l. ex parte,* & conſtat ex *§. ex eo, Inſtit. quibus mod. teſtam. infirm.* cuius verba ſunt, *ex eo autem ſolo non poteſt infirmari teſtamentum, quòd poſtea teſtator id voluerit valere, & l. militis codicillis, §. veteranus ff. de milit. teſtam. & l. hæredis palam, §. ſi quid poſt. ff. de teſtam.* vbi eadem ſolemnitas requiritur in actu deſtruendo, quæ exigitur in eo conſtruendo: ergo cùm eo caſu, quo hæres interficit teſtatorem, non interuenit expreſſa voluntas reuocans hæredis inſtitutionem, nec ſolemnitates ſed tantùm tacita, & præſumpta voluntas, non cenſebitur reuocata. Secundò probatur, quia *l. cum ratio, ff. de bonis damnat.* quæ damnat homicidam, & reddit illum hæreditate indignum, illam applicat fiſco. Item in alio ſimili, ſcilicet quando hæres non vindicat defuncti necem, quo caſu redditur etiam indignus hæreditate, applicatur fiſco, *l. 13. tit. 7. part. 6. & lib. nouæ recopilat. tit. 8. l. 11.* Sed, vt in principio huius dubij probaui, quando hæres ob delictum proprium redditur indignus hæreditate, ſi ea applicatur fiſco, non fit inhabilis, & incapax, ſed requiritur ſententia, vt priuetur: ergo. Tertiò probatur, quia leges reddentes indignum homicidam, non tantò rigore loquuntur, ac leges priuantes bonis hæreticorum, quia hæ dicunt *ipſo facto, ipſo iure*: at his non obſtantibus non tenetur hæreticus ante ſententiam bona teſtituere, iuxta communiorem & veriorem ſententiam, ergo.

6 Pro reſolutione ſit prima concluſio, multò probabilior eſt hæc ſententia, ſcilicet hæredem ſiue neceſſarium, ſiue teſtamentarium ob nullam ingratitudinem, etiamſi teſtatorem necet, non perdere hæreditatem, nec teneri eam reſtituere ante iudicis ſententiam, qua illa priuetur. Probatur ex Doctoribus citatis & rationibus poſitis: & eam tenet expreſsè Molina *tomo primo de iuſt. tract. 2 diſput. 178. fine,* & expreſsè loquitur de hærede legitimo, & teſtamentario, vt conſtat ex principio illius diſputationis.

7 Secunda concluſio. Legata ipſo iure reuocantur, ſi legatarius poſt legatum factum ingratitudinem notabilem, aut graues inimicitias habeat cum teſtatore, vel ipſum occidat. Probatur ex *l. 3. §. non ſolum, ff. de adim. legat.* vbi textus ſic ait, non ſolùm legata, ſed etiam fideicommiſſa adimi poſſunt nuda voluntate (id eſt, iuxta gloſſam, & Bart. ibi *tacita, & nuda à verbis*) *Et ſiquidem grauiſſimæ inimicitiæ interceſſerint, ademptum videtur, quod relictum eſt.* Hæc textus, & gloſſa *ibi verbo, nuda,* inquit, legata tacita voluntate præſumpta, contraria priori voluntati reuocantur. Bart. *eodem §. num. 1. Legata, & etiã ſi deicommiſſa,* inquit, *reuocatur ſine ſolemnitate, & ſine facto teſtatoris,* & *l. 1. ff. de his, quibus vt indign. n. 1.* inquit, *quando cauſa ingratitudinis committitur vivo teſtatore, reuocatur*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*legatarum ipso iure, & remanet penes heredem* Molina *lib.1. de primogen.cap 9.num.38* & Ripa *l.finali, Cod. de revoc. donat.quæst.45 num.151.* vbi vterque sic inquit: Ex causa ingratitudinis seu inimicitiæ superuenientis revocantur ipso iure absque alia voluntatis declaratione legata,& prælegata,& fideicommissa.Idem Iason *dicta l.hæreditas, numero 2. & dicta l.fideicommissum*, vbi etiam Bald. *num. 1.* & 2. Paulus de Castro *ibi num. 3.* & glossa *ibi fine*, & glossa marginalis dictæ glossæ, Ledesma *vbi suprà*, Gregor.Lopez *l.10.tit.4.part.5.verbo sus heredes.* Anton.Gomez *1.var.cap.12.num 56.* Molina *tomo 1. iustit. tract. 2. disp.212.§.tacitè verò.*

8 Hinc fit teneri talem legatarium, seu fideicommissarium restituere tale legatum ante omnem iudicis sententiam. Sic tenet expresè Ledesma, & colligitur ex illis quæ dicunt Padilla,& Sylvest. quos statim referam, & patet ex authoribus citatis,qui dicunt ipso iure censeri revocata legata,& fideicommissa, & maximè Bart. & Ripa *vbi supra*,qui dicunt tale legatum remanere apud hæredem: ergo factus est incapax, & inhabilis per legem, iuxta id, quod notaui in principio huius dub.j:& probatur,quia tale legatum non revocatur in pœnam ingratitudinis legatarij, sed ex tacita testatoris voluntate præsumpta,qui si sciret, revocasset, vt patet ex *l.3 §.fin.ff.de adim.legat.*at quando donatio revocatur ob præsumptam donantis voluntatem contrariam, ipso iure censetur revocata, & tenetur donatarius statim restituere, vt contingit in revocatione donationis ob filiorum natiuitatem, vt docet Couar. 4. *decret.2.part.cap.6 § 8.num.17. fine*,Mexia *pragmatica tritici, conclus.6.num.* 109. Castro *lib.2.de de lege pœnali, cap. 8. vno fol.post initium capitis*: ergo. Et expresè colligitur ex Molina *tomo 1. de iust. tract.2 disp.212.§.tacitè verò*, dicit enim locum non habere in foro conscientiæ, si constet de contraria voluntate,quia innititur præsumptæ voluntati,*& §.si legatarius*, vbi dicit, quando iniuria post mortem testatoris acciderit,non teneri in foro conscientiæ; quia est impar natura, *& §.si item legatarius*, vbi dicit non ad fiscum, sed ad hæredem pertinere *l. filio, § Seiæ, ff.de adim.legat.l.si immicitiæ.ff. de his quibus vt indig.*

9 Nota conclusionem hanc intelligi, quando viuente testatore post legatum factum legatarius commisit talem ingratitudinem: nam si mortuo testatore commisisset, non reuocatur legatum ipso iure, donec per sententiam auferatur,& applicetur fisco. Ratio differentiæ,quia hoc interest inter causam ingratitudinis commissæ contra viuum, & contra defunctum, quòd propter illam reuocatur legatum ex præsumptione contrariæ voluntatis:at propter hanc non, cùm in mortuo non possit præsumi contraria voluntas, sed reuocatur in pœnam ingratitudinis: & sic priori casu applicatur legatum hæredi, posteriori verò. Sic Molina *dicto cap.9.num 46.* Ripa *vbi suprà num.151.152 153.* Paulus de Castro *dicta l. fideicommissum,num.3.* glossa marginalis citata, Bartolus *l.1. ff.de his,quibus vt indig.n.1.&* 4. Anton. Gomez *tomo 1. var.cap.12.n.56.* Mantica *de coniect vlt. volunt. l. volunt. lib.12.tit.5.num.6.* Sylvest. *verbo legatum 2. fine*, Padilla *l.fideicommissum,Cod.de fideicom. num.2.fine.* Vnde Sylvest.Molina, & Padilla dicunt in tali casu non teneri legatarium restituere ante iudicis sententiam:& patet,quia tali casu applicatur fisco: ergo legatarius non est incapax, iuxta suprà dicta,atque notata.

10 Secundò nota idem dicendum esse de donatione, reuocabili,quod de legato, scilicet ipso iure reuocari per ingratitudinem eo pacto, quo & legatum. Idem tenent alij,quos refert Marienzo *lib. 5.recopilat. tit.10.l.7. glossa 3.num.6.* contra alios, quos *ibi* refert, ipse tamen dicit, quod iudex æquus arbitrabitur in hoc. Ratio, quia donatio vsque ad mortem reuocabilis est omnino, vt legatum,& sic Sylvest. *verbo fideicommissum, imtio*, dicit donationem causa mortis contineri appellatione legatorum. *l.si fideicommissum ff.de legat.3.* Sic Molina *dicto cap.9. n.42.* Gregor. Lopez *l.10.tit.4 part. 5.verb.sus heredes*, dicit inter has donationes reuocabiles computari donationem in tertio bonorum, iuxta leges nostri Regni.

11 Tertiò nota conclusionem tenere verum, etiam quando non culpa legatarij, sed testatoris inimicitiæ causatæ sunt.Ratio,quia hoc casu reuocatur legatum ex præsumpta voluntate contraria testatoris, quæ ita præsumitur, siue culpa legatarij, siue testatoris inimicitiæ præcesserint. Ita contra Bart. *l. cum in tabulis, num.1.ff. de his, quibus vt indig.* tenet Molina *dicto cap.9. num.*38.Mieres *lib.de instit.1.p.quæst.43.num.17.* Couar. *rubr.de testam.2. part. num. 2.vers. Quintò ex præmissa*, Ripa *dicto num. 151* Iason *l.si filiam,num.2.Cod. de inoffic.testam.* Palacios Rubios *rubr. de donat. inter vir.& vxor.* §.78.*num.* 27. Gerar.*singulari 5.* Ioannes ab Amicis *consil.* 4. Menchaca *de succeff.creat.lib.1.§.10. num.621.*

12 Quartò nota conclusionem tenere verum, etiamsi testator inimicitiæ legatarij conscius habuerit tempus reuocandi, fecerit*que* codicillum, nec in eo legatum reuocauerit,adhuc enim reuocatum manet,quia cum iam semel reuocatum sit, non requiritur, vt expresè conualidetur. Ita apertè habetur *l.filio.§.Seia, ff.de adim. legat.* & tenet Bart. *ibi n.1.* Franciscus Aretinus *consil.93. num. 5.* Alex *l.1.ff.de vulg.num.33.* Ripa *dicto num.151.* Peralta *l.cum quidam, num. 8 ff.de legat.3.* Molina *dicto cap.9.n. 41.* P. Molina *dicta disp.212.§.tacitè verò.* Si tamen testator post ortam inimicitiam cum legatario tacitè, vel expresè se reconciliauerit, illúmque ad domum suam introduxerit, vel aliquid simile fecerit, ex eo causa ingratitudinis,vel inimicitiæ remissa censebitur. *l.4.ff.de adim. leg.*Bart.Iason,Immola,Cuman.Aretin. Alexand. Acosta, Curtius,& communis, quos refert, & sequitur Molina *eodem cap.9.num.42.* Ripa *dicta l.fin.q.61.num.24.* Antonius Gomez *1.var.cap 12.num. 56.*

13 Quintò nota fideicommissum,vt notat Sylvest.*verbo fideicommissum* esse illud legatum, quod fidei hæredis commissum est, vt alicui daret: vt si testator dicat hæredi relinquo tibi fundum, vt illum des Petro. Vnde differt tantùm à legato in hoc, quia hoc est, quando dispositio confertur in legatarium, illud cùm fertur in alium, de cuius manu debet capere: vnde comprehenditur nomine legati.

14 Tertia conclusio. Quando inter virum & vxorem factum est pactum, vt superuiuens dotem, vel donationem propter nuptias lucretur, si alter alterum occiderit, non lucrabitur, sed ad hæredes peruenit, & in hoc casu intelligitur *l.si ab hostibus, §. si vir, ff.soluto matrim.* vbi disponitur virum occidentem vxorem non lucrari dotem. Ita explicat glossa *ibi vers.si vir, & versic. lucrifacere, ibique* Angel. Ioannes de Immola, Raphael, Alex. de Immola *l maritus, Cod. vnde vir,num 11.* Molina *lib 3.de primog.cap.2.num. 31.* Et ratio est, quia in tali pacto est tacita conditio, si alter culpam non commiserit in alterius morte.

15 Nota idem esse dicendum, quando alter alterum in infirmitate constitutum non curauit, vel eidem medicum malum adhibuit, vt ex ea infirmitate decederet. Sic glossa *ibi*, & Doctores communiter, Molina *eodem cap 2.num.33.* Palacios Rubios *rubr. de donat.inter virum, & vxorem,§.70. num. 29.* & notat Molina, quòd quamuis talis negligentia in non curando non posset imputari aliis successoribus, qui curare non tenentur, at malum Medicum adhibere, omnibus imputatur.

16 Quarta conclusio: si vir occidat vxorem in adulterio repertam propria authoritate, non lucratur dotem, nec illa bona, quæ ob adulterium vxoris leges marito adiudicant.Ratio,quia qui ius propria authoritate sibi dixerit etiam lege permittente, legale commodum non consequitur. Sic expresè disponitur *l.82. Tauri*, quæ hodie est *l 5.tit.20.lib 8 nouæ recopilat.* & tenet Antonius Gomez *eadem l.82.Taur.num. 65* Gomez Arias *l.80 Taur. num.1.* Iulius Clarus *lib.5. recept. sentent. §. homicidium, vers. quinatur etiam.* glossa *dicta l.si ab hostibus,verb. lucrifacere*; vbi Bald.Paulus,Immola, Roman. Alexand. Couar.*4.decret.2.p.cap.7.§.7.num.7.* qui addit cum Alexand. si dos marito ex alia causa deferatur à lege, non amittere eam, etiamsi vxorem adulteram occidat propria authoritate.



## DVBIVM XXXIX.

*An successor in primogenio occidens possessorem primogenij, illud amittat.*

1 NOta difficultatem huius quæstionis hinc pendere, an maioratus propter indignitatem successoris deuoluatur ad subsequentem successorem, (nam tunc iuxta notabile positum *dub.præced.initio*,erit incapax, & amittet ipso iure,) vel pertineat ad fiscum. nam tunc non erit incapax, sed requireturr sententia, vt bene notat Molina *lib.1.de primog.cap.9.à n.25.vsque ad 30.*

2 Circa hanc quæstionem aliqui tenent successorem maioratus,qui interficit possessorem, statim ipso iure priuati maioratu, & reddi inhabilem. Sic Ledesm.2.4.*quæst. 18.art.1.post dub.16.fol.233.* Mieres *lib. de instit.maior.2. p.quæst.4.illat.1.à num.11.*& maximè *n.* 20. 21. ille motuetur, quia maioratus per delictum successoris non confiscatur, sed statim peruenit ad sequentem successorem: hic verò, quia tenet omnem occidentem testatorem esse incapacem hæreditatis. Sed vterque fallitur: Ledesm. quia licet maioratus non confiscetur in perpetuum, propter delictum possessoris,at dum viuit possessor,confiscabitur, & post mortem ipsius applicabitur aliis successoribus, vt docet Molina *lib.4.de primogen.c.11.n.11.* Ant. Gomez *l.40.Taur.num.91.§.tertiò non obstat.*Deceptus est etiam Mieres, quia suum fundamentum non est verum, vt probaui *dub.præcedenti.*

3 Pro resolutione nota hoc dubium tractari attento iure communi,& Regni,seclusis conditionibus appositis per testatorem, qui maioratum instituit; nam si ipse aliquid in hoc casu disposuit,id obseruandum erit.

4 Secundò nota maioratum posse institui in testamento, & in contractu donationis reuocabilis, vel irreuocabilis. Rursus in testamento, vel constituendo maioratus successorem, vt hæredem, vel vt legatarium, seu fideicommissarium. Quando verò censeatur hæres, & quando legatarius, seu fideicommissarius, consule Molinam, *lib.1.cap.14.à num.4.vsque ad 9.*

5 Tertiò nota hoc distare inter primum maioratus successorem, & reliquos, quòd primus potest esse directus hæres, at reliqui non nisi vt legatarij, seu fideicommissarij succedunt. Ratio, quia cùm primus maioratus successor in eo tanquam directus hæres successerit, nullo modo potest vnquam definire esse hæres,*l.ei, qui soluendo*, vbi Bart. & communiter Doctores.*ff.de hæred. instit. & l.15. tit. 3.p. 6.* Quare si quis instituat Petrum hæredem ad vitam, & post eius mortem Paulum, vel pauperes, vel hospitale, Paulus, pauperes, & hospitale succedunt,non vt hæredes,sed vt fideicommissarij: ergo cùm primus successor maioratus institutus hæres non possit definere esse hæres,alij non vt hæredes, sed vt legatarij, seu fideicommissarij succedent. Sic Molina *eodem cap.14. num.9.10.& 11.*

6 Quartò nota aut maioratum fuisse institutum in persona filiorum,vel descendentium, quibus legitima debetur,aut in personis, quibus non debetur legitima, vt in consanguineis transuersalibus,vel extraneis.

7 Quinto nota possessorem maioratus interfectum à successore,vel posse esse institutorem maioratus,vel alium successorem.

8 His positis sit prima conclusio. Quando ingratitudo,quæuis sit illa,etiam occisio, non fuit commissa contra maioratus institutorem, sed contra alium successorem possessorem maioratus,non amittit successor ipso iure maioratum qui talem occisionem fecit.Ratio,quia talis amissio est in pœnam ingratitudinis; hîc verò nulla est ingratitudo,quia ingratitudo aliquam gratiam supponit factã, vt talis possessor,qui non instituit maioratum,nullam gratiam fecit successori circa maioratus successionem, sed talis gratia à primo institutore recepta est. Sic Molina *lib.1.de primog.cap.9.n.2.* plures referens,Mieres *dict.q.4. illat.1.n.5.* Ant.Gomez *l.40.Taur.n.71.*

9 Secunda conclusio. Quando occidit successor maioratus institutorem, vel fuit illi ingratus grauiter, & maioratus fuit institutus inter eos, quibus legitima non debetur, quando successor primus fuit; qui talem ingratitudinem commisit, & fuit institutus hæres in tali maioratu, non ipso iure illum amittit, sed requiritur sententia,& applicabitur fisco per tempus vitæ talis successoris. Ratio,quia (vt dixi *dubio præced.*) hæres occidens testatorem non amittit ipso iure hæreditatem. Sic Molina *lib.1.de primogen.cap.9.num.23.25.* Greg. Lopez *l. 2. tit. 15.part.2.vers.sino el hijo*, vbi inquit, si primus successor occidat testatorem, & institutorem maioratus; in vita illius confiscabitur: ergo sentit requiri sententiam, iuxta notata *dubio præced.initio.* Et quòd non intelligat, nisi quando institutus est vt hæres, patet, quia ipsemet alibi tenet (vt mox referam) amittere ipso iure,quando vt legatarius institutus est.

10 Tertia conclusio. Si talis maioratus non est institutus in tali primo successore per modum hæredis, sed legatarij, seu fideicommissarij, seu donatarij, ac contractus reuocabilis ad nutum institutoris, reuocatur ipso iure absque alia voluntatis declaratione, ex causa inimicitiæ grauis, vel ingratitudinis superuenientis: & sic à fortiori si institutorem occidat. Ratio, quia legatum, & fideicommissum ipso iure amittuntur per ingratitudinem, nisi donans ipse reuocet, quia id fit in ingratitudinis pœnam, vt docet Anton.Gabriel *tomo 1. commun. opin.lib.14. verbo,priuatio,fol.170.* Mexia *pragmat. tritici, conclus.6.n.109.*Gregor.Lopez *dict. vers.sus herederos*, & expresè docet *in illa l.* Couar.licèt sub dubio 4 *decret. 2.p.cap.6.§.8.n.17.fine.*

12 Quinta conclusio. Alij maioratus successores præter primum semper amittunt ipso iure maioratum in testamento, vel contractu reuocabili institutum. Ratio, quia (vt dixi *notab. 3.*) omnes illi non habent rationem hæredis, sed legatarij, seu fideicommissarij, at legatum, & fideicommissum ipso iure amittuntur per ingratitudinem. Hæc conclusio apertè colligitur ex doctrina Molinæ *lib.1.de primog.cap.14.num.9.10.11.* vbi dicit hos successores esse legatarios, seu fideicommissarios; & *c.9.* maioratum institutum per modum legati, seu fideicommissi ipso iure reuocari per ingratitudinem: hoc videtur velle Greg. Lopez *part. 2. tit.15. l.2.vers. sino el hijo*, vbi inquit, si quis occidat possessorem maioratus, si est nouus, in vita illius confiscabitur: si verò antiquus, statim transmittitur in sequentem successorem.

13 Hucusque dictum est, quando maioratus institutus est in personis, quibus non debetur legitima, vt in transuersalibus, vel extraneis: si tamen institutus sit in personis, quibus debetur legitima, vt in filiis, aut aliis descendentibus, aut maioratus instituitur ex legitima tantùm, aut ex legitima & aliis bonis extra legitimam, aut tantùm ex aliis bonis extra legitimam.

14 Sexta conclusio. Si maioratus sit institutus ex legitima, non priuatur filius, vel descendens ipso iure tali maioratu

Universidad de Deusto
Biblioteca



maioratu ob quamcumque ingratitudinem, vel inimicitiam: sed oportet à patre, vel ascendente exhæredatus fuerit, solemnitatibus iure requisitis interuenientibus. Ratio, quia talis est hæres necessarius, & iure sanguinis, qui (vt dixi *dub. præced.* secundùm ferè omnes) licèt interficiat testatorem, non amittit ipso iure hæreditatem. Itè quia hic non recipit gratum à testatore, cùm iure debeatur sibi legitima. Sic Molina plures referens *lib. 1. cap. 9. num. 15.16.17.18.*

15 Septima conclusio. Si talis maioratus simul de legitima, & aliis bonis extra legitimam institutus sit, idem dicendum est etiam in ea parte, quæ extra legitimam est, scilicet non reuocari. Ratio, quia maioratus indiuiduus esse debet, & eius naturæ repugnat diuisio: ergo si quoad vnam partem non reuocatur, non reuocabitur etiam quoad aliam. Item, quia ille censetur hæres in tota illa quantitate, licet in legitima necessarius, in aliis verò bonis voluntarius: at hæres siue necessarius, siue voluntarius non amittit ipso iure hæreditatem. Sic Molina eodem *cap. 9. n. 19.20.*

16 Vltima conclusio. Si tamen maioratus institutus sit ex eo tantùm, quòd legitimam excedit, per viam legati, vel fideicommissi, vel donationis reuocabilis vsque ad mortem, vt est donatio in tertio bonorum, iuxta leges Regni, reuocatur ipso iure per ingratitudinem. Patet ratione sæpe dicta: & sic colligitur ex doctrina Molinæ citata; & tenet expressè Gregor. Lopez *l. 10. tit 4. part. 5. verſ. sius herederos*, vbi limitat, nisi prælegatum, vel donatio habeatur loco institutionis, scilicet quando est ita magna, vt videatur succedere loco institutionis, vel hæreditatis; quia tunc necessaria esset exhæredatio in filio, vt reuocaretur.

## SVMMARIVM.

DVB. 40. *Quis possit esse executor testamenti.*

41 *An officium executoris testamenti possit impleri per alium, vel transeat ad hæredes.*

42 *An executor testamenti nominatus à testatore teneatur acceptare officium, & ad id compelli possit.*

43 *Ad quem spectet exequi testamentum quando nominati executores acceptare nolunt, vel testator nullum nominauit exequutorem.*

44 *An quando plures testamenti executores nominati sunt, possit vnus sine alio exequi.*

45 *Quid faciendum est, quando plures sunt executores, & inter se discordant.*

46 *An executor testamenti possit vendere testatoris bona ad implendum contenta in testamento.*

47 *An inuito hærede possit executor testamenti soluere legata, & debita defuncti, vel hæc sint ab hærede præstanda.*

48 *An executor possit agere aduersus hæredes, vel alios hæreditatis debitores, vt tradant bona aa exequendum testamentum.*

49 *An executor testamentarius teneatur reddere rationem, & facere inuentarium.*

50 *An executoribus testamentariis debeatur salarium ratione laboris in exequutione testamenti impensi.*

51 *Quod tempus habeat executor testamenti, vel hæres ad exequendum testamentum.*

52 *An sicut transacto anno, aliove tempore per testatorem assignato ad exequendum testamentum, expirat officiũ executoris, & executio transfertur ad Episcopum: ita etiam eodem modo is, cui à testatore electio, vel declaratio commissa est, vt si testator dicat, relinquo decem scuta pauperibus declarandis per Petrum, teneatur eligere, vel declarare intra annum, aliúdve tempus ad executionem designatum, ita vt aliquin ius illud eligendi, seu declarandi ad Episcopum spectet.*

53 *An hæres, vel executor testamenti sicut per canones, & leges habet annum ad exequendum testamentum, ita etiam in foro conscientiæ, vel teneatur quamprimum potest, exequi.*

54 *Quid possit Episcopus circa testamentorum exequutionem.*

55 *An possit testator prohibere, ne ad Episcopum deuoluatur exequutio testamenti, negligentibus hæredibus, vel exequutoribus, exequi, vel ne teneantur reddere rationem administrationis Episcopo.*

56 *Quæ sit pœna hæredis, vel exequutoris negligentis exequi testamentum, & an incurratur ipso iure, vel opus sit sententia.*

57 *An si testator leget tali monasterio, vel tali pauperi centum aureos, & alios mille distribui in pauperes, vel in opera pia arbitrio suorum exequutorum, possint exequutores distribuere, & dare illi monasterio, vel pauperi ex illis mille aureis aliquid, quando ita pauper esset, vt id iudicaretur expediens.*

58 *An exequutor testamenti, vel alius, cui committitur, aliquam summam inter pauperes distribuere, possit, si verè pauper sit, partem aliquam sibi applicare.*

59 *Quinam comprehendantur nomine pauperum, quando testator iubet exequutori, vt distribuat aliquam summam inter pauperes.*

60 *An quando testator legat aliquid pauperibus absolutè, possit distributor dare quibuscumque.*

61 *An si is, cui pauperum electio commissa est, malè distribuat, possit ab eo appellari: & similiter quando testator dicit, semio meam conscientiam grauatam aliquibus debitis, de quibus tamen habeo dubium, volo, vt stetur sententiæ P. N.*

62 *An quando testator iussit aliquid distribuere inter consanguineos pauperes ipsius testatoris, teneatur exequutor dare magis consanguinitate coniunctis, quàm pauperioribus.*

63 *Quinam comprehendantur orphanorum nomine, si quid legetur orphanis.*

64 *An executor testamentarius, cui electio pauperum commissa est, possit, electione facta, variare alios eligendo.*

65 *An cum committitur per testatorem alicui, vt disponat de eius bonis, valeat commissio, & quid teneatur ille facere.*

## DVBIVM XL.

*Quis possit esse executor testamenti.*

1 SIt prima conclusio. Omnes clerici sæculares, & laici possunt esse executores testamenti. Patet ex *c. tua, de testam.* cum ibi notatis: & ratio est, quia licèt clerici curam sæcularium actuum recipere non debeant, *11. q. 1. cap. te quidem*; nec esse ministri laicorum; hoc tamen est speciale in executione testamentorum, etiam ad non pias causas, vt possint esse, vt notatur *in cap. 2. de testam. in 6.* Sic Couar. *cap. tua, de testam. num. 1.* Matienzo *lib. 5. recopilat. tit 4. l. 14. gloss. 1. n. 2.* Sylueſt. *testamentum, 2. q. 1.* Armil. *verbo exequutor, n. 2.* vbi Angel. *n. 2.* Tabien. *q. 1.* D. Thom. *3. part. tit. 10. cap. 3. §. 9.* & sic approbat vsus, & tenent omnes.

2 Secunda conclusio. Possunt deputari exequutores laicus, & clericus simul: quia licèt in eodem officio dispar professio esse non debeat, *cap. in noua, 16. q. 1.* hoc intelligitur, quando admittuntur vt vnum corpus, vel vt vnum collegium. Sic Sylueſter, Tabiena, D. Anton. *ibi*, Angel. *num. 4.*

3 An verò Religiosi possint esse testamentarij, & omnia, quæ ad hoc pertinent, vel committi ipsis possit nominatio executoris, vel vt exequutor omnia de consilio ipsorum faciat, dixi latè *lib. 6. summæ, cap. 21.*

4 An possit committi alicui, vt nominet testamenti exequutorem, dixi *ibi à n. 39. vsque ad 42.*

5 Tertia conclusio. Fœmina potest esse executrix testamenti. Patet, quia nullibi prohibetur, & quia potest esse tutrix. Sic contra glossam *l. tutela, ff. de tut.* tenet glossa *cap. 2. de testam. in 6. verſ. Religioſus, & ibi* Francus §. 1. *n. 6.* Ioan. Andr. & communis *ibi*, Spino *speculo testam. gl. 28. num. 35.* Couar. *cap. tua, de testam. num. 3.* Ioan. Lupus *l. 31. Taur. num. 37.* vbi Tello *num. 8.* Antonius Gomez *num. 6.* Cifuentes *num. 31.* Bart. Bald. Oldrad. quos, & Speculatorem refert, & sequitur Matienxo *lib. 5. recopilat. tit. 4. l. 5. gloss 8. num. 5.* Tabiena *verbo exequutor, quæſt. 1.* Angel. *num. 3.* Sylueſt *suprà*, Armil. *num. 2.* licèt limitet, si est consuetudo: sed non opus est tali limitatione, quia manifestum est stando in iure posse esse, vt docent Doctores citati. Idem tenet Greg. Lopez *l. 2. tit. 10. part. 6. verſ. frayles.*

6 Quarta conclusio. Fœmina secundò nubens, licèt amittat filiorum tutelam, at non amittit hoc exequutricis munus relictum sibi à viro in testamento. Hæc est contra Spino *ea gloſſ 28. n. 35.* sed nostram conclusionem tenent Greg. Lopez. Couar. Matienzo, Bart. Bald. Oldrad. Decius *ibidem.* Ioan. Lapus *ibidem n. 38.*

7 Nota tamen, quòd relicta, siue commissa à testatore propriis fratribus exequutione testamenti, non censetur sororibus delegata ob imperfectum fœminarum consilium *l. vltima, C. de legit. tut.* Sic Baldus, & Iason, quos refert, & sequitur Couar. *eo n. 3.*

8 Quinta conclusio. Pupillus, seu impubes non potest esse executor testamenti. Hanc contra aliquos, vt *ibi* refert, tenet Sylueſt, *dict. q. 1.* Angel. *verbo exequutor, n. 2.* Spino *suprà n. 36.* & Doctores, quos referam pro sequenti conclusione. Ratio est, quia cùm hoc officium requirat animi iudicium, & maturum consilium, difficilè poterit consilium præstare alij, qui sibi non habet.

9 De minori verò vigintiquinque annis absolutè dicit Sylueſt. & Angel. *ibi* posse esse, modò adultus sit.

10 Sexta tamen conclusio sit. Minor vigintiquinque annis, modò sit maior decem septem, potest esse exequutor testamenti. Probatur ex *cap. qui generaliter, §. vltimo, de procurat. in 6.* vbi minor vigintiquinque annis, si decimumseptimum impleuerit, potest esse procurator ad negotia; ad quod etiam est *l. 19. in fine, tit. 5. part. 3.* Sic licet Speculator dubitet, & contrarium teneat Oldrad quos vbi refert, tenet Matienzo *l. 14. gloss. 1. num. 6. tit. 4. lib. 5. recopilat.* Couar. *dict. cap. tua, num. 4.* Greg. Lopez *l. 2. tit. 10. part. 6. verſ. frayles*, glossa communiter approbata, teste Matienzo, *cap. 2. de testam. in 6. verſ. Religioſus*, & *ibi* Francus §. 1. *num. 6.*

11 Septima conclusio. Excommunicatus potest esse exequutor testamenti. Ratio, quia licèt non possit esse in iudicio, at potest extraiudicialia tractare. Item, quia officium hoc non est ad suum commodum, sed aliorum, scilicet testatoris, & legatariorum. Sic Spino *ea gloſſ. 28. n. 38.* Anchar. *cap. religioſus, de testam. in 6. n. 3.*

12 Octaua conclusio. Nec mutus, nec surdus, nec prodigus, cui datus est tutor, possunt esse executores testamenti. Sic Sylueſt. *testamentum. 2. quæſt. 1. dict. 5.* Angel. *verbo executor, num. 2.*

13 Nona conclusio. Licèt seruo teneant Sylueſt. Anchar. & Angel. *ibi*, & Bald. quem refert Spino non posse esse executorem testamenti, at verius est posse, quia ea, quæ sunt nudi ministerij, & facti, quale est hoc munus, possunt per seruum adimpleri. Item quia spiritualia, & pietatis opera, quale est hoc, cadunt in seruum. Sic alij qui, vt refert Sylueſt. & probat latè Spino *dict. gloss. 28. num. 33.34.*

## DVBIVM XLI.

*An officium executoris testamenti possit impleri per alium, vel transeat ad hæredes.*

1 PRimò dico, quòd hoc officium non potest delegari, nec impleri per alium; quia censetur electa industria personæ. Sic Dominicus & Oldradus, quos refert, ac sequitur Sylueſt. *testamentum 2. q. 3. dicto 6.* Rosel. *restitutio 15. num 4.* Spino *speculo testam. gloſſ. 28. n. 21.* vbi multos refert Francus *vbi infra.*

2 Secundò dico, quòd hoc est limitandum, nisi certæ rei derogatio, & certo loco facienda esset, quia tunc fortè posset alij committi, Sylueſt. & Rosel. *ibi*, Francus *cap. 2. de testam. in 6. §. sanè.*

3 Tertiò dico, quòd hoc officium non transit ad hæredes; quia censetur electa industria personæ, nisi testator, qui executorem constituit hoc expresserit. Sic Francus *dicto cap. 2. de testam. §. sanè, n. 6.* & *ibi* gloss. *verſ. mortuo*, Sylueſt. *testam. 2. d. 4. dicto 1.* Armil. *verbo executor, n. 4.* Tabien. *ibi, q. 3.* Angel. *n. 8.* Rosel. *restitutio 15. n. 6.* Azebedo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 6. n. 11.*

4 Quartò dico, quòd si officium executoris committatur habenti dignitatem, transit in successorem in dignitate, quando committitur ratione dignitatis, secus si committatur ratione personæ. Ratio, quia quando primo casu committitur, non personæ, sed dignitati commissum censetur: dignitas autem eadem est, licèt varietur persona. Sic Cardin. *Clement. 1. de testam.* Sylueſt. *testam. 2. q. 4.* Armil. *verbo executor, n. 4.* Tabien. *ibi, q. 3.* Angel. *n. 8.* Rosel. *restitutio 15. n. 6.* glossa *suprà verſ. expresserit.*

5 Nota, quòd cognoscetur, an commissio sit nomine dignitatis, vel personæ, si adiicitur in commissione nomen proprium, siue solum, siue simul cum nomine dignitatis, vt dicendo, nomino Petrum testamentarium meum: aut nomino Petrum Archiepiscopum Granatensem testamentarium meum, tunc commissio est nomine personæ: si verò tantùm apponitur nomen dignitatis, vt, nomino Archiepiscopum Granatensem testamentarium meum, tunc commissio est ratione dignitatis, nisi institutus sit propinquus, quia tunc licèt nomen non fuerit expressum, videtur ratione personæ, cum affectione propinquitatis factum. Sic glossa *dicto cap. 2. de testam. in 6. verſ. expresserit.* quam sequuntur, & commendant Bald. Angel. Fulgos. Iason *l. more maiorum. ff. de iurisd. om. iudic.* Couar. *cap. requisisti, de testam. n. 1.* idem Sylu. Angel. Tabien. Rosel. Armil. *dubio præced.* citati. Menoch. *de arbitr. lib. 1. cap. 68. n. 25.* & hæc distinctio (dicunt Sylueſt. & Rosel.) facit ad multa: & ex ea infertur cum Rosel. *ibi*, quòd quando dicitur in bulla Apostolica, *Præposito sancti Martini*, absque nominis expressione, transit ad successorem: secus si diceret, *Petro Præposito*; de quo vide Doctores *cap. quoniam Abbas & cap. finali, de officio deleg.* & Iason *dicta l. more*, & Couar. *suprà*, Menochium *suprà à n. 16.* vbi alias limitationes ponunt, præcipuè Iason.

## DVBIVM XLII.

*An executor testamenti nominatus à testatore teneatur acceptare officium, & ad id compelli possit.*

1 PRimò dico, quòd si nondum tacitè, nec expressè acceptauit, non tenetur acceptare, nec potest ad id compelli; hoc enim officium est voluntarium. Sic colligitur ex *cap. Ioannes, de testam.* Et ratio est, quia officium executorum à partibus electorum non est publicum, & sic nullus inuitus id admittere compellitur. Sic Sylueſt. *testamentum, 2. quæſt. 3. dicto 1.* Armil. *verbo executor, num. 5.* vbi Tabien. *quæſt. 4.* Angel. *num. 9.* D. Anton. *3. p. tit. 10. cap. 3. §. 9.* Padilla *l. 1. num. 20 ff. de legat. 2.* Couar. *cap. Ioannes, de testament. num. 3.* vbi Panorm. Ioannes Andr. & communis *ibi*, teste Couar. Tello *l. 31. Taur. fine.* Spino *speculo testam. gloſſ. 28. num. 18.* Sarmiento *lib. 8. select. super l. 1.* quæ est *l. in arbitrium ff. de legat. 2. n. 12.* Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4 l. 14. gloss. 1. n. 30. & l. 7. gloss. 6 n. 1.* vbi & refert Bart. Bald. & Decium. Idem Cifuentes *l. 31. Taur. n. 4.* & *ibi* Ioan. Lupus *num. 3.*

2 Nota idem esse in arbitrio, & arbitratore electo à partibus; non enim tenetur officium acceptare, quia non est officium publicum. Sic Padilla, Sarmiento, Bart. *l. 1. ff. de legat. 2. n. 6.* & *ibi* communis sententia.

3 Secundò nota quòd Spino *ibi* dicit, quòd licèt non

Universidad de Deusto
Biblioteca



possit cogi acceptare officium executoris testamenti, at in foro conscientiæ, si sine causa non acceptet, peccabit mortaliter, & probat ex doctrina glossæ *cap. sicut. 11. q. 1. vers. usum, & ibi* Archid. vbi dicunt peccare non recipientem arbitrium, quam glossam sequuntur Immola *cap. pastoralis, de offic. deleg. in princip. & ibi* Felin. *n.* 6. dicentes peccare mortaliter, non acceptando officium arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reducet.

4 Sed hoc ita vniuersaliter dictum minus verum est; quia sic non esset hoc officium voluntarium contra omnes Doctores citatos. Vnde dicendum est, quòd non tantùm peccabit non acceptando siue officium arbitri, siue exequutoris, quando ad id posset per iudicem compelli, iuxta hîc dicenda Sic Sarmiento *ibi n.* 12 & moderniores, vt refert Felin. *ibidem.*

5 Secundò dico, quòd si expressè, vel tacitè acceptauit officium exequutoris, non potest renunciare, sed cogendus est, & tenetur acceptare. Id patet ex *cap. Ioannes, de testam.* vbi id tenet Panot. *n.* 3. & Couar. *ibi num.* 3. Cardin. *Clement. vnica, de testam q.* 4. Bart. & Decius, quos refert, & sequitur Tello *l.* 31. *Taur. sit re.* Cifuentes *ibi, n.* 4. Sarmiento *vbi suprà, n.* 8. Spino *n.* 18. Padilla *n.* 22. & 24 Matienzo *vtroque loco citato.* Sylvest. Angel. Tabien. Armil. D. Anton. *suprà.*

6 Aduerte, quòd idem est dicendum de arbitrio, & arbitratore. Padilla, Sarmiento, & Bartolus, *ibi.*

7 Secundò nota, quòd tunc dicetur tacitè acceptare, quando aliquem actum fecit, ex quo possit præsumi mandatum acceptasse, vt si recepit instrumentum, in quo fuit designatus executor, & legit, & tacuit. Sic Felin, Ripa, Paulus de Castro, Bartol. Iason, quos refert, & sequitur Couar. *eo n.* 4. Matienzo *n.* 31. & explicat, quando mortuo testante Sylvest. Angel. Armil. Tabien. vbi in primo dicto citati sunt: licèt hi autores his verbis dicant, quando scienter recepit literas, quibus sibi officium deferebatur. Idem Fuluius Pacianus *lib. 1. de probat. cap. 29 n.* 24. 25. 26. Secundo inducitur tacita acceptatio, quando aliquid fecit pertinens ad hoc, vt si soluit legatum, vel alicui creditori defuncti satisfecit, cùm enim cœperit officium exequutoris exercere, iam censetur tacitè acceptasse, Sylvest. Tabien. Armil. D. Anton. *ibidem.* Tertiò inducitur tacita acceptatio, quando acceptauit legatum, sciens onus exequutoris, vel arbitri sibi iniunctum; secus si ignorauit, tunc enim compelletur, vel acceptare officium, vel dimittere legatum, vt mox dicemus. Sic alios referens Sarmiento *ibi n.* 11. Peralta *l. 1. ff. de legat. 2. n.* 61.

8 Tertiò nota, quòd executor, qui præsens est designationi, & tacet, non ex hoc videtur acceptare, nam & is in quem præsentem fit compromissum, licèt taceat, non videtur recepisse arbitrium. Sic Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 4. l. 14. gloss. 1. n.* 30. Fuluius Pacianus *num.* 18. Immola Alex. Iason. Marcus Ant. Ioannes à Canibus, quos refert, & sequitur Padilla *n.* 23. Panorm. Barbat. & communis *dicto cap. Ioannes, de testam.* quos refert, & sequitur *ibi* Couar. *n.* 4. Sylvest. Armil. D. Anton. Tabien. *proximè citati.* Hoc tamen limitandum est, nisi fuerit coniunctus, vel amicus testatoris, tunc enim ea sola præsentia, & taciturnitate videtur munus exequutoris acceptare. Sic Bald. Roman. Iason, Marcus Anton. quos cæteri sequuntur, & refert, & sequitur Couar. *ibi*, & Matienzo *ibi.* Fulcius Pacianus *suprà n.* 21. dicit taciturnitatem ratione parentelæ præsumi consensum; & *num.* 23. dicit idem ratione strictæ amicitiæ.

9 Immo Padilla *l. 1. ff. de legat. 2. num.* 28. absolutè ait posse consanguineum testatoris compelli acceptare officium exequutoris, & arbitri, nec posse illud recusare, ac refert multos. Sed bene Sarmiento *suprà n.* 12. dicit esse omnino falsum, nisi quando esset statutum, vt causæ consanguineorum inter consanguineos compromittantur, tunc enim possent cogi admittere arbitrium, quia tunc videtur officium publicum illius familiæ, quæ compromittit. Colligitur etiam ex reliquis Doctoribus citatis, qui tantùm dicunt posse compelli consanguineum, quando fuit præsens, & tacuit.

10 Quartò nota, quòd hoc quod diximus, scilicet executorem, vel arbitratorem, vbi semel acceptauit officium, esse cogendum exequi, intelligendum est, quando acceptatum esset officium iam delatum: secus si deferendum, nisi promisisset testatori se arbitraturum, vel exequuturum, vel nisi in testamento fuerit descriptus exequutor volens, & acceptans absque alia promissione. Sic Bald. & Alexand. quos refert, & sequitur textus allegans, Peralta *dicta l. 1. n.* 60. & 61.

11 Tertiò dico, quòd si aliquid huic exequutori, vel arbitratori relictum est in testamento, tunc cautatiuè compellitur acceptare; id est, amittet legatum, vel acceptabit; quia videtur repudiare legatum non acceptando officium. Sic multos Doctores, & textus allegans Padilla *dicta l. 1. num.* 25. 26. & *ibi* Peralta *n.* 56. & omnes *ibi.* Sarmiento *suprà n.* 10. Spino *dicta gloss.* 28. *num.* 45. Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 14. gloss. 1. n.* 30. Couar. *cap. onus recusset, siue partem.* Sarmiento *ibi*, Peralta *n.* 57. qui dicit, quòd in hoc casu, scilicet, quando partem officij acceptat, & partem recusat, amittit totum legatum. Immo hoc habet verum, licèt iam ignorans officium sibi commissum, acceptasset legatum: illud enim amittet, si officium recuset. Sarmiento *ibi n.* 11. Peralta *ibi n.* 56. quando verò sciens officium acceptauit legatum, iam diximus tacitè acceptare officium, & sic non posse illud renunciare.

12 Nota, quòd aliqui dicunt cum Bart. *l. 1. ff. de legat. 2.* quòd licèt iure antiquo tantùm amittebat legatum, quando constabat testatorem motum ex hac causa legasse; at iure nouiori indistinctè amittit. Sed Padilla *ibi n.* 26. dicit, quòd ante iudicis monitionem, vt accepter, idem est iure nouo, & antiquo: post iudicis verò monitionem priuabitur, quocumque modo legetur. At Peralta *n.* 57. dicit cum aliis, quòd si constitisset per coniecturas, & probationes, quòd esset eidè legaturus, licèt non commisisset ei officium, tunc respuens officium, non amittet legatum; secus si id non constitisset. Sed optimè Sarmiento *eo n.* 10. & Spino *n.* 45. hoc explicant dicentes attendendum esse, quod potest esse, vt testator licèt non commisisset officium, esset relicturus illud legatum, at vbi officium à testatore commissum respuit, in ea spe non esset testator relicturus, quasi offensus & contemptus videatur testator esse. Vnde tunc tantùm non perdet legatum, quando possit euidenter constare esse relicturum, etiam si onus respueret; quod rarò accidit.

13 Secundò nota, quòd Couar. *eo n.* 3. referens Barbatium & Romanum, & Matienzo *eo n.* 30. dicunt, quòd si exequutor, vel arbitrator sit coniunctus testatori, in dubio non amittet legatum; sed Sarmiento *eo n.* 10. hoc tantùm admittit in filio testatoris; quia in eum non ita leui offensa indignaretur testator, immo Spino *n.* 46. nec in filio hoc admittit.

14 Tertiò nota, quòd si nolit arbitrari, quia habet iuris impedimentum, ne arbitretur, non perdit legatum, vt si sit frater minor, qui impeditur de cuiusceumque testamenti exequutione. Sic Bart. quem refert, ac sequitur Padilla *num.* 22.

15 Quartò dico, quòd Religiosus potest cogi ab eius Prælato, esse exequutor testamenti. Couar. *cap. Ioannes, de testam. n.* 3. & *ibi* Barbatius, *n.* 17. vide quæ dixi *lib. 6. sum. cap.* 11. *num.* 13.

16 Quintò dico, quòd quando ad Episcopum deuoluitur exequutio, potest officium hoc delegare subdito; quia ad eum tunc deuoluitur exequutio tanquam ad iudicem ordinarium: & potest eum compellere, vt exequatur, sicut in qualibet alia delegatione. Sic Couar. *cap. Ioannes, de testam. num.* 3. Panorm. *ibi num.* 3. Barbatius *ibi num.* 11. Baldus, quem refert Couar. Sylvest. *testamentum, 2. quæst. 3. dicto* 1. Armil. *verbo exequutor. n.* 5. Tabien. *q.* 4 Angel. *num.* 9.

17 Immo aliqui dicunt, quòd licèt iudex non possit compellere



compellere exequutorem, vel arbitratorem tanquam talem, potest tamen tanquam vnum de populo eum compellere. Sic Bart. *l. in arbitrium, ff. de legat. 2.* & Cumanus *ibi*, dicens esse communem: & Padilla *ibi n.* 27. dicit, videri tenendum esse, licèt lege non probetur. At oppositum tenent Ioann. Andr. & Alex. quos *ibi* refert Padilla, Sarmiento *vbi suprà num.* 12. optimè conciliat has sententias, dicitque quòd regulariter non potest compellere iudex: at in casu aliquo potest facere, si pietas versetur, & non reperiatur alius, qui id exercere possit. Ratio, quia nullum est officium adeo priuatum, quin ex causa non versetur publica vtilitas, vt quis id exercere compellatur in subsidium: nam & vendere quis cogitur. Sed non temerè, inquit, hoc iudex facere debet, sed vbi manifestum sit sine euidenti damno non aliter posse id confici, in quo & pietas, & vtilitas versetur.

18 Nota tamen, quòd iudex secularis debet compellere secularem, & Episcopus Clericum. Ratio, quia licèt Episcopus ratione officij exequutoris possit laicos compellere, id verum est, quoad eos qui obligati sunt ex testamento, non verò quoad alios. Sic Sarmiento *eodem num.* 12.

## DVBIVM XLIII.

*Ad quem spectet exequi testamentum, quando nominati exequutores acceptare nolunt, vel testator nullum nominauit exequutorem.*

1 SIt prima conclusio. Nullo exequutore à testatore nominato, tunc hæredi competit exequutio testamenti, etiam quoad legata pia. Patet ex *cap. 5. de testam.* & habetur *l. 7. tit. 10. part. 6.* & ratio est, quia ad hæredem spectat principaliter implere voluntatem defuncti, in ipsum enim transeunt omnia iura, actiones, & bona defuncti, & dicitur eadem persona cum defuncto, vt optimè Anchar *cap. 3. de testam. num.* 3. ergo quando testator nullum designauit exequutorem, non abstulit hoc officium ab hærede. Sic Couar. *cap. 3. de testam. num.* 8. Gregor. Lopez *l. 1. vers. en la verdad. tit. 10. part. 6.* Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 14. gloss. 1. num.* 59.

2 Hinc fit, quòd in hoc casu, si hæres non sit negligens, Episcopus non se intromittit. Sic Gregor. Lopez *l. 7. tit. 10. part. 6. vers. el heredero.* Si verò hæres implere nolit, tunc Episcopus erit exequutor. Sic habetur ex *l.* 7.

3 Nota ab hac conclusione excipi, nisi legatum fiat in redemptionem captiuorum, quia tunc nullo exequutore nominato ad Episcopum pertinet exequutio. *Auth. de eccles. iast. titulis § si quis ædificat. & §. pro redemp. & l. 5. tit. 10. p. 6.* Sic Greg. Lopez *dicta l. 1. vers. en la verdad. & dicta l. 5.* Couar. & Matienzo *proximè citati.*

4 Cui verò Episcopo hoc incumbat, nempè an Episcopo domicilij testatoris, vel loci, vbi obiit, vel vbi habet bona, consule *l. 5. tit. 10. part. 6. & ibi* Gregor. Lopez *vers. o aquel.*

5 Secundò nota, quòd si testator designauit exequutorem, ille præfertur Episcopo, vt *l. nulli, C. de Episc. & Clerie.* Immo præfertur alteri priuilegiato à Papa, vt possit recipere relicta ad pias causas. Sic Ioan. Andr. quem refert, ac sequitur Greg. Lopez *dicta l. 5. vers. si non señala se.*

6 Secunda conclusio. Rupto testamento ex causa exhæredationis, vel præteritionis, conseruatur datio exequutorum testamenti, sicut & tutelarum. Sic Bart. quem refert, ac sequitur Padilla *l. 1. ff. de legat. 2. num.* 30.

7 Tertia conclusio. Quando exequutores nominati per testatorem acceptare nolunt officium, provt possunt nolle, vt diximus, tunc Episcopus est exequutor. Hanc videntur expressè tenere Sylvest. *testament. 2. q. 2. dicto* 1. Armil. *verbo exequutor, num.* 25. Tabien. *ibi, quæst.* 15. & Angel. *ibi num.* 21. vbi dicunt, quòd si Religiosus nominetur exequutor testamenti, & renocet licentiam Prælatus, exequetur alius exequutor deputatus à testatore: quòd si non sit alius, exequetur Episcopus. Idem videntur expressè tenere Sylvest. *ibi q. 3. dicto 5.* & D. Anton. *3. p. tit. 10. cap. 3 §. 9.* vbi dicunt, quòd quando exequutor est absens in remotis, exequetur socius, quòd si non habeat socium exequetur Episcopus, & Anchar. *cap. Religiosus, de testam. in 6. num.* 2. vbi dicit, quòd si testator assignet eum, qui esse nequit, vel is obiit, exequetur Episcopus.

## DVBIVM XLIV.

*An quando plures testamenti executores nominati sunt, possit vnus sine alio exequi.*

1 SIt prima conclusio. Pluribus exequutoribus simpliciter datis, non videntur dati in solidum, nisi testator aliud expresserit; & sic non poterit vnus exequi, vel eligere, vel vendere sine alio. Sic colligitur ex *cap. Religiosus, de testam. in 6. §. sanè*, & tenet *ibi* Francus *num.* 5. & Speculator, quem *ibi* refert. Idem habetur *l. 6. tit. 10. part. 6.* ibique Greg. Lopez *vers. todos*, Baldus, & Butricanus *l. nulli, C. de Episcop. & Cleric.* Anton. Gomez *l. 38. Taur. num. 6* Matienzo *lib. 5 recop. tit. 4. 12. gloss. 3 n. 3.*

Duplex tamen est limitatio.

2 Prima est, nisi distributio sit certa, vt si testator certam rem iussit distribui certæ personæ; tunc enim potest quilibet illorum exequi: vel si iussit testator dari decem tali pauperi, quia cùm in hoc nullum requiratur arbitrium, sed sit mera facti exequutio, non refert, per quem fiat. Sic Bald. Butricanus, Greg. Lopez, & Francus *ibi*, qui dicit hoc esse verum, licèt alter exequutor prohiberet.

3 Secunda limitatio est, nisi aliquis illorum exequutorum nollet exequi, vel obiret, vel esset in remotis, tunc enim in fauorem testatoris, ne differretur implementum eius voluntatis, statutum est, vt possint alij exequutores exequi. Sic habetur expressè *dicto cap. Religiosus, §. sanè.* Et limitatur *ibi*, nisi testator aliud expresserit; & tenent *ibi* glossa, Francus, & omnes, Sylvest. *testam. 2. q. 5. dicto* 1. Armil. *verbo exequutor, n.* 5. Tabien. *q. 3.* Angel. *n.* 5. & 6. Rosel. *testam. 3. n. 5.* ad idem est *l. 6. tit. 10. p. 6.* vbi dicit illa lex, *si todos no pueden, o no quieren ser, deue valer lo que hizieren los dos, o el vno*, quæ lex intelligenda est iuxta disposita *dicto §. sanè*, vnde dum dicit, *no pueden*, debet intelligi de impedimento non modici temporis, vt probatur *in dicto §. sanè*, ibi, *nimium differri.* Sic Greg. Lopez *ibi, vers. no pueden*, & Couar. *c. 3. de testam. num.* 4.

4 Nota primò, quòd hoc procedit, siue sint duo instituti exequutores, siue plures: licèt enim textus singulariter loqui videatur, dicens *alio impedito*, &c. at clarè videtur velle, quòd licèt sint plures duobus, tunc vnus solus, cæteris impeditis, vel nolentibus, possit exequi, quia ratio textus ibi, *nec voluntatem testatoris*, concludit generaliter in omnibus. Idem textus expressè dicit *pluribus.* Sic *l. 6. tit. 10. part. 6.* Francus referens Calderinum *dicto §. sanè, num.* 5. Rosel. *restitutio 15. num.* 5. Idem Dominicus *eo §. sanè.* Vnde inferunt Calder. Francus, & Dominicus *ibi*, quòd si testator signauit quatuor exequutores cum clausula, vt omnes, vel maior pars cum Ioanne, qui est vnus ex ipsis quatuor, distribuant, mortui sunt duo, vel supereset Ioannes cum alio, poterunt hi duo distribuere propter rationem huius textus; quia tam in duobus, quàm in pluribus intelligitur.

5 Secundò nota, quòd in casu distantiæ magnæ alicuius ex dictis exequutoribus, non oportet illum citare; si verò non multum distaret, esset vocandus; & si termino statuto non veniret, procedent cæteri. Sic glossa *dicto cap. Religiosus, vers. in remotis*, Francus *ibi §. sanè, num.* 4. Sylvest. Tabien. Angel. Armil. *proximè citati.*

6 Tertiò nota, quòd si in hoc casu absentiæ magnæ exequutoris, non est alius exequutor, nec testator aliud prouidit, exequetur Episcopus, nec instabitur compulsioni absentis. Sic Sylvest. *testam. 2. quæst. 3. dicto* 5. Francus *dicto §. sanè, num.* 4. D. Anton *3. part. tit. 20. cap. 3. §. 9.*

7 Quartò nota, quòd illud, *nolente altero exequutore*, procedit, siue nolit ante acceptatum officium, siue post

Universidad de Deusto
Biblioteca



acceptatum, vt patet ex *dicto §.sanè*. Vnde licèt officium exequutoris non sit voluntarium post acceptationem quoad effectum, vt nec possit cogi; at est voluntarium quoad hunc effectum, quòd alio nolente potest alius exequi. Sic Francus *eo § sanè, num.* 2. & Archid. *ibi & n.* 3. dicit Francus cum Dominico *ibi*, quod si in quantum dicit ille textus, vt alter possit liberè, intelligitur, id est, non expectata reuersione absentis, vel voluntate nolentis: nec est necessaria requisitio alterius, vel consensus.

8 Quintò ex dictis infertur, quòd in dubio pluribus exequutoribus nominatis non videntur dari in solidum, sed vt censeantur dari in solidum, oportet à testatore exprimi. Sic colligitur ex adductis textibus, & Doctoribus in prima conclusione, & tenet Francus *dicto §.sanè, n.* 20.

9 Sextò infertur, quòd vno exequutore mortuo, vel absente, vel nolente, Episcopus non potest se, vel alium substituere. Ratio, quia Episcopus negligentiam, vel malitiam exequutorum supplere potest, sed non hæc impedimenta, cùm iam *dicto §.sanè* cautum sit, quid tunc fieri debeat. Sic Francus *ibi num.* 4. Anchar. *ibi num.* 6. Baldus, quem refert, & sequitur Gregor. Lopez *l. 6. tit.* 10. *part. 6. vers. no pueden.*

10 Secunda conclusio. Quando plures exequutores non sunt instituti simpliciter, sed cum aliqua limitatione, scilicet vt vnus sine alio non exequatur, tunc etiam in dictis casibus, scilicet quando alter obiit, vel non vult, vel longè distat, non potest alius exequi, sed seruandum est, quod ordinauit testator. Patet ex *dicto cap. Religiosus, §.sanè.* Sic glossa *ibi vers. expresserit*, & *ibi* Francus *num.* 7. & omnes, Gregor. Lopez *dicto vers. no pueden*, Syluest. *testamentum* 2. *quæst.* 5. *dicto* 1. Tabien. *verbo exequntor, q.* 2. Angel. *num.* 6.

11 Vnde tunc si testator non prouidit, ex quo cæteri impediuntur, exequetur Episcopus. Sic glossa *eo vers. expresserit.*

12 Hucusque est actum, quando exequutores non instituti sunt expresè à testatore, vt quilibet in solidum possit exequi, sequens conclusio agit, quando quilibet in solidum.

13 Tertia Conclusio. Quando plures exequutores instituti sunt, ita vt quilibet in solidum institutus sit, tunc quilibet potest exequi sine alio; quod quando distributio est certa, vt si certa summa danda sit certæ personæ, verum est, licèt alter contradicat: quando verò distributio est incerta, intelligitur modò alter exequutor non prohibeat, vel contradicat. Quando verò prohibet, & sic exequtores discordant, dicam *dub. sequenti*. Sic Francus *dicto cap. Religiosus, §.sanè, n.* 5. & Baldus per eum citatus. Si verò in rebus profanis, id potest iudex secularis. Sic Bald. & Speculator, quos refert ac sequitur Gregor. Lopez *l.* 6. *tit.* 10. *part.* 6. *vers. todos*, Francus *cap.* 2. *§.sanè, de testam. in* 6. *num.* 5.

4 Nota hoc intelligendum esse data paritate personarum; secus si sint dispares, vt quia vnus est masculus, alter fœmina; tunc enim præfertur masculus: vel si vnus est extraneus, alter verò consanguineus testatoris; præfertur consanguineus: vel si vnus est laicus, alter verò clericus, præfertur clericus. Sic Andr. Siculus, & Ludou. Roman. Baldus, Barbatius, quos refert, & sequitur Spino *eo num.* 19. Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat. ante nota-bile primum, §.* 43. *num.* 5. & 8. Castillo *l.* 38. *Taur. num.* & *ibi* Gomez Arias *num.* 5.

## DVBIVM XLVI.

*An exequutor testamenti possit vendere testatoris bona ad implendum contenta in testamento.*

1 NOta, quòd exequutor est duplex: quidam est vniuersalis, quidam verò particularis. Vniuersalis ille est, qui nullo hærede instituto nominatim eligitur ad omnia bona distribuenda, & legata soluenda, vt *l. si quis ad declinandam, Cod. de Episcopum, & Cleric.* qui reputatur quasi hæres. Particularis verò est, qui particulariter ad exequendum testamentum relictus est. Sic Bart. Innoc. Alex. Parisius, quos refert, & sequitur Matienzo *l.* 5. *recopilat. tit.* 4. *l.* 14. *gloss.* 1. *num.* 7. Azebedo *eodem tit.* 4. *l.* 6. *n.* 1. Couar. *cap. Ioannes de testam. num.* 6.

2 Sit prima conclusio. Exequutor vniuersalis potest bona testatoris vendere tanquam hæres, reputatur enim quasi hæres, vt patet ex *l. si quis ad declinandam.* Sic Bart. *l. alio ff. de alimen. & cibar. legat.* Couar. Azebedo *proximè citati*, Matienzo *ibidem num.* 9. Armil. *verbo exequutor, num.* 7. Tabien. *ibi, q.* 6. Angel. *num.* 16. Sylvest. *testam. 2. q.* 5. *sine*, Anton. Gomez 1. *var. cap.* 12. *num.* 12. Tello *l.* 32. *Taur. num.* 6. Speculator, quem refert, ac sequitur Anchar. *cap. Religiosus, de testam. in* 6. *num.* 10.

2 Secunda conclusio. Exequutor testamentarius particularis non potest bona testatoris vendere, nisi ei specialiter à testatore concedatur vendendi potestas *l.* 4. *tit.* 10. *part.* 6. & ex ea expendit Gregor. Lopez *ibi vers. queda libre.* Couar. Anton. Gomez, Tello multos alios referens, Bart. Anchar. Sylvest. Tabien. Angel. Armil. Azebedo, Matienzo *num.* 14. proximè citati.

4 Hinc fit, quòd si vendat non habens potestatem à testatore vendendi, venditio est nulla, Matienzo *eo num.* 14. Tello *eo num.* 6.

5 Nota primò, quòd communiter testatores solent dare exequutoribus talem potestatem vendendi vsque ad satisfactionem, seu implementum contentorum in testamento: & verba, quibus solet dari hæc facultas, ponit Bart. *dict. l. alio, num.* 7. & ipse Matienzo *num.* 14. quæ sunt hæc: Sint exequutores huius testamenti Petrus, & Ioannes, & quilibet eorum, quibus concedo licentiam, & potestatem vendendi de bonis meis cum bannimento, & sine illo vsque ad satisfactionem integram præmissorum.

6 Secundò nota esse maximè attendenda verba, quibus conceditur exequutori facultas vendendi, an scilicet importent liberam voluntatem, vel arbitrium boni viri; si enim dicatur, concedimus licentiam, vel concedimus potestatem; tantùm conceditur arbitrium boni viri: si verò dicatur, concedimus liberam potestatem, vel plenam potestatem, & licentiam, conceditur libera voluntas.

7 Tertiò nota, quòd si exequutori data est potestas vendendi per verba importantia prudentiale arbitrium, tunc non potest pro libito vendere bona testatoris, sed tenetur seruare ordinem dispositum, *l. à divo, §. in venditione, ff. de re iudic.* vt scilicet priùs vendantur mobilia, postea iura & actiones, postea immobilia. Si verò data sit facultas per verba importantia liberam voluntatem, tunc etsi ordo peruertatur, valet véditio: sed restringitur illa libera voluntas, vt bona fide faciat, id est, vt non vendat rem magni pretij pro minimo, aliàs nulla esset venditio. Sic Tello *l.* 32. *Taur. n.* 6. Azebedo *lib.* 5. *recop. tit.* 4. *l.* 6. *n.* 4. & 5. Bart. *dict. l. alio, n.* 13. 14. Anchar *supra num.* 10. Matienzo *supra num.* 21. licèt hi tres vltimi non ita distinctè hoc explicent, vt Tello, & Azebedo. Hæc tamen venditio, nisi aliud à testatore exprimatur, necessariò fieri debet cum bannimentis, id est, in publica subhastatione, licèt testator concesserit ei liberam voluntatem, & potestatem vendendi; quia tutores habent liberam potestatem vendendi. *l. mandato ff. de procurat.* & tamen res pupilli in publica subhastatione vendere tenentur. Sic Bart. *ibi n.* 21. Anchar. *ibi n.* 11. Matienzo *ibi n.* 34. Tello, & Azebedo *ibi*. Vnde (inquiunt Bart. & Matienzo) quando in potestate vendendi data exequutori apponuntur hæc verba, *vendendi cum bannimento, & sine illo*; operantur hoc, vt possit exequutor vendere absque publica subhastatione.

8 Quartò nota, quòd quando exequutor vendit iure exequutoris, non tenetur de euictione, sed ex promissione exequutoris tenetur hæres; quia quoties quis vendit ex officio sibi iniuncto, ipse non tenetur de euictione. *l. qui erat hæres, & l. si pignori ff famil. erciscæ.* Sic Bart. *d. l. alio, n.* 21. Anchar. *n.* 12. Matienzo *n.* 33. Tello *n.* 7. *proximè citati*, Spino *speculo testam. gloss.* 28. *n.* 31. Greg. Lopez *l.* 4. *vers. queda, tit.* 10. *part.* 6.

9 Quintò nota, quòd hæres potest impedire, ne exequutor vendat, vel offerendo pecuniam necessariam pro soluendis legatis, vel si hæres offerat, separatum vendere, & ex pretio satisfacere legatariis, & aliis, quibus executores satisfacere velint intra terminum competentem, datis ad id idoneis fideiussoribus: & hac in specie hæres in vendendo præfertur exequutoribus; vel si alicuius rei velit venditionem impedire alia ablata, quæ commodiùs vendi possit: vel si rem, quam vult exequutor vendere, maiori pretio vendendam insinuet, ostendens offerentem maius pretium. Sic Bart. *d. l. alio, n.* 19. Anchar. *supra n.* 11. Matienzo *supra n.* 27.

10 Sextò nota, quòd saltem in relictis ad pias causas dicit *ibi* Bart. *n.* 22. & Anchar. *n.* 12. non posse exequutorem vendere pecunia credita. Sed de hac re videndus est Matienzo in stylo Cancellariæ *tit.* 1. *præeminentia* 17. *casu* 20. *declarat.* 2. *cap.* 2. *gloss.* 3. *n.* 9.

11 Septimò nota, quòd per hanc licentiam vendendi datam exequutori potest exequutor permutare, obligare, & in solutum dare; quia licèt permissio vendendi facta à lege, vel à iudice debeat intelligi strictè, secus est, quando fit à priuato; tunc enim appellatio venditionis continet omnem actum alienationis, qua impletur causa, ob quam fuit permissa venditio. Sic allegantes textus Anchar. *ibi n.* 10. Bart. *ibi n.* 11. Matienzo *n.* 17.

12 Duo tamen maximè vertuntur in dubium circa hanc facultatem vendendi datam exequutori testamentij, alterum est, an requiratur aditio hæreditatis, vt possit exequutor vendere, & exequi contenta in testamento: alterum est, an sit requirendus hæres ad hoc, vel eo irrequisito, possit exequutor vendere, & exequi contenta in testamento.

13 Circa primum, an scilicet requiratur aditio hæreditatis, vt possit exequutor vendere, & exequi contenta in testamento, stando in iure communi, erat certum requiri, vt priùs hæres, siue ex testamento, siue ab intestato adiret. *l. si nemo, ff. de testam. tutel. & l. si nemo, ff. de reg. iur. & l.* 2. *ff. de fideicommiss. libert.* Et ratio est, quia omnia contenta in testamento, nil valent absque aditione hæreditatis. Sic tenent Bart. *l. alio ff. de alimen. & cibar. legat. n.* 7. Anchar. *cap. finali, de testam. in* 6. *n.* 10. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 14. *gloss.* 1. *n.* 16.

14 Tota difficultas est stando in iure regio, nempe *l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 3. *nouæ recopilat.* qua cauetur omnia contenta in testamento esse valida absque aditione hæredis: an possit in hoc regno exequutor vendere, & exequi testamentum ante aditionem hæreditatis.

Triplex est sententia.

15 Prima dicit, non posse exequi testamentum, nec vendere ante aditionem hæreditatis, quia lex illa prima tantum vult, non requiri aditionem hæredis nominati in testamento: at non statuit non requiri saltem aditionem ipsius, vel succedentium ab intestato: vnde iudex debet concedere terminum ad adeundum, & si intra illum nolunt, dabitur defensor bonis. Sic Azebedo *lia.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 1. *n.* 178. Ad idem est Anton. Gomez *tom.* 1. *var. c.* 12. *n.* 12. vbi dicit, quòd exequutores debent priùs requirere, & monere hæredem, qualiter, & in quibus bonis, & quomodo, & qua forma meliùs fiat exequutio voluntatis defuncti, vt minus damnum hæredi, & bonis hæreditariis afferatur.

16 Secunda sententia dicit, quòd si hæres est absens, potest exequutor vendere, & exequi cætera in testamento contenta ante aditionè hæreditatis; immo ipso nesciente: si verò hæres est præsens, debet per iudicem ipsi intimari, vt intra certum tempus adeat; & eo tempore elapso potest exequi. Sic Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 14. *gloss.* 1. *n.* 16. *iuncto n.* 50. Ad idem est expresè Greg. Lopez *l.* 6. *tit.* 10. *part.* 6. *vers. facta*, quem sequitur Burgos de Paz *l.* 3. *Taur.* 1. *part. n* 955. vbi vterque hæc dicit, licèt attenta lege Regni legata non pendeant ab aditione hæreditatis, & sic videatur, quòd ante aditam hæreditatem possit exequutor exequi: at placet, quod de iudicis præcepto hæredi notificetur, vt intra certum tempus adeat, vel repudiet (potest enim exequutor de iudicis præcepto compellere hæredem ad hoc,) vt sic sine hæreditatis detrimento exequutio procedat: & si intra tale tempus nolit adire, legata mittentur exequutioni.

17 Tertia sententia probabilior docet posse vendere, & exequi ante aditam hæreditatem. Probatur, quia ideo de iure communi non poterat, quia aditio hæreditatis necessaria erat ad firmitatem contentorum in testamento, sed attento iure regio iam non est necessaria; ergo. Et confirmatur fortissimè, quia etiam iure communi exequutores poterant, & debebant exequi legata pia ante aditionem hæreditatis, eo quòd ad valorem horum legatorum non requirebatur aditio hæreditatis, vt benè Peralta *l. omnia ff. de legat.* 2. *num.* 3. Paulus de Castro *l. cùm quidam. sine ff. de legat.* 2. Anchar. *dict. n.* 10. Couar. *c. Raynaldus. §.* 3. *de testam. num.* 11. *versic. regia.* ergo cùm attento iure regio ad firmitatem quorumcumque contentorum in testamento non requiratur aditio hæreditatis, idem erit in quibuscumque legatis, scilicet, vt possint ante aditam hæreditatem exequutioni mandari. Sic Tello *l.* 32. *Taur. n.* 7. & 8. Azebedo *l.* 6. *tit.* 4. *lib.* 5. *nouæ recopil. n.* 1.

18 Altera difficultas est, an ante hanc aditionem teneatur exequutor requirere hæredem, vel possit eo irrequisito vendere.

19 Et quidem iure communi attento videbatur dicendum esse requirendum hæredem, vt optimè explicat, & probat Bart. *l. alio, ff. de alimen. & cib. legat. num.* 16. 17. & 18. Anchar. *c. finali, n.* 10. *de testam. in* 6. Ruinus, & Patrisius, quos refert, ac sequitur Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 14. *gloss.* 1. *n.* 22.

20 Hoc tamen limitandum est primò, nisi hæres effugiat præsentiam exequutoris. Sic Bald. Alex. Aret. quos refert, ac sequitur Matienzo *ibi n.* 23. Secundò limitandum est, quoties exequutor indiget hæredis informatione, vel suæ voluntatis exploratione, secus si ea non indigeat. Sic Baldus quem refert, ac sequitur Matienzo *n.* 24. & Alex quem *ibi* refert. Idem Azebedo *lib.* 5. *recop. tit.* 4. *l.* 6. *n.* 2. Greg. Lopez *l.* 4 *vers. queda, tit.* 10. *p.* 6. Tertiò est limitandum, nisi pupillus esset hæres, & tutor exequutor; tunc enim non tenetur requirere pupillum ad vendendum. Sic Alex. Greg. Lopez *ibi*, Matienzo *n.* 25.

21 Maius autem dubium est, an hodie stante iure regio, nempe *l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopilat.* qua cauetur, vt aditio hæreditatis necessaria non sit ad valorem contentorum in

Universidad de Deusto
Biblioteca



in testamento, sit necessarium hæredem requirere: nam Anton.Gomez,qui post hoc ius regium scripsit,licèt eius non fecerit mentionem, *tom.1.var.cap.12.n.12.*dicit debere priùs requiree,& hæredem monere, qualiter, & in quibus bonis, & quo modo, & qua forma meliùs fiat exequutio voluntatis defuncti.

22 Sed meliùs Matienzo *n.26.* dicit non exigi requisitionem hæredis, & hoc præsertim,quando hæres est absens: & probatur ex dictis, nam si exequutor potest vendere, & exequi ante additionem hæreditatis, qua hæres; ergo non tenetur requirere hæredem.

23 Aduertit tamen optimè Matienzo *ibi n.28.* quòd licèt exequutor hoc possit facere, at emptor,ne vnquam pati possit controuersiam ab hærede, hæredem requirat, & si renuerit, mediante iudice cogat, vt ratificet venditionem sibi ab exequutore factam, quod iure facere potest:& refert *ibi* multos.

## DVBIVM XLVII.

*An inuito hærede possit exequutor testamenti soluere legata, & debita defuncti,vel hæc sint ab hærede præstanda.*

1 SIt prima conclusio. Exequutori testamenti incumbit soluere legata in testamento contenta. Probatur ex *l.2.tit.10.part.6.* vbi sic dicitur: *Poderio an los testamentarios de entregar las mandas.*Item,quia verba commissionis ipsis datæ hoc significant, quæ hæc esse solent; & ad implendum omnia contenta in hoc meo testamento, designo in meos testamentarios,&c. sic colligitur ex Matienzo *lib.5.recopilat.tit.4.l.14.gloss.1.initio,* vbi ait, ideo testamentarios dici solere Hispanè *cabezaleros*, quia ante omnia debent legata soluere, antequam hæredes bona capiant, &*n.32.* vbi dicit posse conueniri exequutores à legatariis, vt legata soluant. Et Nauar. in omnibus summis *cap.25.num.65.* dicit peccare mortaliter exequutorem,si non soluat legata, præsertim pia:& Nauarra *lib.3.de restitut.cap.4 n.165.166.*dicit teneri exequutorem soluere legata. Ad idem est Anton. Gomez *tomo 1. var. cap.12.n.12.* vbi dicit, quòd legatarius potest conuenire hæredem pro legato soluendo,& similiter exequutorem, vt petat, & exigat ab hærede,vel percipiat ex hæreditate, & soluat, siue aliquod commodum relinquatur executori, siue non; quia licèt nihil sibi soluatur, sat est acceptare officium, vt ad hoc teneatur:& *n.10.* dicit, quòd licèt nequeat legatarius propria auctoritate occupare legatum, *l.non est dubium, C. de legat.* At si talis legatarius esset exequutor testamenti, posset rem legatam propria auctoritate occupare, quia sicut tacitè habet licentiam occupandi, vt aliis soluat,ita & sibi:& refert idem dicentes Baldum, & Paulum de Castro, *ea l. non est dubium*; quod etiam ait Greg.Lopez *ea l.2.verſ. e dar.*

2 Secunda conclusio. Soluere etiam debita pertinet ad executorem; debita(inquam) defuncti. Matienzo *eo n.1.* Nauarrus, & Nauarra *proximè citati*,quod intelligitur de debitis,quæ iubet testator solui; quia officium testamentarij tantùm est exequi contenta in testamento: alia autem debita hæredis erit soluere. Sic docti Iurisperiti. Si autem alius sit hæres,& alius vsufructuarius, cui incumbat soluere,consule Couar.*2.var.cap.2.n.4.*& alios, quos refert Cenedo *collect.114.ad decretales,n.4.*

3 Tertia conclusio. Quando testator commisit exequutori,vt exoneret conscientiam suam, vel vt soluat sua debita, tenetur soluere non tantùm ciuiliter debita, id est, quæ possunt exigi in foro externo, sed etiam naturaliter debita, id est, quæ in solo conscientiæ foro debita sunt. Ratio, quia vtraque verè debita sunt, & vtraque ad exonerationem conscientiæ defuncti pertinent.Sic Tello *l.32.Taur.n.5.* vbi & Castillo Padilla *l. etsi inutiliter, n.8. C.de fideicom.*Azebedo *lib.5.recopilat.tit.4. lib.7. num.27.* Matienzo *lib.5 recopilat.tit.4 l.6.gloss.1.num.1.* & aduertit *n.3.* quòd hæc dispositio testantis præiudicium inferet hæredibus, non autem creditoribus,aliis, nisi verè debitum probetur: vnde priùs (inquit) soluenda sunt debita ciuilia. Vide alios,quos refert Cenedo *collect.114. ad decretales,n.7.*vbi an sat sit probatio per coniecturas.

4 Nota, quòd si testator iubeat aliquam quantitatem ab exequutoribus erogari pauperibus pro malè ablatis, quorum dominus est ignotus: si ea sint per vsuram acquisita, dicunt aliqui non posse alium exequutorem, quàm Episcopum nominare. Sic Dominicus *consil.20.* Couar.*cap.3.de testam.n.8.* Matienzo *lib.5. recopil. tit.4. l.14 gloss.1.n.60.*Greg.Lopez *l.1.verſ.en la verdad,tit.10. part. 6.* nullo textu id probant, sed sola authoritate Dominici *consil.20.*sed potest probari ex *cap.quamquam, de vsur.in 6.*

5 At hoc minus verum est; nec id probatur eo textu, non enim est ibi sermo de quibuscumque vsurariis, sed tantùm de manifestis,nec dicitur ibi quòd restitutio non possit fieri sine ordinario:immò potiùs significatur contrarium,quòd scilicet ipsi vsurarij per se,aut per suos exequutores vsuras omnes restituant,& in defectum eorum, ad quos pertinet restituere,datur actio ordinario.Sic Metina *q.3.de restit.causa 10.fine,*& Nauar. *cap.17. n.92.* in omnibus summis,cum multis aliis,tantùm dicit per illum textum posse Episcopum per sua statuta reseruare sibi restitutionem incertorum vsuriariorum manifestorum.

6 Secundò nota, quòd si debita incerta non sint per vsuras acquisita,sed alia via iniustè acquisita, tunc dicunt *ibidem* Couar.Matienzo,& Greg.Lopez, quòd si tantùm constet de malè ablatis ex testantis confessione; tunc restitutio illa potest per solum exequutorem fieri: si verò aliunde constet in iudicio,vel extra,debet fieri cum consilio Episcopi; & per hoc conciliant opiniones diuersas, aliam (inquam) dicentem restitutionem incertorum esse faciendam cum consilio Episcopi: aliam dicentem non requiri tale consilium. Sed multo verius est in neutro casu requiri tale consilium Episcopi, cùm id nulla ratione,nec iure probetur.

7 Quarta conclusio. Exequutor testamentarius non potest propria auctoritate capere rem legatam, vt tradat legatario, inuito,& contradicente hærede,sed oportet, vt sibi tradatur;quia non potest per vim expellere hæredem à possessione: at hærede non resistente potest. Vtraque pars colligitur ex *l.2.tit.10.p.6.* hæc posterior pars colligitur ex initio, vbi sic dicitur: *Poderio an los testamentarios de entregar las mandas*; prior verò pars colligitur ex iis, quæ subdit illa lex; *pueden procurar, y demandar las cosas.*Et sic tenet Greg.Lopez *ibi verſ. e dar*; dicitque sic conciliari sententias contrarias, alteram non posse exequutorem propria auctoritate capere rem legatam; alteram verò posse.

8 Hinc infertur non excusari exequutorem à peccato mortali non implentem testamentum ex eo quòd non potest, quia contradicit hæres;quia tenetur intimare hoc Episcopo,vt cogat. Sic Syluest.*testamentum,2.q.9.*D.Anton.*3.part.tit.10.cap.3.§.12.*

## DVBIVM XLVIII.

*An exequutor possit agere aduersùs hæredes,vel alios hæreditatis debitores, vt tradant bona ad exequendum testamentum.*

1 SIt conclusio. Si est mixtus exequutor, cui scilicet, vel pars ipsius legati,vel totum legatum competit, etiam cum onere restitutionis, agere potest aduersùs quemcumque possessorem; si verò non est mixtus, sed simplex exequutor, tunc agere potest, si hæc facultas expresè concedatur: si verò non concedatur expresè, tunc agere potest ad legata pia,vel causa alimentorum, ad cætera verò non potest agere, sed potest implorare officium iudicis, vt hæres cogatur, vel quilibet alius possessor, ea bona tradere ad exequutionem faciendam. Patet ex *l.4. tit.10.part.6.*& *ibi* Greg.Lopez *verſ.no ha,*Innoc.& Specul,quos refert, & sequitur Syluest. *testamentum,2.q.5. dist.*1.contra Hostiensem,quem *ibi* refert,dicentem,quòd etiam in reliquis casibus agit iure canonico, licèt non ciuili. Sed nostram conclusionem vltra dictos auctores tenent etiam Armil.*verbo exequutor,n.6.*Tabien. *ibi q.6.* Angel.*num.15.*D.Anton.*3.part.tit.10.c.3.§.9.*Couar.*cap. Ioannes,de testam.num.5.*Matienzo multos alios referens *lib.5.recopil.tit.4.l.14.gloss.1.num. 18.*& communis sententia.

2 Nota, quòd expensas, quas fecerit exequutor in exigendo res, & fructus hæreditarios ad peragendam executionem,potest iustissimè ex bonis defuncti petere, liquidem in ipsius vtilitatem eas facit. Sic Archid. Ioan. Andr.Domin.Francus *cap.finali, de testam. in 6.* Parisius *consil.26.n.18.lib.4.*Cou.*d.cap.Ioannes,fine,* Matienzo *ea gloss.1.num.19.* Bald.*l.id quod pauperibus,fine,C.de Epiſc. & cleric.*

## DVBIVM XLIX.

*An executor testamentarius teneatur reddere rationem, & facere inuentarium.*

1 REspondetur affirmatiuè:patet ex *l.5.tit.10.part.6.* & tenet *ibi* Greg.Lopez *verſ.dar cuenta*; & *verſ. fagan*;Paulus,Bald.Rebuf.Iacobus à Canibus,quos refert, & sequitur Azebedo *lib.5.recopil.tit.4.l.6.n.21.*Matienzo *eodem tit.4.l.14.gloſſ.1.num.66.*vbi multos alios refert, & dicit *num.67.*cum aliis,quos *ibi* refert, teneri hanc rationem reddere Episcopo; vel iudici sæculari, hæredi, vel legatariis.

2 Nota primò hoc fallere in rebus minimis, vt scilicet non teneatur in his reddere rationem per codicem rationum,sed creditur ei cum iuramento,si commodè de iis instrumentum fieri non poterat:quod æquus iudex ex circunstantiis,& rei qualitate arbitrabitur. Sic Matienzo *ibi n.68.*multos referens.

3 Secundò nota esse limitandum, nisi in iis, quæ testator iussit secretò testamentario, vt erogaret: de iis enim nullam tenetur reddere rationem, nec declarare personas,in quas testator iussit sibi expendere, nisi distributio esset fraudulenta, scilicet quia res expendendæ repetuntur penes ipsum testamentarium, tunc enim reddet rationem. Sic Anchar.Iason,Speculator,& alij, quos refert,& sequitur Azebedo *n.22. 23.* qui subdit cum Salicet relato, & sequuto per Greg.Lopez *l.5.tit.10.part. 6.verſ.dar cuenta.* contra Dominicum, quòd aliter credetur ei dicenti se bene expendisse. Subdit etiam Azebedo *n.23.*quòd debet testator declarare in testamento, vel tribus probari declarasse, quod secretò id commisit suo testamentario, vel conscientiæ eius, aliter non credetur ei dicenti sibi à testatore sic esse commissum. secundùm Felinum.*cap.cum in iure,n.4 de offic.deleg.*

## DVBIVM L.

*An executoribus testamentariis debeatur salarium ratione laboris in exequutione testamenti impensi.*

1 ALiqui dicunt deberi decimam bonorum, quæ administrant tempore quo durat officium exequutorum.Sic Baëza *de decima tutoris,cap.2.19. & c. 19. n.20.21.*quod etiam de iure dicit esse verum Spino *ſpeculo testam.gloſſ.28 num.79.*vbi subdit de consuetudine non deberi decimam, sed aliquod salarium arbitrio iudicis taxandum:& *n.80.*limitat,nisi datus esset exequutor tantùm ad pias causas.Et Auend.ño *lib.1.Prætorum, cap.2.n. 8.*dicit de consuetudine deberi salarium.

2 Sed dicendum est, nullum deberi salarium: tum quia nulla lege probatur oppositum; tum etiam, quia consuetudo habet,vt nullum eis detur salarium. Et ratio est, quia cùm officium testamentarij sit voluntarium à principio, potest enim (vt diximus) illud non acceptare, nulla fit iniuria, si non soluatur salarium. Item, quia hoc officium communiter causa pietatis tantùm accepratur.Sic tenet Francus *cap.finali,§.sanè,n 9.de testam.in 6.*Gutier.*de tutelis,3.p.toto cap.45* Azebedo *lib.6 recopil. tit.4.l.14.n.7.& l.6 n.20.*addit tamen vtrobique,& bene quòd si testamentarius esset officialis,vel alius,qui in suis agitandis, & conseruandis rebus debet esse intentus, & iacturam faceret propter occupationem in implendo testamentum,tunc aliquod salarium modicum esset per iudicem assignandum.

3 Prædicta tamen conclusio intelligenda est, quando testamentarius est merus exequutor,nam si simul habeat adiunctam aliquam administrationem, debebitur ratione illius competens salarium, vt bene docet Scobar *de ratiocinijs,cap.27.n.47.* quod etiam dicunt à fortiori authores primæ sententiæ, qui absolutè asserunt illi deberi.

## DVBIVM LI.

*Quod tempus habeat executor testamenti,vel hæres ad exequendum testamentum.*

1 HAc in re certum est, quòd si testator præfixit tempus,id seruandum est, siue longius,siue breuius sit,quàm iure statutum est; sicut enim datur testatori libera testandi facultas, sic etiam modum, conditionem, & tempus apponendi.Sic Couar.*cap.3.de testam.n.1.*& *ibi* Panorm.& communis, Spino *ſpeculo testamenti, gloſſ.28.n.41.*Anton.Gomez *l.33.Taur.n.2.*& *ibi* Castillo *gloſſ.1* Ioannes Lupus *ibi n.6.*Tello *n.2.*Greg.Lopez *part. 6.tit.10.l.6.verſ.fasta.*Azebedo *lib.5.recopil.tit.4.l.7 n.4.* Matienzo *eodem tit.4.l.7.gloſſ.2.n.3 & l.14.gloſſ.1.n. 48.* vbi multos alios refert,& dicit cum Panorm.*dicto cap. 3.* & multis aliis, quòd potest etiam iubere,vt tempus lege præscriptum non currat exequutori, sed liberam ei exequutionem committit, vt cùm voluerit, exequatur, & tunc exequutio non deuoluatur ad Episcopum. Idem Couar.*cap.tua.de testam.n 6.* vbi refert pro hoc Baldum, Gueldensem.& Barbatium,

2 At tota difficultas est, quando testator nullum præfixit terminum. Variæ sunt sententiæ.Prima dicit omnia iura præfigentia terminum exequutoribus testamenti, correcta esse in hoc regno per *l. 33. Taur.* quæ hodie est *l.7.tit.4.lib.5.recopilat.*& sic tantùm habebunt terminum ea lege præscriptum,nempe quatuor menses, si sint præsentes; sex verò, si sint absentes,intra regnum tamen: si verò extra regnum,annum.Sic Anton.Gomez *l. 33. Tau. n.1.* sed omnino decipitur, quia illa lex non agit de exequutore, sed de commissario,cui facultas testandi à defuncto commissa est.Sic Matienzo *ea l.7.gloſſ.2,n.2 & 3.* Azebedo *eadem l.3 n.4.*Castillo *l.33.Taur.ante num. 1.*& *ibi* Tello *num.2.*

3 Alij verò dicunt,quòd ad legata pia, & non pia datur semestre à die insinuationis testamenti. Probatur, quia ad legata pia hoc tempus datur,vt mox dicemus:ergo per argumentum à maiori etiam ad non pia. Sic Sylueſt.*testam.2.q 6.*Tabien. *verbo exequutor, q 8.*Angel.*ibi n.10.*Nauar.*lib.3.de restit.cap.4.n.166.*

4 Sit tamen prima conclusio. Ad implendum legata pia datur semestre tam hæredi, quàm exequutori à die insinuationis testamenti,id est, declarationis ipsius factæ coram iudice,*§.si autem legatum. Auth.de eccleſiaſt.tit.*Sic Sylueſt.Tabien.Angelus.Nauarra *proximè citati.*Panorm. *cap.3.de testam.*& *ibi* Couar.*n.6.* dicens esse communem *ibi* & Iacobus à Canibus, quem *ibi* Couar,refert. Padilla *Auth hoc amplius,C.de fideicom.n.14.*Matienzo dicens esse omnium *lib 5.recop.tit.4.l.3.gloſſ.2.n.2.& l.14.gloſſ.1. n. 58.*

5 Vnde nescio, quid intelligat Couar. & quo modo sibi constet *eo cap.3.num.2.*vbi dicit *l.3.tit.10.part. 6.* statuentem annum à morte testatoris numerandum exequutori testamenti posse intelligi in illis legatis, quæ non exigunt additionem hæreditatis, quæ sunt legata pia, vt ipse declarat *c.Raynaldus.de testam.§.3.n.11.*& sic cum reprobant Padilla *ea Auth.hoc amplius num 16.* Sarmiento *lib.8.ſelect. ſuper l.in arbitrium,*quæ est *1.de legat.2.n.23.*

6 Secunda

Universidad de Deusto
Biblioteca



6 Secunda conclusio. Ad exequenda legata non pia, & ad exequendum in reliquis vltimam defuncti voluntatem, conceditur tam hæredi, quàm exequutori annus, *cap.3.de testam.l.nulli.C.de Episc.& cleric.l.6.tit.10.part.6.*Sic Couar.*cap.3.de testam.n.2.*vbi & Panorm. Anchar. *ibi n.*5. Matienzo *lib.5.recopil.tit.4.l.14.gloss.1.num.45.& l.2.gloss.2.n.2.* Azebedo *ea l.7.n.*4.

7 Nota primò hanc conclusionem esse limitan dam, nisi opus perficiendum exigat maius tempus, & intra annum fuerit inceptum, vt si sit ædificium quoddam, &c. Sic Matienzo *ea l 14.gloss.1.n.*54. vbi multos alios refert, & Couar.*cap.3 de testam.n.6.* Greg. Lopez *l.6.tit.10. part.6.in glossa magna, in fine.* Vnde infert Matienzo *ibi num.*55. quòd si legatarius, vel creditor intra annum exequutorem conuenerit, vel famulus seruitium petierit ab eo intra annum: etsi in plures protrahatur annos, non expirauerit eis officium, quoad hoc; satis enim est exequutorem esse tempore conuentionis, licèt anno transacto exequutor non sit, vt cum eo possit continuari iudicium; & latè probat.

8 Secundò nota, quòd licèt exequutor non exequatur intra annum, potest Episcopus eum compellere post annum ad exequendum, cùm annus sit datus non eius fauore, sed vltimæ voluntatis. Sic Florianus, quem refert, & sequitur D. Anton. 3.*part.tit.*10,*cap.*3.§.9.

9 Tertiò nota esse graue dubium inter Doctores, an tempus assignatum à lege, vel testatori exequutori currat ipsi ignoranti, vel legitimè impedito ad agendum; quidam enim aiunt currere, quia tempus datum ad aliquid agendum currit ignoranti, vel impedito, si in eius, qui constituit, fauorem fuerit constitutum, secundum glossam *cap statutum, de præben.in 6.* Tiraq.*lib.1. de retractu.*§.35.*gloss.4.n.*25. at hoc tempus in fauorem eorum, quibus aliquid relinquitur, & in fauorem defuncti, vt eius voluntas impleatur, est concessum; ergo Sic tenent Speculator *tit.de instruct.edit.*§.*nunc verò aliqua,n.*39. Card. *cap.3.de testam.* Bald.*l.castrorias,n.*12.*&* 13.*C.de testam. milit.* Gomez Arias *l.*31.*Taur.n.*13. Tello *l.*33.*n.*1. licèt tandem relinquat cogitandum. Anton. Gomez *ibi num.*4. Castillo *ibi num.*3. Cifuentes *ibi*, Barbat.*cap.3. de testam. num.*33. Syluest.*testamentum,*2.*q*8.*dict.*1. Rosel.*testamentum.3.num.*3.

10 At probabilius est tempus hoc non currere ignoranti, vel impedito, sed à die scientiæ, à quo potest implere. Ratio, quia ignoranti, vel impedito ad aliquid agendum non labitur tempus præfixum ad aliquid agendum, *cap.quia diuersitatem, de concess.præb.l.*1.*C de annali except. Auth.nisi trecennale, C.de bonis mater.* vbi Pinellus meliùs cæteris explicat *n.*32. Ludou. Lopez *regula cancel. de public.resignat.q.*7. Roman *consil.*433. Sarmiento *lib.*1.*select. cap.*12.*n.*9. Hoc etiam colligitur ex *l.6.tit.*10.*part.6.* ibi, *deuense trabajar.* ergo sciebant, quia ante scientiam operari non poterant. Item, quia *ibi* dicitur, *o no quieren*; ergo sciebant, quia ignorans non dicitur nolle. Nec obstat ratio contraria, quia illud currit, quoties datur dilatio in merum fauorem alicuius; secus quando constituitur etiam ad conuincendum alicuius negligentiam, qui illud facere debebat, vt contingit *hic*: nam *cap.*3.*de testam. & l.6.tit.*10.*part.6.* ponderant testamentarij negligentiam. Sic tenent Padilla *Auth.hoc amplius, C.de fideicommiss.n.*16. Couar.*cap.3.de testam.num.*3.*&* 4. & *ibi* Host. & Immola, Gregor. Lopez *l.6.vers.fasta,tit.*10.*part.6.* Panor.*cap.cùm omnes, de testam.* Feder.*consil.* 129. Romanus dicens communem *consil.*228. Bart. Bald. Brunus, Oldend. quos refert Cou. Azebedo *lib.5.recop.tit.4 l.1.n.*133.134. Matienzo *eodem tit.4 l.*10.*gloss.6.n.2.& l.*7.*gloss.5.n.*5.6. 7 *& l.*14.*gloss*1.*n.*51.52. & est communis sententia. Idem Armil.*verbo exequutor,n.*8. Tabiena *ibi,q.*7. Anchar.*cap.*3. *de testam.num.*5.

11 Hinc infertur, quòd si testator remisit Petro debitori suo centum, si daret intra mensem quinquaginta hospitali à die mortis suæ: aliàs illa centum reliquit hospitali, non impleuit intra mensem prætendens ignorantiam, potest implere conditionem lapso mense, quia intelligitur à tempore mortis, supple, & scientiæ. Sic Anchar.*cap.*3 *de testam.n.*6 vbi addit intelligi etiam à tempore aditæ hæreditatis, sed statim dicam de hoc.

12 Secundò infertur, quòd licèt in breuibus de capienda possessione apponatur clausula, vt prouisus teneatur intra sex menses litteras expedire, & intra Cameræ dersoluere: id tamen interpretandum est, vt si intra sex menses non possit capere, non currant ei sex menses. Et eandem interpretationem tecipiunt obligationes de soluendis annatis, quæ in expeditione literarum fiunt, licèt iuramentum interueniat, & in forma Cameræ concipiantur, vt *l finali, C.de non numer. pecun.* cum multis adductis ab Ant. Gabriel. quem refert Sarmiento *vbi infra*, quia dum quis frui non potest beneficio, annatam soluere non tenetur, ex ipsis tantùm fructibus debetur, vel saltem propter ipsos. Sic Sarmiento *lib.1. select.cap.*12.*n.* 9. & dicit primam partem sic decisam esse in Rota.

13 Quartò nota esse etiam graue dubium à quo tempore incipiat currere hic annus datus exequutori ad exequendum testamentum, an scilicet incipiat currere à die mortis testatoris, vel à die monitionis factæ per iudicem, vel à die aditæ hæreditatis.

Variæ sunt sententiæ.

14 Prima tenet incipere à die monitionis factæ per iudicem. Probatur ex *cap.3.de testam.*ibi, *vt eum commoneas.* Sic Anchar.*dict.cap.*3.*n.*5.*&* *ibi* Couar.*n.*2. Immola, Panor.& communis *ibi*, Ioannes à Canibus, Rochus, Baldus, quos *ibi* refert Couar. Padilla *Auth.hoc amplius, C.de fideicom.num.*16.& sic explicat *l.6.tit.*10.*part.6.* dicentem annum currere à die mortis testatoris, supple, & monitionis: vt intelligatur iuxta ius commune.

15 Et nota quòd monitio est illa generalis, quæ fit ab Episcopis per constitutiones Synodales. Sic Gregor. Lop. alios referens *l 6.tit.*10.*part.6.vers.lo mas aima.* Sylueſt.*testamentum,*2.*q* 8.*dict.*1. vbi addit, quòd iam Episcopi generaliter monent per suas constitutiones, & sic transacto anno à die mortis, exequutio deuoluitur ad Episcopum. Idem mihi dixit quidam admodum doctus Iurisperitus. Et in Synodo Granatensi coacta sub D. Petro Guerrero *lib.*3.*tit.*9.*de testam.num.*1. habetur hæc monitio his verbis, *los albaceas cumplan los testamentos lo mas breue que ser pudiere: y sino los cumplieren dentro del termino, que por derecho, o por voluntad del testador son obligados.*

16 Secundò nota, quòd hæc monitio potest fieri per Episcopum, vel iudicem sæcularem; quia (vt infrà dicam) est hoc mixti fori. Sic Matiẽzo *dict.tit.*4.*l.*14.*gloss.*1.*n.*50.

17 Secunda sententia tenet incipere à die aditæ hæreditatis; quia iure communi ab eo die sumit effectum testamentum, & antea eius exequutio impeditur, etiamsi quis intestatus decesserit *l.si nemo.ff.de testam. tutel.* vnde cùm exequutor sit antea, impeditus propter non aditam hæreditatem, non currit illi tempus. Sic Greg. Lopez *l.6. tit.*10.*part.6.vers.fasta*; vbi explicat illam legem docentem currere à die mortis, supple, & aditæ hæreditatis: & addit quòd licèt attenta lege Regni, legata non pendeant ab aditione hæreditatis, & sic videatur, quòd ante aditam hæreditatem currat hic annus, at placet, quòd de iuris præcepto hæredi notificetur, vt intra certum tempus adeat, vel repudiet. & si intra id tempus nolit adire, à lapsu talis temporis curret hic annus, Idem omnino Burgos de Paz *1.part.legis* 3.*Tauri,n.*955. Azebedo *lib.5.recopil.tit.4.l.1.n.*178. Sarmiento *lib.*8.*select.super l.*1.*quæ est l in arbitrium.ff.de legat.2.num.*23.& sic intelligit dictam *l.6.* partitæ Matienzo *lib.5.recopil.tit.*4.*l.*14.*gloss.*1.*n.*50. quando hæres est præsens: secus (inquit) quando hæres est absens in remotis; quia tunc currit à die mortis testatoris.

18 Similiter dicunt aliqui, quòd constitutio Synodalis præfigens terminum exequutori eodem modo est intelligenda, vt scilicet terminus ille procedat à die hæreditatis aditæ. Sic Greg. Lopez *ibi*, idem Panor.& Roman, quos refert, & sequitur Couar.*cap.*3.*de testam.n.*3. Rosel.*testamentum,*3.*n.*2. Armil.*verbo exequutor,n.*9. Angel.*ibi n.*11. Burgos de Paz *ibidem*.

19 Similiter dicunt aliqui ex his Doctoribus, quòd quando fuit præfixus terminus à testatore ad implendum testamentum, intelligitur talis terminus à die aditæ hæreditatis. Sic Anchar.*cap.*3.*de testam.n.*5.*&* *ibi* Couar.*n.*1. Panor *ibi*, Arm.*verbo exequutor,n.*8. Tabien.*ibi,q* 7. Greg. Lopez *dict.l.6.vers.si pudieren.* Burgos de Paz *dicto n* 955. Angel.*verbo exequutor,n.*10. Sylueſt.*testamentum,*1.*q.*6.& pater ex *l.statu liberos.*§.*si quis hæredi.ff.de statuliberis.*

20 Tertia sententia, & verior est, quòd currit annus à die mortis testatoris, & quòd iure regio iam non expectetur aditio hæreditatis: probatur, quia *l.6.tit.*10.*part.6.* expressè dicitur currere à die mortis testatoris. Item, quia iure antiquo ideo expectabatur aditio hæreditatis, quia ante aditionem non poterant exequutioni mandari commenta in testamento: sed iam attento iure regio, nempe *l.*1.*tit.*4.*lib.*5.*recopil.* substantia, & valor testamenti non pendet ex aditione hæreditatis; sed possunt omnia ante aditionem mandari; ergo. Sic tenent Matienzo *lib.5.recopil.tit.4.l.*10.*gloss.6.n.2.& l.*7.*gloss.5.n.*7. Barbatius *cap.*3.*de testam.n.*33. Tello *l.* 33. *Taur. n.*1. Peralta *l. cùm quidam.ff de legat.2.n.*9. Spino *speculo testam.gloss.*28. *a.n.*11. & intelligo à die mortis, & monitionis, iuxta ius canonicum, vt tenet prima sententia.

21 Hinc fit, quòd terminus datus per testatorem exequutori, currit etiam à die mortis, & non opus est, aditionem hæreditatis expectare, attento eodem iure regio. Sic Peralta *ibi*, Padilla *l.ea quam, C.de fideicommiss. n.* 88. Matienzo *lib.5.recopil.tit.4.l.*14.*gloss.*1.*n.*36.

22 Nota tamen hanc sententiam intelligi in iis, quæ hæres facit tanquam exequutor, vt si qui est hæres, idem esset relictus exequutor, vel alius esset exequutor. Secus verò si hæres tanquam hæres tenetur aliquid facere. Tunc enim tempus curret ei à die aditæ hæreditatis, quia antea non est hæres, vt si testator dicat: hæres meus distribuat hoc Sic Spino *ea gloss.n.*28.*n.*14. Peralta *eo n.*9.

## DVBIVM LII.

*An sicut transacto anno, alióve tẽpore per testatorem assignato ad exequendum testamentum, expirat officium exequutoris, & exequutio transfertur ad Episcopum: ita etiam eodem modo is, cui à testatore electio, vel declaratio commissa est, vt si testator dicat: Relinquo decem scuta pauperibus declarandis per Petrum, teneatur eligere, vel declarare intra annum, aliúdve tẽpus ad exequutionem designatum, ita vt alioquin ius illud eligẽdi, seu declarãdi ad Episcopũ spectet.*

Dvplex est sententia.

1 Prima est non finire eam potestatem, sed posse transacto eo tempore eligere, seu declarare. Ratio, quia textus loquuntur de exequutore, at hic non est exequutor, sed electo, declaratórve; quia iudex dicitur ille, qui declarat, seu sententiam profert: exequutor verò, qui nudum habet ministerium facti. Hic ergo non dicitur exequutor; quia non habet soluere de facto: ergo licèt officium exequutoris transferatur ad Episcopum, non verò ius eligendi, maximè, quia de iure communi, qui habet ius eligendi circa personas, potest eligere, & si fuerit in mora, potest eam purgare. Sic tenent Bart. *l. cum quidam.num.*9.*ff.de legat.*2.*&* *l.*finali.§.*sed si quis, C.communia, de legat.& l.exequutorem.ff.de exequut.rei iudic. & consil.*142. Butrio *cap.litteras, de supplen.neglig.Prælat.* Panorm.*cap.*3.*de testam.num.*12. Ripa *l.si insulam, num.* 88. *ff.de verbor.obligat.* Roman. & Henricus Botæus, quos refert Couar.*vbi infra.* Armil.*verbo exequutor,num.*10. Tabien.*ibi,quæst.*9. Angelus *ibi,num.*12. Rosel.*testamentum,*3. *num.*2. Paulus de Castro *dicta l. cum quidam.ff.de legat.*2. *num.*9. & hanc tenet Matienzo cum Baldo per eum citato *l.* 14.*tit.*4.*lib.*5.*recopilat.gloss.*1.*num.* 61. quoad legata profana; secus verò quoad pia.

2 Secunda sententia probabilior ait non posse, sed transferri ad Episcopum ius eligendi, sicut etiam ius exequendi testamentum. Ratio, quia quod ex electione exequutioni tradendum est, præuiam electionem postulat; sine qua fieri nequit exequutio: ergo intra tempus exequutionis oportet electionem fieri *l. oratio.ff.de sponsa.* Item, quia licèt non sit exequutor totalis, est tamen partialis, quia suum consilium est causa. sine qua non, & in eo habet ratio expressa locum, scilicet, ne defunctorum voluntates protrahantur. Sic Padilla *l. cùm quidam.ff.de legat.*2.*n.*27. Aret. & Baldus *ibi*; dicitque Baldus sic præticari. Immola *ibi, & cap.*3.*de testam.num.* 13. vbi Anchar.*num.*10. Barbat.*num.*41. Cardin. *ibi.* Azebedo *lib.* 5. *recopilat.tit.*4.*l.*6.*num.*17. Angel. de Perusio *l.finali.*§. *sed & si quis,n.*2. *C.comm.de legat.* & *ibi* Iason, & Corneus, dicentes esse communem. Greg. Lopez *l.*7.*vers.Obispos, tit.* 10.*part.*6. Couar.*cap.*3.*de testam.n.* 7. Sylueſt. *testamentum,*2.*q.*8.*dicto* 2.

3 Nota quòd licèt prima sententia sit etiam probabilis, at in quodam casu videtur certa secunda sententia; nempe quando diceret testator, relinquo decem pauperibus eligendis per meos exequutores, id est, *Albaceas*, quia tunc est commissio non personæ, sed officio, vt *supra* dixi; quare sicut officium transit ad Episcopum, ita commissio illa annexa officio, iuxta supradicta.

## DVBIVM LIII.

*An hæres, vel exequutor testamẽti, sicut per canones, & leges habet annum ad exequendum testamentum, ita etiam in foro conscientiæ, vel teneatur quamprimum potest, exequi.*

1 Hæc quæstio pendet ex alia, an scilicet noceat animæ defuncti dilatio exequutionis testamenti, & ideo vtraque simul soluenda est. Angel.*verbo exequutor,n.* 23. dicit nocere animæ defuncti non solui eins debita per exequutorem: & refert ex Minorum Chronicis quemdam in Purgatorio detentum esse, donec eius debita solueretur & probatur ex *cap.in literis, de raptor.* vbi sic dicitur, *Hæredes moneas, vt quibus defunctus damna irrogavat, satisfaciant, vt à peccato valeat liberari.* Idem Palacios Rubios *vbi infra n.*19.

2 Sit tamen prima conclusio: Omissio restitutionis debitorum defuncti per ipsum fieri mandatæ, nil nocet defuncto. Ratio, quia vel nocet ratione peccati omissionis, & hoc non, quia peccatum alienum non potest nocere defuncto, vel nocet ratione satisfactionis non exhibitæ, & hoc non, quia restitutio non est pars satisfactionis, nec sit ad satisfaciendum pro pœna debita pro peccatis, sed est ad cessandum à peccato. Et *ad cap.in literis*, respondetur, vel cum Nauar. *vbi infra*, quòd litera est mendosa, & vbi dicit *valeat*, debet dicere, *valeant*, & sic referatur ad hæredes, quòd satisfaciant, & liberentur à peccato: vel secundò cum ipso Nauarro, quòd loquitur cap. illud de commodo accidentali, quod prouenit animæ defuncti ex orationibus, quas fundent pro eo ij, quibus restituitur. Sic tenent Nauar. summa Hisp, *cap.*28. *addit.ad n.*68. *cap.*17. Lat. *cap.*17.*num.*68. Bellarm. *lib.* 2. *de purgatorio, cap.*16. Sylu. *testamentum,*2.*q.*9. Nauar. *lib.*4. *de restit.cap.*4.*n.*75. *fol.*522.*&* *l b.*3.*c.*4 *n.*168. *fol.*374. Armil. *verbo exequutor,n.*16. Tabien, *ibi,q.*16 D. Ant. *p.*3.*tit.* 10. *cap.*3 § 12. Spino *speculo testam.gloss.*18.*n.*8. Cardin. *cap. qui oblationes, el* 2 13.*q.*2. Soto 4.*dist.*45 *q.*2.*art.* 3. *paulo post principium.*

3 Secunda conclusio: Omissio eleemosynarum, & sacrificiorum, vel tardatio, quæ præcepit defunctus, non nocent ipsi quoad meritum, nocent tamen quoad satisfactionem. Probatur prima pars, quia meritum pendet ex voluntate, & intentione præcipientis, & non pendet ex aliena voluntate. Probatur secunda pars, quia licèt defunctus non puniatur ob huiusmodi tarditatem, vtpote

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ est aliena culpa, at nocet ei, quia non adhibetur remedium satisfactionis, seu expirationis pœnæ, scilicet sufftagia illa. Sic D.Thom.*quodlib.6.art.13.*Nauar. *lib.3. de restit.cap.4.n.169.*Sylu.Tabien.Angel.Armil. D. Anton.*proximè citati.*Soto *4.dist.45.q.2.art.4.vers.respondetur bifariam.*Richard.*4.dist.45.art.5.q.4.*Gabr.*lectione 25. in canonem,litera E.*Palacios Rubios*infra.*Manuel *1.tomo summæ,in antiqua cap.130.in noua cap.133.n.8.*

4 Nota,quòd Nauarra *eo num.169.* dicit, quòd si defunctus non disposuit, sed reliquit aliquid hæredi, vel exequutori disponendum, tardare in hoc nocet defuncto quoad meritum; sed id non intelligo, & ita teneo absolutè cum D. Thom. & reliquis Doctoribus, quòd nullo modo nocet quoad meritum; quia hoc pendet ex voluntate,quam habuit defunctus tempore quo testatus est; nec scio, quo pacto post mortem possit alicui meritum augeri.

5 Tertia conclusio:Si exequutor,vel hæres, cùm possint,differant notabiliter soluere debita defuncti, peccant mortaliter.Ratio, quia in iis etiam defunctus non potuit dilationem concedere, cùm lege iustitiæ sint statim soluenda;aliàs retineretur alienum inuito domino. Sic Nauar. in omnibus summis *cap.25.n.65.*Nauar. *lib.3. de restitut.cap.4.n.165.*Manuel *eo num.8.*

6 Quarta conclusio: idem est de cæteris legatis, scilicet,quòd tenentur hæres,& exequutor soluere, quamprimum possint. Vnde annus concessus ad exequendum intelligitur, ne incidant in pœnam, eo quòd non impleuerint.Probatur, quia legata debita sunt iam, vbi testator obiit. Secundò patet ex *l.6.tit.10.part.6.* vbi dicitur, quòd impleant testamentum, quamprimum possint; & *l.nulli.C.de Episc.& Cleric.*dicitur, *sine vlla cunctatione.* Item quia si sunt legata pia, detrimentum notabile patitur defunctus ex mora, vt probaui; quare si notabilis sit mora, est peccatum mortale, vt clarè colligitur ex *cap.qui oblationes, el 1.2.13.q.2.* vbi tales notabiliter differentes dicuntur necatores animarum,& tanquam infideles ab Ecclesia abiiciendi, id est, excommunicandi: & refert Beatus Turpinus *in sua historia expeditionis Hispan.cap.* 7. & Palacios Rubios *vbi infra*, casus notabiles de hoc. Sic tenent Nauar.*lib.3.de restit.cap.4. num.169.& 166.*Nauar.in omnibus summis *cap.25.num. 65.*Sylvest.*testamentum,2 q.9.*Armil.*verbo exequutor,n. 16.*Ioannes de Neapoli,quem refert, ac sequitur D. Anton.*3.p.tit.10.cap.3.§.12.*Azebedo *lib.5.recop.tit.4.l.7. n.6.*Palacios Rubios *rubr.de donat.§.65.n.19.20.*Richar. *4. dist 45.art.5.q.3. & 4.*Spino *speculo testam.gloss.28.num. 8.*Manuel *ibi,n.8.& 9.*

7 Immo si est constitutio Synodalis excommunicans differentes exequi,incurrent eam: & si absoluantur, & iterum,cùm possint,non impleant,reincidunt. Sic Nauar. summa Hispana *cap.25.n.65.*

8 Nota quòd non excusantur à mortali, quando differunt causa vendendi res defuncti maiori pretio. Sic Palacios Rubios,Azebedo,Sylvest. *ibi.* Excipe tamen, nisi differant, vt rebus defuncti melius venditis copiosiores elargiantur eleemosynas,& augmentum eleemosynæ est valdè magnum:tempus autem traditionis est valdè breue ita vt arbitrio boni viri melius sit tardare; quod bene explicat Palacios *suprà,*& Ang.*verbo exequutor,n.24.* Sic quando tantum est augmentum,quod præualet tarditati, scilicet,quia eleemosyna, quam habuisset defunctus ex illis rebus citò venditis, & tempus tardationis, in quo pœnam sustinuit, non iudicantur tantum satisfactoria, quantum est eleemosyna, quæ colligitur ex tardatione: aliàs(inquit Angelus)non liceret,quia non est vni faciendum malum propter bonum alterius. Sic Sylvest.*ibi,*& colligitur ex D.Thom. *quodlib.6. art.* 14. quem sequitur D.Anton.*dicto* §.12. & Tabien. *verbo exequutor,q.16.* vbi dicunt, quòd quando differt exequutor modico tempore, vt ampliores det eleemosynas rebus defuncti melius venditis,laudabiliter facit: si verò multum differt, vt non multo ampliores,peccat.Vnde,inquit Palacios,non excusatur,quando differt,vt melius vendatur,vt hæredi prosit.

## DVBIVM LIV.

*Quid possit Episcopus circa testamentorum exequutionem.*

1 SIt prima conclusio. Episcopo incumbit cura, vt exequutioni mandentur testamenta, & potest cogere ad hoc exequutores, vel hæredes,*cap.si hæredes,cap. Ioannes,cap.tua,de testam.*& in Trident.*sess.22.cap.8.* Atque idem dicendum est de Abbatibus,& aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem; ita vt tam ipse prælatus, quàm eius subditi sint exempti à iurisdictione Episcopali. Et idem dicendum est de Capitulo Sede vacante. Sic multos allegans Couar.*cap.Ioannes de testam.n.1.& 2.*

2 Hæc conclusio, quoad legata pia est certissima: quoad legata verò non pia, est difficultas, quia *dict. cap.tua,* & Triden.de legatis piis loquuntur;& sic tenet gloss.*d.e tua,vers. pias.*Anchar.*dicto cap.si hæredes,n.7.& cap.finali,de testam.in 6. fine.*Bart. *l.solent,ff.de alimen.& cibar. legat.*& Panorm.*dicto cap.si hæredes,n.7.* nititur vtramque sententiam conciliare.

3 At dicendum est posse etiam quoad legata non pia; quia *dicto cap.si hæredes,* vniuersaliter, & absque distinctione hoc dicitur, & communiter est hoc receptum ibi, vt fatentur *eo cap.si hæredes,* idque sequuntur Couar.*n.3.* Cardin.& Barbat.*n.3.* glossa *vers. ab Episcopo.* Butrio *cap. Ioannes,de testam.* Alex.dicens communem *consil.239 lib. 6.*Matienzo *lib.5.recop.tit.4.l.14.gloss.1.n.45.* Sylu. *testament.2.q.8. dicto* 6.Greg.Lopez *l.6.vers.lo mas aina.tit.10. part.6.*Padilla *Auth.amplius,C.de fideicommiss.n.9.*Innoc. & Host.*cap.3.de testam.*

4 Secunda conclusio. Iudex etiam sæcularis habet eandem facultatem etiam in legatis piis; hoc enim est mixti fori: vnde datur locus præuentioni,*Auth. de eccles. tit.§.si quis ædificationem,coll.9.& l.hæreditas, ff. de petit.hared.*Sic Cou.*dicto cap.si hæredes,n.1.& ibi* Pan. *n.3.*Barbat.*ibi,* Greg.Lop.*l.6.vers. lo mas aina.tit.10.part. 6.& l.7.vers.que cumplan.*Matienzo *dicta l.14.gl.1.n.37. & eodem tit.4.l.10.gl.7.n.1.* Speculator,& Bald. per eum citati. Castillo *l.36.Taur.verbo,nuestras iustitias.* Gomez Arias *ibi,n.1.*Tello *n.5.*

5 Hinc fit malè Spino *speculo testam. gloss.28.num.44.* appellare hanc sententiam falsam, dicitque ad solum Episcopum pertinere.

6 Tertia conclusio. Potest Episcopus intra quinque menses aliúdve tempus arbitrarium cogere hæredes, & exequutores exequi testamentum etiam quoad legata profana per censuram Ecclesiasticam,vel etiam per interdictum administrationis bonorum defuncti, licèt iure datus sit illi annus ad exequendum.Sic colligitur *ex dicto c.si hæredes;*& probatur,quia ipsi tenentur,quamprimum possunt exequi *l.nulli,C.de Episc.& Cleric.l.6.tit.10.part. 6.*ergo possunt compelli. Sic Immola, Cardin.Barbatius, quos refert,& sequitur Cou. *dicto c.si hæredes,n.4* Greg. Lopez *l.6.vers.lo mas aina.tit.10 part.6.*Matienzo *lib.5. recopil.tit.4.l.14.glossa 1.n.56.*

7 Nota idem etiam posse iudicem sæcularem; quia (vt dixi) est hoc negotium mixti fori.Sic Greg.Lopez *ibi.*

8 Quarta conclusio; si exequutor fuerit negligens in adimplenda voluntate testatoris, transacto anno transfertur exequutio ad Episcopum; nisi testator in casu negligentiæ alium substituisset(quod posse facere,*dub.sequi. ti* dicam.)Patet ex *cap.3.de testam.* vbi Episcopo dicit Pontifex;*Commone exequutores,vt intra annũ cuncta impleant: quòd si intra dictũ tempus non impleuerint,per te impleantur.* Et docent omnes saltem quoad legata pia; nam quoad profana sunt opiniones, quas retuli in prima conclusione:& iuxta dicentes non posse Episcopum cogere,nec se intromittere quoad profana, non transfertur ad ipsum quoad illa:at iuxta cõmunem,quam sequuti sumus, posse





Episcopum cogere, & se intromittere, quoad profana, transferrtur etiam ad ipsum quoad profana. Et in speciali hoc tenet Matienzo *dicta l. 14.gloss. 1.num. 45.*Sylvest. *testamentum 2.q.8.dicto* 6.Host.& Innoc.*cap.3.de testam.* Couar.*cap.tua,eodem tit.n.6. & ibi* Barbat.*num.4.*

9 Duplex tamen occurrit hic difficultas: altera est,an vt transacto anno cesset officium exequutoris, requiratur aliqua monitio. Quidam dicunt sat esse transcursum anni, licèt nulla præcedat monitio. Sic Greg.Lopez *l.8.tit. 10 part.6.vers.amonestados,* Azebedo *lib 5.recopilat.tit.4. l.7.num.5.*

10 At probabilius est requiri, quia *cap.3.de testam.* expressè dicitur:*Commone, vt intra annum adimpleant,quod si intra dictum tempus non impleuerint, per te impleantur.* Ergo non deuoluitur ius hoc exequendi ad Episcopum, nisi transacto anno post monitionem. Vnde inquit Panorm.*dicto cap.3.de testam. n.11.* quòd licèt ad implendum legata pia sex menses assignentur à iure, vt *supra* diximus, at illud est, quoad solutionem faciendam: at verò quoad deuolutionem faciendam ad Episcopum, requiritur transcursus anni post vnam monitionem. Sic tenent Spino *speculo testam. gloss.28.n.14.& 39.*Panorm. *dicto c. 3.n.11.& cap.si hæredes, de testam.n.6.*Sylvest.*testam.2.q. 8.dicto* 1.Angel. *verbo exequutor, num.* 11.Tabien.*ibi q. 8.*Couar. *cap.3 de testam. n.2.& ibi* Cardin. Anchar. Immola,& Baldus *l.quod pauperibus, num.11.C.de Episc.& Cleric.*Barbatius, & alij, quos refert Couar.*ibi.*

11 Nota tamen quòd iam hodie Episcopi monent per constitutiones synodales, & sic currit annus à die mortis. Sic Panorm.*cap.3.de testam.n.11.*Sylvest.Angel. Tabien.*ibidem*, Armilla *verbo exequutor, num.* 9. An verò hæc constitutio currat à die scientiæ, & aditæ hæreditatis,iam *suprà* dixi.

12 Secundò nota, quòd hoc limitant Armil. Angel. cum Richardo *4.dist.45.art.5.q.* 3. quando intra annum habuit exequutor in promptu bona, quibus posset legata soluere. Quam limitationem reprobat Sylvest. *ibidem,* sed vera est limitatio:nam vt *supra* dixi, tempus non currit impedito; & quia Sylvest. (vt *ibi* dixi) tenuit in hoc contrarium, ideo reprobat hanc limitationem.

13 Tertiò nota, quòd etiam ante annum transfertur exequutio ad Episcopum, si exequutor bis monitus, vt intra certum tempus exequatur voluntatem defuncti,exequi intra illud tempus noluerit,*Auth.de Ecclesiast.tit.§. sin autem.* Sic Azebedo *lib.5. recopilat. tit.4.l.7.n.5.*Couar.*cap.3.de testam.n.5.& ibi* Panorm.*n.11.& ibi* Immola.Iacobus à Canibus,quem refert Couar.Salizetus *auth. hoc amplius,C.de fideicommiss.* Greg Lopez *l.8. vers.amonestados,tit.10.part.6.*Sylvest.*testam.2.q.8.dict.*1. Angel. *verbo exequutor,n.*11. Tabien.*ibi q.*8. Matienzo *lib.5 recopilat.tit. 4.l.14.gloss.1.n.56.*

14 Hoc limitant Couar. Panorm. Immola, Iacobus à Canibus, Saliz,Sylvest. Angel.Tabiena,Greg. Lopez *ibi;* vt intelligatur in legatis piis, in aliis verò ait Gregor.Lopez post anni transcursum. At Matienzo *eo num. 36.* ait, quòd etiam in profanis potest Episcopus breuius tempus, vt quinque, vel sex menses, assignare exequutori, vt adimpleat sub interdicto administrationis bonorum,& quòd ad ipsum deuoluitur exequutio, vt dixi *conclus. 3.* ex ipsomet Couar. & multis aliis.

15 Altera difficultas est, an requiratur sententia, vt cesset officium executoris, vel eo ipso expiret transacto anno post monitionem.Nam Matienzo *l.5.recopil. tit. 4. l.14 gloss.1.n.65.* dicit requiri sententiam, vt priuetur officio exequutoris;ad incurrendum verò alias pœnas non; & refert *l 8.tit.10 part.6.& ibi* Greg.Lopez *vers. por juzgo.* At nescio quid sibi velit, quia nec lex illa, nec Gregor.Lopez dicunt requiri sententiam, vt cesset officium exequutoris; & expressè dicunt ad alias pœnas, nempe priuationis hæreditatis, vel emolumenti prouenientis ex testamento sententiam requiri.

16 Et sic dico officium exequutoris eo ipso cessare transacto eo anno post monitionem, & deuolui ad Episcopum.Probatur, quia *cap.3. de testam.*dicit Pontifex Episcopo, *transacto anno per te exequaris,* quasi supponens iam expirasse. Item quia communiter Doctores sic loquuntur,transacto anno ius exequendi deuoluitur ad Episcopum. Sic loquuntur Matienzo *ea l.14.gloss.1.n.45. & l.7.gloss. 2.num.2.*Couar.*cap.3.de testam.num.2.* Sylu. *testamentum 2. q.8. dicto* 1.Tabien. *verbo exequutor, q.8.* Angel.*ibi num.* 11. ergo supponunt iam expirasse, aliàs non dicerent transferri ad Episcopum, sed posse Episcopum illo priuare.

17 Quinta conclusio. Si exequutor est suspectus, potest remoueri.Sic Greg.Lopez *l.1 tit.10.part.6. vers. en la verdad,*ad idem sunt Specul.Bald. Alex.Iason.Curtius, quos refert,ac sequitur Padilla *l.1.n.29.ff.de legat.* 2. vbi dicunt posse Episcopum auferre officium exequutori, si sibi non obtemperet,vel malè administret.

18 Sexta conclusio. Nomine Episcopi in quinque præcedentibus conclusionibus intelliguntur etiam ij, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent secluso Episcopo: vt sunt aliqui Abbates, & aliqui Archidiaconi; quia hi intelliguntur nomine diœcesani, iuxta glossam *Clement.vnica de foro compet.vers.diœcesani;*vbi Immola, & Cardin.& Felin.*cap. cum olim, de præscript.* Et licèt gloss.*Clement.1. de vita & honest. Cleric.* & Immola *cap. de monachis,de præb.* velint solum Episcopum comprehendi nomine *diœcesani*; sed Felin. Panorm. & Barbat. quos referunt,& sequuntur Couar. & Matienzo statim citandi dicunt id procedere in iis, quæ potiùs exigunt officium Episcopi, quàm eius iurisdictionem. Sic Panorm.Ioan.Andr.Barbatius, *cap. Ioannes, de testam.*vbi Couar.*num.1.*Matienzo *lib 5.recopilat.tit.4.l.14.gloss.1.n. 46.*Sylvest.*testamentum 2.quæst.3.dicto* 3.D. Anton. *3.p. tit.10 cap.3.§.9.*

19 Nota quòd si huiusmodi Prælati habentes, iurisdictionem quasi Episcopalem nulli Episcopo subiecti sint,sed ab eo sint exempti cum his, qui illorum sunt iurisdictionis, non tantùm possunt cogere exequutores exequi vltimam voluntatem, sed eis negligentibus poterunt illam exequi, vt possunt Episcopi. Si verò hi Prælati non omnino exempti sint ab Episcopo, sed ab his ad Episcopum fit appellato, licèt possint cogere exequutores ad exequendum, quod tamen omnes fatentur,teste Couar. & potest probari ex *cap. quanquam, de vsuris,in 6* iuncta glossa *vers.loci,* & Franco,& Dominico *ibi.* At forsan non poterunt exequi ipsam vltimam voluntatem negligentibus exequutoribus, sed id officium Episcopo defertur: at poterunt exigere rationem ab exequutoribus.Sic Cardin. quem refert, ac sequitur Couar. *ibi n.2.*Matienzo *num.* 47.

20 Septima conclusio. Capitulum Sede vacante potest compellere exequutores,& eis negligentibus exequi testamentum, sicut potest Episcopus. Ratio, quia ad iurisdictionem Episcopalem spectat, in qua plenè succedit Capitulum *cap. cum olim, de maiorit. & obedien.* Sic contra Barbatium *cap.Ioannes,de testam, num.* 15. tenent Cald. Cardin.Pauinus,Ioann.Andr.Panor. Anchar.quos refert, ac sequitur Couar.*eo n.2.*Matienzo *eo n.47.* Spino *speculo testam.gloss.28.n.20.* Sylvest. *testam. 2.q. 3.dicto* 3.D.Anton.*3.p.tit.10.cap.1.§.9. notab.3.*

21 Nota tamen, quòd Episcopo absente, vel infirmo non potest hoc Capiculnm,quia iurisdictio non transit in Capitulum in hoc casu. Sic Sylvest.D.Anton. *ibi.*

22 Octaua conclusio: Episcopus, ad quem deuoluitur exequutio,est Episcopus originis,vel domicilij testatoris, vterqueque enim potest: at compellere exequutores debet suus Episcopus, id est, exequutoris, nisi susceperit officium in domicilio testatoris:quia tunc videtur quasi contraxisse ibi:& ideo talis Episcopus potest compellere,si inuenerit eum ibi, alias seruabitur *cap. Romana,de foro compet.* Sic Sylvest. *testamentum 2.quæst.3.dicto 5.* D.Anton.*3.p.tit.10.cap.5.9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



23 Nona conclusio. Si Episcopus elapso anno dato exequutoribus ad exequendum fuerit negligens in administranda iustitia,& remouendo illos ab exequutione, & priuando emolumentis, potest Metropolitanus talem exequutionem facere;quia eius est negligentiam Episcopi supplere, cùm quilibet de populo reclamare possit,si videat defuncti voluntatem non impleri, *l.4.tit.10.part.6.* Sic Archid. & Butrio, quos refert, ac sequitur Spino *speculo testam.gloss.28.n.42.*

## DVBIVM LV.

*An possit testator prohibere, ne ad Episcopum deuoluatur exequutio testamenti,negligentibus hæredibus,vel exequutoribus,exequi,vel ne teneantur reddere rationem administrationis Episcopo.*

1 IAm suprà agens de acceptione personarum latè dixi,an in capellis,vel fabricis, vel capellaniis possit testator cauere, ne Episcopus se intromittat: aliàs facit bona illa profana. Et alibi egi de quodam casu Concil.Trident.An administratores in eo casu teneantur reddere rationem prohibente testatore. In præsenti ergo tantùm agimus, in quo possit testator prohibere potestatem, &, iurisdictionem Episcopi circa sui testamenti exequutionem.

2 Sit prima conclusio. Licèt testator iubeat, ne possit Episcopus se intromittere, & cogere exequutores ad exequendum testamentum, adhuc potest Episcopus id facere. Ratio,quia ea prohibitio est illicita, & ideo non est seruanda. Sic habetur expressè *cap.tua,de testam.& ibi* glossa *verſ.interdici*, reddit rationem,quia priuata dispositio testatoris non potest immutare statuta per canones. Idem tenent Panor.Anchar.& omnes *ibi*,Couar.*ibi*, *n.6.* Spino *speculo testam.gloss.28.num.* 20. Sylvest. *testamentum,2.q.8.dict.4* Armill.*verbo exequutor,num.*11.Tabiena *ibi,quæst.*11. Angel. *ibi num.*14.D.Anton.3. *part. tit.* 10. *cap.3.§.9.fine*, Matienzo *lib.5.recopilat.tit.4.l.*14.*gloss.*1. *num.*48. Quando autem testator commisit exequutori, vt secundùm suam conscientiam exequatur, potest Episcopus petere rationem, vt discernat,an benè, vel malè expenderit. Sic Dominicus *cap.statutum, §.assessorem,n.5. de rescript.num.6.*Franeus *ibi, num.6.*Felin.*cap significasti el* 1.*ad finem,de homicid.*Padilla *l.cum quidam.ff. de legat.* 2.*num.*11.

3 Secunda conclusio. Si absolutè prohibeat testator, ne exequutio sui testamenti deuoluatur ad Episcopum, & ipse non prouidit alium, ad quem deuolueretur in casu negligentiæ, non valet prohibitio quoad causas pias, sed adhuc negligentibus exequutoribus intra annum implere, deuoluetur exequutio ad Episcopum.Patet ex *dict.cap.tua,*iuncta ratione glossæ allata conclusione præcedenti; & sic tenent omnes citandi pro vtraque sententia statim.

4 At dubium est, an talis prohibitio operetur, vt tunc, quoad legata profana non deuoluatur exequutio ad Episcopum.

Duplex est sententia:& vtraque est satis probabilis.

5 Prima ait, tunc non deuolui ad Episcopum exequutionem quoad legata profana. Sic Panorm. Aachar. Sylvest.Armil.Tabien.Angel.D.Anton.*prima conclusione citati*; & hanc sententiam dicit esse veriorem Matienzo *eo nu.*48.

6 Secunda sententia probabilior dicit etiam tunc deuolui exequutionem ad Episcopum, quoad legata profana; quia ratio *dict. cap. tua*, generalis est, & procedit etiam in legatis profanis,cùm stando in iure etiam quoad hæc deuoluatur exequutio ad Episcopum, & testator non potest facere, quin canones habeant locum in suo testamento.Sic Couar. *eo cap.tua,num.6.* & *ibi* Barbatius *n.4.*& Baldus quem refert Couar.

7 Tertia conclusio. In tribus casibus posset testator euitare Episcopi iurisdictionem in suo testamento. Primus casus est, quando in casu negligentiæ executoris testator substituit aliquem exequutorem, tunc enim non deuoluitur exequutio ad Episcopum, donec substituatus constituatur in negligentia.Sic Matienzo *lib.5. recopilat. tit.4.l.*7 *gloss.num.*2.*&* *l.*14.*glos.*1.*num.*45. Couar *cap.3. de testam.num.*2. vbi Barbat. *num.*14.& idem Couar. *cap. tua,de testam.n.6.*Sylvest. Armil.Tabien.Angelus, vbi citati sunt *in* 1.*concluſ.*Spino *speculo testam.gloss.*28 *num.*41. Gregor.Lopez *l.*7.*verſ.albaceas,tit.*10.*part.*6. Cæpola,& Baldus,quos refert Matienzo.

8 Circa hunc casum nota primò, quòd licèt possit testator alium exequutorem substituere in negligentiam prioris: at non poterit iterum substituere negligentiam illius substituti. Sic Baldus, quem refert, ac sequitur Greg.Lopez *ibi.*

9 Secundò nota, quòd Azebedo *l.6.tit.4.lib.5.nouæ recopilat.num.*14. dicit, quòd non potest exequutori exequutorem substituere, & sic non debet dicere, si primus fuerit negligens, sed si intra tale tempus non exequatur, sit talis exequutor; sed nescio cui innititur fundamento, cæteri enim Doctores absolutè dicunt posse in negligentiam prioris exequutoris alium substituere: & sic est tenendum.

10 Secundus casus est, quoties nullo designato tempore dixerit testator expresè tempus legitimum eis non currere: sed liberam exequutoribus commissionem reliquerit, vt cùm voluerint, exequantur. Sic Bald.Guald. Panor.Barbat.quos refert, & sequitur Couar. *ibi num.* 6. Matienzo *lib.5.tit.4.l.*14.*gloss.*1.*num.*48.

11 Tertius casus est, si testator designauerit quid sit agendum de legato eo casu, quo prima eius iussio non fuerit ob exequutorum negligentiam ad effectum deducta, non potest Episcopus eam voluntatem immutare. Sic Bart. quem refert, ac sequitur Couar.*eo cap.tua,dicto num.6.*

12 Quarta conclusio. Si testator prohibuit rationem reddi Episcopo ab exequutore, si exequutor deliquit indebitè administrans, non valet remissio; quia non est verisimile voluisse testatorem eludere suam voluntatem, & Pontificale officium: nec etiam posset testator impedire officium ordinarij isto casu. *Clement. 1. de testam. & cap. 3. eodem tit.* aliàs verò si ex distributione, vel detentione delictum non committit, nec offenditur testatoris voluntas, valet remissio. Sic Paulus, quem refert,ac sequitur Sylvest.*testamentum,2.quæſt.*8.*dict.5.* Rosel.*restitutio* 15.*num.*10.

13 Immò quando testator remittit exequutori rationem reddendam Episcopo, adhuc tenetur illam reddere; tantùm enim sibi videtur remissa scrupulosa inquisitio, quoad culpam, non quoad dolum, vel reliquorum restitutionem. Sic Salizet. Thom.Ferrari, quos refert,ac sequitur Matienzo *ea l.*14.*gloss.*1.*n.*67

## DVBIVM LVI.

*Quæ sit pœna hæredis,vel exequutoris negligẽtis exequi testamentum,& an incurratur ipso iure,vel opus sit sententia.*

1 SIt prima conclusio.Hæres negligens soluere legata pia intra sex menses à die insinuationis testamenti, cogitur in pœnam legatum reddere cum omni emolumento, quod ex eo potuit percipi à die mortis testatoris.Sic multi,quos refert,ac sequitur Couar.*cap.si hæredes, de testam.num.*5.

2 Secunda conclusio. Hæres, aut exequutor semel monitus non tradens exequutioni voluntatem testatoris intra annum, perdit omne lucrum ex testamento sibi prouenientes, adeò, vt hæres non tantùm hæreditatem, sed etiam prælegata amittat, *Auth.hoc amplius, C de fideicom.l.*8.*tit.*10 *part.6.*sic multi,quos refert,ac sequitur Couar. *ibidem num.6.*Matienzo *lib.5.recopil.tit 4.l.* 14.*gloss.* 1.*num.*64.

3 Tertia conclusio. Licèt multi, vt Guillelmus Benedictus *c. Raynutius, de testam.verbo,absque liberis,el.*2. *n.*199.Paulus de Castro,Angel.Iason,*d.Auth.hoc amplius* censeant ad pœnam hanc necesse esse, vt admonitio hæc fiat per iudicem, ita vt non sit satis per epistolam, nuncium,aut litteras admouere,at tenendum omnino est satis esse per nuncium,vel epistolam, aut litteras admonere,Sic Greg Lopez *dict.l.*8.& Matienzo *dict.n.*64.& Couar.*ibidem num.*7.alios referens.

4 Quarta conclusio. Hanc pœnam effugiet hæres, vbi alia minor à testatore inflicta fuit ob hanc negligentiam;illa enim operatur,vt hæc pœna cesset, & idem est quoties testator prolixius tempus testamenti exequutioni assignauerit. Sic Couar. id probans, & alios referens *n.*7.Matienzo *eodem n.*64.

5 Quinta conclusio. Filius negligens exequi voluntatem paternamnon priuatur legitima sibi debita; licèt multi, quos refert Couar. *num.* 9. dicant priuari, quando fuit negligens circa legata pia, propter *cap. licèt, de voto*; at verius est non priuari. Quod etiam habetur expresè *l.*8.*tit.*10.*part.*6. & ad *cap. licèt, de voto*,respondetur, quòd ibi fuit speciale; quia filius etiam voto se adstrinxerat implendi votum paternum. Sic Couarr. *ibi num.*9.*&* 10,Padilla *Auth.hoc amplius,C.de fideicom.n.*17. *&* 18.Segura *l.*3.*§.fin.num* 106 *ff.de liber.& posthum.*Spino *speculo testam.gloss.*28.*à n.* 46. per plures.Greg Lopez *dict.l.*8.*verſ.legitima.*

6 Hinc fit, quòd si talis filius melioretur à patre in tertio bonorum, non priuabitur illo, si non impleat testamentum paternum,quia tertium in hoc Regno est legitima filiorum. Sic Segura, Padilla,Greg. Lopez *ibi*,vbi benè addit, quòd priuabitur melioratione quinti, quia hoc non est legitima.

7 An verò incurrantur pœnæ hæ ipso iure, vel requiratur sententia. Multi dicunt non requiri sententiam. Sic gloss.*Auth.de hæred.& falcid.§ si quis autem,verſ.auferri*,Bald.Saliz.Iason,Angel.Corneus *Auth.hoc amplius, C.de fideicommiſſ.* per textum, ibi, *amittat*:quod verbum inducit priuationem ipso iure, vt tenent multi, quos refert Couar.*dict.cap.si hæredes,n.*8.& per alia fundamenta, quæ *ibi* adducit. Idem tenet Matienzo dicens esse communem *lib.5.recopil.tit.4.l.*14.*gloss.*1.*n.*65.

8 At verius est non incurri ipso facto, sed requiri sententiam; quia verbum *amittere* sententiam exigit, vt ex multis probat Couar.*eo num.* 8. sic tenet Angel. quem refert,& sequitur *ibi* Couar.*dict.num.*8. Paulus de Castro *Auth.hoc amplius*, & *ibi* Padilla *num.*22. Tello *l.*38. Taur.*n.*2. Spino *dict. gloss.*28.*n.*68.Nauar. *lib.*3.*de restit. cap.*4.*num.*166.Matienzo *eodem tit.*4.*l.*12.*gloss.*1. *n.* 3. & de exequutore id definit *lex* 8.*tit.*10. *part.*6.& *ibi* Greg. Lopez *verſ.perjuicio.*

## DVBIVM LVII.

*An si testator leget talimonasterio, vel tali paueri centum aureos,& alios mille distribui iubet in pauperes,vel in opera pia arbitrio suorum exequutorum, possint exequutores distribuere, & dare illi monasterio,vel pauperi ex illis mille aureis aliquid,quando ita pauper esset,vt id indicaretur expediens.*

1 PArtem affirmantem tenet Anchar.*conſ.*84.*à num.*3. *vsque ad finem* videlicet,quòd potest quando testator reliquit aliquid monasterio, & reliqua inter pauperes distribuenda,dari aliquid illi monasterio, quando postea superuenit maxima paupertas, & tempore testamenti habebat necessaria: quem refert, ac sequitur Mantica *lib.*8. *de coniect.vlt.volunt.tit.*5.*n.*19.

2 Sit tamen conclusio. Non potest testamenti exequutor illi dare amplius.Patet ex *l.*3.*tit.*10.*part.*6. vbi sic dicitur:*Si el testador mandasse dar a personas ciertas alguna cosa,o cierta quantita de marauedis,e todos los otros bienes dexasse a su testamentario,que los distribuyesse entre pobres segun su aluedrio,el tal no puede dar a ninguna de aquellas personas ciertas,aunque viese que era muy pobre,y conuenia dar le mas de aquello,que le auia mandado el testador.* Vbi Greg.Lopez *verſ.de mandasse*,dicit hoc ideo esse,quia generaliter facultas data exequutori non refertur ad easdem personas, de quibus iam per testatorem erat specialiter prouisum,*l.talis scriptura, in princip.ff.de legat. 1. l. doli clausula.ff. de verbor.oblig.*& tenet etiam Henriquez *lib.*7. *de indulg.cap.*23.*in fine commenti.* Manuel *q. reg. tom.* 2. *quæſt.*125.*art.*8.

3 Nota,quòd dispositum in hac lege procedit, quando dispositio specialis præcedit,& sequitur generalis, vt si diceret priùs testator, lego centum Petro meo consanguineo,& postea legaret mille distribuenda inter suos cõsanguineos:tunc enim nihil posset illi consanguineo, scilicet Petro amplius dari:ar quando generalis præcedit, & sequitur specialis,secus est, vt est casus specialis, *l.Titia, §.qui Marco.ff.de annuis legat.* & tenet Bart. post glossl.*quæsitum,§.finali.ff.de vsufruct. legat.* Et ratio est, quia quando generale præcedit,secundùm sui naturam, iam comprehendit omnia sub se contenta, & ideo speciale subsequens non est sic potens, vt possit derogare in his, quæ iam sunt comprehensa: sed quando speciale præcedit,& sequitur generale,tunc appositio primi specialis impedit omnia comprehendere.Sic Albericus,& Petrus *dict. §.qui Marco*,quos refert,& sequitur Greg. Lopez *ibidem:* vt,lego cappam fratribus,& Priori Bibliam, Prior vtrumque consequitur. Idem Menoch,*de præsumpt.lib.*4.*præsumpt.*128.*n.*10.11.12.

4 Aduerte tamen, quòd hæc distinctio procedit, quando legatum generale comprehenderet omnes personas: secus quando non, tunc enim idem dicendum est, siue dispositio generalis præcedat, siue non, non enim poterit illi legatario particulari amplius dari, quia cessat ratio adducta. Vnde in eo casu illius *l.*3.*tit.*10.*part.*6.non refert quòd dispositio generalis præcedat, siue sequatur, quia legatum generale non debebatur omnibus pauperibus; sed sufficiebat inter certos distribui per exequutorem. Sic Gregor.Lopez *ibi*, per quod reprobat Archid. quem *ibi* refert dicentem, quòd si testator iussit centum distribui inter pauperes ciuitatis Bononiæ, & certis pauperibus ipsius ciuitatis reliquit cuilibet decem, possunt illi ex centum habere aliquid. Sed minùs benè(ait Greg. Lopez) quia eo casu non debebatur legatum omnibus Bononiæ pauperibus, sed sat erat inter certos distribui. Et sic ipsum Archid. reprobat etiam Ioannes Andreas, per Gregorium Lopez citatus.

## DVBIVM LVIII.

*An exequutor testamenti,vel alius,cui committitur,aliquam summam inter pauperes distribuere,possit, si verè pauper sit,partem aliquam sibi applicare.*

DVplex est sententia.

1 Prima negat. Probatur ex *l.si mandauero, §. si tibi centum.ff.mandati*, vbi sic dicitur: si mandauero tibi, vt des centum aureos, cui volueris,& consumpseris, es reus mandati. Secundò, quia si patronus velit se præsentare ad beneficium,non potest, *cap. per nostras,de iure patronat.* & redditur ibi ratio, quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio.Tertiò,quia si alicui iniungeretur pro pœnitentia, vt daret pauperibus sex aureos, non satisfaceret dando sibi,si pauper est. Sic tenent Paulus de Castro *l.si is,cui,C.de furtis,n.* 2. Iacobus Aretinus, quem refert,ac sequitur Anchar.*cap.fin.de testament.in* 6. *num.*13.Cardin.Clement.1.*de testam.quæst.*22. & *ibi* Immola *num* 19.Paulus *ibi*,Abbas *cap.fin.num.*4.*de inst.*Rosel.*restitutio* 15.*num.*8.Sylvest *testamentum,*2.*q.*2.*dicto* 5. *& verbo eleemosyna,quæst.*2.*fine*, vbi Angel. *num.* 3. Bald. Albert. Saliz. Fulgosius, Raphaël *dicto §. si tibi centum*, Peralta *l.vnum ex familia.§.rogo.ff.de legat.*2.*a n.*4. *vsque ad* 8. vbi multos refert,&alios dicentes, quòd nec potest dari filio suo,quia filius reputatur vna persona cum patre.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Quod idem sequitur ipse Peralta, quando filius est sub patris potestate: & alios etiam refert, dicentes quòd nec consanguineis suis. Immo Ioan. Andr. quem refert, & sequi videtur Greg. Lopez *l. 3. tit. 10. part. 6. vers. tuviere*, ait non posse dare alicui maximè sibi coniuncto. Hanc etiam sententiam, quod nequit sibi, tenent Sarmiento *lib. 8. select. §. super l. cum quidam, n. 22. ff. de legat. 2.* fatetur tamen *num. 21.* posse amicis, & consanguineis; & Mantica *lib. 8. de coniect. vlt. volunt. tit. 5. n. 9. & 16.* fatetur posse suis consanguineis. Palac. Spino *infrà*.

2 Nota primò, quòd fatentur aliqui ex his Doctoribus, quòd si talis esset in extrema necessitate constitutus, posset sibi accipere, sicut potest furari. Sic Cardin. Immola, Paulus, Rosel. Peralta, Mantica *ibidem*. Sylvest. *testamentum, 2. q. 2. dicto 5.* Palacios Rubios *rubr. de donat. §. 65. n. 42.* Spino *speculo testam. gloss. 28. n. 28.* & videtur tenere Padilla *l. cum quidam, n. 22 ff. de legat. 2.* vbi dicit posse sibi capere, si maximè egens sit.

3 Secundò nota, quòd fatentur etiam, quòd Prior Religiosus, cui hæc distributio commissa est, potest suo monasterio, si pauper sit, aliquid applicare, quia iam saluatur distinctio personarum. Sic contra aliquos, quos *ibi* refert Peralta, Cardin. Immola, Paulus, Rosel. Anchar. *ibi*, Sylvest. *testam. 2. q. 2. dicto 5.*

4 Tertiò nota, quòd si plures sint deputati exequutores, fatentur hi Doctores, quòd possunt vni ex ipsismet partem eleemosynæ illius dare, si pauper sit, quia iam saluatur distinctio personarum. Sic Cardin. Immola, Paulus, Rosel. Sylvest. *ibid.* Gregor. Lopez *dicta l. 3. vers. tuviere.* Panorm. *cap. cum in iure de elect.* Matienzo *lib. 5. recopilat. tit. 4 l. 14. gloss. 1. n. 11.* Paris. *consil. 26. n. 22. volum. 4.* Sarm. *eo num. 22.*

5 Secunda tamen sententia probabilior ait posse talem distributorem sibi, si pauper sit, sicut & aliis pauperibus distribuere. Ratio, quia non debet esse peioris conditionis, ex eo quòd sit distributor: sed si non esset distributor, posset sibi aliquid applicari: ergo. Secundò, quia magis est de ratione iustitiæ, quòd sit ad alterum, quàm de misericordiæ ratione: at restitutio incertorum facienda pauperibus, potest per ipsummet, si verè pauper sit, sibi applicari, secundùm communem sententiam; ergo & eleemosyna. Item quia hìc saluatur distinctio personarum: hanc enim eleemosynam non censetur facere ipse distributor, sed is, qui cõmisit, iuxta *l. vnum ex familia. ff. de legat. 2. §. si de falcidia.* Item quia ad beneficium simplex, quod non est dignitas, est satis probabile posse patronum se præsentare, vt dixi *lib. 6. sum. cap. 11. num. 54.* & si id prohibetur ad alia beneficia, est ad vitandam ambitionem. Nec obstat lex in contrarium adducta, quia intelligitur formaliter, scilicet si non applicasset sibi, vt verò alteri pauperi, sed absolutè consumpsit, vt bene explicat Caiet. vt *infrà*. Nec obstat argumentum de eleemosyna, data in pœnitentiam, quia cùm detur ac opus pœnale, & tale non sit, sibi applicare id non potest. Hanc tenent Marianus Sozinus dicens communem modernorum, vt refert Peralta *supra n. 8.* Anton. Gomez *in bulla, clausi. 8. n. 7.* D. Thom. *2. 2. q. 32. art. 9. ad 3.* & *ibi* Caiet. & *ibi* Aragon *circa solutionem ad 3.* Arm. *verbo eleemosyna, n. 9.* & *ibi* Tabiena *q. 13.* Ledesm. *2. 4. q. 15. art. 7. fol. 130. pag. 4.* Angles *floribus, 1. p. mat. de eleemosyna fol. 476.* Segura *directorio iudic. 2. p. cap. 11. n. 14.* Nau. *propugnaculo apolog. ad lib. de reddit. monito 13. n. 12.* & tenet Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 125. n. 18. 19.* quando paupertas superuenit exequutori, vel si aderat tempore testamenti, erat ignota testatori. Hanc tenent etiam docti recentiores. Et hanc sententiam latiùs probaui *lib. 6. sum. c. 11. n. 54.*

## DVBIVM LIX.

*Quinam comprehendatur nomine pauperum, quando testator iubet exequutori, vt distribuat aliquam summam inter pauperes.*

1 PRima conclusio. Non tantùm intelliguntur indigentes ad naturæ sustentationem, sed etiam qui secundùm suum statum indigentes sunt. Ratio, quia hi verè sunt pauperes, & magis pium est his subuenire. Hæc est contra Angel. *verbo ornatus, n. 6.* & *ibi* Rosellam *n. 19.* sed nostram conclusionem tenent Caiet. *2. 2. q. 43. art. 8. vers. in eadem parte*, & *ibi* Bañes, Sylvest. *verbo, ornatus, q. 8* Nauar. *in omnibus summis cap. 17. n. 93.* Spino *speculo testam. gloss. 28. n. 27.* Nauar. *lib. 4. de restitut. cap. 2. n. 50. fol. 456.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui, cap. 136. fine.* Mantica *lib. 8. de coniect. vlt. volunt. tit. 5. n. 3* Tiraquel. *de nobilit. cap. 20. n. 148.* Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat. inter. 3. §. 12. n. 7.* Bald. *l. si quis ad declinandam, in principio, n. 5. de Episcop. & Cler.* Perez *lib. 3. ordinam. tit. 1. l. 1. fol. 163.*

2 Hinc fit quòd si sint aliquæ fœminæ matrimonio collocandæ habentes partem doris, non tamen sufficientem secundùm suum statum, potest ex tali legato distributor applicare illis, quia verè pauperes sunt. Sic Spino, Palacios Rubios, Baldus, & Perez *ibi*. Et an possit dari pauperibus nobilibus, vel viuentibus ex suo labore, vide *ibi* Manticam *n. 3 & 22.*

3 Secunda conclusio. Non potest tale legatum dari ei, qui ad tempus tantùm indigens est. Ratio, quia cùm necessitas illa non sit simpliciter, nequit dici pauper, spes enim illa proximè habendi, diuitem eum simpliciter facit, licèt pro tempore indigeat. Sic Nauarra *ibidem n. 54. fol. 457.*

4 An verò talia legata possint dari fabricæ Ecclesiæ pauperis. Multi negant; quia viderur animus testatoris, vt personis pauperibus dentur. Sic Perusinus *tract. de canonica portione Episcopi, q. 7.* Nauar. *in omnibus summis c. 17. n. 93.* Ludou. Lopez *1. p. instruct. noui. cap. 136. fine*, Sylvest. *restitutio 8. q. 7.* Angel. *restitutio 2. n. 20.* limitant Sylvest. & Ang. nisi redundaret hoc in maius bonum pauperum, vt quia ex tali fabrica redundant maiores eleemosynæ pauperum. Addit Sylvest. vel habitantes sint pauperes, quos oportebat suum victum expendere in illud ædificium; quia in vtroque casu est dare pauperibus.

5 Cæterùm licèt hoc probabilius, & tutius sit, at satis probabile est posse expendi in tali fabrica, quando est necessaria, & reuera Ecclesia est pauper. Pro hac sententia est Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 6 gloss. 7. num. 2.* vbi dicit, quòd in legatis nomine pauperum intelligitur Ecclesia: & refert Ioannem Andr. *cap. finali, de testam. n. 6. per l. omnes, qui, in princip. C. de Episc. & Cler.* vbi Bald. *n. 7.* dicit nomine pauperum contineri Ecclesiam: & idem Baldus *l. si quis ad declinandam, in princip n. 10. C. eodem tit.* dicit, quòd legatum relictum pauperibus potest dari fabricæ Ecclesiæ pauperis, quia comprehenditur sub pauperibus, & *l. id. quod pauperibus, C. eodem tit. n. 34* dicit, quòd quando legatum est ad pium vsum, est certum posse elari pauperibus: quando verò testator dicit, vt detur pauperibus, est verius, quòd potest dari fabricæ Ecclesiæ pauperis, quia nomine pauperum intelligitur pius vsus; & Perez *lib. 5. ordin. tit. 2. l. 1. vers. succedit præterea, fol. 81.* referens Ioannem Andr. Dominicum, & Crotum dicit, quòd legatum relictum pauperibus potest dari Ecclesiæ, quæ indiget reparatione. Et Rosel. *restitut. 15. num. 3.* dicit posse dari, quando Ecclesia est pauper, & reparatio est necessaria, & non ingruit magna fames. Item, quia *cap. cùm tu, de vsuris*, dicitur acquisita iniustè, quando non comparet dominus, esse pauperibus danda: & tamen omnes fatentur posse etiam expendi in alios pios vsus.

## DVBIVM LX.

*An quando testator legat aliquid pauperibus absolutè possit distributor dare quibuscumque.*

1 SIt prima conclusio; legata pauperibus absolutè necessariò debent distribui inter pauperes illius ciuitatis, vbi conditum est testamentum. Patet ex *l. si quis ad declinandam, C. de Episc. & Cler. & l. 20. tit. 3. part. 6.* & *ibi* Greg. Lopez *vers. de aquel lugar*, Couar. *cap. cùm tibi, de testam. n. 14.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 4. l. 14 gloss. 1. n. 10.*

2 Hæc



2 Hæc conclusio limitanda est, vt intelligatur, si testamentum sit conditum in loco domicilij testantis, alioquin pauperibus domicilij testantis est dandum legatum. Sic Couar. Greg. Lopez *ibi*. Et probatur, nam legatum relictum à testatore, vt inter pauperes distribuatur, intelligitur inter pauperes domicilij ipsius, vt benè Felin. *cap. sin. de foro compet. n. 23. vers. notant.* Albericus, & Immola *c. indicante, de testam.* gloss. *c. si pater, eodem tit. in 6. vers. pauperes*; & *ibi* Francus *n. 64.* & *ibi* Acosta *1. p. verbo pauperes. n. 11.* Couar. & Greg. Lopez *suprà*. Speculator *tit. de instrum. editio. §. nunc verò aliqua, vers. sed quid si testator.* & *ibi* Io. Andr. in additione incipienti, *Constat quòd tenet institutio* Platea *l. 2. C. de annonis ciuilibus, lib. 10.* & *ibi* Bartol. *n. 2.* Titaq. *tract. de priuileg. piæ causæ, priuileg. 56.* Anton. Gomez *l. 32. Taur. n. 4. & l. 31. Taur. n. 4.* Matienzo *dict. n. 10.* Immola, & Decius, quos refert, & sequitur Padilla *l. cum quidam, n. 4. ff. de legat. 2.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 8. tit. 5. n. 2.*

3 Hoc tamen intellige, nisi ex coniecturis aliud appareat, vt si iussit testator distributionem fieri in die sepulturæ, & ipse decedat extra locum domicilij in loco, vbi non potest ita asportari in locum habitationis. Sic Alber. & Gregor. Lopez *ibi*. Item nisi in priori domicilio maiorem partem fortunarum habuerit, ibique diutiùs vixerit, & postea mutauit domicilium, vbi breui decessit. Mantica *ibi*.

4 Secundò limita, nisi testator commisit exequutori testamentario electionem pauperum; tunc enim non tenetur eligere pauperes domicilij testantis, sed potest vndecunque sint, eligere. Sic Gregor. Lopez *ibidem*. Francus *dicto cap. si pater, n. 64.* Ioan. Andr. Dominicus Lapus *ibi*. Anchar. *cap. sin. de testam. in 6. n. 12.* Capella Tolosana *128.* Collectarius *cap. Ioannes, de testamem. n. 10.* Mantica *n. 2.* Et probatur, quia licèt Episcopus, cui iure deuoluto competit dignitatis Ecclesiæ collatio, teneatur eligere clericum eiusdem Ecclesiæ, *cap. ne pro defectu, de elect.* at compromissarius ad eligendum, liberè potest eligere clericum, etiam externum, *cap. si compromissarius, de elect. in 6.* & sic tenendum est, licèt Couar. *eo n. 14.* & Matienzo *eo n. 10*, dicant huic opinioni stándum temerè non esse; cùm in hac pauperum electione ipsius testatoris mens refragari videatur, & iura ciuilia pauperibus domicilij testantis patrocinentur.

5 Secunda conclusio. In hac distributione facienda inter pauperes domicilij testatoris, præferendi sunt pauperes, qui consanguinei testatoris sunt; quia hoc videtur magis elegisse testatorem. Sic Parisius, quem refert, ac sequitur Padilla *l. cum quidam, n. 8. ff. de legat. 2.* Mantica *suprà num. 17.*

6 Nota quòd idem est legare pro anima, quod legare pauperibus. Sic Bald. Paulus de Castro, Socinus, & plures alij, quos refert, & sequitur Peralta *l. 1. ff. de legat. 2. n. 24.* Si tamen dicit testator; lego talem rem Deo, vel Christo, debetur Ecclesiæ parochiali. Sic Bald. *practica tit. de vlt. volunt. q. 12. n. 2.* Padilla *l. cum quidam, n. 9. ff. de legat. 2.*

7 Tertia conclusio. Is, cui pauperum electio commissa est à testatore, nequit vnum solum pauperem eligere, sed tenetur inter plures diuidere. Sic contra aliquos, quos refert Alex. *vbi infrà*, & contra Paulum à Castro *l. cum quidam, num. 4. ff. de legat. 2.* & *l. vnum ex familia, §. sed si vno, ff. eod. tit.* & contra Ant. Gomez *l. 40. Taur. n. 48. fine*, (quod reliquit sub dubio Tiraquel. *l. si vnquam, vers. susceperit, n. 186.*) tenet Bart. *l. 1. ff. de optione legat.* per illum textum, Alex. Iason, quos quos refert, ac sequitur Padilla *d. l. cum quidam, n. 10.* Azebedo *lib. 5. recop. tit. 6. l. 3. n. 19.* Greg. Lopez *l. 3. tit. 10. p. 6. vers. tuviere.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 8 tit. 5. n. 18.* Bald. *l. 1. C. de sacros. Eccles. n. 31.* vbi Celsus, Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 14 gloss. 1. n. 13.* Quòd possit vni, tenet Sarmiento, vbi citatur *§. sequenti*, nisi quantitas legati pro maritandis plurium dotibus sufficiat.

8 An verò si testator iussit dari vni pauperi certam summam non signando pauperem, possit ea in duos pauperes diuidi. Videtur, quòd sic, per *l. vnum ex familia, §. sed etsi fundum. ff. de legat. 2.* vbi dicitur, quòd si habeo facultatem à testatore eligendi vnum ex familia, possum eligere duos: per quem textum dicit *ibi* Bart. quòd iussus restituere vnam rem vni ex certis, potest ex illis eligere plures: & sequuntur *ibi* moderni, teste Segura *ibi n. 156.* vbi idem tenet, & Padilla *ibi vers. duos de familia, n. 4.* & *ibi* Paulus de Castro *vers. duos.* Cumanus, Bald. Peralta *ibi, §. sed etsi fundum, n. 5.* Anton. Gomez *l. 40. Taur. n. 48.* dicens communem: & per hoc dicit *ibi*, quòd commissarius ad faciendum testamentum cum potestate meliorandi vnum ex filiis, vel descendentibus testatoris, potest duos. Et in propriis terminis loquendo de exequutore, cui iussum est à testatore dare vni pauperi, non signando, quòd possit dare duobus, tenet Baldus, quem refert, ac sequitur Paulus de Castro *d. l. cum quidam, n. 4.* & *dict. l. vnum ex familia, § si duos*, dicit cum Bart. *ibidem*, quòd iussus dare hospitali, vel construere vnum hospitale, potest duo construere, si bona sufficiunt: vnde, dum dicit *vni*, mens testatoris est, quòd saltem vni. Quare sic tenendum est, nisi oppositum colligatur ex mente testatoris. Idem Sarmiento *lib. 8. select. super dictam l. cum quidam, num. 12.* & reddit rationem Sarmiento, quia, qui electionem commisit, videtur & in numero personarum etiam concessisse arbitrium: additque quòd si expressè iubeat dari duobus, vel tribus, non potest vni.

9 Quarta conclusio. Quando testator iussit distribui inter viginti virgines maritandas aliquam summam, & non reperiuntur tot, nisi decem, in eas potest fieri distributio. Sic Bald. & Angel. quos refert, & sequitur Padilla *d. l. vnum ex familia, § si duos de familia, num. 6.* addit tamen debere priùs expectari aliquod temporis spatium, vt plenum præcepto defuncti obsequium exhibeatur.

10 An verò exequutor, cui commissa est distributio inter pauperes, teneatur eligere digniorem, & sic pauperiorem. Aliqui affirmant. Sic Adrian. IV. mat. *de restit. q. de collat. benefic.* quæ incipit, *quia iam determinatum est de fructuum, in solut. ad confirmat. 4. vers. de distributione, f. 139. in paruis.* Idem dicunt alij, quando committitur electio per verba importantia arbitrium rationi subiectum; secus quando per verba importantia liberam voluntatem; quia priori casu verisimile est, eum, qui electionem illis verbis concessit, sic optasse. Sic Molina *lib. 2. de primog. cap. 5. n. 69.* Dynus *l. cùm quidam. ff. de legat. 2.* Parisius, quem refert Matienzo *vbi infrà*.

11 Quinta tamen conclusio. Non tenetur eligere digniorem, siue pauperiorem; sed satis est, si eligat dignum, id est, verè pauperem, quia nulla lex constringit talem executorem, vt quærat meliores, & pauperiores, nec hæc sunt velut præmia meritorum, vt hìc contingere possit acceptio personarum. Sic Nauarra *lib. 4. de restit. cap. 2. n. 60. fol. 459.* Paulus à Castro *l. vnum ex familia, §. itaque, n. 2. ff. de legat. 2.* & *l. cùm quidam, n. 6. ff. eod. tit.* & *ibi* Bart. & *d. l. vnum ex familia, 8. si de falcidia, n. 4.* Padilla *dict. l. cùm quidam, n. 21.* Matienzo *lib. 5. recop. tit. 4. l. 14 gloss. 1. n. 12.* Greg. Lopez *l. 3. vers. tuviere, tit. 10 part. 6.* Bald. *l. id, quod pauperibus, n. 35. C. de Episc. & Cleric.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib 8 tit. 5. n. 6.* Anchar. *cap. finali, de testam. in 6. n. 13.* Peralta *dict. l. cùm quidam, n. 18. & d. l. vnum ex familia § si de falcidia, n. 12.* Cord. *summa, q. 72. fine.* Ludou. Lopez *1. part. instruct. noui, c. 136 fol. 311. §. at hæsitare.*

12 Aduerte, quòd benè dicit Nauarr. *eo n. 60.* quòd si aliquis pauper esset in graui, vel extrema necessitate, tunc teneretur distributor de illis bonis ei dare, sicut teneretur de suis. Hæc Nauarra; sed intellige hoc, vt ipse clarè innuit, non ex vi testamenti, & sic legis iustitiæ; quia huic satisfacit dando vero pauperi, sed ex charitatis lege, qua tenetur grauiter indigenti succurrere, si possit: vnde violatio huius non inducit restituendi obligationem.

13 Secundò nota, quòd Manuel *1. tomo summæ, cap. 98. fine.* Cord. *summa, q. 73.* & Ludou. Lopez *1. p. instruct. con-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*scien.noui, cap.136.§. at hæsitare, fol.311.* allegantes sic respondisse D.Metinam, dicunt, quòd si testator iussit certam quantitatem dari paupertioribus fœminis locandis matrimonio, & constituit assignato salario patronos iuratos se daturos paupertioribus, & non admissuros precibus, vel subornationibus aliquam, si tales patroni admittant pauperes relictis paupertioribus precibus inducti, peccant contra iuramentum: at non tenentur restituere, secus si admittant eas, quæ verè pauperes non sunt. Sed nescio cui innitantur fundamento: nam hi patroni non tantùm peccant contra iuramentum, sed etiam contra voluntatem expressam testatoris, quam ita strictè voluit obseruari, vt iure iurando adstrinxerit patronos; ergo tenentur restituere: sicut si peteret testator, vt darent virginibus, & patroni darent coniugatis; fateor tamen cum Corduba, quòd si verè pauperiores eligerent etiam precibus inducti, non essent periuri; quia mens testatoris est, ne malè eligerent, scilicet minus pauperes precibus inducti. Benè etiam dicit *ibi* Corduba, quòd si patroni non eligant verè pauperes, tenentur restituere salarium eidem operi pio, id est, illi quantitati à testatore relictæ ad illas pauperes matrimonio collocandas.

14 Tertiò nota, quòd hæc maior paupertas non absolutè pensanda est, sed iuxta numerum personarum, quas tenetur quis alere, & expensarum. Vnde si in vno hospitali non reguntur nisi duo infirmi, & habet in bonis centum: in alio verò reguntur quinquaginta infirmi, & habet in bonis duo millia, hoc est pauperius, quia attentis expensis, quas tenetur facere, est pauperius. Sic Bald. *l.si quis ad declinandas, in principio, n.5 C.de Epis.& Cler.*

15 Sexta conclusio. Exequutor, cui pauperum electio commissa est, potest pauperem eligere hac lege, vt post decem annos, vel aliud tempus, vel post vitam det illam summam sibi distributam alij pauperi, licèt enim non possit ponere grauamen in extraneum, scilicet, vt det non pauperi: at benè potest in ineluctum sub ipso exequutoris officio, scilicet in alium pauperem. Ratio, quia sicut exequutores possunt facere particularem distributionem in re, ita etiam in tempore. Sic Paulus à Castro *l.cùm quidam, n.4 ff.de legat.2.* Bart. *l.vnum ex familia, ff.eodem tit. §.sed etsi fundum, n.2.* & *ibi* Bald. Peralta *ibi n.18.* Segura *ibi n.158.* dicens omnes hoc *ibi* tenere, licèt Sarmiento *lib.8. select. super l.vnum ex familia, §.si de falcidia, n.12.* oppositum teneat.

16 An verò possint executores legatum pauperibus factum dare pauperibus inimicis testatoris; quidam distinguunt, si sunt odiosi, & indigni, vt quia concubuerunt cum sorore, vxore, vel matre testantis, non possunt: si verò erant odiosi, & non indigni, si testator decessit contritus, & confessus, potest; quia censetur odium remisisse. Sic Iacobus Butricanus, quem refert, ac sequitur Anchar. *cap.finali, de testam, in 6.n.13.fine.* Baldus *l.id, quod pauperibus, num.35. C.de Episcop.& Cler.* alij verò dicunt, quòd si data est commissio per verba importantia arbitrium, non potest; si verò per verba importantia liberam voluntatem, potest: & hoc quando inimicitia orta est post testamentum; adhuc non potest: sed quando antè. Sic Paulus à Castro *l.cùm quidam, n.4 ff.de legat.2.* & idē tenet *l.vnum ex familia, §.si de falcidia, n.2. ff.eodem tit.* dicit, quòd exequutor, cui data est potestas eligendi pauperes, nequit eligere inimicum testatoris.

17 At meliùs Molina *lib.2.de primog.cap.5. num.13.* dicit, quòd licèt aliàs is, cui commissa est electio, nequeat eligere inimicum committentis; at in legato pauperibus relicto forsan dicendum est, quòd dare potest inimicis testatoris pauperibus, licèt non probaretur decessisse contritum, cùm id præsumatur; vel quoad eleemosynam non sit considerandum, an pauperes testantis inimici fuerint, cùm in eleemosyna sola pietatis ratio considerari possit.

18 Septima conclusio. Quando testator iussit solui omnibus probantibus se debere, adhiberi debet ea probatio, quæ suffecisset cum defuncto. Sic Baldus *d.l.id, quod pauperibus, num.24.*

## DVBIVM LXI.

*An si is, cui pauperum electio commissa est, malè distribuat, possit ab eo appellari: & similiter quando testator dicit, sentio meâ conscientiam grauatâ aliquibus debitis, de quibus tamen habeo dubium, volo, vt stetur sententia P.N.*

1 PRimò dico, si testator tantùm dicat, dubius sum de aliquibus contractibus, quos iniui, an iusti sint, vel an aliqua debeam, iudicet hoc Petrus: tunc si malè arbitretur, potest ab eo appellari, quia in hoc casu nihil aliud fecit testator, quàm eum simplicem iudicem constituere, à quo est appellatio. Sic colligitur ex multis Doctoribus dicentibus, quòd quando testator commisit distributionem faciendam inter pauperes secundùm conscientiam hæredis, si is malè distribuat, potest per superiorem emendari. gloss. *Clement.1.vers.oneramus, de iure patr.* Dominicus *cap.statutum.§.assessorem, de rescrip.in 6.n.5.* Corneus, & alij, quos refert, ac sequitur Padilla *l.cùm quidam, ff. de legat.2.n.11.* & Greg. Lopez *l.3.vers.tuviere, tit.10 part.6.* dicit, quòd si exequutor testamenti malè arbitretur, potest recurri ad iudicem: & Peralta *l.1.ff.de legat.2.num.35.* vbi dicit cum gloss. notabili *cap.super his, vers.adstringendus, de accusat.* & cum multis aliis, quos *ibi* refert, quòd habens arbitrium, vt bonus vir, si malè arbitretur, potest ab eo appellari. Item quia verbum, *iudicet*, arbitrium boni viri exigit.

2 Nota ex Peralta *ibi n.35.* cum aliis multis, quos *ibi* refert, quòd licèt in aliis sit differentia inter voluntatem, & arbitrium; at in eo, cui munus iudicandi incumbit, voluntas non differt ab arbitrio. Quod limitat *num.39.* cum Felino, nisi expressè committeretur voluntati liberæ, vel liberæ facultati: & *n.34.* dicit cum Antonio *cap.1. de constitut.* quòd verba, quæ designant liberam voluntatem, restringuntur, ne tertio damnum inferatur: & *n.40.* concludit cum Baldo, Cyno, Matthæo de Afflictis, & Decio, quòd vbi tractatur de damno vitando, omne verbum, etiam quod sui natura inducit liberam voluntatem, reduci debet ad arbitrium boni viri.

3 Secundò dico, quòd si testator iubet, vt stetur sententiæ Patris N. tunc hæres testamentarius tenetur stare illius sententiæ: & similiter hæres legitimus, si comprehendatur in ea parte, quæ non est legitima, v.g. remanente filij, aut descendentes, & illud in quintum cadit; aut si tantùm ascendentes remanent, & cadit in tertium, quia in hac parte sunt hæredes voluntarij, & potuit testator quodcumque grauamen apponere: & hoc intelligitur, nisi manifestè erraret ille tertius, cuius sententiæ iussit stare testator; tunc enim etiam hæres extraneus posset appellare. Si verò sint hæredes legitimi, & illud non comprehendatur in ea parte, quam potuit testator legare extraneo, poterunt appellare à sententia illius nominati per testatorem, ac si nihil dixisset testator, quia in hac parte nullum potuit grauamen imponere. Hæc mihi respondit quidam Iurisperitus admodum doctus.

4 An verò si quando dixit testator, vt consilio duorum darentur, vel restituerentur talibus pauperibus incerta, si non fiat, satisfiat; dicam *infrà*, vbi de legatis *cap.2.dub.18.*

## DVBIVM LXII.

*An quando testator iussit exequtori aliquid distribuere inter consanguineos pauperes ipsius testatoris, teneatur exequutor dare magis cōsanguinitate cōiunctis, quàm pauperioribus.*

1 SIt prima conclusio. Si data est electio hæredi, vel exequutori, non tenetur eligere magis propinquos, vel pauperiores; sed sat est consanguineos pauperes eligere. Patet ex *l.vnum ex familia. ff. de legat.2. §. si de falcidia. vers. Itaque*, vbi hoc expressè dicitur; & tenet *ibi* gloss. *vers.vni, & ibi* Bart. *n.4.* & *ibi* Peralta *n.12.* Bald. Dynus, Cumanus *ibi*, Paulus à Castro *ibi §.Itaque, n.2.* Ant. Gomez *l.40. Taur. n.41. & 48.* Cordu. *summa, q.72.* dicens idem sensisse D. Peralta, D. Enriquez D. Nuñes, de Auendaño, D. Leon. idem Ludou. Lopez *1.p.instruct.noui, cap.136. fol.310.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib 8. tit.12.n.15.* Gutier. *2. pract.q.67.n.3. fine*, Mieres *de maioratis, 1.p. q.72.* Vnde dicit cum Gutier. posse fieri hanc electionem absque citatione aliorum consanguineorum.

2 Secunda conclusio. Si non esset data electio, sed simpliciter relinqueretur legatum consanguineis, vel familiæ, tunc necessariò coniunctiores sanguine testatori essent præferendi, censeretur enim velle admitti eo ordine, quo ad successionem ab intestato veniunt consanguinei, in qua magis coniuncti præferuntur. Sic glossa, Bald. Cumanus, Dynus, Paulus de Castro, Peralta, Cordub. Ludou. Lopez, Anton. Gomez *n.41.* citati, Spino *speculo testam glossa 6.num.16.* Mantica *ibi* Rojas *epit. succes. cap.32.n.11.12.13.*

3 Vnde fit hæc doctrina. Si est data hæredi, vel exequtori, tunc non tenetur pauperiores, vel magis consanguineos eligere, sed sat est pauperes consanguineos: secus si non esset data electio hæredi, vel exequtori, sed simpliciter per testatorem relinqueretur aliquid in illam causam, tunc enim tenetur eligere magis consanguineos, & pauperiores. Sic Bald Dynus, Cumanus, Paulus à Castro, Peralta, Mantica *ibidem*, licèt minus benè Cordub. *illa q.72. initio*, dicat inter duas consanguineas pauperes posse eligi minus pauperem in æquali gradu consanguinitatis coniunctam.

4 Hinc infertur primò, quòd si testator iubeat distribuere aliquid exequtori in pauperes clericos, sat est eligere clericos primæ tonsuræ, licèt alij sint Sacerdotes, & alij pauperiores; secus si non esset data electio, sed simpliciter per testatorem relinqueretur aliquid Clericis, tunc enim priores in gradu admittendi essent. Sic Bald. Dynus, Cumanus, Paulus à Castro, Peralta *ibidem.*

5 Hinc secundò infertur, quòd magna est differentia, an testator relinquat legatum dirigendo relictum in eligendos, vt relinquendo pauperibus clericis de familia, vel eos alicui vulgariter substituendo: an verò per modum medij relinquat illud, scilicet committendo alteri electionem inter illos, vt quòd hæres, vel exequutor eligat aliquos ex eis, vel vt inter eos aliquem, vel aliquos nominet, vel vt eis relinquat, vel inter eos relinquat: nam in primo casu attenditur inter eos proximitas, in secundo verò non. Sic Peralta *eo n.12.* & colligitur ex reliquis Doctoribus citatis.

6 Nota, quod Cordub. & Ludou. Lopez *ibidem* dicunt, quòd licèt hoc regulariter sit verum, quòd quando non datur electio, sed absolutè relinquitur aliquid matritandis consanguineis, præferenda est coniunctior, at aliquando potest præferri minus propinqua æquè pauper, nempè si vna sit in quarto gradu, alia in quinto, & hæc cum spe huius legati contraxisset sponsalia, quo si defraudaretur, innupta maneret, cùm iam sit nacta tres & triginta annos, quæ pericula in propinquiori absunt; tunc enim in foro conscientiæ posset hæc remotior præferri; quia cùm ambæ sint in gradu remoto, parum maior affectio est testatoris erga vnam, quàm erga aliam, & loco huius parui excessus supplet necessitas secundæ: & hoc dicunt intelligi, quando sine fraude pactum matrimonij esset initum: & neque in hoc casu posset præferri multum coniunctiori.

7 Sed hæc sententia magis est pia, quàm vera; quia necessitas remotioris in gradu non potest tollere ius propinquioris acquisitum: & sic tenenda est doctrina posita ab aliis Doctoribus citatis.

8 Secundò nota, quòd Corduba *ibidem* addit, quòd si in casu discordiæ exequutorum electio commissa esset à testatore alicui, tunc ille posset inconsultis Iurisperitis eligere, quem maluerit, non habita ratione maioris, vel minoris propinquitatis, vel paupertatis, quia hoc videtur voluisse testatorem ad tollendas lites. Sed hoc minùs verum est, nisi testator dixisset, vt eligeret, quam mallet pro sua libera voluntate: secus si per verba importantia arbitrium, vt eligat hanc, vel illam, quam maluerit, provt sibi videbitur, & placuerit. Sic Lud. Lopez *ibi.*

9 Tertia conclusio. Nisi testator aliter se explicuerit, potest dos hæc etiam assignari propinquis ex suo genere descendentibus, si sint ex legitimo matrimonio natæ, licèt procedant ex tali stipite per parentes illegitimos. Sic Corduba, & Lud. Lopez *ibi.*

10 Quarta conclusio. Quando testator reliquit absolutè legatum pauperibus consanguineis, quo casu iuxta dicta necessariò præferenda magis consanguinea, magisque pauper; tunc si tantùm vni debet dari, & concurrant duæ fœminæ, quædam magis consanguinea, at minus pauper, alia verò minus consanguinea, & pauperior, præferenda est magis consanguinea, quotiescunque enim concurrunt duæ causæ, scilicet naturalis, & accidentalis, effectus in dubio naturali causæ applicatur tanquam causæ inseparabili, & ossibus infixæ: & sic illa præualet, *l.tutor, §.1.ff.de excusat.tutor.* & sic inspiciendum est potiùs quòd est naturale, quàm accidentale, vt optimè Bart. *l fin.ff.de offic.proconsi.num.1.* Peralta *vbi infrà*, Anchar. *cap. beneficium, de regul.iur.in 6.fine*, Iason *l.si quos posthumos in principio, notab.1.ff. de liber.& posthum.* Bald. *l.1.de curat.furios.* Immola *consil.35.* Et sic in præsenti proximitas sanguinis, vtpote naturalis causa, præferenda est maiori paupertati, quæ causa accidentalis est, vt patet ex *cap.requisisti, de testam.vers.si verò relinquatur*; vbi dicitur quòd Episcopo à propinquo censetur ratione sanguinis, & non ratione Ecclesiæ relictum: patet etiam ex *l.qui habet, ff. de tutel.* Sic in terminis in nostro casu tenent Corduba, & Ludou. Lopez *suprà*, Peralta *l. vnum ex familia, §. si de falcidia. n.13.* Spino *dicto n.16.*

## DVBIVM LXIII.

*Quinam comprehendantur orphanorum nomine, si quid legetur orphanis.*

1 QVidam censent solos eos comprehendi, qui vtroque parente orbati sunt. Sic Dictionarium Græcum *litera O, verbo orphanus*, Rebuffus *1.tom. constitut. Franciæ, tract. de sentent. prouisionali, art. 3. glossa finali, vers. secundò orphani*, Perez *lib.3. ordin.tit.1.lib.1. fol.463. vers. Item est notandum.* Idem videtur sentire expressè glossa *cap.in qualibet, vers. xenones 23.q.8* dicit orphanotrophium esse locum, in quo pueri parentibus orbati pascuntur. Idem videtur sentire vocabularium iuris *litera O, verbo orphanus*, vbi dicit, quòd orphanotrophus est orphanorum tutor, qui eos facultatibus, & parentibus, quasi destitutos suscipit alendos.

2 Alij dicunt orphanum esse orbatum matre. Sic Paulus à Castro *rubr.C.quando Imperator inter viduas, & pupillos.*

3 Sit tamen prima conclusio. Quoad effectum, vt in prima instantia possint agere litem coram Auditoribus Regijs, quod Hispanè dicitur, *ser caso de Corte*, orphanus dicitur, qui patre caret, & est minor viginti quinque annis; sic enim in Hispania practica receptum est. Sic Couar. *quæst. practicar. cap. 6.n.2.* Gregor. Lopez *l. 5. tit.3. vers. huerfanos, part.3. & tit.18 l.41. vers.a los huerfanos, ead.p.* 3. & dicit *ibi*, Greg. Lopez, & Couar. *eo num.2.* cum multis aliis, quos *ibi* refert, hoc procedere, licèt tales orphani diuites sint.

4 Secunda conclusio. Quoad legata, & reliquos effectus sat est, vt dicatur orphanus, qui patre orbatus sit; sat enim præsidio destitutus dicitur, qui patre caret. Sic colligitur ex Couar. *eo n.2. in principio*, vbi dicit orphanum eum significare, qui caret patre. Et eandem significationem huius vocis *orphanus*, ponunt Laurentius Valla *lib. 4. elegant. cap.33.* Calepinus, Thesaurus linguæ latinæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



Vocabularium Ecclesiasticum, *litera O, verbo orphanus*, & sic mihi dixerunt nonnulli docti Iurisperiti.

5 Tertia conclusio. Requiritur etiam, quòd sit intra ætatem pupillarem, vt dicatur orphanus, nempe vir intra decimumquartum, fœmina verò intra duodecimum annum. Sic tenent Paulus à Castro *proximè citatus*, Petrus, & Cynus, *l. orphanotrophos, C. de Episcop. & Clericis*, Dictionarium Græcum *proximè citatum*, Alber. *l. 1. C. quando Imperator inter pupillum, & viduam*, Platea *l. vniuersi, C. de fundo rei priu. lib. 11.* Et in hanc inclinat Gregor. Lopez *l. 41. tit. 18. part. 3. vers. a los huerfanos*, vbi dicit fortè hoc procedere quoad omnes alios, dempto eo, de quo dixi *in prima conclusione*, & idem docti Iurisperiti dixerunt.

6 Limita, nisi legatum relinqueretur orphanis maritandis, cùm enim maritari non possint intra pupillarem ætatem, tale legatum dari potest puellis patre orbatis in ea ætate constitutis, vt nubere valeant. Sic Iurisperiti præfati. Si verò careat sola matre, licèt minor sit, viginti quinque annis, non dicitur orphanus, quia orphanus est quasi præsidio destitutus, & dum patrem habet, licèt matre careat, non dicitur præsidio destitutus, cùm patrem habeat, cuius curæ subest, & sub cuius cura est: cùm autem solam matrem habet, dicitur præsidio destitutus; quia non est sub matris potestate, nec fœminæ prudentiam habent ad se gubernandum, nedum alios.

## DVBIVM LXIV.

*An executor testamentarius, cui electio pauperum commissa est, possit, electione facta, variare, alios eligendo.*

REspondetur, quòd licèt hæres fideicommissarius, vel is, cui factio testamenti committitur, variare non possit, cum distinctionibus signatis per Doctores, *l. 35. Taur.* vbi specialiter est videndus Castillo *n. 1. & 2.* vbi etiam tractat, an si conferatur aliquid Titio, cùm placuerit Petro, & Petrus semel consentit, an possit variare, & an hæres possit variare, videndus est etiam Ant. Gomez *l. 40. Taur. n. 50. & l. 25. & 30. tit 9. part. 6.* At exequutor testamentarius potest variare in electione pauperum. Sic Angel. *l sed si alio, §. si quis sub conditione, ff. ad Trebell.* Castillo *l. 35. Taur. num. 1.*

## DVBIVM LXV.

*An cum committitur per testatorem alicui, vt disponat de eius bonis, valeat commissio, & quid teneatur ille facere.*

1 SIt conclusio. Talis commissio valet, & commissarius ille censetur hæres institutus nomine tenus, tenetúrque omnia bona testatoris inter pauperes distribuere. Patet ex *cap. cùm tibi, de testam.* quem textum ita intelligunt Host. Ioann. Andr. Anton. Panor. Cardin. Anchar. Immola, & communis *ibi*, vt refert, ac sequitur Couar. *ibi n. 10.* Sylvest. *testamentum 2. q. 7. dicto 3.* Armil. *verbo exequutor, n. 13.* Tabien. *ibi, q. 13.* Angel. *ibi n. 18.* Spino *speculo testam. glossa 28. n. 28.* Azebedo *lib. 5. recopilat. tit. 4. l. 6. n. 26.* Matienzo *eadem l. 6. glossa 3. n. 1.* Anton. Gomez *l. 32. Taur. n. 1.* & *ibi* Auendaño *glossa 1. n. 11.* & *ibi* Tello *n. 1.* Bart. *l. 1. n. 64. C. de sacros. Eccles.* Alex. *l. captatorias, n. 6.* & *ibi* Corn. *n. 4.* Iason *n. 10. C. de testam. milit.* Immola *l. qui captatorias, n. 4 ff. de hæred. institut.* Parisius *cons. 38. n. 21. vol 3.* & est communis.

2 Nota primò, quòd hæc conclusio limitatur ab aliquibus, quando talis commissio fit per verba importantia arbitrium boni viri, at si fiat per verba importantia liberam voluntatem, est nulla, quia est voluntas captatoria. Sic Bart. Alexand. Iason, Corneus, Immola, Parisius *proximè citati*. Et hunc intellectum dicit communem Couar. *eo n. 10.* & Sylvest. & Angel. etiam explicant dictum *cap. cùm tibi*, quando per verba denotantia arbitrium boni viri commissio fit.

3 At verius est nullam esse differentiam, sed etiamsi fiat commissio per verba denotantia liberam voluntatem, valet commissio, & tenetur commissarius inter pauperes distribuere, iuxta decisionem *dicti cap. cùm tibi*, & sic tenet *ibi* Immola, & Cardin. *ibi n. 10.* Anton. Gomez *l. 32. Taur. n. 1.* Matienzo *dicta l. 6. glossa 3. n. 1.*

4 Secundò nota grauem esse difficultatem, an *d. cap. cùm tibi*, modificetur in hoc Regno per *l. 32. Taur.* quæ hodie est *l. 6. tit. 4. lib. 5. recopil.* nam Ant. Gomez *l. 32. Taur. num. 1.* dicit modificari in vno tantùm casu, scilicet quando sunt hæredes ab intestato testatoris, tunc enim commissarius, cùi committit testator dispositionem bonorum suorum, non potest in opera pia, nisi quintum expendere, nisi testator expresè commiserit, vt omnia sua bona inter pauperes distribuat. At Tello *eadem l. 32. n. 1. & 2.* dicit, quòd quando sciuit habere hæredes ab intestato, tunc potest commissarius, cui distributio commissa est, omnia in opera pia expendere, quia cùm testator sciuerit eos habere, nec eorum mentionem fecerit, visus est velle omnia sua bona inter pauperes distribui.

5 At dicendum est *dictum cap. cùm tibi*, in nullo modificari per *l. 32. Taur.* quia in diuerso casu loquuntur, nam *l. 32. Taur.* loquitur, quando committitur alicui factio testamenti, at *cap. cùm tibi*, quando non committitur factio testamenti, sed bonorum distributio. Sic, licèt dubius & alterius iudicio committens, Couar. *eo n. 10. vers. regia verò lex*, Auendaño *l. 32 Taur. glossi 1. n. 11.* Villalobos *in arario commun. opin. litera T, num. 80.* Azebedo *lib. 5. recopil. tit. 4. l. 6. n. num. 26.* & *ibi* Matienzo *glossi 3. num. 5.*

# CAPVT II.

*De legatis.*

## SVMMARIVM.

DVB. 1. *An possit Romanus Pontifex, & Princeps pro libito, & absque causa iusta commutare legata ad opera pia, vel vsum publicum in alia legata, vel ad id requiratur causa iusta.*

2. *An quando legata ad opera pia publica possunt in specifica forma impleri, possit Legatus de latere, vel Episcopus ea commutare.*

3. *An legatum ad certum vsum pium, quod impleri potest, possit ex facultate Episcopi conuerti in alium vsum pium meliorem.*

4. *An quando legatum non potest impleri de facto, vel de iure, sit in alium vsum commutandum, vel efficiatur caducum, & sic in illo succedat hæres.*

5. *An quando legatum non potest impleri, & sic in aliud est commutandum, per quem sit facienda talis commutatio.*

6. *An quando legatum non potest impleri, & sic in aliud commutandum est, necessarium sit, vt Episcopus commutet in similem causam piam, vel sufficit in quamcunque.*

7. *An sint alij casus, in quibus Episcopus potest alterare vltimas voluntates.*

8. *Quid faciendum sit, quando aliquid legatur Ecclesiæ sancti Petri, cùm plures vocentur hoc nomine.*

9. *An legatum relictum pro liberatione incarceratorum quolibet anno, possit expendi in impediendo, ne quis in carcerem detrudatur.*

10. *An quando quis legauit mille aureos post quatuor menses largiendos pauperibus, exequutor testamenti possit præuenire diem ab ipso testatore designatum ad vltimæ voluntatis exequutionem, quando id in nullius præiudicium vergit, & sic statim largiri.*

11. *An quando aliquis fecit legata plura, ita vt excederent facultatem hæreditatis, quadam pia, & quædam non pia, debeat fieri detractio pro rata, tam de legatis piis, quam de non piis, vel tantum de non piis, & pia debeant integrè solui.*

12. *An*



12. *An si quis legauit annuũ censum singulis annis pauperibus distribuendum iuxta beneplacitum suorum testamentariorum, possint ipsi testamentarij totam illam quantitatem simul, & semel alicui operi pio applicare.*

13. *An legatum factum orphano possit dari ei, qui patrem habet, inutilem tamen, scilicet amentem, vel ad triremes damnatum, vel perpetuo morbo laborantem.*

14. *An bona fabricæ, vel legatũ fabricæ relictum possit expendi pro ornamẽtis, vel aliis cultui diuino necessarijs.*

15. *An si debitor leget aliquid creditori, tale legatũ censeatur factum animo compensandi debitum, vel debeat creditor habere vtrumque, scilicet legatum, & debitũ.*

16. *Quando debeantur legata, & dum ea non soluuntur, ad quem pertineant fructus rei legatæ, si fructifera sit.*

17. *An si quidem legaret centum aureos, quos dicit se habere in tali loco, vel centum cados vini, vel olei, quos dicit talibus vasibus contineri, & postea inueniantur tantùm quinquaginta aurei, vel cadi olei, debeantur integrè centum, vel tantum quinquaginta.*

18. *An si testator iubeat in suo testamento centum aureos distribui inter pauperes arbitrio Petri, & Pauli eligendos, & hæres, vel testamentarius ex solius Petri cõsilio illos distribuat, teneatur iterũ restituere.*

19. *An legatum factum naturalibus alicuius oppidi, possit dari iis, qui ibi habitarunt decennio, licèt aliunde sint oriundi.*

20. *An si Petrus instituit hæredem, vel legauit aliquid Ioanni, sub hac conditione, seu fideicommisso, vt si ne liberis decedat, restituat hæreditatem, vel legatum tali monasterio, & Ioannes renunciauit huic iuri ob certam pecuniæ summam, quam ipsi contulit monasterium, possit hoc facere in præiudicium liberorum, qui postea nati sunt, & illos habens obiit.*

21. *An legatum pium ad dotandas orphanas consanguineas intra certum tempus, si intra illud tempus non possit impleri, quia nullæ reperiuntur consanguineæ nubiles, debeat conuerti in aliud opus pium, vel potius cedat hæredi.*

## DVBIVM I.

*An possit Romanus Pontifex, & Princeps pro libito absque causa iusta commutare legata ad opera pia, vel vsum publicum, in alia legata, vel ad id requiratur iusta causa.*

TRiplex est sententia.

1 Prima tenet posse liberè commutare talia legata. Ratio, si quis legasset Petro centum aureos hac lege, si Martinus vellet; posset liberè Martinus, & absque alia causa nolle, & sic legatum reuocare: sed omni legato ad vsum publicum, & causam piam inest hæc tacita condition, scilicet si Princeps, vel Pontifex aliter non disposuerit, ergo possunt hi liberè talia reuocare legata. Ita tenent Armil. *verb. legat. n. 55.* Tabien. *legat. 2. n. 12.* referens Perusinum, Angel. *legat. 2. n. 12.* Sylvest. *legat. 4. q. 12. & 13.* vbi & allegat Guilielmum: ad idem videtur Driedo *lib. 1. de libert. Christiana, cap. 4.* vbi sic inquit, *In omni donatione, quæ fit Ecclesiæ, sub onere certi officij Ecclesiastici, intelligitur excepta voluntas Pontificis.* Ad idem videtur Couar. *lib. 3. var. c. 6. n. 7. vers. non obstant*, vbi dicit testatorem, dum legat aliquid in bonũ commune, eius conditionis facere legatum, vt per Principem possit proprio arbitrio cõmutari. Idem tenet multos allegans Mandosius *de signatura gratiæ, verb. commutatio vltimæ voluntatis.*

2 Secunda sententia distinguit, & dicit, si loquamur de potestate Principis ordinaria, non potest Princeps absque iusta causa commutare: at de potestate absoluta potest. Sic Angel. *l. si testamentum, C. de testam.* Guido *in decisionibus, q. 556.* Rosel. *verb. legatus, n. 7.* Qua etiam distinctione vtuntur plures alij Iurisperiti, quos referunt Couar. *vbi suprà, n 8.* & Pinellus *vbi infrà, n. 24.* Alij verò Iurisperiti dicunt id posse Principem, cùm in commutatione vtitur his clausulis, *non obstante, ex certa scientia, & proprio motu, & de plenitudine potestatis*, quos refert Pinellus *vbi supra, num. 21.* & Couar. *num. 9.*

3 Tertia sententia docet non posse Principem, nec summum Pontificem absque causa commutare talia legata. Ratio, quia licèt talis dispositio testatoris censeatur Principi, vel Papæ commissa, at non committitur, vt domino, sed vt boni communis, & causarum piarum dispensatori: sed dispensator non potest ad libitum dispensare, sed ex causa rationabili, & voluntate iusta præsumpta domini, nempe testatoris. Item, quia de iure naturæ est, vt voluntas testatoris in specifica forma impleatur; ergo nequit Princeps dispensare, vt in aliam formam commutet absque causa iusta. Hanc tenet Pinellus *C. de rescind. vendit. 1. p. rubr. cap. 2. num. 19.* Burgos de Paz *num. 328. & 329.* Sarmiento *lib. 1. cap. 8. n. 21.* Molina *lib. 4. de primog. cap. 3. n. 10* Socinus iunior *consil. 65. n. 11. lib. 2.* Bart. *l. finali, C. si contra ius.* Huic sententiæ fauet Driedo *loco citato*, ibi enim paulò inferiùs hæc dicit: *potest Papa dispensare, vt à ministro Ecclesiæ recipiente temporalia licite prætermittatur, aut non seruetur tenor dispensationis testamentariæ, dum in dispensando vtiliter gerat animæ fundatoris, & Ecclesiæ Dei negotium.* Fauet etiam Couar. *dicto n. 7. vers. sic Iurisconsultus*, vbi expresè dicit licere summo Pontifici in hoc ex iusta causa dispensare.

4 Sit prima conclusio. Hæc tertia sententia est multò probabilior, vt patet ex eius rationibus.

5 Secunda conclusio. Distinctio illa, qua vtitur secunda sententia potestatis Principis ordinariæ, & absolutæ, meritò improbatur à viris doctissimis. Ratio, quia quod Princeps etiam derogando legibus humanis, facere valet iure naturali, diuino, & humano, ad potestatem ordinariam pertinet, iure siquidem concessa potestas ordinaria dicitur, quod autem facere nequit iure naturali, diuino, vel humano, id non ad potestatem Principis, sed ad Tyrannidem spectat: & ideo hanc distinctionem improbant alios authores referentes Couar. *3. var. cap. 6. num. 8.* Pinellus *de rescind. vendit. 1. p. rubr. cap. 2. n. 24. & 25.* Sarmiento *lib. 1. select. cap. 8. num. 20.*

6 Vltima conclusio. Quoad iustitiam, & honestatem, & Principis potestatem nil confert, quòd Princeps vtatur clausulis, *non obstante, & ex certa scientia, proprio motu, & de plenitudine potestatis*; quod enim sine illis clausulis iustè facere nequit, iisdem adiectis iniquum esse non desinet. Ratio, quia verba hæc rei veritatem non mutant, nec potestatem Principis augent: sed tamen inducunt maiorem significationem voluntatis Principis, aliósque effectus circa solemnia in rescriptis exprimenda. Sic Pinellus *ibidem*, plures referens *num. 20.* Couar. *vbi supra, num. 9.*

## DVBIVM II.

*An quando legata ad opera pia publica possunt in specifica forma impleri, possit Legatus de latere, vel Episcopus ea commutare.*

CIrca Legatum de latere duplex est sententia.

1 Prima dicit posse; quia *Clement. quia contingit, de religios. domibus*, dicit non posse commutari absque Apostolicæ Sedis authoritate: at hic Legatus fungitur Apostolica authoritate. Sic tenent aliqui, quos referunt authores citandi, & Lapus *dicta Clem. quia contingit*, de hoc dubitat.

2 Secunda sententia oppositum tenet.

Circa Episcopum verò triplex est sententia.

3 Prima tenet posse Episcopum ex causa iusta talem commutationem facere, immò quando est dubium, an causa sit iusta: & ad Clement. *quia contingit*, dicentem tantùm id fieri posse authoritate Sedis Apostolicæ, retantùm id fieri posse authoritate Sedis Apostolicæ, respondet hæc sententia, intelligi, quando sine causa iusta fieret talis commutatio. Sic Angel. *legatum 2. n. 12. & 14.* Rosel. *verbo legatus, n. 9.* Sylvest. *legatum 4. q. 12.* Armil.

*verbo*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*verbo legatum, num. 55.& 56.* Tabien. *legatum 2.n.12.& 14.*& referunt hi Doctores Perusinum pro hac sententia. Idem Cordub. *summa, quæst.* 170. modò non iustè contradicant hæredes, vel testamentarij:& idem dicit Cord. de exemptorum ordinum Prouincialibus, quia habent iurisdictionem Episcopalem, vel quasi: Emmanuel Sa *verbo legatum, n.*1. Menchaca *lib. 1. controuers. cap. 25.n.26.* Benedictus de Vbaldis *in indice Felini, verbo legatum, n.* 6 Iosephus Ludou. *lib. 10. communium, verbo legatum pium, limit.*2. Spino *speculo testam. gloss.28. num.26.*

4 Secunda sententia distinguit, quando exequutioni mandata est testatoris voluntas, nullo modo potest Episcopus legata commutare: at quando nondum exequutioni mandata est potest. Ratio, quia faciùs tolluntur facienda, quàm facta, & plura licent ante exequutionem actus, quæ post eam non permittentur, *l. patre furioso, ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. & cap. quemadmodum, de iureiur.* Sic Immola *l. 1. ff. de condit. instit.* Felin. *cap. superhis, de accusat. num. 1. vers. idem tenet*, Benedictus *cap. Raynutius, de testam. §. reliquit, n.*20. Ioann. Lupus *rubr. de donat. inter vir. & vxor. §.47. num. 10. fine*, Hippolytus *singulari* 194. Sarmien. *lib. 1. select. cap. 8. num. 24.*

5 Tertia sententia docet solum Romanum Pontificem posse legata pia commutare, siue antequam exequutioni mandentur, siue pòst, quando in specifica forma impleri possunt; quia expressè tam dicta Clementina *quia contingit*, quàm Concil. Trident. *sess. 7. cap. vltimo, & sess. 25. cap. 8.* seruari debet, hoc Sedi Apostolicæ reseruatur. Item quia *cap. tua de testam.* & in Trident. *sess. 22. cap. 8.* iniungitur Episcopis vltimas voluntates exequi, & compellere exequutores testamentarios ad seruandam defuncti voluntatem: ergo ante exequutionem ad Præsulis curam spectat obseruare testantium voluntates non mutare. Et *l. 1. & l. legatum ff. de adim. legat. rerum ad ciuit. pertin.* docetur hoc ad Principem spectare; & ratio est, quia voluntas testatoris ad certum vsum disponentis pro lege seruanda est, *cap. vltima voluntas 13. q. 2.* at solius Principis est in lege dispensare. Sic tenent Immola *dict. Clement. quia contingit, num.9.* Gutier. *l. nemo potest. ff. de legat. 1. n. 82.* Cardin. *ibi q. 5.* Qui duo, scilicet Immola, & Cardin. expressè etiam dicunt, non posse etiam in hoc Legatum à latere dispensare. Couar. *cap. tua. de testam. num. 7.* Pinellus *de rescind. vendit. 1. part. rubr. c. 2. n. 19.* Capella Tolosana *q. 26.* & *ibi* Stephanus Aufrerius; glossa *dict. Clement. quia contingit, vers. sed is*, Bald. *l. si quis ad declinandum. C. de Episc. & Cler. n. 9.* & refert Iacobum de Butrio, & dicit sic fuisse iudicatum, & consultum per vtriusque Iurisperitos, Immola *cap. nos, de testam. n.23.* vbi Ananias *n.7.* Bart. *l. legatum. ff. de vsufruct. legato, n.4.* Platea *l. cum Præsidem, C. de expens.* Lud. *lib. 11.* Anchar. *dicta Clement. quia contingit, notab. 2.* Guido *in decisionibus, q. 556.* Angel. *l. si testamentum, C. de testam.* Molina *tomo 1. de iust. tract. 2. disp. 149.* Cucus *lib. 2. instit. mai. tit. 6. n. 338. vsque ad 349.* Perez *lib. 5 ordinam. tit. 2. lib. 1. fol. 72.* Mandosius *de signat. gratiæ, verb. commut. vltimæ voluntatis.*

6 Sit conclusio. Multò probabilior est tertia sententia, nempe nec Episcopum, nec Legatum à latere, sed solum Romanum Pontificem posse legata ad certum vsum pium relicta, in alium vsum pium commutare: probatur ex authoribus, & rationibus citatis.

### DVBIVM III.

*An legatum ad certum vsum pium, quod impleri potest. possit ex facultate Episcopi conuerti in alium vsum pium meliorem.*

EXemplum esse potest: testator mandauit fieri hospitale in pauperum vsum, dubitatur, an possint exequutores de Episcopi licentia, & hæredis, facere domum religiosam Duplex est sententia.

1 Prima dicit posse, quia hoc magis cedit in fauorem animæ defuncti, qui tale legatum præcipit. Item, quia qui meliùs facit, non aliud, sed idem facit *cap. peruenit 2. de iureiur.* Item, quia sat est formam mandati seruari per æquipollens. *l. finali. ff. mandati.* Sic Ioann. Andr. à Lapo citatus, & Syluest *legatum 4. q. 4.* Armil. *verb. legatum, n. 59.* & Lapus *Clem. quia contingit*, dicit fortè esse verum.

2 Secunda sententia tenet id non licere. Ratio, quia non seruatur voluntas testatoris, quæ pro lege habenda est, & non licet lege omissa aliquod melius facere. Sic Cardin. *d. Clement. quia contingit, q. 4. & 5.* Immola *ibi q. 9.* Lapus *ibi*, Rochus de Curte *tract. de iurepatron. vers. construxit, n. 22. & 23.* & respondet ad tertium fundamétum regulam intelligi, quando sunt omnino æquipollentes, at monasterium non est æquipollens hospitali, nec sunt loca conformia, sed diuersæ qualitatis, & naturæ. Idem tenet Panor. *c. tua, de test. n. 4.* & hæc sententia est verior, & eam tenet Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 249.*

### DVBIVM IV.

*An quando legatum non potest impleri de facto, vel de iure, sit in alium vsum commutandum, vel efficiatur caducum, & sic in illo succedat hæres.*

1 NOta duplicem esse impossibilitatem adimplendi legata, alteram de iure, alteram de facto. Impossibilitas de iure est, quia scilicet iure prohibitum est, ne id fiat. Impossibilitas de facto est, quia scilicet licèt vsus licitus sit, at reuera impleri nequit, v.g. legauit quis pecuniam pro sacello construendo, & pecunia est modica, vel non est locus in Ecclesia, in quo constituatur.

2 Secundò nota impossibilitatem de iure esse duplicem: altera est, quando vsus, ad quem legatur, est prohibitus, quia est malus in se, vt si quis legaret ad faciendum duella: altera est, quando vsus ad quem legatur, non est in se malus, sed tantùm est iure prohibitus: vt si quis legasset aliquid, vt sacra fierent in domo priuata, iure impleri non posset, non quia res sit in se mala. sed quia iure prohibitum est.

3 Sit prima conclusio. Quando legatum factum est ad vsum, qui de iure impleri nequit, quia in se malus est, tunc est caducum, & inutile, nec in alium vsum conuertendum, sed in eo succedet hæres. Ratio, quia talis voluntas testatoris, cùm omnino impia sit, implenda non est; & est, ac si factum non esset legatum: sed si factum non esset, succederet hæres: ergo. Ita Armill. *verbo legatum, n.45.* Tabien. *legatum 2. num. 11.* Rosel. *verbo legatus, num. 6.* Syluest. *legatum 4. quæst. 11.*

4 Secunda conclusio. Si impossibilitas implendi legata sit de facto, vel de iure secundo modo, nempe non quia vsus sit in se malus, sed quia tantùm iure prohibetur, legatum non efficitur caducum, nec in eo succedet hæres, sed conuertetur in alium honestum, & licitum vsum. Ratio, quia iam testator voluit illo legato priuare hæredem, & id in vsum honestum cedere: ergo si is, in quem testator intendit non sit possibilis, conuertetur in alium vsum possibilem. Item, quia testator principaliter voluit animæ suæ saluti consulere, expendendo legatum in opere pio, & secundariò in illo quod signauit: ergo quando in illo non potest, expendetur in alio. Sic habetur expressè *cap. nos, de testam. & l. legatum, ff. de vsufructu legato.* Idem habetur in alio simili Concil. Trident. *sess. 25. cap. 8. de reformat.* & docet Syluest. Armil. Tabien. Angel. Rosel. *vbi supra*, Ananias *dict. cap. nos, num. 7. & 8.* Panor. *ibi num. 14.* Immola *ibi num. 22. 23.* Bart. *dict. l. legatum, num. 3.* Rochus de Curte *tract. de iurepatron. vers. construxit, num. 17.* Benedictus *cap. Raynutius, de testam. §. reliquit, n. 17.* Couar. *cap. 3. de testam. n. 10.* Decius *consil. 182. n. 1.* Anchar. *Clement. quia contingit, de religiosis domibus, notab. 2.* Bald. *l. cum rem, n. 6. C. de legat.* Iacobus Arctin. *l. liberto, §. Lucius, ff. de annuis leg.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. dis. 249.* Cucus *lib. 2. instit. maior. tit. 6. n. 346.* limitat *n. 338.* nisi semel potuit exequutioni mandari, & in ea re exequutorum modo non potest.

5 Nota



5 Nota primò, conclusionem esse intelligendam, licèt testator apposuerit in testamento hanc clausulam, scilicet quòd legatum non possit conuerti ad alium vsum, quàm deputatum; nam etiam eo casu, quando non potest impleri ad vsum à testatore destinatum, potest in alium conuerti, vt docet secunda conclusio posita; quia voluntas testatoris exponenda est secundùm ius commune, vt potius res valeat, quàm pereat. *cap. Abbate, de verb. significe.* Sic Syluest. Armil. Tabien. Angel. *vbi suprà*, Sarmiento *lib. de redd. p. 4. cap. 3. n. 2.*

6 Secundò nota conclusionem intelligendam esse, nisi testator dispositisset, vt vsu non impleto pertineat legatum illud ad hæredem: tunc enim non conuerteretur in alium vsum, sed ad hæredem pertineret. Sic Anchar. & Bart. *ibidem.* Syluest. *vbi suprà. q. 12.* Armil. *n. 55.* Tabien. *n. 12.* Angel. *n. 12.* Rosel. *verbo legatus, n. 7.*

7 Ex his infertur resolutio huius casus, nempe si testator aliquid legauit certæ personæ, verbi gratia Mariæ, vt nuberet, vel alij certæ personæ, & non potest legatum adimpleri, vel antequam nuberet, mortua est, vel alia ratione, &c. An tale legatum sit caducum, & pertineat ad hæredem: distinguendum enim est, si testator respexit ad animam, & ad piam causam, potius quàm ad puellam illam, vel certam illam personam, conuertendum est in aliud opus pium; si verò fuit contemplatione personæ, & non piæ causæ, legatum sit caducum, & pertinebit ad hæredem. Sic Panorm. *cap. nos, de testam. n. 14.* Anan. *ibi n. 15.* Anchar. *Clement. quia contingit, de religios. domib.* Bart. *l. pater. §. Tusculanus, ff. de legat. 3. n. 2.* Mantica *lib. 8. de coniect. vlt. volunt. tit. 5. fine.*

8 Nota hìc ex variis coniecturis colligendam esse mentem testatoris, vt si diu seruierat puella illa, præsumendum est eam voluisse remunerare, & sic contemplatione personæ legasse: & sic de similibus. In dubio verò præsumitur fauore piæ causæ legasse, Panormitan. Mantica *ibidem.*

9 Secundò infertur, si testator reliquit mille, vt pro malè ablatis, & exonerandæ eius conscientia distribuantur: si compertum sit solum quingenta esse malè ablata, reliqua quingenta non sunt hæredi tribuenda, sed in piam causam eroganda; quia non censetur satisfactum voluntati testatoris, qui læsam habet conscientiam ad illam vsque quantitatem; & ideo maxima est coniectura ipsum voluisse totam illam quantitatem in piam causam conuerti. Sic Panorm. *cap. tua, de testament. n. 7.* Couar. *cap. 3. de testam. num. 10.* Bald. *l. si quis ad declinandam, C. de Episcop. & Cler. num. 10.* referens Iacobum de Butrio, Sylvest. *testamentum, 2. quæst. 7. fine*, Angel. *verbo exequutor, num. 17.* Armil. *ibi num. 12.* Tabien. *q. 12.* Gregor. Lopez *l. 3. tit. 10. part. 6. vers. tuviere.* Cardin. *Clement. 1. de testam.* Alexand. & Vincentius, *l. 1. §. fin. ff. ad l. falcid.* Hoc tamen intelligitur, quando simpliciter dispositit: si verò prohibuit non in alium casum conuerti, tunc residuum erit hæredis. Sic Sylvest. Angel. Tabien. Armil. Gregor. Lopez, Cardin. *ibi.* Idem est, si quis mandet pro malè ablatis construi oratorium præscripta eius forma, & in id opus consumi aureos mille, nam eo constructo non deberet hæredi, quod supereret, sed piæ causæ: secus si testator iussisset construi oratorium certæ formæ, & ad id designasset mille aureos; quod enim supereret, constructo oratorio illo, ad hæredem pertinet, cùm ita sit testatoris voluntati satisfactum. Sic Angel. Paulus, Alex. Vincentius, & Carolus Ruynus, quos refert, & sequitur Couar. *vbi suprà.*

### DVBIVM V.

*An quando legatum non potest impleri, & sic in aliud est commutandum, per quem sit facienda talis commutatio.*

1 SIt prima conclusio: Episcopus potest tale legatum commutare. Sic Sylvest. *legatum 4. quæst. 12.* Stephanus Aufrerius *super quæst. 26. Capellæ Tolosanæ*, Ananias *cap. nos, de testam. num. 7.* Molina *tom. 1. de iustit. tract. 2. disput. 249.* Armil. *verbo legatum, num. 55.* Tabien. *legatum 2. num. 13.* Angel. *legatum 2. num. 13.* Rosel. *verbo legatus, num. 8.* Immola *cap. nos, de testam. num. 23.* Benedictus *cap. Raynutius, eod. tit. §. reliquit, num. 18.* Ioan. de Platea *l. cum præsidem, C. de expens.* Ludou. *lib. 11.* Rochus de Curte *tract. de iurepatron. verb. construxit, num. 17.* Anchar. *Clement. quia contingit, de religios. domib. notab. 2.* Perusio per Sylvestrum citatus, Perez *lib. 5. ordinam. tit. 2. l. 1. f. 71.* Mandosius *de signat. gratiæ, verbo commutatio vltimæ voluntatis.* Et idem videtur dicendum, quando esset difficile impleri legatum, vt tenent Dominicus *cap. Canonicis, 19. dist. & cap. ab exordio, fine, dist. 35.* & Felin. *consil. 42. n. 37.* Cucus *lib. 2. instit. maior. tit. 6. n. 346.* quia quod difficile est, reputatur impossibile: licèt contrarium teneat Mandosius *suprà.*

2 Secunda conclusio: Vltra Episcopum requiritur etiam consensus hæredis, & legatarij. Patet ex *l. legatum, ff. de vsufruct. legato.* vbi sic dicitur; *legatum factum ciuitati ad spectaculum illicitum, conuertendum est in vsum licitum, adhibitis hæredibus, & primoribus ciuitatis.* Sic tenet *ibi* gloss. Bart. *ibi num. 4.* vbi explicat illud verbum *hæredibus*, id est, hærede, à quo debetur, & eis, quibus relinquitur. Idem Petrus de Perusio, Armil. Tabien. Angel. Rosel. *vbi suprà*, Sylvest. *legatum, 4. quæst. 13.* Anchar. *Clement. quia contingit, de religios. domib. notab. 2.* vbi dicit necesse esse, vt requirantur hæredes, & legatarij, aliàs non valeret commutatio. Et quòd requiratur consensus hæredis, docent etiam Benedictus, Rochus de Curte, & Perez *vbi suprà*; & addit Sylvest. consensum omnium horum requiri quoties ex quauis causa iusta commutandum est legatum.

3 Nota, si partes non possunt esse concordes in hac transmutatione, iudex erit medius, cuius authoritate transmutabitur, *l. 1. Cod. de nupt.* Sic Bartol. *vbi suprà num. 5.* Armilla *num. 56.* Sylvest. *quæst. 13* Rosel. *num. 9* & Tabien. *num. 14.* Idem dicit Benedictus *vbi suprà*; dicit enim sat esse, si hæres non habeat iustam contradicendi causam. Idem Felin. *cap. cùm accessissent, de constitut. n. 20.* vbi inquit, quando causa est necessaria, licèt hæres non præstet consensum, sufficit Episcopus: & probat ex quadam decisione Rotæ dicentis hæc: si ex forma statuti debet requiri consensus propinquorum in contractu minoris, & ipsi requisiti negant consensum, vbi attenta necessitate non debebant denegare, potest Superior causa cognita licentiare minorem, vt contrahat, *l. si cùm dotem, §. eo autem tempore. ff. soluto matrim.*, & *ibi* Bart. Bald. Panorm. & Anchar. per Felinum citati.

4 Hinc infertur legatum pro calice, vel reparatione Ecclesiæ, quando ea non habet opus, posse Episcopum commutare. Sic Sylvest. *legatum 4. q. 12.* Benedictus, & Rochus de Curte *vbi suprà*, & Bart. *l. fin. de oper. publicis.* Patet ratione, quia est impossibilitas facti.

### DVBIVM VI.

*An quando legatum non potest impleri, & sic in aliud commutandum est, necessarium sit, vt Episcopus commutet in similem causam piam, vel sufficiat in quamcumque.*

1 PLures Doctores absolutè dicunt commutandum esse legatum in aliud opus pium. Sic Immola *Clement. quia contingit, de religios. domib. n. 9.* Panor. & Immola *cap. nos, de testam.* Sylvest. *legatum, 4. q. 12.*

2 Sit conclusio. Necessariò tale legatum commutandum est in aliam similem causam piam. Probatur, de iure naturæ est, vt voluntas testatoris impleatur eo modo, quo potest impleri; ergo quando non potest impleri in specie, necessariò implenda erit in causa simili, & proximiori testantis menti. Hæc conclusio colligitur ex Concilio Trident. *sess. 25. cap. 8. de reformat.* vbi sic dicitur: Quòd si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus

Universidad de Deusto
Biblioteca



suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, vbi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut paucæ reperiantur, mandat adhuc, vt fructus illorum in alium pium vsum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore vtilior, conuertatur. Idem colligitur ex *l. legatum, ff. de vsu, & vsufruct. legat.* vbi est casus, fuit quoddam legatum factum ad spectaculum quoddam illicitum in ciuitate exercendum, memoriæ defuncti conseruandæ gratia, & respondet Iurisconsultus, cùm id spectaculum fieri non possit, conuertendum esse in aliud, vt memoria testatoris alio, & licito genere celebretur: vbi gloss. *in principio*, inquit, debet expendi in alio licito spectaculo; & Pinellus *de rescind. vendit. 1. part. rubr. cap. 2. num. 18.* explicat dictam *l. legatum*, vt velit ibi Iurisconsultus, conseruari voluntatem defuncti saltem alio modo simili, quando præscriptus à testatore locum habere nequit. Idem tenet Benedictus *cap. Raynutius, de testam. §. reliquit, n. 17.* Iacobus de Aretio *l. liberto, §. Lucius, ff. de annuis legatis.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 249.*

## DVBIVM VII.

*An sint aliy casus, in quibus Episcopus potest alterare vltimas voluntates.*

1 Sit conclusio. Plures sunt casus, in quibus potest alterare vltimas voluntates.

2 Primus est, vbi non in totum infringeretur voluntas testatoris, sed solùm pro tempore non seruaretur, & immineret alia Ecclesiæ necessitas, cui prouideri aliter non posset, vt si testator reliquit viginti annuatim pro anniuersario faciendo alicuius Ecclesiæ, quæ indiget reparatione, nec sit aliunde, vnde reparari possit; tunc de licentia Episcopi posset illa pecunia ad tempus conuerti in Ecclesiæ reparationem. Sic Guillelmus Benedictus *cap. Raynutius, de testam. §. reliquit, num. 29.* & refert Ioannem Andr. *cap. finali, eodem tit.* & dicit sic practicatum fuisse Tolosæ, & Felin. *cap. cùm accessissent, de constitut. num. 19.* quem sequitur Nauar. *cap. quando*, Lat. *cap. 3. n. 73.* vbi inquit Felinus, ex causa potest Episcopus conferre beneficium aliter, quàm eius natura dictat, dispensando pro illa vice, & ad hoc satis est consensus hæredis patroni: & probat hoc ex Anton. *cap. fin. de testam.* vbi dicit, quòd ex causa vtili relictum pro anniuersario potest pro vna vice ad aliud expendi, & postea redire ad solitum debitum. Immò dicit Felin. quando est causa necessaria, potest Episcopus etiam inuito patrono. Idem Panorm. *cap. cùm accessissent, de constit. num. 5.* vbi inquit, Episcopus non potest dispensare contra institutionem beneficij, vel ipsam immutare, vel contra ipsam venire sine consensu patroni; vt si ex institutione beneficij collatio facienda est Presbytero, Episcopus non potest dispensare sine licentia patroni, vt conferatur non Presbytero, nisi dispensatio deberet fieri ex necessitate Ecclesiæ, & patronus nollet consentire, & refert ad hoc decisionem quandam Rotæ, & Decium.

3 Nota etiam cum consensu hæredis patroni posse hoc facere aliquando Episcopum, vt docet Felinus *dicto cap. cùm accessissent, num. 19.* vbi inquit, quando Episcopus vellet ex toto supprimere beneficium patronale, vel in totum tollere conditiones illi annexas, si non esset ex causa necessaria, non potest cum consensu hæredis patroni: si tamen sit ex causa necessaria, vt quia decreuerunt facultates, adeò quòd opus est illam dignitatem, vel præbendam tollere, vel esset impotens ad illas conditiones nunc, vel non reperitur persona idonea, quæ illam velit cum illis conditionibus, tunc posset Episcopus, immo fortè inuito hærede, & adhuc patrono inuito. Hæc Felinus.

4 Secundus casus est, vbi testator reliquisset pecuniam pro nouo opere faciendo in Ecclesia, vt pro construenda capella, vbi sunt aliæ plures ad sufficientiam, tunc si vetus Ecclesiæ ædificium egeret reparatione, cui aliter subueniri, aut prouideri non posset, potest ea pecunia authoritate Episcopi in reparationem antiquorum ædificiorum conuerti; & idem si fieri iussisset monasterium, id est, Ecclesiam de nouo in ciuitate tali, in qua sunt plures Ecclesiæ indigentes reparatione, & non est, vnde subueniri possit, tunc, authoritate Episcopi potest conuerti illa pecunia pro reparatione antiquarum Ecclesiarum, vel monasteriorum. *l. penult. ff. de oper. publ.* & *ibi* Bart. Idem Benedictus *cap. Raynutius, de test. §. reliquit, num. 19* vbi refert Bart. Immolam, Ioann. Andr. Bald. Angelum, Anchar. Idem Couarr. *cap. tua, de testam. num. 7.* vbi inquit, potest authoritate Episcopi pecunia à testatore relicta in certum vsum pium, non ita necessarium, expendi in alium itidem vsum pium magis reipublicæ Christianæ, ac religioni necessarium, cui necessitati aliunde subueniri nequit absque maxima difficultate. Spino *speculo testament. gloss. 28. num. 26.* Cucus *lib. 2. instit. maior. tit. 6. n. 346.*

## DVBIVM VIII.

*Quid faciendum sit, quando aliquid legatur Ecclesiæ sancti Petri, cum plures vocentur hoc nomine.*

1 Sit prima conclusio. Tale legatum non est nullum, sed dabitur Ecclesiæ parochiali, si hoc nomine vocetur, vel pauperiori, quæ sic nominatur. Panorm. *cap. inquisitione, de testam.* Armil. *verbo legatum, n. 6.* Tabien. *legatum, 1. n. 7.* Sylvest. *legatum, 2. q. 7.* Angel. *legatum, 1. num. 7.* Rosel. *verbo, legare, num. 5.*

2 Secunda conclusio. Si Ecclesiæ sancti Petri sint æquales, dabitur secundùm communiorem sententiam Episcopo, vt gratificet alteri. Sylvest. & Rosel. *ibi.*

3 Tertia conclusio. Si nulla sit Ecclesia, quæ tali vocetur nomine, dabitur Ecclesiæ parochiali legantis. Sic Rosel. *vt suprà*, Couar. *cap. 3. de testam. n. 9.* referens Iasonem, & Baldum; & patet *Auth. de Ecclesiast. tit. §. si quis in nomine magni Dei, collat. 9.*

4 Nota Sylvestrum, Angel. Tabien. Armil. *vbi suprà*, dicere hoc casu dandum esse legatum Ecclesiæ Cathedrali: cæterùm nomine Ecclesiæ Cathedralis videntur intelligere parochialem, vt patet ex eorum ratione.

5 Secundò nota exigi authoritatem Episcopi, & exequutoris, vt tale legatum detur Ecclesiæ parochiali. Sylvest. & Angel. *vbi supra.*

6 Vltima conclusio. Si legetur aliquid, vt construatur Ecclesia, & non destinetur locus, Episcopus, & exequutor destinabunt locum tali Ecclesiæ construendæ, nisi aliud de testatoris mente constet, quæ in omnibus legatis attendenda est. Ita Armil. Tabien. Sylvest. Angel. *vbi suprà.*

## DVBIVM IX.

*An legatum relictum pro liberatione incarceratorum quolibet anno, possit expendi in impediendo, ne quis in carcerem detrudatur.*

1 Videtur enim non posse, quia non videtur à carcere extractus, qui inclusus in carcere non fuit, vt constat ex *l. 1 ff. de vi, & vi armata, & eum qui*, vbi habetur eum, qui nondum possidebat, si possidere prohibeatur, non dici à possessione deiectum: deiicitur enim, qui amittit possessionem, non, qui non accipit.

2 Sit conclusio. Probabile est tale legatum expendi posse in liberatione illius, ne in carcerem detrudatur, quando certum est proximè detrudendum, nisi ipsi legato illo subueniatur. Probatur primò, quia paria sunt, impedire consequens, & impedire actum, per quem peruenitur ad consequens. Secundò, quia quod parum distat à re, parum, aut nihil distare videtur, & sic qui proximè incarcerandus est, incarceratus reputatur, moraliter loquendo. Quod eruditissimè plures allegans probat Tiraquell. *post 16. legem connub. gloss. 2. à num. 2.* per plures. Tertiò probatur; illud legatum relictum est pro liberandis incarceratis à carcere, sed verè dicitur liberare à carcere, qui proximè incarcerandum, ne incarceretur, liberat; ergo. Probatur minor, nam hac ratione sustinentes, Virginem Deiparam non contraxisse originale, dicunt verè esse redemptam à peccato; quia scilicet illud contractura erat, & ne contraheret, impedita est. Vnde Cajet. *1. 2. quæst. 81. art. 3.* inquit, non solùm indiget redemptione, qui actu captiuus est, sed qui est obnoxius captiuitati. Et *3. part. quæst. 27. art. 2.* inquit, personam indigere saluari à peccato, & liberari à peccato, quod habet, vel haberet; oportet enim, aut quòd habeat peccatum, vel sit in procinctu, & periculo habendi, quisquis eget saluari à peccato. Et D. Thom. *3. p. quæst. 52. art. 2. ad 2.* illud Act. 2. *Christus soluit dolores sanctorum Patrum in inferno*; exponit non dolores pœnarum, quas incurrerunt, sed quas incurrissent, nisi ipse peruenisset, auferens illas, & præseruando ab eis: sicut & Medicus dicitur soluere morbum, à quo præseruat per medicinam. Hæc D. Thom. *ibi*, & *quæst. 53. art. 3.* dicit veram resurrectionem, & liberationem à morte eam esse, quæ non tantùm à morte iam incursa, sed etiam ab incurrenda liberat. Et Medina *1. 2. quæst. 81. art. 3.* inquit, non solùm redimit, qui datis pecuniis eripit aliquem à vinculis, sed etiam, qui eis datis est in causa, ne in carcerem detrudatur. Et Corduba *lib. 1. quæst. q. 54. in solut. ad 2.* vbi hæc dicit, obnoxius morti, & captiuitati, indiget viuificante, & redimente, & antequam de facto illam incurrat, ab ea viuificatus dicitur, & redemptus; ergo. Conclusionem positam expressè docet Hieronymus Paulus *practica Cancellariæ in cap. declaratoria super proponente, seu volente ingredi fol. 228. in libellis paruis.*

## DVBIVM X.

*An quando quis legauit mille aureos post quatuor menses largiendos pauperibus exequutor testamenti possit præuenire diem ab ipso testatore designatum ad vltimæ voluntatis exequutionem, quando id in nullius præiudicium vergit, & sic statim largiri.*

1 Duplex est sententia.

Prima dicit non posse. Ratio, quia largitio ante illud tempus facta præiudicium infert pauperibus post illum diem futuris. Sic Bart. *l. cùm mater, §. à filia, ff. de legat. 2.* Angel. & Alexand. *l. stipulatio, ff. de verb. obligat.* Iason dicens communem *l. post mortem, C. de fideicomm.* Peralta *l. cùm pater, §. à filia, ff. de legat. 2. num. 2.* Berous *cap. 1. de constit. num. 254.*

2 Secunda sententia præuenire posse docet: primò quia testator ita disponens potius salutem animæ respexit, quàm tempus exequutionis; quod fortè adiecit credens ante illud tempus non posse hanc distributionem fieri absque detrimento rei familiaris. Secundò, quia non magis futuros pauperes, quàm præsentes dilexisse videtur, aut considerasse potiùs futuros, siquidem animæ suæ saluti consuluisse videtur, & fauore animæ talem distributionem iussisse. Tertiò, quia conducibilius est animæ testatoris diem præuenire. Hanc tenent Decius *l. cum tempus, ff. de regul. iuris.* Anchar. *consil. 202.* Panormit. *consil. 11.* quos refert, & sequitur Couarr. *cap. tua, de testam. num. 5.* & est verior hæc sententia, & tenenda. Idem Nauarr. *cap. quando*, Lat. *cap. 3. num. 22.* Padilla *l. vnum ex familia, ff. de legat. 2. num. 12.* Anton. Gomez *l. 17. Taur. num. 7.* Idem Gregorius Lopez *l. 6. vers. si pudieren, tit. 10. part. 6.* Spino *speculo testament. gloss. 28. num. 71.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 4. l. 14 gloss. 1. à num. 37. vsque ad 45.* Menchaca *lib. 1. de succes. creat. §. 7. num. 19.* Mantica *lib. 8. de coniect. vltim. volunt. tit. 5. num. 20.*

## DVBIVM XI.

*An quando aliquis fecit legata plura, ita vt excederent facultatem hæreditatis, quædam pia, & quædam non pia, debeat fieri detractio pro rata, tam de legatis piis, quàm de non piis, vel ratum de non pijs, & pia debeant integrè solui.*

1 Vt intelligatur ratio dubitandi, oportet supponere hæredem testamentarium gaudere hoc priuilegio, ne institutio vana sit, vt si testator multa fecerit legata, ita vt totam hæreditatem exhauriant, vel tres hæreditatis partes excedant, possit quartam partem totius hæreditatis detrahere, & sibi accipere: quæ quarta pars dicitur *falcidia*; & reliquas tres partes in legata distribuat, nisi testator expressè prohibeat, vt habetur *l. 2. C. ad l. falcid. & l. in quantitate, §. finali, & l. Plautius, & l. lineam, ff. ad l. falcid. & l. 10. tit. 11. part. 6.* Quod priuilegium aliquando cessat: de quo consule late *l. 6.* & *ibi* Greg. Lopez *tit. 11. part. 6.* & Sylvest. *verbo legitima. q. 9. & legatum, 4 q. 6.*

2 Primò nota, quòd illud dicitur expressum, quod verborum natura comprehenditur; nec oportet quod specificè exprimatur, sed sufficit sub generali verborum significatione comprehendi. Vnde ad prohibendam falcidiæ detractionem, sat sunt verba testatoris dicentis, quòd legata, ac fideicommissa integra, ac sine diminutione præstentur: secus si dicat, quòd soluantur omnia legata, vel fideicommissi. Sic Molina plures textus, & Doctores allegans *lib. 1 primog. cap. 17. num. 15. 16. 27. & 28.*

3 Secundò nota de legatis ad pias causas non posse hæredem detrahere falcidiam, sed esse integrè soluenda, vt patet *dicta l. 6. auth. similiter, C. ad l. falcid.* de qua relatè Sylvest. *locis citatis*; & plenius Tiraquel. *de priuileg. piæ causæ, priuil. 26.*

4 His suppositis: ratio dubitandi est, quia falcidia non detrahitur de legatis piis, sed ea integrè soluenda sunt; ergo hoc casu, quo legata excedunt patrimonium, soluentur integrè legata pia, & de non piis detrahitur pro rata, vt reducantur ad vires patrimonij.

5 Sit tamen prima conclusio. Quando legata excedunt vires patrimonij, illa pars, quæ excedit, detrahenda est pro rata, tam de legatis piis, quàm de non piis, & sic in hoc nullo priuilegio gaudent legata pia. v. g. testator habens quadragintos aureos, legauit quadringentos ad certas personas, & centum ad pias causas, non dabuntur integra centum ad pias causas, sed deducetur pro rata tam de piis, quàm de non piis, vt sic omnia legata reducantur ad vires patrimonij, quòd fiet auferendo quintam partem à non piis, scilicet octoginta, quia quinquies octoginta faciunt quadringenta: & quintam à piis, scilicet viginti, quia quinquies viginti sunt centum: & sic omnia legata reducentur ad quadringentos aureos. Ratio, quia id, quòd detrahitur à legatis piis in hoc casu, non est falcidia, sed est declaratio legati inaniter facti: & ita expressè colligitur ex *l. si post missionem, ff. ad l. falcid.* vbi id tenent Ioannes de Immola *n. 1.* Alex. *num. 2.* vbi etiam Angel. & Paulus de Castro. Albericus referens Iacobum de Aretio *l. si quis ad declinandam, C. de Episcop. & Cler. num. 3.* Oldr. *consil. 111.* Bart. *Auth. similiter, C. ad l. falcid.* Tiraquel *de priuileg. piæ causæ, priuil. 26. num. 9.* Ioannes And. *addit. ad Speculat. tit. de testament. §. 1. super vers. Quid si legatum, quod est, num. 19.* Gregor. Lopez *l. 1. tit. 11. part. 6. vers. de las mandas*, Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. cap. 18.* Gutierrez *l. nemo potest. ff. de leg. 1. n. 97.* contra Cifuentes *l. 30. Taur. n.* Sylvest. *verbo legitima, q. 10.* Angel *ibi n. 14.*

6 Nota, quòd ad pias causas præstabuntur illa integra octoginta, & de reliquis legatis non piis deducet hæres suam falcidiam casu, quo potest illam detrahere. Sic Alexand. Paulus de Castro, Ioannes de Immola, Oldradus *vbi suprà.*

7 Secundò nota aliquos limitare conclusionem positam,

Universidad de Deusto
Biblioteca



sitam, quando ambo legata consistunt in quantitate, sicut si vni legatur quantitas in genere, alteri verò signanter legatur species vna, vt quædam domus; tunc enim de legato in specie nihil detrahetur; & si nil aliud extet præter speciem illam, legatarius quantitatis nihil habebit: etsi sint plures species, quæ legantur, & tantùm extat vna species, nec numi sint, quibus emi possint, alij nihil habebunt. Sic Angel. *l. si certarum, §. si miles, ff. de testament. milit.* Paulos de Castro *l. si quis testamento, §. 1. ff. de legat. 1.*

8 Sed hanc limitationem meritò reprobant, quia nulla lege probatur. Et sic vniuersaliter approbant conclusionem etiam casu, quo vni legatur species, alteri verò quantitas, Angel. *l. quærebatur. ff. ad l. falcid.* vbi Alex. *n. 5.* Paulus de Castro *l. 1. C. communia, de legat.* Greg. Lopez *vbi suprà.*

9 Tertiò nota, quòd si legatur seruo alicui libertas, licèt tale legatum non præiudicet legitimæ filiis debitæ, & sic ipsam minuere non possit, at tale legatum libertatis non minuitur propter defectum patrimonij ad alia legata implenda, sed omnibus præfertur legatis fauore libertatis, vt æs alienum. Patet *l. si seruus, §. si incertum, cum l. sequenti, l. aris, ff. ad l. falcid. & l. 1. §. in quibusdam. ff. si cui plus, quàm per l. falcid.* Gregor. Lopez *ibi* inferens Baldum.

10 Tandem nota legatum dotis factum filiæ per patrem ante omnia alia legata deduci, vt æs alienum, & sic aliis legatis præiudicare. Sic Gregor. Lopez *ibi* referens Bartolum, & Baldum.

## DVBIVM XII.

*An si quis legauit annuum censum singulis annis pauperibus distribuendum iuxta beneplacitum suorum testamentariorum, possint ipsi testamentarij totam illam quantitatem simul & semel alicui operi pio applicare.*

1 QVidam in suo testamento reliquit hanc clausulam: Volo, vt ex meis bonis extrahantur viginti millia ducatorum, & ex eis redditus annui mille ducatorum emantur, qui distribuantur, & expendantur in opera pia pro salute animæ meæ singulis annis iuxta meorum testamentariorum voluntatem: dubitatur ergo, an testamentarij possint totam summam principalem simul cum redditibus omnium annorum applicare simul, & semel alicui hospitali, vt illis perpetuò fruatur, vel teneantur singulis annis distributionem facere.

2 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia videtur non impleri testatoris voluntatem; nam tempus præuenitur, siquidem testator iussit singulis annis distribui hos mille numos aureos, & quotannis non distribuuntur, sed expenduntur omnes simul.

3 Secundo, quia infertur damnum pauperibus futuris, quibus hi mille aurei applicandi erant, nisi iam simul essent applicati; ad quod videtur respectum habuisse testator.

4 Sit tamen conclusio: Prædicti testamentarij possunt licitè simul, & semel totam illam summam cum suis redditibus distribuere, applicando illam, v.g. alicui hospitali, vel monasterio, vt illis fruatur in perpetuum. Probatur primò, quia potest præueniri tempus à testatore præfixum, quando tertio non paratur præiudicium, sed ipsimet eligenti: vt si institutor maioratus diceret, Instituo Petrum, & ipse post mortem suam instituat Ioannem, posset ex nunc instituere Ioannem, & dare ei maioratum, quia in hac præuentione nulli nocet, sed tantùm sibi; aufert enim sibi libertatem postea eligendi, vt optimè Molina *lib. 2. de primogen. cap. 4. num. 25. 26. & 27.* Et ita euenit in casu præsenti, nam præuentio temporis signati à testatore, scilicet quòd singulis annis distribuantur, &c. distribuendo simul, & applicando pauperibus, vel alteri operi pio, nulli tertio nocet: non enim nocet pauperibus futuris, quia non respexit testator ad pauperes futuros, sed saluti animæ suæ consulere voluit; vt statim ex plutibus Doctoribus probabo, sed tantùm nocent testamentarij sibi ipsis, priuantes se facultate disponendi quotannis de illis bonis. Item in alio simili casu idem sentiunt graues Doctores, videlicet testator reliquit Ioanni mille aureos, vt post annum eos pauperibus distribuat: quærunt graues Doctores, an statim illos possit distribuere, non expectato anni cursu, respondéntque posse licitè id facere; quia præuenire tempus à testatore signatum non est in præiudicium alicuius, neque pauperum futurorum, quia testator non magis habuit respectum ad pauperes futuros, quàm ad præsentes, sed ad salutem animæ suæ. Sic Couarr. *cap. tua, de testament. num. 5.* Decius *l. cum tempus, ff. de regul. iuris.* Anchar. *consil. 202.* Panorm. *consil. 11.* Nauarr. *cap. quando, latino, cap. 3. num. 22.* Padilla *l. vnum ex familia, ff. de legat. 2. num. 12.* Anton. Gomez *l. 17. Taur. num. 7.* contra Beroum *cap. 1. de constit. num. 254.* & probatur apertè ex *l. post mortem. C. de fideicommiss.* vbi habentur hæc verba. *Post mortem suam rogatam restituere hæreditatem defuncti iudicio, antequam fati munus impleat, posse restituere hæreditatem, si voluerit, explorati iuris est*; ergo etiam in nostro casu potuerunt testamentarij præuenire tempus à testatore designatum, siquidem eiusmodi præuentio non est in præiudicium alterius; nec dici potest esse in præiudicium pauperum futurorum, sed quòd testator plus respexit ad salutem animæ suæ, hanc eleemosynam faciendo, quàm ad eleemosynam pauperum futurorum; quia etiam in tali hospitali, vel monasterio quotidie reperiuntur noui pauperes. Item quia si testator patronatum institueret, vt singulis annis centum aurei distribuerentur pauperibus, & Ioannem, vt primum patronum nominaret, & deinde nominaret Petrum, vt post obitum Ioannis succederet, licèt Ioannes non posset hos centum aureos in perpetuum dare alicui hospitali, quia id foret in præiudicium alterius patroni, scilicet Petri, cùm illum priuaret potestate illos distribuendi in sua vita: posset tamen Ioannes omnes illos simul distribuere per tempus vitæ suæ, quo durat tempus patronatus; quia in hoc casu sibi soli nocet, non autem suis successoribus; ergo cùm in nostro casu testator nullum alium signauerit, cuius arbitrio distribuendi sint illi redditus annui quotannis præter suos testamentarios, poterunt de communi consensu applicare illos simul, & semel pauperibus.

5 Tandem probatur, quia si testator intenderet, quòd singulis annis fieret noua distributio, cùm hoc opus in perpetuum relictum sit, & vita testamentariorum breui tempore duratura, debuisset designare alios, quibus hæc distributio incumberet post vitam testamentariorum: cùm ergo eos non assignauerit, videtur apertè voluisse, vt simul fieret.

## DVBIVM XIII.

*An legatum factum orphanæ, possit dari ei, quæ patrem habet, inutilem tamen, scilicet amentem, vel ad triremes damnatum, vel perpetuo morbo laborantem.*

1 ET videtur posse dari, quia orphana videtur esse, quæ patrem inutilem habet; quod probatur ex *cap. inter cætera, de translat. Episcop.* vbi Ecclesia dicitur viduata, quæ habet Episcopum inutilem: vbi glossa *vers. inutilem*, dicit inutilem mortuum reputari. Item *l. plagiarij. C. ad l. Fabiam, de plagiar.* pater vocatur filio orbatus, quando filius est sibi inutilis, vbi glossa *vers. orbatus*, hæc dicit, *orbatum vocat patrem filio, licèt filius viuat; quia sibi est inutilis*; ergo idem est in marito. Hæc glossa; per quos textus plures Doctores asserunt viduam dici, quæ maritum sibi inutilem habet, ac proinde huic concedi priuilegia viduis concessa. Sic Bald. *dicta l. plagiarij*, Perez *lib. 3. ordinam. tit. 1. l. 1. fol. 46* 1. Tiraquel. *in legibus connub. l. 6. n. 12.* Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat. inter virum & uxorem, in 2. part. glos. 1. n. 12.* Rebuffus *tomo 1. const. regiar. tract. de sententia prouisionali, ar. 3. gl. vltima, vers. item vidua, & super tit. de verbor. significat. l. 242. §. viduam, vers. item licet*, Hippolytus *l. vnica, n. 212. & sequentibus, C. de raptu virginum.* Couar. *quæst. pract. 7. num. 2.* Cotta *in memorabilibus, dictione vidua*; & alij per hos relati. Ergo similiter dicendum est orphanam dici, quæ patrem omnino inutilem habet. Secundò probatur, quia motiuum testatoris ad relinquendum hoc legatum orphanis fuit, quia præfatæ orphanæ nullum possunt habere auxilium, aut iuuamen à suis parentibus: quod motiuum procedit etiam in orphanis habentibus patrem inutilem, vel damnatum ad triremes, &c. Immo potiùs adstringuntur onere illum sustentandi: ergo reputabitur orphana, & poterit recipere tale legatum. Tertiò probatur ex celebri illo dicto glossæ *cap. admonere 33. q. 2. vers. dici, si re priueris, nec nomen habere mereris*; cùm ergo ista priuetur re, scilicet paterno præsidio, non dicetur habere patrem, & sic erit orphana.

2 Sit conclusio. Non dicitur orphana, quæ patrem omnino inutilem habet, nec potest consequi legatum orphanis relictum. Probatur, quia non dicitur propriè vidua, sed impropiè, & largè. quæ virum inutilem habet: vt optimè Bertachinus *in Repertorio, verb. vidua*, vbi inquit, vidua propriè dicitur, quæ virum non habet, sed habuit, impropriè tamen, quæ virum habet inutilem sibi. Idem Turrect. *c. quod autem, 37. q. 2. n. 2.* Sebastianus Sapia *in addit. ad Pan. cap. ne pro defectu, de elect. num. 2. vers. ad istud.* At in dispositionibus testamentorum verba propriè sumenda sunt, & si possibile est in propria, & specifica forma legatum impleri, implendum est *Clement. quia contingit, de religios. domib.* & in Trident. *sess. 25. cap. 8. reformat.* vbi maximè commendatur legatum in specifica forma impleri, quando ea possibilis est: & quando non est possibilis specifica forma, iubet impleri in simili, proximiori tamen institutioni testatoris. Quasi iudicarit Concilium esse valdè necessarium, in quantum fieri poterit, accedere testatoris menti in legatorum adimpletione; & verba testatoris propriè, & in casu vero, non ficto accipienda sunt: vt ex multis probat Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib. 3. tit. 4. num. 15.* Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 76. num. 8.* & probatur ex aliis, quæ affert Euerar. *loco ab æquipollentibus, num 13.* Præterea, quia sequeretur posse dari virgini, vel mulieri, quæ diuortium fecit, cùm etiam talis vidua dicatur, vt ex multis probat Hippolytus *l. vnica, num. 211. C. de raptu virgin.* vbi fatetur proprièviduam dici, cuius maritus mortuus est. Cùm ergo legatum hoc impleri possit in propria, & numerica forma, cùm sint propriè orphanæ parentibus orbatæ, non sat erit implere in simili, & in propria forma. Secundò probatur, quia id, quod dicunt authores citati, scilicet habentem virum inutilem gaudere priuilegiis viduarum, intelligitur in iis rebus, quas ius ciuile concedit in viduarum fauorem, & in nullius tertij præiudicium: quale est priuilegium vocandi quoslibet ad curiam Regis in prima causæ instantia; quia (vt docet Couarruu. *quæst practic. cap. 6. num. 3.*) priuilegium hoc alteri non infert graue præiudicium; cùm nec alteri res propria auferatur, nec ius sibi ad rem aliquam quæsitum. At in rebus, quæ graue damnum alteri inferunt, scilicet iis, quæ verè viduæ, aut verè orphanæ sunt, quibus ius ad tale legatum acquisitum est, non videtur nomine viduæ, aut orphanæ intelligi, quæ verè talis non est, sed impropriè, & metaphoricè. Quare fermè in terminis decidit nunc casum Panor. *cap. ne pro defectu. de elect. num. 2.* vbi inquit, ex communi vsu loquendi tantùm appellatur, vidua, cuius maritus mortuus est. Vnde si in aliquo statuto fieret mentio de viduis, intelligerem de relictis mortuis maritis. Idem omnino Sebast. Sapia *vbi suprà.* Felinus *in proœmio primi Decret. n. 5. & cap. significantibus, de offic. deleg. num. 8.* vbi inquit: Illa dicitur vidua, cuius vir mortuus est, nec alium habet, sed si vir est bannitus, potest dicere se viduam, & largè potest dici vidua, quæ nunquam nupsit: at in materia stricta, vbi verba capiuntur propriè, intelligitur tantùm de illa, cuius vir mortuus est, Hæc Felinus Gregor. Lopez *part. 3. tit. 3. l. 5. vers. e son*, nomine viduæ in materia stricta tantùm comprehenditur illa, cuius vir obiit. Item Syluest. Angel. & Tabien. *verbo vidua, initio*, inquiunt, licèt vidua ex significatione, seu etymologia vocis sit mulier sine viro, licèt virum non habuerit, at ex communi vsu loquendi vidua est illa, cuius vir mortuus est; in quauis autem materia vsus loquendi præfertur proprio significato verborum. Hæc illi. Item quia in statutis, & dispositionibus communis vsus loquendi præferendus est etiam proprio vocis significato, vt docent Angel. Syluest. & Tabien. *vbi infra.* Felinus *proœmio Decretal.* quod facit super glossam, *num. 3.* Panor. *proœmio*, quod incipit, *Gregorius Episcopus, num. 8. & ibi* Anton. 1. *proœmij, num. 39 40.* Bart. *l. non dubium, n. 11. C. de legibus*, per *l. Labeo, ff. de supellect. legata.* Cùm ergo vidua secundùm communem vsum sit, quæ viro, quem habuit, est orbata; vt docent plures Doctores citandi, & Panor. *cap. ex tenore, de foro compet. n. 9.* Rebuf. *de verb. significat. l. 142. citata*, vbi expresè dicit ex communi vsu loquendi non vocari viduam, cuius vir inutilis est, non debet comprehendi sub tali legato, sed tantùm quæ verè, & propriè est vidua, & per consequens non comprehendetur nomine orphanæ, quæ parentes inutiles habet, sed quæ verè parentibus est orbata: aliàs virgo, quæ nunquam nupsit, posset dici vidua ad effectum talis legati obtinendi, cùm ab authoribus plerisque citatis vidua appelletur.

## DVBIVM XIV.

*An bona fabricæ, vel legatum fabricæ relictum possit expendi pro ornamentis, vel aliis cultui diuino necessariis.*

1 NOta, quòd licèt secundùm diuisionem bonorum Ecclesiasticorum, de qua habetur *cap. quatuor & cap. de redditibus, 12. q. 2.* quarta pars bonorum Ecclesiasticorum sit fabricæ: at secundùm varias consuetudines, & erectiones Ecclesiarum Cathedralium aliter est prouisum: & sic non in omnibus quarta pars applicatur fabricæ, sed maior, aut minor, secundùm diuersas consuetudines, quæ consuetudo in hoc valet, vt docet Innoc. *cap. fin. de his, quæ fiunt à maior. par. Præl.* Sic docet Panor. *cap. 1. de Ecclesiast. ædific. n. 3.* Greg. Lopez *l. 11. tit. 10. part. 1. vers. que son dadas, el l. 24. tit. 32. part. 3. vers. e reparar.* Altamiranus *tract. de visitatione § sed Episcop. n. 11.*

Hoc supposito, duplex est sententia.

2 Prima docet bona fabricæ, vel legatum ipsi relictum non posse expendi in ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis, sed tantùm in ædificio materiali Ecclesiæ. Ratio, quia fabrica est ipsum ædificium templi materiale. *cap. de fabrica, de consecrat. dist. 1.* Item quia *cap. fin. de testam.* vt diuersa ponuntur relictum pro fabrica Ecclesiæ, & relictum pro ornamentis. Hanc tenet Panorm. *dict. cap. fin. de testament. num 2.* Greg. Lopez *l. 11. tit. 10. par. 1. vers. que son dadas. & l. 24. tit. 32. part. 3. vers. e reparar*, videtur tenere Anchar. *dict. cap. fin. num. 2.* vbi relictum pro fabrica explicat, id est, ædificio materiali Ecclesiæ.

3 Secunda sententia docet bona fabricæ deputata, ac legata ipsi relicta non tantùm expendi posse in ædificio materiali templi, sed etiam posse expendi pro ornamentis, & aliis rebus cultui diuino necessariis. Ratio, quia licèt secundùm strictam iuris significationem fabrica sumatur pro ædificio materiali; at à Canonistis, & ex communi vsu loquendi fabrica dicitur ius illud, quod Ecclesia habet ad percipiendum redditus aliquos pro ædificiis, & ornamentis, & pro aliis rebus necessariis diuino cultui. Sic Couar. *cap. fin. de testam. n. 4.* Altamiranus *vbi suprà, n. 14.* & hæc est probabilior.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XV.

*An si debitor leget aliquid creditori, tale legatum censeatur factum animo compensandi debitum, vel debeat creditor habere vtrumque, scilicet legatum, & debitum.*

1 NOta, quòd debitum est in duplici differentia: quoddam est voluntarium, scilicet, quod initio voluntarium fuit, & ortum est ex voluntate, & conuentione debitoris: aliud est necessarium, quod scilicet est ex dispositione legali. Sic omnes Doctores citandi, & præcipuè Couar. Cifuentes, Castillo *vbi infrà*, Ant. Gomez *tom.1.var.cap.12.n.27.* Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.10.tit.2.n.3.*

2 Sit ergo prima conclusio. Quando constat de voluntate testatoris ex aliquibus coniecturis probabilibus, quòd fiat animo compensandi, vel non, illi standum est, siue debitum sit necessarium, siue voluntarium; quia iura distinguentia de debito voluntario, & necessario fundantur in præsumpta voluntate testatoris; ergo vbi ea constat, illi standum est. Sic omnes Doctores citandi, & præcipuè Castillo *l.16.Taur.n.28.* Cifuentes *ibi num.* 18. Couar. *cap.officij, de testam.n.2. fine.* Matienzo *lib.5. recop. tit.9.l.7.gloss.1.fine*, vbi alios multos referunt. Idem Aymon. *consil.*149. vbi duodecim enumerat coniecturas, ex quibus voluntas testatoris potest deprehendi. Mantica *num.2.* & vide illum *toto tit.* vbi tractat de his coniecturis, Molina *tom.1.de iust.tract.2.disput.*200.

3 Secunda conclusio. Quando sumus in dubio de testatoris voluntate, tunc si debitum est voluntarium, non censetur animo compensandi legasse. Probatur ex *l.vnica, §.sciendum, C.de rei vxoriæ actione*, vbi habetur quòd si vir, qui tenetur ex voluntario matrimonij contractu restituere dotem post mortem, aliquid simpliciter vxori legauerit, potest illa petere vtrumque, *& l. creditorem ff.de legat.2.* Sic Bart. & multi iuris vtriusque Doctores, quos referunt, & sequuntur Sylvest. *legatum*, 3.q. 12. Arnul. *verbo legatum*, 21. Nauar *in omnibus summis c.17.num.*160. Couar. *dict.n.2.* Matienzo *dict.gl.1.n.5.* Gratian. *regul.*285. Bernard. Diaz *regula* 171. Angel. *legatum*, 1. *n.*31. Greg Lopez *l.16.tit.9.part.6.* Gutier. *lib.2. q.practic. q*124. Tello *l.16.Taur.n.6.* Cifuentes, & Castillo *suprà*, Anton. Gomez *suprà.* Mantica *n.2.* Molina *suprà.* Cotta *l. si pater, part.1. verbo legauit, á n.17.*

4 Nota primò, quòd hoc est adeò verum, vt si hæres grauatus per fideicommissum aliquid restituere Petro, leget ei aliquid, non censetur animo compensandi legare. Ratio, quia hic testator non tenetur ex debito legali, sed ex primi testatoris voluntate. Sic contra Ananiam Aymon. quem refert, & sequitur Cou. *dict.n.2.* Matienzo *dict. gloss.1.n.5.* Molina *suprà.*

5 Secundò nota, quòd hæc conclusio limitanda est, quando testator poterat in iudicio condemnari ad soluendam illam rem: si enim non poterat ad id condemnari, at tenebatur pro exoneranda conscientia id soluere, & tunc legauerit; in hoc dubio est admittenda compensatio. Sic Aretin. Iason, ac cæteri iuniores, quos refert, & sequitur Couar. *dicto n.2.* Matienzo *n.6.* Molina *suprà.*

6 Ex hac conclusione infertur primò, quòd si vir leget aliquid vxori, non censetur factum animo compensandi dimidiam partem, quæ ex lege deberur alteri coniugi ex bonis lucratis constante matrimonio, vt expressè definitur *l.16.Taur.* quæ hodiè est *l.7. tit.9. nouæ recopilat.* Ratio, quia ea pars ita ipso iure à lege alteri coniungi defertur, vt ei statim acquiratur: nec dicitur debita, v.g. à matito, seu propria ipsius vxoris; quia bona acquisita matrimonio constante communia sunt vtro, & vxori. Hanc rationem huius legis reddit Couarr. *suprà num.5.* Aliam rationem reddunt Matienzo *dicta gloss.1.num.7.* & Ioann Lupus *l.16.Taur.n.3.* quia hoc debitum est voluntarium, scilicet ex contractu matrimonij voluntariè inito inter illos.

7 Secundò infertur, quòd legatum factum à marito vxori non videtur factum animo compensandi cum arrhis ei promissis: & sic non obstante tali legato habebit vxor integras arthas, & legatum. Hoc est contra Xuarez *l.1.tit.2.de las arras.lib.3.fori, ver. sed pone quæstion.* Sed ratio nostri corollarij est, quia debitum arrharum est voluntarium, scilicet ortum ex voluntaria mariti promissione: non enim poterat maritus cogi dare arthas vxori, vt docet glossa *Auth. sed quæ nihil, C.de pactis*, & omnes Doctores mox citandi. Sic tenent contra Xuarez, Matienzo *dicta gloss.1.n.8.* Tello *l.16.Taur.n.8.* Couar. *n.4.* Palacios Rubios *rubr.de donat.§.27.ad finem*, Gutierrez *suprà*, Montalbus *l.1.tit.de arrhis, lib.3.fori.* Aduertit Gutierr. & Tello *ibi n.3.* hoc esse omnino indubitatum, nec oppositum sentire Xuarez, si vir dum vixerat, tradiderit arthas vxori; quia debitum ante solutum cùm iam non sit debitum, non censetur compensari; compensatio enim dicitur solutio.

8 Tertia conclusio: Si verò sit debitum necessarium, seu legale, id est, ad quod debitor ex legis necessitate tenebatur, si aliquid leget creditori, & est dubium de eius animo, censetur animo compensandi legare. Patet ex *Auth.præterea, C.vnde vir, & vxor. & l.3.13.part.6.* quibus cauetur, quòd legatum à marito vxori factum imputetur in illam portionem, quæ vxori à lege ex bonis mariti defertur; & *l.si cum dotem, § si pater.ff.soluto matrim.* vbi legatum factum filiæ à patre, qui dotem filiæ à genero exegerat, cuiusque causa debitor filiæ erat, compensatur cum ipsa dote à patre exacta. Et ratio huius est, quia lex inducens obligationem aliquo inuito, eidem beneficium hoc largitur, vt legatum ab eo factum, ex lege ipsa imputetur in illam quantitatem debitam: vt bene docet Couar, *dicto n.2.* Hanc tenent omnes Doctores citati præcedenti conclusione: & dicit Couar. esse hanc distinctionem positam in hac, & præcedenti conclusione omnium Doctorum vtriusque iuris, dempto Corasio *l.b.3.miscel. cap.1.*

9 Nota primò, quòd hæc imputatio legati in id, quod ex legis obligatione debetur, fieri debet, siue legatum fiat ab eo, cui onus ex lege incumbit, siue ab illius hærede, qui successit in eadem obligatione legali, eadem ratione. Sic Aymon, Anchar. Paulus de Castro, quos refert, & sequitur Couar. *eodem num.2.* contra Philippum Corneum.

10 Nota secundò limitandam esse hanc conclusionem, nisi testator exprimat in legato aliam causam præter debitum, vt lego hoc Petro, ob talem causam: tunc enim non est compensatio legati pro debito. Ratio, quia compensatio inducitur ex præsumpta testatoris mente; vnde cùm in hoc casu sit expressa causa legati, cessat præsumptio. Sic Tello *l.16.Taur.n.4.*

11 Tertiò nota limitandam esse etiam conclusionem, quando debitum, & legatum sunt eiusdem speciei, vt si debitum est pecuniarum, & legatum pecuniarum, &c. Si enim sunt diuersæ naturæ, non habet locum compensatio, quia speciei cum quantitate non fit compensatio, *l.fin.* vbi glossa communiter recepta, *C.de compensat.* Hoc est contra Alexand. Iason. Immolam. Sed hoc tenent Iason sibi contrarius, Bart. Socinus, Bald. quos refert, & sequitur Couar. *dict.n.2.* Matienzo *n.9.* Xuarez *vbi suprà*, Cifuentes *dict.n.18.* Tello *l.16.Taur.n.2.* Mantica *n.8.*

12 Hinc fit, quòd si vir recepit in dotem aliquas possessiones æstimatas æstimatione, quæ facit emptionem, si postea legat easdem res, vel vnam ex illis vxori, etiamsi leget sub commemoratione dotis, non censetur legare animo compensandi; quia non erat debitor illarum possessionum, sed æstimationis: & illa verba adiecta à testatore, *ego vxori tales possessiones, quas recepi in dotē*, adiecta videntur causa demonstrationis, non causa taxationis. Sic glossa communiter approbata *l.Licinius ff.de legat.2.* Cifuentes *dict.n.18.* Greg. Lopez *part.6.tit.9.l.16.vers. los dineros*, Gratian. *regula* 285. *n.7.* dicens communem: secus (inquit Gratian.) si non recepit æstimatas. Item, si debitor leget creditori rem specialiter hypothecatam pro debito, non censetur animo compensandi, quando debitum est voluntarium, Anton. Gomez *dict.cap.12 n.27.* multos referens.



13 Secundò fit, quòd si pater legat aliquid filio, censetur animo compentandi cum legitima, nisi oppositum exprimat; quia debitum legitimæ, cùm sit à lege, censetur necessarium: & patet ex *Auth. ex testamento, C. de collat.* Sic Anton. Gomez *l.29. Taur. n.3.* Gratian. *suprà n.3.* & 4. Matienzo *n.4.* Couar. *n.2.* & similiter dicunt Couar. & Matienzo *ibi*, quòd si legat filiæ, censetur animo compensandi cum dote, cùm lege teneatur filiam dotare: & patet ex *dict. Auth. præterea, & dict. §. si pater*; & hoc idem Nauar. *cap. 17. num. 150. in omnibus summis*, vtrumque dicit Mantica *num.5.& 6.*

14 Tertiò fit, quòd si vir legat vxori, vel è contra, censetur legare animo compentandi cum ea parte, quæ sibi à lege, vel statuto pertinet, *Auth. præterea, C. vnde vir, & vxor.* Sic Aretin. Bald. Decius, Iason, Socinus Campesius, quos refert, & sequitur Gratian. *suprà n.5.* Bernard. Diaz *regula* 454. Matienzo *num.7.*

15 Quartò nota limitandam esse conclusionem, nisi testator dicat, lego de bonis meis; tunc enim non erit compensatio, cùm bona dicantur, deducto ære alieno, *l.subsignatum, §. bona ff de verbor. signif.* Hoc est contra Cumanum, Aretinum, Decium, quos refert, & sequitur Couar. *suprà num.7. fine.* Sed hoc tenent Felin. Bald. Alex. Iason, Corneus, Barbat. Hyppolit. quos refert *ibi* Couar. Tello *l.16. Taur. num.*

16 Quintò nota, quòd debitum voluntarium dicitur quodcumque oritur ex quauis promissione, mutuo seruitio, &c. quia oritur ex contractu ab initio voluntario, scilicet receptione mutui, receptione seruitij. Ita mihi affirmauit quidam doctus Iurisconsultus: & patet ex allegatis testibus, & Doctoribus pro secunda conclusione, vt restitutio dotis facta vxori soluto matrimonio, dicitur debitum voluntarium: quia contractus matrimonij, & receptio dotis, fuit voluntaria, & expressè hoc tenet Cifuentes *l.16.Taur.num.18.* vbi dicit debitorem necessarium esse, qui incidit in obligationem ex dispositione absque suo facto: voluntarium verò, qui suo facto incidit in obligationem.

17 Vltima conclusio: licèt legatum censeatur in dubio factum animo compensandi debitum legale, seu necessarium, at non sic donatio inter viuos, *l.etiam §. si debita, ff.de bonis libert. vers. sed si non mortis, l.si vero, vers. cæterum, ff. eodem tit.* Sic Socinus, quem refert, ac sequitur Couar. *suprà num. 9.* Molina *ibi*, Greg. Lopez *l.16.tit.9.p. 6. sub finem*, licèt Iason *Auth. præterea, C. vnde vir*, contrarium teneat; cuius opinio, ait Couar. procedit, & est vera, vbi in certam causam legatum est directum, & ad eandem causam donatio facta fuisset.

## DVBIVM XVI.

*Quando debeantur legata, & dum ea non soluuntur, ad quem pertineant fructus rei legatæ, si fructifera sit.*

1 HÆc quæstio grauissima est, & quidem stando in iure communi, communis ferè omnium sententia est à die mortis testatoris pertinere dominium fictum rei legatæ ad legatarium, verum autem dominium tantùm pertinere à die aditæ hæreditatis, vel quando est in mora adeundi, vt optimè docet allegans alios Couar. *cap. Raynaldus, de testam. §.1. num.1.* Dueñas *regula* 210. *limit. 6.* Azebedo *lib.5. recopil. tit.4.l.1.n.123.* Burgos de Paz *l.3. Taur. a n.936.* Greg. Lopez *l.24 tit.9.p.6. vers. el senorio*, & sic explicant legem illam, ne sit contraria iuri communi; & *l.37. eodem tit.9. part.6.* vbi dicitur fructus non pertinere ad legatarium à die mortis testatoris, sed à die aditæ hæreditatis; si enim verùs esset Dominus à die mortis testatoris, & tunc pertinerent ad ipsum fructus: & sic iure communi frequentior ferè omnium sententia erat fructus rei legatæ pertinere ad legatarium à die aditæ hæreditatis, vel à die moræ adeundi, non verò à die mortis testatoris, vt multos referens docet latè Matienzo *lib.5. recopil. tit. 4.l.1. gloss. 14. a n.24.* vbi etiam aliquas limitationes adhibet.

2 At stando in iure Regni nouiori dicendum est acquiri verum dominium legatario à die mortis testatoris, quando testator rem propriam legauit, nam quando alienam legauit, acquiritur à die aditæ hæreditatis, vel moræ, vt docent Matienzo *infra num.33.* & Burgos de Paz *infrà, num.947.* & non est necesse expectare diem aditionis hæreditatis, vel moræ: id enim erat iure communi verum: quia iure communi legata habebant dependentiam ab aditione hæreditatis, & illa non adita, corruebant: at cùm iure regni hoc cessarit, & iam valeant legata absque aditione hæreditatis, l. 1 *tit.4.lib.5. nouæ recopil.* fit vt iam legata non pendeant ab aditione hæreditatis: & sic dominium illorum acquiratur legatario à die mortis testatoris, vt optimè Matienzo *dicta l.1. gloss.14. num. 31.* Burgos de Paz *l.3. Taur. 1.p.num. 936. & 946.*

3 Hinc fit iure nouo huius regni deberi fructus rei legatæ legatario à die mortis testatoris, nam res fructificat suo domino: cùm ergo legatarius acquirat verum dominium à die mortis testatoris, ex tunc etiam sunt ei fructus restituendi. Sic tenent Azebedo *lib.6. recopil. tit.4.l.1. num.125* Padilla *l. eam quam, C. de fideicomm. num.87.* Matienzo *dicta gloss.14.n.30.* Burgos *l.3. Taur. 1.p.n.944. 945.* Couar. *lib.1. var. cap. 9. num.5.* Anton. Gomez *lib.1. var. cap.12. num.5.* & in hoc magis inclinat, licèt dubius, Greg. Lopez *l.37. vers. los frutos, tit. 9. part. 6.* quamuis Anton. Gomez, & Couar. non referant legem regni, at reliqui dicunt per legem citatam regni corrigi in hoc ius commune.

4 Nota primò, quòd quando legatur alicui certum quid in quantitate, sed incertum in individuo, vt quòd dentur alicui tot mensuræ tritici, vini, non comparatur dominium vsque ad traditionem, at bona defuncti sunt pro illa hypothecata ad quemcunque peruenient. Sic Ant. Gomez *tom.1. var. c.19.n.8.* Mol *tom. 1. de iust. tract. 2. disp.3. fol.63.* vbi etiam cum aliis dicit esse tacitè hypothecata, quando res designata legatur, donec tradatur.

5 Secundò nota hoc, quod supra diximus, scilicet deberi fructus rei legatæ legatario à die mortis testatoris, intelligendum esse, quando legatur res propria testatoris, si enim res aliena, cùm non transeat dominium statim in legatarium, non debentur fructus nisi à tempore moræ, in quo hæres tenebatur, vel rem illam, vel æstimationem dare. Sic Anton. Gomez multos referens *dicto c. 2. num. 20.* Matienzo *dicto num. 33.* Burgos de Paz *dicto num.947. & ibi* videndus est Anton. Gomez, vbi dicit, quòd si legatum consistit in vniuersitate, vt in grege, fructus veniunt à tempore testamenti facti; quia reputantur vnum & idem corpus, & legatum; & refert multos: similiter quòd si simpliciter legat gregem, & grex totus est testatoris, dempta vna pecude, vel oue, non videtur illam legare: vnde hæres non tenebitur illam dare, vel æstimationem, sed tantùm quod erat testatoris ex illo grege: si verò è contra totus grex sit alienus, excepta vna oue, dicendum est, quòd si ignorauerit gregem esse alienum, tantùm debetur, quæ est propria testatoris; si verò sciuit, debentur omnes, vel æstimatio legatario, & refert ibi textus, & Doctores ad hoc.

6 Tertiò nota aliquos limitare etiam, vt non debeantur fructus à die mortis testatoris, sed à tempore moræ, quando legatum est rei genericæ, vel partis, vel quotæ bonorum; quia antea non transit in his dominium ad legatarium, *l.si quis bonorum, ff.de legat.1.* & tenent multi, quos refert, & sequitur Matienzo *dicta glossa 14.num.33.* Anton. Gomez *dicto cap. 12.num. 22.* sed Azebedo *dicta l.1.num. 126.* dicit etiam in his casibus deberi fructus legati à die mortis testatoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca



7 Quartò nota, quòd Tello *l.3. Taur.p.3.n.10.& 11.* limitat hoc, vt quando legatur vsusfructus alicui, non debeatur, nisi à die aditæ hæreditatis, & latè probat. Sed hoc reiicit, & latè probat deberi à die mortis testatoris, Matienzo *dicta gloss. 14.n.35.& 36.*

8 Tandem ex dictis infertur, quòd licèt iure communi placitum fructus legati antè aditam hæreditatem, & moram susceptos, non esse legatario restituendos; & seruum legatum, si ante aditam hæreditatem, & moram aliquid acquirat, acquirere hæredi: at hodie attenta *dicta l.1.noua recopil.* vtrumque sublatum, & fructus à morte testatoris prouenientes, sunt restituendi legatario, vt ex multis Doctoribus probaui: & quæsita à seruo legato ante aditam etiam hæreditatem, à morte testatoris sunt legatario tanquam vero domino reddenda. Sic Burgos *l.3. Taur.1.p.n.950.951.*

9 Aduerte tamen, quòd quando statim à morte testatoris non transit dominium legati, non debebuntur etiam ex tunc fructus, v.g. si legatum sit disiunctiuum relictum electioni legatarij, vel conditionale; vel ad certum diem, non transit dominium, nisi à die electionis, vel aduentus conditionis, vel à die, quo legatum dandum est: & sic ex tunc tantùm pertinent fructus ad legatarium. Sic Matienzo *dicta gloss. 14. num. 34.*

## DVBIVM XVII.

*An si quidam legauit centum aureos, quos dicit se habere in tali loco, vel centum cados vini, vel olei, quos dicit talibus vasis contineri, & postea inueniantur tantùm quinquaginta aurei, vel cadi olei, debeantur integrè centum, vel tantùm quinquaginta.*

1 REspondetur, quòd legatarius habebit illa quinquaginta, quæ reperta fuerint: & si plures fuerint legatarij diuident pro rata, *l. si quis testam. ff. de legat.1.* Sic Armil. *verbo legatum, n.25.* Tabien. *legatum 1.num. 33.* Sylueſt. *legatum 3.q 5.* Angel. *legatum 1.n.35.*

2 Hoc tamen limitandum est, quando totum legatum continetur in eadem oratione, vt lego centum aureos, quos habeo in arca mea; secus quando fieret demonstratio in diuersa oratione; vt lego centum aureos & volo, vt dentur de numis, quos habeo in arca mea; tunc enim licèt reperiantur tantùm quinquaginta, debebuntur integra centum. Sic dixit quidam doctus Iurisperitus à me consultus: & probatur ex doctrina Pauli de Castro *consil. 338.volum.1.in nouis, col.3.vers. pro intellectu huius dubij*, & Decij *consil.324.n.* 1. Bartol. *l. inter stipulantem, §. jacram.ff. de verb.oblig.* quam refert, & sequitur Tello *l.17. Taur.n.* 127. nempe quòd quando præcedit aliqua dispositio significans quid solui debeatur, & postea subnectitur locus, vnde debeat præstatio fieri; & sic sunt duæ orationes; tunc illa assignatio videtur opposita gratia demonstrationis; quare non limitat dispositionem, & sic quamuis deficiat, debetur. Quando verò vna tantùm est oratio significans quid, & vnde solui debeat: tunc illa assignatio taxat dispositionem, & ea deficiente, deficit dispositio. Probatur etiam ex *l. quidam testam. ff. de legat. 1.* ibi enim legati fuerunt Pamphilæ quadringenti aurei, quos solui mandauit testator à Iulio tot, & ab aliis reliquos: testator illos nummos consumpsit in vita; dubitabatur, an esset legatum extinctum. Respondet illa lex, quòd non, quia illa designatio non fuit substantia legati, sed modus, vnde recuperaretur; ideo etsi modus deficiat, remanet substantia legati.

3 Ex hac doctrina infertur primò decisio huius casus, videlicet quidam testator haredem instituit monasterium Sancti Dominici omnium suorum bonorum, ea conditione, vt in eius ædibus templum constitueret, & in illis habitaret: postea legatum reliquit his verbis, Lego Petro nepoti meo redditus quindecim mille marauetinorum singulis annis, dum vixerit: omnes autem facultates testatoris præter ædes prædictas consumptæ sunt in soluendis aliis debitis, quibus per sententiam iudicis applicatæ fuerunt: nunc dubitatur, an monasterium teneatur soluere hoc legatum Petro nepoti testatoris. Respondetur non teneri: tum quia res vnde præstatio debet fieri, ponitur in eadem oratione, & sic limitat dispositionem; quare ea deficiente, deficit dispositio, iuxta doctrinam traditam: at hìc deficiunt redditus facultatum testatoris, cùm ex ædibus illius, in quibus successit monasterium, nulli possint prouenire redditus, voluit enim testator, & ea conditione instituit hæredem monasterium, vt in eis habitaret, templúmque construeret: tum etiam, quia quamuis res, vnde hæc summa soluenda foret, apponeretur in alia oratione, dicendo sic, Lego Petro nepoti meo quindecim mille marauerinos singulis annis, & volo, vt illi soluantur de redditibus mearum facultatum, in præsenti casu non deberetur legatum; quia expressè visus est velle, vt non solueretur ex redditibus suarum ædium, siquidem declarauit, se velle, vt monasterium perpetuò in illis habitaret, & templum construeret, & cæteræ facultates omnino extinctæ sunt; secus esset, si diceret, Lego nepoti meo quindecim mille marabetinos singulis annis, & volo, vt soluantur ex redditibus talis fundi: tunc enim cùm locus ex quo præstari debet legatum, apponatur in diuersa oratione, & sic non restringat legatum, iuxta dicta, extincto illo fundo, si aliæ facultates defuncti supersint, debebitur legatum. Ita docti Iurisperiti à me consulti.

4 Hinc etiam infertur decisio huius casus, videlicet quidam vendidit centum pondo lanarum ex suo grege (*arroba* Hispani vocant pondus viginti quinque librarum) contingit autem quòd ex suo grege non percipiat, nisi octoginta. Dubitatur, an teneatur tradere emptori omnia centum, vel satisfaciat tradendo octoginta tantùm.

5 Respondetur, quòd si restrictio illa, *ex suo grege*, apponatur in diuersa oratione, tenebitur tradere omnia centum; vt si diceret, Vendo Petro centum pondo lanarum, quas tradam ex lanis percepris de meo grege; quia cùm demonstratio illa, *de grege meo*, apponatur in diuersa oratione, non restringit dispositionem, iuxta supradicta: at si apponatur in eadem oratione, vt vendo tibi centum pondo lanarum de meo grege, tunc si grex non reddidit, nisi octoginta, non tenebitur tradere, nisi octoginta, quia cùm demonstratio illa, *de meo grege*, apponatur in eadem oratione, restringit dispositionem ad hoc, vt venditio non intelligatur fieri ex alia lana, nisi de illa: & ita deficiente parte illius quantitatis, deficiet venditio pro illa parte. Nec obstat clausula solita apponi in scripturis, scilicet quòd si venditor non tradiderit centum pondo lanarum, possit suis expensis emi, quod defuerit pretio tempore traditionis currente, &c. quia hæc verba referuntur ad lanas contentas in venditione, & lanæ contentæ in venditione sunt lanæ perceptæ de suo grege: quæ cùm sit in minori quantitate, quàm centum illa pondo, non est intelligenda illa clausula de hac parte lanarum, quæ defuit: sed si non traderet aliquam partem lanarum, quam ex suo grege percepit illo anno, de illa intelligenda est clausula, quòd teneatur illam quærere suis expensis, & tradere venditori, &c. & ideo vt teneatur omnes centum pondo tradere, in hoc casu necessarium est, quòd apponatur clausula, quæ expressè dicat, quòd in casu, quo grex suus non reddat illo anno centum pondo lanarum, eas aliunde quæret, vt emptori tradat. Ita doctus Iurisperitus affirmat dicens sic obtinuisse sententiam in quadam lite super hoc mota.

## DVBIVM XVIII.

*An si testator iubeat in suo testamento centum aureos distribui inter pauperes, arbitrio Petri, & Pauli eligendos, & hæres, vel testamentarius ex solius Petri consilio illos distribuat, teneatur iterum restituere.*

1 REspondeo, quòd si inter veros pauperes illos distribuit, licèt malè fecerit non seruando plenè formam



formam à testatore præscriptam, at non tenetur illos iterum restituere seruando formam; quia hæc restitutio re ipsa facienda erat pauperibus, & cùm iam sit facta, licèt non seruata fuerit forma testatoris, iam tamen satisfactum est suæ voluntati distribuendi illos centum aureos veris pauperibus. Si tamen testator designauit opera pia in particulari, vel certum genus pauperum, vt si diceret, mea conscientia grauatus obligatione restituendi centum aureos personis incertis, & mihi ignotis, volo vt quinquaginta expendantur in eleemosynis Missarum, & alia quinquaginta distribuantur inter viduas pauperes: tunc hæres, vel testamentarius aliis pauperibus præter designatos à testatore, vel in aliis operibus piis præterquam in Missis expendat, tenetur iterum restituere, & expendere in operibus à testatore designatis: & idem est, si omnes aurei expenderentur in Missis, vel omnes centum distribuerentur inter viduas pauperes; non enim esset satisfactum voluntati testatoris, sed teneretur hæres restituere eam partem, quæ defuit, Missis, vel viduis. Ratio, quia licet testator teneretur eam quantitatem in operibus piis expendere: at liberè poterat eligere, & eo ipso quòd elegit in testamento, sub quo obiit, acquisitum est ius in illis operibus piis, in quæ expendi iussit, quare si in alia expendat, tenetur restituere, nisi bona fide in alia opera pia expendisset; tunc enim non teneretur restituere, quia bona fide fecit, nec factus est locupletior. Sic docti iuniores à me consulti.

2 Hinc fit, quòd in hoc casu non est locus compensationi per Bullam Cruciatæ; quia iam non est debitum incertum, sed certum, cum acquisitum sit ius per testamentum, & quia vltima voluntas testatoris implenda omnino est. Sic prædicti recentiores.

3 Si tamen nil præscripsit defunctus, sed tantùm iussit, vt hæres exoneraret conscientiam suam pro quingentis aureis, quos debet, & nescit quibus personis debeat, tunc potest hæres iuuari bulla compositionis; quia iam hoc debitum est hæredis, & adhuc est incertum; & sufficienter exoneratur conscientia defuncti per bullam compositionis. Sic Henriquez *lib.7.de indulg. cap. 34. num.3.* & præfati recentiores.

## DVBIVM XIX.

*An legatum factum naturalibus alicuius oppidi, possit dari his, qui ibi habitarunt decennio, licèt aliunde sint oriundi.*

1 PRimò dico, quòd si non constet de animo non habitandi ibi perpetuò, potest dari. Ratio, quia habitatio decennalis facit aliquem naturalem, vt ex præsumptione habetur *l.2.tit. 24 part.4.* & sic Burgos de Paz *l.3. Taur.num.* 372. dicit hunc gaudere priuilegiis naturalis. Item, quia per talem habitationem acquiritur domicilium habitationis, at nomine originarij etiam in materia strictà intelligitur, qui habet domicilium habitationis. Dixi, *si non constet de animo non habitandi ibi perpetuò*, quia si de hoc constaret, non diceretur naturalis, & sic non posset habere illud legatum. Ratio, quia lex illa constituens naturalem per decennalem habitationem, decernit idem, quod *lex 2.C. de incolis, lib. 2.* vt testatur Greg. Lopez *l.32.tit.2. part.3. vers. dies años*, ad quem locum se remittit ipse *dicta l.2. vers. por moranza*: at ea lex intelligitur, quando non constat de animo perpetuò habitandi; nam quando constaret de momento habitationis, acquiritur domicilium: & quando constat de opposito animo, scilicet non habitandi perpetuò, nullo tempore acquiritur domicilium, & facit expressè pro hac parte Gregor. Lopez *dicto vers. dies años*; ad quem locum, vt dixi, se remittit pro explicatione illius legis *2. tit.24.p.4.* vbi dicit, quòd dum lex illa exigit decennalem habitationem, vt quis sit naturalis, intelligitur quando non constaret aliàs de animo ibi habitandi perpetuò, & constituendi ibi domicilium; tunc enim non esset necessaria habitatio decennalis: ergo signum est illam habitationem decennalem exigi ad præsumendam constitutionē domicilij. & animum habitandi perpetuò, vbi non constat de oppositio animo: si ergo in hoc casu reputatur à lege naturalis, potest ei dari legatum naturalibus relictum, quia verba testatoris in dubio interpretāda sunt, vt velint conformiter iuri disponere. Sic tenuit post factum longum studium quidam Iurisperitus doctus à me consultus.

2 Secundò dico, quòd si ante talem habitationem decennalem constaret de animo perpetuò habitandi, posset ei dari tale legatum, patet ex allatis dicto præcedenti ex Greg. Lopez, vbi dicit talem censeri naturalem secundùm leges. Ita etiam prædictus Iurisconsultus.

## DVBIVM XX.

*An si Petrus instituit hæredem, vel legauit aliquid Ioanni, sub hac conditione seu fideicommisso, vt sine liberis decedat, restituat hæreditatem, vel legatum tali monasterio, & Ioannes renunciauit huic iuri ob certā pecuniæ summam, quam ipsi contulit monasterium, possit hoc facere in præiudicium liberorum, qui postea nati sunt, & illos habens obiit.*

1 HÆc quæstio pēdet ex illa, an liberi in conditione positi, videantur vocati à testatore, seu per fideicommissum substituti, vt benè dicit Anton. Gomez *1.tom.var.c.5. n.42.* si censentur substituti, seu vocati, bona erunt vinculata, & non poterit hæres, vel legatarius grauatus restituere in vita, vel morte alienare, sed tenebitur ea prædictis filiis, vel descendentibus reseruare. Si verò non sunt vocati, potest de suis bonis disponere.

In hac ergo quæstione duplex est sententia.

2 Prima tenet liberos positos in conditione censeri vocatos, & substitutos. Hanc tenent multi, quos refert Anton. Gomez *ibi*, & multo plures refert Mantica cum multis fundamentis, *lib. 11. de coniecturata voluntate testatoris, tit.2.n.1.& 2.* vbi concludit *in fine.n.* 2. vtramuis sententiam posse defendi, & esse quæstionem satis dubiam; & *n.* 19. concludit cum multis Doctoribus, quòd si minimè coniecturæ accedant, quòd eos voluerit vocare, censentur vocati, cùm absque dictis coniecturis res sit in se satis dubia. Sic Couar. *c. Raynutius, §.3.n.8. de test.* contratium huius dicere videtur, ait enim, quòd si quando à sententia secunda statim ponenda recedendum erit, non temerè, sed cautè & attentè admodum arbitrabitur iudex ex coniecturis mentem testatoris fuisse tales liberos positos in conditione vocare: vbi videtur clarè sentire non quamcunque leuem coniecturam sufficere.

3 Secunda sententia tenet non censeri vocatos, seu substitutos, & sic posse instituum, si cum liberis decedat, disponere de illis bonis eo modo, quo potest de aliis propriis bonis. Fundamenta huius sententiæ latè ponunt Mant. *supra à n.1.* Couar. Ant. Gomez, P. Mol. *vbi infrà*; & ea tanquam probabilior, & communior est tenenda: pro qua refert Mant. *ibi* innumeros authores, *n.1.* & multos dicentes esse communem, & eam etiam tenent gloss. *l. Lucius, la 2. vers. liber. ff. de hæred. instit.* Couar. *d.c. Raynutius. §.3.à 2.n.* Iulius Clarus *lib. 3. recept. §. testam.q.77.* Molina *tom.1. de iust. tract.2. disp. 190. fol.1160.* Ant. Gomez *1.var.c.5.n 42.* & multi alij, quos *ibi* referunt.

4 Sequendo ergo hanc secundam sententiam respondendum est ad casum initio propositum, quòd talis hæres, vel legatarius grauatus, *si sine liberis decesserit*, &c. potuit transigere cum monasterio, cui erat restituturus deficiente conditione, in præiudicium liberorum; quia liberi non censentur vocati, seu substituti.

5 Maior autem difficultas est, an si testator dixerit, *si decesserit sine liberis ex legitimo matrimonio procreatis*, quia tunc censentur vocati, seu substituti tales liberi, hoc enim voluisse videtur testator, cùm specificauerit ex legitimo matrimonio, quòd tales filij legitimi sint hæredes. Et sic tenet Mantica *dicto libro 11. tit. 3. numero 7.* Socinus

iunior

Universidad de Deusto
Biblioteca



iunior *consil.*110.*n.*25.26.*& 27.volum.*3. *& consil.*145.*n.* 39.*eod. vol.* 3.*& consil.* 103.*num.*4.*& 19. fine, vol.* 2. *& consil.*44.*n.*28.*fine.* Et ita iudicatum est Granatæ à quodam iudice conseruatore contra monasterium, & in fauorem filiorum, quos habuit legatarius, non obstante, quòd monasterium ob certam pecuniæ summam transegerat cum legatario, antequam filios haberet.

6 At contrariam sententiam tenent alij, scilicet etiam in eo casu non censeri vocatos liberos, sed operari illam expressionem, quòd pauciores excludant substitutum: item tollere dubium maximum, quod est in iure, an conditio, *si sine liberis decesserit*, impleatur, si decedat cum liberis illegitimis. Et sic tenet Sanchez *in repetit.* § *cùm ita, l. hæredes mei. ff. ad S. C. Trebel.* 7. *p. n.* 57. & dicit, quòd sunt innumeri consulentes pro hac parte: at eos non refert. Pro hac enim parte sunt Anton. Gomez *dict. n.*42. Iulius Clarus *suprà q.*76. *vers. tertia coniectura,* & alij quos refert Mantica *eo tit.*3. *num...* dicens esse communem; licèt ipse cum aliis oppositum teneat: vbi dicunt, quòd licèt filius positus in conditione sit ex descendentibus testatoris, non ob id censetur vocatus, vt si in Hispania leget suo filio quintum bonorum ea conditione, vt *si sine liberis decesserit*, restituat extraneo: adhuc enim in hoc casu, in quo liberi positi in conditione sunt descendentes testatoris, quos præsumitur valde amare, non censentur vocati, nedum in nostro casu. Sic quidam doctus Iurisperitus mordicus defensauit causam dicti monasterij.

7 De aliis coniecturis, ex quibus præsumatur censeri vocatos liberos positos in conditione, consule Manticam *toto illo tit.*3 Anton. Gomez *à n.*42. *& infrà,* Couar. *illa* §. 3. Iulium Clarum *ea q.* 76.

8 Plura alia de hac conditione, *si sine liberis decesserit.* an scilicet censeatur cum liberis decedere, si ingrediatur religionem bonorum capacem, ita vt excludat substitutum: & an sat sint filij illegitimi, & quando ea conditio censeatur apposita, scilicet, *si sine liberis decesserit*, licèt non exprimatur, & multa alia circa hoc, vide apud Molinam *dict. disp.*190. vbi alios refert, & Manticam *de coniect. vlt. volunt. lib.*10. *tit.*4. *n.*18.19. *& lib.*11. *toto tit.*7.

## DVBIVM XXI.

*An legatum pium ad dotandas orphanas consanguineas intra certum tempus, si intra illud tempus non possit impleri, quia nullæ reperiuntur consanguineæ nubiles, debeat conuerti in aliud opus pium, vel potiùs cedat hæredi.*

1 QVidam in suo testamento reliquit hanc clausulam, *volo, vt ex meis bonis emantur redditus centum aureorum pro singulis annis ad collocandam in matrimonium orphanam consanguineam*, transacti sunt quatuor anni, in quibus nulla inuenta est consanguinea orphana apta matrimonio; dubitatur vtrum redditus horum quatuor annorum conuertendi sint in aliud opus pium, vel cedant potiùs hæredibus testatoris.

2 Supponendum est iuxta receptiorem sententiam hoc legatum non censeri pium; quotiescunque enim aliquid legatur consanguineis pauperibus, nisi expressè dicatur legari pro anima, vel causa pietatis, non censetur pium; prævalere enim præsumitur sanguinis affectionem, cùm ea sit naturalis, quod ex multis Doctoribus probat Tiraquel. *de priuil. pia causa, in præfat. n.*16. *&* 17. licèt ipse cogitandum relinquat: & tenet cum multis Menochius *de præsumpt. lib.*4. *præsumpt.* 115. *à n.*6. *ad* 10.

3 Secundò supponendum est, quòd si testator aliquid legauit certæ personæ sub conditione, *vt nuberet*, & non potest impleri, quia illa ante nuptias decessit, attendendum est, an respectu pietatis, vel solo personæ illius intuitu id legarit: si enim causa pietatis, conuertendum est legatum in simile opus pium, scilicet alterius pauperis matrimonium; quia iam testator omnino abdicauit à suis hæredibus legatum illud, pio operi destinans illud. Si verò legauit intuitu personæ, cùm defecerit conditio, legatum sit caducum, & cedit hæredi testatoris, vt latè Mantica *tib.*8. *de coniect. vlt. volunt. tit.*5. *fine,* Molina *tom.* 1. *de iust. tract.*2. *disp.* 249.

4 Ex his sequitur decisio quæstionis propositæ, cùm enim non causa pietatis, sed sanguinis intuitu relictum sit hoc legatum, deficiente parentela, non est conuertendum in aliud opus pium, sed cedet hæredibus testatoris: at cùm in hoc casu non omnino deficiat parentela, sed tantùm ad tempus, legatum annuum illius temporis non cedet hæredi, sed seruandum est consanguineis testatoris dotandis in futurum; quia testator omnino voluit legatum illud consanguineis dotandis dari, sicut quando habuit intuitum ad piam causam, voluit omnino in causam piam expendi: & licèt aliquo anno non inueniretur causa pia, esset expendendum sequenti anno in aliqua causa pia: licèt enim huic distributioni terminus per testatorem designatus sit, nempe vt quotannis fiat: at is terminus non fuit ad extinguendam obligationem, vt transacto anno cedere deberet hæredi, sed ad designandos redditus vnicuique consanguineæ imperiendos, & ad sollicitandum hæredem, vel patronum, ne diu legati solutionem protraherent; benè enim testator præuidit non fore possibile, vt singulis annis essent consanguineæ matrimonio collocandæ.

## CAPVT III.

*De illegitimis.*

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *Quot sint differentiæ filiorum illegitimorum: & qui dicantur filij naturales, & qui spurij, & qui ex concubitu damnato.*

2 *An dicantur filij naturales, vel potiùs spurij, qui nascuntur ex parentibus habentibus impedimentum, non tamen dirimens matrimonium.*

3 *An filij nati ex clerico in minoribus ordinibus constituto, habente tamen beneficium Ecclesiasticum, vel notitio in Religione approbata, censeantur naturales, vel spurij.*

4 *Quales concubitus sint damnati; ita vt filij ex eis geniti dicantur ex damnato concubitu.*

5 *An nati ex adulterio mulieris coniugatæ sint ex damnato concubitu.*

6 *An filius, quem constat esse illegitimum, præsumatur in dubio naturalis, vel spurius.*

7 *An omnibus filis tam naturalibus, quàm spuriis, quàm natis ex damnato concubitu hoc sit commune, vt parentes teneantur illos alere.*

8. *An filij naturales sint hæredes necessarij ex testamento, & ab intestato matris, siue ea filios legitimos habeat si ue non.*

9 *An in d.l. Taur. & reliquis legibus sermonẽ facientibus de filis legitimis, nomine legitimorum comprehendatur filij legitimi rescripto Principis: & sic extantibus dictis legitimatis, non succedant matri filij naturales, sicut non succederent, si extarent filij legitimi: & an idem etiam dicendũ sit, quãdo extant filij adoptiui.*

10 *An filij spurij, qui non sunt ex damnato concubitu, possint succedere matri.*

11 *An filij Clericorum succedant consanguineis ex parte matris.*

12 *An filij ex damnato concubitu succedant matri.*

13 *An mater habens filios legitimos possit relinquere quintum natis ex damnato concubitu, & hoc licèt dicissimi sint.*

14 *An filij nati ex damnato concubitu possint succedere consanguineis ex matre natis.*

15 *An quod disponit l.*9. *&* 10. *Taur. vt parentes possint spuriis, & filiis naturalibus, & etiam natis ex damnato concubitu quintã bonorum partem relinquere, locum habeat, etsi illa quinta pars maior sit, quàm ea, quæ vni*



*mi filio, vel descendenti legitimo contigerit.*

16. *Quo pacto filij naturales succedant patri ex testamento, & ab intestato.*

17. *An si pater habeat filios legitimos, qui absque fraude bonis paternis renunciarunt, possit omnia bona filiis naturalibus relinquere, iique succedant ab intestato in duabus vncijs supradictis, ac si non extarent filij legitimi.*

18. *An filius naturalis succedat auis paternis, & maternis.*

19. *An filij spurij capaces sint recipiendi aliquid à patre via testamenti, vel donationis, vel ab intestato vltra alimenta, nam de alimentis certum est posse ea capere.*

20. *An spurius incapax recipiendi aliquid à patre, sit capax recipiendi per fideicommissum, v.g. si pater fidei amici committat, vt det spurio, an videlicet talis spurius ea bona possit ab amico recipere.*

21. *An suppositio hæredem, qui fidem dedit de restituenda hæreditate spurio (quod probabile esse dixi suprà) teneri eam restituere, cui teneatur restituere.*

22. *An lata sententia per iudicem, vt restituantur hæc bona quæ pater hæredi reliquit sub fideicommisso, vt daret spurio, sint restituenda fisco Ecclesiastico, vel seculari.*

23. *An hæres, qui tacitam præstitit fidem de restituendis bonis spurio, vocatus à iudice, & rogatus an præstiterit fidem, teneatur respondere, vel possit circa mendacium occultare veritatem.*

24. *An spurius possit per substitutionem vulgarem, vel fideicommissariam, vel pupillarem aliquid ex paternis bonis capere.*

25. *An spurius pupillariter substitutus possit succedere in bonis, quæ pupillo à patre prouenerunt.*

26. *An si pater præcipiat testamento bona suã distribui inter pauperes, vel coniunctos, possit exequutor testamentarius eligere filium spurium testatoris pauperem, ac illi conferre aliquid ex illis bonis paternis vltra alimenta.*

27. *An exequutor testamentarius, cui commissum est aliqua bona inter pauperes distribuere, possit ex eis aliqua conferre filio suo spurio pauperi.*

28. *An possit pater filium spurium hæredem instituere sub conditione, si à Principe fuerit legitimatus, & quem effectum habeat talis institutio.*

29. *An spurius institutus à patre sub conditione, si à Principe legitimetur, possit interim pendente conditione bona paterna, in quibus est institutus, petere, & ea non vt dominus, sed vt curator administrare.*

30. *An ex consensu filiorum legitimorum possit pater aliquid vltra alimenta relinquere filiis spuriis.*

31. *An pater possit relinquere quintum spuriis ad alimenta, quando spurij aliunde habent alimenta, vel artificium norunt, ex quo sine dedecore possunt victum quærere.*

32. *An quando spurius pauper est non habens aliunde alimenta, possit ei pater integrum relinquere quintum, si illud excedat alimentorum necessitatem, habita consideratione personæ, & qualitatis spurij.*

33. *An si quintum non sufficiat ad alimenta, possit pater filio spurio plus, quàm quintum relinquere.*

34. *An alimenta sint danda spuriis secundùm naturæ necessitatem, vel secundum status decentiam.*

35. *An hæc alimenta filiis spuriis relicta pertineant ad eorũ hæredes, vel tantum spurij in vita sint vsufructuary, & ipsis mortuis redeant ad patrem, & eorum hæredes.*

36. *An possit pater relinquere spurio, vel cuicumque alij filio illegitimo alimenta solum ad tempus vitæ talis spurij, & caueat, vt post spurij obitum redeant ad patrem, & eius hæredes.*

37. *An si quintum sit necessarium ad alimenta, attenta qualitate spurij & pater relinquat aliqua legata pia ex eo adimplenda, quia scilicet habet filios legitimos, sit minuendum dictum quintum ob ea legata.*

38. *An possit pater aliquid dare in vita, vel in morte filio spurio vltra alimenta propter filij merita.*

39. *An si pater excedat metas in assignanda dote filiæ spuriæ quia scilicet assignauit illi plusquam quintum, quod sufficiebat ad alimenta, possit peti ille excessus à viro constante matrimonio.*

40. *An titulo oneroso, aut lucrativo possit spurius aliquid à patre recipere.*

41. *An saltem spurij clericorum, seu Religiosorum, vel monialium filij possint contractu oneroso, vt per emptionem, aliquid à patre recipere.*

42. *An clericus, vel quicumque alius habens filiam spuriam, possit maritum spuriæ instituere, vel ei donare: & similiter si habeat filium spurium, possit vxorem spurij instituere, vel ei donare.*

43. *Qualiter parentes possint succedere filiis illegitimis, siue naturalibus, siue spuriis.*

44. *An spurij possint succedere consanguineis patris ex testamento, vel ab eis donationes recipere.*

45. *An filij spurij possint hæredes instituì ab auo, & ab eo donationem recipere.*

46. *An nepos ex filio incestuoso, id est, habito ex consanguinea, vel affini, possit institui ab auo.*

47. *An spurius possit præscribere relicta, vel donata sibi à patre.*

## DVBIVM I.

*Quot sint differentiæ filiorum illegitimorum, & qui dicantur filij naturales, & qui spurij, & qui ex concubitu damnato*

1 NOta, quòd licèt antiquitus plures essent illegitimorum differentiæ, de quibus gloss. *Auth. quibus mod. nat. effic. sui.* §. *fin. verbo participium, iuncta quibus mod. nat. effic. sui.* §. *fin. verbo participium, iuncta* gloss*a cap. nisi cum pridem, de renunc. vers. manzeres,* & Doctores *in pluribus locis, & l.*1. *tit.*15. *part.* 4. secabantur enim filij illegitimi in naturales tantùm, & in spurios, nothos, *manzeres*, nefarios, adulterinos, &c. At hodie duo sunt genera filiorum illegitimorum: alij etiam sunt naturales, alij spurij, & quicumque naturales non sunt, dicuntur spurij. Spurij autem alij sunt ex damnato concubitu, alij verò spurij tantùm, id est, non ex damnato concubitu: de quibus omnibus seorsum agendum est, quia circa eorum successiones varia sunt in iure statuta.

2 Secundò nota, quòd filius naturalis dicitur is, cuius parentes matrimonio coniungi poterant iustè sine dispensatione tempore conceptionis, vel natiuitatis, dummodò pater recognoscat eum ac filium, esto non haberet matrem domi, nec sit vnica sola concubina. Et licèt pater filium non recognoscat, sat est, si probetur filiatio: omnes enim antiquæ probationis filiationis species admittentur: de quibus videndi sunt Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.*8. §. 3. *per totum.* Ducñas *regula* 342. Rojas *de success. ab intestato, cap.*10. *à n.*4 Matienzo *l.*9. *tit.*8. *lib* 5 *recop. gloss.* 3. *per totu.* Sic Auendaño *l.*11. *Taur. gloss.*3. *n.*1. Sic habetur expressè *dict. l.*11. *Taur.* quæ hodie est *l.*9. *tit.*8. *lib.*5 *nouæ recopil.* licèt iure ciuili antiquo plures aliæ exigerentur conditiones: at secundùm ius canonicum idem requirebatur, & sufficiebat, vt filij essent naturales: quod *l.*11. *Taur.* statutum est, vt docet Tello plures referens *dicta l.*11. *Taur. n.*1. Spurij autem dicuntur, qui naturales non sunt, vt quia pater, & mater contrahere non poterant tempore conceptionis absque dispensatione, vt qui nati sunt ex consanguineis, vel monacho, vel promoto ad ordinem sacrum, &c. Nati ex damnato concubitu dicuntur secundùm ius commune, qui nascuntur ex coneubitu, qui foro externo puniebatur: at secundùm ius huius regni dicuntur, qui nascuntur ex concubitu, propter quem matri coëunti est pœna mortis in lege statuta. Sic habetur *l.*9. *Taur.* quæ hodie est *l.*8. *tit.*8. *lib.*5 *nouæ recop.*

3 Hinc infertur, quòd si quis habuit concubinam extra domum, ad quam publicè, & notoriè dicitur habuisse accessum, ex qua nati sunt filij, quòd si pater non recognoscat eos in filios, non debent iudicari eius filij, quoad successionem, & alimenta, nec quoad alia, quia tales filij

non

Universidad de Deusto
Biblioteca



non sunt naturales. Si verò semper recognouit eos in filios, tunc censentur eius filij. Si verò aliquando recognouit, at postea mutato proposito negauit eos esse filios, in omnibus haberi debent pro filiis. Sic Anton. Gomez *l.11.Taur.n.1.*

4 Tandem nota, quando concubina esset vnica; & domi retenta, non esset opus ad hoc vt filij dicerentur naturales, vt per patrem recognoscerentur, patet ex *cap. per tuas, de probat.* & docet plures referens Ant. Gomez *num.2.* Auendaño *in dictionario, verbo hijos*, cum hac tamen limitatione, quando concubina esset publicè domi retenta. De filiis autem conceptis ex coniugibus mutuo castitatis voto adstrictis, aut iam professis, an sint legitimi, dixi latè *lib.9. de matrim. tota disp.38.*

## DVBIVM II.

*An dicantur filij naturales, vel potius spurij, qui nascuntur ex parentibus habentibus impedimentum impediens, non tamen dirimens matrimonium.*

1 VIdetur, quòd sint spurij, quia *l.11.Taur.* quæ hodie est *l.9.tit.8.lib.5 noua recopilat.* dicit filios naturales esse qui nascuntur ex parentibus, qui iustè absque dispensatione poterant contrahere matrimonium, sed habentes impedimentum impediens, scilicet votum simplex castitatis, vel Religionis, vel quoduis aliud impediens, non tamen dirimens matrimonium, non possunt iustè absque dispensatione copulari matrimonio; ergo filij ex his nati non dicuntur naturales, sed spurij.

2 Sit conclusio. Filij nati ex parentibus habentibus impedimentum impediens, & non dirimens matrimonium, vt votum simplex castitatis, &c. non sunt spurij, sed naturales. Ratio, quia dum *dicta l.11.Taur.* dicit, quòd possint iustè absque dispensatione contrahere, intelligit *iustè*, id est, *validè*. Quod colligitur ex *cap. porrò, de diuor. in fine*, vbi dicitur officij Episcopi esse illa matrimonia dissoluere, quæ illicitè contracta noscuntur: vbi apertè intelligitur, *illicitè*, id est, inualidè, aliàs non esset matrimonium, si validum esset, licèt cum peccato contractum, dissoluendum. Colligitur etiam ex *l.5.tit.19. part.4.* vbi enumerans lex filios naturales, & distinguens eos contra spurios, inquit, *esso mesmo es de los que nacen, &c. no auiendo entre ellos embargo de parentesco, o de orden, o de Religion, o de casamiento.* Ecce quo pacto lex ponat filios naturales, qui nascuntur ex iis, inter quos non est impedimentum dirimens; ea enim omnia, quæ lex numerat, sunt impedimenta dirimentia matrimonium. Hanc conclusionem docet Lara *super legem, si quis à liberis, ff. de liber. agnosc. initio, n.93.*

## DVBIVM III.

*An filij nati ex clerico in minoribus ordinibus constituto, habente tamen beneficium Ecclesiasticum, vel ex nouitio in Religione approbata, censeantur naturales, vel spurij.*

CIrca natos ex Clerico in minoribus ordinibus constituto habente beneficium, est duplex sententia.

1 Prima docet esse spurios, & sic non legitimari per subsequens matrimonium (soli enim filij naturales per subsequens matrimonium legitimantur, *cap. tanta, qui fil. sint legit. l. cùm quis, C. de natur. lib. l. 1. tit. 13. part. 4.*) Probatur, quia habens beneficium Ecclesiasticũ solutus non est; licèt solui possit, & antequam dimittat statum, non potest contrahere matrimonium. Hanc tenet Batt. *l. in concubinatu, n.5. ff. de concubitu.* Panorm. *cap. per venerabilem, num.3. qui fil. sint legit.* Anchar. *cap. tanta, eodem tit.* Ludouicus de Sardis *tract. de legit. 2. p. §. de legitimatione per subsequens matrimonium, q.3. num.17.* Anton. Rosellus *tract. de legit. lib.1. n.3.* Xuarez *l.1. tit.6. lib.3. legum fori, col. penult.* Palacios Rubios *l.9. Taur. n.39. & l.11. n.15. & c. per vestras, de donat. not ab.3. §.21. n.22.* Cifuentes *l.9. Taur. n.6.* Sarmiento *lib.1 select. interpret. c.5. n.7.* & alij Doctores per hos citati. Henricus Menchaca *de succes. creat. §. 10. num.498. 509.*

2 Nota idem dicere Bart. & Sarmiento de filiis natis ex nouitio: & probant eadem ratione. Immo idem dicit Sarmiento de filiis illius, qui cum altera sponsalia contraxerat, & probat eadem ratione.

3 Secunda sententia docet natos ex Clericis in minoribus constitutis beneficium Ecclesiasticum habentibus non censeri spurios, sed naturales; ac proinde legitimari per subsequens matrimonium. Probatur, hi nati sunt ex parentibus, qui contrahere poterant matrimonium validum, licèt per hoc amitterent beneficium: ergo sunt filij naturales. Ita docent Mathesilanus, Nicolaus Waldens. Buttrio, Præpositus, Cardin. quos refert, ac sequitur Padilla *l. cum acutissimi. n.36. C. de fideicomm.* Tello *l.9. Taur. a n.35. vsque ad finem.* Greg. Lopez *part.4. tit.21. l.3. vers. los de la madre, & l.1. tit.13. part.4.* Perez *lib.1. ordin. tit.3. l.22. fol.168.* Matienzo *lib.8 ordin. tit.8. l.7. gloss. 12. n.2.* Lara *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc. principio, n.89.* Plaza *Epitome de delictis. lib.1. cap.41. n.33.* Dueñas *regula 350. n.7.* Auendaño *de exequend. mand. Regum, lib.2. cap.26. n.10.* Sylvest. *verbo legitimus, q.8.* referúntque Ioannem Andream, & alios, Couar. *4. decret. 2. p. cap.8. §.2. n.4. 5. & §.5. n.17.* Rojas *Epitome succes. cap.27. n.21.* Gutierr. *lib.2. pract. quæst. q.104* Menchaca *lib.3. controu. vsu fregn. cap.41. n.2.* Anton. Cucus *lib.5. instit. tit.11. de sacramento matrimonij, n.132.*

4 Sit prima conclusio: Hæc secunda sententia multo probabilior est; patet ex eius ratione, & authoribus.

5 Secunda conclusio: Multo etiam probabilius est filium genitum ex moniali, vel monacho, intra annum probationis esse naturalem; quia tales possunt contrahere matrimonium. Hæc est contra Sarmiento, & eam tenet Couar. *dicto §.2. n.5.* Palacios Rubios *l.9 Taur. n.41.* Præpositus *cap. tanta, qui fil. sint legit.* Immo filij Commendatorum, qui vouent solam castitatem coniugalem, & sic ex licentia Regis possunt nubere, sunt naturales: & sic licèt *l.9. Tau.* dicebatur, *Hijos de frayles, o freyles*; quia tunc non dispensaret Papa, vt hi possent nubere; at *in noua recopil. l.7. tit.8. lib.5.* vbi ponitur *l.9. Taur.* sublatum est illud verbum *freyles.* Sic Gutierr. *lib.2. pract. q.111.* Manuel *1. tomo summæ in 2. editione, cap.132. n.1.*

6 Vltima conclusio. Multo etiam probabilius est esse filium naturalem, qui genitus est ex eo, qui cum altera sponsalia contraxerat: patet ex dictis hoc, & dubio præcedenti; quia hic potest contrahere validum matrimonium cum illa, licèt peccet.

## DVBIVM IV.

*Quales concubitus sint damnati; ita vt filij ex eis geniti dicantur ex damnato concubitu.*

1 SVpponendum est concubitum damnatum secundùm ius huius regni Hispaniæ esse eum, propter quem marti coëunti est pœna mortis lege statuta, vt habetur *l. 9. Taur.* quæ hodie est *lex 7. tit. 8. lib. 5. noua recopilat.*

2 Sit conclusio. Aliqui sunt casus, in quibus mater propter concubitum meretur secundùm leges pœnam mortis, & sic filij ex illo nati sunt ex damnato concubitu.

3 Primus casus est, quando mulier proprio seruo se iunxit. Patet *l.1. C. de mulier. quæ propr. seru. se iunx.* Sic Greg. Lopez *l.11. tit.13. part.6. vers. natus ex damnato.* Tello dicens esse certum *l.9. Taur. num.4.* Matienzo *lib.5. ordinam. tit.8. l.7. glossa 11. num.5.* Rojas *Epitome succes. cap.26. num.38.*

4 Secundus casus est, quando filius nascitur ex adulterio, & incestu simul: tunc mater propter commistionem criminum incurrit pœnam mortis, *l. si adulterium cum incestu, ff. de adult.* vbi gloss. & Bart. Tello *vbi suprà num.5.* Rojas *n.33.* Gregor. Lopez *vbi suprà, & l. fin. tit.18. part.7.* Matienzo *dict. num.5.* Anton. Gabr. *1. tom. commun. lib.9. fol.512.*



5 Tertius casus est, quando filius nascitur ex concubitu incestuoso; quia scilicet mater copulam habuit cum consanguineo, vel affini intra quartum gradum. Probatur ex *l.11. tit.13. part.6.* ibi, *fueras ende*, &c. & *l.3. tit.28. part.7.* quæ mulieri posuit eamdem pœnam, quæ vino est propter adulterium impositæ, quæ est pœna mortis, *l.15. tit.17. part.7.* Sic tenet Tello *vbi suprà num.6.* Rojas *num.37.*

6 Sed hic tertius casus non est certus; immo probabilius est per incertum non incurrere matrem pœnam mortis; quia si aliquæ leges eam pœnam imponant, non sunt praxi receptæ: & sic consuetudine sunt abrogatæ. Sic tenet Matienzo *vbi suprà num.1.* & 2. Auendaño *resp. 7. num.2. fine, & n.3.* Antonius Gomez *l.80. Taur. num.15. & l.9. n.14.* Pro eadem est Anton. Gabr. *tomo 1. comm. lib.1. fol.512.513.* cum aliis quos refert, vbi dicens pœnam incestus esse pœnam mortis, limitat, si incestus committatur cum alia specie fornicationis, scilicet cum adulterio, vel stupro. Vnde (vt dicunt Ant. Gomez *dicta l.80. n.15.* & Auendaño *vbi suprà*) hodie pœna incestus est arbitraria.

7 Nota tamen in quodam casu tenere veram sententiam Tello, scilicet propter incestum incurrere matrem pœnam mortis, videlicet quando est incestus inter ascendentes, & descendentes; quia hic est incestus nefarius; & tunc casum dicit Greg. Lopez *vbi suprà* esse absque controuersia verum.

8 Quartus casus est, quando filius nascitur ex coitu habito inter Christianam, & Iudæum, vel Maurum. Patet *l.9. tit.24. part.7. & l. fin. tit.25. part.7.* Sic Greg. Lopez *super has leges*, Tello *vbi suprà num.7.* Matienzo *vbi suprà num.5.*

9 Quintus casus est, quando filius nascitur ex simplici fornicatione, quando fuit facta per famulum cum filia, vel consanguinea, vel virgine, quam herus habebat domi. Probatur ex *l.6. tit.20. lib.8 noua recopil.* vbi præcipitur, vt hæc tradatur hero, vt ipsam, si velit, occidat. Sic Tello *n.8.* Matienzo *n.5.*

10 Sed nota idem dubium esse de hoc casu, quod de adulterio est, de quo in sequenti dubio; quia vtrobique non determinatur lege pœna mortis; sed datur facultas hero, vel viro, vt possit occidere: & hunc casum reprobat Rojas *dict. cap.26. n.35.*

## DVBIVM V.

*An nati ex adulterio mulieris coniugatæ sint ex damnato concubitu.*

1 QVòd enim nati ex adulterio solutæ cum coniugato non sint ex damnato concubitu, res est manifestissima; quia eo casu mater non incurrit pœnam mortis. Sic Cifuentes, Ant. Gomez, Matienzo *vbi suprà*, Couar. *4 decret. 2. p. cap.8. §.5. n.18.* & alij, quos refert Ant. Gomez, Rojas *Epitome succes. cap.26. n.75.*

At verò de natis ex adulterio mulieris coniugatæ, est graue dubium: & sic est duplex sententia.

2 Prima docet hos non esse ex damnato concubitu. Probatur, quia aliud est legem permittere viro, vt occidat adulteram, aliud statuere mortis pœnam adulteræ: at leges non statuunt mortis pœnam adulteræ, sed tradunt marito, & permittunt, vt occidat, si velit, vt patet ex *l.1. tit.7. lib.4. legum fori, & l.1. tit.20. lib.8 noua recopilat.* & confirmatur ex doctrina Baldi *l. data opera, num.94. C. qui accus. non poss.* vbi dicit, quòd licèt non puniatur occidens diffidatum, non dicitur diffidatus damnatus morte; quia tantum est data copia ipsum occidendi. Vnde infert Baldus, quòd pœna adulterij non est mors, sed permittitur viro comprehensos in adulterio occidere. Idem gloss., & Paulus de Castro *l. accusationis, Cod. quod metus causa*, vbi dicunt, quòd licèt adulterum possit vir occidere, non tamen iure præcipiente, sed permittente fit. In hanc sententiam latiùs eam probans (nam *a f. 293. vsque ad 297.* eam disputat) magis propendit Perez *lib.8. ordin. tit.15. l.2. fol.297.* & dicit eam sequutum in quodam consilio, & in scriptis tradidisse Salmanticæ, dum Cathedram moderaretur.

3 Secunda sententia docet hos filios esse ex damnato concubitu. Probatur, adultera potest propter adulterium interfici à viro ex legum dispositione, ergo adultera incurrit pœnam mortis, aliàs non posset pœna mortis plecti. Item quia lex de adultera post iudicis sententiam occidenda, non est tantùm permissiua, sic enim non excusaretur à peccato vir occidens, sed est dispositiua, vt adultera occidatur, si tamen vir voluerit: & sic vir non peccat occidendo vxorem post iudicis sententiam, quia id facit authoritate legis, & iudicis, vt minister iustitiæ, voluntarius tamen, vt benè docet Metina *C. de restitut. quæst.3.* & plures alij. Item quia iure communi adulterinus concubitus erat damnatus, & sic filij ex eo geniti non succedebant matri: & iure communi dicebatur concubitus damnatus, qui erat per leges punibilis: & in hoc conueniunt omnes, vt docent optimè Suarez, & plures alij, quos refert dicens esse certissimum Tello *l. 9. Taur.* & de iure Partitarum docet idem Gregor. Lopez *l. 11. vers. natus, tit.13. part.6.* (vt testatur Perez *vbi suprà fol.296.*) immò ipse Perez *ibi* fatetur hãc videri veriorem, licèt postea *fol. 297.* magis in priorem sententiam inclinet.

4 Sit conclusio. Prior sententia probabilis est, habet enim authores, & optimas rationes; & Doctores oppositum opinantes non vt certam, sed vt veriorem sequuntur oppositam sententiam; at posterior sententia est probabilior: habet enim plures authores, & probabiliores rationes.

## DVBIVM VI.

*An filius, quem constat esse illegitimum, præsumatur in dubio naturalis, vel spurius.*

1 ALiqui absolutè docent præsumi naturalem; quia non præsumit ius factum, aut qualitatem necessariam, vt dicatur quis spurius, quæ à natura non inest. Sic Couarr. *4. decret. 2. p. cap.8. §.3. n.1.* Baldus *consil.448. vol.1. n.4.* Aimon *consil.166. n.1. & consil.138. n.1.* Alij verò oppositum docent, quos refert Tello *l.11. Taur. num.3.* Sed loquuntur de iure communi, quo attento erat necessarium concubinam domini retineri, vt esset naturalis, & cùm sit factum, non præsumitur.

Sed breuiter statuam aliquas conclusiones.

2 Prima conclusio. Quando quis est reus, quia scilicet possidet illud, quod possidere non poterat, si esset spurius, v. g. hæreditatem paternam, præsumitur in dubio naturalis filius, & sic capax hæreditatis: & qui voluerit ab eo auferre, tenetur probare esse spurium. Et in hoc casu habet verum sententia Baldi, Couar. & Aimonis; & potest

Universidad de Deusto
Biblioteca



probari, quia in hoc dubio potius ius habet hic, qui est in possessione. Sic præter Doctores citatos docet *ibi* Tello *num.6.*

3 Nota hanc conclusionem esse veram non tantùm quando non sunt alij hæredes necessarij, vt ascendentes, ad quos pertinebat hæreditas, si hic filius non esset naturalis, sed etiamsi hæredes sint, si filius sit à patre institutus, & est in possessione bonorum; sufficit ei sola possessio hæc, vt præsumatur naturalis, donec actor probet esse spurium, Sic cum Baldo, & Aimone docet Tello *num.9.10.*

4 Secundò nota intelligendam conclusionem, nisi quando ius resistit. illi possessioni; tunc enim non præsumitur pro illa qualitate, cùm habeat ius commune contra se; vt siue sit actor, siue reus, qui prætendit nobilitatem, tenetur probare qualitatem legitimationis, vel naturalitatis; quia ius resistit possessioni, cùm solùm concedat nobilitatem habentibus titulum à Principe concessum Sic Tello *num.8.* alios referens.

5 Secunda conclusio. Quando filius est actor, & alius possidens, in cuius damnum intendit se esse naturalem, non præsumitur id, nisi probetur; si verò non est alius possidens, in cuius damnum id intendat, præsumitur esse illius qualitatis, quam asserit, nisi de oppositа sit diffamatus. Sic alios referens Tello *num.5 & 7.*

## DVBIVM VII.

*An omnibus filiis tam naturalibus, quàm spuriis, quàm natu ex damnato concubitu hoc sit commune, vt parentes teneantur illos alere.*

1 SIt conclusio. Certissima res est parentes teneri his omnibus alimenta præstare, si aliunde non habeant, vnde se alant. Ratio, quia ius naturæ præcipit alimenta præstari filiis à parentibus: quod ius fortius est quocumque ciuili.

2 Quota verò quantitas ratione alimentorum præstanda sit, latè *infrà* dicetur.

## DVBIVM VIII.

*An filij naturales sint hæredes necessarij ex testamento, & ab intestato matris, siue ea filios legitimos habeat, siue non.*

1 SIt prima conclusio. Si mater careat filiis, & descendentibus legitimis, filij naturales sunt hæredes necessarij ex testamento, & ab intestato, licèt habeat parentes, & quoslibet alios ascendentes legitimos. Sic habetur expressè *l.9. Taur.* quæ hodie est *l.7. tit.8. lib.5. nouæ recopil.*

2 Hinc infertur, quòd si hoc casu, quo mater careat filiis, & descendentibus legitimis, non instituat filios, & descendentes naturales in testamento, tanquam hæredes, possunt rumpere, & subuertere testamentum matris, tanquam si essent legitimi, licèt talis mater habeat ascendentes legitimos. Patet, quia eo casu sunt hæredes legitimi, ex *dict.l.9. Taur.* Sic Couar. *4.decret. 2.p.cap.8 §.4.n. 16.* Anton. Gomez *l 9 Taur.num.12.*

3 Secunda conclusio. Si mater habeat filios, aut descendentes legitimos, non possunt filij, aut descendentes naturales esse eius hæredes ex testamento, vel ab intestato; potest tamen illis mater in vita, vel mortis tempore relinquere quintam bonorum partem. Sic habetur *dict. l. 9. Taur. & dict. l.7. nouæ recopilat.*

4 Hinc infertur correctam esse hodie *l. si qua illustris, C. ad Orfic. & l.11. tit.13. part.6.* quæ disponebant filium naturalem succedere matri ab intestato simul cum legitimis. Sed hoc correctum est per *l.9. Taur.* quæ oppositum disponit. Sic docet Couar. *dict. §.4. n.15.* Gregor. Lopez *dict. l.11. vers. con los.*

5 Secundò infertur, si mater, quæ filios, aut descendentes legitimos habet, non relinquat quintum bonorum filiis naturalibus, non posse filios naturales contra-

tabulare, & rumpere testamentum. Ratio, quia *l.9 Taur.* non imponit necessitatem relinquendi quintum, sed solùm permittit posse eis quintum relinquere. Sic Gomez Arias *l.7. Taur. num.80.*

6 An verò si nulla relinquat alimenta, possit filius naturalis ea petere: certum est posse etiam ab hæredibus parentum, si talis filius naturalis aliunde alimenta non haber.

7 Tertiò infertur, posse matrem his filiis naturalibus relinquere quintum, etiamsi hi filij aliàs ditissimi sint, & etiamsi mater habeat filios legitimos. Ratio, quia *dict. l.9. Taur.* vniuersaliter permittit posse his filiis legari quintum à matre, sicut posset mater tale quintum legare extraneo. Sic Tello *dict.l.9. num.34.* Matienzo *lib. 5. ordinam.tit.8. l.7. gloss.10. num.2.* Gutierrez *lib.2. practic. quæst.110.*

## DVBIVM IX.

*An in dict.l.9. Tauri, & reliquis legibus sermonem facientibus de filijs legitimis, nomine legitimorum comprehendantus filij legitimati rescripto Principis: & sic extantibus dictis legitimatis, non succedant matri filij naturales, sicut non succederent, si extarent filij legitimi: & an idem etiam dicendum sit, quando extant filij adoptiui.*

1 HOc dubium latè agitat Tello *à n.14. vsque ad 22. l. 9. Taur.* & refert plures pro vtraque parte Doctores: sed breuiter cum ipso statuâ aliquas conclusiones.

2 Sit prima conclusio. Quoties legitimatio non est verè legitimatio, sed potiùs dispensatio, vt si filius spurius rescripto Principis legitimetur, tunè talis legitimatus non comprehenditur nomine legitimi: & sic extantibus talibus filiis legitimatis, succedent filij naturales matri. Ratio, quia cùm hic non sit verè legitimatus, non est, cur nomine legitimi comprehendatur. Sic Tello plures referens, & dicens esse certissimum apud omnes *d.l.9.n.21.*

3 Nota ad intelligentiam conclusionis ex Tello *l. 12. Taur.num.24.* vbi alios plures refert: quoties filius naturalis legitimatur respectu personæ, est vera legitimatio: & sic dicetur verè legitimus, & consequetur omnes effectus præter in legitimatione modificatos, quos consequitur natus ex vero matrimonio: & hoc est verum, licèt successio, ad quam legitimatur, sit modificata. Quoties verò spurius legitimatur, etsi successio non sit limitata, nec in persona demus diminutionem legitimationis, erit dispensatio, & non vera legitimatio: & hoc dicit esse commune omnium placitum.

4 Secunda conclusio. Quando ex intentione legis, vel dispositione hominis colligitur, quòd intellexerit de verè legitimo, & non legitimato, nomine legitimi non comprehenditur legitimatus. Patet, quia omnes leges respiciunt substantiam ex earum intentione, *l. scire, ff. de legib.* intentio autem dicitur constare iuxta communem loquentium vsum, secundùm quem lex, & dispositio interpretandæ sunt, *l. librorum, §. quod tamen Cassius, ff. de legat.* 3. Sic Tello *ibi num.22. in l. 9. Taur.* dicitque esse omnium.

5 Tertia conclusio. Extra hos casus, quando lex loquitur de filiis legitimis, comprehendit etiam filios verè legitimatos rescripto Principis: vnde si talis mater habeat filios verè legitimatos, non succedent ei filij naturales, iuxta *l.9. Taur.* Probatur, nam lex legitimationem facit, & in lege legitimatus verè dicitur legitimus. Sic tenet latiùs probans, & plures referens Tello *l 9. Taur.n.22. fine.* Couar. *4 decret. 2 p.cap.8. §.4.n.9 & §.8.n.3.* Gregorius Lopez *l.8. tit.13. vers. dos partes, part.6.*

6 Hinc infertur attendenda esse verba legitimationis ad pensandum, an sit dispensatio, vel legitimatio; nam si dispensatio fuerit, omnes fatentur sic legitimatum non claudi sub nomine legitimi. Sic Tello *dicta l. 9. num.22.* Quando verò dicatur dispensatio, & quando vera legitimatio, latissimè Couar. *dict. §.8. à n.1.* per plures.

7 Vltima





7 Vltima conclusio. Nomine filiorum legitimorum ineluduntur etiam adoptiui: vnde si mater habeat filios adoptiuos, non succedent ei filij naturales. Sic alios referens Conar. 4. *decret. 2.p.cap. 9.§. 4.num.9.* Greg. Lopez *vbi suprà*, Tello *l.10. Taur. num.24.*

## DVBIVM X.

*An filij spurij, qui non sunt ex damnato concubitu, possint succedere matri.*

1 NOta certissimum esse omnes filios spurios esse legitimos, ac necessarios hæredes matris deficientibus filiis, & descendentibus legitimis, licèt mater habeat ascendentes legitimos, demptis iis, qui ex damnato sunt concubitu, & demptis filiis clericorum ordine sacro insignitorum, & monachorum, ac monialium professarum: est enim lex expressa de hoc *l. 9. Taur.* quæ est *l.7. tit.8. lib.5. nouæ recopil.* vbi autem mater haberet filios, aut descendentes legitimos, posset dictis spuriis quintam bonorum partem relinquere, sicut suprà de filiis naturalibus dictum est: idem enim omnino de filiis naturalibus, & spuriis, demptis dictis, quoad maternam successionem dispositum est *dicta l. 9. & dicta l.7.*

2 Secundò nota huic spurio, qui non est filius Clerici, vel monachi, vel monialis, nec ex damnato concubitu (de his enim *infrà* est habendus sermo) posse matrem, licèt habeat filios legitimos, relinquere quintum, licèt talis spurius ditissimus sit, quia leges citatæ absolutè permittunt matri dare his spuriis quintum tempore mortis, vel dum viuit. Sic Tello *dicta l.9. Taur. num.34.* & constabit ampliùs ex *infrà* dicendis.

3 De spuriis tamen Clericorum ordinis sacri, vel monachorum, vel monialium professarum filiis, est graue dubium, an possint succedere matri carenti filiis legitimis, Duplex est sententia.

4 Prima docet posse succedere matri, ac esse eius hæredem legitimum ex testamento, & ab intestato. Probatur, quia *l.9. Taur.* quæ est *l.7. tit.8. lib.5. nouæ recopil.* dicitur omnem spurium, demptis filiis ex damnato concubitu, esse hæredem legitimum matris carentis legitimis descendentibus: sed filij Clericorum, vel monachorum, &c. non sunt ex damnato concubitu; ergo succedunt matri. Quòd si dicatur *d.l 9. Taur. ad finem*, excipi filios Clericorum, &c. dum dicitur, *saluo si fueren hijos de clerigos*, &c. Respondetur *ibi* tantùm præcipi, vt seruetur lex Domini Regis Ioannis facta in ciuitate Soria, quæ hodie est *l.6. tit.8. lib.5. nouæ recopil.* quæ lex nil disponit de successione materna, sed reddit hos filios incapaces succedendi in bonis paternis: & licèt *dicta l. de Soria, initio* loquatur de bonis maternis: sic enim dicit, *Por no dar ocasion à que las mugeres sean barraganas de los Clerigos, si los hijos heredassen sus bienes, y de sus padres*; at hoc est in preœmio legis; cæterum in dispositione legis, vbi dicit *Ordenamos*, &c. tantùm loquitur de bonis paternis. Et confirmatur, quia cùm correctio legum sit odiosa, inducenda non est absque textu expresso: sed *l.3. tit.21 p.4. fine*, expresè dicitur filios Clericorum posse succedere in bonis maternis, & non est lex recentior, quæ expresè oppositum disponat; ergo. Hanc sententiam præter aliquos, qui stando in iure communi eam amplexati sunt (quos non refero, quia de iure Regni est difficultas: si enim esset ius commune hos reddens successionis maternæ incapaces, esset derogatum per *d.l. Partita*) tenent Montalbus *lib.3. fori, tit.5. l.10. § en adulterio, el* 1. Gregor. Lopez *l.3. tit.21. part.4. vers. los de madre*, Perez *lib.8. ordinam. tit.15. l.2. fol.298.* Auendaño *l.9. Taur. gloss. 10. n. 5.6. & 7.*

5 Hanc sententiam limitat Gregor. Lopez *ibi* dupliciter. Primò, nisi filius clerici sit habitus ex matre coniugata, vel consanguinea clerici, quia tunc non posset succedere matri, quia hic concubitus est damnatus. Eandem limitationem adhibent Perez, & Montalbus, & Auendaño *dicta gloss. 10. n. 5.6. & 7.* Secundò limitant Gregor. Lopez & Auendaño, nisi mater sit publica concubina clerici tempore, quo habuit filium ex ea. Ratio, quia hic concubitus est punibilis, & prohibitus per legem regni in publica concubina clerici, *l. 1. & 2. tit. 19. lib. 8. nouæ recopil.* & licèt mater non plectatur mortis pœna, sufficit, vt alia pœna puniatur.

6 Secunda sententia docet, filios Clericorum ordinis sacri, & professorum, vel professatum non posse succedere matri. Probatur, nam *dicta l.9. Taur.* loquens de successione materna, vbi dixerat spurios succedere matri, subdit in fine, *saluo si fueren hijos de Clerigos, o frayles, o monjas professas, que en tal caso queremos que se guarde la ley del Rey Don Iuan hecha en Soria*; tunc sic exceptio debet esse regula, & de contentis in ea, aliàs esset vana, vt docet Dynus *rubr. de regul. iuris in 6. n.14.* Bart. & Bald. *l. in his, ff. de legib.* Bart. Decius, & communis *l. 1. ff. de regul. iuris*, Euerardus *locis legalibus, loco 3.* Couar. *lib.2. var. cap.5. num.4.5.* vt esset absurdum dicere, omnes homines currunt præter equum: ergo illa exceptio, *saluo si fueren hijos de Clerigos*; debet intelligi de contentis in illa l. quæ tantùm loquebatur de successione matris, & sic vult lex, quòd dispositum *in l. de Soria*, circa dispositionem paternam, scilicet vt filij Clericorum non succedant patri ex testamento, nec ab intestato, nec ab ipso possint via donationis aliquid recipere, seruetur quoad matrem, vt scilicet non possint admitti ad successionem, vel legatum, vel donationem maternam. Hanc sententiam docent Gregor. Lopez sibi contrarius *l.11. tit.13 part.6. vers. natus. sub finem*, Couar. *4. decret. 2.p.cap.8.§.5. num.17.* Mieres *de maior. 2.p.q 2. num.16.* Tello *l.9. Taur. num.34.* Anton. Gomez *l.9. Taur. num.15.* Gomez Arias *l. 7. Taur. n. 65.* Cifuentes *l.9. Taur. num.5.* Plaza *Epitome delictorum, lib.1. cap.41. num.33.* Rojas *Epitome succes. cap.27. à n.4.* Auendaño *2. p.cap.16. Prætorum, num.18.* Menchaca *de succes. creat. §.10. num.497.* Gutier. *lib.2. pract. p.102.* Spino *speculo testam. gloss. 16. tit. de spuriis, n.18.19. 89. 90.* Azebedo *lib.5. nouæ recop. tit.8. l.6. num.1. & l 7. num.22. 23.* Matienzo *lib.5. ordin. tit.8. l.6 gloss.4. num.7.8.* Xuarez *l.1. tit. todo home*, qui est *tit. 6. lib.3. legum fori, n.29.30.* & licèt *ibi* non alleget ad hoc legem Regni, at *in fine illius legis* dicit per *l.9. Taur.* clarè decidi, quòd filij Clericorum non succedunt matri. Idem tenet Palacios Rubios *l 9. Taur. n.37.38. & l. 16. n.12.* Perez *lib. ord. tit.3. l.22. f. 101. pag.2. & lib.5. tit.2. l.1. f.69.* idem Cord. *summa, q.123.*

7 Sit conclusio. Hæc posterior sententia est multo probabilior: habet enim potiores rationes, & plures authores pro se.

8 An verò possit mater talibus filiis Clericorum aliàs diuitibus relinquere quintum, disputabitur *infrà*, vbi disputatum fuerit, an possit pater, iuxta *l. de Soria*; idem enim sentiendum est de matre, & de patre, iuxta dicta *in hoc dubio.*

## DVBIVM XI.

*An filij Clericorum succedant consanguineis ex parte matris.*

DVplex est sententia.

1 Prima docet non succedere. Probatur, quia sunt ex radice infecta, & inhabili ad ipsis aliquid relinquendum: ergo consanguineis ex hac radice, & linea materna non possunt succedere. Et confirmatur, quia maior est ratio de successione matris, cuius filius est certus, quàm de successione aui materni, & aliorum consanguineorum, vbi minor, & incertior est coniunctio. Secundò probatur, quia (vt dixi *dubio præced.*) *l.9. Taur.* ampliat dispositionem legis *de Soria*, vt dispositum in illa respectu successionis paternæ, sit etiam dispositum quoad successionem maternam: sed in illa disponebatur, vt non possent succedere patri, nec consanguineis patris; ergo similiter no poterũt succedere cõsanguineis maternis. Hãc

Universidad de Deusto
Biblioteca



tenent Mathesilanus, Ioannes Baptista, quos refert, & sequitur Tello *l.9. Taur.num.*23.24. Ant. Gomez *l.9 Taur. num.*51. Gomez Arias *l.7.Taur. num.*65. Matienzo *lib.5. ordin.tit.8.l.6. gloss.*4.*num.*7. & 8.

2 Secunda sententia docet filios Clericorum, id est, ordine sacro insignitorum, vel professorum, vel professarum, qui sunt incapaces ad successionem matris, iuxta dicta *dubio præcedenti*, posse succedere consanguineis ex parte matris. Probatur primò, iure communi, & Partitarum hi filij succedebant matri, ac eius consanguineis, vt probaui *dub.præced.* Sed *l 9. Taur.* tantùm ampliat dispositionem legis *de Soria* respectu matris, à qua filium Clerici excludit, non verò excludit à successione consanguineorum ex parte matris; tantùm enim l. Taur. habetur sermo de successione matris, & ita, vt infrà dicam, nati ex damnato concubitu, qui illa l. Taur. excluduntur à successione materna, possunt succedere consanguineis ex parte matris; cùm ergo sit lex correctoria, debet limitari ad casum, in quo loquitur, scilicet ad matrem, & non extendi ad alios consanguineos ex parte matris, *l.sancimus, C.de testam.l.præcipimus, C. de appell.* Item quia quando radix successionis est inhabilis ad succedendum, sunt etiam rami, scilicet alij consanguinei materni, vbi non agitur de lege correctoria, quia scilicet non est alia lex permittens talem successionem, vt est *hic.* Hanc tenent Socinus, & plures alij, quos refert, & sequitur Greg. Lopez *l.11.vers.natus, tit.*13.*part.*6. vbi licèt fateatur hos filios non succedere matri, concludit tamen filios Clerici succedere consanguineis ex parte matris, & è contra eis succedere tales consanguineos. Idem Gutier. *lib.2.pract. q.*103. Spino *specul. testam.gloss.*16.*tit. de filiis spuriis, num.*19.& 20. Pro eadem sunt sententia Doctores, quos retuli *dub. præcedenti*, asserentes hos filios succedere matri, nedum consanguineis ex parte matris.

3 Sit conclusio. Licèt prior sententia sit satis probabilis, at hæc posterior videtur mihi probabilior, quia fortiorem habet rationem pro se.

## DVBIVM XII.

*An filij ex damnato concubitu succedant matri.*

1 SIt conclusio. Res est certissima filios ex damnato concubitu non succedere ex testamento, nec ab intestato matri, sic enim habetur expressè *l.9.Taur.*quæ est *l.7.tit.8.lib.5.nouæ recop.*

2 Ex dictis in hoc dubio, & præcedentibus colligitur omnes filios, siue naturales, siue spurios, demptis natis ex damnato concubitu, & natis ex Clerico ordinis sacri, vel professo, vel professa, esse legitimos, ac necessarios hæredes matris ex testamento, & ab intestato, vbi mater caret filiis, & descendentibus legitimis, vt expressè definitur *l.9.&* 7.

3 Hinc infertur primò non rectè sensisse Antonium Gomez *d. l.9. Taur.num.* 10. vbi dicit filium illegitimum matris illustris non succedere matri etiam carenti filiis legitimis. Sed decipitur, nam *l.9.Taur.* solùm excipit natos ex Clericis, vel professis, & ex damnato coitu: & sic cùm iste non sit ex his, succedet matri. Sic Tello *l. 9.Taur.num.*2. Matienzo *lib. 5.ordinam. tit.*8.*l.*7.*gloss.*6.*n.* 2. idem vocans sententiam Antonij Gomez falsissimam tenet Gutier. *lib. 2. quæst. pract. quæst.* 208.*num.*1.

4 Secundò infertur minus benè sensisse Sorum *lib.*4. *de iust.quæst.*5.*art.*1.*ad* 4. & Ledesma 2.4.*quæst.*18.*art.*1. *dub.*16.*ad* 3. vbi dicunt filium natum ex stupro non succedere matri ex testamento, nec ab intestato; quia hic est coitus damnatus: sed iuxta *l.9. Taur.* hoc non est verum, quia mater non incurrit mortis pœnam propter stuprum, & sic talis filius ei succedet. Sic Anton. Gomez *l. 9. Taur. num.*14. Couar.4. *decret.*2.*p.cap.*8. §. 5. *num.*18.

## DVBIVM XIII.

*An mater habens filios legitimos possit relinquere quintum natis ex damnato concubitu, & hoc licèt ditissimi sint.*

1 PAlacios Rubios *l.9.Taur. num.*48. *& infrà*, dicit matrem habentem filium legitimum non posse relinquere filio nato ex damnato concubitu quintum bonorum. Ratio, quia *illa l.9.Taur.* licèt in principio disponat, quando mater habet filium legitimum: at postea, quando agit de damnato concubitu, solùm agit casu, quo mater caret prole legitima.

2 Sit prima conclusio. Mater quantumcunque habeat filium legitimum, potest filio ex damnato concubitu nato relinquere quintum bonorum. Probatur, quia lex absolutè loquitur, & ratio, quam *lex* 9. assignat, æquè procedit in hoc casu, scilicet quòd de hoc quinto possit disponere inter extraneos. Item quia huic filio debentur alimenta. Sic docet Tello *l.9.Taur.num.*33. Cou.4 *decret.* 2 *p.cap.*8.§.6.*n.* 6. *in fine*, Matienzo *lib.ordinam.tit.*8.*l.*7. *gloss.*4.*num.* 6. *&l.*8 *gloss.*1.*num.*5. Gutierrez *lib.* 2. *pract. quæst.*106. Rojas *de succes.cap.*16.*num.*36.

3 Secunda conclusio. Licèt natus ex damnato coitu habeat aliunde alimenta, & sit ditissimus, adhuc potest ei mater relinquere quintum bonorum. Ratio, quia *l.9. Taur.*quæ est *l.7. tit.* 8. *lib.5.nouæ recopilat.* vniuersaliter, & absolutè hoc permittit, & eius ratio id probat, scilicet quòd de hoc quinto potest disponere inter extraneos. Sic Tello *ibi num.*34. Matienzo *lib.5. ordinam.tit.*8.*l.*7. *glossa* 10. *num.*2. idem colligitur apertè ex Palacios Rubios *cap.per vestras, de donat. notab.* 3.§. 24. *num.*10. vbi dicit posse indistinctè matrem relinquere his filiis natis ex coitu damnato quintum bonorum, licèt excedat modum alimentorum, quia *l.9. Taur.* indistinctè loquitur. Pro eadem sententia faciunt Doctores, qui id concedunt in filio Clerici respectu patris, quos infrà dubio speciali de hac re agitando referam.

## DVBIVM XIV.

*An filij nati ex damnato concubitu possint succedere consanguineis ex parte matris.*

1 DVplex est sententia.

Prima negat, & mouetur prima ratione, quam posui *supra dub.* 11. ad probandum filios clericorum non posse succedere consanguineis ex patre matris. Sic Tello *l.9.Taur.num.* 23.24. Anton. Gomez *eadem l.9. Taur.n.* 51. & alij antiquiores per hos relati.

2 Secunda sententia docet posse succedere. Ratio, quia iure communi talis successio erat permissa, nec corrigitur hoc ius per *l.9. Taur.* solùm enim *l.9. Taur.* excludit hos filios à successione materna, & cùm sit odiosa, non est amplianda ad successionem consanguineorum ex parte matris. Sic Matienzo *lib.5.ordinam.tit.*8.*l.*6.*gloss.*4. *num.*9. Socinus, & alij, quos refert & videtur sequi Gregor. Lopez *l.*11.*tit.*13.*part.*6.*vers.natus*, & hæc sententia videtur mihi probabilior.

## DVBIVM XV.

*An quod disponit lex 9.& 10.Taur. vt parentes possint spuriis, & filiis naturalibus, & etiam natis ex damnato concubitu quintam bonorum partem relinquere, locum habeat, & in illa quinta pars maior sit, quàm ea, quæ vni filio, vel descendenti legitimo contigerit.*

1 EXemplum esse potest. Petrus habet quinque filios legitimos, & quendam illegitimum, si illegitimo quintum bonorum relinquat, maiorem partem obtinebit, quàm aliqui ex legitimis: dubitatur, an id possit fieri.

Duplex est sententia.

2 Prima docet non posse relinqui integrum quintum filio illegitimo, quando est maior pars, quàm ea, quæ contingit vni filio ex legitimis, vnde patet habens vltra quatuor filios legitimos, potest præstare illegitimo non integrum quintum, sed quartum legitimo, cui minus est relictum. Probatur, quia leges concedentes illegitimo quintum, noluerunt magis fauere illegitimo, illumque melioris conditionis, quàm legitimum afficere. Hanc tenet dicens esse indubitatam Tello *l.9. Taur.num.*27. 28. 29.& *l.*10.*num.*3. Molina *l. 2. de primogen. cap.*15.*n.*51. Pro eadem sententia sunt plures Doctores asserentes, quòd licèt *l.2. C.de natural. liber.* permittatur patri habenti filios legitimos relinquere illegitimo vnciam, id est duodecimam bonorum partem, intelligitur, modò filij legitimi non sint duodecim: tunc enim non potest integram vnciam naturali relinquere, quia meliorem partem sortiretur, quàm aliquis ex filiis legitimis. Sic Albert. *Auth. licèt, C.de natural.liber.* Bald. *cap.per tuas, n.* 2.*de maior.& obed.* Gregor. Lopez *l.8.tit.*13.*part.*6.*vers.* 10 *vna*, Suarez *l.* 1.*tit.*6. qui incipit, *todo home, lib.*3.*fori, numero* 12.& apertè colligitur ex *l.communium*, §. *vltimo, Cod.de natural. liber.* Sic enim dicunt ibi, *Eo modo licèat patribus naturales filios sibi legitimos successores efficere, vt non eis liceat per donationem, vel vltimam voluntatem amplius naturali filio dare, vel relinquere, quàm vni filio legitimo dederint, vel reliquerint, cui minima portio data, vel relicta sit.* Pro eadem sententia sunt alij dicentes non posse patrem plus relinquere filio legitimato, quàm legitimo, licèt legitimatus sit per Principis rescriptum. Sic Angel. Carolus Molinæus, Socinus, Iason, quos refert Tello *vbi suprà.* Idem Acosta *l.Gallus*, §. *& quid si tantum.num.*137. *ff.de liber. & posthum.*

3 Notandum est, Tello *ibidem l.9.num.*28. idem affirmare de extraneis, scilicet legem permittentem parentibus habentibus filios relinquere quintum extraneis, intelligendam, modò non sit maior pars, quàm ea, quæ alicui ex filiis contingit. In idem etiam inclinat *n.* 30. licèt tandem cogitandum id relinquat.

4 Secunda sententia docet posse liberè parentes quintum relinquere filiis illegitimis, vel quibuscunque extraneis, licèt sit maior pars, quàm ea, quæ filiis legitimis contingit. Probatur, quia *l.9.Taur.* quæ est *l.7.tit.8.lib.5. nouæ recopilat. & l.*12. *tit.* 6. *eodem lib.*5. quæ permittunt parentibus liberè relinquere quintum extraneis, vel illegitimis, absolutè loquuntur, nec apponunt limitationem, quam apposuit lex, *communium*, §. *vlt. Cod. de natural liber.* Item, quia iure communi minor erat legitima filiorum, at leges regiæ auxerunt eam vsque ad quatuor partes, quinta relicta parentibus, vt de ea possint ad libitum disponere: ergo non est æquum propter multitudinem filiorum hanc patris potestatem coarctare; & legitimam filiorum maiorem facere. Item, quia iure naturæ solùm tenetur pater filiis alimenta præstare, & si hæc præster, potest de bonis, quæ supersunt, disponere: at leges regiæ patris hanc potestatem naturalem coarctarunt, vt non satisfaceret, si filiis alimenta præstaret, sed obligarunt, vt omnia bona sua filiis relinqueret, dempto quinto: ergo si parentes satisfaciant iuri naturali, cùm filiis alimenta supersint, & legibus regiis solùm disponendo de quinto, nulli iniurij sunt licèt maior sit pars, de qua disponunt, scilicet quintum bonorum, quàm ea, quæ alicui ex filiis legitimis contingit. Vltimò, quia praxi sic receptum est, indifferenter enim parentes de quinto ad libitum disponunt, siue plures, quàm quinque, siue pauciores filios habeant. Nec obstat, quòd leges noluerunt præferre extraneos, vel filios illegitimos legitimis; quia id verum est: 2 per accidens ob filiorum multitudinem euenit, vt extraneo, vel illegitimo melior pars contingat, quàm filio legitimo. Hanc sententiam reprobans priorem tuetur Matienzo *lib.5. ordinam. tit.*8.*l.*7.*gloss.*4. *numero quinto, & lege nona. glossa* 1. *num.*6. Gutierr. *lib.2.quæst.pract. q.* 107. Fauet Suarez *l.quoniam in prioribus, C.de inoffic.testam.lamis.*12. *ad l.fori, num.* 3. vbi relatè disputata conclusio in rigore iuris esse, quòd eo casu, quo legitima-





tus per rescriptum Principis potest succedere cum legitimis, possit meliorari, & in potiore parte, quàm verè legitimus, succedere. Quod etiam tuetur Anton. Gomez *l.9.Taur.num.*68. Fauet etiam Mar. de Fano relatus ab Alberico *vbi supra*; vbi docet illegitimum succedere in vncia, licèt pater habeat duodecim filios legitimos, & sic melior pars ei contingat, quàm filio legitimo.

5 Sit conclusio. Hæc secunda sententia probabilior est, modò filiis legitimis congrua superfint alimenta: quando enim alimenta congrua eis non superessent, reclamaret ius naturæ, quod ante omnia dictat filios legitimos alendos esse.

## DVBIVM XVI.

*Quo pacto filij naturales succedant patri ex testamento, & ab intestato.*

1 SIt prima conclusio. Licèt de iure antiquo communi filij naturales nullo modò succedant patri ab intestato, vt patet ex *l. humanitas, Cod. de natural. liberis*; & de iure communi recentiori succedunt ab intestato in duabus vnciis, id est, in duabus partibus ex duodecim omnium bonorum, deficientibus filiis legitimis, & vxore legitima ipsius patris, vt patet *Auth. licèt, vers. ab intestato, Cod.de natural. liber.* At hodie secundùm ius nostri Regni succedunt filij naturales patri ab intestato in his duabus vnciis, deficientibus filiis legitimis, licèt adsit vxor legitima. Patet, *l.9.tit.*13.*part.*6.& *ibi* docet Gregor. Lopez & Anton. Gomez *l. 9. Taur.num.* 4. Couar.4.*decret.*2.*p.cap.*8. §.4.*num.* 9.

2 Nota conclusionem esse intelligendam, modò non sint aliqui ex ascendentibus legitimis patris. Sic Anton. Gomez *ibi* dicens esse omnium.

3 Secunda conclusio: Pater carens filiis, & descendentibus legitimis potest legare, & dare omnia bona sua filio naturali, licèt habeat pater ascendentes. Ita habetur expressè *l.*10. *Taur.* quæ est *l. 8.tit.*8.*lib.*5.*nouæ recop.*& docent omnes.

4 Tertia conclusio. Si pater testamentum conficiat, & nullam hæreditatis partem filiis naturalibus relinquat, non possunt contrauenire, aut rumpere testamentum paternum. Ratio, quia non sunt hæredes necessarij, sed voluntarij, vt constat ex verbis illis *d.l.*10. *Taur. Pueda les el padre dexar*, &c. Sic plures, quos referunt, & sequuntur Ant. Gomez *l.9.Taur.num.*11. Gomez Arias *l. 7.num.*81. Couar.4.*decret.*2.*part.cap.*8.§.4.*n.*15. Gregor. Lopez *part.*6.*tit.*13.*l.*8.*vers.acordase*, Perez *lib.* 1.*ordin. tit.*3.*l.*22. Molina *lib.2.de primog.cap.*1.*num.*8.

## DVBIVM XVII.

*An si pater habeat filios legitimos, qui absque fraude bonis paternis renunciarunt, possit omnia bona filiis naturalibus relinquere, iisque succedant ab intestato in duabus vnciis supradictis, ac si non extarent filij legitimi.*

1 RAtio dubitandi est, quia (vt dixi *dub. præcedenti*) succedunt filij naturales ab intestato, & pater potest eis relinquere omnia bona, quando filiis legitimis caret: sed filij legitimi, qui hæreditati paternæ renunciarunt, adhuc sunt legitimi: ergo.

Duplex est sententia.

2 Prima docet, non posse patrem in hoc casu omnia bona relinquere filio naturali, nec eum succedere ab intestato. Ratio, quia deficit conditio requisita, nempe, vt pater filiis legitimis careat: hi enim verè sunt filij legitimi. Hanc tenent Baldus, & Socinus, quos refert, & in eorum sententiam magis inclinat, licèt dubius maneat, Tello *l.*10, *Taur.num.* 20.

3 Secunda sententia docet posse tunc patrem omnia bona filio naturali relinquere; ac si non extarent filij legitimi. Ratio, quia paria sunt filios non extare, & extare, non posse succedere, vt patet ex *l.* 1. §. *qui habebat, ff.de bonor.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*bonor. possess.* & ex Bart. *ibi.* Hanc tenent Roman. & Iason, quos refert, & sequitur Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 9. gloss. 1. num.* 8. Couar. 4 *decret. 2. p. cap* 8 §. 4. *n.* 11. Guilielmus Benedictus *cap. Raynutius, de testam. verb. & vxorem nomine Adelasiam, decis. 3 num.* 117. 118. & hæc sententia est probabilior: & videbis aliquas limitationes, quas ponit Tello.

## DVBIVM XVIII.

*An filius naturalis succedat auis paternis, & maternis.*

1 Sit prima conclusio. Nepos naturalis, vel ex filio naturali conceptus, succedit auo paterno ab intestato in duabus vncijs, modò non extent descendentes legitimi, & in eo casu, quo *suprà* dixi *dub.* 16. succedere ab intestato in iis duabus vncijs filium naturalem patri. Ratio, quia idem ius, quod habet ad succedendum patri, habet ad succedendum auis paternis, cùm in eo, in quo poterat succedere patri, repræsentet personam patris ad succedendum auo. Sic plures quos refert, & sequitur Couar. 4. *decret. 2. p. cap.* 8. §. 4. *num.* 10. contra Benedictum per eum citatum.

2 Secunda conclusio. Nepos naturalis, vel ex filio naturali conceptus, potest instituì hæres ab auo paterno in omnibus bonis, deficientibus descendentibus legitimis, licèt adsint legitimi ascendentes. Ratio, nam (vt *suprà* dixi) ex *l.* 10. *Taur.* potest pater eo casu relinquere omnia bona filio naturali; ergo à fortiori nepoti. Probatur consequentia ex *l. finali, Cod. de natural. liberis*, & quia in patre magis consideratur vitium, & ratio impeditiua. Sic Ant. Gomez *l. 9. Taur. num.* 7. Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 9. gloss. 1. num.* 9.

3 Vltima conclusio. Filius naturalis eo modo succedit auis maternis, quo suprà diximus succedere matri. Probatur ex dictis in prima, & secunda conclusione. Sic Perez *l. 5. ordinam. tit. 2. l. 1. fol.* 98. *p. 2. fine.*

## DVBIVM XIX.

*An filij spurij capaces sint recipiendi aliquid à patre via testamenti, vel donationis, vel ab intestato vltra alimenta, nam de alimentis certum est posse ea accipere.*

1 Dvplex est sententia.
Prima distinguit inter spurios filios sæcularium, & filios Clericorum; vel Religiosorum: & dicit filios Clericorum, vel Religiosorum esse omnino incapaces recipiendi aliquid ex bonis paternis vltra alimenta, siue ex testamento, siue ab intestato, si per donationem inter viuos; quia id expressè prohibetur *in l. edita in ciuitate Soria*, quæ est *l. 6. tit. 8. lib. 5. noua recopilat.* Quare si pater eis aliquid relinquat, vel donet in testamento, donatio est nulla, & tenentur tales spurij id restituere. At spurios sæcularium filios non posse quidquam recipere à patre ex testamento, benè tamen ex donatione inter viuos: & sic patrem sæcularem carentem descendentibus legitimis posse donare citra culpam omnia bona sua spurio, & spurium ea retinere, donec in foro externo condemnetur. Ratio, quia nulla lege cautum est, ne pater sæcularis donet spurio: nihil enim arctius contra sæcularium spurios decretum inuenitur, quàm quòd definitur *l. 3. tit. 15. part. 4 & l. fori. tit. de las heroncias, & l. 9. Taur.* in quibus tantùm decernitur, ne succedant patri ex testamento, & cùm sint leges pœnales, non sunt extendendæ ad donationem. Hanc tenent Soto *lib. 4. de iust. q. 5. art. 1. ad 4. & 4. dist 41. quæst. vnica, art.* 4. Ledesma 2. 4. *q.* 18. *art. 1. dub. 16. ad 3.* Iosephus Angles *floribus q. theolog. 2. p. q. de dominio. fol.* 140.

2 Hinc inferunt Sotus, & Ledesma, quòd si pater sæcularis aliquid fidei amici concredat, quod det filio suo spurio, teneatur amicus dare, nisi timeat, quòd re postea comperta ab eo fiscus exiget, & spurius potest id recipere, quia hoc nulla lege prohibetur.

3 Secunda sententia docet omnem spurium esse incapacem recipiendi bona paterna, siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex donatione inter viuos, & sic reri restituere omnia sibi relicta, vel donata à patre. Probatur, quia licèt leges, quas Sotus allegat, solùm loquantur de successione ex testamento; at sunt aliæ leges, quas ipse non vidit, prohibentes patrem donare aliquid spurio, *l. si quis incesti, C. de incest. nupt.* ibi; *neque superstes donet, neque moriturus relinquat*, & *l. 1. C. de natur. liber.* ibi, *quidquid talibus liberis pater donauerit*, & clarè *l. 10. tit. 13. part. 6.* Hanc sententiam docet Rojas *epitome success. cap. 20. n.* 139. vbi hæc inquit, omnis spurius tenetur in conscientia restituere relicta, & donata à patre, & *n.* 144. 145. reprobat distinctionem Sori propositam, & dicit esse erroneam, & falsissimam. Idem tenet Matienzo *lib 5. ordinam. tit. 8. l. 6. gloss. 3. n. 3.* vbi dicit; non tantùm filij Clericorum, sed quicunque spurij, nec ex testamento, nec ab intestato, nec ex contractu inter viuos aliquid à patre capere possunt, & *gloss. 5. n. 1. & 2.* hæc dicit, non tantùm filius Clerici, sed quicumque spurius nequit ex testamento, nec ab intestato, nec ex contractu inter viuos aliquid à patre capere, & si quid ei pater relinquat, veniet hæredi vero scripto: & si nullum talem relinquat, venientibus ab intestato; & *gloss. 6. n. 1.* inquit. Si pater donet spurio, est nulla donatio, & *gloss. 8. n. 5.* inquit. Tenetur spurius in conscientia relicta, vel donata à patre restituere. Sit Couar. 4. *decret. 2. p. c. 8. §. 5 n. 8.* & Plaza *epitome delictor. lib. 1. c. 41. n. 24.* vbi hi duo hæc verba dicunt; Spurius tenetur restituere in conscientia relicta, vel donata à patre, quia omnino incapax: & Molina *lib. 2. de primogen. c. 11. n. 27.* vbi hæc dicit: Spurius est incapax successionis patris, siue ex donatione, siue ex vltima voluntate, siue ex quauis dispositione. Et Grogor. Lopez *l. 10. tit. 13 p. 6. vers. heredar, & vers. la donacion*, hæc dicit, Spurij sunt omnino incapaces respectu patris, & nec ex testamento, nec ab intestato, nec ex contractu inter viuos aliquid à patre capere possunt, nec pater potest eis donare. Et Ruynus *cons. 69. vol. 3. n. 10.* vbi hæc dicit, Donatio facta spurio non tenet, quia est penitus incapax, & inhabilis recipiendi aliquid, siue per vltimam voluntatem, siue titulo donationis. Et Benedictus *c. Raynutius, de testam. verbo, & vxorem nomine Adelasiam, decis. 5. n. 122. & 129.* & Cassanæus *in consuet. Burgundiæ, tit. de success. ab intestato, rub. 8. §. 3. n. 10.* qui refert Calcaneum, vbi hi tres hæc dicunt; Spurius non potest capere ex bonis patris, nec inter viuos, nec in vltima voluntate, nec ex contractu lucratiuo, vel oneroso. Tello *l. 10. Taur. n. 7.* vbi hæc dicit: Pater non potest dare spurio, nec spurius recipere, nec per testamentum, nec per donationem, nec quouis alio modo, Decius *consil. 576. n. 4. vol. 2.* & Capicius *decis. Neapolitana 181. n.* 3. Ant. Gomez *l. 9. Taur. n. 33.* vbi hi tres hæc dicunt; Pater nequit spurio dare vltra alimenta, Gabriel Paleotus *lib. de nothis, & spuriis, c. 43. n. 6.* vbi hæc dicit, adeo spurij à paternis eiiciuntur bonis, vt nullo modo possint ad eos peruenire. Et Dueñas *regula 366 n. 1.* vbi hæc dicit; Spurius nec inter viuos, nec in vltima voluntate potest aliquid capere de bonis patris, & *n. 4.* dicit spurios esse ipso iure incapaces. Bart. *l. fin. num. 3 ff. de his, quibus vt indign.* & Pinellus *l. 3. n. 21. C. de bonis mater.* vbi ambo dicunt hæc, spurio nihil potest relinqui à patre; & idem Pinellus *ibi n. 20.* & Bart. *l. 1. Cod. de delatoribus. lib. 10. n. 4.* & Perez *lib. 5 ordin. tit. 2. l. 1 fol. 69. pag. 2.* dicunt spurium non esse indignum, sed incapacem. Et eodem modo vocat spurium incapacem Xuarez *l. 1. tit. 6. de las herencias*, qui incipit, *todo home, n.* 21. Tandem pro hac sententia sunt Bald. *l. eam, quam. C. de fideicom.* & Palacios Rubios referens Franciscum, & Cynum *rubr. de donat. §. 30. n. 14.* vbi inquiunt, si habens spurium donet aliquid alicui, qui postea donet spurio, non valet secunda donatio, quia præsumitur renunciatio, quæ nequit fieri in persona spurij. Et Syluest. *verb. filij, q. 6.* Ang. *ibi n. 4.* Tabien. *n. 2.* Rosel. *n. 7.* vbi inquiunt; Spurij, recipientes



pientes aliquid à patre de bonis eius, tenentur restituere. Et Olanus *in concordia iuris, littera F, num.* 48. vbi inquit, si spurio fiat donatio, pertinet ad hæredem scriptum, & eo deficiente, ad hæredes ab intestato; vbi supponit donationem non valere.

4 Sit prima conclusio. Prior sententia est omnino improbabilis, & falsa, & decepti sunt authores eius, eo quòd non viderunt leges expressas prohibentes donationem fieri à patre cuicumque spurio. Probatur, quia leges sunt, & iurisperiti plurimi, & grauissimi ita intelligentes.

5 Secunda conclusio. Posterior sententia, ac certa tenenda est, & sic omnem spurium incapacem esse recipiendi aliquid à patre ex testamento, vel ab intestato, vel ex donatione, & quidquid receperit teneri restituere. Quòd si quis obiecerit esse legem pœnalem, & sic non obligare ante iudicis sententiam. Respondet optimè Couar. *vbi suprà*, ex doctrina Caietan. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. quòd pœna non obligat ante iudicis sententiam, & exequutionem, quando pœna eius est naturæ, vt aliquem actum iudicis exigat: secus verò est de pœnis, quæ non exigunt actum iudicis, sed quibus quis incapax redditur alicuius actus.

6 Hinc infertur primò, non rectè sensisse Ant. Gomez *l. 9. Taur. n.* 14. vbi dicit natum ex soluta, & coniugato posse ex testamento succedere patri. Sed deceptus est; cùm enim sit spurius, vtpote natus ex parentibus, qui non poterant contrahere matrimonium, est omnino incapax, iuxta dicta. Sic Auendaño *l. 9. Taur. gloss. 2. num.* 4. Azebedo *l. 5. recopil. tit. 8. l. 7. n.* 39.

7 Secundò infertur deceptum esse Menchacam *lib. 3. controu. illust. cap. 102. n.* 22. vbi dicit filium Clerici posse retinere donata sibi per patrem; quia licèt sit incapax, & non acquirat dominium, at pater abdicauit à se dominium per donationem, & sic habentur ea bona pro derelictis, & hæredes non habent ius ad ea, quæ viuens donauit: & sic nullus habet potius ius, quàm spurius, atque ideo potest retinere tanquam bona derelicta à vero domino. Sed longè à veritate aberrat, & contra omnes authores citatos sentit, & eius ratio nullius est momenti; quia quod pater non potuerit dare spurio, nec in eum transferre dominium, non amisit dominium per talem donationem.

## DVBIVM XX.

*An spurius incapax recipiendi aliquid à patre, sit capax recipiendi per fideicommissum, v. g. si pater bona sua fidei amici committat, vt det spurio, an videlicet talis spurius ea bona possit ab amico recipere.*

1 Hac in re certum est, quòd si ille amicus recepit bona illa absolutè, & nulla ab eo exacta, nec præstita fide de restituendo spurio, licèt fiduciam certam conceperit, quod datur, vt det filio spurio, efficitur ille amicus verus dominus illorum bonorum, & sic potest ea retinere; quia est verus dominus, & absolutè sunt sibi donata: & potest dare spurio, & spurius ea recipere; quia recipit à vero domino, & non à patre. Sic omnes Doctores citandi.

2 At difficultas est, quando pater dedit amico ea lege, vt daret spurio incapaci, & amicus fidem ei præstitit facturum, an talis amicus teneatur, vel saltem possit dare spurio & spurius recipere.
Triplex est sententia.

3 Prima docet talem amicum, seu hæredem teneri in conscientia seruare ius naturale, & dare ea bona spurio, & spurius licitè retinere, donec condemnetur, licèt spurius sit filius Clerici. Ratio, quia lex hoc prohibens est pœnalis, & sic non obligat ante iudicis sententiam. Ita Victoria *in summa, mat. de matrim. num.* 229. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 57. *art.* 4. *in fine.*

4 Secunda sententia docet, talem hæredem non posse ea bona retinere, nec dare spurio, nec si det spurios transferre dominium, sed teneri dictum hæredem ea bona restituere. Probatur primò, quia hic titulus hæreditarius ab initio est iniustus, prædonemque constituit hæredem, *l. prædonis, ff. de petit. hared.* ergo. Secundò probatur, hic hæres non habet alium titulum ad retinendum hæc bona, nisi patris spurij voluntatem; sed ille pater noluit illi dare, nisi daret spurio: ergo non potest hæres sibi retinere, & per consequens nec spurius capere, quia capiet à patre. Hanc sententiam tenent Bart. *l. fin. n. 9 ff. de his, quibus vt indig.* Segura *l. coheredi. § cùm filiæ. ff. de vulg. & pupil. substitut. n.* 124. Ludou. de Sardis *tract. de natura liberorum, fol. vlt. vers. 12. vol. 1.* Cæpola *cautela* 38. *vers. Vndecima cautela*, Greg. Lopez *l. 13. tit. 7. part. 6. vers. complieese*, Alcozer *lib. de ludo, cap.* 31. Tabien. *verbo filius, n.* 2. Rosella *ibi n.* 6. Perez *lib.* 8. *ordinam. tit. 15. l. 2. fol.* 307. Menchaca *lib. 3. controu. illust. cap. 102. n.* 23. 24. Iosephus Angles *floribus, quæst. theol. 2. p.* mat. *de dominio. fol.* 140. Rojas *epitome success. cap. 20. n.* 151. 152. 153. Socinus *vol. 4. consil. 84. n. 1. & 2.* Ioannes Molina *in diff. inter forum conscientiæ, & contentiosum, differ.* 25. Ledesm. 2. 4. *q.* 18. *art. 1. dub. 16. ad 3.* Sotus *lib. 4. de iust. q. 5. art. 1. ad 4. & 4. distin. 41. q. vnica, art. 4.* Ant. Gomez *l. 9. Taur. n.* 28. Gomez Arias *l. 7. Taur. n.* 77. 78. Bernardus Diaz *pract. crim. cap.* 58. Salzedo *in 2. editione. super practica* Bernardi Diaz *cap.* 64.

Circa hanc sententiam notant aliqua aliqui Doctores illius.

5 Primò, si post fidem præstitam ab hærede de restituendo spurio, pater liberè remitteret talem fidem hæredi, vt hæres ex bonis illis faceret ad libitum, & de hac remissione ei constaret, posset in conscientia hæres sibi retinere, vel dare spurio, & spurius recipere. Sic Perez *vbi supra.*

6 Secundò notant, si hæres vniuersaliter institutus tantùm accommodauit fidem de restituenda aliqua re, vel parte hæreditatis, tantum illa est restituenda. *l. hæres, qui tacitam. ff. de his, quibus vt indign.* Sic Anton. Gomez *dicta l. 9. n.* 22. alios referens.

7 Tertiò notant, si pater instituit aliquem capacem hæredem, & eum rogauit palam restituere spurio, & talis hæres nullam accommodauit fidem: tunc non tenetur ad aliquam restitutionem, non enim deliquit, *l. 3. §. si quis, ff. de iure fisci.* Sic Ant. Gomez *ibi, n* 21. Matienzo *lib. 5. ord. tit. 8. l. 6 gloss. 5. n.* 4.

8 Tandem notant, si testator fecit duo, vel plura testamenta, & tantùm in primo hæres accommodauit tacitam fidem, illa hæreditas non debet manere apud eum, quia licèt primum testamentum fuerit reuocatum per secundum: at censetur manere primum quoad fideicommissum, & permanere testatorem in ea voluntate. *l. cùm tacitum ff. de probat.* quem textum ad id commendat *ibi.* & Bald. & communiter Doctores. Sic Ant. Gom. *ibidem n.* 21 *fine.*

9 Tertia sententia docet, quòd talis hæres potest ea bona sibi retinere, nec tenetur ea restituere, & posse dare spurio, & spurium ea recipere, & retinere, data sibi ab illo hærede. Hæc sententia habet tres partes probandas. Prima est, hic hæres, qui à patre grauatus est, vt spurio restitueret, efficitur verus dominus illius hæreditatis. Secunda pars est, non tenetur hæreditatem illam restituere. Tertia est, potest dare spurio, & spurius recipere. Probatur prima pars, quia ille est verus hæres, & verè institutus: nec obstat, quòd grauatus est restituere spurio; quia hæres grauatus restituere alicui efficitur verus, & directus dominus illius hæreditatis, licèt teneatur ad implendum grauamen, vt tradit Iason, quem refert, ac sequitur Ant. Gomez *lib. 1. var. cap. 5. num. 1. fine.* Quod ampliùs probatur, quia dictio *dummodo*, vel *vt*, quando adiicitur actui imperfecto, vt dabo, vel instituam te dummodo, facit donationem, vel institutionem conditionalem: at quando adiicitur actui perfecto, vt do tibi, vel instituo te dummodo restituas, vel hoc pacto, vt restituas, facit

Universidad de Deusto
Biblioteca



donationem,vel institutionem modalem, vt optimè docent Francus.Paulus,& Dominicus *cap.non potest,§.illud, de preb.in 6.*Bertrandus *consil.201.n.3.lib.1.*Ruynus *cons.* 43.*lib.2.*Tiraquel.*de retractu lignagier.§.8.gloss.8.* Molina *de primog.cap.15.num.29.* Ergo cum hic adiiciatur actui perfecto, qui est,*instituo te hæredem,vel do tibi hæc bona, vt des filio meo spurio,*facit institutionē hanc,seu donationē modalem,& non conditionalē : at hoc distat inter donationem, seu institutionem modalem, & conditionalem, quòd conditionalis suspendit effectum, & sic non transfert dominium vsque ad euentum conditionis : at modalis non suspendit,sed statim transfertur dominium, nec deperditur ipso iure propter non implementum modi,seu grauaminis, sed tenetur institutus, seu donatarius implere modū,seu grauamen,& ad id potest cogi, vt patet *l.1.2.& fin.C.de donat.sub modo.*& docent optimè Sylu. *verbo,donatio,1.in principio,*Metina *C.de restit.q.24. vers. quod verum,*Nau,*cap.quando,*Lat.*c.21.n.28.*Bart. *l. quibus diebus.§.Termilius,ff.de condit.& demonst.*Rebuf.*de verb. signif.l.256.§ cùm verò,& §.vtilitas.* Et hinc est,quòd si aliquis fuit receptus in ciuem,dummodo aliquid soluat, si non soluerit,non amittit ciuilitatem, sed cogetur ad id soluendum, vt optimè tradit Baldus *cap.dudum,el 2.de elect.n.6.*& Molina *vbi supra,n.28.*Hinc etiam est:quòd si Papa conferat alicui plura beneficia, dummodo in altero ponat substitutum, licèt non ponat, valet collatio : vt optimè glossa plures referens *dict.cap.non potest,vers.retinere.* Quorum omnium ratio est, quia est collatio non conditionalis, seu modalis: ergo cùm in nostro casu institutio hæc hæredis grauati restituere spurio sit modalis,transferetur dominium hæreditatis in illum : & sic erit verus hæres, & verus dominus illius hæreditatis : & sic manet probata prima pars. Probatur secunda, scilicet, quòd hic hæres nulli teneatur restituere illam hæreditatem,quia vel tenetur illam restituere spurio, vel hæredibus ab intestato,vel fisco.Quòd non spurio, probatur, quia illa promissio fuit facta contra legem, & in fraudem legis prohibentis aliquid dari spurio : at promissio contra leges præstita non obligat,*l.iuris gentium, §.Prætor ait, ff.de pactis,* & tradit *ibi* optimè Fortunius Garcia *n.10.*& patet etiam ex *§ generaliter,ead l.* Quòd non teneatur restituere hæredibus ab intestato, probatur, quia hæredes ab intestato succedunt, quando institutio fuit nulla; quia reputatur obiisse tunc intestatus, vt quando instituitur incapax ; at in hoc casu institutio hæredis fuit valida, cùm hæres fuerit capax : ergo non reputatur obiisse intestatus,nec per consequens succedent hæredes ab intestato. Quòd autem non teneatur restituere fisco, probatur, quia verus hæres est, & in pœnam leges deferent hanc hæreditatem fisco,*l.1.C.de his, quib.vt indig.l. ita fidei, & l.non intelligitur, ff.de iure fisci.* at pœna non obligat ante iudicis sententiam : ergo hic hæres nulli tenetur restituere. Probatur tertia pars, scilicet quòd possit dare spurio, & spurius recipere,& retinere ; quia cùm hic hæres sit verus dominus illius hæreditatis, & possit eam sibi retinere, si det spurio, non recipiet spurius à parente, nec ex voluntate efficaci ipsius,sed ab hærede, qui est verus dominus,& ex voluntate libera ipsius scientis minimè obligare ad dandum spurio : ergo. Hanc sententiam tenent Cou.*4.decret.2.part.cap.8.§.5.n.8.& 9.*Matienzo *lib.5.ordin.tit.8.l.6.glos 8.n.6.7.& 9.*Salzedus *in addit.ad Bernard.Diaz pract.crim.cap.58.*Perez *lib.1.ordin. tit.3. l.22.fol.103.& lib.5.tit.2.l.1.fol.70* Plaza *epitome delict. cap.41.n.25.*Eiusdem sententiæ esse videntur Iulius Clarus *lib.3.recept.sentent.§.testamentum,q.31.vers.sed quid si pater;*vbi dicit, quòd si pater spurium hæredem instituat,institutio est nulla, & succedent hæredes ab intestato,quia spurius est incapax : at quando instituit hæredem extraneum,qui promisit restituere spurio, auferet fiscus ab illo tanquam ab indigno, quia talis hæres est capax. Ecce quàm clarè sentit non teneri restituere, antequam fiscus ab eo auferat.

10 Sit prima conclusio. Prima sententia ac omnino improbabilis reiicienda est, vt patet ex dictis *hic, & dubio præced.* vbi diximus spurium esse incapacem recipiendi aliquid à patre per se, vel per mediam personam,est, inquam, improbabilis in quantum dicit teneri hæredem dare illa bona spurio.

11 Secunda conclusio. Secunda, & tertia sententia sunt valde probabiles; & tertia videtur mihi probabilior. Probatur ex rationibus positis.

12 Tertia conclusio. Hic hæres, qui talem præstitit fidem de restituendo spurio, & pater, qui sub ea conditione dedit bona,vel instituit hæredem,grauiter peccant; quia fraudem in re graui aduersùs leges iustissimas committunt prohibentes talem fidem præstari. Sic Matienzo,Couar.Ledesm.Perez *in lib.8.loco citato,*Sotus *vbi suprà.*Immò Couar.& Perez dicunt esse peccatum mortale,& Sotus,& Ledesma dicunt,fortè esse mortale.

13 Tandem respondetur ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primum respondet benè Couar.*dict.num.9. fine,*quòd *in dict.l.prædonis,*non appellatur prædo hic hæres,qui tacitam fidem dedit, sed dicitur habendam esse loco prædonis,quia scilicet fraudem fecit præstando tacitam fidem. Ad secundum respondetur hunc hæredem non habere ius ad retinendum illam hæreditatem ex fola defuncti voluntate, sed partim ex illa, in quantum constituendo hunc hæredem, transtulit in eum dominium,& partim ex legibus,in quantum, cùm reprobent tale pactum, non permittunt illud impleri, nec parere obligationem.

## DVBIVM XXI.

*An supposito hæredem,qui fidem dedit de restituenda hæreditate spurio, teneri eam restituere, cui teneatur restituere.*

TRiplex est sententia.

1 Prima dicit teneri restituere fisco. Ratio, quia in fraudem fisci est accommodata fides, & hæc restitutio fit in pœnam delicti paterni,& hæredis. Ita tenent Bart.*l. fin.num.9.ff.de his,quibus vt indig* Bern.Diaz.*pract.crimin. cap.58.*Segura *l.cohæredi,§.cùm filiæ.ff.de vulg.& pupil. n.* 124.Tabien.*verbo filius,n.2.*Rosel.*bi num.6.*Greg.Lopez *l.13.tit.7.part.6.vers.complieſſe.*

2 Secunda sententia sic distinguit; aut pater instituit hæredem sub tacito fideicommisso restituendi spurio, & tunc restituendum est fisco : aut tali spurio palàm reliquit, & tunc restituendum est vero hæredi scripto; si alius est relictus ; sin minus, hæredibus ab intestato. Sic Gomez Arias *l.7.Taur.n.78.79.*Ant.Gomez *l.9. num.21.* Perez *lib.1.ordinam.tit.3.l.22.*Rojas *epitome succeſſ.cap. 20.num.151.160.*

3 Tertia sententia dicit restituendum esse veris hæredibus, nempe si sit alius verus hæres scriptus, illi, sin minus,hæredibus ab intestato.Probatur,quia quòd restituatur fisco,est lex pœnalis,scilicet in pœnam delicti paterni, & fidei præstitæ, & sic non obligat ante iudicis sententiam : cùm autem institutio ista nulla sit, censetur ac si non esset facta,& sic succedent in illis bonis hæredes,qui successuri erant,si non esset facta.Sic Perez *lib.8. ordinam.tit.15.l.2.fol.305,307.*Ioannes Molina *in differ. inter forum consc.& conten.differ.25.*Sotus *4.dist.40. quæst.unica,art.4.*Ledesm.*2.4.q.18.art.1.dub.16.ad 3.§. sed oppositam sententiam,sub fine.*Cæpola *cautela 38.vers. undecima cautela.*Ludouicus de Sardis *tract.de natura liberorum.fol.vlt.vers.12.volum.9.*Et hæc sententia est multò probabilior,quàm prima,& secunda.

4 Nota, quòd si non sint aliqui hæredes ab intestato, sunt restituenda ea bona pauperibus, vel aliis vsibus publicis. Sic Perez, & Sotus *ibidem.* Et pro hoc intelligendi sunt Sotus *lib.4.de iust.q.5.art.1. fine,* & Ledesm. *vbi suprà §.secundò dicit* ; vbi dicunt dicta bona erogranda esse in pauperes, nisi timeretur id ad fisci odium pertinentium:



uentorum : sunt enim intelligendi ( vt ipsi *locis citatis* sic explicant)quando deficiunt hæredes ab intestato.

## DVBIVM XXII.

*An lata sententia per iudicem,vt restituantur hæc bona,quæ pater hæredi reliquit sub fideicommisso,vt daret spurio sint restituenda fisco Ecclesiastico,vel sæculari.*

1 SIt conclusio.Lata sententia, si hæres, qui præstitit fidem, sit Clericus, hæreditas applicabitur fisco Ecclesiæ ; si verò sit laicus,fisco sæculari; & hoc nulla facta differentia, an testator pater sit laicus, vel clericus. Ratio,quia cùm hæc pœna imponatur à iure propter delictum hæredis præstantis fidem, meritò applicatur fisco suæ iurisdictionis.Sic Ant.Gomez *l.9.Taur.num.29.* Ledesm.*2.4.q.18.art.1.dub..6.*Bernard.Diaz *pract.crimin. c. 58.*Couar.*4 decret.4.p.cap.8.§.5.n.10.*Perez *lib.1.ordin. tit.3.l.22.*Bald.*l.si quis, C.de Episcop.& Cler.* Paulus de Castro *ibi*, Cassanæus *in consuetud.Burgundiæ,rub.8.§.5. n.4.*Felin.*cap.quia,de iudic* Segura *l.3.§.vltimo,num.145. ff.de liber.& posthum.*

## DVBIVM XXIII.

*An hæres,qui tacitam præstitit fidem de restituendis bonis spurio, vocatus à iudice, & rogatus an præstiterit fidem, teneatur respondere,vel possit cura mendacium occultare veritatem.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit teneri absolutè fateri veritatem;quia eam occultare cedit in damnum fisci, cui applicanda est hæreditas. Sic Cardin.*cons.35.*Bart.*l.fin. n.10. ff. de his,quibus.vt indign.*Felin *cap.intimauit,de restibus,*Nau. *cap.inter verba,corol.65.n.802.vers.lo septimo,iuncto n.807. vers.al septimo.*

2 Secunda sententia dicit non teneri respondere, nisi præcedente infamia; quia cùm hîc agatur de pœna soluenda , nam restituere fisco illa bona est in pœnam fidei præstitæ,non rogauit iudex iuridicè, nisi præcedat infamia contra eum, qui fidem præstitit.Hanc docet Couar. *4.decret.2.p.c.8.§.5.n.10.*& est verior,Sed de hoc latè dixi *lib.3 summæ,c.6.*pluribus Doctoribus *ibi* citatis.

## DVBIVM XXIV.

*An spurius possit per substitutionem vulgarem,vel fideicommissariam,vel pupillarem aliquid ex paternis bonis capere.*

1 NOta ex Sylvest. *hæreditas,4.q 3,* quòd substitutio vulgaris dicitur, quæ à quolibet testatore de vulgo fieri potest, & cuilibet de populo, *Instit.de vulg. subst.*vt,instituo hæredem Petrum, & si ipse noluerit,vel non potuerit hæres esse, substitui Ioannem. Et est duplex,quædam expressa,quæ fit per hanc negationem,*non,* vt in exemplo posito:alia verò tacita,quando scilicet negatio non exprimitur,sed includitur,vt,Petrum, & Ioannem hæredes instituo,& eos inuicem substituo : intelligitur enim quòd altero nolente,vel non potente esse hæredem, alter sit in solidum.Alia est substitutio pupillaris, quæ fit soli pupillo, vt, instituo filium meum hæredem, & si intra ætatem pupillarem decesserit, substituo Petrum. Substitutio fideicommissaria dicitur ( vt notat Sylvest.*ibi q.1.*) quando quis instituit hæredem , & petit ab eo,vt restituat alteri.

His positis statuam conclusiones.

2 Sit prima conclusio. Spurius non potest substitui à patre vulgariter. Ratio , quia per substitutionem vulgarem testatori succeditur immediatè : at spurius est incapax succedendi testatori, vt patet ex supradictis. Maior patet *Instit.de vulg.in principio.* Hanc tenent Matienzo *lib.5.ordinam.tit.8.lib. 6.glos. 3. num. 5.* Rojas *epitome succeſſ.cap.20.num.48.*Sylvest.*verbo filij,quæst.4.*Tabien. *num.3.* Rosella *num 5.*Menchaca *lib.3.controu. illustrium, cap.102.n.9.*Molina *lib.2.de primog.c.11.n.28.*Bart.*l.si is qui ff.de vulg.n.1.&2.* Ant.Gomez *l.9.Tau.n.20.* Couar. *4.decret.2.part.cap.8.§.5.n.4* Benedictus *cap. Raynutius, de testam.verbo,& vxorem nomine Adelasiam,decis.5.n.128.* Plaza *epitome delict.lib.1.c.41.n. 13.* Dueñas *regula 366. n.12.*Speculator *tit de succeſſ.ab intestato.§.1.n.28.* Perez *lib.5.ordinam.tit.3 l.22.fol.153.vers.ex quo meritò*, glosl. *Auth.quibus modis natur.effic.sui,§.finali,vers. participiū, collat.7.*Vermondus relatus à Dueñas *vbi supra.*

3 Secunda conclusio. Spurius non potest substitui à patre fideicommissaria substitutione.Probatur , quia per hanc succeditur testatori mediante persona instituti hæredis *l.cohæredi,§.cùm filiæ,ff.de vulg.& pupil.*Sic Matienzo,Ant.Gomez,Molina,Couar.Dueñas,Perez, Menchaca,Benedictus,Plaza,*vbi suprà.*

4 Quòd si obiicias , quòd hæc conclusio videtur contraria iis,quæ *suprà dub. 20.num.*8.dixi, scilicet hæredem institutum sub fideicommisso de dando spurio bona paterna,posse ei dare,& spurium posse ea recipere ; sed hæc est substitutio fideicommissaria : ergo. Respondetur non esse contrariam hanc conclusionem illi doctrinæ ; quia ibi non diximus illud fideicommissum valere, sed est inualidum : & sic spurius non habet ius ad id petendum, nec hæres grauatus tenetur ei dare ; & sic substitutio illa fideicommissaria est irrita : at potest hæres grauatus sua sponte tanquam verus dominus dare spurio , & spurius recipere.

5 Tertia conclusio. Si pater instituat spurium , & eum per fideicommissum grauet , vt restituat hæreditatem alteri,adhuc institutio illa spurij est nulla. Ratio , quia hæres sic grauatus redditur verus dominus illius hæreditatis , vt dixi *vbi suprà eodem dub.20.n.8.* & habet quartam Trebellianicam deducendam ex illa hæreditate:vt est videre apud Sylvest *hæreditas 4.q.2.fine.* Hanc tenent Matienzo plures referens *vbi suprà num.8.*Xuarez *alleg. 27. n.22.*Rojas *vbi suprà n.50.gloss.l.eam,quam C.fideicommiss.* Padilla *dicta l.eam,quam,n.121.*Peralta *l.hæredem,n.90.ff. de legat.2.*Greg.Lopez *l.19.tit.3.part.6.verbo heredar.*

6 Nota tamen , quòd licèt talis institutio spurij sit nulla , at valebit fideicommissum : & similiter si pater instituat spurium hæredem , & ei vulgariter substituat aliquem,licèt institutio sit nulla , at substitutus admitteretur per vulgarem substitutionem,fisco, & hæredibus ab intestato exclusis,Sic Matienzo *ibi n.8* plures referens.

7 Quarta conclusio. Spurius potest à patre pupillariter substitui filio legitimo. Ratio , quia per hanc substitutionem,non patri,sed fratri impuberi succeditur: pater enim facit testamentum nomine filij legitimi impuberis. *l.si is,qui ex bonis,ff.de vulg.& pupil.* Sic Sylvest.Tabien.Rosel.Dueñas,Couar.Anton.Gomez, Vermondus, Batt.Speculator,Plaza,Matienzo,Menchaca, Benedictus *vbi suprà.*Bald.*l.eam,quam.C.de fideicommiss.n.53.*Pinell. *l.3.C.de bonis mater.n.21.* glossa *Auth.quibus mod. natur. effic.sui,§.finali.vers.participium,collat.7.*Iason,Paulus, & Alex.*dicta l.si is,qui ex bonis,*Acosta *cap.si pater,de testam. 2.p.§.bona omnia,n.7.*Salizetus *l.1.C.de natur.liber.* Rojas *vbi suprà n.50.*

8 Nota primò conclusionem hanc esse certam , si loquamur de bonis,quæ aliunde habuit pupillus , quàm à patre , in his enim potest spurius pupillariter substitui, cùm non succedatur patri , nec in bonis eius;sed pupillo in eius bonis. At si loquamur de bonis,quæ pupillo à patre prouenerunt , est grauis difficultas , de qua *dubio sequenti* erit sermo.

9 Secundò nota conclusionem esse certam stando in iure communi : at iure regio dicit Ant. Gomez *vbi suprà* esse correctam , & sic non posse spurium iure regio pupillariter substitui ; quia iure regio spurius non potest succedere consanguineis patris,*l.6.tit.8.lib.5.nouæ recopilat.* quare cùm pupillus sit patris consanguineus , nempe eius filius,nequit ei spurius succedere.Sed hoc verum est de spurio Clerici filio, is enim nequit iure regio pupillariter

Universidad de Deusto
Biblioteca



riter substituti, propter rationem dictam: at in aliis spuriis deceptus est Antonius Gomez, nam illa lex 6. prohibens spurios succedere consanguineis patris, non loquitur de omnibus spuriis, sed de filiis Clericorum: & cùm sit pœnalis, ad alios spurios extendenda non est. Sic Matienzo *vbi suprà num.*7. Acosta *vbi suprà n.*13. & quòd filij Clericorum non possint pupillariter substituti iure regio, docet etiam Perez *vbi suprà*.

10 Tandem nota, quòd in pupillari substitutione, in qua spurius pupillariter substituitur, non continetur tacita vulgaris, & ideò pupillo repudiante paternam hæreditatem spuriis non succedet in bonis paternis ex vi vulgaris tacitæ; quia, vt dixi, per vulgarem patri succeditur, Sic plures referens Matienzo *vbi suprà num.*6. Ant. Gomez *vbi suprà*. Iason *suprà num.*9.

## DVBIVM XXV.

*An spurius pupillariter substitutus possit succedere in bonis, quæ pupillo à patre prouenerunt..*

1 QVòd succedere possit in bonis, quæ aliunde pupillo prouenerunt, certum est, vt dixi *dub præced.* nunc verò circa bona, quæ à patre prouenerunt, versatur difficultas.

Duplex est sententia.

2 Prima docet, non posse succedere in bonis, quæ pupillo à patre prouenerunt. Ratio, quia spurius est incapax succedendi in bonis paternis, maximè cùm ea bona iudicio patris sit habiturus. Item probatur ex *l.si is, qui ex bonis, ff. de vulg. & pupill. substit.* ibi, *vt ex bonis, quæ testatoris fuerant, amplius capere non possit: quòd si pupillo aliquid præterea acquisitum esset, non impediri eum capere, quasi à pupillo capiat.* Hæc *ibi*. Hanc sententiam tenent Bart. *dicta l. si is, qui ex bonis, n.*1.2. Iason *ibi n.*1. & 8. Paulus, & Alex. *ibi*. Matienzo *lib.*5. *ordinam. tit.*8. *l.*6. *gloss.*3. *num.*5. Baldus *l. eam, quam, n.*53. *C. de fideicom.* Menchaca *lib.*3. *controu illustr. cap.*102. *n.*9 Ant. Gomez *l.*9. *Taur. n.*20. Couar. 4. *decret.*2. *p. cap* 8. §. 5. *n.*4. Benedictus *c. Raynutius, de testam. verb. & vxorem nomine Adelasiam, decis.*5. *n.*128. Plaza *epitome delict. lib.*1. *cap.*41. *n.*13. Dueñas *reg.*366. *ampliat.* 12. & refert Vermondum Speculator *tit. de success. ab intestato*, §. 1. *n.*28. Perez *lib.*5. *ordinam. tit.*3. *l.*22. *fol.*153. *vers. ex quo meritò*.

3 Secunda sententia docet posse spurium ex pupillari substitutione succedere, non solùm in propriis pupilli facultatibus, quæ aliunde, quàm à patre illi obuenere, sed etiam in legitima, quæ ex patre pupillo obuenit. Probatur, quia bonis propriis pupilli annumerari debet legitima, quam capit à patre, non ex voluntate sua, sed ex legis necessitate; vt colligitur ex textu cum glossa *verbo, necessario, Auth. de hæred. & falcid.* §. *si quis verò non implens, collat.*1. *& ex l. coheredi*, §. *quòd si hæredem, vers. nec fideicommisso ff. de vulg.* vbi textus dicit proprias filij facultates fideicommisso non teneri: ex quo textu veteres, & iuniores interpretes colligunt partem, quæ ex lege filio debetur, fideicommisso non teneri, quasi ea pars censenda sit inter proprias filij facultates Item ex *l. vnum ex familia*, §. *si de falcidia, ff. de legat.*2. vbi sic dicitur: *Quid est, quod de suo videtur reliquisse, qui quod reliquit, omnimodo reddere debuit?* Tandem probatur, quia hæc substitutio pupillaris in bonis, quæ filio à patre prouenerunt, sortitur effectum post obitum patris: at post obitum patris illa bona sunt omnino filij; ergo spurius succedens in illis non succedit in bonis patris, sed in bonis filij pupilli. Nec obstat, quòd succederent in illis ex dispositione patris; quia pater non disponit, nec testatur nomine proprio, sed nomine filij: & ita potiùs succedit spurius ille fratri pupillo. Hanc tenet Acosta *cap. si pater, de testam.*2. *p.* §. *bona omnia, à num.*7. *vsque ad*13.

4 Et notat Acosta *n.*11. quòd si pater meliorasset filium impuberem in tertio bonorum, & substituisset spurium pupillariter, posset spurius succedere in illo tertio, licèt ille impubes habeat alios fratres legitimos; quia licèt pater habeat facultatem meliorandi vnum ex filiis, vel nepotibus in tertio: at omnia bona patris, etiam tertium, deducto quinto, sunt legitima filiorum *l.*9. *tit.*5. *lib.*3. *fori. l.*17.18.19.20. *Tauri*.

5 Tandem respondet Acosta *n.*7. *ad l. si is, qui ex bonis*, quòd eo tempore verum continebat, eo quòd tunc legitima liberorum non numerabatur inter proprias filiorum facultates, & ideo poterant filij grauari in legitima: at cùm hodie numeretur inter proprias filij facultates, secus sentiendum est.

6 Sit conclusio: Prior sententia est communior, & probabilior: at hæc posterior est satis probabilis, & tutè amplecti potest.

## DVBIVM XXVI.

*An si pater præcipiat in testamento bona sua distribui inter pauperes, vel coniunctos, possit exequutor testamentarius eligere filium spurium testatoris pauperem, ac illi conferre aliquid ex illis bonis paternis vltra alimenta.*

1 SIt conclusio. Talis exequutor non potest aliquid de illis bonis vltra alimenta, ad quæ tenebatur pater conferre illi spurio filio testatoris. Ratio, quia cùm exequutor non sit dominus illorum bonorum, sed pater, & exequutori tantùm committatur illorum distributio, non censetur conferre exequutor, sed pater: vt expresè habetur *l. vnum ex familia*. §. *si de falcidia, ff. de legat.*2. at spurius est incapax recipiendi aliquid à patre vltra alimenta. Conclusio est certissima: eam tenet Peralta *d. l. vnum ex familia, n.*28. Padilla *ibi*, § *si de falcidia, n.*2. Cæpola *cautela* 38. Acosta *cap. si pater, de testam. n.*2. *p.* §. *bona omnia, n.*12. Paulus de Castro, Iason. Alex. *l. si is, qui ex bonis, ff. de vulg. & pupil.* Bart. *l. fin. n.*7. *ff. de his quibus vt indig.* Bald. *l. ab eo, C. de fideic.* Bertachinus, Ioan. Gueldensis, Corneus, Vermondus, quos refert, & sequitur Matienzo *lib.*5. *ordinam. tit.*8. *l.*7. *gloss.*5. *n.*2. Plaza *epitome delict. lib.*1. *cap.*41. *n.*17. Rojas *epitome success. cap.*20. *n.*77. Xuarez *l.*1. *tit.*6. *de las herencias*, qui incipit, *todo home, lib.* 3. *fori, n.*21. Gabr. Paleotus *lib. de nothis & spuriis, cap.*44. *n.*2. Greg. Lopez *l.*13. *vers. en poridad, tit.*7. *part.*6. Couar. 4. *decret.*2. *p. cap.*8. §. 5. *n.*3. Benedictus *c. Raynutius, de testam. verbo, & vxorem nomine Adelasiam, decis.* 5. *n.*122. 127. Boërius *decis.*127. *n.*14.15. Dueñas alios referens *regula* 366. *ampliat.*6. Palac. Rubios *l.*9. *Taur. n.*16. *& cap. per vestras, de donat. not ab.*3. §. 24. *n.*2. Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib.*8. *tit.*5. *n.*12.13. & est communis sententia.

## DVBIVM XXVII.

*An exequutor testamentarius, cui commissum est aliqua bona inter pauperes distribuere, possit ex eis aliqua conferre filio suo spurio pauperi.*

1 SIt conclusio. Talis exequutor potest conferre ex illis bonis filio suo spurio. Probatur, quia licèt pater ex suis bonis nil largiri possit filio suo spurio, at ex bonis testatoris potest; quia non censetur ipse dare, sed is, qui eum fecit exequutorem, *l. vnum ex familia*, §. *si de falcidia ff. de legat.*2. vbi Padilla hanc tenet, *n.*3. & Peralta *ibi n.*27. Iason, Alex. Paulus de Castro *l. si is, qui ex bonis, ff. de vulg.* Acosta *cap. si pater, de testam.*2. *p.* §. *bona omnia n.*12. Matienzo *lib.*5. *ordinam. tit.*8. *l.*7. *gloss.*5. *n.*5. Sylu. *verbo filij, q.*4. *dicto* 2. Rosel. *ibi n.*8. Ioannes Barahona *in addit.* ad Palacios Rubios *cap. per vestras, not ab.*3. §. 24 *litera B*, Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib.*8. *tit.*5. *n.*12.

2 Hinc infertur obligatum ad restituendum pauperibus aliqua bona incerta iniustè acquisita, vel etiam inuenta, iuxta probabilem opinionem posse dare filio suo spurio pauperi, quia non dat de bonis suis, nec nomine suo, sed nomine domini incerti.

DVBIVM



## DVBIVM XXVIII.

*An possit pater filium spurium hæredem instituere sub conditione, si à Principe fuerit legitimatus, & quem effectum habeat talis institutio.*

1 ET videtur non posse sic instituj; quia in hæredum institutionibus conditionalibus, oportet hæredem capacem esse tempore testamenti, mortis, & additionis hæreditatis; vt habetur *l. si alienum.* §. *in extraneis, ff. de hæred. instit.*

2 Sit conclusio. Tutissimum est patri, vt spurium hæredem instituat sub conditione, si à Principe fuerit effectus legitimus: & tunc sequuta legitimatione patris hæreditatem absque animæ periculo obtinebit. Ratio, quia instituj iure potest incapax in tempus, quo capere potest. *l. in tempus. ff. de hæred. instit. l. sicut*, & *ibi* glossa *in principio. ff. quib. mod. vsusfruct. amitt.* Nec obstat *dict. l. si alienum*, quia loquitur in conditione extrinseca: secus in conditione intrinseca, & quæ à iure intelligitur, qualis est hæc, cùm erit capax hæres. Hanc tenent Bald. Aretin. & Alexand. *l. Gallus*, §. *instituens. ff. de liber. & posthum.* Iason, Lancelotus, Decius, Gualdensis, Cotta, quos refert, & sequitur Couar. 4. *decret.*2. *p. cap.*8. §. 5. *num.*12. Dueñas plures referens *reg.*366. *limit.*1. Anton. Gomez *l.*9. *Taur. n.*18. Palacios Rubios *rubr. de donat.* § 29 *n.*4. Montalbus *lib.*3. *fori, tit.*5. *lib.*10. *vers. en adulterio*, Matienzo *lib.*5. *ordin. tit.*8. *l.*6. *gloss.*8. *n.*19. Perez *l.*22. *tit.*3. *lib.*1. *ordin. fol.* 200. Acosta *l. Gallus*, §. *& quid si tantum, 2. p. n.*172. *ff. de liber. & posthum. & lib.*1. *select. cap.*8. *n.*14 Molina *lib* 2. *de primogen. cap.*7. *n.*40.41. Gabriel, & Paleotus *lib. de nothis, & spuriis, cap.*45. *num.*2.3. Ant. Gabriel 2. *tomo commun opin. lib.*17. *fol.*313. *pag.*2. Iulius Clarus *lib.*3. *recept. sentent.* § *testamentum, q.*31. Menchaca *lib.*3. *controu. illust. cap.*102. *num.*19. Greg. Lopez *l.*19. *tit.*13. *part.*6. *vers. heredar.* contra Baldum *l. eam, quam, C. de fideicommiss.* contrarium sentientem.

## DVBIVM XXIX.

*An spurius institutus à patre sub conditione, si à Principe legitimetur, possit interim pendente conditione, bona paterna, in quibus est institutus, petere, & ea non vt dominus, sed vt curator administrare.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit non posse petere, nec administrare. Ratio, quia esset fraudem facere legi, quæ reddit spurium bonorum paternorum incapacem. Sic Ant. Gomez *l.*9. *Taur. n.*19. alios referens. Matienzo *lib.*5. *ordinam. tit.* 8. *l.*6. *gloss.*8. *n.*20. Greg. Lopez *l.*19. *vers. heredar, tit.*3. *p.*6. Immola *l. in tempus. ff. de hæred. instit.*

2 Secunda dicit posse interim petere, & ea administrare, vt curatorem: quòd si postea non obtineat legitimationem, tenebitur reddere rationem vero, & legitimo hæredi. Et probatur ex *l. si quis instituatur hæres in diem. ff. de hæred. instit.* Hanc tenet Baldus, & Angel. *ibi*. Couar. 4. *decret.*3. *part. cap.*8. § 5. *n.*12. Palacios Rubios *rubr. de donat.* §. 29. *n.*4. Dueñas *regula* 366. *limit.*1. Montalbus *lib.*3. *fori, tit.*5. *l.*10. *vers. en adulterio*. Gabr. Paleotus *lib. de nothis, & spuriis, cap.*45. *n.*2.3. Iulius Clarus *lib.*3 *recept. sentent.* § *testamentum, q.*31. Anr. Gabr. 2. *tom. commun. opin. lib.*17. *fol.*313. *pag.*2. & hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XXX.

*An ex consensu filiorum legitimorum possit pater aliquid vltra alimenta relinquere filiis spuriis.*

1 SIt prima conclusio. Pater potest legare quidquid voluerit filiis naturalibus ex consensu legitimorum. Probatur, quia in fauorem legitimorum inductum est, quòd pater nequeat vltra quintum relinquere filiis naturalibus: quod inde constat; quia non extantibus filiis legitimis, potest naturalibus omnia bona relinquere. Sic Couar. 4. *decret.*2. *p. cap.*8. 4. *n.*11. Aimon *consil.*200. *n.*5.9. Matienzo *lib.*5. *ordin. tit.*8. *l.*9 *gloss.*1. *n.*7.

2 Nota hunc consensum filiorum legitimorum non sat esse tacitum, sed necessariò futurum esse expressum, vt notant Aimon, Matienzo, Couar. *ibidem*. Immò hic consensus præstandus est naturalibus liberis præsentibus. Aimon, & Couar. *ibi*.

3 Secunda conclusio. Pater non potest filiis spuriis aliquid vltra quintum relinquere, licèt legitimi consensum præbeant in vita patris. Ratio, quia prohibitio relinquendi aliquid spuriis, non est in fauorem legitimorum. Quod inde constat, quia pater carens filiis legitimis, nequit spuriis vltra quintum relinquere: sed hæc prohibitio facta est in odium delicti paterni. Sic Matienzo *ibi*, Tello alios referens *l.*10. *Taur. num.*8.

4 Vltima conclusio. Si consensus fuit præstitus à filiis legitimis post obitum patris, consensus iste operabitur, vt spurius consequatur illud à patre relictum. Ratio, quia post obitum patris effecta sunt ea bona filiorum legitimorum: ergo possunt ea dare fratribus spuriis, quia non capiunt spurij ea à patre, sed à fratribus tanquam veris dominis: & non sunt prohibiti spurij succedere fratribus. Sic Tello, Matienzo *ibi*.

5 Nota conclusionem esse limitandam, nisi hi spurij sint filij Clericorum; quia hi non possunt succedere consanguineis paternis, *l.*6 *tit.*8. *lib.*5 *noua recopil.* & sic licèt legitimi consentiant post patris obitum, consensus hic non erit sufficiens, vt filij Clericorum possint aliquid capere vltra alimenta. Sic Matienzo *ibi*.

## DVBIVM XXXI.

*An pater possit relinquere quintum spuriis ad alimenta, quando spurij aliunde habent alimenta, vel artificium norunt, ex quo sine dedecore possunt victum quærere.*

1 DVplex est sententia.

Prima ait, quòd quamuis spurius sit ditissimus, potest ei pater legare, vel donare quintum bonorum ad alimenta. Probatur, quia *lex.*10. *Taur.* quæ hodie est *l.*8 *tit.*8. *l.b.*5. *noua recopil.* videtur absolutè permittere patri dare quintum spurio ad alimenta. Item, quia mater potest dare quintum filio nato ex concubitu damnato, licèt is ditissimus sit, vt fatentur omnes, & *suprà* dixi; sed non minus est incapax ille recipiendi aliquid à matre, iuxta *l.*9. *Taur.* quàm hic à patre; ergo. Hanc tenent Couarru. 4. *decret.*2. *part. cap.*8. §. 6. *n.*10. Greg. Lopez *l.*10. *tit.* 13. *vers. heredar. part.*6. & pro hac sententia refertur à Couar. Aimon *consil.*199. Sed minus benè (vt pulchrè notat Tello *vbi infra*) quia Aimon, vt est videre *ibi num.* 10. tantùm docet spurio, qui nullas habet facultates, licèt possit ex artificio viuere, posse patrem relinquere alimenta, quia reputatur is filius inops; & in filio spurio, qui est diues, apertè tenet *num.*11. contrarium.

2 Secunda sententia docet non esse capacem spurium recipiendi à patre, nec per viam donationis, nec testamenti, tale quintum, quando habet aliunde alimenta, vel officium personæ condignum, ex quo sine dedecore possit victum quærere. Probatur, nam *l.*10. *Taur.* non voluntariè patri permittit dispositionem quinti respectu superiorum; sed quando tenetur ipsos alere: sed spurium aliunde habentem alimenta, vel officium personæ condignum, ex quo possit victum quærere, non tenetur pater alere, secundùm omnes: ergo non potest tali spurio relinquere quintum. Item, quia pater omnino prohibetur spurio aliquid relinquere, at ius canonicum, *cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* considerans esse de iure naturali alimenta præstari à patre, ne filius fame periret, correxit ius ciuile, præcipiens, vt alimenta det pater spurio: sed in hoc casu non est ius obligans patrem ad alimenta, & cessat ratio, quia filius non peribit fame, cùm aliunde habeat alimenta: ergo in hoc casu standum est dispositioni iuris ciuilis, vt nihil possit à patre recipere

talis

Universidad de Deusto
Biblioteca



talis spurius. Hanc tenent Tello *l.*10.*Taur. num.* 6. & 7. Rojas *epitome succeſſ. cap.*22.*n.*3. Molina *lib.*2. *de primog. cap.*15.*n.*54. Matienzo *lib.*5.*ordinam.tit.*8.*l.*8.*gloſſ.*1.*n.*13. 14 Decius *conſil.*576.*n.*2.3. Baptiſta *l.ſi qua illuſtris, C. ad S.C.Orphic.n.*93. Calcaneus, & Iacobus de Puteo relati per Tello. Pro eadem ſententia ſunt allegandi *dub. ſequenti*, dicentes non poſſe dare integrum quintum patrem ſpuriis, quando quintum excedit alimentorum neceſſitatem. Idem Gutierr.*lib.*2. *pract. q.* 110. & hæc ſententia eſt multò probabilior.

3 Ad argumentum in contrarium facilè reſpondetur diſparem eſſe rationem, quia matri abſolutè permittitur *l.*9.*Taur.* dare quintum filio nato ex coïtu damnato, & ita poteſt ei dare, licèt ſit ditiſſimus; at patri non permittitur abſolutè dare filio ſpurio, ſed quando tenetur ad alimenta: quare cùm ad hæc non teneatur, quando ſpurius eſt diues, non poteſt tunc dare.

## DVBIVM XXXII.

*An quando ſpurius pauper eſt non habens aliunde alimenta, poſſit ei pater integrum relinquere quintum, ſi illud excedat alimentorum neceſſitatem, habita conſideratione perſonæ, & qualitatis ſpurij.*

1 DVplex eſt ſententia.

Prima docet poſſe illi interum quintum relinquere. Ratio, quia *l.*10.*Taur.* permittit patri, vt ratione alimentorum relinquat ſpurio quintum. Sic Couar.4. *decret.*2.*part.cap.*8.§.6.*n* 8. Baëza *de melioramdis filiabus. cap.*8.*n.*31. & pro hac ſententia eſt Palacios Rubios *cap. per veſtras, de donat.inter vir.& vxor.notab.*3. §.24. *fine*; & Spino *ſpeculo teſtam.gloſſ.*16.*tit.de ſpuriis,n.*103.

2 Secunda ſententia docet non poſſe tunc integrum quintum relinquere, ſed quod ad alimenta ſufficit. Probatur primò rationibus, quibus probata eſt ſententia ſecunda in dubio præcedenti. Item, quia ſpurius cuiuſcumque partis bonorum patris eſt incapax, & ſola alimenta miſerationis cauſa indulſit ei lex, & ſic certis finibus circumſcripſit capacitatem recipiendi, & dandi ergo extra hos limites effectus non producitur, *l. age cum Geminiano, C.de tranſact.* Hanc docent Tello *l.*10.*Taur.num.*9. Matienzo *lib.*5.*ordinam.tit.*8.*l.*8.*gloſſ.*1.*n.*12.13.14. Palacios Rubios *rubr.de donat.*§.50.*n.*27. Baldus *l.eam, quam, C.de fideicommiſſ.n.*41. Socinus *volum.*4.*conſ.*2.*n.*5. Baptiſta *l.ſi qua illuſtris, C.ad S.C. Orphic.n.*93. Gabr. Paleotus *lib.de nothis, & ſpuriis, cap.*45.*n.*8. Capicius *deciſ. Neapol.* 181.*n.*1. Caſſanæus *in conſuetud.Burgundiæ, tit.de ſucceſſ. rubr.*8.§.3.*n.*11. Idem Gutierr.*lib.*2.*pract.q.*110. & hæc ſententia eſt multo probabilior.

## DVBIVM XXXIII.

*An ſi quintum non ſufficiat ad alimenta, poſſit pater filio ſpurio pluſquàm quintum relinquere.*

1 SVpponendum eſt dupliciter poſſe contingere quintum eſſe ſufficiens ad alimenta, vel ad alimenta ſecundùm neceſſitatem naturæ, vel ad alimenta ſecundùm decentiam ſtatus. Hoc ſuppoſito, variæ ſunt ſententiæ.

2 Prima docet, nullo pacto poſſe patrem relinquere ſpurio ad alimenta plus quàm quintum, licèt illud ſufficiens non ſit. Probatur ex *l.* 19. *Taur.* vbi ſic dicitur: *Quando el padre eſta obligado a dar alimentos al eſpurio, per virtud de la tal obligacion no le pueda dar mas que el quinto.* Sic docent Tello *eadem l.*10.*Taur.n.*3.& 4. Rojas *epitome ſucceſſ.cap.*21.*n.*17. *cum ſequentibus.*

3 Secunda ſententia docet, quòd quando quintum non eſt ſufficiens ad alimenta, poteſt pater ſpurio plus quàm quintum relinquere. Ratio, quia dare ſufficientia alimenta filiis, eſt de iure naturæ, quod non poteſt lege humana tolli. Sic tenent Couar.4.*decret.*2.*part.cap.*8.§.6. *n.*8. Perez *l.*22.*tit.*3 *lib.*1.*ordin.verſ.verſatur etiam.* Greg. Lopez *part.*6.*tit.*13.*l.*10.*verſ.heredar,& l.*8.*tit.ſ.manester.* Spino *ſpeculo teſtam.gloſſ.*15.*tit.de filiis legit.n.*122.

4 Nota quòd Gregor.Lopez *dicta l.*10. loquitur, non extantibus deſcendentibus legitimis: & *dicta l.* 8. dicit quòd extantibus legitimis deſcendentibus, non eſt capax ſpurius recipiendi, quoad proprietatem vltra quintum: at poterit petere ab hæredibus patris, vt eum alant in illa parte, in qua quintum non eſt ſufficiens.

5 Tertia ſententia dicit, quòd aut alimenta petuntur ſecundùm qualitatem perſonarum vltra neceſſitatem viuendi: & tunc ſiue pater habeat deſcendentes legitimos, ſiue non, non tenetur relinquere naturalibus filiis aliquid vltra quintum, nec ſpuriis, etiamſi velit, poteſt, licèt quintum non ſat ſit ad ſtatutum, ſi ſat ſit ad naturam: & ſi habet legitimos, nequit filiis naturalibus vltra dictum quintum relinquere. Ratio, quia l. 10. Taur. ſeruanda eſt; tantùm enim ex lege naturæ tenetur pater ad vitæ neceſſaria, quia dignitas perſonarum à iure naturali inuenta non eſt. Si verò petantur alimenta ad vitam neceſſaria, nec ad id ſat ſit quintum, aut pater habet alios deſcendentes legitimos, & tunc nequit vltra quintum relinquere, licèt illud ſat non ſit, quia licèt illa alimenta ſint de iure naturæ, at ex eodem iure procedit legitima, & potuit ius ciuile ex cauſa, ſcilicet vt maior ſit legitimorum legitima, taxare illa alimenta: ſi verò non habeat deſcendentes legitimos, tenetur ea alimenta, etiamſi quintum excedant, quibuſcumque filiis etiam ſpuriis pater relinquere; quia ſunt de iure naturæ, & non prohibentur aliqua lege. Sic tenet Molina *lib.*2.*de primog. cap.*15.*n.*53. & Gutierr *lib.*2.*pract.q.*109.

6 Quarta ſententia docet, quando alimenta ſufficiunt ad naturam, ſunt autem ad ſtatum neceſſaria ampliora, quàm quintum, non poſſe patrem dare ſpuriis vltra quintum: quando verò ſunt neceſſaria ad naturam, poſſe dare vltra quintum, licèt filiorum legitimorum legitima minuatur; quia hæc alimenta petit ſpurius, ac creditor debitum, at debita minuunt legitimam. Sic Baëza *lib.de non melior.filiab.cauſa dotis,cap.*8.*n.*28.29.& 30.

7 Sit tamen pro reſolutione prima concluſio. Vbi pater non habet deſcendentes legitimos, poteſt vltra quintum relinquere filio ſpurio, quando quintum non ſat eſt ad alimenta. Probatur, quia pater tenetur alere ſpurium (vt dicam *dub. ſequenti*) non tantùm iuxta indigentiam naturæ, ſed etiam iuxta indigentiam ſtatus, & non extantibus deſcendentibus legitimis, nulla eſt lex, quæ prohibeat patri relinquere vltra quintum, quando ea tota ſumma ad huiuſmodi alimenta eſt neceſſaria: nam *l.*10. *Taur.* quæ magis vrget, loquitur, quando extant deſcendentes legitimi, vt clarè conſtat ex illis verbis: *Mas de la quinta parte, de la qual podia diſponer por ſu anima.* Ecce lex hæc clarè loquitur, vbi ſuperſunt deſcendentes legitimi; quia ipſis non extantibus, poteſt pater non tantùm quintum, ſed etiam totam ſubſtantiam pro anima expendere. Hanc tenet Matienzo *lib.* 5.*ordinam. tit.*8 *l.*8. *gloſſ.* 1. *à n.*7. *vſque ad* 12. Gregor. Lopez *part.*6. *tit.* 13. *l.* 10. *verſ. heredar*, vbi hæc verba dicit: Non extantibus legitimis poteſt pater vltra quintum ſpurio relinquere, ſi quintum non ſat ſit, attenta qualitate, & dignitate ſpurij. Eandem tenet Perez *ſuprà* citatus, qui indiſtinctè tenet poſſe patrem relinquere ſpurio vltra quintum, quando illud non ſat eſt ad alimenta: & loquitur *ib:* de filio Clerici, qui regulariter nec habet, nec habere poteſt filios legitimos: & ſic non eſt contra nos, ſed loquitur, non extantibus filiis legitimis.

8 Secunda concluſio. Licèt extent filij legitimi; ſi quintum non ſat ſit ad alimenta ſecundùm neceſſitatem naturæ, poteſt pater relinquere ſpurio vltra quintum. Probatur, quia hæc alimenta ſunt de iure naturæ, & ea petit filius, ac creditor debitum, at debita minuunt legitimam. Nec l. 10. Taur. eſt contra hoc: intelligenda enim eſt, quando alimenta excedentia quintum ſunt tantùm neceſſaria ad ſtatum, nec ea lex ſit iuri naturali aduerſa. Sic



Sic contra primam, & tertiam ſententiam tenent Matienzo, Baëza *vbi ſuprà*; & colligitur ex Couarr. *vbi ſuprà*. Immò, vt ait Matienzo, compelli poteſt pater in hoc caſu, & eius hæredes, modò filiis legitimis alimenta non deſint.

9 Tertia concluſio. Si pater habeat deſcendentes legitimos, & quintum ſat ſit ad alimenta ſecundùm naturam, non tamen ad alimenta ſecundùm ſtatum, non poteſt pater vltra quintum aliquid ſpuriis relinquere. Probatur, quia talia alimenta non ſunt de iure naturæ, & pater expreſsè eſt prohibitus, non defraudet deſcendentes legitimos, niſi in quinto. Sic tenent Molina, Baëza, Tello, Rojas *vbi ſupra*, & colligitur expreſsè ex Matienzo, & Gregor. Lopez *dicta l.*10.*verſ. hæredar*. Nec Perez, vt dixi, tenet oppoſitum, quia loquitur de filio Clerici, qui non habet deſcendentes legitimos. Nec etiam Couar. eſt contra hanc ſententiam, quia apertè loquitur, quando alimenta petuntur ſecundùm naturæ indigentiam, quod nos faſſi ſumus.

## DVBIVM XXXIV.

*An alimenta ſint danda ſpuriis ſecundùm naturæ neceſſitatem, vel etiam ſecundùm ſtatus decentiam.*

1 DVplex eſt ſententia.

Prima docet hæc alimenta, quæ miſerationis cauſa præſtantur, iuxta neceſſitatem victus, non attenta perſonarum dignitate, eſſe cenſenda. Sic Bald, *l.ſi maritus. ff.ſoluto matrimon.* Caſſanæus *conſ.* 39. *num.* 55. Palacios Rubios *cap.per veſtras, de donat.notab.*3.§.24. *num.* 3.& *rubr.de donat.*§.65. *num.*52. Baëza *de non melior. filiab.cap.*8.*num.*30.

2 Secunda ſententia docet hæc alimenta præſtanda eſſe ſecundùm ſtatus dignitatem; vt colligitur ex *l. ſed & ſi quid.*§.*ſufficienter,ff.de vſufruct.*& iniquum, ac rationi diſſonum eſſet filio Ducis ſolùm præſtari à patre panem, & olera, quæ ad naturæ ſolius ſuſtentationem ſufficiunt. Hanc tenent gloſſa *l.nepos Proculo, ff. de verb. ſignific.* Iaſon §. *fin. Inſtit. de act.* & §.*item Seruiana,num.* 64.*eod.tit.* Alexand. *dicta l. ſi maritus*, Immola *l. Neſennium.*§.*finali.ff de reiudic.* Aretin. *conſil.* 17. Couar. 4.*decret.*2.*p.cap.*8.§.6.*num.*7. Perez *lib.*8.*ordinam.tit.*15.*l.*2. *fol.*307. Molina *lib.*2. *de primog. cap.*15. *num.*55. Matienzo *lib.*5.*ordin.tit.*8.*l.*8. *gloſſa* 1.*num.*1. & 10. Tello *l.* 10. *Taur.num.*2 Gomez Arias *l.*7.*Taur. num.*16. 17. Anton. Gomez *l.*9.*Taur.n.*41. Sit

3 Prima concluſio. Multò probabiliùs eſt teneri patrem exhibere alimenta ſpurio ſecundùm ſtatus dignitatem, vt docet ſecunda ſententia. Patet ex rationibus, & Doctoribus illius.

4 Secunda concluſio. In his alimentis præſtandis non tantùm habenda eſt conſideratio ad perſonam ſpurij, ſed ad omnes perſonas, quas filius alimentandus tenetur alere. Sic Tello *ibi n.*10. Matienzo *ibidem n.*15.16.

5 Hinc infertur eſſe conſiderandam perſonam vxoris, licèt patre reluctante filius eam acceperit, *l. ſi quis à l.bezio,*§. *non tantùm.ff.de liber.agnoſc.* Sic Crotus, quem referunt, & ſequuntur Tello *ibidem,num.*10. Matienzo *eod. num.*15.16. Philippus Portius *conſil.*146.*num.*2.& 3. Couarr.*eodem* §.6.*num.*4.5. qui tamen limitat, modò vxorem honeſtam duxerit.

6 Secundò infertur, in hac alimentorum aſſignatione habendam eſſe etiam conſiderationem ad liberos ſpurij. Crotus, Matienzo, Philippus Portius *ibidem.*

7 Vltimò infertur habendam etiam eſſe conſiderationem in hac alimentorum aſſignatione ad ancillas, & ſeruos ſpurij, quibus iuxta ſuum ſtatum indiget; hæc enim omnia pertinent ad ſtatum ſpurij, *l.habitatio, ff. de vſuf. an poſſeſſ. mir.* Sic Gutierr. quem refert, ac ſequitur Matienzo *ibidem.* Vide Surdum, *de aliment.tit.*7.*q.*6.*n.* 22. 24. vbi docet ad videndum, an poſſit filius ſe alere ex ſuis bonis inſpiciendos eſſe redditus, non proprietatem; & *num.*2. addit, ſi filius poteſt viuere ex propriis operibus, non poteſt petere alimenta: & *num.*12. limitat; niſi ſibi eſſet indecorum illam artem exercere; & *num.* 16. niſi ars non ſat eſſet ad alimenta.

## DVBIVM XXXV.

*An hæc alimenta filiis ſpuriis relicta pertineant ad eorum hæredes, vel tantùm ſpurij in vita ſint vſufructuarij, & ipſis mortuis redeant ad patres, & eorum hæredes.*

1 HOc dubium ſtando in iure communi non vſquequaque definitum erat. Nam Xuarez *l.* 1.*tit.* 6. *de las herencias*, qui incipit, *todo home, lib.*3.*fori, à num.*24. latè probat dicens idem obtinuiſſe in quadam lite in Prætorio Granatenſi, hæc alimenta pertinere ad ſpurios quoad vſumfructum, & proprietatem, & ſic ipſis mortuis pertinere ad eorum hæredes, & non redire ad parentes, niſi pater, quando reliquit alimenta, contrarium diſpoſuiſſet. Sit tamen

Prima concluſio. Communis opinio, & probabilior erat, quòd ſtando in iure communi alimenta ſpuriis relicta ſolùm pertinebant ad ipſos quoad vſumfructum, durante eorum vita; qua finita tedibunt ad parentes. Ratio, quia ſtando in iure communi pater ſolum debebat filiis ſpuriis alimenta: at alimenta morte finiuntur, *l.ciunchi,* §.*ſi vni, ff.de tranſact. l.Dominus,* §.*fin. ff.de vſufruct.* Sic Bald. *l. eam, quam, num.*41. *C.de fideicomm.* Couar. 4. *decret.* 2.*part.cap.*8.§.6.*num.*15. Tello *l.*10. *Taur.num.* 96. & *ibi* Anton. Gomez *num.* 42. Caſtillo *l.* 9. *Taur. verbo como quiſieren*; & *l.*10.*num.* 39. Palacios Rubios, *l.*9. *Taur. num.* 21.& 56.& *cap. per veſtras, de donat. notab.* 3.§.24. *num.* 4. Baptiſta *l. ſi qua illuſtris, C.ad S.C. Orph.* Bart. & Decius, quos refert, & ſequitur Dueñas *regula* 396.397. *ampliat.*3.

3 Secunda concluſio. De iure huius regni Hiſpaniarum alimenta ſpurio relicta pertinent eo mortuo ad eius hæredes: & ſic ſpurij, dum viuit, ſunt quoad vſumfructum, & proprietatem. Sic definitur expreſsè *l.*10.*Taur.* & docent Couarr. Dueñas, Caſtillo, Palacios Rubios Tello, Anton. Gomez *vbi ſupra*, Baëza *de non melior. filiab.cap.*17. *num.*7.

4 Hinc infertur patrem non poſſe grauamen imponere in quinto, quod relinquit filio illegitimo ad alimenta; quia ex præciſa neceſſitate, & iuris diſpoſitione illud debet, & ideò cùm non honoret, nequit grauare, *l.ab eo qui, de fideicom.* Sic Molina *lib.*2. *de primog.cap.*11. *num.*32. Tello *l.*10.*Taur.num.*15. & *ibi* Anton. Gomez *num.* 43. Matienzo *lib.*5.*ordinam.tit.*8.*l.*8.*gloſſ* 3.*n.*4.

5 Limitandum tamen eſt hoc, niſi illud quintum excederet quantitatem alimentorum ad ea neceſſariam, quia in illo exceſſu poteſt grauari illegitimus; cùm enim tantùm teneatur pater alimenta exhibere, id, quod ſupereſt, voluntariè dat, & ſic poteſt grauare. Sic Tello & Matienzo *ibi.*

## DVBIVM XXXVI.

*An poſſit pater relinquere ſpurio, vel cuicunque alij filio illegitimo alimenta ſolùm ad tempus vitæ talis ſpurij, & cauere, vt poſt ſpurij obitum redeant ad patrem, & eius hæredes.*

1 ALiqui dicunt non poſſe id patrem, ſed quòd non obſtante hoc talia alimenta erunt ſpurij ſimpliciter, & omnino, & poſt eius obitum non redibunt ad patrem, ſed ad ſpurij hæredes. Probatur primò ex *l.*10.*Taur.* vbi cauetur expreſsè, vt quantitas relicta ſpurio ad alimenta tranſmittatur ad eius hæredes. Item, quia (vt dixi *dubio præcedenti*) pater non poteſt grauamen imponere in quantitate relicta filio illegitimo pro alimentis. Sic Anton. Gomez *l.*10.*Taur. num.*23.

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Alij verò absolutè docent posse patrem legare spurio alimenta ad vitam,& cauere, vt post eius obitum succedat in illis is, quem pater elegerit : & explicant *l.* 10. *Taur.* in quantum præcipit, vt in quantitate relicta pro alimentis succedant hæredes, quos habuerit filius spurius:explicant,inquam, habere hunc intellectum,nisi pater aliud disponat:& sic secus erit,quando pater aliud disposuit, quia scilicet præcepit, vt habeatur ratio necessitatis alimentorum in vita,& non vltra. Sic Palacios Rubios *cap.per vestras, de donat.notab.*3.§. 24.*num.* 10. Sit tamen

3 Prima conclusio.Si pater leget spurio quid annuum, aut annuos redditus ad alimenta morte finiuntur ea alimenta , nec transmittuntur ad spurij hæredes : & hoc casu filius de tali legato nil potest disponere. Probatur, pater solùm tenetur alere spurium, dum viuit,sed legans annuum quid durante spurij vita ad alimenta sufficienter eum alit,dum viuit : ergo. Sic Tello *l.*10.*Taur.n.*17. 18. Matienzo *lib.* 5.*ordinam. tit.*8.*l.*8. *glos.* 3.*n.*3.4.& in hoc casu tenet verum sententia à Palacio Rubios citata.

4 Secunda conclusio. Quando pater legat filio suo spurio fructus alicuius prædij, qui sat sunt ad alimenta, finiuntur similiter morte , nec transmittuntur ad hæredes filij spurij. Probatur eademmet ratione , qua probata est conclusio præcedens ; & docent Tello, & Matienfio *vbi suprà* , & colligitur expresè ex doctrina Palad. *lib.*1.*de reb. quotid. cap.*16.*num.*4. Xuarez *l.* 1.*tit.*6.*lib.*3. *fori,num.*22. vbi dicunt , quòd potest pater spuriæ dare dotem, quoad vsumfructum hac lege,vt ipsa mortua reuertatur ad patrem.

5 Tertia conclusio. Quando quintum legatur, & quod in eo continetur, est necessarium ad alimenta, tunc si pater iubeat , vt illud quintum vendatur , & ex eo ematur aliquid , quod reddat fructus competentes ad alimenta, & quod morte finiatur, illud non transmittit spurius ad hæredes,nec de eo potest disponere. Probatur eadem ratione. Sic Tello.

6 Vltima conclusio.Si pater absolutè legauit aliqua bona ad spurij alimenta , & illum grauauit, vt post mortem restituat ea bona alicui, tale grauamen non tenet in parte necessaria ad alimenta , sed de ea potest spurius disponere, & ad hæredes eam transmittit : & in hoc casu est vera sententia Antonij Gomez citata ; & probatur ex dictis *dubio præcedenti.* Sic Matienzo *vbi suprà*, & dicit hoc visum esse sentire, licèt subobscurè, Tello *l.*10.*Taur.n.*15. & 18.*vers. sit tertia conclusio.*

## DVBIVM XXXVII.

*An si quintum sit necessarium ad alimenta attenta qualitate spurij , & pater relinquat aliqua legata pia ex eo adimplenda , quia scilicet habet filios legitimos , sit minuendum dictum quintum ob ea legata.*

1 SIt conclusio. Si quintum sufficit pro omnibus, omnia ex eo extrahuntur: si verò non sufficit , debet de eo extrahi impensa funeris,vt patet ex *l.*30. *Taur.* alia verò legata etiam non valebunt , quia ius alimentorum censetur debitum necessarium. Sic Antonius Gomez *l.*9.*Taur. num.*41.

## DVBIVM XXXVIII.

*An possit pater aliquid dare in vita, vel morte filio spurio vltra alimenta propter filij merita.*

1 SIt conclusio. Iure optimo potest pater filio spurio aliquid dare vltra alimenta propter benemerita filij.Ratio,quia hæc non censetur donatio , sed remuneratio,& inter eos , inter quos prohibita est donatio, vt inter patrem & filium , inter virum & vxorem , non censetur prohibita donatio remuneratoria , modò tamen de meritis constet,& donatio sit æqualis meritis. Hanc docent Perez *lib.*1.*ordin.tit.*3.*l.*22.*fol.* 102. *pag.*2. Tiraq. *l.si vnquam , Cod.de reuoc. donat.verb. donatione largitus, num.*22.Bald.Ioann.Andr.Gabr.Paleotus, Ruinus, quos refert,& sequitur Rojas *epitome succession.um , cap.*25.*numero* 1.2.3.4.5.

2 Nota tamen , quòd vt dicatur donatio remuneratoria,debent esse talia merita,siue seruitia , ad quæ donatarius aliàs non tenebatur;quæ enim debentur ex necessitate,vel officio iubente lege non debent censeri beneficia,quæ exigant præmium , siue remunerationem, v.g. vxor , & filius debent viro, & patri certas operas , & obsequia,ea si præstita fuerint , non habentur pro meritis. Sic plures textus , & Doctores referens docet Tiraquellus,*ibidem num.* 21. & 106. sed de hoc latè dixi *libro* 6.*de matrim.disput.*6.

## DVBIVM XXXIX.

*An si pater excedat metas in assignanda dote filiæ spuriæ, quia scilicet assignauit illi plusquam quintum,quod sufficiebat ad alimenta , possit peti ille excessus à viro constante matrimonio.*

1 DEcisio huius quæstionis pendet ex alia, nempe an si parentes dederunt filiæ legitimæ immensam, & inofficiosam dotem , quæ scilicet rangat legitimam aliorum filiorum,talis excessus possit reuocari constante matrimonio. Quòd enim soluto matrimonio possit reuocari, & talis filia, vel eius hæres teneatur excessum illum aliis filiis iniustè grauatis restituere , manifestum est, vt optimè docet Anton.Gomez *vbi infra* , quia non potuit pater legitimam aliorum filiorum minuere.

2 At grauis difficultas est , an constante matrimonio possit peti à viro ille excessus. Et si solùm ius commune attendamus , communis erat sententia non posse peti à viro excessum illum constante matrimonio. Quod probatur primò , quia maritus constante matrimonio non habet dotem ex titulo lucratiuo,sed ex titulo oneroso, scilicet vt matrimonij onera sustineat, *l. pro omnibus* , & *ibi* Bart.*Cod.de iure dotium*, & fatentur omnes Doctores citandi:at ex causa onerosa potest præiudicium inferri in legitima. Secundò probatur ex *l.finali*,§.*si à socero ff. quæ in fraud.credit.*vbi dos data filiæ in fraudem creditorum non potest matrimonio constante ab ipsis reuocari , sed creditores habent potius ius, quàm filij.vt *l. Papinianus*, §.*quarta.ff.de inofficioso testamento :* ergo à fortiori non reuocabunt dotem constante matrimonio filij , licèt eis in legitima damnum inferatur. Hanc tenent Bart. Bald. Aretinus,Angel.Campetius, Antonius Negusan. quos refert Marienzo *vbi infra* ; idem docent Segura *l. coheredi*, §.*cum filiæ.ff.de vulg.& pupill. num.*130. Bernardus Diaz *reg.*215.Matthæus de Afflictis *decis.*86.*ad finem* , dicens sic fuisse iudicatum in Concilio Neapolitano, Olanus *in concordia iuris, littera D. verbo dos num.*79. Castillo *l.* 10.*Taur. num.*32. Palacios Rubios *l.* 17.*Tauri , num.*44. Gratian.*reg.*310. *nom.*6.

3 Sit tamen prima conclusio. Probabilius est stando in iure communi excessum dotis , in quo tangitur legitima aliorum filiorum , posse reuocari , & auferri à vito constante matrimonio. Probatur primò, quia iure communi cautum est dotem inofficiosam esse reuocandam , nec lex aliqua distinguit inter matrimonium constans , & solutum,*l.vni,Codice de inoffic.dot.* ergo cùm lex non distinguat , nec nos distinguere debemus, *l.de pretio.ff.de public.* Item quianon est æquum alios fratres spoliari , & iure suo priuari,ne inquietetur matrimonium. Tandem quia hîc non agitur de reuocanda dote, sed de reuocando excessu dotis : licèt verò dos habeatur ex contractu oneroso,at excessus dotis habetur ex contractu lucratiuo. Et per hoc respondetur ad *d.* §.*si à socero*, quia *ibi* agebant creditores ad reuocandam dotem , hic verò agitur ad excessum dotis reuocandum. Hanc tenet Salzedo *in addit.* ad Bernard. Diaz *regula* 215. Anton. Gomez *l.* 29.*Taur. n.* 34. Palacios Rubios dicens sic fuisse iudicatum in Regia Cancellaria Pinciana , *cap. per vestras, de donat.notab.*3.§.22.*n.*10.Gomez Arias 29. *Taur.num.*11. Paulus de Castro *l.*1. *C.de inoffic.dotib num.vltimo*,Baëza *de non melior.filiab.cap.*32.*num.*3.Matienzo *lib.*5. *de ordinam.tit.*1.*l.*5 *glossa* 4.*num.*7.Molinæus *tract. de donat.factis in contractu matrimonij, num.* 59.

4 Secunda conclusio. Stando in iure huius regni Hispaniæ res est indubitata dotem inofficiosam posse reuocari quoad excessum,constante matrimonio. Conclusio hæc expresè est definita , *l.*29. *Tauri* , quæ hodie est *lex* 3.*tit.*8.*lib.*5.*nouæ recopil.* & eam docent omnes authores.

5 Tertia conclusio. Pater dum viuit , potest reuocare excessum illum dotis , at cæteri filij viuente patre non possunt reuocare , sed eo mortuo. Probatur prima pars, quia quando actus est nullus , ipso iure licitum est factum proprium improbare , *l.*1. & *ibi* glossa, *C.de liberali causa*,& plures alij,quos refert Baeza *vbi suprà*. Probatur secunda pars , quia cæteri filij ad hanc reuocationem fundantur , ne eorum legitima minuatur: at legitima non debetur viuo patre,*l.*1.§. *si impuberi,ff.de collat. bonor.* ergo viuente patre non potest impugnari dos, vel donatio inofficiosa. Hanc tenent Baëza *de non melior. filiab. cap.* 34.*num.*2.8.9. Matienzo *lib.*5.*ordinam. tit.* 8.*l.*3. *glos.*7. *num.*4.5.6. Palacios Rubios *cap. per vestras, de donat.notab.*3.§.22.*n.*4. & §. 24. *num.* 3. & Barahona *in addit. ad Palacios Rubios , illo* §.24 *littera D,vers. à merito*, Segura *l.coheredi* , §.*cum filiæ,ff.de vulg.num.*129.130. Nec obstat *l.*8.*tit.*4.*part.* 5.ibi, *Con que sin que en saluo à sus hijos su parte legitima tambien en vida de su padre, como despues de su muerte.* Quæ verba insinuare videntur filios in vita patris posse reuocare donationem inofficiosam, quia lex illa intelligenda est ; & vult patrem nec in vita, nec in morte posse præiudicare filiis in legitima , non tamen probat posse filios viuo patre donationem inofficiosam impugnare.

6 Nota hoc non tantùm tenere verùm in hoc casu, sed esse generale in omni donatione inofficiosa,quæ tangit legitimam filiorum , quod viuo patre eam non possunt filij impugnare. Sic Matienzo *eodem num.*4.*proximè* citato,Baëza *dict.cap.*34.*n.*9.Cynus,Bart. & Bald.*l.*1.*C.de inoffic.donat.* Salicet. *l. si totas, eod. tit.* Tiraquel. *l. si vnquam,in principio legis, num.* 91. *Cod.de reuoc.donat.*Molinæus *tract. de donat. factis in contractu matrimonij,n.*12.

7 Hinc infertur , quòd licèt dos immensa reuocetur, non tamen restituendi erunt fructus excessus collecti in vita patris donantis , sed tantummodo qui post mortem patris collecti sunt , nisi pater in vita reuocarit. Sic Matienzo *ibi num.*6. At fructus collecti ex excessu dotis post mortem patris restituendi sunt,quia ille contractus quoad excessum fuit nullus : at possidens rem ex contractu nullo tenetur eam cum fructibus restituere , vt docent Accursius,Anchar.Dominicus,Alex.Paulus,Iason , Francus,quos referunt, & sequuntur Matienzo *dict. num.* 6. & 7.Baëza *de non melior.filiab.cap.*33.*n.*7. Quod duobus modis limitat Matienzo *num.*7. & Baëza *num.*11. & 12. primò nisi genet dotem recipiens ignorabat excedere, errans in facto , nesciens quidquam fieri contra legem, nunc enim fructus percepti ex contractu etiam nullo non sunt restituendi,vt benè docent Felinus *cap.de quarta, n.* 25.*de præscript.* Couar.*lib.*1.*variar.cap.*3.*num.* 8. Bald. *l. Celsius.ff.de vsucap.* Secundò , nisi dos immodica in pecunia data fuerit, tunc enim non à die , qua dos fuit data, sed à tempore moræ fructus debentur,*l.fructus*, & *l. videamus.ff.de vsuris,l.cum res.ff.de legat.*1.

8 His suppositis veniendum est ad quæstionem initio propositam,an si pater det filiæ spuriæ dotem excedentem,scilicet plus quàm quintum, quod erat sufficiens ad alimenta , possit excessus ille dotis peti à viro constante matrimonio : nam eo soluto manifestum est , vt dixi , esse restituendum excessum.

Triplex est sententia.

9 Prima dicit excessum illum dotis non posse reuocari constante matrimonio. Ratio , quia maritus habet dotem titulo oneroso. Sic Bart. *l. fin.*§. *si socero , ff. quæ in fraud.credit.* & *ibi* Angel. Baldus *Auth. ex complexu, C.de incestis nupt.*Segura *l.coheredi*,§.*cum filiæ,ff.de vulg. num.*131.Campetius *tract.de dote,*1.*part.q.*48.

10 Secunda sententia sic distinguit ; si maritus tempore contractus matrimonij ignorabat vxorem spuriam esse, non potest constante matrimonio exigi excessus ille : secus verò,si sciebat, tunc enim sibi debet imputare. Sic Ripa,Cumanus, Nicolas de Vbaldis, quos refert & sequitur Couar.*4.decret.*1.*part.cap.*8.§.6.*num.* 12. Palacios Rubios *cap.per vestras,notab.*3.§. 24.*num.*3. Anton.Gomez *l.*9.*Taur.num.* 44. Baëza *de non melior. filiab. cap.* 32. *num.* 10. Salzedo *in addit. ad Bernard. Diaz regula* 215.

11 Vltima sententia docet in quouis casu etiam iure communi, & maximè iure regni Hispaniæ per *l.*29.*Taur.* posse exigi dotis excessum constante matrimonio. Quod probatur ex dictis *quæstione præcedenti*, posita in hoc eodem dubio. Sic tenet Matienzo *lib.* 5.*ordin. tit.* 8.*l.* 8. *glos.*1.*num.*36.

12 Sit quarta conclusio. Si vir sciebat esse vxorem spuriam , tunc in omni casu potest reuocari excessus dotis datæ spuriæ , constante etiam matrimonio , vt benè docuit secunda sententia sic limitans primam sententiam.

13 Quinta conclusio. Etiamsi vir ignoret spuriam esse vxorem,potest exigi excessus ille dotis à viro , quando pater, qui dotauit , habet filios legitimos. Probatur, quia iuxta dictam *l.*29.*Taur.* dos inofficiosa, quæ tangit legitimam filiorum , potest reuocari constante matrimonio : at in hoc casu dos tangit legitimam filiorum legitimorum ; eorum enim legitima sunt omnia bona patris , dempto quinto , vt benè docet Marienzo *lib.* 5. *ordin. tit.* 6.*l.* 1.*glos.* 1. *num.* 1. per illam legem , & sequentes ; ergo. Hanc conclusionem tenet Matienzo citatus pro vltima sententia , & videtur tenere Couar. *loco citato* , nam addit aduersùs suam sententiam esse *l.*29. *Taur.* & videntur tenere Salzedo , & Baëza *vbi suprà*, dicunt enim primam sententiam Bart.agere de filia Sacerdotis, qui non habet filios legitimos.& sic per talem dotem excedentem non damnificantur filij.

14 Vltima conclusio. Si tamen pater notans spuriam non habeat filios legitimos & vir ignorabat esse spuriam, non potest excessus dotis exigi constante matrimonio: vt benè docuit secunda sententia. Nec aduersatur *l.*29. *Taur.*quæ loquitur , quando pater habet filios legitimos. Et potest confirmari, quia multi dicunt recipientem bona fide dotem vsurarij, non teneri restituere constante matrimonio,quia habet titulo oneroso.

## DVBIVM XL.

*An titulo oneroso aut lucratiuo possit spurius aliquid à patre recipere.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit ex nullo contractu,nec lucratiuo, vt donationis , nec oneroso , vt emptionis , & venditionis posse spurium aliquid à patre recipere , stando etiam in iure communi. Probatur ex *l.*1.*C. de natur.liber.* ibi, *Quidquid talibus liberis pater donauerit*;& ibi , *vel emptione collatum* , & *l. si quis incesti , in principio Codice de incestis nuptiis , & l.* 10 *tit.*13. *parte sexta.* Sic Bartol. Baldus,Gabriel.Paleotus , Alexand.Decius,& plures alij, quos referunt , & sequuntur Dueñas *regula* 366.*ampliat.* 11. Rojas *epitome succession. capite vigesimo , numero* 59.Plaza *de delictis, libro primo, capite* 41. *numero decimo quinto.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Secunda sententia dicit spurios secundùm ius commune non posse aliquid recipere à patre, titulo lucratiuo, vt donationis, at benè posse titulo oneroso, vt venditionis: & hoc cùm verè paret pretium à filio recepit, sicut reciperet ab extraneo. Probatur ex *l. qui testam. ff. de probat.* vbi valere asserit Iurisconsultus contractum mutui, vel alium oneroſum inter patrem, & spurium, quoties vera pecuniæ numeratio intercenit. Sic tenent Speculator, Guillelmus Benedictus, Ioannes Gualdensis, & plures alij, quos referunt, & sequuntur Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. glossa 7. num. 2. 3.* Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 35.* Perez *lib. 5. ordinam. tit. 3. l. 2. §. ni vendida*, Segura *l. 3. §. vlt. ff. de liber. & posth. num. 145.*

2 Secunda sententia docet legem regni intelligendam esse quando venditio fit ex prohibito affectu inter patrem, & filium, & non constat verè interuenisse pretium iustum: quod in dubio præsumendum; quando verò fuit vera conditio, & verè interuenit iustum pretium, tenebit: nec in hoc casu loquitur lex Regni: Ratio, quia mens legis fuit, ne emolumentum aliquod sequeretur spuriis ex hac venditione, & hac via pateret fraus legi prohibenti donari aliquid spuriis: at in hoc casu nullum recipit emolumentum spurius, sed emit, ac si esset extraneus; ergo. Hanc docet Matienzo *lib. 5. ordinat. tit. 8. l. 6. glos. 7. num. 14.* & eam dicit fortè esse veram, Gregor. Lopez *l. 10. vers. la donacion, tit. 13. part. 6.* & hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XLI.

*An saltem spurij Clericorum, seu Religiosorum, vel monialium filij possint contractu oneroso, vt per emptionem aliquid à patre recipere*

DVplex est sententia.

1 Prima docet hos nil posse recipere à patre, etiam ex contractu oneroso; quare si pater eis aliquid vendat, non valebit venditio. Probatur, quia ita expresè disposituin est *l. 6. tit. 8. lib. 5. noua recopilat.* Hanc sententiam præter authores citatos *dub. præced.* qui id tenent de omnibus spuriis, docent Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 35.* Perez *lib. 5. ordinam. tit. 3. l. 2. vers. ni vendida*, Segura *l. 3. §. vlt. ff. de liber. & posth. num. 145.*

2 Secunda sententia docet legem regni intelligendam esse quando venditio fit ex prohibito affectu inter patrem, & filium, & non constat verè interuenisse pretium iustum: quod in dubio præsumendum; quando verò fuit vera conditio, & verè interuenit iustum pretium, tenebit: nec in hoc casu loquitur lex Regni: Ratio, quia mens legis fuit, ne emolumentum aliquod sequeretur spuriis ex hac venditione, & hac via pateret fraus legi prohibenti donari aliquid spuriis: at in hoc casu nullum recipit emolumentum spurius, sed emit, ac si esset extraneus; ergo. Hanc docet Matienzo *lib. 5. ordinat. tit. 8. l. 6. glos. 7. num. 14.* & eam dicit fortè esse veram, Gregor. Lopez *l. 10. vers. la donacion, tit. 13. part. 6.* & hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XLII.

*An Clericus, vel quicunque alius habens filiam spuriam possit maritum spurium instituere, vel ei donare; & similiter si habeat filium spurium, possit vxorem spurij instituere, vel ei donare.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit non posse. Ratio, quia inde emolumentum magnum sequitur spurio, vel spuriæ. Sic docent Host. Card. Ioan. Andr. *cap. 1. de testam.* Rojas *epitome succes. cap. 20 num. 38.*

2 Secunda sententia dicit posse patrem hæredem instituere maritum spuriæ, vel vxorem spurij, vel eis donare. Probatur primò, quia leges prohibentes institutionem spurij sunt pœnales, & sic non extendendæ: sed tantùm prohibent institutionem spurij: ergo non sunt extendendæ ad vxorem, vel virum, &c. Secundò probatur ex *l. finali. ff. de his, quibus vt indignis*, vbi sic dicitur, *Si gener socerum hæredem reliquerit, taciti fideicommissi suspicionem sola ratio paterna affectionis non admittit*; ergo idem erit in socero, cùm relatiuorum eadem sit disciplina. Sic D. Sandoual. *in suis lectionibus*, quem referet, & sequitur Parlad. *lib. 1. de rebus quotid. cap. 16. n. 2. & 3.* Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 6. glossa 8 num. 27.* Dueñas *reg. 366. fine*, Plaza *epitome delictorum, lib. 1. cap. 41. num. 21.* Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 17.* vbi refert etiam, quòd cùm esset assessor iudicis cuiusdam recusati, & tractaretur matrimonium inter spurium filium Clerici, & quandam fœminam, conuentum fuit, vt pater Clericus certa bona expresè & simpliciter donaret patri, vel matri vxoris spurij, iudicauit donationem esse validam. Eandem sententiam tenet Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 22. & lib. 5. tit. 2. l. 1.* & hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XLIII.

*Qualiter possint parentes succedere filijs illegitimis, siue naturalibus, siue spurijs.*

1 SIt conclusio. In eisdem casibus, & eodem modo, quo filij illegitimi succedunt, vel possunt succedere, vel non succedunt, nec possunt succedere parentibus, dicendum est succedere, vel non posse succedere filiis. Patet ex *l. 8. tit. 3. part. 6. fine*, & docet *ibi* Greg. Lopez *vers. manera*, Sylu. *verbo filij, q. 3. fine, & quæst 4. dicto 1. & 3.* Angel. *ibi n. 2.* Armil. *n. 2. & num 5.* Rosel. *n. 4.* Tabien. *n. 1.* Bartol. *l. si gener. ff. de his, quibus vt indig.* Panorm. *c. tanta, qui filij sint legit.* Baptista *l. si qua illustris. C. ad S. C. Orphic. num. 56.* Tello *l. 6. Taur. num. 19.* Anton Gomez *l. 9. Taur. n. 45.* Palacios Rubios *l. 16. Taur. num. 12.* Couar. *4. decret. 2. cap. 8. §. 5. num. 27. paulo ante §. addiciam tamen*, Plaza *epitome delictor. lib. 1. cap. 41. num. 22.* Perez *lib. 1. ordinam. tit. 3. l. 22.* Castillo *l. 9. Taur. §. si verò descendentes*, Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 6. glossa 4 num. 11. & l. 8. glossa 1. num. 30.*

Hinc infertur spuriis non posse succedere parentes, nec ab eis posse aliquid via donationis recipere. Sic Matienzo, & Anton. Gom. & colligitur ex reliquis citatis, quia ipsi spurij nequeunt parentibus succedere. Item si spurius aliquid fidei amici committit, vt det patri, dicendum est idem, quod dictum est de eo, quod pater fidei amici committit, vt det spurio. Anton. Gomez *ibi*, & ratio est, quia cùm hæc prohibitio principaliter fiat per parentum vitium, *lege finali, Codice de natural. liber. vers. filius enim*; si filius prohibetur capere, qui non deliquit, à fortiori censetur prohibitus pater, qui deliquit; quia omnis causa impediens est fortior in impediendo primam, & immediatam personam, quàm vlteriores, *lege videamus, digestis quod metus causa, Authen. multo magis, C. de sacros. Eccles.*

## DVBIVM XLIV.

*An spurij possint succedere consanguineis patris ex testamento, vel ab eis donationes recipere.*

1 SIt prima conclusio: omnes spurij possunt ex testamento succedere, vel donationem recipere ex consanguineis patris: si excipias spurios Clericorum, & Religiosorum, de quibus postea. Probatur, quia hi tantùm prohibiti sunt recipere à patre, vel ei succedere; cùm ergo sit lex pœnalis, non extendenda est ad patris consanguineos. Sic Bart. & communis *l. si is, qui ex bonis, ff. de vulg.* Matienzo *l. 5. ordinam. tit. 8. l. 6. gloss. 4. num. 9.* Molina *lib. 2. de primogen. cap. 11. num. 33.* glossa communiter approbata *Auth. quibus mod. natur. effic. sui, verb. participium, collat. 7.* Acosta *cap. si pater, de testam. 2. p. §. bona omnia, num. 13.*

Hinc



2 Hinc infertur deceptum fuisse Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 51. fine*, vbi dicit filios natos ex damnato concubitu non posse succedere ex testamento consanguineis patris: quod probat, quia id inuenitur prohibitum in filiis Clerici. Sed meritò eum reprobat Matienzo *vbi suprà*, quia lex pœnalis loquens de filiis Clericorum, non est extendenda ad natos ex damnato concubitu.

3 Secunda conclusio. Spurij Clericorum filij nullo modo succedere possunt consanguineis ex parte patris, nec ab eis aliquid vllo modo, etiam via donationis recipere. Probatur, quia sic est expresè dispositum *l. 6. tit. 8. lib. 5. noua recopilat.* & docent omnes authores.

4 De spuriis verò natis ex Monachis, vel Monialibus videtur dubium; quia *dicti l. 6.* non loquitur de eis, sed solùm de filiis Clericorum, & cùm sit lex pœnalis, non est extendenda.

5 Tertia conclusio. Spurij nati ex Monachis, & Monialibus non possunt succedere consanguineis ex parte patris, nec ab eis aliquid recipere via testamenti, vel donationis, vel quauis alia, quia *l. 9. Taur.* extendit *l. de Soria*, quæ in noua recopilat. est *l. 6. tit. 2. lib. 5.* disponentem, ne filij Clericorum possint aliquid à consanguineis patris recipere: extendit (inquam) ad filios Monachorum professorum, vel Monialium professarum, & iubet, vt dispositum in illa lege seruetur, etiam quoad hos spurios. Sic Acosta *vbi suprà*, & Palacios Rubios *l. 10. Taur. n. 26.* dicit fortè hanc sententiam esse veram: & innuit expresè Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 15.*

## DVBIVM XLV.

*An filij spurij possint hæredes institui ab auo, vel ab eo donationem recipere.*

1 SIt prima conclusio. Filij spurij Clericorum non possunt ab auo hæredes institui, nec ab eo donationem recipere. Patet ex dictis *dub. præced.* vbi probatum est hos esse incapaces recipiendi aliquid à consanguineis patris.

2 Secunda conclusio. Licèt pater non possit hæredem instituere filium spurium, potest tamen hæredem instituere nepotem ex filio spurio. Probatur ex *l. fin. Cod. de natur. liber.* & ex eius ratione; quia quòd spurius non possit instituì, non prouenit ex eius delicto, sed ex paterno, ad refrænandam scilicet patris incontinentiam, sed pater non deliquit quoad nepotem, sed tantùm quoad filium; ergo non punitur quoad nepotem; potest ergo reilnquere nepoti. Hanc docent Bart. *l. Gallus, §. quid si is, ff. de liber. & posthum.* & *ibi* Dynus, Alexand. Iason. *num. 19.* Paulus à Castro *num. 6.* Plaza *epitome delict. lib. 1. cap. 41. num. 20.* Rojas *epitome succes. capite 20. numero 30.* Xuarez *l. 1. tit. 6. lib. 3. fori, num. 17.* Boërius *decis. 127. numero 16.* Cassaneus. quem refert, & sequitur Matienzo *lib. 5. ordinam. tit. 8. l. 6. glossa 8 num. 21.* Pinellus *C. de bonis matern. l. 3. num. 20.* Greg. Lopez *l. 10. vers. la manda, tit. 13. part. 6.* Iulius Clarus *lib. 3. receptar. sentent. §. testam. q. 32.* Molinæus, Decius, Corneus, Gualdensis, Bermondus, Panorm. Immola, Aretin. quos refert, & sequitur Dueñas *regula 366. limit. 2.* Guillelmus *capite Raynutius, de testament. §. & vxorem nomine Adelasiam, decis. 5. numero 131.* Cifuentes *l. 9. Taur. numero septimo*, Castillo *l. 9. Taur. §. ex testamento*, Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 17.* Parlad. *lib. 1. de reb. quotid. capite 16. numero 4.* Couar. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. 5. num. 13.* Perez *lib. 5. ordinam. tit. 2. l. 1. fol. 98. spurij adeò*, Sylues. *verbo filij, q. 4.* Montalb. *lib. 3. fori, tit. 5. l. 10. vers. en adulterio*, Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib. 8. tit 5. num. 15.*

3 Nota aliquos limitare hanc conclusionem, modò talis nepos sit filius legitimus spurij, quia *dicta l. fin. C. de natur. liber.* loquitur de nepote, qui est filius legitimus. Sed absque dubio dicendum est conclusionem tenere verum, etsi nepos sit etiam filius spurius; quia ratio *dicta l. finalis* æquè procedit in nepote, qui est filius spurius, ac si esset legitimus; solùm enim patet prohibitus est relinquere filio suo spurio. Sic Paulus à Castro *ibidem*, Pinellus *num. 22.* Matienzo *num. 21.*

4 Secundò nota aliquos limitare hanc conclusionem, mdoò talis nepos non sit in potestate patris spurij, si enim nepos esset legitimus, & in potestate patris spurij constitutus, non posset hæres institui ab auo. Ratio, quia iam aliquid acquireretur filio spurio, scilicet vsusfructus. Sic Speculator *tit. de succes. ab intestato, §. 1. numero 25.*

5 Sed dicendum est hanc limitationem non esse veram, & ideo conclusionem esse veram, licèt nepos sit sub potestate patris spurij. Ratio, quia tunc non acquiritur patri vsusfructus, cùm enim patri acquiri non possit, acquiritur ei, cui potest, scilicet filio: & hæc censetur esse intentio disponentis, vt actus valeat. Sic Matienzo *numero 25.* Rojas *n. 29.* Anton. Gomez *num. 17.* Xuarez *n. 17.* Iason. *numero 26.* Batt. Aretinus *vbi suprà*, Salicetus, Angel. relati per Matienzo: idem Castro *dicto numero sexto.*

6 Tertiò nota alios limitare hanc conclusionem, nisi nepos sit natus ex filio Clerici: talis enim nepos natus ex filio Clerici non potest ab auo institui, quia est natus ex filio incestuoso.

7 Sed quidquid sit de nato ex filio incestuoso an possit institui ab auo, de qua re dubio sequenti: at natus ex filio Clerici absque dubio potest institui hæres ab auo; quia filius Clerici non est verè, & proptiè incestuosus, incestus enim verus solùm est copula cum consanguineis, vel affinibus. Item quia solus filius Clerici prohibetur succedere consanguineis patri, vt dixi *dub. præced.* at hic nepos non est filius Clerici. Sic Panorm. Petrus, Cynus, Dynus, Saliz, quos refert & sequitur Dueñas *vbi suprà*, Parlador. Perez, Plaza, Cifuentes, *vbi suprà.* Matienzo *n. 24.* Rojas *n. 45.* Couar. *num. 14.* Bald. *l. si quis incesti. C. de incestis nupt.*

8 Quartò nota, limitandam esse conclusionem, nisi auus habeat sobolem legitimam; tunc enim licèt nepos sit filius legitimus filij spurij, vel naturalis, non potest hæres institui ab auo. Sic habetur expresè *l. fin. Cod. de natur. liber.* & docent Bartol. Paulus à Castro, Gregor. Lopez *vbi suprà*, Alexand. Iason, Bertrandus; quos refert &, sequitur Iulius Clarus *vbi suprà*, Couar. *n. 13.* Matienzo *num. 22.* Pinellus *num. 20.* Dueñas *vbi suprà.* Quare tunc tantùm in hoc regno Hispaniæ potest auus relinquere nepoti quintum, vt benè notat Gregorius Lopez *ibidem.*

9 Quintò nota, limitandam esse similiter conclusionem, nisi habeat auus filios legitimatos rescripto Principis. Couar. & Matienzo, & Alexand. *loco proximè citato.*

10 Sextò nota, quòd si nepos ex filio spurio caret patre, absque dubio potest institui ab auo; quia iam non instituitur patris contemplatione. Sic Antonius Gomez, & Paulus à Castro *suprà.* Si verò adhuc viuat pater, distinguendum est sic: si instituitur contemplatione patris, nihil valet institutio, quia qui per se est incapax, est etiam incapax mediante alterius persona, *l. 1. Cod. de natur. liber.* si verò non contemplatione patris, valet institutio: in dubio autem præsumitur non contemplatione patris institutus: quia in dubio non præsumitur delictum. Sic Paulus à Castro, Batt. Castillo, Montalbus, Xuarez, Antom, Gomez, Couar. Perez *vbi suprà*, Matienzo *numero 21. 22.*

11 Aduerte hîc, quòd non dicitur auus relinquere nepoti contemplatione sui filij, qui est pater nepotis, eo quòd diligit propter nepotem, sed quando relinquit nepoti, vt acquiratur aliquid filio. Sic colligitur ex omnibus authoribus præcedenti notabili citatis, qui explicant contemplatione patris, id est, ita vt patri acquiratur: & docent expresè Bart. Paulus à Castro, Castillo.

Universidad de Deusto
Biblioteca



12 Ex his infertur optimam esse cautelam ad relinquendum aliquid spurio, dare ei ad alimenta, vel spuriæ ad dotem non iure proprietatis, sed vsusfructus, fundum cuius redditus non excedant valorem quinti, hac lege, vt post spurij mortem ad eius liberos pertineant, quoad vsumfructum, & proprietatem: at si spurius sine liberis decesserit, reuertetur vsusfructus cum proprietate ad patrem; & licèt fundus excedat valorem quinti, potest hoc patet facere: modò careat filiis legitimis; quia non legat spurio, plus quàm quintum, nepotibus autem benè potest legare. Sic Bart. *l. fin. ff. de his, quibus vt indig.* Parlad. *vbi suprà, num. 4.* Xuarez *vbi suprà, num. 22.*

13 Vltimò nota, quòd inter coniunctos mediante coniunctione spuriæ non datur ius succedendi, *l. si spuriæ, ff. vnde cognati*, Couar. *2, var. cap. 8. §.... num. 1. 3. & 19.* Menoch. *consil. 345. num. 18. vers. non enim spurius, volum. 4.* Riminald. *cons. 442. num. 5. volum. 4.* Rojas *epitome succes. cap. 20. num. 40. 47. 85. & 135.* Dueñas *reg. 366. n. 1. 7. 8. & 10.* Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 50.* Plaza *de delictis cap. 41. num. 22.* Menoch. *cons. 60. num. 31. volum. 1.* Peregrinus *de iure fisci, lib. 3. tit. 18. num. 26. & 29.*

## DVBIVM XLVI.

*An nepos ex filio incestuoso, id est, habito ex consanguinea, vel affini, possit institui ab auo.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit posse. Probatur, quia ratio *l. fin. C. de natur liber.* scilicet, quòd incapacitas est ob patris delictum quod non est erga nepotem, procedit etiam in hoc casu. Hanc tenent Anton. Gomez *l. 9. Taur. num. 17.* Castro *l. Gallus, §. quid si qui, num. 6. ff. de liber. & posth.* & Iason *ibi num. 15.* Castillo *l. 9. Taur. §. ex testamento.*

2 Secunda sententia dicit non posse. Probatur ex *l. si quis incesto, Cod. de incestis nupt.* vbi expresè statuitur, vt committens incestas nuptias non restetur, nisi inter certas personas, de quibus ibi fit mentio; sed inter has non comprehenditur hic nepos: ergo. Hanc tenent Bald. *dict. l. si quis incesti, & cap. in præsenti, de probat. num. 35.* Gregor. Lopez *l. 19. vers. heredar, ad finem, tit. 5. part. 6.* Corsetus, Alex. Salic. Vermondus, Guillelm. Benedict. quos refert, & sequitur Dueñas *reg. 366. limit. 2.* Cifuentes *l. 9. Taur. num. 7.* Couar. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. 5. n. 13.* Plaza *de delictis, lib. 1. cap. 41. num. 2.* Laudensis, Hippolytus, Barbat. Platea, quos refert, & sequitur Rojas *epitome succes. cap. 20. num. 31. 33.* Rodericus Xuarez *l. 1. tit. 6. lib. 3. fori, uum. 18. 29.* Matienzo *lib. 5. ordin. tit. 8. l. 6. gloss. 8. n. 23.* & est communis.

3 Sit conclusio. Hæc vltima sententia est probabilior. Patet ex dictis.

4 Nota primò hanc sententiam habere verum, quando pater nepotis esset natus ex matrimonio incestuoso, non autem quando ex alio concubitu incestuoso, quia de solis nuptiis incestuosis loquitur *dict. l. si quis incesti.* Sic Gregor. Lopez *vbi suprà*, vbi addit idem esse dicendum, quando natus esset ex matrimonio alia ratione vetito: & idem glossa *d. l. si quis incesti.* Sed contrarium est verius; quia est pœna, & sic est restringenda: & in quantum dicit *dict. l. si quis incesti, vetitique matrimonij*; intellige, id est, vetiti propter incestum, vt explicat ibi glossa *vers. vetiti*, & Rojas *vbi suprà*. Hanc tenent Rojas *num. 34.* Boërius. Salic. Decius, & communis, vt refert, & sequitur Iulius Clarus *practic. crim. lib. 5. §. incestus.*

5 Secundò nota, quòd hæc non habent locum, vbi in ipsis contrahentibus esset ignorantia iuris prohibentis matrimonium, vel facti, scilicet consanguinitatis. Sic Bartolus, quem refert, & sequitur Iulius Clarus *vbi suprà*, Couar. plures referens 4. *decret. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 21.* Syluest. *donatio 1. q. 1. vers. 8.* Tabien. *donatio 1. vers. decimus, & vers. vndecimus*, Angel. *donatio 1. num. 14 15.* Immò Iulius Clarus, & Couar. plures referentes dicunt id esse verùm. licèt ignorantia proueniat ex culpa lata. Item locum non habent, si ab initio bona fide contractis nuptiis, postea detecto impedimento, in eodem matrimonio contrahentes perseuerant. Sic plures, quos referunt, & sequuntur Couar. & Iulius Clarus *ibidem.*

6 Tandem nota, quòd cùm ratio, ob quam contrahentes incestas nuptias non possunt testari, nec donare, sit, quia eorum bona pertinent ad fiscum, & hoc exigat sententiam iudicis declaratoriam; si ante talem sententiam docent, tenebit factum, nec donatarius tenetur restituere ante iudicis sententiam. Sic Sylvest. Ang. Tabien. *ibi.* Quare si aliquid relinquant nepoti, tenebit factum.

## DVBIVM XLVII.

*An spurius possit præscribere relicta, vel donata à patre.*

1 SIt prima conclusio. Spurius licèt putet se esse legitimum, nequit præscribere præscriptione decem, vel viginti annorum. Ratio, quia non habet titulum, nisi lege reprobatum. Sic glossa, Bald. Salic. Corneus, Balbus, Alex. Vermondus, quos refert, & sequitur Plaza *lib. 1. de delictis, cap. 41. num. 16.* Matienzo *lib. 5. ordin. tit 8. l. 6. glossa 3. num. 4.* Rojas *epitome succes. cap. 20. num. 123.* Montalbus *l. 10. tit. 5. lib. 3. fori*, Dueñas *reg. 366. ampliat. 5.* Cifuentes *l. 9. Taur. num. 16.* Perez *lib. 8. ordin. tit. 15. l. 2. fol. 304. pag. 1.*

2 Secunda conclusio. Benè tamen potest præscribere, si habeat bonam fidem tempore triginta, vel quadraginta annorum. Sic Cifuentes, Bald. Perez plures referens.

LIBER



# LIBER QVINTVS

## Opusculorum moralium, seu consiliorum, circa ieiunium, & obseruationem Festorum.

### CAPVT I.

*Circa Ieiunium.*

SVMMARIVM.

Dvb. 1 *An ieiunium sit in præcepto.*
2 *Quos obliget præceptum ieiunij, scilicet an pueros.*
3 *An consuetudo laicorum, vel populi obliget Clericos, & Religiosos circa abstinentias, & ieiunia.*
4 *An senectus excusetur à præcepto ieiunij.*
5 *An dispensatio excusetur à ieiunio, & cuius debet esse dispensatio, & an necessariò requiratur causa, vt talis dispensatio excusetur.*
6 *Quæ sint causæ sufficientes ad dispensandum in ieiunijs, & esu carnium, & lacticiniorum.*
7 *An labor corporalis excusetur à ieiunio.*
8 *An nolentes conducere operarios in die ieiunij, nisi cum pacto, quòd non ieiunent, peccent.*
9 *An peccent patresfamilias compellendo famulos in die ieiunij ad laborem incompatibilem cum ieiunio, quando commodè potest differri in alium diem.*
10 *An itinerantes excusentur à ieiunio.*
11 *An peregrinatio causa deuotionis facta. Item an sentire fortiores carnis tentationes, & se ad luxuriam procliuiorem, excusetur à ieiunio.*
12 *An sumentes disciplinam publicam in die Iouis sancti, si videant quod ex tali labore non poterunt ieiunare, excusentur à peccato.*
13 *An propter maius bonum excusetur quis à ieiunio, vt quando quis incumbit sanctioribus operibus, vt prædicationi, auditioni confessionum; lectioni publicæ, quibus potest incumbere simul ieiunando.*
14 *An infirmitas excuset à ieiunio.*
15 *An paupertas excusat à ieiunio.*
16 *An caupones, & vendentes cibaria in die ieiunij iis, quos sciunt soluturos ieiunium, peccent. Item an inuitantes alios ad cœnandum in die ieiunij peccent.*
17 *An peccent patresfamilias ministrantes cœnam famulis, & filiis suis nolentibus sine causa ieiunare.*
18 *Qui dies sint ieiunij.*
19 *An iure interdicatur in tota Quadragesima etiam in Dominicis eius, edere oua & lacticinia.*
20 *An in reliquis ieiuniis extra Quadragesimam iure interdicatur esus lacticiniorum.*
21 *An saltem ex consuetudine sit præceptum in Hispania abstinendi à lacticiniis in diebus ieiunij, & sextis feriis extra Quadragesimam.*
22 *In quo consistat ieiunium Ecclesiasticum; & an vnica comestio sit de eius essentia; & an si ea excedat metas temperantiæ soluat ieiunium; & an si ex inaduertentia aliquid sumatur, soluatur ieiunium; & an peccet quis toties, quoties comedit in die ieinij, vel tantùm in secunda comestione*
23 *An potus soluat ieiunium.*
24 *An interruptio comestionis faciat, vt sit secunda comestio, & sic soluat ieiunium.*
25 *An sit licita in dubiis ieiunij collatio serotina, & qualiter sit licita.*
26 *An vigilia Natiuitatis Dominicæ licitum sit facere maiorem collationem, quàm aliis diebus.*
27 *An liceat collationem serotinam manè facere, & differre prandium in noctem.*
28 *Qua hora sit comedendum in die ieiunij, & an licitum sit anticipare horam.*
29 *An dispensatus, vt edat carnes, sit excusatus à ieiunio.*
30 *An qui habet facultatem edendi carnes, & non vult illas edere, teneatur ieiunare; & quid si vouerit ieiunare, & sit dispensatus ad edendas carnes.*
31 *An si qui habet priuilegium, vt edendo carnes satisfaciat præcepto ieiunij, quale concedebatur in Bullis cruciatæ antiquis, teneatur ieiunare, licet comedat carnes.*
32 *An si quis in die ieiunij Quadragesimalis, in quo sunt prohibita ouа, habeat sufficientem sustentationem secundùm modum suum absque hoc, quòd comedat ouа, vel lacticinia, si non ieiunet, at verò ieiunare nequit, si non comedat ouа, vel lacticinia absque Bulla, eam enim non habet, nec habet vnicam refectionem sufficientem pro toto die, vt sic ieiunet, nisi hæc comedat, an possit, & teneatur comedere, vt sic seruet præceptum ieiunij.*
33 *An sit licitum abbreuiare vitam ieiuniis, & abstinentiis, & vires minuere.*
34 *An licitum sit abstinere à carnibus etiam in extrema necessitate, vt faciunt Carthusienses.*
35 *Vter peccet magis qui in capite Quadragesimæ vult nullum diem Quadragesimæ ieiunare, an is, qui per singulos dies non vult ieiunare.*

### DVBIVM I.

*An ieiunium sit in præcepto.*

NOta duplex esse ieiunium: aliud Ecclesiæ, quod consistit in certo modo abstinentiæ statuto; aliud verò ieiunium morale, seu virtutis, quod in præsenti materia vocatur à Doctoribus, & à Diuo Thoma 2. 2. *quæstione quarta, 147. articulo tertio*, ieiunium naturæ, quod non habet determinatum diem, vel modum, vel horam comedendi, vel cibi qualitatẽ, sed sumitur secundũ quod vnicuique necessarium est ad carnẽ domandam, deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad eleuationẽ mentis in spiritualia.

2 Sit prima conclusio. Potest quis etiam postquam ab Ecclesia statutum est ieiunandi præceptum, esse obligatus ad ieiunium naturæ, quando non tenetur ad ieiunium Ecclesiæ; & hoc ex iure naturali, & diuino, scilicet quando tale ieiunium esset alicui necessarium ad sedandam carnis contumaciam, nec alio adhibito medio posset tentationi alicui resistere: non tamen tenetur tunc ieiunare secundùm formam ieiunij Ecclesiastici, sed tenetur parciùs edere, & bibere secundùm quod est necessarium ad talem finem, arbitrio prudentis. Sic Diuus Thomas 2. 2. *quæst. 147. art. 3.* Palacios 4. *disputatione 15. quæstione 8.* & nonnulli docti iuniores. Quando verò sit talis necessitas, & tempus huius obligationis arbitrio prudentis iudicandum est. Ita prædicti iuniores.

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Hinc infertur, quòd si quis ex eo quòd non abstineret à tali cibo, vel potu, expertus esset pati tentationem ipsum superantem non ieiunando ieiunio naturæ. Ratio, quia obligat tunc præceptum naturale, & materia est grauis. Sic tamen licèt norit insurgere tentationem, at est certus, & moraliter securus se illa non vinci, non peccat mortaliter. Sic præfati iuniores.

4 At verò de ieiunio Ecclesiastico licèt conueniat inter Catholicos esse obligationem in Ecclesia ad ieiunium sub peccato mortali: at non conuenit inter eos, vnde ortum habeat hæc obligatio. Nam Caietan. *in summa, verbo ieiunium, cap.4.& 2.2.q.147.art.3.in fine*, non esse de hoc præceptum Ecclesiasticum obligans ad mortale, affirmat: sed hanc obligationem haberi ex consuetudine. Ratio, quia non repetitur textus per verba præceptiua hoc iubens.

5 Secunda tamen conclusio sit; de ieiunio Ecclesiæ est præceptum Ecclesiasticum obligans ad mortale, & non habetur hoc præceptum ex sola consuetudine. Probatur, quia id videtur expresè præcipi, *cap.non liceat, & cap. non oportet, & cap.placuit, de consecrat.dist.3.& cap. Quadragesima, de consecr.dist.5.* licèt enim non videantur omnino verba præceptiua, at vsus totius populi Christiani explicuit esse præceptiua: & *Clement.exiui, de verb. signif.* Clemens Papa loquens de iis, quæ sub peccato mortali obligant, dicit Fratres Minores non deobligari propter ieiunia regulæ à ieiuniis Ecclesiasticis, quæ cæteri fideles seruare tenentur. Item, quia (vt benè ait Caietan. *vbi infrà*) multi putantes omnes leges Ecclesiæ à iuris volumine petendas esse; quia multæ sunt, quas vsus inseruit. Adde quòd vulgaria iuris volumina non complectuntur omnia Conciliorum scripta, & Pontificum. Item quidam valdè doctus recentior Magister dicit quòd hoc præceptum est viua voce prolatum à temporibus Apostolorum, & forsan scriptum, licèt non deuenerit ad nos. Hanc tenent D. Thom. *dicto art. 3. corpore, & ad 2.& 3.* Durandus *4.dist.15. q.9.* Syluest. *verbo ieiunium, q.1.* Angles *floribus, 1.p mat.de ieiunio, fol.385.* Armil. *verbo ieiunium, num.7.* Ledesm. *2.4.q.17. art.2.* Metina *C.de ieiunio, q.de necessitate seruandi ieiunia*, Nau. *summa, cap.21.* Hisp. *num.13.* Lat. *num.11.* Couar. *lib.4. var.cap.20.num.10.* Sotus *lib.1.de iust.q.6.art.4.* Palacios *vbi supra.* Metina *1.2.q.88.art.1.fine.* Cano *lib.2. de locis theolog.cap.9.ad 2.* Toletus *in summa*, Victoria, & docti iuniores.

6 Nota tamen sententiam Caietani non esse erroneam, nec temerariam, licèt sit falsa; quia ipse concedit esse præceptum obligans ad mortale ieiunandi, saltem ex consuetudine. Sic nonnulli docti recentiores.

## DVBIVM II.

*Quos obliget præceptum ieiunij, scilicet an pueros.*

1 HAc in re plures censent ante 21. annum pueros ad ieiunandum obligari; & varios annos designant huius obligationis. Sic plures, quorum placita refert Alensis *4.p.q.102. membro 2. art.3.* & ipse censet decimo-octauo ætatis anno obligari ad ieiunij præceptum.

2 Alij verò censent pueros, cùm primùm sunt doli capaces, & possunt peccare mortaliter, teneri ad ieiunia Ecclesiæ; sicut tenentur agere pœnitentiam pro peccatis. Hæc opinio tribuitur à Caietano *vbi infrà*. Innocentio *rubr, de obseruat.ieiun.* Supplemento, & Martino; eandem tenet Ancel. *verb.ieiunium, num.13.* & aliqui (vt refert Metina *vbi infrà*) cum Corduba *summa casuum, q.60.* tenent pueros ante 21. annum teneri ieiunare aliquos Quadragesimæ dies, & vigilias. Idem Manuel *1. tomo summæ, cap.23. num.4.*

3 Alij dicunt communiter non teneri ieiunare ante 21. annum complerum: at qui ante eam ætatem robusti sunt, teneri. Sic Durandus *4.dist.15.q.10.num.4.*

4 Sit tamen conclusio. Nullus quantumuis robustus, & fortis sit, tenetur ex præcepto Ecclesiæ ieiunare ante vigesimumprimum annum completum. Probatur, quia licèt hoc non habeatur ex iure, habetur tamen ex generali Ecclesiæ consuetudine sic communiter recepta, & intellecta secundùm communem Doctorum sententiam; & huius ratio est, quia regulariter, & in plurimum pueri ante vigesimum primum annum habent naturam debilem, & indigent frequenti cibo non simul, sed pluribus vicibus sumpto, & indigent multo nutrimento propter augmenti necessitatem, quod fit de alimenti residuo; & status augmenti communiter est vsque ad illam ætatem, iuxta sententiam peritorum Philosophorum, & Medicorum, & ideò Ecclesia noluit pueros ante vigesimumseptimum annum obligare ad ieiunium. Sic D. Thom. *2.2.q.147.art.4. ad 3.* & Caiet. *ibi, & in summa, verbo ieiunium*, & D. Thom. *4.dist.15.q.3.art.2.quæstiunc.3.* Syluest. *verbo ieiunium, q.6.* Tabien. *vbi q.16.* Rosel. 14. Armil. *num.3.* Paludan *4.dist.15.q.4.* Nauar. *summa cap.21.num.15.* D. Anton. *2.p.tit.6.cap.2.§.4.* Palacios *4. dist.15. disput.8.* Metina *lib.1. summa, cap.14.§.10.* Ledesm. *2.4.q.17.art.3.* Metina *C.de ieiun.quæst. de his, qui tenentur ad ieiunia.* Angles *floribus, 1.p.mat. de ieiun.q.6. dub.3.fol.399.* & docti iuniores. Vide quæ dixi *lib.1.summæ, cap.12.num.6.*

5 Nota quod dixi non teneri *ex præcepto Ecclesiæ*, quia possent ad id teneri ex voto, quod ieiunandi emiserunt, vel ex pœnitentia iniuncta eis ieiunandi à Confessario secundùm omnes; & possunt teneri iure naturali ad aliquam abstinentiam, sic per alia media non possunt tentationibus resistere, iuxta dicta *dub. præcedent.* Sic Angles, & præfati iuniores.

6 Item possunt pueri in aliquo casu speciali obligari ab Ecclesia ad ieiunium: vt pro aliqua necessitate Ecclesiæ vniuersalis. Sic nonnulli docti recentiores. Hinc

7 Infertur primò statuta Synodalia præcipientia aliquod ieiunium, & ieiunia votiua alicuius ciuitatis, non obligare pueros ante vigesimumprimum annum completum. Ratio, quia illa vincula non habent maiorem vim, quàm præceptum Ecclesiæ generale. Sic Angles, & præfati recentiores,

8 Secundò infertur malè sensisse quosdam dicentes, quòd quando aliquis adimplet vigesimumprimum annum in dimidio Quadragesimæ, non tenetur in rigore ieiunare reliquam Quadragesimæ medietatem, quia præceptum datur de tota Quadrasima. Sed oppositum est certissimum; immò licèt vnus tantùm supersit Quadragesimæ dies, tenetur illum ieiunare: quia præceptum est de tota Quadragesima, & de singulis diebus: & sic dicemus *infrà*, eos, qui non possunt ieiunare totam, & possunt partem, teneri ad id, vt dixi *lib.1. summæ cap.19. num.7.8. & 9.* Sic Caiet. *verbo ieiunium, cap.4 fine*, & nonnulli docti iuniores.

9 An pueri minores vigesimoprimo anno professi in Religione, in qua sunt aliqua ieiunia, ad quæ regula obligat sub peccato mortali, vt in Religione diui Francisci, teneantur sub peccato mortali ad illa, latè dixi *lib.4. summæ, capite 11. num.56.* Et an consuetudo alicuius loci circa ieiunia, & cibos prohibitos, obseruationem festorum, & auditionem Missæ, obliget aduenas, & peregrinos. Item an teneantur in eo loco ad consuetudines proprij domicilij, latissimè egi *lib.1. summæ cap. 12.à num.19.& lib.3.de matrimon.disp.18.à num.3.* vbi multis corollariis multos casus explicui.

## DVBIVM III.

*An consuetudo laicorum, vel populi obliget clericos, & Religiosos circa abstinentias, & ieiunia.*

1 SIt conclusio. Conuentus Religiosorum non tenetur stare præceptis, aut consuetudinibus particularibus oppidi, vt resident, sed tantùm generalibus præceptis, & consuetudinibus. Sic docti iuniores. Ad idem sunt Metina *C.de ieiunio, quæst. quando necesse est ieiunare, in principio.* Ledesm. *2.4.q.17.art.3.fol.204. vers.tertiò dico.* Angles *floribus quæst.theolog.1.p. mat. de ieiunio, q.4.dub.2.* D. Anton. *2.p.tit.6.cap.2.§.2.* Syluest. *verbo ieiunium, q.2.* vbi dicunt, quòd consuetudo sæcularium non ligat Clericos, nec Clericorum consuetudo Religiosos, nec consuetudo loci vniuersitatè, nec econtrà; quia sunt diuersi status, & diuersis statutis, & consuetudinibus gubernantur. Immò Compluti non comedunt aliquando carnes ciues, & scholastici comedunt, vt refert quidam doctus neotericus.

2 Nota tamen quòd circa dies festos staturum in Trident. *sess.25. decreto 1. de reformat.cap.12.* vt teneantur Regulares etiam exempti obseruare dies festos, quos Episcopi in suis diœcesibus obseruari præceperint.

## DVBIVM IV.

*An senectus excuset à præcepto ieiunij.*

1 SIt prima conclusio. Senectus verè excusat à ieiunio Ecclesiæ. Ratio, quia vera senectus est quædam incurabilis infirmitas: vnde Græci dicunt ipsam senectutem morbum, quòd confirmat Cicero *de senectute*; & Aristol. vocat senectutum morbum naturalem: ergo cùm aliæ infirmitates excusent, excusabit etiam hæc. Item, quia senex indiget frequenti cibo ad suam sustentationem: multum enim simul sumptum non potest digerere, propter naturæ debilitatem. Sic omnes Doctores citandi.

2 Secunda conclusio: ab Ecclesia non est determinatum tempus senectutis deobligans à ieiunio, immò nec ex natura rei est determinata ætas senectutis. Ratio, quia senectus verè significat ætatem, in qua datur occasus, & diminutio virtutis, & caloris naturalis: qui quando incipiat, non est certum, & liquidum in omnibus indiuiduis. Verum est tamen, quòd quandocunque est verè senex, ita vt manifestè incipiat decrescere natura, & indiget frequenti cibo, non tenetur ieiunare, quia (vt dixi) talis senectus est infirmitas incurabilis. Sic tenent Ledesm. *2.4.q.17.art.3.fol.202.pag.4.* Angles *floribus 1.p. mat. de ieiunio, q.6.dub.6.fol.401.* Caiet. *2.2.q 147.art.4.& summa, verbo, ieiunium.* Pedraza *3.præcepto, §.13.* Nauarr. *summa cap.21.* Hisp. *num.15.* vtraque latina *num.16.* Armil. *verbo ieiunium, num.3* Rosella *num.15.* Sylvest. *q.6. dicto 2.* Tabien. *q.17.* D. Anton. *2.p.tit 6.cap.2. §.6.* Metina *C.de ieiunio, quæst. de his, qui ad ieiunia tenentur.* Gabr. *4.dist.16. q.3.art.1.* Palacios *4.dist.15.disput.8.* Metina *summa lib.1.cap.14.§ 20.* & docti iuniores.

3 Hinc infertur, quòd qui ante sexagesimum annum sunt iam senes, & debiles, excusantur. Sic colligitur ex Doctoribus citatis, & tenet expresè Angles *supra.*

4 Nota tamen, quòd cùm fuerit dubium de impotentia ad ieiunandum, tantùm debet attendere Confessor, vt necessitati prouideat cum minima legis iactura; vt si satis fuerit, vt horam præueniat, vel nocturnam refectiunculam indulgentiùs faciat, debet hoc concedere, & non ex toto ieiunium relaxare. Sic Angles *ibi.*

5 Sed loquendo de ætate, in qua communiter excusantur senes, aliqui dicunt communiter excusari anno septuagesimo ratione senectutis. Sic Tabien. Sylvest. Gabriel. Rosella *supra*; alij verò mitiùs loquuntur.

6 Sit tertia conclusio, communiter, & regulariter loquendo sexagenarij excusantur à ieiunio ratione senectutis; quia tunc vt plurimum est occasus, & diminutio virtutis. Sic Nauar. Pedraza, Metina, Caietan. Armill. Angles *supra*, & quidam docti iuniores. Vnde hæc ætate nisi euidenter constet ex robustiore complexione posse absque læsione ieiunare, non tenentur ieiunare: quia ex quo ætate constat, & de robore est ambiguum, non est vltrà expectandum: quia senectus est irreparabilis morbus de quo latè dixi *lib.7. de matrim.disput.32. n.17.* vbi etiam dixi, an in fœminis citius contingat senectus, quàm in viris: & ideò fœminæ quinquagenariæ deobligantur à ieiunio. Sic Caietan. Pedraza, & aliqui iuniores, qui iuniores dicunt sat esse annum incœptum, id est, quòd attigerint sexagesimum annum: & collygunt id ex Caiet. dicente excusari sexagenarium, vel sexaginta annorum: & eodem modo, quo Caietanus, loquitur Nauar. in summa Latina; licèt in Hispana dicat excusari post sexaginta annos.

7 Vltima conclusio. Licet aliqui sentiant, quòd si euidenter constaret aliquem sexagenarium esse robustum ad ieiunandum absque aliquo detrimento, teneretur ieiunare: quia tantùm excusatur ratione detrimenti. Sic Caiet. Pedaza, Sylvest. Tabiena, Metina *supra.* At satis probabile est post illam ætatem eos excusari, licèt aliqui in illa ætate inueniantur robusti ad ieiunandum: quia pueri eo quod regulariter ante vigesimumseptimum annum non habent perfectum robur, & augmentum, non tenentur ieiunare; licèt aliqui robusti sint, & viribus polleant: ergo similiter senes, cùm in anno sexagesimo communiter deficiant, licèt aliqui robusti sint, excusabuntur. Sic Angles *vbi supra*, & nonnulli docti recentiores.



## DVBIVM V.

*An dispensatio excuset à ieiunio, & cuius debet esse dispensatio, & an necessario requiratur causa, vt talis dispensatio excuset.*

1 DE hac re videbis Manuel *1. tomo summæ, cap.24.* & Ludouicum Lopez *2.part.de ieiunio, cap.122. fol.719. columna 2.& 667.* Sit

2 Prima conclusio. Dispensatio excusat à ieiunio: conclusio est certissima, & omnium, quia cùm hoc præceptum sit humanum, cadit in illud dispensatio.

3 Secunda conclusio. Papa potest dispensare in lege ieiunij Patet, quia est supra omne ius positiuum, & ipse solus potest dispensare absolutè, & simpliciter in lege ieiunij, id est, auferre absolutè legem ieiunij, & eximere aliquem omnino à lege ieiunij, ita vt nunquam teneatur ieiunare. Ratio, quia lex ieiunij est Papæ: ergo solus Papa potest in illa dispensare. Inferior enim non dispensat in lege Superioris. Sic Caiet. *2.2.q.147.art.4. dub.1.* Nauar. *in omnibus summis, cap.21.num.21.* Angles *floribus, 1 part. materia de ieiunio. fol.394.*

4 Tertia conclusio. Si Papa dispenset in lege ieiunij, & quocunque alio iure humano Ecclesiastico absque iusta causa, tenebit factum: & similiter est dicendum de Principe sæculari respectu suarum legum Ratio, quia tale ius nullam aliam vim habet obligandi, nisi ex voluntate, & iussu legislatoris; ergo si legislator reuocet voluntatem, & iussum, non obligabit: vnde actus sequutus ex tali dispensatione firmus erit, & validus. Hæc est contra Fortunium *l.Gallus, §.& quid si tantum, ff. de liber.& posthum.* vbi dicit talem dispensationem esse nullam, & actum ex ea sequutum esse inualidum. Sed nostra conclusio est certissima, & communis. Sic tenent Ledesma *2.4.q.27. art.2. fol.376. pag.4.* Angles *floribus 1.part. materia de ieiunio.q.5.dub.2.fol.394.* Metina *1.2.q.97.art.4.* Palacios *4. dist.15.disp.28 fol.118.* Turrect. *cap.1.dist.89.n.14.* Victoria *de potestate Papæ, n.15.* Cord. *lib.4. quæstion. q.8.* Caiet. *1.2.q 96.art.5.* Nauar. *c.23.* Hisp. *num.42.* Lat. *n.44.* Innoc *cap.cum ad monasterium, de statu monach.* Sylvest. *verb.dispensatio, q.3.* Angel. *num.3* Armil *num.14.* Panor. *cap.non est de voto*, Decius, & alij, quos refert, & sequitur Couar *4 decret 2.p.cap.6.§.9. num.10* Sotus *lib.10. de iust.q.7. art.vltimo*, Veracruz *2.p.speculi, art.27.* Aragon *2.2.q.89.art.9 prope finem.*

5 Quarta conclusio. Peccabit tamen Papa, & Princeps dispensans in sua lege sine iusta causa. Ratio, quia hæc non est dispensatio, sed potius dissipatio, & sic erit pec

Universidad de Deusto
Biblioteca



peccatum imprudentiæ : erit etiam peccatum infidelitatis , quia non habet intentionem ad bonum commune; & sic D.Bernard. *lib. de dispensat. & præcepto* , vocat dispensatores sine causa iusta dissipatores. Vnde legislator debet habere præ oculis illud Pauli , *Habere potestatem non in destructionem, sed in ædificationem Ecclesiæ.* Hanc tenent Palacios , Angles, Sotus, Veracruz, Metina, Victoria, Corduba *suprà*, Sylvest. *verb. dispensatio , in principio, n.*2. Couar. *vbi suprà num.*7. D. Thom. 1.2.*q.*97. *art.* 4. & *ibi* Caiet. idem Aragon, & alij; & est certa apud omnes.

6 Quinta conclusio. Huiusmodi peccatum iniquæ dispensationis sine causa in iure humano est mortale ex suo genere, vnde erit peccatum mortale dispensare sine causa in legibus grauibus, & multum conducentibus ad bonum commune, & bonos mores , vt in recitando horas canonicas, in audiendo sacrum in festis, in ieiuniis, & in reliquis huiusmodi , & similiter in legibus ciuilibus grauibus. Probatur , quia dispensare sine causa ex se est iniuriosum reipublicæ, & destructiuum boni communis, bonæ consuetudinis , & scandalosum : sed omnia hæc sunt mortalia ex genere; ergo hoc est peccatum mortale ex genere. Secundò probatur, quia si ex genere non esset mortale , nunquam per additionem materiæ fieret mortale , vt patet in mendaciis officiosis : & sic licet Papa omnes leges Ecclesiasticas absque causa abrogaret , non peccaret mortaliter: quod est absurdissimum. Hanc sententiam videtur expressè tenere Caiet. *in summa , verb. dispensatio*, & *ibi.* Armil. *n.*13. vbi dicunt esse veniale dispensare in lege absque causa in rebus paruis , & expressiùs Couar. *suprà n.*7. vbi dicit fortassis, & frequentissimè peccare mortaliter : & quamuis *lib.*8. *de matrim. disp.* 18. *n.*7. dixerim probabilius esse , hoc peccatum esse tantùm veniale ex genere suo ; at modò plus placet esse mortale ex suo genere , & tantùm excusari ob materiæ paruitatem ; quando scilicet lex , in qua dispensatur , non esset magni momenti : quod *ibi num.*6. *in fine*, etiam dixi esse satis probabile.

7 Hinc sit petentem , & procurantem talem dispensationem sine causa , scientem non adesse causam , peccare mortaliter in rebus grauibus. Ratio , quia ( vt dixi *lib.*8. *de matrim. disp.* 18. *n.* 8.) hic inducit dispensantem ad rem , quam absque peccato mortali non potest præstare : ergo. Sic Couar. *dicto n.*7. vbi dicit fortasse esse mortale : & quòd peccet , tenet etiam Aragon. Dixi *scientem*, qui si bona fide petit credens esse causam legitimam , excusabitur à peccato , & multo magis , quàm Prælatus ipse; quia non pertinet ad eum examinare , an causa sit omnino sufficiens, necne , & ideo securè potest in hoc stare iudicio Prælati. Sic nonnulli recentiores Magistri.

8 Nota primò , quòd non est iudicandum , quæ sint grauia , & quæ leuia præcepta humana , vt dispensatio in illis sit mortalis, vel venialis , facta sine causa per hoc quòd illa frangere sine dispensatione esset veniale , vel mortale, sed debet pensari penes hoc , quòd si ponantur in republica , non multum attinet ad bonum illius , nec si tollantur, subuertunt illam multum, nec multum pertinent ad splendorem reipublicæ , quamuis illa omittere absque dispensatione esset mortale. Sic quidam docti iuniores : & ponunt exemplum, vt dispensare in aliquibus gradibus consanguinitatis , & affinitatis , & in lacticiniis absque causa, tantùm erit veniale ; quia hæc reputantur minima, & maximè cùm in Hispania sit tanta copia bullarum, quibus tam facile conceduntur lacticinia, facilior fit dispensatio, & leuis causa sat est. Hæc illi.

9 Secundò nota: quòd cùm dispensare in his leuibus sine causa tantùm est veniale , dispensare ex parua causa nullum erit peccatum, quia ad dispensandum in leuibus leuis causa sufficit ; & sicut parum sufficit ad committendum peccatum veniale, ita etiam parum sufficit ad illud excusandum , nisi sit intrinsecè malum. Sic iuniores præfati.

10 Tertiò nota , quòd in dubio , dum non constat de iniustitia causæ, censendum , & præsumendum est causam esse iustam , dum Princeps in iure humano dispensat ; quia in dubio iudicandum est pro superiore , *cap. si quid culpatur*, 23. *q.* 1. *cap. in præsentia , de renunciation.* & tenent Bart. Cynus, Felin. Decius, quos refert, & sequitur cum multis aliis Couar. *suprà, num.*9. & Palacios *suprà.*

11 Sexta conclusio. Licet aliqui Doctores absolutè dicant talem dispensatum à Principe sine iusta causa in iure humano esse tutum in conscientia vtendo dispensatione. Sic Palacios, Turrecrem. Innoc. Sylvest. Panorm. Angelus, Aragon, Armil. *suprà*; & potest probari, quia si Papa sine causa omnino aboleret aliquod ius positiuum, non peccaret , qui sine causa non seruaret tale ius : ergo similiter dicendum est , si sine causa dispenset in illo cum aliquo ; quia dispensare cum hoc , est abolere ius quantum ad istum. At fortè hi authores sentiunt esse tutum in conscientia , id est , dispensationem esse validam , & non peccare postea in legem frangendo illam: quod vulgo verissimum est. Dicendum tamen est , quòd dispensatus à Principe sine causa in lege humana non erit reus violatæ legis frangendo illam , nec peccabit contra talem legem : quia iam per talem dispensationem est exemptus à lege illa, peccabit tamen contra ius naturale , quo quælibet pars debet consonare suo toti ; turpis enim est pars, quæ non consonat toti: & sic propter hanc indecentiam , & singularitatem irrationabilem erit peccatum. Nec obstat ratio adducta in contrarium , respondetur enim concesso antecedenti , negando consequentiam: quia in primo casu nullus omnino manet titulus obligationis: at in secundo manet ius naturale , contra quod est , quòd manente iure in ordine ad alios , aliquis absque causa non viuat æquali iure cum aliis. Sic tenent Ledesm. 2. 4. *q.* 27. *art.* 2 *fol.* 376. *pag.* 4 Sotus, Angles, Corduba, Victoria *suprà*; Couar. *suprà num.* 7. & 8. vbi & alios refert, gloss. *cap. non est de voto*, Caietan. 1. 2. *q.*89. *art.*5. *dub. vltimo*; Nauar. *cap.*23. Hispana *n.*42. Lat. *n.*44.

12 Nota tamen , quòd hoc peccatum vtentis tali dispensatione tantùm erit veniale , nisi sequatur graue scandalum , vel cedat in notable detrimentum aliorum, vt dixi *lib.*8. *de matrim. disp.* 18. *n.*12. Ratio, quia minus est vti dispensatione iam data sine causa , quàm dispensare, vel petere, aut procurare talem dispensationem : quia dispensatio est veluti scissura quædam, & vulnus legi , & toti corpori sub tali lege vnito inflatum , per quod vulnus tollitur ab eo vnum membrum : vsus verò est quando ille , qui iam est dispensatus , & non est membrum illius legis , operatur prout iubet secundùm statum non membri : quòd quidem non est tam iniuriosum , sicut primum. Sic Sotus, Angles , Corduba Victoria, Nauarr. Couar. *suprà*, & quidam docti iuniores ; & notant hi iuniores intelligendum esse hoc etiam de dispensatione in rebus grauibus : & sic intelliguntur Doctores citati , indistinctè enim loquuntur : & Sotus ponit exemplum in ieiuniis ; & quia si intelligerent in rebus leuibus , nil diceret , cùm in talibus etiam dispensans ipse sine causa non peccet mortaliter.

13 Secundò nota , quòd notanter dixi, *vtentem dispensatione in iure humano facta absque causa, peccare venialiter*, quia si talis dispensatio esset in iure diuino manifestè esset peccatum mortale, quia talis dispensatio sine causa esset nulla, v. g. si esset in voto, & sic virtute illius frangendo votum , perinde esset, ac si sine dispensatione frangeretur. Sic Caiet. *in summa, verbo dispensatio , & ibi* Armilla *num.*13. & est certum apud omnes.

14 Tertiò nota , quòd vsus dispensationis factæ à Principe in iure humano absque causa esset peccatum mortale , quando talis vsus cederet in graue detrimentum , & iniuriam aliorum. Sic Sotus *suprà.* Couar. *n.*7, & docti iuniores , qui iuniores ponunt exemplum, vt quando taxatur triticum in toto regno , vel in aliqua ciuitate, aliquis sine iusta causa boni communis eximatur à Principe ab illa taxa , & si pluris vendat , peccat mortaliter, & tenetur restituere : licèt enim ille solutus sit à lege taxationis, & à pœnis , & per consequens à pretio intrinseco taxationis : at non est exemptus à pretio extrinseco , quod prouenit illi tritico ex eo quòd aliæ merces similes tanti venduntur , & sic peccat contra iustum pretium naturale , quod est illud , quo communiter venduntur similes merces. Sotus etiam , & alij ponunt aliud exemplum : vt si quis procuraret priuilegium absque causa, quo subtrahatur; quia pars , quam non soluit hic, diuiditur inter alios ciues. Sed melius alij dicunt Principem hunc alios eximentem absque causa iusta peccare mortaliter , nisi aliàs recompenset illis grauatis: at procurans hanc liberratem , & exemptionem absque causa , vel non peccabit, vel saltem non peccabit mortaliter. Ratio, quia tributa sunt seruitutes quædam: ergo licebit mihi in republica fieri membrum nobilius , & id procurare, in hoc enim videtur quisque vti iure suo : ad quod naturaliter inclinatur: & hoc non est subtrahere se à membris reipublicæ , sed effici membrum nobilius, quòd si Princeps aliunde onerat subditos imponendo grauia tributa , sibi imputet.

15 Quartò nota aliquas esse dispensationes , quæ statim in primo vsu finiuntur , vt sunt dispensationes ad contrahendum matrimonium : vnde si in vsu debet esse peccatum, debet esse in illo primo vsu illius dispensationis: quia non restat alius vsus illius. Aliæ verò sunt, quarum vsus multoties occurrit, vt dispensatio de non ieiunando, &c. & de his potest esse dubium , an quando dispensatio fuit iusta, quia tunc erat causa iusta, at post successu temporis totaliter cessauit omnis causa, peccet tunc vtens tali dispensatione, v. g. qui iustè dispensatus est, ne per totam vitam ieiunaret propter aliquas infirmitates, quæ iudicatæ sunt perpetuæ , & iam omnino cessarunt, &c. Posset enim alicui videri illum non peccare etiam venialiter vtendo illa dispensatione; quia obligatio semel extincta non reuiuiscit : at reuiuisceret, si esset veniale vti illa dispensatione. Item, quia si quis in voto ex iusta causa dispensetur, cessante postea causa non tenetur ad votum. At dicendum est, quòd licèt in obligationibus, quæ oriuntur ex voluntate priuata, vt in votis, iuramentis, &c. semel obtenta dispensatione ex iusta causa, licèt esset postea causa, non cessat dispensatio , nec est peccatum vsus illius : at in dispensatione legum communium , si remanerent aliquæ causæ illarum, quæ fuerunt motiuæ ad dispensandum, licèt non remanerent tantæ, & tales, sed aliquales ad arbitrium boni viri: licitè posset dispensatus vti tali dispensatione , quia in vsu minor causa requiritur, quàm in dispensatione. At si omnino , & totaliter cessassent causæ , esset peccatum veniale vti tali dispensatione. Ratio , quia hoc non est peccatum veniale ex eo, quòd lex antiqua conualescat in aliquo, sed ex indecentia, & singularitate , vt hæc pars non conformetur toti, quod intelligendum est, in legibus alicuius momenti; in voto verò est differens ratio, quia ibi non est indecentia, nec singularitas. Sic Docti recentiores.

16 Septima conclusio. Episcopus potest dispensare cum hoc, vel illo , vt non ieiunet in hoc , vel illo die ex causa iusta. Ratio, quia intolerabile esset, & impossibile in re tam necessaria, & passim occurrenti expectare dispensationem Pontificis , & quando illa veniret , iam esset transacta necessitas , & sic non esset benè consultum Ecclesiæ. Sic tenent Sotus *lib.* 1 *de iust. q. vltima. art. vlt.* Caiet. 2. 2. *q.*147. *art.* 4. *dub.* 1. *& in summa , verbo ieiunium, cap.*3. *fine.* D. Thomas 4. *dist.*15. *q.*3. *art.*2. *quæstiun.* 4. *ad* 3. Durand 4. *dist.*15. *q.*10. Metina *lib.* 1. *summæ, cap.* 14. §. 10. *fol.* 102. Nauarr. *in omnibus summis, cap.*21. *num.* 23. Paludan. 4. *dist.*15 *q.*4. *n.*12. Host. *c. consilium, de obser. ieiun.* D. Anton. 2. *p. tit.*6. *cap.*2. §. 6. Armil. *verb. ieiunium, n.*6. Angel *ibi n.*20. Tabien. *q.*14. Angles *floribus*, 1. *p. mat. de ieiunio , dub.* 4. *fol.* 396. Sylvest. *verbo ieiunium, q.* 7. *dubio* 3. & 4. Palacios 4 *dist.*15. *disp.*8. *fol.* 119. Victoria, Gabriel. 4. *dist.*16. *q.*3. *art.*1. & communis.

17 An verò idem possit Parochus , Angelus *eodem n.* 20. & Palacios *dicta disp.*8. *fine, fol.* 139. Alij verò fatentur hoc posse , sed cum limitatione , scilicet in absentia Episcopi. Sic Nauar. Paludan. D. Anton. Host. Armilla, Angles, Caietan. *in summa , loco in conclusione septima citato.*

18 Sit tamen octaua conclusio. Parochi etiam possunt dispensare cum suo Parochiano , ne in hoc, vel illo die ieiunet ex iusta causa, vt latè dixi *lib.* 8. *de matrim. disp.*9. *n.*27. Ratio, quia in his minimis non est vsus recurrendi ad Episcopum, etiamsi sit in ciuitate; quod sciunt Episcopi, & permittunt : vnde videntur approbare. Pro hac conclusione sunt D. Thom. Caietan. 2. 2. Durandus , & alij *loco citato* adducti, & multi iuniores, qui addunt id posse sine scrupulo practicari. Immò Palacios *dict. disp.*8. *num.* 119. vbi etiam dicit posse id Vicarium Episcopi , asserit, quòd quando non est copia Parochi , vel eius Vicarij, potest dispensare Confessarius , si adest facultas Apostolica eligendi Confessarium ; quia talis Confessarius habet vicem Curati: at *loco citato* dixi Confessarium id non posse; propter rationem *ibi* illatam.

19 Nona conclusio. Prælati etiam Religiosorum possunt in hoc dispensare cum suis subditis Religiosis. Ratio, quia sunt veri Prælati illorum. Sic Caietan. 2. 2. *& in summa*, Sylvest. Metina. Nauar. citati *in conclus.*7. Palacios *dicta disp.* 8. *fol.* 119. Angles *floribus, mat. de ieiunio , 1. p. dub.*3. *fol.*395. & nonnulli docti iuniores.

20 Nota primò hanc facultatem habere non tantùm Generales , & Prouinciales Ordinum , sed etiam Prælatos conuentuales ; quia omnes isti sunt veri Prælati , & omnes Doctores citati de Prælatis loquuntur : & secundarius Prælatus , seu Vicarius Prælati in Religionibus, potest idem in superioris absentia , quando locum eius tenet: & hoc competit Prælatis ex potestate ordinaria , & iure communi ex officio suo , exclusis omnibus priuilegiis: quod est valde notandum pro multis casibus, in quibus per priuilegia Religionis contingit esse aliquem scrupulũ ad dispensandum. Hæc quidam docti iuniores.

21 Decima conclusio. Idem omnino, quod dictum est circa dispensationem ieiuniorum, dicendum est circa dispensationem præueniendi horam in die ieiunij, & comedendi cibos vetitos, scilicet carnes, oua, & lacticinia, quòd scilicet iidem idem possunt in hoc dispensare , qui possunt in ieiuniis. Sic Caiet. 2. 2. *q.*147. *art.*4. *dub.*1. Sylvest. *verbo ieiunium, q.* 7. *fine*, & alij.

22 Vndecima conclusio. Si Episcopus dispenset in suis constitutionibus synodalibus, vel aliis promanantibus ab ipso absque causa iusta, idem omnino dicendum est de hac dispensatione quoad validitatem illius, & quoad peccatum Episcopi in dispensando , & vtentis dispensatione, quod dictum est de Papa , quando dispensat in legibus communibus ab ipso editis , quia sicut illæ manant à Papa , & sic Papa est supra illas, ita hæ manant ab Episcopo, & Episcopus est supra illas. Vnde si Episcopus in illis absque causa dispenset, tenebit dispensatio. Sic Nauar. *in omnibus summis, cap.* 25. *num.*74. Sotus *lib.*10. *de iust. q. vltima , art. vltimo*, & alij.

23 Duodecima conclusio. Si Episcopus, & alij Prælat inferiores dispensent sine causa in lege ieiunij, & lacticiniorum , & in aliis legibus Papæ , talis dispensatio erit inualida. Ratio, quia cùm hoc præceptum non sit ab his Prælatis impositum, sed à superiore, non possunt illud ad libitum abrogare. Item, quia licentia interpretatiuè concessa à Papa his Prælatis dispensandi in his casibus propter necessitates passim occurrentes intelligitur iusta causa interueniente. Sic Innoc Nicolaus, Millis Curtius, Fesa interueniente. Sic Innoc Nicolaus, Millis Curtius, Felin. Bald. Alex. Ripa. quos refert, & sequitur Couar. 4. *cap.*1. *disp* 89. *num.*14. & quidam docti recentiores.

24 Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca



24 Hinc fit peccare mortaliter vtentem tali dispensatione, cùm sciat absque causa iusta factam esse. Ratio, quia cùm sit inualida, perinde est, ac si sine dispensatione frangeret legem. Sic recentiores præfati.

25 Decimatertia conclusio. Non tantùm Prælati dicti possunt dispensare, quando causa est sufficiens ad dispensandum in ieiunio, &c. sed etiam quando dubitant, an causa sit sufficiens, vel cognoscunt causam non esse sufficientem ad puram dispensationem, possunt miscere aliquam commutationem dispensationi, iniungendo aliquas orationes, vel eleemosynas, &c. iuxta qualitatem causæ ad dispensandum: & quanto illa fuerit sufficientior, tanto minus est iniungendum. Sic Caiet. 2.2.q.147.art.3. *fine, & art.4.dub.1.& in summa, verb.ieiunium, cap.3.* Armil. *ibi n.6.* Palacios 4.*dist.*15.*disp.*8.*fine.fol.*139. Sylvest. referens Panorm. *verb.ieiunium, q.7. dict.* 1. & sic refert Sylvest. fieri in Francia, in qua festum S. Quintini solemniter celebratur, & occurrit in vigilia omnium Sanctorum, & transfertur hoc ieiunium in diem præcedentem. Et Nauarr. *cap.*21.Lat.*n.*11. Hisp. *cap.*28.*super num.*11.*& cap.*21. refert Leonem X. in quodam Breui misso ad Legatum Hispaniæ, statuisse, vt quando vigilia sancti Ioannis occurreret in die Corporis Christi, transferatur in diem antecedentem. Et addit Caiet. quòd quando Episcopus transfert ieiunium in diem antecedentem, debent Religiosi se conformare in tali ieiunio. Et aduerte, quòd notanter dixi de ieiunio vigiliæ; quia Ecclesia fugit vigilias fieri in festis, & propterea non assignat vigiliam D. Ioanni Euangelistæ in die S. Stephani: non autem horret ieiunia quatuor temporum in festis; sæpe enim occurrunt in die S. Matthæi: & ideo ieiunia quatuor temporum occurrentia in aliquo magno festo, non sunt transferenda. Caiet. *ibi*, Armil. *num.6.*

28 Vltima conclusio. Medicus etiam potest declarare aliquem posse comedere carnes, vel ratione morbi excusari à ieiunio, quando causa est manifesta, vel dubia secundùm regulas suæ artis. Et quod sat est causa dubia, probatur, quia quando causa est manifesta, non est opus Medici consilio. Sic Sylvest. *verbo ieiunium, q.7. fine*, D. Anton. *2.p.l.b.6.c.2.§.6.* Angles *floribus, 1.p.mat.de ieiunio, f.396.*

## DVBIVM VI.

*Quæ causa sint sufficientes ad dispensandum in ieiuniis, & esu carnium, & lacticiniorum.*

1 PRimò dico, quòd quoties Prælatus dispensat, vel Confessor, vel Medicus declarat bona fide, credens esse causam legitimam, non teneri ad ieiunium, licèt reuera non sit causa legitima, excusatur Prælatus dispensans, & Medicus, vel Confessor declarans, à culpa: immò quando aliquis propria authoritate soluit ieiunium credens bona fide causam esse iustam, licèt talis non sit, excusatur à culpa, vt latè dicam *tract.de auditione Missæ.*

2 Secundò dico, quòd causa sufficiens est ad dispensationem absolutam in ieiunio, & in cibis prohibitis, quando est talis causa, vt sit dubium, an sine dispensatione teneatur ieiunare, vel possit edere carnes, &c. Probatur, quia aliàs nullius momenti esset dispensatio: quando enim causa est euidens, potest quis absque dispensatione non ieiunare. Hanc sententiam apertè tenent multi Doctores asserentes, quòd quando causa est clara iudicio ipsius, vel viri alicuius probi, & periti, non est opus dispensatione; quando verò adhuc causa est dubia, petenda est dispensatio à superiore: sentiunt ergo hanc causam esse sufficientem ad dispensandum. Hi sunt D. Thom. *2.2.q.147.art.4.corp. & ibi* Caiet. *dub.*1. D. Anton. *2.p.tit.6.cap.2.§.6.* Sylvest. dicens esse omnium *verb.ieiunium.q.7.dicto* 3. Angles *floribus, 1.part.mat.de ieiunio.fol.*396. Angel. *verbo ieiunium, num.*19. Armil. *n.*6. Nauar. *summa cap.*22. Hisp. *num.*19. Lat. *n.*20. & confirmatur, quia etiam in voto, quando est dubium, an votum obliget, est sufficiens causa ad dispensandum, vt dixi *lib.4 summæ.cap.*45.*num.*10.

3 Hinc infertur quomodo se debeat habere Confessarius cum pœnitentibus dicentibus non posse ieiunare, quando non inuenit Confessor causam certò excusantem, debet enim illis dicere, vt experiantur sumendo aliquid manè per modum medicinæ, & bibendo vinum interdiu; & quando nec hoc modo possunt, & habent aliquam causam rationabilem, vt excusentur à ieiunio totius Quadragesimæ, quia habent officium mediocris laboris, quamuis non sufficientis ad excusandum à ieiunio, debet illis dicere, quòd experiantur, an saltem tribus diebus in hebdomada: & quando etiam hoc modo est illis valdè difficile, & adhuc Confessarius dubitat de sufficientia causæ consulat, vt perant dispensationem à parocho: hoc facto cessant omnes scrupuli. Sic Nauarr. summa Lat. *cap.*21.*n.*20. Caiet. *in summa, verb. ieiunium, cap.*3. & docti iuniores.

4 Secundò infertur, quomodo se debeat habere Prælatus cum itinerantibus equitando, licèt enim hæc causa non excuset à ieiunio, vt *infrà* dicemus; at si difficillimum illis foret ieiunium cum conditionibus itineris, & ideò recurrunt ad Prælatum, debet Prælatus dispensare: vel si causa non videtur omnino sufficiens, debet partim commutare, vt dixi *dub.præced.* Idem facere debet Prælatus in quouis alio casu, vbi simile dubium occurrit. Caietan. *eod. cap.*3. & nonnulli recentiores docti. Similiter idem dicendum de toto populo, quando est aliqua causa generalis, vt pestis, vel magna fames, tunc enim ad Prælatum spectat per se, vel per Parochos, aut concionatores populo denunciare, vt hoc mense, v.g. pauperes non ieiunent, vel si causa est dubia, partim commutare.

5 Dico tertiò, quòd in dispensatione lacticiniorum minor scrupulus est habendus, quàm in dispensatione ieiuniorum, quia res est leuior, maximè in Hispania, propter frequentiam bullarum, vnde leuior causa sat est ad dispensandum in hoc, & ad declarandum talem esum lacticiniorum licitum esse, sic viri docti à me consulti.

6 Vltimò dico maiorem causam requiri ad esum carnium, quia est res grauior. Quando autem Medicus possit ad id dare licentiam, dixi *dubio præcedenti fine.*

## DVBIVM VII.

*An labor corporalis excuset à ieiunio.*

1 PRima conclusio. Laborantes corporaliter sine aliquo honesto, qui non est tantùm ad recreationem, si talis labor, vt commodè non compatiatur ieiunium, excusantur à præcepto ieiunij. Ratio, quia necessitas caret lege, & in moralibus, quod est valdè difficile, reputatur impossibile. Hæc est omnium.



2 Hinc fit excusari à ieiunio quoties oportet facere aliquid incompatibile ieiunio ad conseruationem vitæ, vel sui status decori, vel ad vitam, dum damnum aliquod notabile, vel lucrandum aliquid, quod rarò lucrifieri potest, quidquid excusaret à custodia festi, à fortiori excusabit à præcepto ieiunij, si ieiunium simul cum tali labore seruari nequit, quia præceptum ieiunij minus est, & minus arctum. Sic Caiet. *summa, verb. ieiunium, & 2.2.quæst.* 147.*art.*3. Nauar. *in omnibus summis, cap.* 21.*&* 16. Angles *floribus mat.de ieiunio, in* 1.*part.fol.* 408. & omnes

3 Aduerte tamen aliquos Doctores asserere, quòd quando labor non est necessarius ad vitam, vel statum conseruandum, quia scilicet illum exercens est diues, & potest sine illo labore, vel sine tanto labore decenter viuere, non excusat à ieiunio. Sic D. Thom. *2.2.quæst.*147. *art.*4.*ad* 3.*&* 4.*dist.*15. *quæst.*4. *num.*18. D. Anton. *2.part. tit.*6.*cap.*2.§.6. Armil. *verbo ieiunium, num.*4. Angel. *num.* 15. Gabr. 4 *dist.* 16. *quæst.*3.*art.*1.

4 Sit tamen contra hos secunda conclusio. Agrum colentes, & quicunque ex officio exercent opus laboriosum incompatibile ieiunio, quantumcunque sint diuites, & possint optimè, & abundanter non laborando, se, & familiam alere, possunt exercere suum officium in die ieiunij, & sic à ieiunio excusari: sic enim declarauit Eugenius IV. anno 1440. viuæ vocis oraculo: quam declarationem afferunt, & tenent hanc conclusionem Metina *C.de ieiunio, quæst.de his, qui ad ieiunia tenentur*, Nauar. *cap.*21. Lat. & Hisp. *num.*16. Ledesm. 2.4.*quæst.*17.*art.*3. *fol.*203. Sylvest. *verb. ieiunium, quæst.* 9. Rosel. *num.* 19. Tabien. *quæst.* 18. Angles *suprà.fol.*404. Pedraza 3.*præcepto*, Toletus *in sua summa*, & alij.

5 Nota, quòd quando Confessor non nouit quantus sit labor alicuius artis, debet interrogare ab ipso pœnitente, & si ipse dixerit: quod habet tantum laborem, sicut faber lignarius, vel aliud officium, de quo scit Confessor, quòd excusat, potest illi dicere non teneri ieiunare. Vnde tunsorem, & corianum, Hisp. *el tundior, y curtidor*, credo excusari; idem credo de sutoribus, qui sunt, ponunt enim magnam vim: licèt Angles *suprà fol.* 404. teneat sutores non excusari. Sic tenent aliqui iuniores, & à fortiori idem tenebit Ledesma, qui vt statim dicam, sentit sartores excusari. Sed sutor, qui solùm scindit calceos, seu præparat materiam officialibus, non videtur ex hoc solùm excusari: & in hoc erit vna sententia Angles.

6 De sartoribus, & barbitonsoribus Ledesma *vbi suprà*, dicit excusari, quia sic habet vsus, licèt labor non sit adeò magnus, & Angles *dicto fol.* 404. dicit excusari à ieiunio, qui ex officio scribere habent, vt Regum Secretarij, & alij, qui ex hoc labore viuunt.

7 Sed verius est hos non excusari ex sola ratione sui officij, quia labor horum officiorum non est tantus, quin sit compatibilis cum ieiunio: nec refert, quòd ipsi dicunt esse magnum laborem spiritus, est enim opus ingenio, quia maiori ingenio opus est ad studium, & tamen studium non excusat. De sartoribus hoc renent Ang. *d. fol.* 404. & de sartoribus, & barbitonsoribus tenet idem Abul. *cap.*6. *Matthæi, q.*143. & de scriptoribus id tenet Metina *lib.*1. *summæ, cap.*14.§.10. *fol.* 100. & de sartoribus, & barbitonsoribus D. Enriquez: & de omnibus officialibus diuitibus, & de sarcinatricibus, butatariis, & broslatoribus, Hispan. *la branderas, burateros, brosladores*, & de pictoribus dicunt non excusari à ieiunio viri docti ex Societate.

8 * Nota quòd aduertenter dixi non excusari hos ex sola ratione officij, possunt enim aliæ circunstantiæ concurrere, vt hi excusentur, vt quia de more habent nimis vigilare, & nimij laboris molestia prægrauantur capite, vel stomacho; & conferet ad tollendos scrupulos, quòd Doctores graues, vt retuli, excusant aliquos horum à ieiunio. Sic D. Enriquez, & alij docti iuniores. Et aduertat Confessarius, ne hoc, quòd dicit se non posse ieiunare, proueniat ex mala non ieiunandi consuetudine. Et quomodo se debeat Confessarius habere cum his officialibus dicentibus se non posse ieiunare, dixi *dubio præcedenti.*

9 Secundò nota esse aliqua officia, quæ habent aliqua opera laboriosa, & alia non: & dum exercent laboriosa, excusantur; quando verò exercent non laboriosa, vt delineare, non excusantur. Sic nonnulli docti iuniores.

10 Tertia conclusio. Omnes isti operarij, quos diximus excusari à ieiunio propter laborem, si vno, vel altero die non laborent, quia scilicet est festum, vel ex quauis alia causa, licèt sit dies ieiunij, non tenentur ieiunare. Si verò sunt tres, vel quatuor dies simul, & sunt ieiunij, tenentur ieiunare aliquos illorum. Ratio primæ partis, quia licèt illo die non debeant laborare, satis tamen est ad eos excusandos, quòd die præcedenti laborauerint, & die sequenti sint laboraturi, manent enim defatigati, & lassi ex præcedenti labore, & sic indigent ampliori cibo, & aliqua recreatione. Ratio verò secundæ partis est, quia tunc in tot diebus est tempus opportunum ad recuperandas vires, & ad recreationem, vt continuet laborem, non ieiunando vnum, vel alterum diem: ergo reliquos ieiunare tenentur. Sic Victoria, & quidam iuniores docti: & pro hac sententia sunt Metina *vbi suprà*, Angles *suprà folio* 405. licèt strictiùs, & cum limitatione loquantur: dicunt enim non teneri illo die, quo non laborant, ieiunare, quando sunt ita defatigati ex præcedenti labore, vt si ieiunarent, non possent commodè die sequenti laborare: & addit Metina hoc ita communiter accidere. Sed meliùs absolutè est tenenda conclusio posita. Facit etiam pro ea, quia multi Doctores dicunt pauperes excusari à ieiunio, licèt aliquando habeant sufficientem victum, quando ex præcedenti inedia sunt debilitati, quos referunt *infrà dubio decimo quinto.*

11 Quarta conclusio: si labor assumptus in die ieiunij non sit ex officio, quia non habebat officium laborandi, si assumatur in fraudem ieiunij, vt quis illa die excusetur à ieiunio, licèt labor sit honestus, peccat mortaliter illum assumens, quia fraus, & dolus nulli patrocinantur. Sic tenent Metina *suprà*, Angles *suprà fol.*405, & alij.

12 Quinta conclusio. Si talis labor assumptus in die ieiunij non ex officio, non assumatur in fraudem ieiunij, sed alio fine: tunc ex quacunque causa etiam illicita assumatur, vt ad persequendum inimicum, vel fornicandum, &c. Si labor iam assumptus sit compatibilis ieiunio, non tenetur ille ieiunare supposito iam illo labore, & necessitate. Ratio, quia licèt peccarit in causa, at modò non potest ieiunare: ergo excusatur; sicut qui culpa sua incidit in morbum, non peccat postea edendo carnes. Sic Palud 4.*dist.*15.*q.*4. Sylvest. *verb.ieiunium.q.*9. est certa.

13 Sed quid si hac intentione quis assumat laborem inhonestum, vt non ieiunet, vel sumat nociua, vt infirmetur, & pòst non ieiunet, & comedat carnes. Quidam doctus iunior dixit peccare mortaliter pòst comedēdo carnes diebus vetitis, & nō ieiunando, quia fuit intentū in causa. At verius est peccasse mortaliter tunc id intēdendo, at pòst non peccare edendo carnes, &c. quia necessitas pòst excusat. Nec est simile de eo, qui se inebriat, ne audiat sacrū in festo; hic enim peccat tunc, & etiam mox non audiendo sacrū, quia ebrius habet omnes conditiones requisitas, vt obligetur tali præcepto, scilicet salutem, vires ad eundum ad Ecclesiam, &c. Itaque voluntariè se inebriat præuidens omissionem præcepti: sicut qui dormiturus abiret tempore audiendi sacri.

14 Nota tamen, quòd quando quis non intendit se facere

Universidad de Deusto
Biblioteca



facere impotentem, nec ea intentione comedit res nociuas saluti, licèt præuideat se infirmaturum, & sic esurum carnes, non peccabit contra præceptum non edendi carnes, sed contra aliud conseruandi salutem: licèt enim quis teneatur seruare præcepta Ecclesiæ, at non tenetur se conseruare robustum, & fortem ad seruandum ea. Sic videtur expressè tenere Metina 1. 2. *quæstione* 77. *art.* 7.

15 Sexta conclusio. Si talis labor assumptus non ex officio sit iniustus, scilicet ob finem inhonestum, vt ad perpetrandum furtum, fornicationem, &c. & sumit illum quis præuidens, quòd propter talem laborem non poterit pòst ieiunare, præter peccatum furti, &c. peccat tunc aliud peccatum mortale contra præceptum ieiunij. Ratio, quia iniustè se inhabilitat ad ieiunium. & non est iustum, vt propter similem laborem quis ab illo excusetur, etiamsi non in fraudem ieiunij assumatur. Sic Manuel 1. *tom. summæ, cap.* 23. *concluſ.* 6. contra Metinam *lib.* 1. *summæ, cap.* 14. §. 10. *fol.* 101. & 1. 2. *q.* 77. *art.* & Petrum de Ledesma 2. *tom. summæ, tract.* 27. *cap.* 2. *ad finem, fol.* 1445.

16 Septima conclusio. Qui non in fraudem ieiunij, sed bona fide assumit aliquem laborem honestum, licèt id non habeat ex officio, nec labor sit necessarius, & licèt præuideat quòd assumpto tali labore non poterit pòst ieiunare, non peccat assumendo talem laborem incompatibilem ieiunio, nec tenebitur postea ieiunare, v. g. habet paterfamilias messores, vel putatores, vult adire hæreditatem pedestris, & eos inuisere in die ieiunij, licèt sciat fore, vt non possit ieiunare, non peccat, licèt ipse non sit ibi necessarius, quia v. g. habet œconomum sollicitum; & hoc erit ei licitum, non tantùm semel, aut iterum, vel quoties voluerit, modò bona fide faciat, & non in ieiunij fraudem. Ratio, quia in toto iure non est præceptum, vt abstineat quis à iustis, & honestis laboribus, vt seruet ieiunium: ergo. Hæc est contra Doctores citatos, docentes tantùm laborem necessarium excusare. Sed hanc tenent Victoria, & præfati iuniores. Immò licèt hic habeat equum, si ex aliqua causa rationabili vult ire pedestris, vt quia impeditus equus, &c. excusabitur. Sic docti recentiores.

17 Et idem dicendum est eadem ratione itinerante ex alia causa honesta, licèt non necessaria; vt si scholasticus vult in die recreationis solitæ ieiunij, vel in Hebdomada sancta, vel in vigilia alicuius Sancti ire ad visendum patriam, vel parentes, vel ad sumendam recreationem ibi, ne aliis diebus absit à scholis, licèt videat quòd non poterit ieiunare, si faciat illud iter, non peccabit. Sic prædicti recentiores.

18 Hinc infertur quòd Magnates, vel equites, qui in diebus ieiunij, vt in Quadragesima, vel extra assumunt aliquem laborem incompatibilem cum ieiunio recreationis gratia, v. g. ludunt pila, eunt ad venandum per totum diem recreationis, vel exercitij gratia, vel ob recreationem, vel quia rogantur ab amicis, exercent se in ludo hastarum, id est, *en iustas*, propter quod non possunt ieiunare, dico quòd si id faciant semel, & iterum, & non in fraudem ieiunij, non peccant assumendo talem laborem, licèt præuideant, quòd non possunt ieiunare. Si autem frequenter id facerent, non excusarentur, sed peccarent contra legem ieiunij. Ratio, quia hæc interpretatio, & æquitas videtur deduci ex iure naturali, & ex intentione legislatoris; ipsa enim æquitas naturalis videtur dictare, quòd non fuit intentio legislatoris prohibere hæc exercitia honesta, & licita propter ieiunium: & eadem dictat non fuisse intentionem excusare hos, si frequenter faciant. Sic Henriquez, & docti iuniores. Immò ampliùs dicit Metina *lib. summæ, c.* 14. §. 10. *fol.* 102. *pag.* 1. quòd licèt id faciat sine vlla necessitate, sed ex affectu otiosæ recreationis, erit ad summum peccatum veniale.

## DVBIVM IV.

*An nolentes conducere operarios in die ieiunij, nisi cum pacto, quòd non ieiunent, peccent.*

1 ALiqui sentiunt peccare, quando operarij volebant minuere laborem, & mercedem, vt sic possent ieiunare, & necessitas operis non exigit festinationem. Ratio, quia sunt causa, vt tales operarij peccent non ieiunando. Sic D. Thomas 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. *ad* 3. Durandus 4. *dist.* 15. *quæst.* 10. Paulud. *ibi quæst.* 4. *num.* 18. Angel. *verb. ieiunium, num.* 15. Sylvest. *ibi quæst.* 9. *dict.* 2. Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4 *dub. penult.* Angles *floribus*, 1. *part. mat. de ieiunio, fol.* 405. Gabr. 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 1.

2 Sed dicendum est hos auctores fundari in opinione quam reiecimus *dub. præcedenti*, scilicet labore non excusari à ieiunio diuites habentes aliunde alimenta: at nos, qui tenuimus operarios etiam diuites excusari à ieiunio in die laboris incompatibilis, dicimus tales conducentes operarios ad laborem excusantem à ieiunio nullo modo peccare nolentes eos conducere, nisi ea conditione, vt non ieiunent: quia in hoc non intendunt, nec inducunt ad vllum malum, cum ipsi operarij non peccent non ieiunando. Si verò conducuntur ad laborem non excusantem à ieiunio, peccaret mortaliter conducens cum conditione, vt non ieiunent, nisi necessitas operis exigat festinationem, & non posset inuenire plures operarios, qui tempore necessario perficerent: & in hoc casu tenet verum prima opinio. Sic Cardinalis Toletus, & alij iuniores.

## DVBIVM IX.

*An peccent patresfamilias compellendo famulos in die ieiunij ad laborem incompatibilem cum ieiunio, quando commodè potest differri in alium diem.*

1 ALiqui dicunt peccare mortaliter. Ratio, quia saltem tenentur familiam à ieiunio non impedire. Sic Nauar. summa Lat. & Hispan. *cap.* 21. *n.* 27. Gabr. 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 1. Angles *floribus*. 1. *p. mat. de ieiunio fol.* 416. Ledesma 2. 4. *q.* 17. *art.* 3 *fol.* 205. sed non tanto rigore loquitur, moderatur enim, & intelligit, quando illud, in quo occupantur, non est necessarium, aut vtile sine fraude ieiunij.

2 At dicendum est, nec ipsos famulos, nec patresfamilias peccare in hoc etiam venialiter Ratio, quia ipsi famuli potuerunt licitè locare operas ad inseruiendum, provt ipsis iniunctum fuerit: & ipsi domini possunt illos occupare in talibus laboribus, provt se obtulerint: nec tenetur sub peccato obseruare, an sit dies ieiunij, licèt sit illis consulendum, vt id obseruent, quando sine vllo incommodo id potest fieri. Sic docti iuniores.

## DVBIVM X.

*An itinerantes excusentur à ieiunio.*

1 SIt prima conclusio. Qui faciunt iter pedestres, excusantur à ieiunio, quando iter est necessarium ad comparandum victum, vel ad augendum, vel seruandum status decorem, vel ad euitandum damnum aliquod, & non potest commodè differri. Ratio, quia est labor incompatibilis. Sic Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 8. *fol.* 119. Sylvest. *verb. ieiunium, q.* 9. Turrecrem. *de consecrat. dist.* 5. *cap. ieiunia, n.* 9. D. Anton. 2. *p. tit.* 6. *cap.* 2. §. 6. Gabr. 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 1. Rosel. *verb. ieiunium, numero* 21. Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 4. *num.* 20. Angles *floribus*, *mat. de ieiunio*, 1. *p. fol.* 407.

2 Nota



2 Nota, quòd licèt hi authores ita strictè loquantur, & expressè Paludan. Sylvest. Angles dicant, quòd cursor, qui se ad diem locat, & aliàs habet vnde viuat, non excusatur: at verius est, quòd siue hi habeant id ex officio, vt deportatores epistolarum, siue non habeant id ex officio, sed est homo, qui habet aliud officium, & vult tunc facere illud iter, quia fortè lucrabitur magis ex tali itinere, quàm ex suo officio ordinario, excusatur à ieiunio, vt constat ex dictis *suprà dubio septimo post septimam conclusionem*, vbi posui duo exempla. Sic docti iuniores.

3 Secundò nota conclusionem intelligi, quando ille faceret iter pedestris per magnam partem diei, quando enim iter est breue, non excusat; vt si per vnam, & dimidiam leucam pedestris concionaturus aditet: nisi ex complexione particulari aliquis ex breui itinere contraheret tantam lassitudinem, sicut alius ex magno, ita vt commodè non posset ieiunare. Sic docti iuniores, & colligitur ex Nauar. summa *cap.* 21. & Hisp. *num.* 17. in Latina noua *num.* 16. vbi dicit excusari, quando magnum iter facit.

4 Secunda conclusio. Faciens iter equitando, communiter non videtur excusandus à ieiunio ex hoc capite, nisi aliquis ex complexione particulari contrahat tantam lassitudinem equitando, vt commodè ieiunare nequeat: vel si non inueniat simul vnicam refectionem, quæ sat sit illi ad victum totius diei. Sic multi iuniores, & Nauar. *suprà*, dicens à lege ieiunij excusari iter agentes, limitat, quando pedestres iter agunt.

5 Nota, quòd licèt faciens iter equitando communiter non excusetur à ieiunio, aliquando tamen pòst multas dietas, & labores excusabitur; quia tunc erit nimis defatigatus.

6 Tertia conclusio. Cursores equorum, Hisp. *los que van a la posta*, excusantur à ieiunio; quia est labor maximus: nec vnica vice possunt integram, & sufficientem refectionem sumere. Palud. *ibi*.

## DVBIVM XI.

*An peregrinatio causa deuotionis facta: item an sentire fortiores carnis tentationes, & se ad luxuriam procliuiorem, excuset à ieiunio.*

1 CIrca primam partem dubij, an peregrinatio voluntaria causa deuotionis assumpta, sit legitima causa soluendi ieiunium. Triplex est sententia.

Prima dicit eam excusare à ieiunio, quando commodè differri nequit, & non compatitur cum ieiunio. Ratio, quia ieiunium non impedit opera meliora. Sic tenet Metina *C. de ieiunio, q. de his, qui ad ieiunia tenentur*, §. *secunda causa*, Palacios 4. *dist.* 15 *disp.* 8. *fol.* 119. Ledesma 2. 4. *q.* 17. *art.* 3. *fol.* 203. *verb. secunda causa*, Gabriel. 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 1. Idem tenet saltem excusare à peccato mortali Fr. Metina *lib.* 1. *instruct. capite* 14. §. 10. & est probabilis.

2 Secunda sententia tenet non excusare peregrinationem voluntariam; quia præceptum, quale est ieiunandi, præferri debet rei voluntariæ. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3. videtur sentire; tantùm enim dicit excusare, quando peregrinatio est necessaria: & idem tenet expressè Sylvest. *verb. ieiunium, q.* 9. Palud. 4 *dist.* 15. *q.* 4. *numero* 19. Abulensis *cap.* 6. *Matthæi, q.* 140. fauent Angel. *verb. ieiunium, num.* 18. & Turrecrem. *cap. ieiunia, n.* 9. *de consecrat. distinct.* 5. vbi dicunt requiri dispensationem ad soluendum ieiunium, propter peregrinationem voluntariam.

3 Tertia sententia est media, quæ quia probabilior est, explicabitur aliquibus conclusionibus.

4 Prima conclusio. Regulariter peregrinatio voluntaria non excusat solutionem ieiunij. Ratio, quia peregrinatio non est præstantius opus ieiunio, cùm hoc sit actus pœnitentiæ, illa verò nullius virtutis, sed imperatur à Religione: vt in simili dixi de voto peregrinationis concurrente cum præcepto ieiunij *lib.* 4. *summæ, capite quinto ad num.* 32. & *cap.* 6. *numero* 2. Sic tenent Doctores secundæ sententiæ, & Caiet. *verb. ieiunium*, vbi Armilla *num.* 5. Pedraza *summa*, 3. *præcepto*, §. 13. Nauar. *cap.* 21. Lat. *num.* 17. 18. Hisp. *num.* 19. Angles *floribus*, 1. *part. mat. de ieiunio, fol.* 406. Tabiena *verbo ieiunium, quæst. decima octaua*.

5 Secunda conclusio. Peregrinatio voluntariè assumpta in aliquibus casibus excusat. Primus casus, quando illius personæ peregrinatio esset valde vtilis ad diuinum honorem; vt quia est persona magnæ authoritatis, ex cuius peregrinatione valdè augetur communis deuotio, & non potest simul ieiunare, & peregrinari. Secundus, si feruor deuotionis sic accendat ad peregrinandum, vt vtilius peregrinantis saluti speciali sit peregrinari sine ieiunio, quàm ieiunium sine peregrinatione. Ratio, quia ieiunium non impedit maiora bona: at in primo casu impediret maius bonum commune, in secundo verò maius bonum proprium. Sic Caietan. Armil. Angles, Nauar. Pedraza, Fr. Metina *vbi suprà*; & forsan Doctores primæ sententiæ intelliguntur in his casibus. Tertius casus est, quando peregrinatio est multum vtilis, vt quia est ad Ecclesiam, in qua plures conceduntur indulgentiæ certo die, & sentit quis futuram sibi multum vtilem. Item quando peregrinatio est adeò longa, vt quouis tempore intercidere oporteat plures ieiuniorum dies, & valdè pia, & solo diuino intuitu, vt adire sepulcrum. Sic Abulensis *vbi suprà*, & in his casibus conuenimus cum prima sententia. Item quando peregrinatio est ex voto, vel pœnitentia, vel præcepto superioris, & differri commodè non potest; quia tempus implendi accedit. Sic tenet Nauar. & Angles *suprà*. Item quando nisi tum peregrinetur, amitteret socios, & iter est periculosum, vel illud nescit, vel socij faciunt illi expensas, quas ipse non habet. Sic docti iuniores: & in his casibus conuenimus cum prima sententia.

6 Sit tertia conclusio circa aliam partem dubij: licèt aliqui in diebus ieiunij illud obseruantes sentiant se procliuiores ad luxuriam, vel seminis fluxum, siue eorum naturali conditione, siue ex vitio, non est sufficiens causa dissoluendi ieiunium, licèt sufficiens sit, vt cum illis dispensetur. Ratio, quia ieiunium de se ad malum non inducit, immò à malo cohibet. Sic tenent Honcala *opusc. de ieiunio*, Metina *q. citata, fin.* Angles *f.* 397. Ledesm. 2. 4. *q.* 17. *art.* 3. *fol.* 203. *pag.* 4. de quo dixi *libro* 4. *summæ, cap.* 5. *num.* 32. & *cap.* 6. *num.* 2.

## DVBIVM XII.

*An sumentes disciplinam publicam in die Iouis sancti, si videant quòd ex tali labore non poterunt ieiunare, excusentur à peccato.*

1 ALiqui tenent non excusari à peccato; & sic monendos esse, vt temperent flagella, & sic possint ieiunare, vel vt omittant disciplinam. Sic Palacios 4. *distinct.* 15. *disput.* 8. *fol.* 119. idem tenuit alius doctus recentior.

2 At tenendum est, quòd nullo modo peccant, siue sint confratres, siue alij particulares sumendo disciplinam, licèt videant, quòd non poterunt ieiunare modò non se verberent in fraudem ieiunij, id est, ob hanc causam, vt à lege ieiunij sint immunes: nec est necesse admonere illos, vt temperent flagella propter ieiunium, sed propter salutem corporalem, & vt rationabile sit obsequium. Ratio, quia hæc causa est honestissima, & maximè conueniens Religioni, & deuotioni fidelium, quòd sint in Ecclesia huiusmodi confraternitates, & publicæ flagellationes. Sic tenent viri docti.

1 2 3 Nota

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Nota tamen non omnibus esse hunc laborem causam sufficientem ad excusandum à ieiunio: sed debet hoc iudicari habita ratione qualitatis, & complexionis personæ particularis.

## DVBIVM XIII.

*An propter maius bonum excuseturquis à ieiunio, vt quando quis incumbit sanctioribus operibus, vt prædicationi, auditioni confessionum, lectioni publicæ, quibus non potest incumbere simul ieiunando.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit excusari, modò ex officio, vel obedientia faciat hæc munia prædicandi, vel confessiones audiendi, vel saltem sequatur ex illis magna vtilitas, & quæ per alium æquè benè procurari nequit, & cum his muniis non potest commodè ferre ieiunium propter magnum laborem, quem in illis habet, & idem dicit hæc sententia de lectione publica cum eisdem limitationibus. Sic tenent Nauar. *summa, c.*21. Hisp. *num.*17. Lat. *n.*16. Angles *floribus, 1.p.mat.de ieiunio, fol.*409 410. 412. Palacios *in summa, verbo ieiunium*, Caiet. *summa, verb. ieiunium, & 2.2. quæst.*147. *art.*3. Ledesm. 2.4 *q.* 17. *art.* 2. *fol.*201. Metina *C.de ieiunio, q.de his, qui ieiunare tenentur.* Sylvest. *verb.ieiunium, q.* 9. Margarita *confess. quæst. moralibus, fol.*111.

2 Secunda sententia probabilior docet excusari exercentem prædicta opera, etiamsi omnino voluntariè exerceat, quando non potest simul cum illis ieiunare. Probatur, quia ieiunium non debet esse impeditiuum maioris boni: at constat prædicta opera esse præstantiora, & præstantioris virtutis actus, scilicet misericordiæ, quàm est abstinentia, cuius actus est ieiunium: ergo. Secundò probatur ex dicto D. Hieronymi, quod adducit D.Thom.2.2.*q.*147.*art.*1. *ad* 2. & habetur *cap. mediocriter, de consecrat. dist.* 5. Pro hac sententia sunt expressè D. Thom. 4. *dist.*15.*q.*3.*art.*1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. & Gabriel 4.*dist.*16. *q.*3.*art.* 1. vbi expressè dicunt indiscretum esse ieiunium, quo quis ab operibus vtilioribus impeditur, licèt ad ea opera non teneatur: & pro hac sententia etiam sunt Viguer. *lib.inst.cap.*7.§.3. *vers.* 1. Armil. *verb. ieiunium, num.*5. Tabien. *q.*18. Palac. 4. *dist.*15. *disp.*8. *folio* 119. vbi absolutè dicunt hos excusari.

3 Nota aliquos limitare hanc sententiam, quòd exercentes hæc officia sanctiora excusentur à ieiunio, quando exercent ea principaliter ob pietatem; secus quando principaliter ob lucrum. Sic Caiet. *supra dict. art.* 3. Ledesm. & Armilla *supra*. At verius est excusare, etiamsi ob lucrum fiant, quia lucrum & stipendium licitum non est mala circunstantia, nec per hoc desinit actus esse æquè bonus, aut melior, quàm ieiunium. Sic Nauarr. *supra*, Lat. *num.*17. Hisp. *n.*18. Angles *supra fol.*410.

4 Secundò nota similiter dicendum esse, quòd qui exercent se in operibus corporalibus misericordiæ, si ea exercendo non possunt simul ieiunare, excusantur à ieiunio. Ratio, quia hæc sunt opera præstantiora, quàm ieiunium. Sic Caiet. *viroque loco citato*, Ledesm. *dicto art.* 2. *fol.*201. Palac. 4. *dist.*15. *disp.*8. *fol.* 120. Sylvest. Armil. *supra*. Pedraza *summa*, 3. *præcepto*, Nauar. Lat. *n.* 17. Hisp. *n.*18. Metina *lib.*1. *summæ, cap.*14 §.10. *fol.*101.

5 Tertiò nota, quòd quando ex huiusmodi operibus contrahatur tantus labor, vt non secum compatiatur ieiunium, relinquendum est arbitrio boni viri, qui debet iudicare habita ratione non tantùm roboris secundùm se, sed etiam qualitatis; & complexionis personæ in particulari, & modi concionandi, seu legendi, & frequentiæ concionum, & lectionum. Sic tenent viri docti.

6 Hinc concionatores, qui in Quadragesima concionantur ter, vel quater in hebdomada, communiter, & regulariter excusantur, ita vt in nullo die Quadragesimæ teneantur ieiunare: & hoc maximè, si cum feruore concionentur; & qui inter annum frequenter concionantur, videtur etiam quòd non tenentur ieiunare in vigilia concionis, & in ipso die. Ratio, quia hoc videtur requisitum ad robur necessarium ad benè, & fructuosè concionandum; quia (vt viri docti dicunt) qui debet officium exercere, non tantùm attendere debet, an possit in hac Quadragesima, vel in hoc die simul ieiunare, & prædicare, sed etiam vt conseruentur vires, & possit plures dies, & Quadragesimas prædicare. Sic docti iuniores.

7 Hinc lectores, qui singulis diebus quatuor lectiones legunt, vt faciunt lectores Grammaticæ in Societate, non sunt obligandi ad ieiunandum totam Quadragesimam, quamuis ipsis videatur, quòd id possint ferre; quia est magnus labor, & intra paucos annos ita fatigantur, vt non possint vltrà progredi ieiunando, nec paucis diebus: & ita quamuis lectores Grammaticæ in Societate sint valdè fortes, & robusti, sufficit, vt ieiunent dimidium Quadragesimæ, scilicet tribus diebus in hebdomada: & si aliquis fuerit debilior, minus, vel nihil ieiunet. Et tandem superiores ad tollendum omnem scrupulum debent facilè cum talibus dispensare, cùm causa sit sufficientissima etiam ad non ieiunandum absque dispensatione. Sic præfati iuniores.

8 At lectores Theologiæ, vtriusque iuris, medicinæ, & huiusmodi, qui quotidie legunt vnicam tantùm lectionem, ex vi talis laboris non excusantur, nec studium scholasticorum est sufficiens causa ad excusandum à ieiunio; quia potiùs scholasticus indiget modico cibo: ac si aliquis scholasticus sit ita debilis, vt perdat eorum Quadragesimæ studium, propter ieiunium, excusabitur: at verò ob hoc quòd sentiat magnam lassitudinem, multum studendo, & simul ieiunando, non excusatur sed potiùs minuat studij horas, vt benè Angles *supra fol.*410.

9 Similiter si quis debet pati extraordinarium laborem propter aliquem publicum actum, vel propter aliquam lectionem oppositionis, vel repetitionem, vel examen laboriosum, si commodè non potest simul ieiunare, excusabitur. Sic Angles *supra fol.* 412. & tenent docti recentiores.

10 Similiter si Iurisperitus non potest simul ieiunare, & patrocinari, excusatur: nec tenetur minuere laborem, & studium, vt possit ieiunare: sicut alij artifices non tenentur, licèt diuites sint, minuere laborem sui officij, vt possint ieiunare, iuxta supradicta. Sic viri docti.

11 Tandem de Confessoribus dico communiter non habere tantum laborem, vt excusentur à ieiunio; quia eorum labor est similis studentium: at ita debilis possit esse Confessor, tanta frequentia in audiendis confessionibus, & tantus labor, vt excusaretur. Sic docti iuniores. Et in dubio ad tollendum omnem scrupulum dispenset Superior.

## DVBIVM XIV.

*An infirmitas excuset à ieiunio.*

1 SIt conclusio. Infirmi, & valetudinarij excusantur à ieiunio: non tamen quæcunque infirmitas; vt quicunque dolor capitis excusat: sed standum est arbitrio boni viri, vel Medici. Ratio, quia non fuit intentio Ecclesiæ obligare infirmos ad ieiunium: non enim est danda afflictio afflicto. Item, quia ieiunium vt plurimum nocet infirmis; leges autem respiciunt id, quod commune est. Hæc conclusio est omnium.

2 Hinc infertur, quòd quando infirmitas est talis, quæ communiter solet excusare à ieiunio, licèt valetudini illius infirmi conduceret ieiunare, & oppositum noceret, non tenetur ieiunare ex præcepto Ecclesiæ; sed reuebitur ex præcepto abstinentiæ, cuius fractio communiter est veniale. Ratio, quia Ecclesia absolutè voluit excusare omnes infirmos, quia ieiunium eis plurimum nocet: quòd autem huic non noceat, est per accidens, & Ecclesia tantùm respicit id, quod communiter euenit. Sic docti iuniores.

3 Secun



3 Secundò infertur, quòd tertianarij, vel quartanarij excusantur à ieiunio; hæc enim est infirmitas ad id sufficiens; vnde licèt Medicus præciperet his, vt seruarent dietam, & ipsi cœnarent in die ieiunij, non peccarent contra præceptum ieiunij. Sic prædicti iuniores.

4 Sed an edentes carnes, vel lacticinia in diebus prohibitis ob necessitatem, possint simul edere pisces, Nauarrus *lib.*3. *consil. tit. de obseruat. ieiunij in antiquis consil.* 5. dicit, quòd comedens carnes, vel lacticinia in diebus prohibitis ob necessitatem potest interpolatis diebus, vel eodem die, si non tenetur ieiunare, in prandio edere carnes, vel oua, & in cœna pisces, vel è contra, nisi notabiliter ei noceat; quia potest fauori suo renunciare; at in eodem prandio non potest, quia vel non potest vesci piscibus sine damno notabili, vel potest: si non potest, peccat eos comedendo: si potest, caret necessitate edendi oua, vel carnes; at non esset mortale, si simul comederet tam parum pisces, quod parum ei noceret, at esset veniale, quia superfluè, & cum aliquo damno, sine necessitate comedit. Hæc Nauar. *ibi.*

5 Alij verò licèt strictè, & scrupulosè loquantur, non tamen ita scrupulosè ac Nauar. & sic dicunt primò, quòd si illis licentia conceditur edendi carnes, vel oua ad consalescendum, & vires recuperandas, possunt simul pisces edere, præcipuè si est persona solita comedere pisces, & plus illi, quàm carnes placent, nisi pisces eorum saluti noceant. Secundò dicunt, quòd si licentia oua, & carnes comedendi conceditur illis, eo quòd illis nocent, non poterunt simul carnes, aut oua, & pisces comedere, nisi parum pisces ad appetitum excitandum, aut quando est pisces saluberrimus, sicut est truta. Sic tenet Manuel *in Bulla*, §.6. *numero quinto*, *& primo tomo summæ, cap.* 24. *num.* 10.

6 Sed dicendum est, quòd si alicui ob necessitatem licet edere carnes, vel lacticinia, non peccat contra præceptum Ecclesiæ abstinendi ab his, si simul edat pisces; quia ratione necessitatis Ecclesiæ hos excusat ab hoc præcepto: sed poterit peccato gulæ peccare, vt si pisces ei noceant, vel si superfluè eos comedat: vel peccato scandali, si alios in hoc scandalizet, vel si fortè sit statutum Synodale in illa diœcesi, ne simul hæc edantur (vt in Synodo Hispalensi prohibetur sub excommunicatione *tit. de feriis, & obseruat. ieiun. cap.* 9) peccabit contra statutum; sicut habens licentiam ratione morbi edendi carnes, non peccat contra præceptum Ecclesiæ, si carnes nociuas edat, sed peccabit peccato gulæ. Sic Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*13. *num* 11. Vega *libro* 6. *summæ, casu* 209. Angles *floribus, 1. part.mat. de ieiunio, q.* 9. *art.*1. *difficult.*6. *fol.* 417. *& sequenti*, Corduba *summa, q.*168. *puncto* 3. Ludouic. Lopez 2 *part. instruct. noui, cap.* 112. *de ieiunio, fol.*715. & alij.

7 Nota quòd nec peccabit contra statutum, vel peccato gulæ, si parum piscis simul comedat, ad excitandum appetitum, vt etiam concedit Synodus Hispalensis *supra*; si tamen non indigeret hoc excitamento, peccaret. Sic Angles, Corduba, Ludouicus Lopez, Vega *ibid.*

8 Secundò nota, quòd edens lacticinia ex priuilegio Cruciatæ, nullo modo peccat, vescendo simul piscibus; quia potest pro libito vesci lacticiniis. Sic Manuel *in Bulla*, §.6. *num.* 5.

9 Tertiò nota, quòd Religiosi exempti non tenerentur seruare illam constitutionem Synodalem, licèt esset Concilij Prouincialis approbati à Papa. Ratio, quia ordinarius auctor illius constitutionis non habet iurisdictionem in tales Religiosos, & confirmatio simplex Papæ nihil addit, vt benè Sylvest. *verbo irregularitas, quæstione* 4. & docti iuniores: ex consuetudine tamen possent teneri.

10 Tertiò infertur excusari à ieiunio eos, qui tam infirmæ complexionis sunt, vt vacuo stomacho notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiantur, vel tota nocte calefieri, vel dormire nequeant. Nauar. *cap.* 21. Lat. *num.* 16. Hisp. *num.* 15. Gabriel 4. *dist.*16. *q.*3. Angles *floribus*, 1. *part. mat. de ieiunio. fol.* 403. & docti iuniores.

11 Similiter excusantur, qui tam debilis stomachi sunt, vt alimentum sufficiens vna vice sumere nequeant; multo enim alimento notabiliter grauantur. Angles *ibi*, Sylvest. *verb. ieiunium, q.* 9.

12 Item excusantur prægnantes, & lactantes, quia indigent frequentiori cibo.

## DVBIVM XV.

*An paupertas excuset à ieiunio.*

1 SIt conclusio. Pauperes, qui non possunt habere vnicum prandium sufficiens ad ieiunandum hora prandij excusantur à ieiunio. Ratio est impotentia ad ieiunandum. Hæc est omnium.

2 Hinc iter agentes, qui hora prandij non possunt inuenire alimentum sufficiens, & famuli, qui non obtinent à dominis suis vnicum prandium sufficiens ad ieiunium, excusantur à ieiunio. Sic Angles *floribus, mat. de ieiunio*, 1. *p.fol.*404. & docti iuniores. Et huc etiam reducuntur, qui nec possunt parare, nec habent parantes necessaria ad ieiunium; hi enim excusantur. Sic Archid. quem refert, ac sequitur Sylvest. *verb. ieiunium, q.* 9. *dicto* 4. Tabiena *ibi q.* 9.

3 Nota primò, quòd licèt inueniant panem, & pomorum fructus, & olera, non tenentur ieiunare, quia hæc regulariter non sunt sufficiens prandium. Sic Angles *ibi*, & prædicti iuniores.

4 Secundò nota, quòd si aliqua die habeant pauperes prandium sufficiens, tenentur illa die ieiunare, nisi ex præcedenti inedia ita debilitati sint, vt ieiunium commodè ferre non possint. Sic Tabien. Sylvest. *ibi*, Durand. *dist.*15. *q.*10. D. Thom. 4. *dist.* 15. *quæst.*3. *art.*1. *quæstiunc.* 4. *ad* 2.

5 An vxor, quæ redditur macilenta, & displicet viro ob ieiunium, vel cui vir contradicit, excusetur à ieiunio, satis à nobis dictum est *libro* 9. *de matr. disp.*3. *num.*5. 11. *& 13.* Et an si vir ob ieiunia reddatur impotens ad reddendum debitum vxori, excusetur à ieiunio, latè dixi *eod. lib.*9. *de matr. disp.* 3. *num.*10.

## DVBIVM XVI.

*An caupones, & vendentes cibaria in die ieiunij iis, quos sciunt soluturos ieiunium, peccent; item an inuitantes alios ad cœnandum in die ieiunij peccent.*

1 DE hac re latè dixi *lib.*1. *summæ, cap.* 7. *à n.* 13. *& n.* 33. *&* 34. & *ibi* dictis tria sùlùm restant addenda. Primum est, non peccare amicum ministrando alimenta in die ieiunij alteri amico petenti, licèt sciat eum transgressurum præceptum Ecclesiæ. Ratio, quia per se opus amicitiæ, & vrbanitatis exequitur, & ex malitia alterius per accidens consequitur transgressio. Sic Angles *floribus*, 1. *part. mat. de ieiunio*, *fol.*416.

2 Secundum, non peccare publicos hospites offerentes peregrinis cœnam diebus prohibitis relinquendo vnumquemque suæ propriæ conscientiæ, quia in hoc proprium munus exequuntur. Sic Angles *fol.*417.

3 Tertium, quando aliquis amicus, & hospes diuertit in domum meam in die, in quo prohibentur lacticinia, fas est inuitare illum ad lacticinia, & apponere ea in mensa: nec oportet illum interrogare, quando est homo alicuius qualitatis, an habeat bullam, quia probabiliter possum credere omnes tales habere bullam: at quando est homo classis inferioris, vel puer, de quo probabiliter potest dubitari, quòd habeat bullam, & quòd ob meam appositionem franget præceptum Ecclesiæ, est mortale illi apponere, & teneor interrogare, an habeat bullam Sic docti iuniores.

Universidad de Deusto
Biblioteca



4 An peccent famuli parantes cibos, & ministrantes mensæ dominorum soluentium sine iusta causa ieiunium, latè dixi *lib. 1. summæ, c. 7. à n. 8. & n. 34. & 35.*

## DVBIVM XVII.

*An peccent patresfamilias ministrantes cœnam famulis, & filiis suis nolentibus sine causa ieiunare.*

DVplex est sententia.

1 Prima dicit absolutè peccare mortaliter. Ratio, quia tenentur ex officio facere, vt sui custodiant præcepta Ecclesiæ. Sic Nauar. *summa, cap. 21.* Hisp. *num. 24.* Lar. *num. 16.* Metina *C. de ieunio, quæst. debis, per quæ ieiunium soluitur*, & Cardinalis Toletus.

2 Secunda sententia tenet oppositum. Sit

3 Prima conclusio. Paterfamilias tenetur in die ieiunij præbere suis sufficiens alimentum, vt possint ieiunare, si commodè possint. Ratio, quia tenetur suis in ieiunio fauere, si possunt. Sic Ledesma 2. 4. *quæst. 17. articulo tertio, folio 205.* Angles *floribus, 1. part. mat. de ieiunio fol. 415.* & alij.

4 Nota hoc intelligi, quando domini absolutè tenentur prouidere famulis de alimentis: nam si de portione quotidiana facta fuerit conuentio, non tenentur domini eam augere ratione seruitij, tantùm enim tenentur ad portionem conuentam. Sic Angles *ibi.*

5 Secunda conclusio. Tenetur paterfamilias admonere famulos, vt ieiunent, & arctiori vinculo tenetur eos fraternè corrigere, quàm extraneos: at si nolint ieiunare, vel audire Missam, &c. non tenetur eos compellere ad ieiunandum, vel ad audiendum Missam, &c. & potest eis date cœnam. Ratio, quia domini non habent curam spiritualem suorum famulorum, vt Episcopi, ad quos spectat cura hæc coërcitiua & punitiua ad seruanda præcepta Ecclesiæ. Sic tenent Angles, & Ledesma *suprà*, & Ledesma etiam *art. 6. dub. 4. fol. 212. & 216.* Soto *de secreto. membro 2. q. 3. conclus. 4. versic respondetur, quarta conclus.* Aragon *2. 2. quæst. 32. art. 3.* & Ledesma idem dicit de seruis. Immò Soto, & Aragon dicunt non teneri arcere seruum à concubina, expellendo eum domo, nisi fortè propter scandalum.

6 Nota tamen, quòd si sciret paterfamilias probabiliter quòd prodesset famulis suis negare eis cœnam semel, vel iterum in die ieiunij, deberet id facere, licèt non teneatur ad id. Sic tenent viri docti.

7 Quoad filios autem aliqui tenent id, quod dictum est quoad famulos. Sic aliqui iuniores, & satis fauent Sotus, Angles, Aragon *suprà*, vniuersaliter enim loquuntur de familia.

8 Sit tamen tertia conclusio. Probabilius viderur teneri parentes compellere filios sub sua cura constitutos ad ieiunandum, denegando eis cœnam. Ratio, quia parentes tenentur educare filios in disciplina, & correctione Domini, vt ait Apost. *ad Ephes. 6.* ergo tenentur quantum est in se cohibere eos à peccato, & facere, vt seruent ieiunium, negando eis cœnam. Sic docti iuniores, & fauet Corduba *addit. ad Sotum de secreto, membro 2. quæst. 3. conclus. 4.* vbi dicit teneri parentes corripere filios punitione domestica, vt seruent præcepta Ecclesiæ.

9 Nota hoc debere intelligi, quando possint facilè, & commodè parentes adhibere dictum remedium, & ex eo speratur fructus in filio, quia si filius esset talis, & tam parum subiectus, quòd si ei denegaretur cœna, oriretur magnum scandalum, & rixæ domi, vel iret cœnaturus cum alio amico, non tenetur ad hoc pater. Sic docti iuniores, & consonat Caier. *2. 2. quæst. 32. art. 6.* vbi inquit, imprudenter agere patres, vel heros, corripientes vitia famulorum, vel familiæ, quando vident nihil prodesse, sed ipsos peius facere, & prorumpere in blasphemias.

## DVBIVM XXVIII.

*Qui dies sint ieiunij.*

1 BReuiter dico, quòd de iure est Quadragesima *cap. Quadragesima, de consecrat. dist. 5. & cap. non liceat, de consecrat. dist. 3.* Item quatuor tempora, scilicet post D. Luciam prima feria, quarta, & sexta, & Sabbatho, & post exaltationem Crucis mensis Septembris prima feria, quarta, & sexta, & Sabbatho, *cap. statuimus. dist. 76.* Item vigiliæ omnium Apostolorum, demptis vigilia D. Barnabæ, D. Philippi, & Iacobi, D. Ioannis Euangelistæ, *cap. consilium nostrum, de obseruat. ieiun. & cap. 1. eod. tit.* Item vigilia Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Mariæ, vt de vtraque habetur *cap. 1. de obseruat. ieiunij.* Item de generali vsu Ecclesiæ, non enim habetur tale præceptum in iure, ieiunatur in vigilia S. Ioannis Baptistæ, omnium Sanctorum, & S. Laurentij, vt benè notat Syluest. *verbo ieiunium, quæst. 1.* & Caiet. *cap. 2.* & vterque etiam dicit in vigilia Pentecostes non esse de iure, vt ieiunetur, sed tantùm ex generali consuetudine. Et idem dicit vterque de ieiunio quatuor temporum Pentecostes, licèt alij ieiunium horum quatuor temporum censeant esse de iure. In reliquis verò diebus non obligat ieiunium, nisi alicubi sit consuetudo legitimè præscripta, iuxta dictos Doctores, & omnes.

2 Nota si aliquod festum dictorum afferens vigiliam, quæ obligat ad ieiunandum, accidat feria secunda, transfert ieiunium Dominicæ in diem præcedentem *cap. primo, & secundo de obseruat. ieiunij.*

3 An verò in die Dominica liceat aliquando ieiunare, dixi *libro secundo summæ, capite duodecimo, à numero 11. ad 15.*

4 Secundò nota, quòd excepta vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ nulla alia vigilia eiusdem obligat ad ieiunandum, vt dicunt Doctores citati; licèt de vigilia Natiuitatis D. Mariæ dubitet D. Anton. *2. part. tit. 6. cap. 2. §. 1.* vnde licèt communiter omnis populus ieiunet vigilias omnes B. Mariæ, at id tantùm fit ex deuotione: & ita intelligunt viri docti nunquam tales consuetudines, quantumuis longas, obligare ad peccatum; sicut nec consuetudo recitandi quotidie salutationē Angelicam in principio noctis obligat, quia fit ex deuotione. Vnde nulla est obligatio prædictas vigilias B. Mariæ ieiunandi, nisi viri docti communiter, & absque vllo dubio censerent esse consuetudinem obligantem. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XIX.

*An iure interdicatur in tota Quadragesima, etiam in Dominicis eius, edere oua, & lacticinia*

1 COmmunis sententia est, iure interdici hæc edere in ieiuniis Quadragesimæ, vt patet ex *cap. denique, 4. dist.* quod est D. Gregorij Papæ: & refert etiam illud ex D. Gregorio Iuo *in panormia iuris, lib. 4. cap. 29.* licèt Couar. *4. var. cap. 20. num. 15.* dicat se non ieiunare, apud D. Gregorium. Probatur etiam ex septima Synodo Constantinopolitana, quæ est generalis, *can. 56.* vbi expressè hoc habetur. Sed hi canones iuxta veriorē opinionem non sunt ex illo Concilio; vt latè probant Canon *lib. 5. de locis, cap. vlt. ad 5.* & P. Turrianus *lib. de canonibus sextæ Synodi*, vbi plurimos ad hoc allegant. Hoc tamen, teste Couar. *ibi*, fatentur omnes.

2 De Dominicis verò Quadragesimæ quidam (vt refert Corduba *vbi infrà*) dicunt posse in illis edi lacticinia absque bulla.

3 Cæterùm dicendum est nullo modo posse, sed iure etiam in illis interdici esum horum. Probatur, quia *cap. denique*, hæc prohibentur in Quadragesima: at dies Dominici illius sunt dies Quadragesimæ, vt constat ex *cap. Quadragesima, de consecr. dist. quinta*, vbi diebus omnibus Quadragesimæ dicitur ieiunandum præter dies Dominicos, ergo dies Dominici sunt Dies Quadragesimæ, aliàs esset inepta exceptio. Item quia *in dicto canone 57. sextæ Synodi*, reprobatur vsus comedendi lacticinia in Dominicis Quadragesimæ: & quando hæc nihil præstarent, sat esset generalis consuetudo totius Ecclesiæ, vt bene ait Corduba. Sic tenent Angles *floribus, 1. p. mat. de ieiunio q. 9. dub. 7. f. 428.* Cordub. *summa, q. 168.* Couar. *d. cap. 20. n. 11. initio*, Caiet. *2. 2. q. 147. art. 6. §. & primi, & art. 6. 8. fin.* Metina *C. de ieiunio, q. 1.* Ledesm. *2. 4. q. 27. art. 1. §. dico, quod, fol. 195.* Palacios *4. dist. 15. disp. 8. fol. 124. versus ista exploratis*, & nonnulli docti iuniores dicentes hoc esse certum, nec oppositum esse probabile. Enriquez *lib. 7. de indulg. cap. 13. num. 10.* Candelabrum *in appendice, cap. 15. num. 16.*

4 Nota tamen quòd ratione paupertatis poterunt agricolæ, & alij pauperes edere lacticinia diebus, prohibitis si non possunt commodè habere aliud, quod comedant, & oua, vel lacticinia habeant domi, vel possunt hæc facilè inuenire, non autem pisces. Sic Enriquez, & alij docti iuniores. Et licèt securius sit hoc facere cum dispensatione; at vbi necessitas est clara, non est necessaria. Sic iidem. Eadem causa, & necessitate existente possunt præbere oua; & lacticinia suis domesticis diebus vetitis, & suis operariis, messoribus, & putatoribus, & illi possunt licitè ea comedere, licèt careant bulla, eadem ratione. Sic latè re agitata resolutum fuit à multis vitis doctis ex Societate.

5 Secundò nota hinc excusari pauperes ostiatim mendicantes; qui non habent aliàs vnde sustententur, nisi ex fragmentis ouorum, & lacticiniorum, quæ hic, vel ibi illis dantur, possunt enim licitè ea comedere, licèt careant bulla. Patet eadem ratione. Sic Manuel *1. tomo summæ, c. 23. fine*, Enriquez *suprà n. 9.* & multi viri docti.

6 Tertiò nota idem dicendum esse de iter agentibus, licet diuites sint, possunt enim sine bulla lacticinia edere, quando non inueniunt in itinere pisces, quos emant. Vnde omnes hi admonendi sunt à Confessore, nec peccent ex conscientia erronea. Patet eadem ratione.

7 Tandem nota multo maiorem necessitatem requiri, vt fas sit in diebus prohibitis vesci carnibus. Vndè si nullus alius cibus esset, nisi panis, non liceret carnibus vesci, nisi per plures dies duraret inedia, vt in longa nauigatione, & in atroci bello, vbi deest victus. Sic Angles *vbi suprà. difficult. 4. fol. 426.* & nonnulli docti iuniores dicunt se nullo modo audere excusare agricolas, qui causa paupertatis in locis, vbi non est oleum, præparant herbas lardo, id est, *con manteca de puerco*; in diebus, in quibus esus carnium, & lardi est prohibitus.



## DVBIVM XX.

*An in reliquis ieiuniis extra Quadragesimam iure interdicatur esus lacticiniorum.*

1 COuarr. *4. var. cap. 20. num. 15.* censet etiam in his ieiuniis esse iure interdictum esum lacticinorum. Probat, quia licèt *cap. denique, 4 dist. & canon. 56. sextæ Synodi Constantinopolitanæ*, tantùm hæc prohibeant in Quadragesima; at ratio prohibitionis, quæ *ibi* signatur, est, vt in his diebus quibus ieiunamus, abstineamus à lacticiniis, æquè procedit in omnibus ieiuniis: & sic idem videntur disponere in omnibus ieiuniis. Idem Anton. Gomez bulla, *clausula 7. n. 3.*

2 At tenendum est hoc non esse interdictum in reliquis ieiuniis extra Quadragesimam iure communi: & in illis fas esse ea edere: nisi alicubi consuetudo habens vim præcepti oppositum habeat: vt dixi *lib. 4. summæ, cap. 11. num. 52.* Probatur, quia illi textus tantùm loquuntur de Quadragesima, & cùm sint de re pœnali, non sunt extendendi, maximè cùm multo maior sit ratio huius abstinentiæ in Quadragesima; quia est tempus maioris pœnitentiæ, & in quo celebratur passio Christi. Sic D. Thom. *2. 2. q. 147. art. 8. fine, & 4. dist. 15. q. 5. art. 4. quæstiunc. 2. ad 4.* Durand. *dist. 15. q. 9. n. 1.* Viguer. *instit. c. 7. §. 3. vers. primo*, Corduba *summa, q. 168.* Metina *C. de ieiunio, q. 1.* Caiet. *summa, verb. ieiunium*, Armil. *ibi num. 1.* Rosella *n. 11.* Syluest. *quæst. 5. dict. 1.* Angel. *num. 5.* Tabien. *q. 6. 7.* Turrecrem. *cap. non oportet, de consecr. dist. 3.* Gabr. *4. dist. 16. q. 3. art. 3.* Nauar. *cap. 21.* Hisp. *num. 13.* Latinè in vtraque *num. 15.* Abul. *cap. 6.* Matthæi, *q. 171.* Richard. *4. dist. 15. art. 3. q. 5. fine*, Palud. *dist. 15. q. 4. num. 33.* D. Anton. *2. p. tit. 6. c. 2. §. 3.* Palac. *4. dist. 15. disp. 8. pag. 126.* Enriquez *lib. 7. de indulg. c. 13. n. 9.* Manuel *1. tomo, summæ, c. 23. fine.*

3 Hinc infertur, quòd in nouo orbe, & in terris nouè repertis possunt semper extra Quadragesimam edi lacticinia; quia ibi nulla est consuetudo inducta. Sic Nauar. *ibi*, & alij viri docti.

## DVBIVM XXI.

*An saltem ex consuetudine sit præceptum in Hispania abstinendi à lacticiniis in diebus ieiunij, & sextis feriis extra Quadragesimam.*

1 QVidam asserunt esse hanc consuetudinem in Hispania. Sic Angles *floribus, 1. part. mater. de ieiunio, quæst. 9. difficultate 2. fol 424.* & in diebus ieiunij esse hanc consuetudinem in Hispania, fatentur Nauarr. summa Lar. *cap. 21. npm. 15.* & Metina *lib. 1. summæ, cap. 14. §. 10. fol. 98.* & de ieiuniis, & sextis feriis esse consuetudinem, testantur Alcozer *summa, c. 24.* præter sextas ferias inter Pascha, & Pentecosten, Enriquez *in Bulla*, qui dicit cum Alcozer esse peccatum mortale ea comedere in illis absque Bulla; & Synodus Granatensis coacta sub D. Petro Guerrero Archiepiscopo Granatæ *anno 1572. lib. 3. tit. 22. de obseruat. ieiun. num. 6.* dicit in illo Archiepiscopatu esse consuetudinem abstinendi à lacticiniis etiam in sextis feriis, & eam obligare sub peccato mortali. Candelabrum autem *in appendice, cap. 15. num. 16.*

2 Sed his non obstantibus credo probabilius esse non obligare hanc consuetudinem. Probatur, quia, vt consuetudo habeat vim legis, debet esse inducta à maiori parte populi; sed hæc non est huiusmodi, quia maior pars populi communiter habet Bullas, quibus id licuit: & qui Bulla carent, sunt pauci, & pauperiores: & sic non potuit maior pars populi inducere hanc consuetudinem. Item consuetudo hæc debet esse inducta ea intentione, vt sit præceptiua: & adhuc tunc non semper obligat ad mortale; sed quando inducta est ea intentione, vt obliget ad mortale: sed hæc consuetudo non est inducta animo se obligandi, sed ex ignorantia, qua ignorantes credebant hoc sibi prohibitum; ergo. Secundò, quia melior est conditio possidentis: cùm ergo res hæc sit valde dubia, an sit talis consuetudo obligans, & quidam affirment, quidam verò negent, & semper etiam viri docti in hoc sint dubij, & trepident, melior est conditio possidentium libertatem, scilicet non esse talem obligationem. Sic sentiunt multi viri docti, & in hanc magis inclinat Henquez *lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 9.* & Manuel *1. tomo summæ, cap. 29. fine*; & dicunt multos viros doctos hoc sentire, & referunt Episcopos, qui hoc in suis diœcesibus declararunt: & iam hoc declarauit Concilium Prouinciale Toletanum *anno 1583.* & in Synodo Granatensi facta *anno 1568.* post magnam diligentiam ad id examinandum adhibitam repertum fuit non esse talem consuetudinem in Archiepiscopatu Granatensi: atque ita tanquam certum potest iam hoc haberi in Hispania. Et pro nostra Societate id declarauit Pater noster Generalis Euerardus *anno 1579.* habita consultatione Patrum Hispanorum affirmantium in Hispania non esse talem consuetudinem: atque ita absque dispensatione id licere, quamuis in Societate posset alia via hoc licere, quia licèt in Hispania esset talis consuetudo, tamen cùm illa non sit generalis in tota Ecclesia, Religiosi non tenentur ser-

Universidad de Deusto
Biblioteca



uare consuetudines particulares sæcularium etiam Clericorum, nec Clerici aliorum sæcularium particulares consuetudines: sicut nec sæcularis laici consuetudines particulares Clericorum, nec Clerici Religiosorum; quia cùm sint diuersi status, sunt diuersæ consuetudines, & abstinentiæ in illis, vt optimè tenent Sylvest. *verbo ieiunium, q.2.* ex mente Archid. Angles *floribus, 1. part. mat. de ieiunio, 7.4. dub.3. fol.*387. Ledesm. *2.4.q.17. art.3. fol.*204. Martina *C. de ieiunio, q. quando est necesse ieiun.* & docti iuniores. Vnde doctrina tradita, quòd extra Quadragesimam possint edi oua, & lacticinia in vigiliis in quatuor temporibus, est certior in Religiosis, ob rationem dictam, quia esto esset de hoc consuetudo, non est generalis totius Ecclesiæ, sed particularis, quæ (vt dixi) non obligat Religiosos. Et quòd possint edi in tota Hispania sextis feriis, & in omnibus ieiuniis extra Quadragesimam, & sic habere vsum tenet Baltanas *in Apologia de esu lacticiniorum fol.*8.

## DVBIVM XXII.

*In quo consistat ieiunium Ecclesiasticum, & an vnica comestio sit de eius essentia: & an si excedat metas temperantiæ, soluat ieiunium: & an si ex inaduertentia aliquid sumatur, soluatur ieiunium: & an peccet quis toties, quoties comedit in die ieiunij, vel tantùm in secunda comestione.*

1 CIrca ea, quæ continentur sub hoc titulo, vide quæ diximus *lib 4. summæ, cap.*11. & *ibidem* dictis addenda sunt, quæ sequuntur.

2 Primò addendum est, quòd non tantùm licèt sumere in die ieiunij medicinam purè curatiuam, vt pharmacum, &c. sed etiam conseruatiuam, vt electuaria aliqua confecta ex saccharo bellaria, aut viginti quatuor vuas passas. Et similiter esset licitum sumere vespere post prandium per modum medicinæ existenti simili causa aliquid ex saccharo conditum in parua quantitate. Sic docti iuniores.

3 Secundò addendum est, non soluere ieiunium aliquid sumere, vt confecta ex saccharo bellaria, ne potus noceat, dummodo sit in parua quantitate, & fiat bona fide ex causa vera, vel existimata, quod nocebit potus. Sic Sylvest *verb. ieiunium, q.3.* & multi viri docti.

4 Notat tamen Caiet. *2.2.q.147. art.6. fine,* quòd cùm crudum super indigestum noceat potiùs, & generet morbum, non licet causa medicinæ sumere aliquid cibo adhuc indigesto, ne potus noceat, benè tamen post digestionem cibi. Sed dicendum est, quòd cum potus sit licitus, qui ad bibendum, aut quia inuitatur, aut quia sitim habet, bona fide sumit aliquid, ne sibi noceat talis potus, non peccabit, siue prandium sit digestum, siue non.

5 Tertiò est addendum, quòd hoc quòd dicimus licere in die ieiunij sumere per modum medicinæ, vel ne potus noceat, non refert, siue sit electuarium, siue parum de fructibus, vt vuæ passæ, vel parum panis. Sic Palacios *4. dist. 15. disp. 8. fol.*127. vbi dicit parum panis tosti. Sylvest. *verbo ieiunium, q.3.*

6 Quartò addendum est minus benè dixisse Metinam *lib. 1. summæ. cap.*14 §. 10. *fol.* 97. & Vega *lib. 1. summæ, casu* 250 vbi dicunt, quòd si ille, qui iam semel sumpsit consueram collationem, sumit aliquid aliud, si id faciat ex appetitu gulæ, est solum peccatum veniale, & non violat ieiunium: sed si rogatu amici id faciat ad bibendum, non peccat: & sic illum reprobat Angles *1. p. mat. de ieiunio fol.*437. sed si intelligat Metina, quando accipit tam paruam quantitatem, quòd ratione paruitatis excusatur à mortali, benè dicit.

7 Quintò addendum est non peccare sumentes aliquid manè in die ieiunij per modum medicinæ, vel quia si sint ieiuni, os malè olet: vel quia est cantor, & nisi aliquid sumat, non habet vocem accommodatam: vel quia lecturus, vel ministraturus est mensæ, vel differetur prandium, vel non erit ita aptus ad faciendum benè hoc ministerium. Sic docti iuniores.

8 Vnde potest Confessor colligere optimum remedium pro iis, quibus ieiunium fit difficilimum, & allegant aliquam debilitatem stomachi, vel capitis, debet enim Confessor dicere illis, quòd per modum medicinæ, & ad subleuandam debilitatem, & ne sint inhabiles ad debita opera peragenda, poterunt sumere parum electuarij, vel fructus, vel panis, & bibere aquam, vel vinum, quoties voluerint, & si sic possunt ieiunare, tenentur ad id: nec per hoc impeditur, quin nocte possint sumere collationem consuetam. Sic docti iuniores.

9 Sextò addendum est, quòd pincernæ Principum, & dominorum non peccant, nec soluunt ieiunium, sed tenentur in cæteris ieiunare per hoc quod faciunt credentiam, id est *la salua*, in cibis, quos ministrant dominis, etiam si domini manè comedant, & cibos prohibitos, scilicet carnes. Ratio, quia hoc non fit causa manducandi, sed ex necessitate seruitij, & pro securitate dominorum. Sic Sylvest. *verb. ieiunium, q.3. particula* 1. Caiet. *2.2. q.147. art.3. circa finem.* Nauar. *cap.*21. Hispan. *n.*12. Latin. 13. Fr. Metina *d.* §. 10. *fol.* 97. Palac. *4. dist.15. disp.8. fol.*119. & docti iuniores.

10 Septimò addendum est eos, qui inseruiunt infirmis posse aliquid comedere in die ieiunij etiam ex carnibus, quando vident id esse commodum ad excitandum appetitum infirmorum, quia patiuntur fastidium: & probatur ex casu præcedenti de pincernis; grauior enim, & vrgentior est hæc causa. Item quia hoc postulat charitas, & Ecclesia non intendit impedire opera charitatis. Sic Nauar. *suprà*, & prædicti iuniores.

## DVBIVM XXIII.

*An potus soluat ieiunium.*

1 NOta certum esse, quædam esse liquida, quæ licèt traiiciantur per modum potus, habent tamen propriam, & per se rationem cibi; quare soluunt ieiunium, vt lac ius. Ita Palud. *4. dist. 15. q.4. num.* 34. Abulensis *cap 6. Matthæi, q.*173. Angles *floribus, 1. p. mat. de ieiunio, fol.*434. Palacios *vbi infrà, fol.*137. Henriquez *in suis scriptis*, & alij docti iuniores, qui dicunt idem dicendum esse de aqua saccharo mixta.

2 Secundò nota ferè inter omnes conuenire, potum vini, quando non sumitur in fraudem ieiunij, illud non soluere. Ratio, quia Ecclesia solam cibi sumptionem prohibet. Ita omnes Doctores citandi contra Alensem. *4. p. q.* 104. *memb.1. art.* 3. dicentem potum vini manè frangere ieiunium, non verò vesperè.

At dubium est, an si vinum sumatur in ieiunij fraudem, id est ad sedandam stomachi inediam, & famem, soluat ieiunium. Duplex est sententia.

3 Prima dicit illud soluere. Ratio, quia tunc vinum non sumitur vt potus; sed vt cibus. Item quia contra legem facere videtur, qui in fraudem legis aliquid facit. Ita D. Thom. *4. dist. 15. q.3. art.4. quæstiunc.1. ad* 1. Richardus *ibi art.3. q.7. ad* 2. Rosella *verb. ieiunium, num.* 5. Tabien. *q* 2. Angel. *num.*4. Sylvest. *q.3. dicto* 1. D. Anton. *2. p. tit.6. cap.* 2. §. 9. Metina *C. de ieiunio, q. per quæ ieiunium soluitur*, Gabr. *4. dist.19. q.3. art.* 3. & refert Innocentium, Lesdesm. *2.4.q.17. art.6. fol.*216. *pag.*1. Palacios *4. dist.15. disp. 8. fol.*127. §. *itidem bibere*, & *fol.*137. Abulen. *cap.6. Matthæi. q.*264. Honcala *opusc. de ieiun.* Henriquez *vbi suprà.*

4 Secunda sententia verior tenet non soluere ieiunium. Ratio, quia (vt docet D. Th. *4. dist.15. q.3. art.4. quæstiunc. 1. ad* 3.) statutum positiuæ legis non attendit intentionem obseruantis, sed ipsum actum; quia modus virtutis non cadit sub præcepto, sed est præcepti finis: sed hic actus, scilicet vinum bibere, non est contra præceptum ieiunij absolutè, & ex natura sua: ergo intentio bibentis non facit esse contra præceptum. Ita tenet Nauar. *cap.* 21. Lat. *num.*13. Hispan. *num.*12. Pedraza *summa, 3. præcepto*, Toletus *in summa*, Angles *suprà*, Palacios *verbo ieiunium.* Fauent alij, qui absolutè docent potum vini non soluere ieiunium: hi sunt D. Thomas *2.2 q.*147. *art.9. ad 2.* & *ibi* Caiet. Paludan. *vbi suprà*, Durandus *4 dist.*15 *q.9.* Metina *lib.1. instruct. cap.*14. §. 10. Turrecrem. *cap. non oportet, de consecr. dist.3. num.2.*



## DVBIVM XXIV.

*An interruptio comestionis faciat, vt sit secunda comestio, & sic soluat ieiunium.*

1 SIt prima conclusio. Qui surgunt à prandio ad aliquid occurrens, reuersuri statim ad terminandum prandium, non peccant, nec soluunt ieiunium. Ratio, quia illa tantùm est vnica comestio ex intentione interrumpentis, & per accidens accidit diuisio illa: sicut etiam accidit in interruptione horæ canonicæ, iuxta omnes. Sic Sylu. *verbo ieiunium. quæst.* 3. Caietan. *in summa, verb. ieiunium, cap.* 1. Nauar. *summa, cap.* 21. Hispan. *num.* 12. Lat. *num.*15. Palacios *4. dist.15. disp.8. fol.*119. Angles *floribus, 1. p. mat. de ieiunio, fol.* 433. & notant aliqui docti iuniores non habendum esse scrupulum, si aliquam materiam interruptionem fecit, quia hæc moralia sunt: & etiamsi per dimidiam horam, vel per vnam interruperit, quia descendit ad officinam ad tradendas merces, quas emptor tunc petebat, potest adhuc prosequi prandium. Idem tenet Angles *dicto fol.* 433. vbi dicit non frangere ieiunium: quando ex causa iusta interrumpit, licèt notabile tempus intercedat. Idem, videtur tenere expressè Caietan. cuius verba referam corollario statim inferendo, & Palacios *supra*, vbi vniuersaliter dicit, quòd si non sufficienter se refecit, & ex occupatione necessaria surrexit à mensa, potest cessante occupatione perficere.

2 Hinc infertur, quòd seruitores, & lectores ad mensam possunt assumere aliquid ante talem lectionem, vel seruitium, non tantùm per modum medicinæ, vt possint debitè exequi officium, sed etiam per modum cibi, & sustentationis, & ad subleuandam famem, licèt nullam habeant necessitatem, quia possunt tunc velle incipere comestionem, & finito seruitio, vel lectione, perficere, vt patet *ex dictis*. Sic videtur expressè tenere Caietanus *verb. ieiunium, cap.* 1. vbi excusat prædictos propter vnitatem prandij, quod statim debet continuare: & subdit quòd illi, qui assumunt aliquid manè propter longam occupationem retardaturam prandium, non excusantur ex hoc capite, quia hora non videtur admittere, quòd spectet ad vnitatem prandij, quod manè sumitur, cùm tantùm distet à prandio; sed possunt, inquit, excusari ex debilitate: vt patet manifestè, quòd Caietanus excusat prædictos lectores ob vnitatem prandij; & idem expressè videtur sentire Sylvest. *verb. ieiunium, q.*3. vbi excusat prædictos, qui tota est, inquit, vna comestio, & vna mensa, propter continuum exercitium circa prandium, & citat pro hoc Rodolph.

3 Secundò infertur, quòd famuli, qui inseruiunt mensis dominorum, non frangunt ieiunium comedendo gulosè ex iis, quæ de mensa tollunt, si statim post dominos suos sint comesturi, quia totum reputatur vnica comestio, & possunt illo modo incipere comestionem. Sic aliqui docti iuniores, & constat ex dictis *corollario præcedenti.*

4 Secunda conclusio: Qui surgit à mensa cum voluntate non comedendi iam amplius, si postea redit ad eam, & comedit, frangit ieiunium, quia iam illa est alia comestio. Sic Angles *suprà*, Pedraza *3. præcepto*, Nauar. *summa, cap.* 21. Hisp. *num.*22. Lat. *num.* 15.

5 Nota hoc intelligi, nisi statim, ac surrexit, adduceretur aliquid comedendum, quia tunc posset illud comedere: sicut posset, si antequam surgeret à mensa finito iam prandio, & plicato linteolo, cum proposito non edendi amplius, manducare aliquid, quod de nouo adduceretur. Ratio, quia moraliter censetur eadem comestio, & hæc sunt moralia. Sic quidam docti iuniores.

## DVBIVM XXV.

*An sit licita in diebus ieiuniij collatio serotina, & qualiter sit licita.*

1 ALiqui sentiunt non esse licitam, quando fit ad sustentationem naturæ, sed tantùm quando fit, ne potus noceat, vel ad dormiendum, &c. Sic D. Anton. *2.p.tit.6.cap.2.§.9.* Caiet. *2.2.q.147. art. 6. & in summa, verbo ieiunium, cap.*1.

2 At dico primò, quòd licèt antiquitus non erat vsus faciendi collationem, quia prandium erat hora tertia pomeridiana; & ita tale prandium vocabatur cœna, quia nulla illud cibatio sequebatur: at modò iam vsus obtinuit, vt talis collatio sit licita, licèt fiat ad sedandam famem, & ad sustentandum se, & licèt nullo modo sit necessaria, quia iam consuetudo sic obtinuit. Sic tenet Panorm. quem refert, ac sequitur Sylvest. *verb. ieiunium, q.3. particula* 3. Nauar. *cap.*21. Hisp. *num.*12. Lat. *num.* 14. Conar. *lib.4. var. cap.* 20. *num.* 11. Angles *floribus, 1. p. mat. de ieiunio, fol.*435. Palacios *in summa, verb. ieiunium*, Margarita confess. vbi de gula, *fol.*111. Metina *lib.5. summæ, cap.*14. §. 10 *fol.* 96. & docti iuniores.

3 Secundò dico, quòd hæc collatio debet fieri in moderata quantitate, iuxta vsum proborum, & timoratorum: si enim sit notabilis quantitas, soluetur ieiunium; & licèt D. Anton. *suprà*, dicat non posse sumi panem, atque eius buccellam soluere ieiunium: at melius Sylvest. *suprà* dicit posse sumi: vnde moderata quantitas erit quadrans panis cum paucis vuis passis, vel herbis, &c. in simili quantitate: & sic habetur vsus apud viros timoratos, & religiosos.

4 Primò nota, quòd illa, quæ sumuntur ad collationem simul cum pane, non debent esse cibi, qui ordinantur communiter ad perfectam sustentationem, vt oua, pisces: nam in his licèt similis quantitas non violaret ieiunium, violaret tamen ratione qualitatis; quia multò minor quantitas ex his cibis censetur maius alimentum. Sic Angles *suprà dicto fol.*435. & docti iuniores. Vnde non potest fieri cum caseo, lacte, cremore amygdalino, & tritticio, id est, *almendrada, y almidon*; licèt non sint damnandi, qui his rebus facit collationem, quia nihil aliud habent, aut ad dormiendum, &c.

5 Secundò nota, quòd licèt esset aliquantulo maior iusto collatio, non statim est peccatum mortale, nisi sit notabilis excessus. Sic nonnulli docti iuniores.

## DVBIVM XXVI.

*An in vigilia Natiuitatis Dominicæ licitum sit facere maiorem collationem, quam in aliis diebus.*

1 CErtum est fas esse duplo, & triplo maiorem, excepto in pane, collationem facere, quàm in aliis diebus: sic enim habet vsus timoratorum, etiam Religiosorum. Sic docti iuniores.

2 Nota primò, quòd hæc quantitas collationis debet esse ex fructibus, herbis, vel electuariis cum modico pane, iuxta dicta *dub. præcedenti.*

3 Secundò nota idem esse dicendum, licèt Natiuitas accidat feria secunda, & sic vigilia sit in Sabbatho: imò licèt in illo Sabbatho occurrat simul ieiunium quatuor temporum, quia adhuc est vigilia Natiuitatis, & id quod dignius est, trahit ad se minus dignum. Sic multi viri docti re latè disputata. An verò hæc liceant, quando ieiunium illius vigiliæ est ex voto, dixi *lib. 4. summæ, capite* 11. *num.*65.

4 At dubitatur, an ex prædictis fructibus sit licitum sumere

Universidad de Deusto
Biblioteca



sumere quantãcunque collationem in prædicta vigilia.
Duplex est sententia.

5 Prima negat, quia vsus timoratorum id non habet, sed corruptela. Sic Angles *floribus*, 1.*p.mat.de ieiunio,fol.* 436.Nauar.*cap.*22.Lat. *num*-14.Hisp. *num.*22.Manuel.1. *tomo summæ,cap.*23. *num.*8.

6 Secunda sententia probabilior docet, quòd potest quis in tali vigilia absque fractione ieiunij facere collationem ex fructibus, & electuariis quantamcunque voluerit, quia sic obtinuit consuetudo recepta,videntibus, & consentientibus Prælatis,acidẽ facientibus.Sic Metina *lib.*1.*summæ,cap.*14.§.10.*fol.*96.& docti iuniores. Quòd si ex causa iusta aliquis in hac vigilia veller collationem in meridie sumere, & prandium differre vsque ad noctem, vt posse fieri dicemus, huic non liceret sumere in meridie maiorem qnantitatem, quàm ea, quæ sumi solet in aliis diebus ieiunij; quia vsus id non obtinuit, nisi in collatione illius noctis in qua iam incœpit festum, non autem quando collatio fit in meridie.

7 Denique nota non licere illa nocte Natiuitatis facere pluries collationem, quia hoc non habet vsus.

## DVBIVM XXVII.

*An liceat collationem serotinam manè facere, & differre prandium in noctem.*

1 DVplex est sententia.
Prima dicit non licere eam facere summo manè, nisi fortè ex causa itineris, vel aliarum iustarum occupationum, quia plurimum labori ieiunij detraheretur, at licebit eam facere hora consueta prandij scilicet vndecima, etiam sine aliqua causa, & differre prandium in noctem, quia hic modus est melior, & congruentior mortificationi ieiunij. Sic Angles *floribus*, 1.*p. mat.de ieiunio,fol.*437. Ludouic. Lopez 2.*p.instruct.noui,cap.*112. *fol.*710.dicit quòd non esset mortale, & Toletus *in sua summa*, dicit quòd ipse non condemnaret. Et verè est probabilis hæc sententia.

2 Secunda tamen sententia probabilior docet id non licere, nisi ex iusta causa fiat, scilicet ratione debilitatis complexionis, vel aliqua necessitate agendi. Ratio, quia collatio hæc licita est ex consuetudine: at consuedo tantum habet, vt nocte sumatur. Probatur autem secunda pars, quia hora refectionis non est de essentia ieiunij.Sic Nauar.*cap.*21.Hisp,*num.*12. Caiet. 2.2.*q.*147.*art.*6.*§. tertij verò,& in summa,verbo ieiunium,in fine*, Ludou.Lopez *suprà*,immò Caiet. dicit existente causa iusta petendam esse dispensationem. At verius est cum reliquis Doctoribus non requiri talem dispensationem.

3 Nota,quòd Societas Iesu habet priuilegium ( vt patet in compendio,*verb.ieiunium*,§.1.)vt possint nostri iter facturi manè sumere collationem.

4 Tandem nota, quòd qui non potest aliter ieiunare, nisi sumendo manè collationem serotinam, tenetur hoc modo ieiunare, quia mortalia præcepta mortaliter sunt interpretanda in exequutione, vt mos bonus intentus in exequutione,quantum fieri potest, seruetur. Sic Caiet. *verb.ieiunium, cap.*3. *circa finem, & 2.2. quæst.*147.*art.*6. *dub.*4.& docti recentiores.

## DVBIVM XXVIII.

*Qua hora sit comedendum in die ieiunij, & an licitum sit anticipare horam.*

1 NOta iure communi horam die ieiunij ad manducandum fuisse tertiam post meridiem, *cap. solet, de consecrat.dist.*4. At communi consuetudine hora taxata est vndecima cum dimidiara; immò iam est hora vndecima,vt notat Metina *lib.*1.*instruct.cap.*14.§.10.Angles *floribus*, *prima parte mat. de ieiunio*, *folio* 440. & 441. & alij viri docti.

2 Sit prima conclusio. Hora præscripta ad manducandum non est de essentia ieiunij, sed est circunstantia cadens sub ieiunij præcepto. Ratio, quia ex iusta potest anteuerti, & tamen manebit tunc ieiunium. Ita Palacios 4.*dist.*15.*disp.*8.*fol.*130. Metina *vbi suprà*, Caiet. 2.2.*q.* 147.*art.*7.§. *ad hæc breuiter*, & colligitur ex Nauar. *cap.* 21.Hisp.*num* 21.Lat.22. vbi dicit dispensatum quoad horam non ex hoc immunem esse à ieiunio. Idem D. Henriquez *in suis scriptis*.

3 Hinc fit, si quis in die ieiunij anteuerteret horam, licèt peccaret, at adhuc tenetur ieiunare, qui potest essentiam ieiunij seruare. Ita Doctor Henriquez *vbi suprà*.

4 Secunda conclusio. Qui absque iusta causa notabiliter horam ieiunij anticiparet, peccat mortaliter,quia solet ieiunium, de quo vide, quæ dixi lib. 4. *summæ*, *cap.* 11.*num.*61.Ita Abul. *cap.*6.*Matthæi,q.*172.173.Ledesm. 2.4.*q.*17.*art.*4.*fine*, Sylvest. *verb. ieiunium*, *q.* 4. *dicto* 3, Turrecrem.*cap.solent*, *de consecr.dist.*1.*num.*2.Palacios *vbi suprà,& verb.ieiunium*,D.Anton.2.*p.tit.*6.*cap.*2.§.*vltimo*, Nauarr. *cap.*21.Lat. & Hisp. *num.*27.Angles *suprà*, Tabien.*verb.ieiunium,q.*5.Capua *lib.*2.*decis.cap.*36.*num.*31. Honcala *opusc. de ieiunio*, Palud. 4.*dist.*15.*q.*4.*num.*31. Richardus 4.*dist.* 15.*art.* 3.*q.*6.Couar.4.*var.cap.*20. *num.* 14.glossa *cap.vnum*,§.*alias*, *dict.* 25. Margarita Confess. vbi de gula *f.* 111.D.Thom.4.*dist.*15.*q.*3.*art.*4. *quæstiun.* 3.Caiet.2.2. *q.*147. *art.*7. licèt contrarium teneat Angel. *verb.ieiunium. n.*2. Toletus *lib.* 6.*summæ*, *cap.* 2. *num.* 8. Ludouicus Lopez 2. *p. instruct. cap.*112.*fol.*712.Gabr. 4. *dist.*16.*q.*3.*art.*3. & videntur tenere Metina *lib.*1.*summæ*, *cap.*14.§.10.*f.*97.& Manuel 1.*tomo*,*summæ*,*c.* 23.*num.* 3. aiunt enim aliquos dicere non esse mortale, nec reprobant:& Abul.*dict. q.*172. videtur censere esse probabile: & videtur tenere Innoc. *rubr. de obseruat.ieiunij*, *num.*4. dicit enim non frangere ieiunium.

5 Tertia conclusio. Excausa iusta potest absque culpa notabiliter hora ieiunij anticipari,vt propter alias pias occupationes, vel iter,vel stomachi debilitatem.Ita Abulen. Palacios,Caiet.Gabr.Honcala, Margar.Nauar.*vbi suprà*, Innoc.*rubr.de obseruat.ieiunij*, Viguer. *lib.instit.cap.*7 §. 3.*vers.primo*,Angles, & alij.

6 Primò nota, quòd in die ieiunij licitum est differre prandium vltra horam vndecimam quantum quisque voluerit, modò id non fiat causa superstitionis: immò quanto tardiori hora comeditur, meliùs ieiunatur, quia difficilius redditur ieiunium, & Ecclesia non præcipit manducari hora vndecima, sed ne ante illam comedatur Sic Caiet. *verb.ieiunium*, *cap.* 21.Nauar.*cap.*21. *num.*27. Sylvest.*verb. ieiunium*, *q.* 4. Palacios 4.*dist.* 15. *disp.* 8. Ludouic.Lopez 2.*p.instruct. noui*, *cap.* 112.*de ieiunio*, *fol.* 731.& omnes,

7 Secundò anticipare horam debitam ieiunij parum, vt si quis comedat per dimidiam horam ante vndecimam in die ieiunij etiam absque causa, non est mortale, sed veniale, quia parum pro nihilo reputatur. Sic docti iuniores.

8 Tertiò, qui in die ieiunij culpabiliter præueniret notabiliter horam ieiunij, comedendo, v.g. hora octaua sine causa, licèt id faceret animo soluendi ieiunium,adhuc tenetur illo die ieiunare,si talis comestio fuit de se sufficiens ad plenè se reficiendum; vel fuit in ea quantitate, vt potuerit sumi loco serotinæ collationis, tenetur ieiunare, reputando eam pro serotina collatione, & postea prandendo; vt in simili dixi *de voto ieiunij lib.*4.*summæ.c.* 11.*n.*42. Ratio, quia ieiunium quoad substantiam, & essentiam, adhuc potest seruari, quia præuenire horam, vt *suprà* dixi, non est contra essentiam ieiunij, sed est peccatum mortale contra præceptum annexum ieiunio; vt si quis in Quadragesimali ieiunio, non habens bullam, ederet oua, peccaret mortaliter, at teneretur adhuc ieiunare. Et confirmatur, quia si hora solita ederet animo non



non ieiunandi, adhuc teneretur ieiunare, quia adhuc potest seruare substantiam ieiunij. Vnde quod dicunt Doctores, quòd qui semel fregit ieiunium, vel malè aliquid sumpsit per inaduertentiam mortaliter culpabilem, non peccat deinceps comedendo, intelligitur, quando sumpsit talem refectionem, quæ non esset sufficiens ad integrum prandium, nec ad serotinam collationem propter excessum, vel quia licèt esset sufficiens ad prandium, quia tamen illam sumpsit summo manè, non poterit cum sola illa abstinere, vsque ad sequentem diem, in his enim casibus non tenetur ampliùs ieiunare, nec peccat in secunda comestione, non quia fregerit ieiunium quoad substantiam suam, sed quia necesse habet iterum comedere; & sic non potest iam ampliùs ieiunare. Sic Ludou. Lopez *dicto cap.*112. *fol.*711. & docti iuniores.

## DVBIVM XXIX.

*An dispensatus vt edat carnes, sit excusatus à ieiunio.*

1 ABstinentiam carnium tenent communiter Doctores esse de essentia ieiunij; quare qui carnes ederet, ieiunium solueret, vt communis vsus,& intellectus populi Christiani attestatur.
Verùm circa dubium propositũ duplex est sententia.

2 Prima tenet edentem carnes ex dispensatione, teneri ad ieiunium. Ratio,quia non potens in omnibus seruare ieiunium, tenetur in eo, quod potest. Ita Pedraza *in summa*, 3.*præcepto*, §. 14 Ledesma 2.4.*q.* 17. *art.*3. *fol.* 203.*vers. secunda propositio*, Metina *C.de ieiunio.q.de his, qui ad ieiunia tenentur*, §.*de infirmis*,Corduba *summa*,*q.* 143.& 167. Saltim quando dispensatio, vt edat carnes, non est ob præsentem necessitatem, & idem quod Corduba tenet Angles *floribus*, 1.*p.mat.de ieiunio*, *fol.*430.& Anton. Gomez *in bulla clausula* 7. *n.*5.Manuel. *in bulla*, §.6.*n.*4.*tom.*1.*summæ*, *cap.*24.*n.*9. Vega *tom.*1.*summæ*,*c.* 14.*casu* 3.Valentia 2.2.*disp.* 9.*q.*2. *puncto* 5. Candelabr. 3.*p.cap.*15.*num.*49 Ludouic.Lopez 2.*p.instruct. de ieiunio*,*cap.*111.§. *his tamen non obstantibus*, Graffis 1.*p.decis. lib.*2.*c.*38. *n.* 59. Emanuel Sa *summa verb. ieiunium*,dicit vtramque sententiam esse probabilem.

3 Secunda sententia tenet dispensatum, vt edat carnes, non teneri ad ieiunium. Ratio,quia abstinere à carnibus est magis de essentia ieiunij, quàm vnica comestio, vt docet Palacios *vbi infrà*, & Palud. 4.*dist.*15.*q.*4.*n.*32. Nauar. *vbi infrà*: ergo sicut dispensatus in vnica comestione non tenetur ieiunare, quia non compatitur ieiunium binas comestiones, ita dispensatus in esu carnium, &c.quia esus carnium, & ieiunium non se compatiuntur. Ita tenet Caiet.2.2.*q.*147.*art.* 8.§.*ad hoc dicitur*,Honcala *opusc.de ieiunio*, Nauarr. Hisp.*cap.* 21.*num.*25. Metina *lib.*1. *instr.c.*14 §.10. Palacios 4.*dist.*15.*disp.*8. *fol.* 125. §.*sexta conclusio. fol.*126.128. Gabriel 4.*dist.* 16 *q.*3.*art.* 2.Henriquez *lib.* 7.*de indulg. cap.*13.*num.*13. & multi ex iunioribus viri docti; & hæc sententia est multò probabilior, & ei fauent Bullæ Cruciatæ Pij V. & Gregorij XIII.Vide quæ in simili dixi de voto ieiunij *lib.*4 *summæ*,*cap.*11.*num.*53. *circa medium*.

4 Nota tamen ex Abul *cap.*6.*Matthæi,q.*171. & Henriquez *lib.*7.*de indulg. cap.* 13.*num.* 12. quòd si quis in extrema necessitate carnes edat; quia cibum alium non habet, & est dies ieiunij, non ex hoc à ieiunio excusatur, quia non vtitur carnibus, vt carnes sunt, sed vt instrumentum sustentandæ naturæ. Sed verius est non teneri ieiunare, quia abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij: & ita vtcunque manducentur, non potest seruari ieiunium.

## DVBIVM XXX.

*An qui habet facultatem edendi carnes, & non vult illas edere, teneatur ieiunare,& quid si vouerit ieiunare,& sic sit dispensatus ad edendas carnes.*

1 RAtio dubitandi est, quia si iste ederet carnes,vt licitè potest, excusaretur à ieiunio: ergo etiam quando non vult illas edere, excusatur à ieiunio. Confirmatur primò, quia accessorium sequitur naturam principalis; sed iste est absolutè dispensatus ad edendas carnes:ergo est dispensatus à ieiunio, quia dispensatio à ieiunio est accessoria ad dispensationem carnium. Confirmatur secundò, quia absurdum videtur, quèd iste, qui in meridie comedit pisces, possit in nocte cœnare carnem, & non possit cœnare pisces.

2 Dico tamen primò, quòd si ille habet manifestas vires & salutem ad ieiunandum, sed ad præseruandum se ab aliqua infirmitate edit carnes, tunc si aliqua die ieiunij non comedat carnes, tenetur illa die ieiunare. Ratio, quia hos nulla alia ratione excusamus à ieiunio, nisi quia abstinentia à carnibus est conditio essentialis ieiunij,& illa non seruata,non potest seruari ieiunium: ergo si seruant illam conditionem, cùm possint reliquas seruare, tenentur.Sic docti iuniores. Item,quia excusatus à ieiunio, eo quòd debet laborare, si non laboret, tenetur ieiunare:ergo excusatus à ieiunio,eo quòd debet laborare, si non laboret, tenetur ieiunare: ergo excusatus à ieiunio, eo quòd possit edere carnes, si illas non edit, tenetur ieiunare. Item,quia si illa die cessaret infirmitas, seu necessitas edendi carnes, teneretur ieiunare:sed cessat necessitas,quia,vt supponimus, ille potest sine notabili damno abstinere à carnibus illa die: ergo tenetur ieiunare.

3 Secundò dico, quòd qui habent facultatem ad comedendum carnes ratione debilitatis,& infirmitatis præsentis, licèt aliqua die non comedant, non tenentur ieiunare,licèt illorum saluti conduceret illas non comedere eo die,& ieiunare, vt patet ex iis, quæ dixi *suprà dub.* 14. Sic nonnulli docti iuniores.

4 Idem dicendum est de eo, qui vouit ieiunare, & dispensatus est ad edendas carnes: si enim aliqua die non vult edere carnes, tenetur seruare votum ieiunandi illa die, si vires habeat, & sit robustus, quia votum ieiunij obligat ad instar præcepti, vt dixi *lib.* 4. *summæ*, vnde quãdo non excusatur à præcepto, non excusatur à voto.

5 Ad argumentum in principio dubij propositum respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam;quia ieiunium est incompatibile cum esu carnium: atque adeò eo ipso, quòd de facto illas edit, non potest seruare ieiunium, & consequenter non tenetur ad illud. At verò licèt habeat facultatem edendi carnes, quandiu tamen illas non edit, potest seruare ieiunium, & ideo tenetur ad illud. Ad primam confirmationem respondetur negando minorem,quia solùm est dispensatus dependenter à causa:cùm autem ea die, qua prandit pisces, & illis sufficienter refectus est, cesset causa edendi carnes, cessat etiam dispensatio à ieiunio, quæ erat accessoria. Quòd si dicas non cessare causam dispensationis,eo quòd quis vescatur piscibus volens pati damnum, quod inde illi prouenit:ergo potest adhuc edere carnes, & consequenter non tenetur ieiunare. Respondetur,quòd licèt non cesset causa absolutè, & ideo potuerit edere carnes; immò peccat contra temperantiam edendo alios cibo sibi noxios, tamen eo ipso, quòd iam vult piscibus vesci, cessat illa die causa edendi carnes,cùm illis non indigeat, quia sufficienter prandit,atque adeò tenetur ad ieiunium.

6 Ad secundam confirmationem nego, quòd ille possit cœnare carnes, aut pisces, nec potest sumere quidquam aliud præter consuetam collationem, quia licèt sit dispensatus ad carnes, supposito tamen quòd non vult vti dispensatione, & illas de facto edere, tenetur seruare præceptum ieiunij,quia est compatibile eum aliis cibis,& à quo ex solo esu carnium excusabatur, quia erat incompatibilis cum illo, vt suprà diximus.

## DVBIVM XXXI.

*An qui habet priuilegium, vt edendo carnes satisfaciat præcepto ieiunij, quale concedebatur in Bullis Cruciatæ antiquis, teneatur ieiunare, licèt comedat carnes.*

1 OVidam affirmant teneri. Probatur,quia cùm essentia ieiunij sit de iure Ecclesiastico, potest Pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca



pa illam mutare, & statuere, vt sit ieiunium edendo carnes: ergo hic, qui edit carnes, habens simile priuilegium, tenebitur ad tale ieiunium. Secundò, quia habens priuilegium, vt tempore interdicti possit audire sacrum, tenetur illud audire: ergo similiter habens priuilegium, vt possit cum carnibus satisfacere ieiunio, tenetur ieiunare. Sic videtur tenere Nauar. *lib. 3. consil. tit. de obseruat. ieiun. in nouis, conf. 9.*

2 Sed verius est non teneri. Ratio, quia priuilegium, quod datur in fauorem priuilegiati, non debet obligare ipsum priuilegiatum: nec est simile de eo, qui habet priuilegium ad audiendum Missam tempore interdicti, quia ieiunium est opus pœnale, & grauamen corporis. Sic Henriquez, & alij docti iuniores.

## DVBIVM XXXII.

*An si quis in die ieiunij Quadragesimalis, in quo sunt prohibita ouа, habeat sufficientem sustentationem secundum modum suum absque hoc, quòd comedat ouа, vel lacticinia, si non ieiunet: at verò ieiunare nequit, si non comedat ouа, vel lacticinia absque Bulla: eam enim non habet, nec habet vnicam refectionem sufficientem pro toto die, vt sic ieiunet, nisi hæc comedat, an possit, & teneatur comedere hæc, vt sic seruet præceptum ieiunij.*

1 REspondetur, quòd licèt probabile satis sit non teneri: at probabilius est teneri. Ratio, quia hîc præceptum ieiunij est principale, & ita si non potest aliter seruari nisi comedendo ouа, tenetur, vt possit illud seruare, sicut ille, qui non potest ieiunare, nisi anticipando horam prandij consuetam, tenetur ieiunare, illam anticipando, vt *suprà* dixi, licèt aliàs determinatio hæc horæ obliget ad mortale. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XXXIII.

*An sit licitum abbreuiare vitam ieiuniis, & abstinentiis, & vires minuere.*

1 SVpponendum est aliud esse non prolongare vitam, & aliud abbreuiare vitam.

2 Sit prima conclusio. Nullus tenetur prolongare vitam, immò nec illam conseruare vtendo optimis, & delicatissimis alimentis, immò hoc est reprehensibile. Probatur, quia non tenetur quis viuere in loco salubertimo, sed potest habitare in regione nociua ratione frigoris, vel caloris: nec tenetur exquirere exquisitissima medicamenta, &c. ergo. Item non tenetur abstinere à vino, vt diutiùs viuat: ergo. Sic Victoria *relect. de temperant. dub. vltimo*, Ledesm. 2. 4. *quæst.* 17. *art.* 6. *fol* 214. Panorm. *cap. si verò, de iureiur.* Maioris 4. *dist.* 38. *quæst.* 24. Adrian. *quodlib.* 1. *art.* 3. *ad* 9. Couar. 1. *var. cap.* 2. *num* 10. Gerson. *tract. de abstin. Carthusiensium à carnibus*, Nauar. *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *num.* 88. Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 1. *art.* 6. *ad* 1. Cordub. *lib.* 1. *quæst. q.* 38. *ad* 4. Metina *C. de ieiunio, q. vltima*, & docti recentiores.

3 Hinc infertur primò, quòd si quis vtitur alimentis, quibus homines communiter vtuntur, & in quantitate, quæ solet sat esse ad valetudinem conseruandam, licèt percipiat ex hoc se abbreuiare vitam notabiliter, non peccat. Sic Victoria, & Ledesma *ibi*.

4 Secundò infertur, quòd non tenetur quis vti medicinis ad prolongandum vitam, etiam vbi esset periculum probabile mortis, vt quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres, &c. Sic Victoria *ibi*, & alij.

5 Secunda conclusio. Tenetur tamen quis, dum morbo laborat, consulere Medicos, & vti cibis salutaribus. Sic Metina *ibi*.

6 Hinc fit, quòd si quis vteretur singulari inedia, vel cibo ita nociuo, vel scienter, vel ex propria opinione contra bonorum, & sapientium sententiam, vt breui abrumperetur vita, peccaret mortaliter. Sic Victoria *vbi suprà*, Ledesm. *dicto fol.* 214. Nauar. *summa, cap.* 15. & Hisp. *num.* 13.

7 Si tamen infirmus comedat, vel bibat rem nociuam, putans, vel non aduertens, quòd ei nocebit, non peccat mortaliter; immò etiamsi credat, quòd ob id eueniet ei aliquod nocumentum, sed non magnum, vt dolor aliquis capitis, vel maior aliqua febris, non peccaret mortaliter, quia nocumentum non est magnum; immò licèt ex intentione illud intenderet, non peccaret mortaliter. Sic docti iuniores.

8 Tertia conclusio. Licitum, & meritorium est viris perfectis respuere medicinam in aliquibus morbis, & doloribus grauibus, non afferentibus periculum mortis, v. g. in dolore passionis iliacæ remedia omittere ad profectum spiritualem, & carnis mortificationem, & ad experiendum dolores Christi in passione. Sic Nauar. *omnibus summis, cap.* 11. *num.* 41. Caiet. 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. & alij. Similiter tempore martyrij fas est respuere medicinam corporalem. Nauarr. & Caiet. *ibi*, & clarè sentit Caietan. licèt tempore martyrij esset periculum mortis, quia (inquit Caiet.) vtilitas maxima est necessitas promptitudinis animi ad sustinendum, & promptè testimonium perhibendum fidei, si autem martyr medicinam susciperet, videretur minus sponte hæc pati pro Christo. Hoc est contra Sotum 4. *dist.* 46. *q.* 5. *art.* 2.

9 Quarta conclusio. Si quis ieiunet, vel abstineat ea intentione, vt breuiter moriatur, peccat mortaliter; tenetur enim quisque non intendere breuiare vitam, cùm non sit suæ vitæ dominus. Sic Victoria *suprà*, Ledesma *dicto art. 6. fol.* 214. & *art.* 1 *fol.* 196. Angles *floribus*, 1. *p. materia de ieiunio fol.* 419. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. Nauar. *cap.* 15. *in omnibus summis, num.* 12. Couar. 1. *var. cap.* 2. *num.* 10. Toletus, & ali docti iuniores. Et sic venit intelligendus D. Hieronymus (quem affert D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *ad* 2.) qui ait, non differt, an paruo, vel magno tempore te interimas.

10 Nota aliquos adhuc tenere peccare abbreuiantem vitam per pœnitentias, & non explicant requiri, vt faciat intentione abbreuiandi vitam. Sic Sotus *de secreto, memb.* 1. *q.* 12. *in concluſ.* 3. in confirmatione quinti argumenti, & Cordub. *in addit. ad illam*, explicans quomodo notabiliter abbreuiat. Nauar. *capite* 15. *in omnibus summis, num.* 12. dicens esse mortale, quando aduertit notabiliter abbreuiare vitam, licèt bono fine faciat illas pœnitentias, Couar. *suprà*, dicit tamen tantùm esse veniale, quando bono fine facit, & Metina *C. de ieiunio, q. vltima*, dicit non licere per ieiunia sensibiliter abbreuiare vitam.

11 Sit tamen quinta conclusio. Licitum est ieiunare, & abstinere etiam à communibus cibis, non tantùm quoad pluralitatem comestionum, sed etiam quantum ad quantitatem, dummodo sumatur cibus necessarius ad alimentum, & conseruationem indiuidui, & dummodo quis non impediatur per hoc ab impletione sui officij, quamuis sic ieiunans, & abstinens clarè, & sensibiliter videat, & aduertat ex tali abstinentia diminui eius vitam. Probatur, quia hoc non est intendere abbreuiare vitam seu occidere se, sed tantùm est vti mediis ordinatis à natura ad sustentationem, & non prolongare vitam, ad quod nullus tenetur, vt dixi. Secundò, quia (vt ait D. Thom. 2. 2. *q.* 25. & 26. & omnes) licitum est exponere vitam corporalem pro salute spirituali alterius, & pro vita corporali amici: ergo licebit homini ieiunare, vel abstinere à cibis cum moderatione posita propter finem spiritualem, licèt aduertat sensibiliter abbreuiari vitam. Tertiò probatur, quia aliàs esset illicitum dare operam literis per multum tempus, & exercere artes valdè laboriosas, vt cursorum, &c. per hæc enim, experientia teste, sensibiliter abbreuiatur vita. Quartò probatur ex vsu multorum Sanctorum, & fundatorum Religionum, qui & exercuerunt, & suis iniunxerunt grauissimas, pœnitentias, quibus vita sensibiliter abbreuiatur. Hæc videntur esse contra Doctores citatos: sed fortè sunt intelligendi iuxta sequentem conclusionem. Sed hanc tenent docti iuniores Magistri, & expressè videntur tenere Victoria, & Ledesma 1; & patet ex corollario primo, quod iuxta eorum sententiam intuli ex prima conclusione.



12 Sexta conclusio. Prædictum ieiunium, & abstinentia potest aliquando fieri indiscretè, v. g. quando quis ita abstinet à cibis communibus, vt non sumat quantitatem præcisè necessariam ad alimentum, & sustentationem, & valetudinem indiuidui secundùm diuersam vniuscuiusque complexionem: & si faciat homo hanc abstinentiam, vt carnem spiritui domet, & subiiciat, & non aduertat se excedere vtendo tali pœnitentia, nullum peccatum est; si verò aduertat se excedere, putat tamen benè facere, peccat quidem, sed communiter venialiter propter rectam intentionem, & bonam fidem. Sic Couar. & Caietan. *proximè citati*, Nauar. *dicto num.* 12. Toletus & alij iuniores. Vnde immeritò Nauar. *suprà n.* 91. reprobat hanc distinctionem.

13 Septima conclusio. Qui per nimias abstinentias notabiliter se inhabilitaret ad officium, ad quod sub mortali tenetur, peccaret mortaliter, v. g. coniux, qui per nimias abstinentias se redderet impotentem ad moderatè reddendum debitum alteri coniugi. Dixi *moderatè*, quia non tenetur coniux satisfacere immoderatæ concupiscentiæ alterius coniugis. Sic Ledesma 2. 4. *q.* 17. *art.* 1. *fol.* 197. *pag.* 1. & nonnulli docti iuniores. qui iuniores addunt, quòd ille, cui ex officio incumbit docere legendo, vel prædicando, si comedat aliquid, quod notabiliter noceat per magnum tempus impediendo ipsum ab officio, peccat mortaliter, niſi animo constituerit relinquere officium; quia infert iniuriam subditis, vel discipulis in re graui.

## DVBIVM XXXIV.

*An licitum sit abstinere à carnibus etiam in extrema necessitate, vt faciunt Carthusienses.*

1 DE hac re vide Manuelem 2. *tomo, cap.* 94. *fine*, Sayrũ *in claui regia lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 7.

2 Nota Carthusienses nullum habere votum de tali abstinentia, nec aliquod statutum obligans etiam ad peccatum veniale: vt patet ex Petro Sutore Carthusiano *in historia sui ordinis, lib.* 1. *tit.* 3. *cap.* 8. vbi refert ordinem Carthusiensem extitisse per 170. annos absque aliquo statuto talis abstinentiæ, sed sola cõsuetudine ab anno 1084. quando incœpit talis ordo Carthusiæ vsque ad 1254. in quo in quodam Capitulo generali factum est statutum de tali abstinentia sub grauissima pœna in transgressores, scilicet vt eiicerentur à Religione, & postea successu temporis vbi facta sunt noua statuta in secunda parte illorum *cap.* 4. temperata est pœna, scilicet, quòd si fuerit Prior, Vicarius, vel Procurator, perpetuo priuetur officio: alij verò perpetuò careant officiis, & incarcerẽtur ad beneplacitum Capituli generalis. Quòd autem tale statutum ad nullam culpam obliget, patet ex tenore constitutionum ipsius ordinis, quæ ad nullam culpam obligant, exceptis votis essentialibus. Sic docti iuniores.

3 Secundò nota, duplicem esse extremam necessitatem quædam est ab intrinseco, quando scilicet infimus iudicio Medicorum non posset vitam conseruare, nisi edendo carnes: vel quia alij cibi sunt ei inutiles, vel quia nullum alium cibum appetit. Altera est ab intrinseco, quando scilicet quis non habet copiam alterius cibi præter carnes, & sic fame morietur.

4 Quidam ergo dicunt circa præsens dubium teneri Carthusienses edere carnes in quauis extrema necessitate, etiam ab intrinseco, v. g. quando Medici petiti iudicarent, quòd ni comederent carnes, morerentur, etiamsi fecissent votum non comedendi. Ratio, quia si tunc non comederent carnes, censerentur seipsos occidere. Sic Panormit. *cap. si verò, n.* 2. & *ibi* Alex. de Neuo *num.* 15. *de iurepatr.* Sylvest. *iuramentum* 4. *q.* 10. Metina *C. de ieiunio, q. vltima*; & idem tenuit secluso scandalo, id est, nisi inde sequeretur dissolutio ordinis; & obseruantiæ Regularis. Gerson *tract. de abstinentia Carthusiensium à carnibus*, & Maioris 4. *distinct.* 38. *q.* 24. & dicit esse probabile Ledesma 2. 4. *q.* 17. *art.* 6. *fol.* 203. & Victoria *relect. de temperantia, num.* 8. dicit esse valdè probabile. Idem tenet Mart. *q. de abstinentia.*

5 Sit tamen prima conclusio. In extrema necessitate ab extrinseco potest, & tenetur Carthusianus edere carnes; & in hac conuenimus cum Doctoribus citatis. Ratio, quia cùm mors illa sit violenta, videtur illi imputari; & sic refert Petrus ille Sutor in sua historia quendam Carthusianum edisse carnes, & iudicatum esse in ordine suo non fecisse contra statutum. Sic tenent Victoria *suprà, num.* 10. Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 94. *num.* 16. Ledesma *suprà*, & docti iuniores dicentes aliquos viros, & doctos contra hoc tenere.

6 Secunda conclusio. In extrema necessitate ab intrinseco probabilius est non teneri edere carnes, licèt in secreto, & sine scandalo vesci possent. Probatur, quia in tali casu ille naturaliter moritur ex morbo, cuius ipse non est causa, nec ipse censetur se occidere, sed tantùm non prolongare vitam comedendo carnes: non tenetur autem quis prolongare vitam omnibus mediis possibilibus; ergo. Secundò, quia non tantùm pro virtute, sed etiam pro virtutis augmento potest quis exponere periculo vitam corporis: at augetur Carthusiano virtus abstinentiæ abstinendo in tali casu, & crescit bonum totius Religionis: & si in tali necessitate id liceret, sequeretur dissolutio Religionis, & traheretur idem ad minores necessitates. Sic Victoria *num.* 10. Ledesma *suprà*, Petrus Sutor *vbi suprà*, & refert insigne miraculum ad id confirmandum: idem tenet Dionys. Carthus. *in laudibus sui Ordinis*, Manuel *suprà*, & communiter Moderni.

7 Tertia conclusio. Carthusienses possunt in tali necessitate edere carnes, quia non habent votum non edendi, nec statum obligans ad culpam: at poterunt meritò puniri pœna statuti. Vnde si fecissent votum talis abstinentiæ, tenerentur etiam in tali necessitate abstinere. Probatur, quia votum est de re licita, & bona; ergo obligaret. Hæc clarè videtur esse contra Victoriam, & Ledesm. *ibi*; dicunt enim posse edere carnes, & videntur supponere habere votum non edendi carnes. Sed nostram conclusionem tenent recentiores Magistri: & quod non possunt, si faciunt votum, tenet Manuel *suprà*.

8 Et notat Victoria *num.* 9 quòd non tantùm secretò, sed etiam publicè posset Carthusianus in tali necessitate edere carnes, licèt sequatur aliqua dissolutio huius abstinentiæ, & latè *ibi* probat.

9 Vltima conclusio: licèt non possit emitti votum de abstinentia à carnibus præcisè in extrema necessitate; quia hoc non est res bona: at potest quiuis particularis emittere votum de abstinentia perpetua, & sic non edere carnes in tali necessitate: quia abstinere à carnibus perpetuò est bonum; immò secluso voto si quis proposuisset nunquam comedere carnes ob bonum abstinentiæ, posset in tali extrema necessitate non comedere, vt patet ex dictis. Sic Victoria *num.* 10. Ledesm. *d. fol* 203. & *sequenti*, & prædicti iuniores: licèt Manuel *suprà* dicat, quòd persona priuata non tenetur seruare tale votum, quia non est in bonum Religionis, & hoc idem Sylvest. *votum* 2. *q.* 13. Angel. *votum* 3. *num.* 21.

10 Tandem nota, quòd quando aliqui absolutè vouent non edere carnes, vel non edere in tali die, si contingat morbo laborare, possunt edere; quia communiter non intelligunt in tali necessitate, vt dicam *in materia de voto*.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXXV.

*Vter peccet magis, qui in capite Quadrageſimæ vult nullum diem Quadrageſimæ ieiunare, an is, qui per ſingulos dies non vult ieiunare.*

1 MArtinus de Magiſtris tenet illam generalem volitionem eſſe peiorem, quàm omn es illas particulares.

2 At verius eſt eſſe peiores illas 40. volitiones particulares; quia ſunt efficaciores, & intenſiores. Sic Palac. 4. *diſt.* 15. *diſp.* 8. *fol.* 138. & quidam docti iuniores. An verò ſint neceſſariò confitendæ ſingulæ volitiones, *in mat. de Pœnitentia.*

## CAPVT II.

*Circa obſeruationem feſtorum.*

### SVMMARIVM.

DVB 1. *An præceptum ſanctificandi feſta ſit poſitiuum, vel negatiuum, & quo iure inductum.*
2 *An hoc præcepto iubeatur aliquis cultus interior Dei, vt peccatorum contritio, dilectio Dei, c.*
3 *An hoc præceptum obliget nos ad non peccandum in die feſto, & ſic peccare in die feſto ſit circunſtantia neceſſario detegenda in confeſſione.*
4 *An obſeruatio omnium feſtorum ſit par, ita vt quauis cauſa ſufficiens ad laborandum in vno feſto ſufficiat, vt laboretur in reliquis.*
5 *Qui dies feſti ſint ex præcepto obſeruandi, & quis poſſit eos inſtituere.*
6 *Qualia ſunt opera ſeruilia, quæ in feſtis prohibentur, & in quo conſiſtat eſſe ſeruilia, an ſcilicet aliquid ad hoc conducat gratis, vel pretio fieri.*
7 *An iter agere, ſiue equeſtrem, ſiue pedeſtrem fas ſit in diebus feſtis, & beſtias onerat as deferre.*
8 *An ſit licitum ſcribere in die feſto.*
9 *An fas ſit tranſcribere in die feſto.*
10 *An tabellionibus, & eorum miniſtris fas ſit in diebus feſtis facere ſcripturas, & eas tranſcribere.*
11 *An ſit licitum in feſtis rationem facere, id eſt,* dar y tomar cuentas.
12 *An pingere ſit opus ſeruile, & illicitum in feſtis.*
13 *An molere ſit licitum in feſtis.*
14 *An venatio, & aucupatio liceant in feſtis.*
15 *An ſit licitum paciſci in diebus feſtis.*
16 *An ſit licitum in Dominicis, & feſtis torneamenta exercere, & ludum, qui Hiſpanè vocatur* juſtas, *& alios ſimiles.*
17 *An exercere eiuſmodi ludos in Aduentu, & Quadrageſima, ſit peccatum mortale.*
18 *An ratione neceſſitatis fas ſit in diebus feſtis ſeruilia exercere.*
19 *An ſufficiens cauſa ſit exercendi ſeruilia in feſtis ceſſatio magni lucri occurrentis repentè, & tranſitorij.*
20 *An ex Eccleſiæ diſpenſatione fas ſit laborare in feſtis.*
21 *An ex conſuetudine excuſentur à mortali barbitonſores tondentes barbam in feſtis; ſartores perficientes aliquas veſtes in feſtis; & ſutores circumſcindentes calceos, Hiſpanè* deſuirar.
22 *An ex cultu diuino ad quem ordinantur, reddantur licita opera corporalia in feſtis.*
23 *An opera ſeruilia ſint licita in feſtis propter pietatem, vt propter Eccleſiam, vel monaſterium, vel ad pauperes alendos, vel ob pontium, & viarum refectionem.*
24 *An præter opera ſeruilia ſint etiam alia prohibita in feſtis.*
25 *Quid nomine mercati intelligatur.*
26 *An nomine mercati, intelligantur etiam prohiberi ab Eccleſia omnes negotiationes, & locationes, conductiones, & ſimiles contractus.*
27 *Quid intelligatur nomine placiti, & an liceant aliquando lites, & proceſſus iudiciales in die feſto.*
28 *An licitum ſit in die feſto informare iudicem cum Aduocato & procuratore.*
29 *Quomodo ſit prohibitum in feſtis iudicium ad mortem, & pœnam.*
30. *Qualiter prohibeatur iuramentum in die feſto.*
31 *An præceptum hoc ſanctificandi feſta obliget ſub peccato mortali.*

## DVBIVM I.

*An præceptum ſanctificandi feſta ſit poſitiuum, vel negatiuum, & quo iure inductum.*

Et prima concluſio. Hoc præceptum eſt affirmatiuum. Probatur, quia *Exod.* 20. ponitur affirmatiuè: *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices.* Verùm forma, & modus ſanctificandi ſubditur negatiuè, id eſt, non facies opus ſeruile in eo. Sic D. Thom. 2. 2. *quæſtion.* 122. *articulo* 4 Soto *lib.* 2. *de iuſt. quæſtion.* 4. *art.* 4.

2 Secunda concluſio. Hoc præceptum partim eſt de iure naturali, & diuino, partim verò de iure humano; nam quoad hoc, quod eſt aliquos dies diuino cultui deputare, eſt de iure naturali: nam cùm iure naturæ teneatur quilibet homo colere Deum, inde eſt, quòd iure naturæ teneatur aliquo tempore ab aliis negotiis vacare, & huic muneri ſe dedicare. Partim verò eſt de iure humano, ſcilicet quoad hoc, quod eſt hos, vel illos dies eſſe feſtiuos; & ſimiliter quoad modum ſanctificandi ab Eccleſia ſtatutum, ſcilicet audiendo Miſſam. Sic D. Thomas 2. 2. *q.* 122. *art.* 4 *ad* 1. *& corp.* Caietan. *ibi.* Couar. 4. *var. cap.* 19. *à num.* 1. *vſque ad* 7. incluſiuè Corduba *lib.* 1 *quæſt.* 9, 5. *dub.* 8. *difficultate* 2. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *c.* 7. *in principio.* Margarita confeſſ. 3. *præcepto. fol.* 70. Turrecrem. *de conſecrat. diſt.* 3. *cap.* 1. Archid. *cap. ieiunia, de conſecrat. diſt.* 3. Maioris 3. *diſt.* 27. *q.* 23. Waldenſis *de ſacramentalibus, cap.* 14. Nauar. *in omnibus ſummis, c.* 13. *n.* 1. Sotus *vbi ſuprà.* Metina C. *de reſtitut.* 30. Ludouic Lopez *inſtructorio conſ. lib.* 1. *cap.* 52.

3 Nota primò, quòd hæc concluſio eſt contra aliquos dicentes dici Dominicæ feſtum diuino iure eſſe inſtitutum: & probatur *cap. licet, de feriis,* vbi habetur tam vetus, quàm nouum Teſtamentum ſeptimam diem quieti deputaſſe. Sic Buttio, Anchar. & Panorm. *cap.* 3. *de feriis.* Angel. *verbo feria, num.* 3. Sylueſt. *verbo Dominica, q.* 1. dicens eſſe communem ſententiam. Sed multò probabilior eſt noſtra ſententia; & *dictum cap. licet*, tantùm probat in vtroque Teſtamento id eſſe præceptum, non tamen quòd ſit iure diuino præceptum.

4 Secundò nota, non tantùm eſſe præceptum diuinum & naturale de colendo Deo in aliquo tempore indeterminato, ſed etiam de aliquibus diebus feſtis inſtituendis ad diuinum cultum. Vnde Eccleſia non poſſet diſpenſare, quòd nullus ſit dies feſtiuus cultui diuino ſpecialiter deputatus. Probatur, quia præceptum diuinum vetus de ſanctificandis feſtis manet, modò quoad morale, ſed morale eſt, quòd ſit aliquis dies dedicatus cultui diuino, & id eſt conſonum iuri naturæ; quia malè poſſet aliàs hoc præceptum ab omnibus ſeruari; ergo. Sic Couar. & Cordub. *vbi ſuprà.*

## DVBIVM II.

*An hoc præcepto iubeatur aliquis cultus interior Dei, vt peccatorum contritio, dilectio Dei, &c.*

DVplex eſt ſententia.

1 Prima tenet partem affirmantem. Probatur: eſt



eſt præceptum affirmatiuum: ergo non tantùm obligat ad abſtinendum ab operibus ſeruilibus, quia ſic eſſet negatiuum. Sic Scotus 3. *dict.* 27. & 37. Tabien. *verbo obuitas, num.* 20. Angel. *verbo feria, num.* 41.

2 Secunda ſententia, quæ certa eſt tenenda, eſt negatiua. Probatur, quia finis præcepti non cadit ſub præcepto, vt optimè D. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. ſed talis cultus internus eſt finis huius præcepti; ergo. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Caietan. *ibi, & in ſumma, verbo feſtorum violatio, & verbo contritio*, Sotus *lib.* 2. *de inſt. q.* 4 *art.* Ludouic. Lopez *in inſtruct. conſc. lib.* 1. *cap.* 52. Paëz *cap. Miſſus, de conſe. diſt.* 1. *num.* 89 Cordub. *lib.* 1. *quæſt. q.* 5. *dubio* 8. *difficult.* 3. Couar. *lib.* 4. *var. cap.* 19. *num.* 11. & *cap. alma mater*, 1. *p.* §. 5. *num.* 3. Nauar. *cap.* 13. *num.* 2. & 17. Sylueſt. *verbo Dominica, quæſt.* 6. Armil. *verbo feſtum, num.* 12. & 26. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. 4. Alcozer *in ſumma, cap.* 17. Pedraza 3. *præcepto*, Margarita confeſſ. 3. *præcepto. fol.* 68.

3 Ad argumentum reſpondetur, præceptum hoc eſſe de feſto ſanctificando, quod poſitiuum quid eſt, at modum eſſe abſtinendo ab operibus ſeruilibus.

## DVBIVM III.

*An hoc præceptum obliget nos ad non peccandum in die feſto, & ſic peccare die feſto ſit circunſtantia neceſſario detegenda in confeſſione.*

DVplex eſt ſententia.

1 Prima affirmat. Ratio, quia facit peccans in die feſto iniuriam tempori ſacro, & ſic eſt ſacrilegus. Sic Alenſis 3. *p. quæſt.* 32. *membro* 5. *art.* 2. Lyra ſuper illud Exodi 20. *Sex diebus operaberis*, & in illud Matthæi 12. *ſi licet Sabbatho iurare*, Abulenſis *quæſt.* 11. *Exodi, in fin. & quæſt.* 12. Angel. *verbo feria, num.* 36. & *verbo interrogationes, præcepto* 3, & *verbo præceptum, num.* 5. Turrecr. *cap.* 1. *de conſecrat. diſt.* 3. *num.* 4. & *cap. peruenit, num.* 4. Maior. 4 *diſt.* 17. *quæſt.* 4. Adrianus 4. *mater, de confeſſ. q.* 4. Nider. *in præceptorio, præcepto* 3. Cord. *lib.* 1. *quæſt. q.* 6. D. Bonau. 3. *diſt.* 37. *in gloſſa ſuper literam Magiſtri*, §. 6. & 7. Albertus Magnus 3. *diſt.* 37. D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 19 §. 7. Gerſon *alphab.* 31. *litera T*, Scotus 3. *diſtinct.* 37. Gabr. 4. *diſt.* 17 *quæſt.* 1. *concluſ.* 4. Metina C. *de confeſſione, quæſt. de circunſtantiis loci, & temporis*, Roſel. *verbo feriæ, num.* 6. Catherinus *lib.* 5. *contra Caiet.* & hanc dicit tutiorem Petrus Sotus *mater. de confeſſione, lect.* 9. fauet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3 vbi cum D. Auguſtino dicit facere contra hoc præceptum, qui die feſto peccat.

2 Secunda ſententia multo probabilior eſt negatiua: & ita licet peccare in die feſto aliquantulum culpam augeat, non tamen mutat ſpeciem, nec ita notabiliter auget, vt circunſtantia hæc ſit neceſſariò detegenda in confeſſione. Probatur, quia quodcunque præceptum Decalogi datur in ſenſu proprio, & non in metaphorico, quia mores hominum debent inſtrui in ſenſu proprio, & claro; ſed peccatum non eſt opus ſeruile, niſi impropriè & metaphoricè; ergo dum hoc præcepto prohibetur opus ſeruile, non intelligitur peccatum. Secundò, quia finis præcepti non cadit ſub præcepto. Hanc tenent Almain. 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. Caiet. 1. 2. *q.* 7. *art.* 1. & 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. & *in ſumma, verbo feſtorum violatio*, Sotus *lib.* 2. *de inſt. quæſt.* 4. *art.* 4. & 4 *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 4. Nauar. *in ſumma, cap.* 6. *num* 9. & *cap. conſiderat. in principio. de pœnit. diſt.* 5. *num.* 22. Sylueſt. *in roſa aurea, quæſtionibus impertinentibus, quæſt.* 63. & *in ſumma*, *confeſſio* 1. §. 10. & *verbo circunſtantia*, §. 3. *verbo Dominica, quæſt.* 6. Couar. *lib.* 4. *var. cap.* 19. *num.* 11. & *cap. alma mater*, 1. *p.* §. 5. *n.* 3. Alcozer *ſumma, c.* 17. Pedraza 3. *præcepto.* Petrus in Borgono *lib. concordat. dub.* 348 Margarita *confeſſ. f.* 39. Arm. *verbo feſtum, n.* 12. Tab. *verbo circunſtantia, num. vndecimo*, Cano *de pœnit. p.* 5. *fol.* 104 Ioſephus Angles *floridus Thom. Sanchez Conſil. moral. Tom. II. bus, quæſt. theolog.* 2. *p. mat. de confeſſ. fol.* 270. Ludouicus Lopez *inſtruct. conſcientiæ, lib.* 1. *cap.* 35 Manuel. 1. *tom. ſummæ*, 2. *editione, cap.* 53. *num.* 12. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 6. Metina *lib.* 1. *ſummæ, cap.* 9. §. 2. *fol.* 27. Cardinalis Toletus *in ſua ſumma* & facit maximè D. Thomas 3. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſtione* 2. *ad* 2. Nec *in* 2. 2. voluit oppoſitum; intellexit enim facere contra hoc præceptum, id eſt, contra finem ipſius, qui ſub præcepto non cadit, non tamen contra ſubſtantiam præcepti.

3 Nota, quòd Metina, Manuel, & Ludouic. Lopez limitant hanc ſententiam, dicentes eſſe circunſtantiam temporis neceſſariò confitendam, quando peccatum enorme committeretur in die maximè ſolemni, vt in die Veneris ſancti, vel dum impletur pœnitentia. Sed hæc limitatio minus vera eſt: & ſic vniuerſaliter eſt tenendum cum aliis Doctoribus citatis. Ita tenet Henriquez *ibi.*

## DVBIVM IV.

*An obſeruatio omnium feſtorum ſit par, ita vt quauis cauſa ſufficiens ad laborandum in vno feſto ſufficiat, vt laboretur in reliquis.*

1 REſpondetur negatiuè; ſed eſſe quædam feſta, in quibus maior exigitur cauſa: tum quia propinquiùs accedunt ad ius diuinum, vt dies Dominica: tum quia ſolemniora longè ſunt, & ita ſtrictiori iure præcipiuntur obſeruari. Sic Monaldus, quem refert, ac ſequitur Nauar. *in omnibus ſummis, cap.* 13. *num.* 10. Lopez *inſtruct. conſcientiæ lib.* 1. *cap.* 52. Idem docent plures alij aſſerentes licere cauſa pietatis laborare in feſtis, demptis Dominicis, & quatuor Paſchatis: atque ita expreſsè ſentiunt hæc feſta maiorem exigere cauſam. Hi ſunt Turrecrem. *cap. peruenit, de conſecrat. diſt. tertia, numero ſeptimo*, Abulenſis *capite duodecimo Exodi, quæſtione quadrageſima prima*, Palacios *in ſumma, verbo feſtum*, Sylueſt. *verbo Dominica, quæſt.* 5. *concluſ.* 3. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo, in fine*, Margarita confeſſ. *tertio præcepto*, *fol.* 72.

## DVBIVM V.

*Qui dies feſti ſint ex præcepto obſeruandi, & quis poſſit eos inſtituere.*

1 SIt prima concluſio, in vnoquoque loco ſeruandi ſunt ij dies feſti, & eo modo, & tantum, quos, & quomodo, & quantum conſuetudo ipſius præcipit obſeruari. Ratio, quia cùm feſta ſint iure humano introducta, & conſuetudo legitimè præſcripta, vim habeat legis, & legi ipſi deroget, inde eſt, vt hac in re ſtandum ſit conſuetudini. Hæc eſt omnium, & ſpecialiter Nauarri *cap.* 13. *num.* 5.

2 Nota plura eſſe feſta iure communi inducta, quæ recenſent omnes ſummiſtæ ex quibus aliqua conſuetudine non ſeruantur, alia verò ſunt introducta ex conſuetudine, quæ tamen non ſunt in iure.

3 Secundò nota, quòd Nauar. *cap.* 3. *num.* 15. refert Eugenium IV. vt habetur *in compendio priuileg. fol.* 69. ordinaſſe, vt laici, qui operarentur in feriis Sanctæ Crucis, & ſancti Michaëlis menſis Septembris; & ſanctorum Innocentium, & ſancti Sylueſtri (hæc enim iure communi ſunt feſta) peccent mortaliter, niſi hi dies incidant in Dominica. Et hoc eſt notandum, quia deſeruire poteſt multum pro his, qui laborant in vindemia in die ſancti Michaëlis. Sic docti recentiores.

4 Tertiò nota, quòd Sylueſt. *verb. Dominica, q.* 1. & 2. cùm teneat diem Dominicã eſſe de iure diuino, tenet nõ poſſe in talibus diebus conſuetudinẽ aliquid facere, v.g. vt ſint minus quã vigintiquatuor horæ. Sed hoc eſt minus verũ, cùm fundamentum eius ſuprà reprobauerimus.

5 Quartò nota, quòd in his partibus Hiſpaniæ conſuetu



*Thom. Sanchez Conſil. moral. Tom. II.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



suetudo habet, vt festa omnia, & Dominicæ, quoad cessationem ab operibus seruilibus celebrentur à media nocte vsque ad mediam noctem, Couar. *4.var.cap.19.num. 9.fine*, Nauar. *cap.13.n. 5. & 8.* & nonnulli docti recentiores. Vnde minus benè Pedraza *in summa, in 3.præcepto*; dicit, quòd in Hispania ex generali consuetudine incipiunt in vespere diei præcedentis festa: falsum est enim, quòd in Hispania detur talis consuetudo.

6 Secunda conclusio. Instituere festa pertinet ad Ecclesiam, & ad summum Pontificem. Episcopus etiam cum Clero potest instituere festa Sanctorum aliàs ab Ecclesia canonizatorum: & hoc pro sua tantùm diœcesi, idque consentiente populo. Sic habetur *cap.pronunciandum, de consecr.dist.3. & cap.conquestus, de feriis.* Ratio, quia licèt in spectantibus ad Episcopi iurisdictionè posset ipse solus cum Capitulo: at secus est in his, in quibus vertitur interesse aliorum. Sic Panorm. *conquestus, de feriis, num.4.* Innoc. *cap.licet eodem tit.* Archid. *cap.1.de consecr. dist.3.* Federicus, quem refert, ac sequitur Sylvest. *verb. Dominica. q 1.* Palacios *lib.2 de contract. cap. vlt.* Angel. *verbo feriæ, num.5.* Rosel. *ibi num.3.* Armil. *verbo festum, num.5.* D. Anton. *2.p.tit.9 cap.7.in principio. & 3.p.tit.22. cap.5. §. 5.* dicit idem requiri, vt Episcopus possit tali Sancto vigiliam deputare. Tab. *verbo feriæ, num.9.* licèt Paës *cap. Missas, de consecrat. dist. 1. num. 28.* dicat satis esse ad festa instituenda Episcopum cum Capitulo. Quod procedere potest, quando Episcopus institueret festum, & populus absque causa iusta contradicet, tunc enim tali contradictione non obstante est seruandum festum. Sic Panormitanus, Rosel. Tabiena, Armil.

7 Tertia conclusio. Dominus temporalis, vel ciuitas nequit festa instituere, quia hoc est potestatis Ecclesiasticæ. Quare si præcipiat aliquos dies festos obseruari sub aliqua pœna, pœnam à vialatoribus posset exigere, sed culpam non incurrent: nec tenebuntur fideles audire sacrum. Sic D. Anton §.1. Armil. *n.2.* Sylvest. *verbo Dominica, paulo post princip.* Tabien. *verb. feria, in principio,* Rosel. *verbo statutum, num. 6.* Pacz *vbi suprà, num.29.* & docti iuniores.

8 Quarta conclusio. Scholastici non tenentur audire Missam, & possunt seruilia exercere in festis institutis in vniuersitatibus pro ipsis; quia tantùm intelliguntur instituta, vt cessent lectiones publicæ vniuersitatum: & sic habet consuetudo timoratorum Salmanticæ, & in aliis vniuersitatibus, & tenet Alcozer *in summa, cap.* 27. & docti recentiores.

## DVBIVM VI.

*Qualia sint opera seruilia, quæ in festis prohibentur, & in quo consistat esse seruilia, an scilicet aliquid ad hoc conducat gratis, vel pretio fieri.*

1 NOta primò, quòd non omnia opera corporalia sunt seruilia; sed operum corporalium quædam sunt ex suo genere seruilia, quæ sunt propria seruis, vt opera mechanica, quæ per se ordinantur ad perfectionem corporalis operis, scilicet ad perficiendam materiam formando lignum, ferrum, lanam, &c. & illa, quæ ordinantur ad culturam agrorum, vt arare, fodere, serere, &c. Alia verò sunt opera corporalia ex suo genere libera, quæ scilicet sunt propria liberis. Vnde opus liberum, seu spirituale distinguitur à seruili penes terminum: illud enim per se terminatur ad spirituale, ita, quòd si actio à spirituali principio proueniat per corporale ministerium, oportet, ad hoc quòd sit spiritualis, vt ordinetur ad spiritualem passionem inferendam; vt docere ordinatur ad inferendam disciplinam, quæ est quid spirituale. Hoc verò licèt aliquando à spirituali principio procedat: at per se ordinatur ad corporalem passionem inferendam, vt attes mechanicæ. Alia verò opera corporalia sunt, quæ ex suo genere sunt communia seruis, & liberis. Sic Caiet. *2.2. quæst. 122, art.4.§. ad primum horum,* Sotus *lib.2.de iust.q.4.art.4.* Sit ergo

2 Prima conclusio. Opera ex suo genere seruilia sunt prohibita in diebus festis. Conclusio est certa.

3 Secunda conclusio. Opera ex suo genere libera, sunt licita in festis, exceptis illis, quæ ab Ecclesia prohibentur, *capite 1. & capite conquestus, de feriis*, de quibus *infrà.* Hinc

4 Infertur licitum esse in festis legere, & docere in scholis verbo, & scripto: quia hæc sunt liberalia, cùm ordinentur ad inferendam disciplinam, quæ est quid spirituale. Sic Sotus, Caiet. *vbi suprà*, Ludouic. Lopez *instruct. conscientiæ, lib.1. cap. 52.* & omnes citandi.

5 Secundò infertur, licitum esse in festo ciuibus ad Consilia conuenire; quia consiliari est opus spirituale, quia oritur ex prudentia, & terminus eius est electio, quæ est spiritualis. Et non obstat, quòd sit electio ad temporalia officia, & negotia, quia hæc materialiter se habent ad electionem, quæ formaliter, & per se est terminus consilij. Sic Caiet. *dicto art.4. & in summa, verbo festorum violatio.* Armil. *verbo festum,* & docti iuniores.

6 Tertiò infertur Prælatos posse potestate sua in festis vti, exceptis his, quæ sunt ab Ecclesia prohibita, de quibus *infrà*, Caiet. & prædicti iuniores.

7 Quartò infertur non peccare archimagistros, id est, *los maestros, que hazen traças*, qui in festis designant in charta, quomodo aliquid sit fabricandum ad instruendum aliquem de futuro opere, quia hoc non est opus mechanicum; sed est opus spirituale doctrinæ ordinatum ad docendum, & instruendum aliquem de futuro opere. Sic Caiet. *in summa, vbi suprà*, Armil. *verbo festum, num.21.* & docti iuniores.

8 Quintò infertur eadem ratione excusari, qui diebus festis picturas retractant: non vt pingant, sed vt discant. Ratio, quia hoc nō est exercitatio operis mechanici, sed potiùs actus spiritualis disciplinæ ordinatus ad discendum. Sic Sylvest. *verbo Dominica, quæstione quinta*, Angel. *verbo feria, numero trigesimo primo*, Tabiena *numero quadragesimo*, Rosel. *numero decimo tertio*; Armilla, Caiet. *in summa, vbi suprà*, & alij.

9 Nota hoc habere verum licèt retractans imagines ad discendum consequenter inde habeat lucrum vendendo opus illud, quia intentio lucri non facit esse illicitum. Sic Sylvest. Angel. Rosel. & docti iuniores. Vnde possunt addiscentes hanc artem, Hispanè *los aprendizes*, se exercere pingendo ad addiscendum, Hispanè, *debujar*, & vendere id, quod sic faciunt. Item potest quis in die festo transsumptum informationis facere, vel aliquid simile transcribere ad addiscendum stylum Curiæ, quia addiscit ad obtinendum officium, & eo viuere: & potest similiter vendere transsumpta, quæ facit. Item potest quis librum transcribere ad discendam elegantiam verborum, & illud transsumptum vendere, & ex illo viuere. Sic docti iuniores.

10 Tertia conclusio. Fas est in festis exercere illa opera, quæ sunt communia liberis, & seruis, dummodo sub aliqua ratione non trahantur ad seruilitatem. Probatur, quia in festis sola opera seruilia sunt prohibita; sed hæc non sunt seruilia, sed communia liberis, & seruis: ergo. Sic Caiet. 2. 2. *vbi suprà*, & docti iuniores. Quod ampliùs per aliquot dubia sequentia declarabitur.

11 Quarta conclusio: omne opus, quod est licitum in die festo, vel ex se, vel propter necessitatem, vel propter consuetudinem, vel propter aliam quamcunque causam, erit etiam licitum, licèt fiat principaliter propter lucrum. Hanc tenent plures contra alios, vt latè *dub. 8. sequenti.* Sic etiam docti iuniores.

12 Tandem nota, quòd obseruatio festorum in noua lege non est ita arcta, sicut erat olim lege veteri: sed quædam opera conceduntur in noua lege diebus festis, quæ in lege veteri prohibebātur die sabbathi; vt decoctio ciborum, &c. & faciliùs dispensatur in noua lege in operibus prohibitis, propter necessitatem, quàm in veteri: cuius rationem subdit D. Thom. *2.2. q.122.art.4.ad 4.* quia obseruatio Sabbathi in veteri lege erat figuralis, & cùm figura pertineat ad protestationem veritatis, non debet, nec in modico deficere, vt ad viuum repræsentet illam cessationem Dei à mundi fabrica.



## DVBIVM VII.

*An iter agere, siue equestrem, siue pedestrem, fas sit in diebus festis, & bestias oneratas deferre.*

TRiplex est sententia.

1 Prima docet esse peccatum mortale iter agere, etiamsi recreandi animi gratia fiat, si iter vnius leucæ saltim sit. Sic Abulensis *cap.12. Exodi, quæst.24.25.*

2 Secunda sententia docet non esse prohibitum iter agere, nisi magna cum fatigatione fiat. Sic Sylvest. *verbo Dominica, quæst.3.* Tabien. *verbo feriæ, n.23.* Angel. *ibi, n. 15.* Margarita confess. *3.præcepto, fol.70.*

3 Tertia sententia docet. Licere iter agere: tum quia opus indefferens est commune liberis, & seruis, & sola seruilia prohibentur: tum quia consuetudo visa, & tolerata à Prælatis sic habet. Sic tenet Maioris *3.dist.37.* Astensis, & P. odulphus, quos refert, & sequitur Rosella *verbo feriæ, n.20. & 26.* Sotus *lib.2.de iust. quæst.4.art.4 vers. tertium*, Armil. *verbo festum, n.13.14.* Alcozer *summa, cap. 17.* Nauar. Lat. & Hisp. *cap. 13. num.6.* Caiet. *2.2. quæst. 122. art.4. vers. in tertio casu; & vers. in eodem art. 4. & in summa, verbo festum, §. de violentia autem, & §. quædam vero,* & docti iuniores.

4 Prima conclusio. Hæc tertia sententia est probabilior. Patet ex rationalibus, & Doctoribus citatis.

5 Hinc fit excusari cursores, siue pedestres, siue equestres, tum ex necessitate publica, quia oportet hos esse, & sæpè necesse est, non differatur iter; nec ad ipsos spectat quærere quanta, & qualis sit eundi necessitas: nec hoc est consuetum rogare. Item, quia consuetudo iter agendi scita, & approbata à Prælatis hos excusat. Sic Caietanus *summa, d. §. de violentia*, & prædicti iuniores.

6 Secundò infertur licitam esse operam mulionum deferentium mulis lectum, & cætera ad iter necessaria: cùm enim iter licitum sit, licebit etiam ea, quæ ad iter pter iter. Sic Nauar. *ibi* Caiet. *vbi suprà* 2 2. & alij. necessaria sunt, deferre, cùm hæc per accidens fiant pro-

7 Secunda conclusio. Deferre diebus festis ligna, & mercimonia, vel quæuis alia onera bobus, vel quibuscuis bestiis, est illicitum, & seruile, Sylvest. *verbo Dominica, quæst.3.* Margarita *3.præcepto, fol.70.* Nauar. Lat. & Hisp. *cap.13.num.6. & 13.* D. Anton. *2.p.tit.9.cap.7.§. vlt.* Caiet. *2.2. quæst.122. art.4. vers. his igitur expeditis*, Rosella *verbo feriæ, n. 22.* & quidam docti iuniores.

8 Nota conclusionem intelligi, si hi die festo incipiant iter; si enim iter incœptum die festo pergant, excusantur à culpa propter expensarum iacturam. Sic Nauar. Caiet. *ibi*, Margarita *ibi fol.72.* Sylvest. *ibi quæst.5 conclus.4.* & præfati recentiores.

9 Secundò nota, quòd de mulionibus, qui habent hoc ex officio, quia concurrere videtur aliqua necessitas, & vtilitas reipublicæ, vt hi deferant varia onera in varias partes regni, ex ipsa consuetudine cum aliqua necessitate reipublicæ est licita inchoatio vecturæ: at in vectura particularis hominis non. Sic quidam iuniores docti; & mihi placet, licèt contrarium aliqui teneant, scilicet nec in mulionibus licere.

10 Hinc fit non excusari, qui vesperè diei feriatæ, id est, *la vispera de la fiesta*, mittunt bestias, vt sequenti die oneratæ veniant, nisi necessaria excuset, vt si deuehenda sint necessaria ad eundem diem, scilicet sequentem, quæ non potuerunt antea deuehi. Sic Nauar. & Rosel. *vbi suprà*, & alij.

11 Vltima conclusio, Deferre bestias non oneratas diebus feriatis, est licitum, quia est idem, quod iter agere. Nauar. *vbi suprà*, Caiet. 2.2. *vbi suprà*, & docti iuniores.

## DVBIVM VIII.

*An sit licitum scribere in die festo.*

1 ALiqui tenent id non licere, si ob pretium fiat.

2 Sit tamen conclusio: licitum est in die festo scribere ad docendum, vel discendum, vel ad manifestandum conceptus absenti, vt fit per epistolas. Probatur, quia scribere non est actus seruilis, sed est communis liberis, & seruis: vnde & Reges non dedecet scribere. Item, quia quando quis scribit ad discendum, vel ad docendum, talis scriptio ordinatur ad finem spiritualem, scilicet ad illuminandum mentem, vel ad memoriæ adminiculum. Item, quia scribere epistolas, est quasi opus quoddam locutionis; ita quòd locutio quasi diuidatur in locutionem successiuam, quæ scilicet fit labiis, & permanentem, quæ fit scriptura; ergo. Sic Naaar. *in omnibus summis, c.13.n.14.* Ludouic. Lopez *in instruct. conscientiæ, lib. 1. c. 52.* Sotus *lib.2.de iust. q.4.ad 3.* Metina *lib.1. summa, cap. 1.§.8.* Sylvest. *verbo Dominica, quæst.5. particula 6.* Caiet. *2.2. quæst. 122. art. 4. & in summa, verbo festorum violatio*, Armil. *verbo festum, num. 13.* Alcozer *summa, cap.17.* Pedraza *3. præcepto*, Margarita confess. *3. præcepto, fol.70.*

3 Hinc infertur primò licire scribere, etiamsi pretio fiat. Ratio, quia scribere est opus liberale, vt bene docet Caietan. & Armil. *vbi suprà*: at spes lucri non reddit seruile, vt dixi *dub.6.* Sic Nauar. Metina, Ludouic. Lopez, & docti iuniores.

4 Secundò infertur fas esse cuilibet, siue Theologo, siue Medico, siue Iurisperito, in die festo scribere lectiones prælegendas, vel conciones habendas ad populum etiam per alium ministrum, qui ei scribat dato sibi pretio. Ratio, quia hoc est adiuuare alterum ad opus spirituale, & liberum, & licitum, scilicet studium. Sic colligitur ex Nauarr. Ludouic. Lopez, & Metina, & tenent docti recentiores.

5 Tertiò infertur posse causidicos in die festo vti scribentibus, qui eis scribant iuris informationes, quas ipsi ordinant, etiamsi pretio eas scribant: sicut possent ipsimet scribere. Ratio, quia hoc est adiuuare ad studium, & ad informandum, & instruendum iudicem de veritate: quod est opus spirituale. Sic docti iuniores.

6 Quartò infertur licere Procuratoribus, & Relatoribus die festo processum in compendium redigere, etiam vtendo ministro, quem ad id habent pretio conductum, vt scribat. Ratio, quia hoc est pars studij, & ordinatur ad loquelam, & ad referendum coram auditoribus, & ipsos instruendum; & minister adiuuat ad id. Sic colligitur ex dictis.

7 Quintò infertur fas esse Magistris, qui docent scribere pueros, facere in die festo exemplaria suis discipulis, qui per illos docentur scribere, etiamsi pro illis pretium à discipulis accipiant, quia ordinantur ad opus spirituale, scilicet instruendum pueros. Sic docti recentiores.

## DVBIVM IX.

*An fas sit transcribere in die festo.*

TTiplex est sententia.

1 Prima absolutè id damnat, dicens esse opus seruile. Probatur, quia transcribere est opus mechanicum, vt pingere, vel facere statuam, vel imprimere, quia scribere nil aliud est, quàm formare characteres ad extra, secundùm tenorem exemplaris, à quo transcribitur. Nec obstat, quòd transcribere sit medium ordinatum ad finem spiritualem, scilicet in adiutorium speculationis, &

Universidad de Deusto
Biblioteca



& studij, quia de se, & immediatè solùm ordinatur ad formandos characteres ad extra: at ordinatur ad finem illum spiritualem studij, quod non facit opus esse liberale, vt patet de impressione, quæ manifestè est opus seruile, & tamen ordinatur etiam mediatè ad adiutorium studij. Hanc tenet Caietan. 2. 2. q. 122. *art.* 4. *vers. ad secundum dubium*, Sylvest. *verb. Dominica*, q. 5. *concl.* 5. Margar confess. 3. *præcepto*, *fol.* 70. Pedraza 3 *præcepto*.

2 Secunda sententia docet fas esse transcribere in festis. Probatur, quia spes lucri non mutat naturam operis, sed gratis transcribere communiter approbatur; ergo etiam transcribere ob pretium. Item quia est medium ordinatum ad finem spiritualem, scilicet in adiutorium speculationis, & studij. Sic Metina, addens expressè, licèt fiat ob pretium; & sic posse sine scrupulo practicari, *lib.* 1. *summæ*, *cap.* 14. §. 8. & idem Ludouic. Lopez *in instruct. conse. lib.* 1. *cap.* 52. & Henriquez consultus de hac re, & quidam recentiores docti.

3 Tertia sententia docet, quòd transcribere potest accipi dupliciter; vno modo pro transcriptione, quæ fit immediatè, vel ad docendum, vel ad discendum, vel ad consulendum, vel ad explicandos conceptus proprios absentibus, vel ad aliquid huiusmodi spirituale, & liberum tanquam ad finem immediatum: & hoc modo est liberale, & licitum, siue per se, siue per alium fiat: vt potest scholasticus in die festo transcribere per se, vel per alium lectionem dictatam à Magistro, & transcribere conciones per se, vel per alium, dummodo hoc fiat immediatè ad prædictum finem spiritualem. Probatur, quia transcribere hoc modo est sicut scribere ad eundem finem, quod dixi *dubio præcedenti* licere. Item, quia ordinatur immediatè ad finem spiritualem; ergo est liberum. Altero modo potest sumi transcribere, non vt ordinatur immediatè ad finem spiritualem docendi, vel discendi, &c sed pro transcriptione, quæ fit immediatè ad acquirendum lucrum: quo pacto solent transcribere tabelliones aliquot instrumenta, & aliqui scholastici pauperes solent transcribere aliis sermones hoc fine: & hoc modo est illicitum, & seruile. Ratio, quia est quidam labor manuum ordinatus immediatè ad lucrum temporale, & ad vtilitatem, & sustentationem corporis, non secus ac alia officia mechanica. Hanc tenent Sotus *lib.* 2. *de iust. quæst.* 4. *art.* 4. *vers. testium*, vbi hæc dicit, tata mercede transcribere, vel alio modo calamo mereri est seruile, & Nauarr. *in omnibus summis*, *cap.* 13. *num.* 14. vbi dicit esse seruile transcribere ob lucrum: idem tenuere valdè docti recentiores Magistri.

4 Sit conclusio. Hæc tertia sententia est probabilior: & ad argumentum secundæ sententiæ, quod maximè vrget, respondetur, quòd transcribere hoc secundo modo non damnatur à nobis præcisè ex eo quòd transcribatur gratia lucri, sed ex eo quòd non fit immediatè propter finem liberum, & spiritualem, sed tanquam ex officio ad finem corporalis sustentationis, sicut alia officia mechanica. Et licèt hæc solutio metaphoricè non omnino satisfaciat, tamen sat est in re morali, vt arbitrio prudentium transcribere hoc modo iudicetur opus seruile.

5 Nota tamen, quòd secunda sententia asserens licere transcribere lucri gratia, est satis probabilis, & tutè amplecti potest in hoc casu, scilicet quando transcribere illud proximè ordinatur ad studium: sicut enim possum lectionem, quam audio per me transcribere, ita licet transcribere per alium dato ei pretio; quia hoc est moraliter me adiuuare ad studium. & sic opus liberum. Item, quia si est mihi fas ad discendum transcribere quaternionem lectionum, vel concionum, & petere ab amico, vt gratis mihi transcribat, cur non licebit id facere ob eundem finem per alium pretio sibi soluto. Et confirmatur, quia ille adiuuat me ad finem spiritualem studij, quem ego intendo, sicut alius: ergo. Et confirmatur amplius, quia licitum est petere ab aliquo, vt soluto pretio mihi transcribat bonis characteribus id, quod ex meis studiis ego malis characteribus scripsi, vt id postea meliùs legam, quia illud opus de se, & immediatè ordinatur ad studium, & est me iuuare ad studendum, idque faciunt sæpè viri docti, quando volunt imprimere; ergo, &c.

6 Tandem ex dictis infertur, quòd transcribere ex officio, & propter lucrum libros, in quibus cantus figuratus describitur, vel priuilegia, & alias eiusmodi scripturas, est illicitum in die festo, & seruile. Sic tenent Doctores primæ, & tertiæ opinionis: & credo quòd non negabunt autores secundæ: immò Doctor Henriquez hoc tenet expressè; quia hoc transcribere non ordinatur ad studium. Similiter est illicitum in die festo illuminare libros, aut litteras; quia hoc est opus seruile, sicut pingere. Doctor Henriquez, & alij.

## DVBIVM X.

*An tabellionibus, & eorum ministris fas sit in diebus festis facere scripturas, & eas transcribere.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit esse illicitum, & seruile. Sic Sylvest. *verbo Dominica*, *quæst.* 3. & videtur tenere D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo*, vbi tantùm hoc concedit licere vbi est consuetudo: & Cardin. Toletus videtur eiusdem sententiæ, quia tantùm illis concedit facere testamenta propter necessitatem.

2 Secunda sententia, quæ probabilior est, & tenenda docet Notarios, & tabelliones posse licitè scribere in festo instrumenta de iis rebus, & contractibus, qui licitè fiunt in festis, etiamsi id faciant principaliter propter lucrum. Probatur, quia si illa opera, seu contractus sunt licita in festis; ergo tabellio potest facere scripturam facientem fidem de illis rebus, quia scribere de se non est opus seruile, vt dixi *supra dub.* 8. & confirmatur, quia aliàs frustrà esset licitum opus illud, seu contractus in die festo: nam cùm sine scriptura nil maneat factum, quod firmum sit, si scriptura non posset fieri, frustrà posset fieri contractus: cùm enim conceditur principale, conceditur subindè accessorium. Hanc tenent Nauar. *in omnibus summis*, *cap.* 13. *num.* 14. Ludouic. Lopez *in instruct. conse. lib.* 1. *cap.* 52. §. *licet etiam conscribere*, & docti iuniores.

3 Hinc infertur licere scribis facere testamenta etiam eorum, qui sunt sani, in die festo: & omnes alij contractus, qui possunt fieri licitè in die festo, possunt etiam fieri authoritate tabellionis: vt vbi contractus emptionis, & venditionis est licitus, vt in nundinis, &c. iuxta dicenda *infra*, potest scriba testimonium ferre, & facere scripturas, seu instrumenta necessaria rerum, quæ ibi contingunt, vt communiter fit, idque licitè. Similiter potest tabellio in die festo facere scripturam donationis, renunciationis, instrumentum soluti debiti, vel scripturam obligationis illud soluendi, & instrumentum, in quo datur facultas ad exigenda debita, non autem ad lites. Ratio, quia omnia hæc licitè fiunt in festis: & sic iuxta regulam positam à Nauarro licet facere scripturam de illis. Sic docti iuniores.

4 Nota tamen, quod quamuis hoc licitum sit, melius tamen erit, quòd in festo solùm scribatur consensus facientis scripturam, Hispanè, *que solamente se otorgue*, & alia die impleatur scriptura ex omnibus aliis, quæ continere solet, idque quando scripturæ sunt tales, vt absque inconuenienti hoc fieri possit: nam scriptio consensus est res ita breuis, vt quamuis foret illicita in die festo, esset tantum peccatum veniale ratione paruitatis materiæ. Sic prædicti iuniores.

5 Secundò nota, quòd non erit licitum tabellioni, vel eius ministro in die festo transcribere huiusmodi scripturas ex exemplaribus, vt illas partibus dent, etiamsi id faciat gratis pro amico, vel consanguineo, quia hoc iam reputatur opus seruile, & non est necessarium ad perfectionem contractus. Sic docti recentiores. Immò nec Religioso fas est transcribere huiusmodi scripturas suæ Religioni; quia censetur opus seruile. Sic idem.

6 Hinc infertur multo minus licere tabellioni, vel eius ministro in die festo transcribere processus, vel priuilegia, vel alia eiusmodi; nec licere illis in festis implere charras, quas relinquunt albas in scripturis, quas faciunt in diebus profestis. Sic Cardin. Toletus, & alij.



## DVBIVM XI.

*An sit in festis rationem facere Hisp.* dar, y tomar cuentas.

1 DVplex est sententia.

Prima dicit esse illicitum, & seruile. Sic Sylu. *verbo Dominica*, *quæst.* 3. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo*, Abul. *cap.* 12. *Exodi*, *quæst.* 26. Tab. *verbo feriæ*, *n.* 39. Angel. *n.* 31. Margarita 3. *præcepto*, *fol.* 7. Metina *lib.* 1. *summæ*, *cap.* 16. §. 9. & Henriquez.

2 Secunda sententia dicit esse licitum facere, & scribere rationes dati, & accepti, siue ordinarias; siue extraordinarias, quamuis totum diem festum in hoc insumat, & licèt sit mercator: immò esset licitum illas ex deletitia charta in principalem codicem transferre. Et idem potest facere Procurator Religionis transferendo rationes dati, & accepti in librum principalem in die festo. Ratio, quia id non faciunt ob pretium, nec hoc est speciale officium suum, & sic non est opus seruile. Sic tenent docti recentiores, qui addunt id practicari sine scrupulo inter Religiosos timoratos. Et hæc sententia est probabilior.

3 Nota tamen, quòd si quis haberet officium in republica faciendi has rationes pretio sibi dato, videtur quòd iam vergeret hoc in opus aliquo modo seruile, & sic illicitum in festis: & forsan posset idem dici de iis, qui ex officio habent prædicta facere aut bonorum partitiones, Hispanè *Partyas*.

## DVBIVM XII.

*An pingere sit opus seruile, & illicitum in festis.*

1 METina *lib.* 1. *summæ*, *cap.* 14. §. 8. *fine*, quem sequitur Ludou. Lopez *in instruct. conse. lib.* 1. *cap.* 52. dicit pingere esse opus liberum, & recreationis gratia posse quem pingere diebus festis; si tamen causa lucri faciat, esse opus seruile, & illicitum.

2 Sit tamen conclusio. Pingere de se est opus seruile, sicut facere statuam, & decolorare libros, vel literas, Hispanè, *illuminar*. Sic Caietan. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *colum.* 5. *in medio*, *ad* 2. *dubium*. Pedraza *summa*, 3. *præcepto*, & communiter docti recentiores Magistri.

3 Hinc fit, non licere pingere in festis recreationis gratia, sicut non licet sculptori facere imaginem Crucifixi ex ligno sculptam recreationis gratia: nec pictori licet in festis pingere imaginem ad donandum, nec pictori Religioso licet in festis pingere, etiam suo conuentui, licèt prima opinio non omnino carcere probatione videatur, præsertim pro aliqua vice, dummodo non multum extendatur. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XIII.

*An molere sit licitum in festis.*

1 ABul. *c.* 12. *Exodi*, *q.* 38. videtur omnino id reprobare tanquam illicitum.

2 Sit tamen conclusio. Licitum est in festis molere mola trusatili, id est *de viento*, vel aquaria, id est *de agua*, non tamen in pistrino, id est, *atabona*; quia hoc habet magnam occupationem, & laborem, illud verò minimè. Sic Nauar. *in omnibus summis*, *cap.* 13. *num.* 6. Palacios *verbo festorum violatio*, Rosella *verbo feriæ*, *num.* 6. Ludouicus Lopez *instruct. conse. lib.* 1. *cap.* 52. & innuit D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo*; & tenent docti recentiores. Vnde ex consequenti licet in festo triticum in molendinum deferre. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XIV.

*An venatio, & aucupatio liceant in festis.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit licere venationem in festis, si recreationis gratia fiat; secus si causa lucri. Sic Sylvest. *verbo Dominica*, *q.* 5. *conclus.* 6. Rosel. *verbo feriæ*, *num.* 11. Angel. *ibi num.* 26. Margarita 3. *præcepto*, *fol.* 73. Fauet Caietan. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. & Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *ad* 3. vbi dicit licere venari recreationis gratia. Immò Abul. *cap.* 12. *Exodi*, *q.* 24. dicit esse mortale venari causa recreationis, nisi modico tempore.

2 Secunda sententia docet licere etiam causa lucri, & ex officio. Ratio, quia non est opus seruile, sed commune liberis, & seruis, & spes lucri nil confert, vt *supra* dictum est. Hanc tenet Metina *lib.* 1. *summæ*, *cap.* 14. §. 8. *fine*, Ludouic. Lopez *in instruct. conf. lib.* 1. *c.* 52. Toletus *in summa*, *lib.* 4. *c.* 24. Nauarr. *in omnibus summis*, *cap.* 13. *n.* 11. Palacios *in summa*, *verbo festorum violatio*. Fauet etiam Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 4. *sub finem*, *vers. at verò*; & tenent docti recentiores, & hæc sententia est probabilior.

3 Mota, idem, quòd dicitur de venatione, dicendum esse de aucupatione, propter eandem rationem; licèt hæc sit magis publica, & fiat cum maiori occupatione. Sic docti iuniores: licèt Sylvest. *vbi supra* dicat, licere tantùm recreationis gratia, secus causa lucri; sicut de venatione dixerat.

## DVBIVM XV.

*An sit licitum piscari in diebus festis.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit causa recreationis esse licitum, non tamen principaliter propter lucrum. Probatur ex *c. licet*, *de feriis*, vbi Ecclesia dispensat, vt fas sit in festis piscari halecia, eo quòd certo tantùm anni tempore apparent: sed exceptio firmat regulam in contrarium; ergo: aliàs non esset opus dispensatione. Sic Sylvest. *verbo Dominica*, *quæst.* 4. *conclus.* 6. & *verbo piscari*, & *verbo ludus*, *q.* 2. *part.* 7. Armil. *verbo festum*, *num.* 20. & *verbo piscari*, *num.* 1. Tabien. *verbo piscari*, & aliqui docti iuniores.

2 Secunda sententia docet licere etiam causa lucri. Ratio, quia si est opus seruile, non licet etiam gratia recreationis: si est liberale, aut commune, licet etiam gratia lucri, vt dixi *dub. præcedenti*, *de venat.* Hanc tenet Palacios *in summa*, *verbo festorum violatio*; & credo esse veriorem, vbi piscatio habet paruam occupationem, vt arundine piscari. Et ita concludit quidam valde doctus recentior in suis scriptis, vbi hæc dicit: Non videtur condemnandus, qui tota die festi, audita Missa, arundine piscaretur, etiamsi id faceret omnino propter lucrum, quia est parua occupatio, & id admisit consuetudo; & addit id visum esse pluribus viris doctis ex Societate de hac re consultis. Si tamen piscatio magnam habet occupationem, vt piscatio thunnorum, & halecium, est seruile, & nullo modo licet: etiam gratia recreationis, nisi propter necessitatem: & in hoc casu loquitur *d. cap. licet*, sicut *supra dub.* 13. dixi non licere in festis molere in pistrino, quia magnam habet occupationem, at licere in aliis molendinis molere, quia non habet tantam occupationem.

## DVBIVM XVI.

*An sit licitum in Dominicis, & festis torneamenta exercere, & ludum, qui Hispanè justas vocatur, & alios similes.*

1 ALiqui censent esse peccat mortale. Sic Richard. 3. *dist.* 37. *art.* 3. *q.* 4. Angles *verbo chorea*, *initio*.

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Sit tamen conclusio: omnia hæc sunt licita in festis, quia non sunt opera seruilia. Sic Armill. *verbo chorea, n.*1. Sylvest. *verbo chorea, q.*1. *&* *verbo ludus, q.* 2. Corduba *summa, q.*42. Sotus *lib.*2. *de iust. q.*4. *art.*4. Caiet. 2.2. *q.*168. *art.*3. *dub.*3. immò addit Sylvest. quòd si quis araret ludo, & ioco, non esset opus seruile: idem enim opus seruile potest fieri non seruile ex fine, vt pingere est seruile, & si fiat ad addiscendum, est liberale.

## DVBIVM XVII.

*An exercere huiusmodi ludos in Aduentu, & Quadragesima, sit peccatum mortale.*

1 ALiqui tenent esse mortale exercere hoc publicè tempore deuotionis, & pœnitentiæ, scilicet ab Aduentu vsque ad Epiphaniam, & à Septuagesima vsque ad Pascha; nisi interueniret aliqua causa rationabilis, vt victoria aliqua, natiuitas alicuius Principis, aut ingressus eius, &c. Sic Sylvest. *verbo chorea, q.*1.

2 Alij dicunt in Aduentu non esse peccatum mortale, at in Quadragesima esse graue peccatum, & in dubio censendum esse mortale. Sic Corduba *summa, q.*42.

3 Sit tamen prima conclusio. Hoc iudicandum est, an sit mortale secundùm magnitudinem irreuerentiæ, vel scandali contingens ex torneamentis; quod arbitrio boni viri secundùm circunstantias occurrentes iudicandum est: & non parum refert, an sic in principio Quadragesimæ, vel post Dominicam in passione. Vnde ante Dominicam in passione communiter credo non esse mortale, licèt tantùm fiat recreationis gratia. Sic tenent docti iuniores, & idem alij videntur tenere qui dicunt, quòd si huiusmodi ludi fierent tempore deputato ab Ecclesia ad tristitiam, vt in Hebdomada sancta, esset mortale ob scandalum.

4 Secunda conclusio. Qui tamen tunc talibus ludis interessent, non peccarent mortaliter, quia ad priuatos non spectat discernere, an sit causa sufficiens ad eos ludos; & non dicuntur consentire peccato aliorum. Sic docti recentiores contra Cordubam, *vbi suprà.*

5 Tandem nota, quòd Corduba *vbi suprà*: ait, omnes dicere esse mortale ludere publicè pila, vel aliis ludis in die Cœnæ Domini, vel Parasceue: at Sylvest. *verbo ludus, quæst.*2. *part.*7. tantùm ait, quòd ludere tunc pila posset esse mortale propter magnitudinem irreuerentiæ, quod relinquit arbitrio boni viri. Sed forsan loquitur Sylvest. *de ludo pilæ secreto*, vt loquatur consequenter iis, quæ dixerat. Sic prædicti recentiores.

## DVBIVM XVIII.

*An ratione necessitatis fas sit in diebus festis seruilia exercere.*

1 SIt conclusio. Ratione necessitatis excusantur exercentes opera seruilia in festis. Ratio, quia est præceptum humanum, à quo necessitas excusat. Hæc est communis omnium, & magis explicabitur descendendo ad casus particulares. Hinc infertur

2 Primò excusare necessitatem eorum, quæ ad diurnum victum pertinent, hoc est, ad condiendos cibos, ignéque parandos, qualis est coquorum opera, quod etiam ratione consuetudinis posset excusari. Sic tenent omnes.

3 Secundò eadem ratione fas est in festis facere pastillos, seu artocreates. Sic Sotus *lib.* 2. *de iust. quæst.* 4. *artic.*4 *ad* 3. & quamuis pistores, Hisp, *Pasteleros*, obtinuerint bullam à Romano Pontifice, in qua illis pastillos in festis facere concedit, exceptis quibusdam diebus, sine illa possunt id facere. Sic docti iuniores.

4 Tertiò pistores, Hisp. *los Panaderos*, & furnarij non excusantur, quia panis potest pridie festi confici, nisi tantus esset festorum concursus, vt id exigeret, aut si superueniret multitudo egentium pane. Sic Sotus, Caietanus *in summa, verbo festorum violatio*, & alij.

5 Quartò hinc à fortiori sequitur esse peccatum mortale, facere in festo saccharo condita, vt Hispanè, *mazapanes, alcorças, confites, conservas*, & illa deaurare, &c. licèt gratis fiat. Alcozer *summa, cap.*17. & docti recentiores.

6 Quintò hinc sequitur ex eodem capite necessitatis excusari eos, qui in magnis oppidis in die festo occidunt, & excoriant arietes, & boues, & præparant, vt carnes vendantur, quia, vt supponimus, in talibus oppidis non potuerunt omnia animalia necessaria commodè præparari die præcedenti. Sic Caiet. *vbi suprà*, Nauarr. *in omnibus summis, cap.*13. *n.*6. Angel. *verbo feriæ, n.*11. D. Anton. 2. *part. tit.*9. *cap.*7. *§. vltimo*, Sylvest. *verbo Dominica, q.*5. Sotus *vbi suprà*. Vnde in paruis oppidis regulariter hoc non est licitum; quia commodè possunt die præcedenti præparari animalia. Sed si non possunt commodè præparari, vt in tempore æstiuo, vel continuorum festorum, id licèt. Sic colligitur ex Doctoribus citatis, & tenent docti iuniores.

7 Sextò ratione necessitatis licitum est in die festo verrere domum, in qua prandendum est, & quod quotidie consueuit verri, & omne id, quod ratione munditiæ, & decentiæ expedit esse mundum in die festo: non tamen licet verrere in die festo id, quod nec ex necessitate, nec ex decentia opus erat, & poterat præueniri ante diem festi; quia verrere de se est opus seruile. Et ita videntur sentire Sylvest. *verbo Dominica, quæst.*5. Tabiena *verbo feriæ, num.*18. Angel. *num.*10. Margarita confess. 3. *præcepto*, vbi excusant verrentem domum à peccato mortali ratione modicitatis; licèt Menesez *in libro Iuz de lazma*, circa tertium Decalogi præceptum, dicat licere verrere domum in festis, sicut cibos condire. Sic prædicti iuniores.

8 Septimò hac ratione excusantur chirurgi, barbitonsores, scindentes venas in die festo, &c. secundùm omnes.

9 Nota tamen, quòd pharmacopolæ non excusantur, nisi iuxta necessitatem diei præsentis, quia est ars seruilis, quam sola necessitas facit in festo licitam. Sotus *vbi suprà*, & docti iuniores.

10 Octauò hac ratione excusantur laborantes ad vitandum damnum imminens tam in rebus propriis, quàm proximorum, vt benè D. Thom. 2.2 *quæst.*122. *art.*4. *ad* 3. & omnes. Vnde ex hoc capite fas est in die festo tempore messis flante aëre perpurgare grana, Hisp. *auentar*. Immò verò vbi aëris inclementia timetur ita, vt boni viri arbitrio immineat damnum, possunt areæ teri, & segetes meti, licèt hoc non sit tam facilè permittendum. Sotus *vbi suprà*, Toletus, & docti iuniores, qui addunt cum Soto, quòd quando necessitas est dubia, consultius est adire Episcopum, vel saltem curatum, per quem hæc liceant, & tunc non est dispensare, seu declarare legem.

11 Nota, quod etiam cessante necessitate ex consuetudine antiquissima sunt licita aliqua minuta, quæ solent facere agricolæ in vere, dum habent segetes in area, vel illas extendere, scilicet triturum vertere, tendere, aut separare. Et idem est de consuetudine hortulanorum rigantium olera in die festo, maximè quando in his omnibus semper interuenit aliqua necessitas. Sic prædicti iuniores.

12 Nonò hac ratione excusant aliqui laborantes in die festo ad vitandam otiositatem, vel aliud peccatum. Vnde hac ratione excusantur domicellæ, quæ hoc fine post suas deuotiones laborant in festis; non autem si principaliter causa lucri laborant. Sic Sylvest. *verbo Dominica, q.*5. *conclus.*4. Margarita 3. *præcepto. fol.*72.

13 Sed verius est non excusari propter otiositatem vitandam, quia potest hæc vitari exercendo aliud opus bonum licitum: qui autem id faceret ad repellendam tentationem aliquam grauem occupatione illa; quia fortè tunc non occurrit illi aliud medium opportunius, poterit excusari. Sic docti iuniores: & in hoc casu tenet verum opinio Sylvestri.

14 Decr



14 Decimò hac ratione excusantur ferrantes equos agentium iter. Sic Caiet. *locis citatis*, Nauar. *cap.*13. *in omnibus summis, num.*6. Sylvest. *verbo, Dominica, q.*5. Sotus *vbi suprà*, & communiter Magistri. Aliorum tamen existentium in populo, & non agentium iter non possunt ferrare equos: vt bene docent multi viri docti de hac re consulti.

15 Vndecimò hac ratione excusantur, qui sunt adeò indigentes, vt nisi laborent in festis, non possint se, suósque sustentare sine magna incommoditate: debent tamen secretò id facere ob vitandum scandalum. Sic Nauar. *in omnibus summis, cap.*13. *num.*11. Caietan. *in summa, verbo festorum violatio*, Pedraza *in summa* 3. *præcepto*. Sylvest. *verbo Dominica, q.*5. Ludouic. Lopez *vbi infrà*, Cardin. Toletus, & alij.

16 Duodecimò hac ratione excusantur serui, & famuli, & subditi, qui iusto metu compelluntur à dominis laborare in festis, non in festorum contemptum, quando nisi id faciant, imminet eis graue damnum in persona, vel in rebus. Nauar *in omnibus summis, c.*13. *num.*7. Caietan. *vbi suprà*. Margarita 3. *præcepto*, D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.*7. *§. vltim.* Ludou Lopez *instruct. consc. lib.* 1. *cap.*52. Cardin. Tolet. & docti recentiores.

17 Idem similiter dicendum est de vxoribus, & filiis, qui sunt sub potestate virorum, & parentum. Sic idem.

18 Nota, quòd si famuli prædicti sunt obligati famulari vsque ad certum tempus, non tenentur propter hoc, quòd dominus eos facit laborare in festis deferere dominos: at finito tempore debent ab eis discedere. Nauarrus *vbi suprà*, & alij. Qui verò sunt liberi, debent potiùs dimittere dominos talia præcipientes, nisi inde graue damnum incurrant: si enim deserendo hunc dominum non inuenirent alium in tota ciuitate, & sic fame perirent, non tenentur tanto detrimento. Sic videtur, sentire Nauar. *ibi*, & tenuerunt multi viri docti, & Toletus *in summa*. Vide quæ in similibus dicemus de his famulis in *tractatu de ad auditione Missæ, dub.*17.

19 Hinc infertur, quid dicendum sit de famulis barbitonsorum, qui communiter laborant in festis: si enim sunt addiscentes, qui obligati sunt ad seruiendum per annum, vel annos, & compelluntur à dominis laborare in festis, excusantur iuxta sententiam dictam Nauarri. Si verò sunt officiales liberi, qui non sunt obligati ad seruiendum, & possunt inuenire in ciuitate aliquem, qui non compellat laborare, tenentur: si verò nullum inueniant, excusantur, nec tenentur transire ad alium locum, vbi hoc non sit in vsu; quia præceptum hoc non obligat cum tanto detrimento. Et idem dicendum est de addiscentibus, & officialibus aliorum officiorum, qui compelluntur in festis laborare. Sic docti iuniores.

20 Nota, quòd si Episcopus fulminaret excommunicationem contra laborantes in festis, qui laborant ob necessitatem, non ligantur; quia debet intelligi iuxta ius commune, id est, nisi in casibus iure concessis: & si Episcopus exprimeret etiam in casu necessitatis, sententia esset nulla; quia continet errorem intolerabilem, & expresè contra ius, *cap. fin. de feriis*. Sylvest. *verbo Dominica, q.* 7. Nauarr. *in omnibus summis, cap.*13 *num.*15. Ludou. Lopez *vbi suprà*, & alij.

21 Decimotertiò hac ratione excusantur, qui communes artes exercent in festis, quæ artes exigunt continuationem operis absque discretione dierum; ita quòd si oporteret discernere inter diem, & diem, non inuenirentur hæ artes vtiles. Huiusmodi sunt ars nauigatiua etiam in fluminibus ex consuetudine. Sic Caiet. 2. 2. *vbi suprà*, & *in summa, vbi suprà*, & docti recentiores. Et hac ratione excusantur, qui furnos conflandi vitri accendunt in festis. Soto *vbi suprà*, Sylvest. *verbo Dominica, quæst.*5. Nauarr. *in omnibus summis, cap.*13. *num.*6. Caiet. 2. 2. *& in summa, vbi suprà*, & docti iuniores, qui addùt hoc licere continuando, non tamen incipiendo: & hoc idem notat Caiet. *in summa, vbi suprà*. Sed hoc iudicandum videtur iuxta consuetudinem, & iuxta detrimendum, quod sequeretur, si non possent incipere in festis: de qua re ipsimet officiales informabunt. Sic docti iuniores. Et si fornax læditur, si non nutriatur continuè ignis, certum est licere, vt ait Sylvest. *verbo Dominica, q.*5. Eadem ratione excusantur coquentes, saponem, quia si oporteret quiescere diebus festis, talis ars esset damnosa, & impossibilis sæpè, vbi in decoctione plusquam sex dies requiruntur, cùm septimus sit dies festus. Ita Caiet. & idem sentiunt Doctores citati.

22 Nota quòd idem dicunt aliqui de coquentibus calcem, lateres, ollas, & huiusmodi. Sic Caiet. Nauar. Angel. *verbo feriæ, num.*19. Pedraza 3. *præcepto*, Sed Sotus *vbi suprà*, dicit quòd in his non videt tantam necessitatem; & ita veritas est, quòd decoctio horum maximè laterum, tegularum, & ollarum non requirit continuationem tot dierum, quin regulariter possit fieri diebus professis: & sic non excusabuntur laborando in die festo, nisi in aliquo casu, propter necessitatem priuatam, vel publicam. Sic videntur tenere Caiet. & Nauar. si attentè legantur, quia tantùm eos excusant vbi decoctio exigit plusquà sex dies continuos, & tenent docti recentiores.

23 Nota, quòd quamuis sufficerent sex dies, vel quinque, non essent obligandi, vt expectarent ad coquendum in hebdomada, in qua non occurreret festum; quia sic esset damnosa ars, & non inuenitetur, qui illam exerceret, sed dummodo bona fide incipiant die professo, quoniam decoctio requirit quatuor, vel quinque dies continuos, excusarem illos, licèt occurrat aliquis dies festus. Sic docti iuniores.

24 Decimoquartò excusantur, qui propter reipublicæ ornamentum laborant in festis, vt propter torneamenta ad faciendas vestes, Hisp. *libreas*, & ad facienda tabulata: & similiter videtur dicendum, quòd in aduentu Regis, vel Reginæ, vel Principis, fas esset pro ornamento reipublicæ laborare in festis ad perficienda aliqua publica ædificia, & arcus, quos Triumphales vocant. Sic Sotus *vbi suprà*, Palacios *summa, verbo festum*, Toletus *in sua summa*, & alij; licèt nonnulli viri docti teneant oppositam sententiam, nisi in casu repentinæ necessitatis, vt repentini aduentus Principis, sed primum est verius.

25 Nota, quòd in his omnibus salubrius est semper dispensationem Episcopi quærere, qua obrenta cessabit omnis scrupulus, & Prælati possunt licitè dispensare. Sic Sotus, & docti recentiores.

26 Hinc fit primò licere in festo, quando fit publicus actus inquisitionis, reficere, vel corroborare aliqua tabulata, quando est necessitas, immò tanta posset occurrere multitudo plebis inopinata, vt esset causa sufficiens ad facienda noua tabulata, & præsertim si obtineretur licentia Prælati, tolleretur omnis scrupulus. Sic præfati recentiores.

27 Secundò sequitur, quòd si recitanda est comœdia in die festo, possunt fieri apparatus, qui commodè non potuerunt præueniri. Sic Toletus *in summa*, & alij.

## DVBIVM XIX.

*An sufficiens causa sit exercendi seruilia in festis cessatio magni lucri occurrentis repentè, & transitory.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit id non licere. Sic Margarita confess. 3. *præcepto. fol.*71. Sylvest. *verbo Dominica, quæst.*4. *particula* 3. & limitant, nisi ex Episcopi dispensatione, & si hic non potest haberi, proprij sacerdotis, nisi esset talis vtilitas, quod creditur, quòd si Episcopus adesset, dispensaret, tunc enim locum haberet ratihabitio. Idem absque limitatione hac tenet Abul. *cap.*12. *Exodi, q.*23.

2 Secunda sententia, quæ probabilior est, dicit hanc esse causam sufficientem; tum quia huiusmodi lucrum

cessans

Universidad de Deusto
Biblioteca



cessans reputatur graue damnum: tum etiam, quia *cap. licet, de feriis*, dispensatum est in piscatione halecium, vt dicam *dub. sequenti*, quia certo tempore apparent, ne perdatur illud lucrum transitorium: ergo cùm in hoc casu militet omnino eadem ratio, idem est ius, Sic Caiet. *summa verbo festorum violatio*, Alcozer *summa, cap.* 17. Palacios *in summa, verbo festum*. Ang. *verbo feria, num.* 34. Rosella *ibi*, Armil. *verbo festum, n.* 20.

## DVBIVM XX.

*An ex Ecclesiæ dispensatione fas sit laborare in festis.*

1 SIt prima conclusio. Certissimum est apud omnes id esse licitum ex Ecclesiæ dispensatione, quia hoc est de iure positiuo.

2 Nota Ecclesiam dispensasse *cap. licet, de feriis*, vt in Dominicis, & aliis festis, præterquam in maioribus anni solemnitatibus, piscari halecia, id est, *los arenques*, liceat: quod est genus quoddam pisces, quod rarò & certis temporibus apparere solet: & glossa *dicto cap. licet*, notat maiores solemnitates dici Natale Domini, Epiphaniam, Paschæ, Ascensionem, & festum Pentecostes.

3 Secundò nota, quòd *in dicto cap. licet*, apponitur hæc moderatio, scilicet, quòd post factam capturam Ecclesiis circumpositis, id est, *mas cercanas*, & pauperibus congruam aliquam dent portionem: quod aliqui credunt esse præceptum. Sic Angel. *verbo feria, n.* 35. idem expressè videntur tenere Caiet. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. & *in summa, verbo festorum violatio*, & Nauar. *in omnibus summis, cap.* 13. *num.* 9. Sed verius est hoc esse tantùm consilium. Sic Armil. *verbo festum, num.* 20. Tabien. *verbo feria, num.* 45. Sylues. *verbo Dominica, quæst.* 4 *part.* 3 Ludouic. Lopez *in instruct. conscient. lib.* 1 *cap.* 52. & docti iuniores, & insinuat Sotus *lib.* 2. *de iust. quæst.* 4. *art.* 4. vbi referens dispensationem *d. cap. licet*, non meminit huius eleemosynæ, quasi insinuans non esse sub præcepto.

4 Tertiò nota, quòd etiam in maioribus solemnitatibus, secluso scandalo, non esset mortale piscari halecia. Sic prædicti iuniores.

5 Quartò nota, quod dictum est de halecibus, dicendum esse omnino de piscatione thunnorum, & aliorum similium piscium, qui tantùm certo anni tempore, eóque breui apparent, & piscari possunt. Sic Sotus *vbi suprà*, Caiet. Nauar. Ludou. Lopez, & alij, cùm enim sit eadem ratio, videtur in his etiam in illo *cap. licet*, dispensatum.

6 Secunda conclusio: non tantùm Papa, sed etiam Episcopus, immò & parochus, vbi sic habet vsus, potest dispensare, vt quis laboret in aliquo festo. Sotus *vbi suprà*, & aliqui docti iuniores; licèt Sylvest. *verb. Dominica, quæst.* 3. doceat solùm Episcopum hoc posse.

## DVBIVM XXI.

*An ex consuetudine excusentur à mortali barbitonsores tondentes barbam in festis, sartores perficientes aliquas vestes in festis, & sutores circunscindentes calceos Hisp.* desuitar.

1 SIt prima conclusio. Hi non excusantur à peccato mortali ex consuetudine. Ratio, quia talis consuetudo non est tolerata, & recepta, sed semper fuit, & est reprehensa à Prælatis, & Confessariis, & viris doctis, & sic ipsimet existimant, & meritò, in hoc peccare mortaliter, & timorati eorum id non faciunt. Sic Toletus *in summa*, & docti iuniores, & confirmant non esse talem consuetudinem, siquidem à Prælatis, ne prædicta faciant, compelluntur. Et idem dicendum est de textoribus, qui diebus festis instrumenta texendi præparant in festis, quando in hoc notabile tempus consumunt. Sic resolutum est à quibusdam viris doctis de hoc consultis. Et de barbitonsoribus specialiter hoc etiam tenent Ludouic. Lopez *in instruct. conse. lib.* 1. *cap.* 52. Nauar. *in omnibus summis, cap.* 13 *n.* 9. & docti iuniores, & videntur tenere Palacios *in summa, verbo festum*, & Caiet. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. vbi tantùm ratione paruitatis materiæ excusant hoc à mortali.

2 Secunda conclusio: hi possunt excusari à peccato mortali ratione necessitatis, vt si barbitonsor tondeat aliquem causa necessitatis salutis corporalis, qualis esset dolor grauis capitis, vel aliquid huiusmodi. Sic Caiet. *vbi suprà*, & docti iuniores. Sed est aduertendum aliquos asserere, quòd non est necessitas, nec causa sufficiens ad excusandos illos: quòd id faciant propter solemnitatem Paschatis, etiam cum suis parochianis. Quod ego intelligo, quando inde non sequitur aliud incommodum, nam si qui nolunt in Paschate, & aliis diebus solemnibus satisfacere suis parochianis, probabiliter timent, quòd eos deserent, & aliis adhærebunt, & sic patiuntur detrimentum in sua sustentatione, excusabuntur. Sic docti iuniores.

3 Tertia conclusio. Excusabuntur etiam hi à peccato mortali ex paruitate materiæ, vt si laborent per minus spatium duabus horis. Sic tenent viri docti.

4 Hinc fit non peccare mortaliter tondentes vnam barbam in die festo, quia breui tempore fit. Sic Nauarr. Ludouic. Lopez, Toletus, & alij.

5 Secundò fit à fortiori non peccare mortaliter petentem, & consentientem, vt ibi tondeatur barba; quia excusatur ratione paruitatis materiæ, immò existente ad hoc aliqua causa non esset veniale, vt si quis hoc faceret propter nuptias, vel quia Missam nouam celebraturus est illa die, & die præcedenti fuit occupatus: aut quia venit quis ex itinere, & opus habet tondere. Sic Caietan. Nauar. Toletus, & docti iuniores.

6 Vltima conclusio. Idem dicendum est in oppidis agricolarum, in quibus residet barbitonsor, sed eum non excusari nisi in casibus dictis, & statim dicendis: secus quando ibi non residet, sed aliunde venit, & est consuetudo, quòd veniat in festis ad tondendas barbas; tunc enim potest prædicta consuetudo tolerari, quia non potest commodè fieri aliis diebus: & ita visum est viris doctis de hac re consultis.

7 Tandem excusabuntur barbitonsores, vel propter infirmitatem eius, qui tondetur, vel quia ipsi sunt pauperes, & non possunt aliter sustentari: vel quia deserentur à parochianis; si in diebus festis non volunt illis suum ministerium præstare, & ita detrimentum paterentur, vt ex dictis colligitur. Item quando pastores, vel operarij, vel alij similes rustici, qui in diebus profestis solent semper esse in agro, & diebus festis veniunt ad oppidum, possunt tunc barbitonderi, etiamsi multo tempore duret barbitonsio; quia illi non possunt alia die commodè venire. Sic colligitur ex dictis.

## DVBIVM XXII.

*An ex cultu diuino, ad quem ordinantur, reddantur licita opera corporalia in festis.*

1 DIco primò, quòd opera corporalia, quæ per se ordinantur ad cultum diuinum, habent multos gradus. Primum gradum obtinet administratio Sacramentorum, prædicare: & hæc adeò non prohibentur, vt sint finis, ad quem festa sunt instituta.

2 Secundò dico; in secundo gradu sunt opera illa corporalia, in quibus diuinus cultus per se consistit: vt baiulare crucem, imagines Sanctorum in processionibus, organis, & aliis instrumentis canere: & hæc certissimum est esse licita, etiamsi pretio fiant, quia sunt pars diuini cultus, qui est finis obseruationis festorum. Sic Toletus *in summa*, Nauar. *in omnibus summis, cap.* 13. *num.* 4. Ludou. Lopez *in instruct. conf. lib.* 1. *cap.* 52.

3 Tertiò dico: talia sunt opera corporalia, in quibus non consistit formaliter cultus diuinus, sed sunt præparatoria



ratoria ad diuinum cultum: & hæc sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt simultanea cum ipso diuino cultu, vt pulsare campanas ad Missam, & Vesperas: & hæc certum est esse licita. Alia verò sunt, quæ possunt præcedenti die fieri, vt ornare templum, mundare illud, conficere hostias pro Missis celebrandis, monumento-rum apparatus extruere, & hæc sine iusta causa non possunt fieri in die festo, sed sunt antea præparanda. Ratio. quia hæc sunt seruilia, & possunt esse præparata ante diē festum: ergo sine causa iusta est illicitum ea facere in die festo. Sic Caiet. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. & *in summa, verbo festorum violatio*, Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4 *art.* 4. *ad* 3. Nauar. Ludouic. Lopez *vbi suprà*.

4 Quartò dico. Ex causa autem rationabili fas est prædicta opera facere in die festo. Sic iidem Doctores. Esset autem causa iusta, si festum contingeret in Sabbatho sancto; tunc enim cùm non decuerit prius ornare templum propter luctum passionis, fas est tunc ornare. Caiet. 2.2. *vbi suprà*, & docti iuniores. Similiter si continuatis festis templa immunda reddita sunt, mundanda sunt, ne immunditia inter solemnitates duret. Sic iidem. Et similiter si continuatio festorum exigeret, vt reliqua dicta opera fierent, esset iusta causa. Sotus, & alij. Et generaliter quoties ex causa iusta non potuerunt hæc opera præuenire, possunt fieri in festo. Caietan. *vbi suprà*, *in summa*, & quidam doctus iunior Immò vterque dicit posse etiam licitè fieri in festo, licèt ex negligentia non fuerint facta pridie festi, quia iam sunt necessaria in die festo. Hæc autem negligentia rarò, aut nunquam erit peccatum mortale, sed ad summum veniale, quando quis bona fide putans posse fieri in festis relinquit ea tunc facienda. Sic docti recentiores.

5 Tandem sunt alia opera, quæ non per se ordinantur ad cultum diuinum, sed per accidens possunt ad id ordinari, scilicet ex hoc solùm quòd fiunt ob Dei seruitium, vt colere agros pauperculæ Ecclesiæ, vel hospitalis, vel ad eius structuram vehere lapides, &c. & de his, an sint licita, dicam *dubio sequenti*.

## DVBIVM XXIII.

*An opera seruilia sint licita in festis, propter pietatem, vt propter Ecclesiam, vel monasterium, vel ad pauperes alendos, vel ob pontium, & viarum refectionem.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet esse licita in festis ob pietatem. Probatur ex *cap. conquestus, de feriis*, vbi cùm iudicialia prohibeantur in festis, excipitur, nisi causa necessitatis, vel pietatis: ergo cùm simili modo prohibeantur seruilia, erunt etiam causa pietatis licita. Sic Palacios *in summa, verbo festorum*, Alcozer *in summa, cap.* 17. Margarita 3. *præcepto. fol.* 72. Sylvest *verbo Dominica q.* 5. & *q.* 4. Ang. *verbo feriæ, n.* 9. 28. 32. Tab. *verbo feria, n.* 18. 37. 41. Perez *lib.* 2. *ord. tit.* 1 *l.* 5. *fol.* 41. & 42. glossa *dicto cap. conquestus, verbo pietas*, Palacios *lib.* 2. *de contract. cap. vltimo.*

2 Limitant Sylvest. & Margarita, modò non sit in Dominicis, & festis solemnioribus, nec vsque ad vltimam defatigationem. Palacios verò dicit, modò non sit in Dominica Resurrectionis, & in die Pentecostes.

3 Secunda sententia dicit id non licere propter solam pietatem, vt ad pauperes alendos, vel ædificandam Ecclesiam, vel ad pontium, vel viarum refectionem, nisi concurrat necessitas, v. g. si sit magna necessitas pauperis alicuius, vel si Ecclesiæ, aut pius locus est tam pauper, quòd non habet necessaria ad cultum diuinum, vel ad suorum sustentationem. Probatur primò, quia hæc opera sunt ex suo genere seruilia: ergo non licita sunt extra necessitatem, quia non est prætermittendum opus Religionis, quale est festorum obseruatio, propter pietatem, quoad proximos, in seruilibus operibus, extra articulum necessitatis. Secundo, quia *dicto cap. conquestus*, tantùm datur licentia exercendi iudicialia, causa pietatis; ergo non debet hoc extendi ad opera seruilia, non enim est eadem ratio, quia iudicialia sunt liberalia, & ex se licita in festis, nisi specialiter ab Ecclesia prohiberentur: at seruilia sunt ex se, & iure diuino prohibita in festis. Et hæc sententia est multò probabilior. Hanc tenent Caiet. 2.2. *q.* 22. *art.* 4. & *in summa, verbo festorum violatio*, Armil. *verb. festum, num.* 20. Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. Ludouic. Lopez *in instruct. conf. lib.* 1. *cap.* 52. Turrecrem. *cap. peruenit. de consecr. dist.* 3. *num.* 7. Abul. *cap.* 12. *Exodi, quæst.* 4. Nauar. *in omnibus summis, cap.* 13. *num.* 4. 10. 11. & nonnulli, docti iuniores, ac videtur tenere D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. §. *vltimo.*

4 Nota tamen, quòd hæc opera quando sunt publica, non debent fieri absque Episcopi dispensatione, vel (vt ait Sotus) absque parochi, vbi sic habet vsus. Sic Sotus. Armil. Ludouic. Lopez, Caiet. *summa, vbi suprà*, & hoc visum est pluribus viris doctis, qui addunt, quòd si necessitas esset magna, & euidens, ita vt scandalum cessaret, non esset mortale facere id absque dispensatione. Et similiter quando est consuetudo non reprehensa ab Ecclesia quòd hoc valet pro dispensatione, Caiet. 2.2. *vbi suprà*, & alij.

## DVBIVM XXIV.

*An præter opera seruilia sint etiam alia prohibita in festis.*

1 SIt conclusio. Alia quatuor opera sunt prohibita in festis, licèt non sint seruilia. Primò mercatum: secundò placitum: tertiò iudicium ad mortem, vel pœnam: quartò ne iuramentum præstetur, nisi pro pace, vel alia necessitate. Sic habetur *cap.* 1. *de feriis.*

## DVBIVM XXV.

*Quid nomine mercati intelligatur.*

1 SIt prima conclusio. Nomine mercati intelligitur prohibitus ab Ecclesia contractus emptionis, & venditionis in diebus festis. Hæc conclusio est omnium, quos citabimus.

2 Sed nunquid erit peccatum mortale emere, & vendere diebus festis. Sotus *lib.* 6. *de iust. quæst.* 2 *art.* 2. *concluf.* 5. dicit non esse mortale; nisi adsit scandalum, Valent. tenet 2.2. *disp.* 5. *quæst.* 20. *puncto* 5. *in* 5. *modo*, quo redditur illicita negotiatio.

3 Sit tamen secunda conclusio. Multo probabilius est esse mortale consumere notabilem partem diei festiuæ emendo, aut vendendo. Probatur, quia iuxta omnes exercere seruilia in festis est peccatum mortale: sed emptio, & venditio est prohibita in festis, sicut opera seruilia; ergo. Sylvest *Dominica, quæst.* 5 *concluf.* 2. Idem sentit Caiet. *in summa, verbo festorum violatio*, vbi hoc excusat à mortali, quando modicum tempus consumitur, & est communis sententia.

4 Tertia conclusio, vbi fuerit consuetudo legitima emendi, & vendendi in diebus festis, ea excusat. Ratio, quia hoc est de iure humano, quod potest vnus derogare. Hæc est omnium. Hinc

5 Infertur primò, vbi est consuetudo, vt nundinæ fiant in diebus festis, licitè fiunt. Ratio, quia iam diu est crebertrima de hoc consuetudo, scita, & tolerata à Prælatis. Sic Caiet. *summa, verbo festorum violatio, & verbo venditio, fine*, Sotus *lib.* 2 *de iust. quæst.* 4. *art.* 4. *ad* 3. Sylvest. *verbo negotium, quæstione secunda, & verbo Dominica, quæstione quinta, conclusione quinta*, Angel. *verbo feriæ, numero* 21. Tabien. *num.* 30. Metina C. *de festit. quæst.* 30. Pedraza *in summa.* 3. *præcepto.* Ludouic. Lopez *in instruct. conse. libro primo, cap.* 52. Palud. 4. *dist.* 16. *quæst.* 2. *art.* 4. D. Anton. 2. *tit.* 9. *c.* 7 §. *vlt.* Armil. *verb. festum, n.* 15. Palac. *vbi infrà*, Tolet. *in summa*, & nonnulli recentiores docti.

6 Nota, quòd Sylvest. & Angel. limitant, nisi esset dies

Universidad de Deusto
Biblioteca



dies Dominica, vel maior. Sed dicendum est idem de his, ac de aliis festis, quia hæc prohibitio est de iure humano, & sic potuit consuetudine abrogari. Sic Tabien. Nauar. & Tolet. *vbi suprà*, ait Pium V. edidisse motum proprium, quo prohibuit omnes mercatus, id est, nundinas fieri diebus Dominicis, & Apostolorum, & Beatæ Virginis: sed aiunt Tolerus, & alij viri docti multis in locis non esse receptum, & sic seruandam esse consuetudinem.

7 Secundò infertur mercata, id est, *mercados*, quæ semel, aut bis in hebdomada in aliquibus locis fiunt, licèt Caiet. *vbi suprà*, dicat consuetudine approbari, vt non fiant in die festo, sed transferantur in diem sequentem, si tamen alicubi est consuetudo, vt non transferantur in diem sequentem, sed fiant in ipso die festo, licitum est est fieri. Patet eadem ratione, & etiam ex vsu Salmanticæ, vbi tales mercatus habentur feria quinta, & celebrantur sine scrupulo quocunque die festo in illa contingenti, vt in Ascensione, festo Corporis Christi. Sic Syluest. & & Tabien. Pedraza *vbi suprà*, Palacios *lib. 2. de contract. cap. vltimo*, Tolerus, & alij.

8 Nota similiter licere deferre illa die festi onera, seu merces ad locum, vbi fit mercatus, etiam in bestiis oneratis: nam quando mercatus est licitus, etiam est licitum deferre, quæ in illo vendantur, & illa etiam emere. Sic tenent docti iuniores.

9 Tertiò infertur licere & vendere, & emere diebus festis vinum, herbas, fructus, carnes, &c. & reliqua ad minutum necessaria pro vsu illius dei; tum quia in his excusat necessitas, tum etiam propter consuetudinem visam diu. & toleratam à Prælatis: nisi Episcopus aliquid horum prohibeat, & reprehendat tali hora, vel ante Missam, &c. Sic Syluest. *verbo Dominica, quæst. 5. concluſ. 2.* Angel *verbo feria, num. 12. 13.* Tabien. *num. 21. 22.* Nauar. *cap. 13 in omnibus summis, num. 6.* Caiet. *summa, verbo festorum violatio, & 2. 2. quæst. 122. art. 4.* Tolet. *in summa*, Armil. *vbi suprà*, Graffis *lib. 2. decis. cap. 34. num. 20.*

10 Nota Angel. Tabien. Nauar. Hispanè hoc limitare, quando hæc venduntur ad necessitatem; secus quando ad gulositatem: sed verius est licere etiam ad gulositatem; quia quod vni est gulositas, alteri est necessitas. Sic Syluest. Nauarr. summa Lat. *dicto numero sexto*, & Graffis.

11 Quartò infertur, quòd non peccant pinsores, & agricolæ, & alij huiusmodi, qui diebus festis ex suis oppidis deferunt ad alia oppida, vel ciuitatem, iumenta onerata panibus, vel fructibus, & aliis huiusmodi, quæ tunc licet vendere ad minutum, quia eadem ratione, qua fas est vendere, est etiam licitum deferre ad vendendum. Sic docti iuniores.

12 Quintò infertur licere etiam ex consuetudine vendere, & emere diebus festis in auctionibus publicis, vbi est consuetudo tolerata, & non reprehensa à Prælatis, Nauar. *in omnibus summis, cap. 13. num. 8.* Sotus, Palacios *vbi suprà*. Et habet optimam rationem hæc consuetudo; quia aliis diebus emptores non comparent.

13 Sextò infertur non esse condemnandos eos, qui habent officium mercimoniæ in diebus festis, clausa principali ianua domus, seu officinæ vendunt per illam tamen paruam, vbi est consuetudo, quòd ita fiat; consuetudo enim eos excusat præterquam quia quòd sic vendunt, est in plurimum ad minutum, & necessaria illius diei: vnde hinc etiam possunt excusari, iuxta dicta. Sic tenent viri docti.

14 Septimò infertur, quòd vestes veteres vendentes, Hispanè, *Ropa vejeros*, qui in diebus festis habent suas officinas apertas, & sunt parati ad vendendum iis, qui venerint, non sunt damnandi ad mortale, vbi fuerit talis consuetudo sita, & tolerata à Prælato; tum quia hæc consuetudo eos excusat: tum quia habere ianuas apertas non est ex operibus vetitis. Et licèt sint parati ad vendendum iis, qui venerint, at communiter pauci veniunt, & velle modicum occupari non est mortale. Item quia communiter, qui illis diebus veniunt empturi, vel sunt iter facturi, vel agricolæ, quibus aliis diebus venire non licet propter suas occupationes. Immò addo, quòd licèt Prælatus sub excommunicatione præceperit, vt diebus festis non venderent, si tamen adhuc isto præcepto non fuit ablata consuetudo, & iam illud præceptum præteriit: nec modò puniuntur, nec exigitur ab illis pœna, eo quòd vendant; dico quòd licèt tunc quando vigebat mandatum Prælati, peccauerint mortaliter non obediendo, vt tenet Nauarr. *in omnibus summis, capite decimo tertio, numero octauo*, at postea non peccabunt; quia est abolitum, vel non receptum, & est iudicandum iuxta dicta. Et idem dicendum est de sutoribus vendentibus calceos in die festo.

15 Nota ampliùs probari, & certiora esse in Granatæ regno, vbi est executoria facta anno 1518. vbi sic dicitur: *Puedan todos los zapateros, y los otros officiales vender todas las fiestas, con tal que donde tienen dos puertas, la vna este cerrada y no vendan mientras en Missa mayor, porque en tiempo de los Reyes Don Fernando, y Donna Isabel por su mandado se juntaron Iuez Eccleſiastico, y seglares, y la mayor parte voto, que se podia vender, porque se probo ser costumbre de Castilla, y Andalucia.* Hæc *ibi*, & in Synodo Granatensi sub Dominico Petro Guerrero coacta, anno 1571. *lib. 2. tit. 3. de feriis*, dicitur sic. *Mandamos a los officiales, que tienen tienda de merceria, y Zapateros, sastres, calzeteros, que las tienda no esten abiertas las fiestas alomenos mientras en Missa mayor.* Hæc *ibi*. Vnde præter tempus, in quo celebratur Missa maior, permissum est illis, & non mulctantur pœna.

16 Quarta conclusio. Quando non est magna occupatio, vt fieri solet in emendis, & vendendis candelis, & aliis similibus, in quibus non est de pretio conueniendum, quia iam æstimata sunt; vel citò fit æstimatio, non est mortale. Sic Nauar. dicens esse omnium, in omnibus summis, *cap. 13. num. 8.* Angel. *verbo feria, num. 13.* Tabien. 22. Sylueſter *verbo Dominica, quæstione quinta conclusione 2.*

17 Vltima conclusio. Emere, aut vendere in diebus festis solum verbis, & confabulatione contrahendo, non esset peccatum mortale, licèt multum tempus in hoc consumatur: & in hoc casu est vera Soti sententia citata; & possumus dicere, quòd *in cap. 1. de feriis*, tantùm prohibentur emptiones, & venditiones, præsentibus mercibus cuiusmodi sunt, quæ fiunt ab officialibus in suis officinis: & istæ prohibentur fieri, vt cesset strepitus populi, vel saltem possumus dicere, quòd consuetudo sic hoc interpretata est. Probatur, quia satis communiter fit à timoratis, & etiam Religiosis, consumere totum vesper in die festo in ineunda venditione domus, vel hæreditatis, & in conueniendo de pretio. Et tamen nunquam vidi, nec audiui ab aliquo damnari. Item quamuis equus, vel bos, qui venditur, sit præsens, & totum vesper insumatur in conueniendo de pretio in die festo; non videtur peccatum mortale; sicut nec refert, quòd domus, quæ venditur, sit præsens: quia sola illa publicitas officinarum videtur esse prohibita, & illa est, quæ causaret scandalum; & quòd postea referatur, quòd in die festo facta est conuentio de pretio domus nullum scandalum causaret: ergo signum est id non reputari vt peccatum, & per conseqnens hæc consuetudo sufficit, vt hoc sit licitum hoc modo, licèt aliàs esset prohibitum: & ita non est peccatum mortale ire in die festo ad emendum triticum ad oppida, etiamsi tota dies insumatur, quærendo illud, & in conueniendo de pretio, & negotiando verbis tantùm, & confabulatione, licèt nulla esset necessitas; secus si mensurandum esset in festo, vel bestiæ onerandæ, quia hoc est opus seruile. Et ita tenent docti iuniores, & magis constabit ex dicendis dubio sequenti.





## DVBIVM XXVI.

*An nomine mercati intelligantur etiam prohiberi ab Ecclesia omnes negotiationes, vt locationes, conductiones, & similis contractus.*

1 ET in primis supponendum est, quòd negotiatio non est opus seruile, & sic ex hac parte non est prohibita, vt benè Caiet. 2. 2. *q. 122. art. 4. dub. vlt.* Sotus *lib. 2. de iust. q. 4. art. 4.* Vnde si ex aliqua parte debet esse prohibita, esse debet propter *cap. 1. de feriis*, vbi prohibetur fieri mercatum in festis.

2 Aliqui existimant nomine mercati *cap. 1.* prohiberi ab Ecclesia vniuersaliter omnes negotiationes, vt locationes, conductiones, &c. idem Syluest. *verb. Dominica, q. 5. concluſ. 2.* Angel. *verbo feria, num. 20.* Tabien. *num. 29.* vbi solùm excusant hi tres authores conducentes operarios in die festo, quando aliis diebus inuenire nequeùt: & quod ampliùs est, solùm excusant exigentes debita à suis debitoribus, si aliis diebus quàm festiuis non inueniant eos.

3 Sit tamen prima conclusio. Nomine mercati solùm intelliguntur prohibiti ab Ecclesia contractus emptionis, & venditionis: vnde reliqui contractus liciti sunt in diebus festiuis. Probatur, quia nomine mercati solùm videtur intelligi emere, & vendere: & licèt in rigore intelligeretur quælibet alia negotiatio, & contractus, at ex consuetudine communi, & timoratorum, & sapientium, videntur iam alij contractus liciti; cõmuniter enim in Ecclesiis cathedralibus, & vniuersitatibus in diebus festiuis locantur redditus: item nullus timoratus facit scrupulum, quòd conduxerit domum die festo, licèt aliquando totum vesper diei festi in hoc consumatur: & Caietan. *vbi suprà*, expresè fatetur ex consuetudine licitum esse in die festo locare, & conducere equos, & operarios pro die sequenti. Item quis dicet esse peccatum mortale conuenire cum architecto in die festo de facienda domo, etiamsi longum tempus in hoc insumatur, cùm videamus communiter in festis fieri.

4 Secunda conclusio. A fortiori est licitum in diebus festis exigere debita à debitoribus, & adire oppida ad exigendos numos, gallinas, & alias res minutas, quæ sunt debitæ, idque etiam absque vlla necessitate, quia iter agere non est opus seruile, nec etiam exigere debita. Sed si id quod exigendum est, sit triticum, quod mensurandum est, & ad alium locum transferendum, id non liceret, nisi ex necessitate, scilicet, quia alia die rustici inueniri nequeunt absque incommoditate.

## DVBIVM XXVII.

*Quid intelligatur nomine Placiti, & an liceant aliquando lites, & processus iudiciales in festo.*

1 SIt prima conclusio. Nomine Placiti, quod prohibetur diebus festis intelliguntur iudiciales lites, & omnis processus &, strepitus iudiciales, & vsque adeò prohibentur diebus festis, vt etiam consentientibus partibus, nec processus iudicialis, nec sententia teneat, vt habetur *cap. conquestus de feriis*, & tenent *ibi* Panorm. & omnes, Sylueſt. *verb. Dominica, quæst. 3.* Caiet. *2. 2. q. 122. art. 4. & in summ. verbo festorum violatio*, Armilla *verb. festum, num. 14.* Petez *lib. 1. ordin. tit. 1. lib. 5.* Angel. *verbo feria, num. 38.* & alij.

2 Nota, quòd peccat mortaliter iudex exercens actum iurisdictionis in festis, nisi meræ exequutionis. Nauar. *in omnibus summis, c. 13. num. 13. & c. 25. n. 25.* Immò iuxta Sylueſtrum, & Panorm. *vbi suprà*, & Angel. *verbo feria, n. 39* iudex exercens in die festo actum voluntariæ iurisdictionis, vt emancipare, contractus inire, peccat mortaliter, sed tenet contractus, & actus ille; quod idem dicit Tab. *verb. feria, n. 2.* sed nõ explicat, quòd sit mortale.

3 Secunda cõclusio: Visitare Ecclesias, & Clericos more religioso absque strepitu iudiciali est licitum in festis. Sic Caiet. *dicto art. 4. vers. ad primum horum*, & docti iuniores.

4 Tertia conclusio. Actus appellandi est licitus in festis. Sic Caiet. *dicto art. 1. 4.* Bart. *l. 1. C. de feriis*, Armil. *verbo festum, num. 3.* Tabien. *verbo feria, num. 2.* At prosecutio appellationis non potest fieri in festo; quia prærequirit strepitum iudicialem, Bart. Tabien. & Armil. *ibi*.

5 Quarta conclusio. Non sunt prohibitæ sententiæ excommunicationis, quas Prælati faciunt inhibendo, ne aliquid fiat; quia hoc est, non procedere, aut iudicare, sed quasi legem edere, Caietanus *dicto art.* & docti recentiores.

6 Quinta conclusio. Iudex potest absoluere, & excommunicare in die festo, vbi causæ cognitio non requiritur, *l. actus, C. de feriis*, Sic Tabiena *num. 2.* Armil. *num. 3.* Panorm. per hos citatus. Item, quia omnia extraiudicialia, vbi cesset strepitus iudicij, possunt fieri in festo. Sic iidem authores proximè citati.

7 Sexta conclusio. Iudicia, quæ de partium consensu fiunt per iudicem arbitratorem possunt fieri in festis: non autem ea, quæ fiunt per iudicem arbitrum. Ratio, quia (vt benè notat Sylueſt. *verb. arbiter, quæst. 3.* & Panorm.) arbiter est, qui eligitur vt iudex, id est, vt procedat seruato ordine iudicij in subſtantialibus, *l. 1. & l. qualem, ff. de arbit.* Arbitrator autem est, qui eligitur, vt aliquid existimet, vel dicat de re aliqua, quid sibi videtur, sine ordine iudiciario. Sic Ioannes Andr. quem refert, & sequitur Tabien. *verbo feria, num. 2.* & quòd iudicia arbitratoris possint fieri, docet etiam Armil. *verbo festum, numero 2.*

8 Septima conclusio. Citatio facta die non feriata pro die feriata, non valet, & sic non tenetur citatus comparere, *l. 1. ff. de feriis.* Sic Angel. alios referens *verbo feria, numero 37.* Sylueſt. alios referens *verbo citatio, quæst. 4.* Armil. *verbo citatio, num. 14.* Panorm. *cap. finali de feriis*, Tabien. *verbo citatio, num. 7.*

9 Nota conclusionem intelligi, quando citatur, vt compareat in die festo: secus si citaretur, vt compareret vsque ad talem diem festum, tunc enim valeret, quia in secundo casu potest comparere in die non feriata; at in primo necessariò comparere debet in die festo. Sic Panorm. Sylueſt. Tabiena. Item debet intelligi, quando citatur, vt respondeat in die feriata: nam quando citatur, vt tantùm in illa die compareat: tenet citatio, Sylueſt. & Angel. *ibi*.

10 Octaua conclusio. Citatio facta die feriata pro die non feriata, non valet, nec præceptum de citando, nec actus factus virtute talis citationis, nisi consuetudo habeat oppositum, Panorm. *ibi*, Armil. *verbo citatio. num. 13.* Tabiena *ibi num. 6.* plures alios referens.

11 Nona conclusio. Quando verò est dubium, an teneat citatio, tenetur citatus comparere. Angel. & Sylueſt. *ibi*.

12 Decima conclusio. In duplici casu sunt concessæ in festis lites, & processus iudiciales. Primò, si necessitas vrgeat. Secundò, si pietas suadeat. Ita habetur *dicto cap. conquestus*, & docent omnes citati.

13 Nota, quòd prædicta sunt licita in festo ob pietatem, id est, misericordiam, non autem ob pietatem, vt pietas extenditur ad consanguineos, & ad patriam: certum enim est non licere iudicialia in festo exercere ob patrem, vel consanguineos benevolos. Sic colligitur ex Nauarro *in omnibus summis, cap. 13. num. 4.* tenent expresè Caiet. *dicto art. 4.* & alij.

14 Hinc infertur excusari iudices rurales ius dicentes rusticis in festis iuxta aliquorum locorum consuetudinem, pietatis enim causa hoc fit, ne pauperes perdãt diurnũ laborem necessarium eis ad victum. Sic Caiet. 2. 2. *& in sum. vbi suprà*, Pedraza *3. præcepto*, Nauarr. *in omnibus summ. c. 13. n. 13.* Armil. *verb. feria, n. 16.* Petez *vbi suprà*, Ludouic. Lopez *in instruct. conſc. lib. 1. cap. 52.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



15 Secundò infertur licere in festis exercere iudicialia pro miserabilibus personis, vt pro pupillis, vt eis tutores dentur, alimenta determinentur, Perez *vbi suprà*, Tabien. *verbo feriæ, num.* 2. Caiet. *suprà*, & docti recentiores. Ratio, quia est pietas.

16 Tertiò infertur excusari à peccato lites, & processus iudiciales in festis ratione necessitatis, vt quia postea non potest haberi testis, aut iudex, & periclitabitur causa. Perez, Caietan. *vbi suprà*, Nauar. *in omnibus summis, cap.* 13. *num.* 13.

17 Quartò infertur peccare mortaliter Notarios scribentes, seu transcribentes in festis hæc, quæ pertinent ad iudiciales strepitus. Sic Toler. *in sua summa*, Henriq. & alij; & videtur sentire Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. *in* 4. *causa, in fine*, vbi ait instante necessitate Scribis etiam licere aliquos actus edere, vbi videtur damnare, quando fit extra necessitatem.

18 Vltimò infertur ex pietate hoc esse licitum tabellioni etiam extra necessitatem, sicut licet iudici, vt ad soluendum incarceratum, vel ad expiandum negotium hominis pauperis foranei. Sic docti iuniores.

## DVBIVM XXVIII.

*An licitum sit in die festo informare iudicem cum Aduocato & Procuratore.*

1 ALiqui dicunt licere Aduocato in festis patrocinium præstare ob pietatem; secus quando faceret principaliter ob lucrum, quia peccaret mortaliter. Sic Sylvest. *verbo Dominica, quæst.* 5. *conclus.* 3. Margarita 3. *præcepto, fol.* 72.

2 Sit tamen conclusio. Hoc est licitum, siue Aduocatus informet iudicem verbo, siue scripto. Et similiter licet Aduocato in festis patrocinari. Ratio, quia hoc non est ex operibus prohibitis, nec est seruile; informatio enim non est actus iudicialis, sed est actus spiritualis, ordinatus ad rem spiritualem, scilicet ad illuminationem iudicis. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 122 *art.* 4 dicens in Romana Curia fieri semper in Dominicis, & festis diebus, quando sequenti die est proponenda causa in Rota. Nauar. *in omnibus summis, cap.* 13. *num.* 12. Ludou. Lopez *in instruct. conse. lib.* 1. *cap.* 52. Toletus *in sua summa*, Sotus *lib.* 2. *de instit. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. *causa* 4 *in fine*, & alij.

3 Hinc infertur hoc licere etiamsi pro pretio fiat; quia pretium non mutat genus operis, nec facit de non seruili seruile. Sic Ludouic. Lopez *ibidem*, & docti iuniores.

## DVBIVM XXIX.

*Quomodo sit prohibitũ in festis iudiciũ ad mortẽ, vel pœnã.*

1 SIt conclusio. Hoc est prohibitum *cap. de feriis*, hoc tamen intelligitur, nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat, vt habetur *cap. conquestus, eod. tit.* Hinc

2 infertur primò licitũ esse, quando necessitas vrget, vt si reus in fragranti crimine repertus, sit statim puniẽdus ob necessitatẽ; quia si differatur, timetur, ne impediatur iustitia; vel quia latronum copia hoc exigit: vel quia temporis, scilicet belli cõditio, hoc requirit in die festo plectere malefactorẽ etiam mortis pœna. Sic Caiet. *sum. verbo fest. violat.* Perez *lib.* 1. *ordin. tit. inl.* 5. & docti iuniores.

2 Secundò infertur, quòd similiter ingruenti atroci, extraordinarióque crimine, vt si publicus latro, aut maiestatis læsor caperetur in festo, liceret eum subitò in supplicium rapere; quod de facto videtur consuetudo seruare, dum publici latrones, & alij notorij criminosi in nemoribus capti subitò suspenduntur. Sic Caiet. 2. 2. *vbi supra*, Sotus *dub. præced.* & prædicti iuniores.

## DVBIVM XXX.

*Qualiter prohibeatur iuramentum in die festo.*

1 SIt conclusio. Iuramentum (intelligitur iudiciale) prohibetur, *cap.* 1. *de feriis*, nisi pro parte, vel alia necessitate præsetur, vt pro fide, obedientia, pro fama, vt ait Sylvest. vel vt Caietan. *in summa*, *verbo festorum violatio*, ait, hæc necessitas relinquitur rectæ rationi iudicanda. Sic Caietan. *ibi*, & 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. Sylvest. *verbo Dominica, q.* 3. & *iuramentum* 2. *q.* 4. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 10. Sotus *lib.* 8. *de iust. q* 1. *art.* 10. Armil. *verbo festum, n.* 17. & alij viri docti.

2 Nota *dicto cap.* 1. non prohiberi quodcunque iuramentum iudiciale in festis, sed solùm quod fit pro rebus temporalibus, non autem quod fit pro spiritualibus. Sic D. Thom. Sotus *vbi suprà*, & docti iuniores.

3 Ex quo sequitur licita esse iuramenta solemnia, & publica, quæ præstantur Inquisitoribus in publico theatro diebus solemnibus, tam ab illis, qui reconciliantur ad fidem, quàm à reliquis circunstantibus, quia tale iuramentum fit pro re valdè spirituali, scilicet pro custodia, & defensione fidei. Sic prædicti iuniores.

4 Immò religionis gratia licitè hæretici in solemni festo solent relaxari brachio sæculari, & comburi. Sic Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. & iuniores præfati.

## DVBIVM XXXI.

*An præceptum hoc sanctificandi festa obliget sub peccato mortali.*

1 SIt prima conclusió. Obligat sub mortali: itaque facere in diebus festis opus seruile, vel aliquod ex quatuor prohibitis ab Ecclesia est mortale. Hoc est commune omnium.

2 Secunda conclusio. Si quis bona fide putans se habere causam sufficienter excusantem, faceret aliquod opus horum in die festo, aliàs non facturus, non peccat mortaliter, licèt aliàs causa non sit sufficiens. Ratio, quia non agit per se, & ex intentione contra præceptum, nec negligentia est tanta, quod reddat actum in naturam suæ formæ, id est, quasi ex intentione faceret contra præceptum, quod contingit, quando id facit, nil curando, an violet festum. Sic tenet Caiet. *in summa*, *verbo festorum violatio*, & dicit hoc esse commune omnibus præceptis. Idem generaliter in omnibus præceptis docet Nauar. *cap.* 23. Hisp. *num.* 42. Lat. 43. & in omissione Missæ dicemus idem *mat. de audit. Missæ*, & in ieiunio idem diximus *hoc lib. 5. cap.* 1. *de ieiun. dub.* 6. idem tenent viri docti, & ex professo dixi *lib.* 1. *summ. cap.* 17. *a n.* 18. *ad* 21.

3 Vnde hoc est bonum documentum, vt confessores, & concionatores doceant pœnitentes timoratos, quòd quando bona fide putant se habere causam, licèt non sit in rei veritate sufficiens, excusantur: debent tamen illos admonere, vt in rebus sui officij, & in rebus ordinariis consulant viros doctos, vt ab eis intelligant, quòd liceat illis facere. Sic tenent viri docti.

4 Tertia conclusio. Ex paruitate materiæ excusatur quis à mortali, iuxta omnes. Hæc autem modicitas arbitrio boni viri pensanda est, vt ait Sylvest. *verbo Dominica, quæst.* 4. Alcozer *in summa, cap.* 17. exemplificat, vt si per quadrantem laborauit in die festo. Aliqui verò iuniores dicunt etiam laborare per duas horas non esse peccatum mortale; quia est duodecima pars diei naturalis, scilicet viginti quatuor horarum. Existimo tamen minus quàm duas horas non esse peccatum mortale. Et hinc excusari possunt à mortali sutores circunscindentes calceos in die festo, & multi officiales, *vt suprà*. Monendi tamen sunt, ne ex conscientia erronea peccent.

5 Tandem nota, quòd Toletus in sua summa ait, quòd officiales habentes consuetudinem laborandi in quolibet festo parum, peccant mortaliter. Sed oppositum renendum est, licèt habeant propositum formale laborandi omnibus festis, in quolibet tamen festo parum; non enim peccarent mortaliter, sicut non peccaret mortaliter, qui haberet propositum comedendi vnam passam in omnibus diebus ieiunij: de quo latè dixi *libro primo summæ. cap.* 4. *num.* 12.

LIBER





# LIBER SEXTVS

## Opusculorum moralium, seu Consiliorum.

### CAPVT I.

*De iudicibus, & accusatione.*

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *An iudex sæcularis possit in aliquo casu iudicare Clericos.*
2. *An Clericus in sacris constitutus, & laici hæres ad iudicium fori sæcularis vocari possit ratione illius hæreditatis, quemadmodum potuisset laicus cui successit.*
3. *An qui erat Clericus tempore commissi delicti, & post est effectus laicus, vt si factus est bigamus, &c. possit puniri pro tali delicto à iudice sæculari, postquam iam factus est laicus? & an vxor Clerici coniugati gaudentis priuilegio fori, gaudeat etiam fori priuilegio.*
4. *An iudices Ecclesiastici possint iudicare laicos.*
5. *Dato certum esse posse iudicem Ecclesiasticum in dictis causis iudicare laicos, an possit eos etiam in carcerem mittere.*
6. *An quilibet homo possit se cuilibet iudici subiicere.*
7. *Qualiter peccet iudex extrahens reum ab Ecclesia.*
8. *Qui delinquentes possint ab Ecclesia, & cæteris locis gaudentibus hac immunitate extrahi, & qui non.*
9. *An consulentes, vel mandantes delicta, ob quæ illa committens non gaudeat immunitate, vt homicidium, aleuosum, latrocinium, &c. gaudeant immunitate Ecclesiæ, ita vt inde extrahi non possint.*
10. *An sodomita gaudeat immunitate Ecclesiæ.*
11. *An vt confugiens ad Ecclesiam inde extrahi possit tanquam ea non gaudens, requiratur integra, & plena probatio qualitatis delicti, ob quam non gaudet, vel sat sit semiplena probatio, quæ sufficit ad torturam.*
12. *An iudex promittens criminis impunitatem delinquenti, si ab Ecclesia exeat, teneatur ei seruare fidem.*
13. *An vbi delinquens immunitate Ecclesiæ gaudet, liceat iudici ipsum intra Ecclesiam compedibus ligare, ne quò libuerit fugere possit, vel Ecclesiam obsidere, ne tali delinquenti alimenta, victus, & vestitus deferantur.*
14. *Esto iudex laicus non possit fugientes ad Ecclesiam inde abducere, an possit ab eis arma legibus vetita etiam intra Ecclesiam auferre.*
15. *An ratione delicti fiat peccator subditus iudici illius loci in quo deliquit.*
16. *An exempti ratione delicti sortiantur forum, ita vt subiiciantur illius loci iudicibus.*
17. *An iudici liceat iudicare contra veritatem, quam nouit propter ea, quæ in contrarium proponuntur.*
18. *Vtrum sicut iudex, ita & minister possit exequi sententiam contra veritatem sibi cognitam.*
19. *An cum iudex certò nouit aliquem innocentem, qui tamen iuxta allegata & probata nocens est, possit illi occultè ianuas carceris aperire, vt sic ipsum à morte eripiat.*
20. *An iudex possit aliquẽ condemnare, si accusator non sit.*
21. *An iudex possit dispensare in pœna per legem statuta, illam totaliter remitteudo, vel augendo, vel minuendo.*
22. *An ij, qui apud iudices intercedunt, vt pœnas legis remittant delinquenti, peccent.*
23. *An iudex post sententiam latam, qua pœna aliqua damnauit reum, possit pœnam illam minuere.*
24. *An iudex inferior possit mutare, vel interpretari sententiam, quam semel tulit.*
25. *An iudex possit compellere partes ad concordiam, & compositionem.*
26. *An homo teneatur ad accusandum.*
27. *An accusationem debeat necessario præcedere secreta monitio, id est, accusans teneatur prius corrigere reum, vt si corrigatur, cesset ab accusatione.*
28. *An sit licitum accusare delictum, quod quis sufficienter probare non potest, & an semel accusatum liceat iterum accusare.*
29. *An pactum vel iuramentum de non accusando valeat.*
30. *Qui prohibeantur accusare, & qui non.*

### DVBIVM I.

*An iudex sæcularis possit in aliquo casu iudicare clericos.*

PRimvs casus, in quo procedit dubium, est in causa reconuentionis ciuilis, quando Clericus conuenit laicum coram iudice sæculari, petendo aliquid ab ipso, & ipse laicus, vt se defendat, reconuenit Clericum in eadem causa. In hoc casu quædam sunt certa, & quædam sunt sub iudice. Primò certum est, quòd si causa super qua conuenit Clericus laicum, est spiritualis, vel ei connexa, non potest Clericus reconueniri coram laico iudice: & ita tenent omnes mox citandi. Secundò, etiamsi causa sit temporalis, & criminalis, & conueniatur laicus criminaliter, id est, ad corporale supplicium, non potest Clericus reconueniri criminaliter coram iudice sæculari. Ita omnes Doctores citandi.

2 At dubium est, an in casibus ciuilibus possit reconueniri clericus coram iudice sæculari, & ita per reconuentionem fiat laicus iudex clerici, & clericus eius sententiæ pareret teneatur. Quidam tenent partem negatiuam, & ita negant primum casum positum. Ita Panor. *cap. at si clerici. de iudic. num.* 22. citans Iacobum de Buttrio, Petrum de Bellam. Mart. Sylvest. Archid. Ioan. de Lig. Anton.

3 At contraria sententia est communis, & vera, & eam docet *part.* 1. *tit.* 6. *l.* 56. Gregor. Lopez *ibi*, *vers. alli deue respondere*. Innocent. *c. de foro compet.* Host. *tit. de mutuis petitionibus, num.* 3. Ioan. Andr. Calder. Bart. citati per Panor Decius *d. c. at si clerici*, Turrecr. 3. *q. cap. accusatores, n.* 4. gloss. *cap. conuenior* 23. *q.* 8. *vers. fic. Christus, & d. cap. at si clerici, vers. non tenet*, Angel. *verb. iudicium, num.* 3. Tab. *verb. iudicare, n.* 12. Sylvest. *iudex* 1. *q.* 2. *d.* 4. Armil. *n.* 19. D. Anton. 3. *p. tit.* 9. *c.* 2. *§.* 3. Anton. Gabr. *tom.* 1. *commun. opin. lib.* 3. *fol.* 25. *vers. clericus*, & tenent docti iuniores.

4 Sed nota hoc esse intelligendum, nisi laicus iniuriaretur clerico superaliquid, vt ipse conuentus à clerico coram iudice sæculari, posset eum coram ipso reconuenire, Gregor. Lopez *ibi*.

Universidad de Deusto Biblioteca

5 Est etiam dubium inter auctores secundæ sententiæ, an etiam in criminalibus possit clericus reconueniri coram iudice sæculari non criminaliter, id est, ad pœnam corporalem, quia ad hoc certum est non posse, sed ciuiliter, vt ad pœnam pecuniariam. Quidam tenent posse, sic Angel. Tabien. Turrecrem. glossa *dicto capite, as si clerici, & cap. multi 2. quæstione 1. vers. sæculari.*

6 At contrarium est verius, quod docet Gregor. Lopez; & Panorm. *ibi*, & alij per ipsos citati, Armil. *ibi*, idem innuunt Sylvest. D. Anton. *ibi*, & patet ex *cap. vnico, de clerico coniug. in 6.* idem tenet Ioan. Andr. & communiter canonistæ, teste Gregorio Lopez, idem Anton. Gabr. *ibi*, & tenent docti iuniores.

7 Secundus casus est, quando id fit auctoritate Episcopi, & in causa merè temporali, tunc laicus potest iudicare clericum; quia potest Episcopus has causas laico delegare: non autem criminales, vel spirituales, sed personæ Ecclesiasticæ, ex *capite significasti, de foro compet.* Ita tenet Glossa *capite secundo de iudic. vers. non præsumant*, Panormitanus *ibi numero quinto*, dicens esse communem, & citans aliquos, Armil. *verbo iudex, numero decimo nono*, licèt non ponat limitationem positam, Tabien. *verbo iudicare, numero nono*, Sylvest. *iudex 1. quæstione 2. dict. 4.* Angel. *verbo iudicare, num. 12.* Addit Sylvest. & Armil. idem esse, si interueniat auctoritas Abbatis quoad monachum in exemptis, quia habet quasi iurisdictionem Episcopalem. Non tamen potest coram iudice laico clericus conueniri, etiamsi clericus consentiat cum consensu sui Episcopi, Glossa & Panorm. *cap. significasti, de for. compet.* Grat. *reg. 9. num. 8.* Maranta *de ord. iud. 4 p. d. 11. numero 2.* Et ratio differentiæ est, vt notat Panorm. *cap. 2. de iudic. num. 5.* quia in prorogatione iurisdictionis laicus iudicaret iure proprio, & si esset appellandum, id debet fieri ad superiorem ipsius laici: at in delegatione secus, quia delegatus vtitur iure, & vice delegantis, & sic illa iurisdictio est Ecclesiastica, cùm delegatus nihil habeat iure proprio, *l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisdict. & cap. P, & cap. G, & cap. sanè, de offic. deleg.* & ab ipso appellatur ad Episcopum delegantem.

8 Ex hoc infert Panorm. Episcopum non posse demandare laico potestatem excommunicandi, quia hæc est spiritualis. De Papa verò concedunt Panorm. & glossa, quòd potest laico delegare etiam causas spirituales, & criminales.

9 Tertius casus est. Quando propter delictum deponitur, & traditur sæculari potestati.

Quartus ratione feudi.

Quintus si sit incorrigibilis. Sic Armil. & Sylvest. *ibi, & glossa 2. quæst. 1. in principio.*

10 Nota specialem casum, in quo clericus potest conueniri coram iudice sæculari; scilicet quando sæcularis apud suum iudicem queritur de clerico, quòd eum infamet, & petit, vt eum liberet ab infamia orta ex alterius iactantia iniusta: tunc causa tractanda est in foro sæculari; quia in eo casu sæcularis est reus, licèt ipse litem moueat, quæ doctrina colligitur ex *l. diffamari, ff. de ingenuis, & manumissis.* Et circa eam videri possunt Molina *de primogenitis, lib. 3. cap. 14.* Couar. *lib. 1. var. cap. 18. num. 13.* Caualcanus *decis. 9. de vltimis voluntatibus, p. 4. decisionis Pedemontanæ 151. decis.*

11 Secunda conclusio. Extra hos casus, etsi qui sunt alij in iure expressi, iudex sæcularis non habet potestatem in clericum, nec potest ipsum capere, nisi in flagranti delicto, vt ipsum tradat iudici Ecclesiastico: quod si secus faciat, sacrilegium mortale committit, & incurrit excommunicationem; conclusio hæc est omnium.

12 Tertia conclusio: Clericus à iudice sæculari citatus, non tenetur comparere coram eo ad allegandum fori priuilegium, dummodo ipsum clericum esse appareat. Ita glossa *cap. conuenior 23. q. 8. vers. vel congrueret, & cap. nullus Episcopus, 11. quæst. 1. vers. vel exhibeatur*, Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 1. fol. 100.* citans Felinum, Gratian. *reg. 9. num. 10.* Iulius Clarus *pract. crimin. lib. 5. §. fin. quæst. 36.*

13 Quarta conclusio. Si iudex laicus extra casus præmissos iudicet de clerico, priuati debet officio iudicandi, *2. q. 1. cap. notum sit*; nec sententia valebit, *cap. at si clerici, de iudic.* & qui fecit eum vocare, debet amittere causam, per sententiam, & debet excommunicari *d. cap. notum sit*, & vterque peccat mortaliter, & similia clericus respondendo, nisi esset in minoribus, & vellet deserere clericatum, patet *cap. clericum 11. quæst. 1.* vbi iubetur clerico, ne coram iudice sæculari respondeat. Ita Sylue st. *iudex 1. quæstione 2. dict. 3.* D. Anton. *3. p. tit. 9. capite 2. §. 3.*

14 Quinta conclusio: Processus factus à iudice sæculari, etiam ignoranter contra clericum, nihil valet. Ratio, quia remota iurisdictione iudicis, nullius sunt valoris ab eo gesta, *cap. ex literis, §. fin. de offic. deleg.* Ita Speculator, quem refert, & sequitur Perez *ibid.*

15 Sexta conclusio: Si iudex sæcularis capiat clericum propter maleficium, si notorium sit esse clericum gaudentem fori priuilegio, tenetur statim illum remittere ad iudicem Ecclesiasticum absque vlla causæ cognitione. Si verò nec erat notorium esse clericum, nec in habitu clericali est inuentus, non tenetur ipsum remittere donec probet esse clericum, & gaudere fori priuilegio, *cap. si iudex, de sent excommun. in 6.* Ita Nauar. *in manuali. cap. 25. num. 24.* Sylvest. *iudex 1. quæst. 2. dicto 5.* Tabien. *verb iudicare, num. 14.* Armil. *verbo iudex, num. 20.* D. Anton. *3. p. tit 9. cap. 2. §. 4.* & addunt hi auctores, dempto Nauar. debere interim cessare processum iudicialem, & quòd si non sit notorium esse clericum, at fama publica de hoc est, vel pro tali communiter habetur, debet statim ad suum iudicem remitti, & postea aduersarius probabit, si sit clericus, nec ne: non enim tenebitur ad id ipse clericus.

16 Vltima conclusio. Vbi in dubio vertitur, an quis sit clericus, & fori priuilegio gaudens, veritatem examinare ad iudicem sæcularem non pertinet, sed ad Ecclesiasticum. Ratio, quia de re spirituali, vel ecclesiastica agitur *dicto cap. si iudex*, ita Couar. *quæst. pract. cap. 33. num. 1.* dicens esse omnium, & citans plures Paz *pract. tom. pralud. 2. numero 9.* Tabien. D. Anton. *supra*, Sylvest. *iudex 1. quæst. 6. in fine.* Addunt hi doctores, dempto Couar. & Paz, vocandum etiam esse iudicem sæcularem, vel alium cuius interest, vt habetur *dicto cap. si iudex.* Addit Couar. iudices Ecclesiasticos, non sæculares, debere iudicare, an Clerici iuxta Canonicas sanctiones fori priuilegium amiserint, ex eo, quòd tonsuram, & vestes clericales dimiserint, idem tenet Paz *ibi.*

17 Et nota hîc cum Couar. *ibi num. 4. num. 10.* quòd si nondum hic, de cuius clericatu dubitatur, captus sit à iudice sæculari, debet interim pendente lite detineri à iudice Ecclesiastico in publicis, & tutissimis carceribus, ita quòd non dimittatur à carcere sub fideiussoribus, nec detineatur in Ecclesia, vel monasterio, his locis veluti carcere incluso, alioquin capi potest à iudice sæculari; & in carcerem mitti, quod (inquit Couar.) non tantùm fieri debet pendente lite super clericatu, sed etiam pendente lite super criminis punitione, licèt quidam iudices Ecclesiastici conentur regia decreta intelligere lite pendente super clericatu, quasi ea finita nondum punito crimine, liberum sit illis Clericos impunitos à carcere dimittere. Addit Paz *numero decimo*, quòd si iam captus est à sæculari, non debet remitti ad Ecclesiasticum pendente lite super clericatu, sed debet supersedere, donec Ecclesiasticus cognoscat super clericatu.

DVBIVM



## DVBIVM II.

*An Clericus in sacris constitutus, & laici hæres ad iudicium fori sæcularis vocari possit ratione illius hæreditatis, quem admodum potuisset laicus cui successit.*

1 De hoc dubio latè Couar. *quæst. pract. cap. 8.* vbi plura refert, & breuiter concludit, quòd lite cœpta contra laicum apud sæcularem iudicem, eáque pendente si mori contigerit laicum, clerico hærede relicto, iudex sæcularis ad diffinitionem vsque etiam contra clericum causam istam tractabit, & ita haberur expresse *l. 57. tit. 6. part. 1.* vbi & Gregor. Lopez. Si verò nondum cœpta erat lis, conueniendus erit clericus apud iudicem Ecclesiasticum. Idem Gratianus *reg. 9. num. 11.* Burgos *l. 3. Taur. num. 786. & 787.* Olanus *in concordia, litera C. num. 36.*

## DVBIVM III.

*An qui erat Clericus tempore commissi delicti, & post est effectus laicus, vt si factus est bigamus, &c. possit puniri pro tali delicto à iudice sæculari, postquam iam factus est laicus? & an vxor clerici coniugati gaudentis priuilegio fori, gaudeat etiam fori priuilegio.*

1 Prima conclusio. In priori casu non potest is puniri à iudice sæculari. Ratio: nam consideratur tempus, quo fuit commissum delictum; sed in illo erat exemptus à iudice sæculari: ergo. Ita Perez *lib. 3. ordinam. tit. 1. l. 10. fol. 803.* citans plures.

2 Secunda conclusio. Vxor siue clerici coniugati, siue cuiuscunque gaudentis fori priuilegio, vt Doctoris, &c. gaudet etiam fori priuilegio, & hoc non tantùm viuo marito, sed etiam eo mortuo durante viduitate. Quare vxor Doctoris, vel clerici, quæ homicidium commisit viuo marito, vel durante viduitate, debet conueniri coram scholastico, vel Episcopo, non autem coram iudice sæculari. Ita tenet Host. *tit. de foro comp. num. 8.* Imola, & Panorm. *cap. 2. eod. tit.* Montalbus *l. 32. tit. 2. part. 3. vers. la tercera*, & plures alij, quos refert, & sequitur dicens esse communem, & se audiisse ita practicatum Salmanticæ, Perez *lib. 1. ordinam. tit. 3. l. 1. fol. 96.* & 97. quamuis contrarium teneat Ioannes Andreas *cap. vnico, de clericis coniug. in 6.* & Gregor. Lopez *d. l. 32. vers. de casamiento*, dicat se credere quòd sententia Ioannis Andreæ in practica seruaretur: cum Perez tenet Angel. *excommunic. 7. casu 5. num. 8* Sylvest. *excommun. 9. casu 5. in fine*, Tabien. *excommun. 5. casu 18. num. 7.*

3 Vltima conclusio. At vxor clerici non gaudet priuilegio canonis: vnde ipsam percutiens non erit excommunicatus. Ratio; quia cùm sit materia pœnalis, non est extendenda. Ita Perez *ibi*, citans plures.

## DVBIVM IV.

*An iudices Ecclesiastici possint iudicare laicos.*

1 Prima conclusio. Iudex Ecclesiasticus potest iudicare omnes laicos, quando causa de qua agitur, est spiritualis, scilicet ad Sacramenta, vel ad fidem, vel ad legem diuinam, & supernaturalem, vel ad Ecclesiam, vel ecclesiastica bona, vel iura, vel ad alia similia, quæ aliquam spiritualitatem participant, pertinet. Ratio, quia præest directè rebus spiritualibus, & de ipsis fert leges. Ita habetur *cap. decernimus, de indic.* Conclusio hæc est omnium. De hac potestate, quam in rebus spiritualibus iudicandis habet Ecclesia, latè Albertus Pigius *de ecclesiastica hierarch. lib. 4. cap. 2.*

2 Secunda conclusio. Iudex ecclesiasticus potest iudicare omnes laicos ratione delicti, & peccati, quoties id fuerit necessarium ad bonum commune, vel ad bonum ipsius peccatoris; & hoc contingit, quando iudex laicus est negligens, vel non est sufficiens, vel suspectus; tunc potest compellere ipsum ad iudicandum, vel supplere eius defectum iudicando laicos. Ratio, quia Ecclesia habet omnem potestatem à Christo necessariam, & conuenientem ad bonum eius regimen, & ad salutem animarum, *cap. ex transmissa, de foro compet. & cap. administrator 23. quæst. 5.* Ita Sylvest. *iudex 1. quæst. 3. dicto 2.* D. Anton. *3. part. tit. 9. cap. 2. §. 2.*

3 Tertia conclusio. Omnis Christianus, vt sic est fori ecclesiastici: vnde potestas ecclesiastica cognoscere potest de quolibet peccato mortali Christiani cuiuslibet ad cogendum ipsum, vt pœnitentiam faciat, & à statu peccati semoueatur. Et oppositum asserere videtur hæreticum. Ratio, quia *Matth. 18.* vniuersaliter de omnibus peccatis præcipit Christus esse denuncianda Ecclesiæ, & contumaces ab ea excommunicatione plectendos. Ita tenet Nauar. *cap. nouit, de indic. notabil. 6. n. 33. 34.* & ita colligitur ex illo capite.

4 Vnde infertur cum Nauarro *ibi num. 22. & 23.* quòd potest laicus super quolibet peccato mortali conueniri coram iudice ecclesiastico, nisi ipse laicus conuentus excipiat, id est, opponat, quòd actor malitiosè, dolo, ac fraude, videtur eum trahere ad forum ecclesiasticum, cùm posset directè ipsum conuenire coram sæculari, & videtur potius suam satisfactionem quærere, quàm vt alterum pœniteat peccati, & satisfaciat, vt sic restituatur in Dei gratiam, & hanc exceptionem (inquit) tenetur iudex Ecclesiasticus admittere.

5 Quarta conclusio: licèt propter necessitatem de omnibus criminibus possit iudex ecclesiasticus iudicare laicos: sunt tamen aliqua crimina, de quibus ad ipsum solum, & non ad iudicem sæcularem pertinet iudicare laicos, vt sunt hæreses, simonia, superstitiones, sacrilegia aliqua, & alia similia, quæ sunt contra fidem, & religionem, & hæc dicuntur merè ecclesiastica. Alij verò sunt merè sæcularia, id est, quæ propriè pertinent ad forum sæculare, & hæc sunt illa, quæ sola lege sæculari sunt vetita, vt asportatio tritici extra Regnum. Alij verò sunt mixti fori, quæ scilicet æquè ad vtrumque iudicem spectant; & qui priùs ceperit reum, potest ipsum punire, & hæc sunt ea, quæ sunt vetita legibus ciuilibus, & ecclesiasticis, vt vsuræ, concubinatus, &c. De his consule Summistas *verb. crimen.* & Nau. *cap. nouit, de indic. not. 6. à num. 41.*

6 Sed circa hæc mixti fori crimina nota duo. Primum, quòd in his non potest iudex ecclesiasticus à sæculari impediri, quo minus de eis aduersùs laicos cognoscat. Ita Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 6 fol. 128.* Secundum est, quòd si crimen est mixti fori, licèt reus fuerit in foro ecclesiastico absolutus, potest nihilominus apud iudicem sæcularem iterum accusari, criménque ipsum examinari, & puniri, nisi pœna à iudice ecclesiastico inflicta fuerit satis sufficiens ad criminis punitionem. Ita Cou. *lib. 2. var. resolut. cap. 10. n. 6.* dicens esse communem omnium sententiam.

## DVBIVM V.

*Dato certum esse posse iudicem ecclesiasticum in dictis causis iudicare laicos; an possit ipsos etiam in carcerem mittere.*

1 Quidam Doctores tenent, quòd non potest, nisi in casu hæresis, vel similibus. Ratio, quia ad iudicem ecclesiasticum contra laicos non pertinet procedere, nisi per censuras, & quando hac via non possit eos sufficienter corrigere, vel punire, innocare auxilium brachij sæcularis; & ad hoc exequendum non est necessarium eos in carcerem mittere. Sic tenent Ancharan. & Ioan. Lopez, & alij, quos refert Couar. *quæst. pract. cap. 10. num. 2.* & fauent huic opinioni aliquæ leges regiæ ordinam. *l. 14. & 15. tit. 1. lib. 4. recop.* Iulius Clarus *libro 5. recept. §. fin. quæst. 37. num. 8.* Auiles *cap. 1. Prat. n. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Alij tenent contrarium, & secundùm hos cum quadam moderatione est dicendum, quòd quando causa est criminalis, & ad punitionem proceditur (secus quando in criminalibus proceditur ciuiliter) tunc benè potest iudex ecclesiasticus laicos incarcerare, non obstante quacunque consuetudine. Item, & in causa ciuili, si consuetudine præscripta obtentum fuerit id posse, quia cùm res de se sit licita, firmatur consuetudine. Verùm in causa ciuili, quando scilicet iudex damnat laicum ad aliquam pecuniæ quantitatem soluendam, vbi de hoc non fuerit consuetudo præscripta, non poterit capere, nec incarcerare laicum, quia hoc nec à iure, nec à consuetudine habet: sed in eo casu inuocabit auxilium brachij sæcularis. Sic tenent Baldus, Domit. & alij, quos refert & sequitur Couar. *vbi supra*, & in hoc sensu sunt interpretandæ leges Regni; quamuis enim generaliter loquantur; hoc tamen est conforme iuri canonico. Idem Paz pract. 2. *tomo praludio 2. num.* 54.

## DVBIVM VI.

*An quilibet homo possit se cuilibet iudici subiicere.*

1 PRima conclusio. Laici benè possunt se exhibere subditos cuicunque iudici alterius loci habenti iurisdictionem (si enim non habeat iurisdictionem, nequit ei dare) & hoc in ciuilibus, in criminalibus enim non possunt. Ratio, quia in hoc nulli faciunt iniuriam, & sic possunt cedere iuri suo, *l. 1. & l. priuatorum, C. de iurisd.* Ita glossa *cap. si diligenti, de foro compet. vers. pacto*, Panorm. *ibi*, Syluest. *iudex 1. q. 2. dict. 2.* Tabien. *verbo iudicare, num. 11.* Angel. *verbo iudicium, num. 2. & confessio 3. num. 4.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 2.* §. 3. licèt non ponat illam limitationem, scilicet in ciuilibus.

2 Secunda conclusio. Clericus non potest renunciare priuilegio fori, & sic nec in ciuilibus, nec in criminalibus potest se subiicere iudici sæculari ab eo iudicandus. Ratio, quia hoc priuilegium fori respicit totum statum, & ordinem clericalem: vnde aliis fieret iniuria. Item, quia iudex sæcularis nullam habet iurisdictionem in clericos, & clericus non potest ei eam dare. Ita habetur expressè *cap. si diligenti, de foro compet.* vbi glossa Panor. & omnes, Syluest. & D. Anton. *vbi supra*, Tabiena *verbo iudex, num. 25.* Armil. *num. 18.* Angel. *verbo iudicium, num. 3.* Couar. *quæst. pract. cap. 33 num. 2.* Perez *lib. 1. ordin. tit. 3. l. 1. fol. 101. & lib. 3. tit. 1. lege 2. fol. 777. 778.* Turrecrem *cap. non liceat 3. q. 6. num. 6.*

3 Tertia conclusio. Clericus si renunciat huic priuilegio, respondendo coram iudice sæculari, si causa est ciuilis, cadit à causa, & si est criminalis, amittit dignitatem, & si illam non habet, potest aliàs extraordinariè puniri, ita habetur *cap. si diligenti, de foro compet.* & ita Syluest. *dicto 3.* D. Anton. *vbi supra.* Sed nota cum glossa *d. cap. si diligenti, verbo causam*, quòd hæ pœnæ non incurruntur ipso iure, sed per sententiam; quæ verò sit pœna iudicis iudicantis, & partis vocantis, dixi *supra dub. 1. num. 13.* & nota cum Sylueſtro, & D. Anton. quòd hæ conclusiones intelliguntur de clerico in sacris constituto, nam clericus in minoribus constitutus, potest si clericatum deserere velit, se subiicere iudici laico.

4 Quarta conclusio. Clerici benè possunt se subiicere iudicibus arbitris, qui ex consensu partium eliguntur, & possunt ab ipsis licitè, & validè iudicari. Ratio, quia intentio iuris non est hoc prohibere, sed ne sistant coram iudicibus sæcularibus, qui propriè tales sunt: cuius ratio est, quia iudex arbiter non habet iurisdictionem, sed eius sententiæ statur metu pœnæ. Ita tenet Panor. *d. cap. si diligenti, de foro comp. num. 16.* gloss. *ibi, vers. pacto*, Sorus *lib. 5. de iust. q. 4. art. 1. vers. posset quis.*

5 Hic posset dubitari, an Papa possit subiicere se alicui laico iudicandum. Consule de hac re Sorum *d. art. 1.* & Nauar. *cap. nouit, de iudic. notab. 3. n. 75.*

## DVBIVM VII.

*Qualiter peccet iudex extrahens reum ab Ecclesia.*

1 IN hac re certum est, quòd si Ecclesia illa gaudeat hac immunitate, & reus ille, iudex extrahens committit sacrilegium mortale, & tenetur illum restituere Ecclesiæ: non tamen possunt clerici armis illum defendere, sed tantùm censuris, *cap. 1. de offic. deleg. cap. fin. de rebus Eccles. non alien. cap. dilectus, de pœnis*, & tenet Collector, & Remig. quos refert, & sequitur Paz *pract. tom. 1. 5. p. c. 3* §. *3. num. 16* Est tamen publica pœnitentia imponenda iudici sic extrahenti, nec absoluendus erit, donec illum restituat. Paz *ibi* alios referens, Greg. Lopez *l. 4 tit. 11. part. 1.* iure ciuili punitur pœna 30. librarum argenti purissimi, sed hæc iam abiit in desuetudinem. Iulius Clarus *pract. crim. §. fin. quæst. 30. num. 1.* Paz *supra.*

2 Sed quænam sunt loca gaudentia hac immunitate, vt ex illis non possit reus ad illa confugiens extrahi. Respondetur, quòd hac immunitate gaudet omnis Ecclesia consecrata. Ita tenent omnes Doctores. Item Ecclesia diuino cultui dicata, etiamsi non sit consecrata, *capite Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* vbi id notat glossa *vers. admittitur, & vers. celebrantur.* Couar. *lib. 2. var. resolut. cap. 20. num. 4.* citans plures, Syluest. *immunitas 1. q. 1.* Angel. *ibi num. 25.* Tabien. *verb. immunitas, num. 14.* Armil. *ibi, num. 19.* Gregor. Lopez *part. 1. tit. 11. l. 4. vers. e la Yglesia*, Iulius Clarus *lib. 5. recept. cap. fin. quæst. 30. num. 4.* Paz *pract. tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 3. num. 24.* Quod limitant aliqui ex dictis Doctoribus, dempta etiam glossa, quando auctoritate Episcopi est fundata; sed quid si in illa Ecclesia nondum consecrata hactenus diuina officia celebrata non sunt. Glossa *ibi* dicit cum Rebuffo *de immunit. Eccles. gloss. 1. n. 10.* non gaudere hac immunitate; sed contrarium tenent Couar. Syluest. Paz, Iulius Clarus, & plures alij per Couar. citati. Et hoc videtur verius. Item eadem immunitate gaudent hospitalia, ac priuata oratoria, Episcopi auctoritate fundata. Ita Syluest. Paz *num. 27. 28. & 29.* Tabien. & Armil. *ibi*, Angel. *num. 26.* Nauar. *in man. cap. 25. num. 17.* & idem dicunt de hospitalibus Greg. Lopez, & Couar. *ibi*, & plures alij per ipsos citati. Sed Nauar. apponit aliam limitationem, modò (inquit) isthæc loca, & quæcunque basilicæ, heremitoria, facella, destrui non possint sine Episcopi auctoritate. Vnde minus benè Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13. num. 4. littera R.* dicit priuatum oratorium, quod domi quis habet cum licentia Episcopi ad celebrandum in eo, gaudere hac immunitate. Cuius contrarium dicentes esse omnium, tenent Iulius Clarus *supra num. 6.* Paz *supra n. 30.* Panormit. & Remig. quos *ibi* refert Clarus. Item hac immunitate gaudet Ecclesia, licèt sit interdicta. Paz *num. 39.* Clarus *supra num. 5.* Sylueſt. Tabien. Armil. & Gregor. Lopez *ibi*, & plures per ipsos citati, Angel. *num. 27.* Item quadraginta passus circum Ecclesiam matricem, *c. sicut antiquitus 17. q. 4.* & triginta passus circum alias Ecclesias, *cap. definiuit, cap. quisquis 17. q. 4.* & notant omnes Summistæ; sed nota quòd hoc moribus receptū iam non est, vt notat Iulius Clarus *num. 2.* Paz *num. 34.* Couar. *ibi num. 5.* Nauar. *ibi num. 18.* Gregor. Lopez *part. 1. tit. 11. l. 2. vers. en las portales.* Item hac immunitate gaudet cœmererium. Sylueſt *ibi*, Armil. *num. 16.* Tabien. *num. 12.* Angelus *num. 21.* Paz *num. 33.* Nauar. *num. 17.* addens, siue sit continuum, siue contiguū Ecclesiæ. Item monasteria Religiosorum, Armil. & Tabien. *ibi*, Gregor. Lop. *part. 1. tit. 11. l. 4. vers. o la Yglesia*, Paz *supra n. 32.* dicens cum Remigio, omnia intra ambitum eius contenta, D Anton. *3 p. tit. 12 c. 3. §. 1.* Item dormitorium commune clericorum, & Religiosorum. Nauar. *dicto n. 17.* colligitur ex *c. cùm pro causa, de sent. excomm.* Item hac immunitate gauderet delinquens, qui cùm ad Ecclesiam confugisset, eam clausam inueniens, manu portas, earumve ansam, aut vectes apprehendit. Ita Couarr. *ibi num. 18.* citans Ioannem Igneum, Paz *num. 46.* Item hac immunitate gaudet palatium Episcopi, *cap. id constituimus 17. q. 4* Couar. *ibi num. 5.* citans Innocent. Panorm. Host. & Henricum, Sylueſt. *immunitas 3. q. 1.* Armil. *num. 19.* Tabien. *num. 14.* Angel. *num. 25.* D. Anton. *d. §. 1.* Gregor. Lopez *d. l. 4.* Paz *num. 35.* Iulius Clarus *num. 3.* Nauar. *n. 18.* glossa *d. cap. id constituimus, vers. vel domo.* Sed nota, quòd, vt refert Couar. aliqui non aliter hanc immunitatem palatio Episcopi concedant, quàm si constructum sit intra Ecclesiæ matricis quadraginta passus, quos Oldradus sequitur, & praxis forensis frequenti omnium consensu. Iulius Clarus, Paz *ibi*. At, teste eodem Couar. communis sententia tenet oppositum, quam sequitur Innocent. Panorm. Host. Henricus, Nauarr. Gregor. Lopez. D. Anton. Sylueſt. glossa *ibidem, & cap. veritas* An verò Ecclesia totaliter destructa gaudeat hac immunitate, si est destructa auctoritate superioris, vel sine spe reædificationis, non gaudet: si verò est destructa sine auctoritate superioris, vel subest spes reædificationis, gaudet. Itaque vt non gaudeat, requiritur, quòd sit destructa auctoritate superioris, vel si sine illa, vt non subsit spes reparationis. Sic Remig. *de immunit. Eccles. ampliat. 20.* Clarus *supra, num. 6.* Paz *num. 38.* Item hac immunitate gaudent domus Ecclesiæ factæ habitationi clericorum, si sint intra dictos triginta, vel quadraginta passus, vel continuæ alicui sacello *cap. quisquis 17. quæst. 4.* Nauar. *num. 18.* Item hac immunitate gaudent (fortè ex consuetudine) domus Cardinalium, & à fortiori Regum, & Imperatorum. Nauar. *num. 18.* Item ianua & porticus Ecclesiæ, aut cœmeterio annexa, claustrum etiam, & pauimentum, licèt spatium plus quàm triginta passuum contineat. Nauarr. *ibi*, citans aliquos.

3 Sed nunquid fugiens ad sacerdotem Eucharistiam manibus portantem hac immunitate gaudeat, vt inde non possit inuitus auelli; Multi, quos refert Couar. *ibi n. 6.* tenent partem affirmantem. Idem tenent Archid. & Turrecrem. *cap. quæsitum 13. q. 2. num. 2.* Palacios Rubios *rubr. de donat. §. 38. num. 3.* Host. & plures alij, quos refert, & sequitur Sylueſt. *immunitas 3. quæst. 1.* Angelus *n. 28.* Armil. *num. 19* Tabien. *n. 14.* D. Anton. *d. §. 1.* Gregor. Lop. *d. l. 4.* Nauar. *d. num. 18.* citans aliquos, Perez *lib. 1. ordinam. lit. 1. l. 1. fol. 25. & l. 3 fol. 38.* & citat plures, dicitque esse communem Anton. Gom. *tom. 3. var. resol. cap. 20. n. 1.* Segura *l. quemadmodum. ff. de acquir. poss. num. 70.* Ferdinandus Gomez *l. 2. Taur. num. 78.* Montalbus *15. tit. 20. lib. 1 fori*, Paz *supra, num. 38.* Plaza *lib. 1. delict. cap. 34. num. 16.* Menchaca *lib. 3. de rest. am. §. 22. num. 51.* Remig. *de immunit. ampliat. 18. num. 3.* Azebedo *lib. 1. recop. l. 2.* Horum ratio est, quia licèt hoc non sit in iure expressum, verum quia hæc immunitas templis conceditur ob eorum reuerentiam, cùm maior debeatur corpori Christi, sit vt à fortiori hac gaudeat. Secus tamen esset dicendum, vbi captus in carceribus, ad Eucharistiam, quæ in carcerem adducitur, fugeret. Ita Host. & cæteri per Couar. citati, & Sylu. & D. Ant. Paz *supra, n. 37.*

4 Alij verò dicunt fugientem ad Eucharistiam, non gaudere hac immunitate, ita glossa *d. cap. quæsitum. vers. in patibulis*, Barb. & Cardin. vt refert Perez, imò Couar. *ibi*, dicit dubiam sibi esse priorem sententiam. Sed prior sententia tenenda est.

## DVBIVM VIII.

*Qui delinquentes possint ab Ecclesia, & cæteris locis gaudentibus hac immunitate extrahi, & qui non.*

1 PRimò, excommunicati hac immunitate etiam gaudent, vt ex hisce locis propter delictum extrahi non possint. Ita Couar. *2. var. cap. 20. num. 11.* contra Felinum *cap. 2. de excep.* & summam confess. *tit. de immunit. Eccles. quæst. 5.* & Iulius Clarus dicit in puncto iuris esse dubiam contrariam sententiam, Sylueſter *n. 3. quæst. 3.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. fin. quæst. 30. vers. quæro etiam*, Angel. *numero 11.* Tabien. *verbo immunitas, numero sexto*, Armil. *ibi num. 7.* Paz *pract. 1. tom p. 5. cap. 1. §. 3. num. 112.* D. Anton. *3. p. tit. 12. cap. 3. §. 1.* Gregor. Lopez *part. 1. tit. 11. l. 4. vers. los que.* Nauar. *in manual, cap. 25. num. 19.* citans aliquos, & idem dicit cum Paz de interdicto, & suspenso. Item gaudet blasphemus, qui tantùm blasphemus, & non hæreticus est, Nauar. *ibi num. 20.* contra Nicolaum Boërium, & Remigium per ipsum citatos, & contra Couar. *num. 11. fine*, & contra Paz *num. 110.*

2 Sed quid de hæreticis? Duplex est sententia.

Prima ait, eos gaudere quoad delicta alia ab hæresi. Ita Sylueſt. & Gregor Lopez.

Altera absolutè dicit eos non gaudere. Ita Couar. *ibi* citans Villadiego *in tract. de hæret. quæst. 11 num. 15* Hippolytum, & Boërium. Item tenet Simancas *lib. instit. in nouo. tit. 46. num. 65.* Paz *supra, num. 108.* Idem tenet Nauarrus *n. 20* hac limitatione, nisi ad Ecclesiam confugiant, vt ad fidem reducantur.

3 Sed quid de Iudæis, & cæteris infidelibus. Triplex est sententia.

Prima dicit eos gaudere. Ita Sylueſt. & Gregor. Lopez *ibi*, glossa *cap. inter alia, de immunitate Eccles. vers. extrahendas*, D. Anton. *dict. §. 2.* Host. Ioan. Andr. Cardin. Tiraquel. Huguitius, Felinus, Hippolyt. per Couar. citati.

4 Secunda sententia tenet eos gaudere. Sic Panorm. Henricus, Boërius, Ananias, Oldradus, Salicetus, Cynus, quos refert, & sequitur Couar. *dict. num. 11.* dicens esse communem sententiam, & glossa *l. 1. C. de his, qui ad Ecclesiam confug.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. fin. q. 39. vers. præterea.*

5 Tertia sententia tenenda distinguit: si maneant in infidelitate, non gaudent: si ad Ecclesiam confugiant, vt Baptismare absoluantur, gaudent. Sic Nauarrus *num. 20.* Tabien. *num. 6.* Armil. *num. 9.* Angel. *num. 13.* Panorm. Boër. Remig quos refert, & sequitur Paz *n. 106. & 107.*

6 De clericis respectu iudicum Ecclesiasticorum, duplex est sententia.

Prima dicit eos gaudere, & sic non posse extrahi à iudicibus Ecclesiasticis. Ita Innocent. Card. Roman. citati per Couar.

Secunda sententia, quæ ac probabilior tenenda est, tenet eos non gaudere, & sic posse extrahi. Ita Panorm. *d. cap. inter alia*, quando (inquit) iudex Ecclesiasticus illos extrahere vult ad criminis punitionem, Paz *num. 141.* Iulius Clarus *§. fin. quæst. 30. vers. vlterius*, Remigius *fallentia 21.* Couar. *num. 16.* Sylueſt. & Gregor. Lopez *vbi supra*, Tabien. *n. 6.* Armil. *num. 10.* Angel. *n. 14.* Bernard. Diaz *practica criminali. c. 115* Nauar. *n 22.* Margar. confes. *fol. 199.* & dicunt Bern. Diaz. Paz, Nauar. & Iul. Clar. hãc sententiam esse praxi recepram. Sed Bernard. Diaz limitat hanc sententiam, nisi crimen, quod clericus commisit, sit dignum degradatione, & traditione curiæ sæculari; tunc enim, vel clericus non est ab Ecclesia abducendus, vel si abductus fuerit, non est curiæ sæculari tradendus. At Couarr. *ibi*, dicit hanc limitationem oportere maturiùs cogitare: nam in criminibus hac degradatione, & traditione dignis, cùm atrocissima sint, non obtinet locum Ecclesiarum immunitas; quare non est cur Ecclesiæ restituendi sint.

7. Nota, quòd idem quod dictum est de clericis, dicunt etiam de religiosis respectu suorum Prælatorum, Paz, Iulius Clarus, Sylueſt. Tabien. Angelus, Armil. *ibi*: at verò clerici respectu iudicis sæcularis gaudent. Nauar. summa Latina, *cap. 25 num. 22.*

8. De fugiente ad Ecclesiam propter debita, sunt opiniones; quidam enim dicunt posse extrahi, quos refert Couar. *num. 14.* & habetur *l. fin. tit. 2. lib. 1. recopil.* videatur Guttier. de hoc optimè agens *lib. 1. pract. 1.* At verius est non posse extrahi. Ita tenet Couar. *ibi*, & plures quos ipse citat, Paz *num. 152. vsque ad 155.* & dicit esse verum, licèt sit statutum, vt tradatur ob debita creditori. Idem Couar. & addit ipse Couar. licet propter publica tributa

Universidad de Deusto
Biblioteca



sit debitor Principis,& idem Paz *n.*155. Natar. *num.* 19. Sylueſt. *vbi ſupra*, Tabien. *num.*7. Armil. *num.*11. Angel. *num.*15. Perez *lib.*1. *ordin.tit.*2. *l.*4. *fol.*69. Rodericus Suarez *lib.*2. *fori, tit. de los gabiernos, quæſt.*5. *num.*1. 2. 3. & 4. Segura *l. ab exhæreditati. ff. legatis* 1.

9 De eo, qui captus extra Eccleſiam à iudicis ſæcularis familia per Eccleſiam ad carcerem ducitur, ſunt duæ opiniones. Altera dicit iſtum non poſſe inuitum inde extrahi. Sic Nauar. *num.*19. idem Paz *num.* 45 Iulius Clarus *num.*22. Salazar *vbi infrà*, Remig. *de immunitate Eccleſ. fallentia* 30. Et dicunt hi auctores præter Nauar. idem eſſe ſi per Eccleſiam, vel cœmeterium duceretur ad ſupplicium mortis,& dicunt eſſe communem.

10 Altera opinio dicit, poſſe iſtum inuitum abduci. Ratio, quia verè is non à templo violenter abducitur, ſed per id templum, captus extra Eccleſiam ad carcerem ducitur, nec libet templum ingreſſus eſt. Ita Archidiaconus, Ioannes Igneus Oldradus quos refert, & ſequitur Couar. *num.*13. Palacios Rubios *rubrica de donat.* § 38. *n.* 4. Perez *lib.*1. *ordinam. tit.*2. *l.*4. *fol.*67. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. reſolut. cap.*10. *num.* 2. citans plures, & idem Mexia pragmatica tritici, *concluſ.*1. *num.* 28. & hæc ſententia ac probabilior tenenda eſt.

11 Nota tamen, quòd ſi quis dum ad carcerem duceretur à ducente ſe eximeret, & ad Eccleſiam confugeret, non poſſet inde abduci; & ſimili modo dicendum eſt de capto in carceribus, ſi ipſum carcerem confregerit,& ad Eccleſiam fugerit, quòd non poteſt inde abduci. Ita Couarr. *ibi* citans plures, Nauar. *n.*19. Paz *n.* 41. 42. Iulius Clarus *n.*19. & idem dicit Paz *n.*44. licèt in hoc caſu eſſet damnatus ad mortem.

12 Item non poteſt ab Eccleſia abduci is, qui exiſtens in carceribus præſtito iuramento de redeundo, exierit obtenta cuſtodis licentia. Sic Couar. & Nauar. *ibi*, & aliqui per ipſos citati, Sylueſt. *immunitas* 3. *q.*3. Angel. *num.* 19. Tabien. *n.*10. Armil. *num.*14. Gregor. Lop. *part.*1. *tit.*11. *l.*4. *verſ. los que*, Paz *n.*13. addunt Cou. & per ipſum citati, Sylueſt. Angel. Tabien. Armil. niſi præſtita cautione quoad corporis pœnam.

13 Item gaudet hac immunitate fugiens ob aliquod crimen ad Eccleſiam, quem fugientem iudex aſpectu, & curſu proſequitur. Ita Nauarr. *eodem n.*19. Xuarez *n.*3. Salazar *de vſu. c.*6. *n.*19. Paz *ſupra n.* 40. & Cou. *n.*12. contra aliquos, quos *ibi* refert.

14 Nota, quòd tria perſonarum genera excipiuntur in iure, quæ non gaudent immunitate eccleſiaſtica, ſed extrahi poſſunt: duo *in cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* ſcilicet latrones publici, id eſt, qui palam, & publicè furantur: vbi nota, quòd licèt ſimplices fures priuilegio immunitatis gaudere de iure debeant, ſi ad ſacrum ſe recipiant, vt tenet Sotus *lib.*3. *de iuſt. q.*3. *art.*3. *verſ. Porro autem.* Anton. Gomez *tom.*3. *var. reſol. cap.*10. *num.* 2. citans plures, limitat cum Paz *n.*72. niſi tria, vel plura furta committeret: & idem cum hac limitatione Gutierr. *lib.*1. *pract. q.*1. *num.*22. & dicit *num.* 20. hoc ſeruandum, niſi probetur conſuetudo præſcripta, quòd non gaudeat, & vidiſſe bis practicari, & ſic pronunciatum fuiſſe, quòd gaudeat, & *num.*25. cum pluribus dicit hoc eſſe verum, licèt re furata in Eccleſia vſus ſit; conſuetudo tamen conſenſu clericorum & laicorum inſtituta obtinuit, fures etiam ſimplices non gaudere templorum immunitate: atque ita paſſim ab Eccleſiis abducuntur inuiti à iudicibus ſæcularibus. Sic notat Paz *n.* 70. Clarus *ſupra verſ. quæro an fures*, Couar. *vbi ſupra n.* 13. Secundùm genus excipitur, ſcilicet nocturni populatores agrorum, id eſt, qui nocte agros populantur, & vaſtant, ſine qui nocte obſident ſtratas, & requiritur in hoc & præcedenti caſu vt inſidioſè perpetrent. Paz *n.*68. & Remigius. Tertium excipitur *in cap. immunitatem, eodem tit.* ſcilicet hi, qui homicidium, vel mutilationem in Eccleſia, vel cœmeterio committant ſub ſpe, quòd ab Eccleſia defendentur; & expreſsè iſtos tres caſus ponit *part.* 1. *l.* 4. *titul.* 10. & omnes Doctores.

15 Sed circa tertium caſum nota, quod licèt loquatur de homicidio, vel mutilatione: tamen idem dicendum eſt de aliis delictis grauibus ibi commiſſis. Secus ſi delictum ſit leue, etiam intra Eccleſiam commiſſum, non enim propterea delinquens inde abducendus eſt. Sic contra Card. Couar. *ibi, n.*15. *verſ.* 25. Sylu. *immunitas* 3. *q.*2. Tabien. *n.*9. Angel. *num.*17. Armil. *n.* 12. Greg. Lopez *d. l.*4. *verſ. en la Yglesia*, & alij per ipſos citati, Caiet. *verbo immunitas*, Paz *num.*73. & 81. Clarus *ſupra*, *verſ. item quæro*, licèt non limitet, quando eſt crimen graue.

16 Secundò nota, quod non tantùm committens delictum enorme in hac Eccleſia ſub dicta ſpe, non defendetur ab hac Eccleſia, ſed etiam à nulla alia. Sic Henricus, quem refert, ac ſequitur Couarr. *eodem num.* 15. D. Anton. 3 *p. tit.*12. *c.*3. §. 1. Tabien. Angel. Sylueſt. *ibidem*, ſubdens de conſuetudine ſeruari apud aliquos oppoſitum, & quòd non gaudent, tenet etiam Paz *num.* 79. 80. Clarus *ſupra*, *verſ. ſed quid.*

17 Sed quid de committente in Eccleſia delictum ſine ſpe conſequendæ immunitatis ab Eccleſia? Quidam dicunt gaudere immunitate Eccleſiæ. Ita Tabien. Paz, Hoſt. Remig. & communis, vt refert Paz *n.*77. Tabien. Angel. Armil. Greg. Lopez *ibidem, verſ. enfuciandoſe*, ponit exemplum, vt quando ex verbis nouiter ortis homicidium ſubſecutum eſt.

28 Alij tenent, etiam iſtos non gaudere, & hoc eſt probabilius. Ita Panorm. & alij, quos refert, & ſequitur Couar. *d. n.*15. Sylueſt. Caietan. *ibi* Nauar. *cap.*25. *n.* 20. & Anton. Gomez *tom.*3. *variar. reſolut. cap.*10. *num.*2. vbi ſine diſtinctione dicit, eum, qui deliquit in Eccleſia, vel exiit de Eccleſia ad delinquendum, non gaudere. Iulius Clarus *ſupra verſ. Item quæro*, Paz *ſupra n.*70. & dicunt ſic praxi receptum eſſe. Imò plures, quos refert *ibi* Couar. dicunt crimen in Eccleſia commiſſum, non tantùm eius auctorem priuare immunitate Eccleſiæ quoad illud delictum, ſed etiam quoad omnia alia crimina, quæ commiſerit extra Eccleſiam. Hanc tamen ſententiam meritò impugnat Couarr. Sed illam tenet Paz *n.* 82. 83. & 84. Remigius *ſupra. f. allentia* 11. *num.*2. Iulius Clarus *verſ. ſed quid*, limitat Paz cum Boërio, & Remigio, quando delictum in Eccleſia factum non eſſet punitum: vnde malè citatur Boërius à Couar.

19 Sed quid de committente delictum non in Eccleſia, ſed propè, ita deliberatè, vt coniecturare poſſumus, eum ſpe Eccleſiaſticæ immunitatis deliquiſſe. Quidam dicunt gaudere immunitate Eccleſiæ. Ita Sylueſt. Angel. Armil. Tabien. *ibi.* Idem tenet Nauar. *num.* 22. & alios refert.

20 Alij verò plures probabilius dicunt non gaudere, quos refert, & ſequitur Couarr. *dicto num.*15. & Gregor. Lopez *dict. l.*4. *verſ. en la Yglesia.* Montalbus *ibi in fine*, Paz *num.*94. & dicit intelligi ea ſpe facere, quando aliàs non deliquiſſet.

21 Item non gaudet immunitate Eccleſiæ is, qui ex loco profano ſagitta, vel alio inſtrumento exiſtentem in Eccleſia percuſſerit. Ratio, quia illud crimen executionem, & perfectionem habuit in Eccleſia. Sic Couar. *d. n.*15. citans plures, Paz *num.*99. Nauar. *num.* 21. Item non gaudet hac immunitate exiſtens in Eccleſia, ſi percutiat exiſtentem extra illam. Ratio, quia delictum fecit in Eccleſia, Nauar. *num.*21. Sylueſt. *immunitas* 3. *q.*6. Angel. *n.* 21. Paz *n.* 97. Item non gaudet, qui exiſtens in Eccleſia mandauit delictum fieri extra illam. Ita Nauar. *num.* 21. Paz *num.*98. Remigius *fallentia* 5. Idem videntur dicere tam de iſto, quàm de eo, qui exiſtens extra Eccleſiam mandauit delictum fieri intra Eccleſiam, Sylueſt. *ibi*, Tabien. *n.*13. Angel. *num.* 24. tenet etiam Paz *num.* 100. limitant Nuarr. Paz, & Remig. quoad delictum, quod per iuſſum perpetrauit, hoc enim commiſit in Eccleſia, gaudet tamen quoad delictum perpetratum ſuo iuſſu extra Eccleſiam. Item non gaudet hac immunitate is,



is, qui exiſtentem in Eccleſia per veſtem eius extra Eccleſiam extenſam extrahit. Ratio, quia delictum in Eccleſia commiſit: nec qui extrahi iuſſit quoad delictum talis iuſſionis; benè tamen gaudet Eccleſiæ immunitate quoad delictum, quod pòſt committeret occidens eum, quem ſic aut extraxit, aut extrahi iuſſit, Nauar. *n.*21. Paz *n.* 101. & 102. Remig. *fallentia* 10. *num.*4. Item non gaudet, qui ex Eccleſia pugnat, ſe iniuſtè defendens, Nauar. *num.* 22. Paz *num.*148. Remig. *fallentia* 22. Item non gaudent, qui comburunt, vel deſtruunt Eccleſiam, Nauar. *num.*22. & habetur *part.*1. *tit.*11. *l.*4. Paz *n.*143. 144. Remig. *fallentia* 33. Idem dicit Paz *num.*145. de ſpoliante per vim Eccleſiam, & 145. de frangente portas Eccleſiæ, & Remigius.

22 Sed nunquid iudex facit contra immunitatem Eccleſiæ, qui exiſtentem in Eccleſia per veſtem eius extra Eccleſiam extenſam apprehendit? Reſpondetur affirmatiuè. Ita Couar. *lib.*2. *var. cap.*20. *num.*18. Paz *n.* 47. Sylueſt. *immunitas* 3. *quæſt.*6. & alij per hos citati. Secus eſſet, ſi ipſe ſponte ſua velit exire ab Eccleſia, Sylueſt. *ibi*, Nauar. *n.*21. Turrecrem. *cap. frater* 17. *quæſt.*4. *num.*2. licèt ſubdolis aliquorum verbis deceptus, Nauar. *num.*2. Sylueſter *ibi.*

23 Nota quòd communis ſententia tenet, mandantem data pecunia alium necare non gaudere, per *cap.* 1. *de homicid. in* 6. At hoc non eſt verum, niſi interueniat proditio, ſed is textus loquitur de mandante interfici per aſſaſſinos, id eſt, de necante Chriſtianum opera quorundam infidelium, qui ad id ſolent operas ſuas locare. Sic Couar. *n.*10. Paz *num.*138.

24 Item gaudet hac immunitate percuſſor clerici, & alij ſacrilegi, modò ſacrilegium in Eccleſia non admiſerint, Paz *num.*105. & 169. Nauar. *num.*19. contra aliquos; quos *ibi* refert. Item, & miſſus in exilium, taliter quòd vbicunque poſſit interfici, & obligatus ad reddendas rationes, & mercator, qui decoxit, vel fidem fefellit, & qui transfugit ad hoſtes, modò non relinquant in Eccleſia, nec alia delicta excepta committant, Nauar. contra alios *n.* 19. cum Nauar. tenet Paz de exule, *n.* 147. & de transfuga, *n.*146. de mercatore, *n.*137. & de obligato, *n.* 158.

25 Sed quid de homicida proditore (quod Hiſpanè *à traicion* dicimus) licèt quidam (vt refert Couar. *vbi ſupra num.*7.) dicant gaudere immunitate Eccleſiæ: tamen, vt ipſe teſtatur, conſuetudine Chriſtiani orbis, admodum accepta, & vera ſententia eſt, hunc non gaudere immunitate Eccleſiæ, & ita tenent plures *ibi*, per Couar. relati, & Abul. *cap.*21. *Exod. quæſt.*16. Nauar. *c.*25. *n.*25. Anton. Gomez *tom.*3. *variar. cap.*10. *num.*2. dicit, primam ſententiam eſſe veriorem: at hanc, quia communis eſt, eſſe amplectendam in iudicando, & conſulendo, & eandem tenet Paz *ſupra n.*114. Iulius Clarus *ſupra*, *verſ. ſcias tamen, l. vltima, tit.*11. *p.*1. Idem dicunt Couar. Nauarr. & Paz *num.*126. & plures alij de eo, qui proditoriè percuſſit animo occidendi, licèt mors ſequuta non ſit, & idem Ahumada *part.*1. *tit.*11. *l.*4. *gloſſ.*8. *n.*1.

26 Quis autem ſit homicida proditorius explicat Couarru. dicens, eum eſſe, qui veneno alium occiderit. Item, qui occiderit eum, qui eius inimicus non eſt, & nil tale præcauentem, cùm nulla eſſet præcauendi cauſa. Item, qui per inſidioſam induſtriam alium occiderit. Item contra Bart. & Ant. Gomez 3. *var. cap.*3. *num.*5. is, qui proprium inimicum à tergo, & incautum occiderit, quia hic homicida eſt per inſidioſam induſtriam, quòd ſufficit, vt proditorius dicatur. Idem omnino vt Couarr. tenet Paz *à num.*115. *vſque ad num.*127. & patet ex *l.*20. *tit.*25. *lib.* 8. *recopil. & l.*10. *tit.*26. *eodem lib.* vbi aleuoſus dicitur, qui ſecurè alium interficit, id eſt, non in rixa, ſed à tergo, & non facie ad faciem, ita vt obſcurè occidat, vel offendat taliter, quòd offenſus non poſſit ſe defendere, & præcauere. Vnde infert Paz *num.* 123. cum Pariſio eſſe aleuoſum patrem occidentem filium, vel è contra; quia occiſus non potuit ſibi præcauere. Vide de hoc optimè loquentem Gutierr. *lib.*1. *pract. tota q.*2.

27 Sed quid dicendum vbi quis abſque vlla proditione, conſultò tamen, & præuia deliberatione, poſt repentinum iræ motum alium occiderit; nunquid gaudet Eccleſiæ immunitate? ferè omnes (vt refert Couar. *dict. num.*7.) tenent iſtum non gaudere, & ita dicit Couar. ſæpiſſimè iſtos ab Eccleſia extrahi. Idem tenet Nauar. *cap.* 27. *num.*65. & *cap.*25. *n.*21. dicens eſſe communi vſu receptum. Idem *l. fin. titul.*11. *part.*1. Iulius Clarus *ſupra*, *verſ. punctus eſt*, at verò Couar. *ibid.* dicit hunc gaudere. Idem Paz *num.*131. vbi multos refert, ſed prior ſententia verior eſt.

28 Sed quid in aliis delictis? Innocent. & Ioannes Andreas (vt refert Gregor. Lopez *part.*1. *tit.*11. *l.*4. *verſ. las mieſſes*,) dicunt, quod delinquens inſidioſè, & ex proposito in quouis delicti genere, non gaudet immunitate Eccleſiæ. Sed Panorm. quem refert, & ſequitur Gregor. Lopez, oppoſitum tenet, & hoc eſt verius.

29 Sed quid de raptoribus virginum, adulteris, & homicidis. Ratio dubitandi, quia *auth. de mand. princ.* §. *quòd ſi delinquentes*, dicitur hos non gaudere immunitate Eccleſiæ. Communis ſententia (vt refert Couar. *vbi ſupra, num.* 8.) tenet iſtam authenticam eſſe correctam per ius Canonicum, quare iſtos gaudere; ita etiam tenet Sylueſt. *immunitas*, 3. *quæſt.*2. Angel. *num.*17. Tabiena *verbo immunitas, num.*9. Armil. *ibi, num.*12. Ant. Gomez *ſupra, num.*2. Paz *num.*59. & 42. Gregor. Lopez *l. vltima, tit.*11. *part.*1. Iulius Clarus *ſupra, verſic. quæro nunquid.* Remig. *fallentia* 28. At verò Hippolytus, quem refert, ac ſequitur Couar. *ibi. n.*9. tenet, virginum raptores poſſe etiam iure Canonico extrahi ab Eccleſia, & hoc expreſſum eſt *l. vltima, tit.*11. *part.*1. Id verò, quod ſtatutum eſt *cap. de raptoribus, tit.*11. *part.*1. pertinet ad iura vetera, quæ hanc immunitatem licentiùs largiebantur. Hæc Couarr.

30 Sed quid de ſeruis fugientibus à domino, & ſe recipientibus in Eccleſiam. Nauarr. *cap.*25. *num.*19. dicit, quòd ſi ob delicta, quæ grauiſſimè à iure puniri poſſunt, confugiant, vel ob ſæuitiam dominorum, gaudent immunitate Eccleſiæ, aliàs non, & ideo ſuis dominis reddi debent, præſtita tamen cautione ſaltem iuratoria de non ſæuiendo in eos, & refert Panormit. dicens eſſe communem. Idem Abulenſ. *Exodi* 21. *q.*16. & *part.*1. *tit.*11. *l.*3. hoc docet, & D. Anton. 3. *p. tit.*12. *c.*3. §. 1. Alij hac vtuntur diſtinctione, aut venit ſeruus ille ſine armis, vt domino ſe ſubtrahat, & tunc redditur domino, præſtito tamen priùs iuramento de impunitate, *cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* aut venit cum armis, & ſic continuò extrahitur, *l. ſi ſeruus, C. de his qui ad Eccleſ. confug.* intellige promiſſa impunitate, ſic Angel. *verb. immunitas, num.* 12. Tabien. *verbo immunitas, num.*6. Armil. *ibi, num.*8. Paz *ſupra, num.*161. ſic dicit: Si propter magnam domini ſæuitiam, non eſt domino reſtituendus, ſed compelleretur eum vendere *l.*3. *tit.*5. *part.*5. & ſi propter modicam ſæuitiam, vel modicum delictum in dominum commiſſum tradetur domino, præſtita cautione dicta: ſi verò propter magnum delictum, ſi à ſolo domino timeat puniri, tradetur illi cum dicta cautione: ſi verò timeat ab aliquo puniri, vt à iudice, gaudet immunitate. Nota tamen, quòd ſi dominus non præſtita cautione dicta extraxit ſeruum, non ſat eſt, ſi det cautionem poſtea, ſed tenetur priùs ſeruum Eccleſiæ reſtituere, & poſtea præſtita cautione extrahet, Sylueſt. *immunitas* 3. *q.*7. *in fine*, Angel. *num.*20. Tabien. *num.*12. Armil. *num.*15.

31 Tandem nota plures aſſerere eum, qui ſemel ad Eccleſiam confugit, licèt poſtea exeat, & ſic capiatur à iudice non poſſe corporaliter damnari. Ita Sylu. *immunitas* 3. *quæſt.*4. Tabien. *num.*8. Armil. *n.*12. Angel. *n.*16. gloſſa, & Archid. *cap. reum* 17. *q.*4 & patet *cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* vbi Panormit. & communis; ſed Gregor. Lopez *part.*1. *tit.*11. *l.*2. dicit hoc tantùm tenere verum, quando immunitas tali pœna fuit procurata ab Eccleſia, ſeu Rectoribus Eccleſiæ, data cautione iuratoria, vel fideiuſſoria de hac impunitate, & Paz *practica tom.* 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*p.5.cap.3.§.3.num.22.* cum aliis, quos *ibi* refert, & Iulius Clarus *pract. crimen.§.fin.quæst.30.num.1.* dicunt iam vsu abrogatum esse.

Nota pro hoc capite, & sequentibus, quæ in iis habentur, procedere tantùm secundùm decreta clausa in corpore iuris.

## DVBIVM IX.

*An consulentes, vel mandantes delicta, ob quæ illa committens non gaudet immunitate, vt homicidium alieuosum, latrocinium, &c. gaudeant immunitate Ecclesia, ita, vt inde extrahi non possint.*

1 VIdetur non gaudere, quia licèt consulens delictum alioquin absque consilio tali facturo, non teneatur eadem pœna, sed mitiori puniendus sit, at consulens alioquin non facturo, tenetur eadem pœna, iuxta omnes Doctores, vt refert multos allegans Couar. *Clement.si furiosus,2.p.§.2.num.1.* Plaza *lib.1.de delictis, cap.17.n.2.& 19.* Duennas *reg.149.* Iulius Clarus *lib.5.recept. §.fin.q.88.* qui omnes fatentur esse certum, quòd teneatur eadem pœna, quando consulit alioquin non facturo, & esse communem non teneri eadem pœna, quando consulit alioquin facturo, licèt aliqui teneant oppositum: imò in vtroque casu teneri eadem pœna docet Gratianus, dicens communem, & referens multos, *regula 224. num.1.* Gregor. Lopez *part.7.tit.14.l.14. vers. con concejo* vbi excipit furtum, quia in eo lex illa distinxit an is, cui consilium datur alioquin facturus esset; at in aliis delictis, dum leges partitæ iubent puniri consulentem, non distingunt, an alter sine consilio facturus esset; vt patet *l.12.tit.8.& l.10.tit.9.part.7.* Et nota quòd in dubio, an alioquin facturus esset, præsumitur non facturus, quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus; sic Couar. *eo num. 1. vers. in eo.* Gregorius Lopez *de vers. O con concejo*, & Plaza *eo cap.17.num.14.* ergo saltem consulens alioquin non facturo delicta, ob quæ non gaudet immunitate Ecclesiæ, cùm puniatur eadem pœna, nec ipse gaudebit.

2 De mandante quòd non gaudeat, probatur; quia mandans delictum tenetur eadem pœna, & licèt in consulente distinguatur, an aliter alioquin esset facturus: at mandans in vtroque casu tenetur eadem pœna, vt tenet communis ferè omnium, vt refert, & sequitur Couarr. *dicto num.1.* Gratian. *regula 224.num.1.* Iulius Clarus *suprà, quæst.89.initio*, licèt (inquit) quidam teneant, quos *ibi* refert, non teneri eadem pœna, quando, alter alioquin erat facturus, imò mandans fortiùs delinquit, actiúsque punitur, quàm ipse delinquens, vt benè Gratianus alios referens, *dicta regula 224.num.12.*

3 At probabilius est gaudere immunitate Ecclesiæ. Probatur, quia excommunicato facienti aliquid, non censetur excommunicatus consulens, vel mandans, nisi id in excommunicatione exprimatur, vt dicitur in materia *de excommunicat.* Item, quia mandans, vel consulens non dicitur verè facere delictum, sed fictè, & interpretatiuè, vt docet Iulius Clarus *dict.quæst.89 vers. sed quæro*, Plaza *lib.1.de delictis, cap.15.num.22.* Item, quia statutum, quod punit facientem delictum, non semper habet locum in mandante, sed distinguendum est: aut enim statutum loquitur in personam, scilicet, *si quis occiderit*, & non comprehendit mandantem, quia non dicitur verè occidere; vel loquitur in rem, scilicet in ipsum maleficium, vt pro homicidio sit pœna mortis, & tunc comprehendit mandantem, vt docent Bartol. & multi alij, quos refert, ac sequitur Iulius Clarus, & eos sequitur Plaza *lib. 1. de delictis, cap.15. num.22.* at *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* loquitur in personam; sic enim dicit, *Gaudeant Ecclesia omnes delinquentes, nisi publicus latro fuerit*, &c. Item, quia Gama *1.part.decisionum, decis.272.fine*, dicit, quòd Senatus Portugalliæ extrauagantem, quæ in piratis loquitur, non intelligi in his, qui opem, vel consilium præbent.

Præterea, quia hæc immunitas, vtpote quæ est fauor Ecclesiæ, debet amplè intelligi, vt docet Montalbus *l.4.tit.11.part.1.* ergo cùm concedatur omnibus delinquentibus præterquam facientibus illa delicta, non debet restringi etiam ad mandantes, vel consulentes.

## DVBIVM X.

*An sodomita gaudeat immunitate Ecclesia.*

1 VIdetur non gaudere, quia Anton. *cap. inter alia, de immunit. Eccles. fine*, dicit, quòd fugiens ad Ecclesiam propter delictum atrox non gaudet, & Auendaño *lib.1.de exequend.mand. Regum, cap.22. num.9.* & Couar. *2.var.cap.20. num.8.* dicunt, quòd in grauissimis delictis confugiens ad Ecclesiam non debet gaudere eius immunitate, & refert Auendaño aliquos pro hoc, sed malè; & probatur, quia casus exceptus à regula extenditur ad similes ex identitate rationis, *cap.cum dilectæ, de confirmat.vtili, & ibi* Panorm. *num.4.* & Andreas Siculus *cap.iurauit, de probat. & ibi* Barbat. *num.19.* Felinus *cap. quoniam frequenter, in principio, vt lite non contest.* Bald. *cap.post translationem, de renunt.n.3.* Sed in hoc est maior ratio, quàm in exceptis, est enim enormius: ergo, & in terminis discutit hanc quæstionem Humada *part.1.tit.11. l.4.glossa 8.* & nihil definit; sed *num.5.fine*, concludit tam in sodomia, quàm in aliis criminibus enormibus, & atrocibus esse standum consuetudini.

2 At verius est gaudere. Probatur, quia *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* dicitur sic: Quantumcunque grauia delicta perpetrauerit, non est reus ab Ecclesia abducendus, nisi in casibus duobus *ibi* exceptis, & sic Panorm. *ibi num.17.* dicit decisionem illius capitis non esse extendendam ad alios casus. Idem Anton. Gomez *tom.3. variar.cap.10.num.2.* & Bossius *tit.de captura, num.32.* dicit conclusum esse in senatu, quòd nec etiam pro crimine læsæ maiestatis potest extrahi; & sic quantumuis crimen graue sit vltra *ibi* exceptos, non est extrahendus, & Montalbus *part.1. tit.11. l.4.* dicit in nullis aliis casibus vltra *ibi* exceptos debere extrahi, quia immunitas hæc vt fauor Ecclesiæ debet amplè intelligi, & Marianus Sozinus *tract.de citationibus, art.17. num.39.* dicit, quòd secundùm Doctores illi tres casus excepti non extenduntur ad similes, & Faber *§.fin.Instit.de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, num.2.* dicit, quòd iure canonico omnes gaudent immunitate Ecclesiæ, exceptis casibus *dicto cap.* inter alia positis.

## DVBIVM XI.

*An vt confugiens ad Ecclesiam inde extrahi possit tanquam ea non gaudens, requiratur integra, & plena probatio qualitatis delicti, ob quam non gaudet; vel sat sit semiplena probatio, quæ sufficit ad torturam.*

1 GAma *1.part. decis.281.* dicit, quòd cùm ipse bis fuerit iudex in hoc casu cum aliis collegiis doctissimis in supremo Portugalliæ senatu, pronuntiauit sententiam sufficere probationem qualitatis delicti, ob quam illa immunitate non gaudet, licèt probatio non esset plena, & talis, quæ sat esset ad pœnam ordinariam delicti infligendam, sed talis, quæ sat esset ad torturá, & dicit idem bis iterum esse iudicatum.

2 At dicendum est requiri plenam probationem, quia in dubio melior est possidentis conditio; cùm ergo hic delinquens sit in possessione immunitatis Ecclesiæ, ea spoliari non debet in dubio. Secundò, quia Gama *ibi in fine*, dicit, priorem sententiam esse dubiam, quia in alio simili, nempe in fœdere de remissione delinquentium, qui certa delicta fecerint, inter Reges Castellæ & Portugalliæ sæpe vidit iudicatum, non faciendam esse, nisi constet de delicto per veras probationes, & tenet in terminis



minis Auendaño *lib.1.de exequend. mand. Reg. cap.22. num.9.* & *numeris præcedentibus* affert multa similia ad hoc comprobandum, & *n.4.* affert glossam finalem *cap. inter, de purgat.canon.* & Aretinum *cap. cum non ab homine, de indic.n.63.* Sed nihil ad rem faciens dicunt; tantùm enim docent requiri plenam delicti probationem, vt clericus degradetur, & tradatur curiæ sæculari, & Granatæ *anno 1594.* sic per sententiam Vicarij pronunciatú est.

## DVBIVM XII.

*An iudex promittens criminis impunitatem delinquenti, si ab Ecclesia exeat, teneatur ei seruare fidem.*

1 SIt conclusio. Si delinquens ille non poterat iure ab Ecclesia extrahi, quia gaudebat immunitate, non potest iste, nec alius iudex punire illum corporaliter ob illud delictum: potest tamen siue iste, siue alius puniri alia pœna, quàm corporis afflictiua. Ita Gregor. Lopez *part.1.tit.11.l.2.vers. por auer derecho*, & dicit intelligendam Iacobum de Bellauis, asserentem posse iudicem in isto casu talem delinquentem punire. Conclusionem illam videtur etiam docere Nauar. *cap.25 num.22.* vbi hæc dicit. Qui promittit delinquenti restituere ipsum Ecclesiæ, aut dolis vtitur, vt exeat, siue sit iudex, siue alia persona particularis, ad fidem seruandam tenetur. Idem quod Nauar. docet Antonius Gomez *tom.3. variar. cap. 12.num.7.* Paz *pract.tom.1.p.5 cap.5.§.3.n.166.*

2 Si verò delinquens iure poterat ab Ecclesia extrahi, Cynus, & Fortunius, quos refert, & sequitur Couarru, *lib.1.variar.resol.cap.2. in fine*, dicens esse communiter exceptos, & Anton. Gomez, & Plaza *epit.delict lib.1. cap. 37.num.10.* asserunt & iudicem peccasse talem præstando fidem, & non teneri seruare. Addit Fortunius, secus esset, si iudex non promisisset criminis impunitatem, sed delinquentem restituturum Ecclesiæ, si ab ea exierit, secumque pergeret, fortassis vt ab eo seriem rei gestæ inquireret: tunc enim (inquit) tenetur ei fidem seruare, & Ecclesiæ restituere, licèt ab ea iure extrahi posset. Sed hoc dicit Couar. sibi dubium videri, licèt maximis rationibus probari possit. Vide *infra cap.3. de Inquis. & suprà dub. præced. in eodem cap.1.*

## DVBIVM XIII.

*An vbi delinquens immunitate Ecclesiæ gaudet, liceat indici ipsum intra Ecclesiam compedibus ligare, ne quo libuerit fugere, possit, vel Ecclesiam obsidere, ne tali delinquenti alimenta, victus, & vestitus deferantur.*

1 SIt prima conclusio. Contra Ecclesiasticam immunitatem faceret, si talem delinquentem quomodocunque in Ecclesia ligaret. Ita deduci potest ex *cap. definitum 17.quæst.4. & ex l.præsenti, C. de his qui ad Eccl. confug.* & tenent aliqui, quos refert, & sequitur Couarr. *2. variar.resol.cap.20.num.17.* addens cum ipsis, contrarium moribus receptum esse, & permitti posse, vbi ambiguum sit, debeatne delinquens gaudere immunitate Ecclesiæ; modò vincula ab vtroque iudice, scilicet Ecclesiastico & sæculari, iniiciantur. Hanc etiam tenet Paz *vbi infrà n.4.* Idem habetur *l.2.tit.11.part.* Iulius Clarus *lib.5.recept. §.fin.q.30 vers. quæro modo.* Limitat Paz *n.6.* nisi dubium esset an gaudeat; tunc enim poterunt poni custodes, ne delinquens inde exeat, donec causa decidatur dummodo victus, aut requies ei non denegetur. Imò Gregor. *d.l.2. vers. Cercarlo*, etiam quando constat gaudere, dicit posse poni extra Ecclesiam custodes, vt si inde exeat, capiatur.

2 Secunda conclusio. Vbi dubium est, an delinquens gaudeat immunitate Ecclesiæ, ecclesiastici iudicis est de hoc cognoscere: citato tamen ad id iudice sæculari. Ratio, quia de re ad Ecclesiam pertinenti, ac de priuilegio, quo ad ipsam confugientes gaudere debent, agitur. Ita Perez *lib.1.ordinam.tit.20.l.7.fol.71.* & constat ex dictis *suprà dub.45.* & tenet Paz *praxi 5.p.cap.3.§.3.num.3.* licèt malè *num.8. & sequentibus*, dicat vtrumque iudicem debere de hoc cognoscere, & si discordes sint, vocandum tertium.

3 Tertia conclusio. In casibus, in quibus delinquens non gaudet immunitate Ecclesiæ, iustè potest eum abducere iudex laicus, etiam non petita licentia Episcopi. Ita Couar. *ibi num.18.* citans aliquos, & dicens esse praxi totius Christiani orbis receptum. Id ipsum tenet Paz *suprà num.2.* Iulius Clarus *suprà num.10. vers. quæro nunc.* Auendaño *1.p.cap.22.num.9. Prætorum*, qui addit hoc intelligendum, quando per veras probationes, quòd illud crimen commisit, & citat Anton. à Gama, quòd sufficiat semiplena probatio delicti ab extrahendum ab Ecclesia, quem dicit omnino videndum. Contrarium tenet Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap.110. num.3.*

4 Vltima conclusio. Vbi delinquens gaudet immunitate Ecclesiæ, non potest licitè iudex sæcularis Ecclesiam obsidere, ne ad ipsum victus, vestitus, & alimenta deferantur. Ita habetur *l. præsenti, C. de his qui ad Eccles. confug. & l.2.tit.11.part.1.* vbi Gregor. Lopez, & Host. & Montalbus, & Panorm. Guido, Ioannes Igneus, quos refert, ac sequitur Couarr. *dicto num. 17.* dicens esse communem, & sic obsidere esse immunitatem Ecclesiæ omnino violare. Perez *d.l.7.fol.72.* Armil. *verbo immunitas, num.16.* Angel. *verbo immunitas, n.21.* & hi duo Doctores dicunt peccare mortaliter talem iudicem. D. Anton. *3. p. tit.12.cap.3.§.1.* dicens talem iudicem esse vltimo supplicio puniendum, Sylvest. *immunitas 3.q.8.* dicit idem, & addit esse etiam excommunicandum. An verò possit iudex gaudenti immunitate Ecclesiæ auferre in ea arma, vide Ludouicum Rodulphinum. *de potest. Princip. l. tota quæst.36.*

## DVBIVM XIV.

*Esto iudex laicus non possit fugientes ad Ecclesiam inde abducere, an possit ab eis arma legibus vetita intra Ecclesiam auferre.*

1 REspondet Couar. citans aliquos *2. var. resolut. c. 20.num.18* & Paz *pract. 1. tomo p.5. cap.3.n.149.* posse quidem. Ratio, quia is, qui fert arma vetita intra Ecclesiam, delictum istud in Ecclesia committit. Vnde à iudice sæculari puniendus, aut saltem armis priuandus erit: dicit etiam apud Hispanos vsum obtinuisse, vt clerici cum armis ipsis deprehensi à ministris iudicis sæcularis armis spolientur, quod iustè fieri potest cùm alioquin si à iudice sæculari id non fieret, liberam haberent clerici facultatem arma vetita deferendi; & maxima ab his scelera liberiùs perpetrarentur; pœna tamen (inquit citans aliquos) quæ ob talium armorum vsum legibus infertur, à clericis exigenda est coram iudice ecclesiastico.

## DVBIVM XV.

*An ratione delicti fiat peccator subditus iudici illius loci, in quo deliquit.*

1 PRima conclusio. Quantum ad forum contentiosum homo fit subditus iudici loci illius in quo delictum commisit. Hæc conclusio est certa, & expressè habetur in iure, & in praxi, *cap. significasti, & cap. fin. de foro compet. & l.1.C. vbi de crimin. agi oport.* Ratio, quia ibi est necessarium exemplum, & timor, qui sumitur ex delicti punitione, vbi fuit scandalum. Item, quia illi reipublicæ facta est iniuria. Item quia melius in eo loco examinabitur delictum.

2 Circa hanc conclusionem nota, ex ipsa sequi reum esse remittendum in criminalibus ad locum vbi delictum admisit, vt ibi iudicetur, & puniatur. Sic *c.1. de raptor. & Clement. Pastoralis, de re iudic*, quod intelligitur, quando

iudex

iudex ille id petit, quòd si non petat, potest liberè iudex domicilij remittere, vel non remittere: & aliqui sunt casus, in quibus etsi petat, non tenetur remittere, quod explicat Couar. *quæst. pract. cap. 11. num. 6.*

3 Secunda conclusio. In foro conscientiæ, & sacramentali non sortitur quis forum ratione delicti. Vnde ob hanc solùm rationem non tenetur, nec potest confiteri parocho illius loci, in quo deliquit, sed proprius illius sacerdos potest illum absoluere à peccatis toto orbe perpetratis. Contra hanc conclusionem tenent aliqui, scilicet Palud. 4. *d.* 15. *quæst.* 3. Host. *tit. de pœnit. §. qui confitendum, vers.* 5. Angles *floribus, quæst. theolog.* 1. *part. mat. de confess. fol.* 293. assetentes posse quem confiteri illi sacerdoti, in cuius parochia deliquit. Sed nostra conclusio est certa; quia hoc non habetur ex iure diuino, nec ius humanum loquitur de foro conscientiæ, & illam tenent Panormitan. *cap. cum contingat, de foro compet.* glossa *cap. placuit* 116. *quæst.* 1. Nauar. *c. placuit, de pœnit. d.* 6. *num.* 82. 83. Sylvest. *Confessor.* 1. §. 11. Couar. *quæst. practic. cap.* 11. *num.* 3. Tabien. *excommunic.* 4. *fine.* Dueñas plures citans. *regula* 279. *limit.* 1. & communi Doctorum sententia.

## DVBIVM XVI.

*An exempti ratione delicti sortiantur forum, ita vt subiiciantur illius loci iudicibus.*

1 NOta primò, quòd exemptus dicitur ille, qui potitur exemptione, id est, libertate, qua eximitur à iurisdictione, & subiectione ordinarij, ita vt maneat vel soli Papæ subiectus, vel etiam suo Prælato, & sic ad solum Papam propriè pertinet facere exemptos, *cap. cum personæ, de priuileg. in* 6. Sylvest. *verbo exemptio*, §. 1.

Secundò nota duplicem esse exemptionem; vnam localem, alteram personalem. Personalis est, quando personæ ipsæ per se, & non ratione loci eximuntur à iurisdictione: vt si concedatur Canonicis alicuius Ecclesiæ, quòd non possint excommunicari, nec interdici: tunc ipsi solùm manent exempti, & non Ecclesia. Localis est, quando ipsa libertas conceditur alicui loco, vt si hospitali, vel monasterio concedatur, quòd non possit interdici, tunc solus locus manet exemptus; personæ verò, quæ in ipso morantur, aliquo modo manent exemptæ, non omnino, & per se, sed ratione loci, id est, quatenus loci libertas exigit, v.g. quia locus non potest interdici, personæ manent liberæ ad celebrandum in eo diuina officia, *c. per exemptionem, de priuileg. in* 6. *c. cùm capella, de priuileg.* vbi notant Doctores, quòd exempta Capella non manent Capellani exempti in vniuersum, sed quatenus exercent officium in Capella. Item in exemptione locali priuilegium exempti non extenditur extra locum, quia est reale, secus in personali. Sylvest. *quæst.* 3.

2 Circa hoc dubium sunt varij dicendi modi. Quidam dicunt, quòd exempti subiiciuntur ratione delicti iudici illius loci, in quo delinquunt. Sic simpliciter affirmat D. Thom. *quæst.* 67. 2. 2. *art.* 1. *ad* 3. & pro hac sententia facit *cap. volentes, de priuileg. in* 6. vbi dicitur, quòd exempti ratione delicti alibi admissi, vel ratione contractus alibi initi, aut ratione rei possessæ, possint coram ordinario illius loci conueniri, quando talis locus non est exemptus, sed est extra locum suum exemptum. Sic etiam docent Abbas, & Felinus, intelligendo hoc caput in vniuersum de omni exemptione siue ratione loci, siue ratione personæ.

3 Alij verò dicunt, hoc non esse intelligendum de exempto ratione personæ, sed de exempto ratione loci, & de hoc loqui prædictum caput, cùm exemptionis priuilegium est certo loco circumscriptum. Quòd si tamen aliquis ratione personæ eximitur ab ordinariis, non poterit ratione delicti iudicari à iudice illius loci, in quo deliquit. Sic Anton. *cap. vlt. de foro compet.* quem sequitur Couar. *quæst. pract. cap.* 11. *num.* 5. & Sylvest. *verb. exemptio, num.* 4. *& quæstione* 9. Angel. *eodem verb. num.* 1. Sit

4 Prima conclusio. Stando in solo iure communi edito *d. cap. volentes*, certum est, quòd exemptus ratione sui loci potest iudicari ab ordinario ratione delicti, quod extra locum exemptum admisit, vel quando in loco non exempto contractum iniuit, vel in tali loco rem possidet, vel res existit. Ita conueniunt Doctores vtriusque sententiæ. Item probabile est, stando in eodem iure communi, idem dicendum esse de exemptis per priuilegia personalia, vt tenent Doctores primæ sententiæ.

5 Secunda conclusio. Iam ex speciali gratia, & priuilegio cum derogatione dicti *cap. volentes*, concessum est mendicantibus & pluribus aliis religionibus, quòd omnino sint exemptæ à iudicibus ordinariis, ita vt nec ratione delicti, nec ratione rei habitæ extra loca exempta, nec ratione contractus possint iudicari ab ordinario. Sic D. Anton. 3. *part.* 16. *c.* 9 §. 1. Caiet. 2. 1 *q.* 67. *art.* 1. Sylvest. *verbo exemptio, n.* 10. Nau. *c. non dicatis*, 12. *q.* 1. *n.* 95. *& 96.*

6 Sed circa hanc conclusionem nota duo.

Primò nota, quòd licet iudex ordinarius non possit exemptum à sua iurisdictione iudicare, nec aliqua censura, nec pœna afficere, si tamen illi non sit nota exemptio, potest examinare exemptionis priuilegia, & religiosi aliique exempti tenentur ea ostendere ordinariis, si priuilegia non sint publicata, vel longo tempore præscripta, vel nota ordinariis, quòd si exemptus nolit ea ostendere iudici, dato ad id congruo loco, & tempore, iudex potest procedere contra ipsum, & eius sententia tenet, & ligat exemptum, *cap. cum personæ, de priuileg. in* 6. at si sunt iam publicata, & iudici nota, vt priuilegia mendicantium, tunc exemptus non tenetur ea ostendere, nec comparere coram ordinario, nec sententia contra eum lata tenebit, ex *clement. pastoralis*, ita Panorm. *cap. cum ordinem, de rescript. n.* 6. Richard. 4. *dist.* 18. D. Anton. *vbi supra, in principio*, Sylvest. §. 8. *& 9.*

7 Secundò nota, quòd dicta conclusio intelligitur, quando priuilegia exemptionis non sunt abrogata, nam contingit per leges, ordinationes, aut bullas denuo editas, multa priuilegia præterita abrogari, vel in vniuersum, vel in partem, & licèt priuilegia ipsa contineant clausulas, quòd non possint abrogari, nisi de ipsis fiat mentio, satis est, quòd lex derogans dicat, quod derogat priuilegia quæcunque, non obstantibus quibuscunque clausulis, &c. quamuis non faciat mentionem in speciali, nec referat de verbo ad verbum, intelliguntur tamen abrogata. Canones de hoc sunt in iure, in quibus non obstantibus priuilegiis exempti subiiciuntur ordinariis, quoad aliquos casus, vt *in cap. ad abolendam, de hæret.* & gloss. *c.* 1. *de priuileg.* refert alios duos casus, scilicet quando exempti post vota contrahunt matrimonium, & quando religiosi de prouentibus Ecclesiarum parochialium, quarum sùe patroni, non dant sufficiens stipendium Rectoribus earum; sed canones, quos citat, id non explicant.

8 Vltima conclusio. Hoc distat inter exemptos degentes intra, vel extra monasterium, nam degentes intrà, super nulla causa possunt conueniri coram ordinariis: degentes verò extra, in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum possunt coram ordinariis conueniri, vt dicitur Concil. Trident. *sess.* 7. *cap.* 14. Item degentes intrà, non possunt puniri propter delicta ab ordinario, nisi quando extra monasterium cum populi scandalo delinquunt, & non puniuntur à suis Prælatis monitis ab ordinariis, vt id faciant: vt docet Concilium Trident. *sess.* 25. *cap.* 14. degentes verò extrà, possunt puniri ab ordinario, propter sua delicta, vt à contrario sensu colligitur ex Concilio Trident. ex *eodem loco.* Ita docet Nauar. *loco citato*; ex quo infert, vicarium cuiusdam Episcopi non potuisse cognoscere de quodam censu, qui perebatur à quadam religione habente exemptionem cum derogatione *dicti cap. volentes.*

9 An verò exempti, vt religiosi, & alij possint subiici iudicio ordinariorum, dixi latè *lib.* 4. *sum. c.* 39. *per totum.*

DVBIVM



## DVBIVM XVII.

*An iudici liceat iudicare contra veritatem, quam nouit propter ea, quæ in contrarium proponuntur.*

1 NOta dupliciter posse contingere probationes esse contra veritatem notam à iudice, vel quando reus verè fecit delictum notum à iudice, tamen ex legitimis probationibus apparet innocens, & tunc omnes conueniunt non licere iudici damnare reum propter veritatem à se cognitam. Alio modo quando iudex verè scit aliquem innocentem esse, & tamen legitimè probatur testibus nocentem esse, & hoc vertitur in dubium, an possit, & teneatur illum damnare, variæ sunt sententiæ.

2 Prima sententia tenet in nullo casu, nec in vlla causa ciuili, vel criminali, licere iudici talem damnare, sed teneri ipsum absoluere, vel cessare à iudicando. Ita Hugo *Legator, ff. de iurisd. omnium iud.* Panorm. & Calder. *cap. pastoralis, de offic. deleg.* Angel. *verb. iudicare, num.* 7. Lyra *Exodi* 23. Arbor. *lib.* 9. *Theosoph. cap.* 20. & alij, quos Couar. refert.

3 Secunda sententia est, quòd in causis ciuilibus benè potest iudex iuxta probata iudicare, non tamen in causis criminalibus. Ita Adrian. *in quodlib. quæst.* 6. *art.* 3. Immola, & alij Iurisperiti, *l. à Diuo Pio ff. de re iud.* Host. Innocent. Felin. *d. cap. pastoralis.*

4 Rationes, quibus vtraque fulcitur opinio, sunt: prima, iudicare contra veritatem est contra ius naturale, & diuinum; ergo non licet. Item, vtilius nasci scandalum permittitur, quàm veritas relinquatur, *cap. qui scandalizauerit, de regul. inv. in* 6. Item probationes iuridicæ ordinantur ad hunc finem, scilicet veritatem manifestandam: ergo si ad falsitatem inducunt, non sunt admittendæ. Pro secunda opinione est ratio peculiaris Adriani, quia nullus homo est dominus vitæ, & membrorum; ergo ex consensu, & auctoritate reipublicæ non potest iudex habere auctoritatem ad damnandum innocentem in criminalibus, propter probationes in contrarium inductas, quia non potuit transferre in rempublicam dominium, seu potestatem, quam in se non habebat: at verò in ciuilibus, quia homo est dominus bonorum, potuit talem auctoritatem tribuere. Et in hoc sensu intelligitur, *cap. pastoralis, de offic. deleg.* vbi dicitur, quòd iudex exequatur sententiam delegati contra innocentem, non in criminalibus, quod esset iniustum, sed in ciuilibus; sic exponunt hoc cap. Panorm. Felin. Alciat. Anchar. & alij.

5 Alia opinio est, benè posse, & teneri iudicem iudicium ferre, & damnare contra veritatem à se cognitam innocentem, qui iuxta allegata & probata nocens est, quando non potest medium iuridicum inuenire, quo se possit secundum leges excusare. Probatur ratione Diui Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 2. scilicet, quia cùm iudex sit persona publica, & potestas, qua iudicat, sit publica, debet sequi in iudicando scientiam publicam, & non priuatam, id est, quòd sibi innotescit tanquam iudici per media iure & legibus constituta, & approbata. Item, quia contra leges non admittitur probatio in contrarium; ergo nec contra probationes legitimas admitti debet notitia particularis contraria. Sunt etiam aliæ rationes, quas afferunt Doctores citandi. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. & Caiet. *ibi*, Salzedo *in addit. ad Bernard Diaz, regul.* 377. Matienzo *dialogo relat.* 3. *part. capite* 42. Pinel. *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* 3. *part. capite tertio, numero* 33. Iulius Clarus *pract. crimin. lib.* 5. *§. fin. quæst.* 66. *numero tertio*, Gratian. *in regul. iuris, regula* 254. *initio*, licèt *num.* 11. hoc limiter, & dicat esse verum ad absoluendum, non tamen ad damnandum innocentem. Turrecrem. *cap. iudicet* 3. *quæst.* 7. *num.* 1. Richard. *quodlib.* 3. *quæst.* 25. *& 4. dist.* 18. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 1. Henricus 3. *quodlib. quæst.* 25. Alensis 3. *part. quæst.* 40. *membro* 6. *art.* 2. *& quæst.* 34. *membr.* 1. *art.* 4. Tabien. *verbo iudicare, num.* 5. Sylvest. *iudex* 2. *quæst.* 5. Armil. *verbo iudex, num.* 6. Abulens. *cap.* 23. *Exod. quæst.* 6. *&* 2. *Paralip. quæst.* 43. D. Anton. 3. *part. tit.* 9. *cap.* 2. §. 6. *& cap.* 5. §. 2. Viguer. *lib. instit. cap.* 5. §. 2. *vers.* 3. Corduba *lib.* 1. *quæst. q.* 37. Maior 3. *dist.* 33. *quæst.* 4. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 4. *art.* 2. Couar. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 1. *à num.* 4. per plures glossa *cap.* 1. *de offic. ordin. & dicto cap. iudicet*, & plures vtriusque iuris Doctores, quos refert Couar. *num.* 6. Nauar. *cap. si quis autem, de pœnit. dist.* 7. *num.* 128. *& in summa, cap.* 25. *num.* 9. & 10. Perez *lib.* 5. *ordin. tit.* 2. *fol.* 107.

6 Verum licèt auctores huius tertiæ opinionis, quæ communior est, in hoc conueniant, tamen differunt in remediis, quibus vti debet iudex antequam ad sententiæ prolationem veniat. Quidam dicunt quòd si potest, tenetur renunciare officium, quando non sufficeret ad liberandum examinare diligentiùs testes, nec ad superiorem remittere: verùm si renunciare non possit, potest, & tenetur secundùm probata iudicare. Ita Sylvester *vbi supra.*

7 Alij dicunt, quòd in eo casu si iudex habet superiorem, debere coram populo iurare, sibi constare de opposito, & ideo velle illam causam remittere ad superiorem, & similiter coram ipso superiori deberet iurare veritatem, quam nouit, vt sic liberet innocentem. Ita Caiet. 1. 2. *q.* 67. *art.* 2.

8 Alij dicunt debere remittere causam superiori iudici, & si hoc non potest, non peccare damnando. Ita D. Thom. 2. 2 *q.* 64. *art.* 6. *ad* 3. Tabien. *verbo indicare, n.* 5. & intelligitur in hoc D. Thomas (vt explicat Caietan. *vbi supra.*) non quòd remittat, & tradat reum conuictum superiori iudici, id enim esset morti exponere, sed quòd se exoneret negotio, si potest; relinquendo coram aliis, vt si volunt recurrant ad superiorem.

9 Alij dicunt, nec teneri iudicem cedere officio, nec etiam ad superiorem remittere, quia habet iudex potestatem terminandi causam, & sic si non potest aperire falsitatem probationis, potest eum damnare, quamuis non teneatur remittere, debet tamen id facere, quando reus esset persona insignis, & delictum infame. Sic Sotus, Couar. *vbi supra num.* 9.

10 Sit tamen prima conclusio. Quando negotium innocentis agitur extra iudicium, vt contingit in distribuendis officiis, & oneribus, in conferendis beneficiis, dispensationibus, ordinibus, & aliis huiusmodi, quæ arbitrio, & prudentiæ iudicis committantur, non tenetur probata sequi, sed veritatem, quam ipse certò nouit. Ratio, quia in his rebus non constringitur à legibus sequi probationes. Sylvest. *vbi supra*, dicens id esse apud omnes certum, & quidam iuniores docti.

11 Secunda conclusio. Princeps supremus, qui potestatem habet leges condendi, & conditas derogandi, poterit sententiam dicere iuxta propriam & priuatam sententiam, tametsi contrarium in iudicio probatum sit. Ratio, quia legislator non ligatur suis legibus, & ita potest hac potestate vti. Ita Bart. Albericus, Felinus, Cynus, quos refert, & sequitur Couar. *libro primo variar. capite* 1. *num.* 7. *fine*, Corduba *lib.* 1. *quæst. q.* 37. *fine.* Aduerte tamen hoc citra scandalum fieri debere; quare Princeps publicè coram populo propriam sententiam manifestare debet, quo populo satisfaciat, vt notant Caiet. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Sotus, Couarr. & Corduba *vbi supra.* Immò Oroscius *l. illicitas* §. *veritas. ff. de offic. præsid. numero* 12. & *infrà* dicit idem esse in senatoribus Principum; sed ipsum reprobant Matienzo, & Gratian. *vbi supra*, quia hi non possunt leges derogare. Addunt autem Couarr. & Cordub. Principem hac in specie æquissimè facere, si reum iuxta ipsius Principis scientiam, innocentem tamen, iuxta allegata immunem à pœna iudicauerit, nisi delictum ita atrox, vel reipublicæ perniciosum esset, vt maximè bono communi expediret eius auctorem publicè punire.

Universidad de Deusto
Biblioteca



12 Tertia conclusio. Iudex inferior antequam secundùm probata iudicet eum, quem certò nouit esse innocentem, tenetur media, & cautelas commodas adhibere, vt sic defendat illum, v. g. suo ingenio se iuuare, iterum, & exactiùs examinando testes, & instrumenta interrogando de tempore, loco, & forma, vt vel sic testium falsitatem deprehendat. Ita omnes Doctores pro tertia sententia citati, in hoc enim omnes conueniunt, vt notat Corduba *d.q.37.in principio.*

13 Quarta conclusio. Si per remissionem talis innocentis ad iudicem superiorem probabile esset eum à morte liberandum esse, probabilius est teneri iudicem remittere. Ratio, quia licèt officium iudicis ad id non obliget, verùm ex communi charitatis lege, tenetur quis quando citra suum magnum detrimentum potest, proximum à morte liberare; sed hoc potest iudex in hoc casu: ergo. Sic Sylvest. *vbi suprà*, Corduba *d.quæst.37. vers.ex hac opinione sequuntur*, & innuunt, valdè D. Th. Alens.& Tabien.Caiet. *vbi suprà*, & tenet etiam Innocent. cum multis aliis, quos refert Panorm. *cap. pastoralis, de offic.deleg.* idem tenet Viguer.*vbi suprà.*

14 Quinta conclusio. Quando prædicta media non sufficerent, non tenentur iudices renunciare officium vt vitent damnationem talis innocentis. Ratio, quia cùm quis patitur damnum ex malitia alterius; non tenemur cum tanta iactura propria illum liberare, sicut si per se esset necessarium. Ita contra Sylvestrum tenet Sotus,& Caiet.*vbi supra*,Cordub. *de quæst.37.versic. secundo corollariè sequitur.*

15 Vltima conclusio. Quando dicta media nihil prosunt, non tantùm potest,verùm etiam tenetur index inferior sententiam ferre iuxta allegata, & probata, quidquid in contrarium priuatus sciat. Hæc conclusio est tertiæ opinionis; patet eius rationibus, quas omnes vnà vnà cum argumentorum solutione inuenies in Caietano, Soto, & Corduba; consule *ibi* Couar. *vbi suprà, num.9.* Viguer.*vbi suprà.*

16 Nota tamen circa hanc conclusionem Guidonem (vt refert Couar.) asserere supremos senatores, qui regiis prætoriis assistunt, non teneri iudicare secundùm probata,quando priuata scientia oppositum norunt. Sed melius Couar.*vbi suprà num.7.vers.tertium*, oppositum docet, quia hi iudices nullam habent à principe potestatem derogandi legibus.

## DVBIVM XVIII.

*Vtrum sicut iudex, ita & minister possit exequi sententiam contra veritatem sibi cognitam.*

1 DVo in hac re certa sunt. Primum est,vbi sententia notoriam iniquitatem, vel intolerabilem errorem habet, non tenetur, imò nec potest exequutor exequi.Notoriam(inquit)non tantùm sibi,sed etiam aliis. Ratio, quia præcipit iudex rem apertè iniustam, & nulla potest excusatio fingi. Patet ex *cap. pastoralis*, §. *quia verò,de offic. iudic. deleg.& cap.inter cæteras, de re iudic.* Ita D. Thom.*suprà,quæst.64.art.6.ad 3.* Caiet.*2.2.q.67. art.2.sub finem.* Sylvest.*iudex 2. quæst. 6.* Tabien. *verb. iudicare, num. 6.* Angel. *ibi num.* 8. Armil. *verb.iudex, num.* 37. D. Anton.*3.p.tit.9.cap.2.* §. 7. Nauar. *cap.* 25. *num.*14.Cordub.*lib.1.quæst.37.*§.*tertiò corollariè*, Alensis *3 p.quæst.34.membr.1.art.4* Richard. *quodlib.3. quæst.* 25 Couar.*lib.1.var.cap.1.n.*10.referens plures.

2 Secundò certum est, quòd vbi dubius esset minister de iustitia sententiæ,tenetur eam exequi. Ratio, quia in dubio parendum est superiori,*cap.quid ergo,* 21. *quæst.* 3. *& cap quid culpatur,*23.*quæst.*1. Item,quia ministri non est discutere iustitiam sententiæ, sed merè exequi. Ita ferè omnes citati.

3 At in duobus versatur difficultas. Primum est, an cùm iudex iuxta allegata, & probata sententiam protulit aduersùs eum, quem ministret scit innocentem, teneatur minister sententiam exequi. Duplex est sententia.

Prima dicit,nec teneri, nec posse exequi, fundatur in rationibus, quibus probatur iudicem non posse damnare innocentem, si probetur legitimè esse reum. Ita Angel. *vbi supra.* & aliqui, quos refert Sylvest. & idem D.Anton.innuit, *vbi supra.*

4 Secunda sententia ait,posse;& teneri exequi, quando non potest commodè se excusare ab executione talis sententiæ. Ratio, quia iudex in hoc casu iustè præcipit, nec obest scientia priuata ministri; quia sententia ferenda est iuxta probata, non obstante notitia priuata oppositi. Ita Sylvest. Caiet. Corduba, Alens. Richard. Armil. *vbi suprà*, & hæc sententia tenenda est, iuxta tertiam sententiam,quàm *dub.præced.defendimus.*

5 Secundum, in quo est dubium, an cùm minister certus est,quòd sententia est iniusta, non tamen hoc est aliis notorium, sed ipse solus scit, teneatur eam exequi. Ratio dubitandi est,quia *d.cap.pastoralis*, §. *quia verò*, sic habetur. *Si delegatus iubeat ordinario, vt sententiam exequatur, tenetur illam exequi,licet sciat esse iniustam, si ab executione excusare se non possit.* Triplex est sententia.

Prima dicit, quòd si sententiæ iniquitas soli exequutori nota, & certa sit, potest eam exequi quando commodè se excusare non potest, nisi officio cedat: patet ex *d. cap. pastoralis.* Item, quia exequutor tantùm vitatur ministeriali potestate à potestate publica mota. Item, quia sententia iudicis licèt iusta, dum tamen iustitia non est in se manifesta, licèt mihi manifesta sit, nec intolerabilem errorem continet, valida est,vt benè docet Soto *lib.5.de iust. quæst.7.art.4. ad 2.* Caiet. *2.2. quæst. 70.art.4.ad 2.* ergo minister, cuius sententiam validam est exequi, ad id tenetur, quando se excusare non potest: non est enim suum iniustitiam discutere. Ita tenent Caiet.Corduba *vbi suprà*,Couar. *lib. 1. variar. cap.* 10.Idem tenent apertè glossa *d.cap.pastoralis, versic. & si sciat.* Nauar. *vbi supra, num.* 14. *&* 15. dicunt enim, quòd si sententia est iniusta, at valida, tenetur minister exequi, at verò si taliter est iniusta, vt sit nulla) explicat Nauar. quia continet notoriam iniquitatem, vel intolerabilem errorem) non tenetur exequi. Eandem sententiam apertè innuunt D. Thom. & Tabien. Richard. *vbi suprà*, nam solùm dicunt ministrum tunc non teneri exequi sententiam, quando manifestam iniustitiam, vel errorem intolerabilem continet, & hanc sententiam latiùs probat Couar.

6 Secunda sententia tenet ministrum teneri exequi sententiam iniustam, quæ valida est, & in causis ciuilibus,secus in criminalibus. Ita Panorm. *cap. pastoralis,*§. *quia verò, num.*2.referens Innocentinm.

7 Tertia sententia absolutè dicit, non licere ministro exequi sententiam, quam nouit certò iniustam esse. Ratio,quia superiori iniustum præcipienti obtemperandum non est. Ita Sylvest. *vbi suprà*, Felin, & Alciat. quos refert Couar.Ex his sententiis, prima vt communior, & expressa *dicto cap.pastoralis*, est amplectenda.

## DVBIVM XIX.

*An cùm iudex certò nouit aliquem esse innocentem, qui tamen iuxta allegata & probata nocens est, possit illi occultè iamuas carceris aperire, vt sic ipsum à morte eripiat.*

1 REspondetur vtrique licere, si id absque scandalo fieri possit; quia nulli iniuria irrogatur: si quidem iste verè innocens est. Ita Sotus *libro 5. de iust. quæst.4.q.art.2.vers.secunda conclusio*, Alens. *3. p. quæst. 34.membr.1.art.4.ad 1.* Corduba *libro 1. quæst. 37. vers. ex hac opinione.*

DVBIVM



## DVBIVM XX.

*An possit iudex aliquem condemnare, si accusator non sit.*

1 REspondetur, in criminalibus non posse. Ita D. Thom.*2.2.q.67.art.3.* Ratio, quia iudex est iustitia animata: iustitia autem est inter duos; ergo vt iudex condemnet, oportet vt intercueniant duo, quorum alter sit actor,alter verò reus. Hæc D.Thom. *loco citato.*

2 Nota tamen primò, quòd licet prædicta D. Thom. ratio de causis criminalibus tantùm loquatur: ar idem sentit, & probat etiam in causis ciuilibus; sed quia in illis est euidentius,quia petitur bonorum restitutio, quæ ab aliquo peti debet, ideo exemplum posuit in criminalibus,vbi maior erat dubitandi ratio. Ita Caietan. *2.2.q. 67.art.3.*Sotus *lib.5.de iust.q.4.art.3.*

3 Secundò nota,ex hoc, quòd absque accusatore procedi non possit,non esse de iure naturæ, sed de iure humano, est tamen valde consonum iuri naturali, & diuino,ita præcipitur *cap.si legitimus,de accusat. & l. illicitas, ff.de offic.præsid.*ita Sotus *vbi suprà* latiùs probans.

4 Tertiò nota, quòd etsi accusator sit necessarius ad puniendum in iudicio, non tamen ad punitionem, quæ via correctionis, & extra iudicium fit; quare parentes filios, & domini seruos punire possunt communibus suppliciis, absque accusatore, quia ista ordinantur ad delinquentis emendam, & non iustitiam vindicatiuam, & satisfactionem partis, & Reipublicæ. Idem etiam est in Prælatis Religiosorum in delictis minoris momenti, quæ tanquam partes castigant, secus in grauioribus, vbi carceribus opus esset.Ita Sotus *vbi suprà*, & docti iuniores.Idem docet Sotus,posse fieri à iudicibus sæcularibus in leuioribus, vt patet *l.leuia,ff.de accusat.*vbi leuia audire, & discutere de plano iubentur; secus tamen esset, vbi carceribus opus esset.

5 Quartò nota, aliqua esse præter hominem, cuius proprium est accusare,vicem accusatoris habentia, quæ refert D.Thom.*2.2.q.67.art.3.ad 2.*vbi & Caiet. Sotus *vbi supra ad 3.* & docti recentiores, quæ quidem sunt quatuor. Primum notorietas criminis: patet ex *cap. euidentia,de accusat.& cap. manifesta,* 2.q.1. Secundum est infamia delicti, non quidem quòd hæc sit sufficiens ad reum puniendum; sed est ad inquirendum contra ipsum absque alio accusatore (Sotus idem dicit de iudiciis, quod de infamia, sed fallitur, vt *infrà in cap.Ac inquisitione* videbitur.) Tertium est denunciatio canonica,quæ fit ad euitanda damna,qualis est ea, quæ Inquisitoribus fit. Quartum cùm via correctionis fraternæ procedit ur, & reus euangelica denunciatione denunciatur Prælato ad emendam, & ab illo correctus fuerit rebellis, tunc rebellio accusatoris vicem gerit, vt possit Prælatus absque alio accusatore talem reum punire, vt *infra cap. de denunciatione*, patebit.

## DVBIVM XXI.

*An iudex possit dispensare in pœna per legem Statuta, illam totaliter remittendo, vel augendo, vel minuendo.*

1 NOta quòd pœna aliquando est taxata in lege,aliquando verò non, sed committitur arbitrio iudicis, & tunc dicitur arbitraria. Secundò nota ex dupplici causa posse euenire,vt remittatur pœna legis, scilicet, vel ex sola voluntate, & indulgentia iudicis, vel ex aliqua causa iusta,aut circunstantia, quæ delictum ipsum minuit.

2 Sit prima conclusio. Totaliter pœnam legis remittere nullo modo licet iudicibus inferioribus. Ratio, quia eum sint legibus subiecti, non possunt in illis dispensare: at illæ cogunt iudices, vt pœnas exequantur. Item, quia iniuriam irrogant parti læsæ, & licèt pars læsa non fit, irrogant reipublicæ iniuriam; datur enim ansa delicta perpetrandi. Ita D.Thom.*2.2.q.67.art.4.*Sotus *lib.5. de iust.q.4.art.4.*Castro *lib.2.2. de lege pœnit. cap.13. concluf.*1.Sylvest.*iudex 1. quæst.*11.Armil. *ibi num.* 31. Tabien.*verbo dominus,num.*10.Host.quem refert, ac sequitur D.Anton.*3.part.tit.9.part.tit.9. cap.* 2.§. 5. Turrecrem.*cap.omnis,dist.45.num.*4.& docti recentiores.

3 Secunda conclusio. Iudex supremus, vt Rex, potest totam remittere pœnam, non tamen pro libito suo, sed quando pars læsa remittit, & inde damnum non sequitur Reipublicæ.Ratio,quia cùm sit legislator, potest ex causa iusta in lege dispensare. Ita omnes Doctores citati,Nauarr.*cap.25.num.*14.Castr.*d.lib.2.cap.*12.§. *contra hanc secundam.*Felinus *cap.qualiter* §. *ad corrigendos, de accusat.*& præfati recentiores.

4 Circa hanc conclusionem nota primò ex Sylvest.& Castro *ibi*,quòd pœna aliquando posita est pro solo bono communi,& tunc sine consensu alicuius posset Princeps remittere,modò damnum non sequeretur inde bono communi. Aliquando imponitur pro bono communi, & etiam priuato alicuius, & tunc non sat est ad remittendum non sequi damnum bono communi, sed oportet etiam, vt iniuriam passus consentiat tali remissioni.idem docti iuniores.

5 Secundò nota, quòd tunc potest iudex supremus remittere pœnam consentiente læso, quando reus vnum tantùm delictum ex fragilitate commisit, non multum atrox,nec cum graui scandalo: tunc enim, si aliquando fiat,& rarò, non sequitur nocumentum Reipublicæ, si verò esset homo sceleratus, vt insignis latro publicus, &c. non liceret.Ita Sotus *vbi suprà*, & Caiet. *in summa, verb.iudicis peccata*, dicet mortale peccatum contrahere Regem,qui hunc à pœna eximeret, & Nauar. *vbi suprà*, dicit gratissimè peccare.Idem præfati iuniores.

6 Tertiò nota, quòd etiamsi pars læsa non remittat, potest iudex supremus in aliquo casu rarò relaxare pœnam reo, quando esset homo nimis necessarius bono publico. Ita Castr. Sotus, Sylvest. Armil. Nauar. *ibi*, & prædicti iuniores.

7 Tertia conclusio. Iudex inferiorum potest pœnam à lege determinatam absque causa iusta minuere, vel augere.Patet rationibus primæ conclusionis, & in hac conueniunt Doctores omnes citandi.

8 Dubium tamen est, an ex causa possit talem pœnam aliquando minuere.Duplex est sententia.

Prima tenet non posse etiam ex iusta causa, nisi,quando crimen, ob quod incurritur,tale est, vt super ipso liceat iudici inferiori dispensare.Ita gloss. *cap.de pœnis.* Innoc.Ioan.Andr.Anch.Ant.*ibi*,Henricus *cap. in Archiepiscopus,de raptoribus* Felin.*d.cap.qualiter, num.* 33. Sylvest. *iudex 1.q.*11.Angel.*verb.pœna,num.*18. In hanc videtur inclinare Gregor.Lopez *l.8.tit.31.part.2.vers.libre.*

9 Secunda sententia oppositum tenet.

10 Quarta conclusio. Probabilius est posse iudicem inferiorem ex causa iusta pœnam per legem taxatam temperare,patet *l.quid ergo,*§.*pœna grauior, ff. de his qui notant infam.l.& si seuerior, & l.si Possidonium, C. ex quibus causis irrog.infam.*Idem innuit *part.7 tit.31.l.8. fine.* Host. quem refert, ac sequitur Turrecrem. *vbi suprà, num.6.*Castro *d.l.2.cap.*13.*concl.*2.Tabien.*vbi suprà*, Simanc.*lib.instit.tit.46.num.*79.Petez *lib.8.ordin.tit.16.l.9. & lib.3.tit.1.l.3.pag.*786.Aules *cap.*1.*Prætorum, vers. deinde rechamente*,Couar.*lib.2.var.cap.9 num.* 8. plures referens. Idem tenent docti recentiores Magistri.

11 Nota, hic plures esse causas, ob quas potest temperari pœna delicto præfixa. Prima est ætas, vt pueritia, vel auxilium, §. *in delictis, ff.de minor.* Item senectus, *l. diuus ff.de termino moto.* Secunda causa est paupertas, quando pœna est pecuniaria. *l. illicitas,* §. *vlt. ff. de offic. præsid.* Tertia est doli defectus; quia scilicet non ex deliberatione, nec consilio, sed subita animi passione, vel dolore commissum est delictum. *l. absentem,* §. *vlt. ff.de pœnis.*Quarta est consuetudo, quæ non sit mala, & legitimè præscripta,*c.cùm contingat,de foro compet.& cap.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*inquisitionis, de accusat.* Quinta est, si iudex, qui pœnam infligere debet, non habet potestatem infligendi pœnam legis, vt si quis commisisset delictum morte dignum, & iudex sit in sacris constitutus, cui est prohibitum morte damnare, *cap. in Archiepiscopatu, de raptor.* Has causas recensent, & latiùs probat Castrus *d. cap. 13. post secundam conclusionem.* Sexta causa est, quando meritò speratur ex diminutione pœnæ correctio, & emenda delinquentis, præsertim si pœna mortis plecti debet. Ita Castr. *ibi, concl. 2 & §. alias causas* Septima causa est, si post delictum commissum transiit aliquod magnum interuallum vel tempus, *l. si diutino ff. de pœnis.* Ita Perez *lib. 3. ordin. tit. 1. l. 1 pag. 735.* Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 1. num.* 8. citans Bart. Albert. Salicet. Bald. Panorm. & alios; limitat tamen, nisi fuisset accusatus, & propter eius absentiam non potuit pœna imponi. Octaua est, quando accusatus fatetur statim sponte crimen, & non metu probationum: tunc enim pœna minui debet, nisi animæ, vel Ecclesiæ periculum immineret, Sylvest. D. Anton. *vbi supra*, Armil. *verb. iudex, num. 23.* Turrecrem. *cap. omnis, dist. 43. n. 6.* Tandem pœnam minuendi causa iusta est quæuis circunstantia, ex qua delictum leuius redditur, quia cùm pœna propter delictum incurratur, si hoc decrescit, & illa decrescere debet. Ita Perez *lib. 8. tit. 16. l. 9.*

12 Secundò nota, has causas tunc tantùm esse iustas ad minuendam pœnam legis, quando lex ipsa non exprimeret nullam aliam debere pœnam imponi, aut manifesta prohibitione non prohiberet pœnam mutari, prout dicitur *cap. super eo, de raptor.* tunc enim non liceret transgredi pœnam mutando, ita Castrus *d. vers. alias causas.*

13 Quinta conclusio. Bene potest etiam iudex inferior pœnam legis augere ex causa iusta, vt si multi essent publici latrones, vel multa homicidia, & opus esset exemplo. Ita habetur *part. 7. tit. 31. l. 8. in fine*, & *ibi* Gregor. Lopez *vers. guisado.* Sylvest. Nauarr. Turrecrem. D. Anton. *vbi supra*, Armil. *verb. iudex, num.* 33. Couarr. plures referens *vbi supra.*

14 Sexta conclusio. Quando pœna non est per legem præscripta, sed arbitrio iudicis committitur, tunc potest iudex pœnam temperare, prout qualitas, & circunstantia delicti patitur, & in misericordiam potiùs protendere debet *l. recipiendum, ff. de pœnis.* Ita Sylvest. Turrecrem. *num. 5.* D. Thom. 2. 2. *q 67. art. 4. ad 1.* Castrus *d. lib. 1. cap 12. concl 3.* Notat tamen, quòd licèt possit tunc iudex pœnam minuere, non tamen potest omnem pœnam remittere; quia etsi lex iudicis arbitrio committat pœnæ qualitatem, & quantitatem; tamen illi liberum reliquit, vt non puniat. Item tenent docti recentiores Magistri.

15 Hic dubitari potest, an quando pœna est arbitraria, possit iudex pœna mortis damnare. Perez *lib. 8. ordinam. tit. 9 l. 48.* tenet cum aliis, quos refert, partem affirmantem, & dicit se vidisse plus quàm semel hoc ita practicari. Contrarium tamen tenet Simancas *lib. instit. tit. 46.* & *ibi* latè probat, consule ipsos.

## DVBIVM XXII.

*An ij, qui apud iudices intercedunt, vt pœnas legis remittant delinquenti, peccent.*

1 Hæc quæstio ex præcedenti pendet: nam casu, quo iudex peccaret remittendo, manifestum est intercedentem pro remissione etiam peccare: nam qui sic rogat, aperè consentit, facto, & consulit; casu verò, quo iudex non peccat, manifestum est licere intercedere. Ratio autem dubitandi est, quia multi viri sancti intercedebant pro reis. Sit

2 Prima conclusio. Nullus potest apud iudicem intercedere, vt tota pœna remittatur reo, nisi fortè pars læsa rogaret pro eo, qui illam læsit, non vt impunitus euadat, sed vt hac ratione ostendat charitatem, quam ad illum habet, vt vel sic erubescat esse inimicus. Patet primò, quia iudici non licet totam remittere pœnam, vt dixi *dub. præcedenti.* Ita Castrus *lib. 2. de lege pœn. cap. 13. concl. 1.* & docti iuniores.

3 Secunda conclusio. Quando meritò speratur de hominis emenda, qui crimen commisit, licet eam spem habenti pro illo apud iudicem intercedere, vt pœnam legis temperet, & similiter quando est illa causa iusta ad minuendam pœnam. Ratio, quia tum iudici licet pœnam minuere, vt dixi. Ita Castrus *ibi concl. 1.* & docti iuniores.

4 Tertia conclusio. Quando nulla est causa iusta ad minuendam pœnam, vel lex specialiter pœnæ mutationem prohibet, non licèt id petere à iudice. Ratio, quia non licet iudici tunc minuere, vt dixit Castrus *ibi*, & §. *alias causas, concl. 3.*

5 Quarta conclusio. Quando ex remissione, vel mutatione pœnæ sequitur damnum, vel iniuria parti læsæ, vel fit contra ius alicui debitum, tunc non licet intercedere apud iudicem, vt pœna iustè debita remittatur, vel minuatur. Ratio, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona: malum autem est violare ius proximi contra eius voluntatem. Ita Castrus *vbi supra concl. 4.* Hæ conclusiones, & rationes sunt desumptæ ex D. Augustin. *in aliquibus locis*, præsertim *epist. 54.* ad Macedonium, quia illi obiiciebat facere contra ius, dum pro impiis fundebat apud iudices preces.

## DVBIVM XXIII.

*An iudex post sententiam latam, qua pœna aliqua damnauit reum, possit pœnam illam minuere.*

1 Respondetur negatiuè, siue pœna illa esset taxata per legem, siue arbitraria. Ratio, quia iam officio suo functus est *l. quod iussit, ff. de re iudic.* tradit. Bart. *l. 1. in princip. num 14. ff. si quis ius dicenti*, & *ibi.* Iason. Cardin. & Panor. *c. 3. de pœnis.* Couar. *lib. 2. var. c. 9. n. 8.* Castrus *lib. 2. de lege pœnal. cap. 12. vers. tertia conclusio*, & docti iuniores. Sed nota tria.

2 Primum est hoc deficere in crimine hæresis, in quo hoc speciale est, vt etiam pœnam per sententiam impositam possit iudex minuere, *cap. vt commissi. §. vltimo, de hæret. in 6.* Notat Castrus *ibi*, glossa *vers. mutandi*, Armil. *verbo iudex, num. 16.* & docti iuniores.

3 Secundum est, quòd de iure huius Regni (licet aliud esset de iure communi) si iudex damnauit aliquem pœna pecuniaria Cameræ Regis applicanda, potest sententiam mutare, & pœnam tollere, si reus damnatus esset adeò pauper, vt soluendo non esset; ita disponit *l. 4. tit. 22. part. 3.* & notant *ibi* Gregor. Lopez *vers. pœna*, in hoc corrigi ius commune. Idem notat Perez *lib. 8. ordinam. tit. 16. l. 9.* Auendaño *de exequend. mand. Regum, cap. 3. n. 11.* vbi dicit hoc procedere, licèt pœna sit lege statuta contra Gregorium Lopez *vers. por otro*, docentem oppositum, & dicit tantùm, quando pœna applicatur Regiised Gregor. Lopez *vers. mayormente*, dicit etiam quando applicatur operibus publicis, vel aliis, quia lex dicit, *maximè quando Regi*, Auiles *cap. 1. Prætor. vers. derechamente.*

4 Tertium est, si iudex (vt plerunque fieri solet) aliquem ob crimen pœna pecuniaria damnarit, hoc addito, quòd si eam intra id tempus non soluerit, quod præfigit in sententia, publicè flagelletur, nihilominus potest iudex, non soluta pecunia, intra eum diem, pœnam eandem pecuniariam, omissa corporali, executioni mandare, nam is iudex in tali sententia, verè pecuniaria pœna delinquentem punit: vtitur tamen corporalis pœnæ commutatione, vt faciliùs, & diligentiùs pecuniam reus soluat. Ita Corneus *lib. 3. consil. 5.* Couarr. *n. 8.* & docti recentiores Magistri.





## DVBIVM XXIV.

*An iudex inferior possit mutare, vel interpretari sententiam, quam semel tulit.*

1 Sit prima conclusio. Sententiam interloquutoriam potest quiuis iudex mutare. *cap. qualiter 1. de accus. l. 2. tit. 22. p. 3.* Panorm. quem refert, ac sequitur Armil. *verb. iudex. n. 16.* Tabien. *ibi, n. 23.* Ang. *n. 25.* Batt. & Iason *l. iudex post eaquam, & l. si iudex, C. de sentent. & re iudic.* Idem Gregor. Lopez *d. l. 2. vers. lo puede.* vbi dicit, quòd licèt variæ exiterint sententiæ de qua interloquutoria hoc intelligatur: at verius est intelligi de quacunque. Contrarium in interloquutoria vicem definitiuæ habenti tenet Lanas *de attent. 2. p. c. 12. limit. 1. num. 53.* Francus *c. cum cessante, de appellat.* non potest tamen reuocare interloquutoriam, quando appellationi detulit, vt dixi *supra lib. 3. dub. 32.* Nec potest etiam quando ab interloquutoria est appellatum, & iudex à quo est inhibitus per iudicem ad quem, vt *ibidem* dixi. Nec potest etiam post decè dies sine licentia eius pro quo data est: nec quando appellans fecit expensas, nisi priùs reficiantur. Hæc Innocent. vt refert, & sequitur Sylvest. *verbo appellatio, quæst. 6.* Tabien. *ibi quæst. 15. n. 18.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 14. §. 2.*

2 Secunda conclusio. Sententiam diffinitiuam semel à se datam non potest iudex mutare. Ratio, quia functus est iam officio suo. *l. iudex. ff. de re iudic. cap. in literis, de offic. deleg. l. 3. tit. 22. part 3.* vbi Gregor. Lopez *vers. toller.* Tabien. Angel. Armil. *vbi supra*, Sylvest. *iudex 2. q. 8.* Panormit. *cap 1. de postulat.* Couar. *lib. 1. variar. c 1. num. 4. fine*, quod adeò verum est, vt procedat, etiamsi postea manifestum esset iudici sententiam esse iniustam ex fide instrumentorum, quæ post sententiam ipsi exhibentur. Ita Couar. *ibi*, plures referens. Id etiam procedit in iudice arbitro, *cap. cùm olim, de arbitr.* ibique Panorm. Sylvest. Armil. Tabien. Angel. *vbi supra.*

3 Nota tamen hanc conclusionem pati aliquas exceptiones. Prima est, quam dixi *dub. præced. n. 3.* Ita Gregor. Lopez *versic. toller*, & *ibi* probaui. Secunda est, quando iudex tulit sententiam absente altera parte: tunc enim, si pars altera veniat antequam surgat iudex ex tribunali, in quo sententiam tulit, & perat suas rationes audire; si quando citata fuit, dixit se nolle comparere, tunc sententia non reuocatur; si verò tacuit, vel dixit se ventururn, tunc sententia reuocatur: at in prioti casu potest appellare. Ita disponitur *l. 4. tit. 22. part. 3.* & tenet Gregor. Lopez *vers. toller, & eadem l. 4.* Tertia est, quando iudex sententiam diffinitiuam de re principali protulit, nulla tamen mentione facta de accessoriis, scilicet de fructibus, vel redditibus rei principalis, vel non damnauit expensis aduersarium, tunc enim potest eadem die, qua sententiam tulit, & non alia die corrigere, & supplere hæc accessoria, patet *l. Paulus, la 1. ff. de re iudic. & l. 3. tit. 22. part. 3.* & tenent Sylvest. & alij, quos refert, *vbi supra*. Gregor. Lop. *ibi*, & notat *ibi, vers. en aquel dia*, cum Baldo, intelligi de die iudiciali, in quo lata est sententia; non autem de die naturali vigintiquatuor horarum: vnde si lata fuit sententia hac nocte, non potest cras corrigi. Nota etiam idem esse dicendum; scilicet posse supplere, & corrigi eandem sententiam eadem die, quando licèt mentionem fecerit de fructibus, vel expensis, non tamen recètè de his iudicauit, sed vel defecit, vel excessit in aliqua quantitate. Ita disponit *eadem l. 3.* & notat *ibi* Greg. Lopez *vers. mas, o, menos*, licèt aliqui, quos *ibi* refert, standio in iure communi, senserint oppositum, dicentes intelligi hanc tertiam exceptionem, quando iudex nullam prorsus de fructibus, & expensis mentionem fecit. Quarta exceptio est in crimine hæresis, vt dixi *dub. præced. num. 2.* Vltima exceptio est in Rege, vel Præside summo consilij Regij, qui mutare possunt sententiam diffinitiuam à se datam Ita *d. l. 3. partita.*

4 Tertia conclusio. Non possunt etiam iudices inferiores suam diffinitiuam sententiam interpretari, quando dubia esset interpretatio, quia si esset clara, & iuri consona, possent. Maiores autem iudices possunt, ita tamen, vt non corrigant, vel mutent, sed tantùm declarent. Ita Sylu. *vbi supra*, plures Doctores, & textus referens, vbi etiam docet cum aliis, statutarios deputatos à populo ad condendum statuta, non posse ea interpretari, sed recurrendum esse ad populum, quia illi functi sunt iam officio suo.

## DVBIVM XXV.

*An iudex possit compellere partes ad concordiam & compositionem.*

1 Sit prima conclusio. Regulariter id non potest in ciuilibus, etiam Princeps ex potestate ordinaria. *l. 1. ff. de non. oper. nunc.* Ratio, quia non potest alicui ius, quod habet interdicere. Ita aliqui, quos refert, & sequitur Sylvest. *iudex 1 q. 7. dicto 3.* Angel. *n. 4.* Tabien. *n. 2.* Armil. *num. 4.*

2 Secunda conclusio. Si lis esset valde longa, & difficilis, & iura partium omnino ignota sint, potest iudex compellere partes ad compositionem, *c. placuit, 90. dist.* Ita Panorm. *cap. fin. de transact.* Sylvest. Armil. Tabiena *vbi supra.*

3 Tertia conclusio. Si verò iura alicuius partis iam essent aperta, vt quia conclusum est in causa, & sic iudici constat pro qua parte sententiam ferre debeat, non potest ad compositionem partes inducere, nisi ex aliqua speciali circunstantia: vt quando aduersarius, qui ius non habet, est potens, & ad appellandum paratus, & sic multum læderet alterum, qui pauper est, & tunc creditur consultius esse ad compositionem reduci, tunc posset iudex hortari ad compositionem, Sylvest. Tabien. Armil. Item, quando esset contentio inter aliquas personas insignes, etiam in ciuilibus, ex qua timeretur graue scandalum, posset iudex, vt Reipublicæ paci consulat, ipsas ad concordiam reducere, Perez *lib. 4. ordinam. tit. 8. l. 1. pag. 1483.*

## DVBIVM XXVI.

*An homo teneatur ad accusandum.*

1 De hac re agit D. Thom. 2. 2. *quæst. 68. art. 1.* vbi duo fundamenta præmittit. Primum est. Hoc distat inter denunciationem euangelicam, & accusationem, quòd illa ordinatur ad denunciantis emendam; & sic illi infligetur pœna aliqua, ordinatúrque ad eandem emendam; hæc verò ordinatur ad bonum commune Reipublicæ. Secundum est, accusator tenetur probare delictum de quo accusat. Tertiò præmittendum ex *infrà* dicendis, triplicem esse viam cognoscendi crimina, & in his procedendi, scilicet denunciationis, inquisitionis, & accusationis. Ratio distinctionis est, quia aut crimen est ita secretum, vt nullo modo probari possit, & tunc proceditur per denunciationem: aut est probabile, occultum tamen, vt distinguitur contra famosum, & tunc proceditur per accusationem: aut est publicum, id est, famosum, & tunc proceditur per inquisitionem: aut est notorium, & tunc non indiget strepitu iudicij, & de his tribus procedendi modis: seorsum est agendum. Quid autem inter hos distet, dicam infrà in capitibus de denunciatione, & inquisitione.

2 Quartò præmittendum est *accusationem*, secundùm D. Thom. *esse delationem rei de crimine in libello ad vindictam propter bonum commune*, id est, manifestatio criminis de homine reo facta iudici secundùm ordinem iuris, compellendo eum, vt puniat propter bonum commune, & quia hæc diffinitio propriè pertinet ad causas criminales, ideo vt omnes accusationes comprehendat, oportet addere, *vel ordinata ad instaurandum interesse accusatoris.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 His suppositis circa propositum dubium, quidam tenent in nullo euentu accusationem esse in præcepto. Ratio eorum est, quia cuicunque crimini per denuntiationem consuli potest: ergo non oportet accusare. Ita glossa *cap.quapropter 2.q.7. vers. deferre*, Angel.*verb. accusatio, num.2.*

4 Nihilominus dicendum est, quòd in causa priuata non tenetur quis accusare. Ratio, quia potest iuri suo cedere, & remittere iniuriam sibi illatam. Verùm vbi crimen in commune damnum corporale, vel spirituale redundat, & aliter perfectè medium adhiberi non potest, quia necesse est, vt non tantùm damno obuietur, sed etiam, vt reus puniatur ad arcendum alios: tunc tenetur is, qui crimen tale probare potest, accusare. Ratio, quia tenetur quisque ex charitatis lege bono communi consulere: si verò non potest sufficienter probare, non tenetur accusare, quia accusator tenetur probare crimen de quo aliquem accusat. Ita D.Thom.& Caiet.*supra*. Turrecr.*2.q.7.cap.1.n.5*. Armil.*verbo accusatio, n.6*. Tabien. *n.2* Rosel.&Supplementum *ibi*,Sylu.*q.2*. Sotus *lib.5. de iust.q.5.art.1.& lib.de secret.membr.2.quæst.5.conclus.1.*& *ibi* Corduba Nauarr.*cap.23.num.32. & cap. inter verba, corol.60.n.638*. Simanc. *lib.institut. tit.4. num.1*. Alcozer *in summa.cap.26.§.el accusador*,& alij.

Oportet tamen hic aliqua notare.

5 Primum, quòd licèt in causis propriis, & priuatis non teneatur quis accusare: at potest compelli à iudice propter bonum commune, vt salrem declaret coram ipso,quis eum offenderit, vt de sua depositione oriatur informatio, vel inquisitio, nisi persona offensa esset de priuilegiatis ad testificandum: tunc enim cogi non posset.Anton.Gomez *tomo 3.variar.cap.12. n.24.*

6 Secundum est, quod Bart.*l.in eum, de accusf.* asserit, posse iudicem in casu homicidij compellere offensam partem, vt accuset; quod tamen Nauar. *d. n. 638*. dicit communiter reprobari, at verum tenere, vbi homicida esset nimis Reipublicæ pernicios⁹us, & delictum probari posset.

7 Tertium est, non teneri quempiam iuridicè denunciare ad recuperandum damna, quæ accepit, nisi esset adeò pauper, vt non posset familiam suam alere, nisi bona illa ratione iniuriæ sibi debita recuperaret. Ita Sotus *d.membr.5.q.5. vers. & confirmatur* post secundam conclusionem,Nauarr.*d.corol.60.n.640*.& docti iuniores.

## DVBIVM XXVII.

*An accusationem debeat necessariò præcedere secreta monitio?id est,an accusans teneatur prius corrigere reum, vt si corrigatur,cesset ab accusatione,*

1 QVadruplex est sententia.

Prima tenet non necessariò debere præcedere monitionem. Ratio, quia accusatio non ordinatur præcipuè ad peccatoris emendam, sed ad punitionem, propter bonum commune Ita tenent Angel. *verbo accusatio, num.1*. Armil.*n.3*.Tabien.*num.1* Abul.*cap.18. Matth.q.67.ad 6*.glossa *cap.licet Heli,de simon. vers.inscriptio*, Palud.*4.dist.19.q.4.vers.ad argumentum*,Turrecr.*cap.si peruenerit 2.q.1.n.30.ad 5*.Nauarr.*cap.inter verba, corol.6. n.640*.Adrian. *4 q. de correct.§ ad argumentum antea positum, in solutione ad 2*. Sotus *lib.de secret. memb. 2. q. 5.* post quartam conclusionem, & Cordub. *circa eandem conclusionem*,& D.Thom *4.dist.19.q.2.art.3. quæstiuncula 1.ad 4*.Nauar.*lib.2,de restit.cap.4.à num.254*. dubitat, & saltem dicit, non peccare contra iustitiam, bene tamen contra charitatem.

2 Secunda sententia tenet, prærequiri monitionem in foro conscientiæ, vbi spes emendæ esset, & non esset periculum in mora. Ratio, quia lex charitatis poscit, vt quàm minimo dispendio fieri possit, damnis occurramus: ergo contra charitatem erit accusare, vbi per viam faciliorem,& ex qua non tantum damnum proximus patitur, damno communi occurri potest. Ita Sylvest. *verbo accusatio,q.3*.Durand.*4.dist.19.q.4.ad 1*.

3 Tertia sententia tenet,quòd vbi est præceptum de accusatione,nõ prærequiritur monitio: at vbi non est præceptum,sed tantùm potest quis accusare,vel non, tunc tenetur præmittere secretam monitionem, si spes emendæ sit.Ita Caiet. *supra quæst.33.art.7.ad 3*.

4 Vltima sententia media est,& tenenda, & explicabitur aliquibus conclusionibus.

Prima conclusio. Quando accusatio sit ab homine in causa propria priuata ad recompensationem iniuriæ acceptæ per pœnam reo inferendam, non est necesse præcedere monitionem. Ratio, quia talis accusatio non ordinatur ad deliquentis emendam, sed ad satisfactionem damni, & iniuriæ, propter commune bonum, & in hoc deficit secunda, & tertia opinio, quia hæc est vera accusatio, & non est in præcepto, & tamen non requirit monitionem.Ita tenent Doctores primæ sententiæ, & Sotus *lib.5. de iustit.quæst.5.art.1.dub.3*.Nauar. *supra*, & docti recentiores Magistri.

5 Secunda conclusio. Quando crimen esset publicum & iudex, præciperet tale crimen accusare, non est necessaria admonitio. Ratio, quia ibi quæritur per accusationem vt Reipublicæ fiat satisfactio, cui illata est per scandalum iniuria, & in hoc consentimus cum prima & tertia opinione, nec secunda contradicit, quia ipse Sylvest. *ibi quæst.9*. cum Innocent. & glossa quadam, quam refert, docent huiusmodi crimina, licèt emendata sint, licere accusare, & probat ratione dicta, & ita docti iuniores.

6 Tertia conclusio. Vbi crimen esset occultum, id est, non publicum, & non prosequeretur quis causam propriam, sed alienam boni communis, vt quia crimen est Reipublicæ pernicios⁹um, tunc si quis certissimus est per suam monitionem profuturum, omnino tenetur illam præmittere: si verò non omnino certus esset, teneretur statim denunciare, vel accusare. Conclusio patebit *ex infrà* dicendis *c.de denunciatione*. Sed probatur prima pars, in qua discrepamus à prima sententia, & illam tenent Doctores secundæ & tertiæ, & Sotus *loco proximè citato*, quia ille reus adhuc habet possessionem honoris, & famæ, & per solam monitionem potest damnis occurri; & addunt multi iuniores docti teneri ad restitutionem, si denunciat, quia peccat contra institutum.

## DVBIVM XXVIII.

*An sit licitum accusare delictum, quod quis sufficienter probare non potest,& an semel accusatum, liceat iterum accusare.*

1 SIt prima conclusio. In causa criminali, qui propriè accusat aliquem ad punitionem, si non est certus de crimine, vel habet testes, quibus legitimè probare possit,peccat mortaliter. Ratio, quia iniuriam infert reo, eius famam iniustè lædens, & se exponit periculo talionis pœnæ. D.Ant.*2,p.tit.1.c.19.§.5*.

2 Secunda conclusio. Regulariter non licet accusatum de aliquo delicto, iterum de eodem delicto accusare, nisi illud iteret; in aliquibus tamen casibus licet, quos vide in Sylvest. *verbo accusatio,quæst.10*.vbi ex aliquibus legibus duos colligit casus, qui excipiuntur. Primus est, vbi secundus accusator doceret primum præuaricasse. Secundus, si suum dolorem prosequens,ignorat, accusationem institutam ab alio.

## DVBIVM XXIX.

*An pactum,vel iuramentum de non accusando valeat.*

1 QVidam dicunt, quòd respectu peccati præteriti iam commissi valet, & sic qui tale pactum, vel iuramentum fecit,tenetur non accusare: at respectu peccati futuri,& perpetrandi nihil valet, nec obligat. Ratio differentiæ, quia quando est de peccato præterito, non datur ansa delinquendi, sic autem quando est de peccato futuro.Ita gloss.*cap.quemadmodum,de iureur*.Angelus *verb.accusatio,n.6*.

2 Alij tenent iuramentum tale valere, siue sit de peccato præterito, siue de futuro, quando est non in causa criminali, sed in ciuili: at pactum sine iuramento, nec in causa criminali, nec in ciuili de delicto perpetrando valet.Ita Panorm.*d.cap.quemadmodum*. Sit tamen

3 Prima conclusio. Quando accusatio est in præcepto, vel in consilio, quia est promotiua maioris boni, vel seruitij Dei, tunc iuramentum de non accusando nil valet,siue peccatum sit perpetratum,sine perpetrandũ; licèt enim hoc frequentiùs inueniatur in peccato futuro: at potest etiam reperiri in præterito,vt si non sit emendatum,vel pendet in futurum alicuius damnum.Ratio,quia iuramentum de non adimplendo præcepto, vel consilio, nullum est.Ita Sylu.*verb.accusatio,q.6*. & aliqui docti recentiores.

4 Secunda conclusio. Quando non est debita ex præcepto, nec ex consilio, sed est in recompensam propriæ iniuriæ, vel alterius, vel in ordine ad ipsum accusatorem rei pertinentis, vel ordinata ad commodum temporale, vel accusatio talis in ordine ad animam est indifferens, tunc valet pactum, vel iuramentum, quia non est contra bonos mores, nec maioris boni impeditiuum. Sylu.licèt non expressè,sed ex eius doctrina *ibid.* colligitur. Ita nonnulli recentiores Magistri.

## DVBIVM XXX.

*Qui prohibeantur accusare, & qui non.*

1 PRima conclusio. Quando crimen est priuatum, & nulla pœna debetur fisco, tunc illi tantùm accusare possunt, ad quos illa iniuria pertinet; quando verò debetur fisco pœna aliqua, quia redditur quodammodo causa publica,potest quilibet de populo accusare. Ita tenent plures Iurisperiti,quos refert, & sequitur Sylvest.*verbo accusatio, q.4*.

2 Secunda conclusio. Si delictum sit contra rempublicam, & bonum commune, tunc potest quilibet accusare, demptis illis,quibus specialiter lege, vel statuto, vel consuetudine prohibetur accusare, vt sunt infames, excommunicati, & aliæ personæ secundùm ius inhabiles ad accusandum,propter ætatem, sexum, & conditionem. Ratio,quia accusator est actor, & ideò debet habere auctoritatem,& qualitates ad accusandum, *l. qui accusat.ff.de accusat*.D.Thom. *2.2.quæst. 68. artic.1. ad 1*.Sotus *de sigillo, membr.2.quæst. 5. vers. sed dubium est, & lib.5 de iust.quæst.5.art. 1*. Sylvest. *vbi suprà*. Nota tamen tales benè posse, & teneri ad denunciandum. Ita Sotus,& Caiet. *ibi*, & latiùs de hoc dicam *infrà cap. de denunciatione*. Item nota istas personas posse in causa propria, vel suorum accusare, *l.fin. ff. de priuat. delict.* Item, quando delictum est contra aliquam legem, vel diuinam,vel humanam, cuius violatio non est in iniuriam tertiæ personæ, tunc quilibet,etiam infamis, & excommunicatus, &c. potest accusare; vt si quis noctu contra legem incedat armatus, vel præter horam, vel peieret,vel blasphemet: sic notant plures, quos refert, & sequitur Sylvest.*ibi*.

3 Tertia conclusio. Clerici in causa sanguinis accusare non possunt: benè tamen denunciare, quando delictum est contra ipsos, vel rempublicam, vel in damnum tertij pendens in futurum. Hæc secunda pars probatur *cap.sequenti, de denunciatione*. Prima verò probatur: id enim non decet clericos propter honestatem, & mansuetudinem, quam tenentur repræsentare, *cap. his,quibus 23 quæst.8.cap.clericis, & cap. sementiam, ne cleric.vel monachi*. Vnde prohibitio hæc est de iure humano, in quo ex causa posset Papa dispensare. Ita Sotus *membr.2.quæst.5.vers.ex hac conclusione, & lib. 5. de iust.quæst.4.art.1. fine*, vnde dum Sylvest. *vbi suprà* dicit,licere clericis in his causis accusare, nomine accusationis denunciationem iuridicam intelligit. In aliis tamen causis, quæ non sunt sanguinis, benè possunt clerici propriè accusare in propriis iniuriis, non tamen in aliorum iniuriis, nisi necessitate iuris naturalis vrgente, ne rebus odiosis se immisceant, ex *capite sicut sacerdos,2. quæst.7*.

4 Quarta conclusio. Laici non possunt accusare clericos, nisi in aliquibus criminibus, vt hæresi, læsæ maiestatis,sacrilegio,simonia,Sylvest. *verbo crimen, quæst.3*.

5 Vltima conclusio. Subditi prohibentur accusare Prælatos, & seruì dominos, *2. 2. quæstione 7. per totam*, sed hoc intelligitur ex odio, secus si ex charitate. Ita D. Thom.*2.2.quæst.68.art.1.ad 1*. Sotus *membr. 2.quæst.5. vers.notandum*.

6 Nota tamen ex D.Thom. *2. 2. quæst.68 art. 2*. non oportere denunciationem fieri in scriptis, benè tamen accusationem. Quod intelligitur regulariter: nam in criminibus leuibus & notoriis non oportet, vt fiat accusatio in scriptis, *l.lenia.ff.de accusat* consule D. Thom. *2.2.quæst.68.art.3. & 4*. vbi alia, & Sotum *lib.de secret. membr.2.quæst.5.& lib.5. de iust. quæst. 5 art. 2. 3. & 4*. tantum esset hic disputandum an accusato liceat offerre aliquid accusatori, vt desistat ab accusatione, & huic liceat desistere, sed de hoc *infra,cap.de reo*.



## CAPVT II.

*De denunciatione.*

### SVMMARIVM.

DVB.1. *Quibus casibus obliget ex præcepto correctio fraterna.*
2. *Quæsit materia de qua teneamur corrigere.*
3 *An sit peccatum omittere correctionem timore mortis,vel alio iusto.*
4 *An personæ priuatæ, vel saltim Prælati teneantur inquirere peccata,quæ corrigant.*
5 *An secreta monitio debeat præcedere denunciationem.*
6 *An quando crimen est occultum,& tantum in peccantis damnum, & secreta monitio non prodest, teneamur vltrà procedere ad testes adhibendum, & tandem ad denunciandum.*
7 *An sit necessarium prius adhibere vnum testem, quàm duos? & an possint plures quàm duo adhiberi, & an testes debeant esse ex his, qui alias norunt crimen fratris.*
8 *An quando homo dubitat, an sua monitio, vel denunciatio sit profutura, excusetur à correctione, & denunciatione.*
9 *An omnes teneantur ad denunciationem faciendam, vel aliqui excusentur.*
10 *An clerici teneantur ad prædictam denunciationem faciendam,etiam in causa sanguinis.*
11 *An Prælatus, vel iudex possit punire hominem, de quo denunciatum est aliquod crimen.*
12 *An quando iudex procedit ad denunciati punitionem, possit eum punire integra legis pœna.*
13 *An denunciator possit esse testis contra delinquentem,vt sic procedatur ad punitionem.*
14 *An quando iudex vel Prælatus præcipit denunciare delicta,sit prius facienda secreta monitio.*
15 *An peccata præterita iam emendata sint denuncianda ad mandatum superioris.*
16. *An crimina non visa, sed tantùm audita sint denuncianda.*
17 *An sit denunciandum Prælato, qui creditur nullum*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*remedium adhibiturus.*

18 *An aliquæ personæ propter priuilegium iuris excusentur à denunciando ad mandatum iudicis, vel à testificando, si iudex eas specialiter vocet, vt testimonium ferant? & an qui ob defectum aliquem sunt facti inhabiles ad testificandum, teneantur denunciare ad mandatum iudicis.*

19 *An filius teneatur patrem hæreticum denunciare Inquisitoribus, & comprehendantur sub edictis talem denunciationem inhibentibus.*

20 *An teneantur illi denunciare ad edicta, vel testificari, si iudex interroget, quibus delictum pro consilio, vel remedio capiendo, vel sub sigillo secreti detectum est.*

21 *An qui iurauit non denunciare, vel non ferre testimonium, teneatur respondere ad edicta, vel iussus à Prælato testificari.*

22 *An propter damnum, quod denunciatori, vel reo denunciato sequitur, excusetur quis à denunciando, vel testificando*

23 *Quæ sint causæ in summa, ob quas quis excusetur à mandatis de denunciandis criminibus.*

24 *Quæ causæ excusent à denunciatione facienda de rebus furtiuis.*

25 *Quantum temporis duret edictum superioris cum vi obligandi ad denunciandum, & similiter literæ excommunicatoriæ, quæ promulgantur ad partis petitionem, vt sibi aliquid restituatur.*

26 *An errent iudices, præcipiendo generaliter in edictis malefactores denunciari.*

27. *Quod sit discrimen inter eum, qui respondet ad edicta, vt testis, & inter eum, qui vt denunciator.*

## PROOEMIVM.

ANTEQVAM ad dubia deueniamus, aliqua supponenda sunt fundamenta.

Primum, quid sit denunciatio: est enim manifestatio criminis facta superiori, vt remedium, aut correctionem, aut pœnam ex officio adhibeat, & differt ab accusatione, quia per accusationem petitur punitio, ac vindicta delinquentis, & ad ipsam præstandum compellitur, & obligatur iudex ab ipso accusatore: per denunciationem verò nil à iudice petitur, sed illius arbitrio, & officio relinquitur, vt faciat quòd debet, & viderit expedire.

2 Secundum fundamentum. Denunciatio est triplex: Euangelica, Iudicialis, & Canonica. Euangelica est illa, quæ fit superiori ad correctionem, & emendam ipsius peccatoris ordinata, itaut hoc sit principalis finis, & formale obiectum, quod intendit, qui denunciat, & cui denunciatur, & de hac dicitur quod fit superiori, non tanquam iudici, sed tanquam patri, & priuatæ personæ, id est, non vt exequatur partes iudicis, quæ sunt iudicare, & punire, sed partes, quas exequitur pater, & quilibet proximus, quæ sunt corrigere. Iudicialis est illa manifestatio criminis, quæ fit iudici de aliquo peccatore ordinata ad satisfactionem, & recompensam, id est, vt ipse peccator satisfaciat, & soluat, quod debet, siue id, quod debet, sit damnum, & interesse alicuius personæ particularis, siue sit aliqua pœna, vel mulcta, quæ fisco debetur, & ideo ista denunciatio aliquando est publica, id est, quæ fit ab officiali publico ad soluendam aliquam pecuniam publicam, quæ ex lege debetur. At quando est priuata, id est, quæ fit à persona priuata, ad satisfactionem priuati damni, & debiti. Hæc denunciatio dicitur iudicialis, quia fit secundùm formam iuris, & cum solemnitate iuris, scilicet in scriptis, & cum probatione facta ab ipso denunciante: quamuis non sit hoc necessarium, quia etiam de plano, & sine iuris forma fieri potest. Et licèt hæc denunciatio sit accusationi similis, & sæpè sub accumulationis nomine intelligatur: at verè differt ab accusatione propriè dicta, quia accusatio ordinatur ad punitionem, & vindictam publicam, & accusator, qui & actor est, tenetur probare sub talionis pœna. In denunciatione verò iudiciali non sic est, quia licèt fiat iudici, vt personæ publicæ, & aliquando ordinetur ad punitionem, id tamen fit à iudice ex officio. Denunciatio canonica est illa, quæ fit superiori, ad impediendum mala, & damna, quæ ex peccato procedunt, siue sint in perniciem publicam, siue in damnum tertiæ personæ. Itaque finis, & obiectum, istius denunciationis est impedire, & reprimere mala & incommoda aliorum, vt per iudicem reprimantur. Dicitur canonica, quia iure canonico est inuenta, cuius est omnibus peccatis, & damnis animarum remedium adhibere: differt autem à iudiciali, quia illa ordinatur ad commodum, & interesse ipsius denunciantis, canonica verò ad euitandum damna.

3 Tertium fundamentum. Circa ista, quæ de triplici denunciatione dicta sunt, aduertenda sunt aliqua. Primum, quòd licèt alia sint denunciationum genera apud auctores: at omnia reducuntur ad ista. Item licèt dicatur, nullam istarum denunciationum ordinari ad punitionem, & vindictam publicam, sicut accusationem, intelligitur quoad id, quod per se intendit, & ex natura sua denunciatio ordinatur: nam per accidens propter denunciati incorrigibilitatem, aut propter mali grauitatem, quod nequit aliter impediri, & propter alias causas, quæ possunt insurgere, benè potest ex denunciatione sequi, vt denunciatus puniatur, vel procedatur ad vindictam publicam, vel etiam si per se ordinetur ad punitionem propter bonum publicum, vt aliquando fit, adhuc differt ab accusatione, quia denunciator non petit talem vindictam, sed relinquit iudicis arbitrio, vt agat ex officio. Item nota, quòd licèt ista tria denunciationum genera sint distincta, aliquando tamen possunt coincidere, ita ita vt eadem sit euangelica ad emendam, & canonica ad vitandum damna; quia potest contingere, vt debeat homo duos, vel tres fines intendere, tamen verè differunt, & est diuersa forma in illis seruanda, & diuersa obligatio, ex Innocentio *cap. nouit, de iudic.* & Doctoribus iuris *ibi*, D. Anton. 3 *p. tit. 9. cap. 9.* Syluest. *verb. denunciatio.* §. 5. Soto *de sigillo, membri. 2. quæst. 5. & de iust. lib. 5. quæst. 5. art. 1. & quæst. 6. art. 2.*

## DVBIVM I.

*Quibus casibus obliget ex præcepto correctio fraterna.*

1 QVia acturi sumus de denunciatione, ad cuius plenam intelligentiam oportet scire materiam de correctione, ideo puncta huius materiæ difficiliora præmittenda sunt. De correctione, & denunciatione agunt Doctores 4. *dist. 19. vbi* D. Thom. & 2. 2. *quæstione* 33. expositores sacræ Scripturæ. *Matth. 18.* Iurisperiti *cap. nouit, de iudic. & cap. si peccauerit 2. quæst. 1.* Summistæ *verbo correctio, & verbo denunciatio*, Sotus *membr. 2. de tegendo secreto*, Nauarr. *capite 24.* & In aliis locis citandis.

2 Nota, certum esse apud auctores, quòd ad correctionem omnes erga quemlibet peccato mortali affectum tenentur sub mortali aliquibus concurrentibus conditionibus de præcepto naturali, & diuino, quia est opus misericordiæ, & maximè necessarium, & ad succurrendum maximæ necessitati, scilicet spirituali animæ: quæ necessitas corrigendi peccatorem, licèt quando peccatum procedit ex malitia, & passione, non sit tam vrgens, vt in plurimum, sicut necessitas succurrendi corporibus penuria, & fame periclitantibus: at quando peccatum procedit ex ignorantia, longè maior est correctionis necessitas. Quòd sit de iure diuino patet *Matth. 18.* Quòd sit de iure naturæ, patet; lex naturæ docet omnia, quæcunque fieri nobis volumus, alteri facienda; sed iuxta natu-



naturalem, & rectam rationem debent homines, quando errant, velle doceri, & ab aliis in spiritualibus sibi opem ferri, quòd maximè correctio præstat: ergo.

3 Secundò nota tres oportere assistant conditiones, vt præceptum hoc astringat.

Prima est certa peccati cognitio. Hæc est contra Adrianum 4. *mat. de correct. § sed hæc opinio*; vbi inquit, etiam cùm est probabile dubium, an proximus peccato adhæreat, esse præceptum de correctione: nam ad eleemosynam corporalem non tantùm teneor, cùm proximum extremè indigere certò noui, sed dum probabiliter dubito. Sed verius oppositum, quia in corporibus nullum est periculum, si eleemosynam non indigenti erogetur: at in spiritualibus nocet proximo, qui leuiter, & temerè iudicans eum esse in peccato, ipsum arguit. Ita tenent Sotus *membr. 2. quæst. 2. concl. 4.* Nauar. *cap. 24. 2.* ainè *num. 12.* Hisp. *num. 17.* Gabriel *super can. lect. 74. litera C*, Viguer. *lib. instit. c. 12. §. 2. vers. 7.* Flores *materia de correct. dub. 1.* Hinc

4 Infertur, scientem per auditum, vel per rumorem, vel per signa dubia crimen fratris non teneri corrigere, quia non certò scit. Ita Viguer. notat tamen Sotus pendandas coniecturas facientes rem probabilem, & conditiones personarum; atque ita aliquando licere insinuare fratri crimina sua, de quibus rumor spargitur, dummodo fiat prudentia.

5 Secunda conditio, opportunitas ex parte personæ, & temporis, ex parte personæ (inquam) vt non sit alius, qui commodiùs corrigere possit; possit (inquam) de potentia proxima; nam licèt norim alios adesse, qui melius id præstare valeant, vt est Prælatus, vel Doctor, at si video negligentes esse, teneor corrigere, sicut si alij potentiores ad subueniendum extremè indigenti, id negligant, teneor subuenire. Ita Sotus *vbi supra, ver. sexta via, & postrema*, Palud. 4. *dist. 19. quæst. 3. art. 2.* Adrianus *vbi supra. § sed hæc opinio*, Nauar. *cap. inter verba, coral. 59. num. 626.* Tabiena *verb. correctio, num. 6.* Nauar. *in summa, cap. 24.* Latinè *num. 12.* Hispan. *num. 17.* Turrecrem. *2. quæst. 1. cap. si peccauerit, num. 13.* Gabriel *vbi supra, litera E*, Richard. *4. dist. 19. art. 1. quæst. 1.*

6 Opportunitas ex parte temporis; oportet enim correctionem fieri tempore opportuno, si enim hominem recenti iniuria affectum sedare velis, importunum tempus est. Item, qui correctionem differt, eo quòd tempus opportunius ad id fore spectat, rectè agit, vt docet D. Augustin. *1. de ciuit. Dei, cap. 9.* Abul. *cap. 18. Matth. q. 95.* ad 3. Turrecrem. Tabien. *vbi supra*, Armi. *verbo correctio, num. 3.* D. Anton. *2. p. tit. 9. cap. 6. §. 2.* Durand 4. *dist. 19. quæst. 3. art. 3.* Gabr. *vbi supra*, Alens. *lib. 2. tit. 6. cap. 4.* Sed nota hoc esse intelligendum, quando non timetur notum mortale, vel quando speratur plenus fructus totalis emendæ, qualis ex præsenti correctione non speratur. Ita Corduba *super membr. 2. quæst. 2. condit. 4.* Soti; nã si tunc est tempus opportunum, & non speratur maior correctio in alio tempore, immò continuabit peccatum illud per notum peccatum, vel aliud peccatum contrahet, non potest licitè eius correctio differri ad tempus opportunius, vel vt alius melius corrigat, vt docet *ibi* Corduba, & Adrian. *vbi supra.*

7 Hinc colligitur licere mihi aliquando permittere peccatorem in maiora labi crimina (non quidem in aliorum peccatorum pœnam; quia non pertinent ad iudicium humanum punire ista via) sed vt cautius resurgat: nam cum correctio sit propter fratris emendam, eo modo facienda est, quo potiùs ad eum finem conducat. Ita Sotus *vbi supra*, paulò ante quintam conclusionem. Nauar. *cap. 24.* Latin. *num. 13.* Hisp. *num. 19. & cap. inter verba, coral. 59 num. 629.* Vnde infert licere permittere pueris furta minutiora, vt propter illa pœnas dantes à grauioribus caueant.

Vltima conditio est, modò sit spes emendæ; circa hanc est disputanda grauis quæstio, de qua *infra.*

## DVBIVM II.

*Quæ sit materia, de qua teneamur corrigere.*

DE hac re duplex est sententia.

1 Prima dicit solum esse peccatum mortale: at verò corrigere de venialibus, esse consilium. Ratio, quia Christus iubet denunciari Ecclesiæ: at hoc non procedit in venialibus; ergo. Ita Palacios super illud Matth. 18 *si peccauerit in te.* Abul. *ibi q. 82.* Palud. *q. 3. art. 2.*

2 Secunda sententia tenet oppositum. Sit pro resolutione.

3 Prima conclusio. Peccatum etiam mortale omnino præteritum non est materia necessaria correctionis, sed peccatum mortale quodammodo pendens in futurum, ita scilicet, vt maneat aut pertinacia, aut periculum iterum peccandi. Probatur, quia cessante fine, cessat necessitas medij: ergo cùm finis correctionis sit fratris emenda, vbi emendatus est, non est necessaria. Ita glossa *cap. si peccauerit 2. quæst. 1.* Sotus *membr. 2. quæst. 2. concl. 2.* Corduba *in annotatione super istam quæstionem, & conclusionem*, Syluest. *verbo denunciatio, quæst. 1.* Angel. *ibi num. 1. & verbo correctio, num. 1.* Tabien. *verb. correctio, num. 6.* Abul. *cap. 18. Matth. quæst. 83.* vbi optimè notat, quòd licèt peccatum præteritum maneat reatu, scilicet, quia de illo delinquens non doluit, non est materia necessaria correctionis, sed tantùm de consilio, nisi actu maneat peccatum siue per frequentationem, siue per continuationem eiusdem actus, vel propter periculum recidiui. Ratio, quia ad hoc, vt quis alterum corrigat, oportet eius peccatum norit, sed quando tantùm manet peccatum, quoad reatum, solus delinquens nouit; potest enim esse, vt in corde doluerit.

4 Secunda conclusio. Non tantùm teneor corrigere, quando peccatum procedit ex ignorantia, vel passione; sed etiam quando procedit ex malitia, teneor sub mortali corrigere, si citra graue damnum possum. Patet, nam eleemosyna corporalis obligat etiam in graui necessitate, dum quis habet superfluum; sed dum proximus peccat ex malitia graui necessitate laborat, quia difficilè absque correctione emenditur, & alter censetur habere superfluum, siquidem sine graui detrimento potest opem ferre corrigendo. ergo. Ita Sotus *vbi supra, concl. 8.* quamuis contrarium teneat Nauar. *cap. 28 addit. ad n. 17. cap. 24.* sed in Lat. *eodem cap. num. 13.* vbi illam additionem intexit, id sustulit.

5 Tertia conclusio. Quando peccatum procedit ex ignorantia probabili, quæ peccatum excusauit, non teneor corrigere; quia nulla interfuit culpa, v.g. si videam Petrum omittere sacrum in die festo, putantem non esse festum, vel edere carnes die Veneris ex obliuione. Ita Angel. *verbo correctio num 6.* Nauar. *addit. citata*; vbi addit, me non teneri admonere esse festum, vel diem Veneris, nisi sim eius pastor, quia ignorantia hæc non est iuris, sed facti, cuius liberationem, nec extremè, nec grauiter eget. Vide quæ de hac re latè dixi *lib. 2. de matrim. disp 18 à n. 2. ad 10.*

6 Quarta conclusio. Probabilius est esse peccatum mortale non corrigere veniale, quando illud contrahens periculo probabili exponitur peccandi mortaliter: at cætera venialia non corrigere non est peccatum in personis priuatis. Patet prima pars, vt si videam aliquem colloquentem cum fœmina, vel ingredientem domum suspectam, itavt venialiter delinquat, si ego credam esse periculum probabile, vt ille mortaliter delinquat: nam in corporalibus non tantùm teneor subuenire ei, qui in foueam lapsus est, sed si videã ipsum lapsurum in foueam, ni opem feram, teneor sub mortali subuenire: ergo. Ita Sotus *vbi supra concl. 3.* Gabr. *super can. lect. 74. litera E*, Turrecrem. *cap. si peccauerit. quæst. 1. num 17.* Sylvest. *verbo correctio, quæstione 1.* Armil. *ibi num 3.* Angel. *num. 1.* D. Anton. *2 p. tit. 9. cap. 6. § 2.* Viguer. *lib. instit. c. 12. §.*

3 *vers.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



3.*vers.*6.Nauar.*cap.*24.Lat.*num.*12.Hisp.*num.*17. & hoc non tantùm est verum, quando veniale de se est periculosus lapsus in mortale, sed etiam, quando tale periculum imminet ex multiplicatione venialium. Ita Turrecrem.Viguer.D.Anton.Gabr.

7 Quinta conclusio. Peccatum veniale est non corrigere consuetudinem contrahendi venialia non periculosa, vt leuia mendacia, &c. Ratio, quia hæc venialia sunt aliqualis fratris ruina, & in his corrigere est quodammodo fratrem lucrari. Ita Sotus *vbi suprà*, contra plures tenentes solùm esse consilium de horum venialium correctione. Hi sunt Abulens. Turrecrem. Viguer. D.Anton.Gabriel.

8 Vltima conclusio. Prælati, qui possent plebem suam à leuibus iuramentis purgare, aut ab aliis consuetudinibus peccandi venialiter, tenentur id facere sub mortali. Ratio, quia cùm Prælato ex officio incumbat cura Reipublicæ, tenetur sub mortali consulere notabili damno ipsius,& venialia,licèt in singulis sint notabile damnum: at quando sunt frequentia in Republica,magni momenti est illa extirpare. Ita Sotus *ibi*. Vnde infert, quòd licèt regulæ alicuius religionis, vt D. Dominici, non obligent ad vllam culpam : at verò Prælatus, qui videns regulas passim violari, huic damno non consuleret, si posset,peccaret mortaliter, qnia grauiter in suo officio deficeret.

## DVBIVM III.

*An sit peccatum omittere correctionem timore mortis, vel alio iusto.*

TRiplex est sententia.

1 Prima dicit esse peccatum mortale, quia præponitur bonum temporale saluti spirituali fratris. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.*33. *art.* 2.*ad* 3. & innuit *ibi* Caietan. Idem tenent Sylvest. *verbo correctio*, *quæst.* 1. Tabien.*n.* 6.Armil. *num.*3.Angel. *num.* 1. Abulens. *cap.*18. *Matth. quæst.*93.*ad* 3.Turrecr. 2.*quæst.*1.*cap.si peccauerit*, *num* 6. Gabr.*lect.*74. *in can.litera F*, Richard 4.*dist.*19.*art.*2.*q.*1. *ad* 1.D.Anton.2.*part.tit.*9.*cap.* 6.§.2. Adrian. 4 *Matth. de correct.*§.*ad rationes in solutione ad secundam confirmationem tertij*, Margar.*fol.*114.

2 Secunda sententia dicit esse peccatum veniale, nisi frater mea correctione extremè indigeret. Ita Areualo *tract.de correct.concl.*5. & 6.*in* 6.*controuers.* quem refert, ac sequitur Cordub. *annot. super* 6.*concluf.Soti*,*in membr.* 2.*q.*2.*&lib.*1.*quæst.q.*26.*& in summa*, *quæst.*56.

3 Tertia sententia dicit nullum esse peccatum.

4 Pro resolutione sit prima conclusio. Quando timor leuis, vel aliqualis respectus humanus non omnino amouet à correctione, sed aliquantulum retardat,& negligentiorem facit, est peccatum veniale ratione negligentiæ Ita D.Thom.*vbi suprà*, quem reliqui sequuntur, vnde in hac omnes conueniunt.

5 Secunda conclusio. Si proximus extremè mea indigeat correctione, v.g.si hæreticus disseminaret hæreses, quibus per ignorantiam aliqui assentirent, & non esset, qui posset, aut vellet instruere, nisi ego, si creditur meam correctionem profuturam, teneor etiam cum mortis periculo corrigere. Ratio,quia præceptum charitatis postulat, vt casu necessitatis extremæ, præferatur vita proximi spiritualis meæ corporali. In hac conclusione omnes conueniunt.

6 Tertia conclusio. Etiam extra casum necessitatis extremæ tenetur Prælatus corrigere subditos, etiam cum dispendio propriæ vitæ, quando speratur correctionem profuturam. Ratio,quia ad id non tantùm tenetur lege charitatis,vt reliqui, sed etiam lege iustitiæ,& ex officio. In hac conclusione videtur apertè conuenire Sotus cum prima sententia *membr.secundo*, *quæst.*2.*concl.* 6. *initio*,*& in fine*,& tenet expresè *concluf.*7. Idem Corduba *vbi suprà*, & Flores Theologiæ *mat.de correct. difficult. prima*, Patet eriam ex illo Christi Domini,Ioan.10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, mercenarius autem fugit*; & in hoc casu intelligitur D. Thom. pro prima sententia citatus.

7 Vltima conclusio. Probabilius est personas priuatas nullam contrahere culpam, si timore mortis,aut amissionis notabilis famæ, aut bonorum exteriorum, cessent à correctione citra casum extremæ necessitatis, quamuis certum sit correctionem profuturam. Ratio,quia priuatus homo sola charitatis lege tenetur corrigere : at lex charitatis non tanto obligat dispendio citra extremæ necessitatis casum, vt patet à simili in eleemosyna corporali. Ita Sotus, & Flores *vbi suprà*, Nauar. *capite inter verba*, *corol.*59.*num.*631. *& in summa*, *capite* 24. Hispan.*num.*18. *&* 20.Lat. *num.* 12.

## DVBIVM IV.

*An personæ priuatæ, vel saltim Prælati teneantur inquirere peccata, quæ corrigant.*

1 CIrca personas priuatas communis est omnium sententia,quòd non tenentur inquirere, sed satis esse,cùm sibi occurrerit corrigere.Ratio, quia cùm debetur aliquid non certæ personæ, sed communiter omnibus proximis, non oportet quærere, quibus impendamus, sed occurrentibus impendere satis est. Ita D.Augustinus, quem refert, ac sequitur D. Thomas 2.2.*quæst.* 33. *art.*2. *ad* 4.Abul.*cap.* 18.*Matth.quæst.* 95. *ad* 4. Sylvest.*verbo. correctio*,*quæst.*2.Tabien. *ibi*,*num.*3.Armil.*num.*3. Angel. *num.*2.Turrecrem. *cap. si peccauerit* 2. *quæst.* 1. *num.*14. Gabr.*lect.*74.*in canon.lit.R*, D.Anton.2.*p.tit.*9.*cap.*6.§.2. Viguer.*lib.instit.cap.*12.§.2.*vers. septimo.* Adrian.4. *mat. de correct.*§.*ad rationes*, *vers. ad primam confirmationem*, Durand.4. *dist.*19.*quæst.*3.*art.*3.*ad* 2. Caiet. & Sotus *vbi supra*, Flores *mat. de correct.diff.*3.

2 At de Prælatis est dubium:quia Caiet.2. 2.*quæst.*33. *art.*2.& Flores *vbi suprà*, negant Prælatum teneri præcepto correctionis fraternæ, plus quàm quemdam de plebe, inquirere peccata, quæ corrigat ; tantùm enim tenetur ex præcepto iustitiæ inquirere tanquam iudex, vt puniat.

3 Nihilominus sit conclusio. Prælatus præter iustitiæ præceptum, quo tenetur tanquam iudex diffamatos de crimine inquirere, & punire, tenetur præcepto correctionis fraternæ oculatiùs vigilare super gregem, quàm priuati, & inquirere crimina, non quidem ordine iudiciali,vbi non præcessit infamia, sed tenetur esse magis attentus, vt nosse possit subditorum crimina, vt fraternaliter corrigat. Ratio,quia quod debetur alicui determinatæ personæ,oportet quòd ei impendamus, non expectantes, quòd nobis occurrat,sed debitam solicitudinẽ habentes, vt eum inquiramus:sed Prelatus debet ex officio cuilibet, cui incúbit habere specialem curá erga illam,& eius saluti spirituali consulere:ergo. Secundò probatur, quia Prælatus tenetur ex præcepto correctionis exponere vitam, vt corrigat oues in casu,quo priuatus non teneretur:ergo similiter tenetur aliam maiorem adhibere curam ad corrigendum.Ita tenent D. Thomas Abul. Tabien. Turrecr. Gabriel. D. Ant. Viguer. Adrian.*vbi suprà*, Sotus *membr.* 2.*quæst.*3.*concl.*3. Corduba *in annotatione super eandem conclusionem.*

Sed notanda sunt hic duo.

4 Primum cum Caiet.& Corduba *vbi suprà*,non oportere, vt Prælatus sit plus debito solicitus in inquirendo, sed moderatè id agat, ita vt non sit notabiliter negligens secundùm casus occurrentes, & probabiles coniecturas, ne nimia suspicio illum exosum reddat.

5 Secundò nota patremfamilias non posse corrigere vxorem, nec filios, nec familiam correctione iudiciali, & coërcitiua, nec potest pœnas legis infligere. Vnde non tenetur arcere seruum à concubina, expellendo eum domo, nisi fortè propter scandalum, nec tenetur compellere familiam ad ieiunia Ecclesiæ, sed tantùm tenetur fraternaliter corrigere,maiori tamen vinculo,quàm extraneos. Ita Sotus *d.* 9.3 *concl* 4.Aragon 2. 2. *quæst.*33. *art.*3. Notat tamen Corduba *in annotatione super illam*, teneri corripere filios, & familiam, non tantùm charitatiuè monendo, sed puniendo punitione domestica: non verò iudiciali.



## DVBIVM V.

*An secreta monitio debeat præcedere denunciationem.*

1 NOta in hoc dubio maximè attendendum esse, an peccatum sit publicum, an secretum,& an sit in damnum aliorum, vel tantùm in damnum ipsius peccantis,& an peccatum, vel damnum pendeat in futurum, vel non pendeat.

2 Prima conclusio. Quando peccatum est publicum, siue sit in damnum aliorum, siue non,potest absque monitione præuia secreta denunciari. Ratio, quia per tale peccatum facta est iniuria Reipublicæ propter scandalum,& malum exemplum, & sic non sat est,vt ipse peccator emendetur ad quod ordinatur correctio,sed requiritur etiam publica satisfactio,*c.sed illud*, *dist.*45.*c.si.peccauerit* 2. *q.* 1. vbi id tenet Arch. & Turrecrem. *num.*14. D.Thom.2.2.*q.*33.*art.*7. & 4.*dist.*49.*quæst.*2.*art.*3.*quæst.* 1.*ad* 2.Abulens.*cap.*1 8.*Matth quæst.*97.Dur.*eadem dist. quæst.*4.Richard. *art.*3. *quæst.*1.Viguer. *lib. iust. capite* 12. §.2.*vers.septimo*, Adrian. 4.*quæst. de correct.* §. *pro huius declarione*, Sotus *membr.*2.*q.*4 *statim in principio*, Corduba *vbi*,Gabr.*lect.*74.*in can. litera R*, Lyra super illud Matth. 18.*Vide,& corripe eum*, D. Anton. 2.*p.tit.*9. *cap.* 6.§. 4. Armil.*verbo correctio*, *num.*4.Angel. *verbo denunciatio*,*n.* 2.Margar.*confess.fol.*115.Sylvest. *verbo denunciatio*.*quæst.* 3.*& verbo correctio*, *quæst.* 5. Flores theolog.*mat. de correct.difficult.* 4. Nauar.*cap.*24 Hisp. *num* 21.Lat.*num.*14. Palud.4.*dist.*19.*q.*4. Nauar. *lib.*2.*de rest.cap* 4.*num.* 177.

3 Circa hanc primò nota, intelligi de peccato publico, quod est notorium notorietate facti,quod scilicet nulla tergiuersatione celari potest : nam alia etiamsi probabilia sint,& infamia laborent,non sunt continnò publicè corripienda. Ita Sotus *vbi suprà*, vide *cap.*3.*de inquis.dub.vlt.*

4 Secundò nota circa hæc peccata publica, aliud esse dicendum antequam superior iubeat sibi denunciari, & postquam iussit : nam antequam id iubeat, licèt denunciandа sint, etiamsi fratris correctio speretur, vt scandalo consulatur, si tamen quis per solam monitionem remedium adhibere posset,vt peccator emendetur, & Reipublicæ fiat satisfactio, vt corripiendo ipsum publicè, vel suadendo ipsi pœnitentiam publicam, vel publicam & notabilem vitæ mutationem, tunc potest cessari à denunciatione, Sylvester.Armilla,Margar.*vbi suprà*, Corduba super Sotum *membr.*2.*quæst.*4.*concl.*1.Nauar.*suprà*, qui addit posse etiam in hoc casu denunciare, imò si esset Prælatus,vel fiscus, vel habens ex officio, tenetur in hoc casu denunciare, & punire postquam iussit superior, etiam in hoc casu tenetur quis denunciare, quia aliàs iuri superioris, quo publicorum est iudex, derogaretur,Sylvest. & Margar.

5 Secunda conclusio. Quando crimen est secretum, ac contra bonum publicum, vt proditio vrbis, hæresis, crimen læsæ maiestatis, &c.est statim denunciandum sine præuia monitione.Ratio,quia periculum est maximum,& commune, & in his communiter non speratur emenda per secretam monitionem, & bonum commune præferendum est famæ proximi, quæ est bonum particulare. Ita D.Thomas,Abulens.Margar.Palud. Sotus,Flores,Viguer.Angel.Sylvest. Richard.D. Anton.Durand. *vbi suprà*,Turrecr. *vbi suprà*, *num.*29.Lyra super illud Matth. 18.*Amen dico vobis*, Tabien.*verbo correctio*, *num.*2.Gabr. *vbi suprà litera S*,Nauar.*cap.*25.*num.*33.*& capite* 18.*num.* 56.*& cap.* 24.Hispan. *num.*24.Lat.*num.* 14.*& cap. inter*, *verbo corol.*58.*num.*621.Armil. *verbo correctio*,*num.* 4.Castrusa *lib.*2. *de iust. hæret.punit.cap.*25. Simancas *lib. de iustit.cap.*42.*num.*10.Host.*tit. de hæret. colum.*4. Innocent.*cap.*1.*de test.b.cogen.* Villadiego *tract.de hæret.quæst.* 6.Pigius *lib.*1. *Eccles.hierarch.cap.*4 D.Leo *serm.*4.*de collectis*,Nauar.*suprà*,*& num.*194.Perez *lib.*8.*ordinam.tit.* 9. *l.*1.*fol.*224.*pag.*2.

6 Circa hanc nota primò, quòd si quis firmiter, & certissimè sciret huiusmodi peccatorem etiam hæreticum per secretam monitionem omnino corrigendum esse,debére secretè admonere, & desistere à denunciatione. Regulariter tamen hoc credendum non est,& ita procedendum statim ad denunciationem, & similiter, vbi dubium aliquod esset,an prodesset monitio secreta. Ita D. Thomas, Abulens.Nauar.Sotus, Corduba,Margar. Sylvest. Viguer.Castro,Nauarra,Simancas,Gabr.Flores,Tabien.Armil.Angel.Turrecrem. Durand. & est contra Richard.*vbi suprà*,& D.Anton.*dict.*§.4. *in fine*, vbi dicunt in hæresi, & criminibus contra bonum commune teneri quempiam priùs corrigere, si probabiliter credatur emenda, & semper id esse credendum nisi per signa probabilia contrarium videatur.

7 Secundò nota, esse conclusionem intelligendam de hæreticis pertinacibus, tales enim statim sine præmonitione sunt denunciandi, tum quia de talium emenda non est præsumendum:tum quia non sunt propriè fratres euangelici ; at verò cum hæreticis non pertinacibus, qui nec propriè dicuntur hæretici, qui ex errore, vel simplicitate tenent aliquas hæreses, vel superstitiones, seruandus est ordo euangelicus, sicut cum aliis peccatoribus. Ratio, quia cùm isti non ex malitia peccent, parati sunt corrigi. Item ad Titum 3. *Hæreticum post vnam*,*& alteram correctionem deuita*, vbi Ambros. Chrysost. & Theoph.dicunt loqui de corrigibilibus.Item,quia isti verè non sunt hæretici, cùm ad hæresim pertinacia requiratur. Ita notat Nauar.*num.* 169. & 209. & idem dicit de his, qui inter concionandum, & disputandum ex incuria errorem dicunt, quos certum est non ex animo esse hæreticos.Idem notat Cordub.*vbi suprà*,Perez *vbi suprà*, *pag.* 1. & Castro *suprà concl.*2. Imò hic dicit teneri priùs admonere secretò, non tantùm in hoc casu, sed etiam quando dubitat,an ex malitia, vel ignorantia dixerit hæresim, nisi suspicio violenta sit, quod ex malitia dixerit, & potest imminere ex mora, vel taciturnitate aliquod periculum Reipublicæ.

8 Tertiò nota, magnum esse discrimen inter hæc crimina, quando sunt omnino occulta,& improbabilia, & quando sunt occulta, probabilia tamen : nam in hoc casu possunt denunciari iudici, vt iudici, vt puniat : at in priori solùm possunt denunciari ei, qui posset prodesse, & non obesse,id est, iudici tanquam patri, vt remedium adhibeat,non autem vt iudici, vt puniat. Ita D. August. & habetur *cap. hoc videtur* 2.2. *quæst.* 5. Idem respondit Adrianus antequam esset Papa consultus de hac re, vt refert, & sequitur Sotus *d.memb.* 2. *quæst.*4.*post secundam conclusionem*, *vers. nihilominus*, & Cordub.*ibi*, & etiam Sotus *lib.*5.*de iust. quæst.*6.*art.* 2.*post quartam conclusionem*, Flores *vbi suprà*, Durandus *quæst.*4. Palud.*quæst.*4. Sylvest. *verbo correctio*,*quæst.*5. Angel.*verbo denunciatio*, *in principio*,Tabien. *ibi*, *num.*2. Gabr. *d. lect.*74 *litera Y.* Sed nota hoc esse limitandum,quando hoc sufficit ad remedium ; quando verò id non sufficeret, possent denunciari iudici, vt iudici, dicendo, me id probare non posse, sed vt iudex ex suo officio prouideat, & inquirat. Ita notat Sotus *lib.*5.*eod.art.*2.& Corduba *vbi supra*.Notat etiam Sot.*d.memb.*2.*cod. vers.cit.* quòd quando crimẽ est occultũ in damnũ priuatæ personæ,ad quod cauẽdũ nec sufficit monitio,nec denunciatio facta iudici,vt patri, potest manifestari illi priuatæ personæ, cui damnum imminet, & illa potest dicere iudici, vt iudici, vt se protegat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



9 Tertia conclusio. Quando peccatum occultum est in damnum tertiæ personæ priuatæ, & damnum in futurum pendet, vt si paretur mors, &c. vel si secretò noui latronem, qui furatus est bona proximi, &c. tunc teneor secretò corrigere, vt restituat, vel cessat à voluntate occidendi, si est spes certa, quòd cessabit à damno; sin minus, teneor superiori denunciare, si absque meo detrimento possum. Ratio, quia teneor proximum liberare à periculo, si possum, & licèt sequatur damnum peccantis, melior est conditio patientis iniuriam. Ita Sotus *vbi suprà, vers. si vero.*

10 Circa hoc nota primò, in his criminibus secretis, & pernicios detegendis cauendum esse vt quàm minimo possit fieri famæ dispendio detegantur, vt si damna publica, aut priuata euitari possunt per reuelationem in genere, non fiat reuelatio in particulari, & si fieri potest non est reuelanda persona, si satis sit reuelare crimen, vt alia via euitare damnum. Ita Sotus *vbi suprà, post. secundam conclusionem, vers. verum est*, Nauar *cap.* 18. *num.* 57. *& cap. inter verba, corol.* 59. *n.* 123. Nauar. *num.* 196.

11 Secundò nota, in hac denunciatione esse ponderandum damnum, quod peccatori sequitur ex infamia, & quod ipse vult inferre, quia si illud sit magnum, hoc autem leue, non est denunciandus, quia maiori malo obuiandum est, licèt melior sit innocentis conditio. Ita Palud. & Adrianus, *vbi suprà*, Nauarr. *cap* 25. *n.* 42. Sylues. *verbo correctio, quæst.* 6. Nauarra Turrecrem. *vbi supra, num.* 30. D. Thom. *l.* 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. *argumentum* & Gabriel *vbi supra, litera S.* D. Anton. *d.* §. 4. Corduba *membr.* 2. *quæst.* 4. *super conclusionem* 3. vbi addit, quòd nec tale peccatum occultum, etiamsi sit probabile, potest vllo modo denunciari, vel iudicialiter ad pœnam accusari, nisi quando inde maius bonum probabiliter speratur, quàm sit fama ipsius peccatoris, quæ ex tali denunciatione periclitatur.

12 Tertiò nota, quòd sicut in hoc casu quilibet potest denunciare, maiori ratione potest ipse læsus, cui imminet periculum, quamuis tam leue possit esse damnum suum, & alterius infamia tam grauis, vt potius deberet tacere, quàm denunciare. Ita Sylues. *vbi suprà.*

13 Vltima conclusio. Quando peccatum est secretum, & in solum peccatoris damnum, tenemur ante denunciationem secretò corrigere, si spes sit emendæ; quando verò talis spes non est, an sit statim denunciandus *in sequentibus.* Hæc conclusio est omnium Doctorum, & patet *Matth.* 18. & ratio est, quia semper est, proximi fama seruanda, quando seruari potest absque animæ detrimento.

14 Ex his sequitur discrimen inter peccatum, quod est in aliorum damnum, & illud quod est in damnum solius peccatoris, quòd in illo casu si dubitatur aliquo modo de effectu correctionis fraternæ, potest illa prætermissa statim fieri denunciatio; nam correctio tantùm habet locum, vbi firmiter profutura creditur, vt ex dictis patet: in hoc verò casu si dubitatur de effectu correctionis, non ideo statim est denunciandus, vt *infrà* dicetur.

## DVBIVM VI.

*An quando crimen est occultum, & tantùm in peccantis damnum, & secreta monitio non prodest, teneamur vltrà procedere ad testes adhibendum, & tandem ad denunciandum.*

IN hoc dubio tria sunt certa.

1 Primum est, quando crimen non est omnino occultum, sed probabile, & secreta monitio non prodest, adhibendi sunt testes, vnus, vel duo, antequam denuncietur Prælato, si est spes, quod per talium testium inductionem corrigetur. Patet expressè *Matth.* 18. & fatentur omnes Doctores citandi, quod intelligitur, ) vt docent Turrecrem. & Richard. *vbi infra* ) exceptis illis casibus, quibus dictum est *dub. præced.* statim ante secretam etiam monitionem veniendum esse ad denunciationem.

2 Secundò est certum, quòd si talis per testium inductionem non corrigitur, est denunciandus Prælato, si est spes emendæ: patet *Matth.* 18. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ*, & fatentur omnes citandi.

3 Tertiò est certum, quòd crimina publica, etiam quæ non sunt in aliorum perniciem, & etiam occulta in aliorum damnum, si per secretam monitionem non potest ipsis consuli, esse denunciandа Prælato, illa, vt scandalo consulatur; hæc verò vt proximi indemnitas seruetur: patet ex dictis *dub. præced.*

4 Grauis tamen difficultas est, an peccata omnino occulta, quæ in nullius nisi in peccantis damnum vergunt, sint corrigenda coram vno, vel duobus testibus, quando secreta monitio non prodest, & si non hoc sufficiat, sint Prælato denuncianda de præcepto. Quadruplex est sententia.

Prima tenet, quòd dum peccatum est omnino occultum, quòd probari non potest, vtpote quia solus, qui admonuit, illud nouit: si secreta monitio non prodest, illic sistendum, nec adhibendi sunt testes, nec denunciandum quoad vsque sint aliqua iudicia, vel testes, per quos conuincatur. Ratio, quia quando peccatum est omnino occultum, frustrà videntur adhiberi testes, nam vel ad probandum præteritum crimen; & hoc non, quia probari nequit; vel ad obseruandum peccatorem, si in futurum ceciderit, & hoc est iniuriosum, quia teste D. Augustino, non debemus esse exploratores vitæ alienæ. Ita Altisiod. *lib.* 3. *tractat.* 25. *cap.* 2. Durand. 4. *distinct.* 19. *quæst.* 4. qui addit, posse tale peccatum secretum sine testium inductione reuelari Prælato in secreto tanquam patri, qui possit prodesse, & non obesse. Sed de veritate huius additi dicam *infrà dub.* 9.

5 Secunda sententia huic affinis est, quòd licèt peccatum sit soli admonenti cognitum, si tamen aliquo modo probari potest, vel per detectionem rei, v. g. si ego solus scio. Petrum esse concubinarium, & probare possum, quia pro comperto habeo, concubinam domi retinere, vel quia possum inducere testes, qui peccatum iteratum possunt videre, tunc teneor seruare ordinem euangelicum, scilicet, adhibere testes, & tandem denunciare. Si tamen nullo pacto probari crimen istud potest, sistendum in secreta monitione. Ita Adrian. 4. *mat. de correct.* §. *fin.* Gabr. *lect.* 74. *in can. litera T. & Z.*

6 Tertia opinio est in alio extremo, scilicet tale crimen esse denunciandum Prælato, quando secreta monitio non profuit, etiamsi non sit spes, quòd per correctionem Prælati emendabitur, imò peruertetur. Ratio, quia prodest talis denunciatio ad aliorum terrorem, & vt facilitas peccandi caueatur. Ita Panorm. *cap. nouit, de indic.*

7 Vltima sententia tenet etiam in occultis esse seruandum ordinem euangelicum, modò sit spes emendæ. Pro resolutione sit.

8 Prima conclusio. Quantumcunque peccatum sit occultum, & in solius peccantis damnum, si spes emendæ sit per adhibitionem testium, vel denunciationem, tenemur, quando nostra correctio non prodest, adhibere vnum, vel duos testes, & coram illis corrigere; & si hoc non profit, denunciare Prælato. Probatur, quia indistinctè, & vniuersaliter loquitur Christus Matth. 18. *si peccauerit in te*, id est, te sciente, vt communiter explicant Sancti. Item, quia lex naturæ hoc docet, vt ad libertandum à maiori malo, scilicet morte animæ fiat iactura in fama. Alias rationes vide in Soto *vbi suprà.* Quòd verò manifestatio coram testibus debeat præcedere denunciationem, quæ fit Ecclesiæ, patet primò, quia ita habetur *Matth.* 18. & ratio huius ordinis est, quia consulendum est saluti proximi, quàm minimo id dispendio famæ fieri possit. Et ita si ad eius correctionem sat est, peccatum detegere, vni vel duobus, non est Ecclesiæ detegendum; quia hoc esset omnino prodere famam illius. Hæc conclusio est contra primam & secundam sententiam: illam tenent D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. & *ibi* Caiet. Sotus *memb.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 5. Corduba *circa eandem conclusionem.* Margar. *fol.* 145. Sylues. *verbo correctio, quæst.* 5. Armil. *num.* 5. Tabien. *num.* 7. Angelus *verbo denunciatio, num.* 2. Flores *mat. de correct. difficult.* 6 Hugo super illud Matth. 18. *si te non audierit* Nauarr. *cap.* 24. *Hisp. num.* 21. Lat. 14. *& cap. inter verba, corol.* 59. *num.* 624. Richard. 4. *dist.* 19. *artic.* 3. *quæst.* 2. Turrecrem. *cap. si peccauerit* 2. *quæst.* 1. *num.* 31. & Hugo *ibi*, Abulens. *Matth.* 18 *quæst.* 206. *corp. & ad* 1. Palud. 4. *dist.* 19. *quæst.* 4. D. Anton. 2. *p. tit.* 9 *cap.* 6 §. 4. Nauarr. *lib.* 2. *de restit. c.* 4. *n.* 135. in secunda editione.

9 Secunda conclusio. Quando tale peccatum est omnino occultum, & non est in damnum alterius, si nulla est spes emendæ, non sunt adhibendi testes, nec facienda denunciatio Prælato. Ratio, quia tali casu est facienda denunciatio euangelica, cuius finis est fratris emenda: ergo si hæc non speratur, desistendum est omnino, aliàs frustrà fieret. Ita tenent D. Thomas, Caietan. Sotus *concl.* 6. & super illam Corduba, Margarita, Sylues. Flores, Tabiena, Abulens. Palud. Nauarr. Turrecrem. *vbi suprà.* D. Anton. *suprà.* Nauarr. *suprà.*

10 Tertia conclusio. Licèt tale crimen, quod non vergit in alterius damnum, sit probabile, quia scilicet tribus, aut quatuor est notum, si non speretur emenda, non est denunciandum. Ratio, quia etiam in hoc casu procedendum erat ad denunciationem euangelicam: nam adhuc intra latitudinem occultorum computatur tale crimen, cùm alios non scandalizet ratione publicitatis, nec alteri noceat. Et similiter, si post denunciationem probabiliter constat, quòd si conuincatur, ibit in perditionem, non est conuincendus. Ita docet Caietan. *vbi supra.* Idem apertè colligitur ex Sylvestro, & D. Anton. *vbi supra*; dicunt enim, quòd si delictum probari possit, & speretur correctio, denunciari debet Prælato, vt est persona publica: ergo quando non speratur correctio: non est denunciandum, licet probari possit.

Sed notanda sunt hîc aliqua.

11 Primum est, vt monitio secreta non prodesse dicatur, non satis est, vt semel fiat, & non profit, sed oportet iterū, atque iterum fieri, quandiu speratur correctio per illam: non tamen est necesse expectare tempus longissimum, sed ad arbitrium boni viri. Ita D. Thomas. *d. art.* 8. *ad* 1. Sylvest. Tabien. *vbi suprà*, Abul. *d. q.* 106. *ad* 1. Sotus *vbi suprà post quintam conclusionem, paulo ante solutionem ad* 1. D. Anton. *vbi suprà*, Nauarr. *n.* 136.

12 Secundò nota, quòd licèt frater non emendetur per secretam correctionem, non subinde desperandum est quominus emendari possit per testium inductionem; quia adhibitis testibus, aut confundetur, & emendabitur, aut metuens ne capiatur in crimine, cautiùs viuet. Ita Sotus *ibi.*

13 Tertiò nota, quòd quamuis frater nec secretò, nec coram testibus admonitus emendetur, non subinde desperandum est quominus per denunciationem corrigatur: tunc quia verba Prælati plus ponderis habent, & timor augetur subdito, vt caueat in futurum. Item, quia Prælatus oculatiùs vigilabit super fratrem, & instantiùs fundet Deo preces pro illo. Sic Sotus *vbi suprà concluf.* 6.

14 Vnde ad argumentum respondetur ex D. Thoma *d. articulo* 8. *ad* 3. & cæteris tribus de causis adhibendos esse testes. Primò, si frater dubitat id, quod facit esse peccatum, vt conuincatur, vt euenire potest in contractu vsuratio. Secundò, vt peccatorem obseruent, si sit periculum iterationis peccati, Vnde D. Augustinus intelligitur, quando ipse delinquens, non præbet ansam vt eum obseruemus. Tertiò, vt dum corrector denunciat Prælato crimen, si non potuerit probare crimen, saltim probet se admonuisse. Item, vt coram pluribus monitus erubescat, & sic à peccato retraharur.

## DVBIVM VII.

*An sit necessarium prius adhibere vnum testem, quàm duos? & an possint plures, quàm duo adhiberi? & an testes debeant esse ex his, qui aliàs norunt crimen fratris.*

CIrca primum duplex est sententia.

1 Prima tenet, priùs adhibendum esse vnum, deinde si hic non sufficiat, alterum. Probatur, quia Christus dixit, *adhibe vnum, vel duos*, at coniunctio vel ordinem denotat, scilicet, vt priùs vnus adhibeatur, sicut denotat ordinem, *c. mandato, de præb. in* 6. Secundò quia Christus ordinem correctionis instituit, vt proximi fama minus detrimentum patiatur, at minus patitur, si vbi deteganur crimen; ergo. Hanc sententiam tenet Sotus *memb.* 2. *q.* 4. *in fine sexta conclusionis*, & Flores *mat. de correctione, difficult.* 6.

2 Secunda sententia tenet istum ordinem non esse sub præcepto, sed posse simul ambos adhiberi testes, licèt melius sit, priùs adhibere vnum. Ratio, quia non excusatur sic infamia, cùm hæc ex eo proueniat, quòd multi sciant alicuius delictum: ergo, quòd duo sciant delictum, siue simul, siue successiuè, parum refert. Secundò, quia minus prodest correctio priori modo facta, nam magis erubescet, & retrahetur à peccato coram duobus admonitus, quàm coram vno. Hæc sententia probabilior est, & illam tenent Abul. *c.* 18. *Matth. q.* 102. & Nauar. *c. inter verba, corol.* 46. *num.* 575.

3 Quoad secundum Abul. *ibi, quæst.* 103. dicit, non licere plures adhibere, quàm duos testes. Primò, quia Christus designauit certum numerum, scilicet vnum, vel duos. Secundò, quia si admoneatur coram duobus, sufficit ad hoc vt confundatur, & resipiscat: ergo. Et hæc sententia videtur verior.

4 Quoad tertium dico, quòd si peccatum illud scitur ab aliquibus, & coram quibus sufficienter potest corrigi, illi sunt adhibendi, vt docet Altisiodor. *lib.* 3. *tract.* 25. *c.* 2. Tabien *verbo correctio, num.* 2. Ratio, quia lex charitatis postulat: vt saluti spirituali proximi quam minimo famæ dispendio fieri possit, consulatur. Quando vel delictum esset omnino occultum, possunt adhiberi testes, licèt crimen illud aliàs nescirent, vt dictum est *dub.* 6.

## DVBIVM VIII.

*An quando homo dubitat, an sua monitio, vel denunciatio sit profutura, excusetur à correctione, & denunciatione.*

1 RAtio dubitandi, quia licèt communis Doctorum sententia sit, quòd quando homo sperat profuturam denunciationem, vel monitionem, teneatur ad illam, & quando probabiliter scit non profuturam, non tenetur: at manet dubium, quid faciendum sit, vbi dubitat, an proderit. Duplex est sententia.

Prima dicit, teneri, quando dubitat, an proderit, si certus sit non obfuturam corrigendo, quia cùm nullum sit periculum in corrigendo, & sit dubium, an maximum inde bonum sequatur fratri, tenemur. Ita Adrian. 4. *mat. de correct.* §. *sed hæc opinio* Sotus *membr.* 2. *quæst.* 2. *vers. vnde prudenti*, Corduba *super istum locum Soti*, innuit Nauar. Lat. *cap.* 24. *n.* 12. Hisp. *n.* 17.

2 Secunda sententia tenet oppositum, scilicet tantùm esse præceptum de correctione, quando probabiliter speratur emenda: ( quod, vt *infrà* dicemus, est intelligendum quando non præcipit superior denunciationem, ) Ratio, quia 1. *ad Cor.* 9. dicitur, *debet qui arat in spe arare*, & non dicitur in dubio. Item, quia actus actiuorum non sunt nisi in patiente dispositio; at peccator non est dispositus ad emendam ex correctione intentam, quan-

Universidad de Deusto
Biblioteca



do est dubium de eius emenda, sed tantùm quando probabiliter speratur. Ita Caiet. *in summa, verbo correctio*, Sylvest. *ibi, quæst.* 5. Armil. *num.* 3. Tabien. *num.* 6 Durand. 4. *dist.* 19. *quæst.* 3. *art.* 3. Richard. *ibi art.* 2. *quæst.* 1. Palud. *quæst.* 3. *art.* 2. Lyra super illud Matth. 18. *Si autem peccauerit.* Abul. *cap.* 18. *Matth. q.* 95. paulò ante solutionem ad 1. & hæc sententia est longè probabilior.

3 Sed nota hîc semper respectum esse habendum ad finalem fratris emendam, vel detetiorationem; nam licèt ad modicum tempus indignetur, vel detetioretur, non ideò est omittenda correctio, si tandem emenda, vel fructus eius maior speretur; quia sic pro vitando maiori damno postponendum est minus. Ita Adrianus & Corduba.

4 Secundò dubitatur hîc, quid dicendum quando timetur correctionem potius obfuturam, quàm profuturam. Primò dico, quòd si timeo solùm obfuturam in temporalibus, v. g. quia si corripio, maxima inde afficietur tristitia, vel infirmabitur; tunc cauendum est, vt minimo damno possibili fiat; at non est propterea cessandum, nam bonum animæ, cùm maius sit, præferendum est; Sic Sotus *vbi suprà*,

5 Secundò dico: si timet obesse in spiritualibus, correctio iudicialis, quæ pertinet ad Prælatos, non est ob id dimittenda, etiamsi peccator esset omnino incorrigibilis, & contumax, sed puniendus esset ex ordine iustitiæ ob bonum publicum. Ratio, quia hæc correctio non ordinatur tam ad fratris emendam, quàm ad bonum publicum, ne delicta maneant impunita: at verò correctio fraterna omittenda est, cum ordinetur ad fratris emendam (intellige iuxta Sotum, nisi peccatum in alterius vergeret damnum, tunc enim etiam spe emendæ cessante, esset denunciandum, vt *suprà* dixi) Ita Sotus *vbi suprà*, D. Th. 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. Turrecrem. *cap. si peccauerit*, 2. *q.* 1. *n.* 13. Abul. *c.* 18. *Matth. q.* 96. Sylu. *verbo correctio, q.* 10.

6 Hinc infert Caietan. *d. art.* 6. imprudenter agere Patres, vel heros, qui impatienter ferentes blasphemias, & alia vitia filiorum, vel domesticorum; experti monitiones non prodesse, sed obesse, ita vt quoties monentur, peius faciant, non cessant verbis eos arguere: inuoluuntur enim (inquit) peccantium erratis, augendo indirectè eorum excessus.

7 Vltimò dico, quòd quando probabiliter nobis constaret, quod sine nostra correctione finaliter damnabitur frater, vtpote quia statim impœnitens, vel culpabiliter ignorans moritur, vel occidatur, tunc licèt dubium sit, an corrigetur, & licèt timeatur de deterioratione, tenemur corrigere: sicut quando desperatur de salute alicuius, nisi applicetur ei medicina, quæ est dubium, an oberit, applicanda est. Ita Adrian. & Corduba *vbi suprà*.

8 Hic esset disputandum, an quando crimen est occultum, & in solius peccantis damnum, possit aliquo casu denunciari Prælato, ante secretam monitionem, & testium inductionem, quando hæc creduntur profutura. Sed de hoc latè egimus *lib.* 6 *summæ, cap.* 18. *à n.* 44. *ad* 52. Vtrùm autem sciens impedimenta alicuius ad ordines, vel matrimonium, vel alia similia, teneatur denunciare Prælato, etiam sine præuia monitione dixit *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 13. *à num.* 1. *ad* 8.

## DVBIVM IX.

*An omnes teneantur ad denunciationem faciendam, vel aliqui excusentur.*

1 RAtio dubitandi, quia sunt multæ personæ, quibus ob priuilegium, & fauorem statutum est, vt non teneantur testimonium ferre, imò nec possint, si velint, vt sunt filij contra parentes, & alios ascendentes, & patres, & alij ascendentes contra filios descendentes, & mulier contra virum, & libertus contra dominum, qui eum manumisit, & alij quibus crimen in secreto commissum est, quod alia via nesciebant, & intelligitur de ascendentibus non solùm generatione legitima, sed etiam illegitima. Item sunt alij, quibus concessum est, vt licèt possint testimonium ferre; non tamen teneantur, nec ad id possint compelli: vt sunt vir contra vxorem, soror, & gener; vitricus, vulgo *Padrastro*, priuignus, id est, *antenado*, & omnes cognati intra quartum gradum cognationis, & libertus respectu patroni, qui eum manumisit, & respectu vxoris, & parentum, & filiorum ipsius patroni, & patronus respectu liberti, quem ipse manumisit. Quæ omnia intelliguntur tam in causis ciuilibus, quàm in criminalibus. Hæc notat Nauarr. *cap. inter verba. corol.* 65. *num.* 808. 809. 810. & 811. & *in summa cap.* 25. *num.* 47. 48. 49. & 50. aliæ personæ sunt, quibus ob defectum, vel peccatum, est impositum à iure, vt sint inhabiles ad hoc, vt sint testes. Hi sunt minores, serui, infames, periuri, de quibus alibi latiùs.

2 Nota, non loqui nos in hoc dubio de obligatione denunciandi, quando iudex id præcipit per mandatum, vel edictum, quia de hoc inferiùs, sed tantùm de obligatione, quam quis habet ex iure denunciandi crimina.

3 Prima conclusio. Si denunciatio est euangelica, quæ ordinatur ad bonum peccatoris, scilicet emendam, tunc omnes ad illam tenentur, quamuis sint in iure priuilegiati, vel inhabiles, quando per denunciationem speratur emenda, & non alio modo (vt *suprà* diximus.) Ratio, quia ista denunciatio est de iure diuino, vt patet *Matth.* 18. & sic ius positiuum non potest quemquam ab illa eximere. Ita Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *concl.* 2 *sub finem illius* Archid. *c. si peccauerit* 2. *q.* 1. Sylvest. *verbo denunciatio q.* 1. Angel. *n.* 1. Nauarr. *ad n.* 15. *capitis*, & alij.

4 Secunda conclusio. Quando denunciatio est canonica, quæ ordinatur ad impediendum damna publica, vel alicuius priuati in futurum pendentia, si alia via non possint impediri; tunc omnes tenentur denunciare. Ratio, quia vnusquisque tenetur sucurrere proximis in extrema, vel graui necessitate, quando commodè potest, ex charitatis lege, à qua cùm diuina sit, ius positiuum eximere non potest. Ita D Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Nauar. *cap. inter verba, corol.* 63. *n.* 702. Archid. Sylvest. & Angel. *vbi suprà*. Innocent. *cap. nouit, de iudic. num.* 4. Sotus *lib. de detegendo secreto membr.* 2. *q.* 4. *concl.* 2.

5 Circa hanc conclusionem sunt aliqua notanda. Primò nota, quòd licèt Sylvester hanc denunciationem vocet iudicialem, at verè intelligit canonicam (cùm enim canonica sit medium inter euangelicam, & iudicialem, potest vtroque nomine vocari,) & quòd id intelligat Sylvest. patet, nam sequitur, & refert Innocentium *vbi suprà*, qui tamen hanc denunciationem appellat canonicam. Item, quia Angel. eundem Innocentium refert, & sequitur, & vocat hanc denunciationem euangelicam. Item, quia denunciatio iudicialis est actus iustitiæ, vt docet *ibi* Sylvest. & Sotus *loco citato in prima huius dubij conclusione*. At verò denunciationem, de qua in ista conclusione agimus, dicit Sylvest. *ibi* esse actum charitatis,

6 Secundo nota, Sylvestrum imponere Angelo, quòd dicat hanc secundam conclusionem, intelligendam esse de Prælatis: sed malè illi imponit. nam Angelus hæc dicit: *hoc verum intelligo, quando talis est Prælatus, per quem finis huius denunciationis obtineri potest*; vbi ly *talis*, non refert illum qui denunciare debet; sed sensus est, vbi Prælatus est talis conditionis, vt credatur denunciationem effectum sortituram: Eandémque limitationem ponit Innocentius, cuius doctrinam sequitur Angelus.

7 Tertiò nota, conclusionem intelligi, quando sine graui detrimento proprio potest denunciare. Ita Innocentius, Soto, Sylvest. Angel. Nauarr. *vbi supra*. & etiam *in sum. cap.* 25. *n.* 51. Ratio, quia ad hoc obliganur lege charitatis, quæ non obligat tanto dispendio.

8 Vltima conclusio. Quando denunciatio est merè iudi



rè iudicialis, quæ scilicet ordinatur ad pœnam delinquentis propter vindictam publicam, & bonum, vel interesse aliquod publicum: tunc illi solùm tenentur denunciare, quibus hoc ex officio incumbit: vt sunt fiscales, custodes, Syndici, & alij munere publico ad hoc deputati; cæteri verò non tenentur se offerre ad talem denunciationem. Ratio, quia ad hoc non obligat charitas, quia non est necessitas euitandi peccata, nec damna, & lex iustitiæ non obligat, nisi officiales publicos: & saris bono communi consulitur, si tales denuncient, Innocent. Sylvest. Angel. *vbi suprà*.

## DVBIVM X.

*An clerici teneantur ad prædictam denunciationem faciendam etiam in causa sanguinis.*

1 RAtio dubitandi, quia *cap. bis à quibus* 23. *q.* 8. & *cap. clericus, & cap. sententiam, ne clerici, vel monachi* prohibetur clericus immiscere se in causa sanguinis. Item, quia graue detrimentum ex denunciatione clerici incurret, scilicet si denunciatus morte, vel mutilatione plectatur, incurret irregularitatem; nec valet, si accusationi protestationem præmittat, quia protestatio tantùm excusat in causa propria, vt patet *cap. prælatis, de homicidio in* 6.

2 Sit conclusio. Clericis licèt, atque tenentur denunciare crimina, quæ sunt in graue Reipublicæ, vel alicuius priuati damnum, etiamsi probabiliter credatur denunciatum morte damnandum, modò protestationem præmittant, se nolle mortem, vel mutilationem, sed damna vitare. Ratio, quia hæc est obligatio iuris naturalis, à qua nullus per ius positiuum, nec per dignitatem potest excusari. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 33 *artic.* 7. Sotus *membr.* 2. *quæst.* 4. *ante tertiam conclusionem*. Nauar. *cap.* 18. *num.* 55. & *cap.* 24. *num.* 13. & *cap. inter verba, corol.* 58. *num.* 620. Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 4. *num* 229. Et ad argumentum respondetur non incurrere talem clericum irregularitatem; nam quamuis ius dicat in causa propria, extenditur iure naturali illa facultas ad causas proximorum, in quibus de vitando illorum damno agitur. Ita Doctores citati, Armil. *verbo irregularitas, num.* 39. Couar. *clement. si furiosus, 2. p. §. 5. num.* 4 Sed auerte, hoc intelligi quando aliter, quàm per denunciationem illi malo obuiari non potest: si enim ad cauendum periculum sat sit præparationem detegere tacita persona, non potest clericus personam manifestare, licèt iudex extorquere personam velit: cessat enim tunc ratio detegendi, quæ ipsum obligabat. Ita Caiet. & Couar. *vbi suprà*.

## DVBIVM XI.

*An Prælatus, vel iudex possit punire hominem, de quo denunciatum est aliquod crimen*

1 DE hoc sunt vatij dicendi modi.

Vnus est, quòd quando denunciatio est euangelica, scilicet ad fratris emendam, si Prælatus probabiliter intelligat, ad punitionem non profuturam, sed potiùs obfuturam peccatori, debet cessare à punitione in peccatis, quæ non sunt in damnum alterius, & hoc non tantùm, quando crimen est secretum omnino, sed etiam quando est probabile, nam aliud est, si aliis noceret, vel esset publicum, vel scandalizaret alios. Ratio, quia finis huius denunciationis est peccatoris correctio; ergo, quando hæc non speratur, cessandum erit in quocunque statu sit. Ita Caiet. 2. 2 *quæst.* 33. *art.* 8. *in fine*, Nauar. *cap. inter verba. corol.* 59. *num.* 628.

2 Alter modus est sine distinctione, quòd quando peccator monitus à Prælato, non corrigitur, debet puniri iudicialiter per ipsum, si peccatum probari possit, quia eo ipso quòd non corrigitur, cessat via correctionis fraternæ, & sequitur via iudicialis. Ita Viguer. *lib. inst. cap.* 12. §. 2. *vers.* 9.

3 Pro resolutione sit prima conclusio. Quando frater denunciatur denunciatione euangelica, si monitus à Prælato proponit emendam, non licet Prælato ipsum plectere pœna iuris, siue crimen sit omnino secretum, siue sit probabile. Ratio, quia iam finis, scilicet fratris emenda, obtentus est. Ita Caiet. Sylu. Nauar. Viguer. *vbi suprà*. Sotus *memb.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 7. Hinc

4 Infertur, non licere Prælato statim, vbi frater denunciatur euangelicè, ipsum punire: licèt crimen probabile sit, sed omnia priùs tentanda esse, vt frater sine correctione iudiciali corrigatur: vt debet priùs leniter admonere, si viderit expedire: deinde minis admonere, quòd eius vitam explorabit, & potest admonere coram aliquibus, si viderit expedire. Sotus *vbi suprà*.

5 Circa hanc conclusionem nota esse latum discrimen, quando crimen est omnino occultum, & quando est probabile; nam primo casu non potest Prælatus subditum iuridicè interrogare, nec cogere ad fatendum crimen: at verò secundo casu si iam habet iudex indicia probata, vel semiplenam probationem, potest iuridicè interrogare, & tenetur subditus sub mortali fateri crimen Prælato, tanquam patri. Quod intellige, vt dicit Sotus 5. *de iust. q* 6. *art.* 2. *concl.* 3. nisi grauiter timeat, quòd iudex machinatur eum castigare. Sic Sotus *vbi suprà*, Sylvest. *verbo correctio, quæst.* 7. Secunda differentia est quòd licèt in neutro casu, quando reus proponit emendam, possit iudex pœnis iuris plectere; quia *Matth.* 18. non iubetur, vt habeatur pro ethnico, nisi quando Ecclesiam non audierit: at quando crimen est probatum & reus ipse confessus est, potest Prælatus cædere flagello fraternaliter, non ad punitionem præteriti, sed ad terrorem in futurum; secus quando est occultum omnino. Ita Sotus, & Nauar. *vbi suprà*; qui non addit illud, *& ipse confessus est*, sed tantùm dicit, *quando crimen est probatum*, & dicit esse communem Doctorum sententiam.

6 Secundò nota, quòd tunc intelligimus certum; denunciationem esse euangelicam de criminibus, quæ non sunt in perniciem alterius, quando nec iudex interrogat, nec peccatum est publicum, vel famosum, & si iudex interrogat, tunc certò est euangelica, quando sine indiciis probatis, aut sine infamia, & semiplena probatione interrogat; quia in solis istis casibus potest iuridicè interrogare.

7 Secunda conclusio. Si talis peccator per denunciationem euangelicam denunciatus non corrigitur monitione Prælati; tunc si peccatum est omnino secretum, non potest Prælatus punire, sed expectare debet, donec sint indicia ad inquirendum, vel testes ad conuincendum delictum. Ratio, quia quando punit iudex, iam iuridicè procedit: at sine probatione non licet iuridicè procedere. Vnde tantùm potest interim preces fundere Deo pro subdito. Ita Sotus *vbi supra, concl.* 8. & in hoc casu, scilicet quando crimen non est probabile, vera est prima opinio *suprà* citata, scilicet non esse vltrà procedendum.

8 Tertia conclusio. Si in isto casu crimen est probabile, estque spes, quòd peccator per punitionem corrigetur, tunc facta probatione, debet iudex illum punire legitimè. Patet Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*; & ratio est, quia ex quo frater per secretam monitionem Prælati renuit corrigi, cessat via correctionis fraternæ, & transitus fit ad iudicialem, quæ ordinatur ad pœnam. Ita Sotus *vbi suprà*, & etiam *quæst. citata, de iust. concl.* 4. Sylu. Caiet. Nauar. *loco citato, in prima opinione*. Palud 4. *dist.* 19 *quæst.* 4. D. Anton. 1. *p. tit.* 9. *c.* 6. § 4. & in hoc casu vera est secunda opinio *suprà* citata nec est contra primam.

9 Quarta conclusio. Si in isto casu nulla sit spes emendæ per punitionem, licèt non sit ad alias pœnas iuris progrediendum, at iste pertinax est excommunicandus coram testibus denunciationis. Probatur Matth. 18.

*Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & cap. tam sacerdotes 24. quæst. 3.* vbi habetur tales incorrigibiles ab Ecclesia separandos. Hæc conclusio est contra Caiet. Nauar. & Sylvestrum *suprà* citatos, qui dicunt in hoc casu non esse vltra procedendum: quod idem docuit Sotus *lib. de detegendo secreto, membr. 2. quæst. 4. conclus.* 8. At ipsemet *lib. 5. de iust. quæst. 6. art. 2. concl. 4.* refert se, & mutat sententiam, & tenet hanc conclusionem. Item in casu, quo licet illa punitio obesset peccatori, prodesset tamen bono communi, quia scilicet ex indurationefratris, omissione punitionis, alij scandalizarentur, & ansam peccandi sumerent, procedendum est ad punitionem, nisi ex ea maius damnum pullularet. Ratio, quia cùm delictum illud probatum sit, iudex habet ius ad puniendum; & licèt frater peruerti ob id debeat, at bonum commune præferendum est particulari. Ita Sylvest. *verbo correctio, quæst.* 11. & Corduba *membr. 2. quæst. 4. super conclus. 6.*

10 Huc vsque egimus de denunciatione euangelica, quæ est ad emendam fratris: oportet alias duas statuere conclusiones de denunciatione canonica. Sit

11 Quinta conclusio. Si denunciatio est canonica, scilicet, ad impediendum damna, vt quando denunciantur crimina, quæ redundant in damnum commune, vel alicuius priuati; tunc si peccator monitus corrigitur, & omnia mala in futurum cessant per solam iudicis monitionem, & hoc est certissimum, non debet vltra procedi ad punitionem peccatoris. Ratio, quia iam finis denunciationis est omnino comparatus. Item, quia si ante denunciationem per solam monitionem cessaret à damno inferendo, & hoc esset certum, non esset denunciandus, vt patet ex suprædictis: ergo si per monitionem omnino cessat, non est vltra puniendus. Item, quia iudex non potest interrogare testes ad puniendum reum, nisi habeat priùs indicia probata, vel infamiam, vel semiplenam probationem; sed denunciatio canonica fit sine hac solemnitate, & etiam in omnino secretis: ergo ex mera denunciatione, quæ vel de omnino secretis, vel sine dicta solemnitate fit, non est procedendum ad punitionem, quando omnia mala cessant, & non est in futurum aliquod periculum. Hanc conclusionem cogit affirmare ratio, & eam tenent nonnulli docti recentiores Magistri.

12 Vltima conclusio. Quando tunc peccator non corrigeretur, licèt non esset spes emendæ, imò propter id procedendum est vltrà, vsque ad punitionem. Ratio, quia tunc non agitur adeò de emenda istius, quàm de cauendo proximi damno. Ita Sotus *vtroque loco citato*, & Caiet. *vbi suprà*, dicens idem esse, qnando peccatum esset publicum, licèt non in alterius damnum, quia tunc deberet Prælatus attendere ad consulendum scandalo.

## DVBIVM XII.

*An quando iudex procedit ad denunciati punitionem, possit eum punire integra legis pœna.*

1 SIt conclusio, non potest, siue denunciatus sit iuridica, siue euangelica, siue canonica denunciatione, sed tenetur mitiori punire pœna. Ratio, quia in accusatione est actor petens vindictam, & duplex exigitur satisfactio, scilicet actoris & reipublicæ, quæ non sunt in denunciatione: ergo non est integra pœna infligenda. Ita Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 9. art. 2.* immediatè ante tertiam conclusionem, *& lib. de secreto membr. 2. q. 5. paulò post principium, verſ. quatuor genera.* Nauar. *cap. inter verba, corol. 48. num. 583.*

2 Pro maiori conclusionis intelligentia nota, quòd in iudicio, quod sit ad pœnam, sit semper necessarium, vt sit accusator, vel aliquis gerens vices accusatoris, in hoc casu, quando fraternè denunciatus Prælato non corrigitur, etiamsi delictum non sit publicum, sed probabile, ipsa rebellio habet vicem accusatoris, sicut infamia in publicis, vt notat Sotus *membr. 2. quæst. 6. verſ. at verò*, & Nauarr. *vbi suprà, & etiam corol. 59. num. 620.* & sic secundùm istos facta rebellione potest Prælatus iuridicè procedere contra peccatorem, nulla parte accusante, sed ex officio. Vnde quia in hoc modo procedendi, non est tanta solemnitas, sicut in via accusationis, ideò dicimus, iudicem non posse inferre pœnam integram, quam delictum meretur. Vnde (vt docet Nauar. *dicto numero 853.*) si denunciatio fuit euangelica, pœna debet esse ad fratris emendam; si fuit canonica, vel iuridica, pœna debet compelli ad satisfaciendum parti læsæ; & ad cessandum à malis, quæ omnino debent impediri.

## DVBIVM XIII.

*An denunciator possit esse testis contra delinquentem, vt sic procedatur ad punitionem.*

1 RAtio dubitandi, quia contra ius naturale est, vt idem sit accusator, & testis. Duplex est sententia. Prima tenet, non valere pro teste, nisi ad probandum præcisè monitionem, & denunciationem: non verò ad hoc, vt denunciatus puniatur. Patet ex ratione posita. Ita glossa *capite in omni, de testibus, verſ. in omni negotio.*

2 Secunda sententia tenet esse legitimum testem etiam quoad punitionem. Sit

3 Prima conclusio. Quando proceditur, non ad punitionem integram, provt qualitas delicti meretur, sed ad aliquam punitionem, quæ sit peccatori pœna, & aliis bonum exemplum (vt fieri debere diximus *dub. præcedenti*) bene potest ipse denunciator esse testis; ita vt cum altero sufficiat ad probandum crimen. Ratio, quia ad hunc procedendi modum, & ad hanc pœnam temperatam non requiritur tam exacta probatio, sicut quando proceditur via accusationis ad integram pœnam. Patet etiam ex *d. cap. in omni*, vbi sic dicitur: *Dicens veritatem cum vno, facit duos testes*, id est, denuncians, (vt glossa, & omnes Doctores intelligunt *ibi*,) & adducit Papa illud Matth. 18. *Adhibe tecum vnum, aut duos testes*, quasi si ipse cum illis sit legitimus testis. Item, quia postquam peccator non corrigitur, cessat processus fraternalis, & incipit iudicialis, at fuisse denunciatorem ad corrigendum non facit illum inhabilem, vt ferat testimonium. Ita Nauarr. *in summa, capite 25. numero 33. & capite inter verba. corol. 58. numero 628. & corol. 65. numero 779.* dicens esse communem sententiam. Idem tenet Panormitan. *dicto capite in omni, numero quarto*, Felin. *ibi, numero 4.* Sotus *membr. 2. quæst. 4. sub finem, verſ. sed dubium egregium est*, & melius *lib. 5. de iust. quæst. 6 art. 2. verſ. quarta conclusio.* Vbi addit denunciantem illum, si est omni exceptione maior, valere pro semiplena probatione, cõtra Caiet. *2. 2. quæst. 69. art. 2. verſ. ad secundam*, vbi contrarium tenet. Hanc etiam conclusionem tenent Simancas *lib. instit. in nouis, tit. 19. num. vltim. & tit. 64. num. 55.* Albert. *lib. de secreto, num. 177.*

4 Nota quòd Panormitan. & Felinus limitant hanc conclusionem, modò denuncians ipse non sit reportaturus commodum, vel incommodum, damnum, laudem, vel vituperium, nec aliqua affectione noterur.

5 Secunda conclusio. Non tantùm denunciator potest esse testis in hoc casu, sed qui sunt aliàs inhabiles ad testimonium, vt mulieres, infames, minores possunt admitti ad pœnitentiam infligendam ipsi peccatori, licèt non ad pœnam aliam grauem, vel cum aliquid temporale directè, vel indirectè intenditur: ad hoc enim legitimi testes requiruntur. Limita hoc quoad infames, nisi permaneant in crimine, quia cum tales crimina sua non correxerint, non præsumitur, quòd bono zelo denuncient aliena. Hanc conclusionem cum his limitationibus docet Innocentius *cap. nouit. de iudic.* Sylvest. *verbo denunciatio, quæst. 2.* Angel. *ibi num. 3.*

6 Ad



6 Ad argumentum respondet Sotus, quòd accusator, & denuncians iudicialiter, quia petit rei pœnam contra ius naturæ, admitteretur in testem; secus esset de denunciante fraternaliter, qui tantùm ex charitate denunciat.

## *De denunciatione ad edicta.*

## DVBIVM XIV.

*An quando iudex, vel Prælatus præcipit denunciare delicta, sit priùs facienda secreta monitio.*

1 NOta primò, diuersam esse rationem obligationis quando iudex præcipit denunciare, & quando non præcipit: nam priori casu, præter obligationem charitatis, est etiam obligatio iustitiæ, at posteriori tantùm est obligatio charitatis, & ex hac sequitur alia, scilicet multos esse casus, in quibus est obligatio denunciandi, quando iudex præcipit; in quibus, si non præciperet, nulla esset obligatio, vt ex dicendis constabit: & ideò ad vitandam confusionem seorsum sermonem facimus de denunciatione ad mandatum superioris, de qua re sunt etiam plura dicenda *infrà* vbi de inquisitione, quia tunc etiam concurrit mandatum superioris.

2 Secundò nota, ad cognoscendum, quando secreta monitio debeat præcedere hanc denunciationem, est valde attendendum, an delictum sit secretum, vel non; an iudex habeat iam indicia, vel infamiam, vel semiplenam probationem, & an quærat tantùm ad corrigendum, vel puniendum, & an sit in damnum aliorum, vel non.

3 Prima conclusio. Quando peccatum est omnino secretum, & non est in aliorum perniciem, tunc si sit aliqua spes emendæ, priùs est secretò monendus peccator, & si corrigitur, non est denunciandus. Ratio, quia talis denunciatio est in bonum peccatoris, quod minoti ipsius detrimento procurandum est. Item, quia iste est ordo euangelicus, & de iure naturæ, contra quod si expressè præciperet Prælatus, non esset ei obediendum. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 7. ad 5* Tabien. *verb. accusatio, num. 11.* Viguet. *lib. instit. cap. 12. § 2. verſ. 10.* Sylvest. *verbo correctio, quæst. 7.* D Anton. *2. part. tit. 9. cap. 6. § 4.* Abul. *cap. 18. Matth. quæst. 97. ad 13. argumentum*, Turrecrem. *cap. si peccauerit 2. quæst. 1. num. 32.* Armil. *verbo correctio, num. 7. & verbo accusatio, num. 25. & verbo denunciatio, num. 2.* Angel. *verbo denunciatio, num 10* Nauar. *cap. inter verba, corol. 47. num. 577. & 178. & corol. 65. num. 776. & in summa, cap. 25. nnus. 46.* Cordub. *membr. 2. 9. 6. circa secundam conclusionem, & lib. 1. quæst. 9. 46. dub. 2.* Sotus *membr. 3 quæst. 1. concl 3. & 4.* Caiet. *opusc. 17. responsor. respons. 5.* Henricus Gand. *quodlib. 1. quæst. 33.* Adrian. 4. *mat. de correct. solut. ad 3. ante quæstionem vltimam, quæ incipit, Vltimò videtur.* Gerson *Alphabeto 34. litera Z.*

4 Secunda conclusio. Licèt dictum crimen, quod in aliorum damnum non redundat, probabile sit, non potest statim denunciari absque monitione secreta præuia. Probatur *Matth.* 18. vbi Christus iubet duos adduci testes, antequam Prælato denuncietur, & si his adhibitis se correxerit, non denunciari, sed tunc esset iam probabile: ergo licèt crimen sit probabile, non potest denunciari, si est spes per secretam monitionem corrigendi. Item, quia tantùm publica, id est, notoria sunt statim denuncianda Item, quia licèt tale crimen probabile sit, non potest iudex punire, si proponat correctionem vt dictum est *suprà, dub. 11. concl. 1.* ergo si ante denunciationem speratur emenda, frustra frater coram Prælato infamaretur. Ita tenet Nauarr. *cap. inter verba, corol. 65. num. 779.* contra Tabien. *verb. accusatio, num. 29.* vbi dicit esse consilium, præmittere monitionem, quando crimen est probabile, non tamen præceptum.

5 Tertia conclusio. Quando peccatum pendet in futurum, licèt non sit in damnum aliorum, & licèt sit omnino secretum, si non est spes, quòd per monitionem secretam corrigetur, est denunciandum iudici præcipienti, non tanquam iudici, quia probari non potest, sed tanquam patri, quando probabiliter æstimatur de ipso, quòd non statim procedet iuridicè, sed quòd procedet priùs vt pater, iuxta ordinem euangelicum, ad correctionem. Ratio, quia *Matth.* 18. absolutè dicitur, *si peccauerit in te*, id est, te sciente, &c. Ita Armil. *verbo accusatio, num. 29. & verb. excommunicatio, num. 31. & verbo inquisitio, num. 8.* Nauar. *lib. 2. de restitut. cap. 4. num. 221.* Tabien. *verſ. accusatio, n. 14.* Nauar. *cap. inter verba, corol. 65. n. 777. 778. & 782.* Angel. *verbo denunciatio, num. 11.* Rosella *excommunicatio 7. §. 26.* Sylvest. *verbo correctio, quæstione 7. & verbo denunciatio, quæst. 4.* Patet etiam ex dictis *suprà, dub. 6. concluſ. 1. & dub. 5. num. 8.* vbi plures pro hac sententia citauimus.

6 Nota hîc, quòd in his casibus, in quibus denunciator tenetur denunciare ad præceptum iudicis, si iudex præciperet, vt iuridicè denunciaret cum probandi obligatione, tunc si subditus non posset probare delictum, non teneretur denunciare. Hoc tamen communiter non contingit, quia quando delictum est publicum, vel quando iudex habet indicia, vel semiplenam probationem, aut quando denunciatio fit ad correctionem, vel ad euitanda damna, non obligatur denunciator ad probandum, sed tantùm admittitur vt testis: tunc autem intelligitur cum hac obligatione denunciare, quando denunciat vt officialis publicus ad aliquam pœnam, vel vindictam publicam. Ita nonnulli docti recentiores, & quoad illud, quod dum Prælatus habet indicia, vel semiplenam probationem, non iubeatur alicui denunciare ad probandum, sed ad testificandum, docent Armil. *verbo correctio, num 7. & verb. denunciatio, num. 2.* vbi Angel. *n. 13.* Tabien. *verbo accusatio, n. 14.* Rosella *correctio 2 num. 4.* Sylvest. *verbo correctio, quæst. 7.*

7 Quarta conclusio. Quando delictum omnino occultum esset in perniciem Reipublicæ ecclesiasticæ, vel ciuilis, tunc statim est denunciandum absque præuia monitione, nisi quis certissimus esset per secretam monitionem posse impedire hæc damna. Conclusionem istam satis probauimus *suprà, dub. 5.* vbi etiam ostensum est, an esset denunciandum Prælato, vt iudici, & esse attendendum damnum, quod ex denunciatione sequitur. Vide *ibi.*

8 Hinc infertur, non esse denunciandos hæreticos occultos, licèt ex edicto præcipiatur denunciari hæreticus, quando omnino certus quis esset sua monitione omnino corrigendos: quod ratissimè præsumi potest. Ita Nauarr. *cap. inter verba, corol. 65. num. 776.* Corduba. *lib. 1. quæst. q. 43. dub. 2. verſ. tertio si verè.*

9 Nota hîc, quòd etiam crimina occulta redundantia in damnum alicuius priuati, sunt statim denuncianda, nisi certum sit per monitionem secretam posse omnino consuli, ne damno eueniant. Ita Caietan. 17. *responſ. opusc. responſ. 5.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1. verſ. & hinc sumenda*, Corduba *vbi suprà.* Nauarr. *in summa, cap. 25. num. 33. & vbi suprà* Armil. *verbo denunciatio, n. 2.* Angel. *ibi num. 10* Sylvest. *ibi quæst. 4.* contra Viguet. *lib. instituit. cap. 12. §. 2. verſ. decimo*, vbi idem docet faciendum, quando crimina occulta in illius damnum sunt, & quando sunt in damnum alicuius priuati.

10 Secundò nota, quòd in casu tertiæ conclusionis, licet non denuncians peccaret contra charitatem, non tamen contra iustitiam, nec incurreret excommunicationem latam per edicta. Ratio, quia communiter Prælatus iubens per edicta, intendit nosse iuridicè delicta: at quando est omnino crimen occultum, nescit quis iuridicè. Ita Armil. *verb. inquisitio, num. 8.* & facit plurimum pro hac sententia Sotus *membr. 3. q. 1. in dub.* quod mouet post quartam conclusionem, & expressè eam docet

Universidad de Deusto
Biblioteca



docet Cordub. *memb. 2. q 6. circa secundam conclusionem*, vbi sic dicit, Prælati ex officio suo visitantes, & inquirentes, id faciunt communiter, vt iudices ad vtilitatem publicam, vt puniant: nisi quando specialiter exprimunt, vt id sibi tanquam partibus reueletur; sed id tamen nisi in religionibus fit. Vnde aliis iudicibus præcipientibus non tenentur subditi propalare, nisi probare possint, vel nisi sint indicia. Idem docet Angelus *verbo accusatio, n.* 13. Tabiena *verbo accusatio, n.* 14. Quare Nauarr. loquens de denunciatione ad edicta *corol.* 65. *n.* 777. & 778. & *in summa, cap.* 25. *n.* 46. inquit. Non tenetur denunciare ad edicta, qui probare non potest, licet Sylvest. *excommunicatio*, 2. §. 18. Nauar. *dicto num.* 221. citans Rosellam, & Rodulphum, dicat intentionem iudicis esse, vt etiam secreta sibi propalentur, non ad puniendum, sed ad corrigendum, verius tamen est, quod dictum est, scilicet edictum tantùm loqui de iis, quæ probari possunt. Vnde virtute eius non tenetur quis propalare delicta omnino secreta, tenetur tamen ex lege charitatis, eo tantùm casu, quo teneretur, si non esset edictũ, iuxta superiùs dicta. Vnde in hoc casu tenet verum quod docet Sotus *memb. 2. quæst. 6. vers. itaque vt vno*, quòd scilicet subditi non tenentur, dum est edictum, alia crimina denunciare, præter ea, quæ tenerentur, si edictum non esset. Vide *infrà dub. 24. in fine.* Vniuersaliter verò sumptum est falsum hoc dictum Soti. Sic nonnulli docti iuniores.

11 Quinta conclusio. Quando peccatum est publicum, id est, notorium, vel famosum, siue sit in damnum aliorum, siue non, est denunciandum, siue præuia monitione Prælato præcipienti, siue in generali præcipiat omnibus, siue in particulari alicui. Ratio, quia iudex habet auctoritatem puniendi delicta publica, vt satisfaciat iniuriæ illatæ reipublicæ. Ita Viguer. *lib institit. cap.* 12. §. 2. *vers. decimo*, Armil. *verbo correctio, num.* 7. & *verbo denunciatio, num.* 2. Angel. *ibi, num.* 13. Tabien. *verbo accusatio, num.* 14. Rosella *correct. 2. num.* 4. Sylvest. *verbo correctio, quæst.* 7. & *verbo denunciatio, quæst.* 4. Nauarr. *cap. inter verba, corol.* 65. *num.* 776. & patet ex dictis *suprà dub.* 5. vbi plures citaui.

12 Nota, ferè omnes istos idem dicere, quando de peccato habentur indicia, vel semiplena probatio. Quod quidem certum est, quando proceditur via accusationis, nam via inquisitionis non sufficiunt indicia, vel semiplena probatio, vt *infrà* videbitur.

13 Secundò nota, quòd in causis grauibus magni periculi, non debet subditus manifestare peccatum, nisi illi constet de infamia, vel indiciis, vel semiplena probatione, & ea apud iudicem esse probata; nam de infamia, quia est manifesta, & clara, non est necessarium. Hoc tenent plures, & *infrà*, vbi de inquisitione clariùs dicetur.

14 Tertiò nota, quòd si peccata publica sunt semel punita, non sunt iterum denuncianda, nisi in ea re lapsus quis sit. Ita Viguer. *vbi suprà.*

## DVBIVM XV.

*An peccata præterita iam emendata sint denuncianda ad mandatum superioris.*

1 ANtequam ad conclusiones deueniamus, notandum est, peccata emendata, quædam esse publica, quædam secreta. Item quædam, quæ non habent effectum pendentem in futurum, quædam verò, quæ habent, scilicet impedimentum aliquod, vt ex fornicatione emendata manet affinitas impediens matrimonium, & ex multis aliis peccatis manet irregularitas.

2 Prima conclusio. Quando peccatum iam emendatum non fuit publicum, & non habuit effectum pendentem in futurum, & non est denunciandum ad edicta. Ratio, quia talia delicta non quæruntur, nisi ad peccatoris emendam, vel ad satisfactionem publicam, & ista cessant, quando est emendatum, & non fuit publicum. Ita Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 4. num.* 116. Viguer. *lib. instit. c.* 12. §. 2. *vers. decimo*, Nauar. *corol.* 65. *num.* 776. & *in summa cap.* 25. *num.* 46. Cord. *lib. 4. quæst. q.* 43. *vers. tertio si vero, & vers. primò quando*, Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1. vers. & hinc sumenda, & lib 2. de secreto, memb. 1. quæst. 6. vers. Respondetur quod*, & apertè colligitur ex Doctoribus citatis *suprà dub. 14. concl. 1.* si enim quando speratur emenda non potest denunciari, ne dum quando iam emendatus est.

3 Secunda conclusio. Si Prælatus iubeat, vt delicta secreta manifestentur sibi vt patri, vt consulat recidiuo, tunc licèt emendata sint, si est probabile periculum recidiui, tenentur, qui ea norunt, manifestare eo casu, quo *suprà* diximus, posse licitè sibi manifestare, non stante præcepto: at eo casu, scilicet, quando non esset tale periculum, quo, non stante præcepto, esset peccatum manifestare, esset etiam stante præcepto. Patet primum, quia Prælatus iubet licitum. Patet secundum, quia iubet illicitum. Ita Sylvest. *verbo correctio, quæst. 7. & verbo denunciatio, quæst. 4.* Armil. *verbo denunciatio, num. 2.* & iuxta hoc est intelligendus Angelus *verbo denunciatio, n.* 10. vbi absolutè dicit esse denuncianda talia delicta: & patet ex adiunctis; addit enim, vt caueat à recidiuo: intelligit ergo, quando tale est periculum. Vnde Nauarr. *cap. inter verba, corol. 65. num.* 776. dum dicit delicta emendata non esse denuncianda etiam ad cauendum à recidiuo, intelligendus est, quando non est probabile periculum de recidiuo; & patet, quia dicit *bene emendata*: at non videntur bene emendata, vbi periculum est de relapsu.

4 Tertia conclusio. Quando peccatum emendatum habet effectum pendentem in futurum, vel damni proximi cui non est satisfactum de iniuria, vel debito, vel alicuius impedimenti, ex quo sequatur iniuria alicui sacramento, vel rei sacræ, tunc licèt peccatum sit secretum, est denunciandum, quatenus est necessarium ad impediendum damnum futurum; & hoc siue reus laboret ignorantia crassa, siue inuincibili impedimenti, nisi per secretam monitionem possit talis effectus impediri. Ita D. Anton. 2. *p. tit. 9 cap. 6. §. 4.* Sylvest. *verbo correctio, quæst. 10.* de quo latè egimus *lib. 3. de matrim. disp. 13. n. num. 1. ad 8.*

5 Nota tamen, quod quando ignorantia est inculpabilis, aliquando erit consultius tacere, scilicet, quando non sequetur remedium, sed maius scandalum, quia finis huius denunciationis non est punitio, sed remedium, Corduba *membr. 2. quæst. 6. super conclus. 2. in fin.* & de hoc vide *d. lib. 13. de matr. disp. 13.*

6 Quarta conclusio. Si peccata emendata sint publica, vel est infamia, siue habeant effectum pendentem in futurum, siue non, sunt ad præceptum Prælati statim denuncianda. Ratio, quia facta est iniuria reipublicæ propter infamiam, & malum exemplum. Item, quia iudex habet ius ad interrogandum iuridicè, vbi infamia est manifesta. Ita Cordub. Nauar. & Sotus citati *suprà*, Sylvest. *verbo correctio, quæst. 5.* Margar. *fol. 115.* & addunt Sylvest. & Margar. hoc esse verum, licèt quis posset per suam correctionem satisfacere scandalo, quia iudex ius habet ad publica inquirendum: similiter si quis sit accusatus de crimine, & iudex ad instantiam accusatoris iubeat vt scientes testificentur, tenetur sciens, licèt alter emendatus sit, propalare. Ita Sotus, & Corduba. Idem dicunt multi iuniores docti quando iam est semiplenè probatum delictum. Idemque dicit Corduba dicendum, quando esset denunciatus de illo crimine cum indiciis, vel semiplena probatione.

7 Circa hanc conclusionem nota: quòd licèt eam Doctores simpliciter affirment, tamen debet intelligi cum moderatione, scilicet, quòd sint denuncianda talia peccata emendata, quæ fuerunt publica, si adhuc durat infamia, & scandalum in populo: nam si peccatum per longum tempus est emendatum, ita vt omnis infamia, & scanda



scandalum cessauerit, tunc videtur non esse denunciandum. Ratio, quia iam cessauit necessitas vindicandæ, & recompensandæ iniuriæ publicæ. Ita multi docti iuniores.

Hinc infertur discrimen inter denunciationem, quæ fit ad mandatum superioris, vel sine mandato; nam in hoc casu licèt peccata sint publica, si omnino sunt emendata, vel licèt non sint emendata, speratur totalis emenda per correctionem, non est necessarium ea denunciare. Ita fatentur Sylvest. Margar. *vbi suprà*, Sotus *memb. 2. quæst. 4.* prope secundam conclusionem, Armil. *verb. correctio, num. 4.* Adrian. 4. *mat. de correct. fratern. § pro huius decisione*; at verò dum est mandatum superioris, etiam publica emendata denuncianda sunt, vt dictum est ex Soto, & aliis. In quo sibi Sotus contrarius videtur; nam *membr. 2. quæst. 6. prope tertiam conclusionem*, dicit non posse aliquem compelli ad denunciandum, nisi ea peccata, & eo ordine, quo teneretur denunciare, si non extaret mandatum.

9 Quinta conclusio Licèt peccatum non sit publicum, quamuis legitimè probari possit, quia scilicet alij duo, vel tres sciunt, non tenetur quis illud reuelare superiori præcipienti, siue generaliter per edicta, siue specialiter, quia cùm procedat via inquisitionis, & vt iudex, opus est infamia, potest tamen illi reuelare, vt patri. Ita Nauarr. *lib. 2. de restit. cap. 4. à n. 218. ad 222.*

## DVBIVM XVI.

*An crimina non visa, sed tantùm audita, sint denuncianda.*

1 PRima conclusio. Si audita sint à personis fide dignis, quæ crimina certificaueruntur, tunc denuncianda sunt. Ratio, quia notitia, quæ ex auditu habetur, est vera notitia, quæ fidem facit, modò sit habita ex vitris fide dignis. Item, quia infamia ex auditu generatur, quando est orta ex causa iusta, & habetur apud graues, vel probos viros, vt *infra* dicetur. Ita Nauar. *cap. inter verba, corol. 65. num. 787.* Manuel. *1. tomo summæ, 2. editione, cap. 217. num. 9.* & colligitur ex Cordub. *loco statim citando*, & tenent nonnulli docti recentiores.

2 Secunda conclusio. Si illi à quibus audiuit, denunciant, non tenetur, qui audiuit denunciare. Ratio, quia suum testimonium nihil omnino tunc temporis facit. Ita Nauar. *ibi, num. 791. & in summa, cap. 25. num. 46.* & nonnulli docti iuniores.

3 Tertia conclusio. Quando quis id audiuit tantùm à leuibus personis non fide dignis, maximè si leuis notaretur fidem adhibens, vel si crederet propter suum dictum iudicem plus debito contra reum commouendum, non tenetur denunciare. Ratio, quia hæc notitia nullam generat fidem: imò qui citò credit, leuis est corde, *Eccles. 19.* Ita Corduba *lib. 1. quæst. q. 43. dub. 2. vers. sexto, quando*, Nauar. *dict. num. 46. & dict. corol. num. 787. & 790.* & idem dicit esse verum etiam in casibus inquisitionis. Idem Nauar. *lib. secundo de restitut. cap. 4. n. 228.*

4 Quarta conclusio. Qui audiuit, sed nescit à quo, vel qui audiuit à persona, quæ nihil scit, sed audiuit ab aliis, etiam ignorantibus delictum, non tenetur denunciare, etiam in casibus inquisitionis: imò posset dicere, se non audisse intelligendo, ita vt dicere teneatur. Ita Nauar. *dict. corol. 65. num. 788. 789. 790.* & multi docti recentiores.

## DVBIVM XVII.

*An sit denunciandum Prælato, qui creditur nullum remedium adhibiturus.*

1 PRima conclusio. Quando de Prælato, qui denunciare præcepit, dubitatur an remedium aliquod sit adhibiturus per pœnam, vel per correctionem, denunciandum est. Ratio, quia in dubio præsumendum est pro Prælato, & est illi obediendum.

2 Secunda conclusio. Quando certò constat, quòd nec iustitiam faciet, nec remedium adhibebit, non est obligatio denunciandi delicta. Ratio, quia ad opus inutile nullus tenetur. Item, quia cessat finis, vnde manat ratio obligandi. Ita Sylvest. *verbo correctio, quæstione 10.* D. Anton. 2. *p. tit. 9. cap. 6 §. 4.* & alij.

## DVBIVM XVIII.

*An aliquæ personæ propter priuilegium iuris excusentur à denunciando ad mandatum iudicis, vel testificando si iudex eos specialiter vocet, vt testimonium ferant, & an qui ob defectum aliquem sunt facti inhabiles ad testificandum, teneantur denunciare ad mandatum iudicis.*

1 SVpponendum est personas priuilegiatas in iure, esse in duplici differentia. Quædam sunt, quæ nec ad testificandum cogi possunt, nec si velint, testificari possunt, nec earum testimonium aliquid valet. Hæ sunt parentes, & omnes ascendentes respectu filiorum, & omnium descendentium, & contra omnes descendentes, & filij respectu illorum, *l. parentes C. de testam. & 4. quæst. 3. § item parentes*, & docet Nauarr. *cap. 25. num. 48. & cap. inter verba, corol. 65. num.* 809. Anton. Gomez *tomo 3. var. cap. 12. num. 24.* Sylvest. *verbo correctio, quæst. 7.* glossa *d. §. item parentes, vers. nec volentes.* Angel. *verbo denunciatio, num. 13.* Armil. *verb. testes, num. 4.* Tabien. *num. 3.* D. Anton. 3. *p. tit. 9. cap. 11. §. 1.* Quod quidem priuilegium intelligitur etiam de filiis spuriis, & extra patriam potestatem constitutis. Ita Nauarr. *dicto numero* 89. Non tamen intelligitur de filiis spiritualibus, vt tenet Felinus, Alber. & communis, quam refert, & sequitur Nauar. *dicto numero* 869. contra Franciscum Curtium, & aliquos etiam alios oppositum tenentes. Item libertus non potest cogi, nec si velit, potest ferre testimonium contra dominum, qui manumisit, Glossa *lege Iulia, ff. de testibus, verb. cogantur*, Nauar. *dict. cap 25. numero 48. & dict. corol. 66. numero 813.* Anton. Gomez *vbi suprà*, Turrecrem. *capite liberti, 2. quæst. tertia.* Item vxor contra virum, etiamsi velit, non potest testificari. Nauar. *dicto capite 25. numero 48. & 49 & dict. cap. inter verba, numero 811.* Collectar. Panorm. Felin. Cynus, & Ioannes Faber, quos refert Nauarr.

2 Aliæ verò personæ sunt, quæ testimonium contra alios ferre possunt: at cogi non possunt ad ferendum. Hæ sunt, vir contra vxorem. Nauar. *dict. num. 49. & 811.* Item socer in generum, vel è contrà, socrus in nurum, & contra priuignus in vitricum, id est, *Alnado contra el padastro*, & è contra: & priuigna, id est, *alnada*, in nouercam. Patet *l. lege Iulia, ff. de testibus*, vbi etiam glossa & *l. 11. tit. 16 parte tertia, & l. fin. tit. 30. parte septima*, Gregor. Lopez, & Montaluus *in his locis*, Nauar. *dict. cap. 25 num. 51. & dicto corol. 65. num.* 811. Sylvest. D. Anton. Armil. Tabien. *vbi suprà*, patet etiam 4. *quæstione tertia, §. lege Iulia.* Item collaterales, vsque ad quartum gradum, non possunt compelli ferre testimonium contra se, licèt ferre possint. Nauar. *dicto capite 25. numero 51. & d. corol. 65. num.* 811. Anton. Gomez. Patet ex legibus citatis partitæ, vbi etiam Greg. & Montaluus, & ex *l. lege Iulia.* Sed nota, quòd Gregor. Lopez *d. l. 11. part. 3. tit. 16. vers. el quarto*, dicit fortè hunc gradum consanguinitatis computari iuxta ius canonicum. At verò verius esse computari iuxta regulas iuris ciuilis; quia vbi agitur de consanguinitatis gradibus in materia iuris ciuilis, qualis est hæc de testibus, gradus computandi sunt iuxta ius ciuile. Ita Nauarr. *locis citatis.* Tandem libertus potest esse testis, non tamen cogi contra vxorem patroni, qui eum manumisit, contra patres, & filios eiusdem patroni, & è contrà patronus non potest cogi, vt sit testis

Universidad de Deusto
Biblioteca



stis contra libertum, quem manumisit; patet *dicta lege Iulia*, Nauar. *dicto num.* 811.

3 Sed nota, quòd licèt isthæc vera sint stando in iure communi, *vt patet d.l. lege Iulia, & d.§. Item parentes, 4. quæst.* 3. at per leges partitæ citatas videtur iuri communi derogatum: nam *d.l.* 11. vbi numerati sunt parentes, &c. concluditur: *at si hi volunt, possunt esse testes, & dict. l. fin.* de parentibus, & reliquis dicitur, non posse cogi, & nil ampliùs dicitur de illis. Vnde videtur quòd nulli ex dictis possint cogi: at omnes, si velint, possint esse testes, & quòd sit derogatum iuri communi, in hoc notat Gregor. Lopez *dict. l.* 11. *vers. de su grado*, & Montalbus *lib. 2. tit. 8. legum fori, l. 9. vers. padres, sub finem.*

4 Sed dubitatur, an dictum priuilegium intelligatur in ciuilibus, vel in criminalibus tantùm; quidam enim dicunt intelligi solùm in criminalibus, & sic benè posse cogi in ciuilibus: sic docet glossa *cap. consanguinei* 3. *q.* 5. *vers. parentes*, Angel. & Syluest. *vbi suprà*. Excipit Sylvester præter vxorem in virum, & filium in patrem, non enim cogi possunt etiam in ciuilibus, cùm sint vna caro.

5 Alij verò sentiunt hoc priuilegium intelligi, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, quia ius absque distinctione loquitur. Ita gloss. *d.l. lege Iulia, vers. denuncietur*, Anton. Gomez *vbi suprà*, Viguer. *lib. institut. cap.* 12. *§.* 2. *vers.* 11. Nauar. *dict. cap.* 25. *numero* 50. *& dict. corol.* 65. *numero* 811. & ita explicat hoc priuilegium *leg. vndecima, titulo decimo sexto, parte tertia*, quòd intelligatur etiam in ciuilibus, quando agitur de maiori parte bonorum, & cum hoc temperamento tenet ibi Montalbus, & Bart. *dicta l. lege Iulia.*

6 Nota, quòd alij sunt priuilegiati propter honorem ipsi debitum, vt Episcopi, *l. neque honore, C. de Episcop.* Alij ne distrahantur à diuinis, vt sacerdotes, *cap. quanquam* 14. *quæst.* 2. Nauar. *corol.* 65. *num* 821. Imò hoc dicit *ibi* de omnibus clericis, sed textus tantùm loquitur de sacerdotibus, quòd de honestate non debent esse testes in instrumentis inter sæculares, & notat Sylvest. *verbo testis, quæst.* 1. *part.* 15 *fine*, & alij.

7 His suppositis, ad sciendum quæ sunt personæ priuilegiatæ; dubitatur an istæ personæ teneantur respondere ad edicta, vel esse testes in aliquo casu, si à iudice vocentur. Duplex est sententia.

Prima tenet, quòd licèt iudex ferens edictum, malè faciat intendens omnes obligare, at etiam priuilegiati tenentur denunciare, aliàs incurrerent excommunicationem, quia licèt sententia iniusta sit, non tamen est nulla. Ita Sylvest. *verbo correctio, quæst.* 9. cui fauet Corduba *lib.* 1. *quæst.* 43. *dub.* 2. *vers.* 7. *& in summa, quæst.* 64. *vers. el septimo*, vbi dicit priuilegiatos non teneri ad testificandum, teneri tamen ad alio modo denunciandum, si id sibi præcipiatur.

8 Secunda sententia tenet oppositum. Sit

9 Prima conclusio. Quando alij testes, & denunciatores non sunt, qui sufficienter possint denunciare, vel testificari, tunc omnes priuilegiati tenentur denunciare, vel testificari, sicut non priuilegiati. Ratio, quia hoc priuilegium intelligitur, quando non est necessitas, sed potest alio modo suppleri. Sic tenent Anton. Gomez *d. num.* 24. Montalbus *lib. 2. legum fori, tit. 8. l. 9. vers. Hermanos*, Alber. de Rosat. *tract. de testibus, 2. p. column.* 5 glossa *cap. quamquam* 14. *quæst.* 2. *vers. occultetur*, Host. Ioan. Andr. Panorm. *cap.* 1. *de testib. cogen.* & communis *ibi*, Hippolytus, Francus, Butrio, teste Anton. Gomez, & *decisio 4. Tholosæ*, Archid. Alex. Anton. Felin. quos refert, & sequitur, plures adducens textus Nauar. *cap. inter verba, corol.* 95 *num.* 813. 817. 821. *& in summa, cap.* 25. *num.* 48. & 50. Sotus *lib. de secreto, membr.* 2. *quæstione* 7. *vers. verumtamen*, & alij

10 Nota circa conclusionem primò, quod Gregor. Lopez *part.* 3. *tit.* 16. *l.* 11. *vers. muy grandes*, dicit, se valdè dubitare, an hæc conclusio teneat verum in ascendentibus, & descendentibus, & viro, & vxore, & fortè (inquit) in criminalibus non deberent compelli, excepto crimine læsæ maiestatis, diuinæ, vel humanæ; sed conclusio posita est tenenda.

11 Secundò nota, quòd adhuc vt debeat priuilegiatus credere non esse alios, si id alia scire non potest, sat est iuramentum partis denunciantis, vel accusantis, modò sit persona honesta, & non sint coniecturæ aliæ in contrarium. Ita Nauar. *dicto capite* 15. *numero* 51. *& corol.* 65. *num.* 816.

12 Tertiò nota, quòd licèt essent alij si tamen nollent denunciare, vel testificari, teneretur priuilegiatus saltem deponere apud iudicem esse illos, qui possint. Ita Nauarr. *dict. corol.* 65. *num.* 817.

13 Quartò nota, quòd licèt priuilegiati teneantur in casu istius conclusionis, vt dictum est; at sæpè excusabuntur propter damnum temporale, vel spirituale, quod inde incurrent: non enim tenetur quis cum magno damno testificari. Ita Nauar. *d. corol.* 65. *num.* 818. 821. *& 822.* & quidam doctus recentior, qui cum Nauarro dicit, in criminalibus ferè semper excusari, & dicam latiùs *infrà dub.* 22.

14 Secunda conclusio. Quando sunt alij testes, vel denunciatores, de quibus probabile est, quòd denunciabunt, vel testificabuntur, tunc omnes priuilegiati excusantur. Ratio, quia in hoc casu habet locum priuilegium iuris, quod est valde rationabile. Ita omnes Doctores citati in prima conclusione.

15 Tertia conclusio. Casu istius secundæ conclusionis, qua priuilegiati excusantur, non comprehenduntur in edictis, nec incurrent illam excommunicationem, si non respondeant. Ratio, quia mandata iudicum, sunt secundùm ius interpretanda. Item, quia isto casu non possunt istæ personæ cogi ad denunciandum, quia ius commune illas excipit, contra quod nequeunt iudices inferiores disponere. Sic Sylvest. *verbo correctio, quæst.* 7. licet *quæst.* 9. oppositum dicat Angel. *verbo denunciatio, num.* 13. Viguer. *lib. institit. cap.* 12. *§.* 2. *vers.* 11. Nauar. *de corol.* 65. *num.* 808. *& d. cap.* 25. *num.* 45.

16 Quarta conclusio. Casu primæ conclusionis si priuilegiati non respondeant ad edicta, incurrent excommunicationem in illis latam. Ratio, quia illo casu tenentur respondere. Nauar. *d. corol.* 65. *num.* 816. & alij.

17 Vltima conclusio. Qui ob defectum aliquem sunt facti inhabiles ad testificandum, vel etiam qui respectu ætatis, &c. non excusantur ob suam inhabilitatem, sed ad mandata superiorum tenentur denunciare, vel testificari. Ratio, quia ex culpa nullus debet reportare commodum, nec exemptionem. Item, quia licèt inhabiles non sint in causis omnibus legitimi testes ad integram pœnam infligendam, tamen in aliquibus causis, sunt sufficientes ad aliquam pœnitentiam, vel leuiorem pœnam vel ad indicia. Ita Nauar. *cap.* 25. *num.* 51. *& cap. inter verba, corol.* 65. *num.* 818. & colligitur ex Soto apertè *lib.* 5. *de inst. quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 3. & ex Caiet. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. & ex Sylvest. *verbo denunciatio, quæst.* 2. Angel. *num.* 3. & nonnulli recentiores hoc tenent, qui notant, quod qui ob culpam sunt inhabiles, poterunt excusari, si timeant obiiciendum sibi illud crimen, nisi res, quam denunciare debent, sit maioris momenti, quàm sua fama, vt hæresis.

## DVBIVM XIX.

*An filius teneatur patrem hæreticum denunciare Inquisitoribus, & comprehendatur sub edictis talem denunciationem iubentibus.*

1 DVplex est sententia. Prima dicit teneri, & per consequens comprehendi sub edictis. Probatur primo, nam *Deut.* 13. iubetur pater denunciare filium adorantem idola, sed in plurimum maior est amor patrum in filios, quàm filiorum in patres; ergo filius ad id tenetur. Secundò pater, quia in confesso est, filium tene



neri indicare patrem prodere patriam volentem, vt docet Cicero *lib.* 3. *offic.* ergo à fortiori patrem hæreticum. Tertiò, quia pro bono communi tenetur quisque propriam exponere vitam, nedum patrem denunciare. Hanc tenet Castro *libro* 2. *de iusta hæretic. punit. cap. vlt. sit. tium in principio*, Caiet super illud Deut. 13. *Si tibi voluerit persuadere, &c.* Idem Nauar. *cap.* 25. *num.* 51. *& cap. inter verba, corol.* 63. *n.* 824 825. *&* 826. limitat tamen, vt *infrà* dicemus. Pro eadem sententia citatur Palacios, Rubios, & Alensis, & Henricus; sed potiùs est pro nobis, vt posteà dicam.

2 Altera sententia est opposita. Sit

3 Prima conclusio. Pater & mater tenentur denunciare filium hæreticum, quando alij denunciatores non essent. Patet Deuter. 13. & refertur *cap. legi* 23. *quæst.* 8. *& cap. si audieris* 23. *quæst.* 5. & probatur argumentis primæ sententiæ, & in hoc secundæ sententiæ auctores conueniunt cum prima.

4 Secunda conclusio. Filius iure optimo potest denunciare patrem, & matrem hæreticos, & laudandus erit in hoc; omnia tamen media prius tentare debet, quam patrem ad iudices deferat; patet quia id nulla lege interdicitur, & arguit vehementem religionis amorem. Hanc tenet Simancas *libro instit. in nouo, titul.* 19. *num.* 43. & in hoc consentit primæ sententiæ, licèt Perez, & Abulens. *vbi infrà*, dicant id non posse.

5 Tertia conclusio. Quando sunt alij scientes, & probabile est, ipsos denunciaturos, tunc filius non tenetur, patet ex dictis *dub.* 18. vbi ex omnium sententia diximus filium non posse cogi testificari contra patrem, vbi per alios reprobari potest. Et in hoc conuenit Nauar. *vbi suprà* cum secunda sententia, imò limitat etiam suam sententiam, modò Inquisitor secretò accipiat filij testimonium, cauens ne graue ob id damnum filius patiatur.

6 Quarta conclusio. Si hæresis pernicios Reipublicæ valdè esset, quia scilicet plures perueteret, tenetur filius, si alij non denuncient, denunciare. Hanc probant rationes primæ sententiæ, & consentiunt Doctores secundæ, vt Perez *lib.* 8. *ordin. tit.* 9. *l.* 1. *ante vers. facit notabile.* Viguer. *lib. inst. cap.* 12. *§.* 2. *vers.* 11. Alens. 3. *part. quæst.* 33. *membr.* 4. *art.* 2. Palacios Rubios *cap. per venerabile, de donation. §.* 75. *numero* 8. Henricus 4. *præcepto, sect.* 5. *col. penult. vers. sexto consequenter.* Simancas *vbi suprà, num.* 44. & 45.

7 Nota cum Perez, quòd iste casus rarò contingit; quia (vt optimè tradit Simancas *num.* 42.) quandiu hæresis fuerit occulta, parum nocebit reipublicæ: si verò latiùs serpserit, vel alij indicabunt, vel nullo etiam indicante manifesta iudicibus fiet.

8 Quinta conclusio. Si filius ab Inquisitoribus iustè interrogetur, tenetur etiam contra patrem veritatem fateri. Patet, nam dum iudex iustè interrogat, tenetur testis veritatem fateri. Imò tunc iustè filius interrogatus, seipsum prodere debet: ergo & patrem. Hanc etiam cum prima sententia, concedit Simancas *num.* 44. Sotus *libro de secreto, membr.* 2. *quæst.* 7. *vers. respondetur, primum.*

9 Sexta conclusio. Regulariter non tenetur filius hæresim occultam patris, vel matris prodere, nisi iuxta dicta *in* 4. *conclusione.* Probatur, quia nulla lex extat tam graue onus humeris filiorum imponens. Imò *Deut.* 13. vbi iubetur pater denunciare filium, & frater fratrem, &c. nulla fit mentio de filio respectu patris, vel matris. Item, quia filius graue incurreret damnum, si paternam hæresim proderet, scilicet, bonorum priuationem, & infamiam. Item, quia non obstat, quòd pater, qui plus diligit filium, debeat ipsum denunciare, quia dilectio non est causa, vt pater non sit denunciandus, sed maxima illa obligatio, qua filius patri debet. Nec obstat, quòd patrem proditorem patriæ denunciandum communis fatetur, quia momento temporis vniuersa Respublica perire potest, cuius salus præferenda est patris vitæ, quæ necessitas in hæresi non contingit, vt dictum est. Hæc conclusio est contra primam sententiam, illam tenet Viguer. Alens. Palacios Rubios, Henriq. *vbi suprà*, Simanc. *d. tit.* 29. *num.* 35. *vsque ad* 45. Abulens. *Deuter.* 13. *quæst.* 3. Alens. & Alexan. Angelic. quos refert, & sequitur Perez *d.l.* 1. latè probans *à fol.* 220. *ferè vsque ad finem legis*: vbi etiam docet filios non denunciantes hæresim patris in hoc casu non incurrere excommunicationem latam in edictis contra non denunciantes, quia ad id non tenentur.

10 Septima conclusio. Filius iudicibus indicans patrem hæreticum, eximendus est ab infamia, & aliis pœnis filiis hæreticorum impositis, tum quia impunitate, ac præmio dignus est, qui ardore fidei accensus, ne parenti quidem suo parcit, tùm etiam quia hic de Republica, & Catholica Ecclesia benemeritus est. Ita tenet Simancas *vbi suprà. num.* 46. *&* 47. dicens Federicum Imperatorem ita constituisse. Idem tenet Castrus *vbi suprà.*

11 Nota tamen cum Castro *ibi in fine capitis*, hoc ex quadam æquitate, non tamen ex iuris rigore, & necessitate probari posse. Quare si iudex non condemnet, nequit, qui hæresim patris prodidit, bona patris sibi capere, & retinere; quia cùm hoc non sit illi à iure concessum, oportet vt iudex sibi per sententiam suam concedat.

12 Vltima conclusio. Filius hæreticus à patre iudicibus denuciatus, vel è contrà pater à filio, mitiùs puniri debet, quia benigniùs agi solet cum iis, qui seipsos deferunt, & cùm pater, & filius eadem persona reputentur, seipsum denunciare videtur alter alterum deferens. Castr. & Simanc. *vbi suprà. num.* 50.

## DVBIVM XX.

*An teneantur illi denunciare ad edicta, vel testificari, si iudex interroget, quibus delictum pro consilio, vel remedio capiendo, vel sub sigillo secreti detectum est.*

1 DVo sunt certa.

Primum est, quòd si peccatum vergat in damnum commune, vel alicuius priuati, tenentur reuelare, non obstante secreti seruandi fide, imò nec iuramento. Ratio, quia promissio, vel iuramentum, non est vinculum iniquitatis: at iniquum esset, vt iuramentum obstaret, nec innocentis damnum caueretur. Ita tenent expressè omnes Doctores *infrà* citandi. Hoc tamen limitandum est iuxta Nauar *cap.* 25. *num.* 44. *& cap. inter verba, corol.* 65. *num.* 805. (quamuis Doctores, pro prima sententia citandi non admittant hanc limitationem, sed renenda est vt verissima) quando alia via damno illi consuli nequit; imò tunc tantùm detegendum est, prout necessarium fuerit ad damno obuiandum. Imò (inquit) si maius sequatur damnum ex peccati talis detectione peccatori, quàm sequeretur innocenti, non est detegendum, iuxta ea, quæ dicam *infrà dub.* 22.

2 Secundò certum est, quòd si peccatum etiam alia via sciatur, quàm per viam secreti, tenentur manifestare ad præceptum superioris. Ratio, quia id non est detegere secretum. Item, quia audire peccatum in confessione non obstat, quominus peccatum illud detegi possit, si alia via sciatur: ergo à fortiori de secreto dicendum est. Sic Nauar. *d. num.* 442. & Corduba, *vbi infrà*, & alij.

3 At verò dubium graue est, quando tantùm nouit quis peccatum, quod in alterius damnum non redundabit, nec redundat, sub sigillo secreti, vt ad consilium vel remedium petendum sibi detectum, teneatur ad præceptum superioris manifestare, vel testificari, si interrogetur. Duplex est sententia.

Prima dicit, teneri detegere, etiamsi non detecturum illi iurasset, modo iuridicè interrogetur. Ratio, quia fides

Universidad de Deusto
Biblioteca



fides secreti, & iuramentum non habet vim obligandi contra ius, nec præiudicium parat iudici, quin possit compellere subditos, quando necessarium fuerit. Ita Sotus *lib. de secreto, membr. 2. q. 7. concl. 4 & lib. 5. de iust. q 7. art. 1. ad 1.* Innoc. *cap. omnis, de pœnit. num. 7.* Panorm. *ibi num. 25.* & clariùs *cap. dilectus, de excess. Prælat. num. 5.* Tabien. *verbo confessionis celatio, num. 3.* Palud. *4. dist. 2. q. 2. art. 5. vers. tertia pœna.* D. Bonau *4. d. 21.*

4 Secunda sententia dicit, nullo modo teneri tale peccatum manifestare, vel de illo testificari, etiam ad præceptum superioris. Ratio, quia seruare secretum est de iure naturæ: at iuri naturæ nequit superioris præceptum, quod humanum est, derogare. Item, quia superior ius non habet ad rogandum crimina illa, quæ sola secreti via sciuntur. Ita Nauar. *cap. 25. num. 42. 46 & 49. & cap. inter verba, corol. 65. num. 799. 800. 801. & 805.* D. Thom. *2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2.* & *ibi* Caiet. & idem dicit D. Thom. de Religiosis, dum iubet Prælatus denunciari peccata, quòd non tenetur quis sibi sub secreto commissa detegere, *quodlib. 15. artic. 1.* Corduba *lib. 1. quæst. 43. dub. 2. vers. tertiò quando, & in summa, quæst. 64. versic. el tercero caso.* Ioannes de Neuisa *sylua nupt. fol. 104.* Philippus Probus *cap. 2. de constit. in 6. num. 67.* Viguer. *lib. instit. cap. 12. §. 2. vers. 11.* D. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 19. §. 7. fine.* Henr. Gand. *quodlib. 9. in principio,* Henric. *cap. omnis. de pœnit. sub finem.* Angel. *confessio, vltimo, num. 22.* Syluest. *verbo testis, quæst. 8. dicto 2. & verbo secretum, dicto 2.* Armil. *verbo inquisitio, num. 8.* Metina *tract. 2. de confess quæst. de confess. celanda, §. superest iam ad alia, vers. corollariè sequitur.* Pedraza *2. præcepto, vers. nono.* Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 4. num. 222.* Palud. *4. dist. 27. q. 1. art. 3. casu 9. n. 27.* & nonnulli docti iuniores. Vide Henriq. *lib. 13. de excomm. cap. 18 n. 5.*

5 Nota hîc, quòd licèt Angel. *vbi suprà*, teneat indistinctè hanc sententiam; at *verbo testis, num. 33.* dicit, quòd si Prælatus non requirat delictum, vt puniat, sed vt pater, vt prouideat, & ex aliquo bono respectu, teneatur, sciens etiam sub sigillo secreti denunciare; sed meritò carpit illum Sylu. *vbi suprà.*

6 Secundò nota Nauar. & Cordub. non tantùm dicere, non teneri detegere tale secretum, verùm etiam peccare mortaliter, si deregat, quantumuis Prælatus iubeat sub sententia excommunicationis, ratione iam dicta. Idem Nauarra, & dicit teneri restituere.

7 Ex hac secunda sententia infertur, Medicum, obstetricem, Iurisconsultum, Aduocatum, Consiliarium, quibus huiusmodi delicta ad remedium animæ, vel corporis, vel famæ, vel rerum, &c. secretò manifestata sunt, non teneri testificari illa, vel denunciare ad præceptum superioris. Patet ratione dicta. Ita Viguer. Nauar. & Corduba *vbi suprà.* Imò hi duo dicunt, peccare mortaliter manifestando. Idem Nauar.

8 Ex his sententiis, secunda, vt benignior, communior, & longè verior amplectenda est.

## DVBIVM XXI.

*An qui iurauit non denunciare, vel non ferre testimonium, teneatur respondere ad edicta, vel iussus à Prælato testificari.*

1 SIt conclusio. In casibus, quibus quis testificari tenetur, vel denunciare, vt aliquando iubetur à superiore, tenetur ad id, non obstante iuramento. Ratio, quia si quoad istos casus voluit iurare, temerè & illicitè iurauit. Vnde iuramentum est nullum, & in tali iuramento, quòd vltrò fit, potiùs inuenitur temeritas, quia fit, quasi in odium testimonij, quæ non sic inuenitur in fide, quæ simpliciter præstatur de secreto seruando, quæ ad charitatem, & pacem est necessaria. Ita Sylvest. *verbo testis, quæst. 8. dicto 3.* Angel. *ibi num. 29. & verbo denunciatio, num. 12.* Nauar. *cap. 25. num. 41. & cap. inter verba, corol. 63. num. 703. & corol. 65. num. 807. ad quintum.* D. Bonauent. *4. distinct. 21. quæst. vltima, fine,* & à fortiori hoc docebunt Doctores citati pro prima sententia *dubio præcedenti.*

2 Ex hoc sequitur, quòd maiori vinculo teneatur seruare secretum ille, cuius fidei commissum est delictum, vt seruet secretum, quàm ille, qui videns, vel sciens delictum, iurauit seruare secretum, quia hic cùm iuridicè interrogatur, tenetur veritatem fateri; ille verò non tenetur, nisi quando esset necessarium ad proximi damnum vitandum, vt dixi *dub. præced.* Hoc discrimen notat Nauar. *d. n. 807. ad quintum.*

## DVBIVM XXII.

*An propter damnum, quod denunciatori, vel reo denunciato sequitur, excusetur quis à denunciando, vel testificando.*

1 SIt prima conclusio. Talis, si damnum graue est, excusatur, vt si probabiliter timet infamiam, iacturam bonorum, &c. Ratio, quia non tenetur quis tanto dispendio hæc præstare, sicut iudex non tenetur tanto dispendio defendere ciues, nec debitor tanto dispendio soluere. Nec obstat reum teneri fateri periculo vitæ, quia reus ratione sui delicti tenetur: at testis est innocens. Vnde iudex iniuste faceret, si posset absque scandalo omittere, interrogando testem in hoc casu, scilicet quando sciret damnum: si verò esset scandalum, nisi interrogaret, posset, at testis non teneretur respondere. Hanc conclusionem tenet Nauarr. *cap. 25. num. 50.* citans Bald. Idem *cap. inter verba, corol. 65. num. 799. & corol. 63. num. 710. & 711.* Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 4. num. 228.* Sylvest. *verbo correctio, quæst. 7. & verbo denunciatio, quæst. 1.* Angel. *ibi num. 1.* Corduba *lib. 1. quæst. 43. dub. 2. vers. quinto quando, & in summa, quæst. 64. vers. el quinto,* & dicit Nauar. *d. numero 799.* quòd ad edicta non tenetur testis respondere cum hoc damno, scilicet quando necessarium esset ad denunciandum iter facere sumptibus propriis, vsque ad aliud oppidum, vbi iudex resideret. Item tenent docti iuniores Magistri. Conclusionem istam positam tenet etiam Sotus *membr. 2. quæst. 7. vers. respondetur primum, & vers. respondetur quòd in tali, & lib. 5. de iust. quæst. 7. art. 1.* & multi docti recentiores. Vnde non tenetur testificari, si timeat, quòd ponetur sibi exceptio, ex qua graui infamia notatur. Nauar. *dicto num. 710.* Sotus & Magistri præfati. Hinc fit, quòd scholasticus, qui intendit promoueri ad ordines, si vocetur, vt testificetur de delicto, ob quod timet imponendam mortem, vel mutilationem, potest occultare veritatem, nec tenetur respondere, quia est graue damnum; sic nonnulli iuniores docti.

2 Nota hîc conferendum esse prudentis arbitrio damnum, quod ex denunciatione sequitur denuncianti, & vtilitatem ex denunciatione sequutam: posset enim tanta denunciationis esse necessitas, vtpote ad vitandum damnum commune grauissimum, quod aliàs cauteri non posset, vt quis etiam cum capitis periculo ad id teneretur, sicut *suprà* diximus de correctione fraterna.

3 Secunda conclusio. Qui vocatur, vt testimonium ferat, si illi tale damnum sequatur, vt excusetur à ferendo, potest se occultare, vel interrogatus, veritatem tacere, modò non mentiatur. Ita Sotus *vbi suprà*, Nauarr. *d. n. 711.* & docti iuniores.

4 Tertia conclusio. Quando damnum, quod sequitur ex denunciatione, non sequitur ipsi denuncianti, vel alteri innocenti, sed ipsi reo denunciato, nempe aliud distinctum à debito, quod soluere tenetur, vel à pœna, quam meretur ob delictum, tunc si damnum in honore, vel fama, quod sequitur denunciato, est multò grauius, quàm bonum, quod sequitur ex denunciatione, vel quàm debitum restituendum, &c. si quis interrogetur



per edicta tanquam denunciator super delicto, de quo nondum proceditur per infamiam, vel accusationem, non tenetur denunciare: si verò interrogetur iuridicè tanquam testis, quia scilicet de delicto habetur iam infamia, tenetur veritatem fateri. Hanc conclusionem docet Nauar. *d. corol. 65. num. 826. & 827.* & primam partem docent plures alij, vt dixi *suprà dub. 5.* licèt illi non explicent, an id procedat, quando præcipit iudex per edicta, & probat Nauar. hanc partem per dictum Soti, quod retulerat *num. 719.* scilicet *membro 2. quæst. 6.* dicentis neminem obligari ad denunciandum ad edicta, nisi illa delicta, quæ sine mandato denunciare tenebatur. Quæ sententia licèt generaliter sit falsa, vt *suprà* dixi; verùm in hoc casu eam Nauar. approbat, & potest confirmari hæc pars. Quia licèt sit falsa doctrina, quòd non teneamur ad mandata superioris denunciare, nisi illa delicta, quæ sine mandato tenebamur: at verò doctrina est, quòd ad mandata superiorum non teneamur denunciare, nisi ea delicta, quæ sine mandatis licitè poterant denunciari, vt benè notat Sylvest. *verbo denunciatio, quæst. 4.* Armil. *ibi num. 2.*

## DVBIVM XXIII.

*Quæ sint causæ in summa, ob quas quis excusetur à mandatis de denunciandis crimnibus.*

1 REspondetur, quòd multæ sunt causæ dubiis præcedentibus tactæ, scilicet delictum esse secretum, & posse alia via remedium adhiberi. Item denunciationem esse iudicialem ad pœnam, & iudicem non habere indicia, vel famam de reo. Item tantùm habere notitiam ex auditu à leuibus personis. Item forè inutilem denunciationem, vel quia iudex est remissus, vel quia alij, ex quibus audiui, denunciarunt. Item esse personam iure priuilegiatam; cùm tamen sint alij sufficientes ad denunciandum, qui probabiliter denunciabunt. Item non posse fieri sine tali detrimento ipsius denunciatoris, vel denunciati ob quod lex naturalis excusat obedientiam,

## DVBIVM XXIV.

*Quæ causæ excusent à denunciatione facienda de rebus furtiuis.*

1 SIt prima conclusio. Quando res captæ & furtiuæ, non possidentur contra iustitiam, v. g. quia ad recompensandum aliàs debitum acceptæ sunt, non sunt denunciandæ iudicibus id præcipientibus. Ratio, quia in hoc casu non sunt debita, & præceptum esset iniustum. Hinc

2 Infertur primò, quòd si Petrus deposuit apud me secretò arma, quæ petit, eis occisurus hominem, & quia ego rei, quam perpetrare intentat, conscius, ea ipsi nego, fulminatur sententia excommunicationis ad petitionem Petri, contra detinentes arma, vel scientes, nisi manifestent, tunc sententia non ligat me detinentem, nec scientem, si norit certò causam, propter quam detineo. Ratio, quia in isto casu iustissimè detineo, & nego dominoarma. Ita Nauar. *cap. inter verba, corol. 65. numero 797.*

3 Secundò infertur, quòd quando debitor rei furtiuæ est adeo pauper, vt iure excusetur ob inopiam à restitutione faciendæ, tunc non ligatur sententia, etiamsi non restituat, nec testis, licèt non denunciet. Ratio, quia retinet contra iustitiam. Ita Nauar. *ibi, numero 796. & 797.*

4 Nota tamen, quòd in hoc casu aliqui opinantur, quòd iste tenetur facere, vt debitor se obliget creditori, vel alteri personæ, itavt maneat securus, quod dum venerit ad pinguiorem fortunam, restituet; ita tamen, quòd ex hoc non infametur debitor. Ratio, quia licèt non possit restituere, tenetur tamen facere, quod in se est. Ita Nauar. *vbi suprà*, & probat ex sententia D. Thomæ asserentis *2. 2. quæst. 92. art. vltimo ad 2.* debitorem impotentem ad statim restituendum teneri petere dilationem à creditore, sed licèt hoc sit securiùs, non tamen videtur necessarium petere hanc cautionem. Ita nonnulli docti iuniores. Et potest confirmari ex Ledesma *2. 4 quæst. 18. art. 8.* dicente eum, qui sæpè absolutus est, proponens satisfactionem, & non restituens, probabile esse posse iterum absolui, si denuò id proponat, etiam non præstito pignore, vel obligatione facta de restituendo.

5 Secunda conclusio. Quando debitor non excusatur à restitutione, nec per monitionem secretam, potest ad id sufficienter induci, tunc licèt furtum secretum sit est denunciandum Prælato præcipienti. Ratio, quia ista denunciatio non ordinatur ad punitionem, sed ad satisfaciendum læso. Ita Nauar. *d. n. 797.* Sotus *membr. 2. quæst. 6.* paulò antè solutionem *ad 3.* Corduba *in summa, quæst. 111 sub finem.* Armil. *verbo inquisitio, num. 8.* Addunt tamen Sotus, Armil. & Corduba esse denunciandum vt patri, quando est secretum.

6 Sed nunquid non reuelans furtum istud occultum incurret excommunicationem latam per edicta, Armil. dicit *ibi* non incurrere, propter ea, quæ suprà dixi *dub. 14.* at verius est, quòd incurrat; illa enim doctrina vera est, vbi iudex ex officio procedit ad inquirendum delicta, secus vbi petit furti manifestationem tantùm, vt parti restituatur, tunc enim qualitercunque furtum sciatur, petit manifestari. Ita Corduba *vbi suprà.*

## DVBIVM XXV.

*Quantum temporis duret edictum superioris cum vi obligandi ad denunciandum, & similiter literæ excommunicatoriæ, quæ promulgantur ad partis petitionem, vt sibi aliquid restituatur.*

1 COnsului de hac re viros Salmantinos admodum doctos, inter quos etiam Henriquez, qui sequentia responderunt.

2 Primò necessarium est dicere tempus esse præfinitum, quo elapso spirant edicta, & literæ excomunicatoriæ. Ratio, quia talia edicta non habent vim perpetuæ constitutionis, eo quòd nec tali animo fiunt, nec fiunt semper à personis potestatem condendi leges habentibus. Item, quia cùm modus procedendi per edicta sit per viam inquisitionis, & iustitiæ, & quasi armis, id est, excommunicatione, suauis Ecclesiæ gubernatio postulat, ne semper hac via procedatur, sed aliquibus anni temporibus, & ideo singulis annis renouantur.

3 Secundò, spatium temporis, quo durant, colligendum est ex prudentis arbitrio, pensata intentione præcipientis, & effectu ad quem eduntur. Vnde fit, vt quæ eduntur in visitatione populorum, durabunt quandiu visitatio populi durat, & finita populi visitatione, cessabit obligatio edicti. Ratio, quia animus visitatoris est per edictum constringere ad denunciandum, vt sic perfectæ visitationis munus obeat, & munus visitationis in vnoquoque populo certo tempore obit: ergo, quandiu durat visitatio alicuius populi, durabit in illo edictum, & quando sigillatim visitantur parochiæ alicuius vrbis, & in vnaquaque dum visitatur, legitur edictum, durabit in vnaquaque parochia delicti obligatio, quandiu illius parochiæ visitatio durat. Ratio, quia hæc se habet instar visitationis singulorum oppidorum: ergo, sicut in vnoquoque oppido durat, dum illius visitatio durat, ita in vnaquaque parochia, &c. sic etiam alij docti iuniores. Excipienda tamen sunt edicta Inquisitorum, quæ durant vsque ad promulgationem aliorum edictorum, quia sic declaratum est ab ipsis Inquisitoribus, quia cùm semper ipsi sint exercentes inquisitionem delictorum

Universidad de Deusto
Biblioteca



rum contra fidem, & ad eum finem his edictis vtantur, iustè volunt, vt semper suam vim habeant. Ita expressè Auila *de censuris, 2. part. cap. 5. dub. 5. conclus. 3.*

4 Tertiò, edicta, quæ publicantur in Quadragesima, durant toto tempore destinato ad confessiones faciendas, & quia hoc tempus communiter solet dari vsque ad Pentecostem, ideò ad summum vsque tunc durant. Ratio, quia edicta illa ordinantur ad delicta purganda, vt sic disponantur homines ad confitendum, provt tunc iubet sancta Ecclesia: ergo durant toto tempore confessionibus destinato. Sic etiam prædicti iuniores.

5 Quartò, edicta, quæ aliis temporibus publicantur, durant ad summum per duos menses. Ratio, quia hoc videtur tempus rationabile. Sic etiam idem.

6 Quintò, literæ excommunicatoriæ ad partis petitionem editæ, vt sibi aliquid restituatur, &c. durant tempore quòd in illis præfigitur ad faciendum contenta in illis, v.g. iubent, vt qui id habuerit, vel sciuerit, restituat, vel denunciet intra octo dies, tales literæ durabunt octo diebus; quare transactis illis octo diebus, non habebunt vim: qui autem intra illos octo dies sciuerint, etiamsi in vltimo die comprehendentur in illis literis; sed habebit octo dies numerandos à die scientiæ ad explendum, quod literis præcipitur: aliàs incurret excommunicationem, quia illi octo dies conceduntur, vt possit doctos consulere, quid teneatur facere. Hæc etiam alij docti iuniores Magistri.

8 Sed nunquid, qui delicta non denunciauit tempore in edicto contento, teneatur ad denunciandum transacto tempore, quo edictum obligat? Nauar. Lat. *cap. 21. num. 46.* Hispan. *additione ad num. 33. capitis 25.* asserit ad denunciandum teneri transacto tempore, quàm citò commodè potest, & probat ex *cap. cum dilectus, de dolo contum.* Item, quia debitor, qui termino præfixo non soluit, tenetur quàm citissimè potest.

8 At dicendum est, quando intra tempus, quo edictum obligat, conscius edicti non paruit illi, & si incurrit excommunicationem, tenetur transacto tempore edicti parere. Ratio, quia adhuc ille maneat in peccato inobedientiæ, & potest obedire præcepto si bi iniustè impositò: ergo tenetur. Patet etiam ex Nauar. ratione, quia iam illud est velut superiori debitum ratione edicti, scilicet parere: ergo si termino præfixo non soluit hoc debitum, tenebitur etiam eo transacto; & sic se explicat Nauar. *in ea additione*, dicens, quando incidit in peccatum inobeditiæ contra edictum. Similiter quando excommunicatio lata est contra non restituentem intra certum tempus, siquis tunc non sit soluendo, non incurrit, at incurret postea, quando sit soluendo, nisi restituat; quia excommunicatio quoad hunc semper durat. Sic Sotus 4. *dist. 22. quæst. 2. art. 2. vers. secundò si feratur*, at verò quãdo non incidit in peccatum inobedientiæ contra edictum, quia scilicet, vel tunc ignorauit delictum denunciandum, vel non fuit conscius edicti, tunc transacto tempore, quo edicta, vel aliæ literæ excommunicationis obligant, non tenetur denunciare vitute edicti, vel illarum literarum, & sic non denuncians non incidet in excommunicationem, sed iudicandum est, an teneatur denunciare secundùm regulas iuris naturæ, ac si edictum non esset. Probatur, quia quando iste sciuit, iam edictum non obligabat: ergo non constringitur ad aliud virtute edicti, sed ac si non esset, est censendum, & in hoc casu non loquitur Nauar. vt ipse se explicat. Hæc docti iuniores à me consulti.

## DVBIVM XXVI.

*An errent iudices præcipiendo generaliter in edictis, malefactores denunciari.*

1 Circa hoc variæ sunt sententiæ.

Prima tenet, quòd mandata generalia, quibus sub excommunicatione præcipitur aliquos delinquentes, vt qui tale admisere furtum, denunciari, non sunt approbanda, eo quòd dant ignorantibus occasionem errandi, nisi explicent intentionem esse, quòd denuncient solùm in eo casu, quo aliter nolunt restituere, cùm possint. Ita Sotus *membr. 2. quæst. 6. sub finem, paulò ante solutionem ad 3.* & potest etiam id probari ex eo quòd visitator peccat, si iuramentum petat de manifestandis sibi delictis, nisi expressè excipiat secreta, vt patet ex *cap. qualiter 1. de accusat.* & fatetur Nauar. *cap. inter verba, corol. 49. num. 584.* de quo latiùs *infrà.*

2 Secunda sententia probabilior ait talia mandata esse licita, nec præbere errandi ansam, quia sunt intelligenda iuxta iuris dispositionem. Item, quia receptum est ita promulgari edicta generali Ecclesiæ consuetudine: nec oppositum iure alieno cauetur. Ita tenet Bañez *2. 2. quæst. 33. art. 8. dub. 2. ad 7.* Nauar. *cap. 18 num. 40. & cap. inter verba, corol. 52. num. 590. & 591.* Idem sentit Caiet. *opusc. 17. respon. respon. 1. vers. ad 1.* vbi dicit non peccare iudicem generaliter interrogantem de sociis, cùm de aliquibus possit interrogare, & de aliquibus non, modò intra iuris metas intelligat. Et ad argumentum respondet Nauar. disparem esse rationem, quia illud de visitatore cauetur *dict. cap. qualiter*, at de edictis nullo iure cauetur.

## DVBIVM XXVII.

*Quod sit discrimen inter eum, qui respondet ad edicta vt testis, & inter eum, qui vt denunciator.*

1 Primò dico differentiam esse, nam respondens vt denunciator, tenetur probare, & si in probatione deficiat, subiicitur pœnæ. Vnde si non potest probare, non tenetur denunciare Prælato vt iudici. At respondens vt testis, non tenetur probare, & ideo defectu probationum non excusatur. Sic colligitur ex *cap. plerumque 2. quæst. 3. & cap. si tantum 6. quæst. 2. & cap. si sacerdos, de offic. ordinar.* & ita tenent plures, vt dixi *supra dub. 14. concl. 3.*

2 Secundò dico, quòd quando delicta probanda sunt contra bonum commune, vel contra tertiam personam, dicitur denunciator posse probare delictum, si habeat alium testem legitimum, & integrum, quia in his casibus datur accusatio fiscali, vel parti læsæ, & ipse denunciator inducitur vt testis, & cum alio facit probationem, & idem est, quando denunciatio sit ad effectum pœnitentiæ, & emendæ. Nauar. *corol. 65. num. 779.*

3 Tertiò dico, ex multis colligi posse quando quis vocetur per edicta, vt denunciator, vel vt testis. Primò ex verbis edicti, si dicitur, quòd denuncient, intelligitur vt denunciator: si dicitur, quòd testificentur, intelligitur vt testis: si dicitur per verba generalia, scilicet, vt manifestent, vtrumque intelligi potest. Vnde intentio colligitur ex materia super qua datur edictum, & ex modo procedendi: si sit enim in causa ciuili, vel criminali incepta, vocantur vt testes, & talis potest esse materia, vt quamuis in edicto dicatur denunciare, intelligatur testificari, & è contra. Ita Nauar. *d. corol. 65. n. 781.*

4 Vltimò dico, quòd ex vsu, & praxi constat modò iudices velle, vt quacunque via manifestentur delicta, & nullo modo velle cogere denunciantes ad probandum. Vnde quamuis verba aliter sonent, rebus magis credendum est, quàm verbis, teste Nauarro *ibi*, sic quidam docti iuniores in suis scriptis.

CAPVT



## CAPVT III.

*De Inquisitione.*

Antequam ad specialia dubia de inquisitione descendam, oportet pertractare aliqua præambula requisita ad istam materiam de denunciatione, & accusatione, deinde ad specialia de inquisitione veniemus.

## SVMMARIVM.

Dvb. 1. *Quæ dicantur crimina minora, grauiora, & enormia.*
2 *Quæ crimina dicantur esse contra rempublicam, & in damnum commune.*
3 *Quid, & quotuplex sit publicum, & notorium, & famosum, & manifestum, & occultum.*
4 *Quid sit infamia secundum ius, & quotuplex.*
5 *Quo pacto incurratur infamia facti? qui sit eius effectus, & quomodo possit tolli.*
6 *Quo pacto iuris infamia incurratur, & quomodo tollatur.*
7 *Quid sit purgatio canonica, & quando sit necessaria.*
8 *Quid sit causa iudicialis, & quotuplex.*
9 *Quid & quotuplex sit sententia iudicialis.*
10 *Quæ dicatur sententia iusta, vel iniusta, quæ valida, & quæ nulla.*
11 *Quid sit procedere in iudicio simpliciter, & de plano sine figura, & strepitu.*
12 *Quæ probatio in iudicio sit sufficiens.*
13 *An confessio iudicialis facta ab ipso reo valeat pro sufficienti probatione.*
14 *Quæ sint indicia sufficientia ad probationem faciendam.*
15 *An sufficiat vnum indicium ad procedendum in iudicio, vel sint necessaria plura, maximè ad torquendum.*
16 *Quid & quotuplex sit inquisitio.*
17 *An necessarium sit ad inquisitionem de aliquo delicto faciendam præcedere infamiam, vel sat sint indicia.*
18 *An sit de iure naturali, & diuino, vt ad inquisitionem procedatur absque infamia.*
19 *An sint aliqui casus excepti in iure, in quibus non sit necessarium præcedere infamiam ad inquisitionem.*
20 *An vbi delictum est notorium, peccator verò occultus, vt si inueniatur homo mortuus, & ignoretur à quo possit iudex inquirere, quis fecerit.*
21 *Vtrum è contra quando persona diffamata est, & conicta de vno crimine, possit interrogari de aliis criminibus occultis, de quibus non est vlla infamia.*
22 *An conictus de vno crimine possit iure interrogari de socios occultis, qui nulla laborant infamia.*
23 *An in peccato contra naturam liceat interrogare de socio occulto, vt in Sodomia, sicut in vitijs, quæ sunt contra bonum commune.*
24 *An iudices interrogantes socios criminum peccent, socios (inquam) contra quos non habent probatam infamiam.*
25 *An inquisitio contra Religiosos possit fieri absque infamia.*
26 *An sufficiat infamia orta, postquam reus in carcerem detrusus est ad inquirendum? & an ex simplici infamia informatione possit index procedere ad inquirendum, vel sit necessarium infamiam prius esse iuridicè probatam.*
27 *An in omnibus delictis possit inquisitio fieri? & an heres possit in sua familia inquirere.*
28 *An aliquo casu teneatur reus se prodere ad mandata, vel edicta generalia iudicis.*
29 *An quotiescunque reus interrogatur à iudice iuridicè de proprio delicto, teneatur reus proprium delictum fateri.*
30 *An reus rogatus de crimine hæresis, vel læsæ maiestatis, in quibus non requiritur tanta solemnitas ad inquirendum, teneatur suum crimen, scilicet hæresim prodere, maximè si crimen sit notorium, vt si hæreses in publico productæ sunt, nulla tamen infamia, vel indiciis laborat.*
31 *An quando reus, vel testis ignorat, an iudex iustè, & secundùm ius interrogat, teneatur fateri crimen.*
32 *An ad hoc, vt reus teneatur respondere, satis sit esse de eo infamiam, vel indicia, vel requiratur etiam quòd sint probata, & illi notificata.*
33 *An mentiri in iudicio sit peccatum mortale.*
34 *An sit licitum in principio litis accipere iuramentum calumniæ super veritate dicenda ab ipso reo.*
35 *An liceat iudici vti simulatione aliqua vt à reo, auctoréve veritatem rei apud ipsum dubiæ, quam iuridicè rogat, extorqueat? & an possit delatum de crimine ad pœnam damnare ex sola confessione quàm ab ipso promissa criminis impunitate extorsit.*
36 *An vt testes teneantur fateri, sit necessarium, sciant esse infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem.*
37 *An quando factum est notorium, at peccator occultus, teneantur testes manifestare delinquentem iudici interroganti.*
38 *An si aduersùs testes obiiciantur aliqua ad eorum testimonium repellendum, possit iudex interrogare testes de veritate obiectorum, & testes teneantur respondere.*
39 *An iudex, qui contra ius aliquid nouit à reo, vel teste, possit ex eo procedere in iudicio.*
40 *An quando proceditur via inquisitionis, sit infligenda pœna integra.*
41 *An probatio requiratur ad puniendum per viam inquisitionis. Item, quæ forma, & solemnitas sit seruanda in via inquisitionis.*
42 *An peccata publica sint necessariò publicè punienda.*

## DVBIVM I.

*Quæ dicantur crimina minora, grauiora & enormia.*

Nota, quòd licèt theologicè omne peccatum mortale dicatur crimen; at iuridicè dicitur crimen, peccatum, pœna iuridica, canonica, vel ciuili dignum, vt habetur ex *capite Apostolus, distinct. 81.*

2 Crimina enormia secundùm ius dicuntur, quæ in se sunt maxima, & grauissima respectu aliorum; & etiam propter effectum pœnæ dicuntur enormia illa, in quibus etiam post peractam pœnitentiam, manet aliqua grauis pœna Ecclesiastica, quæ impedit ordinis executionem, & beneficij retentionem, vt sunt homicidium voluntarium, & casuale ex culpa. Simonia tam in ordine, quàm in beneficio commissa, & alia, quæ licet occulta sint, inducunt irregularitatem ex delicto, & impediunt susceptionem, & exequutionem ordinis: talia licèt non sint grauitate omnibus maiora, propter hunc effectum, quem post pœnitentiam relinquunt, licèt occulta sint, dicuntur enormia, & colliguntur illa ex *cap. minora, distinct. 50. cap si quis enormia 1. quæst. 7. & cap. 1. de consecrat. distinct. 1. cap. quæsitum, de temp. ordin. cap. tanta, de simon.* Ita Sylvest. *verbo enorme, quæst. 1. & verbo crimen, quæst. 2.* referens Host. & Raynerium, Tabien. *verbo enormitas, num. 1.* & Armil. *verbo enormis, num. 1.* & 2. D. Anton. *3. p. tit. 28. cap. 6. §. 7.* Turrecrem. *cap. fin. distinct. 25.* Item dicuntur enormia omnia delicta, quæ infamiam ciuilem inducunt, id est, quibus etiam post peractam pœnitentiam, manet homo infamis secundùm ius, *§. porrò. 3. quæst. 7.* Sic Host. Raynerius, Sylvest. Tabien Armil. *ibi.* Nota tamen non semper propter delicta enormia incurri irregularitatem, vt notat Nauarr. *cap. 27. num. 248.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Crimina mediocria, vel grauiora dicuntur illa, quæ quando occulta sunt, id est, non notoria, non inducunt prædictum effectum irregularitatis, & impedimenti ab ordine, & à retentione beneficij, quamuis si notoria sint, tale impedimentum inducant, vt sunt furtum, adulterium, periurium, incestus, fraus cum dolo, sodomia, & alia adulterio maiora, fornicatio notoria cum incorrigibilitate post monitionem. Ita Turrecrem. D. Anton. Sylueſt. *vbi suprà.*

4 Crimina minora, seu leuia dicuntur quæ siue occulta, siue notoria sint, non inducunt tale impedimentum, vt venatio in clerico, ludus aleæ, ebrietas, &c. Ita Doctores citati.

## DVBIVM II.

*Quæ crimina dicantur esse contra rempublicam, & in damnum commune.*

1 RAtio dubij, quia omnia peccata videntur esse contra bonum commune, quia per omnia præbetur malum exemplum, vnde alij sumunt peccandi ansam. Vnde dicimus in quolibet peccato, quod punitur auctoritate iuris, præter iniuriam priuatam, vindicari iniuriam publicam. Vnde frustrà videtur in hac materia distingui inter crimina priuata, & publica.

2 Sit conclusio. Licèt omnia crimina largè, & quodammodo possint dici contra bonum commune propter rationem dictam: propriè tamen dicuntur contra bonum commune, illa, quæ directè & immediatè tendunt in damnum totius reipublicæ, aut populi, vel communitatis, vel congregationis, ita vt habeant pro obiecto proximo, quòd offendunt illud bonum commune. Talia peccata sunt hæresis, schisma, proditio ciuitatis, compilatio ærarij publici, crimen læsæ maiestatis, occisio Principis, & hominis toti reipublicæ, vel communitati vtilissimi, latrones etiam publici, qui vias publicas obsident, & quoscunque de populo occurrentes deprædantur. Ista omnia dicuntur peccata in bonum commune. At adulterium, homicidium priuatæ personæ, simplex furtum, non dicuntur crimina publica, id est, contra bonum publicum, sed priuata, id est, contra bonum priuatum. Et quando peccata contingunt in aliqua vniuersitate, vel collegio, vel monasterio, tunc dicuntur contra bonum commune, cùm directè, & immediatè bonum omnibus commune offendunt, vt occisio superioris, subornatio suffragiorum, quibus lector, vel superior eligitur. Hæc omnia Sotus *lib. de secreto, membr. 2. quæst. 4. dub. 1. post tertiam conclusionem*, & *lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 2. vers. at verò.* Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 4. num. 198.*

3 Hinc infertur cum Soto peccatum publicum vno modo dici, vt distinguitur contra secretum, alio modo, vt distinguitur contra priuatum, quasi sit in perniciem publicam.

Tandem nota cum Sylueſt. *verbo crimen, quæst. 3.* quòd crimen publicum, & priuatum accipiuntur etiam in alia acceptatione in iure, vt crimen publicum sit illud, quòd non tantùm persona offensa, sed quilibet de populo, potest accusare, & crimen priuatum, quòd tantùm accusare potest iniuriam passus. Et ratio huius acceptionis hinc sumpta videtur; quia in delictis contra rempublicam hoc inuenitur ex iure naturali, & ciuili, quod quilibet potest accusare, & ideò extensum est nomen publici delicti ad hoc; de his latè Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 1. num. 1. 2. 4. & 9.*

## DVBIVM III.

*Quid & quotuplex sit publicum, & notorium, & famosum, & manifestum, & occultum.*

1 NOta publicum dupliciter accipi. Primò, vt est idem quod notorium, vel vt distinguitur à notorio. Quando est idem quod notorium, est illud quod vel per actum iuridicum, vel per facti euidentiam notum est, vt testantur omnes Doctores *infrà citandi.* Ex quo deducitur, quòd licèt crimen aliquod possit per iudicem, vel viginti testes probari, dummodo non sit per facti euidentiam, vel per actum iuridicum notum, dicetur non notorium. Ita docet Castrus *lib. 2. de lege pœnali, cap. 15. ante primam conclusionem.* Quando publicum distinguitur à notorio, dicitur illud, quod fama publica proclamatum est, & infamia communi notatur, & sic publicum est idem quod famosum; quæ verò & qualis fama sufficiat, *infrà* videbitur. Hanc diuisionem publici docet Sotus *membr. 2. ante quæstionem primam.* Panor. *cap. tua, n. 2. de cohabit. & cap. vestra, n. 11. eod. tit.* & Nauar. *cap. 18. num. 40.* vbi dicit publicum dici, vel per notorietatem, vel per famam.

2 Rursus notorium multipliciter diuiditur apud Iurisperitos: at quæ magis necessaria est, est duplex diuisio. Primò notorium est duplex; primò sumitur largè, & impropriè, scilicet pro notorio præsumptionis, & est illud, quòd in se notum non est, sed in alio; quod tamen de se non facit talis rei euidentiam, sed solùm ex ordinatione iuris, quòd euidenter illud præsumit ex alio notorio: sicut quis habetur publicè, & notoriè pro filio alicuius ex coniecturis inductis à iure. Secundò accipitur propriè pro notorio in se. Ita docet Sylueſt. *verb. notorium, q. 1.* Tabien. *eod. verb.* Angel. *ibi in princ.* Armil. *num. 1.* D. Ant. *3. part. tit. 9. c. 8. initio.* Panor. *c. vestra, de cohabit. cleric. n. 14* glossa *ibi vers. notorium.* Cordub. *memb. 2. quæst. 1. statim in principio.*

3 Rursus notorium propriè est duplex: aliud iuris, aliud facti. Illud est, de quo quis in iudicio est condemnatus, vel conuictus, vel sponte confessus, id est, illud de quo iuridicè sententia lata est, vel de quo in iudicio facta est probatio clara, & indubitata, vel de quo facta est spontanea confessio. Ratio, quia ius facit, & iudicat per aliquem actum horum trium, crimen esse euidens omnibus & sic per actum iuridicum factum est notorium, habetur ex *cap. fin. & c. cùm inter, de re iudic. & cap. cùm olim, de verb. signif. cap. vestra, de cohabit. cleric.* Notorium verò facti est, quod se offert, & exhibet oculis omnium, ita clarè, & apertè, vt aliqua probabilitate negari non possit, nullâque tergiuersatione, seu fuga celari, *cap. vestra, de cohabit. & cap. tua, eod. tit.* Ratio istius diuisionis inde sumitur, quia cùm notorium dicatur illud, quod clarè & euidenter notari, ac demonstrari potest, itaut nullus tergiuersationi, seu negationi locus superſit. Hanc euidentiam, vel manifestationem potest facere ipsummet factum, vel aliqua solemnitas, vel actus iudicij, & ideò dicitur notorium facti, vel iuris. Hæc omnia docent Sotus, Corduba, Castrus, Tabien. Sylueſt. *quæst. 1. & 3.* Angel. Armil. Glossa, Panorm. *num. 14.*

4 Circa hoc nota, quòd ad hoc, vt aliquid dicatur verè notorium facti, non oportet, vt in seipso videatur, sed satis est videri in altero, scilicet in argumentis, vel testimoniis, quæ ex se, & non ex iuris præsumptione euidenter delictum ostendant. Ratio, quia sunt aliqua delicta, quæ nunquam fiunt in conspectu omnium, vt adulteria, furta, &c. & ideò ad hoc vt notoria dicantur, sat est videri in claris argumentis. Ita docet Sylueſt. *vbi suprà, quæst. 1.*

5 Secundò nota ex tribus causari notorium facti, ex scientia hominum non paucorum, & ex loci ac temporis qualitate, ita scilicet vt non fiat nocte, vel in loco secreto; sed discretus iudex ex circunstantiis arbitratur factum fuisse notorium, vel non. Sylueſt. *quæst. 1.* Panorm. *d. num. 14. & 16.*

6 At dubium graue est, quot hominum scientia requiratur ad notorium facti inducendum. Quadruplex est sententia.

1 Prima tenet, requiri notitiam totius populi, vel maioris partis. Ita tenent aliqui, quos refert Sylueſt. & videtur tenere glossa *cap. vestra, de cohabit. vers. notorium*, vbi inquit non requiri scientiam omnium, sed plurium.

7 Secunda



7 Secunda sententia dicit, non requiri maiorem viciniæ partem, sed sat esse, si decem personæ honestæ totius populi, vel viciniæ, licet lat ſimæ, viderint, vt dicatur notorium. Ratio, quia decem personæ populum constituunt. Ita Raynerius, quem refert, ac sequitur Tabiena *verbo notorium.* Armil. *ibi num. 12.* glossa *cap. de manifesta. 2 q. 1. verbo plurimis*, Adrian. *4. quæst. antepenult. de Eucharist. quæ incipit, Oritur quæstio.* Maior 4. *dist. nost. 9. quæst. 4.* Ledasm. 1. 4 *quæst. 21. art. 6.* Palacios 4. *dist. 9. quæst. 4.*

8 Tertia sententia dicit cum secunda requiri decem personas, vt dicatur notorium: at verò non semper sufficere; si enim familia, vel vicinia lata sit, requiritur vt maior pars sciat, & illa pars sciens non pauciores, quàm decem personas contineat. Ita Angel. *verbo notorium, n. 1.* Turrecr. *d. cap. de manifesta. num. 1.*

9 Quarta sententia, quæ tenenda est, dicit quòd ad notorium facti non est necessarium vt videatur ab omnibus, nec sat est videri à quibuscunque, sed requiritur scientia, & notitia maioris partis populi, vel viciniæ, dummodo in populo ipso, vel vicinia, non sint pauciores personæ, quàm decem. Hanc sententiam dicens esse communem tenet Nauarra summa Latina, & Hisp. *cap. 25. num. 73.* & summa Lat. *cap. 27. num. 250. not ab. 10.* Ledes. *24. quæst. 26. art. 2. fol. 367. pag. 1. vers. est præterea.* Supplem. & Rosel. quos refert, & sequitur Sylueſter, *verbo notorium, quæstione 4.* Panorm. *cap. vestra, de cohabit. n. 16.* Ex hac sententia.

10 Infertur primò, nunquam scientiam paucorum, quàm sex, notorium facere; scientiam verò sex aliquando facere, quando scilicet, est maior pars populi, vel viciniæ, vel collegij, vt si sint tantùm decem; aliquando verò non facere, quando scilicet sunt plures decem: semper enim requiritur notitia maioris partis. Ita iidem Doctores.

11 Secundò infertur non posse oriri notorium facti in vicinia, vel populo, vbi non sunt personæ saltim decem. Ita Doctores citati pro omnibus sententiis. Et ratio est, quia decem personæ & non pauciores, constituunt populum, vt docet glossa, colligens ex illo textu *cap. vno 10. quæst. 3. vers. mancipia.* Tabien. Armil. Angel. Adrian. Sylueſt. *vbi suprà.*

12 Tertiò infertur, non requiri, vt aliquid dicatur notorium, vt sciatur à maiori parte populi, sed sat est à maiori parte parochiæ, vel viciniæ, vel collegij. respectu cuius dicitur notorium, Nauar. & Sylueſt. *vbi suprà.*

Oportet tamen hìc notari duo.

13 Primum est, licèt ad efficiendum notorium hoc requiratur, ad probandum tamen aliquid esse notorium, non requiritur vt omnes ferant testimonium apud iudicem, sed sat est, si duo, vel tres testes esse notorium testentur. Ita Panorm. *ibi, num. 17.* Angel. *n. 2.* Armil. *n. 2.* Sylueſt. *quæstione 5.*

14 Secundò nota, quòd id, quod fuit aliquando notorium, potest effici occultum, scilicet si omnes illi, coram quibus erat notorium, moriantur. Ita Corduba *memb. 2. quæst. 1. vers. Item nota.*

15 Rursus occultum dicitur tripliciter. Primò, vt distinguitur contra probabile, & est illud, quod idoneis testibus probari nequit. Secundo modo, vt distinguitur contra publicum famosum, & est illud, quòd licèt probari possit, non tamen laborat infamia, & hoc dicitur penè occultum. Tertio modo largius, vt distinguitur contra notorium, & est illud, quod non est notorium facti, nec iuris. Occultum primo & secundo modo (vt notat Sotus *vbi infrà,*) tolerat Ecclesia, non verò occultum tertio modo; quia sicut notorium debet statim punire, ita id quod infamia laborat, debet inquirere, vt puniat. Hanc diuisionem docet Sotus, Castr. Corduba, *vbi supra,* Sylueſt. & Angel. *verbo occultum.* Panormit. *cap. ex literarum, de tempor. ordin.*

16 Rursus manifestum tripliciter capitur. Primò, vt est idem, quod notorium: secundò propriè, vt distinguitur à notorio, & est illud, quod facilè potest probari per multos, licet non per tot, vt dicatur notorium: tertio modo sumitur, vt est quid commune vtrique. Ita Tabien. *verbo manifestum, in principio.* Angel. & Sylueſt. *ibi*, Armil. *ibi* Glossa *d. cap. vestra, vers. notorium*, Panor. *ibi, num. 12.* Addunt Sylueſt. & Tabien. dici notorium, etiamsi probatio procedat ex præsumptionibus, & verisimilibus coniecturis.

17 Tandem nota, quòd dum in aliqua lege, statuto, vel depositione fit mentio de manifesto ex subiecta materia, & loquendi vsu, accipiendum est, in quo sensu accipiatur, vt docent Sylueſt. Angel. Armil. *verbo manifestum*, Tabien. *ibi num. 1.* Panormit. *cap. cùm olim, de verb. significat.* Quando verò dubium est, maximè in pœnalibus dicunt Angel Sylueſt. Tabien. Panorm. capi, provt est distinctum à notorio: at verò Armilla dicit capi pro notorio, & colligit ex *cap. fin. de verb. significat.* & quia ex materia pœnali mitiùs est agendum.

*De Infamia.*

## DVBIVM IV.

*Quid sit infamia secundùm ius, & quotuplex.*

1 SIt prima conclusio. Infamia dicitur læsæ dignitatis qualitas, vita & moribus reprobata, & sic homo infamis dicitur ille, cuius status, vita, & moribus reprobatus est. Ratio, quia infamia est idem, quod bonæ famæ priuatio: at bona fama, est illæsæ dignitatis status vita, & moribus comprobatus; ideò infamia, id est, mala fama bene dicitur, læsæ dignitatis, &c. sumitur verò dignitas in definitione, non pro honore publico, sed pro potentia naturali cunctis attributa, id est, pro vera dignitate, quæ est secundùm rationem viuere. Has definitiones ponit Panormitan. *cap. vestra, de cohabit.* & omnes summistæ *verbo fama, & infamia*; competit verò definitio omni infamiæ, est enim triplex, scilicet, infamia facti, quam quis facto ipso incurrit, & infamia iuris ciuilis, quæ simpliciter solet dici infamia iuris: & est illa, ad quam aliquis ex iuris ciuilis decreto damnatus est. Alia est infamia iuris canonici, quæ canonica dicitur, & est illa ad quam quis ex decreto iuris canonici damnatus est. Huic triplici infamiæ conuenit dicta definitio, nam per quamlibet earum lædituꝛ dignitas, & status reprobatur. Summistæ, & Panormitanus *vbi suprà*, & Castrus *de iustit. hæret. punit. lib. 2. cap. 9.*

2 Secunda conclusio. Vt infamia facti de aliquo delicto, requiruntur aliquæ conditiones.

Prima, quòd sit opinio communis, quia paucorum opinio non facit infamiam, sed debet esse opinio plurium, maioris scilicet partis. Ita habetur expressè *capite inquisitionis, de accusat. §. quæsiuisti*, & docet *ibi* glossa *versiculo vltimo.* Innocent. *ibi numero 5.* Felinus *ibi, vers. tertio nota.* Panormitanus *ibi, num. 6. & cap. vestra, de cohabit. numero 12.* Bart. *l. minere, §. tormenta, ff. de quæst. numero 10 & 13.* Glossa *l. cum quidam, ff. de acquirend. vel amitt. hæred. §. quod dicitur, versic. sed si sit.* Alexand. *eadem leg. num. 8.* Vocabularium iuris *verbo fama.* Nauarra *cap. inter verba, corol. 48. num. 584.* Sotus *libro de secret. membr. 2. quæstione 6 dub. 6.* Sylueſt. *verbo fama. §. 2.* Armil. *ibi, num. 1.* Tabiena *in principio.* Angel *num. 4.*

Secunda conditio est, vt ab istis pluribus voce manifestetur. Ratio: nam cùm fama à fundo dicatur, per hoc distat ab opinione, quòd hæc satis est si mente teneatur: illa verò oportet, vt voce manifesteꝛur. Ita Bart. Sotus, Tabien. Angel. Armil. Sylueſt. Panorm. Vocabularium iuris *vbi suprà.*)

Tertia conditio est, vt infamia sit apud bonos, &

graues

Universidad de Deusto
Biblioteca



graues vitos, vnde si apud hos fama maneat integra, etiamsi apud plures leues personas fama maneat non integra, sed læsa, non dicitur infamia. Ita habetur expressè *capite qualiter, & quando, de accusat.* vbi sic dicitur, *Infamia non debet procedere à maleuolis, & maledicis, sed à prouidis & honestis, non semel tantum, sed sæpè*, & docet *ibi* glossa *vers. ad inquirendum.* Panormitan. *d. cap. inquisitionis, vers. quæsiuisti, num.* 6. Idem habetur *cap. in cunctis* 11. *quæst.* 3. docet *ibi* glossa, *versic. maledicorum.* Turrecrem. *§. porro, 3. quæst. 7. num.* 4. Idem docet *lex* 2. *tit.* 6. *part.* 7. & docet *ibi* Gregor. Lopez *vers. decreer.* Sotus *vbi suprà*, Nauarr. *infrà, num.* 152. Caiet. 2. 2. *q.* 69. *artic.* 1. *in principio.* D. Anton. 3. *p. tit.* 9 *cap.* 7. *§* 4. Sylueſt. *verb. infamia, quæst.* 2. Armil. *ibi num.* 9. Tabien. *num.* 1. Angel. *n.* 2. Addunt Sylueſt. & Angel. graues homines dici bonæ famæ, & opinionis antiquæ.

Vltima conditio, vt otiatur ex ſuſpicione probabili. Dixi *ex ſuſpicione*; quia ſi eſt certum, aut viſum à populo, non eſt fama, ſed notorium, vel manifeſtum. Ita Bart. & Sylueſt. *verb. fama*, §. 1. & reliqui Summiſtæ, *verb. fama, numeris citatis* Dixi *probabili*, quia ſi oriatur ex leuibus coniecturis non ſufficientibus ad cauſandam opinionem apud probos, & cordatos viros, qui talia indicia vident, non dicetur fama, ſed vanæ populi voces. Ita Panorm. *cap. veſtra, citato, num.* 12. *& d. c. qualiter, & quando, num.* 29 Sylueſt. & cæteri Summiſtæ *verbo fama, numeris citatis*, Gregor. Lopez, & Barth. Sotus *vbi ſuprà*, Vocabularium iuris *verbo infamia.* Vnde infertur non requiri ad infamiam, vt omnes, apud quos quis ſit infamatus ſint teſtes oculati, hoc enim eſſet manifeſtum, vel notorium, ſed ſat eſt, quòd audierint à fide dignis. Ita Sotus *vbi ſuprà*, & colligitur ex dictis.

3 Sed dubitatur circa primam, & ſecundam conditionem, quotus teſtium numerus requiratur ad infamiam. Ius enim, vt dixi, tantùm dicit requiri plurium teſtimonium. Triplex eſt ſententia.

Prima dicit numerum denarium, ſicut populum conſtituit; ita etiam ad infamiam ſufficere. Ita Archidiacon. *cap. vn. co, 1. q.* 3.

4 Secunda dicit requiri, vt infamia ſit ſparſa per maiorem partem viciniæ, vel per maiorem partem collegij, vel vniuerſitatis, in qua quis commoratur. Ita gloſſa *d. c. inquiſitionis, § quæſiuiſti, verſ. vltimo*, Sotus *vbi ſuprà.* Angel. *verbo fame, n.* 4 Sylueſt. *ibi. §.* 1. *verſ. tertio* Vocabularium iuris *verbo fama*, Palacios *verbo iudex*, Nauarr. *lib.* 2. *de reſtit. c.* 4. *n.* 151. & quidam docti iuniores Magiſtri.

5 Tertia ſententia verior dicit non requiri ad infamiam locum determinatum, vt viciniam, &c. ſed ſat eſſe communem opinionem omnium, vel maioris partis hominum, ad quos hoc ſcire ſpectat, & qui illud veriſimiliter poſſent ſcire. Ita tenent expreſsè reprobantes primam opinionem, & pluribus textibus confirmantes, Panormitan. *dicto §. quæſiuiſti, num.* 6. gloſſa *l. cùm quidam. ff. de acquir. vel amit. hared. §. quod dicitur, verſ. ſed ſi ſit.* Batt. *l. de minore, §. tormenta, ff. de quæſt. num.* 10. Nauar. *cap. inter verba, corol.* 48. *n.* 584. ponit exemplum, Panorm. vt Epiſcopus dum viuit cum Canonicis ſit infamatus de fornicatione, ſat eſt opinio maioris partis Canonicorum, quia illi debent veriſimiliter ſcire. Hinc infert Bartol. non eſſe verum quòd decem homines, vel viginti faciunt famam, ſed conſiderato numero illius loci, in quo eſt infamia, tot requiruntur, quot faciunt maiorem partem.

Sunt tamen hìc notanda aliqua.

6 Primum, quòd dum dicitur ad infamiam requiri notitiam maioris partis viciniæ, vel loci, &c. non eſt hoc indiſtinctè intelligendum, ita quòd requiratur, vt maior pars viciniæ puerorum, mulierum, vel ſimilium, ſed ſat eſt maior pars proborum, & grauium. Vnde *cap. inquiſitionis, in fine*, dicitur, cuius fama eſt apud bonos & graues. Ita Panorm. *ibi.*

7 Secundò nota in maioribus criminibus, maiorem infamiam requiri, quàm in minoribus, & multò maiorem requiri ad procedendum contra perſonas publicas, quàm contra priuatas, adeò vt contra Prælatum inquiri non debeat, niſi vbi tanta eſſet infamia, vt ſine ſcandalo tolerari non poſſet, vt habetur *cap. qualiter, & quando de accuſ.* & docet Sotus *vbi ſuprà*, & Sylueſt. *Inquiſitio* 1. §. 10 Armil. *ibi num* 1. Tabien. *in principio*, Angel. *num.* 2. Hoſt. *tit. de inquiſ num.* 4 D. Anton. *vbi ſuprà*, §. 3. & faciunt pro hoc Panormitan. *num. citato*, & Bart. *vbi ſuprà, num.* 12. vbi dicunt in valdè magnis negotiis requiri famam totius ciuitatis, in paruis verò viciniæ. Nauarr. *corol. 62. num. 658. 659.*

8 Tertiò nota, quòd licèt ad cauſandum infamiam tot requirantur: at verò ad probandum infamiam, ſat ſunt duo teſtes, qui illam eſſe teſtentur. Patet ex *dicto §. tormenta, & ibi* Bart. *num.* 19. Patet etiam ex *l.* 3. *ff. de teſtib. & ibi* gloſſa, *verſ. confirmat.* Felinus *cap. inquiſitionis, §. quæſiuiſti, ff. de accuſat. verſ. tertiò nota*, & gloſſa Felini *ibi.* Panormit. *ibi num.* 6. Innocent. *ibi num.* 5. Sylueſt. *verbo fama, §.* 2. Armil. *ibi num.* 2. Angel. *num.* 4. limitant Panormit. Innocent. & Felin. hanc ſententiam, niſi conſtaret, quòd communiter apud omnes ſit bonæ famæ. Nota tamen cum Sylueſt. Armilla, Angelo contra priuationem infamiæ admitti contrariam probationem, quæ ſi clarior ſit, offuſcatur effectus primæ.

9 Ex dictis conſtat differentia inter rumorem, & famam, quòd ad rumorem ſat ſit aliquorum paucorum aſſertio, & etiam ex ſuſpicione, & leuibus coniecturis orta. At verò fama, eſt communis aſſertio ex probabilibus coniecturis orta. Vnde rumor ſuperior eſt fama. Ita Sylueſt. *verbo fama, §.* 4. Speculator per ipſum citatus, Armil. *n.* 1. Tabien. *in principio.* Angel. *num.* 4. Panormit. *cap. bonæ memoriæ* 1. *de elect.* Aliqui verò diſtinguunt, quòd rumor ab incerto auctore, fama verò à certo oritur. Ita Vocabularium iuris *verb. fama.* At verò non eſt id de ratione famæ, ſed aliquando à certo, aliquando verò ab incerto auctore prouenit, vt notat Panormitan. *cap. veſtra, de cohabit. num.* 12. gloſſa *ibi verſ. notorium.* Sylueſter *verbo fama, §.* 3 D. Anton. 3. *p. titul.* 9. *cap.* 7. *§.* 4.

10 Vltimò nota, quod ſit diſcrimen inter famam, & clamoroſam inſinuationem. Aliqui dicunt, id eſſe, quia fama plurimorum eſt: at clamor paucorum Ita Vocabularium iuris, *verbo fama*, & Felinus *cap. qualiter, & quando, de accuſat.* Alij verò diſtinguunt inter famam, & clamoroſam inſinuationem, quòd illa ſit, quando plures iuridicè coram iudice teſtantur de delicto, hæc verò, quando extraiudicialiter multi clamant apud iudicem. Ita Arte-mius *dicto cap. inquiſitionis, num.* 3. *& dicto cap. qualiter, num.* 79. & Nauarr. *cap. inter verba, corol.* 62. *num.* 627. At verò verius eſt, eſſe idem famam, & clamoroſam inſinuationem. Ita Sotus *membr.* 2 *quæſt.* 6. *dub.* 3. Innocent. *d. cap. qualiter.* Panormit. & Armilla *ibidem.* Idem innuit D. Th. *quodlib.* 11. *art.* 13. & innuit Sylueſt. *verbo inquiſitio*, 9. 4. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 152.

## DVBIVM X.

*Quo pacto incurratur infamia facti, quis ſit eius effectus, & quomodo poſſit tolli.*

1 QVoad primum dico multipliciter incurri infamiam facti.

Primò, cùm quis propter crimen repulſus eſt à teſtimonio. *cap. teſtimonium, de teſtib.* & docet Sylueſt. *verbo infamia, q.* 2 Armil. *n.* 9. Tabien. *n.* 11. Angel. *n.* 2.

2 Secundò, cùm pater per verba turpia inſtituit hæredem, vel legatarium filium, vt dicens: *Inſtituo filium meum nequam, proditorem*, &c. Ratio, quia tunc non præſumitur id ex odio dicere, ſed ex zelo: patet *l. ea quæ pater. C. ex quibus cauſ. infam. irroget, & l.* 2. *tit.* 6. *part.* 7. & *ibi* Gregorius Lopez, & Montaluus, Sylueſt. Tabien. Angel. *vbi ſuprà.*

3 Tertiò



3 Tertiò cùm Rex, vel iudex non per modum ſententiæ, ſed caſtigationis, vituperio afficit poſtulantem, vt dicens, *calumniaris*, vel *benefaceres ſi ad meliorem te frugem conuerteres C. eodem. tit. l. verbum, & l. interloquutio, eadem l. part.* & Gregor. Lop. Montaluus, Sylueſt. Angel. *vbi ſuprà.*

4 Quartò ſi condemnetur per iudicis ſententiam ad reſtituendum vi, vel furto ablata *ead. l.* & Gregor. & Montaluus *ibi.*

5 Vltimò, quando communiter apud bonos, & graues viros eſt quis infamatus de aliquo facto, *l. licèt, ff. de obſeq. à lib. & eadem l. part.* vbi Gregor. & Montaluus, Sylueſt. Armil. Tabien. Ang. *vbi ſupra.* & patet ex dictis *dub. præcedenti.*

6 Quoad ſecundum de effectibus infamiæ iuris, & facti, ſit concluſio. Infamiæ hæ expellunt hominem à multis rebus licitis, quibus infames tanquam indigni priuantur. Primò repellunt infames à dignitatibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, vt eas conſequi iure nequeant. Patet *cap. infamibus, de reg. iur. in* 6. vbi gloſſa *verſ. infamibus. l. vnica, C. de infamibus, l* 10. & *ibi* gloſſa, & *l.* 2. *C. de dignitatibus, lib.* 12. vbi & Ioannes de Platea, & *l.* 7. *tit.* 6. *part.* 7. vbi & Gregor. Lopez *verſ. dignidad.* & Montaluus *ibi*, D. Anton 1. *part. tit* 20. *cap. vnico*, *regula infam bus, ſub litera I*, Armil. *verbo infamia, num.* 3. & 11. Tabien. *num.* 11. Sylueſt. *quæſt.* 3. & 18. D. Anton. etiam 3. *part. tit.* 28. *cap.* 6 §. 8. Couar. *libro* 2. *var. cap.* 8. *num.* 4. & alij, quos ipſe refert.

7 Sed nota, quòd licèt infamia facti impediat collationem alicuius dignitatis: non tamen priuat dignitate, vel beneficio iam obtento. Patet *cap. ſuper his, de accuſat.* Ita Panorm. & plures alij, quos refert & ſequitur Couar. *vbi ſuprà, & pract. quæſt. cap.* 19. *num.* 5. *verſ. ſexta concluſio*, Gregor. Lopez *d. verſ. dignidad.*

8 Verùm de infamia iuris eſt grauis difficultas, an priuet ipſo facto beneficiis, & dignitatibus habitis. Quidam tenent partem affirmantem, & probant ex *l.* 1. *§. miles, C. de his, qui not infam.* vbi dicit textus, infamiam priuare militem militia ipſo facto. Hanc ſententiam tenet *ibi* gloſſa, & *l. fruſtrà, C. de reſtit. milit.* Gregor. Lop. *vbi ſuprà*, Panorm. *cap. querelam, de iureiur.* Tabiena *verbo infamia, num.* 4. Angel. *numero* 9. Sylueſt. *quæſt.* 10. Limitant Panorm. Tabien. Angel. Sylueſt. dempto beneficio: hoc enim non priuat ipſo iure. Eandem ſententiam, quòd ſcienter non priuat ipſo iure. Eandem ſententiam, quòd ſcienter non priuat ipſo iure licet aliquis infamis infamia iuris, ſit ipſo actu priuatus dignitatibus, & beneficiis obtentis, nempe hæreticus, tenet Couar. 2. *var. cap.* 8. *num.* 4. Bernad. Diaz *pract. crimin. cap.* 106. Dominicus, Præpoſitus, Ioannes Andreas, Panorm. Felinus, quos refert Couarr. dicens eſſe communem. Idem Simancas *lib. inſtit. in nouo, tit.* 46. *num.* 63.

9 At verò contrariam ſententiam, ſcilicet quòd infamis infamia iuris, non ſit ipſo iure priuatus dignitatibus, nec beneficiis habitis antequam incurreret ſententiam: vnde poſſunt hi retinere, donec à iudice condemnentur. Tenet Caſtr. *lib.* 2. *de iuſta hæret. punit. cap.* 9. §. *altera eſt adhuc*; id enim tenet de hæreticis, quos ipſo iure credit eſſe infames idem de hæreticis tenet Simancas *lib. inſtit. in nouo, tit.* 46. *num.* 72. & probat Caſtrus ex *cap. ad abolendam, §. præſenti. de hæret.* vbi dicitur, *totius Eccleſiaſtici ordinis prærogatiua nudetur*; non dicit, ſit ipſo facto nudatus. Idem *cap. excommunicamus*, § *credentes, eodem tit.* Nota tamen, quòd licèt primam amplectamur ſententiam, non tamen inde ſequitur, quòd teneatur illico hæreticus, vel talis infamis reſignare beneficium, vel dignitatem, ſed ſaltim requiritur ſententia declaratoria iudicis: nam licèt lex dicat, vt taliter delinquens ipſo facto ſit priuatus beneficiis, requiritur ſententia declaratoria iudicis, vt docet Sotus 1. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 6. *in fine*, & quoad id quòd dum lex ponit pœnam ipſo facto, requiratur ſententia declaratoria, docet latè Simancas *lib. inſtit. in nouo, tit.* 9. *num.* 231. 232. 233 *& infrà*, Greg. Lop. *vbi ſupra, verſ. debet*, tenet teneri reſignare.

10 Nota tamen, quòd collatio beneficij facta infami infamia iuris, eſt ipſo iure nulla. Patet *d. regula infamibus, & cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect.* Ita Panorm. *cap. ſuper eo, de elect. num.* 5. Gregor. Lopez *d. verſ. dignidad.* Armil. *verbo infamia, num.* 11. Tabien. *num.* 4. Angel. *num.* 9. Sylueſt. *quæſt.* 10. & idem dicunt de notorio infami infamia facti. Panorm. Gregor. Lopez, Armil. quòd ſcilicet non valeat collatio beneficij facta illi; tum quia *reg. infamibus*, vniuerſaliter loquitur, tùm quia *d. §. inferiora*, dicitur, beneficia non ſunt conferenda, niſi ei, qui moribus commendabilis demonſtratur: at huiuſmodi infamis non ſic demonſtratur. Hoc etiam apertè colligitur ex Couar. 2. *var. cap.* 8. *num.* 4. vbi cum pluribus. quos refert, dicit infamem infamia facti inhabilem eſſe ad obtinendum beneficium: ergo, cùm ſit inhabilis, collatio ipſi facta eſt nulla.

11 Ex dictis infertur infames infamia iuris, vel facti, non poſſe eſſe iudices 3. *quæſt.* 7. *cap. infamis*; quia hoc dignitatem dicit; at poteſt eſſe arbiter, hic enim nullam dignitatem habet, vel iuriſdictionem, ſed meram, & ſimplicem cognitionem. Ita tenet gloſſa *d. reg. infamibus.* Idem habetur *part.* 7. *tit.* 6. *l.* 7. & *ibi* Greg. Lopez & Montaluus, Armil. *verbo infamia, num.* 11. Tabien. *num.* 11. Sylueſt *quæſt* 3. D. Anton. *d. regula infamibus*, an verò poſſit eſſe tabellio, & aliqua alia munera publica exercere, ad Iuriſconſultos pertinet, & latè Couar. *quæſt. pract. cap.* 19.

12 Secundus effectus vtriuſque infamiæ eſt, quòd repellit ab accuſatione, & à poſtulatione, non enim infames iuris, vel facti, accuſare, vel poſtulare poſſunt, nec teſtificari in criminalibus, vel in cauſis grauioribus, niſi quaad præſumptionem: in aliis verò admittuntur ad teſtificandum plus vel minus, ſecundùm infamiæ quantitatem, *l. qui accuſare. ff. de accuſat. & l.* 1. *ff. de poſtul.* Ita Panorm. & Ioan Andreas, quos refert, & ſequitur Sylueſt. *verb. infamia, quæſt.* 3. & 10. Armil. & Tabien. *num.* 10. Angel. *num.* 2. & 3 Couar. *quæſt pract. cap.* 19. *num* 5.

13 Tertiò, infames non poſſunt eſſe tutores legitimi, vel datiui, benè tamen teſtamentarij, *l.* 7. *tit.* 6 *part.* 7. Gregor. Lopez *ibi verſ. en el teſtamento*, licèt de iure communi benè poſſent eſſe tutores, vt tenent gloſſa, Bart. & Bald. quos refert *ibi* Greg. Lop. Alios effectus habet infamia, vt inducere querelam inofficioſi teſtamenti, &c. quos ſcire ad Iuriſperitos attinet.

14 Vltimus effectus eſt, infames infamia iuris, vel facti, ſunt irregulares: atque ita promoueri nequeunt, *cap. omnipotens, de accuſat.* & *ibi* gloſſa, & Panorm. 1. *num.* & 2. & idem Panorm. *cap. ſuper eo, de elect. n.* 3. Patet etiam ex *cap. qui in aliquo, diſt.* 51. & 2. *quæſt* 3. *cap. Euphemium.* Ita tenent D. Anton. 3. *part. tit* 28. *cap.* 6. § 8. Sylueſt. *verb. irregul. quæſt.* 6. & *verbo infamia, quæſt.* 10. Villad. *tract. de irreg. quæſt.* 1. *verſ. Item eſt irregularis*, Richard. 4. *diſt.* 25. *art.* 6. *quæſt.* 1. 2. & 3. Perez *lib.* 8. *ordinam. tit.* 2. *fol.* 26. *pag.* 1. *verſ. confirmatur*, Armil. *verbo infamia, num.* 11. Tabien. *num.* 11. Angel. *num.* 8. & *verbo irreg. num.* 26. Nauar. ſumma Lat. & Hiſp. *cap.* 27 *num.* 204 Ledeſm. 2. 4. *q.* 26. *art* 2. *folio* 364. *pag.* 2. *poſt medium.*

15 Hinc infert gloſſa, & Panorm. cùm quis denunciatur, vel accuſatur, non debere interim promoueri, & idem dum aliquis inquiritur.

16 Nota hic in hac irregularitate ſolum Papam diſpenſare poſſe; niſi quando Epiſcopus diſpenſat ſuper delicto ad quod ſua facultas ſe extendit, acceſſoriè aufert infamiam. Ita fatetur Villad. Nauar. in Hiſp. & Ledeſma infamiam. Ita fatetur Villad. Nauar. in Lat. dicit hoc eſſe verum *vbi ſuprà.* Sed idem Nauarr. in Lat. dicit hoc eſſe verum de irregularitate, quæ naſcitur ex infamia iuris, at in ea quæ naſcitur ex infamia facti, dicit poſſe Epiſcopum diſpenſare, quin etiam per pœnitentiam, & vitæ emendationem tollitur, quia, vt *ſuprà* dicam, per hanc emendam tollitur infamia facti quoad effectus, quos cauſat.

17 Circa hos effectus aliqua ſunt notanda.

Primò nota, quòd vbi crimen, propter quod incurri

Universidad de Deusto
Biblioteca



solet infamia, est occultum, nulla prorsus, siue facti, siue iuris infamia incurritur. Vnde nec talis criminosus erit aliquo actu priuatus, ex his, qui infamibus interdicuntur, sed poterit esse testis, &c. Ratio, quia infamia etiam iuris ex delicto nascitur, *l. cognouimus, ff. variis, & extraordin. cognition.* sicut fama ex bonis moribus oritur: neutrum verò sine publica rerum notitia contingere potest. Ita tenet Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. vltimo, fol. vltim.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 3 num. 2. vers. scribit tamen*, Salic. *l. improbum, C. ex quibus caus. inf. irrog. quæst. 3. num. 4.* contra Paulum Castren. *d. l. improbum, in fine*, tenentem oppositum quoad iuris infamiam.

18 Secundò nota, teneri infames in conscientia abstinere ab his rebus, à quibus repelluntur: nisi priùs se per aliquod remedium ab infamia liberent. Pater, quia lege iusta id cauetur, lex verò iusta seruanda est in conscientia. Non tamen erit semper mortale non abstinere ab his, sed quando delictis adiuncta est irregularitas, suspensio, vel excommunicatio, & quando sequetur notabile damnum, vel iniuria alicui, vel scandalum, vel maxima irreuerentia, & indecentia, & quando collatio esset nulla, in reliquo verò esset veniale, quia non est tam grauis materia. Et potest confirmari, quia Richar. 4. *dist.* 25. quem sequitur Angel. *verbo infamia, num.* 3. dicit infamiam facti non impedire ipso iure ab actibus legitimis, sed requiri sententiam.

19 Vltimò nota infamiam facti posse aliquibus remediis tolli, itavt nullum effectum iuridicum habeat, sed qui infamis erat, & repulsus, idoneus, & habilis red datur. Primò per purgationem canonicam, quæ fit per probationem testium cum iuramento ipsum infamatum purgantium, vt *infrà* dicemus. Ita Tabiena *verbo infamia, numero* 10. Armil. *num.* 10. Secundò tollitur per contrarium factum, & per vitæ emendam *cap. omnes 6. quæst.* 1. Ioan. Andr. *ibi*, Panorm. *cap. ex diligenti, de simonia*, Syluest. *verbo infamia. quæst.* 4. Tabien. Armil. *num.* 20. Angel. *numero* 4. Vltimò, per dispensationem Principis sæcularis in sæcularibus: & Ecclesiasticis in Ecclesiasticis. Sic Panormit. *cap. cùm te, de sentent. & re iud.* Syluest. & Angel. *vbi suprà.*

## DVBIVM VI.

*Quo pacto iuris infamia incurratur, & quomodo tollatur.*

1 NOta quòd infamia iuris differt ab infamia facti, quòd infamiam facti facit ipsum factum, quod de se sinistram opinionem, & communem vocem generat; sed infamia iuris fit ab ipso iure, & ex decreto iuris damnatur homo, ad hoc quòd sit infamis: vnde non tantùm effectus, qui est impedire actus legitimos, est à iure, sed ipsamet infamia, quamuis requiratur delictum ob quod infligitur.

2 Multi ergo casus sunt, in quibus incurritur iuris ciuilis infamia.

Primò si mulier intra primum viduitatis annum nubat, seu luxurietur, contrahit ipsa infamiam, & pater eam nuptui tradens, & vir ipsam scienter in vxorem ducens, nisi de eius mandato sub eius potestate est, vel de Regis licentia ducat *l. 1. & 2. C. de secund. nupt. auth. eisdem, C. de secund. nupt. l. 1. § qui eam. ff. eodem tit. & l. 3. tit. 6. part. 7.* Notat tamen *ibi* Gregor. Lopez *vers. se casasse, & vers. à quel*, hodie nullum istorum incurrere infamiam, quia *lib. 5. ordinam. tit. 1. l. 3.* tollitur hæc pœna quoad viduam contrahentem, & virum, qui eam ducit, & ita ex consequenti est sublata, quoad patrem, cùm mulier non possit de honestate matrimonium contrahere inuitò patre, vel absque eius consensu.

3 Secundò cùm Imperator militi aufert insignia, vel aliquem in exilium mittit, *l. quod ait § ignominiosa ff. de his, qui not. infam.* Ita Sylvest. *verbo infamia, q. 5.* Angel. *n. 5.* Tabien. *num. 2.* Armil. *num 2.* Castr. *de iust. hæret. punit. c. 9. lib. 2.* Idem & generaliùs *l. 4. tit. 6. part. 7.* dicit enim esse infamem iuris infamia militem, qui ignominiosam ob culpam passus est repulsam ab exercitu, & militem causa mercantiæ possessiones conducentem. Idem Gregorius Lopez, & Montaluus *ibi.*

4 Tertiò exercens fœnus improbum, & exigens vsuras. Ita iidem summistæ, & Castrus.

5 Quartò, qui contrahit simul cum duabus, vel simul duas habet sponsas, *quid igitur, ff. de his qui not. infam. & cap. nuper à nobis, de bigam.* Castrus, Sylvest. & summistæ *ibi.*

6 Quintò, qui locauit operas suas, vt pugnaret cum fera: secus si absque pretio causa exercendarum virium pugnauit, *l. 1. ff. de postul. § bestias*, Castrus, Sylvest. & summistæ citati. *& d. l. 4. part* vbi idem etiam dicit de pugilibus, qui scilicet pretio cum alio homine pugnant, & notat *ibi* Gregor. Lopez *vers. por precio*, Montalu. *ibi*

7 Sextò, qui se exhibent ioculatores, & histriones, & faciunt ludos periculosos. Quod intelligitur, si publicè & cum aliqua consuetudine, ad quam duplex sufficit actus, id faciant. Id patet ex *d. l. 1.* & glossa *ibi*, Sylvest. Armil. *vbi suprà, d. l. 4. part.* non tamen explicat requiri consuetudinem, benè tamen explicat requiri publicitatem, & Greg. Lopez *ibi vers. publicamente.*

8 Septimò, qui lenocinium exercent, *l. filias, aut nepotes, l. atheletas, §. ait prætor, ff. de his, qui not. infam* Sylvest. & Summistæ *vbi suprà, & d. l. 4.* vbi latiùs hoc ostendit, damnat enim hac infamia eum, qui domi habet seruas, vel liberas, & eas ob mercedem prostituit.

9 Octauò, qui deprehenditur in adulterio; *l. palam. §. qui in adulterio. ff. de ritu nupt.* Sylvest. & Summistæ *vbi suprà, & d. l. 4.* & *ibi* Gregor. Lopez.

10 Nonò, qui iuramentum non obseruat, *eadem l. 4. partit. ibi*, Gregor. & Montalu.

11 Vltimò, qui peccatum contra naturam commisit, *eadem l. 4.* & notat *ibi* Gregor. Lop. *vers. contra naturam*, hoc non reperiri expressum de iure communi, licèt aliqui id esse de iure communi asseuerarent: at in hac lege reperitur expressum.

12 Nota nullam prorsus requiri sententiam in prædictis criminibus ad incurrendam infamiam iuris; sed eo eo ipso incurritur, (intellige cum limitatione dicta *dubio precedenti*, scilicet quando crimen est publicum.) Ita Gregor. Lopez *d. l. 4 in fine*, & idem docet *ipsa l. 4.* & *ibi* Montaluus, Sylvest. *verbo infamia, quæst. 4.* Angel. *num. 5.* Castrus *lib. 2. de iusta hæret punit. cap. 9.*

13 Secundò nota, quòd Castrus *ibi* connumerat inter infames infamia iuris ipso iure absque aliqua iudicis sententia hæreticos, imò & eorum filios. Quod probat, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis: sed credentes, & receptores hæreticorum, sunt ipso iure infames propter hæreticos, vt patet *cap. excommunicamus, §. credentes, de hæret.* ergo à fortiori ipsi hæretici: sed verùs est, quòd requiratur aliqua sententia, vt dixi *lib. 2. summæ, cap. 26. num. 1.*

14 Deinde sunt alia crimina, ob quæ non incurritur infamia ante sententiam, sed vbi quis de illis condemnatus fuerit. Hæc sunt omnia crimina publica. Vnde damnatus de quouis crimine publico per sententiam diffinitiuam, secus per interloquutoriam, & à iudice ordinario competenti, secus ab vno petenti, vel ab arbitrio efficitur infamis infamia iuris ciuilis, *l. quid ergo, §. ex compromisso, ff. de his, qui not. infamia, & l. 1. ff. eod. tit. & l. 5. tit. 6. part. 7.* & *ibi* Gregor. Lopez, Sylvest. referens Dynum, & Panorm. *verbo infamia, quæst. 5.* Angel. *num. 5.* Castrus *lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 9 paulò post princip.* Sunt autem crimina publica secundùm ius ciuile, illa, quorum accusatio non tantùm personæ, quæ ex crimine illo passa est iacturam, sed cuilibet ex populo competere potest. Sunt enim quædam crimina iure assignata, quæ ob sui grauitatem, ne impunita maneant, possunt à quolibet accusari, vt sunt homicidia, parricidia, adulteria, crimen



crimen læsæ maiestatis. Vnde damnati, vt diximus, de his criminibus, sunt infames. At secundùm ius canonicum, omne crimen dicitur publicum, quia ad publicam spectat vtilitatem, vt nullum crimen sit impunitum, *cap. 1. de cõlluſ. dereg.* iuncta gloss. Vnde consequens est, vt quisquis ab Ecclesiastico iudice de crimine quouis per sententiam diffinitiuam est damnatus (intellige de crimine propter dolum facto, non propter culpam) sit ipso iure infamis. Ita notat hæc omnia Castr. *vbi suprà*, Aretinus *Inst. de suspect. tutor. § suspectus*, Angel. *verb. crimen. §. 6.* Sylu. *ibi, q. 3.* Dolus verò est, vt notat Sylu. *verbo culpa §. 1.* calliditas fallacia, machinatio ad fallendum alterum adhibita, vel circumueniendum, vel decipiendum, & vt notat ipsemet *ibi quæst. 10. & 11.* lata culpa in hac re non æquiparatur dolo, sed requiritur verus dolus; quare iuris ignorantia, quamuis crassa peccans, non est in dolo, bene tamen in lata culpa.

15 Secundò efficitur infamis condemnatus per ordinarium per sententiam directè de falso commisso in officio testificandi: aliud esset si non directè ageretur contra eum, sed vt repelleretur à testimonio, *cap. cum dilectus, de ordin. cognit. l. Lucius. ff. de his, qui not. infam.* Ita Sylu. *verbo infamia, quæst. 9.* Tabien. Armil. *num. 5.* Angel. *num. 10.*

16 Tertiò est infamis Prælatus remotus propter dolum, sicut & tutor. Ita glossa, & Panorm. *cap. licèt, de simonia*, Sylvest. *verbo infamia, quæst. 8.* Angel. *num. 8.*

17 Quartò est infamis condemnatus de proditione, falsitate, furto, rapina, iniuria, dolo, quem intulit. Item accusatus de furto, rapina, vel dolo, si pretio conueniret cum accusatore, vt ab accusatione desisteret, quia eo ipso videtur crimen confiteri. Ita *l. 5. tit. 6. part. 7.* & *ibi* Gregor. Lop. vbi singula confirmat ex iure communi, & limitat lex, si id faceret accusatus propria auctoritate, secus si ex iudicis præcepto.

18 Quintò est infamis damnatus per iudicem ordinarium, vt aliquid solueret ratione doli commissi in societate, tutela, deposito, vel mandato, id est, *haurendalo hecho alguna super sonero.* Ita *eadem l. partita*, & *ibi* Gregor. Lop. probans singula ex iure communi.

13 Sextò est infamis deprehensus in furto, vel alio crimine, de quo damnatus incurrit infamiam. Ita *eadem l. part.* Sed hoc debet intelligi, vt vniuersaliter sit verum (est enim peculiare in adulterio, vt dixi, & docet *ibi l. part. 4.* vbi & Gregor. Lopez) quando vltra deprehensionem ictu fustium, vel alia pœna publica fuit punitus, licèt non sequatur sententia. Ita latè probans Gregor. Lop. *eadem l. 5. vers. faciendo, el furto & vers. porende.*

20 Sed rogas, an confessus in iudicio crimen, de quo si damnaretur, incurreret infamiam, sit infamis. Panorm. & Bart. quos refert, & sequitur Sylvester, *verbo infamia, quæst. 7.* Tabien. & Armil. *num. 5.* Angel. 6. Aretinus & Castrus *l. ictus fustium, ff. de his, qui not. infam.* tenent patrem negantem, cùm enim ius requirat sententiam, non videtur sufficere confessio iudicialis.

21 At verò quòd talis confessio sat sit ad incurrendam hanc infamiam, tenet glossa *d. l. ictus fustium*, & Azo, quem refert, ac sequitur Gregor. Lopez *d. l. 5. vers. en juicio*, & Montaluus *ibi, in fine*, & expresè determinat lex illa quinta.

22 Deinde dicendum est, quo pacto incurratur infamia canonica? incurritur enim in omnibus casibus, in quibus incurritur infamia ciuilis, *cap. omnes 6. quæstion. 1.* Item pro quocunque crimine, & peccato mortali, vnde dum hoc durat, repellitur à testimonio, & ab accusando; sed hæc infamia tollitur cessante peccato, *cap. omnes, cap. infames 6. quæst. 1.* Ita Gloss. *cap. omnes* Panorm. *cap. ex diligenti, de simon.* Sylvest. *verbo infamia, quæst. 6.* Angel. *num. 16.* Tabien. *num. 1. & 9.* Armil. *num. 8.* Gregor. Lopez *l. 4 § vltimo, tit. 6. part. 7.* Sed oportet meminisse, quod notaui *dub. præcedenti*, scilicet infamiam à nullo actu repellere, nisi quando crimen est publicum. Incurritur etiam hæc infamia, quando quis damnatur à iudice Ecclesiastico de crimine facto cum dolo, vt dixi. Vtrimò sunt infames iure canonico omnes, qui suis culpis ad ordines promoueri non possunt. Patet *d. cap. omnes. & ibi* gloss. & Sylu. *vbi suprà.*

23 Tandem videndum est, quo pacto infamia iuris tolli possit, itaut nullum effectum iuridicum habeat deinceps. Tollitur primò per dispensationem Principis, quam potest Papa concedere, quoad sibi subiectos, & Imperator, & Rex non recognoscens superiorem quoad sibi subiectos. Ita Panor. & alij, quos refert, & sequitur Sylu. *quæst. 11. & 13.* Angel. *num. 12. & 14.* Tabien. *num. 6. & 7.* Armil *num. 6.* & quòd id possit Rex, docet *l. 6. titulo 6. part. 7.*

24 Secundò dico, Papam non posse abolere infamiam à laico non sibi subiecto in temporalibus, nisi fortè esset sibi in clericatu necessarius *2. quæst. 3. §. hinc colligitur.* Ita Sylvest. *ibi quæst. 12.* Tabien. *n. 6.* Ang. *num. 13.* Addit tamen Sylvest. quòd licèt hoc non possit de iure, de plenitudine tamen potestatis potest.

25 Tertiò dico, posse Papam abolere infamiam ab omnibus laicis sibi temporaliter subiectis, & ab eis, qui nullius iuri subsunt, & ab omnibus clericis, vt patet, *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Ita Bernard. Innocent. & Host. *cap. cum te, de sent. & re iudic.* Sylvest. Angel. *ibidem*, similiter, teste Sylvestro, tenent Doctores Collegium Cardinalium hoc posse. Sed Panorm. *d. cap. cum te*, Angel. & Sylvest. *ibi*, tenent oppositum, quòd limitat Sylvest. nisi periculum esset in mora expectandi futurum Papam.

26 Quartò dico posse Episcopum aliquando tollere infamiam non directè, sed indirectè, in quantum scilicet potest dispensare in aliquibus criminalibus, ad quæ consequitur infamia, vt criminosus talis promoueatur, & ex consequenti, & indirectè aufert infamiam alia delicta consequentem. Ita Sylvest. Angel. *verbo infamia*, ille *quæstion. 11.* hic verò *q. 12.* Tabien. & Armil. *num. 6.* Villadiego *mat. de irregularit. quæst. 1. item irregularis.* Nauar. summa Larin. & Hispan. *cap. 27. num. 204.* Ledesm. *2. 4. q. 26. art. 2. fol. 364. pag. 1.* crimina verò in quibus potest Episcopus dispensare, sunt adulterium, & eo minora.

27 Quintò dico, illos, quibus per Principes, vt Papam, vel Regem infamia est ablata, non indigere alia dispensatione, vt promoueantur ad ordines, & res Ecclesiasticas, sed posse ablata infamia, modò pœnituerint, promouerì. Ita Panorm. *d. cap. cùm te.* Sylvest. *quæst. 14.* Tabien. *n. 8.* Armil. *n. 7.* Angel. *n. 15.*

28 Sextò dico, tolli infamiam si condemnatus appellet, & sic retractatur prior sententia. Ita *l. 6. tit. 6 part. 7.* ex quo infert *ibi* Gregor. Lopez *vers. el enfamamiento*, pendente appellatione non esse infamem.

29 Vltimò, si seuerior, vel mitior sententia, quam lex mandat, fertur contra criminosum, est immunis ab infamia. Ita eadem lex. Vide plura in Greg. Lopez *ibi*, & nota hoc intelligi de infamia, quæ per sententiam incurri debet, secus de ipsa, quæ ipso iure incurritur, quia infamiam iam inflictam non est iudicis commutare. Notat *ibi* Greg. Lopez *vers. es quinto.*

30 Sed roga, an cùm rex remittit crimen, ad quod sequitur infamia, censeatur etiam infamiam auferre? Breuiter dic, quòd si solius criminis mentionem facit Rex, non censetur abolere infamiam; secus si vtriusque mentionem faciat; vt si dicat, *Remitto crimen ob quod es infamis.* Ita Gregorius Lopez *ibi*, latius id disputans *vers. fama.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De Purgatione.*

DVBIVM. VII.

*Quid sit purgatio canonica, & quando sit necessaria.*

1 REspondetur primò: Purgatio canonica dicitur, quando quis iuxta statum iuris canonici se immunem ac mundum ostendit de aliquo crimine sibi obiecto, & de hac loquetur ius *secunda quæst. 5.* Dupliciter verò fit. Primo modo per iuramentum solum ipsius purgantis, quod aliquando sufficit, vel propter causæ leuitatem, vel propter auctoritatem personæ, & debet seruare in iuramento hanc formam: scilicet iurare se tale crimen non admisisse, nec mandasse, nec consuluisse, nec fauisse nec suo nomine factum ratum habuisse. *cap. si quis viduam, dist. 50. cap. cum ad sedem, de restit. spoliat.* Secundo modo fit per iuramentum ipsius infamati, & simul aliorum ipsum compurgantium, quia nec authoritas personæ est tanta, nec crimen tam leue, vt sat sit ipsius iuramentum, ideò necessarium est iuramentum aliquorum vitæ probatæ, & scientium conuersationem illius, iurantium se credere, prædictum infamatum verum iurasse, se purgando. Horum autem compurgantium numerus non est determinatus, sed iudicis prudentiæ committitur, iuxta qualitatem criminis. Colligitur ex *capite presbyter 2. quæstione 4. & cap. omnibus, & cap. inter sollicitudines, de purgat & cap. quoties eodem titulo.*

2 Item requiritur vltra hoc, quòd dicta purgatio fiat coram iudice, & dicitur etiam quòd si infamatus est apud populum, vel clerum, coram illo debere fieri, *cap. de crimine, 22. quæstione 5. cap. illud 23. distinct. cap. omnibus, 2. quæstione 4.* Sed videtur quòd idem valeat, si facta coram iudice per actum iudicialem postea innotescat.

3 Secundò nota, in quibusdam casibus prædictam purgationem necessariò faciendam ad hoc, vt quis maneat liber à pœna, & infamia. Primò quando quis laborat infamia publica orta ex probabilibus, & apud probos viros, & maioti probatione conuinci non potest: tunc iudex debet compellere eum ad purgandum, *cap. presbyter 15. quæstione 5.* Secundò, quando iudex procedit via accusationis, vel inquisitionis, & non reperit contra aliquem nisi semiplenam probationem, *cap. inter, & cap. omnibus cuatis.* Tertiò, quando ex ipso processu, & actibus contra aliquem remanet vehemens suspicio apud honestos viros: nec sat est apud solum iudicem remanere, & tenet probabilior opinio *dicto cap. omnibus*, in his casibus quando probatio sufficiens deficit, est reo indicenda purgatio, & si legitimè se purgat, debet iudex eum liberare à pœna, & infamia, & denunciare ipsum esse hominem boni testimonij, nam hic est effectus purgationis ritè factæ, *cap. ex tuarum, de purgat.*

4 Tertiò nota, quando homo, cui indicta est purgatio, non rectè eam perficit, sed in ipsa deficit, tunc est puniendus, sed non eodem modo in omnibus casibus; nam si proceditur contra ipsum, maior pœna est illi infligenda, *cap. de hoc, & cap. insinuatum, de simon. cap. cùm P. de accusat.* si proceditur (inquam) via accusationis: quando verò proceditur via inquisitionis, vel denunciationis, vel iudex ex officiò propter infamiam, mitior est infligenda pœna, scilicet arbitraria, *cap. significasti, de adulter. cap. accedens, de accusat.* & *ibi* Panormitan. & Host. Syluester, & alij Summistæ, *verbo purgatio.* D. Anton. 3. *part. titulo 9. capite decimo* ex quibus desumpta sunt dicta de purgatione.

*De causa & sententia iudiciali.*

DVBIVM VIII.

*Quid sit causa iudicialis, & quotuplex.*

1 REspondetur primò. Causa iuridicè dicitur illa materia, & origo actuius negotij, quæ nondum est patefacta discussione, & examine, & ista, quæ causa dicitur, quando proponitur in iudicio, dum discutitur, dicitur iudicium, & cùm definitur, dicitur iustitia.

2 Secundò causa iudicialis est duplex, scilicet Ecclesiastica, quæ ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, vel quia crimen est Ecclesiasticum, vel quia persona est Ecclesiastica: & altera est sæcularis, quæ scilicet ad iudicem sæcularem pertinet. Vtraque causa est triplex. Prima est ciuilis, quando agitur de re aliqua pecuniaria ad vendicationem eius, aut damni, vel interesse satisfactionem, ex *cap. super prudentiam 12. quæst. 2.* Altera est criminalis, quando agitur de aliquo crimine directè ad eius punitionem publicam, & tunc causa est criminalis, & criminaliter proceditur. Et nota, quòd non tantùm criminalis dicitur, quando pœna est corporis, sed quando pœna etiam est pecuniaria, & non applicatur alicui per modum satisfactionis damni, & interesse, sed applicatur fisco per modum pœnæ, & vindictæ publicæ, ita vt per pœnam pecuniariam vindicta publica intendatur, *cap. fratres nostri 16. quæst. 1.* Alia causa est, quæ mixta dicitur, quia partim est criminalis, & partim ciuilis, quæ est quando agitur de aliquo crimine non criminaliter, sed ciuiliter; quia non proceditur ad vindictam publicam, sed ad satisfactionem, & recompensationem damni, & iniuriæ in bonis temporalibus, *cap. tua, de procurator.*

3 Tertiò nota, in causis quasdam esse, quæ fauorabiles dicuntur, & sunt illæ, in quibus in dubio quantum fieri possit est iudicandum in fauorem ipsarum, vt sunt causa matrimonij, libertatis, dotis, & testamenti, *cap. duobus, de re iudic.* Istæ quatuor causæ præ aliis, quæ communiter aguntur inter partes, habent hoc speciale priuilegium. Syluest. & alij Summistæ *verbo causa.*

DVBIVM IX.

*Quid, & quotuplex sit sententia iudicialis.*

1 REspondetur primò, sententia iuridicè est applicatio iuris ad particulare factum, & hæc sententia aliquando dicitur sententia iuris. Quod contingit quando aliquis superior, qui habet auctoritatem condendi leges, facit aliquod statutum super aliqua causa, vel negotio terminando, & facit id in modum perpetuæ constitutionis, & determinando factum simul constituit ius. Dicitur etiam sententia hominis, & hoc est, quod communiter contingit, quando iudex iudicat inter partes determinando, & definiendo causam in odium alicuius mali perpetrati, & hæc solet à multis sic definiri: *Et diffinitio iudicialis controuersiis finem imponens, à competenti iudice pronunciata, continensque absolutionem, vel condemnationem. l. 1. ff. de sentent. & re iudic. & cap. 2. eodem tit.*

2 Secundò nota, quòd sententia iudicialis, vna est interloquutoria, altera diffinitiua. Illa quæ datur non super causa principali, sed super aliis quæstionibus, quæ mouentur inter principium, & finem litis, vt de teste aliquo accipiendo, vel de danda aliqua dilatione: at vocatur sic, quia sola loquutione dari potest, sine scripturæ solemnitate, nam quamuis debeat redigi in scriptis, non tamen est necessarium, vt de scripto proferatur, *cap. significauit, de testib. cap. quod ad consultationem, de sentent. & re ind.* Solet etiam vocari sententia interlo



interloquutoria, omne præceptum ad causam pertinens, factum per iudicem, vel per nuncium eius. Ratio, quia omnis vox iudicis ad causam faciens potest dici sententia largè, & sic cùm non determinet causam principalem, dicetur interloquutoria sententia, & in hoc sensu & propter hunc rationem excommunicatio dicitur sententia interloquutoria: nam quamuis propriè, & in rigore excommunicatio, nec interdictum, non sit sententia, nec in statutis nomine sententiæ intelligatur excommunicatio; quia non impedit finem causæ, quod est proprium sententiæ, sed potiùs quædam pœna, & censura est: at largè dicitur sententia interloquutoria; colligitur ex glossa *auth. de hæretic.* & glossa *2. q 6. §. diffinitiua.*

3 Tertiò nota, quòd sententia diffinitiua dicitur, quia principalis quæstio, & causa diffinitur, & habet plures conditiones requisitas ad eius integritatem, scilicet vt sit condemnatoria, vel absolutoria, quòd sit pura, quòd sit iusta, quòd detur sedendo, non stando, quòd recitetur in scripris, præsentibus partibus, vel citatis, quòd proferatur à iudice, qui ipsam dat, nisi sit Prælatus, vel illustris, quòd proferatur loco publico, & honesto, & die. Hæc & alia requiruntur, quæ ad Iurisperitos pertinent.

4 Quartò nota aliquos esse casus, in quibus non est necessarium sententiam dari, vel proferri in scriptis. Primò quando causæ sunt breues, præcipuè vilium personarum. Secundò, quando Episcopus est, qui iudicat, & inter clericos suos. Item quando Papa per se pronunciat. Item, quando Præses depositò officio, conuenitur de administratione. Item, quando procedit de consensu partium, & in omnibus casibus, in quibus secundùm ius procedit de plano, & sine strepitu iudicij. De quibus omnibus consule summistas *verbo sententia*, ex quibus hæc desumpta sunt.

DVBIVM X.

*Quæ dicatur sententia iusta, vel iniusta? quæ valida, & quæ nulla.*

1 REspondetur primò: Sententia iusta dicitur, quæ datur à competenti iudice ob causam sufficientem, seruato ordine iuris ad bonum, & iustum finem; iusta verò dicitur illa, quæ aliquem defectum patitur: & quia defectus possunt esse plures, & gradus iniustæ diuersi; ideò sententia iniusta, est triplex. Vna, quæ est iniusta iniustitia extrinseca, & accidentali ad ipsam sententiam, & sic licèt iniusta, est valida tam in foro exteriori, quàm conscientiæ, vt quando est iniusta tantùm ex defectu intentionis iudicij, vel alicuius solemnitatis accidentalis, vt quòd sententia non ferarur sub conditione, vt prius agatur, de possessione, quàm de proprietate, vel quando non continet expresè absolutionem, vel condamnationem, sed per verba æquipollentia. *cap. biduum 2. quæst. 6. & cap. in his, de verb. signific.* Alia verò est sententia iniusta, cui aliquid substantiale, & intrinsecum deficit; at in foro extetiori valet, & quantum ad plura, etiam in foro conscientiæ obligat quandiu non cassatur, & reuocatur in iudicio. Et ratio quòd valeat, est, quia eius iniustitia quodammodo latet, & error, & defectus, quia non est manifestus, toleratur: & ob hanc causam præsumitur pro ipsa sententia, & valet, v.g. quando causa in cuius fauorem iudicauit, erat iniusta, quando probatio non erat sufficiens, quando culpa non tam grauem pœnam merebatur: effectus huius sententiæ, est obligari in foro exteriori, & ob id ius præcipit, illi parere, donec per aliam sententiam reuocetur. Item in foro conscientiæ, licèt non in omnibus, tamen in pluribus, tenetur homo illi parere, ad euitandum scandalum. Et de hac sententia dicitur, quòd licèt sit iniusta: at iudex inferior ordinarius, cui committitur à delegato, & etiam [illegible] ministet, cui committitur à iudice, tenentur illam exequi. Hæc habentur *in cap. cùm inter, de sentent. & re iudic. & l. res iudicatas ff. de regul. iur. & cap. 1. 11. quæst. 3.* & habetur ex D. Thom. *2. 2. quæst. 64. artic. 6.* vbi dicit esse obediendum sententiæ iniustæ, quando non continet manifestam iniustitiam, vel intolerabilem errorem, & Soto *de sigillo membr. 3. quæst. 1.* vbi latè contra multos probat talem sententiam non obligare in conscientia, nisi ob scandalum.

2 Alia sententia iniusta est, cui aliquid substantiale deficit, tamen tam clarè, & apertè, vt meritò nec in foro conscientiæ, nec in exteriori aliquid valeat. Et hæc est, quæ dicitur nulla, & est omnis illa, quæ continet manifestam iniustitiam, vel intolerabilem errorem, & hæc non indiget appellatione, nec vt ordine iudiciario reuocetur sed solùm, vt de nullitate constet, ne concipiant scandalum, qui illam nouerunt *cap. inter cæteras, de sentent. & re iudic. cap. per tuas, de sentent. excomm.* v. g. quando lata est contra leges & canones *cap. 1. de sentent. & re iudic. cap. ei, qui appellat. 2. quæst. 6.* Item si sententia condemnat hominem propter factum licitum, vel damnat ad faciendum aliquid inhonestum, & impossibile, tunc si hoc exprimitur in ipsa sententia, est nulla: at si in sententia explicatur factum illicitum, quia per falsos testes & malitiam iudicis fuit illi impositum, tunc non continet errorem ipsa sententia: & si non appellat, transiit in rem iudicatam, quia valet, *dicto cap. per tuas*, & *ibi* glossa *cap. ei, qui appellat. 2. quæst. 6.* Item, quando sententia lata est post appellationem legitimam, de qua constat, est nulla, *d. cap. per tuas.* Item, si non continet, condemnationem, vel absolutionem, cùm sit diffinitiua, *d. cap. ei qui.* Item quando sententia profertur ab eo, quem constat non esse iudicem, vt si ordinarius ferat sententiam contra exemptum. *cap. nullus, de paroch.* Item, quando iudex est suspensus, excommunicatus, vel interdictus, & simul denunciatus, *cap. audiumus, 24. quæst. 1.* Item quando datur contra legitima priuilegia *cap quanda, de priuileg.* Item quando sententia datur contra ordinem iuris, qui est de substantia iudicij, & de quo si deficiat statutum, est in iure vt sententia sit nulla. Hos casus referunt glossa *cap. inter cæteras de sentent. & re iud. & cap per tuas de sent. excommunic. & cap. statuimus, eodem tit. in 6.* Syluest. *verbo sententia, §. 5.* vbi reliqui summistæ. Idem Syluest. *verbo iudicium, §. 5.* & latè *excommunicatio 2. §. 2. & 4 dub. 8.* Nauar. *cap. 27. num. 4.* D. Anton. *3 p. tit. 9. c. 12 & c. 1. §. 1.*

DVBIVM XI.

*Quid sit procedere in iudicio simpliciter, & de plano, sine figura, & strepitu.*

1 REspondetur plura esse, quæ de iure naturæ, & positiuo in iudicij processu seruanda sunt, quæ latè refert D. Anton. *3. p. tit. 9 cap. 16.* & summistæ *verbo litis, & verb. libellus.* Hoc supposito nota, quòd ista verba, *simpliciter, & de plano, sine figura & strepitu iudicij, absque vlla iuris solemnitate*, aliquando ponuntur simul, aliquando verò seorsum, vt si tantùm dicatur, *agatur simpliciter, & de plano.* Quoad hoc ergo, licèt sint variæ sententiæ, at verius est iuxta mentem D. Anton. probatiores in hoc sequentis auctores, quòd, *procedere sine figura iudicij*, est non seruare formam iudicij inductam à iure ciuili; sed tantùm illam, quæ de iure naturali, & gentium necessaria est, & idem est procedere sine vlla solemnitate iuris. *Simpliciter procedere*, est procedere remouendo dolosas, & malitiosas protelationes, & exceptiones, seruando simplicitatem canonicam. *Sine strepitu iudicij*, est procedere seruatis tantùm substantialibus, & remouendo clamorosam garrulitatem partium, & Procuratorum, & Aduocatorum, & omnes cauillationes, & dilationes, & exceptiones frustratorias, & superfluam testium multitudinem, & remouendo alia, quæ licèt debita sunt, sunt tamen accidentalia. *De plano procedere*, dicunt aliqui, esse idem, quod procedere sine strepitu iudicij; ita vt non

Universidad de Deusto
Biblioteca



non teneatur iudex sedere pro tribunali, nec in foro, nec nec in loco publico iudicare, nec seruare alia, quæ sunt de leui solemnitate; alij dicunt esse procedere cognoscendo, ac iudicando veritatem sine solemnitatibus iuris & non seruato stylo iudiciorum D. Ant. 3. p. tit. 9. cap. 5

*De probatione.*

## DVBIVM XII.

*Quæ probatio in iudicio sit sufficiens.*

1 NOta ex Sylvest. & aliis *verb. probatio, in principio*, probationem esse rei dubiæ per aliqua media ostentionem. Est autem duplex (vt notat glossa *l. testium, ff. de testibus, vers. speciem*) quædam plena, id est, perfecta & sufficiens; quædam verò semiplena, id est, semiperfecta. Plura verò sunt, quæ plenam probationem faciunt, vt iudex possit ferre sententiam. Primum testes duo, vel tres omni exceptione maiores (vt *infrà*, vbi de testibus dicitur) *cap. tua, de cohabit.* & per priuilegia. vel instrumenta certa & indubitata, *cap. tua, de excess. in 6.* & per scripturam librorum antiquorum reseruatorum in custodia publica, & fideli, *cap. ad audentiam, de rescriptis*, &c.

2 Secundò nota, probationes esse in triplici gradu certitudinis, & euidentiæ. Quædam est euidentissima, quæ pro materia certissima & indubitata in materia iuris fit, vt est illa, quæ fit per priuilegia, & instrumenta clarissima & indubitata, vel per plurimos, & probatissimos testes. Altera est euidens quæ pro materia certa, & clara moraliter fit, vt illa, quæ fit per testes communes, & in numero sufficienti. Alia est minus euidens, vt est illa, quæ fit per coniecturas, & præsumptiones. Ita notat Sylvest. *verbo probatio, quæst.* 1. vbi reliqui summistæ.

3 Prima conclusio. Quando in causa agitur de vtilitate vnius absque damno alterius, tunc minus euidens probatio sufficit, quæ non sat esset, vbi agitur de damno alterius, v.g. scriptura quæ minus antiquorum librorum est, vel quæ sigilla consumpta habet, vel aliquam fracturam patitur, vel quæ reperitur in loco non authentico, sufficit ad probandum Ecclesiam esse consecratam, infantem esse baptizatum, & alia huiusmodi. Quando verò agitur de notabili præiudicio alterius, non sufficiunt ista, sed requiritur scriptura authentica, & in loco authentico, & cui ab antiquis creditum est. Ita tenent aliqui, quos refert, & sequitur Sylvest. *verbo probatio, quæst.* 2. Armil. *num.* 2. Tabien *num.* 1.

4 Secunda conclusio. In causis ciuilibus, quæ sunt in detrimentum tertiæ personæ, minus euidens probatio sufficit, quàm in causis criminalibus, quæ ad punitionem corporalem alicuius ordinantur, v.g. fama cum vno teste, aut præsumptiones, & coniecturæ multæ verisimiles ad idem tendentes, possunt in causis ciuilibus fidem, & probationem facere: at in criminalibus non sufficit. Ita Bart. quem refert, & sequitur Sylvest. *inquisitio 1. quæst.* 11. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *num.* 26. Idem Simancas, dicens, id etiam esse verum in crimine hæresis, *lib. institit. in nouo tit.* 51. *num.* 3. referens glossam, Alex. Decium, Ioann. de Lignano, Mathes. Ioann. Andr. Dominic. Villadiego, Ioannem Lupum, Angelum *verb. iudicium, num.* 4. Armil. *num.* 5.

5 Vltima conclusio. In causis criminalibus requiruntur probationes luce clariores. Ratio, quia in dubio sanctius est absoluere noxium, quàm condemnare innocentem, *l. sciant cuncti, C. de probat. & l.* 12. *tit.* 14. *part.* 3. vbi Gregor. Lopez, & Montalnus *in principio.* Idem *l.* 26. *tit.* 1. *part.* 7. Tabien *verbo probatio, num.* 5. Palacios Rubios *allegat. in mat. hæres.* § 11. Armil. *num.* 7. Angel. *num.* 1. Sylvest. *quæst.* 7. Excipiunt tamen hi duo summistæ crimen hæresis, & simoniæ, & Iulius Clarus *lib.* 5. *recept. sent.* 5. *fin quæst.* 20. excipit etiam crimen hæresis, assasinij, & simoniæ, sed Simancas *vbi suprà, num.* 2. citans Oldrad. & Anchar. dicit fortiori ratione hoc habere locum in crimine hæreseos, & ita Anton. Gomez *vbi suprà*, plurimos referens, dicit testem oculatum cum semiplena probatione diuersi generis, vt cum indiciis, non sat esse ad pœnam corporalem, licèt testis sit omni exceptione maior.

## DVBIVM XIII.

*An confessio iudicialis facta ab ipso reo valeat pro sufficienti probatione.*

1 NOta primò, quòd confessio iudicialis aliquando valet pro sufficienti probatione, & est multo efficacior, quàm aliæ probationes; & tunc dicitur, nullas esse partes iudicis in confitentem, scilicet partes examinatorias, bene tamen condemnatorias. Ad hoc autem, vt confessio talem vim habeat, multa requiruntur, scilicet, vt reus sit maior 15. annis, & quòd sponte confiteatur, & non meru torturæ, & quòd confiteatur parte aduersa præsente, & coram competenti iudice sedente pro tribunali, & quòd confessus sit rem certam.

2 Secundò nota, in multis casibus confessionem iudicialem non sufficere ad damnandum reum, vt si confessus est propter angustiam tormentorum, vel alicuius carceris: in quo nimis affligebatur; nisi post talem angustiam iam finitam perseueret etiam in confessione eámq; finitam, iam liber à doloribus in loco publico, id est, coram Notario, & aliis confirmat. Sic etiam disponit *l.* 5. *tit.* 3. *part.* 3. vbi notet Gregor. Lopez *vers. conoscere.* Intelligi, quando tortura fuit illata præcedentibus iudiciis: alias enim, licèt perseueret, non præiudicat talis confessio, *l. penult.* & *ibi* Bart. *ff. de quæst.* Simancas, dicens esse omnium, & plures referens *lib. institit. tit.* 65. *num.* 64. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 25. *vers. quinto infero*, Sylvest. *verbo tortura.* Secundò, si semel confessus dicit se erasse, & probat suum errorem ante sententiam. Item si per procuratorem suum est facta talis confessio, & ante triduum reuocat. Item si facta est propter promissionem falsam, & fraudulentam iudicis. Item si facta est de re, quæ naturaliter videtur impossibilis, vel repugnans: vt si frigidus faretur adulterium commisisse. Item si facta sit de re, quæ secundùm ius positiuum est impossibilis: vt si quis Christianus fateatur se Iudæi mancipium. Item, quando confessio proprij criminis præiudicat matrimonio; quia tendit ad eius separationem in damnum alterius consortis. Hæc Sylvest. *verbo confessio iudicialis*, Tabien. Angel. Armil. *ibi*, Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 12. *num. tertio.*

3 Tertiò nota, quòd licèt ad confessionem sponte factam in iudicio non sit necessaria ratificatio; non tamen statim post confessionem est reus condemnandus, sed debet illi signari terminus sufficiens ad suam defensionem. Ratio, quia potest habere aliquam causam excusantem. Bald. quem refert, & sequitur Anton. Gom. *vbi supra.* Alia essent notanda de confessione iudiciali, sed quia ad Iurisperitos spectant, omitto. Consule Antonium Gom. & summistas *vbi suprà*, & latè Simancas *lib. de institit in nouo, tit.* 13. *per totum.* At verò quando probatio delicti non est integra, possit imponi aliqua pœna dixi *suprà lib* 3. *c.* 1. *dub.* 12. per totum.

## DVBIVM XIV.

*Quæ sint indicia sufficientia ad probationem faciendam.*

2 NOta quòd indicium, vt proprium vocabulum iuris canonici, vel ciuilis, & medium quoddam intellectuale veritatis eliciendæ ex aliqua singulari circunstantia insurgens. Vnde idem est indicium, quod coniectura probabilis, *l. indicia, C. de rei vindict.* Est autem triplex, quoddam dicitur leue, cui scilicet communiter contingit abesse veritatem, & si aliud non reperitur, est abiicien-



dum. Aliud indicium est, probabile dicitur, & graue, & est illud, cui communiter contingit adesse veritatem, & vehementer mouet animum ad aliquid credendum, vel dicendum: & hoc etiam indicium dicitur semiplenum, quia semiplenè probat; aliud est, quod violentum, & plenum dicitur, & est illud, quod ita mouet animum ad assentiendum alicui rei, vt in ea tanquam vera quiescat, & plus inuestigare non curet: & hoc facit probationem. Hæc notat Sylvest. *verbo indicium, in principio*, Armil. *n.* 2. Tab. *in principio*, Angelus *in principio.*

2 Secundò nota, ad indicium probandum ad minus requiri duos testes iuramento adstricto, vt notat glossa, & Bart. Bald. & Angel. quos refert, & sequitur Sylvest. *quæst.* 1. Angel. *num.* 1. Armil. *num.* 1. Tabien. *in principio*, Anton. Gomez *tomo* 3. *var. cap.* 13. *num.* 18.

3 Sed dubium est, an indicia violenta, & indubitata, sufficiant aliquando ad ferendam sententiam, etiam in criminalibus. Panormitan. *cap. vestra, de cohabit. num.* 13. pattem affirmantem tenet, & probat ex *l. indicia, C. de rei vindicat. & l. sciant cuncti, C. de probat. & cap. afferte, de præsumpt.*

4 Contrariam sententiam, scilicet, quòd nulla indicia, quantumuis indubita, sufficiant, tenent Gandinus, dicens sic tenuisse omnes sapientes Bononiæ, Hippol. Felim Bald. quos refert, & sequitur Gregor. Lop. *part.* 7. *tit.* 1. *l.* 26. *vers. dubda.* Idem tenent alij innumeri auctores, quos refert, & sequitur Tiraquel. *de pœn. temper. causa*, 27. *num.* 2. 10. & 11. Idem Sarmiento *lib.* 1. *select. cap.* 1. *n.* 8. & probatur, quia ad hoc requiruntur probationes certissimæ, & luce clariores: at indiciis semper subest aliquod dubium, & hæc sententia est multò verior.

*De Tortura.*

## DVBIVM XV.

*An sufficiat vnum indicium ad procedendum in iudicio, vel sint necessaria plura, maximè ad torquendum.*

1 HIc nonnulla de tortura tractanda sunt. Sit prima conclusio. Non in quibusuis delictis, sed in grauibus, & atrocibus, quibus imponenda est pœna corporalis grauis, quando contra reum non inuenitur integra probatio, sed semiplena vnius testis integri, vel aliqua indicia, quæ æquiualeant semiplenæ probationi, tunc reus potest licitè torqueri, si alia via veritas extorqueri ab ipso nequeat. Ratio, quia delicta communiter fiunt occultè, & si non possent per tormenta indagari, plurima delicta etiam scandalosa, & cum maximo reipublicæ detrimento, manerent impunita, & ob spem impunitatis plura fierent, & ideo iure communi hoc remedium torturæ statutum est *l. edictum, ff. de q. & l.* 3. *tit.* 30. *part.* 7. Hæc docet opinio Simancas *lib. institit. in nouo, tit.* 65. *n.* 62. & 63. *num.* 13. 14. 15 & 23. 24. 25. & vt docet *ibi*, talia indicia debent esse probata per duos testes, Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. resol. cap.* 13, *num.* 1. 2 & 7. cum innumeris Iurisperitis, quos *ibi* refert. Et quòd requiratur semiplena probatio, & sufficiat vnus testis dictus, docent etiam Sylvest. *verbo indicium, num.* 3. & *verbo tortura*, vbi Armil. *num.* 1. & *verbo indicium, num.* 2. Tabien. *ibi n.* 1. Angel. *num.* 2. & idem disponit *l.* 3 *tit.* 30. *part.* 7. & *l.* 10 *tit.* 11. *part.* 3.

2 Circa hanc conclusionem nota primò, iudices debere qualitates personarum, criminum, & indiciorum re pensare, quare senes aliter torqueri oportet, quàm iuuenes; timidos, quàm fortes, & atrociora crimina fortiùs, quàm leuiora, Simancas *ibi num.* 62. & 63. Anton. Gomez *num.* 5.

3 Secundò nota, vnum testem omni exceptione maiorem sufficere ad torturam, quando testaretur se vidisse factum; secus si tantùm testaretur indicium, Sylvest. Angel. Armilla, Tabiena *verbo indicium, num. citatis*, Anton. Gomez *num.* 18. Item sufficeret dictus vnus testis, nisi reus esset vir bonæ famæ: si enim talis esset, est necesse, vt alia etiam indicia probentur. Ita Simancas *n.* 23. citans plures Iurisperitos.

4 Tertiò nota non statim vbi semiplenè probatum est delictum, veniendum esse ad torturam, sed dandam copiam reo, & ei concedendam dilationem, vt se defendat. Quòd si defecerit reus in defensione, damnandus est tormento, & sententia est reo intimanda, vt appellet, si libuerit, & appellatio concedenda, nisi manifestè friuola sit. Simancas plures citans *à num.* 16. *ad* 20.

5 Secunda conclusio. Regulariter ad torturam requiruntur indicia, at potest vnum esse tam vehemens vt sufficiat: vt si iuuenis inuentus est cum fœmina in loco secreto apto ad peccandum, &c. Ita plures Iurisperiti, quos refert, & sequitur Sylvest. *verb. indicium, quæstione* 2. Angel. *num.* 2. Tabien *num.* 1. Armil. *num.* 2. & patet, quia aliquando vnum indicium valet pro semiplena probatione.

6 Nota hîc: iudici arbitrio relinqui, an vnum sufficiat indicium, & quæ indicia sint sufficientia ad torturam, Sylvest. Angel. Tabien. *ibi*, Armil. *num.* 3. Gregor. Lopez *l.* 26. *tit.* 1. *part.* 7. *vers. præsumptiones*, citans Bartol. & Bald. Simancas *num.* 22.

7 Tertia conclusio. Solum testimonium eius, qui fuit particeps in crimine, non sat est ad torturam, nisi alia quoque verisimilia indicia vrgeant, *l.* 4. *C. de quæst. cap. vltimo* 11. *quæst.* 3. *vl. im. tit.* 7. *lib.* 2. *legum for.* Bald. Iason, Hippol. Boërius, Blancus, quos refert, & sequitur Simancas *num.* 26. Sylvest. *verbo indicium, quæst.* 5. Angel. *num.* 5. Armil. *num.* 6. Tabien. *num.* 4. & addunt hi summistæ id esse verum siue interrogatus, siue sponte sua id testatus fuerit. Ratio, quia non est testis omni exceptione maior. Ex quo enim in iudicio crimen sum fassus, est infamis, saltim infamia facti. Contrarium tenet Anton. Gom. *tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 18.

8 Quarta conclusio. Confessio criminis extra iudicium dicta, sufficit ad torquendum reum, quia semiplenam probationem facit. Ita plures, quos referunt, sequuntur Anton. Gom. *vbi suprà, num.* 8. Simancas *num.* 27. Sylvest. *verb. indicium, q.* 2. Angel. *n.* 2. Tab. *n.* 1. Iulius Clarus *pract. crimin. libro quinto*, §. *fin. quæst.* 21. quia ideò venitur ad torturam, quia confessionem reuocat, sed dicit oportere probare errorem; intellige cum Simancas, modò plenè probatum sit tale crimen confessum esse. Limita etiam cum Antonio Gomez, & aliis, quos refert, modò in specie confessus sit crimen, vt occidi talem hominem, feci tale furtum; secus si in genere, vt occidi hominem, furatus sum. Item modò confessionem non reuocauerit: licèt Iulius Clarus *suprà*, hanc limitationem reprobet, eam tamen ponit Albert. *de assert. cathol. quæstione* 24. *n.* 22. & dicit non teneri probare errorem, & refert Bald. Felin. & Innocentium.

9 Quinta conclusio. Infamia non sat est ad torturam. Ita Simancas plures referens, & probans, *num.* 36. Sylu. *quæst.* 4. Angel. *num.* 4. Armil. *num.* 5. Tabien. *n.* 3. Gregor. Lopez *l.* 26. *tit.* 1. *part.* 7. *vers. præsumptiones*, licèt contrariam sententiam teneant plures, quos refert, & sequitur Anton. Gomez *n.* 10. quam sententiam dicit Simancas *n.* 37. tunc tantùm veram esse, quando reus vilis & infamatus, & fama orta sit à fide dignis, & legitimè probata.

10 Sexta conclusio. Secundùm plures fuga post admissum crimen ante accusationem est sufficiens ad torturam, secus post accusationem. Ita plures, quos refert, & sequitur Anton. Gomez *num.* 10. Dicit tamen Simancas *num.* 39. non esse hoc omnino verum, sed relinquendum iudicis arbitrio ex variis personarum, & rerum circunstantiis.

11 Septima conclusio. Duo indicia leuia constituunt vnum sufficiens ad torturam. Ita Bart. quem refert, ac sequitur Sylvest. *verbo indicium, quæst.* 2. Tabien. *num.* 1. Alia plura sunt etiam indicia sufficientia, de quibus latissimè

Universidad de Deusto
Biblioteca



tissimè Anton.Gomez, & Simancas *vbi suprà*, vbi plura de hac re.

12 Octaua conclusio. Aliquæ personæ prohibitæ sunt torqueri,scilicet minor 14.annis,nisi leui aliquo tormento ad terrorem. Item senex, qui propter decrepitam non posset pati torturam, nisi leui aliquo tormento, vt minor.Item Doctor, miles, decurio, & omnes eorum descendentes. Item constituti in magna dignitate.Item nobiles,id est, *Hidalgos*. Item mulier prægnans, quandiu prægnans est. Ita latè Anton.Gom.*num.*3. referens plures leges & Doctores. Subdit tamen ob crimen læsæ maiestatis diuinæ,vel humanæ posse torqueri eos, qui propter dignitatem, vel priuilegium sunt prohibiti, non tamen eos, qui propter debilitatem personæ, vel ætatem, vel propter periculum partus sunt prohibiti.

13 Nona conclusio. Iudex, qui non seruatis dictis aliquem torserit, vltra culpam mortalem, tenetur reo satisfacere damnum. Simancas *n.* 21.

14 Vltima conclusio. In his casibus potest reus iterum torqueri, scilicet si euidentioribus argumentis opprimitur, si noua indicia superueniant, si crimen obiectum sit atrocissimum, & indicia indubitata; si reus non fuerit sufficienter tortus.Hæc habentur *l* 4 *tit.*30.*p.*7.docéntque aliqui, quos refert, & sequitur Simancas *num.* 75.&76. vbi cum aliquibus addit plus quàm bis nunquam torquendum esse.

15 His præhabitis, & præambulis requisitis veniendum est ad materiam inquisitionis.

*De inquisitione.*

DVBIVM XVI.

*Quid, & quotuplex sit inquisitio.*

1 NOta primò, quòd inquisitio est inuestigatio criminis,vel peccatoris occulti, quæ fit à Prælato, vel iudice. Differt autem ab accusatione, & denunciatione,quia inquisitio pertinet ad Prælatos & iudices quibus ex officio incumbit peccata inquirere ad puniendum, vel impediendum, & potest fieri per iudices Ecclesiasticos, vel sæculares: in pluribus tamen casibus per illos, quia ius ciuile plura permittit delicta, quàm canonicum, vt latè probat Nauar.*cap. inter verba, corol.* 62.*n.*66.

2 Secundò nota, quòd duplex est inquisitio, scilicet generalis, & specialis: illa est, per quam superiores in locis sibi subiectis inquirunt in genere, an sint delicta, & peccata, & an sint aliqui delinquentes, absque hoc, quòd explicent personam in particulari, vel crimen: inquisitio specialis est, qua inquiritur de aliquo peccato in particulari, quisnam illud perpetrauerit, vel de aliquo peccatore in particulari, an aliqua crimina admiserit. Et licèt Iurisconsulti alias diuisiones de hoc tradant, at sub hac comprehenduntur: nam quam vocant generalissimam, quia de tota prouincia inquiritur, nos generalem dicimus;& quam vocant mixtam ex generali & speciali, vt quia inquiritur de delicto determinato, & persona in genere, nos hanc specialem dicimus.Hanc diuisionem statuunt Panorm.*cap.qualiter el* 2.*de accusat.* Sylvest.*verbo inquisitio*,§.1.vbi & cæteri summistæ, Sotus *de sigillo, membr.*2 *quæst.*6.D. Anton. 3.*p.tit.*9.*cap.*6.

3 Tertiò nota, inquisitionem posse fieri ad triplicem finem. Primò ad puniendum peccatorem propter bonum publicum. Secundò ad impediendum aliqua mala,ne sequantur. Tertiò ad impediendum ne indigni ad ordines, vel dignitates promoueantur, Glossa *dict. cap. qualiter*, Sylvest.*vbi suprà*, *quæst.*4. Sotus *vbi suprà*.

4 Quartò nota, dupliciter moueri iudicem ad inquisitionem faciendam, scilicet, vel ex officio suo, & proprio motu, propter generalem obligationem, quam ex officio habet, ex denunciatione alicuius officialis publici,vt promotoris,vel priuatæ personæ, *cap. cùm oporteat, de accusat.*Sylvest.*verbo inquisitio*,§.4.& glossa *vbi suprà*, quæ benè notat denunciatorem, in via inquisitionis non esse accusatorem; quia non compellit iudicem, sed eius officio relinquit, licèt aliquando probare teneatur,& sic quando dicitur in via inquisitionis esse accusatorem, vel intelligitur de denunciatione, vel iam cessásse inquisitionis viam,& transisse in accusationem.

DVBIVM XVII.

*An necessarium sit ad inquisitionem de aliquo delicto faciendam præcedere infamiam,vel sat sint indicia.*

1 IN hac re certum est, quòd quando inquisitio est generalis, non de aliquo delicto, nec de aliquo peccatore in particulari, non est necessaria infamia: sed potest iudex ex officio suo sine accusatore, & denunciatore, inquirere an sciant de aliquibus delictis, & delinquentibus, de quibus possint secundùm ius denunciare, vel testificari Patet *l.congruit, & l.præses,ff.de offic.præs. & cap.* 1.*de off.ord.& cap.placuit, & cap.relata* 1.*quæst.*1. Ita Siman.*de instit.tit.* 44.*num.* 7. Anton.Gomez *tom.*3. *var.cap.*1.*num.*49.*vers. Item principaliter*, Nauar. *c inter verba, corol* 62.*num.*654. summa Lat. & Hisp.*cap* 18.*n.* 38.Sylvest.*inquisitio* 1.*q.*4.*dicto* 3.Tabien.*ibi in principio*, Armil *num.*1.Angel.*n.*1.Sotus *lib* 5.*de iust.q.*6.*art.*2.*concl.*5.*& lib.de secreto membr.* 2.*quæst.* 6.*dub.vlt. concl* 2. Panorm.*cap.qualiter, el* 2.*num.*11.*de accusat.* Ratio, quia inquisitio generalis non fit ad partis petitionem, sed etiam ex mero officio tenetur Prælatus singulis annis facere,vt habetur *c. cùm venerabilis de consib. & c.Romana, eodem tit.in* 6.& docet Sylvest.Panorm.Tabien. ibidem.

2 Verùm de inquisitione particulari est difficultas, & probo non requiri infamiam: nam si Petrus denunciatur superiori, vt patri, & post secretam monitionem rebellis extiterit, potest superior, si duo sint delicti testes,ipsum conuincere, ac demum punire, vt *suprà* dictum est, & tamen iste laborat infamia; ergo. Duplex est sententia.

Prima tenet sat esse infamiam, vel indicia vrgentia, & manifesta ad inquirendum specialiter. Huic sententiæ videtur adhærere D.Thom.2.2.*q.* 69.*art.*2.*corp.* vbi dicit sufficere infamiam, vel indicia manifesta ad procedendum contra aliquem, & tenet expresè Sotus *lib.* 5.*de iust.quæst.*6.*art.*2.*concl.*5.*& vers. hæc de infamia, & lib.de secreto, membr.*2.*quæst.*6.*dub.*1.*vers.* at verò, *& dub.* 3. *vers.quòd si quis arguat*, Alciat. *cap.* 1.*de offic.ordin.n.*42. Gregor.Lopez *l.*2.*part.* 3.*tit.* 17.*vers.fictio, & l.*3.*vers. assi como*, Anton. Gomez *lib.* 3.*variar. cap.*1.*n.*49.*notat.* Bart.*l.congruit,ff.de offic.præs.n.*3. Angel.*práct. maleficiarum, in parte:fama publica,colum.* 1. Palacios *verbo iudex.*

3 Secunda sententia tenet non sufficere indicia,sed requiri infamiam. Sit

4 Prima conclusio. Ad procedendum via accusationis, scilicet quando est aliquis, qui tanquam actor accusat, sufficit semiplena probatio, vel indicia manifesta, quæ huic æquiualeant. De hac conclusione latiùs *infrà*,*& suprà*, vbi de accusatione, Sic Sylvest. *inquisitio* 1.*q.*4. *dicto* 2.*&* 3.Corduba *summa, quæst.* 64.*paulo post princip.* Sotus *membr.*2.*q.*6.*dub.*3.*vers.quòd si quis arguat.*Nauar. *cap.inter verba, corol.*48.*num.*581. & pro hoc explicatur D.Thom. allegatus pro prima sententia. Dum enim dicit sufficere ad procedendum indicia, cùm non explicet de quo modo procedendi loquatur, intelligendus est de accusatione, etiam dicit *ibi* sat esse semiplenam probationem,quæ secundùm omnes non sat est ad inquisitionem.Ita explicant D.Thom. Nauar.& Sylvest. *vbi suprà*, & quoad illam partem, quod sat sit semiplena probatio eodem modo explicat illum Sotus *vbi suprà*.

5 Secunda conclusio. Ad inquisitionem specialem faciendam non sufficiunt indicia, sed requiritur infamia. Hæc est contra Doctores primæ sententiæ. Probatur ex *cap.cùm oporteat, de accusatione*, vbi dicitur. *Mandamus, quòd*



*quòd nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem non procedatis*,vbi glossa *vers.famam.* dicit requiri infamiam ad inquisitionem, & *cap. inquisitionis eodem tit.*§.*testis*,idem asserit; imò additur,quòd etiamsi duo, vel plures iurati affirment aliquem ipsis videntibus commisisse crimen, si infamia non sit, nulla pœna delinquenti est infligenda. Quod idem fatetur Sotus *lib.*5.*de iust.q.*5.*de iust.q.*6.*art.*2. *post quintam conclusionem,vers.sunt autem*, & Nauar.*cap. inter verba*, *corol.* 48.*num.*579.*&* 580. Caietan. 2.2.*q.*69.*art.in principio*, & Panormitan.*d.* §. *tertiæ*, *num.*1. At plures quàm duo testes iurati plus valent in iudicio, quàm indicia, vt constat ex dictis *suprà*, vbi de indiciis, *& cap.qualiter,el.* 2.*de accusat.* vbi dicitur manifestè colligi ex illis auctoritatibus Lucæ 16. *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ*,& Genes.18. *Descendam, & videbo,virũ clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*, manifestè (inquam) colligi, requiri ad inquisitionem, vt fama ab honestis orta ad aures superioris peruenerit, & ita glossa *d. cap. qualiter.vers.ad inquirendum*, tenet requiri infamiam. Idem etiam definitur *eodem tit. cap. qualiter. el* 1. & Glossa *ibi,vers.exceptis*,& idem habetur *cap. Deus omnipotens* 2.*q.*1.*& cap.licèt Heli, de simon.* & glossa *ibi vers.in scriptio*.Et probatur ratione; quia iudex procedere nequit sine accusatore, vel aliquo vicem accusatoris gerente, vt *suprà*, vbi de accusatione dictum est: at in delictis quæ non sunt in damnum tertij, sola infamia habet vicem accusatoris, vt *suprà* dictum est. Insuper hanc conclusionem tenent plures asserentes infamiam requiri ad inquirendum.scilicet D.Thom.*infra quæst.*70. *art.*1.*corp.*Caietan.*quæst.*69.*art.*2 *initio glossæ citatæ*. Tabiena *verbo inquisitio,in principio.*Armil. *num.* 1. Angel. *num.*1.*&* 2. D.Anton.3.*p.tit.*9.*cap.*7.§.1.*fine.*Felinus *d. cap.inquisitionis* §.*tertiæ*,*num.* 10. Panorm. *ibi num.* 2.*& d.cap.qualiter,el* 2.*num.* 1.*&* 9. Innocent.*d. cap.qualiter, el* 1.*num.* 3. Perez *lib.*8. *ordinam. tit.*4.*fol.*131. Simancas *lib.instit.tit.*44.*num.*8.Hippol.*consil.*53. Gratus *lib.*2.*consil.*59.Viguer.*lib.inst.cap.*12.§.2.*vers.*10.*secundus modus.* Insuper aliqui docent expresè non sufficere indicia, impugnantes Sotum. Sic Nauar. vtraque summa *cap.*18.*n.* 58.Nauar.*cap. inter verba*, *corol* 48. *num.* 579.*&* 580. *&corol.* 62. *num.*670. Corduba *lib.*1. *quæst.q.*43.*dub.*1. *vers.sed vtrum prædictum*, *& in summa q.* 94.*paulò post, principium*,& etiam expresè Sylvest.*inquisit.*1.*q* 4.*dict.*1. & 3. ponit enim differentiam inter processum per accusationem, & per inquisitionem, quòd ad illum probatio semiplena, vel indicia sat sint; ad hunc verò sola infamia sufficiat.Idem Nauar.*lib.*2.*de rest.it.cap.* 4.*num.*159. & multi docti recentiores Magistri.

6 Tertia conclusio. Quando indicia non tantùm particularibus personis nota sunt, sed populo, itavt de illis sit infamia, potest aliquando fieri inquisitio. Ratio, quia iam illa indicia faciunt aliquam infamiam:& licèt infamia non sit integra;tamen in multis casibus, vbi id necessitas, & periculum exigit, sufficit arbitrium boni iudicis.Et in hoc sensu prima opinio *suprà* posita est vera. Ita Nauarr. *cap.inter verba*, *corol.*62.*num.* 668. referens Iurisperitos. Idem tenet Innocent. *cap. licèt Heli*, *de simon.* Sylvest. *inquisitio* 1.*quæst.* 8.& sic Sotus per indicia manifesta,quæ dicit sat esse,intelligit, id est, publica; dicit enim æquialere infamiæ.

7 Quarta conclusio. Ad procedendum contra Prælatum sæcularem oportet,non solùm esse infamiam, sed eam tantam esse, vt sine scandalo, & periculo tolerari non possit: sine scandalo(inquam) vt quia infamatur de incontinentia: vnde magnum suboritur scandalum in subditis sine periculo, vt quia infamatur de dilapidatione,& timetur dilapidaturum bona Ecclesiæ, vel de hæresi. Conclusio est expressa *cap.qualiter el.*2. *de accusat.* tenet Panorm *ibi num.*9.Host.*tit.de inquisit. num.* 4. Perez *lib.*8.*tit.*4.*fol.*130 Sylvest.*inquisitio* 1.*q.*4.*dicto* 1. Tabien.*in principio.*Armil.*num.*1.Angel.*num.* 2. D. Anton. 3.*p.tit.*9.*cap.*7.§.3. Nauarr.*cap.inter verba*, *corol.*62. *num.*669.Sotus *memb.*2.*quæst.*6.*dub.*3.*vers.ad hoc.*

8 Vnde ad argumentum in principio factum respondetur,quòd illa rebellio habet accusatoris vicem; quare tunc per accusationem proceditur, atque ideò sat sunt duo testes,vt *suprà* dictum fuit.

DVBIVM XVIII.

*An sit de iure naturali, vel diuino, vt ad inquisitionem non procedatur absque infamia.*

1 QVòd sit de iure diuino, videntur probare auctoritates Scripturæ, quas *cap.qualiter* affert ad hoc probandum, vt dixi *dub. præcedenti*. Quòd verò sit de iure naturali, videtur probare ratio *ibi* allata, scilicet iudicem non posse procedere si accusatore, cùm sit quasi iustitia animata, quæ ius inter duos constituere debet,& tenet Nauarr.*lib.*1.*de rest.cap.*4.*num.*159.

2 Sit conclusio. Licèt valdè consonum sit iuri naturali, diuino, vt ad inquisitionem non procedatur absque infamia:at propriè solùm est de iure humano. Patet, quia nullum est tale præceptum in sacris literis, & testimonia tantùm explicant factum diuinum conforme rationi naturali. Nec ratio etiam concludit; quia posset lex ex iusta causa statuere, vt testimonium duorum, vel trium vicem gereret accusatoris, sicut id statuit de infamia. Ita Sotus *membr.*2.*de secreto*, *quæst.*6.*dub.*2. Nauar. *cap. inter verba*, *corol.* 50. *num.*587. & nonnulli recentiores docti. Hinc infertur cum Soto, posse Papam in Ecclesia, & Principem in foro suo pro magna causa statuere,vt vbi sunt duo testes, inquiratur, &c. vt si essent frequentissimi criminosi, vel grauissimum scelus:at Prælatis, & iudicibus inferioribus nullo modo licet, nisi in casibus expressè exceptis à lege,de quibus *dubio sequenti*. Item infertur consuetudine posse induci oppositum; sic prædicti iuniores.

DVBIVM XIX.

*An sint aliqui casus excepti in iure,in quibus non sit necessarium præcedere infamiam ad inquisitionem.*

1 NOta aliquos casus esse huiusmodi, quos refert Bart. *l.*2.§.*si publico*, *à num.* 7.*ff.ad leg. Iul. de adult.* & Anton. Gomez *tom.*3.*variar.cap.* 1. *à num.* 49. Sed non explicant hi Doctores posse in his procedi absque infamia, sed posse in his inquiri. At Anton. Gom. apertè innuit posse inquiri absque infamia: nam priùs refert istos casus, in quibus potest inquiri, & tandem *num.*49 *notab.*9. concludit in omni delicto posse inquiri præcedente infamia. Vnde docere videtur, in casibus *ibi* relatis posse etiam absque infamia: casus verò isti, in quibus absque infamia procedi potest, sunt sequentes.

2 Primus casus est, quando in inquisitione non intenditur condemnatio, vel pœna inquisiti, sed cuitatio erroris, vel damni; vt cùm inquiruntur merita personæ, ne indignus assumatur ad ordines,vel beneficium, vel ne confirmetur, vel impedimenta matrimonij, ne inhabiles contrahant, *cap.cùm in multis,& cap.cùm dilectus, de elect.cap fin.de clandest. desponsi.* Hic casus certus est, & illum docet Sotus *d.q.*6.*concl.*3.*casu* 1. Sylvest. *inquisitio* 1.*q.*4 *dicto* 3. Tabien. *ibi in principio.*Angel.*n.* 1. Armil.*num.*1. Nauar.*cap.inter verba,corol* 62.*num.*663.Panorm. *cap.qualiter el* 2.*de accus.num.* 11.vbi notat glossa Panormitani *verbo inquisitio*,quòd licèt contra iam promotum non possit procedi absque infamia, vt dixi *dub.* 17.*concluſ.*4 at contra promouendum potest; vt docent etiam Anton.Innocent.Ioan.Andr.& Panorm. *cap.*10. *de post.prælat.*

3 Secundus casus est quando quis proprium crimen fassus est; tunc enim potest absque infamia procedi. Sic Sylvest.*inquisitio* 1. *q.* 4. citans Archidiaconum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



& Angel. de Perusio. Tabien. *ibi in principio.* D. Anton. *3.p.tit.9.cap.7.§.3.*

4 At hic casus non est certus, atque ita Sotus *vbi supra casu* 2. dicit esse intelligendum, quando quis in publico coram multis crimen proprium confitetur: nam si coram vno, vel duobus, vel etiam coram Prælato lapsu linguæ vel alio modo spontè fateretur, vel si Prælatus aperiret subditi literas, quibus proprium fateretur crimen, non ideo potest inquirere, sed tantùm fraternaliter corrigere.

5 Cæterùm in hoc casu duæ conclusiones tenendæ sunt.

Prima conclusio. Quando confessio coram Prælato, vel coram aliis est extraiudicialis vera est sententia Soti, scilicet requiri, vt possit inquiri, vt facta fuerit coram multis: nec etiam id sufficit, nisi inde oborta esset infamia; tunc enim posset inquiri, non ratione confessionis, sed ratione infamiæ. Sic Nauar. *corol.62.n.671.& 672.*

Secunda conclusio. Si confessio illa esset iudicialis, sufficeret, licèt non fieret coram multis. Ratio, quia talis confessio notorium facit, vt *supra* dictum est: at notorietas cùm plus sit, quàm infamia, sufficit ad inquirendum. Nauar. *ibi, num.671.* nec est contra Sotum, quia clarè loquitur Sotus de confessione extraiudiciali. Hoc limitat Nauar. *ibi.n.673.* nisi tormentorum metu, vel ob detentionem carceris iniustam facta esset: non enim talis confessio sat esset, nisi post ratificata esset.

6 Tertius casus, quando iudex procedit non ad instigationem alterius, sed ex mero officio, siue voluntariè, siue, ex officij necessitate coactus. Sylvest. *d.q.4 dicto 2.* Tabien. *verb.inquisitio, in principio, & verbo inquisito, n.7.* D. Anton. *vbi sup. à* Bart. *vbi supra*, & communis, vt testatur Nauar. *vbi infra.*

7 At hic casus falsus est, licèt enim tunc iudex possit inquirere generaliter: at non specialiter, aliàs omnia delicta quantumuis occulta, possent enim per inquisitionem indagari, & puniri: posset enim tunc ex mero officio iudex procedere. Sic Nauar. vbi *supra num.673. & 674.* Anton. Gomez *tom.3.c.1.n.49.notab.9*

8 Quartus casus est, quando iudex, vel Prælatus in inquisitione generali comperit aliquos esse delinquentes, potest tunc ad specialem inquisitionem descendere sine infamia. Patet, quia aliàs frustra fieret inquisitio generalis quoad aliqua delicta. Ita tenet Nauar. citans Aretinum, & dicens esse commune iurisperitorum placitum, *corol. 61. num.648.* Idem dicens esse generalem totius orbis consuetudinem *corol.62.n.677.& 678.* Idem Bart. *vbi supra.* Anton. Gomez *vbi supra, versic. item principaliter*, referens plures, & D. Anton. *vbi supra* §. 2. Sylvester *inquisitio 1. §. 2.* Sed Bartolus. Sylvest. D. Anton. & Anton. Gomez non expressè dicunt non requiri tunc infamiam ad inquirendum specialiter, sed dicunt non posse Prælatum per ea, quæ inuenit in inquisitione generali, punire delinquentem, sed statim veniendum esse ad specialem, vbi sententiam positam innuunt.

9 At probabilius est, non posse tunc inquiri specialiter, etiamsi delictum probari posset, nisi de illo esset infamia, vel esset in damnum alicuius, vt post dicam. Ratio, quia *cap. qualiter inquisitionis*, & cætera generaliter docent requiri infamiam, & talis exceptio nullo iure probatur. Item, quia sic facilè de omnibus delictis posset specialiter inquiri, incipiendo à generali inquisitione. Sic Perusinus, quem refert Nauarr. Idem Sotus *vbi supra casu* 5. vbi addit, quod si flagitiosus repertus in generali inquisitione esse Prælatus, priuari posset officio, propter periculum regiminis.

10 Quintus casus est propter incidentem cognitionem, vt si iudex inquirendo vnum crimen detegit aliud potest de illo inquirere. Hunc casum limitat Sotus *vbi supra casu 4.* dummodo delictum, quod inuenit, sit circunstantia illius, quod cognoscit iudex: vt si quis iudex inquirat de concubinatu famoso, & incidenter nouit, concubinam esse monialem, vel consanguineam, potest inquirere de ista circunstantia. Item quando peccata ita sunt annexa, vt vnum sit indicium alterius, vel non possit perfectè sine alio, vt si quis sit infamatus de homicidio, & inueniatur cadauer spoliatum, inquiri potest an spoliauerit. Si tamen crimina sint omnino disparata, tunc incidens cognitio occulti criminis non dat ius inquirendi, vt si dum quis inquiritur de concubinatu, inueniatur occultus homicida.

11 At verò Nauarr. *d.corol.62. num.675. & 676.* tenet, quòd licèt crimina sint omnino disparata, potest iudex si inquirendo vnum crimen, detegit aliud, de illo inquirere, & dicit esse communem iurisperitorum sententiam, & probat ex *l.quod euitandi.C.de condict.ob turp.& l.penult.C.si aduersus libert.* vbi iubetur iudex, vt si inquirens de debito pecuniario inueniat aliud delictum, illud puniat.

12 Sed probabilior est prior sententia; quia iura canonica expressè docent, & est nimis conforme iuri diuino, & naturali, vt inquisitio non fiat, nisi de illis criminibus, quæ infamia laborant; ergo ab hoc non est recedendum absque expresso textu: sed huiusmodi non sunt leges, quas refert Nauar. quia debent intelligi iuxta ius canonicum; quando delictum illud incidenter inuentum laborat infamia, vel quando est circunstantia, vel vnum est indicium alterius.

13 Sextus casus, quando iudex procedit ad denunciationem publici officialis, id est, fiscalis, tunc enim potest procedere absque infamia. Ita Sylvest. *inquisitio 1. quæst.4. dicto 2.& 3.* Tabien. *ibi in principio.* Angel. *n.1.* D. Anton. *3.p. tit.9. cap.7.§.3.* Panormitan. *cap. qualiter el 2.de accusat.num.12.* Gregor. Lopez *l.2. tit.17.part.3. vers. fecho, & l.3.vers. assi como* Bartol. *l.congruit.ff.de offic. præsid.num.4.* Anton. Gomez *vbi supra, notab. 2.* plures referens probat ex *l.ea quidem, C.de accusat.* vbi habetur, quòd ea, quæ per officialem publicum denunciantur, circa solemnitatem accusationis cognoscantur.

14 At dicendum est hoc esse verum, quando denunciat crimina notoria, vel famosa: tunc enim ad inquirendum non requiritur alia infamia. Si tamen denunciaret crimina non publica, & in nullius præiudicium vergentia, tunc non posset fieri inquisitio absque infamia, sicut si denunciaret persona priuata. Ita Sotus *vbi supra, casu 3.* Nauar. *corol.62.num.666.* & idem expressè Sylvest. Panorm. Tabien. Angel. *vbi supra*, post quam enim dicunt posse ad publici officialis denunciationem inquiri, subdunt, sed non denunciat nisi notoria.

15 Septimus casus, quando crimina sunt in præiudicium tertiæ personæ, etiam priuatæ, & à fortiori si sunt contra bonum commune; talia enim crimina, si sunt in fieri, & damnum pendet in futurum, quomodocunque cognoscantur, inquirenda sunt, & coërcenda. Ratio, quia ius naturæ fauet innocenti, & petit, vt quouis modo damnum ipsius cognoscatur, caueatur. Item, quia dum iura dicunt inquisitionem fieri non posse absque infamia, intelligunt de crimine præterito, quo inquiritur punitionis gratia: secus si inquiratur ad euitandum futurum damnum. Ita Sotus *vbi supra casu vltimo, & infrà paulo ante solutionem ad primum argum.* Innocent. *c.licèt Heli de simon.num.1.* Nauar. *cap.25. num.26. & corol. 62. num.663.* Addit tamen Sotus *in fine solutionis ad 2.* non licere inquirere hæc delicta solùm punitionis gratia absque infamia.

16 Nota idem etiam docere plures Doctores in crimine hæresis, scilicet, posse in illo inquisitionem specialem fieri absque infamia propter indicia, præsumptiones, & suspiciones verisimiles, *cap. excommunicamus, §. adiicimus, de hæret.* Ita Cardin. Ioann. Andr. Felin. Domin. Philippus, Francus, Baldus, Bart. Alciat. quos refert, & sequitur Simancas *lib.instit.tit.44.num.9.* Tabien. *verbo inquisitor.num.7.* Armil. *ibi num.9.* Sylvest. *inquisitio.1. q.8.* Vide casum sequentem.

Octauus



17 Octauus casus propter atrocitatem criminis, vt in crimine læsæ maiestatis, vt si Princeps esset percussus, crimine hæresis, &c. tunc enim absque infamia, & manifestis indiciis posset inquiri quicunque esset suspectus de tali crimine. Sotus *vbi supra, casu 6.* & patet ex *extrauag. ad reprimendum.* Nauarr. citans Innocent. Bald. Aretinum. *corol.62. num.686.* & addit id esse verum per illam extrauagantem, etiamsi damnum non pendeat in futurum, nec habito respectu ad futurum. Anton. Gomez *vbi supra notab.5.* plures referens, & numerat inter ista atrocissima, falsarium monetæ, & sodomitam. Subdit etiam Sotus eadem ratione addi à Iurisconsultis, idem esse dicendum quando facinus esset admissum contra Episcopum, vel aliam personam huius ordinis, vel quomodocunque esset crimen atrocissimum. Quod forsan (inquit) verum est, nam cùm non sint adeò de iure naturæ ad inquisitionem requisita infamia, vel indicia, potest in hoc ad rationabilem causam dispensari.

18 Nonus casus quando crimen commissum esset in iudicio, vel in iudicis conspectu, & afferuntur exempla de calumniatore, de falso teste, de iniquo tutore. Nauarr. *in nouo cap. inter verba. corol. 63. num.201.* ponit exempla, quando testis iniquè deponit, aut pars chartis, instrumentis, aut testibus falsis vtitur, aut calumniatur, aut ob pecunias à recta accusatione discedit. Ita Bart. *l.2.§ si pupillo, num.11.ff. ad leg. Iul. de adult.* & communis *ibi*, vt refert, & sequitur Anton. Gomez *vbi supra, notab.4.* & Nauar. *corol.62.nnm.681. & infra*, dicens contra Sotum, rationem esse propter magnam offensionem, quæ fit iudici peccando coram ipso. Vnde *num.682. in 3. monito* dicit, quòd licèt nulli esset nociuum crimen, idem est dicendum.

19 At Sotus *vbi supra* casu vltimo dicit non esse rationem huius atrocitatem criminis, sed quia illa peccata sunt in damnum tertij. Vnde iuxta ipsum si non essent in damnum tertij, non sufficeret facta esse in iudicis conspectu, & hæc sententia est probabilior, quia leges, quas oppositi pro se citant, exemplificant & loquuntur in criminibus nociuis tertio.

20 Vltimus casus. Potest fieri inquisitio contra seruos domus, in qua inuenitur dominus occisus absque infamia, *l.1. in principio, & §. occisorum. ff. ad Silan.* & contra nautas nauis, quæ submersa est, *l.quoties, de naufrag. lib.11 Cod.* quia hos omnes in hisce casibus habet lex, vt suspectos, Ita Nauarr. *corol.62.num.667.*

## DVBIVM XX.

*An vbi delictum est notorium, peccator verò occultus, vt si inueniatur homo mortuus, & ignoretur à quo possit iudex inquirere quis fecerit.*

1 RAtio dubitandi, quia nulla habetur peccatoris infamia. Duplex est sententia.

Prima asserit non licere, etiam in genere inquirere, quis fecerit. Ratio, quia canones exigunt, vt peccator sit infamatus. Patet *cap. cum oporteat, de accusat.* nisi super prædictis famam ipsius (scilicet peccatoris) læsam esse noueritis, &c. & *cap. inquisitionis, eod. tit.* dicitur nullum esse super crimine, de quo aliqua non laborat infamia, puniendum. Item, quia canones illi intendunt consulere famæ delinquentis occulti: sed licèt crimen sit notorium, dum delinquens manet occultus, est illæsa fama; ergo Ita tenet Caiet. *2.2.q.69. art.2.vers. sed.occurrit.* Sotus *lib.5. de iust. quæst. 6.art.2.* post quintam conclusionem, & *lib.de secreto.membr 2.quæst.6. dub.4.* Glossa *l.primus, ff. ad senat.consul.Silan.vers. prius*, vbi dicit necesse esse ad talem inquisitionem vt saltem indicia ipsius peccatoris præcedant. Subdit tamen Sotus duo. Primum est, forsan posse tunc iudicem indicia inquirere, vt qua hora fuerit occisus, & quibus armis, & similia, & si illa indicia aliquem in particulari infamia denotassent, posset de illo inquisitio fieri. Secundum est, excipi ab hac sententia omnes casus, in quibus non requiritur infamia ad inquirendum, quos ipse notat *eodem membr.2. q.6. conclus.3. post dubium vltimum*, in illis enim (inquit) liceret tunc inquirere.

2 Secunda sententia docet, licere tunc inquirere in genere, quisnam perpetrarit delictum: non tamen in specie, an iste, vel ille, donec sit infamatus. Ratio, quia euidentia patrati criminis locum habet accusatoris, sed dum est accusator, potest absque infamia inquiri; ergo. Item, quia ita receptum est fieri consuetudine generali totius orbis testibus. Innocent. & Nauar. *vbi infra*, quæ consuetudo rationabilis est, ne plura delicta maneant impunita. Ita docent Bart. *l.2.§. si publico, num.17.ff. ad leg. Iul. de adult.* Innocent. *cap. bonæ, de elect.n.5.* Panorm. & Immola *ibi, num.5.* Nauarr. vtraque summa, *cap.18 n.38. & cap. inter verba, corol.50.num.586. & 587.* dicens esse sententiam omnium iurisperitorum. Cordub. *in summa, quæst. 64. paulo post principium, & membr.2.quæst.6. super. concluf.1. dub.4.* dicens Metinam in suis lectionibus tenuisse etiam contra Sotum Gerson. *Alphab.34. litera Q.* Sylvest. *verbo correctio, quæst.8 & inquisitio 1.q.3. §.3.* Idem videtur apertè approbare *l.2. & 3, tit.17.part.3.* & docet *ibi* Gregor. Lop. *vers. assi como, & l.6.tit.1 lib.8. nouæ recopil.* Nauar. *lib.2. de rest. cap.4. a num.159.* & optimè eam probat etiam stando in iure communi, & canonico. Et hæc sententia est probabilior, quia licèt attento iure opposita sit verior; at quia hæc sententia consuetudine generali, quæ ius commune potest abrogare, recepta est, tenenda est; illam etiam tenet Tabien. *verbo accusatio, num.14.* & nonnulli docti iuniores Magistri, qui iuniores cum Sylvest. *verb. correctio, quæst.8.* dicunt non teneri testem declarare, nisi reum de quo est infamia, supposito non procedi via accusationis. Idem Corduba *summa, quæst.64.* licet Nauar. *supra, num.168.* sentiat sat esse indicia, sed hoc est verum tantum, quando est accusator. Quòd si dicas euidentiam criminis habere locum accusatoris, dicit bene Sotus *de secreto, memb.2. quæst.7. paulo ante dubium 2. post 3. conclusionem*, id esse verum, quando scelus est notorium, & patrator sceleris. Vide *infrà dub.39.*

## DVBIVM XXI.

*Virùm è contra quando persona diffamata est, & conuicta de vno crimine, possit interrogari de aliis criminibus occultis, de quibus non est vlla infamia.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet posse. Ratio, quia non licet inquirere de occultis, non est eo quòd crimen occultum sit, sed eo quòd persona est occulta, & bonæ famæ: ergo, quando iam persona diffamata est de vno crimine, licet de aliis occultis rogare. Ita Palud. *4.dist.19.q.4.fin.* Sylvest. *inquisitio 1.q.3.dict.4.* Armil. *verb.accusatio, n.30.* Tabien. *ibi, n.vltim. & verb.inquisitio, n.3.* D. Anton. *3.p.tit.9.c.7. §.7.* Aretin. *tract.malefic.verb.inquisitio, n.11.*

2 Secunda sententia dicit, id non licere. Ratio, quia iura citata expressè docent, non posse fieri inquisitionem, nisi de illis criminibus, de quibus quis infamatus est. Item, quia stat aliquem de adulterio esse infamatum, qui tamen sit bonæ famæ quoad furtum. Hanc tenet Sotus *lib.de secreto membr.2.q.6.dub.5. & lib.5.de iust. q.6. art.2.vers. enascitur*, Caiet. *opusc.17.respon.respon.5. & 2.2. q.69.art.2.in principio, & q.70.art.1.* & innuit *ibi* D. Th. Nauar. *c.inter.verba, corol.51.n.587.* Margar. confess. *fel. 171.* Nauar. *lib.2.de restit.cap.4.à num.170.* vbi bene notat *n.171.* idem dicendum, licet crimina sint eiusdem speciei, nisi ex infamia crederetur frequens in eodem peccato, vt diffamatus, quòd est famosus latro, potest de omnibus furtis rogari. Adrian. *quodlib.11 q.1. vers. istis præmissis occurrunt, in prima diffic.* Cordub. *membr.2 q.6. circa concl.1 dubij 5.* Armil. *verb.accusatio, num.30.* Bern. Diaz *pract.crimin.cap.117.* Palacios *verb.iudex*, & nonnulli iuniores docti. Et hæc sententia est tenenda.



*Thom. Sanchez Consil. moral. tom. II.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Notant tamen Nauarr. & Sotus *vbi suprà*; in duplici casu licere interrogare conuictum de vno crimine de alio.

Primò, quando vnum est sufficiens indicium, vel infamia alterius: vt si quis conuincatur de adulterio, & consuetudine cum illa coniugata, & postea inuenitur necatus vir adulteræ in camera eius, potest adulter interrogari de homicidio: & si quis esset conuictus de homicidio, & cadauer inueniretur spoliatum, posset interrogari de spolio. Idem Palacios Nauarr. & nonnulli docti iuniores, qui iuniores exemplum ponunt, vt infamatus, quod est grassator, potest inquiri de homicidio, quia communiter sunt coniuncta. Item monachus infamatus de concubina, potest inquiri de furto, quia ad concubinam opus est pecunia, & monachus non habet vnde; quare ex consequenti est diffamatus de furto.

Secundò, quando vnum crimen est circustantia alterius, sine qua alterum perfectè cognosci nequit, vt conuictus de consuetudine cum puella iure potest interrogari, an ipsam defloraverit: & conuictus de furto in Ecclesia iure potest interrogari, an fregerit fores. Hæc Sotus, & Nauarr. Et hunc secundum casum, quòd scilicet possit inquiri de circunstantiis occultis criminum infamia notatorum, docent etiam Panorm. *c.qualiter el 1. de accus. num.* 7. Innocent. *ibi, n.*3. Perez *lib.8. tit.4. fol.*131. *pag.*1, Sylu. *q* 6. Angel. *verb. testis, n.*31. Idem Palacios, & nonnulli docti Magistri.

## DVBIVM XXII.

*An conuictus de vno crimine, possit iure interrogari de sociis occultis, qui nulla laborant infamia.*

1 TRiplex est sententia.

Prima tenet, quòd si crimina non sint facta in odium particulare alicuius, sed ob commodum, & voluptatem operantis, potest iudex interrogare de sociis occultis; quia tunc non est persona particularis ad quam pertineat accusare. Verum quando delicta sunt in odium alicuius personæ particularis, vt homicidium, &c. non potest quia est persona particularis, quæ accuset: & ex hac ratione colligitur, quòd in latrocinio, & adulteratione monetæ, quia non fiunt in odium alicuius particularis, potest socios occultos iudex interrogare. Ita Bart. *l. repetiti, ff. de quæst.* Sylueſt. *inquisitio 1. quæst.3. dicto* 5. Tabien. *ibi. num.*3.

2 Secunda sententia tenet, posse interrogari de sociis occultis in illis delictis, quæ non est verisimile committi absque sociis: atque ideo si reus est seruus, posse indistinctè interrogari de sociis, quia verisimile non est præsumendum, ausum fuisse illud delictum committere sine mandato, vel iuuamine alterius, *l. quicunque, vers. sanè C. de seruis fugit.* Ita tenet Anton. Gomez *tom.*3. *var. resol. cap.*11. *num.*17.

3 Tertia sententia docet, regulariter non posse iudicem interrogare reum conuictum de crimine de sociis occultis quorum nulla est infamia, vt patet ex *cap. cum monasterium, de confess, cap. veniens, de testib. cap. nemini* 15 *q.*3. *l. fin. C. de accusat. l. repetiti ff. de quæstor.* At posse de talibus sociis rogare iudicem quando crimen esset in perniciem publicam, vt sunt hæresis, proditio, adulteratio monetæ, latrocinium, vel in damnum alicuius priuati, vt falsum testimonium, &c. Et huiusmodi omnia crimina pendent adhuc in futurum, & tunc reum teneri respondere veritatem, & socios si non essent omnino emendati, manifestare. Verùm si sciret, socios esse omnino emendatos, vel per solam correctionem omnino emendandos, non posse illos, dum occulti, sunt prodere, iuxta superiùs etiam in crimine hæresis dicta. Ratio, quia hæc omnia crimina tenebatur reus manifestare ad consulendum damno futuro. Item, quia in istis criminibus (vt *suprà* diximus) non requiritur infamia ad inquirendum. Ita Caietan. *opusc.*17. *respon. respon.*5. Palacios *verb. iudex.* Sotus *lib.*5. *de iust. quæst.*6. *art.*2. *vers. atqui ex huius, & lib. de secreto, memb.*2. *quæst.*6. *dub. vltimo, conclus.*4. Corduba *eadem quæst.*6. *super concl.*1. *dubij vltimi.* Nauarr. *cap.*25. *num.*27. *& cap.*18. *num.*39. *& cap. inter verba, corol.* 49. *num.*584. *& corol.*51. *num.*588. *& corol.*66. *n.*628. & 629. Driedo *de libert. Christi, fol.* 227. *&* 228. Iosephus Angles *floribus q. theolog.*2. *part. mat. de correct. frat. art.*3. *diffic.*4. Metin. *lib.*1. *summæ. c.*16. §.3. Cord. *summa, quæst.* 65. Nauar. *lib.*2. *de rest. cap.*4 *à num.* 173. Fatetur tamen, quòd in sodomia, & adulterio, cùm ex natura sua exigant socium potest iudex interrogare socium, admonendo illum, ne detegat socium occultum, quia si nihil interrogaret, oriretur scandalum. Addunt etiam Sotus & Corduba in omnibus delictis *suprà* enumeratis, in quibus non requiritur infamia ad interrogandum, posse iudicem iure interrogare de sociis occultis. Ratio, nam, quia non licet occultos malefactores absque infamia inquirere, fit, vt non liceat conuictum de crimine de sociis occultis interrogare: ergo. Iidem sunt casus, in quibus primum deficit, deficiet secundum. Et hæc sententia est longè probabilior cæteris, & magis iuri consona: nam crimina legibus excepta, in quibus licet interrogare socios, vergunt in alterius dispendium. Hæc enim sunt (vt refert Nauar. *d. n.* 827. & Anton. Gom. *vbi suprà n.*16.) latrocinia famosa, *l. D. Adrianus, ff. de cust.* crimen falsæ monetæ, *l.*2. *C. de fal. mon.* maleficium, id est, *hechizerias, l. fin. C. de malef* hæresis, *cap. in fidei fauorem, de hæret. in* 6. proditio crimen læsæ maiestatis, *cap.* 1. *de confess. & l. penult. & finali, C. ad leg. Iul. maiest.* & ista constat esse in alterius perniciem.

Sunt tamen hîc aduertenda quatuor.

4 Primum est, quòd quando circunstantia socij occulti est talis, vt sine ipsa nequeat perfectè intelligi crimen rei, de qua iure interrogatur, potest iudex rogare socium occultum. Patet, nam in confessione sacramentali, quando meum peccatum nequit explicari, nisi detecta persona complicis, teneor detegere. Ita Caietan. *vbi suprà*, & concordat cum iis, quæ diximus *suprà dub. præced. in fine*, ex Soto, Sylueſt. & aliis, scilicet posse iudicem rogare circunstantiam occultam, sine qua perfectè nequit cognosci peccatum infamia notatum. Subdit tamen Caiet. rarò hoc accidere in foro iudiciali, nisi per accidens, scilicet, quia probabiliter iudex aliunde dubitat, quòd reus fateatur, quod non fecit, vt euadat tormenta: quia tunc ex nominatis complicibus nosse potest, an verum dicat. Sed hoc (inquit) ex parte iudicis licitum videtur, sed reus, qui scit se verum dicere, non potest socium detegere.

5 Secundum notabile, licèt in casibus dictis liceat interrogare de sociis occultis, intelligitur in genere: at in particulari, an Petrus & Paulus fuerint socij, non potest rogare, nisi hi essent infamia notati. Ita Nauar. *corol.* 66. *n.*835. *& in summa, cap.*25. *n.*27.

6 Tertium notabile, distat hoc inter iudicem rogantem, & reum respondentem, quòd ille sæpè potest rogare iustè, quia dubitat, an damnum sequutum ex crimine pendeat in futurum: hic verò, qui veritatem nouit, & delictum esse omnino emendatum, non potest iustè manifestare socium occultum. Patet ex his, quæ dixi ex Caiet. *num.*4. *fine.*

7 Vltimum notabile. Quando crimen est in damnum commune, vt latrocinium, scilicet, quia sunt latrones, qui animo conspirauerunt deprædari quoscunque possent, tunc confessarius debet admonere reum, vt prodat socios occultos, & ille tenetur prodere etiam non rogatus à iudice, nisi iam socij essent prorsus emendati, vel per correctionem sufficienter emendarentur. Ita Sotus *d. concl.* 4. Cordub. *vbi suprà*. Nauar. *corol.66. nu.* 831. & patet ex omnibus *supra* dictis, vbi de denunciatione Idem Nauarr. *c.*18. *n.*57.

DVBIVM



## DVBIVM XXIII.

*An in peccato contra naturam liceat interrogare de socio occulto, vt in sodomia, sicut in vitiis quæ sunt contra bonum commune.*

1 RAtio dubitandi; quia crimen hoc videtur esse contra bonum commune, ex *l. vnica, tit.*22. *lib.*8. *ordin.* habetur, vt procedatur contra hoc crimen, sicut contra hæresim, & contra crimen læsæ maiestatis: & fauet motus proprius Pij V. in quo statuit, vt contra hoc vitium, & simoniam, & cultum prauum, procedatur per simplicem denunciationem. Anton. Gom. *tom.* 3. *variar. cap.*12. *num.*16. *fine, & num.*17. tenet, posse interrogari socios occultos, his rationibus ductus, & Iosephus *floribus quæst. theolog.*2. *p. mat. de correct. frat. art.*3. *concl.*1. *fol.*73. & hæc sententia est satis probabilis. Vnde non sunt damnandi iudices illam sequentes, licèt opposita, quæ explicatur hîc, sit verior.

2 Sit tamen prima conclusio. Quando socius in hoc crimine est talis, qui vno, vel altero sponte consentiente, tibus hoc crimen admisit, dum est occultus, non potest denunciari iudici interroganti, nec iudex interrogare: debet tamen, quando correctio fraterna non speratur profutura, denunciari Prælato vt patri, iis rantùm casibus quibus cætera crimina priuata, & occulta denuncianda sunt. Ratio, quia verè non est crimen contra rempublicam. Item, quia lex huius regni potest saluari, quòd intelligatur esse hæresi simile, quoad probationem, scilicet, quòd possint admitti testes inhabiles, & sufficiat probatio, quæ ad hæresim sufficeret, vt ipsa lex se explicat. Item, quia cùm sit lex pœnalis, mitior sensus est amplectendus, & cùm sit ciuilis, est regulanda, & si oportet, corrigenda per ius canonicum, quod ad inquisitionem exigit infamiam. Ita Nauarra *lib.*2. *de rest. cap.* 4. *à num.*173. dicit enim hoc posse explicare complicem occultum, & *num.*190. dicit sodomiam non esse contra bonum commune, & nonnulli iuniores docti.

3 Secunda conclusio. Si socius criminis plurimos ad hoc vitium solicitaret, scilicet quoscunque magna industria posset tanquam ex instituto habens hoc vitio alios corrumpere, tunc esset reuelandus, sicut socius delinquens contra bonum commune, vt hæreticus, &c. publicus latro, nisi spes firma esset, per secretam monitionem corrigendum. Ratio, quia tunc hoc crimen est contra bonum commune, sicut *suprà* diximus de latrocinio. Et hoc modo sunt saluandi iudices, qui legi ciuili inniterentes interrogant de socio occulto in sodomia, scilicet quando socij crimen pendet in futurum in perniciem aliorum, aliàs iniustè rogant. Ita nonnulli docti recentiores.

## DVBIVM XXIV.

*An iudices interrogantes socios criminum peccent: socios (inquam) contra quos non habent probatam infamiam.*

1 CAietan. *opusc.*17. *respons.*5. asserit non peccare, quia talis interrogatio intelligenda est secundùm iura.

2 Nihilominus dicendum est peccare (& Nauar. dicit esse mortale) nisi interrogati sint prudentes qui discernere sciant, quos teneantur secundùm ius reuelare, aut concedant illis tempus, vt viros doctos consulant, à quibus doceantur, quæ respondere debeant. Ratio, quia dant causam errandi grauiter, & miseris ignorantibus sunt maximo scandalo. Ita Nauarr. *cap* 18. *n.*57. & *cap. inter verba, corol.* 49. *num.*584. *& corol.* 66. *numero* 832. Sotus *membr.*2. *quæst.* 6. *in fine solutionis ad* 2. & *lib.* 5. *de iust. quæst.*6. *art.* 2. *vers. si verò nullum*, inquit, iudex interrogans debet admonere testem, ne occulta detegat, & Nauarra *lib.*2. *de rest. cap.*4. *num.*154. & dicit, aliter iudices tenentur restituere damna; & hinc colligitur quare in edictis docet ipsemet Nauarr. non peccare iudices interrogantes crimina in generali, quia tempus concedunt, vt denunciatores viros peritos consulant, &c.

## DVBIVM XXV.

*An inquisitio contra religiosos possit fieri absque infamia.*

1 NOta, quòd ad Prælatos religionum pertinet facere circa subditos inquisitiones generales, & speciales, & deprehensos in delictis potest Prælatus tradere carceribus, & notatos infamia, vel præsumptionibus vehementibus potest torquere, vt veritatem fateantur. Hæc tamen non sunt exercenda circa religiosos, nisi pro criminibus enormibus. Quæ enormia sunt in Religiosis omnia peccata mortalia, & comperta veritate potest Prælatus subditos punire, ex *cap. illi,*6. *quæst.*1. & hæc omnia sunt circa religiosos facienda cum iustitia, & moderatione, ne incurratur excommunicatio lata contra iniicientes manus in monachos. Ita Sylueſt. *inquisitio* 2. *dicto* 9. D. Anton. 3. *part. tit.*9. *cap.*7. §.8. Armil. *verb. inquisitio, num.*12. *&* 13.

2 Hoc supposito, quidam dicunt posse inquisitionem specialem fieri circa aliquem religiosum absque infamia. Ita Alciat *cap.*1. *de off. ordinarij, num.* 47. Ioann. Andr. *cap. olim, de accusat.* probant per *cap. in singulis, de stat monach.* Sit

3 Prima conclusio. Vbi agitur de modico religiosi præiudicio, & potiùs de correctione, & emenda, potest inquisitio fieri absque infamia. Ratio, quia hoc non est ad damnum, & pœnam rei, sed ad fauorem, & bonum ipsius, & hoc modo intellecta prima sententia est vera. Ita Perez *lib.*8 *ordinam. tit.*4. *fol.*130. *pag.*1. Sylueſt. *inquisitio* 1 *quæst* 3. *dicto* 2. Armil. *num.*1. Angel. *num.* 2. Corduba *memb.*2. *quæst.*6. *dub. vltimo, circa primam conclusionem*, Tabien. *verbo inquisitio, in principio.*

4 Secunda conclusio. Vbi agitur ad grauem religiosi pœnam, vt ad depositionem, incarcerationem, & similia, opus est ad specialem inquisitionem præcedere infamiam. Ratio, quia ius commune petit ad inquisitionem præcessisse infamiam, & nullus est textus, qui religiosos excipiat; nam quem oppositi pro se afferunt, loquitur de generali inquisitione. Ita Perez, Sylueſt. Angel. citans Innocent. Antonium, Angel. Aretin. Bartol. *vbi suprà*, Idem Armil. *ibi num.*11. Nauar. *cap. inter verba, corol.* 62. *num* 689. & colligitur ex D. Anton. *dicto* §. 8. vbi dicit, quòd dum in monachorum priuilegiis continetur, vt postpositis apicibus, & rimulis iuris procedatur, intelligitur non quoad substantialia, sed quoad accidentalia. Idem tenent aliqui docti iuniores.

5 Tertia conclusio. Cæteras solemnitates accidentales (quas *infrà* docebimus) quas ius requirit in inquisitione, non oportet ita ad vnguem seruare in Religionibus. Ita Anton. Nauarr. Armil. Angel. *vbi suprà.* Vnde minus bene Corduba super Sotum *quæst.* 6. *conclus.* 1. *dub. vlt.* dicit posse Prælatum Religionis de complicibus inquirere, nulla præcedente infamia, quando non ad pœnam proceditur. Sed Nauarra *lib.*2. *de restitut. cap.*4. *num.* 147. ait esse verum hoc tantùm, quando verisimiliter Religionis damnum, & perditio sequeretur ex non denunciando, & non inquirendo.

6 Vltima conclusio. Ad inquirendum contra Prælatum regularem, non requiritur tanta infamia, quanta ad procedendum contra Prælatum sæcularem, quia aduersùs hunc requiritur infamia, quæ sine scandalo, & periculo vitari non possit, vt *suprà* dixi: at verò aduersùs Prælatum regularem sufficit infamia, quæ sat esset aduersùs alium priuatum. Ita Sylueſt. *Inquisitio,* 1. *quæst.*4. *dicto* 1. *&* 2. Angel. *num.*4.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXVI.

*An sufficiat infamia orta postquam reus in carcerem detrusus est ad inquirendum? & an ex simplici infamiæ informatione possit iudex procedere ad inquirendum, vel sit necessarium, infamiam prius esse iuridicè probatam.*

1 QVoad primum respondetur talem infamiam non sufficere. Ratio, quia ex ipsamet inclusione in carcerem propter tale delictum generatur talis delicti infamia. Ita Nauar. *cap. inter verba, corol. 62. n. 691.*

2 Quoad secundum nota, quòd simplex informatio dicitur assertio alicuius sine iuramento, & sine aliqua forma iudicis, per quam iudex concipit notitiam criminis, vel delinquentis: & hæc informatio, quia non est actus iuridicus, potest fieri etiam à personis inhabilibus ad legitimum testimonium, vt docet glossa *in verbis feudorum l. 1. §. si duo. vers. testimonium, de pace tenen.* Bald. & cæteri Doctores *ibi.* Ludouic. Roman. *l. si quis in graui, §. 1. ff. ad Silan.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 12. num. 1.*

3 Hoc supposito circa dubium quidam dicunt non sufficere simplicem infamiæ informationem, sed oportere, vt fama deferatur ad iudicem sedentem pro tribunali, nec valere si deferatur in secreto. Ita Angel. Aretin. *l. si vacantia. C. de bon. vacant.* Angel. *verbo inquisitio, num. 2.* Perez *lib. 8. ordinam. tit. 4. fol. 130. pag. 2.*

4 Alij distinguunt, dicentes, quòd dum ordinarius ex mero procedit officio, potest ex simplici infamiæ informatione procedere: at verò dum procedit ad partis instantiam, vel etiam iudex delegatus, oportet vt priùs recipiat testes super infamia. Ita Panorm. *cap. qualiter el 2. de accusat. n. 14.* Tabien. *verbo inquisitio, in principio.* Armil. *n. 1.* Nauar. *corol. 62. n. 693.* dicit in vtroque casu priùs debere recipi testes super infamia. Idem tenent aliqui iuniores docti, éstque verius, sed non est contra secundam sententiam, quia vt iudex moueatur ad inquirendum, sat est hæc simplex informatio facta testibus.

5 Alij verò absolutè dicunt sufficere simplicem infamiæ informationem, per quam verè, & certò sciat esse infamiam. Ratio, quia ipsa fama denunciat, vt accusator: & ita non oportet, vt aliquis eam iuridicè denuncier. Ita Bald. Gloss. Anton. Gomez *vbi suprà*, Innocent. *cap. in tua fine*, & *ibi* Panorm. *de sponsal.* Sylvest. reprobans primam sententiam, *inquisitio 1. q. 8.* Nauarr. *lib. 2. de rest. n. 153.* & hæc sententia est tenenda.

6 Nota quòd præter dictam differentiam, quam ponit secunda opinio inter inquisitionem factam ex iudicis officio, & quando fit ad alicuius instantiam, solent aliæ poni, scilicet quòd in hoc casu, is, contra quem inquiritur, non est cogendus iurare, ne ex dicto ipsius instruatur promotor inquisitionis, ad quem pertinet probare. Item, quia publicatis attestationibus non recipiuntur alij testes ad vitandum periculum subornationis. At in illo casu reus, contra quem inquiritur, est cogendus iurare, quòd respondebit veritatem, & publicatis attestationibus, possunt alij testes inquiri. Ita Panorm. *vbi suprà, n. 17.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 7. §. 4.* At Nauar. *corol. 62. n. 693.* cum aliis, quos ipse refert, docet nullum esse discrimen inter has inquisitiones: sed in vtraque posse à reo sumi iuramentum de calumnia, & in vtraque posse reum probare bonam famam, & posse alios inquiri testes.

## DVBIVM XXVII.

*An in omnibus delictis possit inquisitio fieri, & an heres possit in sua familia inquirere.*

1 CIrca primum ponam aliquas conclusiones, quæ probabiliores sunt, & in quibus Doctores magis conuenire videntur. Sit

Prima conclusio. Quando agitur de vtilitate, & commodo priuato, nec iure canonico, nec ciuili potest iudex procedere ad inquisitionem ex officio, sed ad instantiam partis. Ratio, quia quæ in iudicio aguntur, ad partis postulationem agenda sunt. *l. qui semel, ff. de iudic. & vbi quis*, demptis tamen aliquibus casibus, scilicet quando agitur contra tutorem suspectum, quia tunc ad vtilitatem pupilli inquiritur, nullo postulante. Item contra publicos vectigalium exactores, ne vexent tributis. Item an hic, vel ille sit idoneus tutoris in officium, vt prouehatur. Ita quædam glossa, quam refert, & sequitur Sylvest. *inquisitio 1. quæst. 2.* Nauarr. *cap. inter verba. corol. 62. num. 655.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 7. §. 2.* excipit etiam Nauar. *ibi* cum aliis, quos ipse refert, cùm inquiritur in causæ piæ, vel miserabilium personarum fauorem.

2 Secunda conclusio. Si inquisitio fiat ad publicam vtilitatem, tunc de iure ciuili fieri potest in causis ciuilibus, si sint causæ ciuiles nummulariæ vtilitatem reipublicæ concernentes, & in causis criminalibus, quando delicta sunt atrocia, quibus multum expedit purgari rempublicam. Item, quando committitur crimen coram iudice. Item, quando publicus officialis denunciat. Ita D. Ant. Sylvest. & quos ipsi referunt.

3 Tertia conclusio. Iure canonico propter vtilitatem publicam, potest in omni delicto inquiri quoties infamia præcedit, quia iure canonico inquisitio est medium ordinarium. *cap. cùm dilecti, de sentent. excommun.* Ita Sylvest. D. Anton. *ibi*, & hoc modo forrè intelliguntur quidam, scilicet Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 49. notab. 9.* & Nauar. *cap. inter verba, corol. num. 665.* dicentes absolutè posse de omni delicto infamia notato inquiri. Conclusionem positam docet etiam Panormit. *cap. inquisitionis, de accusat. n. 2.*

4 Quarta conclusio. Inquisitio generalis nequit fieri à iudicibus sæcularibus in hoc regno absque Regis commissione. Ita disponit *l. 3. tit. 1. lib. 8. ordinam.* & docet Perez *super eandem l.* & Gregor. Lopez *l. 2. tit. 17. p. 3.* dicens, id esse intelligendum de generali inquisitione super statu alicuius prouinciæ. Si enim generalis esset quoad personas, sed specialis quoad delicta, potest fieri per iudicem absque Regis mandato, quia non est propriè generalis, sed specialis inquisitio.

5 Vltima conclusio. Si paterfamilias iuramento famulos cogat, vt denuncient eum, qui bona aliqua furatus est, si ille sit rigidus, & probabiliter credatur rationis normam excessurus, non tenentur famuli etiam iurati denunciare; si verò mitis sit, & rationi conformiter processurus credatur, tunc si res sublata erat sub famuli custodia, sicut posset asportantem insequi, ita & potest denunciare. Si verò non erat sub eius custodia, tenetur dicere, si potest probare, quòd si non possit, non potest denunciare: nisi vt patri, & ei qui potest prodesse, & non obesse, & si alio modo iureiurando se adstrinxit, iuramentum fuit illicitum, & sic non obligat. Hæc Durand. quem referunt, & sequuntur Sylvest. *verbo familia, quæst. 8.* Armil. *ibi, num. 7.* Angel. *num. 8.* Tabien. *num. 4.* Nauar. *cap. inter verba, corol. 65. num. 783.* limitans hæc quando non spes esset de correctione per secretam monitionem; si enim esset talis spes probabilis, non deberet denunciare. Et quòd possit tale iuramentum petere à famulis, vt dicant verum, in casu, in quo tenentur reuelare, docent Nauar. *cap. 18. num. 21.* Ludouicus Lopez *1. part. instit. cap. 41. fine*, & supponunt summistæ citati.

## DVBIVM XXVIII.

*An aliquo casu teneatur reus se prodere ad mandata, vel edicta generalia iudicis.*

1 HVcusque actum est, quando iudex potest inquirere, deinceps dicendum est, quando reus vel testes teneantur respondere; & quia diuersa est de his ratio, ideo seorsum de his agendum est.

2 Circa hoc dubium variæ sunt sententiæ.

Prima



Prima tenet, dum factum est publicum, vt si libellus famosus appareat in publico, &c. teneri reum occultum se prodere ad edicta. Ratio, quia iam peccatum est publicum. Item, quia Prælatus tenetur satisfacere iis, qui ex tali facto scandalum sumpserunt, quod præstare nequit, nisi reum norit. Facit etiam pro hac parte *cap. quidam maligni 5. quæst. 1.* vbi Papa excommunicat quendam, qui libellum famosum ediderat in publicum, nisi se prodat. Ita tenuit D. Thom. dum esset iunior, in quodam capitulo generali, teste Sylvest.

3 Secunda tenet, teneri reum se prodere casu, quo aliter probabiliter crederet non habiturum de delicto dolorem, & se correcturum. Sic Nauar. *corol. 54. n. 604.*

4 Sit tamen conclusio. Reus nullo modo tenetur se prodere ad mandata generalia iudicum. Ratio, quia iudex nequit procedere contra peccatum omnino occultum, & illo casu licèt effectus publicus sit, at peccatum, id est, actio, vt est istius peccatoris, est omnino occulta. Item, quia peccator ipse potest se corrigere, & ad satisfaciendum scandalo non est opus, vt cognoscatur delinquens, sed satis est, si iudex ex officio inquirat. Item, quia *cap. quidam maligni*, procedit vbi manifestatio rei exigitur ad famam, quam læserat, restituendam, quo casu aliquando reus tenetur se prodere. Item probatur ex D. Chrysost. & habetur *cap. quis aliquando, de pœnit. dist. 1. Non tibi* (inquit) *dico vt te prodas.* Hanc conclusionem docent Sotus *de sigillo, membr. 2. quæst. 6. & 7. dub. 1. vers. ic. respondetur ergo.* Corduba *lib. 1. quæst. 43. dub. 2. §. sed vtrum prædictum.* Simancas *lib. institut. tit. 9. num. 216. & tit. 42. num. 13.* Sylvest. *verbo correctio, quæst. 8.* Nauar. *cap. 25. in vtraque summa, num. 37. & cap. inter verba, corol. 64. num. 630.* Armil. *verbo inquisitio, num. 10.* Caiet. *2. 2. quæst. 61. art. 2 vers. sed occurrit, & vers. ad secundam*, & quidam iuniores docti.

## DVBIVM XXIX.

*An quotiescunque reus interrogatur à iudice iuridicè de proprio delicto, teneatur reus proprium delictum fateri.*

1 HOc dubium mouetur, quia videtur durum cogere reum, vt se prodat, etiam cum mortis periculo. Item quia reus potest à carcere fugere, vt libertatem assequatur; ergo & rogatus de proprio delicto potest veritatem tacere: at verò de teste nullus dubitat teneri, si iuridicè rogetur crimen rei fateri. Quoad reum verò variæ sunt sententiæ.

Prima tenet, quòd siue agatur de crimine per viam inquisitionis, vel accusationis, vel exceptionis, non tenetur reus fateri crimen, nisi notorium, vel famosum. Item, quando crimen impedit exequutionem officij, vel retentionem beneficij, etiam post peractam pœnitentiam. Item si criminis dissimulatio periculum inducat, vt in hæresi, vel dilapidatione. Ita Innocent. *cap. 2. de confess. & cap. dudum 2. de elect.* Speculator *tit. de position §. septimò videndum, vers. 29.*

2 Secunda sententia sic distinguit: si iudex ex proprio procedat officio, tunc si delictum sit famosum, vel notorium, tenetur reus fateri; si verò ad partis instantiam procedat, non tenetur fateri, nisi vnà cum infamia ordinis exequutionem, seu beneficij retentionem impediret. Ratio, quia aduersarius probationes offerre debet, nec æquitas poscit, vt suum crimen quis prodere debeat, infamia licèt notatum, cùm fama sæpè mendax sit. Ita Panorm. *cap. 2. de confess. num. 19.* glossa *cap. ex parte, verbo absque rationabili de confess. in 6.* Maranta *in sua pract. part. 6. membr. 7. num. 9.* Alexand. addit. ad Bart. *l. 1. ff. de bonor. qui ante sentent.* Idem tenent Sylvest. *verbo, confessio non sacramentalis, in quæst. 1.* Angel. *verbo confessio delicti, in principio*, limitantes primum dictum, si agatur tantùm ad pœnam spiritualem, secus si ad pœnam temporalem.

3 Tertia sententia dicit nunquam teneri reum ad fatendum crimen licèt ei intimet iudex esse probatam infamiam, quando iudex ad alterius instantiam procedit, pœnam corporalem inflicturus; secus quando procedit ex officio. Ita Nauar. *corol. 64. num. 732. 743. & 764.* imo quoties in criminalibus pœna capitis, vel membri, vel grauis dedecoris est infligenda, censet Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 4. num. 142.* esse probabile non teneri fateri, & latè *ibi* probat Salzedo *addit. ad cap. 116. pract. crim. Bern. Diaz*, tenet etiam Manuel. Rodriq. *2. tom. summæ, in tract. quem ponit in fine de ordin. iudiciali, cap. 10. num. 1.*

4 Sit tamen conclusio contra has sententias: Quotiescunque iudex iuridicè interrogat reum de proprio delicto, tenetur reus fateri veritatem. Probatur, quia inter partes iustitiæ, potissima est obedientia, qua tenetur quis parere maioribus, dum iusta præcipiunt: ergo implicat iudicem iuridicè interrogare reum, & hunc non teneri parere, & fateri. Secundò patet, quia bellum non potest esse iustum ex vtraque parte, nisi forsan ex ignorantia, qua alter putaret alterum non ritè procedere: ergo si subdito constet iudicem legitimè procedere, tenetur fateri. Ita tenent D. Thom. *2. 2. quæst. 69. art. 1.* Aragon. *ibi*, Henriq. Gand. *quodlib. 1. quæst. 33.* Palacios *verbo iudex*, Perez *lib. 8. ordinam. tit. 4. fol. 130. pag. 1.* Simanc. *lib. instit. tit. 29. num. 44.* Anton. Gomez *tomo 3. var. cap. 12. num. 5.* Gregor. Lopez *l. 4 vers. iuram. tit. 29. parte 7.* Archid. § *item quod dicitur 22. quæst. 2. & cap. ex pœnitentibus 50. dist.* super glossam concedit Panorm. *cap. 1. de testibus cogend. num. 2. & 3.* Bernard. Diaz *pract. crim. cap. 118.* Corduba *lib. 1. quæst. 43 dub. 3. & lib. de secret. membr. 2. quæst. 7. circa primam conclusionem, & in summa quæst. 64. puncto 2. & q. 65.* Sotus *lib. de secreto. memb. 2. quæst. 7. concl. 1.* D. Anton. *3. part. tit. 9. cap. 7. §. 5.* Palud. *4. dist. 19. quæst. 4.* Tabien. *verbo accusatio, num. 11.* Armil. *num. 22.* Nauar. summa Latina, & Hispana *cap. 25. num. 36.* addens, licèt morte ob crimen damnandus sit, & specialiter priores sententias citatas reprobant Cordub. Gregor. Lopez, & Anton. Gomez *ibi* Couar. *lib. pract. quæst. cap. 18. num. 7.* Philiarcus *de offic. sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 4. & cap. 25. §. rei peccata.* Gutierr. *lib. 1. quæst. canon. cap. 15. num. 15.* Valent. *2. 2. disp. 5. quæst. 13. puncto 1.* Toletus *lib. 5. summæ cap. 58.* Graffis *1. part. decis. lib. 3. cap. 7. num. 16.* Salon *2. 2. quæst. 69. art. 3. controu. 10.* Petrus de Ledesma *2. tom. summæ, tract. 8. cap. 14. post secundam conclusionem. dub. 1.* Lucas de Penna *l. 2. column. 2. vers. an peccet reus, C. de incolis, lib. 10.* Quòd peccet mortaliter iuridicè rogatus negans veritatem, tenet Euerardus *loco à vi, energia, seu efficacia iuramenti, num. 62. fine.* Sayrus *claui regia lib. 12. cap. 16. num. 1.* Bañes *2. 2. quæst. 69. art. 1.* Gabriel *4. dist. 15. q. 6. art. 2. concl. 6.*

5 Secunda conclusio. Quando iudex non rogat iuridicè, non tenetur reus respondere: patet, quia tunc iniustè præcipit. Iidem Doctores.

Ex his conclusionibus inferuntur aliqua.

6 Primò sequitur, quòd si reus aliquo priuilegio esset exemptus à iudice, non tenetur respondere, vt si clericus à laico. Ita Sotus *memb. 2. quæst 7. vers. at verò*, Nauar. *cap. inter verba, corol. 64. num. 732.* addens idem esse quoties potestas iudicis legitimè est suspensa per appellationem, vel recusationem, *cap. cùm speciali; de accusat. & cap. non solum, eodem tit. in 6.* Idem omnino vt Nauar. Salzedo *pract. crim. cap. 116.*

7 Secundò infertur, eum, qui per iniuriam ab Ecclesia extractus est, non teneri ad fatendum crimen. Ratio, quia immunitas Ecclesiæ est priuilegium, per quod delinquentes eximuntur à iudicibus laicis, Salzedo, Sotus *eodem, vers. at verò*, & aliqui iuniores docti dicentes idem esse, quando est dubium, an gaudeat immunitate; quia in dubio non tenetur respondere.

8 Tertiò infertur, quòd si procedat Prælatus per viam correctionis fraternæ, tenetur reus veritatem criminis sui fateri statim Prælato, vt patri, nisi grauiter timeat, quòd tanquam iudex machinabitur eum punire.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ratio, quia scopus talis modi procedendi non est punitio, sed sola peccatoris emenda. Sic Sotus *lib.5.de iust. quæst.6.art.2. vers. descendendo.* Si tamen in tali processu per correctionem fraternam rogaret Prælatus, vt iudex, non tenetur reus fateri, nisi priùs admonitus à Prælato sit rebellis, & sit saltem alius testis præter dennnciantem. Sotus *dict.membr.2.quæst.7.vers. at verò*, Nauar. *cap.inter verba, corol. 65. num.* 779. & patent hæc ex dictis *suprà*, vbi de denunciatione.

9 Quartò infertur, quòd si procedatur via accusationis, vt reus teneatur respondere, requiritur vel infamia, vel semiplena probatio, vel indicia manifesta, quæ semiplenæ probationi æquiualeant: si verò procedatur via inquisitionis, vel denunciationis canonicæ) & quòd idem sit via ciuilis denunciationis, vide *suprà dub.* 19. *num.* 13. & 14.) reus interrogatus non tenetur regulariter respondere, nisi præcedat infamia probata per duos testes. Patet, tantùm reus tenetur fateri crimen quando iudex iuridicè rogat, sed via accusationis rogat iuridicè tantùm quando est semiplena probatio, &c. & via inquisitionis regulariter tantùm, quando est infamia, vt patet ex dictis *supra dub.*17. ergo. Ita Sotus *d.vers. at vero*, & Caiet.2.2. *quæst.* 69.art. 2. *initio*, & *vers. ad secundam*, & patet ex dictis conclusionibus, iunctis iis, quæ dicta sunt *dubio decimo septimo.*

10 Vltimò infertur, quòd quando de criminibus non sunt indicia, vel semiplena probatio, vel infamia, non tenetur reus veritatem fateri, rogatus à iudice, quia non iuridicè procedit, vt patet ex dictis. Ita Sotus *vbi suprà*, D.Thom.2.2.*quæst.*69.*art.*2.& *ibi* Caiet.Nauarr. summa Lar.& Hisp.*cap.*25.*num.*36.& *cap. inter verba, corol.* 64. *num.*725. Tabien.*verbo accusatio, num* 11. Armil *ibi, n.*22. Cordub.*summ.quæst.*65.*initio*, Archid. §.*Item, quod dicitur* 22.*quæst.*1. Bernard. Diaz *pract. crimin.cap.* 118. Gregor.Lop.*l.*4.*vers. Iurar, tit.* 29.*part.*7. Syluest. *verbo accusatio, quæst.* 13.

## DVBIVM XXX.

*An reus rogatus de crimine hæresis, vel læsæ maiestatis, in quibus non requiritur tanta solemnitas ad inquirendum, teneatur suum crimen, scilicet hæresim prodere, maximè si crimen sit notorium, vt si hæreses in publico productæ sunt, nulla tamen infamia, vel indiciis laborat.*

1 PRobo teneri, nam iudex tunc iustè inquirit etiam inquisitione speciali secundùm omnes, vt patet ex dictis *dub.* 20. ergo reus tenetur fateri. Secundò, quia cùidentia facti valet pro accusatore, sed si ille accusaretur, teneretur fateri.ergo.

2 Sit tamen conclusio. Licèt testes scientes reum tenerentur in dicto casu illum manifestare: at ipse reus non teneretur fateri crimen, nisi infamatus sit, vel saltem indiciis notatus. Ratio, quia testis tenetur obuiare malo publico, cui non potest obuiare, nisi reuelando: tamen ipse reus potest citra sui proditionem se corrigere, & sic malo publico obuiare. Patet etiam ex dictis *suprà dub.*28. Ita tenet Sotus *lib. de secreto, membr.2.quæst.vers. sed oriuntur.* Simancas *lib.instit.42.num.*13.& quos citaui *d. dub.* 28. Vnde dicit Sotus requiri aliqua indicia, vt teneatur reus respondere, licèt non tam manifesta, ac in criminibus priuatis. Vnde

3 Ad primum respondent Sotus, & Simancas, iudicem in isto casu iuridicè interrogare aliquem tanquam testem, sed non tanquam reum, ratione dicta.

Ad secundum dicit Sotus, verum esse antecedens pro maiori, vbi non tantùm delictum esset notorium, sed etiam delinquens

4 An verò, quando iudex interogat de aliquo facto, de quo aliàs iuridicè poterat rogare, sed interrogat de illo reum, tanquam indicium ad procedendum contra crimen, quod reuera non fecit, teneatur veritatem fateri? v. g. innocens transiit per locum, vbi homo iacet occisus, interrogatur an illac transierit, vt vel sic indicium habeat, quòd ipse occiderit, an teneatur fateri illac transiisse, dixi *lib.3.summæ, cap.6 num.*30.

## DVBIVM XXXI.

*An quando reus, vel testis ignorat, an iudex iustè, & secundum ius interrogat, teneatur fateri crimen.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit, in dubio teneri fateri, & sic parere iudici. Probatur, quicunque rem possidet, in dubio iure vtitur illa, quia melior est conditio possidentis; sed superior est in possessione respectu subditorum: ergo in dubio ius habet præcipiendi, & subditi parere tenentur. Ita tenet Palud. 4.*dist.*19.*quæst.*4.*fin.* Syluest.*inquisitio* 1. *quæst.*3.*dicto* 3. D. Anton.3.*p.tit.*9.*cap.* 7.§. 5.

2 Secunda sententia, & proculdubio tenenda docet, quòd licèt vbi nullum vel mihi, vel alij præiudicium sequitur, teneat in dubio obedire superiori: at verò vbi agitur de proprio, vel alterius damno, in dubio teneor obedire superiori. Vnde si iudex præcipiat reo, vel testi, vt crimen detegat, si nullum inde damnum sequeretur reo, teneretur in dubio obedire: at verò si damnum sequatur, scilicet punitio, nec reus, nec testis tenentur crimen detegere, etiam rogati à iudice, si dubitant, an iudex iustè interrogetur. Vnde ad hoc quòd teneant respondere, oportet prius ipsis constet iuridicè interrogare. Ratio, quia reus in possessione est honoris, famæ, vitæ, &c. ergo in dubio ius habet hæc conseruandi, & non exponendi periculo. Ita tenet Sotus *lib.5. de iust.quæst 6.art. 2.vers. ex his autem, & lib. de sigillo, membr. 2. quæst.7. post tertiam conclusionem, vers. at verò, & membr.3.quæst. 2.conclus.2.* & Cordub. *eadem quæst. 2. circa primam conclusionem, & lib.3.quæst.q. 6. conclus. 1.& membr. 2.quæst. 7.circa tertiam conclus. & lib.1. quæst.q.43.dub.vltim.* Glossa *cap.cùm delicti, de accusat.vers. responsionem*, Nauar.*cap. inter verba, corol.*52.*num.*597.& 599.& *corol.*64.*n.*730. & 732.743. 745. 747.751. & in summa Lat. & Hispan. *cap.*23.*num.*35.& 36. Sarmiento *lib.*1.*select.interpret.cap. cap* 8.*num.*19. vbi plures refert, Salzedo *pract. crim.cap.* 116.§.*illud verò*, Palacios *verbo testis*, Bernard. Diaz *pract. criuin. cap.* 118. Caiet. *infra quæst.*69.*art.*2.*vers. tertio.* Imò dicit Sotus teneri testes in tali dubio non detegere crimen, Palacios *verbo iudex.*

3 Sed hæc sententia aliquibus limitationibus intelligenda est.

Prima, vt intelligatur de rebus grauioribus, in quibus magnum periculum sequitur, secus in rebus leuioribus, vbi leue sequitur periculum: tunc enim si constet iudicem esse virum probum, & peritum, tam reus, quàm testis in re dubia tenetur veritatem fateri. Ratio, quia iniuria fieret iudici probo, si in his leuioribus ipsi fides non adhiberetur. Ita Sotus *lib.de iust.loco citato*, & ita explicant Corduba *d. lib.*3.*quæst.* 6 & Nauar. *d. num.* 599. quando graue periculum sequitur.

4 Secunda, vt intelligatur quando crimina, de quibus inquiritur, non sunt in præiudicium reipublicæ, vt crimen læsæ maiestatis, hæresis, proditio, &c. tunc enim in re dubia tenetur testis fateri veritatem. Ratio, quia minus periculum est, si persona priuata iniustè occidatur, quàm si respublica graue damnum patiatur: & confirmatur, quia hac ratione ciues tenentur obedire Regi præcipienti ire ad debellandum hostes, licèt de belli iustitia dubitent, quia licèt sequatur inde periculum graue hostibus: at præfertur propriæ patriæ periculum. Ita Sotus *de membr.*3.*q.*2 *conclus.*4. Nauar. *corol.* 52.*num.* 600. Sed subdit Nauar. fortè hanc limitationem non procedere, vbi crimen istud contra rempublicam esset præteritum, & omnimo emendatum. Et nota quòd testis etiam in dubio tenetur crimen detegere, vbi graue damnum sequeretur tertiæ personæ, & damnum pendet in futurum. Ratio, quia melior est conditio innocentis, cui reus iste nocere vult. Patet etiam ex *suprà* sæpe dictis, nam adhuc non rogatus tenetur testis in isto casu crimen detegere, nedum rogatus, licèt dubitet an iudex iustè roget. Ita etiam quidam doctus recentior in suis scriptis, vbi subdit in neutro casu teneri reum in dubio suum crimen fateri. Ratio, quia necessitas tali damno publico, vel priuato consulendi ipsum respondere non cogit, cùm absque proprij criminis detectione possit hoc cauere damnum, & videtur hoc dictum rationabile, & consonat iis, quæ *suprà dub.* 30. diximus ex Soto, & Simancas.

5 Tertiò limitat Nauar.*d.corol.*52.*num.*600. nisi iudex procedat causa cognita: si enim causa cognita procedat, tenentur tam reus, quàm testis veritatem propalare in dubio. Ratio, quia sententia iudicis procedentis ex causæ cognitione, præsumitur in dubio iusta: ergo idem est intelligendum de interrogatione iudicis, quam iudex facit causa cognita. Sed meliùs alij auctores citati non apponunt hanc limitationem, & sine tali limitatione idem affirmat idemmet Nauarr. *aliis locis citatis*; imò, vt diximus *dub.sequenti*, affirmat priùs debere constare de infamia, vel de indiciis probatis, & sic videtur sibi in hoc contrarius; nam in hoc casu, quo iudex sine causæ cognitione rogaret, clarum erat, non esse in re graui, & periculosa obediendum. Vnde credendum est Doctores hoc disputare, etiam in casu, quo ex cognitione causæ iudex procedebat. Et rationes in hoc casu id probant, & hoc videtur tenendum, tam in teste, quàm in reo, sed præcipuè in reo est certum.

6 Quartò nota, dictam secundam sententiam veram esse, licèt quis multo magis inclinet ad credendum, iudicem rectè procedere, & iuridicè rogare: dum tamen verè dubitet. Ita Sotus *membr.*3.*quæst.*2.*conclus.* 3. Nauarr. *dict.corol.*52.*num.*599.

7 Quintò nota, quòd licèt dum dubium est, an iudex iuridicè roget, præcipiat talem detectionem criminis sub pœna excommunicationis latæ, nihil refert, sed adhuc non tenentur testis, nec reus detegere veritatem; quia excommunicatio intelligitur secundùm ius, scilicet in iis, quæ iuridicè petuntur. Sotus *eadem q.* 2. immediatè ante quartam conclusionem.

8 Vltimò ex dictis infertur, confessarios non debere esse præcipites ad compellendum reos, vt crimen iudici detegant, in dubio enim proponendum est in rei fauorem, & nisi meridie clariùs lex illos cogat, non sunt cogendi in causa capitali, vel honoris, vel famæ, dum rei cogendi in causa capitali, vel honoris, vel famæ, dum ex altera parte non agitur de tanto periculo tertiæ personæ, fateri crimen. Ita Sotus *lib.5.de iust.quæst.6.art.2.vers. ex his autem*, & nonnulli recentiores Magistri.

## DVBIVM XXXII.

*An ad hoc quòd reus teneatur respondere, satis sit esse de eo infamiam, vel indicia, vel requiratur etiam, quòd sint probata, & illi notificata.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet, id non requiri, sed sat esse quòd hæc sint. Ita Gregor.Lopez *l.*4.*vers.iurar.tit.*29.*part.* 7. Arcualo *lib.de correct.frater.conclus.*6.*propos.*4.5.7.8.9. Iulius Clarus *pract. crimin. lib.* 5. §. *fin. quæst.* 45. *vers. sed quid*, vbi plurimos refert, & dicit sic habere consuetudinem, & hoc est probabile, & tenet Gutierr. *lib.*1.*quæst. canon.cap.*11.*num.*43. limitat tamen, nisi reus petat, vt sibi notificetur probatio, quæ est contra illum, & facit pro hac sententia communis Doctorum sententia, quæ dicit teneri reum respondere, (vt *suprà* diximus) si sit infamia, vel indicia, &c. non tamen petit ista probata esse.

2 Secunda sententia tenet, requiri priùs infamiam, vel indicia esse legitimè probata in processu, & ipsi reo notificata, vt teneatur reus respondere (dicit de reo, quia de teste est specialis difficultas, de qua *infra.*) Ita Sotus *lib.de secreto, membr.*2 *q.*7.*vers.at verò quia.* Nauar. summa Lat.& Hisp.*cap.*25.*num.*35.36.& *cap. inter verba, corol.* 64.*num.* 730. 732. 743. 745. 747. 751.& *corol.*52.*n.*599. Caiet.*infra quæst.*69.*art.*2.*vers. tertio.* Et ratio eius est, quia alioquin posset reputare suum delictum esse occultum, & sic excusari. Idem tenet Bernard. Diaz *pract.crim. cap.*126.*num.*4. Palacios *in summa verb. testis.* Philiarcus *de off.sacerdotis.tom.*1.*p.*2.*lib.*4.*cap.*25. §. *rei peccata*, *ad medium*, Manuel *de ordin.iudic.cap.* 10. *num.* 3. Cordub. *lib.*1.*quæst.*43.§.*sed vtrum.* Salon 2.2.*q.*69.*art* 2.*controu.*2. Aragon *ibi*, §.*sed dubitabit aliquis*, & *ibi* Bañes *initio fundam.*1. Salzedo *pract.crimin.cap.*126. *vers. octauo*, & *vers.copia indiciorum.* Alcozer *summa, cap.*26.§.*el reo*, & denique eadem probatio requiritur ad interrogandum reum, quæ requiritur ad torturam, vt bene Nauar.*cap.inter verba, corol.*64.*num.*744.746.& 797. *in nouo est corol.* 65.*num.*256.257.& plura allegat, & videtur tenere Sotus *membr.*2.*de sigillo, q.*7.*concl.*3. parum ante primum dubium, in illis verbis, *ante publicationem testium*, & Bern. Diaz *suprà*, licèt in hoc contrarium teneat *ibi* Salzedo, dicens ante confessionem receptam non dandam copiam informationis reo, quia posset subornare testes, ne ratificarent post sua dicta, & sic nihil valeret eorum testimonium, sed debet iudex præcipere tabellioni, vt testium depositiones coram reo legat, tacitis eorum nominibus, vt inde reo constet quid contra ipsum sit probatum, & fateatur veritatem. Idem tenent aliqui, sed cum aliqua limitatione, scilicet quando iudex procedit ad querelam alicuius, tunc enim inquiunt requiri, vt probationum copia detur reo; secus quando iudex procedit ex officio. Hi sunt aliqui Iurisperiti, quos refert, & sequitur Sylvest. *verbo indicium, quæst.*3. Angel.*num.*3. Armil.*num.*4. Tabiena *num.*2. Potest insuper hæc secunda sententia probari ratione Soti, quia sicut nemo tenetur legi ante eius promulgationem parere, ita nec iudici antequam notificet iuridicè procedere, & hæc sententia est probabilior.

3 Sed nota cum Soto esse intelligendam, quando crimen non est eorum, quæ vergunt in perniciem publicam, in quibus non requiritur tanta solemnitas ad interrogandum reum, vel testes.

## DVBIVM XXXIII.

*An mentiri in iudicio sit peccatum mortale.*

1 CErtum est esse peccatum mortale in re graui, vt in materia principali, aut in his, quæ possunt facere indicia, aut coniecturas pertinentes ad rem, & hoc quando reus, vel testis interrogatur iuridicè, vel absque iuramento. Ratio, quia violatur iustitia, qua reus, & testis tenentur parere iudici iustè roganti. Ita D.Thom. *infrà, quæst.*69.*art.*1.*ad* 3. & Caiet. *circa illam solutionem.* Sylvest.*confessio delicti, quæst.*1. Angel. *verbo testis, num.* 30. D.Anton.3.*p.tit.*9.*cap.*7 §.5. Nauar.*cap.inter verba, corol.* 64 *num* 737.& 736. Metina *lib.*1 *summæ, cap.*14.§.35. Sotus *lib.de secreto, membr.*2.*quæst.*7.*conclus.*2. & *versic. vnde ad argumentum, & lib.*5.*de iust.quæst.*6.*art.*2.*vers.ex his autem.* (Idem docet Sotus, si absque mendacio veritatem celet) hoc etiam tenent quidam iuniores docti, qui notant, quòd aliquando etiam in materia leui tenentur subditi sub mortali fateri: vt si visitator accedat reformaturus conuentum, vbi cæremoniæ sunt collapsæ, vt silentij custodia, &c. & roget iuridicè de his, quia in ordine ad bonũ commune reputatur materia grauis hæc.

2 Hinc sequitur, cum qui rogatus iuridicè cum iuramento mentitus est in re graui, teneri explicare in confessione vtramque circunstantiam. Ratio, quia vtraque est mortalis, & diuersæ speciei.

3 At dubium est, an tale mendacium in iudicio absque iuramento in quacunque re quantumuis leui sit peccatum mortale. Duplex est sententia.

Prima tenet esse semper mortale. Ita Caiet.*vbi suprà*, probat, quia iudicium de re leui facit grauè esse; sicut periurium in quacunque materia facit esse peccatũ mortale.

4 Se

Universidad de Deusto
Biblioteca



4 Secunda sententia tenet, ratione leuitatis materiæ posse esse veniale, vt quando est in re accidentali ad substantiam iudicij; sicut etiam mendacium in confessione sacramentali ratione leuitatis materiæ potest esse veniale, vt tenet communis. Ita Sotus, Metina, & Nauar. *vbi suprà*. Ratio, quia in omnibus præceptis, quando datur materiæ leuitas, ex mortali fit veniale, sed in hoc præcepto potest dari materiæ leuitas, quod in periurio assertorio non potest: ergo, & hæc sententia est longè probabilior. Idem Couar. *lib.1 variar.cap.1.num.2.* Idem innuunt. Sylvest. *verbo mendacium, q.3.* Angel. *num.4.* Tabiena *num.6.*

5 An verò reus, qui contra ius negauit veritatem in iudicio, sit absoluendus, antequam crimen confiteatur iudici, dixi *lib.3 summæ, cap.7.à num.6. ad 11.*

## DVBIVM XXXIV.

*An sit licitum in principio litis accipere iuramentum calumniæ super veritate dicenda ab ipso reo.*

1 RAtio dubitandi, nam *l.4.tit.29.part.7.* disponitur, statim vbi reus in vincula coniicitur, tale iuramentum accipiendum. Idem disponitur *l.9. tit.6.lib.2. noua recop.* & Gregor. Lopez *d l.4.vers. Iurar, in princip.* & *in fine* illius versiculi dicit sic habere communem practicam, & probat, dicens legem illam procedere in quouis reo, & reprobat Bernardum Diaz, qui *pract. crimen. cap.* 118. dicit illam legem intelligendam esse in hominibus malæ famæ.

2 Sit tamen prima conclusio. Accipere iuramentum à reo statim post capturam, inquirendo ab ipso in particulari, quid fecit, aut nouit super facto ipso, est graue peccatum contra iustitiam. Ratio, quia iure interrogare non potest, nisi habeat infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem, & à reo, cui de his constet: ergo, qui in principio hac omissa solemnitate rogat, iniquè facit. Item quia dat reo sine causa ansam vel peierandi, vel reuelandi, quæ non tenetur. Ita tenet Hippolytus *in practica, vers. postquam, l. penuli ff. de quæst.* Nauar. *cap. inter verba, corol.52.num.595.696 & corol.64. num.* 738.740.741. 742. & 743. Bernard. Diaz *vbi suprà*, Sotus *lib. de secreto, membr.2.quæst.7.vers. ex his colligitur.* Imò Nauar. *d. corol.64.n.764.* dicit positiones criminales non esse proponendas reo ante publicationem testium, & semiplenam probationem.

3 Secunda conclusio. Benè potest iudex in principio litis confessionem etiam in speciali petere à reo, citra iuramentum tamen, & manuetè absque vllo prorsus terrore. Ratio, quia per hoc non cogit ipsum fateri delictum, Nauar. *d. corol.64. num.753. & 754.*

4 Tertia conclusio. Accipere à reo in principio litis iuramentum de calumnia verbis generalibus, scilicet, *quòd vouet partem iustam, & quòd interrogatus in qualibet parte litis, respondebit veritatem*, sine hoc quòd veniatur ad alias interrogationes particulares, est licitum. Ratio, quia non datur reo peierandi ansa, nec cõpellitur ad reuelandum secreta, quia virtute talis iuramenti nil cogitur reuelare in particulari; quare si postea rogetur non iuridicè de aliquo, non tenetur respondere, & sic intelligitur lex illa part. & recopil. & Gregor. Lop. ita est intelligendus; non enim explicat posse iuramentum accipi in principio litis super interrogatione in particulari. Ita Sotus *vbi suprà*, Nauar. *corol.64. nnm.747.* & quidam recentiores docti.

## DVBIVM XXXV.

*An liceat iudici vti simulatione aliqua, vt a reo, actorève veritatem rei apud ipsum dubiæ, quàm iuridicè rogat, extorqueat? an possit delatum de crimine ad pœnam damnare ex sola confessione, quam ab ipso promissa criminis impunitate extorsit.*

1 QVoad primum respondetur benè posse tali simulatione vti, & probat ex 3 *Reg.* 3. vbi Salomon simulauit, velle se puerum in frustra concidere, vt vel sic veritatem extorqueret. Probatur etiam ex *cap. vtile, 22. quæst.2.* Item, quia iudex in hoc nullam irrogat iniuriam. Ita tenet Panorm. *cap. afferte, de præsumpt.* & communis *ibi*, vt refert, & sequitur Couar. *1.var.cap.2.n.* 16. & Plaza *vbi infrà, n.1.*

Quoad secundum, duplex est sententia.

Prima dicit posse iudicem absque vllo peccato istum punire. Ratio, quia ista prouisio pernicioſa est reipublicæ, & ideo eam iudex seruare non tenetur. Ita Archid. *d. cap. vtile, & cap. nos in quemquam 2.q.1.* vbi & Dominicus, Felin. *d. cap. afferte, & cap. accedens el 2. vt lite non contest.* Paris. à Puteo, & Cynus citati per Couar.

3 Secunda sententia, quæ longè verior est, asserit ratione talis confessionis non posse reum condemnari. Ratio, hæc confessio extorta est à iudice per dolum: ergo non est ex seipsa ad condemnationem sufficiens, *cap. sanè, de renunc.* Item, quia sæpè reus credens iudicem fidem ei seruaturum, vt tandem à carceribus, quibus opprimitur, liberetur, confitebitur crimen, quod fortè non fecit. Hanc sententiam tenet plures referens Anton. Gomez *tom 3 var.cap.12 num.6.* Couarr. *vbi suprà.* Immola, Decius, Hippolytus, Thom. Grammat. Fortunius, Franciscus Duar. Iacobus à Bellouiso, Paris. à Puteo citati per Couar. Iulius Clarus *pract. crim. §. fin. quæst. 55. 5. circa secundam*, dicit si hæc promissio facta est à Principe, qui potest pœnam condonare, est seruanda, si verò à iudice inferiori, non; at non est (inquit) damnandus pœna ordinaria. Plaza *epitome delict. lib.2.cap.37.n.6. & 7.*

Sed sunt notanda quædam.

4 Primò nota hanc sententiam procedere vbi criminis reus confessionem sic extortam reuocauerit; quòd si tamen in ea confessione spe promissionis frustratus perseuerauerit, damnari poterit ex mente omnium. Ita Couarr. *vbi suprà.* Plaza *num.7.*

5 Secundò nota, quòd si tali spe frustratus nec confirmauerit, nec reuocauerit confessionem, non potest pœna ordinaria criminis puniri. Ita Plaza *num.9.* Couar. *ibi* subiungens iudicem, qui hoc fecerit tot virorum doctorum, quos retuli prima opinione fretus, non esse acriter increpandum, nec pœna malè iudicantis puniendum: pœna autem arbitraria, & mitiori (inquit) huiusmodi reum punire forsan expedit reipublicæ. Quod si tamen contigerit præter hanc rei confessionem, aliquot adesse coniecturas, aut præsumptiones commissi ab eo criminis, non erit (inquit) à iure deuium, cum etiam pœna ordinaria punire, cùm his coniecturis maxima illa accesserit, quòd ipse crimen fassus sit, nec eam confessionem comperta iudicis simulatione reuocauerit. Hæc Couar. *ibi*, vide *suprà hoc lib.6.cap.1.dub.9.*

## DVBIVM XXXVI.

*An vt testes teneantur fateri, sit necessarium sciant esse infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem.*

1 RAtio dubitandi est Doctorum varietas, nam D. Thom. & quidam alij videntur tenere necesse esse, vt testis à iudice rogatus fateatur veritatem, & hæc præcedant: nam *2.2.q.70.art.1.* sic dicit: si de occultis, quorum non præcessit infamia; interrogetur testis, non tenetur respondere, etiamsi immineat periculum accusatori, & sibi imputet accusator. Idem Caietan. *ibi*, D. Anton. *2.part.tit.1.cap.19.§.7.* glossa. Panorm. *cap.1. de testib. cogend. vers. an sit peccatum.* Archid. *cap 1.22. quæst.2.* Ang. *verbo testis, num.26.* Perez *lib 8.tit.4.fol.131. pag.1.* Idem docent addentes, vel quando sunt indicia, vel quando semiplenè probatum est. Sylvest. *verbo correctio, quæst. 8. & verbo testis, q.8. dicto 1.* Armil. *verbo testis, num.10.* Cordub. *in summa, quæst 65. initio.* Palacios *in summa, verbo testis, & verbo iudex.* Castro *lib.2. de lege pœn. cap.12.§ ex his.* Nauar. *cap. inter verba, corol.52.n.597. & 599. & corol. 63. num.708. & 709. & in summa, cap.12.* Lat. *num 8.* Hisp. *num.9. & cap.25. num.43. & 49.* Pro eadem sententia videtur esse Sotus *lib. de secreto, membr.2. quæst.7. post tertiam conclusionem, vers. at verò*, vbi dicit testem non teneri aduersùs alium in re graui respondere, antequam illi iuridicè constiterit iudicem iure præcipere. Insuper pro hac sententia videntur esse omnes illi, qui *suprà, dub.22.* citati sunt, asserentes, reum non posse interrogari de sociis occultis, qui non laborant infamia, vel indiciis, constat enim talem reum interrogari de sociis tanquam testem.

2 Nota etiam aliquos ex his dicere, requiri ipsam infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem esse iam probatam in processu, & hoc constare testi. Ita Palacios *vbi suprà* addens, non aliter teneri, nec licitè posse testem testificari Nauar. *locis citatis*; dicit tamen quòd si via accusationis procedatur, potest, licèt non teneatur ferre testimonium, licèt crimen semiplenè probatum non sit: si verò via inquisitionis, nec tenetur, nec potest, nisi ipsi constet infamiam esse probatam in casibus, quibus infamia requiritur. Hæc Nau. *d. num.708. & 709.*

3 At contrariam sententiam tenet Sotus *lib. 5. de iust. quæst.7. art.2. ad 1.* vbi sic inquit. Si testis interrogetur per viam inquisitionis, non tenetur respondere, nisi vel infamia præcesserit, vel indicia: si autem via accusationis, tenetur adductus in testem respondere, licèt semiplenè probatum non sit, sed ipse solus delictum videbit: reus verò respondere non tenetur, nisi præcesserit vnus idoneus, iuratúsque testis. Eece quo pacto differentiam constituit inter responsionem rei, & testis, quòd illa prærequirit semiplenam probationem factam esse: hæc autem minimè. Huic sententiæ fauent apertè Sylvest. *inquisitio 1.quæst.3.dicto 3.* D. Anton. *3 part.tit.9.c.* 7.§.5. Palud. *4.dist.19 quæst.4 sub finem*; dicunt enim disiunctiuè iudicem iustè rogare, cùm præcedit infamia, vel est accusator: ergo apertè innuunt testem teneri respondere semper, dum via accusationis proceditur. Sit pro resolutione

4 Prima conclusio. Si crimina sint in præiudicium reipublicæ, vel graue damnum tertij pendens in fatu rum, tunc siue per inquisitionem, siue per accusationem procedatur, tenetur testis, siue vocatus, siue non, ad testimonium ferendum, quando alia via damno huic consuli non potest, licèt nec infamia, nec indicia præcesserint. Conclusio est apud omnes certa, & sæpè repetita, maximè *suprà*, vbi de denunciatione.

5 Secunda conclusio. Quando crimina non sunt in alterius damnum, sed ad punitionem quæruntur, si proceditur via inquisitionis, non tenetur testis respondere, nisi infamia præcesserit (intellige cum Nauar. in casibus, in quibus infamia requiritur ad inquirendum.) Probatur, testis non tenetur respondere nisi iudex iuridicè procedat, sed iudex via inquisitionis nequit iustè rogare crimen in speciali, nisi infamia notatum sit, vt *suprà* latè probaui: ergo. Ita tenet Perez *vbi suprà*, Nauarr. *suprà*, & sic intelliguntur D. Thom. & cæteri citati asserentes, non teneri testem respondere, nisi de criminibus infamia notatis: nam in processu per accusationem, constat infamiam non requiri. Et in hac conclusione nobiscum conuenit Sotus, licèt dicat, sufficere etiam indicia, cùm hæc secundùm ipsum sat sint ad inquirendum, quod *suprà* probaui. Hanc etiam conclusionem tenet Sylvest. *inquisitio 1.q.7.dicto 2.* Angel. *ibi n.11.*

6 Tertia conclusio. Si via accusationis procedatur, certius est, prærequiri, vt teneantur, & licitè possint testes respondere iudici probabili aliqua via certos esse de tali crimine, vel esse infamiam, vel indicia semiplena, vel esse testem vnum integrum, qui testificari possit delictum illud. Ratio, quia iudices iudicare non possunt, nec intertogare, etiam per viam accusationis, nisi talia indicia vel semiplena probatio sit, vt *suprà* dictum est. Item, quia colligitur ex multis textibus, in quibus iudicibus strictè prohibetur, ne de occultis iudicent, nec interrogent, *cap. inquisitionis, de accusat. cap. cum ad monasterium, de confess. cap. veniens, de testibus cap. si quid, & cap. innocens, 22. quæst.4. cap. super eo, de offic. deleg. cap. quamuis, de rescript. in 6. & l. diuus, 2. ff. de custodib.* patet etiam ex auctoribus citatis.

7 Quarta conclusio. In dubio an iudex iuridicè roget, non tenetur testis respondere; de hac conclusione latè *suprà* egi.

8 Vltima conclusio. Licèt probabilis sit sententia, dicens, requiri vt testis teneatur respondere, vt indicia, vel semiplena probatio sit facta in processu: at probabilius est, id non requiri, dummodo constet testi talia esse indicia, vel infamiam, vel esse alium testem omni exceptione maiorem, qui testificari posset, & semiplenè probaret. Ratio, quia nisi hoc esset verum, nulla crimina, quantumuis probabilia, possent puniri, & contra nulla posset iudex procedere, quia nisi ipse iudex examinet testes super infamia, vel super indiciis, vel super facto ipso, non potest constare de infamia, vel de indiciis, aut de semiplena probatione: ergo necesse est, vt iudex ante tales probationes factas, habeat ius ad interrogandum, alioquin cùm nullum testem in principio causæ posset interrogare, similiter nullum delictum posset punire Item, quia est consuetudo receptissima de hac conclusione, vt fatetur Palacios *verbo, iudex*, & hanc sententiam vltra Sotum, & citatos pro secunda sententia, tenent etiam Gregor. Lop. *part.7.tit.29.l.4.vers. Iurar, in fine.* Arevalo *mat. de correct. fratr. concl.6 propos.4.5.7.8.9.* & hanc conclusionem, vt iacet, posuit quidam doctus Magister in suis scriptis.



## DVBIVM XXXVII.

*An quando factum est notorium, at peccator occultus, teneantur testes manifestare delinquentem indici interroganti.*

1 NAuar. *cap. inter verba, corol.50. num.585. 586. & 587.* innuit teneri ad id testes. Probatur, iudex in hoc casu iuridicè rogat de delinquenti, vt *suprà dub.20.* dictum est: ergo testes tenentur respondere.

2 Secunda sententia docet, ad id non teneri. Ratio, quia licèt iudex inquirere possit tunc in genere, non tamen in particulari, nisi aliquis infamia laboraret: ergo testes non tenentur aliquem particularem delinquentem manifestare, si talis delinquens sit occultus, nec talis inquisitio fructranea est, deseruit enim ad sedandum scandalum. Sic Caiet. *infrà q.69. art.2. vers. sed occurrit.* Sotus *lib.5. de iust. quæst.6. art.2. post quintam conclusionem, & lib. de secreto, membr.2.q.6. dub.4.* Cordub. *ibi* glossa *l. primus, ff. ad senat. cons. Silan. vers. primus.* Sylvest. *inquisitio 1.q.3 dicto 3. & verbo correctio, q.8.* Tabien. *verb. accusatio, num.14.* Addunt tamen Sylvest & Tabien. teneri testes manifestare delinquentem, qui infamatus, vel semiconuictus est, & hæc sententia est longè probabilior; vide *suprà dub 20 fine.*

## DVBIVM XXXVIII.

*An si aduersùs testes obiciantur aliqua, ad eorum testimonium repellendum, possit iudex interrogare testes de veritate obiectorum, & testes teneantur respondere.*

1 SIt prima conclusio. Si obiecta talia sint, vt ex ipsis nulla constet testium turpitudo, vt si obiiciatur quòd sit consanguineus, quòd sit inimicus litigantis, inimicitia enim potest contingere absque turpitudine, & culpa ipsius litigantis, potest iudex interrogare, & testes tenentur respondere. Ita plures, quos refert, & sequitur Couar. *quæst. pract. c.18. n.7.* dicens ita praxi receptum esse.

2 Secunda conclusio. Si obiecta talia sint, vt per ipsa turpitudo aliqua testium detegatur, nec iudex potest rogare; nec testes tenentur respondere, etiamsi de illis laborent infamia. Ita plures, quos *ibi* refert, & sequitur Couar. dicens ita praxi esse obseruatissimum.

DVBIVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXXIX.

*An iudex, qui contra ius aliquid nouit à reo, vel teste, possit ex eo procedere in iudicio.*

1 VArij sunt dicendi modi, vnus simpliciter asserit non posse ex eo iuridicè procedere, si alia via non habeat sufficientem notitiam ad procedendum. Ita Caiet. *opusc. 17. respons. respons. 5. vers. in secundo.* Sylvest. *verbo inquisitio, q. 7. dicto* 3. alij verò aliquas ponunt limitationes. Sit

2 Prima conclusio. Quando iudex ipse extorsit à reo, vel teste per metum grauem iniustè manifestationem criminis, ex tali cognitione non potest ipse procedere, quamuis reus manifestet testes, per quos possit conuinci. Ratio, quia cùm causa fuerit iniusta, quidquid ex ea sequitur, debet annullari *l. non dubium C. de legib. l. fin. ff. de const. pecun.* Ita tenent plures Iurisperiti, quos refert, & sequitur Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 13. n. 25.* Nau. *cap. inter verba, corol. 53. n. 596.* Caiet. Sylvest. *vbi suprà.* Ledesma 2 4. *q. 10. art. 3. dub. 2.* Sotus *lib. de secreto, memb. 3. q. 1. concl. 5.* & multi iuniores Magistri.

3 Circa hanc conclusionem nota Sotum dicere, quòd si metus esset leuis, vt quia iudex leuiter minaretur tormenta, non est adeò certum ex tali confessione non posse iudicem procedere; quia licèt iudex aliquam inferret iniuriam, tamen non tam censetur iudex extorsisse, quàm reus liberè propalasse. Sed de hoc dicam 2. *concl.*

Secundò dicit, quòd si ex non punitione criminis sic extorti, graue suboriretur scandalum, vt si crimen esset fœdissimum, & per talem rei confessionem esset iam publicatum, & certissimum in toto populo, posset iudex punire ad sedandum scandalum. Sed subdit, res est dubia, & aliorum iudicio committo. Hoc secundum tenent multi recentiores Magistri, sed dicunt teneri restituere reo damna omnia punitionis. Idem tenet Nauar. *infrà.*

4 Ex hac conclusione infert Anton. Gomez *vbi suprà*, plures referens.

Primò contra Baldum, quòd si reus positus est in tortura, non præcedentibus legitimis indiciis, & in tortura confessus est delictum, licèt postea post diem naturalem perseueret, & ratificet confessionem, non potest condemnari, quia tortura fuit iniusta.

Secundò, si reus non potest torqueri priuilegio personæ, vt quia est nobilis, vel in alia dignitate positus, aut si non possit torqueri ratione minoris ætatis, vel senectutis, confessio etiam ratificata est nulla, quia tortura fuit iniusta. Item si semel est tortus, & postea iterum iniustè torqueatur. Item si à tortura appellauit. Item si ex qualibet alia causa reus iniustè torqueatur, confessio eius est nulla, etiamsi ratificetur. Item si contrarium sit vera legitima probatio, ex qua possit diffinitiuè condemnari, & per iudicem torqueatur, & confiteatur, & postea ratificet, confessio erit nulla: & similiter sicut ante confessionem potest appellare.

5 Secunda conclusio. Quando iudex etiam absque metu graui, sed per iniustas interrogationes extorsit confessionem à reo, qui iniustitiam interrogationis ignorabat, tunc probabilius est, non posse procedere ex tali cognitione. Ratio: nam iniuriam faciens, tenetur eam corrigere, & læso satisfacere, & non ipsam iniuriam continuare, quod non potest præstare iudex, nisi cesset à prosecutione talis causæ. Et confirmatur, quia de extracto ab Ecclesia per iniuriam idem fatentur Doctores, vt visum est *suprà cap. 1.* Hæc conclusio est contra Nauarr. *corol. 62. num. 687.* vbi vniuersaliter tenet, iudicem, qui per iniustas interrogationes aliquid extorsit à reo, posse ex tali cognitione procedere, & contra Nauarram *lib. 7. de restitut. cap. 3. num. 243.* id dicentem de iudice inferiori, secus (inquit) de iudice supremo; fatetur tamen Nauarra *num. 244.* teneri restituere damna, quia licèt iudex inferior teneatur iam damnare, at fuit iniustitia in causa. Sed verior est nostra conclusio, quæ est Sylvestri, & Caietani *vbi suprà*, & Soti *lib. 5. de iust. quæst. 6. art. 2. concl. 6.* & eam videntur tenere Anton. Gomez, & per ipsum citati, quia ratio illorum est; nam ex confessione, quæ nulla est ex defectu iustitiæ, vel partis, vel personæ, non potest procedi. Hanc etiam tenuerunt multi recentiores Magistri.

6 Tertia conclusio. Quando iudex extorquet confessionem à reo, non per metum grauem, sed per iniustas interrogationes, vel metum leuem, si reus sciens confessionem esse iniustam, & non debitam, & se potens ab ea excusare, non excusset, sed confiteatur, probabilius est ex tali confessione posse iudicem procedere, & punire. Ratio quia ipse reus in hoc casu visus est cedere iuri suo. Item quia metus leuis pro nullo reputandus est. Et in hoc casu consentimus cum sententia Nauarri citati *in secunda conclusione.* Ita Nauarr. *num. 246.* & quidam iuniores docti: & facit apertè pro hac conclusione, quòd quando in processu, vel forma inquisitionis fuit aliquis defectus in substantialibus, & reus non apponit iudici talem defectum, sed ipso non obstante fatetur veritatem, potest tunc iudex ex tali confessione procedere, & punire reum, vt colligitur ex *cap. 1. de confess. in 6.* & docet Sylvest. *inquisitio 1. quæst. 3. in fine.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 7. §. 2.* & Nauarr. *num. 247.*

7 Quarta conclusio. Si iudex per iniustas interrogationes extorqueat crimen rei à testibus, etiam scientibus iniustitiam, & potentibus opponere, non potest ex tali cognitione procedere. Ratio, quia in hoc casu iniuriam intulit ipse iudex reo, nec testes potuerunt cedere iuri alieno, sicut reus proprio. Ita multi docti Magistri, & in hoc casu consentimus cum prima sententia.

8 Quinta conclusio. Si iudex iustè interroget in generali, & testes malè detegant crimen aliquod rei; potest iudex ex tali cognitione procedere. Ratio, quia iudex nullam irrogauit iniuriam. Sic Nauarr. *corol. 62. num. 769.*

9 Sexta conclusio. Si iniustitia non se tenet ex parte iudicis iudicantis, sed ex parte alterius, tunc ex tali cognitione potest iudex procedere: vt si quis nimis extorqueat à Petro, quòd Ioannem occiderit, & testes, quibus conuinci possit, & tandem eum deferat ad iudicium: tunc posset iudex procedere. Ratio, quia in his casibus iudex nullam infert iniuriam; & licèt alij reuelando talia crimina peccauerint, iniustéque egerint, non debet eorum iniquitas nocere iustitiæ, & bono communi, ad quod iam pertinet notum crimen punire. Item, quia si necessarium esset, vt prima manifestatio criminis esset sine iniuria, ad hoc, vt iudices procederent, ferè nulla crimina punirentur. Ita Sotus, Ledesma *vbi suprà*, Henriq *lib. 6. de pœnit. cap. 20. num. 2.* Nauarr. *cap. inter verba, corol. 62. num. 769.* Sed nota quòd Sotus hanc conclusionem asserit de persona priuata extorquente veritatem. Vnde aliud videtur sentire, quando aliquis iudex extorqueret veritatem: tunc enim videtur sentire, quòd alius iudex ex illa cognitione non posset procedere. Sed Nauarr. & Ledesma absolutè ponunt hanc conclusionem, & sic dicendum est, quòd ille iudex potest procedere ex veritate ab alio iudice iniustè extorta, quia ille, qui procedit, iniustitiam non fecit. Ita nonnulli recentiores Magistri.

10 Vltima conclusio. Si cognitio criminis, qualecumque sit, ortum habuerit ex confessione sacramentali, vt si sacerdos coram multis detegit confessionem, vel laicus reuelauit peccatum, quod in confessione audiuit habitum mentitus sacerdotis, ac demum per ora deuenerit ad aures iudicis, si ipsi constiterit via confessionis dimanasse infamiam, non potest vllo modo ex tali cognitione procedere. Ratio, quia fieret sacramento iniuria, & arcerentur homines à confessione. Ita Sotus, & Henriquez *suprà*, addens teneri, facta pro infectis haberi. Idem colligitur ex Nauarr. *cap. pen. de pœnitent. dist. 6. num. 43.* Ludouic. Lopez 1. *tomo instruct. noui, c. 37. paulò post principium. §. hoc secretum*; dicunt enim, eum, cui causa detrahendi reuelata est confessio, teneri ad secretum; quia res transit cum suo onere. At Ledesm. *vbi suprà*, videtur tenere oppositum, dicit enim, quòd licèt ex confessionis reuelatione non posset iudex procedere: at sinde oriretur infamia, posset vtique; sed magis placet sententia Soti.



## DVBIVM XL.

*An quando proceditur via inquisitionis, sit infligenda pœna integra.*

1 PRima conclusio. Quando proceditur via inquisitionis secundum ius canonicum, non est peccator regulariter tota iuris pœna puniendus, sed per iudicis discretionem pœna moderanda est secundùm personæ, & delicti circunstantias. Ratio, quia tunc non est pars, quæ compellat iudicem, & ideo benignius debet agere. Item, quia solum est vindicta publica, & non satisfactio priuata. Ita habetur expressè *cap. inquisitionis, de accus.* & docet Sotus *lib. de secreto, membr. 2. quæst. 6. dub. 1. fin.* Sylust. *inquisitio 1. q. vltima*, D. Anton. 3. *p. tit. 9. cap. 7. §. 6.* Anton. Gom. *tom. 3. var. resol. cap. 1. num. 51.* Nauar. *cap. inter. verba, corol. 48. n. 582.*

2 Secunda conclusio. Aliqua tamen sunt delicta, pro quibus eadem, vel ferè eadem pœna est infligenda, ac si procederetur via accusationis, vt in simonia, homicidio, & in aliis, ob quæ incurritur irregularitas, vel priuatio beneficij: priuatur quis beneficio, & incurritur irregularitas, siue per viam accusationis, siue inquisitionis procedatur. Patet ex *d. cap. inquisitionis.* Soto, Sylvest. D. Anton. *vbi suprà.* Idem dicitur, quando crimina sunt notoria, & etiam quando reus fatetur crimen; tunc enim pœna ordinaria debet puniri. Innocent. *cap. qualiter 2. de accusat.* Nauar. & Anton. Gomez *vbi suprà.*

3 Vltima conclusio. Secundum ius ciuile, licet procedatur via inquisitionis, si plenè probetur crimen, infligitur pœna integra, ex *l. 2. C. de abolendis.* Sic plures, quos sequuntur Anton. Gom. & Nauar. *ibi.*

## DVBIVM XLI.

*Quæ probatio requiratur ad puniendum per viam inquisitionis? Item quæ forma, & solemnitas sit seruanda in via inquisitionis.*

1 QVoad primum dico primò, quòd quando proceditur contra laicos, vel clericos sæculares, in causis grauibus, & ad graues pœnas, requiritur legitima probatio necessariò concludens, *l. sciani, C. de probat.* Item etiam quando proceditur contra Religiosos in causis grauibus, & de criminibus notabilibus, requiruntur legitimæ, & exactæ probationes, ex *cap. licèt Heli, de simon.*

2 Secundò, quando proceditur contra sæculares in causis leuibus, & modici præiudicij, & quando proceditur contra religiosos ad pœnas, & correctionem, secundùm regulam, quæ similiter leues sunt, non requiritur legitima probatio, sed sufficit infamia orta ex legitimis præsumptionibus, & indiciis. Et potest in similibus casibus procedi de plano sine solemnitate iudicij, *cap. reprehensibilis, de appellat.* Hæc Sylvest. *inquisitio 1. q. 10. & inquisitio 2. dicto 7.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 7. §. 7.*

3 Quoad secundum consule Sylvest. *inquisitio 1. q. 9.* & D. Anton. *vbi suprà*, Anton. Gom. *tom. 3. cap. 1. n. 50.* vbi optimè docent formam, & solemnitatem obseruandam.

## DVBIVM XLII.

*An peccata publica sint necessariò publicè punienda.*

1 IN hac conclusione certum est, Prælatos teneri peccata publica publicè corripere. Ratio, quia tenentur bono communi consulere, & scandalum populi sedare. Paret 1. ad Tim. 5. *Peccantem coram omnibus argue.*

*To. Sanchez Consil. moral. Tom. II.*

& ex *cap. si peccauerit 2. q. 1. & cap. 1. de pœnit. & remiss.* Ita Sotus *memb. 2. q. 4. conclus. 1.* Nauar. *cap. inter verba, corol. 56. num. 609. & 610.* Sed nota Sotum asserere intelligi per publica edicta, notoria notorietate facti. Alia autem (inquit) licèt infamia laborent, non sunt continuò publicè corripienda. Sed Nauar. *corol. 62. num. 665.* dicit publica ad hunc effectum esse notoria, vel famosa, & ratio est, quia quàdo est infamia delicti, generatur scandalum, cui tenentur Prælati occurrere.

At verò dubium est, an personæ priuatæ saltem ex charitate teneantur ad publicam correctionem. Duplex est sententia.

Prima tenet, etiam personas priuatas teneri publicè reprehendere peccantem publicè, & in conspectu populi, vt aliorum scandalo consulant; cum hac tamen moderatione, quòd si peccatum publicè commissum non est immediatè contra diuinum honorem, non tenentur ad id cum notabili damno; si verò sit immediatè contra diuinum honorem, vt blasphemia, quæ grauiter læderet diuinum honorem, vnde adstantes ansam Deum contemnendi sumerent: tunc etiam cum graui damno tenentur publicè reprehendere. Hanc affirmat Sotus *vbi suprà*, & confirmatur ex Conc. Lateran. sub Leone X. I. vbi dicitur, quòd audientes blasphemos, tenentur illos grauiter obiurgare, & iudici sæculari, vel Ecclesiastico intra triduum denunciare. Idem docet etiam Sotus *lib. 1. de nat. & grat. cap. 22. vers. dicamus, & lib. 2. de iust. quæst. 3. art. 10. vers. hoc tamen.*

3 Altera sententia tenet, non esse peccatum mortale in priuatis non corrigere publicè peccatores, vel blasphemos publicos; tum quia aliter scandalo consulere possunt: tum quia correctio, quæ ad commune bonum ordinatur, Prælatorum est, vt docet D. Thom. *suprà, q. 33. art. 3.* Hanc tenent latiùs probans Nauar. *corol. 56. n. 610.* docet tamen idem Nauar. sum. Lat. *c. 12. n. 83.* teneri saltem secretè corrigere, licèt non esset spes emendæ, sed de hac re latè dixi *lib. 2. summæ, cap. 32. num. 46. & 47.*

---

## CAPVT IV

*De Reo.*

MVlta, quæ *hîc* dici possent de reo, partim dicta sunt *suprà cap. 3. de inquisitione*, partim *lib. 3. summa, c. 6. & 7.* & alia, quæ ad appellationem pertinent, tractata sunt *hoc eod. lib. 3. c. 1.* vbi latè diximus, quando licet reo appellare, & iudici illam admittere; & ad id teneatur; quare solùm hîc dicenda restant, quæ sequuntur.

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An reus accusatus possit licitè petere ab accusatore, vt ab accusatione desistat, etiã dato sibi ob hoc pretio.*

2 *An licitum sit appellare ad superiorem, eo quòd habeat contrariam opinionem, vel quia fauore aliquo ductus differet sententiam, vel mitius puniet.*

3 *An reus, contra quem extant legitimæ probationes, possit torqueri, vt si fateatur, negetur ei appellatio.*

4 *An proprium confessus crimen appellare possit.*

5 *De tortura rei.*

6 *Quid requiratur, vt reus possit in carcerem trudi.*

7 *An liceat damnato iustè ad mortem, si possit, fugere, non illata vi custodibus, nec effringendo carceres, vel rumpendo vincula, effugere è carceribus? & similiter an aliis vinctis iustè, qui nec corporali supplicio damnati sunt, liceat fugere.*

8 *An vinctus non damnatus, nec damnandus ad pœnam sanguinis, vel mutilationis, sed aliam punitionem, aut ad debita soluenda, vel pœnam pecuniariam, possit licitè fugere.*

9 *An liceat reo carceres effringere, vel perforare, vincula que disrumpere, vt sic effugiat.*

10 *An licitum sit consulere vinctis, vt fugiant, vel effringant,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*fringant carceres, vel vincula rumpant, & ad id opem præstare.*

11 *An Religiosis liceat fugere à carceribus suorum Prælatorum.*

12 *An damnati ad carcerem perpetuum, vel temporalem fugere possint.*

13 *An reus damnatus ad mortem, qui potest è carceribus fugere, teneatur ad id, vel possit in carceribus manere.*

14 *An reo damnato ad mortem famis, liceat abstinere à cibo.*

15 *An licitum sit reo obedire ministris iustitiæ, ascendendo locum supplicij, & alia similia faciendo.*

16 *An vinctus, qui promittit, vel iurauit se rediturum ad carcerem, teneatur redire.*

17 *An condemnatus iustè possit iudici, vel ministris iustitiæ resistere, & quid de innocente damnato, tamen iuxta allegata & probata.*

18 *An damnatis ad triremes liceat fugere.*

19 *An damnati ad exilium, qui bona anni parte latent intra locum à quo exularunt, peccent mortaliter.*

## DVBIVM I.

*An reus accusatus possit licitè petere ab accusatore, vt ab accusatione desistat, etiam dato sibi ob hoc pretio.*

1 VArij sunt dicendi modi, quidam dicunt accusatorem peccare mortaliter, qui in causa criminali potens legitimas probationes afferre, ab accusatione desistit, quia in rempublicam delinquit, cuius bono expediens est criminum punitio: at in causa ciuili posse liberè desistere; quia ibi tantùm intenditur acquisitio iuris ipsius actoris: at iuri suo quiuis renunciare potest. Ita D. Anton. 2. *p. tit. 1. cap. 9. §. 5.*

2 Alij absolutè dicunt, peccare accusatorem desistentem ab accusatione, & ex consequenti dantem aliquid ei, vt desistat. Ita D. Thom. *supra quæst. 68. art. 3. corp. & ad 3.* Tabien. *verbo accusatio, num. 7. & verbo transactio, num. 2.* Armil. *verbo accusatio, num. 12.*

3 Hoc etiam dubium latè tractant Sylvest. *verbo accusatio, quæst. 11.* & Nauar. *cap. 25. num. 31. & 32.* vbi latè tractant, in quibus causis possit desistere.

Sed breuiter, quod ad præsens attinet, sit

4 Prima conclusio. Tunc tantùm peccatum est ab accusatione desistere, & ex consequenti hoc petere ab accusatore, quando accusatio erat de crimine reipublicæ pernicioso, quod tenebatur accusare. Ratio, quia cùm tale crimen probare possit, & accusare teneatur, non potest liberè ab accusatione desistere, tenetur enim bono communi consulere. Ita Sotus *lib. de sigillo, membr. 2. quæst. 5. concl. 5. & lib. 5. de iust. q. 5. art. 3. ad 2.* & sic explicat D. Thomam, idem Sotus *membr. 2. quæst. 7. fine.*

5 Secunda conclusio. Si accusator accuset in causa propria, tunc absque vlla culpa potest ab accusatione desistere, & reus potest id ab ipso petere, etiam pretio ad id oblato. Ita Sotus *vbi supra*, & patet ex praxi recepta. Ratio, quia vnicuique liberum est iuri suo cedere, ac propriam iniuriam remittere; & hoc est pretio æstimabile.

6 Tertia conclusio. Supremus Princeps potest iusta de causa, & modò citra scandalum fiat, vel à principio abolere accusationem, vel impedire accusatorem, ne illam prosequatur, siue accusatio sit de iniuria publica, siue priuata, dummodo alia via restituantur damna, v. g. si qui peritur damnandus morte, si sit valdè necessarius Reipublicæ: patet, quia talis Princeps potest in lege dispensare, & expedit tunc bono communi, vt dispenset. Ita Sotus *d. concl. 5.* Caiet. 2. 2. *q. 68. circa art. 3.* & vterque addit, hoc non posse iudicem inferiorem, nisi iuxta Caietanum ex epiikeia, vbi ad Principem non esset recursus.

## DVBIVM II.

*An licitum sit appellare ad superiorem, eo quod habeat contrariam opinionem, vel quia fauore alicuius ductus differt sententiam, vel minùs puniet.*

1 SIt prima conclusio. Quando sententia inferioris iudicis dubitatur an sit iusta, vel an sit lata secundùm probabiliorem sententiam, licèt appellare spe obtinendæ æquioris sententiæ. Ratio, quia finis tunc licitus est, & sententia non est clara, nec certum, quòd iusta sit. Ita Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 9. art. 3. vers. sed & circa,* & quidam recentiores docti.

2 Secunda conclusio. Quando reus certò cognoscit iustè esse condamnatum, & secundùm probabiliorem sententiam, non licet appellare. Ratio, quia fit iniuria iudici iustè condemnanti, & absque causa eius differtur sententia, & reipublicæ ad quam maximè spectat puniri delicta. Sotus *ibi*, dicens esse peccatum suo genere mortale. Corduba *quæst. 69.* & multi iuniores Magistri. Imò talis tenetur restituere omnia damna, Nauar. *ibi*, & præfati Magistri. Et quòd sit peccatum mortale appellare non ex confidentia causæ iustæ, sed ad differendum sententiæ exequutionem, docent D. Ant. 2. *p. tit. 1. cap. 19 §. 6. fine.* Nauar. *cap. 25. num. 49.* Angel. *verbo appellatio, num. 15.* Alcozer *in summa, cap. 26 vers. el actor,* Cordub. *supra,* & alij. Dicunt tamen quidam recentiores docti intelligi in ciuilibus, nam in criminalibus appellare cum spe alicuius remissionis pœnæ, maximè ad arbitrium sui Aduocati, non statim est damnandum ad mortale. Dicunt etiam alij iuniores Magistri, quòd licèt appellare non liceat vbi sententia est iusta: at supplicare ad eundem iudicem in supremis tribunalibus fas est, vt temperet rigorem, & placet vtraque limitatio.

## DVBIVM III.

*An reus, contra quem extant legitimæ probationes, possit torqueri, vt si fateatur, negetur ei appellatio.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit id licere. Ratio, quia aliàs sequeretur graue reipublicæ damnum, si hac via non tollerentur occasiones iniustè appellandi. Hanc tenent Bald. Alex. Immola, quos refert Anton. Gom. & Nauar. *vbi infrà,* & hanc sententiam tribuit Nauar. Magistro Soto *lib. de secreto, membr. 2. q. 7.* sed non dicit eam expressè, sed tantùm *ibi vers. & postremò,* conuictum per legitima testimonia, non posse criminaliter damnari, donec confiteatur. Vnde apertè sequitur posse secundùm ipsum torqueri, vt confiteatur, vt vel sic damnari possit. Greg. Lop. *l. 20. vers. ficieren, tit. 9. part. 2.* dicit fortè illam legem fuere huic sententiæ: sed nil definit ipse.

2 Secunda sententia tenet, id non licere. Ratio, quia tortura inuenta est in defectum probationum. Item, quia ius illi concedit in eo casu appellationem: ergo iniustè iudex hac via vtitur, vt illi appellationem neget. Item, quia expressè cauetur in iure, ne tortura adhibeatur, nisi quando legitimis probationibus veritas constare non potest, *l. edictum, vers. 1. ff. de quæst. & l. 1. in fine, eod. tit. & l. quoties, C. de quæst.* Ita tenent Curtius, Angel. Ioan. Igneus Ariminensis, Andreas Isernia, Hippolytus, Ludou. Carer. quos refert, & sequitur Couar. *lib. pract. cap. 23. num. 5.* dicens esse falsam, & manifestè iniquam sententiam oppositam. Item tenent plures, quos referunt, & sequuntur dicentes esse communem sententiam, Anton. Gom. *tom. 3. var. cap. 13. num. 20. per totum,* & maximè *in fine illius numeri,* & Nauar. *cap. inter verba, corol 64. a num. 771. vsq; ad 774.* Iulius Clar. *lib. 5. recept. sentem. §. fin. q. 64.* Sit

3 Prima conclusio. Conuictus testibus potest optimè torqueri ad detegendos socios criminis in casibus, quibus potest quis interrogari de sociis. Conclusio est certissima. Ita Iulius Clarus, & Couar. 59. *vbi supra.*

4 Secunda conclusio. Reus conuictus, si torqueatur, tenetur sub culpa mortali respondere veritatem. Ratio, nam etsi iniquè torqueatur, at iustè interrogatur. Ita dicens esse conclusionem certissimam, Couar. *vbi suprà,* Salzedo *pract. crimin. cap. 116.* & aliqui recentiores Magistri.

5 Tertia conclusio. Nullo modo licitum est iudici torquere reum conuictum hac sola de causa, vt si confiteatur, appellationis auxilium auferat. Ita Doctores secundæ sententiæ, & patet ex fundamento eius.

6 Quarta conclusio. Si reus sic conuictus confiteatur crimen tormento, talis confessio est nulla, licèt postea eam ratificet; quare ea non obstante potest appellare. Ratio, quia confessio talis est per iniuriam extorta, & ex his, quæ ipse iudex per iniustitiam extorsit, procedere nequit. Anton. Gom. *vbi suprà, & eod. cap. num. 25. vers. quintò infero,* & plures alij, vt habes *supra cap. 3. de inquisitione, dub. 13.*

7 Quinta conclusio. Licèt quidam, quos referunt Couar. & Anton. Gom. censeant, quòd si reus conuictus torqueatur, & neget delictum in tormento, sit absoluendus, quia probationes, quæ contra eum extabant, enerantur, & eliduntur; at probabilius est non amittere vim probationis; tum quia vtile non vitiatur per inutile, *l. 1. §. sed mihi, ff. de verb. oblig.* Item, quia aliàs in potestate iudicis ignorantis esset reum culpabilem à legis pœna liberare, & sic respublica detrimentum pateretur. Ita Couar. *d. n. 5. in fine primæ conclusionis,* Anton. Gom. *d. n. 20. vers. sed aduertendum,* Olanus *in concordia iuris, lit. T, verbo tortus, n. 29.* Auendaño *in Dictionario, lit. T, verbo tortura, concl. 12.* Greg. Lop. *l. 26. tit. 1. part. 7. vers. nil as.*

8 Vltima conclusio. In aliquo casu posset prior sententia *supra* posita admitti, scilicet quoties iudex ex circunstantiis viderit reum ita conuictum esse, vt reipublicæ expediat statim non admissa appellatione publicè puniri, & ipsum iniquè, ac per calumniam nolle confiteri veritatem, vt appellatione proposita differat iustam criminis punitionem: tunc licitè potest eum torquere, vt vel sic confiteatur scelus, & negata sibi appellatione damnetur. Ita Nauar. *d. num. 774.* & videtur approbare Couar. *vbi supra,* & multi docti Magistri intelligendo, quando aliàs sententia erat iustissima, & non habebant causam appellandi.

## DVBIVM IV.

*An proprium confessus crimen appellare possit.*

1 CErtum est conuictum testibus simul, & confessum non posse appellare, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus; quare audiendum non esse à iudice sententiam pronunciante, nec ab eo, ad quem appellat, *l. 2. C. quorum appell. non recip.* & *ibi* omnes, teste Couar. *lib. pract. cap. 23. num. 5. initio concl. primæ,* vbi alios refert per hoc, & idem tenet ipse *ibi*, & *in fine illius conclusionis,* asserit Decium hoc limitare, nisi conuictus, & confessus aliquam causam exponat appellationis, vt confessionem fuisse factam ex errore, vel testes falsum deposuisse, sed Couar. dicit hanc limitationem non esse vero consonam. Sit

2 Prima conclusio. Confessus tantùm, etiam si testibus conuictus non sit, nec in ciuilibus, nec in criminalibus regulariter ad appellandum admittitur. *cap. cum specialis, §. porrò, de appellat. & cap. Romana, §. sin autem, de appell. in 6.* & tenent plures, quos refert & sequitur, Couar. *d. n. 5. concl. 2.* dicens secundùm omnes istos esse hoc intelligendum, nisi confessus exponat causam expressam, quæ appellationem iustificet, tunc enim admittenda est.

3 Nota circa hoc vsum forensem apud Hispanos, & ferè toto orbe Christiana hactenus obtinuisse, vt in criminalibus, quoties corporalis pœna infligenda, appellatio non admittatur ad exequutionem pœnæ impediendam, siue quis damnetur ex propria confessione, siue testibus tantùm fuerit conuictus. Ita refert Couar. *ibi*, dicens se non posse probare hunc vsum, nec iure probari posse.

4 Secunda conclusio. Aliqua sunt crimina, in quibus appellatio non est admittenda, siue quis fuerit tantùm professus, siue conuictus tantùm, quæ referuntur *l. 2. C. quorum appellatio non recip. & l. 16. tit. 23. p. 3* ita Couar. *vbi suprà,* addens in omni causa eum, qui ex confessione damnatus fuerit, etiamsi non audiatur appellans à iudice inferiori, audiendum tamen esse à iudice superiori, ad quem appellauit. Ita etiam tenent plures, quos refert *ibi* Couar.

## DVBIVM V.

*De tortura rei.*

1 LAtè de hac re *supra cap. 3. de inquisit. dub. 16.* egimus, nunc hic duo disputanda supersunt.

Alterum est, an in eo casu, quo noua non superueniunt indicia (tunc enim certum est posse repeti torturam, vt *ibi* dixi) verùm indicia priora, ex quibus tortus est, erant grauissima; & vrgentia, an possit iterum torqueri. Communis sententia docet non posse, pro qua plures refert Ant. Gom. *tomo 3. variar. cap. 13. num. 26.* Idem cum communi sentit Sarmiento *l. 1. select. cap. 1. n. 2.* At Anton. Gom. cum Bart. & Saliz, tenet posse iterum torqueri; sed communis sententia amplectenda est.

2 Alterum est, an reus, qui in tormento fassus est delictum, & postea ductus ad ratificandum, negat, possit iterum torqueri. Respondetur affirmatiuè: tum quia indicia non videntur purgata, nec sublata ratione negationis subsequutæ; tum, quia si isto casu tortura non posset repeti, materia torturæ esse frustrà, quia sciens non posse iterum torqueri, semper negaret post torturam, & nunquam ratificaret. Ita tenent plures, quos refert, & sequitur Anton. Gomez *ibi*, & idem disponit *l. 4. fine, tit. 30. part. 7.*

3 Sed quid si iste reus iterum tortus confiteatur delictum, & postea ductus ad ratificandum neget, an possit iterum torqueri. Anton. Gomez *vbi suprà, num. 27.* dicit non posse vltra tertiam vicem torqueri, ne fortè tormentis reus perimatur. Facit pro hac re Simanc. *lib. instit. tit. 65. n. 75. & 76.* vbi cum aliquibus docet plus, quàm bis torqueri posse neminem. Et hæc sententia est verior.

## DVBIVM VI.

*Quid requiratur, vt reus possit in carcerem trudi.*

1 NOta primò, requiri, vt verè, & realiter constet delictum, vt homicidium, esse commissum. Quare dum denunciatur delictum, vel accusatur, iudex personaliter est iturus, vel saltem missurus officialem suum cum tabellione publico, vt constet delictum esse commissum. Ita Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 9. num. 1.* referens plures auctores, & textus.

2 Secundò postquam constiterit delictum esse commissum, recepturus est iudex summariam informationem, qua per depositionem testium probetur, quòd iste commiserit delictum. Quare summaria delicti informatio necesse est, vt præcedat capturam. Ita Anton. Gom. *ibi*, plures referens textus & Doctores, Bern. Diaz *pract. crim. c. 120* Simanc. *lib. instit. 17. n. 1.* Greg. Lop. *part. 7. tit. 29. l. 1. vers. luego*, & in tali summaria informatione non debet reus citari, quia instruetur, vt fugeret. Ita Ant. Gom. Greg. Lop. *ibi*, & docent *p. 7. tit. 29. per totum.*

3 Tertiò nota, quid sit ista summaria informatio, vt reus posset capi; dicitur enim summaria, quia ad illam faciendam sufficit vnus testis, licèt aliàs inhabilis, vt minor, seruus, consanguineus, &c. infamis, non tamen sufficeret ipsa pars offensa, quia in causa propria nemo est idoneus testis, *l. vnica, C. ne quis in sua causa.* Ita Anton. Gomez *d. n. 1.* vbi limitat hoc, nisi pars offensa hoc dixerit in mortis articulo; tunc enim sufficit eius dictum ad capturam. Hoc idem asserit ipsemet Auton. Gomez

Universidad de Deusto Biblioteca

*eodem tom.3.cap.13.num.16.* vbi addit latissimè probans, & plures referens, talem confessionem defuncti non sufficere ad torturam, licèt defunctus esset vir bonæ opinionis, & famæ, & ille, contra quem fit confessio, sit vil issimus, & infamis, *l. si quis in graui,§. si quis moriens, ff. ad Silan.* quæ lex hoc expresè probat, quamuis Angel.de Perus. & Hippolytus, quos *ibi* refert, dicant sufficere talem defuncti confessionem ad torturam, quando defunctus erat bonæ conditionis, & famæ, & delictum per alios verisimiliter probari nequit; sed hoc reprobat Anton.Gomez *d.n.16.*

4 Quartò nota, quòd licèt regulariter sat sit summaria informatio ad capturam:at in criminibus,propter quæ si quis coniiciatur in carcerem, grauis sequitur ipsius infamia, vt crimine hæresis, non id sat est ad capturam; sed oportet sufficiens ad eam rem probatio antecedat. Simancas *vbi suprà,num.1.& 2.* latè probans, ac plures referens. Nota tamen aliquos dicere, quòd si captura à principio fuit illicita, si postea appareat delictum aliud, nequit pro illo retineri. Sic Salzedo *pract.crim.c.120.lit. A*,& refert Bart & alios. Sed contrarium est verius. Sic Gregor.Lopez *part.7.tit.29.l.1.vers.luego*, Sozinus *consil.* 113.*fine*, agit in diuerso casu Lopez ab eo, quem tractat Salzedo, & ita vtraque sententia videtur vera. Consule Bartolum. Qua verò maturitate sit facienda informatio, quando Clerici capiuntur, vide *infra*, vbi de ordine procedendi contra regularem *dub.2.*

5 Vltimò nota ex Anton. Gomez *tom. 3.variar.cap.9. num.3.* vbi plures & leges, & auctores ad hoc refert, quòd regulariter nemo possit capere delinquentem propria auctoritate, nisi iudex vel alius de mandato eius,at si reperiatur delinquens in flagranti delicto, potest ipsum capere quiuis officialis, & ducere ipsum ad iudicem:imò & pars offensa, & ille cuius interest, imò quilibet priuatus de populo. Hoc autem limitat Florianus *de delicto publico*,quòd accusare potest quilibet priuatus, iuxta *supra* dicta *c.1.* vbi de accusatione; non autem in delicto priuato,quia cùm personæ priuatæ non liceat accusare de hoc delicto :ergo à fortiori,nec capere propter illud.Sed Anton.Gomez defendit etiam procedere in delictis priuatis. At verior est sententia Floriani. Sunt etiam(vt notat *ibi* Anton.Gomez) quædam delicta specialia, in quibus quilibet priuatus potest capere delinquentem, licèt non sit in flagranti delicto, debet tamen iudici illum præsentare infrà 20. horas, quæ delicta numerantur *l.2. tit.29.part.7.*

## DVBIVM VII.

*An liceat damnato iustè ad mortem, si possit,fugere,non illata vi custodibus, nec effringendo, carceres, vel rumpendo vincula, effugere è carceribus;& similiter in aliis vinctis iustè, qui nec morte,nec corporali supplicio damnati sunt, liceat fugere.*

1 CIrca primum duplex est sententia.

Prima tenet non posse fugere,tum quia grauis actura sequetur custodibus carceris; tum quia ad mortem damnati, ex consequenti ad carceres damnati sunt;at damnati ad carceres nequeunt fugere: ergo. Ita tenent Panorm.*cap.1.de testibus cogend. num.3.* Bart.*l.relegati ff. de interdict. & relegat.*

2 Secunda sententia tenet, talem damnatum posse fugere,si absque vi illata custodibus possit. Ratio, quia iste non damnatur ad manendum in carcere, nec ad agendum aliquid ex quo mors ei subsequatur, sed tantùm ad patienter sustinendam mortem sibi illatam *l.1.ff.de bon. eorum,qui sibi mort.* Item, quia licèt inde sequatur damnum custodibus, id non imputatur reo fugienti, cùm operam rei licitæ dederit, & hoc damnum per accidens sequatur, & hæc sententia tanquam certa tenenda est; & opposita vt omnino improbabilis reiicienda. Ita tenet D. Thomas 2.2. *quæst.69. art.4.ad 2.* Caiet.*ibi dubit. prima*, Couar.*lib.1.var.cap.2.num.* 10.& 11. Anchar. & Immol. *Clement.pastoralis, de re iudic.* Driedo *de lib. Christ.pag.* 226.Atchid. *cap.cum homo 23. quæst.5.* Maior. 4.*dist.15. quæst.22.* Sotus *lib.5.de iust.q.6.art.4* Simancas *lib.instit. tit.16.num.26.*Almainus *tract. de suprema potest. laica,q.* 3.*cap.1.*D.Anton.2.*p.tit.1.cap.19.§.6.* Viguet. *lib. instit. cap.5.§.2. vers.6.* Alcozer *summa, cap. 26.fine*, Sylvest. *verb.fugere,num.1.*Rosella *ibi num.1.*Tabien.*verbo accusatio, num.10.*Armil. *verbo carcer, num.3.& verbo accusatio, num.15* Nauar. *cap.25.num.38.& cap.17.num.101.* Cordub.*summa q.195.*

3 Hinc infertur, minus benè sensisse quos asserentes, damnatum ad mortem, vel mutilationem pro peccato occulto, non peccare, si fugiat è carceribus; si verò pro peccato manifesto, peccare, non tamen teneri redire ad carceres.Ita tenet Anton. de Butrio, quem refert, ac sequitur Angel. *verbo fugere, n.1.* Sed hanc limitationem reprehendunt Sylvest. Rosel. Tabien. *vbi suprà*, Nauar. *cap.17.num.102.*

4 Secundò infertur, minus benè sensisse Maiorem *vbi suprà*, dicentem, non licere capto iustè fugere, etiam ad mortis periculum euadendum, vbi ex ea fuga custodi sequeretur præiudicium aliquod, vt quòd iudex eum puniret pro neglecta carceris custodia; sed fallitur, vt patet ex ratione posita, & ita eum reprobant Couar.*vbi supra,num.11.*Sotus *vbi suprà, vers.at verò*,Caiet.*vbi supra*,Driedus *suprà fol.227.*Nauar. *vbi supra*, dicentes talem non teneri restituere damnum inde sequutum custodi carceris, quia iure suo vtitur, & sibi imputet custos,quòd negligenter carcerem custodierit.

5 Tertiò nota, quòd licèt iudex præcipiat reo damnato ad mortem, ne è carceribus fugiat, potest adhuc fugere. Ratio, quia iudex non habet potestatem præcipiendi reis, vt mortem expectent, si effugere queant,sed tantùm, vt mortem sibi illatam patienter sustineant.Ita Sylvest.*verb fugere,n.1* Viguer.*vbi supra*,immò optimè Sot. *vbi suprà, vers.an verò*,defendit ferri non posse leges,sed esse iniustas, quæ decernerent, damnatum ad mortem damnari simul, vt in carcere maneat, licet fugiendi copiam habeat; quia non potest quis beneficio fugiendi priuari, quando ad supplicium destinatur corporale, licèt contrarium teneat Caiet. *vbi suprà ad 2.dubit.* vbi sustinet,quòd si iuris ordo haberet, vt damnatus ad mortem, censeretur damnatus ad carcerem, non posset sic damnatus fugere. Cum Soto tenet Castrus *lib.2.de lege pœnal.cap 3. corol.3.*

6 Vltimò infertur eum, qui quærit, vt iustè in carcerem trudatur, licitè fugere posse; at non posse vim inferre iustitiæ ministris dum ipsum capere volunt:patet, quia iustè captus fugere potest, at non vim inferre custodibus; quia ex parte ipsorum bellum est iustum:ergo.Ita Sylvest.*verb.fugere, n.1.*Angel.*ibi n.2.*Nauar.*c.25.n.38.* Nota tamen cum Soto *vbi suprà, vers. quòd si vrgentius*, quòd is, qui custodem carceris ligaret, aut os illi, ne clamaret,obstrueret, vim faceret, non tamen si eum,dum se teneret, post se fugiens traheret.

## DVBIVM VIII.

*An vinctus non damnatus, nec damnandus ad pœnam sanguinis,vel mutilationis, sed ad aliàpunitionẽ,aut ad debita soluenda,vel pœnã pecuniariã,possit licitè fugere.*

1 DVplex est sententia.

Prima tenet non posse. Ratio,quia id peculiare ius est damnandi pœna sanguinis, vt vitam vel membrum tueatur.Ita Armil. *verb.accusatio,n.10.& verb.carcer,num.3.* Tabien. *verb. accusatio, n.16.* Ant. à Burtio, quem refert, ac sequitur Sylvest. *verb.fugere,n.1.* Ang. & Rosel.*eod. n.1.*

2 Secunda sententia tenet oppositum. Sit

3 Prima conclusio. Vinctus propter crimen, ob quod damnandus est, vel iam est damnatus ad quoduis supplicium corporale, vt verbera, &c. fugere potest. Patet, quia in his tantùm damnatur quis, vt patiatur. Ita Caiet. Caiet. 2.2.*quæst.69. art.4.ad 2. dubitationem. fine.* Sotus *lib.5.de iust.q.6.art.4.vers.an verò.*Driedus *lib.1. de libert. Christ.fol.226.*Nauarr.*cap.25.n.38.*

4 Secunda conclusio. Etiam quando reus non est damnandus ad pœnam corporalem, sed ad debita soluenda, vel est damnatus ad pœnam pecuniariam, probabilius est, quòd possit fugere cum animo soluendi debita cùm primùm possit, & satisfaciendi fideiussoribus omne damnum subsequutum. Ratio, quia ius habet propriam libertatem consequendi, & damna creditoribus illata, vel fideiussoribus compensare vult, vbi primùm potuerit. Nauarr. *vbi suprà.*

## DVBIVM IX.

*An liceat reo carceres effringere, vel perforare, vinculáque disrumpere, vt sic effugiat.*

1 RAtio dubitandi est, quia infert reipublicæ damnum, & etiam aliis, quia vincti ob æs alienum, quod debent, fugient. Item, quia carcerum effractoribus pœna mortis iure taxata est, quam non nisi pro grauissimo crimine licet inferre. Ita tenent Couarr. *libro 1. var.cap.2.num.14.* Sylvest.*verb.fugere,num.1.& verb. accusatio,num.16.* Henric. Gand.*quodlib.9.art.2.* Maior.4. *dist.15.quæst.22.* Almainus *tractat. de suprema potest.laica,quæst.3.cap.1.*Simanc.*lib.inst.tit.16.num.27.& 28.*Addirque Couarr. sic effringentem fores teneri restituere damnum, quod dedit, scilicet pretium vinculorum, vel carceris rupti. Item damnum quod intulit reipublicæ, vel priuatis ex ea effractione, cum alij pro criminibus, aut ære alieno capti fuerint.

2 Secunda sententia tenet licere carceres effringere, & vincula rumpere.Ratio,quia cuicunque fugere licet,licet etiam se ab impedimentis citra violentiam expedire: at violentia non dicitur inferri inanimatis, imò nec brutis, quæ nec dominium, nec ius propriè dicuntur habere;sicut qui auctoritate iudicis leonibus esset traditus;non diceretur vim iudici inferre, si leones interimeret, vt se tueretur. Ita tenent Sotus *lib. 5. de iust. q. 6. art. 4. vers. quòd si vrgentius*, Caiet. 2.2.*q.69.art.4 ad 3. & 4. dubit.* Corduba *summ.quæst.199.*Driedus *lib.1. de libert. Christ. fol.226.*Viguet.*lib.instit.c.5.§.2.vers.6.*Armil. *verbo carcer,num.3.*Alcozer *summa cap.26.fine.*Nauar. *c.25.n.38. & cap.17.num.102.* Idem tenent multi docti iuniores.Et hæc est probabilior sententia. Vnde ad argumentum potissimum oppositæ sententiæ, scilicet istum damnari pœna mortis,respondetur, vel leges præsumere vim illatam iustitiæ ministris,vel sequutam sententiam dicentem,non licere effringere carceres,quæ probabilis est.

3 Nota tamen, quòd ille, qui sic egreditur, tenetur de damno dato directè,scilicet,soluere pretium vinculorum, quæ rupit,vel parietis,quem fodit; sicut ille, qui fugiens inimicum transit per sata aliena,licèt non peccet, tenetur tamen ratione rei acceptæ de damno satis illato,ita in præsentiarum.Sic Viguer.*vbi suprà*, & Sotus *suprà vers. sed arguis.* De damno verò sequuto indirectè, scilicet si puniantur custodes,vel fugiant alij vincti,& ære alieno grauati,non tenetur.Ratio,quia causa indirecta, & per accidens non est causa culpabilis & obnoxia restitutioni, nisi quando potest, & tenetur vitare damnum; iste verò non tenetur vitare damnum alienum cum tanto damno suo. Ita Sotus,& multi valdè docti recentiores Magistri.

## DVBIVM X.

*An sit licitum consulere vinctis, vt fugiant, vel effringant carceres,vel vincula rumpant,& ad id opem præstare.*

1 IN hac re duo sunt certa.

Alterum est licere consulere vinctis ob aliquod delictum,vel auxilium præstare sine violentia aliqua, & sine ordine ad violentiam, vt fugiant: licere (inquam)





iis, qui ministri iustitiæ non sunt,his enim non licet,quia ex officio incumbit ipsis iuuare ad retentionem. & punitionem rei. Ratio, quia quod licet alteri facere, licèt etiam ipsi consulere, nisi officij munus obster. Ita Sylvest. *verbo fugere,num.1.*Angel. *ibi num.1.* Tabien. *verbo accusatio,num.10.*Sotus *lib.5.de iust. q.6. art.4. vers. sed arguis.* Caiet. 2.2.*q.69.art.4.ad 5. dubitationem.* Driedus *lib.1.de liber.Christ. fol.226.* Armil. *verbo carcer, num.3.* Couar. *lib.1.variar.cap.2 n.14.* Nauarr. *cap.25.n.38. & cap.17.n.103.* Corduba *summa,q.195.*

2 Nota tamen, quèd licèt hoc de se sit licitum : at propter aliquam circunstantiam potest esse illicitum, scilicet, si inde sequatur scandalum aliis, vel quòd vinctus manebit in peccatis, & non corrigetur, vel quia alij audaciam sument ad similia delicta perpetranda. Ita nonnulli docti recentiores,& colligitur ex Nauar. *d. n. 103.* vbi dicens licere auxilium præstare ad fugiendum, limitat, si spes sit reum absque pœna vlla corporali corrigendum. Quare ad hoc quòd tale opus, vel consilium ab omni peccato excusetur, debent cessare similia inconuenientia, & debet fieri aliquo bono fine, scilicet compassionis, vel charitatis, vel alterius virtutis. Ita Sylvest. Angel. Tabien.

3 Alterum est non licere aliis carceres perforare, vel vincula rumpere. Patet, quia si domum priuatam non licèt alicui perforare : ergo à fortiori nec domum publicam, scilicet carceres. Item, quia hoc ius, est peculiare ipsius rei. Ita Caietan. Sotus, Driedus, Nauarra *vbi suprà.*

4 At difficultas est, an liceat iis, qui ministri iustitiæ non sunt, ministrare talibus vinctis limam, malleum, & alia instrumenta,quibus ipsi vincti possint rumpere vincula,vel carceres? Duplex est sententia.

Prima tenet, id non licere. Ratio, quia sternere,& parare viam ad fugam est ius peculiare ipsius vincti. Præterea rumpere esset aliis illicitum; ergo ad id cooperari ministrando instrumenta. Ita Sotus *vbi suprà*,& Nauarr. *cap. 35.num.38.* putat hanc in rigore veriorem.

5 Secunda sententia tenet id licere. Ratio,quia id non est rumpere, quod est aliis illicitum, sed est dare media ad faciendum rem licitam, & illi, cui est licita. Ita Caiet. & Armil. *vbi supra*, & apertè innuit Driedus *vbi supra*, & tenent multi iuniores Magistri,quorum aliqui dicunt, quòd tenerentur restituere damnum, quando reus non restituit.Quare hæc sententia est amplectenda.

6 Sed quid dicendum de vinctis non propter aliquod delictum.

Sit conclusio. Quando victus est obligatus ad debita ciuilia, propter quæ soluenda detinetur in carcere, si ex fuga sequatur, quòd talia debita non soluerit, tunc non licèt dare illi consilium,vel auxilium,vt fugiat:& qui fugæ causa esset, teneretur creditori resarcire damnum.Ratio,quia creditor habet ius recuperandi bona sua hac via, & sic,qui eum impedit, violat iustitiam commutatiuam, facitque illi iniuriam.Item,quia si quis propter metum,& coactionem iustè illatam vellet restituere,& alius doceret ipsum modum,quo excusaretur à debita restitutione,teneretur ipse restituere : ergo similiter consulens fugam, propter quam vinctus excusatur à debita restitutione, tenetur restituere. Quando verò non excusatur à restitutione propter fugam, quia non habet vnde soluat, nec alium, qui pro ipso soluat, vel quia extra carcerem etiam soluet,non est peccatum iuuare ad fugam.Ita Nauar.*c.17. n.101.*Idem Platea,quem refert, ac sequitur Angel. *restitutio 1.verbo fugere.* Perez *lib.8. ordinam. tit.17. fol.345. versic.fugeran.* Idem quidam recentiores Magistri, qui in suis scriptis notarunt, idem esse dicendum de aliis obligationibus, ad quas ex iustitia tenetur vinctus, vt si teneatur ad seruitium alicui domino,vel fideiussoribus, ad seruãdos eos indẽnes,si ex fuga sequatur iniustitia,& lesio contra has personas:tũc videtur non esse licitũ consulere fugã,nisi alia via prouideatur,quomodo illis satisfiat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XI.

*An religiosis liceat fugere à carceribus suorum Prælatorum.*

1 SIt conclusio. Religiosi, qui iustè capti sunt, & in carcere, vel custodia suorum Prælatorum detenti, fugere non possunt, nec à talibus locis sibi præfixis exire. Ratio, quia per Religionis vota priuarunt se naturali libertate, quam habebant fugiendi, & se obligarunt in castris ad voluntatem suorum Prælatorum manere. Ita Armilla *verbo accusatio, num.* 19. Caietan. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 2. *dubitat. fine.* Salzedo *pract. crimin. cap.* 137. *lit. B.* Nauarr. *cap. statuimus, num.* 63. limitant Nauarr. & Salzedo, cùm licèt pœna carceris iusta sit, at modus exequendi est valdè iniustus, & à charitate Christiana valdè alienus, & *ibi* proponunt exempla.

## DVBIVM XII.

*An damnati ad carcerem perpetuum, vel temporalem, fugere possint.*

1 ALiqui dixerunt posse, quia ea pœna iniusta est. Ita Angel. *in eos, de custodia reorum.* Paris à Puteo *de syndicatu, cap. qualiter autem, fol.* 31. Nihilominus tenendum est talem non posse fugere; quia vnusquisque tenetur sententiæ iustæ parere, & quando illa sententia non requirit alterius exequutionem, per se, & sine exequutione, & coactione alterius tenetur obedire. Quare cùm pœna carceris, sicut & pœna exilij, alterius exequutionem non poscat, tenetur per se obedire, & sic fugere non potest. Ita Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 14. Driedus *libro primo de libert. Christ. cap.* 15. *fol.* 227. Salzedo *practica crim. cap.* 137. *lit. B.* Nauarr. *cap. statuimus, num.* 63. Armil. *verb. accusatio, num.* 16. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæstione* 6. *art.* 4. *vers. superest autem, & vers. an verò.* Caiet. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2. *dubitat.* Vasquez 1. 2. *quæst* 96. *art.* 5. *disp.* 174. *cap.* 1. *num.* 10. Manuel *de ordin. iudiciorum, cap.* 14. *num.* 3. Sairus 2. *tom. casuum, lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 8. & ratio oppositæ sententiæ falsum assumit; quia tam secundùm ius canonicum, quàm ciuile licet ad carceres damnare. Ita Couarr. *vbi suprà*, & Sylvest. *hæresis* 2. §. 9.

2 Nota esse satis probabile, quòd quando carcer est perpetuus, & strictus, non qualem habent condemnati à sancto Inquisitionis officio ad carcerem perpetuum, ita vt per totam ciuitatem deambulare possint, possunt fugere, quia est dura seruitus, sicut *infrà dub.* 18. dicam de damnatis ad triremes, vt seruus potest fugere. Ita multi docti iuniores Magistri, & Nauarr. & Salzedo *vbi suprà*, dicunt clericum damnatum ad seruiendum perpetuò hospitali, non posse fugere, nisi remittatur sibi hæc pœna ab ordinario.

## DVBIVM XIII.

*An reus damnatus ad mortem, qui potest è carceribus fugere, teneatur ad id, vel possit in carceribus manere.*

1 QVoad iustè damnatum duplex est sententia. Prima dicit peccare ni fugiat data sibi opportunitate, nisi tam graue scandalum, vel alia tam grauis necessitas offeretur, vt pro illa vitanda teneretur, vel saltem licitè posset homo mortem subire. Ratio, quia quisque homo tenetur propriam conseruare vitam, nec illam licitè potest periculo exponere, nisi ex grauissima causa. Ita Castrus *lib.* 2. *de lege pœnali, cap.* 3. *corol.* 3. & quantum ad id, quòd talis peccet, nisi fugiat, tenet Victoria *relect. de homicid. num.* 29. & fauet D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. vbi æquiparat hæc, damnatum ad mortem non fugere, cùm possit: & damnatum, vt fame pereat, non sumere cibos sibi oblatos, sed hoc reputat illicitum: ergo & illud.

2 Secunda sententia, & vt certa tenenda est; damnatum iustè ad mortem, non teneri fugere, licèt possit, sed posse ex bono fine in carcere manere, scilicet vt pro delicto suo iustas det pœnas, & reipublicæ satisfaciat. Ratio, quia iste actus, scilicet *non fugere*, directè, & ex sua natura non tendit ad mortem, nec ex se est malus, aliàs nunquam liceret, etiam martyribus: ergo si bono fine fiat, bonus est. Ita tenent Sylvest. *verbo fugere, num.* 2. Angel. *ibi, num.* 1. Tabien. *verbo accusatio, num.* 10. Simancas *lib. institut. tit.* 18. *num.* 30. Caiet. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 1. *dubit.* Maior. 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 8. *& num.* 10 *corol.* 6. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 6. *art.* 4. *vers. at verò ratio, & vers. in eadem solutione*, vbi etiam addit scelerosum hominem posse expectare Prætorem venientem ad se capiendum. Nec D. Thom. contrarium sentit nam (vt optimè dicit Couarr. *d. n.* 10. *corol.* 8.) non æquiparat D. Thom. illa quoad omnia, sed tantùm quoad hoc, quòd sicut damnatus vt fame pereat, non est damnatus, vt cibum non sumat, sed illum si bi oblatum sumere potest; ita damnatus ad mortem, non est damnatus vt faciat aliquid, ex quo mors sequatur, & ita potest è carcere fugere.

3 De iustè verò damnato ad mortem Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 7. & Maior. 4. *dist.* 15. *q.* 22. dicunt teneri fugere, si possit. Ratio, quia tenetur vitam suam conseruare, quia iustè priuari vult. At Sotus *vbi suprà, vers. igitur vt ad ipsam*, sub dubio dicit se nescire, an possit manere in carcere ex causa iusta, scilicet, vt specimen patientiæ exemplo Christi præberet, quando vita eius non esset reipublicæ valde necessaria,

4 Sit tamen conclusio. Iustè damnatus ad mortem, si causam aliquam habeat rationi consonam, vt exercendæ alicuius virtutis, scilicet charitatis, vel professionis fidei, aut exempli fortitudinis, vel patientiæ, dummodo finis bonus sit notabilis vtilitatis, & probabiliter æstimetur futurus, tunc licitè potest in carcere manere, & patienter mortem expectare. Ita quidam docti Magistri, & in hanc propendit Sotus *vbi suprà*, nec videtur esse contrarius nobis Couar. nam *eodem cap.* 2. *n.* 10. *corol.* 7. docens fortè esse peccatum mortale iniustè damnatum non fugere, limitat quando ex nulla causa iusta maneret in carcere. Et probatur, quia istud opus non est de se illicitum etiam in damnato iniustè: vt patet in Christo, & martyribus; ergo si bono fine fiat, est licitum. Item, quia causa indirecta non imputatur ad culpam, nisi cùm quis potest, & tenetur vitare: sed homo non semper tenetur vitare mortem iniustam, quia licet vitam exponere pro quacunque virtute, & etiam pro amicis, vt docet Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 1. *artic.* 6. ergo.

## DVBIVM XIV.

*An reo damnato ad mortem famis, liceat abstinere à cibo.*

1 IN hac re aliqua sunt certa.

Primum est licere omnibus, nisi specialiter prohibiti sunt, vt sunt ministri iustitiæ, porrigere cibos tali damnato, vt fame pereat, non tamen ad id teneri. Ratio, quia ille talis non est simpliciter in extrema necessitate: sed est constitutus in illa secundùm ordinem iuris, quo priuatus est iure, quod habeat, vt sibi subueniretur. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 31. *art.* 2. *ad* 3. Caietan. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 8. *dubium.* Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 6. *art.* 4. *vers. in eadem solutione.* Driedus *lib.* 1. *de libert. Christ. fol.* 227. Armill. *verbo accusatio, n.* 21. *verbo carcer, n.* 4.

2 Secundò est certum, licere tali damnato cibos sibi oblatos edere. Ratio, quia damnatus non est, vt fame se consumat: ad hoc enim potest quis iustè damnari, sed vt subtracta sint sibi alimenta per iustitiæ ministros. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Caiet. *ibi*, Sotus, Armil. Driedus *vbi suprà*, Castrus *lib.* 2. *de lege pœnal. c.* 3. *corol.* 3. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 10. *in princ.* Angel. *verbo fugere, n.* 1. Tabien. *verbo accusatio n.* 10. D. Anton. 2. *part. tit.* 1. *c.* 19. §. 6. Viguer. *lib. instit. cap.* 5 §. 2. *vers.* 6.





3 At dubium est, an sic damnatus teneatur cibos sibi oblatos sumere, vel possit ex iusta causa, scilicet, vt mortem, quam iustè meretur, patiatur, abstinere à cibis & permittere se mori. Duplex est sententia.

4 Prima dicit teneri edere. Ratio, quia abstinere omnino à cibis est actus omnino, & directè ad mortem tendens; ergo nulla ratione potest esse licitus. Ita videtur apertè sentire D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. & ita tenent Caiet. Armil. Couar. Driedus, Castro *vbi suprà*, Victor. *relect. de homicid. n.* 28. Nauar. *cap. statuimus* 19 *q.* 3. *n.* 36.

5 Secunda sententia dicit, non teneri edere. Ratio, quia hoc non est directè se occidere, sed indirectè, & reductiuè: at causa indirecta non est culpabilis, nisi quando potest, & tenetur vitare, iustè autem damnatus ad mortem non tenetur illam vitare, vt dixi *dub. præced.* ergo. Ita Tabien. Angel. *vbi suprà*, Maior. 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. & hoc, vt probabile, sequitur Sotus *vbi suprà, & in vers. igitur, vt ad ipsam*, & exponit S. Thomam, qui oppositum videtur docere. Item probabile sequuntur quidam iuniores docti Magistri. Et hæc sententia tenenda est.

## DVBIVM XV.

*An licitum sit reo obedire ministris iustitiæ, ascendendo locum supplicij, & alia similia faciendo.*

1 PRima conclusio. Si illa, quæ iudex, vel minister eius præcipit, vel petit à reo, sunt directè cooperari ad mortem eiusdem damnati, vt quòd se iugulet, mergat in fluuium, venenum bibat, se mutilet, non est licitum reo obedire. Ratio, quia præceptum est de re in se illicita, & iniusta. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2. *dub.* Castrus *lib.* 2. *de lege pœnal. cap.* 3. *corol.* 3. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 6. *art.* 4. *sub. finem.* Driedus *lib.* 1. *de libert. Christ. fol.* 227. Quòd non liceat se iugulare, quia potest fieri per alium, bene tamen venenum sumere, tenent Vict. *relect. de homicid. num.* 30. Cordub. *lib.* 1. *quæst. q.* 36. *ad* 3. & est valde probabile.

2 Secunda conclusio. Si aliqua non periculosa iubeant, vt quòd reus se verberaret citra mortis periculum, est licitum, & tenetur exequi, vt contingit in religionibus. Castrus *ibi.* Idem Nauarr. *cap. statuimus* 19 *q.* 3. *n.* 63. & ponit exemplum, vt ieiunare, orare, abstinere ab aliquo genere cibi, vel potus. Idem Sotus 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 6. *conclus.* 5. quando supplicium esset ex illis, quæ homines ipsi solent sumere religionis, aut pœnitentiæ gratia. Item tenetur quis damnatus exequi in se pœnas, quas earum natura dictat, vt ipsemet exequatur, vt peregrinatio, exilium, habitatio in certo loco. Sic Driedus *de libert. Christ. fol.* 226. Couar. 4. *decr.* 2. *q. cap.* 9. §. 8. *n.* 10. Capua *lib.* 2. *decis. cap.* 11. *n.* 30.

3 Vltima conclusio. Si illa, quæ reo præcipiuntur, sunt indirectè solùm, & per accidens ordinata ad mortem, vt sunt furcam ascendere, collum parare, linguam extrahere abscindendam, & similia, licitum est obedire, quia hæc non directè tendunt ad mortem. Sotus *ibi*, Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *n.* 10. *corol.* 5. Victoria *d. n.* 30. imò tenetur, vt bene Metina 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *fol.* 883.

## DVBIVM XVI.

*An vinctus, qui promisit, vel iurauit se rediturum ad carcerem, teneatur redire.*

1 ALiqua sunt certa.

Primum est, quòd si iustè captus, dimittatur iuramento, vel fide præstita de redeundo, tenetur redire, quamuis verisimiliter sciat mortis periculo se exponere, quia morte damnabitur. Ratio, quia promisit, vel iurauit rem licitam nulli iniuriosam: ergo obligat promissio, vel iuramentum. Ita tenent Driedus *lib.* 1. *de libert. Christ. fol.* 226. Card. Anchar. Ioann. Andr. Panorm. Bart. Albericus, Hippolytus, Anfrerius, Curtius, Præpositus, quos refert & sequitur Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 8. *vers. ca-*

*terum*, Maior. 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. Idem Couar. *ibi n.* 10. *corol.* 10. glossa *Clement. Pastoralis, de sentent. & re iudic. vers. per violentiam.* Nauar. summa Hisp. & Lat. *cap. n.* 18. Angel. *iuramentum* 5. *num.* 37. *& verbo carcer, n.* 4. Armil. *verbo accusatio, n.* 20. *& verbo iuramentum, num.* 13. Sylu. *verbo accusatio, quæst. vlt. & iuramentum* 4. *quæst.* 26. Tabien. *verbo accusatio, num.* 10. *& verbo carcer, num.* 2. Ludouic. Lopez *lib.* 1. *instruct. cap.* 42.

2 Secundò certum est, quòd si promisit redire absque iuramento, tamen, & carcer sit iniustus, non tenetur. Ratio, quia promissio, vt sit obligatoria debet esse libera. Item, quia qui promisit latroni absque iuramento daturum se numos, ne ipsum occidat, non tenetur, & hoc à fortiori docent auctores statim citandi, dicentes non teneri redire, licèt iurauerit se rediturum.

3 At dubium est, an quando carcer est iniustus, & quis iurauit se rediturum. an teneatur redire, si timet morte iniusta damnandum. Duplex est sententia.

Prima dicit non teneri redire. Ratio, quia materia iuramenti non est res licita, sed temeraria. Item, quia iuramentum promissorium non obligat cum mortis periculo, quando deest iusta causa qualis hîc esse non videtur. Ita glossa, Nauar. Tabien, *vbi suprà*, Angel. *verbo carcer, n.* 4. Armil. *verb. accusatio, num* 20. Sylvest. *verbo accusatio, q. vltima.* Bald. Panorm. Ioan. Andr. Hippol. Curtius, Anchard. & omnes *d. Clement. Pastoralis*, vbi refert, & sequitur Couar. *vbi suprà, num.* 7. Maior. 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. imò addit Couar. hunc grauiter peccare, si redierit, Sylua nuptialis, Ripa, quos refert, & sequitur Gutier. *de iuram.* 1. *p. c.* 57. *num.* 26. & dicit peccare redeundo, Dueñas *regul* 393. *limit.* 4.

4 Secunda sententia dicit hunc teneri redire. Ratio, quia licitè iurauit, & non temerariè, & rem licitam iurauit: licitum est enim pati mortem. Item, quia eadem est ratio de eo, qui latroni mille aureos promisit iuramento, ne occideretur, de quo omnes communiter fatentur teneri. Item, quia redire ad carcerem iniuriosum, est actio non ex se mala, sed indifferens, aliàs nulla ex causa etiam martyribus liceret, & cùm accedat causa iustissima, scilicet religio iuramenti, redditur bona: ergo iuramentum de illa obligat. Ita Roman. *l. stipulationes non deciduntur, num.* 79 *ff. de verb. obligat.* Caiet. *infra, quæst.* 89. *art.* 7. *vers. in ead. responsione ad* 4. *in fine*, Mercado *lib.* 6. *de contract. cap.* 16. §. *este es*, Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *art.* 7. *ad* 3. *columna* 10 Armil. mutans sententiam, *verbo iuramentum, num.* 13. & Angel. *iuramentum* 5. *num.* 35. & Sylvest. *iuramentum* 4. *quæst.* 26. multorum etiam sententiam; *ibi* enim dicunt, quòd si talis habuit animum iurandi, & se obligandi, iuramentum obligat. Idem tenent multi docti iuniores Magistri. Quare licèt prior sententia sit probabilis: at hæc est probabilior. Potest tamen, qui sic iurauit, petere relaxationem iuramenti ab Episcopo: vt in eo, qui iurauit latroni se daturum numos, fatentur Doctores, vt dicitur in materia *de iuramento.* Sed de hac re latissimè dixi *lib.* 3. *sum. cap.* 11. *a num.* 27. *vsque* 37.

## DVBIVM XVII.

*An condemnatus iniustè possit iudici, & ministris iustitiæ resistere? & quid de innocente, damnato tamen iuxta allegata & probata.*

1 SIt prima conclusio. Iniustè damnatus potest resistere iudici, & iustitiæ ministris, nisi grauissimum inde oriretur scandalum. Ratio, quia bellum ex parte sua iustissimum est, siquidem ab iniusto inuasore se tuetur. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 6. *art.* 4. *paulò post principium.* Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 1. *n.* 13. Sylu. *verbo accusatio, quæst.* 16. Tabien. *ibi, num.* 10. Armil. *ibi, n.* 18. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 19. §. 6. Viguer. *lib. instit. cap.* 5 §. 2. *vers.* 6.

2 Nota hîc aliquos asserere talem iniustè damnatum ad mortem, qui aliter euadere non potest iniquam pœ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nam,licitè posse,vt se tueatur,custodes carceris occidere. Ita Lucas à Penna, Paris à Puteo, & Hippolytus, quos refert Couar.*d.num.*13. qui dicit hanc sententiam dubiam esse,& forsan esse veram, vbi iudex tyrannicè ex certa scientia innocentem damnaret.

2 Secunda conclusio. Innocens, qui tamen iuxta probata damnaretur,non posset licitè iudicem,vel custodem interficere, vt se tueretur. Ratio,quia iudex licitè potest talem reum punire, & impugnare ipsum, sed bellum nequit esse ex vtraque parte iustum; ergo ipse innocens sic iustè damnatus non potest seipsum defendere. Quod si dicat bellum ex parte iudicis non esse licitum ex natura rei, sed ex falsa præsumptione, & ita ex parte alterius, erit reueta iustum. Contrà iudex licèt possit decipi in præsumptione, quòd fecerit delictum, non tamen decipitur in hoc quòd ipsum iustè damnat. nam licèt ipsi certò constaret innocentia: at iustè damnaret secundum probata. Item, quia ex tali defensione magnum oriretur scandalum: ergo non licet. Ita Couar. & Sotus *vbi suprà*, imò addit Sotus talem non posse se defendere infligendo vulnera ministris iustitiæ: posse tamen citra graue scandalum, & citra percussionem se defendere includendo se in locum munitum, & forte armatis territando ministris iustitiæ, & dum capitur connitendo se eripere,etiam pellendo ministros. Sic nonnulli docti iuniores qui,dicũt,non posse quãdo est nocens,sic resistere.

## DVBIVM XVIII.

*An damnatis ad triremes liceat fugere.*

1 VIdetur non posse, quia vnusquisque tenetur iustæ sententiæ parere, & hæc est sententia iusta, ergo. Item quia damnatus ad carceres non potest fugere, vt *suprà* dixi: ergo, nec damnatus ad trimeres, quia hæ sunt velut carcer quidam. His rationibus ductus tenuit hanc sententiam quidam doctus Magister, dixi tamen,quòd licèt oppositum consuli non possit: at eum, qui vel iam fugit, vel animo constituit se fugiturum, credens bona fide,id sibi licere, posse absolui, & quòd nequeat fugere,videtur supponere Nauarr. *lib.3.de restit. cap.1.in noua editione,in 3.p.dub.4.n.185.initio, iuncto,n.* 188.*in solutione ad* 2.Idem tenent Nauar.*cap.4.de regul. n.6.corol.2.* Vasq. 1.2.*q.96.art.5.disp.174.cap.1.n.7.* limitat *n.* 10. vt non teneatur redire, si iam abierit extra Regnum Principis ferentis sententiam. Quòd nequit fugere,tenet Saytus *thes.casuum,tom.2.lib.12.cap.18. n.* 8. Valent.2.2.*disp.5.q.13 punct.4.col.4.ad* 4.

2 Contraria tamen sententia,quòd scilicèt possit fugere, videtur ex eo probari, quòd cùm in triremibus manere sit res durissima, & pœna corporalis valde grauis, non videtur quis damnari, vt *ibi* maneat,sed vt patienter ferat pœnam sibi illatam, sicut dum quis damnatus est ad verbera,vel mortem: ergo sicut non obstante sententia potest hic licitè fugere, ita & ille. Pro hac sententia facit Sotus *lib.5.de iust.q.6.art. 4. in solutione ad 2. vers. superest.* vbi dicit damnatum ad carcerem peccare si fugiat,nisi immineat periculum mortis, vel corporalis supplij, sed damnatus ad triremes patitur corporale supplicium:ergo Hanc sententiam tenent Ludou. Lopez 2 *p. instruct.cap.3.fol.25.* Salon 2.2.*q.69.art.4.controu. 3.concluſ.4.* Petrus de Ledesma 2.*tom.summæ,tract* 8.*c.24.fol.* 78.*colum.2.* Bañez *eod.artic.4.conclus.5* Leon. Lessius *de iustit.lib.2.cap.31.dub.5.num.39.* Corduba *summa, quæst.* 185.*dub.*1.addit etiam adiuuare, & multi iuniores docti, qui iuniores dicunt secus esse in Religiosis: atque hæc sententia verior est,& amplectenda.

## DVBIVM XIX.

*An damnati ad exilium, qui bona anni parte latent intra locum,a quo exularunt, peccent mortaliter.*

1 RAtio dubitandi, quia de damnato ad carceres,& ad exilium ferè omnes tenent (vt *suprà* dixi) teneri parere sententiæ. Respondetur tamen attendam esse grauitatem delicti,& ob quod exulauit, & pœnæ impositæ, si exilium non adimpleat: si enim hæc grauia sint, peccabit mortaliter, si bona anni parte lateat intra muros,à quibus exulauit; secus si per paruum temporis spatium. Excusabitur etiam à mortali,si sic lateat graui coactus necessitate, vt quia se,vel suã familiã aliter sustentare nequit: tunc enim ius naturæ concedit illi hanc facultatem. Similiter non peccabit mortaliter, quando delictum esset leue, & pœna imposita, si non impleret,esset leuis. Ratio horum omnium, quia sententia illa tantùm vim præcepti humani rigorosi habet: vt hoc autem obliget ad mortale,hæc omnia attenduntur. Sic nonnulli recentiores Magistri.

---

## CAPVT V.

*De Testibus.*

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *In quibus casibus teneatur homo ad testimonium ferendum.*
2 *An omnibus casibus dictis sit peccatum mortale non se offerre ad testificandum.*
3 *An possit quis se abscondere, vel fingere inhabilitatem, vel inimicitiam,vt sic excusetur à testimonio ferendo? & an sic se abscondens,vel fingens teneatur restituere.*
4 *An quod dicitur de indiciis,quòd debent esse probata ad hoc vt testis teneatur fateri veritatem, idem sit dicendum de infamia, quòd scilicet debeat esse probata ad hoc,vt testis veritatem fateri teneatur, siue per accusationem,siue per inquisitionem procedatur, vel satis sit esse infamiam licèt,non probatam.*
5 *An quod dictum est testes non teneri ad reuelanda crimina,nisi sit infamia,vel indicia probata in iudicio, vel testis semiplenè probans deposuerit in iudicio, sit etiam verum in criminibus exceptis, vt in grauissimis,vt in morte Principis, & in his, quæ sunt contra bonum commune, quando damnum non pendet in futurum.*
6 *An Religiosi & sacerdotes teneantur ferre testimonium.*
7 *An testis vocatus ab aliquo, vt testimonium reddat, teneatur etiam manifestare, quæ pro aduersario faciunt.*
8 *An testis interrogatus de delicto alterius, quod si explicet,manifestatur turpitudo ipsius testis occulta, v. g. quia fuit complex in eodem delicto, teneatur illud manifestare.*
9 *An ad iudicium sufficiat duorum,vel trium testimonium.*
10 *An aliquando vnus testis sufficiat ad probationem.*
11 *An in aliquibus casibus non sufficiant duo testes.*
12 *An testes singulares in aliquibus casibus sat sint, vt faciant probationem.*
13 *An si testes discordent,secum,vel cum aliis,sit validum eorum testimonium.*
14 *Qui sint legitimi testes, & quas conditiones habere debeant.*
15 *An esse socium criminis sit circunstantia, ob quam testis sit illegitimus.*
16 *An testes inhabiles valeant aliquid in iudicio.*
17 *An quando personæ sunt priuilegiatæ valeat earum testimonium.*
18 *An aliquis in causa propria, vel sibi & alteri communi possit esse testis.*
19 *Quæ solemnitas necessariò requiratur in recipiendo testimonio.*
20 *An pars aduersa possit ad sui defensam detegere occultos testium defectus.*
21 *Ad quid teneatur testis,qui falsum deposuit.*

DVBIVM



## DVBIVM I.

*In quibus casibus teneatur homo ad testimonium ferendum.*

DIVVS THOMAS 2.2. *quæst.70.art.1.* vbi de hac re agit, quinque conclusiones statuit.

Prima est. Vbi testis interrogatur auctoritate iudicis, & secundùm ordinem iuris, scilicet de his, de quibus præcessit infamia, tunc tenetur testimonium ferre. Ratio, quia præceptum est iustum: ergo subditus tenetur obedire.

Secunda conclusio. Quando iudex exigit testimonium,non secundùm iuris ordinem, scilicet, de his,de quibus infamia non præcessit,non tenetur testis ferre testimonium,quia præceptum est iniustum.

Tertia conclusio. Quando iudex non exigit testimonium à subdito, si testimonium sit necessarium ad liberandum proximum ab iniusta læsione, tenetur homo ad testificandum se offerre, etiamsi à nullo requiratur. Ratio, quia ex lege charitatis tenetur quisque proximum ab iniusto damno liberare.

Quarta conclusio. Quando iudex non requirit, nec est necessarium ad liberandum proximum ab iniusto damno,sed ad alicuius condemnationem, tunc non tenetur quis testificari, & licèt ex hoc periculum immineat accusatori, sibi imputet, qui delictum acquisiuit, quod probare non poterat.

Vltima conclusio,*in solut.ad* 2. Si ea,quæ quis scit,nouit sub sigillo secreti, non tenetur etiam ad præceptum superioris testificari de his, nisi in damnum commune, vel alicuius priuati essent.

2 Difficultas tamen est, an vltra casus ex D. Thoma relatos detur alius, in quo quis teneatur ad testificandum. Ratio dubitandi,quia D.Thom.ait quòd quamuis accusator deficiat in probatione, & ob id immineat ipsi periculum pœnæ,vel infamiæ, testis non requisitus à iudice non tenetur se offerre; quod videtur esse falsum, quia potest esse casus, in quo accusator ex obligatione accusauit: ergo tunc similiter testis tenetur testificari.

3 Dico tamen primò. Certum est, quòd solùm tenetur testis se offerre ad testificandum non requisitus in casibus à D.Thom. signatis, scilicet, quando testimonium est necessarium ad liberandum aliquem à damno, quod iniustè patitur, & damnum pendet in futurum, & non potest alia via sufficiens remedium, & opportunum adhiberi.Ita D.Thom.& Caiet.2.2.*quæst.*70 *art.*1.Alcozer *in summa,cap.*26.vbi de peccatis testium Syluest.*verbo testis,quæst* 8.D.Anton.2.*p.tit.*1.*c.*19.§.7. Sotus *lib.* 5. *de iust.quæst.7.art.1.in principio,& lib.2.de secreto,membr.* 2.*quæst.7.dub.3.vers.sed de testibus.* Armil. *verbo testis, n.* 10.Nauar.*cap.*24.*n.*31.*& cap.inter verba,corol.*63.*n.* 702. & quidam docti recentiores Magistri.

4 Dico secundò. Quando accusator ex obligatione iuris aliquem accusauit, tunc verum est testem teneri se offerre ad testificandum, si videat illum deficere in probatione. Sed casus iste non est distinctus à supradictis, quia tunc tantùm accusario est in præcepto, quando fit ad obuiandum malo in futurum pendenti, vt *suprà* dictum est.Vnde litera D. Thomæ intelligitur de accusatore, qui se sponte obtulit ad accusandum, vt faciunt homines in causa propria ad punitionem delinquentis. Et licèt sit periculum pœnæ ipsi accusatori; quia tamen se sponte obtulit, non tenetur testis eum liberare, præsertim cum periculo delinquentis.Ita Nauarr. *d. corol.*63. *num.*712.Alcozer *vbi suprà.*Caiet. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Sotus *de iustit.d.art.1.vers.præterea ex quarta.& d.memb.* 2.*quæst.*7 *immediatè ante quartam conclusionem*, & prædicti Magistri.

## DVBIVM II.

*An omnibus casibus dictis sit peccatum mortale non se offerre ad testificandum.*

1 RAtio dubitandi, quia offerre se ad testificandum est opus charitatis, & ad talia opera non tenetur quis sub peccato mortali in quauis necessitate.

Duplex est sententia.

Prima, quòd tunc tantùm tenetur testis sub peccato mortali se offerre, quando proximus est in extrema testimonij necessitate; quia aliàs vitam est amissurus, vel ea sine quibus sua, vel suorum vita peribit, in alia verò licèt magna sit, non tenetur sub peccato mortali. Vnde infert in casibus ciuilibus raro contingere aliquem sub peccato mortali teneri ad offerendum se,quia communiter excusabitur ob defectum extremæ necessitatis alterius.

2 Secunda sententia est, quòd licèt proximus non sit in extrema necessitate, dummodo sit in periculo patiendi iniustè aliquod graue,& notabile damnum, tunc testis, qui potest illum liberare testificando sine damno suo, vel alterius, tenetur sub peccato mortali id facere, Ratio, quia est magnum discrimen inter hoc, quod est dare aliquid de re sua homini indigenti, & liberare illum à damno imminenti; nam dare fit cum iactura ipsius dantis, & necessitas recipientis non dicitur maxima, nisi maximè indigeat; at quando liberatur,potest fieri sine dantis iactura, & quamuis alter sit diues, & non egeat,dicitur verè pati maximam necessitatem, quando est in periculo perdendi rem maximam. Quare hinc sequitur,quòd sicut grauissimè indigenti tenemur dare de superfluo status, ita habentem graue periculum, vel incurrentem graue damnum, tenemur, si possumus, ab eo damno liberare. Et hæc sententia est tenenda. Ita Sotus *lib.5.de iustit quæst.7.art.1.vers.igitur ad primum, & lib. de secr.memb.2 q.7.vers.ad primum,*& sic se explicat.Nauarr.*cap.inter verba,num.*714.*&* 717.*& cap.non inferenda* 23.*quæst.*39. tenet Cordub.*summa, quæst.*137. *punct.* 3. & alij.

## DVBIVM III.

*An possit quis se abscondere, vel fingere inhabilitatem, vel inimicitiam,vt sic excusetur à testimonio ferendo? & an sic se abscondens,vel fingens teneatur restituere.*

1 DE hoc dubio aliqui dicunt, quòd se abscondere, vel simulans aliquid,quo excusetur,quando scit suum testimonium esse necessarium ad seruandam alicuius iustitiam, peccat, & tenetur restituere damnum,quod læso sequitur ex defectu sui testimonij. Ita Nauarr. *cap.* 25.*num.*41. Sit tamen

2 Prima conclusio. Quando testimonium alicuius erat necessarium ad euitandum damnum graue iniustum alicuius proximi, tunc testis, qui se abscondit, vel per fraudem aliquid simulat, peccat mortaliter. Patet, quia (vt dixi *dub.*1.) tali casu tenetur sub mortali ad testimonium ferendum.Ita Nauar. *vbi suprà*, Alcozer *summa,c.* 26.vbi de peccatis testium, Sylvest.*verbo testis,quæst.*8. Panormitan.quem refert,& sequitur Angel. *verbo testis, num.*27.

3 Secunda conclusio. Si talis non est requisitus à iudice,vt testimonium diceret,licèt peccet, non tamen tenetur restituere. Ratio,quia charitas obligat in hoc casu ad testificandum, non tamen iustitia. Ita Nauar. *cap.*25. *n.*44.*& cap.inter verba corol.*63. *num.*713. Alcozer *vbi suprà,*Sotus *lib.5.de iust.q.7.art.1.vers hæc argumenta, & lib.de secreto,memb.2.q.7. vers.respondetur primum, & vers.per hæc,*& multi iuniores Magistri.

4 Vltima conclusio. Si talis esset iam vocatus à iudice ad testificandum, & se absconderet, vel fingeret aliquid quo accusaretur, peccaret mortaliter, & teneretur restituere, si ob defectum sui testimonij aliquod damnum

Universidad de Deusto
Biblioteca



num sequitur parti læsæ. Ratio, quia ex iustitia tenetur obedire iudici, & sic iustitiam violat. Ita Sotus, Alcozer, Nauar. *locis citatis*, vnde sic est intelligendus *n.* 41. vt ipse se explicat *num.* 44. hoc etiam tenet Castrus *lib.* 2. *de lege pœn. cap.* 12. §. *ex his.*

5 Hinc infertur, eum qui ad edicta generalia non manifestat furtum, quod ille manifestare iubetur, casu quo manifestare tenetur, vltra peccatum, & excommunicationem, quam incurrit, teneri restituere damnum, quod parti læsæ sequitur ex sua taciturnitate; quia tenebatur ex iustitia obedire edictis. Ita Alcozer *vbi suprà*, Nauarr. *cap.* 25. *num.* 46. Cord. *lib.* 1. *q.* 43. *dub.* 2. *vers.* 2. & aliqui iuniores docti, licèt contrarium, scilicet, quòd se abscondens postquam vocatus est, vel tacens verum coram iudice, tantùm peccat contra charitatem, teneat Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 83. *pag.* 506.

6 Hîc essent disputanda plura alia dubia, scilicet, an personæ priuilegiatæ, vel qui accepit sub fide secreti, vel qui iurauit non ferre testimonium, vel ille, cui sequitur aliquod damnum, teneantur testificari, sed de his latè *suprà* dixi, vbi de denunciatione ad edicta.

## DVBIVM IV.

*An quod dicitur de indiciis, quòd debent esse probata, ad hoc vt testis teneatur fateri veritatem, idem sit dicendum de infamia, quòd scilicet debeat esse probata, ad hoc vt testis veritatem fateri teneatur, siue per accusationem, siue per inquisitionem procedatur, vel satis sit esse infamiam, licèt non probatam.*

1 EX altera parte videtur, quòd debeat esse probata, quia iudex debet aliquid habere ex parte sua, vt iuridicè procedat contra reum; sed quando nihil habet probatum in iudicio, nihil habet contra reum: ergo necesse est probatam esse infamiam. Ita Nauarr. *cap.* 25. *numero* 43. & idem videtur sentire *cap. inter verba, corol.* 52. *num.* 599. & alij.

2 Ex altera parte videtur hoc non esse necessarium. Ratio, quia peccata infamia notata Ecclesia non tolerat, sed statim inquiri iubet, & puniri; sed si esset necessarium infamiam priùs esse probatam, nunquam possent iudices contra ista procedere, & sic respublica abundaret peccatis publicis, & nullus teneretur respondere iudicibus inquirentibus, quia quando incipiunt procedere, non habent infamiam probatam. Et si dicatur ad hoc quòd bene potest primùm inquirere de sola infamia, & de hac teneatur testis respondere, & probata infamia, interrogare de veritate facta: sequuntur ex hoc magna absurda, scilicet, quòd testis primò interrogatur de crimine publico; qui scit infamiam, & scit etiam veritatem, tenetur respondere de infamia, & non de veritate, & quod potest negare veritatem, & tenetur fateri infamiam: & sequitur, quòd si probata infamia cum vno teste interrogatur secundus, qui scit infamiam, & factum, non tenebitur dicere primùm de facto, sed de infamia primùm, & postea de facto. Item, quia parum refert, vt probetur infamiam esse, nisi probatum sit, aliquem determinatum esse infamia notatum.

Secunda ratio sit, quia textus *in cap. qualiter, & cap. inquisitionis*, & alij, *de accus.* solùm exigunt infamiam ad inquirendum in particulari malefactores infames, & non requirunt infamiam priùs esse probatam, & auctores communiter sic loquuntur, & consuetudine sic receptum est: nam in edictis publicis præcipitur sub excommunicatione, vt omnes denuncient malefactores, infames, & non expectatur probatio infamiæ, & (vt dixi *suprà c.* 2. *de denunt. ad edicta*) huiusmodi delicta tenetur quis statim denunciare, Et confirmatur, quia hoc distat inter infamiam & indicia, quia nunquam dicimus contra aliquem esse indicia, nec crimen esse indiciis notatum, quandiu talia indicia manent secreta apud duos, vel tres, sed quando indicia vel sunt publica, vel sunt in iudicio probata; infamiam verò bene dicimus esse contra aliquem, & delictum ipsius esse famosum, licèt infamia non sit probata. Item, quia *d. cap. inquisitionis*, sub disiunctione dicit sufficere infamiam, vel clamorosam insinuationem, & plures doctores; quos sequitur Nauar. *cap. inter verba, corol.* 62. *num.* 997. dicunt infamiam dici, quando testes in iudicio testificati sunt de ea, & clamorosam insinuationem, quando extra iudicium plures id manifestarunt iudici; ergo sufficit infamia non probata in iudicio.

Tertia ratio sit, quando iudex habet ius ad inquirendum de aliquo delicto, potest etiam inquirere de circunstantiis necessariis ad eius cognitionem, licèt occultæ sint, vt dictum est *suprà*, vbi de inquisitione, ergo si iudex ante probationem infamiæ, potest inquirere de infamia, potest etiam inquirere de fundamento infamiæ & de ratione, & causa eius, quod est quærere de veritate facti, & sic tenebitur testis respondere. Et hanc partem videtur tenere D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. cum pluribus aliis quos retuli *suprà dub.* 3. *de inquisit. dub.* 36. asserit enim testem requisitum à iudice teneri respondere de delictis infamia notatis, & non petit ibi vt infamia sit priùs probata, & idem sequuntur plures *d. dub.* 36. citati.

3 Sit conclusio. Longè certior sententia est non esse opus, vt infamia sit probata ad hoc quod testis teneatur respondere, sed quando infamia præcessit, teneri testem respondere iudici, siue per viam accusationis, siue per viam inquisitionis procedenti, licèt infamia probata non sit, modò constet testi infamia. Patet ex dictis, & ita docuerunt plures docti iuniores Magistri.

## DVBIVM V.

*An quod dictum est, testes non teneri ad reuelandum crimina, nisi sit infamia vel indicia probata in iudicio, vel testis semplenè probans deposuerit in iudicio, sit etiam verum in criminibus exceptis, vt in grauissimis, vt in morte, Principis, & in aliis, quæ sunt contra bonum commune, quando damnum non pendet in futurum.*

1 EX vna parte videtur, quòd in his non sit necessarium primò, quia ista delicta sunt in iure excepta, vt ad procedendum contra ipsa non requiratur tanta solemnitas, quanta requiritur ad procedendum contra alia, quæ sunt in damnum tertij, quod omnes Doctores fatentur, sicut *supra dub.* 3. de inquisitione dictum est: sed si dicimus quòd quando proceditur ad punitionem meram, quia non pendent in futurum, sunt necessaria indicia; &c. & tunc tantùm sunt reuelanda, nil plus illi tribueretur, quàm omnibus aliis, quæ sunt in præiudicium tertij. Item sequeretur ista crimina non posse à iudice puniri, nisi quando sunt notoria, vel publica, quia si quis solus, vel cum alio vidit hominem occidentem Regem, & fugientem cum ense nudo, sanguine aspersо, si non tenetur dicere se vidisse occidentem, quia est secretum factum; ergo nec quòd viderit fugientem, quia est secretum indicium, & eadem est ratio de vno, & de altero; & sic crimen læsæ maiestatis puniri non posset, nisi publicù, vel notorium sit: quod videtur absurdum. Hanc partem videntur affirmare plurimi auctores, Sotus *memb.* 2. *q.* 6. *vers. sed excipiuntur*, vbi dicit in his delictis posse reum inquiri de occultis complicibus, & *q.* 7. *vers. hæc autem*, postquam dixit requiri infamiam, vel indicia probata, vt testes teneantur respondere, addit aliud esse in criminibus in damnum commune vergentibus, in his enim (inquit) non tanta solemnitas requiritur, & Nauar. *cap.* 18. *num.* 57. *& cap. inter verba, corol.* 66. *num.* 834. ait, quòd tunc male agit iudex, quando interrogat de delictis emendatis, de quibus non habet infamiam, vel indicia, nec sunt de exceptis in iure, vbi videtur sentire in exceptis non requiri infamiam, nec indicia, & explicat *ibi*, *n.* 84. hoc esse verum, tam ad hoc, quòd iudex interroget, quàm ad hoc quòd testis teneatur reuelare, & *corol.* 62. *n.* 689. loquens de crimine læsæ maiestatis, de quo ius statuit extrauaganti *ad reprimendam*, vt procedatur contra occultos reos, explicat Nauarr. hoc intelligi, quamuis crimen non pendeat in futurum; & Anton. Gom. *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *n.* 17. ait, quòd in criminibus exceptis, si est præsumptio aliquem habuisse socios, interrogatur de ipsis, & compellitur tortura ad manifestandum eos; & hanc esse communem sententiam asserit Nauarr. *c. inter verb. corol.* 50. & Anton. Gomez *ibi.*

2 Pro altera parte, scilicet idem esse dicendum de istis, & de aliis delictis, quando ista in futurum non pendent, faciunt aliqua.

Primò, quia ius naturale, & euangelicum præcipit, vt in criminibus secretis notis vni, duobus, vel tribus, fiat correctio secreta ante iuridicam denunciationem, quod secundùm omnes (vt *suprà* vidimus) in criminibus etiam contra commune bonum, intelligitur, quando est certa spes emendæ: ergo, quando hæc est spes, & tantùm puitionis gratia inquiruntur, non sunt manifestanda, &c.

Secundò, crimina, quæ non sunt iam aliquo modo manifestata per infamiam, vel indicia probata, &c. non pertinent ad forum exterius quoad punitionem publicam: ergo non sunt illa reuelanda. Et confirmatur; quia non dicuntur esse contra aliquem indicia, nisi quando iam sunt publica, vel probata, nec semiplena probatio, nisi quando iam testis deposuit in iudicio, nam si duo, vel tres viderunt delictum, & indicia eius, & nil detegerunt sed apud eos latet, non potest dici esse contra delinquentem indicia, vel semiplenam probationem: ergo etiam in istis delictis exceptis debent esse indicia probata, ad hoc quòd iudex possit compellere ad reuelandum. Hanc doctrinam videntur omnes communiter affirmare D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. de omnibus delictis, etiam contra bonum commune, asserit quòd si emendata sint, non sunt iudici præcipienti reuelanda, nisi per indicia sint manifesta, & Palud. 4 *dist.* 19. *q. vltima*, ait, præceptum correctionis habere locum secundùm omnes, etiamsi peccatum sit probabile, quia duo, vel tres id viderunt, & quòd vniuersaliter intelligatur de omnibus delictis, & Caiet. *opusc.* 17. *respons. resp.* 5. affirmat, loquens etiam de delictis exceptis, quòd etiamsi sint complices, si non interueniant indicia, non sunt reuelanda ad punitionem: ergo intelligi de indiciis iam probatis; quia si sint complices, clarum est quòd sunt indicia non probata. Sotus *memb.* 2. *quæst.* 7. loquens de criminibus exceptis de quibus iudex sine infamia, & indiciis potest interrogare, ait, quòd licèt iudex benè interrogaret: at reus interrogatus non tenetur se reuelare, quando non sunt contra ipsum indicia, quæ ipsum insinuent, tamen quòd testis tenetur ad obuiandum malo publico, de quo præsumitur periculum in futurum: ergo, quando non pendent in futurum, non tenetur testis respondere. Greg. Lop. *l.* 4. *tit.* 29 *p.* 7. loquens vniuersaliter de omnibus delictis, & de vtraque via, scilicet inquisitionis, & accusationis, ait quòd tunc iudex potest procedere, quando de crimine sunt indicia, &c. & tunc reus tenetur fateri. Quando verò non sunt talia indicia, tunc (inquit) reputatur crimen occultum, & improbabile, & iudex nequit licitè interrogare, nec reus tenetur respondere, & confirmat suam sententiam ex Baldo *l.* 2. *C. de exhibendis reis*, vbi loquitur de Iatronibus; & licèt explicet de reo, idem videtur sentire de teste, quia vniuersaliter dicit, tale crimen reputari occultum, & improbabile; & Corduba *in lib.* 1. *q.* 43. *fol.* 347. loquens de criminibus exceptis, & quando vnus, duo vel tres viderunt crimen, affirmat quòd si non pendeat in futurum, non est manifestandum à testibus quâdo delinquens non est specialiter infamatus, vt accusatus, vel denunciatus cum indiciis, vel semiplena probatione: & pro hac sententia citat aliquos. Idé videtur affirmare Syl. *verb. testis, q.* 8. vbi vniuersaliter affirmat, quòd si crimen non pender in futurum, non tenetur testis illud reuelare, nisi præcesserit infamia, vel semiplenè probatum sit; & *verbo correctio, quæst.* 8. *& verbo inquisitio*, § 7. clariùs affirmat, quòd licèt delicta sint contra bonum commune, licèt iudex generaliter interroget, non tamen est reuelandus delinquens emendatus, nisi quando iudex potest de illo in particulari, & nominatim interrogare: at clarum est secundùm omnes, & secundùm eundem Sylu. *verb. testis, q.* 8. iudicem non posse iure de aliquo interrogare in particulari, nisi habeat indicia, &c. & Nauar. *c.* 25. *n.* 37. approbat Caiet. sententiam, & ait, quòd quando complices occulti perseuerant in delictis in damnum reipublicæ, vel aliorum, & non sufficit ad impediendum correctio fraterna, tunc sunt reuelandi: ergo, quando sunt emendati; non sunt reuelandi; *cap. inter verba, corol.* 52. *n.* 600. *& corol.* 62. *n.* 66. multa dicit in fauorem hujus sententiæ,

3 Sit conclusio. Probabile est etiam in istis delictis exceptis, quando omnino sunt emendata, & nullo modo pendent in futurum, non teneri testem à iudice rogatum ea manifestare, nisi vel infamia, vel indicia probata præcesserint, vel testis semiplenè probans in iudicio deposuerit. Patet *ex dictis*. Ita nonnulli recentiores docti Magistri.

## DVBIVM VI.

*An religiosi, & sacerdotes teneantur ferre testimonium.*

1 SIt conclusio. Quando testimonium est necessarium ad liberandum aliquem à damno iniustè illato, siue damnum sit commune, siue priuatum, & reo non sequitur pœna sanguinis, tunc tenentur isti ferre testimonium. Ratio, quia hoc est de iure naturali, quod omnes obligat: patétque ex *cap. quanquam* 24. *q.* 2. Ita Rainerius, quem refert, ac sequitur Sylu. *verbo testis, q.* 8. *dicto* 1. D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 19. §. 7.

## DVBIVM VII.

*An testis vocatus ab aliquo, vt testimonium reddat, teneatur etiam manifestare, quæ pro aduersario faciunt.*

1 EXemplum sit. Petrus citatur à Paulo, vt testetur pro ipso aduersùs Andream, scit etiam aliqua, quæ conferunt Andreæ, dubitatur, an teneatur illa manifestare.

2 Respondetur affirmatiuè, & si illa taceat, teneri ad restitutionem damni ex taciturnitate sequuti Andreæ. Ratio, quia est causa talis damni, illúdque ex iustitia tenebatur vitare: siquidem contra ipsum testatus est. Ita colligitur ex *cap.* 1. *de crimine falsi*, & docet Nauarr. summa Hisp. & Lat. sed clariùs in Hisp. *cap.* 25. *num.* 40.

## DVBIVM VIII.

*An testis interrogatus de delicto alterius, quòd si explicet, manifestatur turpitudo ipsius testis occulta, v. g. quia fuit complex in eodem delicto, teneatur illud manifestare.*

1 REspondetur negatiuè. Ratio, quia damnum sequitur testis excusat ipsum à testificando: at hoc est graue damnum, scilicet vt delictum testis occultum manifestetur: ergo. Ita colligitur ex Couar. *lib. pract. cap.* 18. *n.* 7. *principio*, vbi docet, non posse interrogari testem, nec ipsum teneri ad respondendum super his interrogationibus, per quas turpitudo ipsius testis detegitur, & ita tenent multi docti iuniores Magistri.

## DVBIVM IX.

*An ad indicium sufficiat duorum, vel trium testimonium.*

1 SVpponendum est cum D. Thoma *infrà* non in omnibus eandem certitudinem exigendam esse. Quo posito, sit.

Prima conclusio. Testimonium duorum testium cum ipso actore communiter sufficit ad iudicium pronunciandum. Ratio, quia communiter dictum trium non fallitur. Hæc conclusio habetur ex iure diuino. *Deuteron.* 17. *&* 19. & ex iure humano, *cap. quod verò* 2. *quæst.* 5. *& cap.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*cap. omni negotio, de testibus, & l. vni numerus, ff. de testib.*

2 Secunda conclusio. Aliquando non sufficit duorum, vel trium testimonium, scilicet quando iudicium condemnationis agitur contra aliquas personas in dignitate constitutas: vt contra Præsulem Ecclesiæ Romanæ requiritur ad condemnationem numerus 72. testium; contra Presbyterum Cardin. 64. ad hoc vt deponatur. Contra Diaconum Cardinalem, vt damnetur requiritur numerus 27. testium. Contra subdiaconum, acolytum, exorcistam,, lectorem, & ostiarium, requiruntur ad condemnationem septem testes. Ratio, quia in talibus officiis præsumitur esse hominem tantæ sanctitatis, cui plus sit credendum, quàm multis testibus. Hanc conclusionem ponit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 2. *ad* 3. & habetur 2. *quæstione* 5.

3 Vltima conclusio. Ad hoc quòd dictum testium sit sufficiens, requiritur quòd in principalibus sint contestes, & concordes, & non singulares, vel diuersi. Ratio, quia quando in principalibus circunstantiis, vel personis non sunt concordes, præsumitur, vel quod falsum dicunt, vel quòd sint singulares, id est, non de eodem facto, sed de diuersis loquantur. Pro huius intelligentia nota ex D. Th. 2. 2. q. 70. *art.* 2. *ad* 2. vbi hanc conclusionem tenet, quòd discordia testium est duplex, quædam circa principalia, & substantialia, vt si quidam dicant delictum factum tali tempore, scilicet manè, vel tali loco, vt domi; alter verò in alio tempore, vel loco, vt vesperè, vel in agro, talis discordia arguit testes esse singulares, & vnumquemque de diuerso facto testari, & infirmat testimonium, & à fortiori si discordia sit eiusdem testis cum seipso. Altera est in circunstantiis accidentalibus, quæ ad facti substantiam non pertinent, vt si quidam dicat factum delictum tempore nubiloso; alter verò tempore sereno, vel vnus dicat factum hora 11. alter 12. Item, quando vnus dicit circunstantiam, quam alter non negat, nec affirmat, & discordia circa has circunstantias non infirmat testimonium, quia circa talia minima facile homines ex inaduertentia, vel ex obliuione labuntur: immò talis discordia solet esse signum maioris firmitatis, & veritatis, quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis viderentur ex condicto eundem sermonem proferre, si autem testes actoris, & rei fuerint discrepantes, si sint numero, & dignitate æquales, iudex debet iudicare in fauorem rei, & non actoris. Ratio, quia melior est conditio possidentis. Item, quia iudex propensior esse debet ad absoluendum, quàm ad condemnandum. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. *ad* 3. & Sylvest. *verb. testis, quæst.* 7. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 7. *artic.* 2.

4 Vtrùm autem testimonium alicuius sit absque eius culpa repellendum. Respondetur aliquos repelli à testimonio ferendo propter culpam, vt sunt infideles, infames. Ratio, quia testimonium debet esse probabile: at culpa tollit probabilitatem, præcipuè aliquæ culpæ, quæ hominis magnam incontinentiam, & infirmitatem arguunt. Aliqui etiam sine culpa à testimonio ferendo repelluntur, vt sunt pueri, mulieres, inimici, &c. Ratio, quia præter culpam sunt defectus, & conditiones in hominibus, quæ arguunt eos posse facilius corrumpi metu, & cupiditate: item quia cùm agatur de alterius damno, non facilè cuique credendum est. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *articulo* 3.

## DVBIVM X.

*An aliquando vnus testis sufficiat ad probationem.*

1 Sit prima conclusio. Aliquando sufficit, scilicet in negotiis, quæ in alicuius damnum non sunt, vt ad iudicandum, an aliqua Ecclesia sit consecrata, aliquis baptizatus, confessus, &c. *c. paruuli, de consecr. dist.* 4 *c. testimonium, de testibus.* Item ad impediendum aliquod peccatum sine punitione alterius. Item ad matrimonium illegitimum impediendum ne fiat, & alia huiusmodi, *cap. præterea* 2. *de sponsal. & ibi* glossa, *& cap. super eo.* 2. *de test.* & aliqui quos refert, & sequitur Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 10. *num.* 21. Nauarr. *cap. sacerdotes, de pœnit. dist.* 6. *n.* 27. Sylvest. *verbo testis, q.* 5. & ratio est, quia sola fama sine alia probatione ad hoc sufficeret: ergo & vnus testis bonus; sed aduerte hoc intelligi, nisi sit probabilis coniectura in contrarium, & de teste, qui certò scit impedimentum. Ita quidam iuniores docti.

2 Secunda conclusio. Aliquando etiam in causis, quæ sunt in damnum, & punitionem alicuius, sufficit dictum vnius testis, scilicet; si testis sit summus Pontifex, cuius testimonium facit probationem, & etiam si est Cardinalis, in multis casibus sufficit dictum vnius de consuetudine Curiæ. Sylvest. *vbi suprà.*

3 Tertia conclusio. Præter has personas dictum vnius nunquam facit probationem in causis, quæ sunt in damnum, & punitionem alterius: bene tamen facit præsumptionem, & indicium, & semiplenam probationem, *cap. interueniens, & cap. via. de testibus, cap. quoniam, de probat. cap. testis* 4. *quæst.* 3. *l. numerus. ff. de testibus*, & iuxta hanc conclusionem intelligitur dictum illud commune, *dictum vnius dictum nullius.*

4 Sed nota hanc conclusionem pati exceptionem in contractibus, qui per interpretem fiunt; quia contrahentes sunt diuersi idiomatis: tunc si interpres fuit sumptus ex voluntate partium, creditur ipsi soli cum iuramento, & facit plenam fidem, & probationem. Idem etiam creditur de aliquibus, quando non fuit assumptus voluntate partium, tamen alter non reperitur in ciuitate. Ant. Gom. *tom.* 3. *var. c.* 9. *n.* 5.

## DVBIVM XI.

*An in aliquibus casibus non sufficiant duo testes.*

1 Prima conclusio. Aliquæ sunt causæ, in quibus non sufficiunt. Ratio, quia propter malitiã humanam in his causis solent multæ fraudes intercedere. v. g. in testamentis apertis requirũtur quinque testes, in occlusis septẽ in codicillis, & donationibus causa mortis quinque, licèt in legatis ad pias causas sat sint duo, *c. relatum* 2. *de testam.*

2 Secunda conclusio. Ad probandum debitum solutum, quod erat in scriptis, & in contractu, qui excedit libram auri, facto in scriptis in ciuitate ab imperio, requiruntur quinque: ad reprobandum autem instrumenta quatuor, vel quinque meliores de scriptis in instrumento: in pecunia deposita requiruntur tres. In his casibus iuxta ius commune plusquam duo testes requiruntur, præter id, quod in legibus regni dispositum est Sylvest. *verbo testis, quæst.* 5.

## DVBIVM XII.

*An testes singulares in aliquibus causis sat sint, & faciant probationem.*

1 Nota testes dici singulares, quando deponunt super diuersis factis, ita quòd quilibet est singularis pro dicto suo, & tunc intelligitur esse singularis, quando quilibet sigillatim testificatur aliquid, quod non colligitur probabiliter esse illud, quod alius testificatur. Contraria verò ratione dicuntur contestes, quando deponunt de facto eodem, quod sic esse, probabiliter colligitur ex circunstantiis.

2 Secundò nota aliquos esse actus continuitatem non habentes, sed breui tempore transeuntes, v. g. homicidium, contumelia; alios verò diu permanentes, vt concubinatus, possessio rei iniusta.

3 Prima conclusio. Quando actus, de quo testificantur, habet continuitatem, vel quia per longum tempus durat, vel quia consuetudo, vel delictum in genere sufficit probari; tunc licèt in aliquo sint singulares, testimonium eorum est validum, v. g. si de homine otioso iacente per diem in platea, vnus dicat vidisse illum manè, alter vesperi; si de possidente rem iniustè, vnus dicat vidisse hominem habere rem illam mense Ianuarij, alter dicat mense Februarij, &c. Ratio, quia licèt de diuersis actibus testentur, in quo singulares sunt, valet nihilominus eorum testimonium; quia quantum ad rem principalem, de qua testificantur, contestes sunt, vel quia vno actu continuato testantur, vel de vna consuetudine, &c. vel de vno delicto in genere, scilicet hæresis, vel blasphemiæ, Glossa *l. ob carcerem, ff. de testibus*, Ioann. Andr. *cap. qualiter, de accusat. & ibi* Innocent. Sylvest. *verbo testis, quæst.* 3. Anton. Gom. *tom.* 3. *var. cap.* 12. *num.* 12. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 5.

4 Secunda conclusio. Quando non proceditur ad integram pœnam, sed ad aliquam, quæ potiùs pœnitentia sit, & medicina ad delinquentis emendam, tunc sat sunt testes singulares de diuersis factis similibus deponentes contra aliquam determinatam personam, v. g. si quis de reo dicat, vidisse se fecisse tale furtum, alter vidisse eum aliud furtum facientem, & concurrit multus testium numerus, tales probationes sunt in vsu apud Religiosos, & habentur ac sufficientes apud illos. Ratio, quia apud tales viros magnam fidem faciunt tales probationes. Item, quia pœnæ sunt mitiores. Item, vt euitentur tormenta, ad quæ apud sæculares ex his probationibus procediturque apud iudices sæculares, cùm acerbiores sint pœnæ, non sufficiunt ad damnandum, sed proceditur ad torturam. Sic Caier. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 7. *art.* 2. *ad* 2. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 5. vbi ob testes singulares dicit puniendum ciuiliter vsurarium pœna mitiori.

5 Tertia conclusio. Quando cum testibus singularibus, aliæ coniecturæ graues, scilicet multitudo, vel magna integritas ipsorum testium, vel alia magna indicia concurrunt, tunc faciunt sufficiens testimonium. Alex. *cons.* 100. & aliqui iuniores Magistri.

## DVBIVM XIII.

*An si testes discordent secum, vel cum aliis, sit validum eorum testimonium.*

1 Prima conclusio. Si aliquis testis extra iudicium dicat vnum, & in iudicio dicat oppositum, statur posteriori dicto, quia primum non erat authenticum, benè tamen secundum. Ita aliqui, quos refert, & sequitur Sylvest. *verbo testis, quæst.* 7.

2 Secunda conclusio. Si vtrumque dictum fuit in iudicio, statur primo dicto. Ratio, quia vtrumque dictum fuit authenticum, & præsumitur precibus ductum, vel donis retractasse. Ita Sylvest. & alij, quos ipse refert, & Nauarr. *cap.* 25. *num.* 40. vbi limitat id, nisi in continenti retractasset: tunc enim statur vltimo dicto, quia videtur se corrigere, & emendare, quasi ex consideratione fuisset loquutus. Si verò ex interuallo retractet, ante tamen quàm pronuncietur sententia, statur priori dicto, at debilitatur illud, adeo, vt talis non reputetur omni exceptione maior. Ita Innocent. & Cardin. quos refert, & sequitur Nauarrus.

3 Nota hîc, quòd interdum posteriori dicto stabitur, scilicet quando consideratis circunstantiis personarum, causæ, & temporis iudici videretur reuocare suum dictum stimulo conscientiæ, Nauar. *ibi.*

4 Tertia conclusio. Quando testis vnus contradicit pluribus, si omnes simul sunt scripti in aliquo instrumento, tunc inualidat dictum eorum; si verò non sit scriptus in eodem instrumento cum pluribus, non inualidat. Patet prima pars, *ff. quemadm. testam. aper. l* 1. *fine.* Patet secunda pars, *cap. admonere* 33. *q.* 2. Sylvest. *vbi suprà.*

5 Quarta conclusio. Quando plures testes contradicunt pluribus, si omnes deponunt in eodem tempore, iudex debet stare dicto illorum, qui verisimiliora, & appariora negotio dicunt, licèt pauciores sint; si verò non appareat notabiliter, qui dicant verisimiliora, tunc debet stare dicto illorum, qui vel numero, vel dignitate excedunt, siue producantur testes ab eadem parte, siue à contrariis, & diuersis partibus, *cap. cùm tu, de testibus*, Sylvest. *vbi suprà.*

6 Quinta conclusio. Quando plures testes pluribus contradicunt, & non deponunt omnes de eodem tempore, sed de diuersis temporibus, itavt, qui secundò deponunt, inducantur ad destrnenda priorum dicta, non statur dicto posteriorum, nisi maximè hi excedant illos numero, vel dignitate, & fama. Ratio, quia post testium publicationem præsumitur in posterioribus subornatio, quæ non sic præsumitur, quando eodem tempore testantur, *l. optimam, C. de contrahend. & commit. stipul.* Syl. *vbi suprà.*





## DVBIVM XIV.

*Qui sint legitimi testes, & quas conditiones habere debeant.*

1 Nota idem esse testes legitimos, & omni exceptione maiores: dicuntur autem legitimi, quia habent qualitates per leges requisitas, dicuntur omni exceptione maiores, quia nulla exceptione legitima, & iuridicè repelli possunt. Ius enim plures statuit exceptiones, ob quas testimonium alicuius inefficax redditur; & quando nulla talium exceptionum, & defectuum reperitur in teste, tunc meritò legitimus, & omni exceptione maior habetur. De his latè Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *à num.* 13. Couar. *quæst. pract. c.* 18. *per totum.*

2 Secundò nota, plures esse conditiones necessarias in in testibus, ex quibus colliguntur defectus contrarij, propter quos iudicantur inhabiles.

Prima conditio requisita est, vt testis sit homo liber, quare seruus non potest esse testis, *l. quoniam liber, C. de testibus* 4. *quæst.* 3. §. *item in criminalibus.* Sed excipiuntur aliqui casus, in quibus valet testimonium serui, scilicet quando de facto serui quæritur non pro domino, nec contra dominum, *d.* §. *item*, & aliquando ex defectu aliorum testium, Sylvest. *verbo testis, quæst.* 1. Ex defectu huius conditionis dicunt aliqui Religiosum non esse validum testem coram iudice sæculari, si absque Prælati licentia testificetur; alij tamen dicunt valere, quia esse Religiosum non est defectus. Ita Sylvest. *ibi* referens aliquos contra alios, quos *ibi* refert. Item ex defectu huius incarceratus, qui tempore quo deponit, detinetur in vinculis, non est legitimus testis, *l.* 20. *tit.* 16. *part.* 3. Anton. Gom. *tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 18. & 19.

3 Secunda conditio est, vt sit vir: quare mulier testis esse non potest. *cap. mulierem*, 23. *quæst.* 5. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus mulier potest esse testis, scilicet in causis ciuilibus, & in criminalibus, quando de illis ciuiliter agitur, & in causis spiritualibus, & in quibusdam criminibus, etiam criminaliter, vt in simonia, & delictis in bonum commune; & licèt in testamentis non admittatur, admittitur tamen in codicillis. Item per viam denunciationis admittitur. Sylvest. *vbi suprà*, referens plures textus. Nota tamen quòd licèt hoc sit verum de iure canonico: at de iure ciuili bene admittitur mulier bonæ famæ, ac testis in omni causa criminali. *l.* 17. *tit.* 16 *p.* 3. Sylu. *vbi suprà.*

4 Tertia est ætas, scilicet, vt sit conuenientis ætatis; quare in ciuilibus non admittitur minor 14. annis, *cap.* 1. 4. *q.* 3. at in criminalibus minor 20. annis non admittitur, *l. inuiti, ff. de testib.* & hoc de iure communi, & de iure Regio, *l.* 9. *tit.* 16. *part.* 3. Nota tamen quòd licèt impubes non sit testis integer; at potest esse indicium sufficiens ad torturam cum aliis, Sylvest. *vbi suprà.*

5 Quarta est discretio, id est, vt necessariam prudentiam habeat. Quare non admittitur furiosus, & insanus. Sylvest. *vbi supra*, referens textus.

Universidad de Deusto
Biblioteca



6 Quinta est fortuna, scilicet ne tam pauper sit, vt considerata suæ virtute fragilitate simul cum indigentia probabiliter credatur facilè posse corrumpi pecunia; si verò non sit talis coniectura, paupertas non erit defectus, *q. testis, 4. q. 3.* Quare debet esse pauper, & vilis persona, vt repellatur, *l. 8. tit. 16. p. 3.* Sylvest. *vbi suprà.*

7 Sexta est fides, id est, vt sit Christianus, *cap. si hæreticus, 2. q. 7.* Sylvest. *ibi.*

8 Septima fama, id est, sit bonæ opinionis, quare infames non admittuntur, etiam post pœnitentiam, nisi iam infamia iudicè sit abolita, & hoc præcipuè in causis criminalibus, *cap. præterea, de testib. cap. Euphemium, 2. q. 3. cap. testimonium, de testibus*, Sylvest. *vbi suprà.* Ex defectu huius conditionis homo criminosus, quandiu in crimine perseuerat non est talis legitimus: si verò est emendatus, in causa ciuili valet eius testimonium, in causa verò criminali, licèt emendatus sit, aliquando non valet, scilicet quando priùs confessus fuit crimen in iudicio, vel conuictus de illo, vel si fuit grauata eius opinio pro eo quòd fuit repulsus, *cap. testimonium, de testib.* Item ob hunc defectum homo in iudicio periurus repellitur; similiter ebrius, qui solitus est inebriari, repellitur. Hæc Sylvest. *verbo testis, quæst. 1.*

9 Octaua, vt testis non sit minis coniunctus partibus, vel contrariis, itaut probabilitatem testimonij notabiliter minuat. Ex defectu huius parentes non admittuntur pro filiis, nec filij pro parentibus, nec ascendentes intra quartum gradum pro descendentibus, nec è contra descendentes pro ascendentibus, *4. q. 3.* nec cognati collaterales intra quartum gradum. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus valet testimonium istorum, scilicet, cùm quæritur de ætate, vel natiuitate filij, admittitur testimonium parentum. Item quando agitur de impedimento matrimonij ratione consanguinitatis, vel affinitatis: item quando lis, vel causa versatur inter æqualiter coniunctos ipsi testi, tunc valet eius testimonium. Ex defectu huius conditionis non admittuntur testes, qui sunt de familia actoris, nec de domo actoris, vel accusatoris: intellige quando actu sunt de familia. Excipiuntur tamen aliqui casus, scilicet quando qui sunt de aliquo collegio, testantur super facto ipsius collegij, quod est tale vt per alios probari non possit; & similiter religiosi de facto sui monasterij, clerici in causa suæ Ecclesiæ. In istis casibus, quando testes non sunt in illis causis actores, vel responsales, admittuntur ad testimonium, *cap. veniens, cap. insuper, de testibus.* Ex defectu huius conditionis non admittuntur inimici illius contra quem fertur testimonium, *3. quæst. 4. §. testes*, intelligitur non de leui, sed de graui inimicitia; & hic defectus est cæteris maior: nam in multis casibus, vt in delictis contra rempublicam admittuntur alij inhabiles, non tamen inimici. Nec admittuntur exequutores negotiorum, qui in ipsa causa fuerint actores, vel responsales. Nec qui fuit Procurator, vel Aduocatus in priori iudicio, in causa appellationis admittitur, *d cap. insuper, cap. Romana, de testib. in 7.* Hæc omnia desumpta sunt ex Sylvest. *vbi suprà*, & Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 12. à num. 13.* vbi ferè omnia, quæ dicta sunt in toto hoc dubio, docet.

## DVBIVM XV.

*An esse socium criminis, sit circunstantia, ob quam testis sit legitimus.*

1 QVædam sunt certa apud auctores.

Certum est esse inhabilem ad testificandum de socio in eodem crimine. Ratio, quia generatur suspicio, quòd sperans propter alterum fauorem, vel v habeat in crimine socium, illum nominat. Item, quia est criminosus, *c. veniens 1. de testib. cap. 1. de confess. l. fin. C. de accus. l. 21. tit. 16. p. 5.* vbi benè Greg. Lop. *fin* dicit cum Bald. non valere etiam pro eodem socio, si testificetur.

Secundò est certum esse aliqua crimina, in quibus non est inhabilis ad testificandum: vt sunt hæreses, *c. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* crimen læsæ maiest. *cap. 1. de confess.* crimen falsæ monetæ, *l. 1. C. de fal. mon.* crimen maleficij, *l. 1. C. de malef. & Math.* crimen sodomiæ, *pragm. regia 85.* furtum famosum, *l. prouinciarum, C. de furtis.* Item iuxta communem opinionem idem intelligitur in omni crimine, quod sine sociis committi non potest; & in crimine commisso à seruo, quia præsumitur semper habere socium, *l. quicunque, C. de seruis fugit.* Hæc omnia docet Anton. Gomez referens plures Doctores, & textus, *tom. 3. variar. cap. 12. num. 16. & 17.*

2 Sed quoad aliqua sunt opiniones, scilicet, an in his casibus, quibus socius potest esse testis, sit testis integer, ita vt semiplenè probet. Quædam opinio tenet non esse integrum, & ita non sufficere ad torturam. Ratio, quia non est testis omnino fide dignus. Ita glossa *l. fin. C. de accusat.* & *ibi* Petrus, Iacobus Butrius, Faber, Albericus, Salicetus, & communiter alij Doctores, & Oldr. Angel. Roman. Hippol. & alij, quos omnes refert Anton. Gom. *d. cap. 12. n. 18.* & Greg. Lop. *d. l. 21. vers. companneros.*

3 Altera opinio verior tenet, in dictis casibus esse integrum testem, & sufficere ad torturam. Ratio, quia defectus testium habentur ex ipso iure: ergo in casibus quibus ius statuit esse admittendos cum tali defectu, est signum tollere defectus, & reddere eos habiles, & legitimos. Ita tenent Panorm. Cyrus, Gand. Ioann. de Immola, quos refert & sequitur Anton. Gom. *d. n. 18.* vbi aduertit cum Hippolyto, quòd talis testis, quando testatur de socio, debet iurare, quia non sufficit iuramentum præstitum super proprio facto: tunc enim iurauit vt pars, modò verò vt testis, & debet etiam priùs citari pars, contra quam testificatur, iuxta formam in testibus obseruandam, de qua *infrà.*

## DVBIVM XVI.

*An testes inhabiles valeant aliquid in iudicio.*

1 PRimò nota in his casibus, in quibus veritas sciri nequit, nisi per testes inhabiles, quia vel rationi temporis, vel loci non possunt in similibus casibus alij nisi inhabiles reperiri, tunc testes inhabiles benè admittuntur, & faciunt plenam fidem, v. g. si delictum domi commissum sit, admittuntur domestici, quia verisimiliter non potuit haberi copia externorum, *cap. fin. de testibus*, & *ibi* glossa Ioann. Andr. Panorm. & communis, & plures alij, quos refert, & sequitur Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 12. n. 21.* Nauar. *25. n. 51. & cap. inter verba, n. 735. & 816.* aduertitque, non sat esse ad hoc, vt tali loco, vel tempore alij habiles reperti non fuerint; sed requiri, vt nec sint, nec communiter esse soleant. Nota hîc quòd si defectus sit propter odium, & inimiciti am, tunc inhabilis non admittitur, etiam in dicto casu; quia fert hic defectus maximam falsitatis præsumptionem, *l. 1. ff. de testib.* Anton. Gom. *vbi suprà.*

2 Secundò nota, quòd quando testes inhabiles sunt à parte contraria admissi in alio iudicio, in quo illorum iudicio vsa est, tunc non potest repellere eos propter inhabilitatem, quam semel videtur approbasse, nisi post talem tacitam approbationem aliqua legitima causa denuò emerserit, *l. si quis testibus, C. de testibus, & 3. quæst. 5. §. item in criminali.*

3 Tertiò nota, quòd quando repellitur, & est inhabilis ob culpam, & delictum, vt sunt infames, &c. vel ob ipsius incapacitatem, vt mulier, minor, &c. tunc licet pars contra quam producitur, non repellat ipsum, potest tamen iudex ex officio repellere. Ratio, quia cùm tunc fauore publico inhabilitetur, non potest per partis consensum habilitari, *l. quos prohibet, ff. de postul.* Quando verò est inhabilis principaliter fauore partis, vt domesticus, hostis, consanguineus, &c. tunc si pars consentiat, non potest iudex repellere. Ita tenent plures, quos refert, & sequitur Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 12. n. 22.*

4 Quartò



Quartò nota, quòd in casibus, quibus inhabiles non sunt, legitimi testes, nec admittendi: si de facto admittantur, sunt aliqui eorum, qui ne fidem plenam, nec etiam indicium faciunt; scilicet, qui propter subiectionem, & reuerentiam, quam debent superioribus, repelluntur, vt seruus, & libertus contra dominum, *l. 1. ff. de quæst.* Item si propter graues inimicitias est inhabilis, non facit indicium, *eadem l. 1. §. præterea.* Item si propter defectum solemnitatis essentialis, vt quia receptus, & examinatus est parte non citata, vel ante litis contestationem: tunc etiam non facit indicium *l. si quis adulterium, ff. de adult.* l. *si quando. C. de testibus.* Alij verò sunt inhabiles, qui de facto admittuntur in casibus, quibus iure repelluntur, & licèt non faciat plenam fidem, nec plenum indicium faciat vnus, tamen facit aliquale indicium, quod iunctum cum aliis sat erit ad torturam. Huiusmodi sunt minor, mulier, infamis, criminosus, periurus, socius criminis, qui soler inebriari, vilis, imò vnus ex his inhabilibus potest iungi cum alio teste tam fide digno, vt possit cum illo facere plenam probationem, quia magna fides vnius supplet defectum alterius. Hæc omnia Anton. Gom. *d. cap. 12. n. 20. & 21.* plures referens. Communiter tamen quando testis est inhabilis, nequit adiungi aliis, vt plenè probet, quia cùm faciat fidem, non potest augere alterius fidem, vt benè Surdus *consil. 452. num. 57. & 58. volum. 4.*

## DVBIVM XVII.

*An quando personæ sunt priuilegiatæ, valeat earum testimonium.*

1 NOta quosdam esse priuilegiatos ob reuerentiam, quam debent suis superioribus, vt sunt filius, & omnes descendentes contra ascendentes, & libertus contra dominum, & mulier contra virum: alij verò sunt priuilegiati, quibus concessum est, ne possint cogi ad testificandum; ne deponant contra suos coniunctos, vt sunt consanguinei intra quartum gradum secundum computationem iuris ciuilis, de qua re latè *suprà*, vbi de denunciatione ad edicta.

2 Sit conclusio. Si priuilegiati primo modo etiam sponte deponant, non valet eorum testimonium. Ratio, quia non possunt aliorum fauori renunciare. At priuilegiati secundo modo, licèt non possint cogi, at si sponte deponant, valet eorum testimonium. Ratio, quia possunt renunciare suo fauori. Ita disponit *l. 1. tit. 16. p. 3.* & docèt plures, quos refert, & sequitur Ant. Gomez *tom. 3. var. cap. 12. n. 24.* notat tamen, quòd si causæ sunt tales, in quibus alij testes inueniri nequeunt, tunc omnium horum testimonium valet. Ratio, quia in hoc casu cessat priuilegium, & omnes dicti cogi valent, vt *loco citato* diximus.

## DVBIVM XVIII.

*An aliquis in causa propria, vel sibi, & alteri communi, possit esse testis.*

1 REspondetur, quòd regulariter non potest *l. omnibus, C. de testibus.* Ratio, quia amor proprij commodi generat magnam falsitatis suspicionem; excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus admittitur, scilicet quando tales circircunstantiæ concurrunt, vt esse causam propriam non minuat notabiliter probabilitatem testimonij, vel propter leuitatem causæ, vel propter grauitatem personæ: vt si homo magnæ virtutis mutuauit alicui numos, potest talis cum alio teste legitimo facere sufficientem probationem de mutuo. Idem etiam pluries potest contingere in causa communi, v. g. in casibus *suprà* positis, quibus diximus Religiosos, & collegiales posse esse testes in causa communi Religionis & Collegij, & legatarij, & fideicommissarij in testamentis, quibus ipsis fit legatum, vel fideicommissum, possunt esse testes, non tamen quoad ipsum legatum, vel fideicommissum, sed quoad hæreditatem, & alia licet causa ad omnes quodammodo pertineat. Ita Sylvest. *verbo testis quæst. 2.* vbi hæc omnia docet, referens textus, & Doctores.

## DVBIVM XIX.

*Quæ solemnitas necessario requiratur in recipiendo testimonio.*

1 REspondetur aliquas esse, quas optimè ponit Sylvest. *verbo testis q. 6.*

Prima est, vt testis iuret se totam veritatem dicturum, quam de re illa nouit, vel totam veritatem dicturum, nulla falsitate admixta, & hæc est tam necessaria, vt nullus licèt magnæ auctoritatis, præter Papam, admittatur testis in alterius damnum sine iuramento, potest tamen ex consensu partium remitti iuramentum, id est, vt sine illo testificetur, excepta causa matrimonij, *cap. nuper de testibus.*

Secunda solemnitas, quòd partes præcipuè aduersæ; vel alij ipsarum nomine sint præsentes, vt audiant, vt videant testes quando testificantur, vel saltem requiritur, vt citentur, & admoneantur, vt per ipsas stet non esse præsentes. Intelligitur verò, non quòd partes audiant, quid deponant in particulari, in secreto enim debent deponere, sed quòd videant, & audiant eos iurantes ad deponendum, *cap. in nomine de testibus.* Sed hæc solemnitas in multis casibus deficit, in quibus sat est, vt post testium publicationem pars aduersa videat depositiones contra ipsam prolatas.

Tertia est, vt testis deponat viua voce, & non in scriptis *cap. testes. 3. q. 9.*

4 Quarta est, vt recipiantur testes parte citata, & post litis contestationem; sed nota quòd licèt hoc sit communiter verum, at multi casus in quibus deficit excipiuntur. Vide Sylvest. *vbi suprà, cap. quoniam, vt lite non contest.* Tempus verò, in quo possunt recipi testes, licet communiter signetur tempus, quo recipiuntur probationes, quod terminus probationis dicitur: tamen in aliquibus casibus durat etiam post publicationem vsque ad sententiam diffinitiuam; vt quando iudex procedit ex officio, & quando probatio fit in defensam alicuius innocentis, & tam euidens potest esse innocentia, vt etiam post sententiam diffinitiuam possit fieri talis probatio. De hoc Anton. Gom. *3. var. cap. 13. n. 33. 34.*

5 Quinta est, quòd testis non se offerat, sed sit vel à iudice citatus, vel per partem iudici productus. Item, quòd in particulari non promittat testificari quid certum.

6 Sexta, vt deponat ex certa scientia, scilicet de visis à seipso, quando obiectum est visibile, vel de auditu proprio, quando obiectum pertinet ad auditum, & sit de aliis sensibus, itaut quæ proprio sensu perceperit, dicat, & non quæ alieno, & similiter vt reddat causam de re, quam testificatur, v. g. quomodo eam sciat, & quare: vt si de scelere noctu perpetrato testetur se vidisse, debet reddere causam quare viderit, scilicet quia erat luna clara, vel lumen aliquod. Si verò testis deponat non de certa scientia, sed de credulitate, aut de visis, vel auditis ab aliis, tunc non est integer testis, sed valet pro indicio, vel ad probandum infamiam Anton. Gom. *tom. 3. var. c. 12. num 7. & 10.* Sylvest. *verbo testis, q. 6.*

## DVBIVM XX.

*An pars aduersa possit ad sui defensam detegere occultos testium defectus.*

1 PRima conclusio. Quando talis detectio non confert ad partis, contra quam fertur testimonium, iustitiam defendendam: item quando testimonium fuit verum, & iudex iuridicè procedit, tunc talis manifestatio, ex qua testi notabilis iniuria, vel notabile damnum

Universidad de Deusto
Biblioteca



sequitur, est peccatum mortale. Ratio, quia contra iustitiam infamatur; ius enim non concessit hoc medium, nisi quando est necessarium ad confessionem innocentis. Ita nonnulli recentiores Magistri. Et primam partem huius conclusionis docet expresè Sotus *libro 5. de iust. quæst. 7. art. 3.* Vnde infert Sotus, quòd si crimen occultum testis non sit ex illis, ob quæ testimonium repellitur, nefas erit illud detegere, quia nihil confert.

2 Secunda conclusio. Quando parti aduersæ sequitur ex tali detectione parua vtilitas, aut leuis defensa, & ipsi testi sequitur damnum maximum; tunc peccatum est crimen ipsius detegere. Ratio, quia licet quisque possit rem suam ab iniusto inuasore defendere, cum inuasoris damno: non tamen quamlibet rem cum quolibet damno; quia non patitur charitas proximi, vt pro minima re conseruanda maximum illi damnum inferas. Sic Sotus *vbi supra*, & aliqui Magistri.

3 Nota tamen, quòd quanto testis inhabilis minori culpa testificatur, tanto maior habenda est ratio de damno illi sequuto: nam si, cùm sit occultè inhabilis, ipse se sponte offerat, maiori damno dignus est, quia est velut latro; si verò contra suam voluntatem compellitur, tunc maior obligatio est excusandi damnum ipsius. Ita Sotus *vbi supra*, & alij.

4 Vltima conclusio. Quando crimen occultum testis verum est (nam si falsum est, nulla ratione licet id imponere) & eius detectio est necessaria ad causæ iustæ defensionem, & damnum, quod parti aduersæ sequitur, est notabile, licèt magnum sequatur ipsi testi, & maius quàm partis, licitè potest fieri. Ratio, quia est medium per ius concessum, & sic cùm pars vtatur iure suo, non delinquit contra iustitiam, nec etiam contra charitatem, quia non tenetur cum tanto damno suo, vitare alienum. Sic Sotus, *vbi supra*, & quidam docti iuniores Magistri.

## DVBIVM XXI.

*Ad quid teneatur testis, qui falsum deposuit.*

1 SIt prima conclusio. Si id fecit scienter, vel ex notabili negligentia, tenetur famam, & totum damnum inde sequutum, restituere læso. Ratio, quia per iniustitiam fuit causa damni. Nauar. summ. Hisp. & Latin. *cap. 25. num. 40.* Sylvest. *verb. testis, quæst. 10.* Angel. *ibi, n. 30* D. Anton *2. part. tit. 1. cap. 19. §. 7.* Sotus *lib. 5. de iust. q. 7. art. 4.* Alcozer *summa, cap. 26.* vbi de peccatis testium, Caiet. *2. 2. q. 70. art. 4.* Idem dicit Nauar. si id quod dubitabat, testatus est tanquam verum.

2 Secunda conclusio. Si falsum deposuit non scienter, nec ex lata culpa, sed ex leui, tunc non tenetur totum damnum resarcire, sed partem pro ratione culpæ. Sotus & multi iuniores docti.

3 Tertia conclusio. Qui præter intentionem adhibita mediocri diligentia falsum dixit, non tenetur restituere damna inde secuta: patet, quia non ratione iniustæ acceptionis, siquidem nihil iniustum commisit, nec ratione rei acceptæ, siquidem in nullo ditior est factus. Ita Caiet. Sotus, Nauar. *vbi supra*, Corduba *membr. 2. de secr. quæst. 7. sub fin.* D. Anton. *vbi supra.*

4 Nota tamen, quòd licèt iste non teneatur ex sua substantia restituere, tenetur tamen dictum suum retractare: nam licèt id non prosit, nisi incontinenti fiat ad hoc vt testimonium sit nullum: prodest tamen, vt multo debiliùs reddatur; imò quandoque vt sit nullum, quando persona est bonæ æstimationis, de qua non est suspicio ob subornationem, retractare se. Ita Nauarr. Caiet. Corduba *vbi supra*, & aliqui docti iuniores Magistri. Hoc tamen intelligitur (vt optimè Corduba) quando citra notabile suum damnum posset iste testis testimonium suum retractare; quia cùm iste nullam commiserit iniustitiam, sola lege charitatis ad hoc tenetur: at lex charitatis non tanto obligat detrimento.

5 Secundò nota, partem, pro qua latum est testimonium falsum ex inaduertentia teneri fidem adhibere tali testi bonæ æstimationis iuranti se falsum dixisse, & sic desistere à litis prosecutione, vel si aliquid ob tale testimonium consequuta est, restituere. Caiet. *2. 2. quæstion. 10. art. 4.* Nauar. in summa Hisp. *vbi supra*, at in Latina nihil de hoc meminit.

6 Hic essent duo dubia tractanda.

Alterum an testis, qui falsum dixit, teneatur pœnam, qua reus damnandus erat, restituere.

Alterum, an testis qui pretium recepit, vt verum testimonium dicat, teneatur illud restituere? Sed hoc *in mat. de restit.* proprium locum habet.

## CAPVT VI.

*De secreto seruando.*

NOn abs re erit hîc aliqua tractare de obligatione seruandi secretum. Sumitur autem hic secretum pro re alicui sub secreto commissa, de qua re tria, vel quatuor agitabo dubia.

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *An seruare secretum sit actus virtutis, & sit in præcepto.*

2 *An teneatur quis potius vitam exponere, quàm secretum fidei suæ commissum, vel peccatum alienum occultum, quod tamen ipse vidit, detegat.*

3 *An alienas literas aperire, legere sit peccatum mortale.*

## DVBIVM I.

*An seruare secretum sit actus virtutis, & sit in præcepto.*

PRima conclusio. Seruare secretum, est actus virtutis fidei, vt fides est idem quod fidelitas. Patet, quia ad fidelitatem pertinet seruare, quod quis fidei nostræ commisit. sed huiusmodi est secretum: ergo. Ita Sotus *lib. de secreto, membr. 1. q. 1.*

2 Secunda conclusio. Præceptum seruandi secretum est naturale, diuinum, & humanum. Quod sit naturale, patet, quia lex naturæ docet, vt quòd nobis volumus, alteri velimus, sed quicunque recta ratione cupit, vt quod alteri secretò commisit, secretò seruetur: ergo similiter quicunque iure naturali constringitur, id officium alteri præstare. Quod sit humanum, patet *l. vnica, C. de famos. libell. & cap. si qui 5. q. 1.* Quòd sit ius diuinum, latè probat Sotus *membr. 1. q. 2.* vbi hanc conclusionem statuit.

3 Nota hîc plures esse secretorum gradus.

In primo gradu est secretum confessionis, de quo modò nihil.

In secundo gradu est secretum publicum, id est, ad quod quis tenetur ex officio publico, aut legali debito, vt, Senator, vel canonicus, vel quæuis publica persona tenetur seruare publicum secretum.

In tertio est secretum, quod quis per iniuriam extorsit, vt si quis literas alienas aperuit.

In quarto, quando quis data fide recepit arcanum amici, & in his omnibus casibus tenetur quis de iustitia seruare secretum.

In quinto est, quando quis visu, vel relatione alterius nouit secretum, & ad hoc secretum tenetur quis de præcepto fidelitatis, non quæ est pars subiectiua iustitiæ, sed pars potentialis. Sotus *dict. quæst. 2. ante quintam conclusionem, & quæst. 1. conclus. 2.*

4 Tertia conclusio. Secretum alienum temerè & sine causa detegere, est peccatum mortale ex suo genere. Patet, quia violatur iustitia, & grauis iniuria irrogatur, proximo. Ita Sotus *d. q. 2. concl. 3.* Sylvest. *verbo secretum.* D. Anton. *3 part. tit. 22. cap. 17. §. 2.* Nauar. *cap. inter verba, corol. 65. n. 800 & in summa, cap. 18.* Lat. *n. 52.* Hisp. *num. 53. & num. vltimo*, Caiet. *2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2.* Palud. *4. dist. 21. quæst. 3. art. 2. fine.* Armil. *verbo secretum, num. 1.* Alcozer *summa cap 22. fine.* Metina *lib. 1. summæ, cap. 14. §. 36.* addens teneri damna restituere.



5 Nota hîc aliqua.

Primò, hoc non tantùm procedere vbi quis expresè fidem de secreto seruando dedit, sed etiam vbi non dedit, verùm ex dicendi modo, & dicentis mente colligitur animum fuisse sub secreto committere. Ratio, quia tunc tacitè censetur alius fidem de secreto seruando dare. Ita Palud. *ibi*, Scotus *4. dist. 21. q. 2.* Nauarr. *dict. num. 800. & d. cap. 18.* Hisp. *num. 51* Lat. *num. 52.* & Nauar. *lib. 2. de rest. cap 14. num. 450.*

6 Secundò nota ex leuitate materiæ contingere posse, vt alieni secreti detectio sit peccatum veniale, scilicet, quando modici momenti est secretum. Ita Caietan. Nauar. Alcozer *ibi*; sed oportet, vt ex hac parte excusetur à mortali, vt certò detegens sciat esse parui momenti, nam si de hoc dubitet, est mortale ratione periculi, cui exponitur. Nauar. *vbi supra.*

## DVBIVM II.

*An teneatur quis potius vitam exponere, quàm secretum fidei suæ commissum, vel peccatum alienum occultum, quod tamen ipse vidit, detegat.*

1 TRiplex est sententia.

Prima tenet neminem constringi secreta seruare cum vitæ dispendio. Ratio, quia fides data non tanto dispendio obligat. Ita tenent aliqui, quos refert Sotus, *vbi infra.*

2 Secunda sententia tenet, quantumuis quis grauibus tormentis excruciatus fuerit, teneri non prodere crimen fratris occultum. Ratio, quia talis proditio est contra iustitiam: ergo ob nulla tormenta licet. Ita Driedus *lib. 1. de libert. Christ. pag. 228.*

3 Tertia sententia est media, & tenenda, & ideò explicabitur aliquibus conclusionibus.

4 Prima conclusio. Qui locum tenent, & officium publicum, id est, illi, quibus publico officio incumbit, tenentur sæpe mori pro celando reipublicæ secreto, quando priuati non tenentur. Appellamus autem hîc reipublicæ secretum, causas etiam priuatorum, quæ tractantur in iudicio publico. Probatur, quia secreta reipublicæ sunt propter totius populi salutem: ergo illi, quibus tota respublica arcana sua commisit, & quibus stipendia pro hoc officio tribuit, & qui peculiari sacramento fidem adstringunt, multo maiori vinculo tenentur seruare secretum, quàm alij priuati; atque ideo si res exposcat, etiam cum vitæ dispendio. Hinc fit, vt iudex causam audiens, in qua res grauissima, vt de vita, Ducatu, maximo honore, &c agereatur, si inuadatur ab aliquo litigantium sub mortis pœna, vt merita causæ prodat, tenetur potius mortem pati. Et idem est dicendum de scribis, quorum fidei causæ graues committuntur. Ita Sotus *lib. de secreto, membr. 3. q. 4. concl. 6.* Nauarr. summa Hisp. (nam in Lat. hoc non ponit) *cap. 18. num. 32.* limitat tamen, quando ob secreti detectionem, vita, vel membrum alterius partis periculo exponeretur. Secus si tantùm pœna pecuniaria, vel exilij damnanda esset altera pars, cuius facilè posset detector compensationem pecunia facere, tunc enim non teneretur mortis periculo tacere.

5 Secunda conclusio. Si reuelatio secreti vergeret in graue reipublicæ malum, tunc quiuis etiam priuatus tenetur vitam exponere, potius quam id detegat. Ratio, quia pro salute reipublicæ tenetur quiuis vitam exponere. Sotus, & Nauar. *vbi supra*, Cordub. *summa q. 65. vers. digo regularmente.* Ex quo infert Nauar. militem bello captum à Mauris quibusuis tormentis crucietur, non posse sui exercitus secreta pandere, si ad eius conseruationem necessaria essent.

6 Tertia conclusio. Qui per iniuriam secretum alicuius extorqueret vi, vel fraude, vel litteras aperiens, tenetur potius mori, quàm illud, si res magni momenti sit, aperiat. Ratio, quia iste ratione iniustitiæ commissæ fortiori constringitur vinculo. Item, quia potius tenetur quis mori, quàm alienam famam deprædetur: at qui per iniuriam secretum extorquet, famam deprædatur: ergo. Ita Sotus *ibi concl. 7.* & Nauar. *vbi supra*, limitans sicut primam conclusionem.

7 Quarta conclusio. Nemo tenetur secretum quod sub fide sigilli seruandi recepit, seruare cum vitæ dispendio, aut alia graui iactura honoris, aliorúmve bonorum. Ratio, quia iste non tenetur ex officio ad id, sed ex promissione: at nemo censetur, dum promittit cum tanto dispendio se ad id obligare. Item, quia pecuniam deposito receptam non tenetur quis tanto damno seruare. Sotus *vbi supra, conclus. 8.* Cor. *vbi supra, § Y si se pregunta.*

8 Quinta conclusio. Quando quis casu nouit alienum secretum, licèt teneatur illud contegere sub peccato mortali, si magni momenti sit; at non tenetur grauia pati, vt illud celet. Ratio, quia ad hoc solùm tenetur charitate, sicut tenetur res amicorum seruare, vbi sine graui suo detrimento potest. Sotus *concl. 9.*

## DVBIVM III.

*An alienas literas aperire, & legere sit peccatum mortale.*

1 SIt prima conclusio. Qui legit ex consensu expressio, vel præsumpto mittentis, vel eius, cui mittuntur literas, non peccat. Ratio, quia nulli facit iniuriam. Ita Nauarr. *c. sacerdos, de pœnit. dist. 6. n. 16. & in summ. c. 18. Lat. n. 53* Hisp. *n. 54* D. Anton. *2. p. tit. 1. c. 22 § 5 fine*, Sylvest. *verbo falsarius, q. 1.* Tabien. *ibi n. 2.* Angel. *n. 2.* Armil. *verb. literæ, n. 1.* Caiet. *verb literæ*, Margar *fol. 203.* Pedraza *2. præcepto, fine*, Alcozer *summ. cap. 22, fine*, Metina *lib. 1. summ. c. 14. §. 36.* Nauar. *lib. 2. de restit. c. 4. n. 448.*

2 Secunda conclusio. Qui superioritatem habent in alium, non peccant legendo literas, quas vel ad ipsum alij mittunt, vel ipse ad alios mittit, vt Prælatus legens literas Monachorum, Abbatissa Monialium, vir vxoris, pater filiorum, qui sub sua sunt potestate. Ratio, quia hi vtuntur iure suo, dum cauent ne aliquid mali his subsequatur, quorum regimen habent. Ita Nauar. Caiet. Armil. D. Anton. Sylvest. Ang. Tab. Margar. Pedraza *locis citatis.*

3 Tertia conclusio. Non peccant, qui auctoritate publica aperiunt literas, vt Duces in bello ad obuiandū malo publico. Ratio, quia hoc est valdè necessarium ad bono communi consulendum. Sic iidem. Item non peccat, qui legens literas sui aduersarij, si probabiliter dubitet in eis aliquid in suum damnum tractari. Ratio, quia vtitur iure suo, suæ indemnitati consulens. Nauar. D. Anton. Sylvester. *ibi.* Item non peccaret ipsas legens ad obuiandum iniusto damno corporali, vel spirituali alterius, Sylvest. & Nauar. *ibi.* Item, quando literæ illæ haberentur pro derelictis, Sylvest. Tabien. Angel. *ibi.*

4 Quarta conclusio. Qui ob solam curiositatem absque vllo lædendi animo legeret, credens non contineri res magni momenti in his literis, peccaret venialiter. Ratio, quia non infert notabilem, benè tamen aliquam iniuriam. Ita Caiet. Nauar. Alcozer, Pedraza, Armil. Margar. & reliqui citati. Sed aduerte oportere ad hoc, vt excusetur à mortali ex hac causa, vt pro certo credat legens non contineri ibi res eiusmodi; nam si dubitaret ratione periculi, cui se exponeret, non excusaretur. Caietanus, Metina, & Nauar. *supra.* Item, vt paratus sit seruare secretum, si fortè casu in illis hæres inuenirentur. Caiet. Armil. Marg. Alcozer, Pedraza *ibi.*

Vltima conclusio. Extra prædictos casus peccatum mortale est legere literas clausas, vel in secreto positas. Ratio, quia grauis irrogatur iniuria proximo. Item,

quia sic legens falsarius est, & graues falsariorum pœnas incurrit, vt Nauarr. & cæteri summistæ docent, & probant. Ita omnes Doctores citati, & Nauar. *ibi, num.* 448. ait fortè dici posse, quòd si aperiens literas certus est, se non nociturum, nec eius occasione alium, non esset mortale, licèt crimen aliquod ibi esset scriptum secluso ordine ad confessionem; quia infamare coram vno, qui nocere non debet, non est mortale, sed de hoc alibi.

## CAPVT VII.

### *De Aduocatis.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *Vtrùm Aduocatus teneatur patrocinari pauperi.*
2 *Quibus personis interdictum sit officium aduocationis.*
3 *An in aliquo euentu fas sit clericis, & Episcopis patrocinari.*
4 *An qui iure prohibiti sunt patrocinari, delinquant mortaliter, si munere hoc fungantur.*
5 *An clericis interdictum sit tabellionis officium, seu notarij.*
6 *An clericis, & Episcopis fas sit tutoris functionem obire.*
7 *An causidico fas sit vtramque partem tueri, scilicet sui clientis, & aduersarij collitigatoris.*
8 *An Aduocatus habens causam iustam possit aduersarium decipere, & cauillationibus vti.*
9 *An Aduocato liceat cœpta lite pacisci de salario. Item conuenire de quota sibi danda.*

### DVBIVM I.

*An Aduocatus teneatur patrocinari pauperi.*

PRima sententia asserit in extrema tantùm necessitate pauperis teneri Aduocatum sub mortali ei patrocinari, quando scilicet pauper in extremam necessitatem incideret, si in illa causa ius suum amitteret, vel vitam esset ob id amissurus. Ita tenet Caiet. 2.2. *quæst.* 71. *art.* 1. Nauar. *cap.* 25. Hisp. *n.* 30. Lat. *n.* 29. Armil. *verbo aduocatus, num.* 12.

2 Secunda sententia tenet, teneri etiam in graui pauperis necessitate, vt si citra periculum vitæ periclitaretur honor, aut alia vrgens calamitas inopi ingrueret, & non esset alius, qui patrocinari vellet, tunc teneretur Aduocatus sub mortali patrocinium præstare. Probatur, nam idem ferendum est iudicium de hoc, sicut & de aliis eleemosynis, vt fatetur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 1. sed præceptum eleemosynæ obligat etiam in graui necessitate, vt est verior opinio, quam etiam docent Caietan. *supra* 2.2. *q.* 32 *art.* 5. ergo. Ita tenet Sotus *lib.* 5 *de iust. q.* 8. *art.* 1. Host. *tit. de pœnient. & remiss. §. quibus, vers. quid de Aduocatis.* Syluest. *verbo Aduocatus, q.* 18. & idem dicunt hi Doctores de Medicis, quòd in graui pauperum necessitate, tenentur ipsis mederi. Et hæc sententia est multò verior. Idem tenet Couarr. *lib. pract. cap.* 6. *num.* 4. *fine.* Salon 2.2. *quæst.* 71. *art.* 1. *controu.* 1. & *ibi* Aragon.

3 Sunt tamen aliqua notanda.

Primò nota, quod sicut in graui necessitate non tenetur diues eleemosynas elargiri, nisi de superfluo status: ita nec Aduocatus tenetur in graui, nisi de superfluo, scilicet, cùm otium est à necessariis occupationibus. Vnde fit, vt ad subueniendum grauiter indigenti, non teneatur Aduocatus ab illis negotiis se expedire, vel illud tempus consumere, quibus ad alendum se & familiam eget; quia illud non censetur superfluum. Ita Sotus & Syluest. *ibi.*

4 Secundò nota, quòd si Aduocatus casu, quo tenetur pauperi patrocinium præstare, illud negaret, tenetur iudex illum cogere, vt præster, aliàs delinquet mortaliter. Nauar. *c.* 25. *n.* 24. Sylu. *vbi supra*, Angel. *verbo Aduocatus, num.* 10. Armil. *num.* 10. Tabien. *num.* 9.

5 Vltimò nota, quòd dum D. Thom. 2.2. *q.* 71. *art.* 1. dicit, non teneri Aduocarum patrocinari pauperi, quando est alius in promptu, qui possit subuenire, intelligitur, quãdo est alius, qui possit & velit: si enim alij qui possunt, nolint subuenire, tenetur iste. Ita Sotus & Syluest. *vbi supra*, Caiet. 2.2. *q.* 71. *art.* 1. Salon *ibi initio, & ibi* Aragon *in fin.*

### DVBIVM II.

*Quibus personis interdictum sit officium Aduocationis.*

1 NOta aliquas esse personas, quibus in iure officium hoc interdicitur, quas refert Sylu. *verbo Aduocatus, q.* 2. Hæc sunt hæreticus, vel paganus, vel excommunicatus, 1. *q.* 1. *cap.* 1. *c. excommunicatus* 1. *de hæreticis, cap. nemo, de pœnit. dist.* 1. *l. nemo, C. de postul.* & iudex aliquem horum admittens grauiter peccaret, *d. cap. nemo.* Item religiosus, nisi pro monasterio de Prælati mandato, de quo egi copiosè *lib.* 6. *summ. c.* 13. *a. n.* 1. Item clericus in sacris constitutus, vel in minoribus, si beneficium habeat, *cap. clerici, & c. cum sacerdotis, de postul.* Item iudex, vel Assessor nequit in eadem causa esse Aduocatus; quia duo officia in eadem causa prohibentur, *cap.* 1. & 2. 4. *q.* 4. Item Surdus nihil omnino audiens, mutus, cæcus vtroque orbatus oculo: perpetuò furiosus, minor, qui decem & septem annos nondum nactus est: fœtuus, fœmina, sodomita, damnatus capitali crimine, vel calumnia publici iudicij. Item qui operas suas locauit, vt pugnaret in arena cum bestia, secus si hoc faceret gratis causa vires ostentandi. Item omnes infames. Item qui amotus est à Senatu, omnes istos refert Sylu. *vbi supra*, & omnes summistæ *verbo Aduocatus*, consule in ipsis textus, in quibus hoc interdicitur, & omnia ista habentur *cap. infamis, & cap. infames*, 3. *q.* 7. *& part.* 3. *& tit.* 6. *l.* 2. *& infra. & illa l.* 1. docet Gregor. Lop. debere annum decimum septimum expletum esse ad aduocationis munus.

### DVBIVM III.

*An in aliquo euentu fas sit clericis, Monachis, & Episcopis patrocinari.*

1 PRima conclusio. Sacerdotibus patrocinari non licet coram iudice Ecclesiastico, vel sæculari, nisi in quatuor casibus, scilicet cùm causa propria, vel priæ Ecclesiæ agitur, vel consanguineorum intra quartum gradum, quando consanguinei alium, vel saltem æquè bonum causidicum habere nequeunt, vel quando agitur causa miserabilium personarum, quæ scilicet per se proprias causas ministrare non possunt, vel Ecclesiastico auxilio indigent, *cap. sacerdotibus, ne cler. vel Monach.* Ita tenet Armil. *verbo Aduocatus, num.* 4. Tabien. *num.* 3. Angel. *num.* 5. *quæst.* 2. *&* 3. D. Anton. 3. *part. tit* 6. *cap.* 1. § 1.

2 Nota quòd etiam in his casibus non licet sacerdotibus patrocinari coram iudice sæculari in causa criminali, benè tamen in ciuili: coram Ecclesiastico verò licet in vtraque tantùm, in quatuor casibus positis. Sylues. Tabien. Armil. Angel. *ibi*, & patet *cap. sententiam, ne cleric. vel monach.*

3 Sed vtrùm in his quatuor casibus liceat Episcopis patrocinari. duplex est sententia.

Prima dicit non licere, nec coram sæculari, nec coram Ecclesiastico. Ita Armil. *num.* 4. Tabien. *n.* 3. Angel. *n.* 4. At contraria sententia est aliorum.

4 Secunda conclusio. Verius est licere etiam Episcopis in dictis quatuor casibus aduocare coram iudice tantùm Ecclesiastico. Ratio, nam non est decens, vt reuerentiam, quam iudici sæculari exhibent causidici, exhibeant Episcopi. Ita Panormitan. & Pisana, vt refert & sequitur Sylues. *quæst.* 3. D. Anton. *vbi supra*, & alij.

5 Tertia



5 Tertia conclusio. Clericis inferioribus, scilicet Diaconis, hypodiaconis, & in minoribus tantùm ordinibus constituris, beneficium tamen habentibus, interdictum est coram sæculari iudice aduocatos esse, exceptis quatuor casibus *suprà* numeratis, at coram Ecclesiastico liberum est illis in omni euentu patrocinari, *cap. cum sacerdotes, & cap. clerici, de postul.* Armil. *num.* 6. Tabien. *num.* 4. & 5. Angel. *num.* 6. & 7. Sylues. *quæst.* 4. D. Anton. *vbi supra.*

6 Hic oportet notare, quòd si negotium, de quo agitur, sæculare sit, non licet huiusmodi clericis patrocinari coram iudice sæculari, nisi in quatuor casibus positis; at coram Ecclesiastico benè licet in omni euentu. Si verò negotium sit Ecclesiasticum, licèt etiã coram sæculari iudice aduocare in quouis casu. Paret *c.* 1. *de postul.* vbi tantùm prohibentur huiusmodi clerici coram sæculari, in sæcularibus aduocare: ergo secus in sæcularibus coram Ecclesiasticis, & in Ecclesiasticis coram vtroque iudice. Dicitur autem negotium Ecclesiasticum, vel ratione personæ, quia est Ecclesiastica persona, quæ sequens forum rei, litigat coram sæculari iudice, vel ratione delicti, quod est Ecclesiasticum, vt sacrilegium, vel ratione rei, quæ est Ecclesiæ. Ita Sylues. *vbi suprà*, citans, & sequens Innocent. & Panorm.

7 Secundò nota, quòd si dicti clerici nondum ad sacerdotium promoti, licèt in sacris sint constituti, non habent patrimonium, nec beneficium pro sua sustentatione sufficiens: possunt per aduocationis officium vtilem quærere. Vnde conclusio posita debet intelligi de his, qui sufficientem sustentationem habent. Panorm. quem refert, & sequitur Sylues. *ibi*, Armil. & Angel. *vbi suprà*, Lancelotus *Instit. iuris canon. tit. de procurat. §. postulandi, vers. Ecclesiasticis*, licèt glossa *cap.* 1. *de postul.* oppositum teneat.

8 Quarta conclusio. Clerici nondum sacris initiati, nec beneficium habentes possunt patrocinium præstare in causa ciuili, tam coram Ecclesiastico, quàm coram sæculari iudice, nullo modo illis fas est, *c. sententiam, ne cleric. monach. c. aliquantos, dist.* 51. Hoc dicunt esse tutius Sylu. *q.* 5. Arm. *n.* 6. Tabien. *n.* 5. Ang. *n.* 7. licèt (vt isti referunt) quidam dicant posse hos clericos fauore reorum, postulare, appellare, & appellationem prosequi. Quòd etiam possint in criminali, est verius, modò non deferant publicè tonsuram. Sic Nauar. *cap. non dicatis, n.* 99.

9 De Monachis autem, & canonicis regularibus, an, & in quibus casibus liceat illis aduocare, dixi *lib.* 6. *summæ, cap.* 13. *num.* 1.

### DVBIVM IV.

*An qui iure prohibiti sunt patrocinari, delinquant mortaliter si munere hoc fungantur.*

1 SIt prima conclusio. Si prohibiti sunt ratione alicuius defectus non multum ad rem conferétis, non est mortale, imò citra veniale fieri potest: vt si mutus scripto consulat, & infamis emendatus. Si verò nullam iuris peritiam, vel negotiorum experientiam haberet, esset mortale, quia periculo exponeret causas sibi creditas. Ita Sotus *lib* 5. *de iust. quæstione* 8. *art.* 2.

Secunda conclusio. Si clerici in sacris constituti, vel in minoribus, cùm beneficium habeant, functionem patrocinandi præter casus concessos, non semel, aut bis, sed sæpe ex professo obeant, erit peccatum mortale, quia dedecorant munus sacerdotij, suscipiendo officium seuerè interdictum. Ita aliqui iuniores Magistri.

### DVBIVM V.

*An clericis interdictum sit tabellionis officium, seu Notarij.*

1 VArij sunt sentiendi modi, quidam sentiunt clericis fas esse tabellionis functionem obire in Papæ, vel proprij Episcopi curia, & hoc in causis tantùm Ecclesiasticis. Ratio, quia ordo in causa esse non debet, vt officium interdicatur Ecclesiasticum. Ita Host. Anton. & Panorm. quos refert Couar. *vbi infrà.* Idem tenet D. Anton. 3. *p. tit.* 13. *cap.* 2. §. 2. Tabien. *cler.* 3. *num.* 3. Angel. *clericus* 9 *num.* 9.

2 Alij tenent nullo pacto licere clericis in sacris constitutis tabelliones esse, si beneficium, vnde possint alimenta sibi ministrare, habeant; sin minus licere: vtique etiam in causis temporalibus, probant ex *cap. sicut, ne cleric. vel monach.* vbi clerico tabellioni constituitur pœna priuationis beneficij: ergo sermo habetur in tali prohibitione de solis clericis beneficiariis. Ita glossa, & Ioann. Andres *d. cap. sicut*, Armil. *verbo tabellio, num.* 4. Sylues. *quæst.* 3.

3 Alij verò oppositum sentiunt.

4 Insuper circa clericum in minoribus constitutum duplex est sententia,

Prima tenet posse esse tabellionem, licèt beneficium habeat. Ratio, quia *d. cap. sicut*, tantùm hoc interciditur clericis in sacris constitutis. Ita Tabien. & Angel. *ibi.*

5 Alij verò oppositum tenent. Sit

6 Prima conclusio. Clericus etiam sacris initiatus, licèt beneficium habeat, potest apud curiæ Romanæ Ecclesiastica tribunalia tabellionis officium exercere. Ratio, propter tantæ curiæ dignitatem, & racitum Papæ consensum. Ita tenent omnes Doctores citati, quòd omnes in hoc conueniunt. Idem Nauar. *pract. quæst. cap.* 19. *num.* 8.

7 Secunda conclusio. Probabilius est non posse clericos in sacris constitutos tabelliones esse, quamuis beneficium non habeant, etiam in tribunalibus Ecclesiasticis aliis. Ratio, quia *d. cap. sicut*, absolutè id interdicitur huiusmodi clericis. Nec obstat, quòd pœna priuationis beneficij opponitur; id enim non fit, quasi tantùm cum beneficiariis loquatur, sed quia communiter solent beneficium habere, voluit, vt illud habentes, hanc pœnam darent. Ita Couar. *ibi*, & Trotius, & Cardin. per ipsum relati contra Doctores primæ, & secundæ sententiæ. Subdit tamen Couar. posse huiusmodi clericos in curia Romana publicè, & extra curiam in negotiis Ecclesiasticis, quæ priuatim, & non in foro publico expediuntur, hoc munere fungi.

8 Tertia conclusio. Clericis in minoribus constitutis, beneficium Ecclesiasticum habentibus, vnde possint congrua sibi alimenta exhibere, non licèt vti tabellionis officio, etiam Ecclesiasticis publicis tribunalibus. Ratio, tum quia est officium sæculare. Item, quia beneficiariis in minoribus constitutis prohibetur Aduocatorum officium, vt dixi *dub. præced.* ergo à fortiori istud, quia vilius, & sæcularius est: tum, quia est genus quoddam negotiationis, ergo interdicitur beneficiariis, per *cap.* 1. *ne cler. vel monach.* Ita tenent Host. Panor. Anton. *d. cap. sicut*, quos refert, & sequitur Couar. *supra*, dicens esse communem sententiam. Idem tenent Sylues. Armil. D. Anton. *vbi suprà*, & est contra Angel. & Tabien.

9 Quarta conclusio. Clericus in minoribus beneficium non habens potest esse tabellio. Ita iidem Doctores, & Angel. & Tabien. additque Couar. hoc verum esse apud sæcularia tribunalia publica; quia hoc nullo canone prohibetur.

10 An verò monachus possit esse tabellio, & qui in sæculo tabellio fuit, possit eo munere fungi postea monachus factus: & possit post professionem complere, & signare instrumentum, quod ante monachatum in eius protocolo conscriptum fuerat ab eodem, vel eius auctoritate, & an valeat instrumentum, quod fecit post monachatum absque superioris licentia, dixi 6. *summa, c.* 13. *n.* 47. 48. 49. *&* 50.

11 Quinta conclusio. Si sacerdos tabellionis officio vtatur, & aliquod instrumentum confecerit, erit publicum, & validum, si alioquin verè tabellio erat, licèt peccauerit

Universidad de Deusto
Biblioteca



cauerit hoc officio vtens: erit (inquam) validum si ante publicum huius officij interdictum illud confecerit. Ratio, quia tolerabatur in officio. Verùm si posteaquàm fuerit publicè interdictum tabellionis officium, illud confecerit, nullum est. Ita plures, quos refert & sequitur Couar. *d.n.*8. Sylvest. *quæst.*3.

## DVBIVM VI.

*An clericis, & Episcopis fas sit tutoris functionem obire.*

1 NOta cum omnibus summistis *verbo tutela, initio*, tutelam esse triplicem, scilicet testamentariam, quando scilicet pater instituit in testamento tutorem; legitimam scilicet, quæ defertur à lege: vt cùm nullus est tutor testamentarius, leges statuunt, vt tutores sint, qui debebant succedere ab intestato: & datiuam, scilicet, quando iudex instituit tutorem.

2 Prima conclusio. Clerici, & Episcopi cogi non possunt, vt tutelam suscipiant aliquam, hoc enim eorum priuilegium est, quòd cùm succedere ab intestato possint, non cogantur suscipere tutelam: quod secus in laicis contingit. Ita Gregor. Lopez *l.*14. *vers. por razon, tit.* 16. *part.* 6. & colligitur ex *illa l.* glossa *authent. de gubernat. de sanctis Episc.* §. *Deo autem amabiles, collat.*9. *vers. permittimus*, & apertè colligitur ex illo auth. glossa *cap. fin. vers. tutelam, dist.*86. Turrecr. *eodem cap. glossa* 21. *q.*3. *cap. Cyprianus, vers. tutorem*, Perez *lib. ordinam. tit.*3. *l.*1. *fol.*101. *vers. aliud etiam*, Sylvest. *verbo tutela, quæst.*3. Armil. *n.*2. Angel. & Tabien. *num.*1.

3 Sed nota conclusionem intelligi duplici limitatione. Prima, modò clerici sint in sacris constituti: nam in minoribus constituti cogi possunt legitimam suscipere. Greg. Lopez *ibi vers. missa cantanos*, glossa *d. auth. vers. hoc fecerint.*

Secunda est, nisi tutela sit miserabilium personarum, vt pauperum, orphanorum, & viduarum; tenentur enim clerici, & Episcopi horum tutelam suscipere, *d. cap. fin. & dist.*88. *cap.*1. *& cap. Episcopus*, Sylvest. Angel. Tabien. Armil. *vbi suprà*, & de clericis, & monachis idem dicunt glossa, & Turrecr. *cap. fin.* Quoad Episcopum limita, quòd non per seipsum, sed per Archipresbyterum, vel per Archidiaconum *d. cap. Episcopus.* Ita Sylvest.

4 Secunda conclusio. Tutelam legitimam possunt omnes clerici, & Episcopi suscipere: patet *d. cap. fin.* per quod derogatur *authentico citato*, quod contratium statuebat in Episcopis. Ita glossa *d. c. fin. & ibi* Turrecr. Sylvest. Angel. Armil. *vbi suprà*, Tabien. *suprà*; & de clericis quòd possint suscipere legitimam, docent etiam Greg. Lop. Perez & glossæ citatæ.

5 Vltima conclusio. Tutelam testamentariam, & datiuam non licet clericis, & Episcopis recipere. Patet *d. c. fin.* vbi statuitur, vt contrarium faciens subiaceat correctioni, id est, (vt statuit glossa *vers. correctioni*) suspensioni, & *d. c. Cyprianus* grauissimæ statuuntur pœnæ contra signantem tutelas huiusmodi clerico, glossa *dicto capite fin. in principio*, dicit clericum acceptantem has tutelas debere excommunicari. Conclusionem istam docent omnes glossæ citatæ, Greg. Lop. Turrecr. Tabien. Angel. Armil. *vbi suprà.*

6 Nota hanc conclusionem fallere in aliquibus casibus. Primò si tutela sit miserabilium personarum: illam enim possunt, imo tenentur recipere, iuxta *suprà* dicta. Secundò si Episcopus ciuitatis alicui clerico commiserit Ecclesiasticarum rerum gubernationem, aut earum personarum, qui Ecclesiastico indigent adminiculo, propter Dei timorem. Ita habetur *d. cap. fin.*

7 An autem monachi possint tutoris functionem obire, dixi *lib.*6 *summæ cap.*14. *à num.*12. *ad* 26.

## DVBIVM VII.

*An causidico fas sit vtramque partem tueri, scilicet sui clientis, & aduersarij collitigatoris.*

1 QVidam dicunt id licere, quando causa dubia est. Ita Speculator *tit. de Aduocatis*, & Angel. *verbo Aduocatus, num.* 17. Alij dicunt id non licere. Ita Rosella *verbo Aduocatus*, D. Anton. 3. *p. tit.*6. *cap.*2 § *fin.* Sit tamen

2 Prima conclusio. Vbi causidicus nouit iustitiam, vel iniustitiam causæ, non potest vtramque causam tueri; quia ex vna parte tueretur causam iniustam. Ita Sylvest. *verbo Aduocatus, quæst.*13. Armil. *num.*10.

3 Secunda conclusio. Vbi causa anceps est, potest vtramque tueri in duplici casu. Primus est, quando vbi vnam partem defendit, & cognoscens se malè allegasse, reuocat suum consilium, vt tenetur; cautè tamen, propter scandalum. Secundus in diuersis articulis, & diuersa distantia; vt si pro vna parte aduocat in causa principali, pro altera in causa appellationis, modò viretur scandalum. At verò in eadem instantia, etiam in dubiis non licet: tum quia rarissimè sine scandalo fieri potest: tum quia oportebit allegare contraria, & allegans contraria non auditur, *l.* 1. *C. de furtis.* Ita Armil. & Sylvest. *ibi* plures textus & Doctores referens. Nota tamen hodie esse vetitum etiam in aduersis instantiis, vt patet *lib.* 2. *ordinam. tit.*16. *lib.*31. & docet Burgos de Paz *in proœmio l. Tauri, num.* 410.

## DVBIVM VIII.

*An Aduocatus habens causam iustam possit aduersarium decipere, & cauillationibus vti.*

1 REspondetur affirmatiuè, modò nulla falsitate vtatur, vt falsa allegando. Ita Sylvest. duas referens glossas, *verbo Aduocatus, q.*12. Armil. *n.*19. Tab. *n.*13. D. Thom. 2. 2. *q.*71. *art.*3. Parlad. *lib.*1. *de rebus quotid. c.*2. *num.*7. Couar. *lib.*1. *variar. cap.*2. *num.*1. Ratio, quia iste ius habet ad suum clientem tuendum, & iniustas aduersarij partes cauillationibus repellendum.

## DVBIVM IX.

*An Aduocato liceat cœpta lite pacisci de salario, item conuenire de quota sibi danda.*

1 SIt prima conclusio. Aduocato non licet pacisci de salario cœpta lite, sed tantùm in principio, vel fine, patet *cap. infames*, §. *præterea*, 3. *q.*7. *l. quisquis, C. de Aduocat. & l.*7. *tit.*16. *lib.*2. *ordinam.* vbi sic dicitur, *Hagan pacto al principio de los pleytos oyda la relacion de las partes, y no puedan despues de auer, visto sus escriptos, y començado à hacer peticion, o escriptos, o otra cosa alguna en los pleytos.* Et ratio est, quia cœpta lite omnia daret litigans propter litis timorem. Ita D. Anton. 2. *p. tit.*1. *cap.*19. §. 8. Nauarr. *cap.*25. Lat. & Hisp. *n.*30. Greg. Lop. *p.*3. *tit.*6. *l.*14. *vers. cierta*, Archidiac. *cap. si quis* 3 *quæst.*7.

2 Nota, si in medio litis fieret de stipendio pactum absque vi, & scandalo, & esset iustum, non esset peccatum in foro conscientiæ; quia cessaret ratio, & præsumptio legis. Sic Nauar. *ibi.*

3 Secunda conclusio. Non licet Aduocato pacisci de aliquota parte litis sibi danda, vt medietate, tertia, &c. Patet *l. si quis Aduocatorum, C. de postul. & l.*1. §. *si cui, ff. de variis, & extraordin. & l.*14. *tit.*6. *part.* 3. Et ratio est, quia datur ansa, vt sibi per fas, siue per nefas intendat causidicus victoriam; quia licèt absolutè fiat pactum de quota litis: at tacitè intelligitur conditio, si victoriam comparet; qua non obtenta, nihil habebit. Ita tenet Rosel. *verbo Aduocatus, num.*6. Armilla *num.* 14. Sylvest. *q.* 19. Angel. *num.*15. Alcozer *in summa, cap.*26. §. *los abogados*, Nauar. *d. num.*30. Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 8. *art.* 4. *vers. vnum autem*, D. Ant. 2. *p. tit.*1. *d. c.*14. §. 8. Perez *lib.*2. *ord. tit.*19 *l.*5.



19. *l.*5. Greg. Lopez *vbi suprà*, & explicant Nauarra & Alcozer esse peccatum mortale.

4 Nota idem prorsus esse dicendum de Procuratoribus quoad hanc conclusionem, & sequentes. Patet *l. item, C. de procur. & l. sumptus, ff. de pactis*, & eadem ratio militat quæ in causidicis. Ita Nauar. Armil. Alcozer, Rosella, Sylvest. Angel. Gregor. Lop. *vers. tal. postura.*

5 Tertia conclusio. Non licet etiam pacisci de certa re, super quam est lis danda. Ratio, quia datur eadem ansa, intelligitur enim, parta victoria; & sic eadem ratio militat, quæ in causidicis. Ita Greg. Lopez, Azo, & glossa *d. l. si qui aduocatorum.*

6 Vltima conclusio. Non licet pacisci de aliquo dando hac conditione, si victoriam in lite obtinuerit, licet super ea quantitate danda non sit lis, sed tantùm licet pacisci de certa quantitate danda, siue vicerit, siue non. Patet eadem ratione, quia datur ansa, siue per fas, siue per nefas quærendi victoriam, & patet *l.*8. *titul.*16. *lib.* 2. *ordinam.* Ita tenet Sotus *vbi suprà*, Gregor. Lopez, Nauar. Armil. Rosel. Sylvest. Angel. *vbi suprà*, Paulus de Castro *d. l. si qui aduocatorum.*

7 Nota, si esset quid paruum, quod promitteretur, si vinceret litem, esset iustum pactum, cessat enim prohibitionis ratio; quid minimum non inducit ad quærendum, siue per fas, siue per nefas, victoriam. Ita Sylvest. Angel. Rosella, Armil. Nauarr. referens Alexandrum, & Salicetum *vbi suprà*. Idem Ang. *l. sumptus, ff. de pactis.*

## CAPVT VIII.

*De ordine seruando à Prælato Regulari in inquirendo de crimine graui alicuius Religiosi.*

### SVMMARIVM.

DVB. 1. *Qualiter Prælatus regularis debeat procedere ad cognoscendum iudicialiter de delicto graui Religiosi sibi subditi.*

2 *Qualiter Prælatus regularis procedere debeat per viam inquisitionis.*

3 *An Prælatus procedens contra subditum Regularem possit recusari.*

4 *Qualiter Prælatus Regularis debeat procedere per viam accusationis contra subditum Regularem.*

5 *Qualiter Prælatus debeat procedere contra regularem via denunciationis Euangelicæ, seu fraternæ.*

6 *Qualiter procedere debeat Prælatus contra Regularem via denunciationis canonicæ.*

## DVBIVM I.

*Qualiter Prælatus Regularis debeat procedere ad cognoscendum iudicialiter de delicto graui Religiosi sibi subditi.*

PRIVS oportet supponere aliquot fundamenta.

Primum sit, si delicta sunt leuia, in quibus agitur de modico Regularis præiudicio, & potiùs ad correctionem: non oportet, quòd delictum sit publicum. Ratio, quia in his non agitur ad punitionem, sed ad correctionem: nec ex his aliqua infamia Religiosi pullulat. Sic Perez *lib.*8. *ordin. tit.*4. *fol.*130. *pag.*1. Angel. *verbo inquisitio, num.* 11. Corduba super Sotum, *de secreto tegendo, memb.*2. *q.*4. *concl.*7. Quod etiam inde patet; quia licèt correctio fraterna præmittenda sit iure diuino antequam denuncietur Prælato; fallit in his delictis leuibus: vt docent D. Thom. 2. 2. *quæstione* 33. *articulo* 7. *ad* 4. Abulensis *capite* 18. *Matth. quæstione* 97. *ad* 8. Sotus *de secreto, membr.* 2. *quæstione* 4. & omnes.

2 Nota quod delictum graue dicitur, & enorme inter Regulares omne peccatum mortale, vt patet ex *cap. illi* 6. *quæst.* 1. & pro quolibet tali potest quilibet Religiosus arctari ad custodiam, si expedit correctioni, non autem ad pœnam, sed pro his, quæ eximuntur in sui ordinis statutis, vel illis æquiparantur arbitrio discretorum. Sic Armilla *verbo inquisitio, num.* 13. Sylvest. *inquisitio* 2. *dicto* 9.

3 Secundum fundamentum sit: licet ad inquisitionem de delicto graui contra Religiosum, quando proceditur via inquisitionis specialis, asserunt aliqui Doctores non requiri infamiam, propter *cap. qualiter, el* 2. *de accusat. in fine*; vbi postquam decernitur ad inquirendum requiri infamiam, &c subditur, *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus vsquequaque seruandum*, & propter *cap. in singulis, de stat. monach.* Sic Ioan. Andr. *cap. olim, de accusat.* Alciat. *c.*1. *de offic. ordinar. num.*47. Cordub. super Sotum *de tegendo secreto, memb.*2. *quæst.*6. *concl.*1. *dub. vltimo*, vbi hæc dicit: In religionibus non seruatur rigor iuris; ideò si interrogantur criminosi de suis complicibus, etiam nulla infamia & indiciis existentibus tenentur fateri. Cæterum omnino tenendum est, etiam contra Religiosos requiri infamiam, quia textus exigentes infamiam ad procedendum via inquisitionis vniuersaliter loquuntur, *cap. qualiter, el* 2. *cap. inquisitionis, & cap. cum oporteat, de accusat. & c. licet Heli, de simon.* vbi textus facit mentionem de infamia contra Regularem. Nec obstat *de cap. in singulis*, quia loquitur de inquisitione generali, ad quam nulla requiritur infamia. Nec etiam obstat *d. cap. qualiter*, quia quod *ibi* dicitur eum ordinem non esse omnino seruandum quoad regulares, explicat Panorm. *ibi, num.*10. Felin. *ibi, num.*21. non esse omnino seruandum, non quoad veritatem, id est, quoad substantialia iudicij, sed quoad accidentalia, & subtilitatem: at probatio & notitia delicti est de substantia iudicij; & Sylvest. *inquisitio* 1 *quæst.*3. *dicto* 2. explicat non esse omnino seruandum, nisi infligendum sit graue præiudicium. Et sic hoc tenent Nauar. *cap. inter. verba, in veteri corol.*62. *num.*689. *& in nouo corol.*63. *num.*208. Panorm. *cap. olim, de accusat. n.*9. Vmbertus in regula D. Augustt. Perez *vbi suprà*. Innocent. Aret. Bart. quos refert, & sequitur Angel. *verbo inquisitio n.*2. Sylu. *inquisitio* 1. *q.*3. *dicto* 2. & meliùs *inquisitio* 2. *d.*4 Armilla *verbo inquisitio, n.*11. Cordub. super Sotum *de secreto, memb.*2. *q.*4. *conclus.* 7. & expressè videtur D Thom. huius sententiæ 2. 2. *q.* 33. *art.*7. *ad* 5. vbi dicit Prælatum Regularem non posse inquirere delicta nisi in casibus, in quibus potest iudex Ecclesiasticus, vel sæcularis. Et expressiùs Caiet. *ibi, circa eandem solutionem ad* 5. vbi tractans de eadem inquisitione contra regulares hæc dicit: Etiamsi duo, vel plures iurent vidisse se illum commisisse, si nulla est infamia, non est inquirendum iudicialiter, vt expressè habetur *cap. inquisitionis, de accusat.* Nec est puniendus iudicialiter ille delinquens, nisi fraterna correctione præmissa processum sit per denunciationis viam. Pro eadem sententia est Nauarr. *lib.*2. *de restit. cap.*4. *num.*474 *fol.*414. vbi impugnans Cordubam inquit non posse procedi contra regulares absque infamia, nisi quando ex non inquirendo Religionis pernicies, & damnum notabile sequeretur. Idem docuerunt aliqui docti iuniores Magistri.

4 Nota, idem esse dicendum in Societate Iesu. Neque obstat quòd in ea possit delictum occultum denunciari superiori, non præmissa correctione fraterna, eo quòd renunciatur à Religiosis iuri suo in hoc, vt patet ex *regula* 9 *Societatis*, quæ habetur inter generales, & in examine *cap.* 4. §. 8. scienti enim, & volenti nulla fit iniuria, non (inquam) obstat hoc, quia, vt constat ex *eadem regula*, hoc est ad maiorem profectum spiritualem, qui est finis correctionis fraternæ, & denunciationis Euangelicæ, & non punitionem, qui est finis processus iudicialis. Sic tenuit quidam doctissimus recentior, & patet ampliùs ex eo quòd licèt in priuilegiis, vel in regula

Religio

Universidad de Deusto
Biblioteca



Religionis dicatur, quòd possit procedi iudicialiter, non seruatis apicibus, & rimulis iuris, intelligitur, quoad solemnitates accidentales, secus quoad substantiales, sine quibus in iudicio procedi nequit; vt testantur D.Anton. 3.*part.tit.*9 *cap.*7 §.8.Sylvest. *inquisitio* 2. *dicto* 11.Armil. *verbo inquisitio. num.*11.Cordub. super Sotum *de secreto memb.*2.*quæst.*4.*conclus.*7. Ergo à fortiori hoc erit verum, cùm regula non dicat id, sed ad maiorem profectum suum omnes contenti esse debent, vt omnes defectus manifestentur superiori: vbi nullum est verbum de processu iudiciali.

5 Tertium fundamentum sit, non statim ac denuncians, vel testificans dicit esse infamiam de delicto, debet Prælatus procedere per viam inquisitionis, sed debet inquirere apud quos sit infamia, & vnde orta habuerit, nam si sit apud paucos, & leues, & ex leui fundamento, non potest Prælatus iudicialiter inquirere, præcipuè de persona, quæ priùs fuit claræ, & bonæ famæ: secus si sit apud graues, & bonos, pluréque; quia fama apud tales cum suspicionibus violentis secundùm conditionem personæ de qua agitur, facit probationem. Sylvester *inquisit.*2. *dicto* 5.

6 His suppositis sit conclusio. Quadrupliciter potest Prælatus Regularis procedere contra delictum graue Religiosi: si enim est infamia orta à viris fide dignis, & grauibus, debet procedere iudicialiter per viam inquisitionis, vt dixi; quando verò non inuenit huiusmodi infamiam, si delictum sit in solius peccantis damnum debet procedere via correctionis fraternæ, & denunciationis euangelicæ, vt optimè Caiet.2.2.*q.*33.*art.*7.*circa solutionem ad* 5. Sed tunc denuncians tenetur præmittere correctionem fraternam, quando per illam est spes emendæ, secundùm omnes, & patet ex ordine euangelico posito Matth.18 *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. quod fallit in Societate Iesu, in qua delicta possunt immediatè denunciari superiori, nulla præmissa correctione fraterna, quia renunciant Religiosi in ea huic iuri suo, vt patet ex *regula 9 Societatis Iesu*, quæ habetur inter generales, & ex examine *c.*4. §.8. scienti enim, & volenti non fit iniuria. Quod approbat etiam Bannes 22.*q.*33.*art.*8.*ad* 2. *confirm* 7.*argum. fol.*1256. Si verò delictum hoc sit in damnum tertij, vel communitatis, pendens in futurum, & non sit publicum, debet procedi per denunciationem canonicam, vt *infrà* videbimus. Si autem sit delictum, per quod illata est iniuria tertio, qui velit, & possit accusare, potest procedi per viam accusationis, si delictum probari possit. De his ergo modis seorsum agendum est.

## DVBIVM II.

### *Qualiter Prælatus Regularis procedere debeat per viam inquisitionis.*

1 SVpposito, vt dixi *dub.præced.* hoc faciendum esse quando Prælatus inuenit delictum laborare infamia apud plures fide dignos, notandum est quòd licèt non speretur profectus delinquentis, procedendum est: tum quia hic procedendi modus non ordinatur ad correctionem delinquentis, sed ad punitionem etiam, quia si non proficiet circa delinquentem, proficiet circa alios scandalizatos ex fama audita. Sic D.Anton. 3.*p.tit.*9.*c.*7. §.8. Sylu. *inquisitio* 2.*dicto* 8.

2 Primò ergo dedet Prælatus incipere caput processus iudicialis hoc pacto, v. g. *In ciuitate Granatensi die vigesima Maij anno* 1612. *Petrus Abbas affirmauit, quòd ad suam deuenerit notitiam Franciscum Religiosum eius subditum in tali re excessisse, & eo quòd suum crimen sit publicum, & scandalosum, volens in illum procedere, præcepti sequentem informationem facere coram me T. Secretario.* Hic inserenda est infamiæ informatio cum testium depositionibus, & quæcumque alia in eum inuenerit, vt indicia, testes oculati, &c.

3 Nota quòd hæ testium depositiones, & rei confessio debent sub iuramento fieri, *cap.cùm dilecti, de accusat.* licèt aliqui Religiosi hoc faciant per præceptum obedientiæ, addentes quandoque excommunicationem. Sylvest. *inquisitio* 2. *dicto* 6. Aduerte tamen, quòd si est excommunicatio latæ sententiæ, sub qua iubet, ea feratur in scriptis, & præmissa monitione, ne Prælatus incurrat suspensionem. Qua informatione summaria, id est, non in pleno iudicio, citat à qua parte facta, si est opus captura, debet capere reum, & in carcerem includere, & siue ipsum capiat, siue non, debet eum citare, vt compareat ad confessionem ab eo accipiendam.

4 Nota maturè videndum esse, an oporteat Regulares incarcerare. Quod in clericis docet Sylvest. *inquisitio*, 2. *quæst.*12.Bernard.Diaz *pract.crimin.cap.*120. *num.*1. *vers.* 2. & Salzedo *ibi, litera A* & reddit *ibi*, Bernard Diaz duplicem rationem. Prima est, quia clerici ex captura grauiter infamantur, nec sola relaxatione à carcere, ad suæ pristinæ famæ integritatem restituuntur. Secunda est, quia est minus periculum fugæ in clericis, cùm ob admissa crimina ratissimè pœnam corporalem sustineant, quæ duæ rationes fortius militant in Religiosis.

5 Vocato igitur reo, ab eo confessio accipienda est, factis interrogationibus de his, de quibus infamatus est, & contra ipsum probatio existit, vt bene Sylvest. *inquisitio* 2.*dicto* 6. & vt reus teneatur respondere, cùm debeat iudicis iustitia constare ipsi reo in hoc processu, oportet ostendere reo, quod probatum contra eum est; vt dixi contra alios *suprà cap.*3.*de inquisit.dub.*32. Cæterùm necesse non est transumptum ei tradere, vt mox dicemus requiri ad torturam; sed sat est quòd notarius testium depositiones coram eo legat, taciris eorum nominibus, vt inde reo constet quid contra ipsum probatum sit, vt dixi *dicto dub.* 32.

6 Si reus fateretur delictum, licèt ex tali confessione possit puniri, vt bene Iulius Clarus *lib.*5.*recept.* §.*fin. q.*65.*in principio, & q.*45. *vers.cæterum*; at non statim est ferenda sententia, sed est assignandus terminus ad defensionem. Ratio, quia potest habere aliquam causam excusantem, vt bene Baldus, quem refert, ac sequitur Anton. Gom.*tom.*3.*variar.cap.*12.*n.*3. Hoc facto sententia in eum est ferenda; an verò integra legis pœna, statim dicemus.

7 Nota quòd si reus petat dilationem, vt respondeat super proprio delicto, licèt aliqui dicant debere dari, quos refert Iulius Clarus *lib.*5.*recept.*§.*fin.q.*45. *vers. sed hic quæro*; at ipse tenet *ibi* contrarium multos referens, & sic dixi praxi seruari. si verò nolit reus respondere interrogationibus præcisè affirmando, vel negando, sed omnino nihil respondeat, vel per verba dubia, scilicet *nescio, non recordor*, dicit Iulius Clarus *d.q.*45. *vers. sed pone*, alios referens, quòd debet torqueri, vt respondeat affirmando, vel negando: & talis (inquit) tortura non datur ad eruendam veritatem, quia ad hoc plura debent præcedere, vt mox dicemus, sed datur ad extorquendam confessionem, & dicit quòd est bona practica, & quòd sæpe vidit obseruari, non tantùm quando non vult respondere super facto principali, sed etiam super circumstantiis substantialibus, modò factum, & circumstantiæ talia sint, de quibus sit verisimile ipsum recordari, vt de facto proprio, & modico tempore, &c. de quibus solent alij communiter recordari.

8 Si verò reus neget delictum, debet proponi aduersùs eum accusatio, & testes; qui depositerunt in summaria informatione, sunt iterum vocandi, & ratificandi, & alij denuò recipendi, si extiterint, & in hac posteriori testium examinatione omne ferè testimoniorum pondus consistit, vt benè Simancas *lib. de iustitia catholic. titulo* 64. *numero* 25. quia testes examinati reo non citato, seu ante litis contestationem, nullam contra eum fidem faciunt, nec ad sententiam nec ad torturam *l fin.ff.de quæst.* & tenent Anton. Gomez *tom.*2.*var.c.*12. *post*



*post n.*18.Iul.Clarus referens *lib.*5.*recept.*§. *fin.q.*45. *vers. cæterum si reus, & q.*11. *vers.Item quare, & q.* 50. *vers.item quia*, Salzedo *cap.*126. *lit.C. vers. post confessionem*, *super pract.crim.*Bern.Diaz.Imò dicit Iul. Clarus *d.q.*45. *vers. cæterum si reus*, quòd hæc repetitio fieri debet cùm omnibus illis qualitatibus, quæ requirerentur, si illi testes nunquam fuissent examinati, & ideò debent de nouo iurare, alias nullam fidem facient, & si sunt tales testes, quibus non debet adhiberi fides, nisi cùm tortura opus esset, vt denuò ponerentur in tormentis, & perseuerarent in illo dicto; quia illa tortura, & omne id, quod fuit actum ante litis contestationem, non habetur in consideratione quoad præiudicium ipsius rei, & addit, quòd licèt receptio testium non possit alteri delegari, at hæc ratificatio testium, qui examinati sunt in summaria informatione, potest delegari, & ita seruatur de consuetudine, vt testatur Carauita *super ritu magnæ curiæ, n.* 11. Imò addit Simancas *illo num.* 25. quòd cùm in hac ratificatione omne ferè pondus testimoniorum consistat, licèt reus dicat, se velle habere testes pro ratificatis, adhuc iudex debet ratificare, quia nec nominatim huic iuri renunciari valet.

9 Post hæc publicatio testium facienda est, & eorum exemplum reo dandum cum certo termino ad defensionem signato. Et licèt in omnibus criminibus, dempta hæresi, nomina testium, vt eorum testimonia reo sint danda: vt testes refutare possit, & non licèt per inquisitionem procedatur, *cap qualiter, el* 2.§. *penult. de accusat. l.defensionis. C.de iure fisci, lib.*10 *cap.veniens el* 2. *de accus.l.*11.*tit.*17.*p.*3.*l.*4. *tit.*1. *lib.*8. *noua recopil.* & docent Salzedo *d.c.*126.*lit.C.*§. *post confessionem, & §.sunt. eiusdem, & §.seq.* Simancas *suprà n.*29. imò *n.* 28. ex multis probans, & alios referens, dicit citandum esse reum, vt ipso præsente ratificentur testes, & illos agnoscat. At in hoc casu credo non esse necessarium dare copiam nominum testium, tum quia in visitationibus non eduntur nomina testium, vt docet Parisius *consil.*2.*n.*4 Simancas *d.tit.*64.*n.*30. & ratio est quia pœna ordinaria non imponitur, vt *infrà* dicam; tum etiam, quia inter Religiosos non est opus seruare omnes iuris solemnitates, *cap. qualiter, el* 2.*de accusat.fin.* & sic dixit faciendũ quidam Iurisconsultus admodum doctus; vnde debet dari copia dictorum testium, tacitis eorum nominibus, illisque circunstantiis tacitis, ex quibus reus intelligere possit, qui sint illi testes, vt in crimine hæresis docet faciendum Simancas *d.tit.*64.*n.*26. Vnde (inquit) reo non solet dari hora, nec dies quibus testes dicunt crimina fuisse commissa, nisi fortè id reus petat, vt se defendere queat.

10 Nota hoc quod dixi, regulariter esse dandam reis copiam nominum testium, esse intelligendum de testibus, qui in plenario iudicio, id est, parte citata se ratificauere, vel de nouo in eo iudicio testificati sunt: non tamen de his, qui in summario iudicio tantum deposuere. Ratio, quia (vt dixi) hi nullum damnum inferunt, nisi ratificarentur. Item, quia daretur ansa reo, vt donis & precibus, vel minis testes hos corrumperet, & longè repelleret, ne primis positionibus starent. Sic contra Guttier. *allegat.*13.*n.*2. tenet Gregor. Lopez *l.* 11. *tit.*17. *p.*3. *vers. testigos*, Salzedo alios referens *de cap.*126.*lit.C.*§. *post confessionem, & §. ex quo manifestè.*

11 Si autem rei defensa, & testium depositionibus auditis delictum plenè probatum non remanserit, & grauissimum dignúmque tortura fuerit, danda est præcedente sententia illius; possunt enim, & debent clerici torqueri etiam presbyteri, vt patet ex *cap.*1. *de deposito*, & docent Bernardus Diaz *pract.crimin.c.*125.*num.*1. *& in reg. iuris, reg.*126. *limit.*1. *sublimit.*3. & vtrobique Salzedo, & Panormitanus, & Francus *cap. delictis, de appellat.* & multi alij auctores per hos citati; tantùm enim in quæstionem vertunt, an vt clericus possit torqueri, requiratur infamia: de qua quæstione *infrà dub* 5. & de Clericis, & Religiosis, quod possint torqueri, tenent etiam Sylu. *verb.inquisitio* 2.*d.*9. D.Anton.3.*p.tit.*9.*cap.*7.§.8. Armil. *verbo inquisitio, n.* 11. & omnes Doctores citandi *infrà dub.*5. qui supponunt posse torqueri, & in diuersas feruntur sententias, an ad id requiratur infamia.

12 Nota hîc primò, quòd Iulius Clarus *lib.*5. *recept.* §. *final. quæst.* 64. *vers. sed quid si ille*, dicit quòd si torquendus petat prius sibi dari copiam testium, & terminum defensionis, antequam torqueatur, tenetur iudex dare, sed si non petat, non. Sed contrarium, scilicet nullo modo posse antea torqueri, est verissimum, & sic tenet practica Cassoni *fol.*69.*n.*3. dicens esse omnium, Simancas alios referens, *tit.*67.*n.* 26. & 17. dicens contrarium esse iniquum, quia grauiter punitur ante defensionem quæ est de iure naturæ.

13 Secundò nota quòd Alexan. quem refert, & videtur sequi Sylvest. *verb.degradatio*, *q.*4. & Roma, quem refert, & sequitur & Rosella *verbo degradatio*, dicunt clericum ante torturam, esse degradandum; quod optimè reprobat, alios referens Bernardus Diaz *d. c.* 125.*n.* 4. quia clericum nondum de crimine conuictum, in quo casu torquendus est, iniquum esset degradare.

14 Tertiò nota clericum, vel Religiosum esse mitiùs torquendum, quàm laicum: tum propter metum excommunicationis, si excedatur in torturæ modo, tum etiam propter dignitatem clericalem. Sic Bernard. Diaz alios referens *d.cap.*125.*n.*6. Salzedo *ibi* alios referens *litera D.* Simancas *d.tit.*65.*n.*49. Iulius Clarus *lib.* 5. *recept.* §. *fin. q.*64. *vers. sed in clerici*, Sylvest. *inquisitio* 2.*dicto* 9. D. Anton 3 *part tit* 9.*c.*7.§.8 Armil. *verb.inquisitio, n.*12.

15 Quartò nota, quòd stando in iure nequit Prælatus punire vel torquere clericum, vel monachum per ministros laicos, sed per ministrum clericum, alias Prælatus, & minister laicus exequens est excommunicatus, nisi quando non inuenirentur clerici periti in arte torquendi. Patet ex *cap.vniuersitatis, de sentent.excomm.* Sic Sylvest. *excommunicatio* 6.§.6 *dict.*11. Nauarr. *in omnibus summis.c.*12.*n.*87 Bernard. Diaz *d.c.*125.*n.*7. vbi Salzedo *litera L.* Simancas *tit* 65. *num.* 50. Iulius Clarus *d. q.* 64. *vers. sed hic quæro.* At communis consuetudo obtinet, vt torqueantur per laicos, vt *ibi* dicunt Simanc. Bernardus Diaz Iulius Clarus, Nauarr. & licèt Nauarr. dicat hanc consuetudinem non excusare à peccato, bene tamen ab excommunicatione, at hanc consuetudinem approbat *ibi* Iulius Clarus, & ipsemet Nauarr. retractans sententiam, *cap. nullam* 18. *q.*2. *num.* 52. vbi dicit commune vsu esse obtentum, vt clericus puniatur, & torqueatur per laicum, & hunc excusari etiam à peccato, quia cùm sit de iure positiuo, vt clericus non puniatur per laicum, potest vsu derog. ri. Hæc Nauarra *ibi*.

16 Quintò nota, quòd si reus appellat à sententia torturæ, tenet appellatio, & suspendit effectum. Sic Bernard. Diaz *pract. crim.cap.*126.*num.*5. Panormitan. *cap. super eo, el* 1.*de appellat. num.*3. & alij, quos refert, & sequitur Gratian. *reg.*36 *num.*2. Iulius Clarus *d. q.*54. *vers. sed quid agendum*; vbi refert ex Maranta, quòd ad impediendum ne reus appellet à sententia torturæ, solent cauti iudices non interponere palàm decretum de torquendo reum, sed ducto reo ad locum torturæ, statim cùm incipit ligari, interponunt decretum de tortura: tunc enim non auditur eius appellatio, & sic dicit iudicatum per Parlamentum Parisiense. Inter Religiosos verò an admittatur appellatio, & quando, dicam *in fine huius dubij*.

17 Si reus in tormento fateatur, & confesso noceat, debet post aliquod temporis interuallum rata haberi: alias nihil valet, quia est confessio metu extorta. Sic habetur *l.*4. *tit.*30. *part.*7. & *ibi* tenet Gregor. Lopez, Sibetur *l.*4. *tit.*30. *part.*7. & *ibi* tenet Gregor. Lopez, Simancas *tit.*65. *num.*70 & 71. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. & explicans illa lex 4. quantum tempus debeat intercedere ad ratificationem, dicit quòd ratificetur sequenti die, & ita non exigit, quòd iam transierint viginti quatuor horæ, vt notat *ibi* Gregor. Lopez *vers.otro.* Vnde infert Gregor. Lopez, quòd an debeant intercedere 24. horæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



horæ, pendet ex iudicis arbitrio secundùm qualitatem torti, & tormentorum, itaut verisimile sit tormentorum metum cessasse; & sic dicit *ibi* Simanc. *num.* 71. quòd Inquisitores, vt benignius procedant, hoc faciunt post tertium diem, imò eadem ratificatio est necessaria, quando reus, vel testis contra alium in tormentis testificatur. Sic Simancas *ibi num.* 73.

18 Si ergo perseuerat in confessione facta in tormentis, non exigitur, vt detur sibi dilatio ad faciendas defensiones, nisi reus hoc petat, vel ex ipsa confessione constaret, sibi competere aliquam defensionem, & hoc indigeret probatione. Sic Gregorius Lopez *l. 4. tit. 30. part. 7. vers. estonces.* Vnde (inquit *ibi*) debet statim sententia proferri.

19 Si verò neget in tormento, absoluendus est reus, vt latè *suprà* dixi, *lib. 3. cap. 1. dub. 12.* Quod intellige (vt bene Simancas *dicto tit. 65. num. 74.*) nisi concurrant tales circunstantiæ, vt iterum torquendus sit. Quod quando fieri debeat, dixi *suprà*, vbi de inquisitione, *dub. 15. & cap. 4. de reo, dub. 5.* Quando verò indicia fuerunt vrgentissima, licèt neget in tormentis, an possit damnari aliqua pœna arbitraria, diximus *dicto dub. 12.* & *ibi* etiam quid faciendum, quando delictum est tale, vel talis persona, vt non possit ad torturam deueniri, & ex alia parte non potest integrè probari delictum.

20 Si verò fateatur delictum, & simul fatetur aliquam circunstantiam excusantem, quid debet facere iudex, dixi *suprà lib. 3. cap. 1. dub. 13.*

21 Quando verò in tormentis faretur delictum, & ductus ad ratificandum negat, quid faciendum sit habes *suprà* hoc eodem *lib. 6. c. 4 de reo, dub. 5.* & tractat Greg. Lop. *l. 4. tit. 30. part. 7.*

22 Igitur quando iam plenè crimen probatum est, debet iudex sententiam ferre, habita ad delictum & testes consideratione: & in hoc processu non infligitur pœna integra, & ordinaria legis, nisi reus sit confessus crimen, sed moderatur arbitrio iudicis, vt latè *suprà* dixi, vbi *de inquisit. dub. 40.*

23 Si autem lata sententia appellet Religiosus, non admittitur appellatio in omnibus casibus, in quibus admittitur contra sæculares: non enim potest appellare, nisi quando superior clarè, & notabiliter excedit modum in regula præscriptum: & hoc nisi in priuilegiis Religionis, etiam in hoc casu negetur appellatio. Et in priuilegiis Societatis Iesu per communicationem priuilegiorum aliis Religionibus concessum, vt patet ex compendio priuilegiorum Societatis Iesu, *verbo appellatio*, §. 2. non potest appellari à mandatis, institutis, ordinationibus, correctionibus cuiuscunque superioris Societatis, etiam ad summum Pontificem, & appellatio est irrita. Item, nec à Præposito generali, aut visitatoribus per ipsum deputatis ab eorum reformationibus, seu correctionibus, sed excommunicatione lata reseruata Papæ, in hoc posteriori casu, scilicet, quando à generali, vel visitatoribus, &c.

24 Et nota, quòd licèt regulariter verum sit quòd quando committitur causa, appellatione remota, intelligitur nisi sit grauis, & iusta appellandi causa, *cap. pastoralis, de appellation.* & docet Francus *cap. postremo, eod. tit.* & Speculator *1. p. tit. de recusat. §. 1. num. 5.* at in hoc casu non habet locum hæc limitatio, illa enim admittitur, ne iusta defensio negari videatur: at in Religionibus id iuste statutum est, propter commune Religionis bonum, & quietem, & vbi alicui negaretur iusta defensio, plus ponderat bonum commune Religionis, & Religiosi iuri suo per professionem cedunt in hoc. Sed de hac re latissimè egi *lib. 6. summa, cap. 8. à num. 101. ad num. 110.*

25 Nota etiam, quòd non negatur in priuilegio Societatis appellatio à sententia condemnatoria iudiciali, sed à correctione, reformatione, mandatis, &c. Vnde in hoc casu videtur standum iuri communi.

26 An verò, quando non est locus appelationi, si iudex ex ignorantia eam admittat, possit retrocedere, dixi *suprà libro tertio, capite primo dubio 15.*

## DVBIVM III.

*An Prælatus procedens contra subditum Regularem possit recusari.*

1 ANtequam respondeam quæstioni, supponenda sunt aliqua, & mox præmittam aliquas quæstiones circa recusationem in genere, & tandem satisfaciam dub. proposito.

2 Primò ergo supponendum est, quid sit recusatio; est enim iudicis, vel audientiæ causa suspicionis proposita declinatio. *l. apertissimi, C. de iudic. cap. quia suspecti, 3. q. 5. cap. suspicionis, de offic. deleg.* sic definit Speculator *1. p. tit. de recusat. initio.*

3 Secundò supponendum est, quis sit effectus recusationis, is enim est quòd, pendente recusatione, non potest iudex ad aliquem actum procedere in illa causa, & si procedit, processus est nullus: suspenditur enim eius iurisdictio. Sic Bart. & communis, *l. quia poterat. ff. ad Trebell.* Maranta *de ordin. iudic. 3. p. partis 6.* in 2. actu suspensiuo, qui est appellatio, *num. 24. & 4. p. d. 16. num. 4.* Dominicus *cap. index, de offic. deleg. in 6.* & *ibi* Francus *num. 2.* Roman. *consil. 220.* Castrus *consil. 121. in 2. volum.* Alex. *consil. 89. in 1. volum.* & communis. Notat tamen Francus *eo num. 2.* quòd non priuatur iudex fundamentaliter iurisdictione, quia etiam post recusationem, & approbationem causæ suspicionis, posset iudex de consensu partis recusantis in ea causa procedere, vel alteri delegare, vt dicitur *d. cap. iudex*, & nos dicemus *infrà*, imò eo ipso quòd quis post oppositam recusationem litigat coram iudice recusato, videtur per hoc renunciare recusationi. Sic Panorm. *cap. inter monasterium, de re iudic. notab. 3.* Maranta *d. 2. actu responsiuo, n. 75.*

4 Tertiò supponendum est, in quo distet recusatio iure canonico, & sic seruando in recusatione iudicis Ecclesiastici, & iure ciuili, & sic seruando dum recusatur iudex sæcularis. Duplex enim est potissima differentia.

Altera est, quòd iure canonico tam ordinarius iudex, quàm delegatus, potest in totum recusari, & per recusationem desinit omnino esse iudex in ea causa, vt patet ex *cap iudex, de offic. deleg. in 6. & cap. cum speciali, de appellat. & cap. si quis contra clericum, de foro compet.* & *ibi* Panorm. Maranta *de ordin. iud. 4. p. d. 5. num. 40.* At de iure ciuili delegatus potest in totum recusari, etiamsi sit delegatus Principis (nisi, vt ait *eo num. 40.* cum Panorm. per ipsum citato, sit delegatus ad vniuersitatem causarum: tunc enim non potest in totum recusari, sed datur sibi socius,) at ordinarius nequit in totum recusari, sed datur sibi adiunctus, vt docent Bart. & communis *l. apertissimi, C. de indic.* & Maranta *eo num. 4.* & idem disponit *l. 22. tit. 4. part. 3.* At iure nouo huius Regni idem est in iudice ordinario, & delegato, quòd scilicet neuter potest in totum recusari, sed datur sibi adiunctus, vt patet ex *l. 1. tit. 16. lib. 4. nouæ recopil.* vbi disponitur, quòd tunc si causa est ciuilis, eligat iudex recusatus, siue ordinarius, sit, siue delegatus, aliquem in socium sibi, vt vterque iudicet causam. Si verò causa fuerit criminalis, & est alius iudex ordinarius in oppido, Hispanè *otro alcalde*, vterque iudicet, sed si non fuerit consilium populi, Hispanè *el regimiento, o concejo*, designet decuriones duos, qui cum iudice recusato litem iudicent. Quòd si in Concilio fuerit discordia in nominando decuriones illos duos, tunc per sortes eligantur ab ipso Concilio ex ipsis duo. Sed in Præside, & auditoribus Regiis, & aliis iudicibus Cancellariæ, quos vocant *Alcal de Chancilleria*, hoc deficit, recusantur enim in totum, vt patet ex *l. 1. & 2. tit. 10. lib. 2. nouæ recopil.* vbi etiam disponitur quid tunc faciendum, & quis iudex succedet loco recusati.

5 Altera differentia est, quòd iure ciuili nulla requiritur causa ad recusationem iudicis sæcularis, vt habetur *l. aper-*



*tissimi, C. de iudic.* vbi glossa, & omnes Doctores, & *l. 22. tit. 4 part. 3.* vbi id docet Gregor Lop. Excipe tamen, quando recusantur auditores Regij, & alij iudices Cancellariæ: tunc enim requiritur causa, vt expressè habetur *l. 1. & 2. tit. 10. lib. 2. nouæ recopil.* dicit tamen glossa *l. apertissimi, C. de iudic.* quòd recusans debet iurare se non ex malitia recusare illos ad litem differendam, sed propter metum, & suspicionem, quam de iudice habet. Quod limitat illa *lex 22.* si petatur iuramentum. Sed practica iam est vt iuret, licèt non petatur, quod videtur probari *l. 1. tit. 16. lib. 4. nouæ recopil.* & notat Gregor. Lop. *illa l. 22. vers. Si lo demandaren*; at iure canonico requiritur iusta causa recusationis, & quòd ea probetur, vt patet ex *cap. suspicionis, de offic. deleg. cap. secundo requiris, §. 3. postulas, & cap. cum speciali, de appellat. cap. legitima, de appellat. in 6.* & notant omnes Doctores *in his locis*, & Gregor. Lop. *d. l. 22. vers. porque raZon*, & Maranta *vbi infra.*

6 Quæ autem sint iustæ causæ suspicionis formandæ de iudice, vt possit recusari, latè Francus *cap. postremo, de appellat.* & Maranta *de ordin. iudic. 3. p. partis 6.* in 2. actu suspensiuo, qui est appellatio, *à num. 27. ad 73.* Sylu. *verbo recusari.* Et aduerte, quòd etiam vbi causa non est iure expressa, potest iudex recusari. Glossa *cap. cum speciali, de appellat. vers. iustè*, & *ibi* Innocent. & Francus, *num. 7.* & hi duo dicunt, hoc esse quando est maior, vel saltem eadem ratio, quæ inuenitur in causa iure expressa.

7 Quartò supponendum est, quòd recusatio Prælati religionis regulanda est secundùm ius canonicum, sicut & recusatio iudicis Ecclesiastici, cùm hæc res canonica & ecclesiastica sit. His suppositis.

8 Primò quæritur, quis iudex possit recusari, & an per Principem possit tolli iudicis recusatio. Et in primis nota, quòd recusatio generalis iudicum, vel literatorum alicuius loci, tanquam vana non est admittenda. Paz alios referens *pract. 1. part. 1. tom. 10. num. 29. & num. 22.* cum aliis Doctoribus hoc limitat, nisi probaretur iusta causa, quam etiam dicit requiri quando totum consistorium decurionum recusatur. Sit

9 Prima conclusio. Papa, & Princeps recusari non possunt, quia de eis nullo modo præsumitur, quòd faciant iniustitiam; nec Concilium generale, quia errare nequit; nec Cardinales, propter approbationem eorum fidem, & iustitiam, *cap. nouit, de appell.* Sic de Papa & Principe tenent Francus *cap. cum speciali, de appell. n. 32.* Host. Panormit. Ioann. Andr. *cap. quærelam, de elect.* & de Concilio generali tenet idem Francus *cap. postremo, de appell. n. 16. & 17.* & de Cardinalibus tenet *ibi num. 14.* & Immola *cap. nouit, de appellat.*

10 Secunda conclusio. Concilium prouinciale recusari potest, & quæcunque Vniuersitas, Collegium, & Rectores Collegiorum, per *cap. licet ex suscepto, de foro compet.* Si multi, quos refert, & sequitur Francus *capite postremo, de appellat. num. 16. & 17.* & Nauarr. *lib. 2. consil. tit. de appellat. consil. 1.*

11 Tertia conclusio. Etiam delegatus Papæ, vel cuiuscunque Principis proprio motu datus potest recusari, Franc. *cap. postremo, de appellat. num. 15.* & expressè colligitur ex *cap. index, de offic. deleg. in 6.* Nauarr. *supra*, & idem dicit de Cardinali Legato à latere.

12 Quarta conclusio. Iudex electus ab aliquo, non potest ab ipso recusari, *Auth. offeratur. C. de litis contest.* & ratio est, quia cùm eum elegerit, eius personam approbauit. Quod intelligendum est, nisi ex noua causa superueniente, vel ex antiqua de nouo veniente ad notitiam. Sic glossa *cap. statutum, de rescript. in 6.* & *ibi* Francus *c. cum autem, num. 1.* glossa *cap. in singulis, de stat. monach. vers. & appellatione, & cap. insinuante, de offic. deleg.* & *ibi* Panorm. *in fin.* Maranta *de ordin. iudic. 3. p. partis 6.* secundo actu suspensiuo, qui est appellatio, *num. 76.*

13 Quinta conclusio. Nullus Principe inferior, etiam Legatus à latere, potest tollere recusationem. Sic Francus *capite postremo, de appellationibus.* multos allegans.

14 De ipso autem Principe est graue dubium, an possit tollere recusationem. Quidam enim negant: vt enim colligitur ex *cap. quia suspecti, 3. quæst. 5. & cap. secundò requiris, de appellat. in fine*, videtur de iure naturali; quia est defensio, vt patet ex *cap. cùm inter, de exception.* vbi dicitur, nil esse tam graue, & periculosum, quàm litigare sub iudice suspecto. Sic tenent Panormit. *cap. ad hæc, de rescript. & cap. cum inter. de except.* Domin. *cap. iudex, de offic. deleg. in 6.* & alij.

15 Sed verius est ex graui causa posse aliquando. Probatur, quia Princeps potest committere causam omni appellatione remota, secundùm omnes: ergo à fortiori omni recusatione remota, quia minus grauatur pars per sublationem recusationis, quia superest remedium appellandi. Sic Francus *cap. postremo, de appellat.* Innocent. *cap. ex transmissa, de foro compet.* Hostiens. & Ioan. Andr. *cap. cum inter, de except.* glossa *l. apertissimi, C. de iudic. vers. recusare.* Bart. *l. fin. C. de sentent.* Speculator *tit. de recusat. §. 1. vers. quid si sit causa.* Lapus *cap. index, de offic. deleg. in 6.*

16 Nota tamen, quòd per hoc quòd committatur causa omni appellatione remota, non censetur sublata recusatio, cum sint diuersa. Sic Francus *cap. postremo, de appellat. num. 2.* per illum textum contra Speculatorem *2. p. tit. de recusat. §. recusari potest. vers. sed quid si causa.* Imò ad hoc quòd censeatur sublata recusatio, oportet vt apertè tollatur, adeò quòd si Princeps ex certa scientia committeret causam notoriè suspecto, non videtur tollere recusationem. Glossa *cap. ad hæc, de rescript.* Innocent. *d. cap. ex transmissa.* Francus *cap. postremo, de appellat.* imò quando expressè diceret, *omni recusatione semota*, intelligitur de friuola, non autem de graui & iusta suspicione, sicut dicitur de clausula, *appellatione remota, cap. pastoralis, de appellat.* Sic Speculator *tit. de recusat. §. 1. num. 5.* Francus *cap. postremo, de appellationibus.*

17 Ex dictis fit Religiosum posse recusare suum Prælatum procedentem vt iudicem contra illum, quando est iusta causa suspicionis contra illum, quod latè probaui *lib. 6. summæ, cap. 8. n. 111.* Probatur ex dictis: si enim est adeò naturale hoc remedium, vt vel Princeps secundùm multos id non possit tollere, vel saltem nullo modo censeatur tollere, nisi expressè id dicat, & tunc adhuc intelligitur de recusatione friuola: ergo cùm in priuilegiis Religionis non contineatur, quòd excluditur recusatio, standum est iuri communi, quod eam concedit. Item, quia potest esse iusta causa suspicionis Prælati Regularis, propter quod nimis graue esset ab ipso iudicari. Item, quia si Concilium Prouinciale, Legatus à latere potest recusari, & communitas: ergo à fortiori Prælatus Religionis. Pro hoc videntur esse omnes Doctores citati in hac quæstione, qui tractantes, quis iudex recusari possit, non excipiunt Religionis Prælatum, & clariùs Glossa *cap. in singulis, de stat. monach. vers. & appellatione*, vbi decernit Romanus Pontifex, quòd quolibet triennio celebrentur Capitula in Religionibus ad reformationem morum Religiosorum, & dicit, quòd eligat Capitulum quatuor, qui præsint, & ab illis diffinita seruentur omni executione, & appellatione semotis: vbi hæc dicit glossa; *nec recusare possunt, quia eos elegerunt, nisi ex noua causa superueniente, quia iusta recusatio nulli est deneganda.* Ecce qualiter texrus non negat recusationem, quia sunt Prælati Regulares, sed quia sunt iudices electi à partibus, & glossa etiam in hoc casu concedit ex noua causa recusationem: & dicit hanc nulli denegandam, & tenet expressè Præpositus *cap. cum speciali, §. porro n. 6. de appellat.* quando excedit limites regulæ: secus si non excedat.

18 Secundò quæritur, quo in statu litis possit recusari iudex.

19 Sit conclusio. Exceptio recusationis debet opponi non tantum ante litem contestatam, verùm etiam debet esse prima exceptio, quæ opponi debet ante omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca



dilatorias; quia si opponitur alia dilatoria, censetur pronocati iudex, vt super ea pronunciet, & sic inducitur consensus in iudicem. Sic Maranta *de ordine iudicior. 3. p.partis 6.*in 2.actu, qui est appellatio, *num.25.* vbi multos refert. Idem habetur *l. apertissimi, C. de iudiciis, & l.22.tit.4.part.3.& l.8.tit.10.part.3.* vbi sic dicitur, *Puedon recusar al Iuez ante que el pleyto sea commençado por demanda y respuesta y despues no por so spechoso que le ayan, o, por otra razon.* Quod limitandum est, nisi emergat causa denuò, vt *in cap. insinuante, de offic. delegat. & l.8.tit.10.part.3.* Greg.Lopez *l.22.tit.4. part.3. vers. ante que.* Maranta *loco proximè citato, num.74.* vbi addit, quòd quando de nouo superuenit causa, potest in quacunque parte litis opponi, etiam post conclusionem causæ, si pòst superuenerit. Quod idem docent Felinus *cap. insinuante, de offic. deleg.* Gregor.Lopez *l.22.tit.4.part.3.sub finem.* Domin. & Francus *cap.iudex, de offic.deleg. in 6.* Panormit.*cap.1.de mutuis petitio.* Potest etiam tunc recusari, si de nouo tunc veniat ad notitiam causa, licèt non emergat causa de nouo, vt *in cap.pastoralis, de exceptio.* & tenet Greg. Lop. *l.22.tit.4. part. 3. vers. ante que, & l.8 tit.10.part.3.vers.so spechoso,* dicit Gregor. Lop. posse in hoc regno post litis contestationem recusari sæcularem iudicem solo iuramento partis præmisso, se eum recusare, eo quòd suspectum habeat, iuxta *l. 4. tit. 10. lib.2.recopil.* Imò *l.22.tit.4 part.3. fine*, dicit Greg. Lop. quòd vbicunque non requiruntur probationes de causa recusationis, vt est regulariter de iure ciuili, vt dixi, habet locum recusatio post conclusionem causæ, etiam ex causa non nouiter orta, quod (ait) credo seruati in practica, nisi circa auditores Regiæ Cancellariæ, in quibus seruatur *l.4.tit.10.lib.2.noua recopil.* Et ratio est, quia ob id Doctores dicunt, non admitti recusationem post conclusionem causæ, quia requiritur causæ probatio ad recusationem, & post conclusionem causæ non admittuntur probationes: ergo vbi non requiritur causæ probatio ad recusationem, hoc non proceder, imò data sententia, & tradita scribæ, vt pronunciet, potest ante pronunciationem recusari, Couarr. *pract.cap.26. num.3.* Paz *pract.tom.1.p.1 tempore 10.n.19.*

20 Tertiò quæritur, quæ sit practica recusandi iudicem de iure canonico, nam de iure ciuili iam explicui.

21 Primò ergo recusans iudicem debet proponere recusationem, & allegare causam coram iudice recusato, licèt non coram illo sit probanda, vt mox dicemus, vt expressè colligitur ex *cap.legitima, de appellat.in 6.* & docent glossa *cap.si contra, de offic. deleg.in 6. initio*, & *ibi* Francus *num 2.& cap.secundo requiris, de appellat.*

22 Secundò; partes debent eligere arbitros, qui de iusta causa suspicionis, ob quam recusatur iudex, cognoscant; vt habetur *cap. legitima, de appellat.in 6.& cap.secundo requiris, & cap. cùm speciali, de appellat.* & hoc quando ad instantiam partis proceditur. Quòd si iudex procedat ex officio, debent per iudicem, & partem, contra quam proceditur, eligi, vt expressè habetur *dict.cap. cùm speciali*, vbi etiam id notat Francus *num.1.* & vt videtur in eo *cap.cùm speciali*, debent partes communiter eligere arbitros, aut si communiter conuenire non possunt, altera pars vnum, altera pars eligat alterum. Et hi arbitri, non oportet vt sint ex eodem loco, vt colligitur ex *cap.secundò requiris, de appellation.* Hic tamen alius locus non debet esse valdè remotus, vt docet glossa *cap. legitima, de appellat.in 6.* Francus *cap. secundò requiris, de appellat.* vbi addit, quòd non debet esse locus in quo eligit remotior, quàm vltra vnam dietam, id est, *camino deundia*, per *cap. statutum, de rescript. in 6. §.cum autem*; vbi glossa, & Francus explicant, qualiter accipienda sit hæc dieta; & hi arbitri non possunt esse laici secundùm glossam, & Archid. *cap.legitima, de appellat.in 6.* & Francum *cap.secundo requiris, de appellat.* vbi hoc limitat cum Dominico *d. cap. legitima*, in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis: nam in temporalibus etiam inter clericos possunt laici esse arbitri: & non est necesse, quòd sint plures arbitri, sed sat est vnus de consensu partium. Glossa *cap. secundo requiris, de appellat. vers. aliquos, & ibi* Francus, Speculator *1.p.tit.de recusat. § effectus.* Tiraquel. *de reuocat.donat.verb.susceperit, num.247.*

23 Sed quæres, cur quando opponitur, quòd iudex non habet iurisdictionem, vel quòd rescriptum, quod habet, est surreptitium, ipse cognoscit de hoc; at quando recusatur, non cognoscit ipse, an causa recusandi sit iusta; sed eliguntur ad hoc arbitri. Respondetur cum Franco, & Panorm. *cap. secundò requiris, de appellat.* quia ex recusatione iudex communiter pronocatur ad indignationem, & sic timetur, ne sic pronocatus nocear; secus in aliis casibus; & addit Francus *ibi, num.13.* quòd quando opponitur aliud vitium iudici, quod afficiat eius personam, vt quod est infamis, vel excommunicatus, licèt quidam dicant ipsum posse cognoscere de hoc, alij verò negent, ipse Francus concordat hos, referens alios, quòd si opponens exceptionem consentit, potest iudex de hoc cognoscere: si verò non consentit, imò recusat ipsum iudicem, debent super hoc eligi arbitri.

24 Nota tres esse casus, in quibus non itur ad arbitros, vt iudicent de causa recusationis, qui omnes habentur expressè *cap. si contra, de offic. deleg. in 6.* Primus est, quando Papa delegat causam aliquam determinandam duobus iudicibus, cum hac clausula, quòd si ambo inter se non possint, alter eorum in causa procedat, tunc si alter recusetur, causa recusationis probanda est coram altero non recusato. Secus si non sit dicta clausula, tunc enim ad arbitros recurrendum est, vt notat Francus *cap. cùm speciali, de appellat.n.2.* Et nota idem esse, quando causa delegatur à quocunque alio cum dicta clausula, vt notat glossa *in d.cap. si contra*, & idem est si causa delegetur pluribus, quàm duobus iudicibus, cum dicta clausula, vt notat glossa *ibi*, & Francus *eod.cap.si contra.*

25 Quid verò dicendum, si pluribus committatur causa in solidum, poteratne recusato altero, alter cognoscere de causa recusationis? Videtur non posse; quia *cap. si contra, de offic.deleg.in 6.* expressè habetur non posse, si non sit clausula, *si ambo non possint interesse, alter eorum in causa procedat*; at in nostro casu non est dicta clausula. Sed dico debere cognoscere alterum: & ita post longum studium iudicauit quidam iuris peritus valdè doctus. Probatur, quia tacitè inest ea clausula *cap. cùm plures, de offic.deleg.in 6.* vbi habetur, pluribus iudicibus in solidum delegatis, & vno inchoante, causam non posse alterum cognoscere, nisi prior impeditus sit; at eo ipso, quòd iudex est recusatus, est impeditus quoad causæ prosequutionem, vt notat Monachus *dicto cap. si contra, num.2.* Item, quia si vbi est clausula, *si ambo interesse non possint, alter eorum procedat*, quando alter recusatur, cognoscit alter de causa, & reddit rationem, *dicto cap. si contra*, quia ad illum virtute prædictæ clausulæ debet negotium pertinere; à fortiori idem dicendum est, vbi duobus committitur causa in solidum: siquidem in primo casu non erat plena iurisdictio in quolibet; in nostro verò est, & militat eadem ratio textus, siquidem, altero qui inchoauit impedito, debet alter de causa cognoscere.

26 Secundus casus est, quando delegatus ab Episcopo recusatur, & idem est (vt notat Francus *cap.cùm speciali, de appellat.num.2*) quando recusatur delegatus à quocunque alio ordinario, tunc enim causa recusationis est coram eo, qui illum delegauit, scilicet Episcopo, vel illo alio ordinario probanda.

27 Tertius est, quandò recusatur Vicarius Episcopi, tunc enim causa est probanda coram Episcopo, licèt à Vicario Episcopi ad ipsum Episcopum non sit appellatio, & ratio differentiæ est secundùm Francum, & Anchar. *eo cap.si contra*, quia appellatio concernit iurisdictionem, quæ in Episcopo, & Vicario est eadem, cùm sit vnum tribunal, & ideo à Vicario ad Episcopum non appellatur: at recusatio respicit suspicionem adhærentem recusato; licèt autem Vicarius suspectus sit, non ideo est suspectus Episcopus. Quod intellige nisi Vicarius, vel delegatus recusetur ex causa concernente ipsum Episcopum, vel ordinarium: vt quia est oriundus de patria aduersarij; sicut est Episcopus, vel ille ordinarius: tunc enim non est tractanda causa coram Episcopo, sed coram arbitris. Sic Oldradus *consil.268.* Dominicus *d.cap.si contra*, & *ibi* Francus *num.6.* qui addit cum Ioanne Andrea, quòd si suspicio concernat dignitatem, ita censetur suspectus in dignitate successor, sicut prædecessor. Similiter quando Episcopus recusatur, recurrendum est ad arbitros. Sic glossa *cap.si contra, vers. Episcopi.*



28 Sed quid faciendum, quando Episcopus est absens, & recusatur eius Vicarius, vel delegatus. Respondetur, quòd si Episcopus est in diœcesi, vel in loco vicino proponatur recusatio coram iudice recusato, & petatur ab eo, vt supersedeat, donec Episcopus veniat, vel consulatur. Si verò Episcopus longè distaret, tunc de recusatione Vicarij recurratur ad arbitros, & de recusatione verò delegati ab Episcopo cognoscat Vicarius Episcopi, quia quod fit per Vicarium, videtur factum per Episcopum, secundùm glossam *cap.1.de capel.monach.* & Vicarius potest absente Episcopo facere, quæ nequit ipso præsente, iuxta notata per Doctores *cap.nullus, de tempor. ordin. in 6.* imò si Episcopus habeat plures officiales, seu Vicarios in solidum, & ipse est absens, posset vnus Vicarius de alterius recusatione cognoscere. Hæc Francus, allegans alios Doctores, & textus *cap.si contra.de offic.deleg. in 6.n.3.* Si verò iudex Ecclesiasticus recusatus, non obstante recusatione procedat, pendet ex futuro euentu, si enim postea declaretur causam esse iustam, non valet processus; si verò declaretur esse iniustam, valet. Sic Philippus Probus addit. ad Monachum *cap. si contra, super verb.nequibit, de offic.deleg. in 6.*

29 Tertiò, facta electione arbitrorum, potest iudex recusatus assignare terminum competentem arbitris, intra quem definiant, an causa recusationis sit iusta, vel si sint discordes, vt eligant tertium arbitrum; hæc enim electio tertij arbitri non ad partes, sed ad ipsos arbitros spectat, vt expressè colligitur ex *cap.cum speciali, de appellat.* & elapso termino hoc, si arbitri non proferant sententiam, causa recusationis est deserta, & tenetur pars coram iudice recusato litigare. Hæc omnia habentur expressè *cap.legitima, de appellat. in 6.* vbi glossa, Francus, Domin. & omnes, & idem Franc. *cap.secundo requiris, de appellat.* Et aduerte, quòd si iudex recusatus minus competentem terminum assignaret arbitris, possunt partes, quæ grauantur appellare; & similiter, si arbitri nolunt pronunciare in illo termino, vel malè pronunciant, ad Papam appellandum est, vt bene glossa *cap.legitima, de appellat. in 6. vers competens, & vers. non omittat.* Arbitri verò debent assignare partibus terminum ad probandum causam recusationis, & per hoc concordatur *cap. suspicionis, de offic.deleg.* quod dicit terminum esse assignandum per arbitros. & *d.cap.legitima*, quod dicit terminum esse assignandum per iudicem recusatum; quia illud loquitur de termino assignando partibus, vt præbent causam recusationis; hoc verò de termino assignando arbitris, vt illam definiant. Sic glossa *d.c. legitima, vers. per iudicem.* Francus *cap.cùm speciali. de appellat.*

30 Nota primò, quòd quando duobus arbitris discordantibus, eligitur tertius, licèt glossa *l.item si vnus. § sed & principaliter ff. de arbitr.* dicat standum esse sententiæ illius tertij: at dicendum est, quòd non valeret, nisi concordaret cum illo alius ex duobus primis arbitris. Sic colligitur ex *cap.cum speciali, de appellat.* & tenet *ibi* alios referens Francus *num.4.*

31 Secundò nota, quòd finita sententia arbitrorum super causa recusationis, quòd sit iusta, non possunt arbitri de causa principali cognoscere secundùm ius canonicum. licèt aliud sit secundùm ius ciuile, vt expressè colligitur ex *cap.cum speciali, de appellat.* Sic Franeus *cap. secundò requiris, de appellat. num.15.* Archidiach & glossa *cap. si quis in quacunque, 2.quæst.6.*

32 Quartò, si arbitri pronuncient causam recusationis esse iniustam, iudex recusatus procedit in causa principali: si autem pronuncient esse iustam, suspenditur de iure canonico iurisdictio illius iudicis recusati, & sic non potest amplius se intromittere in ea causa, *cap. secundò requiris, & cap.cum speciali, de appellat.* Sic Francus *d. cap. secundò requiris.* Quis verò iudex debeat cognoscere, statim dicam.

33 Hinc fit, quòd probata causa suspicionis, & pronunciata per arbitros sententia, quòd est iusta, non potest iudex recusatus cogere partes, vt eligant arbitros, qui iudicent de causa principali, de iure canonico, licèt aliud sit de iure ciuili. Ratio differentiæ est, quia de iure canonico desinit omnino esse iudex, at de iure ciuili non desinit esse iudex, sed datur ei socius, vt dixi. Sic Francus *cap. secundò requiris, de appellat.* & *ibi* Panorm.

34 Quartò quæritur, quis debeat esse iudex de iure canonico (de iure enim ciuili iam *suprà* dixi) vt iudex recusatus est, & probata est ab arbitris recusatio.

35 Nota quòd *cap. cum speciali, de appellat.* habetur, quòd iudex recusatus probata recusatione, vel transmittat ad suum superiorem causam, vel eam de recusatoris assensu alteri committat, & sic iuxta hunc textum vel iudicanda est ea causa à iudice superiori, vel deleganda per iudicem recusatum alteri, vt de ea iudicet.

36 Pro huius explicatione, scilicet ad intelligendum quando possit recusatus iudex alteri causam delegare, statuendæ sunt sequentes conclusiones.

37 Prima conclusio. Si est iudex delegatus ab inferiori, quàm à Principe, nullo modo potest causam subdelegare, huiusmodi enim delegatus non potest subdelegare. *l.more maiorum.ff. de iurisdict. omn. iudic. l. a iudice. C. de iudic.* Sic Maranta *de ordin.iudic.4 p.d.5.n.25.& 41.*

38 Secunda conclusio. Si iudex recusatus est delegatus à Principe, potest ante propositam recusationem committere alteri causam, dummodo in totum committat, aliàs posset recusari. At propositа recusatione, licèt arbitri non sint electi, non potest alteri causam delegare, nisi consentiente recusatore; hoc verò consentiente, potest, licèt electi sint arbitri, & coram eis sit probata causa recusationis, modò arbitri non pronunciarint causam esse legitimam: hoc verò pronunciato, nequit etiam de consensu recusatoris, quia iam desinit esse iudex. Hæc habentur *cap. iudex de offic. deleg. in 6.* Maranta *de ordin.iudic. 4 p.d.5.n.41.* Francus *cap.cum speciali, de appellat.num.13.& 14.* quod limitat *num.14.* cum Lapo, & Dominico *d.cap.iudex*, nisi à sententia arbitrorum sit legitimè appellatum: tunc enim etiam pronunciata ab eis sententia, potest de consensu recusatoris alteri delegare.

39 Tertia conclusio. Si iudex recusatus est ordinarius, potest etiam inuitis partibus, postquam recusatus est, alteri delegare, antequam arbitri pronuncient sententiam. Sic Francus *cap. cum speciali, de appellat.n.15* & *ibi* Panorm Maranta *de ordine iudic. 4 p.d.5. num.41.* per *d. cap.cum speciali*, & per *cap.si quis contra clericum, de foro compet.* Imò Bald. *d.cap.cum speciali*, dicit, etiam post pronunciationem sententiæ posse; sed verius est non posse, nisi de consensu recusatoris, hoc tamen consentiente posse, vt probat *d.cap. cum speciali*, & *ibi* Francus *num. 16.* Panorm. & Immola *ibi*, immò Immola, & glossa *d. cap.cum speciali*, dicunt etiam requiri consensum alterius partis. Sed verius est non requiri, quia *cap. iudex, de offic. deleg. in 6.* & *dict. cap. cum speciali*, tantùm requirunt consensum recusatoris, & iure communi potest ordinarius delegare etiam inuitis partibus. Sic Francus *dict.cap. cum speciali, num.16.* & *ibi* Panormit. post pronunciationem verò arbitrorum dicunt aliqui, quòd etiam de recusatoris consensu nequit ordinarius committere; & videtur pro hoc facere *dictum cap. iudex*, & videntur tenere Butrio, & Immola *dict. cap. cum speciali*; sed verius est

Universidad de Deusto
Biblioteca



posse delegare de consensu partium, quia ordinarius non desinit esse iudex. Sic Francus *d. cap. cum speciali, num.* 18. Panorm. *cap. si quis contra clericum, de foro compet.* Sed si partes non consentiunt, tunc debet remitti causa ad superiorem, vt sit iudex in ea causa Francus *d. cap. cum speciali, num* 19. & ille superior potest etiam recusari, nisi de partium assensu sit electus, id est, facta remissio de partium voluntate, & si recusetur, est facienda de nouo electio arbitrorum. Francus *d. cap. cum speciali, num.* 19. alios referens.

## DVBIVM IV.

*Qualiter Prælatus Regularis debeat procedere per viam accusationis contra subditum Regularem.*

1 SVpposito (vt dixi *supra dub.* 1. *fin.*) tunc esse procedendum hac via, quando Religiosus intulit iniuriam tertio, qui vult, & potest accusare, & delictum illud probare potest duplici teste fide digno.

2 Primò debet Prælatus formare processum hoc pacto, *In ciuitate Cordubensi die* 20. *Maij anno* 1547. *Petrus Antonium Religiosum accusauit de tali crimine, & iussit Ioannes Minister Prouincialis, vel Guardianus informationem sequentem facere coram me Notario a suis consiliis.* hîc inserenda est omnis probatio, quæ in eum extiterit, & à reo confessio accipienda, & quidquid *supra* diximus *dub.* 2. in processu via inquisitionis; excipe tamen quòd hîc non est necessaria infamia ad interrogandum reum, sed quòd delictum probari possit, & iam semiplenè probatum sit. Excipe etiam, quòd est grauis difficultas, an clericus torqueri possit, quando non est infamatus de delicto, de qua re *dub. sequenti* dicam, certius esse posse torqueri. Demùm excipe, quòd si plenè probetur delictum, est damnandus integra pœna, secundùm omnes; in cæteris verò idem dicendum est in vtroque procedendi modo.

## DVBIVM V.

*Qualiter Prælatus debeat procedere contra Regularem via denunciationis Euangelicæ, seu fraternæ.*

1 SVpposito (vt dixi *dub.* 1. *fin.*) hoc procedendi genus locum habere quando delictum est in solius peccantis damnum, & est occultum, id est, non laborat infamia.

2 Primò ergo debet Prælatus vocare reum, nec potest statim punire, licèt crimen sit probabile, sed priùs omnia tenèda sunt media, vt frater sine correptione iudiciali corrigatur, vnde debet prius leniter admonere, & si hoc non sufficiat, debet minis admonere, quod eius vitam explorabit, & pòst admonere coram aliquibus viris grauibus, si viderit expedire. Ratio, quia finis correctionis fraternæ est sola emendatio fratris: ergo omnia priùs tentanda sunt, vt frater sine correptione iudiciali corrigatur. Hæc Sotus *lib. de secreto, memb.* 2. *q.* 4. *concl.* 7. Bannez 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *concluſ.* 3. *fol.* 1261. Sed Sotus dicit non licere adhibere verbera, si videat ad correctionem expedire. At melius Bannez dicit *ibi* hoc licere, quando attenta qualitate peccantis viderit Prælatus ad subditi correctionem expedire; quia patri carnali liceret secretò verberare filium.

3 Nota quòd si crimen non sit probabile, non potest Prælatus cogere subditum ad fatendum crimen; si verò sit probabile, tenetur subditus fateri illud Prælato tanquam patri, si ipsi constat habere Prælatum testes sufficientes, vel indicia sufficientia, quia in hoc casu ius habet Prælatus interrogandi tanquam pater. Sic Bannez *dict. art.* 8. *dub.* 4 *concluſ.* 3. *fol.* 1261. Sotus *d. concl.* 7. & *lib.* 5. *de iust quæst* 6. *art.* 2. *conclus.* 3. limitans *ibi*, nisi non leniter, sed grauiter timeat, quòd tanquam iudex machinatur eum castigare.

4 Secundò dico: Si facta hac diligentia subditus proponit emendam, & fatetur crimen, non licet Prælato vltrà procedere iudicialiter, quia iam finis intentus est comparatus. Sic Sotus *de secreto memb.* 2. *q.* 4. *concl.* 7. Nauarr. *cap. inter verba, in nouo corol.* 59. *num.* 160. & dicit Sotus *ibi*, quòd hic confessus, quando crimen est probabile, potest cædi flagello fraternaliter, non ad punitionem præteriti, sed ad terrorem in futurum; non tamen potest excommunicari. Sed Bannes *ibi* dicit hoc intelligendum de publica ac forensi excommunicatione, sed potest (inquit) ei præcipi sub excommunicatione latæ sententiæ, vt deinceps vitet talem peccandi occasionem.

5 Tertiò dico: Si verò facta diligentia prædicta, adhuc Religiosus est pertinax, nec vult recognoscere delictum, & corrigi, tunc si delictum est omnino secretum non potest amplius Prælatus procedere, sed debet orare pro illo, & expectare donec sint alij testes, quibus delictum probari possit. Sic Sotus *d. memb.* 2. *q* 4. *concluſ.* 8. Si verò delictum sit probabile, aut non est spes emendæ per punitionem, & tunc hic pertinax est excommunicandus coram testibus denunciationis, vt dixi *supra cap.* 2. *de denunciat. dub.* 11. vbi hoc contra alios probaui, licèt ad alias pœnas iuris procedendum non sit. Si verò sit spes emendæ (vel in casu in quo illa punitio obesset peccatori, prodesset tamen bono communi, vt explicui *dict. dub.* 11.) tunc ex quo subditus per secretam Prælati monitionem renuit corrigi, cessat iam via correctionis fraternæ, & transitus fit ad iudicialem. Sic Sotus *d. concl.* 8. & ratio est, quia ipsâ rebellio habet vim accusatoris, sicut in delictis publicis, quando proceditur via inquisitionis, infamia, vt bene Sotus *de secret. memb.* 2. *q.* 6. *vers. at verò*, & Nauarr. *cap. inter verba, in nouo corol.* 59. *n.* 160. *& in antiquo corol* 59. *n.* 628.

6 Vnde debet Prælatus formare processum hoc modo, v. g. *In ciuitate Hispalensi die* 22. *anno* 1612. *Ioannes minister Prouincialis affirmauit ad suam deuenisse notitiam, quòd Petrus suus Religiosus excessisset in talire, & eo quòd non sit infamia, nec publicum scandalum eum vocasse, seméque ac iterum correxisse, protestando se super illud informationem facturum, nisi vellet suum crimen recognoscere, ac se corrigere, & eo quod à se correctus pertinax in suo extiterit crimine, sequentem informationem iussit facere circa dictum crimen coram me T. notario à suis consiliis.*

7 Postea vocandus est denunciator, & suum dictum iudicialiter accipiendum, quia denunciator potest esse testis, & est testis integer, vt *supra* diximus *cap.* 2. *de denunt. dub.* 13. vbi etiam diximus, an infames, & alij inhabiles admittantur. Recipiendi etiam sunt quotquot fuerint testes, & postea confessio à reo accipienda, & reliqua sunt facienda, sicut *supra dub.* 2. diximus procedendum esse, quando proceditur via inquisitionis.

8 Specialis tamen difficultas est, an Clericus, vel Religiosus possit in hoc processu torqueri; & supponamus in hoc processu si opus est posse reum torqueri, quod docet Sotus *de secreto memb.* 2 *q* 4. *concl.* 8. At de clericis est specialis difficultas, quia in hoc processu, licèt crimen iuridicè probetur: at non laborat infamia, & dicunt plures clericum torqueri non posse, nisi sit infamatus. Sic Bernard. Diaz *pract. crim. cap.* 125. *num.* 1. *& irregul. iuris. reg.* 126. *limit.* 1. *sublimit.* 3. & multos pro hoc refert idem Gratian. *reg.* 126. *num.* 9. Duennas *reg.* 190. *limit.* 3. Padilla *l.* 1. *C. de iuris & facti ignorant. n.* 9 Plaza *de delictis, cap.* 6. *n.* 10. Iulius Clarus *lib.* 5. *recept. §. fin. quæst.* 64. *vers. sed an clerici.* Perez *lib.* 1. *ordinam. tit.* 2. *l.* 1. Gregor. Lopez *l.* 2. *tit.* 30. *part.* 7. *vers. Caualiero*, vbi dicit hanc doctrinam ferè apud omnes obtinuisse, & aliquibus modis restringit.

9 Sed contrarium, scilicet non requiri infamiam, tenent Salzedo *pract. crim.* Bernard. Diaz, *cap* 125 *lutera A. §. & licèt optimo.* Panorm. quem sequitur Felin. *cap. olim, de refeript. vers. tertius casus.* Alciat. *cap. n. num.* 43. *de offic. ordinam.* Simanc. *de institut. cathol. tit* 65. *n.* 48. & hanc dicit Iulius Clarus *supra* praxi seruari, & ratio est, quia nullibi legimus circa hos clericos esse aliquo priuilegio muratos; & alias rationes afferunt Doctores citati.

10 Tandem plenè probato delicto non est in hoc processu infligenda integra legis pœna, sed mitior, vt explicui, & probaui *supra cap.* 2. *de denunc. dub.* 12.



## DVBIVM VI.

*Qualiter procedere debeat Prælatus contra regularem via denunciationis canonicæ.*

1 SVpposito (vt dixi *supra dub.* 1. *fine*) quòd hic processus est, quando denunciatur ad vtandum alicuius damnum: vt quando denunciantur crimina, quæ redundant in damnum commune, vel alicuius priuati, & damnum pendet in futurum.

2 Dico ergo, quòd si peccator monitus à Prælato cortigitur, & omnia mala cessant in futurum, & hoc est certissimum, non debet vltrà procedi ad punitionem peccatoris. Si verò hoc non est certum, vel non corrigitur, debet procedi iudicialiter modo dicto *in dubio præced.* licèt spes emendæ non sit, vt latè probaui *dub.* 11. *de denunciat. duabus vltimis conclusionibus*, & *ibi dub.* 12. probaui non esse infligendam integram legis pœnam.

## CAPVT IX.

*De exemptione Regularium.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *Qualiter Religio Societatis* Iesv *exempta sit à iurisdictione ordinariorum.*
2. *In quibus subiecti sint post Tridentinum Concilium ordinariis exempti.*
3. *An contra exemptos possit procedere index Papæ delegatus ad corrigendum clericos, non facta de exemptis mentione.*
4. *An exempti citati ab ordinario teneantur coram ipso priuilegium exemptionis exhibere.*
5. *Qua forma respondendi vtetur Religio exempta, vel Religiosus exemptus, quando ante ordinarium conuenitur, & quo pacto suam exemptionem defendet.*
6. *An quando Religio est actor aduersus laicos, possit ipsos conuenire coram iudice conseruatore per ipsam electo.*
7. *An possit construi monasterium Religiosorum absque Episcopi auctoritate.*
8. *An quando in priuilegio continetur, vt non intelligatur reuocatum, nisi de eo fiat specialis mentio de verbo ad verbum, intelligatur reuocatum per clausulam,* non obstante quocunque priuilegio, etiamsi habeat clausulam, vt de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cuius tenorem pro inserto volumus hîc haberi.
9. *An Regulares possint vti suis priuilegiis contra alios Regulares similia priuilegia habentes, etiamsi ipsi illis non vtantur, & similiter familiares Religionum, possint vti priuilegiis Religionum contra ipsos Religiosos, etiamsi ipsis priuilegiis Religiosi non vtantur.*

## DVBIVM I.

*Qualiter Religio Societatis* Iesv *exempta sit à iurisdictione ordinariorum.*

SVPPONENDVM est, quòd duplex est Episcopi lex: quædam diœcesana, ad quam spectat conuocare ad Synodum, ad sepulturas mortuorum, cathedraticum, id est, quod soluitur in signum subiectionis, & tertia, vel quarta mortuariorum, decimationum, hospitiorum, & similia, quæ consistunt in recipiendo. Alia est iurisdictionis, ad quam pertinet datio curæ, delictorum coërcitio, &c. de quibus Sylvester *verb. Episcopus, quæst.* 7. & *ibi* alij summistæ glossa *capite dilectus filius, de offic. ordin. vers. de lege.*

2 Secundò supponendum est, quòd exemptus dicitur ille, qui potitur exemptione, id est, libertate, qua eximitur à iurisdictione, & potestate ordinarij, ita, vt maneat, vel soli Papæ subiectus, vel etiam suo Prælato. Sylvest. *verb. exemptio, initio.*

3 Tertiò supponendum est, quòd exemptio est duplex, quædam est personalis, quædam verò localis: illa est, quando personæ ipsæ per se, & non ratione loci eximuntur à iurisdictione: vt si concedatur canonicis alicuius Ecclesiæ, quòd non possint excommunicari, nec interdici, tunc personæ manent exemptæ, & non locus. Hæc verò est, quando exemptio conceditur alicui loco, vt si hospitali, vel monasterio concedatur, quòd non possit interdici, solus locus manet exemptus: at personæ, quæ in ipso commorantur, aliquo modo manent exemptæ, non omnino, & per se, sed ratione loci, id est, quatenus loci libertas exigit, v. g. quia locus non potest interdici, personæ manent liberæ ad celebrandum in eo diuina officia. *cap. per exemptionem, de priuileg. in* 6. *cap. cum capella, de priuileg.* vbi notant Doctores quòd exempta capella, non manent capellani omnino exempti, sed quatenus exercent officium in capella, de quo consulendus est Sylvest. *verb. exemptio, quæst.* 2. vbi tractat exempta Ecclesia, qui tunc censeantur exempti, & Mandosius *praxis signaturæ, verbo exemptio.* Item in exemptione locali priuilegium exempti non extenditur vltra locum, quia est reale, secus in personali. Sylvest. *verbo exemptio. quæst.* 3.

4 Quartò supponendum est, ex quibus verbis inducatur exemptio personalis; non enim censetur Papa eximere aliquos à iurisdictione ordinarij per hoc, quod dicit; suscipimus eos sub nostra, & Sedis Apostolicæ protectione, *cap. ex parte el* 2. *vers. recipimus, de priuileg.* & *ibi* Panorm. & Socinus, & Doctores non citandi. Vnde oportet quòd dicat, immediatè nobis subiicimus, vel eximimus à iurisdictione ordinariorum. Sic Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 25. *initio, & c.* 24. *num.* 2. *in comment. lit. M.* vbi alios etiam refert. Idem Sylvest. *verbo exemptio*, §. 2. *& q.* 4. Angel. *verbo exemptus, n.* 2. & *ibi* Tabien. *quæst.* 3. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 9 §. 2. Similiter eximit, si dicat: Recipimus illos in proprios subiectos; secus si dicat, in proprios filios, vt *d. cap. ex parte, & cap.* 1. *de verb. signif. in* 6. vbi & glossa, Francus, Anchar. & omnes, Sylvest. Tabien. Angel. D. Anton. *vbi supra.* Similiter censetur eximere locum, si dicat: in priuilegio exemptionis, vel in sententia, super ea Ecclesiam iuris B. Petri existere, siue ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel ad Romanam Ecclesiam specialiter, vel sine medio, & simpliciter pertinere, vel quòd Ecclesia sit libera, vel Romanæ Ecclesiæ libertate fruatur, vel quòd Episcopus non audeat ibi cathedram collocare, vel imperium, aut potestatem exercere, vel quòd eam eximit, vel sit libera à potestate Episcopi. Sic Sylvest. Angel. Tabien. D. Anton. *ibi.* His positis, sit

5 Prima conclusio. Solus Papa potest vniuersaliter eximere ab ordinariorum iurisdictione, *cap. frater, vers. & cum oportuisset* 16. *quæst.* 1. *& cap.* 1. 13. *quæst.* 1. *& cap.* 1. iuncta glossa *vers. exemptionis, de priuileg. in* 6. Mandosius *in signaturis gratiæ, verb. exemptiones ab Episcopis, vers. eximere.* Anchar. & Francus *c.* 1. *de priuileg. in* 6. Panorm. & glossa *cap. cum olim, t. de priuileg. l.* 5. *tit.* 5. *part.* 1. vbi Greg. Lopez *vers. sacar.* Sylu. *verb. exempt.* §. 1. & *ibi* Armil. *n.* 1. Angel. *verbo exemptus, initio.* D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 9. §. 1. Henriq. alios multos referens *d. c.* 24. *n.* 3.

6 Hinc fit, quòd Legatus à latere non potest generaliter aliquem eximere à iurisdictione proprij Episcopi. Sic Henriquez *eod. n.* 3. referens Socinum, & Cambaram.

7 Nec potest Episcopus oues à propriis parochis probatis generaliter eximere. Henriquez *eod. num.* 3. dans rationem, quia parochi iure communi habent à Papa iurisdictionem, & alios Doctores refert, qui malè citantur, id enim non dicunt.

8 Secunda conclusio. Regulares sunt iure communi exempti à lege diœcesana Episcopi, non verò à lege

Universidad de Deusto
Biblioteca



iurisdictionis, nisi muniti sint speciali priuilegio. Vnde omnia monasteria Monachorum, & Monialium, omne denique hominum genus, in diœcesi cuiuslibet Episcopi existentia, sunt de iure canonico sub Episcopi cura, & iurisdictione; laici scilicet quoad spiritualia, clerici verò siue sæculares, siue Regulares, quoad omnia. Patet 1. pars, *cap.1. 11. quæst.1. & cap. inter catera, quæst.3. & 18. quæst.2. cap.quàm sit, & 16. quæst.1. cap.placuit.* Patet secunda pars *cap. obtum, dist. 61. cap. omnes basilicæ, 16. quæst.7. cap. Abbatibus, & cap.sequenti, 18. quæst.2. cap. cum Episcopus, de offic.ordin in 6. cap. cùm olim, de præscrip. in principio, cap. cùm venerabilis, de excaption. cap.1. de offic.ordin.* & tenent Sylvest. *verbo Episcopus, quæst.7.* vbi alij summistæ, glossa *cap. dilectus filius, de offic.ordin.vers. de lege,* & *ibi* Panorm. *num.4* Innocent. *cap.1. de stat. Regular.n.4.* Turrecr. *d.cap. quàm sit, fine, lex 2. tit.12. part.1.* & *ibi* latissimè Gregor. Lopez, Henriquez alios referens *lib.7. de indulg. cap.24 num.2.* & quoad secundam partem eam etiam tenet Mandos. *signatura gratiæ, verbo exemptiones ab Episcopis.*

9 Nota hoc esse verum, etiamsi testator, vel fundator posuisset, quòd institutio non spectaret ad Episcopum. Ad quod faciunt, quæ *suprà* diximus *lib.2. cap.2. de benef. dub.32.* & patet ex *cap sic quidam, cap. nouerint. 20. q.2.* Bartol. *l. quoties, § fin. ff. de administ. tutor.* Panorm. *c. dilectus in 4. not ab. de consuetud. & cap. requisisti, num.22. de testam.* Felinus *cap. cùm venerabilem, num.33. de except.* Decius *consil.121. num.2.* Mandosius *vbi supra.*

10 Hinc fit, quòd stando in iure communi Episcopus habet liberam facultatem scelera inquirendi, iudicandi, ac puniendi quoscumque Regulares, *cap. Episcopus in Synodo, 33. q.6. cap. cùm contingat, de foro compet. cap. irrefragabili. de offic.ordin.* Sic Mandosius *ibid.*

11 Tertia conclusio. Iam omnes Religiones, demptis quibusdam monasteriis Monialium subiectarum ordinario, habent priuilegium exemptionis, & in speciali Societas Iesv habet priuilegium exemptionis concessum à Paulo III. anno 1549. his verbis. *Eximimus Societatem, & vniuersos illius socios, & personas, illorumque bona, quæcumque ab omni superioritate, iurisdictione, & ab omni correctione, quorumcumque ordinariorum, secus facta irrita, & inania esse decernentes;* & Gregor. XIII. anno de 1584. in extrauag. quæ incipit, *Ascendente Domino in nauiculam,* de his, qui peracto biennio nouitiatus vota emiserunt in Societate. dicit hæc, *sunt immediatè huic Apostolicæ Sedi subiecti, & à quorumuis ordinariorum, & de legatorum, & aliorum iudicum iurisdictione omnino exempti;* & Pius V. anno 1571. Societatem Iesv inter ordines mendicantes adscripsit his verbis. *Societatem, & singulas eius personas, verè, & non fictè esse mendicantes declaramus, & postea latissimè omnia priuilegia, exemptiones, immunitates, facultates, concessiones, indulta, dispositiones, tam iuris, quam hominum, literas apostolicas, etiam iustitiam, siue mixtim concernentes in fauorem mendicantium concessas; siue in posterum concedendas, habere æquè locum in Societate, eiusque personis.* Idem decreuit Pius V. anno 1565. quæ per verba clarissimè conceditur Societati exemptio localis, & personalis, vt constat ex tertio, & quarto fundamento *suprà* positis.

12 Nota primò, quòd per hanc exemptionem non fit iniuria ordinariis, vt bene probat Henriq. *lib. 7. de indulg. cap.24. à num.4.* latissimè, & Mandosius *vbi suprà.*

13 Secundò notandum esse graue dubium an exempti exemptione dicta, eximantur per hoc à iurisdictione Nuncij, cæterorúmque Legatorum Papæ.

14 Pro cuius intelligentia suppono

Primò, quòd Legati Papæ sunt iudices ordinarij, & sic habent iurisdictionem ordinariam, extraordinariè tamen; & sic Henriq *lib.7. de indulgent. cap.25. num.3.* dicit Legatum, seu Nuncium Apostolicum esse ordinarium extraordinariè. Idem Panormitan. *cap.1. de offic. legati, num.3.* & dat rationem cur dicitur extraordinariè ordinarius, quia scilicet, non est à iure deputatus certus locus pro Legato. Et quòd hi legati sint ordinarij, patet ex *cap.2. de offic. legati in 6.* & *ibi* glossa, & omnes.

15 Secundò supponendum est quòd Legatus Papæ est triplex; quidam dicuntur à latere, & hi Legati sunt soli Cardinales secundùm vsum, & stylum Romanæ Curiæ, quando mittuntur à Papa cum officio legationis, & dicuntur à latere, quia cùm semper lateri Papæ assistant, simulque ei à consiliis, quando eos mittit, dicitur à latere mittere, & hi Legati habent maiorem potestatem, quàm cæteri Legati, vt constat ex *cap. si Abbatem, de elect. in 6.* Alij sunt Legati nati, quia nascuntur cum priuilegio legationis, ex eo quòd datur sibi aliqua dignitas, cui tale legationis officium est annexum: vt est, teste Franco *vbi infrà*, Archiepiscopus Cantuariensis, Eborensis, Remensis, & Pisanus. Alij sunt Legati missi, & non de latere, vt sunt alij Legati. Sic Francus *cap. 1. de offic. legati in 6. num. 3.* Idem *lex 23. tit. 9. part.1.* & *ibi* Gregor. Lopez *vers. quo viuen.* Host. *summa tit. de offic. legati. num.2.* Speculator *1. part. tit. de legato. §. sequitur videre.* Panormitan. *cap.1. de offic. legati,* & reprobat glossam *ibi vers. vniuersas*, quæ videtur velle esse aliquem Legatum à latere, qui non sit Cardinalis; & quòd solus Legatus Cardinalis dicatur à latere vltra prædictos, tenent etiam Panorm. *cap. ad eminentiam, de sentent. excomm. n.1.* Ioan. Monach. *cap. super eo, de hæret. in 6.* glossa *cap. excommunicatis, vers. commissam, de offic. legat. & d. cap. si Abbatem, vers. de latere.* Mandosius *reg.13 Cancellar. q.5. n.2.* & dicit, *num.3. & 4.* quòd Nuncius Apostolicus est Legatus Papæ, non tamen à latere, nisi sit Cardinalis. Addit tamen quòd aliquando datur tali Nuncio facultas Legatorum de latere in sua commissione, & tunc potest omnia, quæ Legatus de latere, & refert ad hoc Decium *consil.128.* Paris. *consil.17. volum.4.* Gig *de pension. quæst.6. numero 29.*

16 Quidam ergo in hac quæstione dicunt per dictum priuilegium exemptionis eximi dictos Religiosos à potestate, & iurisdictione Nuncij Apostolici, quia expressè eximit à iurisdictione ordinarij cuiuscunque, & Nuncius est ordinarius. Sic Henriquez *lib.7. de indulg. cap.25. n.3.* & refert multos, quorum aliquos vidi, scilicet Archidiac. & Dominicum, & id non dicunt.

17 Alij absolutè dicunt non eximi à iurisdictione Legati Papæ. Sic Roman. *singulari 507. incipiente, an exemptus;* quem sequitur limitans in Legatis natis, cum Baldo, & Socino, quos refert *ibi* Mandosius *signatura gratiæ, tit. exemptiones ab Episcopis, vers. amplio. & vers. limito.*

18 Alij verò tenent eximi à iurisdictione omnium Legatorum etiam de latere. Probatur, quia priuilegium Societatis citatum dicit, *à iurisdictione omnium ordinariorum;* sed omnes Legati sunt ordinarij: ergo. Item, quia priuilegium Sixti IV. concessum fratribus minoribus, quod per communicationem participat Societas Iesv tanquam mendicans Religio, dicit, *ne quisquam, & aliy quicumque, & prorsus exempta,* vt refert Tabiena *vbi infrà.* Sic tenet, dicens esse indubitatum Tabiena *verbo exemptus, initio,* & *ibi* Rosella *num.6.* & Ioan. *cap. quod translationem, de offic. legati,* vt refert *ibi* glossa, & videtur tenere Anchar. *cap.2. de verb. signif. in 6. notab 3.*

19 Quarta tamen conclusio sit. Legatus de latere habet iurisdictionem in exemptos, non verò reliqui Legati. Probatur ex *cap. si Abbatem, de elect. in 6.* vbi dicitur, quòd si Abbas immediatè Papæ subiectus eligatur in Episcopum, nemo potest ei dare licentiam deferendi monasterium, nisi Papa, vel Legatus de latere; & subditur, quia hic potest prædictas exemptorum electiones confirmare, non verò alij Legati, vbi clarè constat per per exceptionem, qua quis redditur immediatè Papæ subiectus non excludi iurisdictionem Legati de latere, *& cap. 1. de verb. signific. in 6.* vbi dicitur, quòd quando recipit aliquos in proprios filios, non videtur per hoc concedere exemptionem, sed quòd non possint ab alio, quam à se, vel



vel à Legato de latere excommunicari: vbi in priuilegiis exemptionis ab ordinariis videtur Papa pariscare sibi Legatum de latere, vt scilicet non excludatur huius iurisdictio, sicut nec sua. Sic docent Sylvest. *verbo exemptio, §.1. & verbo delegatus, q.13.* Angel. *verbo exemptus, initio, & verbo legatus, n.3.* Tabien. *verbo legatus, q.2. n.3. & q 5 n.6.* Rosell. *ibi n.5.* D. Anton. *3. p. tit.12. cap.3. §1.* Panorm. *cap.1. de offic. legat. n.8. & ibi* Immola *fine,* glossa *ibi vers. vniuersas, & cap. quòd translationem, eod. tit. vers. reseruata.* Cardin. *eod. cap. quòd translationem, quæst.5.* Host. *summa tit. de offic. leg. num.3.* Speculator *1 p. tit. de legato, § superest videre, num.13.* Ioan. Andreas *cap.1. de verb. signif. in 6. & ibi* Francus *n.1. & d. cap. si Abbatem, num.2.* Et quòd Legatus à latere possit exercere iurisdictionem in exemptos, tenet etiam glossa pragmatica de causis *§. si verò, vers. subiectos, in princ.* quam refert, & sequitur Mandosius *in signatura gratiæ. tit. exemptiones ab Episcopis, vers. præfati,* & omnes.

20 An verò credendum sit literis Legati facientis aliquid, quod iure communi nequit facere, sed ex speciali commissione, nec ostendentis literas commissionis. Speculator *tit. de legato. §. superest videre, num 15.* relatis aliorum opinionibus, concludit, quòd Legato Cardinali, & alij nato, & non suspecto, indistinctè creditur, & ratò (inquit) videmus de ipsorum potestate peti copiam.

21 Alij verò dicunt non credi etiam Legato à latere, in præiudicium partium. Sic Panorm. nisi (inquit) sit in contrarium consuetudo, *cap. constitutum, de appellat. num.12.* Gregor. Lopez *part.1. tit 9. l.23. vers. Que viuen,* & facit glossa *cap sicut, de sentent. excom.* vbi dicit, quòd honestas personæ non facit, vt ei credatur in præiudicium tertij, & Host. *tit. de legato, num.3.* vbi dicit quod si alij Legati à Legato lateris procedant contra exemptos, cùm procedere nequeant, nisi ex speciali commissione, non est eis credendum, nisi priuilegium ostendant.

22 Ex dictis fit, Societatis Iesv, & ordinum mendicantium Regulares eximi ab omni specie iurisdictionis, & causarum, & iurium, tam in rebus, aut personis, quàm in causa mixta ex re & persona; quia fit exemptio vniuersalis. Vnde excluditur omnis iurisdictio ordinarij, scilicet mediata, vel immediata, principalis, vel accessoria in Regulares. Sic latè probans Henriquez, & alios allegans *lib.7. de indulg. cap.25. num.4.*

23 Secundò infertur, quòd in lite circa solutionem debiti, non potest ordinarius se intromittere contra Regularem exemptum; quia non est suus iudex. Sic expressè glossa *Clement. dudum, de sepult. ad finem, vers. coërceri,* vbi cùm dicat ille textus, debere Religiosos exemptos soluere quartam parochiæ, quærit *ibi* glossa à quo debeant coërceri ad soluendum, & dicit conqueri clericum, eo quòd propter exemptiones eorum non habent iudicem, coram quo possint ab ipsis peti debita. Vnde clarè sentit glossa, non posse coërceri ab ordinatio. Item clarius tenet *ibi* Immola *num. 64. 69 & 70 &* dicit, solùm posse coërceri à Papa, vel Legato Apostolico, iuxta dicta. Idem Cardin. *ibi*, & Anchar. *ibi num.36.* & Paulus *ibi*, & Bonifacius *ibi*, Nauarr. *cap. non dicatis 12. quæst.1. num.96.* Henriquez *d.cap.25. num.4.* Quod quidem certissimum est, quando contractus est initus, & delictum est commissum in loco exempto. Vide *dub. sequenti, ad finem*, casum exceptum, & Guttierrez *quæst. pract. lib.3. quæst.10.*

24 Graue autem dubium videtur, an ratione contractus initi extra locum exemptum, vel circa rem non exemptam, vel ratione delicti contracti extra locum exemptum, possint Regulares exempti conueniri coram locorum ordinariis; nam *cap. volentes, de priuileg. in 6* expressè definitur exemptos quantumcumque libertate gaudeant, posse coram locorum ordinariis conueniri, ratione contractus, vel delicti facti extra locum exemptum, vel circa rem sitam extra locum exemptum. Et sic tenet D. Thom. *2.2. quæst.67. art.1. ad 3.* Quòd si dicas, habere Medicantes priuilegium exemptionis cum derogatione huius capitis, vt affirmat *ibi* Caietan. Nauarr. *dict. cap. non dicatis, num 96.* D. Anton. *3 p. tit.16. cap.9. §.1.* Armil. *verbo exemptio, num 1.* Sylvest *ibi, quæst.9.* Rosella *verb. exemptus, num.5.* Tabien. *ibi initio*, & affert priuilegium compendium Minorum *verbo exemptio, num.8 Id fateor.* Cæterùm obstat Trident. *sess.7. de reform. cap.14.* vbi dicit, quòd circa exemptos seruetur *d. cap. volentes*, quod (inquit) sancta Synodus innouandum censet, & innouat, & concludit *in fine illius capitis, Priuilegiis, & exemptionibus aduersùs præmissa nequaquam valituris;* vbi cùm loquatur in plurali, videtur apertè referri ad omnia contenta in illo capite, maximè cùm illud satis breue sit, & duo tantùm decreta contineat. Quòd si dicas, quòd derogato *dict. cap. volentes*, censetur hoc Trident. decretum derogatum, vt dicit Henriq. *d. cap.25. num.5. litera O.* & videtur sentire Nauarr. *cap. non dicatis, num.95. & 96.* qui est numerus 63. in hoc eodem capite contento sub grandi tomo nouorum corporum, vbi relato hoc decreto Tridentini, dicit rarò habere locum *d. cap. volentes*, in Religiosis, quia habent derogationem ipsius, & non meminit derogationis Tridentini, vnde videtur sentire ex consequenti derogatum esse Tridentinum. Sed ego non intelligo hoc: si enim derogatio *cap. volentes*, esset concessa post Tridentinum, fateor quòd eo derogato, Tridentinum censetur derogatum; at derogatio *dict. cap. volentes*, est multò antiquior, & post Tridentinum non inuenitur talis derogatio facta. Nec Societas Iesv, quæ inter Religiones recentior est, talem derogationem habet in priuilegiis suæ exemptionis, & Trident. innouat *dict. cap volentes*, non obstantibus priuilegiis, exemptionibus, &c. Quòd si dicas, Mendicantes habere priuilegia exemptionis, & quòd illis non derogetur, nisi de verbo ad verbum fiat eorum mentio, & sic videtur non derogari per hanc clausulam generalem Concilij. Respondeo, quòd si est talis clausula, non enim illam in priuilegiis inueni, licèt in rescripto speciali non derogetur per clausulam generalem, at in lege, vel statuto derogatur per clausulam generalem, vt tenet, dicens esse omnium, Couarr. *rubrica de testam. 2. p. num.20.* & Nauarr. *lib.3. consil. tit. de Regular. consil.21. num.5.* Item quia Pius IV. anno 64. quo confirmauit Triden. reuocauit proprio motu omnia priuilegia & gratias, etiam per mare magnum concessas, quæ contraueniunt decretis Tridentini, ac si nunquam fuissent concessæ, vt refert Felicianus *lib. de censuris tit. de priuileg. cap.15. pag.677.* & Henriquez *lib.3. de pœnit. c.6. in commento literæ R.*

25 Sic ergo dicendum est, quòd manet in suo robore *dict. cap. volentes*; sed nil facit contra Religiosos exemptos, quia licèt Panormitan. *cap. fin. de foro compet. num.11.* intelligat illud cap. *volentes*, etiam de exemptione personali, quod fortè dicit verum Felin. *ibi num.5.* in casu delicti commissi extra locum exemptum, non tamen (inquit) in ciuilibus: at multo verius est illud cap. *volentes*, intelligi de exemptione ratione loci, itavt exempti ratione loci possint conueniri, quoties contrahunt, vel delinquunt in loco non exempto; vel circa rem sitam in loco non exempto, non verò loquitur de habentibus exemptionem personalem, qualem habent hodie omnes Religiosi. Probatur ex eodem cap. *volentes. §. in eos autem*, vt statuitur, quòd si Religiosi sint priuilegiati, vt ordinarij non possunt illos excommunicare pro vlla causa, vllóve loco ordinarij, quantum ad ista, in quibus sunt priuilegiati, vbicumque illi fuerint, iurisdictionem suam penitus exercere non possunt: ergo si horum, quorum personæ sunt exemptæ, quoad hoc iubet seruari priuilegium, vbicumque delinquant: prior ergo pars illius capitis, quæ eos subiecerat ordinariis ratione delicti, vel contractus in loco non exempto facti, intelligitur, quando priuilegium erat locale, & non personale. Item probatur ex *cap. cum capella, de priuileg.* vbi dicitur, quòd quædam capella habebat priuilegium, vt ipsius capellani

Universidad de Deusto
Biblioteca



non possent excommunicati, & ipsi in aliis non concernentibus dictam capellam prætendebant se ab Episcopo esse exemptos, & respondet Papa, quòd in quantum exempti sunt ratione eiusdem capellæ, seruetur priuilegium; in aliis verò non, ergo quando aliquis non est ratione certi loci, sed simpliciter exemptus, eius exemptio non debet arctari loco. Item quia Trident. *sess.25.cap.14. de Regular.* iubet, vt Religiosus publicè delinquens extra monasterium puniatur à suo Abbate ad instantiam ordinarij, & si non castigetur à suo Abbate sic requisito, possit ordinarius punire: ergo *sess.7. cap.14. de reformat.* quando iubet obseruari caput *volentes*, non intelligit Religiosos volentes semper quòd delinquunt extra claustrum, posse puniri ab ordinario; quod vtique fieri posset, si cap. illud *volentes* intelligeretur de exemptione personali. Hanc exemptionem clarè insinuat *lex 9. tit.9. part.1. fine*, vbi dicit quòd exempti non possunt coram ordinario conueniri; quando delinquunt, vel contrahunt in loco exempto, & subdit hæc, *Porque ellos han esta franqueza por razon del lugar*, & *ibi* Gregor. Lopez *vers. por razon*, dicit hæc, concordat cum cap. *volentes*, quod est primum illius tituli *de priuileg. in 6.* Ecce quomodo illa lex, & Gregor. Lop. *ibi* explicant *dictum cap. volentes* loqui de exemptis ratione loci, & tenent expressè Panormitan. recantans palinodiam *cap. tuarum, de priuileg. n.8.* Anton. *cap. fin. de foro compet.* Syluest. *verbo exemptio, quæst.3.* Angel. *verbo exemptus, num.1.* & *ibi* Tabien. *in rio.* Couarr. *quæst.pract.cap.11.n.5.* vbi addit quòd quando exempti simpliciter obtinerent Ecclesias parochiales, aliáve officia, quorum administratio, & regimen Episcopo conuenit, & exemptus delinqueret, vel contraheret in his, quæ ad hæc officia pertinent, tunc potest ordinarius procedere per illud cap. *volentes*. Contrarium tenet Henriquez *cap.25. fin.* sed Prælatus debet punire, vt concessit Leo X. in Concil. Later. & habetur in Compendio Minorum, *verbo Ecclesiæ Fratrum.§.6.* Sed cùm iam *cap. volentes* sit innouatum per Trident. quod dicit Couarr. est tenendum. Vide etiam *dub. sequenti dicto 5.* Item Nauarr. *cap. non dicatis, num.95. & 96.* qui est numerus 63. in hoc eodem capite contento sub grandi tomo nouorum corporum, relato hoc cap. *volentes*, & innouatione illius facta per Trident. dicit quòd rarò habet locum in Regularibus exemptis; & sic non possunt conueniri coram ordinario.

26 Tertiò infertur, quòd si Prælatus regularis sit negligens in exemptorum correctione, non deuoluitur potestas corrigendi ad Episcopum, quia nullam habet in exemptis iurisdictionem, sed ad Prælatum, qui superior est illo Prælato regulari. Sic glossa *cap. graui, de offic. ordinar. vers. corrigere*, & *ibi* Panormitan. *num.6.* & *ibi* Immola, Decius *cap. ad hæc, num.8. de priuileg.* Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.25. num.4.* vbi bene in commento *littera H.* excipit casum Concilij Tridentini *sess.25. de Regular. c.14.* quando scilicet Regularis extra claustrum publicè cum populi scandalo deliquit, & Prælatus monitus ab Episcopo non iustè punit delictum.

27 Quartò infertur, quòd si ordinarius tentet procedere contra exemptos in iudicio, vel extra, vel contra res monasterij in quauis causa, ciuili, criminali, spirituali, &c. processus, sententia, & inde sequuta, sunt ipso iure irrita, & nullum parant præiudicium, nullúmque effectum operantur, nec sententia transit in rem iudicatam; nec debet mandari exequutioni, quòd, si mandata sit, cogetur iudex totum reponere, tanquam attentatum. Ratio, quia omnia ab eo gesta, censentur quasi à persona priuata gesta, cùm nullam prorsus habeat iurisdictionem in ipsos. Sic probat ex multis Henriquez *dicto cap. 25. toto num. 5.*

28 Quintò infertur, quòd si ordinarius procedat per censuras contra Regulares exemptos, quamuis ignoret id exemptionis priuilegium, censura est ipso iure nulla, & neutro foro seruanda. Probatur primò, quòd sit nulla, etiamsi ignoret, &c. Quia priuilegium exemptionis mendicantium à censuris ordinariorum affert clausulam irritantem, vt affert Compendium Minorum *verbo exemptio, num.23.* & simile priuilegium habet Societas IESV, vt patet ex Bulla Pauli III. anno 1549. concessa, vbi sic dicitur. *Nec vllis Prælatis contra aliquem de Societate, vel contra alios eorum causa aliquam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam ferre liceat, & si tulerint, eo ipso irrita, & nullius roboris sit.* At auocatio causæ cum decreto irritanti hanc vim obtinet, vt acta à iudice prohibito, etiam ignorante, sint ipso iure nulla, vt ex multis textibus, & Doctoribus latè probat Couar. *quæst.pract.cap.9. num.7.* Quòd verò in neutro foro seruanda sit, probatur; quia, quoties excommunicatio est nulla defectu iurisdictionis excommunicantis, in neutro foro seruanda est, & nullum prorsus producit effectum; at hîc est nulla defectu huius iurisdictionis; ergo. Item, patet ex aliis priuilegiis, quæ affert Henriquez. Sic tenet Henriquez *d.cap.25.num.7. & num.5. litera R.* vbi addit citans Astrensem, quòd, quando Episcopus ex ignorantia processit, non damnabit illum in expensis conseruator. Et hinc infert *eo num.7. litera L.* quòd non potest excommunicare Episcopus aliquos eo, quòd confluant ad molendina, vel furnos, &c. Societatis, quia iam causâ Societatis excommunicaret contra dictum priuilegium Pauli III. & indirectè Episcopus fraudaret Religionis priuilegia.

29 Nota tamen, quòd, si exemptus notoriè delinquat, etiam in loco exempto, ob quod delictum incurrat excommunicationem ipso facto, tunc ordinarius posset eum denunciare excommunicatum ad hunc effectum, vt teneantur omnes eum vitare; quia hæc denunciatio nil addit, *cap. pastoralis, de appell.* cùm pœna sit à iure imposita, & sic, cùm delictum sit notorium, non potest dici, quòd cognoscatur de delicto contracto in loco exempto, cùm in notoriis cognitio iudicialis non requiratur, *cap.1. de offic. deleg. in 6.* Sic Franeus *cap. Episcoporum, num.3. de priuil. in 6.* Henriquez *d.cap.25. num.7.* vbi malè, & falsò allegat Couarr. & Nauarrum pro hac parte, cùm nihil dicant de hoc; & quòd, quando res est notoria, possit quis declarari excommunicatus antequam citetur, tenet Nauarr. *lib.5. consil. tit. de excommunic. consil.20. numero 4.*

30 Sextò infertur, quòd ordinarius non potest per se, vel per alium, procedere ad capturam Religiosi exempti *Clement. vnica, §.1. & §. nonnulli, de excessibus Prælat.* & si capiat, incidit excommunicationem; tum quia sunt manus violentæ, cùm ius non habeat ad capiendum: tum etiam, quia si excedat modum, etiam in captura clerici subditi, incurrit, vt benè glossa *cap. si clericos, de sent. excom. in 6. vers. excedat*, & hoc, nisi capiat in casibus iure permissis; vt primò, si in graui delicto deprehensus exemptus sit, & timeatur de fuga, potest eum capere ordinarius, vt remittat eum ad suum iudicem; sicut de clerico, quòd in hoc casu possit capi à iudice sæculari, fatentur omnes Doctores; remittere autem tenetur intra viginti horas, per *l. capite. ff. ad leg. Iuliam de adult.* vt bene glossa *cap. cùm non ab homine, de iudic. vers. deprehensus*, & *ibi* Panorm. *num.11.* Perez *l.17. tit.14. lib.2. ordinam. vers. quæramus.* Item, si Religiosus exemptus est fugitiuus apostata, aut habitans extra monasterium, delinquit, de quo casu *dub. seq.* dicam. Hæc omnia Henriq. *d.cap.25. num.7. & commento litera Q.*

31 An verò Nouitius Religionis exemptæ gaudeat hac immunitate exemptionis; videtur enim, quod non: quia verè non est Religiosus, *cap. Religioso. de sentent. excom. in 6.* & sic, cùm talis exemptio concedatur Religiosis, vt patet ex bulla Pauli III. anno 1549. in Societate, conceditur personis de Societate IESV, & hi non sunt verè de Societate, non videtur Nouitiis concedi. Item, quia cùm non possint à Prælato Religionis pro delictis puniri, cùm non subsint eius obedientiæ, & iurisdictioni, si



nisi si essent etiam exempti à iurisdictione ordinarij, manerent delicta impunita.

32 At dicendum est, talem Nouitium, dum manere vult in Religione, esse exemptum, & subiacere Prælato Regulari, qui habet superioritatem, & iurisdictionem in ipsum, saltem reuocabiliter, & commutabiliter, & sic ad ipsum spectabit cognitio, & punitio talis delicti. Probatur primò; quia magnum inconueniens esset, & perturbatio Religionis, si ordinarius cognosceret de delicto perpetrato à Nouitio perseuerante in religione. Secundò, quia praxis habet, vt nunquam ordinarius de his cognoscat. Tertiò, quia in fauorabilibus gaudet Nouitius omnibus Religionis priuilegiis, & censetur Religiosus, vt probat Cordub. *lib.1. quæstion. quæst.30.* Sic Nauar. *in summa*, quæ habetur in operibus in duo corpora distributis, *cap.12.n.65.* vbi hæc dicit, *Nouitius subiacet superiori Religionis, quoad iurisdictionem, & superioritatem, saltem reuocabiliter, & ita cognitio, & animaduersio Nouitij delicti ad superiorem ecclesiasticum pertinebit, quia est persona ecclesiastica*, vt patet ex *cap. Religioso, de sent. excommun. in 6.* & refert pro se Philippum Francum *cap. beneficium, de regul. in 6.n.4.* & *ibi* Ioan. Andr. & Dominicum, dicentes, pertinere ad superiorem ecclesiasticum; & clarius idem tenet Dominicus *cap. non solum, de regul.* & *ibi* Francus *num.8.* Tabien. *verbo Nouitius. q.13.* Rosella *ibi, n.12.* Syl. *religio. 5. q.7.* vbi dicunt, quòd licèt Nouitius delinquens quando merebatur perpetuum carcerem, si esset professus, non posset carcere perpetuo damnari, non enim impediri potest eius voluntas quin ad sæculum redire possit, potest tamen ad tempus, si ipse velit manere in Religione, damnari ad carcerem à suo Abbate: &, quòd non possit perpetuo carcere damnari tenent etiam Armil. *verbo Nouitius, n.18.* Henriquez *lib.3. de pœnit. cap.16. n.3.* licèt Lapus *eo cap. non solum*, teneat, posse etiam damnari perpetuo carcere. Et adhuc clarius hanc sententiam tenet Henriquez *lib.7. de indulg. c.25. n.7.* vbi hæc dicit, *non potest ordinarius procedere ad capturam Religiosi, etiam Nouitij, nisi, ob delictum in sæculo factum, præsumatur, in fraudem intrasse in Religionem, alias incidit in excommunicationem, & in commento litera P.* dicit, quòd non valet citatio, vel processus contra Nouitium, & *eod. lib.7.c.27. n.7. in commento litera L.* hæc dicit, *si Nouitius delinquat in monasterio, castigetur ab Prælato Religionis; quia tunc est Prælatus illius, in cuius territorio exempto delinquit*; & refert pro se Nauarri, Franci, & Dominici loca proximè citata.

33 Hinc non bene dicit Henriquez *lib.3. de pœnit. c.16. num.3. in commento litera T.* vbi dicit, quòd Nouitius non potest excommunicari à Prælato Religionis, sed à proprio Episcopo. Fateor, quòd non potest à Prælato Religionis; quia excommunicatio non est punitio delicti præteriti, nec potest pro delicto præterito imponi, sed pro futuro: & sic, sicut Prælatus non potest Nouitio præcipere in virtute obedientiæ; sic nec sub excommunicatione; at non potest, etiam quandiu in Religione exempta manet, excommunicari à proprio Episcopo, siquidem, vt probaui, est exemptus ab ipsius iurisdictione.

34 Septimò infertur, quòd in dubio, an iurisdictio contra Regulares exemptos pertineat ad Episcopum, non potest Episcopus de causa cognoscere; quia interpretatio priuilegiorum Societatis, quando dubia sunt, referuatur Papæ, vt concessit Paulus III. in bulla anni 1549. & idem concessum est congregationi Benedictinorum, & Prædicatoribus, ac Minoribus, vt affert Pater Generalis Claudius in compendio priuilegiorum Societatis, *verbo priuileg. §.1. & 4.* Sic Henriq. *lib.7. de indulg. cap.25. n.6.*

35 Octauò infertur, quòd exempti renunciare non possunt beneficium, quod habent in manibus Episcopi, sed solùm in manibus Papæ; quia hic solus est illorum superior. Sic Mandosius *in signatura gratiæ, tit. resignationes, vers. exempti, & tit. exemptiones ab Episcopis. verb. exempti*, & patet ex *cap. fin. de renunciat. & cap. cùm venerabilis, de consuetud.*

36 Nonò infertur quòd, licèt, quando Episcopus eximit aliquem à sua iurisdictione, teneatur ad ius reuerentiale Episcopo; at exempti per Sedem Apostolicam à iurisdictione Episcopi, non tenentur ad ius reuerentiale ipsi, & ideò in introitu Episcopi non tenétur illi ire obuiã, & honorem, quem alij faciunt, facere, vt optimè colligit Paulus de Castro *l. fin. n.2. C. de bonis libert.* ex *illa l.* & tenent alij, quos refert, & sequitur Mandosius *in signatura gratia, verbo exemptiones ab Episcopis. §. non autem exemptio.*

37 Decimò infertur, quòd non potest Episcopus, vel alius Prælatus in Ecclesiam exemptam, inuito Prælato, & Regularibus, conuocare processiones, celebrare ordines, aut publicas Missas, & alia officia, nec ibi exercere iudicia; nec potest compellere Regulares exemptos, vt in monasterio retineant reum, etiam Ecclesiasticum, vice carceris. Sic Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 26. fine*, vbi affert priuilegia hoc concedentia.

38 An verò Legatus Apostolicus, seu Nuncius possit visitare exemptos, & ab eis procurationem exigere, consule Henriquez *lib.7 de indulgent. cap.25. n.10.* & an Episcopus possit visitare parochiam monasterio annexam, consule ipsum *ibi n.11.* vbi tractat cuius expensis id fiet. Aduerte, quòd Commissarius Cruciatæ potest ob quædam delicta Regularem exemptum extrahere de monasterio, ac punire. Sic Henriquez *eo cap.25. fine*, dicens, sic declarasse Cardinales, & patet ex praxi.

39 Vndecimò infertur, quòd non potest Episcopus visitare Regulares exemptos; sed secùs Prælatus Regularis debet eos visitare. Sic Henriquez *d. cap.25. num 9.* latè probans.

40 Duodecimò infertur, quòd licèt aliàs priuilegium, quando est in præiudicium tertij, sit strictè interpretandum: at quia hæc priuilegia exemptionis sunt in fauorem totius Religionis, sunt amplè interpretanda, vt ex multis probat Henriquez *lib.7. de indulg. cap.24. num.4. & cap.30. §.1. litera A.*

41 Quomodo verò exempti se defendere debeant, quando ordinarius procedit contra illos, consule Henriquez *lib.7. de indulg. cap.25. num.6.*

## DVBIVM II.

*In quibus subiecti sint post Tridentinum Concilium, ordinarius exempti.*

1 PRimò dico, subiectos esse quoad hoc, vt prædicare non possint sine Episcopi licentia, *sess.5. cap.2. & sess.24. cap.4. de reformat.* & quoad hoc vt nequeant audire confessiones sine Episcopi licentia, *d. Concil. Trident. sess.23. cap.15. de reformat.*

2 Secundò dico, quòd exempti sunt Episcopo subiecti, quoad hoc, vt si extra claustrum degunt, ibique delinquant, possunt ab Episcopo puniri, vt expressè habetur in Trident. *sess.6. cap.3. de reformat.* & colligitur etiam à contrario sensu ex *sess.25. cap.14. de Regular.* vt bene docet Nauarr. *commento 2. de Regular.* scilicet *cap. non dicatis 12. quæst.1. num.96.* qui est numerus 63. *in eodem cap.* contento sub grandibus tomis, & Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap.25. num.7. in commento littera Q.* Item possunt conueniri coram Episcopo in causis mercedum, & miserabilium personarum: & hoc, quando habent in loco iudicem conseruatorem deputatum: si verò illum non habent, possunt super omnibus causis ciuilibus coram Episcopo conueniri, vt expressè habetur in Trident. *sess. 7.c.14. de reformat.* & sic intelligit hoc decretum, quod obscurum satis est. Nauarr. summa Hisp. *cap.28. addit. ad n.13.c.25.* Item, si exemptus intra monasterium degens deliquerit extra monasterium, ita notoriè, vt populo scandalo sit, tenetur suus Abbas, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè punire, ac de punitione admonere Episcopum: sin minus, potest talis exemptus delinquens ab Episcopo puniri, vt habetur in Trident. *sess.25. cap.14. de Regular.*

3 Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca



3 Hinc infertur generalis differentia inter Regulares degentes extra monasterium, & degentes intra: nam hi super nullis causis possunt conueniri coram ordinario in causis mercedum, & miserabilium personarum, & possunt ab eo propter sua delicta puniri, vt patet ex dictis, & docet Nauarr. *dict. cap. non dicatis, in antiquo, num. 69.* & in contento in duobus corporibus *n. 63.*

4 Sed circa hæc decreta nota primò, quòd dicitur Monachus habitare intra monasterium, quando ex licentia sui Prælati degit extra monasterium. Sic Abbas antiquus *cap. cum illorum, de sentent. excommunic.* Panormitanus *cap. ex rescripto, de iureiur. n. 5.* Angel. *verbo Nouitius, n. 12.* Syluest. *Religio 3. q. 19. dicto 2.* Nauarr. *commento 4. de Regular.* scilicet *cap. statuimus, 19. q. 3. num. 74. vers. aduertendum tertiò.* Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 24. n. 2. in commento litera O, & cap. 25. num. 11.* vbi hinc infert, quòd delinquens exemptus, qui est in curato de licentia superioris, non potest ab Episcopo puniri; quia cùm sit *ibi* de licentia superioris, reputatur esse intra monasterium.

5 Nota secundò, quid intelligat *in d. cap. 14. sess. 7.* Tridentinum per causas mercedum, intelligitur enim, id est, soluendi operariis stipendium, scilicet *los salarios.* Sic Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 25 n. 5. in commento littera O.* Nauarr. summa Hisp. *c. 28. addit. ad n. 13. cap. 25.*

6 Nota tertiò, quòd in illo decreto *cap. 14* intelliguntur causæ miserabilium personarum: dicuntur ergo miserabiles personæ, quia natura mouetur ad miserandum earum, vt benè Syluest. Tab. Armil. *verb. miserabiles personæ,* & Palac. Rub. *cap. per vestras, de donation. inter virum & vxorem, not ab. 2. num. 6.* Dicuntur ergo *miserabiles personæ* pauperes, vt benè Palacios *ibi n. 6.* Sylu. Tabien. Armil. Angel. *ibi* Couarr. *q pract. cap. 6. num. 1.* Item de nouo conuerso ad fidem, Palac. *ibi n. 11.* Item viduæ, orphani, pupilli, diuturno morbo laborantes, senes decrepiti, debiles. Palac. *ibi n. 11. & 12.* Et de viduis, pupillis, & diuturno morbo laborantibus, tenent idem summistæ citati, & dicit Palacios *ibi num. 12.* & Couar. *n. 2.* intelligi hoc, licèt hæ personæ sint diuites, & nomine viduæ in hac parte intelligitur, etiam quæ habet virum inutilem, vt si vir sit exul damnatus ad triremes, captus ab hostibus. Palacios *eod. n. 12.* Couar. *quæst. pract. c. 7. num. 2.* Addit Palacios cum multis aliis, quos refert Couarr. *cap. 7 num. 2.* intelligi etiam nomine viduæ, quæ nunquam nupsit; sed *ibi* Couar. hoc non admittit, nisi quando fœmina iam esset ætate grauis, & cœlibem vitam semper duxisset. Et tandem, præter personas expressas in iure, quæ aliæ dicantur *miserabiles,* relinquitur arbitrio iudicis, vt benè Couar. alios referens, *q. pract. c. 6. n. 3.*

7 Tertiò dico, quòd exempti subiiciuntur ordinario, quoad hoc, quòd non possunt celebrare in oratorio, nisi ab Episcopo designato, & debitis horis: & contra facientes opponitur potest ordinarius procedere per censuras, & alias pœnas: & similiter si in Missa aliquas ceremonias superstitiosas obseruent, vel alia, quæ Episcopo indecentia sacrificio videantur, vt habetur in Trid. *sess. 22. decreto de obseruand. & vitandis in celebratione Missæ.* At Societas Iesu habet postea priuilegium celebrandi in altare portatili extra Ecclesiam, & in oratorio à Prouinciali designando, & celebrandi per horam ante auroram, vel post meridiem.

8 Quartò dico, quòd exempti subiiciuntur Episcopo, quoad hoc, quòd potest eos examinare ad ordines recipiendos. Trident. *sess. 23. cap. 12. de reform.* Item, quoad hoc, quòd si aliquos matrimonio coniunxerint, vel iam coniunctos benedixerint, id est, *velarint,* sunt suspensi si sine licentia ordinarij, vel parochi id faciant, donec ordinarius eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, aut sponsos benedicere, eos absoluat. Trident. *sess. 24. de reformat. matrimony.* Item, si exempti turbent, & impediant iurisdictionem ordinarij, potest contra illos per censuras procedere; & sic obtentum est contra Moniales exemptas, quæ coniugatam iniustè renitente viro, intra clausturam tenebant. Sic Salzedo, multos allegans *pract. canonica, cap. 3.*

9 Quintò dico, quòd exempti subiiciuntur etiam ordinario, quoad hoc, quòd sine mandato sui superioris in scriptis obtento reperti extra monasteria puniri possunt ab ordinario: &, si studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in conuentibus habitare debent; alioquin ab ordinario contra eos procedi debet, vt expressè habetur in Trident. *sess. 25. de regular. cap. 4.* Item, Moniales exemptas potest cogere Episcopus ad clausuram. Trident. *ibi cap. 5.* Item, si monasterium, siue virorum, siue mulierum, habeat curam annexam personarum sæcularium, præter illas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia. Religiosi exercentes hanc curam subsunt immediatè in his, quæ ad dictam curam, & administrationem sacramentorum pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius diœcesi sunt cita. quod nunc renouatum est per nouam constitutionem Gregorij XV. publicatam Romæ die 8. Februarij anni 1623. Nec possunt ibi aliqui, etiam ad nutum amobiles, deputari, nisi de Episcopi consensu, & præuio examine, vt habetur in Trident. *d. sess. de regular. c. 11.* cum quadam exceptione, quæ *ibi* ponitur. Vide Trident. *sess. 7. cap. 7.*

10 Sextò dico, quòd Regulares subiiciuntur ordinario, quoad hoc, quòd tenentur seruare interdicta, & censuras ab ordinario posita, ac ipso mandante, in suis Ecclesiis publicare. Item tenentur seruare festa ab ordinario posita. Trident. *sess. 25. de regular. cap. 12.*

11 Septimò dico, quòd subiiciuntur, quoad hoc, quod Episcopus potest, omni appellatione postposita, componere controuersias omnes de præcedentia, quæ oriuntur inter Regulares, & sæculares cùm in processionibus publicis, tum etiam in his, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & aliis similibus. Item potest compellere omnes exemptos, vt ad publicas processiones confluant, his tamen exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt; sic habetur in Trident. *d. sess. 25 de regular. cap. 13.*

12 Nota, quòd Societati Iesv consessit Greg. XIII. bullam anno 1576 qua perpetuò exemit illam ab his supplicationibus, & licet in derogatione non fecerit expressam mentionem Tridentini, cùm tamen Concilio generali non derogetur, nisi facta eius mentione; at satis colligitur ex proœmio illius bullæ voluisse derogare, dicit enim ibi: *Quidam forsitan moti auctoritate Tridentini,* &c. & mox ex certa scientia concedit priuilegium. Quod latiùs ex multis probat Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 26. n. 3.* vbi *num. 4.* addit, quod per hoc quòd Religiosi Societatis Iesv aliquando ad processiones factas ob publicam, & grauissimam causam accedant sponte, & non compulsi ab Episcopo, non censentur renunciare huic priuilegio, licèt expediret, vt coram Notario in forma collegij protestentur, se accedere, saluo priuilegij iure, & addit ad renunciandum priuilegio toti Religioni concesso, requiri, vt ea Religio permittat illos actus per 40. annos, & refert ad omnia hæc multos auctores.

13 Octauò dico, quòd subiiciuntur exempti, quoad hoc, ordinario, quòd Nouitij eorum non possunt bona renunciare, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & hoc per duos menses ante professionem: & si Nouitij ante professionem velint abire, potest Episcopus compellere vt omnia, quæ sua erant, eis restituantur, Trident. *sess. 25. de regular. cap. 16.* Item, si puella maior 12. annis velit ingredi Religionem, non potest ingredi, nec postea profiteri, nisi Episcopus, vel eius Vicarius, eo absente, vel impedito, exploret eius voluntatem, an coacta, vel seducta sit: & sciat quid agat, Trident. *ibi cap. 17.* Item, si exemptus alleget, vi emisisse professionem, vel ante ætatem debitam, debet causas allegare coram suo superiore & ordinario. Trident. *ibi cap. 9.*

14 An



14 An verò exempti in casibus, in quibus subsunt iurisdictioni ordinarij, iuxta dicta *in hoc dubio,* possint, si parere nolint, ab ipso excommunicari, dixi *lib. 6. summa, c. 1. n. 14.* & latius *lib. 7. de matrim. disp. 33. n. 22. & 23.*

## DVBIVM III.

*An contra exemptos possit procedere iudex Papæ delegatus ad corrigendum clericos, non facta de exemptis mentione.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit, posse, quia talis non procedit vt ordinarius à cuius iurisdictione est exemptio, sed vice, & nomine Papæ vt eius delegatus: at à iurisdictione Papæ non sunt exempti. Sic Panorm. *cap. graue, de offic. ordin. n. 5.* & id colligit ex glossa *ibi, vers. literarum,* dicit enim, quòd iudex, de quo *in illo cap.* non potuit procedere contra exemptos, quia procedebat vt ordinarius, non vt delegatus, vbi clarè significat, secus esset, si vt delegatus procederet.

2 Secunda sententia tenenda dicit, non posse. Ratio: quia mandatum super correctione criminum videtur interpretandum strictè, sicut aliæ commissiones factæ delegatis, *cap. P. & G. de offic. deleg.* sed in materia stricta appellatione simplicis, non venit simplex qualificatum *cap. statutum, de election. in 6.* ergo facta mentione clericorum, non veniunt intelligendi clerici exempti, quia qualitas exemptionis alterat naturam simplicis clericatus. Sic Felin. latissimè probans, & dicens, esse omnium *dicto cap. graue, n. 3.* & est communis sententia, vt dicit Nauar. *lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 21. num. 4.* estque hoc citra dubium in Religiosis Societatis Iesv: habent enim expressam exemptionem etiam à iudicibus delegatis, vt patet in Bulla Gregorij XII. anni 1584. quæ incipit *Ascendente,* &c.

## DVBIVM IV.

*An exempti citati ab ordinario teneantur coram ipso priuilegium exemptionis exhibere.*

1 REspondeo quòd, si exemptio non est notoria, tenentur exhibere; si autem est notoria, non tenentur. Probatur prima pars ex *cap. cùm personæ, de priuil. in 6.* vbi dicitur, teneri exemptos exhibere ordinariis intra terminum ab illis præscriptum priuilegia exemptionis, vbi glossa *vers. tradere,* dicit rationem esse, quia iure communi intentio Episcopi est fundata, & sic qui contra hoc ius commune se eximit, debet se probare exemptum exhibendo priuilegium: & *vers. ordinarius,* dicit glossa, quòd in hoc casu ipse ordinarius est iudex in hac causa, vt expressè dicitur *in illo cap.* quia benè cognoscit iudex, an sua sit iurisdictio, quando alter negat, vt patet ex *cap. ex literis, de rescript. & l. si quis ex aliena, ff. de iudic.* vbi expressè dicitur, quòd exemptus vocatus à iudice, tenetur venire priuilegium allegaturus, & iudicis erit existimare an sua sit iurisdictio. Quòd autem quando exemptio est notoria, non teneatur comparere ad exhibendum priuilegium, facit *Clement. pastoralis, de sentent. & re iudic. notorium, quippe.* Sic tenent Nauar. *cap. cùm contingat, de rescript. causa 6. num. 6.* Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 25 num. 6.* Innocent. *cap. 2. de dilat. num. 3. & ibi* Host. Glossa *cap. si Episcopus, 3. quæstione 2. vers. conuocari, & cap. veniens, de accusat. fine, & d. l. si quis ex aliena,* Sylvester *verbo exemptio, quæstione 7. & 8.* Panormitan. *cap. cùm ordinem, de rescript. numero 6. & ibi* Immola *num. 9.* Rosella & Tabiena *verbo exemptus, initio.* Angel. *ibi num. 3.* Richard. *4. distinct. 18. art. 5. quæst. 5.* Francus *cap. scienti, de regul. tur. in 6. num. 4.* Armil. *verbo exemptio, num. 2.* & multos alios refert Henriquez *supra num. 8.*

2 Imò idem dicendum est quando iudici est notum priuilegium; tunc enim non tenentur priuilegiati illud exhibere. Patet ex *cap. si duobus, de appellat.* vbi dicitur quòd si quis appellaret ad Papam, & citatus à iudice suo non comparuit, nec responsalem misit, tenet excommunicatio contra eum pro contumacia lata, nisi iudex sciret eum appellasse. Vbi glossa *vers. nisi,* dicit quòd si notum illi erat, quòd non erat de sua iurisdictione, non tenet sententia, nec alius tenebatur comparere, quia qui scit, certiorari non debet. Item Sylvest. *supra quæst. 8.* Rosella Armil. Tabien. Angel. Richardus *supra,* & idem dicunt Sylu. Tabien. Armil. Angel. & Richard. *ibi,* quando exempti sunt in longo tempore possessionis suæ exemptionis. In casibus autem quibus tenentur id ostendere, vide ad id optimum medium quod *infra* ponitur *dubio sequenti.*

3 Hinc infertur. Mendicantes non teneri exhibere priuilegium suæ exemptionis, nec citatos ab ordinario teneri comparere; quia sua exemptio est notoria, & sunt in longo tempore possessionis. Sic Sylvest. *quæst. 7.* Panormitan. Immola, Rosella, Tabien. Angel. *supra,* Armil. *vbi supra, n. 1.* Henriquez *supra num. 7. litera F.* Item, quia mendicantes habent priuilegium, vt non teneantur exemptionem suam, vtpote notoriam, allegare. Quod refert Tabien. *supra,* Armil. *n. 1.* Compendium Minorum *verbo exemptio, n. 23.* Corduba *in additionibus ad Compendium Minorum, verbo priuilegia fratrum, vers. quoad §. 10.*

4 Secundò infertur Religiosos Societatis Iesv non teneri exhibere priuilegium exemptionis coram ordinario; quia sunt iam Mendicantes; & sic fruuntur eodem priuilegio. Item, quia sunt in longo possessionis tempore huius possessionis. Item, quia iam iudicibus constat omnes Religiones habere priuilegium exemptionis, demptis aliquibus monasteriis Monialium, quæ subiiciuntur ordinario, & vident eos tanquam exemptos ab ordinariis tractari, nec ab ordinario visitari, nec alios iurisdictionis actus circa illos exerceri.

5 An verò, quando exemptio non est nota, si exempti nolint comparere ad exhibendum priuilegium, ligentur excommunicatione ordinarij contra ipsos lata, habes *lib. 7. de matrim. disp. 33. num. 22. & 23.* An verò exempti possint renunciare suo exemptionis priuilegio, & subiicere se ordinario, latè dixi *lib. 4. summæ cap. 39. à num. 24. vsque ad 40.*

## DVBIVM V.

*Qua forma respondendi vtetur Religio exempta, vel Religiosus exemptus, quando ante ordinarium conuenitur, & quo pacto suam exemptionem defendet.*

1 QVa in re illud in primis maximè cauere debet Religio, ne priuilegia suæ exemptionis coram ordinario præsentet, id enim esset illum constituere iudicem suæ exemptionis, & in dubium vertere an iurisdictio ad ordinarium pertineat; quia hoc est quod ipse intendit cùm enim iure communi habeat fundatam intentionem suam, iuxta quod est iudex ordinarius omnium Ecclesiasticorum, qui contra hoc ius commune intendit se eximere, debet probare se exemptum, exhibendo iudicialiter priuilegium coram ipso, & eius erit iudicare tunc an sua sit iurisdictio, vt *supra* dixi *dub. 4.* Et licèt (vt *ibi* dixi) hoc patiatur exceptionem, nisi exemptio Religionis, de qua agitur, sit notoria, adhuc poterat esse contentio an sit notoria, nec ne, & ita melius erit id excusare.

2 Igitur cùm Religiosi coram ordinario conueniuntur, possunt dupliciter respondere: primò se illum audire, & hoc modò meliùs impeditur occasio, quam ordinarius habere poterat exigendi, vt coram ipso priuilegia exemptionis iudicialiter exhibeantur: quæ occasio absque dubio daretur, si statim conantur illius iurisdictionem declinare. Secundò respondere possunt, se ab ordinarij iurisdictione exemptos esse, ac proinde ab illa declinare.

3 Sed licèt primo, vel secundo modo Religiosi respondeant, semper adire debent suum iudicem conseruatorem, vt ordinarium inhibeat: & ordinarius nequit intende

Universidad de Deusto
Biblioteca



tendere, vt coram illo priuilegia exemptionis exhibeantur; quia iudex conseruator in literis inhibitoriis, exhibet illa; quod perinde est ac si à Religiosis exhiberentur, iudex enim gerit vicem partium, *l. si ob causam C. de exactionib.* & expedit potius, quòd conseruator exhibeat, quàm Religio; ipse enim tanquam iudex inhibet, & simul ostendit qua ratione illum inhibeat, nec relinquit ordinario cognitionem priuilegiorum exemptionis, sed ipse tanquam iudex superior aufert illi eiusmodi cognitionem, & causam ad se aduocat. At si Religio ea exhiberet ordinario, cùm non possit illum inhibere, relinqueretur eius arbitrio cognoscere, & pronunciare, an ipse sit iudex, necne.

4 Maximè tamen aduertendum est primò, quòd in literis inhibitoriis à conseruatore expeditis debet esse inserta bulla, qua Religioni conceditur, vt possit conseruatorem eligere, & quòd habeat totam facultatem, quam in literis inhibitoriis dicit se habere, vt inde constet, qua ratione sit iudex, & possit inhibere ordinarium; & hæc bulla debet esse tota inserta, & simul cum illa debet inseri bulla exemptionis ipsius Religionis, vt sic constare possit, qua ratione sit exempta; quia licèt verum sit, quòd eo ipso quòd causæ alicuius Religionis delegentur iudicibus conseruatoribus ab ipsa Religione electis tacitè euocatæ, & ablatæ sint ab ordinarij iurisdictione (est enim receptissima conclusio, quòd eo ipso quòd Papa delegat causam aliquam alicui, eam ab ordinario auocat, vt tradit, & multis confirmat Ripa *cap. cùm M. de constit. num.* 198. & Couar. *quæst. pract. cap. 9. num. 4. ad finem*, & ita videtur, quòd sola bulla conseruatoria exhibita sufficienter ostenditur exemptio Religionis, adhuc tamen non ita clarè, & expressè ostenditur, sicut in ipsis bullis exemptionis, sed solùm per illationes, & testimonia Doctorum. Itaque si bulla exemptionis non inseratur, fortasse non modicum erit inconueniens, quia non ita apertè constat de exemptione Religionis. Quòd si recurrat Religio ad Regium senatum vim repellendi causa, vel ad alium iudicem ipsi ordinario superiorem, formando de illo querelam, quòd nolit se inhibere; sed adhuc inhibitus procedit, non poterit Religio coram tali iudice, vel Regio senatu allegare noua priuilegia, sed solùm ea, quæ præsentata sunt in processu, sic enim disponitur *Clement. appellanti, de appellat.* & ratione patet, quia iudex ille superior in hoc articulo non est iudex, nisi ad hoc tantùm, vt examinet, an iudex inferior vim aliquam intulerit; iudex autem inferior de quo formatur querela, non intulit vim parti conquerenti, si ex actis processus non constabat ius partis: atque ita iudex superior, licèt coram illo noua priuilegia præsententur, non poterit rectè iudicare iudicem inferiorem intulisse vim, siquidem non intulit iuxta acta processus ante ipsum præsentata. Poterit tamen allegare Religio id quod de iure communi illi fauet; quia leges omnes tenentur scire iudices. *l. sacratissima. C. de legibus*, & hinc ortum habet regula illa iuris, Ignorantia facti, non iuris, excusat, *cap. ignorantia, de regul. iur. in 6.*

5 Secundò obseruandum est, quòd quando respondet Religio se audire quòd intimatur ab ordinario, coram quo conuenitur, iuxta suprà dicta, quamuis melius sit statim ad conseruatorem recurrere; potest tamen etiam recurrere post accusatam contumaciam; quia licèt verum sit, quòd primum; quod opponendum est, debeat esse exceptio declinatoria fori ante omnes alias exceptiones. *l. fin. C. de exception.* & ratio est, quia si alia priùs opponeretur, censeretur opponens interpellare iudicem, vt super alia pronunciet: & sic induceretur consensus in iudicem, seu prorogatio. & non posset vlteriùs declinari. vt tenent Bart. Immola, Alexand. & communis. *l. quidam consulebant. ff. de re iudic.* Maranta *de ordin. iudic. 6 p. memb. 9. de exception. num. 1.* & pro hoc est textus *l. sed etsi susceperit. ff. de re iudic. & cap. inter monasterium, de sent. & re iud.* Sed opponi etiam bene potest post accusatam contumaciam, quia per contumaciam non prorogatur iurisdictio: contumax enim non consentit. *l. 1. ff. de fer.* & tenet additio ad Marantam *loco proximè citato.* Bart. *l. quidam consulebant. ff. de re iudic. & l. si conuenerit. ff. de iurisd. omnium iudic.* Alexand. *l. 2. ff. si quis in ius vocatus non venit, num. 12.* Quod maximè verum habet in Religiosis Societatis Iesu, cùm consentire nequeant in non suum iudicem, & renunciare suæ exemptioni, secundùm multos Doctores.

6 Itaque dicta in summam redigendo, quando religio conuenitur coram ordinario, respondere debet vno ex duplici modo. Primus, & facilior est, respondere se audire, quòd sibi intimatur. Secundus quòd declinat iurisdictionem, & statim recurrit ad iudicem conseruatorem, vt ordinarium inhibeat, & in literis inhibitoriis inseratur tota bulla conseruatoria, & clausula bullæ exemptionis cum proœmio & fine ipsius bullæ.

7 Quòd si adhuc ordinarius nolit se inhibere, debet à iudice conseruatore ad id per censuras compelli (vt constat posse id facere ex bulla conseruatoria) donec ordinarius vel obediat se inhibendo, vel recurrat ad cancellariam, vel Regium senatum causa vim auferendi, quam sibi putat inferri. Tunc autem in hunc modum informandi erunt auditores Regij, qui futuri sunt iudices, vt iustitiam Religionis tueantur.

8 In articulo, qui in hoc Regio senatu pendet inter N. ex vna parte, & conuentum sancti Pauli, v.g. Granatensis ex altera, in quo N. contendit quòd N. iudex conseruator nominatus per dictum conuentum vim inferat censuris, inhibendo ordinarium talis diœcesis, ante quem dictus N. conuenit dictum conuentum; videtur prædictum conuentum iustam causam defendere, intendendo quòd iudex conseruator à se nominatus vim non inferat inhibendo ordinarium, vt constabit ex allegandis.

9 Primò, quia dictus conuentus fundatam habet suam defensionem exemptionis in bullis præsentatis in processu, in quibus apertis verbis eximunt Religionem talem, & omnes illius personas à iurisdictione, quorumcunque ordinariorum, vt patet ex illis verbis bullæ, *eximimus*, &c. vbi inserendæ sunt omnes clausulæ exemptionis. Ex quorum priuilegiorum ostensione satis est fundata intentio prædicti conuentus; quia cùm sint priuilegia solemnia, de his non venit dubitandum, sicut de casu legis, & non indigent fori disceptatione, vt notant Bald. *l. 2. ff. de stat. homin.* Tiraquel. & alij, quos refert Roland. *cons. 57. à num. 1. volum. 3.* & ita Nauar. *cap. non dicatis 12. quæst. 1. num. 95. & 96.* & in tomis maioribus habetur *num. 63.* vbi asserit se in Regno Neapolitano respondisse Vicarium cuiusdam Episcopi non potuisse cognoscere de quodam censu, qui à Fratribus Minimis petebatur, quia habent priuilegium exemptionis. Et in quadam causa, in qua monasterium S. Augustini Cordubensis conuenit conuentum S. N. eiusdem ciuitatis coram ordinario Cordubensi, pronunciatum fuit à Prætorio Granatensi, conseruatorem electum à conuentu S. N. non intulisse vim ordinario Cordubensi illum inhibendo. Quod quidem manifestiùs constabit solutis obiectionibus, quæ contra dicta opponi possunt.

10 Prima est ex *cap. 1. de priuileg. in 6.* quod innouatum est per Tridentinum *sess. 7. cap. 14.* in quo disponitur, quòd ratione delicti contracti extra locum exemptum, vel contractus initi extra eundem locum, vel si res super qua contenditur, sit extra locum exemptum, possint Regulares coram ordinario conueniri. Sed respondetur primò prædictum textum solùm loqui de exemptis, qui solam habent exemptionem localem; cùm enim ipsis tantùm competat exemptio ratione loci, vbi contrahunt vel delinquunt, vel res est sita extra locum exemptum, priuilegium ad hunc casum non extenditur, vt latè probaui *suprà dub. 1.* At Religio, de qua loquimur, non tantùm habet priuilegium locale, sed etiam exemptionem personalem, vt patet ex verbis citatis in bulla. Secundò respondetur, quòd non tantùm personæ, sed bona



bona etiam prædictæ Religionis vbicunque locorum sint, sunt exempta, sicut & ipsæ personæ, vt patet ex *bullis citatis.*

11 Secunda obiectio ex Trident. *cap. 5. sess. 14. de reformat.* vbi exponitur, quòd non obstantibus quibuscunque bullis conseruatoriis, possint ordinarij cognoscere, & quòd literæ conseruatoriæ non durent vltra quinquennium: at bulla conseruatoria, quam prædicta Religio habet, excedit quinquennium à sua concessione. Item, quòd si oriatur discordia inter conseruatorem & ordinarium circa iurisdictionem, nominentur iudices arbitri, qui declarent ad quem spectat iurisdictio. Respondetur ad totam obiectionem, verbis eiusdem Concilij *in fine capitis*, vbi decernitur, quòd dispositum in illo eodem capite non procedat in literis conseruatoriis concessis locis Regularibus, & eorum personis, quo decreto firmiùs fundata manet intentio prædictæ Religionis; quia ex *cap. per argumentum à contrario sensu*, probatur, quòd virtute bullarum prædictæ Religionis non potest conueniri, nisi coram conseruatore à se electo; & ita vltima verba capitis sunt hæc, *personæ Regulares omnino exemptæ sint, & esse intelligantur.*

12 Tertiò, non obstat *cap. 20.* Trident. *sess. 24. de reformat.* in quo dicitur, quòd causæ omnes quomodolibet ad forum Ecclesiasticum pertinentes in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur. Hoc enim, vt patet ex discursu totius capitis solummodo fuit statutum ad hoc, vt Nuntij, & Legati Papæ non auocarent causas Ecclesiasticas ante diffinitiuam sententiam à iudicibus ordinariis: non autem est iurisdictio, quæ in prædicto *cap. 5. de reformat. sess. 14.* eiusdem Concilij concessa fuit conseruatoribus Regularium, & confirmata ea, quam per bullas Apostolicas habebant, correcta, aut limitata, esset enim dare contrarias constitutiones in eodem Concilio, quod non est dicendum. Item, quia idem Concilium *sess 7. cap. 14. de reformat.* tantùm subiicit regulares ordinario in causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum, & hoc quando degunt extra monasterium; *in sess. 25. de Regular. cap. 14.* in causa criminali solùm subiicit eos, quando publicè delinquunt, & Prælatus monitus negligit punire: & ita si in præsenti decreto eos subiiceret ordinario, in omnibus causis esset manifesta contradictio. Item, quia si intentio Concilij esset exemptionem Regularium limitare, vtique id expressisset, vt fecit *cap. 14. sess. 25. de Regular. & cap. 14. sess. 7. de reformat. & sess. 23. cap. 12. 13. & 15.*

13 Quartò non obstat dicere, quòd si ordinarius non cognoscit de causis Religiosorum, non erit iudex coram quo possint Religiosi conueniri, quia ad hoc iam respondi *suprà dub. 1 num. 23.* & insuper potuerunt conueniri coram suo iudice conseruatore.

## DVBIVM VI.

*An quando Religio est actor aduersus laicos, possit ipsos conuenire coram iudice conseruatore per ipsam electo.*

1 VIdetur enim posse; quia in bullis conseruatoriis absolutè dicitur, quòd Regulares possint eligere conseruatores in quibuscunque causis, in quibus actores, vel rei forent.

2 Sed respondetur nullo modo posse; & probatur: necessariò priuilegium hoc debet intelligi, quando Religio est actor aduersùs personas Ecclesiasticas, quia Papa non intendit, nec potest tollere ordinem iudiciarium in terris non suis, nisi quoad suum forum, scilicet Ecclesiasticum, vt optimè glossa *Clement. dispendiosam, de iudic. vers. vsuris*, Couarr. *q. pract. cap 6. num. 1.* & multi alij, quos refert, & sequitur Palacios *cap. per vestras, notab. 2. §. sed est pulchra dubitatio, n. 16.* & ratio, inquit, est, quia Papa non habet exercitium iurisdictionis temporalis, nisi in tertis quarum est dominus temporalis, & *notab. 2. num. 14.* dicit, quòd licèt Papa vellet facere, vt causa laici spectaret ad iudicem Ecclesiasticum, non posse facere in præiudicium sæcularis potestatis; & sic habetur *l. 1. tit. 8. lib. 1. recopil.* quòd non admittantur hi conseruatores, nisi in manifestis violentijs, quæ intelligitur contra laicos, vt ex ea constat, & docet optimè Salzedo *pract. canon. cap. 3.*

3 Aduertè tamen, quòd, si Religio spoliaretur aliquibus bonis, quæ possidet, posset eligere conseruatorem, qui procederet contra laicum spoliantem; quia Ecclesia, & clerici conuenire possunt coram iudice Ecclesiastico laicum spoliantem ipsos, *cap. cùm sit. & cap. conquestus, de foro compet.* & communis *ibi d. cap. cùm sit, num. 13.* & *ibi* Felin. *num. 1. vers. & dum dicit*, Calder. & Socinus, quos refert, & sequitur Anton. Gabriel *tom. 3. communium, tom. 5. de restit. spoliat. conclus. 18. n. 103. fol. 293.* & Menochius allegans multos, *de retinen. possess. remedio 3. à num. 324.* latè Gutierrez *pract. canon. cap. 34. à num. 6.* & ita pronunciatum est in prætorio Granatensi, non intulisse vim quemdam conseruatorem procedentem contra laicos spoliantes quemdam conuentum Religiosorum possessione cuiusdam hæreditatis. Ita tenet Salzedo *suprà*, & dicit hanc vim esse, quando monasterium priuatur possessione, vel priuilegia eius violantur.

4 Secundò nota, quòd potestas horum conseruatorum, qui sunt iudices delegati à Papa, *cap. 2. & cap. finali, de offic. iud. deleg. in 6.* est tanta, vt impediri non possint ab ordinariis, nec à Legatis de latere in eorum iurisdictione, seu exercitio, sed erunt maiores in causis sibi commissis quolibet ordinario, & Legati à latere, vt colligitur ex *cap. 2. de offic. deleg. in 6.* & tenent Anchar. & Ruinus, quos refert, & sequitur Mandosius *in signatura gratiæ, verb. conseruatoria*; vbi etiam multos allegans, ait tantùm posse dari à Papa iudices conseruatores. Qualiter verò possint hi delegare, vide dictum *cap finali.*

5 Tertiò nota, quòd, quando litigant duo monasteria, & ambo eligunt conseruatorem, is conseruator solùm procedere debet, qui prænenit *l. vni. ff. de offic. consulis*, & tenet. Rom. *consil. 412.* quem refert, ac sequitur Mandosius *dict. verbo conseruatoria.*

6 Quartò nota, expirare potestatem conseruatoris quoad negotia non cœpta, mortuo eligente, vt expresè habetur *de offic. deleg. in 6. fine.*

7 Tandem nota, quo pacto inuocari possit auxilium brachij secularis; de quo vide Couarr. *quæst. pract. cap. 10. num. 1. & 2.* Auiles *cap. 20. Prætorum, verbo vsurpan. num. 16.* Perez *lib. 4. tit. 1. lib. 3. ordinam.* Sed circa conseruatores à Regularibus eligendos vide quæ de nouo statuta sunt per nouam constitutionem Gregorij XV. Romæ publicatam die vigesima Septembris anni 1621. & declarationem Cardinalium circa hanc constitutionem.

## DVBIVM VII.

*An possit construi monasterium Religiosorum absque Episcopi auctoritate.*

1 PRimò dico non posse. Probatur ex *authentica de monach. in principio, collation. 1. vers. illud igitur*, vbi sic habetur, *dicendum est, si quis monasterium ædificare voluerit, non priùs licentiam esse hoc agendi, quam locorum Episcopum aduocet, & cap. quidam 18. quæstione 2.* quod est ex Concilio Chalcedonensi, vbi sic dicitur, *Placuit neminem aut ædificare, aut construere monasterium, aut oratorij domum sine conscientia ipsius ciuitatis Episcopi.* Et tenent Turrecrem. *ibi in principio*, Paz *pract. 1. tom. p. 5. cap. 3. §. 3. num. 31.* & est certum, habetúrque expresè in Trident. *sess. 25. de regular. cap. 3.* & id modò innouatum est per bullam

Universidad de Deusto
Biblioteca



Clementis VIII. quam refert Quaranta *in summa bullarum verbo monasterium*, vbi Pontifex etiam prohibet Episcopis, ne licentiam concedant ad construendum nouum monasterium, nisi citatis, & vocatis etiam aliis, quorum interest, an possint tot monasteria in tali loco sustentari. Quòd, si ab aliqua parte appelletur ab ordinario ad Papam, non prius ordinarius licentiam concedat, quàm summus Pontifex resp. ondeat.

2 Secundò dico, quod in constitutione cuiuslibet Ecclesiæ est necessaria licentia Episcopi; aliàs non est Ecclesia, *authen. de Eccles. tit. §. quis autem, &c. nemo, el 1. de consecrat. dist. 1.* & docent Armil. *verb. Ecclesia, num. 4.* Angel. *n. 5.* Tabien. *quæst. 2.* Rosella *Ecclesia 1. n. 1.* Sylu. *Ecclesia 2. quæst. 1.* Glossa *auth. de monac. in principio, collat. 1. vers. ponens.* Nauar. §. *in Leuitico*, explicans bullam Gregorij XIII. de Iubilæo, *verbo basilicas.* Turrecrem. *cap. quidam 18. quæst. 2. lex 1. tit. 10. part. 1.* & *ibi* Greg. Lopez *vers. de cada*, & Humada super illam legem *glossa 5 initio*, vbi videndus est cum Gregorio Lopez an sit destruenda, si fiat sine Episcopi auctoritate.

3 Nota hoc esse verum in locis non exemptis; in exemptis verò requiritur licentia Papæ *cap. auctoritate, de priuileg. in 6.* & sic intellige *cap. de locorum, cum cap. sequenti, de consecrat. dist. 1.* Sic Armil. *vbi suprà, num. 7.* Tabien. *q. 3.* Rosel. *n. 2.* Ang. Greg. Lopez *ibidem.*

4 Secundò nota, quòd Ecclesia Cathedralis non potest erigi sine licentia Papæ. *cap. 1. ne sede vacante, cap. 1. de translat. Episcop.* Gregor. Lopez *ibi.*

5 Tertiò dico, quòd hospitale quilibet potest erigere, sicut & alia opera misericordiæ facere, & hoc sine auctoritate Episcopi; at non erit locus Religiosus, nec gaudebit immunitate Ecclesiæ, nec inter loca Ecclesiastica computabitur, nec erit sub Episcopi iurisdictione, & potest ad vsos profanos redire, & emi, ac vendi, ac donari. Vnde iura dicentia, non posse fieri sine auctoritate Episcopi, intelliguntur, vt sit Ecclesiasticum, secùs vt sit profanum. Sic Lapus, Host. Petrus Innocent. quos refert, ac sequitur Sylvest. *verbo hospitale, q. 2.* Butrius *cap. ad hæc, de relig. domibus, n. 3.* & *ibi* Panormitan. *num. 1. 3.* & 4. Armil. *verbo hospitale*, & *ibi* Tabien. § 1. Angel. *initio.* Greg. Lopez *part. 1. tit. 12. l. 1. vers. hospitale.* Bald. *orphanotrophos C. de Episcopis, & Clericis.*

6 Limita, quòd potest tale hospitale ad alios vsus conuerti, vt intelligatur, viuente fundatore; cùm enim sit dominus, potest pœnitere, quoties voluerit. At eo mortuo, non potest hæres: tenetur enim defuncti voluntatem implere, *auth. de Eccles. titul. § si quis ædificationem.* Sic Panormitan. Tabien. & Armill. *ibi*, intellige (ait Armilla) nisi aliter ante mortem ordinasset constructor.

7 Imò potest quilibet ædificare hospitale, etiam cum oratorio, sine auctoritate Episcopi: at non potest in eo oratorio celebrari sine Episcopi licentia, *cap. vnicuique, de consecrat. dist. 1.* Sic contra quosdam (vt *ibi* refert) tenet Panormitanus *dicto capite ad hæc, fin.* & Hostiens. Ioannes Andreas Vincent. Tancred. quos refert, & sequitur Sylvest. *verb. Hospitale quæst. 2.* Armill. & Ang. *ibi*, Tabien. *ibi* §. 2. Anchar. *dict. cap. ad hæc, n. 2.* Buttrius *ibi num. 5.*

8 Quartò dico, quòd, etiam post constructum hospitale, potest interuenire consensus Episcopi; & postquam eius auctoritate est factum religiosum, non potest deputari ad alios vsus, vt expressè habetur *dict. cap. ad hæc*, & tenent *ibi* Buttrius *fine.* Sic Sylvest. *verbo hospitale, quæst. 2.*

9 Tandem nota, quòd licet Episcopus exercuerit in hospitali vnum actum iurisdictionis, non per hoc probatur esse locum religiosum, & per hoc potest exercere alia iura episcopalia. Sic Panorm. & Feder. quos refert, & sequitur Sylvest. *verb. hospitale q. 1.* Tabien. §. 3. Angel. *suprà.*

## DVBIVM VIII.

*An quando in priuilegio continetur, vt non intelligatur reuocatum, nisi de eo fiat specialis mentio de verbo ad verbum, intelligatur reuocatum per clausulam,* Non obstante quocumque priuilegio, etiamsi habeat clausulam, vt de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cuius tenorem pro inserto volumus hîc haberi.

1 COnstat inter Doctores, derogari prius priuilegium per ista verba, quando ea apponuntur in canone, vel lege, vel constitutione. Ita Couar. *rubr. de testam. 1. p. n. 20.* dicens esse omnium, & plures referens, & Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de regular. consil. 21.* & idem dicit Cou. si in secundo rescripto, vel priuilegio Principis dicta verba apponantur motu proprio Principis, & refert plures.

2 Nota obiter, tunc dici Papam concedere motu proprio, quando, licèt concedat ad alicuius petitionem, non fuit sola petitione motus, sed suo motu liberali, & spontaneo concessit. Ita Rebuff. *praxi benefic. tit. de clausulis mandat. n. 21. fol. 103.* & tunc solùm gratia fieri censetur motu proprio, cùm expressè hoc cautum fuerit in eadem, vt habetur *cap. si motu proprio, de præbendis in 6.*

3 At dubium est, quando talia verba apponuntur in priuilegio secundo, aut rescripto ad petitionem alicuius concesso. Duplex est sententia.

Prima ait, tantùm hanc clausulam non sufficere ad derogandum prius priuilegium, petens ad sui derogationem fieri de illo mentionem de verbo ad verbum. Ita tenet Paulus de Castro, Calder. Cardin. Feder. Felin. Iason, Tiraquellus, Decius, Sylua *benefic.* quos refert, ac sequitur secluso Curiæ stylo, Couarr. *vbi suprà*, Alaba 1. *part. consiliorum, cap. 2. n. 3. §. imò.* Anton. Gabriel. dicens, cum Felino esse communem, *tomo 3. communium, conclus. 92. fol. 31.* & 2 *tomo lib. 6 tit. de clausulis, conclus. 5 fol. 405. num. 11.* Neuiza. *consil. 12. num. 172.* Cassiodorus *decis. 10. de regulis cancellariæ.*

4 Secunda sententia tenet talem clausulam appositam in secundo priuilegio, vel rescripto, derogare prius priuilegium, petens talem mentionem specialem. Probatur, quia si diceremus contrarium, indirectè minueretur potestas Papæ: nam, cùm priuilegia consistant in facto, Papa non habeat omnium memoriam, impossibile ei esset de omnibus habentibus talia priuilegia, facere mentionem, & sic ea derogare. Item, quia sufficienter Papa suam exprimit voluntatem, dum dicit, *non obstante quouis priuilegio, etiam petente de verbo ad verbum fieri mentionem*; nec præcedens Papa potuit voluntatem successoris restringere. Item, quia Couarr. *vbi suprà* dicit, absque dubio hanc sententiam esse amplectendam, si stylus curiæ eam admiserit, & Doctores grauissimi, quos ipse refert, dicunt, sic habere stylum curiæ. Hi sunt Ludouicus Gomez, Ioannes Staphilæus, Anton. Felin. Probus, Collectarius, Dominicus, quos *ibi* Couar. refert, & Cassiodorus, & Sylua *benefic.* qui attento iure priorem sententiam tuentur, dicunt attento curiæ stylo hanc esse veram. Eandem tenent Bald. Angel. Panorm. Albericus, Socinus, Aimon, Anan. Bart. & alij, quos refert Couar. *vbi suprà*, Rebuf. *in forma mandat. Apostolici, verbo pro expressis.* Anton. Gomez *tomo 1. communium lib. 14. fol. 170. vers. priuilegium.* Sylvest. *verbo exemptio. q. 11.* & *testamentum 1. quæst. 12.* Armil. *verbo exemptio, num. 11.* Rosella *num. 1.* Passarelus *in compendio Minimorum, c. 8.* & 12. & dicit, sic respondisse Cardinalem Alexandrum à Vicario generali Minimorum rogatum *verbo, absolutio ordinaria, quoad Fratres, num. 13.* & *verb. priuilegia numero 24.* Corduba *in eodem compendio, verb. priuilegia.* Nauar. *cap. si quando, de rescript. tota except. 1.* Gomezius *in compendio regularium cancellariæ, quæst. 6.* & dicit, in prætorio Rotæ semper iuxta hoc sententiam ferri. Idem Manuel Rodriquez *in expositione motus proprij Pij Quinti*, quem ponit in fine Bullæ Cruciatæ, *n. 6.* Si

Primitz



5 Prima conclusio. Vt priuilegium continens derogari non posse, nisi de eo fiat specialis mentio de verbo ad verbum derogetur, necessarium est de eo fieri mentionẽ, saltem in specie, id est, non derogatur per clausulam generalem, *non obstantibus quibuscuis priuilegiis*, sed oportet de hoc facere mentionem, scilicet dicendo, *quamuis in alio priuilegio petatur expressa mentio de verbo ad verbum.* Ratio, quia dum tale priuilegium petit ad sui derogationem fieri expressam mentionem, aliquid speciale petit, quod non petunt alia priuilegia non habentia talem clausulam; ergo, quando non apponit, signum est nolle derogare. Sic Sylvest. *restamentum 1. q. 12.* & in hoc casu vera est prima opinio, nec contradicit secundæ.

6 Secunda conclusio. Probabilior est secunda sententia, scilicet, non requiri ad derogandum tale priuilegium, de eo fieri mentionem in individuo, sed sat est in specie dicendo, *non obstante quouis priuilegio*; licèt ad sui derogationem requirat specialem de eo fieri mentionem. Probatur ex adductis pro ea.

7 Nota hanc conclusionem tenere verum, licèt dispositio prior, cur derogandum est, prohiberet, ne illi derogari posset, etiamsi apponeretur talis clausula, quia Papa præcedens non potest contra potestatem successoris aliquid statuere. Vnde dicente Papa, vt teneor obstantium habeatur pro scripto de verbo ad verbum, nulla obstantia huic rescripto nocent. Ita Collectarius, & Bald. quos refert, & sequitur Nauarr. *ibi.*

## DVBIVM IX.

*An Regulares possint vti suis priuilegiis contra alios Regulares similia priuilegia habentes, etiamsi ipsi illis non vtantur, & similiter familiares Religionum contra ipsos Religiosos, etiamsi ipsis Religiosi non vtantur.*

1 NOta dupliciter posse communicari priuilegia Religionis aliquibus. Primo modo independenter à tali Religione, & ac si ipsis specialiter concessa fuissent: & hoc modo communicantur priuilegia omnium ordinum Mendicantibus. Secundo modo non sic specialiter, & independenter, sed dependenter ab ipsa Religione: & hoc modo communicantur priuilegia Religionum familiaribus, & donatis earundem, & quibusdam aliis. Ratio, quia Papa directè vult concedere priuilegium, & fauere Religioni, & his indirectè & dependenter, in quantum sunt aliquid illius, & in quantum fauor horum resultat in Religionis fauorem; at, quando communicat quædã priuilegia Religionum ordini Mendicanti, non intendit in hoc fauorem, & priuilegium Religionis, cuius priuilegia communicat, sed ordinis Mendicantis, & sic specialiter, & independenter illi concedit priuilegium; sic notat Corduba *super priuilegia Mendicantium, verbo communicatio quoad fratres §. 39.* Sit

2 Prima conclusio. Illi quibus communicantur priuilegia primo modo, vt sunt omnes Mendicantes, possunt exæquo gaudere omnibus priuilegiis sibi communicatis, etiam contra illos, quibus concessa fuerant, per quorum communicationem ipsi gaudent, & licèt hi, quibus fuit concessum tale priuilegium, eo non vtantur, vel illud perdant, ij, quibus communicantur, non perdunt, & possunt eo vti. Ratio, quia iam talia priuilegia facta sunt sibi propria, & illi specialiter concessa, à tali Religione independenter, ac si illi concessa non fuissent. Sic Corduba. *vbi suprà.*

3 Secunda conclusio. Ij, quibus communicantur priuilegia secundo modo, vt sunt familiares & donati non possunt vti priuilegiis contra ipsos fratres, quorum priuilegia illis communicantur: & si fratres perdiderint, seu non vtuntur, perdunt similiter, & non possunt vti. Probatur prima pars, quia talia priuilegia communicantur iis dependenter à tali Religione, & in eius fauorem; at, quod in ipsorum fratrum fauorem principaliter datum est, non debet contra ipsos retorqueri, *cap. quod ob gratiam, de regul. iur. in 6.* & *cap. quid per nouale, iunctæ glossa, de verb. signif.* & docet Sylvest. *verb. priuilegium, quæst. 10. dicto 5.* Probatur secunda pars; quia cessante principali, cessat accessorium. Panormitan. *cap. ex parte, de foro compet. ad finem.* Bald. *l. omnia. C. de Episcop. & cler.* Bart. *l. 1. ff. de legat. 1.* Sed hæc priuilegia principaliter conceduntur Religioni, & accessoriè familiaribus. Sic Corduba *vbi suprà.*

# LIBER SEPTIMVS

## Opusculorum moralium, seu Consiliorum.

### CAPVT I.

*De Ordine.*

SVMMARIVM.

Dvb. 1. *An Ordo sit Sacramentum, characterémque imprimat? ac de eius materia & forma in generali.*

2 *An sit de essentia huius Sacramenti, vt qui initiatur, tangat materiam.*

3 *An sit de essentia sacramenti Ordinis in sacerdotio & Diaconatu manus impositio.*

4 *An sit de essentia Ordinis, vt ministretur ab Episcopo faciente sacrum.*

5 *An sit de essentia sacramenti Ordinis, vt idem Episcopus, qui profert verba, porrigat materiam tangendam ab ordinando.*

6 *An prima tonsura sit Ordo, & sic Sacramentum, characterémque imprimat, & gratiam conferat.*

7 *An quatuor Ordines minores sint verè Ordines, & sic Sacramenta, characterémque imprimant.*

8 *An Subdiaconatus, & Diaconatus sint Ordines verè, & propriè, & sic Sacramenta, characterémque imprimant.*

9 *An Episcopatus sit verè, & propriè Ordo, sicque Sacramentum, & characterem imprimat, gratiámque conferat.*

10 *An Cardinalatus sit Ordo, & in quo ab Episcopatu differat.*

11 *Quid distet inter Episcopos, & simplices Sacerdotes inter se, & inter Episcopos, & Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, & Papam.*

12 *Quid sit materia, & quæ forma singulorum Ordinum, & in quo actu imprimatur illius Ordinis.*

13 *An si in celebratione Ordinum aliquid omittatur, sit supplendum.*

14 *An character vnius Ordinis necessariò supponat characterem*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*racterem alterius Ordinis.*
15 *Quæ requirat essentialiter consecratio Episcopalis, & quæ tantùm ex præcepto.*
16 *Quid conferat pallium Archiepiscopo, & Patriarchæ, seu Primati, id est, quæ possit ante pallij receptionem.*
16 *Qui sint actus proprij, & ministeria singulorum Ordinum.*

## DVBIVM I.

*An Ordo sit Sacramentum, characterémque imprimat? & de eius materia & forma in generali.*

PRIMO loco agam de his in generali: deinde de singulis Ordinibus in speciali disseram, an sint Sacramenta, & de materia & forma.

2 Supponenda ergo in primis est definitio huius sacramenti, est enim ordo, *Sacramentum quo potestas spiritualis significatur, & traditur in ordine ad corpus Christi consecrandum.* Vnde idem est, quod ordinatio. Sic Sotus 4. *dist.* 24 *quæst.* 1 *art.* 1. Sit igitur

3 Prima conclusio. Ordo est verè & propriè Sacramentum. Conclusio est de fide definita in Concil. Trident. & in Florent. *sess.* 23. *c.* 2. & *can.* 3. quod etiam testimoniis Scripturæ, & Sanctorum confutans hæreses oppositas latè comprobat Bellarm. *tom.* 2. *controu.* 5. *lib.* 1. *de sacram. ordin. à c.* 1. *vsque ad* 4. *inclusiuè*, & probatur ratione, quia omnis ceremonia instituta ad dandum gratiam, est Sacramentum propriè dictum, sed huiusmodi est ordo, ergo. Probatur minor, quia Deus cuius perfecta sunt opera *Deut.* 32. cùm dat potestatem, dat ea, quæ requiruntur ad legitimum, & congruentem vsum, vt videmus in rebus naturalibus, quibus Deus non tantùm potentias operatiuas dedit, sed etiam qualitates & instrumenta, quibus expeditè, & rectè illis vtantur; sed in ordine datur homini potestas conficiendi & ministrandi Sacramenta, quæ à peccatore rectè exerceri non potest: ergo dabit Deus cum ea potestate gratiam iustificantem, & perficientem animam, vt ritè fungatur tanto ministerio.

4 Secunda conclusio. Ordo imprimit characterem. Conclusio est etiam de fide definita in Florent. & Trident. *d. sess.* 23. *cap.* 4. & *sess.* 7. *de sacram. in genere*, idque aduersùs hæreticos comprobat ex multis Sanctis Bellar. *suprà cap.* 10.

5 Hinc fit duplicem esse effectum huius Sacramenti apud omnes Catholicos certum: alter est potestas spiritualis perpetua, & indelebilis, quæ est character; alter verò gratia gratum faciens, qua possint ordinati ritè fungi suo munere.

6 Tertia conclusio. Septem sunt ordines in Ecclesia, quatuor minores, scilicet Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, & Acolyti, & tres maiores, scilicet, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotij, vt habetur in Trident. *dict. sess.* 23. *c.* 2. Primi quatuor vocantur non sacri; tres verò postremi sacri vocantur; licèt enim omnes res sacræ sint, ac Sacramentum, vt *infrà* dicemus; at per antonomasiam tres postremi sacri vocantur, eò quòd materiam sacram habent, & propinquiùs ad Eucharistiam accedunt, per illósque, cùm votum solemne castitatis habeant annexum, magis consecratur homo ampliúsque resilire nequit. Conuenientiam autem huius septenarij numeri ponit, optimè D. Th. 4. *dist.* 24. *quæst* 2 *art.* 1. Sotus *ibi, quæst.* 1. *art.* 3.

7 Quarta conclusio. Licèt omnes septem Ordines sint Sacramenta, vt *infrà* dicemus, non tamen sunt hi Ordines plura sacramenta, sed vnum; quia ad vnum finem omnes referuntur, scilicet ad Eucharistiæ consecrationem. Hæc conclusio est omnium, & est certa, aliàs essent plura, quàm septem sacramenta, contra Concil. Trident. *sess.* 7. *de sacram. in gen. canone* 1.

8 Quinta conclusio. Conuenienter forma huius Sacramenti traditur per imperatiuum, scilicet, *Accipe potestatem*, &c. Patet ex vsu totius Ecclesiæ, & ex Concilio Florentino in decreto Eugenij IV. vbi etiam definitur formam esse ea verba, quæ Episcopus profert, cùm porrigit ordinandis materiam. Conuenientia huius est ea; quia institutio huius sacramenti non fuit per se ordinata ad sanctificandum hominem, vt est priuata persona, sicut reliqua sacramenta, sed in ordine ad populum, qua ratione ipse est pars Christianæ reipublicæ, in qua constituitur minister, & persona publica; & ideò sicut creatio Regis, & cuiusque magistratus fit per verbum imperatiuum, *Accipe potestatem*, tradendo illi sceptrum, vel aliud quoduis insigne reipublicæ: sic dum ordinatur Ecclesiæ minister, forma ordinandi debet esse, *Accipe potestatem*, &c. tradita materia, circa quam vsus eiusdem potestatis versatur.

9 Nota, quòd licèt in Florent. in forma Ordinis ponatur inuocatio Trinitatis, dicendo, *Accipe potestatem*, &c. *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; at inuocatio hæc Trinitatis, non est de essentia, sed de decentia; solus enim Baptismus, & Confirmatio, quia in illis fit professio fidei, inuocationem Trinitatis tanquam de essentia requirunt. Sic Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. Batthol. à Ledesm. *dub.* 4. *de sacram. Ordin.* & quidam iuniores Magistri, qui addunt non esse omittendam inuocationem Trinitatis; quia ponitur in Concilio Florent. *suprà.*

10 Sexta conclusio. Materia huius sacramenti est illa, per cuius traditionem confertur Ordo, de qua sigillatim in singulis Ordinibus *infrà*. Hæc definita est in Concilio Florent. *in dicto decreto Eugenij*, & ratio conuenientiæ est, quia materia debet esse formæ coaptata; cùm ergo forma sit imperatoria, *Accipe potestatem*, applicatio materiæ debet esse traditio vasorum & instrumentorum, quibus vsus eiusdem potestatis designatur.

11 Hinc fit minus bene dicere Ledesm. 2. *q.* 4. *art.* 5. vbi ait, forsan posse defendi non requiri materiam; subdit tamen statim, pro certo habendum esse requiri: minus (inquam) bene dicit, quia est expressa determinatio Florentini nostra sexta conclusio, & Bartholom. à Ledesm. *dub.* 36. *de sacram, Ordin.* dicit esse de fide requiri materiam, & esse illam, per cuius traditionem datur Ordo.

## DVBIVM II.

*An sit de essentia huius sacramenti, vt qui initiantur, tangant materiam.*

DVplex est sententia.

1 Prima ait, non esse necessarium vt initiandus tangat materiam, sed sat esse vt Episcopus illam præsentiè ostendat initiando, dicens, *Accipe potestatem*, &c. Probatur primò, quia in Concil. Florent. *in decreto Eugenij*, vbi ponitur materia & forma huius sacramenti, non fit mentio contractus. Secundò, quia materia huius Sacramenti non habet virtutem eo modo, quo materia aliorum ad aliquam actionem erga suscipientem, puta ad abluendum, vngendum, &c. sed tantùm ad determinandâ actionem agentis, & intentionem; illa verò determinatio posset significari per id, quòd Episcopus ostendat præsentem materiam, nempe calicem, & hostiam, vt suscipiens vsum illius potestatis intelligat. Tertiò, quia in sermonibus familiaribus, cùm quis donat equum alteri, dicens, *Accipe equum*, alter solo nutu, vel verbo potest accipere, licèt non tangat. Sic tenent Caiet. *summ. verbo ordinandi.* Tab. *Ordo* 2. §. 1. Armil. *verb. Ordo, n.* 4. & Albert. Magnus, quem refert D. Ant. *vbi infrà*, & hanc dicit probabilem, imò in ordinibus minoribus certam, Victoria *de sacram. Ordin. n.* 230. hanc etiam dicit probabilem Ledesm. 2. 4. *q.* 36. *art.* 5. nec ab hac sententia abhorret D. Thom. 4 *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 5. *ad* 3. quem sequitur Rosella *Ordo* 2. *num.* 1. refert enim D. Thomas hanc sententiam, & tantùm dicit videri quòd verba formæ ostendant tactum esse de essentia. Hanc etiam videtur docere probabilem esse Sotus 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 2. & verè probabilis est, & dicit esse valdè probabilem. Henriquez *lib.* 10. *de Ordine, cap.* 10. *num.* 1.

2 Secunda sententia multò probabilior, ait requiri contactum materiæ de essentia huius sacramenti. Probatur, quia verba, in quibus consistit forma Ordinis, oportet sic verificari, quòd actus significati impleantur, aliàs sunt inefficacia, & vana: sed in verbis formæ præcipitur actus susceptionis corporalis; ergo oportet impleri tale imperium per corporalem acceptionem. Probatur minor, tum quia de mera acceptione interna non iudicat Ecclesia, sed iuncta cum externa: tum etiam, quia cùm sacramenta consistant in rebus, verbisque sensibilibus; demonstrationes, iussionésque sacramentales ad sensum impleri oportet. Secundò, quia licet in aliquibus ordinibus non imperetur explicitè acceptio alicuius rei corporalis, vt cùm dicitur, *Accipe potestatem*, vel manus imponendo, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. at idem imperatur, sicut cùm imperatur acceptio rei corporalis, vt *Accipe claues*, &c. Sicut enim in consecratione sanguinis non demonstratur ex vi verborum id, quod continetur in specie vini, sed demonstratur calix continens illas species, dicendo, *hic est calix*, & per metonimiam ponitur continens pro contento. Ita in Sacramento Ordinis iubetur aliquando ex vi verborum acceptio rei spiritualis, vt Spiritus sancti, vel potestatis: at iuxta eandem metonimiam ponitur quod fit, id est, acceptio potestatis, pro qua acceptio corporalis fit, oportet enim iussionem, sicut & demonstrationem sacramentorum ad sensum impleri. Tertio, quia non minus oportet impleri quod fit in Sacramento, quàm quod dicitur, sed in Sacramento Ordinis si fit traditio calicis actiuè, & non accipitur, constat non impleri quod fit, nulla enim actio impletur sine passione: & si actiua manuum impositio Episcopi fit non tangendo corporaliter ordinandum, & ipso ordinante obediente, sustinendo corporalem contactum, non impletur quod dicitur, nec quod fit: ergo est de essentia corporalis contactus materiæ. In hanc sententiam magis inclinant D. Thom. Rosel. & Ledesm. *vbi suprà*, & eam tenent Sotus *suprà*. Caiet. dicens indubitatam, *tom.* 1. *opusc. tract* 26. *de sacram. ordin. collatione.* Palac. 4. *dist.* 24. *q.* 1. *fol.* 499. Angles *floribus* 1. *p. mat. de sacram. ordin. fol.* 507. Viguer. *lib. institut. c.* 16. §. 6. *vers. primo.* D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. *initio.* Sylvest. *ordo* 1. *initio*, & *ordo* 2. *q.* 5. *dict.* 3. dicens esse indubitatum Palud. 4. *dist.* 24. *q.* 1. *n.* 6. Bartholomæus à Ledesma *de sacram. ordin. dubit.* 3. Angel. *ordo* 1. *n.* 9. Nauarr. *summa Latin. cap.* 22. *n.* 27. & in hanc magis inclinat Henriquez *suprà*, & eam tenent multi docti iuniores Magistri.

3 Nota primò non esse necessarium tangere ambabus manibus, sed sat est vna manu, etiamsi teneamus esse necessarium contactum. Sic Sylvest. *ordo* 1. *init*, Palud. Henriq. D. Ant. Armil. Tabien. *suprà*, & addunt hi duo bene, sat esse tangere vno digito, quia ibi verificatur tactus.

4 Secundò nota non esse necessarium tangere omnia, vt calicem, & patenam, & hostiam, sed sat est tangere quomodocunque, & modicum quid alicuius rei, quę nullum intermedium discontinuans habeat ad totum: tum quia ibi iam verificatur corporalis tactus, & acceptio, tum etiam, quia sicut tangens calicem censetur tangere vinum, quod est intus, nec oportet immediatè vinum tangere; ita censetur tangere hostiam, nec est opus immediatè illam tangere, non enim minus, sed æquè est materia vinum, & hostia. Sic Sylvest. *ordo* 2. *q.* 5. *dicto* 4. Ang. *ordo* 2. *n.* 10. Tabie. *ordo* 2. §. 1. & quidam recentiores Magistri, & idem dicunt fortè esse verum Sotus, & Bartholom. à Ledesm. *suprà*, addúntque adhibendam esse diligentiam ad tangendum totum, vt dicitur in Pontificali. Idem omnino Henriquez *suprà.*

5 Tertiò nota, quòd Petrus, & Albericus, quos refert & sequitur Sylu. *ordo* 2. *q.* 4. *dicto* 3. dicunt esse necessarium contactum in calice consecrato; sed verius est Sacramentum, licet calix non sit consecratus; quia Missa etiam in calice non consecrato potest celebrari. Sic Palud. 4. *dist.* 23. *q.* 1. *n.* 8. Henriq. *c.* 8. *n.* 3. & nonnulli iuniores docti. Imò subdit Palud. quòd cùm sine omnibus his possit celebrari Missa solo pane, & vino, videtur, quòd traditio horum non consecratorum sat sit ad veritatem Sacramenti.

6 Tandem nota, quòd tenendo (vt *dub. seq.* dicemus) impositionem manus esse de essentia huius Sacramenti in sacerdotio, & diaconatu, dicendum est requiri contactum corporalem, dum Episcopus manus imponit; vt optimè probant rationes secundæ sententiæ, & probatur ex *c. fin. de sacram. non iter.* vbi dicitur quòd tactu corporali recipiunt manuum impositionem Sacerdotes: & sic tenet *ibi* glossa. Host. Gofred. Panor. *n.* 2. Caiet. *d. tract.* 26. Nec mirum quòd alij multi dicant non esse de essentia contactum in manuum impositione: hi sunt Angel. *ordo* 1. *n.* 9. Armil. *verb. ordo n.* 9. D. Anton. 3. *p.* 14. *c.* 16. §. 5. Tabien. *ordo* 2. *q.* 1. & 5. Sylvest. *ordo* 2. *q.* 5. *dicto* 3. quia omnes hi dicunt impositionē manuū non esse de essentia, vt dicam *dub. seq.* & sic nec contactum in ipsa impositione.

## DVBIVM III.

*An sit de essentia Sacramenti Ordinis in sacerdotio, & Diaconatu manus impositio.*

1 NOta ex Pontificali Romano quòd in ordinatione Presbyteri, & Diaconi duplicia signa exhibentur, scilicet impositio manuum, & traditio libri Euangeliorum in Diaconatu, & illa præcedit, imponit enim Episcopus manum dexteram super caput cuiuslibet initiandi Diaconatu, dicens singulis, *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini*; & postea tradit librum Euangeliorum, dicens, *Accipe potestatem legendi*, &c. & in sacerdotio præcedit porrectio instrumentorum, scilicet calicis, & patenæ cum vino, & aqua, & hostia, dicente Episcopo, *Accipe potestatem offerre sacrificium*, &c. & in fine Missæ Episcopus imponit ambas manus super caput cuiuslibet ordinandi, dicens, *Accipe potestatem remittendi peccata*, &c. Dubitatur ergo, an non solùm porrectio instrumentorum, sed etiam manuum impositio, sit essentialis materia horum Ordinum.

Duplex est sententia.

2 Prima ait, quòd impositio manus non est de essentia, sed tantùm de præcepto. Primò, quia in Concil. Flor. in decreto Eugenij non alia assignatur materia essentialis, quàm porrectio instrumentorum. Secundò, quia Innoc. III. *c. pastoralis, de sacram. non iteran.* & Greg. IX. *c. presbyter, eod. tit.* definiunt ordinationem factam sine manus impositione, non esse iterandam, sed supplendum esse quod omissum est: si autem esset essentialis, iterandum esset Sacramentum. Ibidem etiam addit Greg. IX manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum: si autē esset essentialis Sacramento, nō posset institui nisi à solo Christo. Tertiò, quia dictis illis verbis, *Accipe potestatem offerre sacrificium*, &c. manet factus sacerdos, aliàs esset fallax ea concessio potestatis; maximè, quia in Trid. *sess.* 22. *c.* 1. habetur in vltima cœna Apostolos factos esse Sacerdotes, vbi tantùm data est eis potestas consecrandi secundùm omnes per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; sed multo post manus imponuntur ab Episcopo, vt patet ex Pontificali: ergo manus impositio nō est de essētia Sacramenti sacerdotij. Hanc tenent Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *vers. per quam tamen, & art.* 4. *vers. hinc fit solam.* Victoria *de sacram. ord. n.* 219. Barthol. à Ledesma *de sacr. ordinis, dub.* 10. *fol.* 1160. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *c.* 16. §. 5. Rosella *ordo* 2. *n.* 8. Angel. *ordo* 1. *n.* 7. & 8. Tabien. *ordo* 2. *q.* 13. Sylu. *ordo* 2. *q.* 4. *dicto* 3. & *q.* 11. Richard. 4. *dist.* 24. *art* 4. *q.* 3. *fine.* Nauarr. summa Lat. *cap.* 22. *n.* 17.

3 Secunda sententia probabilior (licèt prima sit etiam probabilis) tenet quòd non tantùm instrumentorum porrectio, sed etiam manus impositio, est materia essentialis

Universidad de Deusto
Biblioteca



essentialis in his duobus Ordinibus. Probatur primo, quia scripturæ passim tradunt pro symbolo externo ordinationis manus impositionem, vt patet *Actor.6.13.14. & 1.ad Tim.4.5.2. ad Tim. 1.* Quòd si dicas impositionem manus requiri, sed non esse de essentia. Contrà: si ita est, non possumus conuincere hæreticos ordinationem esse sacramentum, quia non possumus in Scriptura aliud symbolum externum huius sacramenti demonstrare. Deinde si ita licet exponere, poterimus negare materias aliorum sacramentorum; dicam enim aquam non poni in Scriptura tanquam essentialem materiam Baptismi,&c. Præterea, quia Scriptura non solet in aliis sacramentis tradere, nisi essentiales ceremonias, & vix illas integrè. Nec obstat quod *Actor.8.* dicitur dari confirmationem per manus impositionem, cùm tamen constet non esse de essentia, quia hæc manus impositio est illa, qua Episcopus signat chrismate frontes fidelium, & hæc est essentialis. Secundò, quia Paulus *1. ad Tim. 4. & 2.ad Timoth. 5.* dicit dari gratiam per manus impositionem: ergo est pars essentialis sacramenti. Tertiò, quia Pontifices, vt Clemens *lib.8.constit.cap.2.& sequentibus.* Damasus *epist.4.* Innoc.I. *epist.22 ad Episcopos Macedoniæ.* Leo I. *epist.87.ad Episcopos Africæ.* Alex II. *cap. ex multis, 1.q.3.* Vrbanus II. *cap. Daibertum, 1.q.7.* & Concilia, vt Nicenum *cap. 9.* Antiochenum *can. 10. & 17.* Carthaginens. IV. *can.2.3.& 4.* Trident. *sess.14.c. 3.de extrema vnctione*;& Sancti, vt Ambrosius *lib. de dignitate sacerdotali,cap.5.* D.Hieron. *in cap. 58. Isaiæ.* D. Augustt. *lib.de gestis cum emerito*, docent manus impositione conferri Ordines, & præcipuè Trident. *loco citato*, vbi hæc dicit, *Minister extremæ vnctionis est Presbyter rite ordinatus per manus impositionem.* Dicere autem omnia Concilia, Pontifices, & Patres, & Scripturas loqui de accidentaria ceremonia, absurdum videtur, cùm nusquam ponant aliam ceremoniam, & sæpè ex professo tractent de ritu ordinationis, & inconueniens videtur dicere, nec semel attigisse id,quod ad sacramenti essentiam pertinet. Hanc tenent Bellarm. vocans eam longè probabiliorem. *tom.2.controu.lib.vnico, de sacram.Ordin. cap.9.* Ledesm.2.4.q.36. *art.3.fin.* Hosius *in confess. Polonica,cap.50.* id etiam supponit Caiet. *tom.1. opusc. tract. 26.de sacram.Ordin.collatione*, & probat esse necessarium contractum in dicta impositione manuum. Id etiam tenentur dicere, qui dicunt characterem Diaconi imprimi in manus impositione, scilicet Durand. 4. *dist. 24. q.3.* Petrus Sotus, licèt aliquantulum dubius, subdens etiam characterem sacerdotis imprimi in manus impositione *lect.5.de sacram. Ordin.* Id etiam tenentur dicere Doctores asserentes in impositione manuum dari potestatem absoluendi sacerdotibus,qui sunt Scotus,Capreolus, Palud. Panorm. & alij, quos omnes referam *in dub. speciali,de hac re infrà*; & videtur apertè tenere D.Th. 4. *dist.25.quæst.1. art. 1. ad 1.* vbi dicit in impositione manuum dari gratiam sacerdotibus: ergo est pars sacramenti. Nec obstat quod dicit D.Thom. *ibi*,non infundi characterem sacerdotalem,& sic videri asserere non esse partem sacramenti; quia id verum est quoad essentiam, & substantiam characteris; quia iam quoad substantiam impressus est in porrectione instrumentorum; in manus verò impositione extenditur ad secundum actum, vt *infrà* dicam ex D.Thoma.

4 Ad primum in contrarium respondetur,Florentinum non exposuisse totum ritum ordinationis, sed tantùm vnam partem, quia forsan Armeni, qui à Concilio instruebantur,in hac errabant, & non in alia; sicut etiam Concilium Carthaginense, & Tridentinum tantùm meminere impositionis manuum.

5 Ad secundum respondet bene Bellarm. *suprà*, ea loca fauere nostræ sententiæ; quòd enim Pontifices nolint repeti ceremonias ritè peractas, & tantùm suppleri, quod est omissum, indicat eas ceremonias posse diuidi, & dari diuerso tempore, & esse efficaces quocunque tempore dentur, & quod subdit Gregor. IX. hunc ritum esse ab Apostolis introductum, non sic debet accipi quasi Apostoli hunc ritum instituerint, sed quia ipsi primi publicauerunt,& cœperunt illo vti.

6 Ad tertium respondet idem quòd est sacerdos quoad potestatem consecrandi, non tamen quoad potestatem absoluendi: nam accipit per varias ceremonias varias potestates: & similiter Diaconi per varias ceremonias ordinantur ad varia ministeria.

## DVBIVM IV.

*An sit de essentia Ordinis, vt ministretur ab Episcopo faciente sacrum.*

1 DE Ordinibus minoribus, & prima tonsura, constat apud omnes id non esse de essentia, vt vsus ipse testatur;communiter enim conferuntur absque Missa, & tenent omnes Doctores citandi.

2 Sed de Ordinibus sacris est maior difficultas. Duplex est sententia.

Prima dicit esse de essentia;imò ait Sylvest. *vbi infrà*, quòd si vnus Episcopus ordinet, & alius Missam celebret, non tenebit Ordo sacer collatus. Ratio est, quia ritus totius Ecclesiæ habet, vt sacri Ordines non nisi ab Episcopo celebrante Missam, conferantur. Sic tenent Anton.*cap.literas,de tempor.ordin.* Rainerius, quem refert,ac sequitur Angel. *Ordo 4. num.5. & Ordo 7. initio.* Sylvest.*Ordo 2.q.8.dicto 2.*

3 Secunda sententia certissima, & omninò tenenda docet, id esse de præcepto, non tamen de essentia Ordinis, quia de essentia sacramenti tantùm possunt esse materia, forma, & minister: cætera verò pertinent ad ceremonias iustissimè præceptas ab Ecclesia obseruari. Item,quia nullus est locus Scripturæ, nec Conciliorum, significans hoc esse de essentia. Sic videntur tenere dicentes esse communem sententiam Doctores *cap.quòd sicut,de elect.* Armil.*verb. Ordo,n.9.* Tabien. *Ordo 2.q.5.* Rosel. *Ordo 2. n. 8.* & tenent Hugo, & Ioan. Andr. citati per Angel. *suprà.* Panorm.*d.cap.quod sicut n.12.* & *ibi* glossa *vers. dicatur.* Sotus 4.*dist.24.q.2.art.1.concl.2.* Turrecr. *cap. ordinationes,el 1.n.10.* & *ibi* Hugo.

4 De aliis verò ceremoniis,quas Ecclesia obseruat in ordinatione,optimè Bellar.eas ab hæreticorum oppugnatione defendens,*tom.2.controu.lib.vnico de sacram.Ord.c.12.*

## DVBIVM V.

*An sit de essentia Sacramenti Ordinis, vt idem Episcopus qui profert verba, porrigat materiam tangendam ab ordinando.*

1 CErtum est in ordinibus minoribus id non esse de essentia,& patet quia in Concilio Carthagin.IV. *cap.7. & cap. Acolytus, dist. 22.* habetur Acolytum cùm ordinatur,accipere vrceolum, & candelabrum de manu Archidiaconi, Episcopo dicente verba formæ. Nec per hoc (inquit D.Thom.*vbi infrà.*) Archidiaconus ordinat, sed Episcopus, quia Archidiaconus tradit hæc de mandato Episcopi,& character accipitur in traditione Archidiaconi ex verbis Episcopi, & sic tenent omnes Doctores citandi, & Richard 4 *dist.24.art.4. q.3.ad 2.* D. Th. 4.*dist.25.q.1.art.1.ad 2.*

2 De ordinibus verò maioribus & sacris, est dubium Sotus 4.*dist.24 q.1.art.5. vers.tertio loco*, dicit iuxta D. Thom.*loco citato*,viguisse olim in Ecclesia vsum, vt Archidiaconus Subdiacono, & Diacono materiam præberet,& Episcopus proferret formam, & sic iuxta eum non est de essentia in Ordinibus sacris, vt materia præbeatur ordinando ab eodem Episcopo ordinatore.

3 Sed omnino falsum imponit Sotus D. Thomæ,quia expressè dicit *ibi* D. Thom. materiam essentialem Sacramenti conferri ab Episcopo ordinatore in subdiaconatu, & à fortiori in reliquis Ordinibus sacris, imò in



in Subdiaconatu id dicitur in Concilio Carthagin.IV.*c.5.* & habetur *cap.Subdiaconatus,d.23.* quòd scilicet accipit de manu Episcopi calicem cum patena, in quo actu (vt *infrà* dicemus) consistit essentia huius Ordinis.

4 Ideò alij meliùs dicunt esse de essenria in Ordinibus sacris, vt materia essentialis, in qua imprimitur caracter, tradatur ab Episcopo, qui ordinat. Sic Henriquez *lib. 10. de ordine, cap.8.num.3.* Sylvest. *Ordo 2. q.7. dicto 1.* Armil.*verbo ordo,n.12.* Angel.*ordo,1. n.5.* & 12. Tabien. *ordo 2.q.12.& 14.* & potest probari; quia in reliquis Sacramentis necessarium est, vt forma, & materia ab eodem ministrentur; ergo similiter in hoc, præterquam in Ordinibus minoribus,vbi traditio, & vsus Ecclesiæ oppositum docet.

5 Nota quòd si exorcistæ tradatur in ordinatione liber, qui habeat tantùm Euangelia, vel Diacono liber qui habeat tantùm exorcismos, nil valet Ordo, sed debet tradi exorcistæ liber habens exorcismos, & Diacono liber habens Euangelia: si autem idem liber habet vtrumque, potest dari exorcistæ,& Diacono. Sic Tab.*ordo.2 q.5.* Sylu.*ordo,2.q.5.d 2.* Angel.*ordo 1.n.11.* & quòd possit tunc idem liber tradi, quia differt formaliter, docent etiam Palud.4.*dist.24.q.1.n.6.* D.Anton. 3.*p. tit. 14. cap.16. initio.*

## DVBIVM VI.

*An prima tonsura sit Ordo,& sic Sacramentum, characterémque imprimat,& gratiam conferat.*

1 NOta primò, quòd hæc omnia sunt connexa: si enim est Ordo, hæc omnia habet; & si non est Ordo, nil habet horum.

2 Secundò nota, quòd licèt certa fide constet Ordinem esse verè, & propriè sacramentum: qui tamen sint veri Ordines, ac per consequens verè, & propriè Sacramentum Ordinis, non constat apud Catholicos: inter quos tamen omnes conueniunt Ordinem presbyteratus, esse verè,& propriè Ordinem, & sic Sacramentum:cùm tamen omnes fateantur Ordinē esse sacramentum, characterémque & gratiam conferre;& sacerdotium sit omniū caput,& finis,quò omnes ordines referuntur: certum est illum esse propriè,& potissimum Sacramentum, in quo datur character,id est potestas consecrandi,& absoluendi à peccatis:& sic in hoc nullum est dubium.

3 Hinc fit sacerdotium institutum esse à Christo,à quo solo instituta sunt omnia Sacramenta, vt definit Trid. *sess.7. de sacram. in genere, can. 1.* fuit autem institutum quoad potestatem consecrandi in vltima cœna, quando Christus tradidit suum corpus, & sanguinem discipulis, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt definit Trident *sess.22.de sacrif. Missæ,cap.1.& can.2.* Quoad potestatem verò absoluendi *Ioan.20.* quando Christus per resurrectionem insufflauit in Discipulos, dicens, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. vt definit Trident. *sess.6. de iustific.cap.14. & sess. 14. de sacram.pœnit.cap.1.& can.3.*

4 De aliis verò Ordinibus non modica est difficultas, an sint Sacramentum, & ideò de singulis est seorsum disputandum.In præsenti ergo disputamus de prima tonsura,an sit verè,& propriè Ordo, & per consequens Sacramentum.

5 Quidam existimant primā tonsuram esse verè & propriè ordinem, & per consequens Sacramentum. Probatur ex *cap.cùm contingat,de etat. & qualit.* vbi appellatur Ordo, & sic tenent *ibi* communiter Canonistæ, & Ant. vt refert Sylvest.*infrà.* Idem Barb. *cap.quanto,de consuet.* Maior.4.*dist.24.q.1.*& idem docet *p.1 tit.6. proœmio*, & *ibi* Greg.Lop.*vers.corona.*

6 Cæterum ac certissimum tenendum est, quòd corona non est Ordo, nec Sacramentum; sed quædam ad sacros Ordines introductio, & dispositio, sicut Catechismus ad Baptismum, & veluti Nouitiatus ad professionem. Vnde est quasi media dispositio inter laicos, & Ecclesiæ ministros: potest tamen dici Ordo largè, sicut dicitur Religionum Ordo, quia est deputatio ad diuinum cultum sub aliqua regula, & ideò numeratur inter Ordines,*d.c.cùm contingat.* Probatur primò, quia *c. feriatim,dist.5.& cap.illud dist.77.& cap.à Subdiacono,dist 93.* non numeratur inter Ordines;imò in Trid.*sess.23. cap.2.* numerantur septem Ordines, & non numeratur inter eos prima tonsura,& sic si esset Ordo, essent octo. Secundò, quia Ordo propriè est, in quo datur spiritualis potestas ad aliquid: at in prima tonsura nulla datur potestas, & sic dum confertur,nulla fit mentio alicuius potestatis, sed tantum per illam deputatur homo ad chorum, & disponitur ad Ordines recipiendos. Sic tenent D.Th.4 *d.24.q.3.art.1 quæstiunc.2.* Richard.*ibi art.1.q.2.* Sotus *ibi q.2.art.1.ad 4.* Bellar *in controu.lib.1. de clericis, c.11.* Tab.*ordo 1.q.9.* Angel.*ordo,1.* Sylu *ordo,1.q.1* Rosel. *ordo 1.n.1.* Armil.*verbo ordo, num.3.* Auendaño *lege 29. Taur.glossa 3.n.10.* Duarenus *de sacris mysterijs lib.1. c.14.* Couar.*q.pract.c.31.n.6.& c.quia nos,de testam. n. 3. & 4. & lib.1. var.cap.10. n.10.* Durand. 4.*dist. 24. q.4.* glossa *Auth.de Monachis §.sancimus,vers.tortura.* Turrecr.*cap. cleros,dist.21.art 5.* Petrus de Soto *lect. 4. de Ordine.* Victoria *summa*, vbi de Ordine, *n.226.* Barthol. à Ledesma *de sacram Ordin.dub 5.* Palac.4.*dist.24.q.1.* Ledesm. 2.4. *q.42.art.2.* Altisiodor.4.*p.summæ tract.8.q.1.* D.Bonau.4. *dist.24.1.p.d.art.1.q.2.* Palud.4 *dist.24. q.3.n.6.* Viguer. *lib.Instit.cap.16.§.6.vers.3* D.Anton.3.*p.tit.14.c.16.§.6.* imò Barthol.à Ledesm. & Sotus vocant temerarium oppositum, & meritò id dicunt, hanc etiam tenet Nauarr. summa Lat. *cap. 22. n.18.* Manuel 3.*tomo, summæ cap.17. num.6.*

7 Vnde, vt dicit bene Sylvest. *Ordo 2.q.4. fin.* in prima tonsura tantùm datur passiua depositio ad Ordines: in abscissione capillorum, cùm dicitur, *Dominus pars* &c.quæ ceremonia sic fit, vt habetur in Pontificali. Episcopus cum forficibus incidit ordinando extremitates capillorum in quatuor locis,scilicet in fronte,occipitio,& ad vtramque aurem, deinde in medio capitis tres crines capillorum,siue cincinnos,& in bacile deponit, quolibet cùm tondetur,dicente, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Vnde hæc verba non sunt de essentia, sed sat est vt Episcopus faciat ceremoniam dictam, quæ sat est vt segregetur ordinatus à populo laico, & aggregetur clero.Sic Nauarr. *lib. 1. consil. tit.de temp. ordin. consil.12.* Manuel *suprà.*

## DVBIVM VII.

*An quatuor Ordines minores sint verè Ordines, & sic Sacramenta, characterémque imprimant.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit non esse Sacramenta, sed Sacramentalia quædam,& sic neque imprimere characterem, neque conferre gratiam. Probatur quia clerici minorum Ordinum nullam habent potestatem faciendi aliquid supernaturale, vel effectum aliquem, qui sit irritus, si fiat à non ordinatis: ergo non habent proprium characterem; quia character datur ad operandum simpliciter, non ad bene operandum. Sic videtur tenere Magister 4. *dist. 24.* censet enim esse institutos ab Ecclesia, & per consequens non esse Sacramenta, hæc enim à solo Christo institui possunt. Sic etiam tenent Durand. 4. *dist.24. quæst.2.* Caiet.*tom.1.opusculor.tract.11.* de modo tradendi Ordines. Sotus 4.*dist.24.quæst.1.art.4.& quæst.2.art.1 ad 4.* fatetur tamen vtrobique esse verè, & propriè Ordines Angles *florib.1 p.mater.de ordin.fol.505.* & hoc dicit probabilissimum Victoria *summa*, vbi de Ordine,*n. 226.* & dicit esse verisimilius *num. 233.* & hoc dicunt probabile auctores, quos *dubio sequenti* referam, dicentes esse probabile Subdiaconatum etiam non esse Sacramentum

Universidad de Deusto
Biblioteca



cramentum. Hanc etiam tenet Nauar. summa Latina *cap. 22. num.* 18.

2 Vnde aliqui horum Doctorum asseuerant cum Magistro 4. *dist.* 24. hos Ordines minores non à Christo sed ab Ecclesia institutos esse. Sic Caiet. *ibi.* Durand. *ibi q.* 5. Sotus *dict. art.* 4. Angles *ibi, fol.* 506.

3 Secunda sententia probabilior (licèt prima etiam sit valde probabilis) tenet hos quatuor Ordines minores, esse verè Sacramenta, characterémque imprimere, ac gratiam conferre. Probatur, quia id videtur sensisse Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi enim dixit Ordinem esse sextum Sacramentum, continuò ponit exempla de Ordine sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, & addit idem de aliis Ordinibus intelligendum, & Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. vbi hos numerat inter Ordines, & postea *cap.* 3. absolutè dicit Ordinem esse Sacramentum. Secundò, quia quilibet Ordo minor datur ad suum finem particularem, & in quolibet illorum datur aliqua potestas specialis in Ordine ad Eucharistiam, vt patet ex verbis formæ singulorum, & ex dicendis *infrà*, vbi de actibus propriis singulorum disseremus. Neque est verum esse de essentia Sacramenti, vt qui illud habet, aliquid supernaturale efficiat, sed satis est sit ceremonia dans gratiam; nec semper character datur ad operandum simpliciter, vt patet de charactere confirmationis, qui datur ad profitendum fidem, quam tamen interdum optimè profitentur non confirmati. Tertiò, quia clerici in minoribus degradantur. *c.* 1. *de pœnis, in* 6. & *ibi* Doctores communiter, Anton. *cap. at si clerici de iud.* Barbatius *cap. cùm non ab homine, eod. tit.* Bernard. Diaz *pract. crimin. cap.* 68. *num.* 3. *fine, &* 14. *num.* 3. & *ibi* Salzedo *littera B.* Couarr. *cap. quia nos, de testam. num.* 4. addunt tamen Salzedo, & Couar. *ibi*, hanc actualem degradationem non esse moribus receptam in his, qui minoribus Ordinibus sunt insigniti. Neque obstat *cap. clericus, el* 2. *de via & honest. cleric*, vbi dicitur clericos in minorib. esse sine gradu; quia intelligitur sine gradu sacro, vt *ibi* glossa, & Couarr. *d. num.* 4. Hanc tenent Clitouæus *in quodam compendio veritatem contra Lutherum*, Bellarm. *in controuers. tom.* 2. *lib.* 1. *de Ordine, cap.* 8. Ferrara 4. *contra gentes, cap.* 75. Syluest. *Ordo* 1. *quæst.* 1. *fine* Tabien. *Ordo* 1. *quæst.* 5. Angel. *Ordo* 1. *num.* 2. Rosella *Ordo* 1. *n.* 3. Maior 4. *dist.* 24. *q.* 1. Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 10. *num.* 10. Petrus de Soto *de sacram. Ordin. lect.* 4. Victoria *d. n.* 226. Richard. 4. *dist.* 24. *art.* 3. *quæst.* 3. *& art.* 4. *quæst.* 1. *&* 2. Abul. *cap.* 26. *Matth. quæst.* 74. Ledesm. 2. 4. *q.* 36. *art.* 3. D. Thom. 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. Barthol. à Ledesm. *de sacram. Ordin. dub.* 5. 8. 9. *&* 10. Palacios 4. *dist.* 24. *q.* 1. Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. Palud. *ibi, quæst.* 1. *num.* 2 3. *& quæst.* 2. *à num.* 7. *vsque ad* 15. Capreolus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *&* 4. Durand. Deza *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *notab.* 1. *&* 2. Altisiod. 4. *p. summæ, tract.* 8. *quæst.* 1. D. Bonau. 4. *dist.* 24. 2. *p. dict. art.* 1. *quæst.* 1. Viguer. *lib. institit. cap.* 16 §. 6. *vers. tertio.* D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. §. 2. 3. *&* 4. & communis Canonistarum, siquidem, (vt dixi *dub. præcedenti*) id tenet de prima tonsura. Idem Turrecrem. *cap. cleros, dist.* 21. *n.* 12. *&* 13. Nauarr. summa Hispan. *tit.* 22. *n.* 18.

4 Hinc fit hos quatuor minores Ordines non ab Ecclesia sed à Christo institutos esse cùm ab ipso solo Sacramenta instituta sint, vt docet Trident. *sess.* 7. *de Sacram. in genere, can.* 1. Sic Barthol. à Ledesma *suprà dub* 1. Capreolus *dict. art.* 3. *ad* 2. Durandi Viguer. *suprà vers. quarto.* Palacios *suprà*, Ledesma *d. quæst.* 36. *art.* 1. Waldensis *de Sacram. cap.* 116. & de antiquitate horum Ordinum consule Bellarm. *in controuers. lib.* 1. *de clericis, cap.* 12. vbi etiam agit de aliorum Ordinum antiquitate.

5 Nota aliquos dicere quòd Psalmistatus est Ordo, & est idem quod prima tonsura. Sic canonistæ (vt refert Syluest. *Ordo* 1. *quæst.* 2.) & quòd sit idem quod prima tonsura docent etiam Angel. *Ordo* 1. *n.* 1. *& part.* 1. *tit.* 6. *proœmio, & ibi* Gregor. Lopez *vers. corona, & lex* 11. *fine, tit.* 6. *part.* 1.

6 Sed dicendum est non esse Ordinem, sed officium Ordini annexum, scilicet lectoratus, non enim ad 1. rem, sed modum, scilicet canere. Sic Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *vers. secundùm immundorum.* Tabien. *Ordo* 1. *q.* 10. Rosella *Ordo* 1. *num.* 2. Syluest. *Ordo* 1. *quæst.* 1. *dub.* 2. D. Thom. 4 *dist.* 24. *quæst.* 2. *ad* 5. Richard. *dist.* 24. *artic.* 1. *q.* 2. *ad* 2. D. Bonauent. *dist.* 24. 2. *p. d. art.* 2. *q.* 2. Turrecrem. *cap. cleros, dist.* 21. *num.* 12.

## DVBIVM VIII.

*An subdiaconatus, & Diaconatus, sint Ordines verè, & propriè, & sic Sacramenta, characterémque imprimant.*

1 ALiqui censent non esse Ordines verè & propriè & Sacramenta, sed Sacramentalia quædam, vt sunt catechismus, & exorcismus respectu Baptismi. Probatur primò ratione posita *dub. præced.* pro prima sententia, quia actus horum Ordinum absque Ordine possunt exerceri. Secundò, quia multi veterum dicunt Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis institutos, vt patet ex D. Cyprian. *lib.* 3. *epist.* 9. Anacleto *epist.* 3. Damaso *epist.* 4. Tertiò, quia subdiaconatus olim non erat Ordo sacer, sed postea factus est à Pontificibus, vt patet ex *cap. à multis, de ætate, & qualit. & cap. miramur, de seruis non ordin. & c. nullus, dist.* 60. Sic videtur tenere Magist. 4. *dist.* 24. vbi dicit Subdiaconatum esse ab Ecclesia introductum, & sic tenent Durand. 4. *dist.* 24. *q.* 2. *& quæst.* 3. dicit esse institutos hos Ordines ab Ecclesia Caiet. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 11. *de modo tradendi Ordines*, & dicit Subdiaconatum esse institutum ab Ecclesia, Diaconatum verò ab Apostolis; & Victoria *summa*, ibi, *de Ordine, n.* 226. dicit esse probabilissimam sententiam Durandi, & *n.* 233. dicit esse verisimiliorem, quàm oppositam, & Ledesm. 2. 4. *q.* 36. *art.* 3. dicit esse probabilem, & Petrus de Soto *lect.* 4. *de Ordine*, dicit esse probabilem de Subdiaconatu, non verò de Diaconatu, & Sotus *vbi suprà*, dicit nó esse magna reprehensione dignum, qui hanc sententiam sequitur vnde minus bene Bartol. à Ledesm. *vbi infrà*, eam vocat temerariam. Beilarm, *vbi infrà*, solùm vocat oppositam probabiliorem.

2 Cæterùm tenendum est esse Ordines, & Sacramenta, characterémque imprimere. Probatur rationibus factis *dub. præced.* pro secunda sententia, à fortiori enim *hic* militant. Item probatur aliis rationibus, quas afferunt Bellar. & Sotus *vbi suprà*. Sic tenent omnes Doctores citati *in dub. præced.* pro secunda sententia, & Sotus 4. *dist.* 24. 1. *art.* 4. Bellarm. *tomo* 1. *controuer. lib.* 1. *de Ordine, c.* 6. & 7. Barth. à Ledesm. *de sacram. Ordin. dub.* 8. Angles *floribus* 1. *p. mat. de Ordine. fol.* 504. Nauarr. *in omnibus summis cap.* 22. *n.* 18. Vnde

3 Ad Primum argumentum iam responsum est *dub. præcedenti.*

Ad secundum verò dico illos tantùm velle Christum non ordinasse vllos Diaconos, sed ordinasse sacerdotes, & Episcopos: non tamen inde sequitur non instituisse hos Ordines.

Ad tertium dico, quòd olim Subdiaconatus non dicebatur Ordo sacer, non quia non erat Sacramentum: nam Ordines minores hodie non sunt sacri, & tamen sunt Sacramenta; sed quia olim non licebat Subdiaconis tangere sacra vasa, vt patet ex Concilio Laodiceno *cap.* 21. *& ex cap. nullus, dist.* 24. Sic respondet Bellarmin. *d. cap.* 7.

## DVBIVM IX.

*An Episcopatus sit verè & propriè Ordo, sicque Sacramentum, & characterem imprimat, gratiamque conferat.*

1 DVplex est sententia.

Prima affirmat esse propriè Ordinem, & Sacramentum, gratiámque, ac characterem producere. Probatur



batur primò, Episcopalis ordinatio est ceremonia imprimens characterem spiritualem, & conferens gratiam: ergo est verissimum Sacramentum. Probatur minor in primis, quòd conferat gratiam; nam ideò probant Theologi in ordinatione Presbyteri dari gratiam, quia debet Presbyter quædam Sacramenta ministrare, quæ sine gratia non dignè ministrantur: sed Episcopus debet etiam quædam Sacramenta ministrare, quæ sine gratia non dignè ministrantur, scilicet ordinem, & confirmationem: ergo. Insuper quia Doctores oppositæ sententiæ fatentur ad officium Diaconi, & Subdiaconi, & quatuor Ordinum minorum dari nouam gratiam, ergo à fortiori ad officium Episcopi, quod multo altius, & difficilius est. Quòd autem imprimat characterem probatur, quia Episcopalis ordinatio non potest repeti, & est indelebilis, & Episcopus ex sua ordinatione potest duo Sacramenta conferre, scilicet Ordinem, & confirmationem, quæ non possunt Sacerdotes inferiores ministrare; & si attentent facere, erit irritum Sacramentum: ergo imprimit characterem, nil enim aliud est character, quàm potestas spiritualis indelebilis ad aliquem actum. Quòd si dicas, vt dicit D. Thom. *vbi suprà*, & Sotus, & Thomistæ, non esse opus nouo charactere, sed extendi characterem sacerdotalem ad ministrandum hæc Sacramenta: aut volunt hi re ipsa extendi characterem illum, & tunc eadem efficacia requiritur ad characterem re ipsa extendendum, & ad imprimendum nouum, & sic ceremonia, quæ habet hunc effectum spiritualem, & supernaturalem, scilicet realem extensionem characteris, sine dubio Sacramentum erit: aut volunt extendi characterem solùm significatione, quòd scilicet in Episcopo signum sit plurium potestatem. Contrà, quia character est qualitas realis, & realis potestas, & sic realiter agit, & licèt velint non agere re ipsa, sed esse signum pacti Dei cum homine de concursu diuino in actionibus illis, at hoc signum est reale, & ideo, sicut vbi est spiritualis potestas, colligimus realem esse in anima characterem, ita vbi est additio nouæ potestatis, oportet colligere realem extensionem, & additionem characteris, aut nouum characterē. Hanc tenent glossa *in proœmio Sexti, verbo Episcopus.* Panor. *c. aqua de consecr. Eccles. & cap.* 1. *de ordin. Episc. qui Episc. renunc.* vbi & communis Canonistarum, teste Couar. *vbi infrà.* Idem *part.* 1. *tit.* 6. *proœmio & ibi* Gregor. Lopez, Angel. *ordo* 1. *num.* 1. Caiet. *tomo* 1. *opuscul. tract.* 11. *de modo tradendi Ordin.* Maior, & Almai. 4. *dist.* 24. *q.* 1. Durand. *ibi q.* 6. Palac. *ibi q.* 7. *num.* 16. Angles *florib.* 1 *part. mat. de Ordine, fol.* 108. Petrus de Soto *lect.* 4. *de ordine.* Palac 4. *dist.* 24 *quæst.* 2. *fol.* 505. Altisiod. 4. *part. summæ, tract.* 8. *quæst.* 1 Bellarm. dicens esse verissimam *tomo* 2. *controuer. lib.* 1. *de Sacram. ordin. cap.* 5. Nauarr, summa Latina *cap.* 22. *n.* 18.

2 Secunda sententia negat esse Ordinem propriè, & Sacramentum, gratiámque ac characterem dare. Primò, quia Sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiam, secundùm quod actu perficitur, aut scilicet ad præparandum aliquid ad ipsam pertinens, vt inferiores Ordines: vel ad ipsam conficiendum, vt sacerdotium; at Episcopatus, licèt ordinetur ad collationem Ordinum ad ipsam ordinatorum, non tamen ad ipsam Eucharistiam, vt actu perficitur. Secundò, quia si Episcopatus esset Ordo, esset octo Ordines, octóque sacramenta, cùm tamen Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. tantùm septem Ordines ponat. Tertiò, quia si Episcopatus esset Ordo, posset quis ordinari Episcopus, qui non esset Presbyter, at talis Episcopus, qui non esset Presbyter, posset consecrare Eucharistiam. Probatur primum, quia Ordo superior non exigit ex sacramenti necessitate ordinem inferiorem. Probatur secundum, quia Ordo inferior continetur in superiori, saltem in virtute: posset enim Presbyter fungi officio Diaconi, licèt Diaconus non esset. Quartò, quia si Episcopatus esset Ordo, & sacerdotium perfectum, & consummatum, vt dicunt si oppositi, iam aliquis esset Ordo superior, & excellentior sacerdotio, quod omnes negant: cùm enim Ordines sumantur ab habitudine quam habent ad Eucharistiam, & summa circa Eucharistiam sit potestas ipsam conficiendi, primus Ordo est sacerdotalis, nec supra hunc potest alius fingi maior. Fatetur tamen hæc sententia Episcopatum esse Ordinem impropriè secundùm quòd Ordo est officium, quarumdam respectu actionum sacrarum. Sic tenet Syluest. *Ordo* 1. *q.* 1. *dub.* 3. Ferrara 4. *contra gentes, c.* 76. Tabien. *verbo Episcopus, quæst.* 8. Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 20. *num.* 15. Panorm. *cap. ex literis, de excess. Prælat.* Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 1. *art.* 2. *& 4. dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 3. Bartol. à Ledesm. *de sacram. Ordin. dub.* 5. 8. 9. 10. *& in dub.* 5. vocat oppositam sententiam temerariam Ekius *quadam homilia de Ordinibus.* D. Thom. 4. *dist.* 24. *quæst.* 3 *art.* 2. *quæstiunc.* 2. Ledesma 2. 4. *quæst.* 42. *art.* 5. Richard. 4. *dist.* 24. *art.* 3. *quæst.* 3. *ad* 1 *& art.* 5. *quæst.* 2 Abulens. *c.* 16. *Matth. quæst.* 74. *& cap.* 29. *Exod. q.* 18. Capreol. 4 *dist.* 25 *quæst.* 1. *art.* 1. Deza 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. D Bonauent. 4. *dist.* 24. 2. *part. art.* 2. *quæst.* 3. Viguer. *lib. Institut. cap.* 16. §. 6. *vers. tertio.* D. Anton. 3. *p. tit.* 14 *c.* 16. §. 8. Turrecrem. *cap. cleros, dist.* 21. *num.* 16. *&* 17. Rosella *Ordo* 1. *num.* 4. Supplementum, vt refert Sylueſt.

3 Sit conclusio: licèt hæc sententia sit probabilis, at prima est probabilior, & tenenda.

4 Vnde ad primum argumentum huius secundæ sententiæ respondetur primò etiam Episcopatum ordinari ad Eucharistiam dum actu perficitur, ordinatur enim ad consecrandum vasa sacra, sine quibus Eucharistia non potest perfici. Secundò sat esse, quòd ordinetur ad ordinandos sacerdotes, & alios ministros necessarios ad Eucharistiæ celebrationem, imò multo magis ordinatur ad Eucharistiam, quàm reliqui ordines, sacerdotio dempto; quia sine illorum Ordinum ministerio posset Eucharistia conficiꝰnon verò sine ministerio Episcopi, cùm ipse sacerdotes ordinet.

5 Ad secundum respondet Bellarm. *dict. cap.* 5. concedendo esse diuersum Ordinem à sacerdotio, diuersúmque characterem imprimere; esse tamen vnum Ordinem non specie, sed genere cum sacerdotio: & sic comprehenditur sub sacerdotio, quando dicuntur esse septem Ordines: sed melius est dicere cum Durando, Angles, & Palud. *suprà*, quòd sicut consecratio panis, & vini constituunt vnum sacramentum tanquam partes eius integrales heterogeneæ; sic consecratio simplicis, & summi sacerdotis est vnum sacramentum tanquam perfectum, & imperfectum: Episcopus enim nil aliud est quā summus, seu primus sacerdos, & sic non sunt octo Ordines; quia Ordo sacerdotalis, & Episcopalis, est vnus specie differens, quia hic est Ordo sacerdotalis cōpletus, & consúmatus, ille verò imperfectus. Vnde optimè D. Thom. *suprà*, & Sotus *vbi suprà*, & reliqui Thomistæ aiunt, quòd licèt Diaconatus, quia per se potest esse Diaconus, antequam sit Presbyter & similiter potest esse Presbyter, quin sit Diaconus, & vnus Ordo non est idem cum altero, & consummatio alterius characterem per se imprimat, at Episcopatus, quia est vnus Ordo cum sacerdotio, illiúsque consummatio, & perfectio, illúdque necessario præsupponit, non imprimit characterem nouum, sed ipse character sacerdotalis, dum sacerdos in Episcopum consecratur, extenditur ad aliqua munera exequenda, quæ antea nequiuerat, vt in sacerdote idem character ad consecrandum extenditur, postea ad absoluendum: hæc autem extensio est realis per additionem nouæ partis numero distinctæ characteris, quæ vtraque pars constituit perfectum & integrum characterem perfecti sacerdotij.

6 Ad tertium respondet Bellar. *suprà*, negando illa sequi, nec est verum vnum Ordinē non pendere ab alio, nisi in his, quorū vnus non est de essentia alterius, vt in Diaconatu & sacerdotio: at Episcopatus includit in sua essentia sacerdotium, cùm nil aliud sit quàm sacerdotium consummatum, & perfectum. Similiter non sequitur posse Episcopum, qui non sit Presbyter, consecrare Eucharistiam

Universidad de Deusto
Biblioteca



chariſtiam, quia Epiſcopatus ſine presbyteratu, non eſt Ordo ſuperior, imò nihil eſt, ſed purum figmentum.

7 Ad quartum reſpondet idem Bellarm. Ordinem Epiſcopalem, & characterem Epiſcopi integrum, & perfectum eſſe maiorem presbyterali, quià illum includit, & addit alium: & hoc modo comparamus Epiſcopos cum Presbyteris cùm dicimus alios ſuperiores, alios inferiores: ſi tamen comparemus Ordinem, & characterem, quem addit Epiſcopus ex vltima ſua conſecratione cum Ordine, & charactere, quem habet ex ordine presbyterali; tunc Ordo & character ſacerdotalis eſt maior & dignior intenſiuè, quia ſumma poteſtas eſt poſſe conſecrare Eucharistiam: at Epiſcopalis eſt maior extenſiuè, quia ad plura ſe extendit.

## DVBIVM X.

*An Cardinalatus ſit Ordo, & in quo ab Epiſcopatu differat.*

1 TVrrecrem. *lib.* 1. *de Eccleſia, cap.* 80. *num.* 1. cenſet Cardinalatum eſſe immediatè à Chriſto inſtitutum. Sit tamen

2 Prima concluſio. Cardinalatus non eſt Ordo, nec ſacramentum. Concluſio eſt certa, quia nullo modo ordinatur ad Eucharistiam, nec confert gratiam, ſed eſt nomen officij. Sic Ledeſm. 2. 4. *q.* 42. *art.* 6. *fol.* 431. Sotus 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *verſ. at verò.* Palacios 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *fol.* 510.

3 Secunda concluſio. Cardinalatus non eſt iure diuino inſtitutus, ſed iure Pontificio. Patet, quia non habetur locus in ſacris literis, vbi ſit inſtitutus, nec habetur traditio de hoc. Sic Ledeſma, Sotus, Palacios *ibi.*

4 Hinc fit poſſe Papam extinguere Cardinales; ſicut etiam poteſt extinguere Patriarchas, & Archiepiſcopos: quia poteſt in iure humano diſpenſare. Sic Palacios *ibi.*

5 Tertia concluſio. Tria ſunt Cardinalium officia. Primum eſt commune cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis. Omnes enim Cardinales aut Epiſcopale, aut presbyterale, aut diaconale officium habent. Secundum eſt ſummum Pontificem eligere, vt patet ex decreto Nicolai II. in VI. Synodo. & habetur *c. in nomine Domini, diſt.* 23. Tertium eſt eidem Pontifici perpetuò aſſiſtere, cùmque in regenda vniuerſa Eccleſia perpetuò adiuuare conſilio, & induſtria. Sic Bellarm. *in controuerſ. lib.* 1. *de clericis, cap.* 16. vbi latè de horum nomine, & antiquitate.

6 Quarta concluſio. Si conſideremus poteſtatem Ordinis, maior eſt Epiſcopus Cardinali, Presbytero, vel Diacono. Patet, quia hic non poteſt conferre Ordines, nec confirmare, nec vaſa ſacra conſecrare; quæ omnia poteſt ille: & ideo Papa ſe vocat Epiſcopum, non verò Cardinalem; & Epiſcopum vocat venerabilem fratrem, Diaconos verò, & Presbyteros Cardinales, dilectos filios, vt laicos; ſic Bellarm. *ibi.*

7 Quinta concluſio. Si conſideremus poteſtatem iuriſdictionis in propriam Eccleſiam, id eſt, Epiſcopi in ſuam diœceſim, & Cardinalis in ſuum titulum, vel diaconiam, maior eſt iuriſdictio Epiſcopi. Ratio, nam maior eſt ordinariè diœceſis Epiſcopi, quàm titulus Cardinalis; ac præterea Epiſcopus in ſuam diœceſim habet ampliſſimam iuriſdictionem ferendi leges, diſpenſandi, indulgendi, puniendi tamquam ordinarius paſtor, at Cardinalis non Epiſcopus cùm in ſuo titulo ſit velut parochus Epiſcopo ſubiectus, nil poteſt niſi quantum Epiſcopus ei permiſerit. Sic Bellarm. *dict. cap.* 16.

8 Vltima concluſio. Si conſideremus regimen Eccleſiæ vniuerſalis, maior eſt Cardinalis non Epiſcopus, Epiſcopo non Cardinali. Ratio, nam Epiſcopi non Cardinales rariſſimè ad Eccleſiæ vniuerſalis regimen confluùt, ſcilicet cùm vocantur ad generale Concilium: at Cardinales ferè quotidie præſtò ſunt Pontifici, nec vllum negotium maioris momenti ſine eorum conſilio agitur, & ob id præcedunt Epiſcopos. Sic Bellarm. *d. cap.* 16. Turrecrem. *lib. de Eccleſia, cap.* 83. *ad* 7.

## DVBIVM XI.

*Quid diſtet inter Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes inter ſe, & inter Epiſcopos, & Archiepiſcopos, Patriarchas, Primates, & Papam.*

1 CIrca Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes conuenit inter Catholicos eſſe in Eccleſia diſcrimen, Epiſcopóſque ſuperiores eſſe Presbyteris, eſt enim de fide, definiturque à Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. & *can.* 6. & 7.

2 Difficultas tamen eſt, an hæc differentia ſit de iure diuino, vel de ſolo iure humano.

3 Quidam enim Catholici defendunt, Epiſcopum non habere ex iure diuino aliquam poteſtatem Ordinis ſuprà ſimplices Sacerdotes, ſed ex iure Pontificio eſſe hanc differentiam. Et probant ex D. Hieron. *ad Titum* 1. & refertur *cap. olim, diſt.* 95. vbi apertè eſt huius ſententiæ, vt fatetur Sotus *vbi infrà*, licèt D. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 6. *ad* 1. Bellarm. *vbi infrà*, id conetur explicare. Hanc ſententiam vt probabilem defendit Palud. 5. *diſt.* 24. *q.* 6. *n.* 20. licèt *num.* 16. vocet oppoſitam probabiliorem. Hanc etiam dicunt probabilem Sotus 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 2. & Durand. 4 *diſt.* 24 *d.* 5. licèt hic oppoſitam veriorem eſſe dicat, & hanc etiam tenent Armachanus *lib.* 11. *de quæſtionibus Armenorum, cap.* 5. & 7. Viguer *lib. inſtitut. c.* 16. §. 6. *verſ.* 5. Sit tamen

4 Prima concluſio. Epiſcopus iure diuino tum Ordinis poteſtate; tum etiam iuriſdictionis excedit ſimplices Sacerdotes. Probatur primò de poteſtate Ordinis, quia Epiſcopi poſſunt miniſtrare confirmationis, & Ordinis Sacramentum, quæ non poſſunt Sacerdotes inferiores, & ſi attentarent facere, eſſet irritum Sacramentum, vt definitur in Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4 & *can.* 7. Ergo hæc differentia deſcendit ex iure diuino; quia Eccleſia non poteſt ſic Sacramentorum eſſentias variare, & potio Eucharistiæ facta à Sacerdote quantumcunque prohibito conſecrare non teneat. Si ergo de iure diuino poſſent Sacerdotes omnia facere, quæ Epiſcopi, non poſſet Eccleſia facere, vt hæc Sacramenta miniſtrata à ſimplici Sacerdote non tenerent, nam hæc pertinent ad Ordinis poteſtatem, ſicut conſecrare. Quoad poteſtatem iuriſdictionis probatur: ſi quilibet parochus tam plenam haberet iuriſdictionem in ſua parochia, quàm Epiſcopi, iniuria irrogaretur illi ab Eccleſia, eò quòd non poteſt excommunicare, concedere indulgentias, punire, diſpenſare, ferre leges, quæ omnia poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. Sic tenent latius probantes Sotus 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de clericis. cap.* 14. dicens Eccleſiam Catholicam docere hanc diſtinctionem. Turrecrem. *cap. legimus, diſt.* 93. Caſtro *lib. de hæreſibus, verbo Epiſcopus.* Ledeſm. 24. *quæſt.* 42. *art.* 4. & dicit oppoſitam ſententiam eſſe hæreticam, Palacios 4 *diſt.* 24 *q.* 2. *fol.* 509. dicens pariter oppoſitum eſſe hæreticum. Et quidem quoad poteſtatem Ordinis non eſt dubium, quin ſit de fide Epiſcopos excedere ſimplices Sacerdotes, vt expreſsè probatur ex *dict. Concil. Trident. decreto.* Quoad poteſtatem verò iuriſdictionis, quòd Epiſcopi excedant, non ideo ita expreſsè determinatum, vt dicam eſſe de fide: verùm vt omnino certiſſimum tenendum eſt.

5 Secunda concluſio. Papa, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Primas, non differunt quoad poteſtatem Ordinis. Concluſio eſt certa: omnia enim Sacramenta, quæ poteſt Papa miniſtrare, poteſt quicunque Epiſcopus, templa etiam, altaria, veſtes, vaſa, Virgines, poteſt quilibet Epiſcopus, ſicut & Papa conſecrare, atque adeò conſecrare, Epiſcopos, & ipſum Papam. Quare ſi electus in Papam Epiſcopus erat, non denuò conſecratur in Papam; quia Papa non eſt niſi ſummus Epiſcopus. Sic Sotus 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 4. Ledeſm. 2. 4 *q.* 42. *art.* 6. *fol.* 431. D. Thom. 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3.

6 Tertia concluſio. Hi differunt inter ſe poteſtate iuriſdictionis, quia ſcilicet Papa habet iuriſdictionem in toto



toto orbe, & eam immediatè à Chriſto; Epiſcopi verò, & cæteri in ſuis diœceſibus, & immediatè à Papa, mediatè verò à Chriſto: Archiepiſcopus verò, qui & Metropolitanus dicitur (idem enim ſunt) differt ab Epiſcopo; quia Epiſcopus vni diœceſi præeſt; Archiepiſcopus verò pluribus præeſt diœceſibus, habétque ſub ſe Epiſcopos ſuffraganeos. Patriarcha verò ſeu, primus, quod idem eſt (vt habetur *diſt.* 99. *cap.* 1. & docet gloſſa *cap. vrbes, diſt.* 80. & Sotus *ſuprà*) præeſt Archiepiſcopis, & ab his appellatur ad Patriarchas; Patriarchæ verò ſunt primi dignitate poſt ipſum Romanum Pontificem. Sic habetur *d. c. vrbes, & c.* 1. *diſt.* 99. & tenet Sotus *vbi ſuprà.*

7 Hinc fit omnino aberraſſe Altiſiod. 4 *p. ſumm tract.* 8. *quæſt.* 1. vbi dicit Archiepiſcopum diſtingui poteſtate Ordinis ab Epiſcopo, quia habet ex officio Epiſcopos conſecrare.

## DVBIVM XII.

*Quæ ſit materia, & quæ forma ſingulorum Ordinum, & in quo actu imprimatur character illius Ordinis.*

1 NOta quòd materia ſingulorum Ordinum eſt illa, per cuius traditionem confertur Ordo ſeu character Ordinis, vt definit Concilium Florentinum in decreto Eugenij *de ſacram.* forma autem verba poſita in Pontificali exprimentia traditionem poteſtatis in Ordine illo collatam, vt *ibid.* definitur. Reſtat ergo vt videamus, quæ ſit materia cuiuſlibet Ordinis, videlicet in quo actu conferatur character illius Ordinis.

2 Et incipiendo, in hoc conueniunt omnes, quòd aliquorum Ordinum vnus eſt actus; aliquorum verò plures, & vnus alio principalior. In Ordinibus, quorum eſt tantùm vnus actus, character imprimitur in ratione inſtrumenti pertinentis ad illum actum. In Ordinibus verò, quorum ſunt plures actus, character imprimitur in traditione inſtrumenti pertinentis ad principaliorem actum: ille autem actus eſt principalior, qui immediatiùs ordinatur ad Eucharistiam. Ita tenent omnes Doctores citandi.

3 Hinc fit Oſtiario imprimi characterem in traditione clauium Eccleſiæ; lectori in traditione libri prophetiarum: exorciſtæ in traditione libri exorciſmorum, cum forma verborum ſingulis correſpondente. Sic omnes Doctores citandi, & ita habetur in Pontificali Rom.

4 Et vt ſimul ponamus formas ſingulorum Ordinum, quæ habétur in Pontificali Romano, forma gradus Oſtiarij eſt hæc: *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur*; & mox quilibet tangit claues. Poſt hæc Archidiaconus ducit eos ad portam Eccleſiæ, & facit illos claudere & aperire, tradit etiam funem campanarum, faciens eos campanas pulſare.

5 Forma lectorum eſt: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter, vtiliter impleueritis officium veſtrum, partem cum his, qui verbum Dei bene miniſtrauerunt ab initio.*

6 Forma exorciſtarum eſt: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.*

7 De Acolyto verò (cùm habeat duos actus, ſcilicèt portare cereum ante ſacerdotem celebraturum, & miniſtrare poſtmodum in Miſſa Subdiacono dando illi vrceolos cum vino & aqua) dubium eſt in quo horum actuum imprimatur character, quidam enim dicunt imprimi characterem in traditione candelabri cum candela extincta, & ſic formam eſſe quam tunc dicit Epiſcopus, vt habetur in Pontificali, quæ eſt hæc: *Accipite ceroferarium cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipatos in nomine Domini.* Et poteſt probari; quia Acolytus idem eſt Græcè, quod Latinè ceroferarius: ergo ſignum eſt hoc eſſe eius principale munus, & ſic in hoc imprimi characterem. Sic tenet Pontificale Romanum, vbi ponit formam huius Ordinis. Idem Richard. 4. *diſt.* 24. *art.* 4. *quæſtione* 3. Angel. *Ordo* 1. *num.* 4.

8 Sed communis, & verior ſententia eſt imprimi in traditione vrceoli vacui. Ratio, quia hic actus immediatiùs ordinatur ad Eucharistiæ celebrationem, & ſic eſt principalior; licèt denominetur ab alio actu, quia eſt magis patens & frequentior. Sic tenent Durand. 4. *diſt.* 24. *q.* 3. Sotus 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 3. Barthol. à Ledeſm. *de ſacram. Ordin. dub.* 10. D. Thom. 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 6. Ledeſm. 2. 4. *q.* 39. *art.* 5. Palacios 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *fol.* 499. Palud. 4. *diſt.* 24. 2. *num.* 15. D. Anton 3. *p. tit.* 14. *c.* 16. §. 4. Armil. *verbo Ordo. num.* 5. Sylueſt. *Ordo* 2. *q.* 4. Roſella *Ordo* 3. *n.* 3. Tabien. *Ordo* 2. *q.* 10. Henriquez *lib.* 10. *de Ordine, cap* 9. *n.* 1.

9 Vnde (vt benè Sotus *ſuprà*) forma eſt, quam dicit Epiſcopus, cùm dat vrceolum, quæ eſt hæc, vt habetur in Pontificali: *Accipe vrceolum ad ſuggerendum vinum, & & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini.*

10 De Subdiaconatu Petrus de Soto *lect* 5. *de Ordine*, licèt dubius, magis inclinat, quòd imprimatur character in impoſitione manus. At Viguer. *lib. inſtit. cap.* 16. §. 6. *verſ. primo*, videtur tenere, imprimi in traditione libri epiſtolarum, quia dicit librum epiſtolarum eſſe materiam; & *verſ. ſecundo*, diait eſſe formam: *Accipe poteſtatem legendi epiſtolas, &c.*

11 Sed dicendum eſt, quòd cùm Subdiaconatus habeat duos actus, ſcilicet legere epiſtolas, & ſubminiſtrare Diacono, offert enim ei nomine populi materiam conſecrandam, quam Diaconus de manu eius accipiens porrigit ſacerdoti, ob idque in ordinatione traditur Subdiacono calix vacuus, cum patena vacua ſuperpoſita, & hic ſecundus actus ſit principalior, quia propinquior Euchariſtiæ, in hoc ſecundo actu, ſcilicet, cùm traditur Subdiacono calix vacuus cum patena vacua ſuperpoſita, imprimitur character huius Ordinis. Sic habetur in Pontificali Romano, & eſt expreſſa determinatio Concilij Florent. *vbi ſuprà*; & docent Durand. Sotus, Palacios, Richardus, Palud. D. Ant. Armil. Sylu. Roſella *ſuprà*. Ang. *n.* 7. & 8. Tabien. *q.* 9. Victoria. *de ſacram. Ordin. n.* 229. Barthol. à Ledeſm. *d. dub.* 10. & 5. Angles *floribus* 1. *p. de Ordine. fol.* 506.

12 Maior autem difficultas eſt, quæ ſit forma Subdiaconatus: nam ea priùs hic poſita, ſcilicet, quam dicit Epiſcopus, cùm tradit Subdiaconis librum epiſtolarum, quæ eſt hæc, vt habetur in Pontificali: *Accipite librum epiſtolarum, habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*; non poteſt eſſe forma, cùm illo actu non conſiſtat ſacramentum: imò ſacramentum iam eſt conſummatum, & impreſſus character in acceptione calicis vacui cum patena, quæ procedit: quando autem Epiſcopus tradit calicem vacuum Subdiaconis, non videtur dicere verba, quæ importent formam, ſed commination em quandam: ob idque Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 11. de modo tradendi Ordines, dicit in Subdiaconatu in nullo Pontificali exprimi illius formam, & inde ſubinfert, non eſſe Sacramentum, quod *ſuprà* non reprobauimus.

13 Sed dicendum eſt eſſe formam illa verba, quæ ponuntur in Pontificali, quæ dicit Epiſcopus Subdiaconis poſt tactum calicis vacui, &c. quæ ſunt hæc: *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis quòd Deo placere poſſitis.* Perinde enim eſt ac dicere: Trado vobis poteſtatem miniſtrandi in tali miniſterio. Sic præcedenti longo ſtudio tenuerunt docti recentiores, & videtur tenere Palacios 4 *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *fol.* 490. vbi hæc dicit: Subdiacono confertur Ordo per calicis traditionem, quam exprimit Epiſcopus ſub certa verborum forma.

14 De Diaconatu Durand. *ſuprà* dicit imprimi characterem in impoſitione manuum ſuper Diaconum, dicente Epiſcopo hæc verba, quæ habentur in Pontificali.

*Accipe*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Accipe Spiritum sanctum ad robur ad resistendum diabolo, & tentationibus eius, in nomine Domini*, & probat, quia non est vsus vniuersalis Ecclesiæ tradere librum Diacono: imò ait in Ecclesia Anicien si, cuius ipse fuit Pontifex, non fuisse in more tradere Diacono librum. In eandem sententiam inclinat, licèt dubius, Petrus Sotus *suprà*.

15 Sed dicendum est characterem imprimi in traditione libri Euangeliorum, licèt hic sit actus secundarius, & minus principalis Diaconi: nam actus principalis Diaconi, qui est porrigere calicem, & patenam cum hostia, & vino Sacerdoti, non potuit traditione alicuius materiæ explicari, quia cùm Presbytero calix cum vino, & patena cum hostia tradatur, Subdiacono verò eadem vasa vacua, modus non restabat medius, quo posset tradi Diacono; quam ob causam propter Euangeliorum dignitatem per eorum libri traditionem suscipitur Diaconatus: sic definitur in Concilio Florent. *suprà*, sic etiam tenent Sotus, Angles, Sylvest. D. Anton. *suprà*, Palud. *suprà num.* 18. Angel. *suprà num.* 7. & 8. Tabien. *suprà quæst.* 8. Richard. *suprà*. Barthol. à Ledesm. & Palacios *vtroque loco citato*. Victoria *suprà*. D. Thom. *suprà in solut. ad* 5.

16 Vnde forma erit, quam profert Episcopus dum tradit librum Euangeliorum, quæ est hæc, vt habetur in Pontificali, *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

17 De sacerdotio concordant omnes Doctores citati imprimi characterem saltem quoad potestatem consecrandi per traditionem calicis cum vino & aqua, cum patena superposita cum hostia, dicente Episcopo verba formæ, quæ sic habentur in Pontificali: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missásque celebrare, tam pro viuis, quam pro defunctis, in nomine Domini*, aliàs esset falsa, forma, & sic expressè definitur in Concilio Florentino *suprà*, & habetur in Pontificali: at si tantùm esset altera species, vt vinum, vel hostia valeret, vt bene probat Henriq. *lib.* 10. *de Ordine, cap* 6. *num.* 1.

18 At magnum dubium est, an tunc etiam conferatur potestas absoluendi à peccatis, vel hæc conferatur quando postea Episcopus imponens manus super Sacerdotem, dicit illi, vt habetur in Pontificali, hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

12 Duplex est sententia.

Prima ait, vtramque potestatem dari quando tangit ordinandus materiam, & Episcopus dicit: *Accipe potestatem offerre* Vnde cùm postea Episcopus dicit, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. nulla traditur noua potestas, sed explicatur illa, quæ priùs collata fuerat; quia simul non poterat vtraque potestas decenter explicari. Quare impositio manuum, & illa verba, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. non sunt de essentia, sed tantum de præcepto, & sic si omittantur, sunt repetenda. Sic tenent Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 5. Barth. à Ledesm. *de sacram. ordin. dub.* 4. Angel. *ordo* 1. *n.* 6. & 7. Sylvest. *ordo* 2. *q.* 4. *dicto* 4. & probatur, quia aliàs si moreretur Episcopus ante impositionem manuum, & non esset alius, qui suppleret, non posset ille absoluere, quod videtur falsum, quia potestas Ordinis ad absoluendum annexa est characteri sacerdotali: & è contra, si prius Episcopus imponeret manus, & diceret illam formam, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. quàm priorem, posset ille absoluere, non tamen consecrare, quod est absurdum.

20 Secunda sententia probabilior est, quòd per priorem formam datur potestas consecrandi, per posteriorem verò potestas absoluendi, & sic sunt duæ formæ partiales, & duæ etiam materiæ partiales, prioris enim formæ materia est traditio calicis, &c. posterioris verò manus impositio. Probatur, quia verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, posterioris formæ, &c. significant tunc dari potestatem: ergo ne sint falsa, tunc debet dari. Secundò, omnium consensu Christus diuisit has duas potestates, vnam dedit in cœna, dicens, *hoc facite in meam commemorationem*; alteram post resurrectionem, dicens, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Cur ergo non possit, imò & non debeat Ecclesia diuidere, & dare vnam post aliam? Nec obstant adducta in contrarium, concedo enim illum non posse absoluere, quia non habet characterem sacerdotalem omnino perfectum, sed tantùm quoad potestatem consecrandi: character autem sacerdotalis integer & omnino perfectus, vtramque potestatem includit; secus quando non est integer, & perfectus. Quòd autem secundò infertur, quòd si priùs imponeret Episcopus manus, &c. posset ille absoluere: nego sequi, quia potestas absoluendi essentialiter supponit potestatem consecrandi, prius enim est potestas in corpus Christi verum, quàm in mysticum, quod est Ecclesia. Hanc tenet Bellarmin. dicens oppositam non esse probabilem, *in controuers. lib.* 1. *de sacram. ordinis, c.* 9. §. *tertio nota*. Armil. *verbo ordo, n.* 5. Tabien. *ordo* 2. *q* 7. Panorm. *cap. fin. de sacram. non iteran. n.* 2. Rosel. *ordo* 2. *n.* 3. Palud. 4. *dist.* 24. *quæst.* 6. *n.* 16. Capreol. 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 2. & 1. Scoti Deza *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 1. & 2. Scoti Aragon. 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *fol.* 61. *pag.* 1. & *sequent.* Scotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. Eandem tenet Petrus Sotus *lect.* 2. *de ordin.* Henriq. *suprà n.* 2. & multi recentiores docti.

21 Nota, quòd non datur postea nouus character, sed idem extenditur ad alium effectum, sicut *suprà* diximus. characterem sacerdotalem extendi, quando Sacerdos consecratur Episcopus. Sic Capreol. & Deza *ibidem.*

22 De Episcopatu aliqui dicunt characterem imprimi in vnctione capitis ex chrismate. Sed hoc non est verum, vt patet ex *cap. vnico, de sacra vnctione*, vbi habetur, quòd si hoc omittatur, non iteretur, sed suppleatur. Vnde dicendum est characterem imprimi, quando consecrator, & assistentes Episcopi manus imponunt super caput consecrandi in Episcopum, dicúntque, vt habetur in Pontificali, *Accipe Spiritum sanctum*, & sic colligitur ex *cap. Episcopus, dist.* 23. Sic Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 4. *fine*. Angel. *Ordo. num.* 7. *fin.* Tabiena *Ordo* 2. *quæst.* 13. Armil. *verbo Ordo, num.* 11.

23 Nota ex glossa *dict. cap. Episcopus*, quòd licèt iuxta illud *cap. Episcopus*, sit etiam ponendus liber consecrationis super caput Episcopi, at hoc non est de substantia consecrationis; sed de hoc latiùs *infra*, vbi de essentia huius consecrationis.

## DVBIVM XIII.

*An si in celebratione Ordinum aliquid omittatur, sit supplendum.*

1 SIt prima conclusio. Si id, quod omittitur, sit de substantia Ordinis, vel sit dubium an sit de substantia, totum sacramentum est iterandum, vt si omittatur pars formæ, &c. Ratio, quia Sacramentum est nullum, vel quando dubitatur, est dubium, an sit nullum. Et non dicitur iterari, quod dubitatur, aut scitur non esse factum, *ex solemnitates, de consecrat. dist.* 1. Sic Armil. *verb. Ordo num.* 8. Tabien. *Ordo* 2. *quæst.* 4. Angel. *Ordo* 1. *n.* 15. D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. §. 5. Sylvest. *Ordo* 2. *q.* 10. Rosel. *Ordo* 2. *n.* 7.

2 Hoc tamen est intelligendum, quando sacramentum non habet duas ceremonias distinctas, & essentiales, quarum vna non pendet ab altera, vt in sacerdotio manus impositio à traditione calicis, & patenæ; tunc enim licèt vtraque ceremonia essentialis sit, si omittatur manus impositio, non est altera iteranda, sed hæc supplenda, vt dixi *suprà dub.* 3.

3 Secunda conclusio. Si id, quòd omissum est, sit certum non esse de essentia, tunc non est iterandum sacramentum, sed suppleri debet, quod omissum est. Sic iidem, & Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *vers. hinc sit.* & patet ex *c. presb. de sacram. non iteran.* & *ibi* docent Innoc. & Pan.

4 Nota



4 Nota tamen non debere ministrare in ordine illo susceptro antequam suppleatur id, quod omissum est. Sic Armil *verbo irregularitas, n.* 67. Sylu. *verb. irregularitas, q.* 12. Angel. *verb. irregularitas, n.* 39. Tab. *irregularitas* 4. §. 3. Sotus *supra*. Imò Sotus, Sylu. Angel. *ibi* dicunt peccare mortaliter ministrando in ordine susceptro antequam solemnitas omissa suppleatur. Quod benè limitat Sotus, quando res omissa est præcipua, vt manus impositio, vnctio: secus si sit quid minimum, vt si canone cum Episcopo non legit sacerdos; tunc enim ait Sotus, peccat, sed non oportet supplere; concordant Panor. *d. c. presbyter, n.* 2. & Tabien. *Ordo* 2. *q.* 5. vbi dicunt non oportere supplere orationes, quæ non sunt de essentia, nec solemnitate.

5 Aduerte tamen, quòd hic ministrans in ordine antequam cæremonia omissa suppleatur, licèt peccet, non tamen est irregularis; quia tantùm est irregularis ministrans in Ordine, quem non habet: hic autem verè habet Ordinem. Sic Sylu. Tabien. Angel. Armil. *verbo irregularitas, locis citatis*, & Sotus *suprà*.

6 Secundo nota debere suppleri ab eodem, qui ordinauit, si est possibile, cùm pertineat ad eiusdem sacramenti, quod ministrauit, perfectionem: si verò id fieri non potest, debet suppleri ab alio. Sic Armil. *verb. Ordo, num.* 8. & 10. Tabien *Ordo* 2. *quæst.* 5. Angel. *Ordo* 1. *n.* 14. D. Anton. *suprà*. Sylu. *Ordo* 2. *quæst.* 10. Rosella *Ordo* 2. *n.* 8. Henriquez *lib.* 10. *de Ordine, cap.* 10. *n.* 2. Innocent. *d. cap. presbyter, num.* 3.

7 Tertiò nota, quòd talis suppletio non potest fieri quouis tempore; sed tantùm illo tempore, quo Ordines possunt celebrari, vt expressè definitur *d. cap. presbyter*, & docet *ibi* glossa, & Panorm. & Innocent. *num.* 1. Armilla *num.* 10. D. Anton. *suprà*. Tabien. *Ordo* 2. *quæst.* 5. Angel. *Ordo* 1. *num.* 14. Henriquez *ibi.*

8 Nota quartò, quòd si suppleretur aliquis actus, debent iterari orationes illi actui annexæ. Sylvest. *Ordo* 1. *quæst.* 10. Innocent. *suprà n.* 2. Vnde si facta est iniunctio, & non dicta oratio, vel è contra, est vtrumque reperendum; quia non sunt actus diuisi, cùm in oratione fiat mentio de vtroque, sed se habent sicut materia, & forma. Sic Innocent. *ibi num.* 3. Panorm. *num.* 1. Tabien. *Ordo* 2. *quæst.* 5. D. Anton *suprà*. Sylvest. *Ordo* 2. *quæstione* 12. Rosella *Ordo* 2. *num.* 8.

9 Tandem nota, quòd si altera manus iniuncta est, & dicta oratio non debet iterari, sed debet inungi alia manus cum oratione, & vbi in ea dicitur *manus* in plurali, debet dici *manum* in singulari. Sic Panor. *suprà n.* 2. Innocent. *num.* 3. Tabien. *Ordo* 2. *quæst.* 5. Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 10. Rosella *Ordo* 2. *num.* 8. D. Anton. *vbi suprà*. Si verò pars orationis est omissa, est tota iteranda, vt benè Sylvest. Tabien. Panorm. *ibi.*

## DVBIVM XIV.

*An character vnius Ordinis necessariò supponat characterem alterius Ordinis.*

1 AN character Ordinis necessariò supponat characterem Baptismi, & Confirmationis, dicunt in materia *de Baptismo*, & *Confirmatione*. Nunc verò dubitatur; an necessariò character vnius Ordinis supponat characterem alterius Ordinis præcedentis, ita vt si v. g. conferatur sacerdotium ei, qui non est Diaconus, teneat sacerdotium, &c.

2 Hac in re apud omnes constat characterem vnius Ordinis, non necessariò necessitate sacramenti præsupponere characterem alterius; & sic, si quis ordinetur sacerdos, cùm tamen non sit Diaconus, valebit Ordo sacerdotij: at præsupponere illum necessitate præcepti, ita vt peccet mortaliter, qui per saltum promouetur, recipiendo scilicet prius Ordinem superiorem, quàm inferiorem. Patet vtrunque ex *c. vnico de cleric. per saltum promoto*; vbi non iubetur iterum ordinari, qui per saltum promotus est, sed grauiter punitur, & sic tenent omnes DD. citandi.

3 Hinc fit, quòd sacerdos licèt alios Ordines non susceperit, potest omnium Ordinum functiones exercere validè; quia in eo in virtute continentur. Sic Sotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *fine.*

4 Sed quo ordine sunt conferendi Ordines. Aliqui dicunt, quòd hoc ordine sunt conferendi, scilicet prima tonsura, exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium. Sic Sylu. *Ordo* 2. *q.* 7. Tabien. *Ordo* 2. *quæst.* 2. *fine.*

5 Sed dicendum est hoc ordine esse conferendos. Primò debet conferri prima tonsura, deinde Ostiariatus, mox lectoratus, mox exorcistatus, mox Acolytatus, mox Subdiaconatus, mox Diaconatus, mox Sacerdotium. Sic habetur expressè *in Pontificali Romano, & c.* 1. *distinct.* 77. quod est desumptum ex *epist. vnica* Caij Papæ Fœlici Episcopo, & licèt *ibi* non fiat mentio primæ tonsuræ, seu Psalmistatus (Iurisperiti enim primam tonsuram, sic vocant, vt dixi *suprà dub.* 7.) imò dicatur *in illo c.* 1. primum Ordinem esse Ostiariatus: at benè explicat *ibi* glossa esse primum inter Ordines minores, & sic conciliantur alij textus, scilicet *cap. cum contingat, de etat. & qualit. cap. si officia, dist.* 59. *cap. clero, dist.* 21. *cap. seriatim, dist.* 32. in quibus psalmistatus, seu lectorum officium, seu primam tonsura ponitur in primo loco. Sic etiam tenent Angel. *Ordo* 6. *initio*, glossa *d. cap.* 1. & vsus Ecclesiæ sic habet.

6 Maior autem difficultas est de charactere Episcopali, an requirat ex necessitate sacramenti characterem sacerdotalem: ita vt si non sacerdos consecretur Episcopus, non teneret consecratio.

7 Quidam enim affirmant non requirere, & sic tenere consecrationem, quia Episcopalis potestas indelebilis est, & ab aliis officiis distincta. Sic Ioan. Andreas, & alij (vt refert Couar. *infrà cap.* 1. *de cler. per saltum promoto*. Iacobat. *de consiliis, lib.* 10. *art.* 7. & est communis opinio, teste Panorm. *cap.* 1. *de cler. per saltum promoto*, imò Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 10. *num.* 16. hanc refert, & non ab ea abhorret, sed videtur eam vt probabilem relinquere, & omnes, qui dicunt Episcopatum esse sacramentum, debere eam affirmare: ait tamen, quòd talis Episcopus possit confirmare validè, non tamen validè conferre Ordinem sacerdotij, quia non potest dare potestatem in verum Christi corpus, qui eam non habet.

8 Cæterùm omnino tenendum est contrarium, & sic consecratio illa nil valebit, cùm enim Episcopatus nil aliud sit, quàm sacerdotium perfectum, & consummatum, necessitate sacramenti illud præsupponit. Sic D. Bonauent. 4. *distinct.* 24. 2. *part. art.* 2. *quæst.* 3. & *dist.* 25. *in expositione literæ*, Durandus 4. *distinct.* 24. *quæst.* 6. Barthol. & Ledesma *de sacram. ordin. dub.* 8. *fine.* Palacios 4. *distinct.* 24. *quæst.* 2. *fol.* 510. Sotus 4 *distinct.* 24 *quæstione* 2. *art.* 3. *vers. sunt qui huius* Richard. 4. *dist.* 24. *art.* 5. *quæst.* 2. Rainerius *tit. de forma consecrandi, vers. quid si clericus*, Pilasana *verb. ordinatus*, 2. *in principio*, & *ibi* supplementum, Maiolus *de irregular. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 3. Salzedo *super pract. crimin.* Bernard. Diaz *cap.* 24. §. *ordines*, Tabien. *Ordo* 5. §. 1. Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 1. D. Anton. 3. *p. tit.* 14 *c.* 16. §. 17. Petrus Soto *lect.* 4. *de ordine.* Capreol. 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Aureoli, Palud. 4. *distinctione* 24 *quæst.* 7. *num.* 16. Viguer. *lib. instit. cap.* 16. §. 6. *vers.* 8. Bellarm. *in controu. lib. vnico, de sacram. Ordin. cap.* 5. Glossa *cap.* 1. *de cler. per saltum promoto, & cap. ex literis, de excessib. Prælat.* & *ibi* Panorm. & hoc etiam necessariò dicendum est iuxta sententiam Diui Thomæ *suprà dub.* 9. relatam, quòd scilicet character Episcopalis non est diuersus à sacerdotali, sed est idem magis extensus, & hæc etiam est communis sententia.

9 Nota primò, quòd si sacerdos quocunque alio Ordine deficiente consecretur Episcopus, valebit consecratio, & omnes Ordines conferre posset, dempto eo, quem non habet, *cap. gratia* 1. *quæst.* 1. Sic Salzedo, Sylu.



V Tabien.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Tabien. D. Anton. *ibi.* Non tamen debet exequi officium suum ante susceptionem Ordinis prætermissi, nec secundùm Hostiens. ante habet exequutionem, etiam quoad Ordines, quos suscepit. Sic Sylu. Tab. D. Ant. *ibi.*

10 Secundò nota, quòd Papatus etiam includit intrinsecè & essentialiter Episcopatum, quia Papa nil aliud est, quam summus Episcopus: sic Bellar. *d.c.5.*

11 Tertiò nota, quòd quando antiquitus Subdiaconatus non numerabatur inter sacros Ordines, scilicet ante Beatum Gregorium *in cap. nullum, dist.* 28. nullus Subdiaconus poterat ad Episcopatum promoueri absque Papæ dispensatione, *cap. nullus Episcopus, dist.* 60. at cùm iam numeretur inter sacros Ordines, potest Subdiaconus in Episcopum promoueri: non autem qui Subdiaconus non est, vt patet ex *cap. à multis, de ætate, & qualit.* quod innouatum est in Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* imò additur, quòd antea saltem sex mensium spatio debet esse in sacro Ordine constitutus. Sic Bellar. *d. lib. vnico, de sacram. Ordinis, cap* 7. § *olim tamen.* Salzedo *d. cap.* 24 § *dicitur etiam*, vbi addit, quòd cùm Trident. *d. cap.* 2. generaliter dicat, quòd nullus assumatur ad Ecclesiam Cathedralem, nisi habeat sacrum Ordinem, idem videtur dicendum in Archiepiscopis, Patriarchis, & Primatibus.

## DVBIVM XV.

*Quæ requirat essentialiter consecratio Episcopalis, & quæ tantum ex præcepto.*

1 NOta, quòd in Episcopi consecratione adhibentur, & sunt consideranda tria, quæ ibi inueniuntur, scilicet, quædam spectantia ad cæremonias, quæ iuxta ritum Pontificalis Romani fiunt in Episcopi consecratione. Quædam spectant ad tempus, in quo fieri debeat consecratio, & locum in quo facienda est. Quædam verò spectantia ad ministrum huius consecrationis. Hæc ergo videnda sunt priùs, & deinde examinabimus, quæ sint de essentia.

2 Prima conclusio. Quod attinet ad cæremonias adhibendas in Episcopi consecratione, sunt omnes illæ, quæ habentur in Pontificali Romano: sed quæ præcipuè veniunt considerandæ, & de quibus potest esse dubium, an sint de essentia, sunt tres, scilicet Missa, id est, vt fiat consecratio ab Episcopo celebrante Missam, adeò vt non possit vnus Episcopus celebrare Missam, & alius facere consecrationem, sed vnus & idem Episcopus debet vtrumque facere; oppositum enim est contra vsum Ecclesiæ, vt bene glossa *cap. quòd sicut, de elect. vers. diuidatur.* Secunda cæremonia est vnctio Episcopi consecrandi in capite, & in manibus, vt patet ex Pontificali. Tertia est impositio manuum, & libri Euangeliorum super caput Episcopi consecrandi, vt patet etiam ex Pontificali; nam de reliquis cæremoniis, quæ adhibentur ad tradendum baculum, annulum, mitram, & alia ornamenta Episcopalia, non potest esse dubium, an sint de essentia; in reliquis enim ordinibus constat non esse de essentia, sed tantùm de præcepto, & sic in consecratione Episcopi clarum est non esse de essentia.

3 De his ergo tribus cæremoniis dubium est, an sint de essentia? Et in primis, quòd Missa est de essentia, videntur tenere dicere, qui asserunt esse de essentia Ordinum sacrorum, quos retuli *supra dub.* 4. De vnctione verò, & impositione manum, & libri Euangeliorum super caput Episcopi consecrandi, quòd sint de essentia tenet Hostiens. quem refert, ac sequitur Syluest. *vers. consecratio, num.* 1. Sit tamen.

4 Secunda conclusio. Missa non est de essentia consecrationis, sed tantùm de necessitate præcepti. Probatur rationibus, quibus *d. dub.* 4. probaui non esse de necessitate, & essentia Ordinum sacrorum. Sic tenent Abulens. *cap.* 29. *Exod. quæst.* 18. Glossa *cap. quòd sicut, de electionibus, vers. diuidatur, & cap. ordinationes, el* 1. *dist.* 75. *vers. tertia*, & *ibi* Hugo, & Turrecrem. *num.* 10.

5 Hinc fit, quod si vnus Episcopus consecret & alius celebret Missam, tenebit factum, licèt peccet; quia Missa non est de essentia talis consecrationis. Sic Glossa *d. vers. diuidatur.*

6 Tertia conclusio. Vnctio chrismate capitis, & manuum, non est de essentia consecrationis Episcopi, sed tantùm de præcepto. Probatur, quia (vt *suprà dub.* 12. diximus ex Sylueſtro, & aliis) character Episcopalis imprimitur in impositione manuum; ergo tunc est perfecta essentialiter consecratio Episcopi: at multo post fit vnctio, vt patet ex Pontificali: ergo. Secundò, quia in reliquis ordinibus vnctio non est de essentia. Sic tenet glossa *cap. ordinationes, el* 1. *distinct.* 75. *vers. tertia.*

7 Quarta conclusio. Impositio manuum super caput Episcopi cum illis verbis, quæ tunc dicunt Episcopi consecrantes, scilicet, *Accipe Spiritum sanctum*, sunt de essentia; & sic illa verba sunt forma, & impositio manuum est materia. Patet, quia, vt *suprà dub.* 12. diximus, in illo actu imprimitur character, &, vt *ibi* diximus, actus ille, in quo imprimitur character, est materia, & verba, quæ tunc proferuntur, est forma, & sic tenentur dicere Doctores *ibi* citati, affirmantes tunc imprimi characterem. Et quod sit de essentia, tenent Hostiens. & Sylu. citati. Non tamen est de essentia; sed de præcepto, vt imponatur liber Euangeliorum super caput Episcopi. Sic glossa *cap. Episcopus, dist.* 23.

8 Quinta conclusio. Quod attinet ad locum in quo debet fieri consecratio, si Episcopus est consecrandus, debet fieri in Ecclesia, quam elegerit Metropolitanus, ad quem pertinet consecratio, *cap. fin. dist.* 55. nisi aliud legitima consuetudo obtinuerit: & si in alia Ecclesia fuerit consecratus, debet intra tres menses se præsentare Metropolitano suo, *cap. cum longè, dist* 63. Papa verò in sua Ecclesia consecrandus est, si fieri potest; aliàs in quacunque, etiam extra vrbem, *cap. in nomine Domini, dist.* 23. Primas verò, seu Patriarcha, & Archiepiscopus in sua Ecclesia consecrandi sunt, nisi aliud inducat necessitas, *cap. si Archiepiscopus, de tempor. ordin. & cap. pudenda* 24. *q.* 1. vel nisi aliud habeat consuetudo probata. Sic Sylueſt. alios referens *consecratio* 1. *q.* 2. Tabien. *Ordo* 5. *num.* 1. Angel. *verbo consecratio Episcoporum, num.* 6. Rosel. *verb. confirmatio electorum, n.* 17. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. § 17.

9 Nota, quòd licèt hoc sit de iure: at iuxta decretum Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *de reform.* potest fieri consecratio in Ecclesia consecrandi, vel saltem in prouincia, vel in curia Romana. Sic explicat hoc decretum Trident. quidam doctus Magister in quibusdam annotationibus, quas habuit Salmanticæ super Concil. Trident.

10 Secundò nota certum esse locum non esse de essentia huius consecrationis, quia non est de essentia aliorum sacramentorum, nec ordinum.

11 Sexta conclusio. Quod attinet ad tempus, in quo debet fieri consecratio Episcopi, Salzedo *supra pract. crimin.* Bernard. Diaz *c.* 26. § *Episcoporum*, dicit posse fieri in Dominicis, & festis diebus, sed fallitur. Vnde dicendũ est debere fieri in die Dominica, & hora tertia, id est *à latenuebe*, existentibus tam consecrantibus, quàm consecrato ieiunis, patet ex *c. ordinationes, el.* 1. quod est Anacleti Papæ, *dist.* 75. *& cap. quod die eadem dist.* & *ibi* redditur huius ratio; quia die Dominica, & hora tertia electi sunt Barnabas, & Paulus Apostoli; & eadem die & hora venit Spiritus sanctus super Apost. quibus Episcopi succedunt, & quia eadẽ die Christus surrexit, aliisq; multis mysteriis dies Dominica cõdecorata est, ieiunium verò in reuerentiam huius sacramenti celebratur. Sic etiã habetur in Pontificali Romano, vbi de Episcopi consecratione, & additur non posse aliis diebus festiuis celebrari citra Papæ dispensationẽ. Sic etiam tenent Sylu. *consecratio* 1. *q.* 3. Armil. *verb. cõsecratio. Prælat. n.* 5. D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *c.* 16. § 16. Tabien. *verb. confirmatio in communi q.* 12. Glossa *cap. quod à Patribus, vers. Sabbathi, dist.* 75. *& in princ. illius dist.* Turrecrem.



Turrecrem. *cap. ordinationes, el.* 1. *dist.* 75. *num.* 6. Angelus *verbo consecratio Episcoporum, num.* 3. Rosel. *confirmatio electorum, num.* 14. Gregorius Lopez *l.* 28. *tit.* 3. *part.* 1. *vers. conciderantemente.*

12 Non tamen est de essentia tempus, nec hora, vt patet; quia nec in aliis ordinibus est hoc de essentia. Sic Turrecrem. *d. cap. ordinationes, num.* 2.

13 Nota primò, quòd tenetur Episcopus, vel quicunque alius Ecclesiæ Cathedralis, seu superiori quocunque nomine, ac titulo præfectus, etiamsi sit Cardinalis, intra tres menses consecrari, vt patet ex Concilio Chalcedonensi *cap.* 25. & habetur *cap. quoniam, distinct.* 75. *cap. quoniam dist.* 100. & in Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *de reformat. & sess.* 7. *cap.* 9. *de reformat.* quod illa, *sess.* 23. *c.* 2. decernit, quod si intra tres menses non consecretur, teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem, & si intra totidem menses id postea facere neglexerit, Ecclesiis sit ipso iure priuatus, & *sess.* 7. *d. cap.* 9. decernit, vt prorogationes vltra sex menses concessæ, nulli suffragentur, id est, vt explicat quidam Doctor Salmantinus, quòd ad differendum vltra sex menses non profit Episcopo vlla Papæ dispensatio, nisi Papa expressum illius capitis mentionem, & dispensationem fecerit, argumento *cap.* 1. cum *ibi* notatis, *de const.* Hi autem tres menses, intra quos Episcopus consecrandus est, non sunt computandi à die electionis, sed à die confirmationis. Ratio, quia ante confirmationem consecrari non potuit, & ideo tempus illud cõputari non debet: vt patet ex *cap. quia diuersitatem, de concess. prabend.* vbi habetur tẽpus suspensionis, in quo quis eligere non potest, non esse, computandum in semestri iure præfixo ad eligendum, vel conferendum beneficium, quia eo tempore eligere non potest. Sic tenent Turrecrem *cap. quoniam, distinct.* 100. *num.* 2. & *ibi* Hugo Tabien. *verb. confirmatio in communi, quæst.* 9. Angel. *verbo consecratio Episcoporum, initio.* Rosella *verbo confirmatio electorum, num* 11, D. Auton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. § 16. Sylueſt. *consecratio* 1. *quæst.* 3. vbi bene addit cum Rainerio, quòd si negligens fuit ad petendam cõfirmationem, tunc computandi erunt illi tres menses ab electione; quia tempus illud suspensionis computatur negligenti petere absolutionem, vt benè glossa *d. c. quia diuersitatem*; intelliguntur autem illi tres menses, nisi necessitas cogat amplius differre, vt patet ex *cap. quoniam, distinct.* 705. & *cap. quoniam distinct.* 100 & tenent Sylueſt. Tabien. Rosel. D. Anton. Angel. citati, & Turrecrem. *cap. quoniam, distinct.* 100. & glossa *cap. quoniam distinct.* 75. & ponit exemplum Turrecrem. vt propter morbum Episcopi consecrandi, vel si impediatur ab hoste, multæ aliæ causæ (inquit) possunt accidere, quæ impediant; imò, dicunt *ibi* Turrecrem. & glossa, posse contingere causam iustam, vt confirmatus Episcopus nunquam consecretur; vt si inculpabiliter ita vitietur corpore, vt postea nõ debeat ordinari, hic enim nunquam consecrabitur; sed dicit Turrecrem. quòd administrabit ea, quæ sunt iurisdictionis, & supplebuntur, quæ sunt Ordinis per alium Episcopum, *cap. Pontifices, 7. quæst.* 1.

14 Secundò nota, quòd licèt si Ordines sacri debeant die Dominica celebrari, requiratur continuatio ieiunij Sabbathi cum die Dominica, vt habetur *c. quod à Patrib. dist.* 75. & dicemus *infrà*; at non requiritur hoc in consecratione Episcopi die Dominica facienda, sed sat est illa die esse ieiunos consecrantem, & consecratũ. Ratio, quia Ordines sacri conferendi sunt de iure in die Sabbathi existentibus ordinante, & ordinandis ieiunis: vnde quando debent in die Dominica celebrari; vt censeatur quasi diei Sabbathi continuatio, debet continuari omnino ieiunium diei Sabbathi in die Dominica; at cùm iure statutum sit, vt Episcopi consecratio fiat die Dominica, sat est illa die ieiunij seruari: sic Turrecr. *d. c. quod à Patrib. n.* 6. & *ibi* Glossa *vers. Sabbathi*, & *ibi* Hugo, D. Ant. 3. *p. tit.* 14. *c.* 16. § 16 Tab. *consecratio* 1. *n.* 1. Sylu. *consecr.* 1. *q.* 4.

15 Tertiò nota, quòd licet duo Ordines sacri non possunt eadem die conferri, nec duabus immediatis, vt dicemus *infrà*; at potest quis Sabbato ordinari sacerdos, & die sequenti Episcopus, quia id non reperitur prohibitum, sicut prohibetur in aliis Ordinibus. Sic Sylueſt. in *Ord.* 2. *quæst.* 6. *dictu* 2. Innocent. *cap. literas, de tempor. ordinat.* Angel. *Ordo* 6. *num.* 2. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *c.* 16. §. 8. & 16. Glossa *cap. quod à Patribus, distinct.* 75. *vers. Sabbathi*, & *ibi* Hugo, & Turrecr. *ibi num.* 2. & addunt bene glossa, & Turrecrem. non oportere tunc continuari ieiunium Sabbathi cum die Dominica: imò addunt glossa & Hugo *ibi* bene contra D. Anton. *d.* § 8. & Innoc. *d. cap. literas*, quòd si ex dispensatione, vel aliàs liceret die Dominica consecrari sacerdotem, non est alicubi vetitum eadem die consecrari Episcopum.

16 Septima conclusio. Quod attinet ad ministrum consecrationis Episcopi, ea necessariò facienda est saltem necessitate præcepti à tribus Episcopis. Patet ex pluribus capitibus iuris, *cap. ordinationes, el* 1. *distinct.* 75. *& cap. comprouinciales, c. Episcopi, c. ordinationes, distinct.* 64. *cap. porro, distinct.* 66. quæ omnia capita ex Conciliis, vel Pontificibus desumpta sunt; & tenent omnes Doctores mox citandi, tantum enim vertunt in dubium, an hoc sit de essentia. Nec obstat *cap. nec Episcopi, de tempor. ordin.* vbi dicitur, quòd Metropolitanus sine tribus Episcopis non consecret, vbi videntur requiri quatuor Episcopi, quia bene glossa *ibi vers. sine tribus*, dicit intelligi inclusiuè, id est, *que con el sean tres*, & ita in iure nouo Gregoriano extat hic textus, sine tribus, vel duobus.

17 Et nota, quòd vnus Episcopus principaliter totam consecrationem perficit, & alij sunt quasi coadiutores, secundùm Hostien. & Goffred. quos refert Sylueſt. *confecr.* 1. *num.* 1. & hoc dicit esse melius, vel secundùm Hugon. & Rainer. quos refert etiam Sylueſt. *ibi*, sunt tres actiones, & vna passio, sicut cùm tres portant lapidem, & notat bene Sylu. quòd essentialia consecrationis necessariò facienda sunt ab eodem ministro: si enim vnus imponat manum, & alius dicat verba, nil agitur, vt patet etiam in aliis sacramentis.

18 Octaua conclusio. Minister, qui habet iurisdictionem consecrandi, est, si sit Papa. electus, ipsum consecrant Cardinales Episcopi *cap. in nomine Domini, distinct.* 23. Et consuetudine tamen (vt fertur) ipsum consecrat Episcopus Hostiensis; vel vt dicit Sylueſter *vbi infrà*, quem ipse Papa vult: cùm enim statim, ac electus est habeat iurisdictionem plenam Papalem, potest hanc iurisdictionem ipsum consecrandi cui maluerit Episcopo concedere. Sic Sylueſt. *consecratio* 1. *quæst.* 1. Primates verò, seu Patriarchas, & Metropolitanos consecrant tres Episcopi eorum suffraganei, omnibus aliis eorum suffraganeis personaliter aduenientibus, nisi essent necessitate impediti; quo casu per literas debent consentire. *c. quia, dist.* 64. *c. porrò, & c. Archiepiscopus, dist.* 66. *c. si Archiepiscopus, de tempor. ordin.* & si est Archiepiscopus, qui est consecrandus, debet esse cum Primatis, seu patriarchæ, cui subest, consensu. *c. placet, dist.* 65, ita quòd sine eo non recipit exequutionem consecratus. Sic Sylueſt. *ibi.* Innoc. *cap. nec Episcopi, de temp. ordin.* Armil. *verb. consecratio Prælatorum, n.* 2. Angel. *verbo consecratio Episcoporum, n.* 1. 2. & 5. Rosel. *verb. confirmatio electorum, n.* 12. 13. & 16. Tabien. *verbo confirmatio in communi, q.* 10. 11. & 12. licèt Angel. Tabien. & Rosel. dicant Primates, seu Patriarchas, & Cardinales consecrari à Papa, vel ab alio de eius commissione, hoc non est de iure, sed de consuetudine, vt bene Sylu. *ibi*, idem dicens de Archiepiscopis, consuetudo enim habet, vt ferè nulli horum consecrentur, nisi à Papa, vel ab alio de eius cõmissione, arg. *c. pudenda* 24. *q.* 1. Episcopus autem si est exemptus, debet consecrari à Papa, vel ab alio de eius commissione: si verò nõ sit exẽptus, sed alicui Archiepiscopo suffraganeus consecrandus est ab illo Archiep. cũ duobus Episcopis comprouincialib seu suffraganeis, aut tres comprouinciales, seu suffraganei Episcopi,

Universidad de Deusto
Biblioteca



illum consecrabunt, ex iussu Archiepiscopi: in vtroque tamen casu omnes Episcopi suffraganei requirendi sunt per epistolam, vt consentiant, *cap. nec Episcopi, de tempor. ordin. cap. non debet, distinct. 65. cap. ordinationes, el. 1. distinct. 75. cap. ordinationes, cap. Episcopi, c. comprouinciales, dist. 64.* Quòd si quis Episcoporum comprouincialium contemnatur in consecratione Episcopi, vel Archiepiscopi, potest agere, vt exequutione officij priuetur. Sic Innocent. Sylvest. Tabien. Rosel. Angel. *ibid.* Turrecrem. *cap. ordinationes, el. 1. dist. 75. num. 7.* Quando autem Archiepiscopus, vel aliqui ex suffraganeis Episcopis dissentirent consecrationi, quid faciendum sit, consule Turrecrem. *dist. 64. initio*, id latè disputantem.

19 Nota primò, quòd si Ecclesia cathedralis Archiepiscopi vacet, consecratio Episcopi suffraganei debet fieri ab aliis suffraganeis iussu Capituli dictæ Ecclesiæ cathedralis; quia Sede vacante succedit Capitulum in omni iurisdictione: sic glossa *c. comprouinciales, dist. 64.*

20 Secundò nota, quòd si prouincia non habeant tres Episcopos, qui consecrent electum Episcopum, conuocari debet vicinorum Episcoporum auxilium. Sic Panorm. *cap. nec Episcopi, de tempor. ordin. num. 1.* & probat ex *cap. Pontifices 7. quæst.*

21 Tertiò nota, quòd si Episcopus Archiepiscopo suffraganeus consecrandus sit, non oportet Patriarchæ, cui Archiepiscopus subest, consensum requirere, nisi vsus contrarium obtinuerit. Sic Panorm. *eod. cap.* nec Episcopus, contra Innocent. *ibi.*

22 Hucusque de ministro necessario necessitate saltem præcepti cõsecrationis Episcopi egimus, restat vt agamus qualiter minister sit de essẽtia, seu necessarius ne cessitate sacramenti, ita vt ab alio facta consecratio non teneat. Et vt certa ab incertis separemus, duo sunt certa in hoc.

23 Primò certum est esse de essentia, quòd consecrans sit Episcopus, quia pertinet ad characterem Episcopalem posse Episcopos consecrare. Imò quamuis Palud. 4. *dist. 7. quæst. 4. num. 34.* dixerit fortè Papam hoc posse committere simplici sacerdoti, ipsemet 4. *dist. 25. q. 1. n. 7.* se retractat, & tenet non posse; quia est consecratio partialis sacerdotis: consecratio verò sacerdotis non potest committi ei, qui non est Episcopus, vt dicemus *infra.*

24 Secundò est certum non esse de essentia, vt concurrant dicta in octaua conclusione, nempe vt consecratio fiat de iussu Archiepiscopi, vel Patriarchæ, & ab Episcopis suffraganeis: sed hoc est de necessitate præcepti; quod verò attinet ad essentiam consecrationis, sat est, vt fiat à quibusuis Episcopis. Probatur, quia hic non est actus iurisdictionis, aliàs esset delegabilis, sed Ordinis. Ordo autem Episcopalis æquè est in omnibus Episcopis: ergo. Secundò, quia quòd fiat de iussu Archiepiscopi, & à suffraganeis, &c. pertinet ad iurisdictionem ministri, sed hæc tantùm in sacramento pœnitentiæ, & matrimonij est de necessitate sacramenti; in reliquis verò solùm de necessitate præcepti: ergo. Quòd si opponatur *cap. non debet, dist. 65.* vbi habetur, quòd fiat de licentia Metropolitani, conuocatis Episcopis suffraganeis, aliter ordinatio facta non valeat: & *cap. Archiepiscopus, dist. 66.* vbi habetur quòd Archiepiscopus ab omnibus suffraganeis consecretur, aliàs sit irrita consecratio. Respondetur cum Turrecr. *d. cap. non debet*, & glossa *d. cap. Archiepiscopus verſ. irrita.* & *ibi* etiam Turrecr. quod intelligitur non valere, atque esse irritam consecrationem, non quod non reuera sit valida, & maneat illè Episcopus, sed esse irritam quoad officij exequutionem, id est, quod manebit verè Episcopus consecratus, sed non poterit exqui officium.

25 Dubium autem graue est circa hoc, an sit de essentia, & necessitate sacramenti, quod consecratio fiat à tribus Episcopis.

26 Duplex est sententia.

Prima ait esse de essentia, tum quia omnes textus loquentes de hac consecratione affirmant debere fieri à tribus Episcopis: tum etiam, quia *cap. porrò, distinct. 66.* ponitur forma consecrationis Episcopi tradita ab Apostolis, & dicitur quòd fiat à tribus Episcopis. Sic tenet Hostien. quem refert Sylvest. *vbi infrà.* Hugo, & Archid. *d. cap. porro.* glossa *cap. nec Episcopi, de tempor. ordin.* & *ibi* Panorm. *n. 1.* & ferè omnes Iurisperiti sunt huius sententiæ, vt refert Turrecrem. *vbi infra.*

27 Secunda sententia probabilior, ait non esse hoc de essentia. Probatur primò, quia primus canon Apostolorum sic habet, *Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur*; ergo iam non est essentia, vt fiat à tribus. Secundò, quia 1. *ad Timoth 4. & 7 ad Timoth. 2. & ad Titum 1.* loquente Apostolo de Ordine Episcoporum, vnus ordinator, aut consecrator tantum exprimitur, imò Apostoli cùm dispersi essent per Orbem, soli videntur consecrasse Episcopos. Item, quia in nullo alio sacramento sunt de necessitate sacramenti plures ministri, & vnus Episcopus eadem potestate Ordinis præditus est, ac tres Episcopi. Hanc tenet ex pluribus aliis rationibus probans Turrecrem. *cap. porrò, distinct. 66. num. 3.* Palud. *tract. de potest. Papæ.* Guido *cap. fraternitatem, dist. 80.* & videtur tenere Armillia *verbo consecratio Prælatorum, n. 2.* & Sylvest. *consecratio 1. num. 1.* Hanc enim sententiam referunt in vltimo loco, & non improbant; eam etiam videtur tenere Greg. Lopez *part. 1. tit. 5. l. 28. verſ. otros*, vbi dicit non esse de iure diuino, vt consecratio fiat à tribus Episcopis, & hoc sic posse Papam hoc immutare.

## DVBIVM XVI.

*Quid conferat pallium Archiepiscopo, & Patriarchæ, seu Primati, id est, quæ possit ante pallij receptionem.*

1 NOta, quòd pallium est ordinamentum ad modum stolæ sacerdotalis crucibus nigris intextum, super alia ornamenta delatum, humeros ad instar coronæ, pectúsque circundans, antè dependens, quod significat plenitudinem potestatis, quo vtitur Papa semper vbique, quia habet plenitudinem potestatis, quam pallium significat, Archiepiscopus verò, & Patriarcha, seu Primas, quia non habent plenitudinem hanc potestatis, sed in partem solicitudinis vocati sunt, non semper, neque vbique possunt eo vti, vt expressè habetur *cap. honorem, de author. & vsu pallij*, sic Sylu. *verb. pallium.*

2 Secundò nota idem prorsus, quod dicemus circa vsum pallij, & reliqua in hoc dubio de Archiepiscopo, dicenda esse similiter de Patriarcha, seu Primate circa eiusdem pallij vsum. Sic Sylvest. *verb. pallium.* Turrecrem. *cap. Episcopos n. 6. dist.* 100. Pontificale Romanum *in officio dationis pallij, fine*, & omnes.

3 Prima conclusio. Tenetur Archiepiscopus, & Patriarcha petere pallium à Papa intra tres menses, aliàs si accuserur, cessante legitimo impedimento, potest remoueri. Sic habetur expressè *cap. quoniam, dist.* 100, quod est Pelagij Papæ & debet peti cum instantia, *cap. prisca, eod. dist.* & petens præstare debet iuramentum fidelitatis, & obedientiæ Ecclesiæ Romanæ *cap. optatum eod. dist.* & *cap. significasti, de elect.* Olim verò ex priuilegio Papæ petebatur à quatuor Patriarchis per suffraganeos eorum. *cap. antiqua, de priuileg.* Hi autem tres menses intelliguntur post confirmationem, si antea erat Episcopus consecratus; si verò non erat consecratus, intelliguntur post consecrationẽ. Sic glossa, *d. c. quoniam, verſ. consecrat.* Sic explicans textum dicentem incipere à die consecrationis, quando scil. antea nõ erat consecratus, & *ibi* Turrecr. *n. 2.* & Hugo *ibi*, Sylu. *verbo pallium*, & *ibi* Tab. & Angel. *n. 2.*

4 Secunda conclusio. Archiepiscopus, vel Patriarcha non potest vbique vti pallio, sed tantùm intra Ecclesias suæ prouinciæ, id est, Archiepiscopus intra suam prouinciam, & Patriarcha intra suum Patriarchatum. Neque obstat quòd in forma traditionis pallij dicitur, quòd eo possit vti tantùm intra propriam Ecclesiam; quia intelligitur, id est, intra quamlibet Ecclesiam prouinciæ illi commissæ. Sic habetur expressè 6*ap. 1. de auctoritate & vsu*



*vsu pallij*, & in Pontificali Romano *vbi suprà*, & tenent omnes. Nec valet consuetudo vtendi pallio extra prouincam; quia est corruptela. Sic habetur *cap. ex tuarum, eod. tit.* vbi etiam dicitur quòd si quis Archiepiscopus priuilegium habeat vtendi pallio extra prouinciam, debet id esse de licentia diœcesani. Idem etiam notat *ibi* glossa, & Turrecrem. *cap. Episcopos, dist.* 100. *n.* 10. Nec obstat *cap. cùm sit de authorit. & vsu pallij*, vbi dicitur vbicunque posse vti pallio, quia intelligitur, vt benè ibi glossa, id est, vbicunque intra prouinciam.

5 Tertia conclusio. Non potest etiam intra prouinciam semper vti pallio, sed tantùm intra Missarum solemnia. Sic habetur expressè in Pontificali Romano *suprà*, & *cap. contra morem*, & *cap. pallium, el. 1. dist.* 100. quæ sunt Gregorij Papæ, & tunc tantùm ipse Archiepiscopus eam Missam cantet, aliàs non, vt benè Hugo & Turrecr. *eo cap. pallium.*

6 Hinc fit non posse in processionibus vti pallio; sic habetur in Pontificali *suprà*, & *c. 1. de auctor. & vsu pallij*, Turrecrem. *cap. Episcopos, dist.* 100. *n.* 11. Sylu. & Tabien. *verbo pallium*, & *ibi* Angel. *n.* 3.

7 Quarta conclusio. Non potest etiam intra suam prouinciam, & intra Missarum solemnia semper vti pallio, sed tantùm in quibusdam festis præcipuis, quæ in priuilegio, quod cum pallio datur, continentur. Sic habetur *c. fin. de auctor. & vsu pallij.* hæc autem festa sunt, Natiuitas Domini, festum sancti Stephani, sancti Ioannis Euangelistæ, Circumcisio, Epiphania, Dominica Palmarum, Feria quinta in cœna Domini, Sabbathum sanctum, dies Resurrectionis, cum duobus sequentibus, Dominica in Albis, Pentecostes, Natiuitas D. Ioannis Baptistæ, festa omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, ordinatione ministrorum, scilicet clericorum, consecratione Episcoporum, in principalibus festiuitatibus Ecclesiæ suæ, in die anniuersarij consecrationis suæ, & in die anniuersarij consecrationis Ecclesiæ suæ. Hæc festa ponit Pontificale Romanum *suprà*, Turrec. *c. Episcopos, dist.* 100. *n.* 19. Glossa *cap. ad honorem, de auctor. & vsu pallij, verſ. ad honorem* at nõ ponit Dominicam in Albis, nec diem anniuersarij consecrationis Ecclesiæ suæ. Addit Pontificale Romanum, festũ Ascensionis corporis Christi, festum omnium Sanctorum, & festiuitates D. Mariæ. Glossa explicat *supra*, tres festiuitates B. Mariæ.

8 Hinc fit, non posse vti pallio in Missis pro defunctis. Sic Pontificale Romanum *suprà*, Turrecrem. *cap. Episcopos, dist.* 100. *num* 11.

9 Quinta conclusio. Non potest Archiepiscopus, vel Patriarcha ante pallij receptionem portare ante se crucem, quia est insigne dignitatis Archiepiscopalis, vel Patriarchalis, quam non plenè habet, nec nomen, vt mox dicemus. Sic Pontificale Romanum *suprà*, Turrecrem. *cap. Episcopos, dist.* 100 *n.* 7. Nec potest se nominare Archiepiscopum, vel Patriarcham; nec habet plenitudinem Pontificalis officij, *cap. misi de auctorit. & vsu pallij*, & in Concilio Lateran. sub Innocent. III. *cap.* 5. Vnde non potest exercere Pontificalia, vt ordinare clericos, confi cere chrisma, Episcopos consecrare, dedicare basilicas, conuocare ad Concilium, vt expressè habetur *cap. quod sicut, de election.* & in Pontificali *suprà.*

10 Nota, quòd) vt refert Innocent. *cap. sicut, de elect. n.* 13.) aliqui dicunt, quòd potest sine pallio in aliena diœcesi de licentia Episcopi illius diœcesis Ordines conferre: sed oppositum tenet *ibi* Innocentius, & meritò, quia textus generaliter loquuntur.

11 Secundò nota, nil refert quòd in alio Archiepiscopatu pallium receperit, quia debet nouum petere, vt expressè habetur *cap. bona, el. 2. de postulat. Prælat. fine*, ibi glossa *verſ. pallium*, dicens rationem esse, quia pallium sequitur personam ratione loci, pro quo datum est. Idem Turrecrem. *cap. Episcopos, dist.* 100. *num* 6. & Pontificale *supra*, licet Felinus, *cap. eam te, de rescript. n.* 8. dubitet, & plus inclinet posse exercere quæ sunt Ordinis.

12 Hinc fit quòd pallium est personale, & sic non potest acommodare, nec in morte alicui relinqui, seu debet Archiepiscopus cum eo sepeliri, vt expressè habetur *cap. ad hoc, de auctorit. & vsu pallij*, & si transferatur in alium Archiepiscopatum, non debet secum illud ferre, nec successori relinquere; sed debet vterque nouum pallium petere, vt habetur *dicto cap. bona, fine*, & *ibi* glossa *verſ. pallium*, & tenent omnes.

13 Maius verò dubium est, an Archiepiscopus nondum recepto pallio, possit delegare aliis Episcopis, vt consecrent Episcopum sibi suffraganeum. Quidam enim negant. Primò, quia is videtur facere, cuius nomine fit, *cap. mulieres, de sententia excommun. cap. qui per alium, de regul. iuris in 6.* Secundò quia *cap. quoniam, dist.* 100. dicitur differri consecrationem Episcoporum, & quòd Archiepiscopus non petit pallium: at si posset delegare aliis, non differretur.

14 At dicendum, posse dum non est in mora petendi pallium. sc. modò petat intra tres menses, intra quos tenetur petere, & sic *d. cap. quoniam*, intelligitur quando est in mora petendi pallium: regula autem iuris citata, quando alter qui facit, per se non potest facere: at Episcopi, quibus delegatur consecratio, habent per se consecrandi potestatem, & tantùm eis delegatur iurisdictio. Probatur, quia tantùm prohibetur exercere ea, quæ sunt ordinis, & cogere Concilium, vt patet ex dictis: at hæc delegatio est actus iurisdictionis; ergo. Secundò, quia *cap. suffraganeis, de elect.* expressè dicitur, quòd Archiepiscopus confirmatus, licèt non receperit pallium, potest facere consecrari suum suffraganeum. Nec valet quòd quidam dixerunt, hanc non fuisse decretalem, sed quandam prouisionem fundatam super quadam æquitate, non Papæ, sed cuiusdam Ioannis Galensis. Sed hoc (inquit Panorm. *d. cap. suffraganeis, num.* 1.) non potest modò dici, postquam hæc decretalis fuit posita in tertia, quarta, & quinta compilatione, quia hæ fuerunt Papæ, & Papa mandat iuxta has decretales prouidendum esse in iudicio, & extrà, & maximè hodie, quod in nouis decretalibus Gregorij XIII. est posita. Sic tenent Panorm. *d. cap. suffraganeis, n. 1.* & *ibi* Innoc. & glossa *ibi*, *verſ. Pallium*, & *ibi* communis, teste Panorm. Idem glossa *cap. 1. de translat. Prælator. & cap. quoniam, dist.* 100. Turrecrem. *c. Episcopo, n. 6. dist.* 100. Pontificale Romanum *vbi suprà.*

15 Tandem ex dictis fit resolutio huius casus, scilicet Concilium Trid. *sess. 23 c. 1. de reform.* præcipit Episcopis ne à sua diœcesi absint vltra tres menses sine causa iusta, &c. Quidam est confirmatus, & consecratus Archiepiscopus, petit à Papa pallium, quando ne incipiant hi tres menses absentiæ, quam potest facere? Credo, quòd à die receptionis pallij, quando non est in mora petendi instanter ipsum. Probatur, quia (vt dixi *dub. præced.*) tres menses, intra quos Episcopus tenetur consecrari, procedunt à die confirmationis, quia antea non poterat consecrari. Ergo eadem ratione hi tres menses debent incipere à die receptionis pallij, quia ante receptionem pallij commodè nequit ad Ecclesiam suam venire: tum, quia non potest antea Archiepiscopus nuncupari, nec gestare ante se crucem, nec ordinare, nec confirmare, quod est magna sui officij pars: tum, quia ignorat quem Prælatum Summus Pontifex destinabit, qui det illi pallium, & non sine magnis expensis, & laboribus tot itinera fierent.

## DVBIVM XVII.

*Qui sint actus proprij, & ministeria singulorum Ordinum*

1 PRimò oportet explicare, quomodo omnes Ordines ad Eucharistiam ordinentur, ad hanc enim est sacramentum Ordinis. Hoc optimè explicat D. Thom. 4. *dist. 24. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2.* hoc modo potestas Ordinis, vel ad conficiendam Eucharistiam vel ad aliquod ministerium ad hoc: & hoc secundum, vel in ordine ad ipsam Eucharistiã, vel in ordine ad suscipientes. Ad con-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ficiendum Eucharistiam est sacerdotium: ad ministrandum in Ordine ad ipsam sunt Diaconatus, quia assistit sacerdoti,& ministrat in omnibus, quæ aguntur in hoc sacrificio, & Subdiaconatus,qui defert calicem, & patenam, & in eis materiam præparat, & tradit Diacono; & Acolytus, qui vrceolos cum aqua, & vino præparat. Si est in Ordine ad suscipientes, ad præparandum scilicet ipsos ad hoc sacramentum,non potest esse, nisi super immundos,quia immundi sunt iam idonei: ad hoc verò sunt tres Ordines, iuxta triplex immundorum genus, quod potest esse,scilicet Ostiariatus, cuius est expellere nolentes credere,& infideles,qui indigni sunt, etiam visione diuinorum,& Ordo lectorum, cuius est instruere volentes credere, sed nondum bene instructos, & catechumenos, & ideò prima rudimenta ad doctrinam fidei, scilicet vetus Testamentum,eis legendũ committitur, & exorcistatus ad tollendum impedimentum, quod habent fideles instructi ex dæmonis potestate. Hæc D. Thom.

2 Hoc supposito, descendendo in particulari ad singulos Ordines,ponam officia eorum, vt ponunt D.Isidor. *lib.7.etymolog.c.*12. & habetur *cap. cleros, dist.* 21. Hugo de sancto Victore *lib.*2.*de sacram. p.*3. Rabanus *lib.* 1. *de instit.cleric.c.*4 D.Th.4.*dist.*24.*art.*1. *quæstiunc.* 2. Sotus 4.*dist.*24.*q.*1.*art.*3.Barthol.è Ladef.*dub.* 5.*de Ordine.* Petrus Soto*lect.*2.*de Ordine.*Sylu.*Ordo* 2.*q.*3.Palud.4. *dist.* 24.*q.*4.D.Ant.3.*p.tit.*14 *c.*16. §.4.Bellar.defendens à calumniis hæreticorum hæc officia *lib.*1.*de clericis,c.* 13.

3 Officium ergo Ostiarij est cymbalum ad conuocandum populum pulsare, ostium Ecclesiæ aperire, dignos ad Ecclesiam admittere, & indignos respuere vt infideles,ne sacra irrideant.Et Addunt Sylvest. & Palud.*suprà*, etiam excommunicatos excludere, ne diuinis interfint.

4 Lectoris munus est, legere prophetias in Ecclesia ad instruendum cathecumenos: sunt enim prima fidei rudimenta, quia sunt veluti inductio ad legem nouam. Vnde dicunt Sotus,& Bartholom. à Ledesma *suprà*, lectori incumbere, cantare prophetias, & lectiones quæ canuntur in Ecclesia, maximè in Sabbatho sancto; nec indigere dalmatica,sed tantùm superpelliceo.

5 Exorcistæ munus est arctare, ac pellere dæmones per adiurationem.

6 Acolyti munus est, præparare lumina in sacrario, portare cereum,pyxidem cum pane,& vrceolos cum vino & aqua præparare,& ad altare deferre.

7 Subdiaconi munus est legere solemniter epistolam, panem in patena, & vinum & aquam in calice parare, & offerre Diacono,vt hic ea sacerdoti ministret: vnde Subdiaconus dicitur quasi subminister, quia est minister Diaconi,qui est immediatus sacerdotis minister. Item lotionem manuum Prasbyteri habere paratam, & ideò in ordinatione traduntur ei per Archidiaconum vrceoli cum vino & aqua, & bacile cùm manutergio.

8 Diaconi munus est ministrare, & assistere sacerdoti in omnibus, quæ aguntur in Missæ celebratione, & sacerdoti tradere materiam consecrandam, & cantare solemniter Euangelium.

9 Sacerdotis munus est consecrare Eucharistiam, & ligare,& absoluere, per quem actum proximè disponit fideles,qui sunt corpus Christi mysticum, ad dignè recipiendum corpus Christi verum: imò ministrare omnia sacramenta, demptis Ordine,& confirmatione, vt benè Paludan. & Petrus Sotus, quod non est intelligendum, quòd eo ipso,quòd est sacerdos, possit ea ministrare sine commissione; hoc enim esset falsum, vt benè Sylvest. *suprà*, est enim hoc officium parochi; sed quod ad ministrandum cætera sacramenta ex officio requiritur Ordo sacerdotij.

10 Tandem munus Sacerdotis est benedicere benedictione simplici in fine Missæ populum absente Episcopo,& ipso præsente de mandato eius interpretatiuo, *cap. denique,dist.*21.*cap.ecce ego,dist.*95.Vnde Presbyter celebrans præsente Episcopo innuere debet ei, an velit benedicere,& si velit,ipse non benedicat;si verò nolit, benedicat;dixi *benedictione simplici*, quia benedictio solemnis, quæ fit cum *adiutorium nostrum in nomine Domini*, spectat ad Episcopos tantùm in sua diœcesi, & Archiepiscopos in tota prouincia,cùm visitant, & Legatos in terminis suæ legationis, & Abbates, quibus hoc ex priuilegio concessum,vt notatur *cap.ministrare,*26.*q.* 6. *& cap. cùm ad celebrandas,de consecr.dist.*1.*cap.accidentibus, de exceſſ.Prælat.& cap.Abbates, de priuileg.in* 6.vbi dicitur, quòd Abbates, quibus hoc ex Sedis Apostolicæ priuilegio conceditur, tantùm possunt sic benedicere in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis. Sic Sylvest. *verbo benedictio, n.*1. vbi alios refert Angel. Tabien. Rosel. *verbo benedictio, initio,* Armil.*verbo benedicere,num.*1.

## *De ministro Sacramenti Ordinis.*

### SVMMARIVM.

18 *Quis sit huius sacramenti minister.*

19 *Quibus in iure commissum sit primam tonsuram, & Ordines minores conferre,cùm Episcopi non sint.*

20 *Quis sit minister sacramenti Ordinis necessitate præcepti.*

21 *An Abbates & alij Prælati, qui non sunt Episcopi, habent tamen iurisdictionem, quasi Episcopalem in subditos sæculares, possint illis dare literas dimissorias ad Ordines,vel hoc solum possint Episcopi.*

22 *Quis sit proprius Episcopus alicuius ad hunc effectum, vt possit illum licitè ad Ordines promouere, & illi conferre literas dimissorias,vt ab alio ordinetur.*

23 *Qualiter ratione beneficij Ecclesiastici contrahatur domicilium.*

24 *Quis sit Episcopus proprius, vt possit ad Ordines promouere profession electum à Religione, & an talis possit ad Ordines promoueri.*

25 *An si dedit Papa alicui facultatem,vt ordinaretur extra tempora à suo Ordinario, tantùm possit ordinari ab alio Episcopo cum literis dimissorijs sui Ordinarij.*

26 *An Capitulum sede vacante ante annum elapsum possit licentiam concedere aliqui Episcopo, vt in ea diœcesi Ordines promoueat alienos habentes dimissorias proprij Episcopi, aut sui Prælati regularis, vel personas eiusdem diœcesis habentes dimissorias Episcopi mortui,vel Nuncij Apostolici, vt à quocunque Antistite ordinentur.*

27 *An cùm proprius Episcopus dat literas dimissorias alicui subdito,vt ordinetur à quocunque Episcopo, videatur illi concedere, vt dispenset cum ordinato in quacunque irregularitate, & quouis alio impedimento ad Ordines, in quo posset proprius Episcopus dispensare.*

28 *An initiatus prima tonsura, vel quatuor minoribus Ordinibus ab alieno Episcopo, absque licentia proprij gaudeat priuilegiis clericalibus, siuque capax beneficij, vel tonsura ei in nullo prosit, & an possit proprius Episcopus ratam habere hanc ordinationem.*

29 *An possit proprius Episcopus cogere subditos ad accipiendum Ordines, vel eis præsentibus negare Ordines.*

### DVBIVM XVIII.

*Quis sit huius Sacramenti minister.*

IN hoc dubio, & sequenti tractabimus, quis sit minister necessarius necessitate Sacramenti, id est, quis minister validè conferat Ordines: deinde in sequentibus dubiis, quis habeat iurisdictionem ad licitè conferendum Ordines. Sit ergo

2 Prima conclusio. Quicunque & solus Episcopus consecratus est ordinarius minister, id est, ex officio Sacramenti Ordinis: sic enim definitur in Concilio Florentino in decreto Eugenij, & in Constantiensi *sess.* 8. Toletan.VII.*q.*7 *&* Trident.*sess.*23.*cap. & can.* 7. Vnde est de fide,& ratio est optima D.Thom.4.*distinct.*25.*quæst.*1. *art.* 1.quia Episcopi dignitas est in Ecclesiastica republica,id quod in sæculari reipublica publica potestas respectu inferiorum: ad publicam autem ciuitatis potestatem spectat commune bonum dispensare, iuxta Philosophum. 1. *Ethic.* atque adeò de magistratibus reipublicæ disponere,hoc est, instituere,quem quisque magistratum exercere debeat: ergo Episcopi munus est vtrumquemque in diuinis ministeriis collocare, quod fit per Ordinis Sacramentum.

3 Hinc fit valere hoc Sacramentum, si conferatur ab Episcopo, quantumuis hæretico, vel degradato, vel qui ab Episcopatu depositus sit,vel ipsi renunciarit, quia hic est actus Ordinis,& characteris Episcopalis, qui indelebilis est.

4 Secundò infertur, quod si aliqui non Episcopi conferunt aliquos Ordines, vt de Cardinalibus, & Abbatibus dicemus *dub.sequenti*,id non est ex officio,sed ex Papæ commissione in iure canonico illis concessa.Sic Sylu. *Ordo.* 3.*q.*1. Petrus Sotus *desacram.ordinis,lect.* 5.

5 Secunda conclusio. Ex commissione Papæ potest quilibet Sacerdos non Episcopus conferre primam tonsuram, & quatuor Ordines minores, id est, Papa potest hoc committere cuilibet Sacerdoti. Probatur, quia id commisit Abbatibus, qui non sunt Episcopi *cap. Abbates,de priuileg.in* 7.*& c.quoniam,dist.*69.quod est ex VII. Synodo generali, *cap.* 14. *& cap.cùm contingat, de etat. & qualit.* vt latiùs dicemus *dub sequenti.*Hæc est certissima,licèt malè de ea dubitet Durand.4.*dist.* 7.*q.* 4. & argumenta, quæ contra hoc formari possunt, resoluuntur à Doctoribus in mater. *de confirmat.* vbi docent posse Papam committere Sacerdoti simplici confirmare. Hanc tenent Collectarius, & Panorm.*cap.quanto,de consuetud.* Couarr. *lib.*1.*var.cap.*10 *n.*10.Sotus 4.*dist.*25.*q art.*1. *ad* 2.*& dist* 7.*quæst.vnica,art.*11.*ad* 4.Petrus Sotus *lect.*5.*de Ordine.*Victoria *de Ordine n.*234.D Th 4.*dist.*25.*q.*1.*art.* 1.*ad* 3.Capreolus 4.*dist.*25.*quæst.*1.*ad* 3.*ad confirm.secundi.* Aureoli Deza 4.*dist.*24 *q.* 2. *art.* 4.*ad.*2. Aureol. Barthol.à Ledesma *de sacram.ordinis dub.*11.Palud.4.*dist.*24. *q.*3.*n.*12.Ledesm.2.4.*q.*40.*art.*1.Sylu.*ordo* 3 *quæst.*7. Palac.4.*dist.*24.*quæst.*2.*fol.*510. Rich.4 *dist.*24.*a.*1.*q.* 1. Palud.4.*dist.*25.*q.*1.*n.*7.*& dist.*7.*q.*4.*fine.* Scotus 4. *dist.*24. *q.*1.*art.*3.Ang.*floribus* 1.*p.mat.de sacram.Ordinis fol.* 509. & omnes *dub sequenti* citãdi, qui dicũt Abbates id posse.

6 Nota primò aliquos limitare hanc solutionem, modò Papa sit Episcopus consecratus: vnde si non sit Episcopus consecratus,licèt sit electus,Papa non poterit hoc delegare,cùm ipse, si velit, non sit minister sacramenti Ordinis. Sic Capreolus *d.art.*3.*ad vltim confirmat. & Aureoli.*Palud.4 *dist.*25.*q.*1.*n.*7 *& dist.*7.*q.*4.*fin.* Sed hoc reprobatur *in tract.de confirm.* contra hos & alios *ibi* citatos, dicentes Papam non consecratum Episcopum non posse delegare confirmare simplici sacerdoti. Et ratio est, quia huiusmodi delegatio est actus iurisdictionis, & amplissimæ potestatis in vniuersalem Ecclesiam, qua pollet ille Papa electus, & sic tenent Sotus, & alij auctores, quos *ibi* citaui *conclus.* 6. in alio simili, scilicet in delegatione potestatis confirmandi simplici sacerdoti.

7 Secundò nota aliquos sentire posse Papam hoc committere non sacerdoti, sic videntur tenere Innocent. *cap.quanto,de consuetud.n.*4 Angel.*Ordo* 2. *n.* 2.glossa *c. manus,de consecrat.dist.* 4. vbi aiunt posse ex Papæ commissione,dare illos Ordines,quos habet, sed oppositum tenendum est.Sic D.Thom. Capreolus, Ledesma *suprà*, Victoria *d.n.* 234. Sylu.*Ordo* 3.*q.*9. Barthol. à Ledes. *d. dub.*11.*fol.*1165. Tabiena *verbo Abbas, quæst.*5.Palud 4. *dist.*7.*quæst.*4.*num.* 4.

8 Tertiò nota,quòd Petrus Sotus *suprà*, ait posse Episcopum hoc committere simplici sacerdoti. Sed hoc nullo innititur fundamento, & sic omnino tenendum est non posse.Sic Victoria,& Tabien.*ibi* Sotus 4.*dist.*25.*q.*1. *art.*1.*ad* 2.Palud.4.*dist.*7.*quæst.*4.*n.*48.

9 Maius verò dubium est, an Papa possit committere simplici sacerdoti conferre Ordines sacros. Quidam enim id affirmant,& probatur. nam in Conc. Antiocheno *can.*10.dicitur licuisse aliquando Chorepiscopis Subdiaconos ordinare:& tamen hi non erant Episcopi;quod inde patet,quia *in fine illius canonis*, sic dicitur, *Chorepiscopus ab Episcopo loci ordinandus est.*Item,quia Cõcilium Ancyranum *can.*12. & Antiochenum *can.* 20. Hispalense II.*can.*7.& Leo Papa *epist.*86.aliàs 88.& Ioann. III. *epist. ad Episcopos Germaniæ,& Galliæ,*& Damasus Papa *epist.* 3.dicunt Chorepiscopos non potuisse confirmare, templa consecrare, sacerdotes, & Diaconos ordinare. Imò Damasus dicit nec Subdiaconos: ergo non erant Episcopi. Sic Ledes.2.4.*q.*40. *art.* 1. & addit audiuisse à Monacho quodam D.Benedicti suum Abbatẽ conferre ex Papæ priuilegio, Subdiaconatum, & Diaconatum, & Victor.*mater.de ordin.n.*235.dicit se vidisse bullam, in qua Papa commisit sacerdoti, conferre Subdiaconatum, & quosdam asserere commisisse etiam Diaconatum: & si hoc ita est(inquit)factum tenet.Idem Innoc.*c.quanto, de consuet.n.*4,Glos.*c.manus,de consecrat.dist.*5.Ang.*Ordo* 2. *n.*2.vbi dicunt posse clericum ex commissione Papæ conferre Ordines sacros,quos habet.

10 Sit tamen vltima conclusio. Papa non potest committere sacerdoti non Episcopo,conferre Ordines sacros. Ratio, quia cùm minores Ordines non habeant necessariam potestatem super corpus Christi verum, quia non ministrant immediatè sacerdoti,sed Diacono, & Subdiacono,sed sunt ministrorum ministri,ideo potest Papa illorum collationem committere simplici sacerdoti,secus de maioribus Ordinibus,eo quòd necessariam habent potestatem super corpus Christi verum, aut consecrandi, aut materiam sacerdoti ministrandi. Sic D Thom.Deza, Capreol.*suprà*, Petrus de Soto *lect.*5. *de Ordin.* Couar. *d.n.* 10.Barthol.à Ledes.*d.dub.*11.*fol.*1165.Durand. 4 *dist.*7. *q.*4.*& dist.*25.*q.*1.Angles,& Scotus *suprà*, Palud. 4.*dist.* 25.*q.*1.*n.*7.*& dist.*7.*q.*4.*n.*47. Tabien. *verb. Abbas*, q.5. Sylu.*Ordo* 3.*q.*7.Sotus 4.*dist.*25.*q.*1.*art.ad* 2. *& dist.*7.*q. vnica,art.* 11.*ad.*4.

11 Vnde ad argumentum respondetur notando ex Bellarm.*lib.*1.*de clericis,c.*17. quòd Chorepiscopi dicebantur olim Presbyteri quidam, qui in pagis,vel oppidulis curam gerebant animarum,vt parochi Vice episcopi, & sic dicebãtur Chorepiscopi,id est, Vicarij Episcopi;& ex his aliqui non erant Episcopi: & de his intelliguntur decreta Conciliorum & Pontificum citata, quæ dicunt non potuisse ordinare,&c. Alij verò erat veri Episcopi,dicebantur tamen Chorepiscopi, quia non habebant propriam Ecclesiam, sed in aliena diœcesi ministrabant adiuuantes Episcopum,vt modò sunt Episcopi titulares,id est,*de anillo*,& de his loquitur d.Concilium Antiochenum *can.*10. dum ait potuisse Subdiaconos ordinare, sic enim incipit canõ, *Chorepiscopi,qui manus impositionem ab Episcopis accepere, & vt Episcopi sunt ordinati*; & dum *in fine illius canonis* dicitur,quòd Chorepiscopus ab Episcopo loci ordinãdus est,non de eisdem Chorepiscopis agitur,sed de altero genere, voluit enim Concilium legem statuere, vt deinde Chorepiscopi nõ consecrarentur Episcopi; sed tantùm ordinarentur sacerdotes.Hæc Bell. *ibi.*

### DVBIVM XIX.

*Quibus in iure commissum sit primam tonsuram, & Ordines minores conferre, cùm Episcopi non sint.*

CIrca primam tonsuram aliqui dicunt posse conferri à quouis sacerdote. Sic glossa *cap.Abbates,de priuil. in* 6.*verſ. Abbati, & c. quoniam, dist.*69. *verſ. lectoris,* & hoc concedit Sylu. *Ordo* 3. *q.*2. modò interueniat Episcopi licentia; & de parocho,quòd possit suis parochianis tonsuram conferre, tenent etiam Ostien. *c. cùm contin-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



gat,de ætat. & qual.' & *ibi* Innoc.Panorm. *cap, quanto,de consuet.*Archid.*c.nullus Episcopus,de temp.ord.in 6.*Hugo Rainer.Ioan. quos refert Angel. *ordo 2.initio*, vbi idem sequitur eum Ioan.Andr.& Antonio *d.c.cùm contingat*,limitans cum illis, quando tales parochi habent quasi Episcopalem iurisdictionem. Sit tamen.

2 Prima conclusio. Nullus sacerdos, qui Episcopus non sit, potest primam tonsuram conferre absque Papæ priuilegio.Probatur ex vsu Ecclesiæ,& quia prior sententia nullo innititur iure,nec ratione ; maximè, quia Trid. *sess.14.c.2.de reform.*nec primam tonsuram permittit dare Episcopis titularibus absque licentia proprij Episcopi.Sic Palud.4.*dist.24.q.3.n.12.* Goffred.quem refert Sylu. *suprà.*Sotus 4.*dist.25.q.1.art.1.ad 2.*

3 Secunda conclusio.Nulla præscriptione etiam immemorabili acquirere possũt simplices sacerdotes facultatem conferendi Ordines minores.Ratio,quia quę conueniunt Episcopis ratione Ordinis,& nulli alij competere possunt,nisi ex delegatione Papæ,non possunt præscribi,nec in his priuilegium Principis,& immemorialis præscriptio paria sunt;quia non Episcopi secluso Papæ priuilegio incapaces sunt horum munerum. Sic Ioan. Monachus,Panorm. Felinus,Baldus,Probus, Hippolyt. & alij, quos refert,& sequitur Couat.1.*var.cap.*10. *n.*14. Ioann. Andr. Dominicus, Francus *c.Abbates, de priuil. in 6.*Tabien. *verb.Abbas*, q.5. Guillerm.quem refert. *ibi* Franc. D.Anton.3.*p.tit* 14.*c.*16.§.7.

4 Tertia conclusio.Presbyteri Cardinales ex consuetudine conferunt primam tonsuram,& Ordines minores, licèt enim consuetudo dare non possit iurisdictionem ad hoc,est tamen signum eam habere à Papa. Sic Victoria *mater de ordin n.*234.Batthol.à Ledesm.*de ordin. dub.*11. Palacios 4.*dist.*24.*q.*2.*fol.*510.D.Ant.3.*p.tit.*14.*c.*16.§.6. Palud.4.*dist.*24.*q.*3.*n.*12.Tabiena *verbo Abbas,q.*5.Sylu. *ordo* 3.*q.*2.& explicat omnes Ordines minores. Sotus 4. *dist.*25.*q.*1.*art.*1.*ad* 2. *argumentum.*

5 Quarta conclusio.Abbates si Presbyteri sint, & ab Episcopis benedicti,possunt primam tonsuram, & minores Ordines conferre tantùm in suo monasterio conuersis suorum monasterium, & iis qui ad illa conuolauerint, & si habẽt iurisdictionem quasi Episcopalem, etiam aliis sibi subditis. Sic conceditur expresè *c.quoniam, dist.*69. quod est ex VII.Synodo *c.*14.*& c.cùm contingat,de ætat. & qualit.ordin.& c.Abbates,de priuil.in* 6.

6 Nota primò,quòd licèt non sit de substantia,& essentia Abbatis benedictio, sed per solam electionem, & confirmationem est verè Abbas, quod secus est in Episcopo,qui non est talis,donec consecretur: Et ratio differentiæ est, quia consecratio confert Ordinem Episcopo: non sic autem Abbati benedictio, & sic benedictio in Abbate potius est de solemnitate, & bene esse, quàm de substantia:vnde antea potest omnia quæ sunt sui officij *c.*1.*de supplen.neglig.prælat.* & ante benedictionem potest etiam vti baculo, vt omnia hæc optimè notant contra Hostien.Oldrad.Ioan.Andr.Butrius, Card.Panorm.Ananias,quos refert,& sequitur Felinus *c.eam te, de rescript. n.*7. Cæterùm vt possit conferre primam tonsuram, & Ordines minores, oportet vt sit benedictus ab Episcop & solet benedici,vt ex *d.c.quoniam,& c.cùm contingat.*constat. Sic glossa *d.c.Abbates,verſ.tonſuram,*Turrecr.*d.cap. quoniam.n.*1.2. Palud.4.*dist.*24. *q.*3. *n.*12.Angel.*ordo* 2. *initio.*Tabien.*verb.Abbas,q.*2.Atmill.*ibi,n.*7.Rosella *verbo Abbas,initio,*Sylvest.*ordo* 3.*q.*2. D.Anton.3. *p. tit.*14. *c.*16.§.6.*l.*22.*tit.*6. *parc.*1.Rebuffus *praxi benef. tit.de clericis a quibus creentur,num.*14.

7 Quod tamen intelligendum est,nisi culpa sui Episcopi non sit benedictus Abbas, potest enim Abbas electus,& confirmatus, si eum Episcopus tertio requisitus differat benedicere, conferre Ordines minores, vt habetur expresè *c.*1. *de supplenda neglig. prælat.* & *ibi* Glossa *verſ.alia,*& *d.c.cùm contingat,verſ.Abbati.*& *ibi* Panorm. *n.*1.Turrecr.*d.c.quoniam,n.*4. Angel.*ordo* 2.*init.* Tabien. *verb.Abbas,q.*2.Armil.*ibi n.*6.Sylvest. *ordo* 3.*q.*2. Rosel. *verb.Abbas, initio.*

8 Hinc infertur quòd per electionem,& cõfirmationem vacant Beneficia Abbatis,licèt in Episcopo non vacent ante consecrationem eius,*c.cum in cunctis,de elect.*vt latiùs diximus *lib.*2. *de beneficiis c.* 2. *dub.*30. Ratio, quia per electionem, & confirmationem est perfectè Abbas, non verò est Episcopus ante consecrationem. Sic Ioann. Andr.Butrius,Card quos refert & sequitur Felinus *d.cap. cùm te,v.*7. Idem Oldrad.*consil.*14. Sebastianus Sapia super Panorm. *c.cùm in cunctis,de elect.*§.*cùm verò.verſ.vacant beneficia,* dicitque esse communem Doctorum, *c.d. multa,de prabend.*

9 Secundo nota quòd hæc benedictio requiritur in Abbate,si esset consuetudo vt benedicatur, secus vbi non est ea consuetudo,& sic intelliguntur *d.c.quoniam.*Sic tenent quidam,vt refert & sequitur Armil.*verb. Abbas,n.*1. Tabien.*n.*3. Angel.*ibi,num.*4.Sylu.*ibi q.* Landulphus *clement.attendentes,de stat.monach.*

10 Aduerte *hic* obiter Abbatem benedicendum esse ab Episcopo diœcesano,& licèt Hostien.dicat aliquando ab Abbatibus benedici,id iure non probatur.Sic Butrius, quem refert,& sequitur Sylu.*verb. Abbas,q.*1.Tabien.*ibi n.*3 Armil.*n.*1. Angel.*n.*5. limitat Sylu. nisi sit exemptus, & dicit benedici solùm iis diebus,quibus possunt conferri Ordines minores,vt notat communis,& Panorm.*c.cum sit,de consecr.Eccles.*Sylu.*verb. Abbas, q.*1. Tabien.*num.*4. Angel.*n.*6. Abbatissa verò vbi est consuetudo,vt benedicatur,potest benedici quolibet die,& in hoc distat benedictio Abbatis à benedictione Abbatissæ, & in multis aliis quæ notantur *clement.attendentes,de statu monach.& c.*1.*de supplen.neglig.prælat.* Sic Gloss.*d.clement.attendentes.*Sylu.*verb. Abbatissa q.*1. & *ibi* Angel.*n.*3. imò si non faciat se benedici intra annum à sua confirmatione computandum,cessante causa rationabili,cadit à suo iure, vt habetur expresè *d.clementina attendentes.* Priorissa verò, vel(vt ait Tabien.) quocunque nomine nuncupetur, non benedicitur.Sylu. *Abbatissa,q.*1.& *ibi* Tabien.*n.*4.

11 Tertiò nota, quod dixi in conclusione posse conferre huiusmodi Abbates Ordines minores non esse omnino certum,quia *c.quoniam, dist.*69. *& c.cùm contingat, de ætat.& qualit.*& tantùm dicunt posse conferre lectoratum,& cùm Ostiariarius præcedat de iure, vel saltem de consuetudine lectoratum,colligunt inde Doctores posse tantùm hos duos gradus conferre, non verò sequentes, scilicet exorcistæ,& Acolyti.Sic Gloss.*d.c.quoniam. verſ. lectoris.*Ioan. Andr.Innoc. *d.c.cùm contingat.* Francus,& Dominicus *d.c.Abbates,de priuil. in* 6.*l.*22. *tit.*6. *part.*1. Turrecr.*d.c.quoniam,n.*3.& 15.Rosell.*verb.Abbas,initio,* & hoc dicit tutius D.Ant.3.*p.tit.*14.*c.*16.§.7.

12 At verius est posse omnes Ordines minores conferre, quia eadem est de vno Ordine minori, & de aliis ratio, & priuilegium quando non est in præiudicium alterius,est latè interpretandum : at hoc est huiusmodi,non enim fit alicui præiudicium, cùm tantum ordinet subditos.Item,quia cùm dicitur *d.c.cùm contingat, & d.c.quoniam,*posset dari lectoratum solummodo in suo monasterio;illud, *solummodo,* non infertur ad gradum lectoratus, sed ad locum,id est,in solo suo monasterio, & non alibi. Item,quia licèt consuetudo in his non det iurisdictionem: at potest interpretari potestatem concessam. Laurentius *d.c.Abbates*, Panorm. *d.c.cùm contingat*, *n.*1. & *ibi* Hostien.& Ant.Sotus 4.*dist.*25.*q.*1.*art.*1.*ad* 2. Angel. *ordo* 2.*in prine.*Sylu.*ordo* 3 *q.*2. Tabien. *verb. Abbas q.*2. Armil.*ibi n.*6. Ioan.& Archidiaconus *c.quoniam, dist.*69. & dicunt hi Doctores sic habere vsum.

13 Quartò notat quoad locum, in quo possunt conferre hi Abbates prædictos Ordines, quòd non possunt in omni loco, sed solùm in suo monasterio, vt expresè habetur *d.c.quoniam , & d.c.cùm contingat* ; potest etiam in alio monasterio, si inuitatus sit à Prælato illius, & sit exemptum:si enim exemptum non est, potest Episcopus prohi



prohibere.Sic Angel.*ordo* 2.*initio.* Sylu.*ordo* 3.*q.* 2. Tabien.*verb.Abbas,q.*2.& *ibi* Armil.*n.*7.

14 Quintò nota quoad personas,quibus possunt hi Abbates conferre Ordines ; non enim possunt omnibus indifferenter sed monachis sibi subditis, & si habeant iurisdictionem, quasi Episcopalem in aliquos laicos possunt illis etiam Ordines conferre, vt habetur expresè *c. Abbate, de priuileg. in 6.* vbi etiam additur posse Abbates conferre Ordines his, qui ad sua monasteria conuolauerint,id est,qui adierint, vt fiant monachi, vt explicat *ibi* Gloss.*verſ.conuolauerint,*Angel.*ordo* 2.*init.* Tabien. *verb. Abbas,q.*2.Armil.*ibi num.*6.Rosella *ibi initio,* Sylvest. *ordo* 3.*quæst.*2.

15 Aduerte tamen quòd licèt possit dare Nouitio Ordines, vt patet ex dictis:at non expedit , vt det ante professionem. Sic Rebuffus *praxi benefic.tit.de clericis à quibus,& quomodo creari debent,num.*17.& 18.at valeret(inquit) prima tonsura ei collata,licèt ante professionem exiret,quia non annullatur,id quod iure factum est.*cap.iuris factum,de reg.iur.in* 6.Vnde minus bene Palud.4.*dist.* 24.*quæst.*3. dicit quòd si Abbas non habens iurisdictionem quasi Episcopalem det Nouitio primam tonsuram, & ille exeat ante professionem , vel si habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & det Nouitio , qui esset sæcularis;non posset dare , quia non est ex laicis sibi subditis, & ille exeat ante professionem,non est clericus.

16 Maius autem dubium est , an si Abbates conferant hos Ordines aliis,quàm his quibus possunt conferre, scilicet non sibi subditis,teneat factum,sicut teneret factum, si Episcopus ordinaret non sibi subditos:& viderut non tenere factum ; quia tantùm possunt Abbates ex priuilegio conferre, quo cessante non valeret ordo ab ipsis collatus, vt patet ex *dictis dub.præced.* ergo si ordinent alios, quàm contentos in suo priuilegio , non tenet factum, ad ordinandum enim illos non habent priuilegium : sic tenet Palud.4.*dist.*24.*q.*3.*num.*12.

17 Cæterùm oppositum est probabilius, scilicet valere, & sic iuxta hoc dicendum est , quod priuilegium quoad posse conferre hos Ordines est absolutum , aliàs dicendum esset, quòd si conferrent hos Ordines extra suum monasterium , subditis tamen ; non teneret Ordo , cùm priuilegium etiam contineat , quoad tantum in suo monasterio, vt diximus,quod tamen videtur absurdum:at verò quoad iurisdictionem requisitam ad bene,& licitè cõferendum, est limitatum , scilicet in suo monasterio , & subditis. Sic tenent Boatius *d.c cùm contingat* , & *ibi* Panorm.*num.*1. Archid.*d.c. Abbates* , & *ibi* Glossa *verſ.tonſuram,* & *ibi* Ioan.Andr.& Francus *num.*1. Turrecr. alios referens *d.c.quoniam.num.*10.Tabien,*verb. Abbas, quæſt.* 2 Rosel.*ibi initio,num.*1. & expresè colligitur ex Doctoribus citandis *covol.sequenti.*

18 Hinc fit quòd Abbas si sit electus , & confirmatus Episcopus,non tamen consecratus , vel sit datus administrator Ecclesiæ Cathedralis vacantis , posset subditos illius Episcopatus initiare Ordinibus minoribus, sicut posset subditos Abbatiæ. Ratio , quia prius hos non potetat ordinare non ex defectu potestatis , sed ex defectu iurisdictionis , quàm modò habet;ergo. Sic colligitur ex Doctoribus *proximè citatis,* & tenet Felinus *c. eam te;de rescript.num.*8 & tenent expresè alij ; dicunt enim , posse ordinare monachum non sibi subditum de licentia sui Prælati, si exemptus sit, hi sunt Glossa *d.c.quoniam , verſ. monaſterio,*& *ibi* Turrecrem.*num.*9. Rosel. *verb. Abbas, num* 1.Ioan.Andr.Hostien. quos refert & sequitur Francus *d.cap. Abbates.ſine,*& *ibi* Dominicus.

19 Tandem nota quòd iam Trident.*sess.*23.*c.*10.*de refor.* sustulit hoc priuilegium Abbatibus conferendi Ordines; ibi enim decernit, quòd nullis Abbatibus , quantumuis exemptis,nec aliis quibuscumque exemptis , liceat, nisi Regularibus sibi subditis, primam tonsuram , & Ordines minores conferre ; non obstante quocunque priuilegio, vel consuetudine,etiam immemoriali:sed hoc spectet ad Episcopos,intra quorum diœcesis fines existunt.Sic notat Barth.à Ledes.*de sacram.Ordin.dub.*11.*for.*1164. Henriquez *lib.*14.*d.regular.c.*18.*n.*2.& in commento *in P.*

20 Sed hoc non caret difficultate , & probabilius esse credo non reuocare Trident. hoc priuilegium concessum VII. Synodo generali *cap.*14. & habetur *cap. quoniam,dist.*69 at reuocatio decretorum Concilij sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio his verbis,*non obstante aliqua lege,vel constitutione , etiam in Concilio generali statuta,*vt colligitur ex *cap.ex parte , & cap. vltimo,de capellis monach.cap. eam te.de ætat. & qualit. c. nonnulli,de rescript.*& tenet Couar.4.*var.cap.*16. *num.* 6. Archidiaconus *cap.*1.*de constit.in* 6.Felin.*cap.nonnulli,de rescript.*Alex.*cons.*187.*lib.*5. Iacobatius *tract.de Concilijs, lib.*5.*art.*18.Nauar.ſumm.in Latina noua *cap.*27.*num.*265. & per hoc dicit Nauar.*ibi,* priuilegium concessum Religiosis *clement. dudum de specul.* quia est Concilij generalis, quòd scilicet si sine iusta causa repellantur ab Episcopo , censeantur approbati, non derogari per Trident. *sess.*23. *cap.*15. decernens non posse Regulares audire confessiones,nisi sint ab Episcopo approbati. Quia Trid. *ibi* dicit, *non obstantibus quibuscunque priuilegijs , & consuetudine etiam immemoriali* , & non dicit expresè , non obstante decreto Concilij generalis : cùm ergo in nostro casu Trident. *sess.*23. *cap.* 10. tantùm dicat non obstante quocumque priuilegio , & consuetudine etiam immemoriali,nec dicat, non obstante decreto Concilj generalis , non censebitur reuocatum tale priuilegium Abbatibus concessum in VII. Synodo generali. Item , quia priuilegium hoc Abbatibus concessum est insertum in corpore iuris,*cap.cùm contingat , de ætat.& qualit.c. Abbatib.de priuileg.in* 6.at in generali priuilegiorum reuocatione, qualis est, quæ fit in Trident.*d.c.*10.non comprehenditur priuilegium insertum in corpore iuris,vt multis probabo *infrà dub* 21.ergo non censetur reuocatum hoc priuilegium. Et ita ego hoc tempore vidi titulum de prima tonsura Abbatis Benedicti , qui ordinauit sæculatem plenè sibi subditum; cum Notarij testimonio, quòd sic solet facere.

21 Hinc fit per Trident. *sess.* 23. *d cap.*10. derogari facultatem , quam habebant Cardinales ex consuetudine conferendi primam tonsuram , quia illam tantùm habebant ex vsu , vt diximus. At Trident. expresè reuocat consuetudinem etiam immemorialem , & in hoc consentimus cum Barthol.à Ledesma *vbi suprà.*

22 Secundò fit Concilium solùm loqui de Abbatibus, vel aliis, qui ex consuetudine sola , vel peculiari priuilegio poterant conferre Ordines minores, & non de illis, qui iure communi, vel ex concessione Synodi generalis illos conferebant quos explicuimus *in hoc dubio* ; & Iam primam facultatem reuocat , non autem hanc secundam, patet hoc ex dictis.

23 Tandem nota,quòd aliqui priores conferunt etiam primam tonsuram , & aliqui etiam Abbates non ex contentis in iure communi,de quibus diximus; sed cùm omnes hi hoc non possint,nisi ex particulari priuilegio , promoti ab his debent ostendere tale priuilegium,super quo fundant intentionem suam.*l.actor.C. de probat.* aliàs non proderit eis tonsura à talibus suscepta. Sic Parisius *consil.* 125.Rebuffus *praxi benefic.tit.de clericis,à quibus & quomodo creentur.n.* 15. & 16. quod maximè verum est post Trident.*d.sess.*25.*cap.* 10. quod derogat similia priuilegia antea concessa.

## DVBIVM XX.

*Quis minister sacramenti Ordinis necessitate præcepti.*

1 POstquam egimus, quis sit minister necessarius necessitate Ordinis , & sacramenti; restat nunc agere quis sit necessitate præcepti,id est, qui habeat iurisdictionem ad licitè conferendum Ordines , & ad dandam licentiam

Universidad de Deusto
Biblioteca



centiam (quam literas dimissorias, seu reuerendas vocant) proprio subdito, vt ab alieno Episcopo ordinetur.

2 Prima conclusio. Proprius Episcopus est minister necessarius necessitate præcepti, ita vt peccet mortaliter, qui ab alieno Episcopo recipit Ordines absque licentia proprij, quam reuerendas vocant. Patet, quia contrauenit præcepto iustissimo, quo præcipitur, vt quilibet à proprio Episcopo ordinetur, vel ab alio de eius licentia, *c. 1. & 2. de tempor. ordinat. in 6. & cap. 1. dist. 67.* quod est Anacleti Papæ, & *cap. Episcopus, dist. 24.* quod est Concilij generalis Carthagin. IV. *cap. 22.* & Trident. *sess. 23. cap. 8. & sess. 14. cap. 2.* vbi variæ pœnæ imponuntur contrarium facientibus; & ratio huius prohibitionis est, tum quia proprius Episcopus melius cognoscit subditos, tum etiam, quia per hoc pax inter Episcopos seruatur, tollitúrque discordia, quæ orietur ex ordinatione alieni subditi. *cap. illud, & cap. primatus dist. 71.* Sic Nauarrus summa Latina *cap. 25. num. 68. & 70.* D. Anton. *3. part. tit. 14. c. 16. §. 16.* Et aduerte quòd *d.c. Episcopus; & d. c. 1. dist. 67.* dicitur, quòd non ordinet proprius Episcopus sine consensu clericorum, & explicat glossa vtrobique, scilicet clericorum maioris Ecclesiæ, id est, canonicorum, quod intelligendum est, vt præsumantur consentire eo ipso quòd non contradicunt. Sic Hostiens. quem refert, ac sequitur Syluest. *ordo 3. quæst. 2.*

3 Imò licèt aliquis obtineat generale, vel speciale rescriptum, vel priuilegium, vt à quocunque ordinetur, non debet ordinari, nisi eius probitas, & mores testimonio Ordinarij sui commendetur. Sic habetur in Tridentin. *sess. 23. de reform. cap. 8.*

4 Nota quòd hæc licentia Episcopi debet constare per literas concludentes, vel per instrumentum publicum, vel per testes, vt *in cap. vt circa, de electionibus, in 6.* Sic Francus *cap. eos, de tempor. ordinat. in 6.* & quòd non requiratur quòd hæc licentia sit in scriptis, patet ex Trident. *sess. 24. cap. de reformat.* vbi dicitur non posse alienum subditum absque sui Prælati expresso consensu, vel literis dimissoriis ordinari. Excipe tamen casum contentum *cap. 1. de tempor. ordin. in 6.* nempe quando Episcopus Italiæ vellet ordinare vltramontanum clericum: tunc enim requiritur scriptura, quia petit illud caput, vt in hoc casu constet licentia proprij Episcopi per patentes literas; & sic dicit esse speciale in hoc casu glossa *ibi vers. literas.* Idem Francus *de cap. eos, num. 1.*

5 Secundò nota oportere quòd dictæ literæ dimissoriæ contineant excusationis causam, ob quam proprius Episcopus non potest Ordines conferre. *cap. 1. de tempor. ordinat. in 6.* ibi, *Per eius Episcopi patentes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare.* Sic Salzedo *super pract. crimin.* Bernard. Diaz *cap. 26. §* *sine licentia.* Rebuff *in praxi benefic. in formula literarum dimissor. n. 27. & 28.* Francus *cap. 1. de tempor. ordin. in 6. num. 2.* & *ibi* Palus & Dominicus, & addunt Palus, Francus, & Dominicus tales literas sine rationabili causa non excusare à pœna Episcopum ordinantem, neque ordinatos. Addit tamen Rebuff. quem sequitur Salzedo, in multis prouinciis receptum esse, vt nulla causa assignetur, quæ consuetudo valida est. Hodie tamen extat decretum nouum Trident. *sess. c. 11. de reformat.* vbi præcipitur, vt ponatur, causa in literis dimissoriis, & aliàs non suffragentur: sic enim dicitur ibi, *Facultates de promouendo non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam cur à propriis Episcopis nequeat ordinari in literis exprimendam;* & *sess. 23. cap. 3. de reform.* sic dicitur, *non liceat per alienos Episcopos ordinari, sed Episcopi per seipsos Ordines conferre debent suis subditis, nisi ægritudine sint impediti,* & cùm ægritudo ponatur gratia exempli, non arctat regulam, vt non etiam intelligatur de alio legitimo impedimento. *l. regula. §. fin. ff. de iuris, & facti ignor.* vt optimè quidam Doctor Salmantinus in annotationibus super Trident.

6 Tertiò nota quòd attentè inspiciendæ sunt literæ dimissoriæ: si enim sunt speciales, nempe vt possit à talì Episcopo ordinari, tunc si ab alio ordinetur, perinde est in omnibus, ac si ordinaretur absque literis dimissoriis. quia nullam facultatem ad hoc habuit: vnius enim concessio, alterius censetur exclusio. *c. nónne, de præsumpt. l. cùm prætor. ff. de iudic.* Sic Salz. *ibidem.* Et quando conceduntur generaliter, vt ordinetur, à quocunque antistite gratiam, & communionem sedis Apostolicæ habente, vt semper solent concedi, si Episcopus fuerit excommunicatus, suspensus, vel interdictus, vel hæreticus; vel schismaticus, non potest quis ab illo ordinari; quia talis Episcopus dicitur non habere gratiam, & communionem sedis Apostolicæ, vt bene glossa multos textus allegans *cap. quod sedem, de offic. ordin. fine.* Vnde si ab illo ordinetur, perinde est, ac si sine literis dimissoriis ordinaretur; quia ad illum non est dimissus hic ordinatus. Sic Rebuff. *praxi benefic. tit. de literis dimissoriis, num. 4. & tit. de forma literarum dimiss. num. 4.*

7 Sed quid dicendum est, si in literis dimissoriis tantùm concedatur licentia promouendi à quocunque antistite in propria diœcesi residente, non tamen additum sit vel ab alio pro eo *ibi* Pontificalia exercente, an tunc possit promoueri ab Episcopo in alterius diœcesi de licentia Episcopi illius diœcesis Pontificalia exercente? & videtur posse quia Trident. *sess. 7. c. 11. de reformat.* sic dicit, *Facultas de promouendo à quocunque non suffragetur,* &c. & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente ibi. Item, quia nil videtur interesse quòd ordinetur ab Episcopo in sua diœcesi residente, vel ab alio de eius licentia ibi Pontificalia exercente: & hæc videtur esse intentio concedentis dictas dimissorias.

8 Cæterùm dicendum est non posse ordinari in hoc casu ab alio exercente Pontificalia in aliena diœcesi de licentia Episcopi illius diœcesis. Ratio, quia nemo potest ordinari, nisi à proprio Episcopo vel ab alio de eius licentia: sed in hoc casu proprius Episcopus non concedit licentiam, nisi Episcopo in sua diœcesi residente: ergo. Secundò, quia *d. cap. 11. sess. 7 Trident.* loquitur expresse in facultate generali de promouendo à quocunque, cuius victus extenditur ad Episcopum in aliena diœcesi de licentia proprij ordinantem, at in nostro casu facultas est restricta ad Episcopum in propria diœcesi ordinantem. Tertiò, quia sic videtur expresse decerni in quadam declaratione Cardinalium ad Tridentinum, vbi sic dicitur: *Episcopus in aliena diœcesi de licentia Ordinarij loci non potest ordinare, nisi personas illi subiectas, nisi habeant dimissorias generales à suis Ordinariis,* at in nostro casu non sunt generales, sed restrictæ. Sic tenet Gutierrez *quæst. canon. c. 26. à num. 27. vsque ad 30.* Manuel *2. tomo summæ, cap. 14 num. 8.*

9 Quartò nota oportere in literis dimissoriis exprimi' qui Ordines sint conferendi ratione illarum, quia concedendo recipi Ordines minores, vel Ordines absolutè, non comprehenduntur Ordines sacri. Sic Salzedo *ibi* Rebuff. *praxi benefic. de formula literarum dimissor. n. 5.*

10 Quintò nota, quòd hæ literæ dimissoriæ concedi non debent à proprio Episcopo ante legitimum examen, & approbationem, vt decernitur in Trident. *sess. 23. cap. 3. de reformat.* Creditúrque literis Episcopi asserentis esse legitimum, & examinatum, &c. facit *cap. vt circa, de elect. in 6. & cap. post cessionem, de probat.* & tenet Francus *cap. 1. de tempor. ordin. in 2. num. 2.* Cardin. *clement. ne Romani, de election. & d. cap. per cessionem,* Rebuff. *praxi benefic. formula liter. tonsuræ, n. 15. & 18.* & ratio est, quia hoc non est in alicuius præiudicium. Quare quando est in alicuius præiudicium, non creditur illis, sed maior probatio requiritur, vt benè Card. *d. cap. post cessionem.* Vnde si Episcopus virtute priuilegij Papæ exerceret Pontificalia in aliena diœcesi, cùm hoc sit in proprij Episcopi præiudicium, oporteret, vt ordinati retineant priuilegij exemplum, aliàs non crederur illis. Sic Rebuff. *praxi benefic. tit*



*de forma dimissor. num. 20.* & si quis veniens de longinquo cum literis sui Episcopi, negetur esse is, de quo in literis fit mentio, assertioni eius creditur, & præsumitur esse idem. Sic Baldus, & Cynus *l. 6. quia per calumniam, C. de Episcop. & cleric. in*, Francus *ibidem.* Qualiter enim debeat probari tonsura, & an sufficiat probare Ordines superiores tam ad beneficia, quàm ad alia, consule Rebuff. *d. formula literarum tonsuræ a n. 2. vsque ad 28.*

11 Aduerte tamen quòd si in literis dimissoriis dicatur, dummodo ætatis & literaturæ sufficientis, aliásque idoneus repertus fuerit, tenetur promouens illum examinare, & aliàs de sufficientia inquirere. *cap. si Episcopus, de præbend. in 6.* vbi Doctores Rebuff. *d. formula dimiss. n. 6.*

12 Sed an sat sit ratihabitio de futuro, quando scilicet quis spe ratihabitionis proprij Episcopi, id facit ad conferendum Ordines non sibi subdito; quidam enim affirmant. Ratio, quia furtum non facit, qui credit domino placere. Sic tenent glossa *cap. Lugdunensis 9. q. 2. vers. quod sanctus.* Raimundus *in summa tit. de forma consecrat. vers. in summa nota quod ordinari.* D. Thom. *4. dist. 25. in expositione literæ.* Maiolus *de irregularit. lib. 4. cap. 2. n. 7.* imò multi doctores dicunt, quòd proprius Episcopus potest postea ratam habere talem ordinationem, per *c. Solonitana, dist. 63.* dicitur enim *ibi* quidà Episcopus se relaxare, quòd, suus subditus ab alieno Episcopo sine sua licentia ordinatus sit, ac si ab ipsomet esset ordinatus. Sic glossa *c. illud, dist. 71. fine,* & *ibi* Turrecrem. & Hugo glossa *cap. 1. 9. q. 2. vers. rata.* Turrecrem. *d. cap. Lugdunensis,* vbi refert Laurentium Archidiaconum, Ioannem Andream pro hac sententia.

13 Sed dicendum est primò non sat esse talem ratihabitionem, vt Episcopus possit alienum subditum ordinare. Primò, quia Episcopus non potest talem ordinationem ratam habere, vt mox probabimus. Secundò, quia hinc præstaretur ansa Episcopis, vt hoc quæsito colore, alienos ad Ordines promouerent, ac inde innumerabilia damna orirentur. Tertiò fauet Trident. *sess. 14 c. 3. de reform.* vbi cauet, vt Episcopi titulares nullum ordinent absque expresso sui Episcopi consensu. Sic tenent Salzedo super pratica Bernardi Diaz *c. 26. §. secundus quando.* Parisius *consil. 136. volum. 4.* (summa confess. *tit. de ætate ordin. quæst. 28.* Rebuffus *praxi benef. tit. de formula dimissor. n. 11. & 29.* Mandosius *regul. 24 cancel. q. 4. num. 10.*

14 Secundò dico, quòd talis ordinatio sine licentia proprij est irrita (intellige, non quòd non teneat factum sed est irrita quoad exequutionem, vt benè Turrecrem. *cap. 1. 9. quæst. 2.*) sic enim habetur *cap. 1.* quod est ex Concilio Sardicensi, & *cap. 3.* quod est ex Concilio Niceno *dist. 71. & cap. 1. 9. quæst. 2.* quod est Calixti Papæ. Sic Salzedo *dict. cap. 26 §. & non solum.* Rebuff. *de formula, dimiss. n. 10. & 21.* Mandosius *dict. regula 24 q. 4. n. 10.*

15 Hinc fit quòd sic initiatus tonsura non gaudet priuilegio clericali. Sic testatur se vidisse iudicatum Chasłanæus *in consuetud. Burg. rubr. des iustices, §. gloss. sont c. reus, in fine.* Rebuffus *in tract. nominationum, quæst. 14. n. 42,* Salzedo *dict. cap. 26. §. & non solum.* licèt contrarium tenuerit Guido *decis. 449.*

16 Secundo fit, quòd sic promotus non potest Ecclesiastica obtinere beneficia, sicut si tonsura non esset initiatus; quia paria sunt nullam habere tonsuram, & habere inutilem: quod enim vitiosè cautum est, pro non cauto habeti debet. *l. quoties. ff. qui satisdare cogantur.* Item, quia cùm hic quoad se suspensus sit, priuatus est omni actu spirituali tendente ad sui commodum. vt scribit Anton. *cap. finali. de cleric. excommun.* & ob eam rationem redditur inhabilis ad obtinenda beneficia. *c. cùm bona, de ætat. & qualit.* & ideò si quis impetret à Papa beneficium, si non exprimat se ab alieno Episcopo esse promotum, est subreptitia impetratio; quia si Pontifex sciret, non contulisset, vel non ita facilè. Sic Salzedo *ibi §. ex quo manifestè.* Oldradus *consil. 215.* Cephalus *consil. 682. volum. 5.* Rebuffus *de formula dimissoriar. n. 22. 23. 24.*

17 Tertiò dico, quòd Episcopus non potest ratam habere talem ordinationem, nec eius ratihabitio aliquid prodest, sed tantùm Papa per literas perinde valere hoc approbare potest. Probatur, quia ratum quis habere non potest, quod suo nomine gestum non est. *cap. ratum, de regul. iuris in 6.* Sic Parisius *consil. 136. volum. 4.* Salzedo *d. cap. 26. §. secundus, & §. ea ratione.* Mandosius *d. num. 10.* & Rebuffus *de formula dimissor. n. 11. 12. 13. 14. & 29.* vbi *n. 14.* respondet ad *cap. Solonitana,* non probari *ibi,* quòd per ratihabitionem Episcopi confirmetur ordinatio. Sed Episcopus relaxat iniuriam, quam ordinatus sibi fecerat. Et idem Rebuffus *praxi benefic. tit. de literis dimissor. n. 5.* dicit hoc perinde valere impetrandum esse à Papa, & non à pœnitentiariis, qui super hoc dispensare nequeunt. *cap. 1. de tempor. ordinat. in 6. fine,* & hoc antequam recipiat alios ordines, & ei conferatur beneficium, quia si initium debile sit, superædificari validè nequit, *cap. principatus 1. quæstione 1.*

18 Sextò nota, quòd Episcopus, qui concessit literas dimissorias, potest reuocare; potest enim ea, quæ nondum effectum sortita sunt, reuocare, argum. *cap. si qua de rebus, 12. quæst. 2.* Panorm. *cap. cùm olim, vers. septimo, de maiorit.* Rebuff *dicta formula dimissor. num. 44.*

19 Secunda conclusio. Duplex est casus, in quo potest alienus Episcopus sine licentia proprij aliquem ordinare. Primus est, quando Episcopus proprius est manifestè suspensus, eo quòd ordinauit clericos alienos absque licentia proprij Episcopi: tunc possunt clerici eius subditi ordinari absque eius licentia à vicinis Episcopis; secus quando ob alias causas suspensus est. Sic habetur *cap. 2. de tempor. ordinat. in 6.* & *ibi* glossa *veos. taliter.* Dominicus *ibi, §. clericus.* Francus *ibi num. 6.* Rebuffus *dicta formula literarum dimissor. n. 19.* Sylvest. *Ordo 3. q. 8.* Rosel. *verb. ordinator. num. 6.* & Sylvest. *verb. irregularitas, q. 9.* & *ibi* Angel. *num. 32.* Armil. *verb. Ordo, num. 16.* Salzedo *d. cap. 26. §. tribus tamen.* dicunt tamen Salzedo, *ibi,* & Rebuffus *ibi num. 19.* quòd ordinati tenebuntur probare Episcopi suspensionem per declarationem Metropolitani, alioquin non crederur ordinato, per *cap. cùm secundùm leges, de hæret. in 6.* Doctor *cap. cùm in iure, de offic. deleg.* & nota circa hunc casum, quòd tunc dicitur manifesta suspensio, cùm est notoria facti; quia scilicet manifestè Episcopus ordinauit alienos sine licentia proprij, vel est notoria iuris, quia scilicet est conuictus, vel confessus in iudicio. Sic Sylvest. Angel. Rosel *locis citatis.* Glossa *eod. cap. 2. vers. manifesta.* Secundò nota, quòd in hoc casu *d. c. 2.* solis clericis permittit ab alieno Episcopo ordinari; secus laicis, quia non subest tanta necessitas, vt laicus ordinetur, quanta, vt clericus ascendat ad superiores ordines. Sic Anchard. *d. c. 2. notab. 4,* Dominicus *ibi §. clericis.* Francus *ibi num. 2.* Perusinus *ibi notab. 2.* Rebuffus *loco hic citato, num 18.* Tertiò nota, quòd in hoc casu dicit *d. cap. 2.* vt possit ordinari à vicinis Episcopis, quia per eos de vita, & moribus ordinandorum melius potest sciri, quàm per remotos, & intelligendum est, quòd possunt vicini Episcopi talem ordinare in sua diœcesi; quia non intrabunt diœcesim suspensi absque sua licentia. Glossa *d. c. 2. vers. vicinis.* Quartò nota, quòd dicunt non posse Archiepiscopũ vicinum ordinare in hoc casu; quia textus dicit, ab Episcopis vicinis, & non venit Archiepiscopus nomine Episcopi, nisi in propria diœcesi. Sic Francus *eod. cap. 2. n. 7.* Anchard. *ibi notab. 4* Ioann. Andr *ibi.* Sed Dominicus *ibi §. clericis,* dicit fortè posse sustineri contrarium quia appellatione Episcopi venit etiam Archiepiscopus, *6. q. 4 c. 1* & notat glossa *c. quia periculosum, de sentent. excomm. in 6.* & hoc magis mihi placet.

20 Secundus casus, in quo potest quis ordinari ab alieno Episcopo sine proprij licentia, est ratione familiaritatis, potest enim Episcopus ordinare familiarem suum non subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude cessante illi conferat. Sic definitur in Trident. *sess. 23. c. 9 de reformat.*

21 Nota

Universidad de Deusto
Biblioteca



21 Nota primò, quòd hoc decretum tantùm obtinet locum in illis familiaribus, qui cum Episcopo commorantur, & præsentes suis obsequijs assistunt: si enim absentes fuerint in regione remota, etiamsi Episcopi sumptibus viuant, non possunt ab Episcopo ordinari sine literis dimissoriis proprij. Ratio, quia Episcopus in hoc casu nequit mores illius famuli nosse, ad quod hoc triennium præfixum est. Sic Salzedo *d. cap. 26. §. tertius casus.*

22 Maius autem dubium est, quid intelligatur per familiarem *in d. c. 8.* Trident. an scilicet requiratur, quòd talis famulus sit domesticus, & commensalis Episcopi, vt prætextu familiaritatis elapso triennio ordinari possit. Et videtur requiri, primò ex Trident. *sess. 14. cap. 2. de reformat.* vbi dicens Episcopum titularem non posse suum familiarem ordinare, subdit etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ: ergo nomine familiaris videtur intelligere commensalem. Secundò, quia familiaris, & domesticus sunt idem, & nomina synonyma, vt docet Gregor. Lopez *l. 6. tit. 33. part. 7. vers. domesticos.* Felin. *cap. in literis, de testib. num. 1.* Anton. *ibi.* Domesticus autem, propriè loquendo, dicitur qui habitat in eadem domo, & aliquo modo est subiectus domino familiæ. Felinus *eo n. 1.* Bald. *l. 2. C. de testib.* Speculator *tit. de teste. §. 1. vers. Item quòd est domesticus.* Ioan. Andr. *cap. finali, de verb. sig. in 6.* Archid. *cap. regula, dist. 91* & latè probat Felinus. Idem Rebuff. *tit. de verb. signif. l. 195. super §. iure proprio familiam dicimus, vers. pater autem familias appellatur,* vbi dicit, quòd domesticus dicitur, quamdiu permanet in eadem domo: vnde legans alimenta Titio, & iis, qui de sua domo sunt, intelligitur legare omnibus degentibus cum Titio. Tandem probatur ex *cap. finali, de verb signif. in 6.* vbi rogatus Papa quid intelligat nomine *suorum clericorum*, respondit quòd intelligit eos, qui recepti sunt sine fraude, & fictione qualibet, & verè tui clerici familares existunt, & in tuis expensis continuè domestici commensales, etiamsi aliquando pro tuis negotiis abesse contingat. Vbi glossa *vers. continuè*, dicit intelligi morali modo, vt aqua, & seruitus dicitur continua, & *vers. pro tuis*, dicit, quòd non sumitur ita strictè, quin etiam pro suis aliquando abesse possit. Ecce quomodo, vt aliquis dicatur suus clericus; petit textus, vt sit domesticus commensalis: commensales verò sunt, teste Rebuffo *regula 32. Cancellariæ*, qui sumptibus alicuius in eadem domo degunt: ergo à fortiori cùm petat Tridentinum, vt sit suus familiaris, requiritur, vt in eadem domo degat.

23 Sed dicendum est id non requiri, sed in hoc casu familiarem esse, qui in obsequio Episcopi intra, vel extra domum eius Episcopi expensis alitur. Pro hac parte est Panorm. *cap. in literis, de testibus, n. 5.* vbi dicit, quòd familiaris est latior vox, quàm domesticus; & *cap. cum dilectus, de cleric. non resident. n. 2.* vbi hæc dicit: Existentes in seruitio alicuius dicuntur sui familiares; & Mandosius *regula 32. Cancellariæ, quæst. 10.* vbi inquit, familiares, sunt qui alicuius seruitio se deputant ab illius alimentis pendentes. Nec obstat *cap. finale. de verb signif. in 6.* quia quoad illum casum intelligit illud, *per tuos clericos*; seu eius in hoc casu. Item, quia triennium illud datur à Tridentino, vt Episcopus norit mores familiaris: at optimè cognoscet, quando continuè in suo seruitio assistit, licèt in alia domo habitet. Item, pro hac sententia est Salzedo citatus *in notabili primo*, circa hunc casum, vbi tantùm requirit assistentiam, & quòd talis familiaris non sit absens. Idem tenuit quidam Doctor Salmantinus *in annotationibus*, quas publicè legit circa Tridentinum; & etiam tenet. Henriquez *lib. 14. de irregul. cap. 17. n. 3. & lib. 10. de ordine, cap. 12. n. 1. in commento litera D.*

24 Imò familiares, vel famuli familiarium Episcopi, qui expensis Episcopi aluntur, dicuntur familiares Episcopi, & fruentur priuilegio *d. cap. 9.* Trident. Pro hac sententia est Mandosius *regula 3. Cancellariæ quæst. 16.* vbi dicit familiares familiarium Cardinalium frui priuilegio familiarium Cardinalis, & Salicetus *l. 2. C. de Episc. & cler. num. 5.* vbi dicit, quòd si Papa reseruauit omnia beneficia suorum familiarium, censetur reseruare beneficia familiarium illius, qui est familiaris Papæ, quia seruiendo familiari Papæ, dicitur etiam familiaris ipsius Papæ: Oldradus *consil. 11.* vbi dicit, quòd si de prouentibus Hospitalis non debetur decima, non etiam debebitur de prouentibus Hospitaliorum, qui Hospitalibus deseruiunt, & tenuit quidam Doctor Salmantinus *in annotationibus* super Trident. ita tamen vt omnis fraus cesset, nec ordinum occasione plures familiares Episcopus admittat. *cap. fin. de verb. signif. in 6* Glossa *cap. 2. vers. figmento, de tempor. ordin. in 6.* & videtur clarè tenere Henriquez *d. n. 3. in commento litera Y.* vbi dicit non posse famulos familiaris Episcopi, quando non Episcopi expensis aluntur.

25 Secundò nota circa eundem casum, quòd si Episcopus conferat beneficium in ea diœcesi, potest statim ipsum ordinare familiarem, non expectato triennio. Ratio, quia tunc non ordinat prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diœcesi. Sicut si daret beneficium cuicunque extraneo, posset illum statim ordinare: quia acquirit ibi domicilium iuxta *c. 3. de tempor. ordin. in 6.* Sic Doctor Henriquez à me consultus, quamuis contrarium minus benè teneat Pettus de Ledesm. *1. tom. Summæ*, vbi *de sacram. Ordin. c. 5. post. 9. conclusionem.*

26 Tertiò nota, quòd Episcopus titularis, id est, *de Anillo*, non potest suum familiarem etiam post triennium, & quodcunque aliud tempus ordinare. Sic habetur expressè *sess. 14. Trident. c. 4. de refor.* Vnde cùm postea *sess. 23. c. 9.* id concedit generaliter Episcopo ordinario, quia analogum per se sumptum stat pro famosiori significato. Item ne detur contradictio. Sic Salzedo *d. c. 26. §. tertius casus.* Henriq *d. n. 1. in commento litera D* & quidam iuniores docti, addit Henriquez, quòd licet Episcopus titularis conferat beneficium familiari, non potest ipsum initiare; quia non habet diœcesim. Vnde in quocunque euentu est necessaria licentia sui ordinarij, vt Episcopus titularis possit illum initiare.

27 Quartò nota, quòd si diœcesanus Episcopus habentem beneficium, vel patrimonium sufficiens, & alias qualitates necessarias, noluerit ad ordines promouere, potest Legatus de latere, Nuncius Apostolicus per appellationem aditus committere viciniori Episcopo, vt si reppererit eas necessarias qualitates in eo concurrere, dimissorias literas ei concedat, vt à quocunque Episcopo suæ legationis ordinetur; & ab eodem reuerendas concedente, vel ab alio tunc ordinari poterit. Ratio, quia Legatus à latere in prouincia suæ legationis omnia potest facere quæ illius prouinciæ Præsul ordinarius, siue Episcopus siue Archiepiscopus, aut Patriarcha de potestate à iure concessa, vel per consuetudinem quæsita, potest: vt latè resoluunt Baptista Caccialupus *de vniombus, art. 3. n. 6.* Marc. Anton. *lib. 2. instit. maiorum, tit. 5. de Legatis Apostolicis, n. 83.* Sic quidam Salmantinus *in annotationibus super Trident.*

28 Tertia conclusio. Ordinati in Diaconos, vel Subdiaconos à Papa, non possunt sine eius licentia ab alio Episcopo ad superiores ordines promoueri. Sic expressè. *cum in distribuendis, de temp. ordin.* & docet Sylu. *Ordo, q. 2. vers. Nec decimo sexto,* & omnes.

29 Nota, quòd aliqui Doctores dicunt idem, quando Papa prouider alicui in Curia de aliquo beneficio, tunc enim non potest alius Episcopus illum ad ordines promouere. Sic Archid. *cap. 3. de tempor. ordin. in 6.* & *ibi* Anchar. quod Francus *ibi n. 4.* dicit verum, quando respectu illius beneficij ordinaretur; secus si respectu alterius beneficij, vel causæ ordinaretur: posset enim tunc prius Episcopus illum ordinare, nisi Papa conferret beneficium patienti defectum in ordinibus, tunc enim illorum collationem videtur de se aduocare. Idem Dominicus *ibi.* Sed melius Ioan. Andr. *ibi*, & Rebuff. *praxi benef. tit. de literis dimissoriis, n. 8.* dicunt quòd in eo, quod Papa confert alicui beneficium, etiam Episcopatum, non reseruat sibi ordines; quia oppositum nullo textu probatur.



30 Quarta conclusio. Non potest Archiepiscopus conferre ordines suis subditis in diœcesi Episcopi suffraganei absque eius licentia; quia non potest solemniter exercere actus pertinentes ad ordinem Episcopalem intra alienam diœcesim, iuxta glossam insignem *Clement. fin. de priuileg. vers. etiam celebrare.* Sic Couarr. *quæst. pract. cap. 9. n. 2.* Nec potest subditus suffraganei dare ordines, vel literas dimissorias ad ordines. Probatur ex *cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* vbi dicitur hoc tantùm posse Episcopum, de cuius diœcesi est ordinandus. Sic Francus *c. 3. de tempor. ordinat. in 6. num. 3.* & *ibi* Dominicus, Couar. *eod. cap. 9. n. 2.* Glossa communiter recepta, *cap. 1. vers. agant, de offic. ordin. in 6.* Felinus *cap. pastoralis, de officio ordin.* Rebuffus *praxi benef. tit. de literis dimissoriis, num. 7.* Perusin. *cap. nullus, de tempor. ordinat. in 6.* Salzedo *pract. crimin.* Bernard. Diaz *cap. 26. §. non tamen.*

31 Quinta conclusio. Episcopus electus, & confirmatus à Papa, nondum tamen consecratus, licèt nequeat ordines conferre, at potest concedere literas dimissorias suis subditis. Ratio, quia illud ad ordinis potestatem spectat, quam per consecrationem solam acquirit: hoc verò ad iurisdictionis potestatem, quam per confirmationem Papæ solam acquirit. Sic Salzedo *d. cap. 26. §. sine licentia.* Rebuffus *d. tit. de literis dimissoriis, num. 6.*

32 Imò si Episcopus nominatus à Rege antequam à Papa confirmetur, daret literas dimissorias, vel alia, quæ ad Episcopum pertinent, exerceret, vel si fructus receperit etiam ex nominantis permissione, quæ non potest iuri Canonico derogare, intrusus est, & iure priuatus, & inhabilis, *cap. auaritiæ, de elect. in 6.* ideò non valebit postea prouisio Papæ illi facta, nisi faciat mentionem, quòd fructus in vim solius nominationis receperit, & alios actus fecerit. Sic Rebuffus *praxi benefic. tit. de forma dimissor. iter. num. 3.*

33 Sexta conclusio. Episcopus qui renuntiauit Episcopatui, si tantùm renuntiauit loco, potest conferre omnes ordines de licentia ordinarij ordinandi: si verò renuntiauit loco, & dignitati, solos ordines minores potest conferre, & hoc de licentia ordinarij ordinandi. Sic habetur *cap. 2. de ordinatis ab Episc. qui Episcopatui renunc.* Sic tenent *l. 22. tit. 6. part. 1.* Tabien. *Ordo 3. q. 3.* Armil. *verb. ordo, num. 18.* Syluest. *Ordo 3. quæst. 5.* Panormit. Hostiens. & Anton. *d. cap. 1. de ordinatis ab Episcop. qui Episcop. renunc.*

34 Nota, quòd in dubio non præsumitur renunciasse dignitati, sed loco tantùm. Sic Gregor. Lopez *d. l. 22.* Hostiens. Panorm. & Anton. *eod. cap. 1.* & dat rationem Panorm. *ibi num. 8.* quia qui renunciat dignitati, videtur id facere propter crimen, *cap. post translationem, de renunciat.* & sic ne præsumatur criminosus: videtur renunciare soli loco, & subdit Panorm. *eo. num. 8.* quòd id, quod hic dicitur renunciare dignitati, appellatur *d. cap. post translationem*, renunciare ordini: intelligitur autem per hoc renuntiare executioni, & potestati ordines conferendi. Hæc Panorm. *ibi.*

35 Septima conclusio. Episcopus in aliena diœcesi potest de licentia Episcopi illius diœcesis ordinare non tantùm subditos illius Episcopi, sed etiam non subditos habentes literas dimissorias generales à suis Episcopis; quia licèt videatur Trident. *sess. 6. cap. fin. de reformat.* contrauenire, dum definit non posse Episcopum in aliena diœcesi ordinare, nisi de ordinarij loci expressa licentia, & tunc solos subditos eidem ordinario illius loci: at intelligitur hoc decretum, nisi illi non subditi habeant dimissorias generales à suis ordinariis; tunc enim possent ordinari iuxta declarationem Cardinalium, quam affert Gutierrez *quæst. canon. num. 26. cap. 28.* & patet ex eodem Trident *sess. 7. cap. 11. de reformat.* Idem concedit habentem dimissorias generales à suis Episcopis posse ordinari ab Episcopo in sua diœcesi residente, vel ab alio pro eo ibi Pontificalia exercente. Idem tenet Nauar. *lib. 1. consil. de tempor. ordinat. conf. 20.*

36 Octaua conclusio. Quamuis Capitulum Sede vacante poterat dare dimissorias literas ad ordines, attento iure communi antiquo, vt patet ex *cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* hodie tamen per Trident. *sess. 7. c. 10. de reform.* id correctum est: *ibi* enim statuitur, vt non possit eas dare infra annum, à die vocationis, ei qui occasione beneficij Ecclesiastici recepti, siue recipiendi arctatus non fuerit ad recipiendum Ordines, & *ibi* statuitur, quòd is, qui vltrà hos duos casus obtinet reuerendas à Capitulo, & illis initiatur, si solis minoribus ordinibus initietur, nullo priuilegio clericali gaudeat: si verò sacris, est ipso iure suspensus ab executione ordinis ad beneplacitum futuri Prælati: & in vtroque casu Capitulum subiacet Ecclesiastico interdicto. Et *sess. 23. cap. 10.* extendit easdem pœnas ad eos, qui impetrant dictas reuerendas non à Capitulo, sed ab aliis in iurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante, succedentibus: concedentes autem reuerendas sunt ipso iure suspensi per annum ab officio, & beneficio.

37 Hinc fit, quòd hodie in duplici casu potest Capitulum concedere reuerendas Sede vacante. Primus casus est, quando elapsus est annus, ex quo Sedes vacat. Probatur, quia *d. sess. 7. cap. 10.* Trid. tantùm prohibetur Capitulo dare reuerendas infra annum à die vacationis Sedis: ergo lapso anno ius antiquum non mutatur, & ideò in viridi obseruantia: ita manet *l. præcipimus, C. de appellat.* Sic Salzedo *dict. cap. 26. §. potest tamen*; & praxis sic habet. Secundus casus est, quando quis ratione beneficij Ecclesiastici recepti, vel recipiendi arctatus est ad ordinem recipiendum; tunc enim potest Capitulum etiam infra annum reuerendas concedere, vt habetur *d. cap. 1.* Vnde non sat est quoduis beneficium ad hoc, sed illud, quod arctat, & obligat ad talem ordinem: vt qui recepit curatum, tenetur intra annum sacerdotio initiari, *cap. licèt canon. cap. cum in cunctis, de elect. in 6.* & omnes Canonicatus, & portiones requirunt ordinem sacrum. Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* vel si ex fundatoris dispositione ius habeat quis ad capellaniam, quam nequit obtinere, nisi sit Presbyter, vel ex statuto, vel constitutione particularis Ecclesiæ beneficium illud exigat certum ordinem. Sic Henriquez, & quidam Doctor Salmantinus.

38 Hinc fit, quòd ad titulum recipiendi gradum Licentiati in Theologia, licèt talis gradus necessariò exigat Ordinem sacrum, non potest Capitulum intra annum Sedis vacantis dare reuerendas. Ratio, quia non est beneficium. Sic Henriq. & ille Doctor Salmantinus. An verò possit Capitulum intra annum Sede vacante dare licentiam alicui Episcopo, vt in ea diœcesi ordinet habentes licentiam sui ordinarij, dicam *infrà dub. 25.*

39 Nota tamen, quòd Sede Apostolica vacante tunc sacro Collegio Cardinalium non videtur prohibitum dare reuerendas, quia Trident. *d. sess. 7. c. 10.* non videtur illius vacantis Sedis iurisdictionem limitare. Sic Salzedo *ibi* Maiolus *de irregular. lib. 4. cap. 5. n. 5.*

40 Nona conclusio. Officialis Episcopi, seu vicarius eius Generalis in spiritualibus, quem Hispanè vocamus *el Prouisor* (hæc enim duo nomina, *officialis* & *vicarius*, synonyma sunt, vt latè contra alios probat Bernard. Diaz *pract. crimin. c. 3. num. 1. & 2.*) non potest regulariter dare reuerendas ad Ordines, nisi quando Episcopus in remotis agit. Sic habetur expressè *c. 3. de temp. ordin. in 6.* & tenent *ibi* Francus & Dominic. Angel. *Ordo 2. init.* Rosel. *verb. ordinator, n. 6.* Tabien. *Ordo 3. §. 1.* Sylu. *Ordo 3. q. 2.*

41 Hinc fit in generali cõmissione facta Vicario Episcopi non claudi potestatem dandi literas dimissorias, sed requiri speciale mandatum, & commissionem. Patet ex *d. cap. 3. ibi, Cum ad hoc se ipsius officium non extendat*, & tenet *ibi* Francus *num. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



42 Sed quando dicetur Episcopus esse in remotis, glossa *eo cap.3. verf.remotis*, refert aliquos dicere tunc esse, quando est extra prouinciam, aut vltra duas diætas, vel saltem vnam: at ipsa tenet hoc esse arbitrarium iudici; quam approbant Dominicus, & Francus *ibi*, & referunt Hostiensem, & alios Doctores.

43 De religiosis verò, à quo debeant habere literas dimissorias ad Ordines, est dubium. Quidam enim dicunt, quòd si sunt exempti, non possunt ordinari ab Episcopo, in cuius diœcesi morantur, sine licentia Papæ. Ratio, quia Episcopus tantùm potest ordinare suos subditos: at hi non sunt subditi Episcopo. Sic Paris, & Archid. *d.c.3.de temp. ordin.in 6.* & videtur tenere *ibi* Ioan. Andreas.

44 Sit tamē decima conclusio. Religiosi exempti possunt ordinari ab Episcopo, in cuius diœcesi sunt, quia licet exempti sint: at in iis, quæ eorum fauorem concernunt, possunt se Episcopis subiicere. Sic Rebuffus *praxi benefic. tit.de clericis, à quibus, & quomodo creentur, n.22.* Anchar. Hostiens. quos refert, & sequitur Francus *c.3. de tempor. ordinat.in 6.n.5.* Non debent tamen ordinari sine licentia Prælati Regularis, vt expressè habetur *cap. ad aures, de tempor.ordinat*, Sylvest. *Ordo 3.quæst.9.* Armil. *verb.Ordo, n.15.* Vnde his Regularibus exemptis literas dimissorias, vt à quocunque Episcopo ordinentur, debent dare Prælati Regulares: licèt Henriquez *lib. 10. de ordin.c.23.* dicat *num.4.* quòd tantùm ad ordines minores: at ad alios Episcopus, in cuius diœcesi habent domicilium proprium cum consensu Prælati Regularis, excepta Societate Iesu, quæ habet priuilegium: & sic declarasse congregationem Cardinalium. Sed contrarium vbique seruatur. Probatur nostra conclusio, quia hi non subsunt Episcopo, sed Prælati Regulares habent in illos iurisdictionem quasi Episcopalem. Patet etiam ex dicendis *dub.sequenti*. Sic docet praxis omnium Religiosorum, qui à quocunque Episcopo quotidie ordinantur habitis literis dimissoriis suorum Prælatorum Regularium. Et sic tenent Angel *Ordo 2.mitio*, Rosella *verb.ordinator, n.6.* Tabiena *Ordo 3.§.1.* Sylvest. *Ordo 3.q.2* Nauar. *lib.1.consil.tit.de tempor. ordinat. consil.21.* Fauet glossa *cap.3.de temp.ordinat. in 6.* vbi cùm dicat textus non posse Religiosos suis subditis dare reuerendas, explicat glossa *verb.subditos*, id est, *laicos*. Facit pro hac parte *d. cap.ad aures*, vbi præcipitur, ne hi ordinentur sine licentia Prælati Regularis, & Trident. *sess.23. c.10.de reform.* vbi tantùm decernitur non posse Abbates exemptos dare reuerendas iis, qui non sunt Religiosi illis subditi.

45 Vndecima conclusio. Religiosi non exempti debent ordinibus initiari ab Episcopo, in cuius diœcesi commorantur: vel cum literis dimissoriis illius à quocunque Episcopo. Nec possunt Prælati Regulares his Religiosis dare reuerendas. Ratio, quia hic actus est iurisdictionis quasi Episcopalis: at in hos non habent Prælati Regulares hanc iurisdictionem, cùm subsint Episcopo, in cuius diœcesi commorantur. Sic etiam habetur expressè *cap.3. de tempor.ordin.in 6.* & tenet *ibi* Francus *n.1. & 2.*

46 De nouitiis verò, an possint ad ordines promoueri, & à quo Episcopo initiari debeant, dixi *lib. 6. summæ, cap.10 num.18.*

## DVBIVM XXI.

*An Abbates, & alij Prælati, qui non sunt Episcopi habent tamen iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos seculares, possint illis dare literas dimissorias ad Ordines, vel hoc solum possint Episcopi.*

1 HOc dubium agitandum est primò stando in iure communi antiquo: deinde attento iure nouo Concilij Trident. *sess.23.cap.10.de reformat.*

2 Et in primis, quòd etiam attento iure communi antiquo hoc non possunt Abbates, & dicti Prælati, probatur, quia *cap.3.de temp.ordin.in 6.* dicitur solùm Episcopum, & non inferiores Prælatos posse has literas dimissorias dare. Vbi glossa *verf. Prælati*, dicit, nec Abbates, nec Archidiaconos hoc posse, & *ibi* Francus *num.1.* dicit idem Mandosius *de signatura gratiæ, tit.licent.ad Ordines se promouen. faciendi, §.nec quis mireturi*. Item, quia appellatione diœcesani non venit ordinarius Episcopo inferior, licèt in loco iurisdictionem habeat. Glossa *Clement.1.de vita & honest.cleric. verf.diœcesani.* & *ibi* Imola *n.12.* Glossa *Clement.1.de iure patr. verf.diœcesanis*, & *ibi* Imola *n.3.* & *ibi* Cardin. *q.5.* Imola *c.de monachis, de præbend.* Cùm ergo hoc sit proprium Episcopi diœcesani, non poterunt Abbates, & reliqui Prælati non Episcopi.

3 Cæterum tenendum est stando in iure cōmuni antiquo hoc posse Abbates, & Prælatos illos, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, ita vt in illa diœcesi non habeat iurisdictionem Episcopus. Et ratio est, quia huiusmodi Abbates, & Prælati possunt omnia, quæ possūt Episcopi spectantia ad potestatem iurisdictionis, ad quā manifestum est spectare potestatem dandi literas dimissorias ad Ordines. Quod ex sequentibus probatur, quia *Clem.1. de foro comp.* habetur petendum esse licentiam à diœcesano, vt expulsus Episcopus à sua diœcesi possit exercere iurisdictionem in alia: & tamen dicit *ibi* glossa *verfic.diœcesanus*, non intelligi Vicarū Episcopi, sed nomine diœcesani intelligi Episcopum, vel qui habet iurisdictionem quasi Episcopalem in aliquo loco; ita vt Episcopus non possit eam exercere ibi nā si Episcopus posset, licèt etiam ipsi possent, debet Episcopus. Idem Imola ibi *n.38.* Idem Card. *ibi §.volumus.q 4.* & *§.fin.q.2.* & Paulus *ibi*. Secundò probatur idem, quia plures textus determinant Episcopi esse cōpellere executores negligentes exequi testamētum. Sic habetur *c.si haredes, & c.tua nobis, de testam.* & Trid. *sess.22.c.8. de reform.* & *cap.Ioannes de testam.* dicitur hoc esse munus diœcesani: & tamen communis sententia tenet nomine Episcopi in hoc decreto intelligi illum, qui habet iurisdictionem quasi Episcopalem, seclusō Episcopo, siue is appelletur Abbas, siue Archidiaconus. Sic Couar. *c.Ioannes, de testam.n.1.* Ioan. Andr. Panormit. Barbatius *ibi*, Felin. *cap.cùm olim, n.2. de præscript.* Tertiò probatur, quia *Clem.1. de reb. Eccles. non alien.* dicitur non posse alienari rem Ecclesiasticam sine consensu proprij Prælati; & tamen glossa *ibi, verf.propriis*, & Imola *ibi n.9.* Paulus *ibi.* Panorm. *c.2. de transact.* & *c.1. de voto.* Decius *cap.auaritiæ, de præbend.* Innoc. *c.2. de transact. fine*, dicunt hunc Prælatum esse Episcopum, vel Abbatem habentem Ecclesiam pleno iure subiectam, & iurisdictionem quasi Episcopalem. Et dat rationem Imola, quia hi Vices-Episcopi gerunt. Quartò probatur, quia *c.sicut, de excess. Prælat.* dicitur, quòd Episcopi est Ecclesiarum suæ diœcesis vnio: & tamen dicit Panorm. *ibi n.3.* quòd Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, hoc possunt; quia (inquit) vnire est iurisdictionis Episcopalis. & addit, quòd possunt omnia pertinentia ad iurisdictionem Episcopalem: & circa Federicū *consil.24.* Nec obstant glossæ adductæ in contrarium, dicentes nomine diœcesani tantùm comprehendi Episcopum, & non alios habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, quia id intelligitur in materia concernente officium, & dignitatē Episcopi: secus quando potiùs iurisdictionem, vt benè Felin. *d.cap.cùm olim, n.2.* Panorm. & Barbat. *dict c.Ioannes*, & *ibi* Couar. *n.1* Quintò probatur idem, quia iure cōmuni semper fuit necessaria licentia Episcopi ad audiendas confessiones, & nunc clariùs per Trident. *sess.23.cap.15. de reformat.* id requiritur: at hi Abbates in sua diœcesi dant licentiam audiendi confessiones, reseruant casus, vt constat ex praxi: imò non sat est esse, licentiam diœcesani, vt quis audiret confessiones subditorum huiusmodi Abbatum, vt tenent Card. & Panorm. quos refert, & sequitur Sylvest. *confess. 2.quæst.7.* Præterea probatur nostra sententia, quia iure communi Capitulum Sede vacante concedit reuerendas, *cap. 3. de tempor. ordin.in 6.* quia succedit in iurisdictione



ctione Episcopali: sed in nostro casu est eadem ratio, quia si Abbates habent iurisdictionem Episcopalem: ergo idem est de illis dicendum, quia constitutio extenditur ad casum similem, quando est eadem ratio: nec ista est extensio, vt etiam in pœnalibus tenet glossa, *c.1. de temp.ordin.in 6. verf. Italiæ.* Tandem probatur, quia Regulares exempti possunt dare suis subditis Regularibus reuerendas, vt tenet communis, & dixi *dub.præcedenti*; quia habent in ipsos iurisdictionem quasi Episcopalem: cùm ergo hi possunt hac ratione, poterunt etiam alij habentes eandem iurisdictionem, & sicut illi, ita & hi comprehendentur nomine Episcopi. Et Panorm. *cap. quæsitum, de rerum permut.n.4.* dicit esse reseruatum Episcopis interponere authoritatem permutationi beneficiorum; & tamen id dicit posse huiusmodi Abbates, *cap.ad Abbates: ad finem, de priuil.in 6.* dicitur hos habere iurisdictionem quasi Episcopalem. Pro hac sententia est Innoc. *tit.de clericis peregrin.in rubr. num.3.* vbi hæc dicit, Abbates exempti possunt dare reuerendas, quando ita sunt exempti, vt Episcopus non habeat iurisdictionem quoad suos clericos. Idem Mandosius *regula 24. Cancellariæ, num 8.* Ioan. Andr. *cap.3. de tempor. ordin.in 6.* & *ibi* Francus *num.5.* & Nauar. *lib.4.consil.tit.1. de sponsal. consil. 5.* vbi dicit posse Abbates omnia iurisdictionis, quæ potest Episcopus, in nouis est *lib.5. consil.tit. de priuileg.consil.23.*

4 Ex dictis patet solutio adducta in contrarium.

5 Maius autem dubium est, an post Trident. hoc idem liceat Abbatibus, & aliis Prælatis dictis. Videtur enim id non licere iam per Tridentin. *sess.23.cap.10. de reform.* vbi sic dicitur, *Abbatibus, & aliis exemptis non liceat intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiāsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuique qui Regularis sibi subditus non sit, Tonsuram, vel minores ordines conferre, vel literas dimissorias, vt ab aliis ordinentur, clericis sæcularibus conferre, sed hæc omnia spectent ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existunt, non obstante quouis priuilegio, vel consuetudine immemoriali.* Et sic Salzedo *pract. crim.* Bernard. Diaz *c.6. verf. sine licētia*, dicit post Tridentinum non licere iam Abbatibus dare reuerendas: & Bart. à Ledesma summa Sacramentor. *mater. de ordine, dub.11. fol.* 1164. dicit per hoc decretum tolli facultatem, quam habent hi Abbates conferendi tonsuram, & ordines minores: & sic idem debet dicere de facultate conferendi reuerendas, quia eodem tenore verborum dicit vtrumque Trident. & tenet expressè Nauar. *lib.1. consil. de tempor. ordinat. consil.22.* Viualdus *appendice ad candelabrum sacramentorum, cap.8. num.13.* Henriquez *lib.14. de irregul. c.18. num.2. in commento, litera P, fine.* Manuel *2. tomo summæ, cap.10. num.6. conclus.6.* & huius sententiæ sunt multi Episcopi, qui nullo modo admittunt literas dimissorias horum Abbatum.

6 Cæterùm probabilius esse credo posse post Tridentinum. Ratio, quia licet Tridentinum id non concedat Abbatibus, imò dicit, Nō *liceat Abbatibus*, &c. & est opus videre clausulam derogatoriam, quam ponit, & iuxta illā regulandum est decretum: si enim non habeat clausulam derogantem, est signum, quòd Concilium id non concedit; at si aliunde est concessum, id non derogat. Quod probatur ex doctrina Antonij à Corduba super priuilegia mendicantium, *verb. dispensatio, fine*, vbi refert Doctorem Ortiz, dicitque cum illo, quòd omnes exceptiones, & limitationes, quas Pontifices faciunt in suis decretis, & constitutionibus, tantùm limitant ipsas concessiones, in quibus ponuntur tales limitationes, si non sit clausula derogatoria; v.g. Martinus V. concessit fratribus S Benedicti posse dispensare in omni irregularitate, etiam ex homicidio voluntario occulto, cum suis Monachis, qua gratia per communicationem gaudent omnes Mendicantes: postea Sixtus IV. concessit posse dispensare in homicidio casuali, cum exceptione expressa homicidij voluntarij. Quærit ibi Corduba an possint virtute prioris concessionis dispensare cum suis Monachis in irregularitate homicidij voluntarij occulti. Et respondet posse, quia (inquit) exceptiones Sixti IV. tantum intelliguntur limitare illam concessionem, in qua ponuntur, quod perinde est, ac si diceret, per hoc priuilegium non tibi concedo hanc facultatem, non tamen aufero, si aliàs illam habes: & non intelliguntur limitare alias cōcessiones à se, vel à suis prædecessoribus concessas. Et sic iuxta hæc attēdenda est clausula derogatoria Concilij, & secundùm illam iudicandum: at per illam Concilium non derogat iuri communi, quo poterant hi Prælati dare literas dimissorias, sed tantùm priuilegiis, & consuetudinibus: ergo tantùm intelligitur de Abbatibus, & aliis Prælatis, quibus competebat ex iure communi, sed ex vsu, vel priuilegio dare reuerendas: illis autem, de quibus probaui, quòd id habent ex iure communi, nil derogat. Probatur minor, quia tantùm derogat consuetudinibus, & priuilegiis: at in generali derogatione priuilegiorum non comprehenditur insertum in corpore iuris communis, vt benè docent Gregor. Lopez *l.2. tit.18. part.3. verf. A partadamente.* Glossa *l. heres absens. ff. de iudic.* & *Auth. qua in prouincia, C. vbi de crimin. agi oport. verfillic, in fine*, & *ibi* Bart. & Bald. Felin. *c.1 de rescript. n.12.* Perez *lib.4. ordin. tit.4. l.22 fol.*837. Menoch. *de præsumpt. lib.6. præsumpt.40. n.25.* Et ratio est, quia priuilegium est, quod est in priuato concessum; quare si insertum est in corpore iuris, non dicetur propriè priuilegium, *cap. priuilegia, dist.3.* quod est D. Isidori, & *l.1. ff. de constit. Princip.* & *l.2. tit.18. part.3.* & *ibi* Gregor. Lopez *verf. A partadamente.* Secundò probatur eadem minor, quia quādo idem Tridentinum voluit derogare iuri communi, id expressit *sess.7. cap.10. de reform.* Sic enim dicit, *Non possit Capitulum Sede vacante dare reuerendas tam ex iuris communis dispensatione quàm cuiusuis priuilegij, vel consuetudinis vigore.* Vbi ergo tantùm derogat priuilegia, vel consuetudines, non videtur abrogare ius commune. Tertiò probatur eadem minor, quia Trident. *sess 23. c.15. de reform.* statuit, vt nullus Regularis audiat confessiones, nisi approbatus ab ordinario, non obstante quauis consuetudine, vel priuilegio, & Nauar. summa Latina noua *c.27. num.264.* & *sequenti*, dicit non abrogare per hoc priuilegium, quod habetur in iure communi, scilicet *Clement. dudum, de sepult.* quòd Episcopo sine iusta causa non admittente censeantur approbati: ergo similiter in nostro casu, cùm tantùm Tridentinum derogat priuilegia, & consuetudines, non censetur ius commune derogare. Nec Salzedo oppositum dicit; tantùm enim dicit post Tridētinum non licere Abbatibus prætextu priuilegij, vel consuetudinis dare reuerendas, quod nos fatemur. Vnde concludo decretum Concilij Trident. loqui solùm de Abbatibus & Prælatis non habentibus plenam iurisdictionem Episcopalem, quibus competit ex iure communi dare reuerendas: sed de quibusdam, qui absque hac plena iurisdictione, non ex vi iuris communis, sed ratione alicuius peculiaris priuilegij, vel præscriptionis reuerendas concedebant. Et ita hodie post Tridentinum plures Abbates, & Abbas de Alcala la Real, & alij illas conferunt non obstante dicto decreto, & multi Episcopi illas admittunt. Et sic quod post Tridentinum possint prædicti Abbates reuerendas concedere, tenet Aragon. 2. 2. *q.88. art.12. fol.*1042. *verf. quarta concl.* vbi id posse supponit, & Henriq. *lib.10 de sacram. Ordinis, c.23. n.3. in commento littera H.* videtur censere esse probabile, dicit enim esse litem sub iudice, an possint.

## DVBIVM XXII.

*Quis sit proprius Episcopus alicuius ad hunc effectum, vt possit illum licitè ad ordines promouere, & illi conferre literas dimissorias, vt ab alio ordinetur.*

1 SIt conclusio. Episcopus proprius ad hunc effectum dicitur Episcopus illius diœcesis, de qua

Universidad de Deusto
Biblioteca



promouendus est oriundus, seu in qua beneficium Ecclesiasticum obtinet, seu in qua habet domicilium, licèt alibi natus fuerit. Hæc habetur expressè *cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* his enim tribus modis potest domicilium acquiri. Qualis autem habitatio requiratur ad domicilium acquirendum, & an domicilium originis amittatur per mutationem habitationis, dixi latè *lib. 3. de matrim. disput. 23.* Quare hîc solum superest dicendum de domicilio ratione beneficij.

## DVBIVM XXIII.

*Qualiter ratione beneficij Ecclesiastici contrahatur domicilium.*

1 GLossa *cap quia in tantùm, de præbend. vers. plures,* absolutè dicit habentem alicubi beneficium, habere ibi domicilium. Alia verò glossa *cap. dilectus 2. de rescriptis, vers. domicilium*, absolutè dicit ratione beneficij non contrahi domicilium. Sit tamen

2 Prima conclusio. Clericus sæcularis non habet domicilium in loco, vbi habet beneficium, si id residentiam non postulet, nisi ibi habitationem habeat. Ratio, quia habitatio, vel habitandi necessitas iure inducta constituit domicilium: at hic nec habitat, nec iure constringitur habitare; ergo. Sic Angel. *verb. ciuis, principio.* Sylvest. *verb. ciuitas, quæst.* 4. Felinus *cap. dilectus 2. de rescript. num.* 1. vbi Butrius, Imola, & communis. Bernard. Diaz. *pract. cap.* 10. Innoc. & Panorm. *cap. ex ore, de priuil.* Rota *tit. de appellat. decisione* 19. *in nouis.* Francus & Dominicus *cap. 3. de tempor. ordin. in 6.* & patet ex *illo cap.* 3. quia *ibi* ponuntur vt diuersa, posse ordinari ratione beneficij, & ratione domicilij: ergo non semper ratione beneficij acquiritur domicilium. Idem tenent Doctores citandi pro *sequenti conclusione.*

3 Secunda conclusio. Si beneficium id requirat residentiam, sortitur clericus ratione illius domicilium. Ratio, quia residentia, seu residendi necessitas est, quæ facit sortiri domicilium, vt notat Innocent. *d. c. ex ore.* Sic Felinus *suprà n.* 2. Innoc. Panormit. & Butrius *d. cap. dilectus.* Armil. *verb. domicilium, n.* 1. Angel. *ibi, & verb. ciuis, in principio.* Sylu. *verb. ciuitas, quæst.* 4. Ioan. Andr. *cap. statutum, §. cum autem, de rescript. in 6.* Archid. *3. quæst. 6. in summa, & cap. si clericus* 11. *quæst.* 1. Baldus *l. omnes in principio, C. de Episc. & cler.* Bernard. Diaz *d. cap.* 10. Turrecrem, *cap. extra prouncias 3. q. 6. num.* 2. & communis.

4 Primò nota conclusionem esse veram, licèt clericus absit à beneficio; quia vt dixi, residendi necessitas, licèt non resideat, facit fortiri domicilium. Sic Bernard. Diaz *dict. cap.* 10. Felin. *suprà num.* 4. Panorm. & Butrius *cap. postulasti, de foro compet. num.* 4.

5 Secundo nota, quòd hoc limitant, nisi vltra decennium alibi habitaret, quàm in loco beneficij requirentis residentiam: tunc enim non dicetur habere domicilium in loco beneficij. Sic Panorm. *ibi.* Alex. de Imola *l. lex Cornelia, §. si quis, ff. de iureiur.* Felin. *suprà num.* 5. vbi addit hoc saltem esse verum in iis, quibus esset vtile ipsi non residenti habere ibi domicilium: at verò quatenus esset damnosum, fortè dicetur ibi habere domicilium in odium ipsius, nec ex delicto commodum assequatur: sed hoc (inquit) non assero, quia nullus id dicit, & Panorm. sentit contrarium.

6 Tertiò nota, quòd licèt de iure omne beneficium petat residentiam, at ex generali consuetudine beneficia simplicia eam non exigunt (excipe canonicatus, & portiones) vt tradit Felin. *d. cap. dilectus, el 2. num.* 1. Rebuff. *praxi benefic. tit. de dispensat. de non residendo, n.* 8. vnde in præsenti tantùm illa, quæ ex consuetudine requirunt residentiam, dicuntur illam requirere. Sic Felin. cum aliis, *eod. num.* 1. & Doctor Henriquez.

7 Quartò nota, quòd licet ad sortiendum domicilium ratione beneficij requiratur, vt id residentiam exigat, verùm vt ratione beneficij quis ad Ordines promoueri possit ab Episcopo loci beneficij, licèt oriundus sit ex alia diœcesi, sat est beneficium quoduis Ecclesiasticum, licèt residentiam non exigat. Patet, quia *cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* dicitur proprius Episcopus ad effectum promouendi ad Ordines Episcopus, in cuius diœcesi promouendus habet domicilium, vel beneficium: ergo cùm ponantur vt diuersa, non requiritur vt beneficium tale sit, vt ratione illius contrahatur domicilium. Item, quia *d. cap. 3.* absolutè loquitur de beneficio. Sic Francus, Ioan. Andr. & Domin. *eod. cap. 3.* & sat est beneficium quantumuis tenue. Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 10. n. 3. in commento litera O.*

8 Quintò nota quòd hoc beneficium, vt ratione illius possit quis ordinari ab Episcopo beneficij, cùm tamen ipse sit alienæ diœcesis, oportet vt sit perpetuum. Vnde non sat est beneficium in commendam, quia temporale; sed requiritur in titulum. Sic Francus, Domin. & Ioan. Andr. *eod. cap. 3.* & *ibi* Anchar. Rebuff. *praxi benefic. tit. de cleric. à quibus, & quomodo creentur, num. 21. & 20.* vbi *num.* 21. exemplificat, quando commenda esset per sex menses: si enim esset perpetua, cùm sit titulus beneficij perpetuus, videtur sat esse. Et quòd sit titulus, probat optimè Nauar. *lib. 1. consil. tit. 18. de filius presbyt. consil. 4.* alios referens.

9 Hinc infertur Collegiales, qui sunt in Collegio ad tempus, non posse promoueri ad Ordines in diœcesi Collegij, si ex alia sint; quia hoc non est perpetuum. Sic Rebuff. *eod. num.* 20.

10 Secundò infertur, quòd si quis habeat fructus præbendæ ad docendum pueros, non potest ratione huius beneficij ordinari in ea diœcesi. Ratio, quia est temporale. Sic contra Francum *eod. cap. 3.* tenent Anchar. Ioan. Andr. & Domin *ibi* & Archidiacon. *ibi.* Rebuff. *eod. n.* 20.

11 Excipe tamen Religiosos habentes beneficia manualia. *Clement. vnica, de supplen. neglig. prælat.* possunt enim promoueri; quia hæc pro perpetuis habentur quoad hoc. Rebuff. *eod. n.* 21.

12 Sextò nota, quòd si beneficium est in vna diœcesi, subiectum tamen Episcopo alterius diœcesis, adhuc potest promoueri ad ordines beneficiarius ab Episcopo, in cuius diœcesi est beneficium. Sic Ioan. Andr. *cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* sed hoc est intelligendum, vt docent Imola, & Domin *eod. cap. 3.* quando tale beneficium esset subiectum alteri quoad institutionem, vel præsentationem tantùm: secus quoad iura Episcopalis, quia tunc ille solus, cui esset subiectum, posset promouere.

13 Septimò nota, non sat esse beneficium proximè habendum, vt ratione illius possit quis ordinari ab Episcopo de cuius diœcesi non est, v. g. quidam, qui est de diœcesi Cordubensi, non est prima tonsura initiatus, præsentatur à patrono ad Capellaniam quandam Granatæ existentem, & ad eam obtinendam vult prima tonsura initiari ab Archiepiscopo Granatensi: nullatenus posse assero; quia cùm ratione beneficij fiat incola, non est talis, dum beneficium non habet. Sic quidam Iurisperitus admodum doctus à me consultus.

14 Octauò nota aliquos dicere, quòd sicut Episcopus beneficij potest ordinare beneficiarium suæ diœcesis, sic potest ordinare eius socium, dum manet socius: nam priuilegium personale respicit familiam, *cap. licèt, de priuileg. in 6. Auth. habita, C. ne filius pro patre.* Sic Ioan. Andr. *in mercuriali, cap. cuilicet, de reg. iuris in 6. vers. secundo inducitur.* Sed meritò hoc reprobat Rebuffus *praxi benefic. tit. de forma dimissoriar. n. 3. & 33.*

15 Nonò nota domicilium comparatum ex beneficio finiti beneficio dimisso. Sic. Felin. *cap. dilectus, el 2. de rescript. n.* 2. Angel. *consil.* 23. *fine.* Nauarr. alios referens *cap. non dicatis* 12. *quæst.* 1. *num.* 34.

16 Ex dictis infertur, quòd si impetrans narret se clericum talis diœcesis, & in illa habeat solum beneficium requirens residentiam, sat est, licet alibi sit oriundus; quia ratione beneficij dicitur de illa diœcesi. Sic Felinus *dict. cap. dilectus, num.* 2. Rota *tit. de rescript. decisione* 70. *in antiquis*, facit ad hoc Dominicus *c. 3. de tempor. ordin. in 6.* asserens appellatione ciuium comprehendi, qui sunt de ciuitate altero ex tribus modis, scilicet ratione originis, beneficij, vel domicilij.

17 Tertia conclusio. Habens plura beneficia requirentia residentiam, dicitur habere plura domicilia. Sic glossa *cap. quia in tantum. de præbendis, vers. plures, & cap. primatus, 71. dist. vers. à Collega.* Hoc tamen intelligendũ venit, modò vtrique beneficio deseruiat, nunc vni, nunc alteri, ita vt æquè, vel quasi æquè in vtroque resideat. Ratio, quia sola residentia, seu residendi necessitas facit sortiri domicilium: at habens Vicarium in altero beneficio, videtur super residentia dispensatus. Sic Bernard. Diaz *d. cap.* 10. Felin. *d. cap. dilectus, num.* 3. Panorm. *d. cap. postulasti, num.* 4. & *ibi* Marianus, & Ioan. Andr. Sylvest. *verb. ciuitas, q.* 4.

18 Quarta conclusio. Licèt clericus dicatur habere domicilium in loco beneficij requirentis residentiam; at non ob id desinit etiam illud habere in aliis locis, in quibus de iure habebat. Sic Felinus *dict. cap. dilectus, num.* 5. Turrecrem. *sup.* 2. Panorm. *dict. cap. postulasti, num.* 4. Ioannes Andr. *dict. cap. ex ore.*

19 Vltima conclusio. Solus diœcesanus loci, in quo situm est beneficium, dicitur iudex competens, quando agitur de materia concernente illud beneficium, licèt non petat residentiam, & licèt clericus alibi habeat domicilium. Ratio, quia illud beneficium cùm sit in Episcopi illius iurisdictione, illi tantùm subiectum est. Sic Felinus *eod. c. dilectus, num.* 9. multos referens, & latè probans.

## DVBIVM XXIV.

*Quis sit Episcopus proprius, vt possit ad Ordines promouere eiectum à Religione, & an talis possit ad Ordines promoueri.*

1 DIco primò, quòd talis potest ad Ordines promoueri, si delicta, ob quæ eiectus est, non inducebant irregularitatem, vel aliam inhabilitatem; quia non est textus id prohibens. Sic Nauar. *lib. 1 consil. tit. 14. de ætate, & qualit. ordin. consil. 9. in 2. editione lib. 3. de irregular. consil. 84.*

2 Secundò dico, quòd ab Episcopo originis est ordinandus, si habet patrimonium sufficiens, & scientiam, & alias qualitates requisitas; quia hoc domicilium semper retinetur. Sic Nauar. *ibi.*

3 Tertiò dico, quòd si eiectus erat irregularis, nec ab ea est absolutus per priuilegia Religionis antequam eiiceretur, videndum est an illa irregularitas sit ex iis, quæ sunt Papæ reseruatæ: & tunc ab eo debet dispensari, vel ex iis, in quibus potest Episcopus, & tunc Episcopus dispensabit. Nauar. *ibi.*

## DVBIVM XXV.

*An si dedit Papa alicui facultatem, vt ordinaretur extra tempora à suo ordinario tantùm, an possit ordinari ab alio Episcopo cum literis dimissoriis sui Ordinary.*

1 VIdetur enim non posse; quia à propria verborum significatione non est discendum regulariter, *cap. ad audientiam, de decim. l. non aliter, ff. de legat. 3.* At hæc concessio est limitata, vt tantùm ab Ordinario; ergo.

2 Cæterùm dicendum est posse. Primò, quia dictio *tantùm*, quæ taxatiua est, non excludit similia, in quibus est eadem ratio, vt est casus *in l. finali, C. de reuoc. donat.* vbi est casus tantùm posse reuocari donationem, ex causis ibi positis: & tamen glossa addit alium ex similitudine rationis: & *auth. cùm de appellat. cognosc, §. aliud quoque*, habetur ob solas quatuordecim causas posse filium exhæredari à patre; & tamen communis sententia ait ob causas æquè graues posse, at perinde est ordinari ab Ordinario, vel ab alio de eius licentia, ergo. Secundò, quia causa, ob quam Papa limitauit suam gratiam, fuit, ne ordinario præiudicaret suo proprio Episcopo, sed seruaretur decretum Concil. Trident. At cùm ex licentia proprij Episcopi ab alio ordinatur, non præiudicatur illi, nec Tridentino siquidem illud permittit; ergo. Sic Nauar. *lib. 1. consil. tit. 11. de temp. ordin. consil. 33 in 1. editione, & in consil. 25.*

## DVBIVM XXVI.

*An Capitulum, Sede vacante, ante annum elapsum possit licentiam concedere alicui Episcopo, vt in ea diœcesi ad ordines promoueat alienos habentes dimissorias proprij Episcopi, aut sui Prælati Regularis, vel personas eiusdem diœcesis habentes dimissorias Episcopi mortui, vel Nuncij Apostolici, vt à quocunque Antistite ordinentur.*

1 RAtio dubitandi est, quia Trident. *sess. 7. de reformat. c.* 10. ita ait: *Non licet Capitulis Ecclesiarum Sede vacante infra annum à die vacationis ordinandi licentiã, aut literas dimissorias, seu reuerendas alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione, arctatus non fuerit, concedere.* Quibus verbis corrigit facultatem, quam ad hoc habebat Capitulum Sede vacante, *c. cum nullus, §. Episcopo, de tempor. ordin. in 6. & sess. 6. de reform. cap. 5.* sic ait: *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu in alterius diœcesi Pontificalia exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario subiectas tantùm.*

2 His tamen non obstantibus, respondetur posse. Nec obstat prior Tridentini locus: nam illud verb. *ordinandi licentiam*, capitur passiuè, atque idem est, quod *reuerendas*; & Concilium potuit ordinandi licentiam, & literas dimissorias ad maiorem claritatem. Et constat quòd passiuè accipiatur propter dictionem *datiui*, quam statim subiungit, scilicet *alicui*, *&c.* Dari autem hanc licentiam Episcopo ad Ordines celebrandos, non est licentiam conferre, vt aliquis ordinetur; quia iam supponitur, quòd ordinandus debeat licentiam afferre, aut illam habere ab Episcopo iam mortuo, vel Nuncio Apostolico. Nec obstat posterior locus; quia si intelligatur, vt sonat, damnaremus, vt illicitam praxim, vel consuetudinem vbique seruatam, videlicet quòd Episcopus in aliena diœcesi de licentia Episcopi diœcesani ordinat omnes illius diœcesis, quibus proprius Episcopus dat licentiam, & insuper quoscunque alios, qui à propriis Episcopis literas dimissorias habent: & ita necessariò cogimur asserere quòd illa verba, *& in personas eidem ordinario subiectas tantùm*, debeant intelligi virtute illius licentiæ datæ à Capitulo Sede vacante, ad celebrandos Ordines: secùs si ordinandi à suo Ordinario licentiam habeant, vt docet Nauar. *lib. 1. consil. de tempor. ordin. in priori editione, consil. 20. in posteriori consil. 41.* vnde ex Trident. non potest colligi specialis prohibitio facta Capitulo Sede vacante potius, quàm ipsi Episcopo. Atque ita procedit regula generalis, quòd Capitulum Sede vacante succedit in omnem iurisdictionem iure ordinario, id est, non ex speciali delegatione competentem Episcopo, præter aliquos casus circa beneficiorum collationem, ex quibus non est iste, de quo agimus. Et ab hac regula iuris communis non est recedendum: illa est corrigenda sine textu expresso, qui hunc casum excipiat: & hic textus Concilij non est expressus, sed valdè dubius.

3 Quod tamen huic resolutioni obstare videtur, est doctrina Nuarri *lib. 1. consil. tit. de tempor. ordinat. in 1. editione, consil. 18. in 2. consil. 27.* vbi ait, quòd habenti reuerendas à Nuncio Apostolico, vt ordinetur à quocunque Antistite, dummodo habeat literas sui Ordinarij testimoniales idoneitatis petitas in Tridentin. *sess. 23. cap. 8. de reformat.* non potest Capitulum Sede vacante has literas illi conferre intra annum; quia quoad ea, quæ ad ordinum promotionem spectant, non reputatur Ordinarius eo tempore: quod idem sequitur Manuel. 2. *tomo summæ, cap. 14. num. 6.* Hanc tamen doctrinam

Universidad de Deusto
Biblioteca



veram non reputo. Primò, quia nomine Ordinarij, vbi non est specialis prohibitio, comprehenditur etiam Capitulum Sede vacante, vt de se constat, siquidem habet eandem iurisdictionem ordinariam Episcopi: & in hoc casu non est specialis prohibitio; quia Tridentinum *sess. 7. cap. 10. de reformat.* solùm prohibuit reuerendas conferre; quòd cùm sit correctorium iuris communis, non debet extendi ad literas, quæ non sunt verè tales, præsertim quia idem Nauar. & Manuel fatentur *ibi* has literas testimoniales non esse reuerendas, & ideò, qui illas conferunt, non incurrere pœnas illius decreti: nam si in illo prohiberentur, qui illas darent, incurrerent prædictas pœnas. Secundò, quia dato, quòd id esset verum, est valdè diuersus ille casus ab isto, de quo agitur; quia illud testimonium accedit magis, éstque similius reuerendis. Vnde Quaranta in summa vulgari, *cap. Sede vacante, pag.* 140 interrogans an Capitulum Sede vacante possit concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia in Ecclesia vacante, respondet posse, præterquam ad ordinandos subditos, id est, eos, qui sunt sub iurisdictione ipsius Capituli, Sede vacante infra annum, per decretum Tridentini *sess. 1. cap.* 10. & extat declaratio Cardinalium, quæ sic habet: Capitulum Sede vacante potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia in Ecclesia, & Ordines conferendi tam clericis illius diœcesis, quàm exteris habentibus dimissorias suorum Episcoporum, iuxta formã tamen huius decreti.

4 An verò si Episcopus promouet ad Ordines irregularem, vel suspensum, &c. cum quo poterat dispensare, sciebátque Episcopus impedimentum, censeatur cum eo dispensare, & ille sit ritè ordinatus, dixi latè *lib. 8. de matrimon. disp. 4. à num. 15.*

## DVBIVM XXVII.

*An cùm proprius Episcopus dat literas dimissorias alicui subdito, vt ordinetur à quocunque Episcopo, videatur illi concedere, vt dispenset cum ordinato in quacunque irregularitate, quouis alio impedimento ad Ordines, in quo posset proprius Episcopus dispensare.*

1 ALiqui affirmant, quia concesso aliquo videtur concessum id, sine quo illud consistere nequit; *l. 2 de iurisdict. omnium iudic.* Sic Sylvest. *verb. irregularitas. q. 9* Angel. *ibi num. 34. ibi* Armil. *num. 81.*

2 Cæterùm oppositum dicendum est, primò, quia priuilegium non extenditur vltra casum expressum, *cap. porrò, de priuileg. & cap. priuilegia, dist. 3.* At literæ dimissoriæ sunt priuilegium ordinandi non subditum: ergo non extenduntur ad potestatem efficiendi habilem eundem ad Ordines. Secundò, quia à separatis non fit illatio, *cap. ad audientiam, de decimis, l. Papinianus, ff. de minor.* at potestas ordinandi, & potestas dispensandi, seu habilitandi ad Ordines, sunt diuersa & separata; ergo. Tertiò, quia illa regula, *Concesso aliquo*, &c. tunc habet locum, quando concessum habet necessariò annexum alterum, ita vt sine illo non possit consistere: at potestas ordinandi potest consistere sine potestate dispensandi, & habilitandi, ad Ordines: ergo. Sic tenet Nauarr. *lib. 1. consil. tit. 11. de tempor. ordinat. consil. 17.*

3 Hinc infertur primò, quòd licèt Episcopus possit ordinare familiarem suum triennalem, iuxta Trident. *sess. 23. cap. 9. de reformat.* at non potest cum eo dispensare, si est inhabilis ad Ordines, nec in interstitiis. Patet ex rationibus positis. Item, quia potestas hæc ordinandi est exorbitans à iure communi: ergo non est extenda, *cap qui à iure, de regul. iur. in 6.* At constat potestatem ordinandi, & dandi dimissorias differre à potestate dispẽsandi in interstitiis, vel alio impedimento; ergo. Item, quia non facit talem familiarem subditum Episcopo simpliciter. Trident. *d. c. 9.* sed tantùm quoad Ordines. Sic Nauar. *cod. tit. 11. consilio 26. & 27.*

4 Secundò infertur, quòd Episcopus dans dimissorias alicui, vt ordinetur ab alio Episcopo, debet dispensare in interstitiis, vel expresè committere Episcopo ordinaturo, vt dispenset; aliàs non potest ordinaturus dispensare, vt patet ex rationibus dictis. Sic Nauar. *eodem tit. 11. consil. 47.*

## DVBIVM XXVIII.

*An initiatus prima tonsura, vel quatuor minoribus ordinibus ab alieno Episcopo absque licentia proprij, gaudeat priuilegiis clericalibus, sitque capax beneficij, vel tonsura, & in nullo profit; & an possit proprius Episcopus ratam habere hanc ordinationem.*

1 NOta primò, quòd ea, quæ dicemus *in hoc dubio*, sunt stando in iure communi; nam postea dicemus de motu proprio Sixti V. contra malè promotos, & malè promouentes edito.

2 Secundò nota, quòd non agimus de suscipiente Ordines sacros ab alio Episcopo sine licentia proprij, quia hunc esse suspensum constat per Extrauag. Pij II. sed de suscipiente primam tonsuram, vel quatuor Ordines minores: de qua re egi *suprà dub. 20.* post notabile quintum *ad 1. conclusionem.*

Duplex ergo est sententia.

3 Prima dicit huic nihil prodesse tonsuram, nec gaudere eius priuilegiis, & sic incapacem esse beneficij. nec posse hanc ordinationem haberi ratam à proprio Episcopo: non enim potest habere ratum, quòd non proprio, sed alieno nomine factum est. Pro hac sententia, quæ est satis probabilis, retuli *dict. dub. 20.* multos Doctores.

4 Secunda sententia, quæ est etiam satis probabilis, imò & probabiliorem eam credo, consistit in sequentibus dictis.

5 Primò dico quòd hic propriè non est suspensus, & sic licèt vtatur Ordine ante absolutionem, non est irregularis, sed tantùm est suspensus ad hunc sensum, quòd non licet ei vti eo Ordine, sed peccabit vtendo eo, donec illum ordinem ratificet superior, qui potest ratificare: sicut qui recipit Ordines ante legitimam ætatem, non est iure communi propriè suspensus, ita vt celebrans esset irregularis; sed ad hunc sensum quòd non recipit exequutionem: non enim potest absque mortali vti eo Ordine, donec habeat ætatem completam: vt benè docet Armil, *verb. Ætas, num. 1.* & sic omnes textus *dict. dub. 20.* allegati, qui docent hanc ordinationem esse irritam quoad exequutionem, intelligendi sunt, ad hunc sensum, quòd non licet eo Ordine vti ante dictam ratificationem. Sic Nauar. *lib. 1. consil. tit. 11. de tempor. ordin. consil. 29. & 31.* glossa *cap. eos, de tempor. ordinat. in 6. vers. statuunt.*

6 Secundò dico valere collationem beneficij huic factam etiam ante ratificationem Ordinis sic recepti à potente ratificare. Ratio, quia hic non est propriè suspensus, & sic nullo iure cauetur quod collatio sit nulla, sicut iure communi valebat collatio beneficij facta ordinato ante legitimam ætatem, quamuis eo Ordine vti non posset, donec ætatem requisitam adeptus esset. Sic Nauar. *ibidem consil. 18. 23. & 32.* Guido Papæ *decis. 449. incipiente, laicus.*

7 Nota, quòd Nauar. *ibi consil. 18.* dicit quòd debet quærere hanc ratificationẽ, licèt bona fide fuerit ordinatus, quia hoc non est per modum pœnæ, sicut in eo, qui ante legitimam ætatẽ bona fide ordinatur, est necessarium expectare debitam ætatem ad Ordinis exequutionem.

8 Tertiò dico, quòd talis ordinatio facta ab alieno Episcopo, est satis probabile, quod potest approbari à proprio Episcopo, vt optimè probat *cap. Lugdunensis. 9. q. 2. & cap. Salonitanæ, dist. 63.* Nec obstat quod nullus possit habere ratum, quod alieno nomine est factum; quia non ratificat Ordinem malè assumptum ab alieno Episcopo ea ratificatione, qua quis potest habere ratum nomine suo gestum, non autem gestum nomine alieno, sed ea approbatione, qua quis potest approbare factum ab alio in iniuriam suam, & qua auctoritate iuris potest absoluere ab aliqua censura, vel pœna, quam alius incurrit. Et de hac approbatione loquitur *d. cap. Lugdunensis*; sic tenent Nauarr. *cod. tit. 11. consil. 23. 24. 29. 32. & 42.* glossa *cap. illud, dist. 71. fine*, & *ibi* Hugo & Turrecrem. *ibi* glossa *cap. 1. 9. quæst. 2. vers. rata*, & *dict. cap. Lugdunensis, vers. poterit.* & *ibi* Turrecrem. vbi refert Laurentium, Archid. Ioan. Andr. pro hac sententia. Idem Sotus 4. *dist. 25. q. 1. artic. 3 vers. tertiò post*, Metina *C. de confess. q. de multiplici licentia alieno faciendi, vers. & quid de Ordinis sacramento*, Gabr. 4. *dist. 17. quæst. 2. art. 3. dub. 2. ad finem.* Anton. Cucus *lib. 2. instit. maior. tit. 6. num. 246.* Manuel 2. *tomo summæ, c. 14. n. 3.* quia est quædam suspensio non reseruata.

9 Hinc infert Nauarr. *ibi consil. 24.* quòd habita hac ratificatione à proprio Episcopo, manet habilis quoad alios Ordines, & beneficia.

10 Quartò dico, quòd si Episcopus excommunicet eos, qui accedunt sine debita licentia, &c. tunc talis ordinatus minoribus incurrit irregularitatem, sicut quicunque excommunicatus recipit Ordines, eam incurrit per *c. 1. de cleric. excomm. ministr. & c. si quis Episcopus, 11. q. 3.* Sic Nauarr. *ibi, consil. 31.*

11 Nota praxim absoluendi, excommunicandique, cùm ministrantur Ordines iuxta ritum Pontificalis antiqui, & noui Pij V. vt in eo habetur: initio ordinum antequam Episcopus Ordines ministret, absoluit ordinandos his verbis: *Nos* &c. *absoluimus vos ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & dispensamus vobiscum super irregularitate, vel irregularitatibus quibuscunque in quantum de iure nobis conceditur.*

12 Postea Notarius legit sententiam excommunicationis sub his verbis: *Reuerendus Episcopus*, &c. *sub excommunicationis latæ sententiæ pœna mandat omnibus pro suscipiendis ordinibus hic præsentibus, ne quis irregularis, vel aliàs à iure, vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut aliàs à iure prohibitus, sine ex aliena diœcesi sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus, & nominatus, audeat ad suscipiẽdos Ordines accedere, & quòd nullus ex ordinatis discedat nisi Missa finita, & benedictione Pontificis accepta.* Hæc ibi; & mihi affirmauit D. Ioan. Alfonsus Episcopus de Guadiz, & quidam cæremoniarum Magister antiquissimus Granatensis, quòd absolutio semper fiebat etiã quando vnus duntaxat prima tonsura initiabatur: cæterùm quòd excommunicario non ferebatur, nisi quando plures erant initiandi; quia quando duo, vel tres initiantur, iam sunt cogniti, & necessaria non erat.

13 Maius autem dubium est, an ordinati minoribus ordinibus absque literis dimissoriis legitimis, sed literis dimissoriis Capituli Sede vacante infra annum vacationis, sint capaces beneficij Ecclesiastici, stando in decreto Trident. *sess. 7 cap. 10. de reformat.* quia *ibi* dicitur ordinatos minoribus ex literis dimissoriis Capituli Sede vacante infra annum nullo gaudere priuilegio clericali: at esse capaces beneficij Ecclesiastici; est priuilegium clericale, *cap. ex literis, de transact. cap. 2. de instit.*

14 Sed dicendum est esse capaces ante sententiam iudicis, quia Tridentin. *ibi* dicit, vt hi non gaudeant priuilegio clericali: & cùm, *non gaudeant*, sit verbum futuri, non inducit priuationem ipso iure, sed requiritur sententia ad perdendum, vt docet glossa *cap. de pœnis, de regul. iur. 6.* Sic Nauarr. *lib. 1. consil. tit. 11. de temp. ordin. cons. 19.*

15 Hæc dicta sunt stando in iure communi, nam Sixtus V. anno 1588. rigidam constitutionem edidit contra malè promotos, in qua statuit illos esse irregulares, & indispensabiles etiam virtute decreti Tridentini: & eorum peccatum sibi reseruat; ita vt nec virtute alicuius priuilegij, etiam Cruciatæ, possint absolui, nisi à Romano Pontifice. Sed iam hanc constitutionem Clemens VIII. anno 1595. reduxit ad terminos iuris communis & Concilij Trident. & Extrauagantis Pij II. quoad omnia in ea contenta: præterquam quoad simoniacè promotos, & promouentes. Quare quoad hoc tantùm est in suo vigore, quoad reliqua verò standum est iis, quæ iuxta ius commune diximus *in hoc dub.*

## DVBIVM XXIX.

*An possit proprius Episcopus cogere subditos ad recipiẽdum Ordines, vel eos petentibus negare Ordines.*

1 ANgel. *ordo 3. num. 24.* dicit absolutè quòd si clericus habet beneficium, potest ipsum cogere ad Ordines recipiendos, nisi legitimè excusetur: at si non habet beneficium, non potest cogere. Sit tamen

2 Prima conclusio. Si talis habet beneficium, cui annexus est aliquis ordo sacer ex iure, vel statuto, potest Episcopus cogere ad illum Ordinem recipiendum, per beneficij subtractionem, *c. innouamus, dist. 60. cap. cùm in cunctis, de elect. c. 1. de ætate, & qualit.* & hoc, nisi sit legitimè excusatus, vt si post acceptum beneficium sine culpa sua fiat irregularis, vt si factus est cæcus, &c. Sic Sylu. dicens esse communem, *ordo 3. q. 10.* Tabien. *ordo 2. q. 16.* D. Anton. *3. p. tit. 14. c. 16. §. 18.* Supplementum, & Pisana, quos refert Sylu. Nauarr. *miscell. 48. n. 108. 109. 110.*

3 Secunda conclusio. Si verò beneficio illo non sit annexus talis ordo, non potest Episcopus ad illum ordinem cogere, nisi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ hoc exposcat; necessitas (inquam) quando Ecclesia indiget ministris, & non sunt alij idonei præter istum, quem vult Episcopus cogere. Sic Nauar. *ibi.* Et in casu, quo potest Episcopus cogere, si beneficiarius se excusat ratione criminis commissi, debet Episcopus eo remoto à beneficio quod obtinet, alios promouere, nisi aliàs esset necessarius, vel valdè vtilis Ecclesiæ, *cap quæuis, de ætate, & qualit.* Et ita intelligi potest, *cap. consulnit, dist. 74.* Si verò se excusat sola voluntate sine alia causa, debet compelli, per subtractionem officij, & beneficij, *dist. 74. cap. 3. & 4.* Si verò se excusat ratione impedimenti non prouenientis ex sua culpa, vt ratione infirmitatis, &c. cogi non debet. Sic Host. Goffred. Vlder. quos refert, & sequitur Sylu. *ibi*, Tabien. D. Anton. *ibidem.*

4 Tertia conclusio. Si talis nullum habeat beneficium, non potest cogi, quia cùm de bonis Ecclesiæ non alatur, non potest cogi. Sic Sylvest. Tabien. Angel. D. Anton. *ibidem.* Nauar. *ibi.*

5 Quarta conclusio. Si petens Ordines non sit subditus Episcopi petentis, non debet Episcopus ei concedere Ordines, si scit eius peccatum, vel impedimentum occultum. Ratio, quia Episcopus nullo iure tenetur ordinare non subditos, sed ex mera voluntate eos ordinat. Sic D. Anton. *3. part. tit. 14. c. 16. §. 11.* Sylu. *ordo 3. q. 9.*

6 Quinta conclusio. Si petens Ordines sit subditus Episcopi, à quo petit, non tenetur Episcopus, nec debet illum ordinare, si sciat habere mortale, vel impedimentum occultum, si clericus ille non habet beneficium, licèt annexus sit ordo. Ratio, quia non constringitur tunc talem ordinare, nec is habet ius petendi. Sic Sylvest D. Anton. *vbi in præced. concluſ.* Glossa *cap. ex tenore. de tempor. ordin. vers. prohibere.* & sic intelliguntur Angel. *ordo 7. num. 2.* Armil. *verb. ordo. num. 20.* Tabien. *ordo 6. n. 2.* vbi dicunt posse Episcopum denegare Ordines iis, qui beneficium non habent poscens talem ordinem.

7 Sexta conclusio. Si verò petens Ordines à proprio Episcopo habet beneficium, cui talis ordo est annexus, non potest eum Episcopus repellere, propter impedimentum occultum, si aliàs habet cætera requisita. Ratio, quia habet ius petendi, & patet ex *dist. cap. ex tenore.* Sic Sylvest. D. Anton. Glossa, Tabien. Angel. Armil. *vbi in præced. concluſ.* Vtrùm autem teneatur Episcopus secretò illum monere, vt impedimentum auferat, vel à petendis ordinibus desistat, vel possit alio colorabilli Ordines denegare, vide quæ dixi *lib. 3. de matrimon. d. sp. 15. num. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*& 12.& disp.16.num.8.& 12.& disp.12.num.8.9.11.12. & disp.14.*

8 Vltima conclusio. Si verò vitium, vel impedimentum sit manifestum, publicè potest eum repellere; quia nullam irrogat iniuriam, cùm impedimentum publicum sit. Sic Sylvest.& D.Anton. *vbi supra.*

*De recipiente Ordines.*

SVMMARIVM.

30 *An fœmina sit ita iure diuino incapax Ordines recipiendi, vt si de facto ordinaretur non teneret ordo.*

31 *An hermaphroditus sit capax Ordinis, ita vt si ordinetur, teneat factum.*

32 *An ætas determinata sit de necessitate sacramenti in sacramento Ordinis, vel sat sit quæcunque ætas etiam ante vsum rationis, vt sacramentum hoc collatum sit validum.*

33 *Qualis ætas requiratur ex necessitate præcepti, tam ad Ordines sacros, quàm ad minores.*

34 *Quale beneficium, vel patrimonium debeat habere promouendus ad Ordines.*

35 *Quale beneficium, vel patrimonium requiratur post Trident. sess. 21. c. 2. de reformat. vt quis titulo illius possit ad Ordines promoueri.*

36 *An clerici patrimonium ad cuius titulum sacros Ordines recipit, habeat priuilegia iure concessa bonis Ecclesiasticis, scilicet vt de illo non soluatur decima: item non possit alienari sine solemnitatibus requisitis ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum.*

37 *An vt promoueatur quis ad Ordines minores, requiratur beneficium, vel patrimonium, vel tantùm ad ordines sacros.*

38 *An renunciatio beneficij, vel patrimonij, ad cuius titulum aliquis ad Ordines sacros promouetur, valida sit.*

39 *An si quis habens patrimonium ordinetur non facta patrimonij mentione, censeatur ad illius titulũ ordinatus.*

40 *An qui habens patrimonium, & ad titulum illius est initiatus Subdiaconatus, & postea renunciauit, nullum aliud beneficium, vel patrimonium habens, & initiatus est Diaconatu, & Sacerdotio ostendens prius testimonium patrimonij, tacénsque renunciationem postea factam, incurrat pœnas statutas contra eos, qui absque patrimonio initiantur.*

41 *An qui ficto patrimonio initiatus est Subdiaconatus, possit absque nouo patrimonio vero ad superiores Ordines ascendere.*

42 *An qui recepit donatione prædium, vt ad titulum illius ad Ordines promoueretur, & postea contraxit debita, vel promisit sorori certam summam, vt nuberet, quæ sunt maiora valore prædij, possit ad illius prædij titulum ad Ordines promoueri.*

43 *An patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est, possit sine licentia Episcopi vendi, antequam quis sit adeptus beneficium, vel aliunde habeat, vnde commodè viuat.*

44 *An si pater melioret filium, vt bona illa sint patrimonium, ad cuius titulum ad Ordines sacros promoueatur, possit post promotionem reuocare hoc.*

45 *Qualis scientia requiratur in eo, qui ad Ordines promouendus est.*

46 *An vitæ, & morum honestas requiratur in promouendo ad Ordines.*

47 *Quid requiratur, vt clericus peregrinus possit in aliena diœcesi celebrare.*

48 *An si fundans Capellaniam ex propriis bonis præcipiat vt Capellanus teneatur dicere tot Missas in hebdomada, talis Capellania requirat actu Ordinem sacrum.*

49 *An clerici teneantur deferre habitum, scilicet vestes clericales; & tonsuram quæ clerica dicitur, id est corona.*

DVBIVM XXX.

*An fœmina sit ita iure diuino incapax Ordines recipiendi, vt si de facto ordinaretur, non teneret ordo.*

1 QVidam teste D.Bonauent. *vbi infrà*, dixerunt fœminam tantùm de necessitate præcepti non posse ordinari: & sic, si ordinetur, tenere factum. Et D. Bonauent. oppositum tantùm vocat opinionem saniorem, & Palud. *4.dist.25.quæst.3. art.* 1. dicit esse capacem primæ tonsuræ ex Papæ dispensatione; quia non est sacramentum, sed sacramentale: & quod tenendo reliquos Ordines præter sacerdotium esse sacramentalia, & non sacramenta, & probabile esse illorum capacem, ex dispensatione Papæ. Probatur, quia antiquitus Ordines suscepêre, vt patet ex *cap. Diaconissam. 27. quæst.* 1. vbi dicitur Diaconissam ante annos quadraginta non debere ordinari; & *c.fin.dist* 32. fit mentio de mulieribus, quæ apud Græcos erant presbyteræ.

2 Cæterùm vt certissimum tenendum est iure diuino esse incapacem ordinum. Quod primò constat ex Ecclesiæ traditione, quæ nunquam mulieres ordinauit; nec ipse Christus in cœna, & Ioan. vltimo talem potestatem, nisi viris contulit, & aliis rationibus fortissimis, quæ possunt videri in Soto *vbi infrà*, & apud Vazquez. Vnde *illo cap. Diaconissam*, appellantur Diaconissæ sanctimoniales, quæ inter cæteras aliqua benedictione erant lectionibus Euangeliorum, & homiliarum in choro destinatæ; quia Diaconissa nil aliud est, quàm ministra. Et presbyteræ illo *cap. finali*, *dist.* 31. erant matronæ viduæ seniores, habentes aliquam curam de rebus Ecclesiæ, vt *eod. cap. finali.* dicitur. Hanc tenent D.Thomas *4 dist.25. q.2. art.1. quæstiunc.*1. Sotus *ibi quæst.1. art.2.* Palacios *ibi q.1. fol.*513. D.Bonauent. *ibi artic. 2. quæst.* 1. Richardus. *ibi art.4. quæst.1.* Durandus *ibi quæst.2.* Palud. *ibi q.3. art.* 1. Scotus *ibi quæst.*1. Sylvest. *ordo 4. quæst.1.* Petrus de Soto *lect.5. de sacram. ordinis.* Victoria *summa de ordine, n.*237. Angel. *ordo 3. initio.* Tabiena *ordo 4. n.*1. Glossa *d.c. Diaconissam*, & *ibi* Turrecr. Nauar. *lib.1. consil. tit. de tempor. ordin. consil.7.* Angles *floribus 1. p. mater. de ordine*, 510. Vbald *de sacramentalibus, c 59 n.*8. Couar. *Clement. si furiosus, 1. p. §.1. num.* 1. Decius *l fœminæ, de regul. iuris, n.*39. Panorm. *c. noua, de pœnit.* Gregor. Lopez *l.26. vers. ordin. tit.6. part.* 1. Armil. *verb. Hermaphroditus. num.*2. Barthol. à Ledes. *de sacramento ordinis, dub.*13. Felin. *cap. delicta, de maiorit. & obed. num.*5. Ledesm. 2. *4. quæst.41. art.* 1.

3 Vnde est etiam incapax primæ tonsuræ, quia licèt non sit ordo, est tamen præambulum ad Ordines: vt optimè Sotus *ibi.*

DVBIVM XXXI.

*An Hermaphroditus sit capax ordinis, ita vt si ordinetur, teneat factum.*

1 SVpponendum est hunc esse iudicandum virum, vel fœminam ex sexu, qui in eo præeminet, seu prædominatur; si enim virilis præeminet, reputatur, vir; si verò fœmineus, fœmina, *l. quæritur, ff. de statu homin.* & notant omnes Doctores citandi. Si verò dubitatur, an vtraque potentia sit par, vel altera maior, standum est eius dicto secundùm communem sententiam, vel iudicio Medicorum, quod in idem recidit, cùm oporteat iudicare Medicum secundùm ea, quæ ipse de se asseruerit. Sic Nauarr. *lib.1. consil. tit.14. de ætate, & qualit. ordin. consil.*8. Sit ergo

2 Prima conclusio. Si in eo præmineat sexus fœmineus, est incapax ordinis, & si ordinetur, non tenebit factum: si verò præmineat virilis, est capax, & sic, si ordinetur, tenebit factum. Patet, quia in priori casu est fœmina; in posteriori vir, iuxta dicta. Sic Sotus 4. *distinct.25. quæst.1. art.2.* Sylu. *verb. corpore vitiatus, quæst.* 9. D. Anton. 3. *p. tit.* 28. *cap.6.§.5.* Angel. *verb. Hermaphroditus, num.* 2. Armil. *ibi, num.*2. Tabiena *ibi num.2.* Ledesm.



Ledesm. 2.4. *quæst.26. artic.*2. Nauarr. *in omnibus summis, cap.27. num.*203. Imò si vterque sexus sit par, est incapax ordinis, & sic si ordinetur, non tenebit factum. Sic Sylvest. Angel. Armil. Tabien. D. Anton. *ibid.* Nauarr. *lib.1. consil. d.tit.14. consil.*8.

3 Secunda conclusio. Siue masculinus in eo sexu præualeat, sine fœmineus, est irregularis; quia est monstrum. *cap. illiteratos, distinct.36, & cap. vltimo, distinct.*39. Sic Sylvest. Angel. Tabien. Armil. Ledesma. *ibi* Nauar. *d. num.*203. D. Anton. *ibid.* Sarmiento *lib.4 selectarum, summario ad l. sed est quæsitum, ff. de liber. & posthum. num.* 4.

4 Tertia conclusio. Siue in hoc, siue in illo sexu præmineat, non potest ad Religionem admitti; quia esset magnum periculum, si ad Religionem virorum admitteretur, licèt sexus virilis præmineret, & magnum, si ad mulierum, licèt præmineret mulieribus. Sarmiento *ibi*, vt dixi *lib.5. sum. c.4. n.*41.

5 Quarta conclusio. Si de facto profiteatur Hermaphroditus in Religione citato hoc defectu, si Religio est virorum, vel mulierum, attendendum est, quis sexus præmineat: & si præmineat sexus virilis, non valebit in Religione fœminarum; secus si præmineat fœmineus: & è contra in Religione virorum. Si verò vtraque potentia est par, in neutra valebit professio; quia professio viri in monasterio mulierum est nulla, & è contra. Licèt tamen valida sit professio in casibus dictis, ex iusta causa, vt dispenset Papa, vt eiiciatur propter scandalum & occasionem turpium cogitationum, quæ aliis Monachis daretur. Sic Nauarr. *d. consil.*8. Sed de hoc latiùs dixi *lib.5. sum. cap.4. num.*41.

DVBIVM. XXXII.

*An ætas determinata sit de necessitate Sacramenti in Sacramento Ordinis, vel sat sit quæcunque ætas, etiam ante vsum rationis, vt Sacramentum hoc collatum sit validum.*

1 HAc in re est duplex sententia.

Prima docet esse de necessitate Sacramenti vsum rationis. Ratio, quia de necessitate Sacramenti est intentio in recipiente, quæ ante vsum rationis haberi nequit. Sit tenet Durand. 4. *distinct.25. quæst.*1. & censent probabile Palud. *distinct.25. quæst.3. num.* 8. & in ordinibus sacris Petrus Sotus *lib. de institut. sacerd. mater. de ordine, lect.5.*

2 Secunda sententia omnino tenenda docet non esse de necessitate huius sacramenti vsum rationis: & sic licèt puer in cunis ordinetur sacerdos, tenebit factum. De ordinibus minoribus expresè videtur decisum *cap. vnico de cleric. per saltum promoto.* De ordinibus verò maioribus probatur, quia vsus rationis tantùm est de necessitate Sacramenti in illis Sacramentis, quæ aliquem suscipientis actum requirunt: at Sacramenta imprimentia characterem non requirunt talem actum, & sic confirmatio ante vsum rationis data valet, nec est de necessitate Sacramenti intentio in eo, qui eam habere non potest. Sic tenent D.Thom. 4. *distinct.*25. *quæst.2. art.* 1. *quæstiunc.2.* Sotus *ibi quæst.* 1. *artic.* 2. Palud. *ibi quæst.3. num.6.*7.8. Richard *ibi articulo* 4. *quæst.2.* Scotus *ibi. quæstion.2.* Palacios *ibi, quæst.1. fol.*516. D. Bonauent. *ibi artic. 2. quæst.2.* Angles *floribus* 1. *part. mater. de ordine. fol.* 510. Angel. licèt dubius, *Ordo 3. initio*, Viguer. *lib. instit. c.16. §.6. versic.7.* Victoria *summa, mater. de ordine, num.* 237. Nauar. *lib.1. consil. tit.11. de tempor. ordinat. consil.7.* Petrus de Soto *dicta lectione* 5. Gutier. *quæst. canon. cap.26. n.*18. Hostiensis *summa, tit. de tempor. ordinat. §. sed & prater.* Rebuffus *praxi benefic. tit. de clericis male promotis, gloss. 2. num.*8. Cardin. *Clement. finali, de ætate, & qualit.* Bartholom. à Ledesma, *mater. de ordine, dub.* 14. Glossa *cap. pueri, 1. quæst.1. & cap. vnico, de clerico per saltum promoto.* D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. §. 1. Sylvest. *Ordo, 4. quæstion.1.* Tabiena *Ordo, 4. n.*1. Hugo, Archid. Turrecrem. *cap. Subdiaconus, distinct.* 77. Menochius *de arbitrariis, centuria 5. casu* 427. *num.* 10. Nauarra summa Hispania *cap. 27. numero* 202. addit quòd gaudebit hic tantùm priuilegiis canonis, & fori.

3 Maius autem dubium est, an sit de necessitate consecrationis in Episcopum vsus rationis. Quidam enim id affirmant, quia est matrimonium spirituale cum Ecclesia, quod sine consensu contrahi non potest. Sic D. Thom. D. Bonauent. Turrecrem. *ibid.* Sylvest. *Ordo 4. num.*1. Menoch *supra num.*24.

4 At dicendum est, quòd non est de necessitate consecrationis Episcopalis, & sic si puer in cunis consecratur Episcopus, tenebit factum. Quod probatur ea ratione, qua de Ordinibus sacris id probatum est cùm hic non imprimatur nouus character, sed fiat extensio characteris sacerdotalis. Sic Sotus, Hugo, Archid. Barthol, à Ledesma, Gutier. *ibid.* Palacios *supra.* Palad. *vbi supra n.*8.

5 Secundò dico: de ratione Episcopatus quoad iurisdictionem est vsus rationis. Ratio, quia ad acquirendum beneficium requiritur acceptatio, *cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* Sic Palud. Palacios, Barthol. à Ledesma Sotus, *ibi.*

6 An verò hic ordinatus Ordine sacro teneatur seruare castitatem, cùm ordinatus fuerit ante vsum rationis dixi latè *lib.7. de matrim. disp.*30. *per totam*; vbi etiam quid dicendum sit, cùm ordinatus fuit ante pubertatem, habebat tamen vsum rationis.

DVBIVM XXXIII.

*Qualis ætas requiratur ex necessitate præcepti tam ad Ordines sacros, quàm ad minores.*

1 NOta, quòd iure antiquo longiora tempora ætatis ad sacros ordines exigebantur, nam *cap. cùm singulis distinct.* 77. decernitur ætas minoribus ordinibus, de qua postea dicam; & *cap. Subdiaconus, eadem distinct.* exigitur vigesimus annus completus ad Subdiaconatum, & in decreto Concilij Carthaginensis *can. placuit*, Diaconatus exigit vigesimum quintum annum. Ad Presbyteratum verò requirebantur tringinta anni, vt tota *distinct.*78. decernitur, & docent Sotus 4. *distinct.* 25. *q.* 1. *artic.2.* Gutier. *quæstion. can. cap.26. num.* 1. Rebuff *praxi benef. tit. de clericis malè ad sacros Ordines promotis gloss. 2. à num.1. ad* 4. At iure nouiori minor ætas requiritur, vt patet ex *Clement. fin. de ætat.* vbi ad Subdiaconatum exigitur annus 18. ad Diaconatum verò 20. annus, & ad sacerdotium 25. annus, qui anni sat est, vt sint incœpti, vt tenet *ibi* glossa, & *ibi* Imola, *n.*12. Gregor. Lopez *l.27. tit.6. part.1. vers. de veynte, & vers. de treynta*, Barthol. à Ledesma *mater. de ordine, dub.*14. *fol.* 1174. Nauarr. *summa, cap.*27. Hisp. *num.*20. Lat. verò *cap.25. num.* 116. Salzedo *super pract.* Bernard. Diaz *cap.26. §. ante legitimam.* Sylvest. *verb. Ætas, quæstion.*1. Angel. *ibi num.*4. Tabiena *num.*1. Palud. 4. *distinct.25. quæst.2. num.*13. D. Anton. 3. *num.*1. Palud. 4. *distinct.25. quæst.2. num.*13. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. §. 15. Gutier. *d. cap.26. num.3.* Sotus *suprà.* Rebuffus *supra num.2.* Cardin. *de Clement. final, num.* 8. & *ibi* Bonifacius *num.*19. Felin. *cap. cùm vigesimum, n.7. de offic. deleg.* Albertus Trotius *de vero, & perfecto clerico, cap.*17. *num.*2.

2 At demum iure nouo Concilij Trident. *sess.23. c.12. de reformat.* alia præscribitur ætas; *ibi* enim statuitur, vt nullus ad Subdiaconatum admittatur ante vigesimum secundum annum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad sacerdotium ante vigesimum quintum annum.

3 Grauis tamen difficultas est, an requiratur, vt hi anni singulis sacris Ordinibus præscripti in Trident. *d. cap.*12. debeant esse completi, vel sat sit, vt sint incœpti. Videtur enim debere esse completos. ex *l. qui ante, ff. de verbor. obligat.* vbi textus dicit: Qui ante Kalendas stipulatur, similis est ei, qui Kalendis stipulatur; ergo cùm Tridentinum vtatur præpositione *ante*, cum prohibitione præcedenti, videtur requirere annum completum. Et

clarè

Universidad de Deusto
Biblioteca



clarè videtur tenere Menoch. *de arbitr. lib. 2. cẽturia 5. casu 427. num. 25.* & sic pro hac citatur à Gutierr. & tenet Azebedo *lib. 8. recopil. tit. 20. l. 3. num. 17.*

4 Sed dicendum est sat esse dictos annos esse incœpros; & sic quòd sufficiat ordinando in Subdiaconum vigesimus primus annus, & vnica dies, & ad Diaconatum vigesimus tertius annus, & dies vna, & ad sacerdotiũ vigesimus quartus annus, & vnica dies. Quod probat Nauarr. *vbi infrà*, quia licet regulariter tempus positum in accusatiuo, vt hic ponitur, exigat annum perfectum, secundùm communem; at fallit quando concurrit alia coniectura intelligendi de cœpto. Hic autem concurrit triplex coniectura: prima fauoris, secunda & fortior, quia ius antiquum, *d. Clement. generalem*, tantùm requirebat annum cœptum, vt probaui: at ius nouum in quantùm est possibile conciliandum est antiquo, nec ab antiquo recedendum est sine textu expresso *cap. cùm expediat, de elect. in 6.* ergo cùm Tridentin. non declaret, quòd annus debeat esse completus, dicendum est sat esse incœptum; vt iure antiquo requirebatur. Tertia est, quia Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* dicit posse dare curatum ei, qui attigit vigesimum quintum annum, vbi clarè requiritur hic annus incœptus: at secundùm omnes eadem ætas requiritur ad curam, & ad sacerdotium. Secundò probatur à Gutierrez, quia Corneus *consil. 213. volum. 1. num. 7.* notat differentiam, quando annus ponitur in singulari, & quando in plurali, nam quando in singulari, sat est annus incœptus: at in plurali requiritur completus; in hoc verò decreto ponitur annus in singulari: ergo. Et ad rextum in oppositum adductum respondet *ibi* Gutierr. Hanc tenet Nauarr. summa Latina *cap. 25. n. 116.* Hispana *cap. 28. addit. ad num. 118. cap. 25.* Gutierr. *d. cap. 26. num. 8.* Spino *in speculo testam. gloss. 3. tit. de cappellan. num. 47.* Salzedo *d. cap. 26. §. ante legitimam ætatem* Philiarcus *de offic. sacerd. 1. tom. 2. part. lib. 1. cap. 13. fine.* Ludouic. Lopez *2. part. instruct. noui mater. de ord. cap. 33. fol. 110 16 pag. 1.* & communis praxis sic obseruat. Henriquez *lib. 10. de ordine, cap. 19. num. 2.* vbi etiam dicit quòd annus, in quo Gregor. XIII. sustulit decem dies, censetur annus integer, quoad hoc, & sic asserit tenuisse multos consultos.

6 Sed nunquid in vltimo die, in quo adimplentur 24. anni, potest quis ad sacerdotium promoueri, videtur enim posse, quia quod parum distat à re, parum, vel nihil distare videtur, & parum pro nihilo est habendum: hîc autem parum deficit, siquidem initio diei sequentis poterat ordinari, cùm tunc ingrediatur vigesimum quintum annum.

6 Sed dicendum est nullo modo posse, & si ordinetur, incurret omnes pœnas contra ordinatos ante legitimam ætatem. Ratio, quia hic nullo modo attingit vigesimum quintum annum, cùm talis annus nullo modo sit cœptus, at ætas sacerdotij est vigesimus quintus annus cœptus. Nec obstat, quòd parum pro nihilo reputatur, quia id habet verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti; v. g. breuissimum spatium est dimidietas salutationis Angelicæ & tamen si nocte Iouis, postquam immediatè sonuit duodecima noctis hora, aliquis carnes comederet, peccaret mortaliter, & tamen non peccaret, si ante talem horam, etiam si solùm esset per dimidietatem temporis salutationis Angelicæ mandu caret. Sic tenet Nauarr. *lib. 1. consil. tit. 14. de ætate, & qualitat. ordinand. consil. 6.* fauet Henriq. *lib. 7. de indulgent. cap. 20. numero 2. in commento litera O.* vbi dicit non debere deesse diem.

7 Nota tamen, quòd si esset in principio sequentis diei; v. g. hodie impletur ætas 24. annorum, post dimidiam noctem potest ordinari sacerdos. Ratio, quia (vt docet Nauarr. *eodem consil. 6.* (in fauorabilibus dies cœptus habetur pro completo. *l. qua ætate. ff. de testam.* Faciunt pro hac sententia Mandosius *de ætate minori, c. 14. num. 11.* Panorm. *cap. attestationis, de desponſ. impub.* vbi dicunt, quòd licèt requiratur septennium completum ad sponsalia, si tamen sunt in vltima die septennij, sat est, si ille sit incœptus. Patet hoc etiam, quia ille re vera iam dicitur attigisse 25. annum.

8 Secundò nota, quòd glossa *regula 17. Cancellariæ*, dicit ætatis annos computandos esse à die conceptionis, si id vtile sit ei de cuius ætate agitur. Sed Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 8 §. 2. n. 3.* dicit nihil in hac re falsius dici posse; quia generali vsu receptum est non à die conceptionis, sed à die natiuitatis computari. Idem Mandosius *de ætate minori, cap. 1. n. 25.* Idémque probat *ibi*, quando filius secto matris verò editus est: ex tunc enim dicit annos esse computandos.

9 Qualiter verò probetur ætas, consule Mandosium *regula 18. Cancellariæ à quæstion. 4. per plures.*

10 An verò dignitas habens curam iurisdictionalem spiritualem in foro exteriori, scilicet visitandi, excommunicandi, interdicendi, requirat 25. annum incœptum, sicut beneficium curatum. Respondetur affirmatiuè, quia censetur habere curam animarum, *cap. dubium el. 2. versic. tandem, de elect.* vbi hoc notauit Panorm. *num. 7. & 8. & cap. de multa, de prabend. num. 24.* & Zenzel, & Guillermus, quos refert Nauarr. *infrà*. Vnde est duplex cura animarum, altera fori conscientiæ, altera contentiosi. Nec obstat *cap. 1. de ætate, & qualit. in 6.* & Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reformat.* quæ minorem ætatem ad dignitatem petunt, quia intelliguntur de dignitatibus non curatis. Hæc Nauar. *lib. 1. consil. tit. 14. de ætate, & qualit. consil. 4.*

11 Maius autem dubium est de ætate requisita de præcepto ad primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines; variæ enim sunt sententiæ. Quidam enim dicunt non esse de necessitate præcepti ad hos Ordines sumendos vsum rationis, sed tantùm de decentia, & honestate: indecens enim est, vt detur gradus non potenti actum eius exercere. Sic D. Thom. *4. distinct. 25. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2.* Sotus *ibi, quæst. 1. art... conclus. 2.* Richard. *ibi artic. 4. quæst. 2.* D. Bonauent *ibi artic. 2. quæst. 2.* Scotus *ibi quæst. 2.* Palud. *ibi quæst. 3. num. 6.* Turrecrem. *cap. Subdiaconus, distinct. 77.* Menoch. *lib. 2. de arbitrariis, centuria 5. casu 427. num. 14.*

12 Alij verò dicunt tonsuram, & tres minores Ordines priores posse conferri septennio, & non antè, Acolytatum verò 12. anno. Probatur ex *cap. nullus, de tempor. ordinat. in 6.* vbi habetur, quòd infanti non potest conferri tonsura, nisi intret Religionem, vbi glossa *versic. infanti*, inquit, scilicet, minori septennio: infantia enim durat vsque ad septennium. *l. si infanti, C. de iure deliberandi.* Quod intelligitur de septennio impleto, vt probat ex multis Mandosius *de ætate minori, cap 3. num. 3.* Item probatur ex *cap. in singulis, distinct. 77.* quod est Zozimi Papæ, vbi habetur, quòd ordinandus à septimo anno vsque ad 12. recipiat tres ordines minores, post 12. verò Acolytatum. Sic Imola *Clement. fin. de ætate, & qualit. num. 18.* Syluest. *verb. Ætas, quæst. 1.* Armil. *ibi num. 1.* Angel. *num. 4.* Tabien. *n. 1.* Nauarr. *cap. 27.* in summa Hispan. *num. 202.* Philiarchus *de offic. sacerd. 2. part. lib. 1. cap. 12. fine.* Et explicant Sylu. Armil. Tabien. Angel. & Nauarr. quòd septem anni debent esse completi. Et Nauarr. dicit, quòd duodecimus annus debet esse complerus, & colligitur ex reliquis citatis; dicunt enim Acolytatum esse dandum post duodecimum annum, & *lex 27. tit. 6. part. 1.* dicit tonsuram, & tres minores ordines dari debere post septennium vsque ad duodecimum annum, Acolytatum verò post duodecimum annum. Et *ibi* Gregor. Lopez *versic. siete*, dicit septennium debere esse completum. Idem Rebuffus *praxi benef. tit. de clericis malè ad sacros Ordines promotis, glossa 2. num. 1.* vbi dicit, quòd ad tonsuram requiritur 7. annus. Ad Acolytatum verò 12. vel 13. & *tit. de clericis à quib. & quomodo creentur, in 6.* dicit hoc septennium debere esse completum, teste Præpolito *cap. de his, distinct. 28.* & Henriquez *lib. 10. de ordine, cap. 19. num.*



*num. 1.* Tonsura, & tres minores ordines septennio; de Acolytatu verò non explicat, quid sentiat.

13 Alij autem dicunt ad primam tonsuram requiri septem annos, ad tres ordines minores annum duodecimum, ad Acolytatum verò decimumquartum annum. Et sic explicant *cap. in singulis, dist. 77.* Sic Sotus *dist. 23. quæst. 1. artit. 2. concluſ. 4.* Gutier. *quæst. canonicis, cap. 26. num. 1.* & quòd Acolytatus non possit dari ante 14. annum, tenet etiam glossa. *cap. pueri 1. quæst. 1. versſ. ad sacros.*

14 Alij verò dicunt primam tonsuram non posse dari ante septennium; at minores Ordines dandos esse circa nonum, vel decimum annum. Sic Palud *4 dist. 25. q. 1, num. 8. 9.*

15 Dico tamen primò, quòd prima Tonsura, & Ordines minores non possunt dari ante vsum rationis de necessitate præcepti. Probatur ex *cap. nullus, de tempor, ordinat. in 6.* vbi præcipitur, quòd prima Tonsura non detur infanti; quod (vt ex testibus, & Doctoribus probaui) intelligitur ante septennium completum; at septennio regulariter venit vsus rationis, vt latè probat Mandosius *de ætate minori cap. 4. num. 2.* Secundò probatur, quia in Trident. *sess. 23. cap. 4 de reform.* statuitur, vt ordinandi prima Tonsura sciant rudimenta fidei, & legere, & scribere, & *cap. 5.* quod ordinandi ad minores Ordines bonum à parocho, Magistro scholæ testimonium habeant, & *cap. 11.* quod sciant Latinam linguam, quæ omnia absque rationis vsu fieri non possunt. Pro hac sententia sunt omnes Doctores citati, qui docent primam Tonsuram non posse dari nisi post septennium completum, quod idem docent vltra citatos Bartholom. à Ledesma *de sacram. Ordinis, dub. 14. fol. 1174.* Salzedo *d. cap. 26. § ante legitimam*; & Sotus *4. distinct. 25. quæst. 1. artic. 2. concluſ. 4.* dicit post septennium posse recipi primam Tonsuram. Et in propriis terminis, quòd sit de necessitate præcepti vsus rationis etiam ad primam tonsuram, tenet Syluest. *Ordo 4 quæst. 1.* & idem dicit de minoribus ordinibus Viguer. *lib. instit. cap. 16. §. 6. versſ. 7.*

16 Imò esset peccatum mortale recipere etiam primam Tonsuram, & dare ante vsum rationis. Probatur, quia *cap. nullus, de tempor. ordinat. in 6.* suspenditur conferens à collatione primæ Tonsuræ per annum; quæ pœna non infligitur, nisi pro culpa mortali. Sic tenent Toletus, & alij: & videtur colligi ex Soto *d. concluſ. 4.* postquam enim præscribit ætatem ad Ordines sacros requisitam, & quod Tonsura, & Ordines minores debent dari post septennium, subdit hæc: Ordines citra prædictas ætates aut conferre, aut suscipere est peccatum mortale; quia in re graui violatur lex Ecclesiastica. At Henriquez *d. cap. 19. num. 1. in commento litera B.* dicit non esse mortale, & Ordines minores ante vsum rationis.

17 Secundò dico, quòd Ordines omnes minores possunt etiam conferri septennio completo: nam temporum interstitia, quæ expoſcit *cap. in singulis, distinct. 77.* non sunt iam in vsu, vt docet Gregor. Lopez *l. 27. tit. 6. part. 1.* neque ætas illic præscripta. vt docet Guillermus, quem refert, & sequitur D. Anton. *3. part. tit. 14. cap. 16. §. 15.* Sic tenet Sotus *4. distinct. 25. quæst. 1. artic. 2. concluſ. 4.* Gutierrez *quæst. canon. cap. 26. num. 2.* Glossa *Clement. finali, de ætate, & qualit. fine. & cap. de iis, distinct. 28. versic. lectorum.* Barthol. à Ledesma *de ordine, dub. 14 fol. 1174.* Mandosius *de ætate minori, cap. 4. num. 12.* vbi etiam refert Cardinalem Alexandrium, & Cagnolum Firmianum. Idem tenent alij. An verò Religiosi possint hodie ante legitimam ætatem ordinari, vide Manuel. *quæst. regular. tom. 3. quæst 23. art. 7. & tom. 1. quæst. 8.*

18 Tertio dico, quòd Episcopi non est dispensare in ætate ad ordines requisita. Sic Nauar. summa Hisp. *cap. 27. num. 202.* Sylueſt. *Ordo 4 quæst. 1.* D. Anton. *3. p. tit. 14. cap. 16. §. 15.* Imola *Clement. generalem, de ætate, & qualit.* Tabien. & Armil. *verb. Ætas, num. 1.*

19 Tandem nota de perpetuò amentibus idem dicendum esse, quod de infantibus, scilicet, quòd si ordinentur etiam facerdotio, tenet factum. Patet eadem ratione. Sic tenet Sotus *4. distinct. 25. quæstion. 1. art. 2. versſ. contra hanc.*

## DVBIVM XXXIV.

*Quale beneficium, vel patrimonium debeat habere promouendus ad Ordines.*

1 HAc in re priùs videndum est, quid stando in iure communi antiquo dicendum sit, ac deinde quid stando in decreto Concilij Trident. *sess. 23. c. 2. de reform.*

2 Primò dico, quòd stando in iure communi antiquo, nullus poterat ad ordines promoueri, nisi haberet beneficium, vel patrimonium, vnde alimenta perciperet. Vnde non erat necessarium habere beneficium, sed habere illud, vel patrimonium. Patet ex *c. neminem, c. sanctorum, dist. 79. c. 2. & c. Episcopus, & c. cùm secundùm, de præbend. & c. tuis, eod. tit.* & docent omnes Doctores citandi.

3 Nota primò aliquos dicere sat esse iure antiquo quoduis beneficium, etiam exiguum, quia dicta capita non petebant, vt esset sufficiens ad victum. Sic Nauarr. *cap. quando*, Latinè *cap. 21. num. 11. & lib. 1. consil. tit. 11. de tempor. ordin. consil. 14.* vbi etiam dicit iure antiquo non requiri patrimonium sufficiens, sed quoduis patrimonium, idem Manuel *2. tomo summæ, cap. 15. n. 6.*

4 At verius est, quòd requirebatur sufficiens ad sustentationem, quia id requirebatur, ne clerici in opprobrium Ordinis cogerentur mendicare: at de hoc cogerentur, si sat esset beneficium, vel patrimonium insufficiens ad sustentationem. Item patet ex *cap. tuis de præbend.* vbi dicitur. *Habentes patrimonium, vnde congruè possint sustentari*; & *cap. Episcopus, de prabend.* ibi, *Donec in aliqua Ecclesia ei conuenientia stipendia militiæ clericalis assignet*, & ibi, *si non habent necessaria vitæ.* Sic Salzedo *pract. crimin.* Bernard. Diaz *cap. 18. num. 4.* Glossa *cap. tuis, de prabend. versſ. congruè*; & Imola *ibi num. 6.* Francus *cap. si Episcopus, de prabend. in 6. num. 3.* Nauar. *eod. lib. 1 consſ. tit. 11. de tempor. ordin. consil. 17.*

5 Secundò nota, quòd licèt iure communi non sat erat titulus beneficij in spe, vt habere literas expectatiuas ad beneficium, licèt iam fuerit approbatus idoneus per exequutorem, sed requirebatur titulus in re, vt bene docet Ioan. Andr. *d. cap. si Episcopus, de prabend. in 6.* & *ibi* Francus *num. 3.* An sat erat titulus beneficij verè, & legitimè acquisitus per legitimam collationem, licèt nondum acquisisset possessionem; quia per solam collationem absque possessione ius acquiritur in re in beneficio, & verè dicitur beneficiatus, vt patet ex *cap. vltimo, & ibi* Anchar. Domin. & Francus, *de conceſſ. prabend. in 6.* Glossa communiter approbata *cap. penult. versſ. collatio, de prabend. in 6.* Decius *reg. 1. n. 8. & reg. qui prior, de regul. iuris.* Iason *l. quoties, C. de rei vindicat.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 16. num. 1.* Gigas *de pensionib. quæst. 94. n. 13.* Lafarte *de decima vendit. cap. 19. num. 23.* Et ratio est, quia actionem habens rem ipsam, pro qua competit, habere videtur. *cap. qui actionem, de regul. iuris in 6. l. rem in bonis. ff. de acquir. rerum dominio.* Sic tenent Nauar. *lib. 1. consil. tit. 11. de tempor. ordin. consil. 15.*

6 Secundò dico, quòd ordinatus sine patrimonio, vel beneficio iure communi antiquo incurrebat suspensionem, vt colligitur ex *cap. neminem*, quando est Concilij Chalcedonensis, *& cap. sanctorum*, quod est Concilij Vrbani IV. *distinct. 70.* vbi dicitur talem ordinationem esse irritam; & vacuam, & *ibi* explicant Turrecrem. & glossa irritam, quoad exequutionem. Quod quidem intelligendum est, quando ordinatus fuit in culpa: vt si decepit ordinatorem, dicens habere patrimonium, vel licèt non deceperit, sciebat id requiri: & sic mala fide ordinatus est, vt optimè docet Nauar. *d. tit. 11. de temp. ordin. consſil.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*sil.*14 Hæc tamen pœna correcta postea fuit per *c.cùm secundum Apostolum, de præbendis.* vbi statutum fuit, vt Episcopus ordinans aliquem sine beneficio, vel patrimonio, teneatur alimenta præstare necessaria ordinato, donec beneficium sufficiens sustentationi habeat. Sic glossa *d. cap.cum secundum Apostolum, fine.* & *ibi* Imola *fine*, dicens communem Panorm. *ibi fine.* Turrecrem. *d. cap.neminem, fine*, licèt minus bene Butrius *d. cùm secundum Apostolum*, dicat illam pœnam non esse sublatam, si ordinatus sit in culpa, dicens se habere beneficium, vel patrimonium. Sed meliùs dicunt cæteri Doctores esse sublatam, vt clarè constat ex *d. c. cùm secundum Apostolum.*

7 Nota primò hanc obligationem alendi habere locum quando Episcopus sciens, & debens scire non habere beneficium, vel patrimonium, ordinauit eum: tunc enim fuit in culpa: secus quando in nulla culpa fuit vt si per mendacia, & fraudes deceptus est. Sic Nauarr. *d. tit.de tempor.ordinat. consil.* 14.& 46.*in nouis, consil. vltimo, per totum.* Decias *cap.Episcopus, de præbend. num.*13.

8 Hinc fit, quòd si Episcopus ordinet habentem beneficium, vel patrimonium, quod tamen casu postea deperdatur, non tenetur Episcopus alere ordinatum; quia nullam ordinando contraxit culpam. Vnde glossa. *d. c. tuis, de præbend. vers. patrimonialibus*, & Henricus *ibi num.* 1. Anchar.*n.*4. Hostiens. *ibi*, dicentes in hoc casu teneri alere, ne cogatur in ordinis clericalis opprobrium mendicare, debent intelligi; ne eorum opinio omnino falsa sit, de generali obligatione, quia tenetur Episcopus pauperibus subuenire, & non de speciali obligatione consurgente vigore ordinationis, & sic se explicat glossa *d.c.cùm secundum.vers. donec* & tenet etiam Imola *d.cap.tuis, num.*6. & Panorm. *ibi, num.* 5. & *ibi* Anton. *num.*7. Cardin. *ibi num.*1. *quæst.*4. Ioan. Andr. *num.* 5. *fine*, & communis.

9 Secundò nota, quòd hæc obligatio alendi ordinatum sine patrimonio, vel beneficio, intelligitur, quando nullo præsentante ordinauit, vt colligitur ex *cap.cùm secundum, de præbend.* Vnde quando proprio Episcopo præsentante alienus Episcopus aliquem sine patrimonio, vel beneficio ordinauit, sic distinguendum est. Si proprius Episcopus dedit alieno facultatem ordinandi in sua diœcesi, nullis expressis personis, tunc ordines dans tenetur prouidere; quia fuit in culpa, eo quòd tunc tenebatur examinare: si verò proprius Episcopus dedit facultatem, vt ordinaret aliquas expressas personas, vel dedit literas dimissorias alicui, vt à quouis Episcopo ordinaretur, tunc non tenetur ordinans alere, sed dans licentiam; quia ille non fuit in culpa, non enim tenebatur examinare; sed dans licentiam ad id tenebatur. Sic definitur expressè, *cap. si Episcopus, de præb.in* 6. si tamen dicat proprius Episcopus in dimissoriis, si ad hoc idoneus & debitè intitulatus repertus fuerit, tenetur ordinans alere; quia tenebatur examinare. Sic Rebuff. *praxi beneficiorum formula dimissoriar. num.*5.

10 Tertiò nota, quòd si ordinans ordinet habentem patrimonium, vel beneficium, non tamen sufficiens ad congruam sustentationem, tenetur ei ad supplementum: vt colligitur ex *cap. tuis, de præb.* & tenet *ibi* glossa, *versic.congruè.* Imola *ibi num.*6. Francus *cap.si Episcopus, de præb.in* 6. *num.* 3.

11 Quartò nota, quòd hæc obligatio sustentandi locum habet, licèt ordinatus possit ex artificio viuere; nec potest petere ab ordinato, vt sibi seruiat, vel commoretur secum in domo; quia iura ad id non obligant, & volunt, vt vacet diuinis. Sic Imola *d.cap.tuis, num.*9. vbi latiùs id probat.

12 Quintò nota, quòd non tantùm ordinans tenetur ad hæc alimenta, sed etiam Episcopus successor Episcopi ordinantis; conuenitur enim ex delicto prædecessoris, ne cogatur clericus in opprobrium ordinis clericalis mendicare. Sic habetur *cap.cùm secundum, de præb.* Priùs tamen debet compelli hæres in bonis patrimonialibus Episcopi ordinantis; quia ex quasi contractu videtur descendere hæc obligatio. Sic Imola *d. cap. secundum, num.* 8. & *ibi* Innocent. & Hostiens. *ibi*, additque Hostiens. quòd ordinatus priùs debet compelli, etiam si esset depositus, vel qualitercunque amotus ab Episcopatu. licèt Panorm. *d.cap.cùm secundum, num.* 12. dicat id esse verùm: quando Ecclesia cathedralis est pauper: nam si habeat, vnde alat, priùs ipsa, quàm hæredes, debet compelli; quia tunc obligatio est realis Ecclesiæ, & non personalis ordinatoris. Imò si ordinatus ex negligentia non petat hæc alimenta ab ordinatore, & hic postea depauperetur, potest petere à successore. Sic Imola cum Innocent. *d.cap.cùm secundum, num.*9.

13 Sextò nota, quòd sic ordinato hæc alimenta necessaria præstanda sunt consideratis facultatibus Ecclesiæ, & dignitate ipsius clerici. Sic glossa *cap. Episcopus, de præb. versi. necessaria.* Imola *d.cap.cùm secundum, num.*7. Comprehenduntur autem sub his alimentis cibaria, vestes, habitatio, medicus medicinæ. Sic latiùs probant Imola *d.c. Episcopus, n.*5. Panor. *d.c.cùm secundum, num.* 9.

14 Tandem nota, maximè cauendum esse ne in consignatione patrimonij loco tituli paciscatur ordinatus cum ordinatore se nullo tempore ab eo alimenta petiturum: nam talis conuentio esset simoniaca, subiectaque pœnis *cap. penultimi, de simonia*, & talis conuentio non est valida: quia hoc est ius publicum, cui renunciari non potest, vt optimè glossa *cap.si Episcopis, de præb.in 6.& d. cap. penult.* vbi etiam Felin. Anani. Panormitan. & communis. Salzedo *d. cap.* 18. *num.* 11. vbi addit cum Anania contra Panormitan. *ibi*, tale pactum non confirmari iuramento.

## DVBIVM. XXXV.

*Quale beneficium, vel patrimonium requiratur post Trident. sess.*21. *cap.*2. *de reform. vt titulo illius possit ad ordines promoueri.*

1 PRimò dico; quòd licet iure communi erat dubium, an esset sufficiens titulus quoduis beneficium etiam exiguum, vt dixi *dub.præcedenti*; at iuxta hoc decretum Tridentin. est necessarium, vt beneficium illud sit sufficiens ad vitam honestè sustentandam, vt expressè dicitur in illo decreto; & tenent Salzedo *pract. crimin.* Bernard. Diaz *cap* 18. *num.*4. *cap. quando*, Lat. *c.* 1. *n.*11. *& lib.*1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 14. Manuel 2. *tomo summæ, cap.*15. *num.*5.

2 Secundò dico, quòd licèt iure communi (vt dixi *dub. præced.*) sat erat vt id beneficium collatum esset ordinando ante possessionem: at post dictum decretum Tridentini non sat est id, sed requiritur, vt ordinandus habeat iam possessionem pacificam illius beneficij: vt expressè dicitur *ibi.* Sic Nauarr. *eod. tit. consil.*15. Salzedo *d.cap.* 18. *n.* 6. Lasarte *de decima venditionis, cap.* 19. *n.*23. Manuel *num.* 10.

3 Vnde minus benè Maiolus *lib.* 4. *de irregular. c.* 15. *num.* 3. dicit sat esse titulum de futuro; vt si ad dignitatem aliquam obtinendam sacer ordo necessarius sit, si quis ad eam fuerit nominatus, vel postulatus, promoueri potest ad eum titulum, quem habiturus est: quod idem dixerat glossa *cap. Olim, distinct.*61. Sed hoc est minus verum, etiam ante Trident. vt dixi *dub.præced.* tum, quia hic postulatus non tantùm caret beneficij possessione, sed nec circa tituli proprietatem ius obtinet; & ideo alterius electio teneret. *cap. bonæ, el.* 2. *& cap. postulatione, de elect.* & vtrobique Doctores, tum etiam, quia Trident. expressè petit pacificam possessionem, & sic meritò Salzedo *illo num.*6. hos reprehendit.

4 Hinc fit, quòd coadiutor beneficiati, qui est futurus illius successor, potest hoc titulo initiari; & licèt Salzedo *d.cap.*18. *num.*7. & Manuel *num.* 13. dicant hoc esse verum, non ratione beneficij possessi; quia is nullum habet, sed alterius iuris, quo sustentari potest; at verius est posse ratione beneficij possessi, quia hic coadiutor non minùs beneficiarius est, & intitulatus, quàm principalis, & mittitur in possessionem, sicut & principalis, vt docet Metina *C.de orat. quæst. de necessitate vocaliter orandi orat. publica*, & Ledesm. 2. 4. *quæst.*16. *art.*4. Sic Nauar. *cap. quando.* Lat. *cap.*20. *num.*18.



5 Secundò fit, quòd vicaria temporalis, & omnia alia beneficia manualia non sunt legitimi tituli, vt possit quis ad ordines promoueri. Ratio, quia titulus necessarius ad ordines debet esse perpetuus, vt clarè significat Trident *d.cap.*2. dum prohibet resignationem, vel alienationem rei, ad cuius titulum quis promotus est, nisi aliunde habeat, vnde viuat. At vicaria perpetua legitimus titulus est; quia vicaria perpetua comprehenditur sub iuribus, & dispositionibus de beneficio loquentibus. text. & *ibi* notat Abbas *cap.constitutus, & cap. Michaël. de filiis presbyt. cap.postulasti, de rescript. cap.ad hæc, de officio vicary. Clement. vnic. eod. tit.* Et notant Butrius *consil.*3. *n.*2. Roman. *consil.*356. *num.* 5. Bellarmera *decis.* 702. Rebuff. *tract. congruæ portionis, n.*110. 112. Mandos. *reg.*34. *Cancellariæ, q.*13. *n.*3. Sic Salzedo *d.cap.*18. *num.*8. Manuel *num.*13.

6 Tertiò dico, quòd licèt iure communi sat erat beneficium, vel patrimonium, vt dixi *dub.præced.* at post dictum decretum Trid. non sat est titulus patrimonij, vel pensionis, sed tunc tantùm, quando iudicat Episcopus ordinandum esse necessarium, vel commodum vtilitati Ecclesiarum suarum, & debet talis pensio, vel patrimonium esse sufficiens ad honestam ordinandi sustentationem, & debet priùs constare illud patrimonium, vel pensionem verè ab ordinando obtineri. Sic dicitur expresè *eod.cap.*2. *sess.*21. Sic Salzedo *dicto cap.*18. *num.*11. Manuel *num.*6. Nauarr. *eod. tit. de tempor. ordin. consil.* 14. vbi addit vidisse in Episcopatu Palentino negari cuidam Subdiaconatum defectu tituli, licèt haberet patrimonium sæculare trium millium scutorum, & dicit Nauar. rectè id effectum esse.

7 Nota primò, quòd prudens vir arbitrari debet, quòd patrimonium, vel beneficium dicatur sufficiens ad honestam sustentationem; quia determinatio eorum, quæ indeterminatè à iure statuuntur, prudenti viro, nempe iudici, relinquitur. *cap. de causis, de offic. delegat. & l.*1. *ff. de iure delib.* qui ad taxandum hoc, debet circunspicere ordinandi conditionem, & qualitatem, quia quod ignobili sufficeret, sufficiens non erit nobili, & egregiè literato. Sic Viuald. post Candelab. sacram. *bulla contra malè promotos*, & Manuel *d.cap.*15. *num.*9. Salzedo *d.cap.*18. *n.*4. Sed Nauarr. *miscell.*63. *sub num.* 3. & Flamin. *de resignat. benef. lib.*5. *quæst.*6. *num.* 155. dicunt non requiri beneficium sufficiens ad viuendum decenter, sed tantùm ad viuendum, vt 50. scutorum. Et quòd in taxatione alimentorum necessaria debeat considerari qualitas personæ aliendæ, tenet glossa *cap. Episcopus, de præb. vers. necessaria.* Imola *cap.cùm secundum, de præb. num.*7. Quòd si in aliquo Episcopatu habeantur de hac taxatione aliquæ constitutiones synodales, illæ seruandæ sunt, vt in Synodo Hispalensi *tit. de ætate, & qualit. ordinat. cap.* 1. statuitur, vt ordinandi ordine sacro debeant habere viginti millia redditiuum maruetinorum.

8 Secundò nota, quòd si modicum deficiat ad honestam sustentationem, parum facit; quia de modico non est curandum *cap. de vera. de consecr. dist.*2. *l. sed & ff. de restit. in integr.* Secus si sit notabilis defectus, qualis erunt quinque respectu vigintiquinque. Sic Nauarr. *d. tit. de tempor. ordin. consil.*17.

9 Tertiò nota, quòd licet d. decretum Trident. tantùm loquatur de clericis sæcularibus: at idemmet obseruandum esse in Regularibus non professis, statuit Pius V. in proprio motu die 12. Nouemb. anno 1568. & sic Fratres Societatis Iesu, qui non habebant patrimonium cuius titulo initiarentur, emittebant trium votorum solemnem professionem ante sumptionem Ordinum. Postea tamen Gregor. XIII. vltimo Februar. ann. 1573. concessit, vt Religiosi Societatis Iesu post vota biennij emissa possent absque patrimonio, & beneficio ad ordines promoueri.

10 Vnde nescio quo fundamento Cord. *in summa, quæst.* 36. affirmet Collegialem ex aliquo Collegio maiori, Salmanticensi, aut Complutensi, qui ad aliquem recipiendum gradum doctoratus suos actus cum satisfactione defendit, posse ad titulum illorum satis ordinari absque patrimonio, vel beneficio, quia Concilium intendit, quòd ordinandus habeat congruam sustentationem, & hunc Collegialem, certum est (inquit Corduba) recepto gradu citò habiturum congruam sustentationem obtinendo aliquam cathedram, vel beneficium, quod communiter obtinere solent sic graduati. Idem tenet Henriquez *lib.*13. *de excommunic. cap.*37. *num.* 2. *& lib.*10. *de ordine. cap.*17. *fine*, dicens multos consultos sic tenuisse. Idem Manuel 2. *tom.*2. *cap.*15. *num.*15. vbi etiam dicit posse absque patrimonio, vel beneficio ordinari bonum scholasticum Theologiæ, vel sacrorum canonum, recepto baccalaureatus gradu, qui exoptet gradum licentiatus recipere; quia est probabilis spes (inquit ille) quod se opponens ad aliquod beneficium, illud obtinebit, & de graduato sic tenet Gonzalez *regula Cancellariæ* 8. *glossa* 4. *num.* 36. Sed hoc nullo modo credo, quia Concilium expresè petit pacificam beneficij possessionem, & patrimonium verè ab eis obtineri, & sic graduatus solam spem habet, quæ multis modis impediri potest. Item, quia certius habet beneficium, qui illius habet canonicam institutionem, & tamen nequit ordinari, donec pacificè possideat, vt dixi ex Nauarro. Salzedo, & Lasarte, & est expressa decisio Trident. *d. cap.*2. ergo; & Nauarr. *cap. accepta, de restit. spoliat. oppositi.* 5. *num.* 22. ait renunciantem metu beneficium non posse ad eius titulum initiari, quia valet renunciatio, cùm tamen habeat manifestum ius, vt sibi plenè restituatur. Et expresè hanc sententiam tenet Petrus de Ledesm. 1. *tom summæ, tract. de sacram. Ordin. cap.*7. *paulo ante finem.*

11 Quartò nota, quòd Trident. *d. sess.* 21. *cap.*2. *de reformat.* innouat pœnas canonibus statutas contra non seruantes illud decretum, scilicet, vt nullus ordinetur absque beneficio, vel patrimonio sufficienti.

12 Sed quas pœnas innouat? Respondetur, quòd innouat pœnas *cap. sanctorum, & cap. neminem, dist.* 70. & etiam *cap.cùm secundum, de præb.* quas retuli *dub. præcedenti.* Et sic, quando ordinans, & ordinatus sunt in culpa, vtrasque incurrunt, scilicet ordinans obligationem alendi ordinatum, iuxta *d.cap.cùm secundum*, & ordinatus suspensionem, iuxta *cap.neminem, & cap. sanctorum, dist.*70. Quando verò solus ordinans est in culpa, quia scit ordinatum non habere beneficium, vel patrimonium, & ordinatus ignorauit requiri, solus ordinans incurret pœnam, scilicet teneri alere. Si verò solus ordinatus est in culpa, quia scilicet decepit ordinatorem, dicens habere beneficium, vel patrimonium, solus ipse incurret pœnam, scilicet suspensionem. Ratio, quia hi canones sunt antiquiores Concilio Tridentino. Sic Nauarr. *d. tit. de tempor. ordin. consil.*14. *& 46.* & quòd sit per Tridentinum innouata pœna *d. cap. sanctorum, & cap. neminem*, tenet etiam Salzedo *d.cap.* 18. *num.*1. Non tamen innouat pœnas *cap. per tuas, de simon.* quia est longè, diuersus casus ab eo, de quo loquitur Concil. Tridentinum. Sic Nauarr. *ibi consil.* 41. Similiter cùm iuxta canones antiquos sufficiebat collatio beneficij absque possessione, vt dixi *dub. præced.* licèt hodie requiratur etiam possessio pacifica beneficij: at si modò ordinaretur aliquis post collationem ante possessionem pacificam, licèt peccaret contraueniens decreto Tridentini: at non incurreret pœnas dictas antiquorum canonum, nec pœnas Trident. quia antiqui canones non imponebant pœnas non habenti possessionem, nec illam requirebant: at Trident. licet hoc requirat, at non extendit pœnas, sed tantùm innouat antiquis canonibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



statutas. Sic Nauar. *eod. tit. consil.* 15. & nota quòd Pius V. in motu proprio citato, quo hoc decretum Tridentini extendit ad clericos Regulares non professos, qui ordinantur absque beneficio, vel patrimonio, extendit similiter pœnas contentas in d. decreto Tridentini: imò clarè definiuit sic ordinatos esse suspensos, & si ministrarent in Ordine, irregulares irregularitate Papæ reseruata. Sed (vt dixi *supra*) iam hic motus Pij V. reuocatus est per Gregor. XIII. quoad Religiosos Societatis Iesu, vt patet ex eius bulla, quæ incipit, *Ex Sedis Apostolicæ benignitate.*

## DVBIVM XXXVI.

*An clerici patrimonium, ad cuius titulum sacros Ordines recepit, habeat priuilegia iure concessa bonis Ecclesiasticis; scilicet vt de illo non soluatur decima: item non possit alienari sine solemnitatibus requisitis ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum.*

1 CErtum est clericum in his bonis, sicut & in aliis, gaudere priuilegio clericali, scilicet non teneri soluere gabellam, &c. At dubium est, an tale patrimonium ex hac assignatione efficiatur Ecclesiasticum, & habeat priuilegia bonorum Ecclesiasticorum.

Duplex est sententia.

2 Prima tenet gaudere tali priuilegio. Sic Baldus *tit. de pace constantiæ, colum.* 5. Decius *cap. Episcopus, de præb.* & vterque eam tribuit Bernardo *d. cap. Episcopus.*

3 Secundò tenet non gaudere tali priuilegio. Ratio, quia non est textus id probans. Sic glossa *cap. tuis de præb. fine*, & *ibi* Imola, & Panorm. Felin. *c. Ecclesia sanctæ Mariæ. n.* 10. *de constit.* Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 4. *n.* 4 Gutierrez *lib.* 2. *pract. quæst. q.* 65. *n.* 11. Idem Couar. *cap. Raynaldus,* §. 2. *n.* 7. *de testam.* Salzedo *pract. c.* 18. *num.* 14. Menchaca *de succes. creat.* §. 32. *num.* 33. Sylua *benef.* 1. *p. quæst.* 3. *n.* 10. & 29. Vnde dicit Salzedo non requiri tantum tempus ad id præscribendum, sicut ad bona Ecclesiastica. Et hæc sententia ac multo probabilior est amplectenda.

## DVBIVM XXXVII.

*An vt promoueatur quis ad Ordines minores requiratur beneficium, vel patrimonium, vel tantum ad Ordines sacros.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet requiri etiam ad Ordines minores: & sic consequenter dicit Episcopum promouentem ad Ordines minores eum, qui caret beneficio, vel patrimonio, teneri eum alere, iuxta *cap. cùm secundum, de præb.* Ratio, quia *cap. 2. de præb.* dicitur: *Non liceat ordinare clericos, & eis nullas alimonias præstare*; vbi generaliter de omnibus ordinibus loquitur; & *d. cap. cùm secundum*, generaliter etiam loquitur, & *cap. Sanctorum, dist.* 70. Sic tenet Panorm, *cap. 2. de præb. num.* 2. Hugo *cap. neminem, dist.* 70. & *ibi* glossa *vers. neminem.*

3 Secunda sententia omnino tenenda docet non requiri ad Ordines minores, & sic Episcopum promouentem ad minores absque beneficio, & patrimonio nec peccare, nec teneri alere, quia *cap. Episcopus, de præbend.* dicitur, *si in Diaconum, vel Presbyterum*, &c. vbi glossa *vers. Diaconum*, idem inquit de Subdiacono, vt habetur. expresè *cap. cum secundum, de præbend.* & *cap. si Episcopus, de præbend. in* 6. dicitur, *Si ad sacros Ordines promouerit Episcopus absque beneficio vel patrimonio*, &c. & Trident. *sess* 21. *cap.* 2. *de reformat.* dicit, vt Episcopus nullum ad sacros Ordines promoueat absque beneficio, vel patrimonio. Et ratio est, quia existens in minoribus potest retrocedere ab habitu clericali: non verò existens in sacris. Ita tenet dicens sic vbique obseruari Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 14. Salzedo *pract. Bernard. Diaz. cap.* 18. *n.* 5. Imola *cap. tuis, de præb. num.* 1. & *cap.* 2. *eod. tit. n.* 2. & *cap Episcopus, eod. tit. n.* 1. & *cap. cum secundum eod. tit. num.* 1. glossa *cap.* 2. *de præb. vers. clericos.* dicens sic vsu seruari. Turrecrem. dicens sic vsu seruari, *cap. neminem, dist.* 70. *n.* 2. Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 15. *fine*, Cathechismus ad parochos. *de ordine, fol.* 365. Maiolus *lib.* 3. *de irregular, cap.* 21. *num.* 7.

## DVBIVM M. XXXVIII.

*An renunciatio beneficij patrimonij, vel pensionis, ad cuius titulum aliquis ad sacros Ordines promouetur, valida sit.*

1 DE renunciatione beneficij certum est non valere, nisi fiat facta mentione quòd ad illius titulum promotus sit, & ordinato habente aliunde necessaria ad commodam sustentationem, vt expresè definitur in Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* Henriquez *lib.* 13. *de excommun. cap.* 56. *num.* 1. *in commento litera N.* dicit posse renunciare, si ex Collegio habeat alimenta, sed hoc credo, quando essent perpetua. Et nota, quòd si fiat renunciatio beneficij, non facta mentione quòd ad illius titulum est ordinatus, at habet aliunde vnde viuat, est valida in foro conscientiæ; quia saluatur mens Concilij. Sic Nauar. *lib.* 3. *consil. tit. de præbend. consil.* 23. Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 15. *num.* 12.

2 De patrimonio verò, vel pensione, ad cuius titulum ordinatur quis, est maius dubium, an renunciatio teneat; quia in dicto decreto licèt dicatur non posse fieri, nisi aliunde habeat necessaria: at non dicitur renunciationem aliter factam esse nullam, sicut dicitur de beneficio.

3 Sed dicendum est renunciationem dicti patrimonij, vel pensionis esse nullam, aut alienationem, aut extinctionem, vel remissionem factam sine licentia Episcopi, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens ordinatus sit adeptus, vel aliunde habet, vnde viuere possit. Probatur, quia dictum decretum Tridentini dicit, quòd aliter nullatenus possit fieri; quæ dictio *nullatenus*, inducit nullitatem actus ipso iure: vt docent Zenzelinus *Clement. vnica, de sequestrat.* glossa *auth. si qua mulier, C. ad senatusconsul. Velleian.* Neuus *c. qua fronte, de appellat. num.* 32. Cardin. *cap. super literis, de rescript.* & Nauar. *vbi infrà consil.* 16. *num.* 21. glossa *d. Clement. vnica, vers. nullatenus*, & *ibi* Imola *n.* 20. Dominicus, & Ioan. Andr. *cap. Rom. de appell.* § *penul.* Felin. *cap. Rodulphus, de rescript. ante n.* 27. *vers. Nullatenus.* Decius *consil.* 310. *n.* 2. Corsetus *in singularibus, verb. nullatenus.* Mandosius *regula* 15. *Cancellariæ quæst.* 5. *num.* 8. (licèt Syluest. *excommunicatio, vltim. fin.*, & Angel. *excommunicatio* 7. *fine*, dicant, quòd *nullatenus fiat*, non inducit nullitatem actus, quando aliàs poterat fieri ab illo.) Item, quia dicit, *non possit fieri*, & verbum *non possit*, facit inualidationem actus. Item, quia eadem militat ratio, ac in beneficio, scilicet ne cogatur Clericus cum ordinis dedecore mendicare. imò & maior, quia facilius patrimonium alienatur, quàm beneficium. Sic tenet Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor ordinat. consil.* 14. 16. & 41. *in nouis, est consilium* 21. Molina *tomo* 1. *de iust, tract.* 2. *disput.* 238. *ad finem.* Henriquez *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 37. *num.* 2. Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 15. *n.* 5. Et quoad patrimonij renunciationem dixi *lib.* 6. *de matrim. disp.* 32. *num.* 7. vbi etiam dixi *num.* 7. & 8. An quando quis recipit patrimonium à consanguineo, vel amico cum secreta conditione, & schedula, quòd restituet vbi primùm ad Ordines promotus fuerit, teneatur, vbi primùm ordinatus fuerit, restituere.

## DVBIVM XXXIX.

*An si qui habens patrimonium ordinetur, non facta patrimonij mentione, censeatur ad illius titulum ordinatus.*

1 GLossa *cap. Episcopus, de præbend. fine*, affirmat.

2 Sed dicendum est censeri ad illius titulum ordinatum ad hunc effectum, vt Episcopus ordinans non teneatur eum alere, non verò quòd patrimonium illud censeatur titulus, nisi expresè hoc agatur: & ideo potest sine Episcopi licentia alienari. Sic Imola *eodem cap. Episcopus, n.* 5. & *cap. tuis, de præb. in* 6. *n.* 3. & *ibi* Ioan. And. & addit Host. & Imola etiam in dubio non censeri assignatum patrimonium pro titulo, sed oportere, vt expresè, & specificè assignetur pro titulo: quod etiam docet Panorm. *eod. cap. tuis, n.* 3.



## DVBIVM XL.

*An qui habens patrimonium, & ad titulum illius est initiatus Subdiaconus, & postea renunciauit, nullum aliud beneficium, vel patrimonium habens, & initiatus est Diaconatu, & sacerdotio, ostendens prius testimonium patrimonij, tacénsque renunciationem postea factam, incurrat pœnas statutas contra eos, qui absque patrimonio initiantur.*

1 REspondetur non incurrere, quia verè habuit patrimonium, fuit enim nulla renunciatio, per dicta *supra dub.* 38. peccauit tamen in ea renunciatione, & est puniendus à Prælato. Sic Nauar. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 16. *num.* 14. & in nouis est *consilium* 21. Manuel 2. *tomo summ. cap.* 15. *num.* 2. & 5. Imò si post datum patrimonium ad ordines, contrahat debita: potest ratione illius ordinari, quia ea debita non sunt ex illo patrimonio soluenda, cùm datum sit præcisè ad Ordines, & vt ordinatus ex illo viuat. Manuel *eo n.* 2. Nauar. *eod. tit. in antiquis, consil.* 13. & dicam *dub.* 42.

## DVBIVM XLI.

*An qui ficto patrimonio initiatus est Subdiaconus, possit absque nouo patrimonio vero ad superiores ordines ascendere.*

1 HEnriquez *lib.* 13. *de excommun. cap.* 37. *num.* 2. dicit videri teneri non ascendere ad ordines superiores, nisi habita occulta Episcopi dispensatione, quam ille dare potest, ne homo matrimonio inhabilis viliter viuat. Hæc *ibi.* & *in commento litera P.* refert, quòd quidam iuniores Magistri damnant peccati mortalis ascendere talem ad ordines superiores absque dispensatione, at alij iuniores negant esse peccatum mortale.

2 At credo, nullo modo posse ascendere ad ordines superiores. Primò, quia iure communi talis est suspensus, deinde quia licèt non esset suspensus à iure, vel iam fuisset absolutus à suspensione per bullam, adhuc non posset ascendere ad Ordines superiores, quia verè non habet patrimonium, nec beneficium, absque quo Tridentinum iubet, vt nullus ad Ordines sacros promoueatur, *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* Et cùm hoc sit decretum Concilij Generalis, non potest in eo Episcopus dispensare: & sicut non poterat dispensare ante Subdiaconatum, non poterit etiam modò, quia graue eius delictum non debet faciliorem reddere dispensationem.

## DVBIVM XLII.

*An qui recepit donatione prædium, vt ad titulum illius ad Ordines promoueretur, & postea contraxit debita, vel promisit sorori certam summam, vt nuberet, quæ sunt maiora valore prædij, possit ad illius prædij titulum ad Ordines promoueri.*

1 VIdetur non posse, quia paria videntur non habere bona, & debere tantum, quantum valent illa; quia bona dicuntur alicuius, quæ supersunt deducto ære alieno *l. subsignatum*, §. *bona, ff. de verb. signific.* & *l. cogi, ff. ad Trebell.*

2 Sed dicendum est posse ad illius titulum promoueri. Ratio, quia illa sunt priora, quando æs alienum potest, & debet solui de illis bonis, ac debita in hoc casu non possunt, nec debent solui de illo patrimonio; quia illud non potest peti ante ordinationem, donatum enim fuit causa ordinationis faciendæ, *per l.* 1. & 2. *C. de donat. quæ sub modo fiunt*; nec post ordinationē, si aliàs nō habet beneficium, vel patrimonium sufficiens; quia vsque tunc non potest alienari per Trident. *sess.* 21. *c.* 2. *de reformat.* sic Nauar. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 13. *in antiquis*; in nouis verò *consil.* 18. Manuel 2. *tom. sum. c.* 15. *n.* 2.

## DVBIVM XLIII.

*An patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est, possit sine licentia Episcopi vendi antequam quis sit adeptus beneficium, vel aliunde habeat, vnde commodè viuat.*

1 VIdetur posse, quia in hoc casu non cogitur mendicare, cùm participet pretium: qui tamen est finis decreti Tridentini *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*

2 Dico tamen primò, quòd licèt Syluest. *Clericus* 4. *num.* 9. dicat non posse attento iure communi sine licentia Episcopi, nisi quando postea obtinuit beneficium, &c. At verius est, posse illud vendere talem Clericum stando in iure communi antiquo. sic Glossa *cap. tuis, de præbend.* & *ibi* Panorm. Imola, Felin. *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. num.* 10. & *ibi* Decius *num.* 18. Couar. *cap. Raynaldus,* §. 2. *num.* 7. *de testam.* & *lib.* 1. *variar. cap.* 4. *num.* 4. Ioannes Garcia *regula* 195. *num.* 7. Menchaca plures referens *de succes. creat.* §. 22. *num.* 43. 44. Gutierrez *lib.* 2. *pract. quæstion. q.* 65. *num.* 10.

3 Dico secundò, quòd stante dicto Tridentini decreto non potest vendi sine licentia Episcopi, donec beneficium sufficiens, vel aliunde alimenta necessaria habeat ordinandus, quia generaliter Concilium prohibet alienationem, sub qua etiam comprehenditur venditio. Nec obstat ratio in oppositum; quia facilè posset hic postea consumere pretium, & sic mendicare. Sic Gutierrez *ibi*, Manuel 2. *tomo summæ, cap.* 15. *n.* 4.

## DVBIVM XLIV.

*An si pater melioret filium, vt bona illa sint patrimonium, ad cuius titulum ad Ordines sacros promoueatur, possit post promotionem reuocare hoc.*

1 SPino *speculo de testam. glossa* 18. *num.* 75. 76. dicit posse reuocare, nisi tradiderit illi bonorum illorum possessionem, vel scripturam. Probatur ex *l.* 17. *Tauri*, quæ hodie est *lex* 1. *tit.* 6. *lib.* 5. *recopil.* vbi sic dicitur, *Puede el padre reuocar la mejora del tercio agora sea hecha en testamento, agora en contrato entre viuos si no entrega la cosa, o la escritura, ose haze por contrato oneroso con otro tercero, como por casamiento.* Hæc autem meliorario licèt facta sit ob causam onerosam, at non facta est cum quodam tertio.

2 Cæterùm omnino dicendum est effici irreuocabilem post susceptos sacros ordines. Ratio, quia hæc donatio facta est ob causam onerosam, scilicet matrimonium spirituale, & tertiam personam respicit, scilicet Episcopum ordinantem, qui eum non ordinasset, nisi sub spe donationis irreuocabilis, & aliter tenebatur illum alere. Sic Salzedo pract. Bernardi Diaz *cap.* 18. *n.* 17. Matienzo *lib.* 1. *recopil. titul.* 6. *l.* 1. *glossa* 9. *num.* 8. Ciſuentes *l.* 17. *Tauri, vers. idem in donatione.* & *ibi* Tello *num.* 81. 82 Couar. *cap. Raynaldus, d. testam.* §. 2. *num.* 7. Auendanno *responso* 17. *fine.* Gutierr. *lib.* 2. *pract. quæst.* 65. *num.* 7. Angulo *super l.* 1. *tit.* 6. *de las mejoras, glossa* 10. *num.* 7. & videbis Caldas *l. si curatorem, verb. læsis, num.* 103. & Mendez *l. cùm oportet. p.* 4. *n.* 165.

## DVBIVM XLV.

*Qualis scientia requiratur in eo, qui ad Ordines promouendus sit*

1 SIt prima conclusio. In ordinandis etiam ad primam tonsuram scientia aliqua exigitur, non ex necessitate Sacramenti, sed ex necessitate præcepti. Prima pars manifesta est. Secunda etiam patet ex *cap. præcipimus, distinct.* 34. quod est D. Gregorij, & *cap finali, de tempor. ordinat. in* 6. & *cap. illiteratos, distinct.* 36. quod est Gelasij Papæ, & *cap.* 1. *distinct.* 55. & *cap. pœnitentes, eadem distinct.* quod est Hilarij Papæ. Et probat latè Sotus 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 4. Imò omninò illiteratus est irregularis vt patet ex *capitibus citatis*, & docent Salzedo pract.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Bernardi Diaz *cap.* 21. §. *ordinari.* Pelagius *de planctu Ecclesiæ lib.*1. *art.* 48. Maiolus *de irregular.lib.*1.*cap.*32. Nauar.*cap.si quando,de rescript.exceptione* 12.*principio,& in omnibus summis. cap.*27.*num.*205. Ledesma 2.4.*quæst.* 26.*art.*2.*fol.*364.*pag.* 1. Rebuffus *praxi,titul.de clericis à quibus,& quomodo creentur.num*25.

2 Imò Episcopus nequit dispensare cum omnino illiterato, vt tonsuram suscipiat. Rebuffus *ibi num.* 28. Bernard. Diaz *pract.crimin.cap.* 21. Francus, & Dominicus *d.cap.final.*Innoc.*cap.cùm dilectus,de tempor. ordinat.* imò Turrecrem.*cap.si in laicis,distinct.*38.dicit non posse Papam dispensare, vt omnino illiteratus promoueatur ad sacerdotium; quia est contra ius diuinum, vt habetur Oseæ 4.*Labia Sacerdotis custodiunt scientiam,*&c.

3 Secunda conclusio. Omnino illiterati, vt sint irregulares ad Ordines minores, dicuntur, qui nesciunt legere, respectu verò maiorum ordinum qui nesciunt linguam,in qua scripta sunt ea,quæ lecturi sunt, vt si nihil sciant de lingua Latina, qui sunt in Ecclesia Latina, & nihil de Græca, qui in Ecclesia Græca. Ratio, quia cùm per tales Ordines deputentur ad sacra ministeria facienda, ij dicentur idiotæ omnino, qui eam linguam, in qua hæc ministeria sunt scripta, non intelligunt. Sic Ledesma *supra.* Nauar. *d.cap.*27. summa Hispana *num.* 205. & Latina *eodem num.* dicit hodie attento decreto Tridentini *sess.* 23.*cap.* 4. *&* 11.*de reformat.* idiotam omnino, & sic irregularem esse quoad primam tonsuram, qui nescit legere & scribere: ad minores verò qui Latinam linguam non intelligit. Hanc enim scientiam postulat *ibi* Trident.ad hos Ordines.

4 Tertio conclusio. Vt non peccetur in promotione ad ordines, ea scientia necessaria est, quæ necessaria est ad bonam ministerij Ordinis suscepti exequutionem. Vnde maior scientia requiritur ad vnum ordinem, quàm ad alium. Ratio, quia cùm facultas operandi sit propter vsum, ei rectè facultas traditur,qui ea scit vti. Sic Sotus 4 *dist.*25.*quæst.*1.*art* 4.*conclus.*3 Barth.à Ledesma *summa Sacrament. mater. de Ordine dub.*16 *pag.*1189 Bernardus Diaz *pract.cap.*21.*fine* & *ibi* Salzedo *verb.ordinari.* Cardin.Imola, Bonifacius *Clement.*1.*de ætate,& qualit.* Ledesm.2.4.*quæst.* 26. *art.*2.*fol.*364.*pag* 1. Nauarr.summa Hisp. *cap.*27.*num.* 205. additque cum Ledesma sufficere sperare quòd citò addiscet.

5 Hinc fit peccare mortaliter Episcopum ordinantem eum, qui nescit officium, & necessaria ad officium, & talem Ordinem, & ideo teneri Episcopum de his inquitere. Sic Tabien.*verb.Episcopus,quæst.*17. Syluest. *ibi quæst.*9.Angel.*ibi num.*15.Armil.*verb.Clericus,num.*7. & quòd sit mortale ordinare prima tonsura, vel quatuor minoribus ordinibus carentem scientia requisita per Trident.*sess.*23.*cap.*4 *&* 11.*de reformat.* (de qua statim dicam) tenet etiam Nauar. summa Latina *cap.*25.*n.* 68. Gutierrez *quæst.canon.cap.*26.*num.*45.

6 Secundò fit non licere ad ordines sacros promouere, nec admittere ad beneficium eum, qui nescit modum recitandi horas canonicas, nisi talis sit ingenij, & taliter sciat legere, & talem Magistri, vel socij opportunitatem habeat, quòd probabiliter credatur posse legitimè recitare statim post acceptum beneficium, vel subdiaconatum, & proponit firmiter hoc facturum postquam illud acceptauerit. Ratio, quia lex naturalis, diuina & humana habet, ne quis suscipiat munus statim exercendum per seipsum, quod nequit exercere. Sic Nauar.*miscellaneo* 97.

7 Nota tamen quòd si quis acceptet beneficium nesciens recitare, & alia necessaria illi beneficio, potest cogi ab Episcopo, vt illud renunciet, vel vt discat necessaria ad bonam illius administrationem; quia ipse beneficiarius ad hoc tenetur in vtroque foro. Sic Panorm. communiter receptus *cap. venerabilis, de præb.* Nauarr. *lib.*2.*consil.titul.*11.*de tempor.ordinat.consil.*45.

8 Dubium autem est, specialiter ad singulos ordines, quæ scientia requiratur, vt iustè & absque peccato conferantur.

9 Quarta conclusio sit. Ad primam tonsuram promouendus,requiritur, vt sciat legere,& scribere, & fidei rudimenta. Sic habetur expresè in Trident.*sess.*23.*cap.*4. *de reform.*

10 Sed dubitatur, an sit necessarium scire legere Latinè,vel sat sit Hispanè. Et videtur requiri quòd sciat Latinè legere;quia,vt diximus, illiterati non possunt etiam ad primam tonsuram promoueri: sed illiterati dicuntur, qui tantùm sciunt legere vulgariter: ergo. Probatur minor; *quia cap.illiteratos,distinct.*36. per illiteratos, qui *ibi* prohibentur ordinari, intelligunt Dominicus & Glossa, qui penitus literas, vel mediocres ignorant: at mediocres literas videtur ignorare, qui tantùm scit vulgariter legere: & Cardin.*cap.sedulò distinct.*38. dicit illiteratum omnino dici,qui nec Grammaticam dicit. Item Barthol. *Auth.sed nouo iure.C.si cert. petatur,n.*7. & Rebuff. *tract. de pacif.possess.num.*214. dicunt illiteratum dici, qui nullas,vel modicas literas scit legere in vulgari, & scribere. Facit *cap.cùm in cunctis.de elect.*ibi; *Cum in cunctis Ecclesiarum ministeriis literarum scientia sit necessaria.* Vbi non est credendum agere de scientia vulgarium literarum, sed de scientia literarum, quibus in ministeriis sactis vtimur. Item, quia *d.cap.illiteratos,* ideo dicit illiteratos non esse ordinandos,quia literis (inquit) carens sacris non potest esse aptus officiis: ergo intelligit de literis, in quibus sunt scripta sacra ministeria. Tandem,quia Nauar. *cap.si quando,de rescript.except.*13.*fine*, eandem scientiam dicit sufficere ad primam tonsuram,& ad simplex beneficium: sed ad hoc videtur ad minus requiri, vt sciat beneficiarius legere Latinè, cùm beneficium ipsum obliget ad statim recitandum, & recitare non possit horas canonicas, qui nescit legere Latinè: & Palud.*dist.*24 *quæst.*3.*num.*8. dicit requiri legere Psalmos,vt sciat.

11 His tamen non obstantibus credo sufficere, si sciat legere Hispanè. Probatur,quia Tridentinum absolutè dixit,*d. cap.* 4. *Non initietur prima tonsura qui nescit legere.* Et cùm negatiua illa,*non*, inclusa in verbo, *nescit*, totam affirmatiuam destruat, & contrarium eius ponat, iuxta Glossam singularem *cap.cùm dilectus, de consuetud.* si aliquo modo scit legere saltim Hispanè, non potest dici nescire legere, seu nullo modo scire legere, quæ sunt æquipollétia. Item quia hac ratione & eam appellat neruosam,vtitur Nauar.*cap.si quando,de rescriptis excepr.*13.*num.* 8. ad probandum in iure illiteratum dici, qui prorsus literas ignorat;quia (inquit) est idem quod non literatus; quæ negatio omnem prorsus scientiam destruit: & sic inquit,qui aliquo modo scit legere, non potest dici prorsus illiteratus, qui iam scit aliquas literas. Et *ibi* addit vbique gentium Episcopos ordinare prima tonsura scientes aliquantulum legere, & eis conferre beneficia simplicia, & nullum confessarium cogere dimittere talia beneficia, quasi collatio fuerit nulla defectu scientiæ. & sic Nauar. *ibi* apertè videtur huius sententiæ: & clariùs etiam videtur esse huius sententiæ attenta oppositione quæ fiebat illi beneficiario, vt patet ex *illa oppositione* 13.*in principio*, scilicet licèt sciat vtcunque legere, nescit tamen Latinè. Pro hac etiam sententia faciunt Glossa *cap.præcipimus,distinct.* 34. Hugo & Turrecrem. *cap.illiteratos,distinct.*36. vbi dicunt per illiteratos intelligi *ibi*, qui penitus, & omnino literas nesciunt. Et ita de nescientibus omnino legere tenet Nauar. in nouis operibus, quæ tomis duobus continentur, *in miscellaneis de oratione,miscellaneo,*43.*n.*3. Nec obstant adducta in contrarium; illa enim probant illum esse omnino illiteratum, & idiotam ad Ordines sacros, per quos ordinati deputantur ad sacra ministeria: & ita ad hoc probandum ea affert Menoch.*lib.*2.*de arbitr.centur.*5.*casu* 425.*à num.*50. *vsque ad* 56. Aliàs cùm ea probent requiri intelligentiam linguæ Latinæ, hæc requireretur ad primam tonsuram; quod est contra Trident. *d. cap.* 4. Quod maximè verum est, cùm per primam tonsuram nullo ministerio diuino deputetur ordinatus, sed sit introductio quædam ad clericatum. Ad vltimum ex Nauarro dico aliud esse quod requiritur, vt beneficij collatio valida sit: ad id enim eadem scientia sat est, quæ ad primam tonsuram requiritur, vt probat. Nauar.*d.excepr.*13.& aliud, quod requiritur, vt licitè fiat collatio; ad id enim amplius requiritur,vt probat Nauar.*dicto miscellaneo* 97. nempe vt sciat recitare,&c.

12 Quinta conclusio. Ad quatuor Ordines minores requiritur, vt ordinandus saltem Latinam linguam intelligat. Sic definitur expresè in Trident.*sess.*23.*cap.*11. *de reform.* Vnde cessat quod dixit Sotus ante Tridentinum scribens 4.*distinct.*25.*quæst.*1.*art.*4.*concl.*3. ad minores ordines sat esse scire legere.

13 Sed an possit Episcopus dispensare in hac scientia? videtur enim posse,quia Trident.*eo cap.*11. sic dicit, *Minores ordines ita, qui saltem Latinam linguam intelligunt,per temporum interstitia,nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Et sic Menochius *lib.*2. *de arbitrariis, centuria* 5. *casu* 425. *num.* 58. dicit iuxta hoc decretum posse Episcopum arbitrari magis expedire Ecclesiæ, si ordines conferat ei, qui etsi adhuc Latinam linguam non intelligit; est tamen bonæ indolis, & pro ætate docilis: quia illiteratus dici nequit puer, qui pro ætate didicit, & ostendit pro tempore proficere posse, vt bene Innocent.*cap.cùm in cunctis,de elect.* Dominicus *cap.illiteratos,dist.*36. & *ibi* Turrecrem Rebuff. *tract. de pacif.possess.num.*215. & sic idem Rebuffus *praxi benefic. titul.de clericis à quib. & quomodo creentur*, *num.* 28 doctrinam communem dicentem non posse Episcopum dispensare in scientia ad ordines requisita, limitat nisi cum puero, qui modicam scientiam habet, quando est spes futuri profectus. Et hæc sententia est valde probabilis.

14 At verius est non dari *ibi* Episcopis arbitrium quoad linguæ Latinæ intellectum, sed tantùm quoad interstitia. Et sic non poterit Episcopus dispensare in tali scientia. Sic Nauar. *cap.si quando, de rescript. except.* 13. *num.*7.& sic Salzedo pract. Bernard. Diaz *cap.* 21. *vers. dispensare*, relata sententia Rebuffi *in praxi d. num.* 28. *proximè citata*, dicit hodie seruandam esse ad vnguem decisionem Concilij Tridentini citatam.

15 Sexta conclusio. Ad Subdiaconatum & Diaconatum requiritur, vt initiandus Latinè sciat, & quæ legit, intelligat.Sic Sotus 4. *distinct.*29 *quæst.*1.*art.* 4. *concl.* 3. Barth. à Ledesma *summa Sacrament. materia de ordine,dub.*16.*pag.*1189.Menoch.*lib.*2.*de arbitr.centuria* 5.*casu* 425.*num.*50. & addit Trident.*sess.* 23. *cap.* 13. *de reform.* vt iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, sint instructi.

16 Vltima conclusio. Ad sacerdotium vltra dicta requiritur, vt sacrificium illud intelligat; & sic requiritur, vt bene legat contenta in Missa, & mediocriter intelligat,& vt habeat mediocrem scientiam, vt possit seruare ritè ea, quæ spectant ad Missam conficiendam: vt quòd sciat defectus occurrentes in Missa, materiam, & formam consecrationis, dispositionem necessariam ex parte animæ,& corporis Sic Bartholom. à Ledesma *dicto dub.* 16.*fol.*1189. & tenent nonnulli iuniores docti, & colligitur ex Soto *dicta conclus.*3.dicit enim requiri, vt intelligat hoc sacramentum: ad quod intelligendum omnia dicta sunt necessaria. Et addit Trident.*d.sess.*23.*cap.*14. *de reformat.* quòd ordinandus Sacerdos comprobetur idoneus diligenti examine ad docendum populum ea, quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, ac ad ministrandum Sacramenta: & sic dicit Bartholom. à Ledesma *vbi supra*, debere scire quæ sit materia, & forma cuiuslibet Sacramenti. Vtrùm autem omnino idiota, at versatus in officio diuino,vt Sacrista, vel Monachus, qui potest choro inseruire, possit sacris initiari, vide Henriquez *lib.*1.*cap.*16.*num.* 2. *&* *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 11. Manuel Rodriq.*tom.*1.*quæst.regular. q.* 24. *art.* 7. Suarez *tom.*5.*de censuris*, vbi de irregularitate ex defectu scientiæ, Candelabrum Sacramenti 2. *p. de irregular. lib.* 1. *cap.*32.*num.*10.



## DVBIVM XLVI.

*An vitæ, & morum honestas requiratur in promouendo ad Ordines.*

1 PRima conclusio.In promouēdo ad Ordines requiritur bonitas vitæ:quod non est intelligendm de generali bonitate, id est, vt careat peccato mortali, hoc enim ad omnia Sacramenta requiritur, quia enim per hoc Sacramentum homo ad sublimiorem statum conscendit, requiritur in eo morum honestas, scilicet vt sit sobrius,castus,&c. de quo latissimè *tit. de vita & honest. Cleric.* & sic ad alia Sacramenta non prærequiritur examen, sicut prærequiritur ad hoc, sic & bene notat Sotus 4.*dist.*25.*q.*1.*art.*4.

2 Secunda conclusio. Episcopus ordinans scienter indignos, peccat mortaliter, id est, non habentes sufficientiam scientiæ,& bonitatis. Patet, quia infideliter in re grauissima agit officium dispensatoris. Sic tenent D.Thom.4.*distinct.*24 *quæst.*1.*art.*3.*quæstiunc.*4. Sylvest. *Ordo* 3.*q.*8.Astens.*lib.*5.*summæ titul.*5.Angel.*ordo* 7.*fine.* Tabien. *Ordo* 1.*q.*6. Armil. *verb. Clericus*, *num.* 7. Ledesma 2.4.*quæst.*38.*art.*4. D.Anton.3.*p.titul.*14. *cap.* 16. §.11.Rosella *verb. Ordinator. num.* 4. Bartholom. à Ledesma *dub.*16.*de ordine*, *pag.*190. Sotus 4. *distinct.* 25. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 4.& notat Sylvest. *verb. Episcopus*, *quæst.* 9. quòd potest admittere eum, qui non est notorius peccator iure,vel facto,vel ligatus censura.

3 Nota non sat esse quòd nesciat Episcopus ordinandum esse malum: sed quando ordinandus est ignotus, tenetur Episcopus adhibere diligentiam, & examen, vt habeatur certitudo moralis de sufficientia, & vita, ac moribus ordinandi. Patet 1. ad Timoth. 5. *Nemini citò manus*, &c. & sic statuitur in Concilio Carthag. & habetur *cap. nullus*, *distinct.* 24. & in Concilio Martini Papæ, & habetur *cap. finali, distinct.* 24. *& cap. cùm sit ars,de ætate,& qualit.* & in Trident. *sess.*23.*cap.* 5. *&* 7. *de reformat.* Sic D. Thom. *ibi ad* 3. Rebuff.*praxi benefic. titul. de Clericis ad sacros ordines malè promotis, glossa* 4.*num.*10. *&* 11. Sylvest.*Ordo,*3.*quæst.*8.*& Ordo* 4 *quæst.* 3.§.*nec* 12. Ledesm.*d.art.*4.Ang.*Ordo* 3.*num.*26.Tabien. *Ordo* 4.*num.*1.*& Ordo* 1.*quæst.*6.Armil.*verb.Ordo*, *num.* 19.D Anton.*suprà.* §. 13. Bernardus Diaz *pract. crimin. cap.*25.& *ibi* Salzedo.

4 Secundò nota, quòd hoc examen in Clericis sæcularibus faciendum est ab Episcopo, qui dat literas dimissorias, vt patet ex Trident *sess.*23.*cap.* 3. *de reformat.* vnde Episcopus ordinans non debet hos examinare: at si clarè sciret esse indignos, peccaret hos ordinando. Sic Innocent. & Imola *cap.cùm secundum*, *de præbend.* & *ibi* Panorm. *num.* 7. si tamen Episcopus dans dimissorias dicat in illis, *si idoneus repertus fuerit*, tenetur ordinans examinare.Sic Rebuffus *praxi formula litterarum dimissoriarum,num.*5.

5 Tertiò nota, quòd hoc examen est etiam præmittendum in Regularibus ad Ordines promouendis, quos ab Episcopo examinari iussit Tridentin. *sess.*23.*cap.*11.*de reformat.fine.*

6 Quartò nota, quòd in Clericis sæcularibus, quando sunt absentes ab Episcopo proprio, debet committere examen Episcopus proprius Episcopo ordinaturo. Sic Salzedo *suprà.*

7 Quintò nota, quòd examen circa mores Clerici sæcularis volentis ad ordines promoueri, sic debet fieri: si ad ordines minores est promouendus, bonum à parocho,& Magistro scholæ, in qua educatur, testimonium habeat, vt definitur in Trident. *sess.*23. *cap.* 5. *de reformat.* si verò ad sacros ordines est promouendus,

Universidad de Deusto
Biblioteca



per mensem ante ordinationem Episcopum adeat, qui parocho, vel alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nomen, & desiderium promouendi publicè in Ecclesia proponat, & de illius natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & testimoniales literas de inquisitione facta ad Episcopum mittat. Sic habetur iu Trident. *eod. cap.* 5. Aliud verò scrutinium habetur *feria* 4. ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, vocatis peritis, & probis, & in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, qui diligenter inuestigent, & examinent ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, fidem. Sic habetur *eadem sess.* 23. *cap.* 7. *de reform.* & in Concilio Nannetensi *cap. quando, dist.* 24. Quid verò in hoc decreto intelligitur per genus, & quando defectu generis repellendus est quis ab ordinibus, dixi *lib.* 2. *summ. c.* 28. *n.* 16. Tertium scrutinium est quod fit ipta hora, qua ordines conferuntur, quando Episcopus Archidiaconum interrogat, an assistant promouendi, & an sint idonei, de qua formula habetur *in libro Pontificali.*

8 Sextò nota, quòd possent, quæ dicta sunt, aliquando ab hoc rigore laxari, quando promouendus adeò spectatæ virtutis est, vt notus ab omnibus habeatur, & populi testimonio dignus approbetur: tunc enim potest omitti examen absque peccato, vt habetur in Concilio Carthag. III. 2. *cap.* 2. & habetur *cap. nullus, distinct.* 14. & *ibi* Glossa, & *cap. Petro, distinct.* 48. & *cap. valde, distinct.* 94. sic Salzedo *d. cap.* 25. § *possent equidem.* Rebuffus *praxi, d. glossa* 4. *num.* 11. D. Anton. 3. *p. titul.* 14. *cap.* 16. § 13. Syluest. *Ordo* 2. *quæst.* 2. Henriquez *lib.* 10. *de sacram. Ordinis, cap.* 18. *num.* 1.

9 An verò si indignitas promouendi sit occulta, possit ei Episcopus negare ordines, dixi *suprà dub.* 29. & *lib.* 3, *de matrimon. disput.* 15. *num.* 8. & *n.* 22. & *disput.* 16. *à num.* 8. & *disput.* 14.

10 Septimò nota, quòd si ordinandus interrogetur à suo Episcopo de crimine suo occulto, si est tale, quod impediat etiam post pœnitentiam ordinis exequutionem, & cum ipso non sit dispensatum, tenetur illud fateri, vel desistere ab ordinibus, peccat enim volendo sic recipere ordines: secus non tenetur fateri crimen occultum, de quo dixi *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 13. *num.* 2. Sic Host. & Goffredus, quos refert, & sequitur Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 2. Innocent. *cap. Inquisitionis, de accusat.* Angel. *Ordo* 7. *num.* 1. Tabien. *Ordo* 6. *n.* 1. *fine.* D. Anton. 3. *part. titul.* 14. *c.* 16. § 13. Turrecrem. *cap. pœnitentibus, dist.* 50.

## DVBIVM XLVII.

*Quid requiratur, vt Clericus peregrinus possit in aliena diœcesi celebrare.*

1 PRimò dico, quòd talis malè faceret celebrando publicè sine licentia Episcopi illius diœcesis, & literis commendatitiis sui Episcopi. Probatur, quia id prohibetur *cap. primatus, & cap. extranео, distinct.* 71. & in Trident. *sess.* 22. *decreto de observandis, & vitandis in Missæ celebratione*, disponitur, vt Episcopi interdicant in suis diœcesibus, ne cui vago & ignoto Sacerdoti celebrare liceat. Idem *cap. tuæ, de Clericis peregrinis.* Et ratio est, quia potest talis esse excommunicatus &c. in aliena diœcesi; & ideo iustè cauetur, vt deferat literas commendatitias sui Episcopi. Requiritur etiam licentia Episcopi diœcesis, vt videat, an sufficientes sint tales literæ, & quia nullus Episcopus potest dare licentiam alicui celebrandi in alieno Episcopatu, argum. *l. finali, ff. de iurisdict. omnium iudic. & cap.* 2. *de constit. in* 6. & sic seruat vsus. Sic Nauar. *lib.* 3. *consil. tit.* 41 *de celebrat. Miss. consil.* 5.

2 Secundò dico, quòd talis celebrando sine dictis literis commendatitiis, & sine dicta licentia non incurrit aliquam censuram; quia nullibi in iure statuta est. Sic Nauar. *ibi.*

3 Tertiò dico, quòd si clericus est notus, non indiget literis commendatitiis sui Episcopi. Sic Panorm. *d. cap. tuæ.* Item non indiget illis, si litetæ dimissoriæ ad presbyteratum susciendum fuerunt paulò antè datæ; quia Episcopus approbans ad presbyterium, satis videtur approbare mores, &c. secus si magnum interuallum interfuit, quia eæ dimissoriæ non approbant mores præsentes, vt si per decem annos antea fuissent datæ. sic Nauarrus *ibi.*

4 Vltimò dico, talis non eget dictis literis ad hoc, vt secretè possit admitti ad celebrandum, sic definitur *d. cap. tuæ*, & sic Panorm. & Glossa *ibi*, redditque rationem, quia tunc nullum est periculum nisi ipsimet celebranti. Idem Nauar. *suprà.* Sylvest. *verb. Peregrinus*, §. 4. Tabien. *ibi num.* 2. Angel. *num.* 3. Host. *d. cap. tuæ.*

5 Qualiter verò peccet recipiens primam tonsuram, vel ordines minores, animo non progrediendi vlteriùs in Ordinibus, dixi latè *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 31. *num.* 16. & 17. vbi *à num.* 7. *vsque ad* 14. an retrocedens ab ordinibus minoribus, aut prima tonsura, peccet mortaliter.

## DVBIVM XLVIII.

*An si fundans capellaniam ex propriis bonis præcipiat, vt capellanus teneatur dicere tot Missas in hebdomada, talis capellania requirat actu ordinem sacerdotalem.*

1 SVpponendum sit, quòd testator fundans capellaniam, vel Ecclesiam potest apponere tempore fundationis quæcunque pacta, & conditiones voluerit, & seruanda sunt. *l. traditionibus. ff. de pactis, cap. præterea, el* 2. *de iure patronat. cap. quanto, de censibus, cap. Eleutherius* 18. *quæst.* 2. *d.* 9. *tit.* 6. *lib.* 1. *nouæ recopil. fine.* Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de reformat.* dum tamen si prædicta pacta, & conditiones circa spiritualia sint, consensus Episcopi interueniat, vt latissimè concludit Rochus de Curte *de iurepatron. verb. proco, quod, n.* 25. & *sequentibus.* Lambert. *de iurepatron. lib.* 1. *p.* 1. *quæst.* 9. *principali, num.* 49. Gutierrez *consil.* 1. *num.* 1. & omnes.

2 Quod adeò verum est, quòd per clausulas generales Papæ, *Non obstantibus quibuscunque statutis & consuetudinibus*, non censetur Papa derogare fundationi laici, id est, conditioni appositæ à laico tempore fundationis, sed oportet specificam fieri de hoc mentionem; quia non præsumitur Papam velle huic derogare, ne retrahat laicos à fundatione beneficiorum. Sic decisio Rotæ, quam refert, & sequitur Francus *cap. si pro clericis, de præbend. in* 6. *num.* 5. & *ibi* Dominicus, & alij, quos *ibi* refert idem Lambertinus *de iurepatron.* 1. *part.* 2. *lib. quæst.* 7. *principali, artic.* 29. *num.* 5. Panorm. *cap. cùm in cunctis, de elect.* §. *inferiora, num.* 11. Felin. *cap. nonnulli, de rescript. num.* 23. Anchar. *consil.* 16. Imò optimè Felinus, & Anchar. *ibi* dicunt idem esse quando clericus fundat beneficium, & apponit in fundatione modos, & conditiones. At verò quando non per modum pacti, & conditionis, sed clerici statuendo determinant aliquid circa collationem beneficiorum, per talem clausulam generalem derogatur his statutis, vt tenent Felin. Panorm. & Francus *ibi*, vbi bene addit Francus, quòd si per literas Papæ non tollantur statuta per clausulam, *non obstante*, &c. non potest etiam conferri beneficium cui Papa mandat prouideri, nisi is habeat qualitates per statutum requisitas.

3 Secundò supponendum est, quòd dupliciter potest annecti Ordo beneficio; aut respectu aptitudinis, aut respectu actus: quando primo modo annectitur Ordo, non est necesse illum habere tempore collationis beneficij; quando verò annectitur secundo modo, est opus illum actu habere tempore collationis: aliàs collatio non valet, quia deest qualitas in recipiente requisita. Sic Spinio *speculo testament. glossa* 4 *principali, num.* 66. & 67. Panormitanus *d.* §. *inferiora, num* 10. Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordinat. consil.* 45. Gutierrez *consil.* 1. *num.* 12. Rochus de Curte *de iurepatron. verb. honorificum, num.* 21. vbi Rotæ decisionem refert. Lambertinus *dicto*



*dicto artic.* 29. Barbatius *consil.* 33. *volum.* 2. & concludit Panormitanus *num.* 11. quòd an sit annexus Ordo respectu actus, vel respectu aptitudinis, est recurrendum ad verba: & *num.* 10. ponit exemplum, quando sit annexus respectu actus, vt si dicatur in Capellaniæ fundatione; *Non conferatur, nisi actu existenti in sacerdotio.*

4 Nota tamen primò, quòd quoties beneficium requirit ex fundatione, vel aliàs sacerdotium per modum aptitudinis, vt curatum, licèt non sit necesse, quòd sit sacerdos, sed quòd possit intra annum promoueri; at requiritur, quod præsentandus sit in minoribus ordinibus constitutus: nec sat est prima tonsura, ne beneficium requirens Ordinem sacerdotalem vilescat; aliàs est inhabilis ad beneficium. Sic Spino *d. glossa* 4. *num.* 65. Lambertinus *de iure patron.* 1. *part. lib.* 2. *quæst.* 7. *principali, artic.* 30. *num.* 33. 34. dicens esse omnium super *cap.* 2. *de institut. in* 6. vbi id tenet Franeus; & sic dicit Lambertinus *ibi*, quòd licèt beneficium sit simplex, & requirat ex fundatione, vt detur ei, qui actu est sacerdos, licèt ex causa possit Episcopus cum consensu patroni aliquando dispensare, vt non detur sacerdoti, at debet habere saltem Ordines minores, licèt non sit necesse, vt habeat ætatem requisitam ad recipiendum intra annum sacerdotium; quia non est beneficium curatum.

5 Secundò nota, quòd Episcopatus requirit actu Subdiaconatum, & cæteros Ordines potentia, *cap. à multis, de ætate, & qualit* Panormitanus *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect. num.* 11.

6 Tertiò nota, quòd quoties beneficium habet aptitudine Ordinem sacrum annexum ex priuilegio, consuetudine, vel statuto, licèt non requirat actu Ordinem illum sacrum, at requirit in præsentando eam ætatem, quam ille sacer Ordo, quem habet annexum, requirit. Probatur ex *cap. ei cui, de præbend. in* 6. vbi sic dicitur, *sacerdotalis præbenda conferri nequit ei, qui non est in ætate tali, quod possit ad sacerdotium promoueri.* & licèt *ibi* Ioannes Andr. dicat hoc tantùm habere locum in beneficio habente Ordinem sacerdotalem annexum, non verò in habente Subdiaconatum, vel Diaconatum annexum, quia textus de sola præbenda sacerdotali loquitur: at dicendum est idem esse de beneficio requirente alios Ordines sacros. Et probatur, quia eadem est ratio, cùm Ecclesia ita indigeat seruitio diaconali, & subdiaconali in ministerio altaris, sicut & sacerdotis. Et sic tenet Lambertin. 1. *part. lib.* 2. *de iure patronat. quæst.* 7. *principali, artic.* 27. dicens esse omnium Doctorum *cap. ei, cui, de præbend. in* 6. & *ibi* id tenet Archid. Dominicus, Calderinus, Ioannes de Lignano, Ioannes de Fantua, Imola, Lapus, quos refert, & sequitur Francus *d. cap. ei, cui, num.* 14. Glossa *cap. si eo tempore, de rescriptis in* 6. *versic. ætatem, & cap. cum in illis, versic. prouideri, in fine, de præbend. in* 6. Domin. *d. cap. si eo tempore.* Guillelmus *Clement. finali, de ætate, & qualit.* & *ibi* Cardin. *quæstion.* 3. & *cap. super inordinata, de præbend.* Panormit. *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect. num.* 10. Rochus de Curte *de iurepatronat. verb. honorificum, quæstion.* 4. *principali.*

7 Hinc infertur qualis ætas requiratur ad Canonicatus, & portiones; quod desumendum est ab Ordine, quem habent annexum, quod definit Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* vbi statuitur, vt in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus, & portiones habeant annexum Ordinem sacrum; & Episcopus cum Capituli consilio designet quis Ordo sacer cuilibet annexus in posterum esse debeat, ita vt saltem dimidia pars sint Presbyteri; cæteri verò Diaconi, vel Subdiaconi, vt vbi vsus habet vt plures, vel omnes sint Presbyteri, omnino obseruetur: & vt nullus deinceps Canonicatum, portionem, vel dignitatem recipiat, nisi sit eo Ordine initiatus, quem illa præbenda requirit, vel in tali ætate, vt infra tempus à iure, & hac Synodo statutum valeat initiari; quod est intra annum, vt pater ex *Clement. vt qui de ætate, & qualit.* & ex eodem Trident. *sess.* 22 *cap.* 4. *de reformat.* vbi statuitur, vt qui in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, siue ea sit sæcularis, siue regularis, dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, aut quælibet alia beneficia obtinent, vel in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, vt alij Missas, alij Euangelium, alij epistolam cament, teneantur iusto impedimento cessante infra annum Ordines recipere requisitos, aliàs incurrant pœnas *Clement. vt vi, qui de ætate, & qualit.* quæ sunt perdere dimidium distributionum quotidianarum post annum, donec ad Ordines promoueantur: quod intellige, etiamsi interfint diuinis officiis, vt explicat *ibi* glossa *versic. interfint*, & Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordinat. consil.* 45. aliàs dependerent omnes distributiones. Et dicit *ibi* glossa *versic. pars*, & Imola *ibi* contra Guillermum *ibi*, hoc esse verum, licèt reliqua dimidia pars ad sustentationem non sat sit, sed imputent sibi, cùm per Ordinis receptionem hanc pœnam vitare possint. Et notat *ibi* glossa *versic. distributionum*, quòd si esset capellania in Ecclesia collegiali, ex cuius constitutione tenetur capellanus assistere horis, si non promoueretur intra annum; non amitteret capellanus aliquos redditus capellaniæ, sed tantùm dimidium distributionum, quas haberet assistens horis. Alia pœna *ibi* statuta est, quòd nullo modo post dictum annum vocem habeant in capitulo, donec ad ordinem promoti sint. vbi glossa *versic. nullo*, dicit per illam particulam, *nullo modo*, excludi, quòd non possit in hoc Episcopus dispensare, nec Capitulum. Et subdit Trident. *d. sess.* 22. *cap.* 4. quòd in posterum non valeat prouisio facta, nisi iis, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur.

8 Hinc fit, quòd licèt ad beneficia simplicia requirantur quatuordecim anni, iuxta Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* at ad Canonicatus, & portiones, & ad reliqua beneficia Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ, quibus varia onera exercendi Ordinem sacrum sunt annexa, non sufficiunt quatuordecim anni; quia hæc omnia habent (vt dixi) annexum Ordinem sacrum intra annum susciendum: ad quod non sat sunt quatuordecim anni, nec etiam est necessaria ætas ad illum Ordinem requisita, quia Trident. *d. cap.* 12. *sess.* 24. dicit requiri eam ætatem, vt intra annum possint dicti beneficiarij ad Ordinem requisitum promoueri: & sic sat est, vt intra illum annum tempore, quo debent initiari, habeant ætatem ad Ordinem requisitam. Et sic non est ætas certa præscripta ad hæc beneficia, sed ætas est iuxta Ordinem, quem habent annexum: licèt Henriquez *libr.* 10. *ordine, cap.* 19. *num.* 2. dicat ad Canonicatum in cathedrali requiri 22. inceptos, in collegiata verò viginti quatuor inceptos. Et Gonzalez *in regula* 8. *Cancellariæ, glossa* 5. *in principio, à num.* 93. ait ad Canonicatus in Ecclesiis collegiatis, & dimidias rationes in cathedralibus sat esse quatuordecim annos inceptos; quia Trident. de solis canonicatibus, & portionibus; in Ecclesiis cathedralibus loquitur *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* & refert congregationem Cardinalium.

9 Hinc secundò fit, quòd ad dignitates, Canonicatus, & portiones non requirit Tridentinum Ordinem actu, sed aptitudine, vt benè Nauarr. *d. consil.* 45. vbi addit, quòd si aliqua ex his præbendis ex speciali statuto exigeret actu Ordinem, non valeret collatio, nisi actu haberet illum. Et dicit glossa *d. Clement. vt ij, qui, vers. annexi*, quòd si actu requireret Ordinem, & consequeretur quis à Papa, vt ad illam promoueretur non habens Ordinem, adhuc teneretur infra annum recipere Ordinem, nisi ad hoc etiam esset dispensatus.

10 His suppositis veniendo ad dubium principale initio propositum, est duplex sententia. Prima renet, quòd quoties iubet testator, vt capellanus faciat tot sacra, requiritur actu Ordo sacerdotalis; aliàs collatio capellaniæ, & præsentatio ad illam nihil valebit. Pro-

batur, quia præsentandus debet esse idoneus, *cap. super inordinata, de præbend. cap. cùm in cunctis, de elect. cap. 3. & cap. significasti, de iurepatron.* At cùm beneficium detur propter officium, is dicitur idoneus, qui potest & vult deseruire beneficio, *d. cap. super inordinata*; at non sacerdos nequit deseruire: ergo. Item, quia sat explicat testator velle, vt præsentandus sit actu sacerdos, cùm iniungat celebrandi onus, quod non sacerdoti repugnat. Sic tenent latè probantes; Barbatius *consil. 33. volum. 2.* Gutierrez *consil. 1. à num. 3.* per plures. Perez *lib. 1. ordinam. tit. 6. l. 1. sub finem. §. notabile etiam est dubium, immediatè ante verb. y vna pension.* Manuel *quæst. regular. tom. 2. quæst. 122. art. 2. fine.* Lambertin. *de iuropatron. 1. part. 2. libri, quæst. 7. principali, artic. 27.* Rochus *de iurepatron. verb. honorificum, num. 21.* Ripa *l. ex facto, num. 31. ff. de vulgari, & pupil.* Decius *consil. 129. num. 5.* Panormitan. *cap. dilecto, num. 3. de testibus.* Ioannes Andreas *in addit. ad glossam, cap. ei, cui, verb. sacerdotalis, de præbend. in 6.* Facit Sylvest. *Missa, 1. quæst. 7. fine*, vbi dicit requiri industriam personæ, quando dicitur, vt capellanus faciat tot sacra: secus quando dicitur, fiant tot sacra.

11 Imò dicunt Lambertinus *ibi artic. 28.* Gutierrez *ibi num. 11.* Barbatius *d. consil. 33.* quòd licèt testator dicat, vt præsentetur idoneus capellanus; seu Presbyter; qui per se, vel per alium faciat tot sacra in hebdomada, adhuc requiritur, quòd sit actu sacerdos præsentandus; imò idem dicunt, licèt dicat testator quòd præsentetur clericus, qui celebret, vel per alium celebrari faciat. Ratio, quia petit, vt celebret; ergo debet esse actu sacerdos, & per illa verba, *per se, vel per alium*, noluit testator suam dispositionem ampliare, vt præsentandus non sit actu sacerdos; sed voluit tantùm ampliare, vt si esset impeditus, posset per alium celebrare. Et patet, quia vsus est verbo ampliatiuo, *per se, vel per alium*; ergo supponit præsentandum debere actu esse sacerdotem, quia dictio *alius*, est ampliatiua similium, *l. si fugitiui. C. de seruis fugitiuis, cap. sedes, de rescript.* Quod si dicas, dicit testator, *Presbyter, seu capellanus*, de qua dictione *seu*, communis Doctorum habet, quod quando ponitur inter res, stat copulatiuè, quando inter personas, disiunctiuè: ergo, cùm hîc ponatur inter personas, stat disiunctiuè, & sic sensus est, quòd Presbyter, vel capellanus, qui non est Presbyter, respondent Barbatius, & Lambertin. quòd quando ponitur inter appellatiua volentia designare vnam personam habentem plura nomina, stat declaratiuè, & non disiunctiuè: vt dum dicimus, *Talis capellanus, seu gubernator*; & sic contingit in præsentiarum. Quòd si allegetur in contrarium consuetudo generalis conferendi huiusmodi capellanias non sacerdotibus, respondet Gutierrez *dict. consil. 1. num. 35.* esse erroneam, & contra ius, & sic de illa non esse curandum.

12 Tandem concludit Lambert. *ibi art. 29. num. 6.* quòd quando beneficium requirit ordinem ex primæua institutione, vel statuto, vel priuilegio, requirit actu ordinem; at quando ex dispositione iuris communis, requirit aptitudine, & quòd sit ætatis idoneæ, & quòd intra annum promoueatur, & refert multos.

13 An verò teneatur hic capellanus adstrictus ad facienda sacra residere, & ea capellania sit incompatibilis cum beneficio curato, vide Azebedo *consil. 20. volum. 1.* & quòd non teneatur, nec possit compelli ab Episcopo, sed possit sacra facere per alium, tenet afferens decisionem Cardinalium Gonzalez *in reg. 8. Cancellariæ, glossa 5. in principio, num. 80. & 84.*

14 Secunda sententia, quæ probabilior est, & tenenda, asserit talem capellaniam non esse sacerdotalem, & sic posse conferri non sacerdoti. Probatur, quia quoties ad aliquem actum non eligitur industria personæ, satisfacit persona illa adimplendo onus iniunctum per alium, vt colligitur ex *l. inter artifices, ff. de solut.* & notant *ibi* communiter scribentes, & Paulus de Castro, & Bartol. *ibi*; & idem Bart. *l. nemo, ff. de duobus reis, num. 6.* At in hoc casu non eligitur industria personæ, nihil enim testatoris interest, siue hic, siue ille celebret sacra: ergo non censetur per onus Missarum adiunctum cogere capellanum, vt per se ipsum celebret; & sic quòd sit actu sacerdos. Et confirmatur, quia huiusmodi capellaniæ de consuetudine vniuersali solent seruiri per substitutum, quæ omnino seruanda est, etiamsi ex dispositione testatoris conferenda sit capellania vni, qui quotidie celebret, vt tenet Lapus, quem refert, & sequitur Felinus *cap. cùm omnes, de constit. num. 32. fin.* & Calder. *cap. super inordinata, de præbend.* ergo. Et amplius confirmatur, quia vsus vniuersalis videntibus Prælatis, & omnibus passim habet, vt huiusmodi capellaniæ dentur pueris post decimumquartum annum, qui multo pòst tempore fiunt sacerdotes, & interim dant stipendium sacerdoti vt faciat sacra. Nec hæc consuetudo est contra ius, & est scita ab ipso testatore. Et quòd non sit contra ius, patet; quia in faciendis sacris non eligitur industria personæ, & sic potest impleri per substitutum, & testator censetur, quando non constat apertis verbis opposita voluntas disponere secundùm consuetudinem, vt tenent Doctores *cap. cùm M. de constitut. & ibi* Felinus *num. 6.* ergo. Item, quia à iure communi recedendum non est sine expressa dispositione contraria. *l. præcipimus, C. de appellat.* imò in dubio testator iuxta ius commune censetur disponere; sed iure communi hæ capellaniæ non requirunt sacerdotium, & possunt dari pueris post decimumquartum annum; ergo. Item, quia nisi expresè caueatur, quòd capellanus per se ipsum faciat sacra, sed vt faciat tot sacra, satis videtur prouisum voluntati fundatoris, si per alium fieri curet, *regula, qui per alium.* Cardinal. *cap. de multa, in fine, versic. quintò quæro, de præbend.* Lapus *allegat.* Sylua *variar. resolut. 4. part. quæst. 2. num. 9. versic. postremo.* Tabien. *beneficium 3. num. 20.* Armil. *num. 84.* Zerola *in praxi Episcopali, 1. part. versic. beneficia, §. ad 7. versic. octaua conclusio, & versic. tertia conclusio*, quòd si institutor nominauit non sacerdotem, intelligitur noluisse esse sacerdotalem. Parisius *consil. 50. num. 19. volum. 4.* Semper enim præsumitur testatorem eam qualitatem in successoribus non desiderare, quam non habet nominatus ab ipso. Baldus *consil. 473. lib. 1.* Socinus *l. Gallus, §. nunc de lege, num. 8. ff. de liber. & posthum.* Molina *lib. 3. de primog. cap. 5. num. 50.* Mieres *de maioratu 2. part. quæst. 6. num. 64. versic. secundò dicta communis.* Hanc tenent Spino *specul. testam. glossa 4. principali, num. 68.* Ferretus *consil. 305.* & quidam Iurisperiti valdè docti.

15 Imò *num. 67.* ait Spino, quòd in dubio annexio sacerdotij ad beneficium, vel capellaniam, censetur non per modum actus, sed per modum aptitudinis, & dicit cum Ferreto *num. 66. & 67.* quòd quando testator, vel fundator beneficij dicit velle, vt talis, qui illud debet obtinere, sit sacerdos, videtur se conformare cum dispositione iuris communis, vt intra annum promoueatur, & idem si in fundatione capellaniæ appositum sit, quòd ad illam præsentandus sit Presbyter; satis enim est, quòd intra annum promoueatur, secus si dicat clausula, quòd non præsentetur nisi Presbyter, tunc enim requiritur actu esse Presbyterum tempore præsentationis. Hæc Spinus *ibi*.

16 Ad argumentum oppositæ sententiæ respondetur, quòd quando eligitur industria personæ ad beneficium, idoneus dicitur, qui potest per se seruire; quando verò hæc non eligitur, non opus est vt possit.

17 Tandem nota, quòd si quis fundauit capellaniam, & voluit ad eam præferri agnatum in sacerdotio constitutum, & in eius defectu parochum: si collata est parocho, eò quòd tunc non erat agnatus in sacerdotio constitutus, licèt post duos annos agnatus sacerdos fiat, non expelletur à capellania parochus, quia quando aliquid



aliquid effectum suum produxit ratione causæ, quæ tunc vigebat, licèt postea cesset causa, non cessat effectus. *l. fin. ff. de solut.* quando enim actus perfectè consummatus est, non debet effectus per cessationem causæ retractari. *l. sancimus. C. do administ. tutor.* Sic latiùs probans, & alios allegans Perez *lib. 1. tit. 1. ordin. §. nono mouetur talis quæstio.* Idem Spino *dicta glossa 4. princip. num. 70. & 71.* vbi idem dicit, licèt agnatus appellauerit à præsentatione facta de Parocho, & pendente appellatione factus fuerit sacerdos; quia tempore factæ præsentationis hic agnatus erat incapax.

## DVBIVM XLIX.

*An clerici teneantur deferre habitum, scilicet vestes clericales, & tonsuram, quæ Clerica dicitur, id est, corona.*

1 SVpponendum est primò, quòd Tonsura est essentiale, & potissimùm in habitu clericali, reliqua verò, vt vestes, sunt concomitantia, & velut extrinsecè annexa & coniuncta cum statu. Sic Caiet. *in summa verb. Clericorum peccata.* Bannez 2. 2. *quæst. 12. artic. 1. dubit. 2. fol. 676.*

2 Secundò supponendum est, quòd licèt quædam vestes sint clericis interdictæ, & quòd dedeceant statum clericalem, vt patet ex *cap. penult. de vita & honest. cleric. & Clement. 2. eod. tit.* at non est iure definitum, quæ vestes sint honestæ, & verè clericales, & ideò tales censebuntur, quæ communi vsu fuerint admissæ in ea prouincia. Sic Sylvest *excommunicato 6. §. 6. dicto. 6.* glos. *d. cap. penult. versic. deauratis, & Clement. 1. versic. sæcularis, de elect. & cap. si quis virorum, dicto 30.* Alexand. *consil. 149. n. 12. lib. 6. & consil. 8. lib. 1.* Cardin. *d. clement. 2. ad fin.* Panorm. *cap. 1. de apost.* Rochus *cap. fin. de consuetud* Couar. *quæst. pract. cap. 38. num. 7. versic. 4.* Salzedo *pract* Bernar. Diaz *cap. 75. §. sibi prohibitis*, vbi alios refert Rebuffus. *de priuil. scholast. priuilegio 94.* & communis. Sit ergo

3 Prima conclusio. Clerici minorum Ordinum, qui beneficium non habent, non peccant omnino dimittendo habitum, & tonsuram. Probatur, quia citra culpam possunt à tali statu retrocedere. Item, quia iura prohibentia, vel iubentia aliquid clericis, intelliguntur de constitutis in sacris, vel habentibus beneficium, vt colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 6. de reform.* & tenet Hostiens. *cap. 1. ne clerici, vel monachi*, quem sequitur Panormit. communiter receptus *ibi sub finem, & cap. 1. de post. num. 4* & Nauarr. summa Lat. *cap. 25. num. 110. & super cap. statuimus 14. quæst. 3. num. 27.* vbi addit secus esse de iuribus, quæ indulgent, vt *cap. si quis suadente 17. quæst. 4.* & sic omnia, quæ licent laico tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, licent talibus clericis, vt optimè Nauar. summa Lat. *cap. 25. num. 110. & cap. non dicatis 12. quæst. 1. num. 66.* Hæc etiam conclusio colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 6. de reform.* vbi iubens deferre habitum, expresè dicit clericis in sactis constitutis, & beneficiariis; & illam tenent Imola *cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* Salzed. *pract.* Bernard. Diaz *cap. 76. verb. id est, fiat.* Armil. *verb. clericus, num. 11. & verb. apostasia, num. 8.* Angelus *clericus 4. n. 1. & verb. apostasia, num. 1.* Tabien. *verb. apostasia, quæst. 8. & clericus 2. quæst. 6.* Sylvest. *verb. apostasia, quæst. 2. & clericus 2. num. 2.* Innocent. *cap. tuæ, de apost.* & *ibi* Panorm. *num. 3.* Nauar. summa Latin. *cap. 25. num. 110.* & communis.

4 Secunda conclusio. Si initiati minoribus velint clericaliter viuere, & frui priuilegiis clericalibus, licèt beneficium non habeant, tenentur habitum & tonsuram portare. Probatur, quia hic vult frui priuilegiis clerici; ergo tenetur more clerici incedere, ius enim naturæ dictat, vt qui collocatus est in aliquo statu signis externis ostendat se esse in statu illo. Et hæc conclusio ita asseritur à Doctoribus, licèt tales clerici sint coniugati. Sic Sotus *4. distinct. 24. quæst. 2. artic. 1. versus rursus huiusmodi.* Richardus 4 *dist. 24. artic. 2. quæst. 1. & 2.* Bannez *dict. dub. 2. concl. 2. fol. 676.*

5 Nota hoc peccatum esse veniale. Ratio, quia reputatur leuis materia, cùm hi non sint perfectè in statu clericali. Sic Bannez *ibi*, & alij.

6 Tertia conclusio. Si hi clerici velint publicè in statu sæculari clericatui repugnante viuere, vt si velint exercere iudicium criminale, vel alios actus statui clericali repugnantes, non licèt portare tonsuram clericalem: tum, quia est indecens actus contrarios statui deferendo signum status, exercere. Item, quia *Clement. 2. de vita & honest. cleric.* suspenditur clericus publicè deferens tonsuram, & vestem partitam. Sic Nauarr. summa Lat. *cap. 25. num. 110. & cap. non dicatis 12, quæst. 1. n. 66.* Salzedo *d. cap. 76. versus id est, fiat.* Sotus 4 *dist. 24. quæst. 2. art. 1. versus rursus.* Richard. 4. *dist. 24. art. 2. quæst. 1.* Sylvest. *clericus 2 §. 2.* Angel. *clericus 4. num. 2.* & dicunt Sylvest. & Angelus esse mortale deferre publicè tonsuram cum veste partita clericum ordinum minorum, etsi beneficio careat.

7 Quarta conclusio. Si clerici ordinum minorum bigami fiant, vt si bis nubant, vel cum corrupta, tenentur non deferre tonsuram, & habitum. Patet *ex cap. vnico, de bigamis in 6.* vbi hoc prohibetur ipsis sub anathemate, id est, vt explicat *ibi* glossa, excommunicatione ferenda. Sic Sotus *d. artic. 1. ante solutionem ad 1.* D. Anton. 3. *p. tit. 14. cap. 16. §. 6.* Richardus 4. *dist. 24. art. 3. q. 3.* vbi bene hoc limitat contra alios, vt *ibi* refert, nisi hi bigami sint Religiosi: tunc enim possunt tonsuram, quam antea habebant, portare; quia dum dicitur *d. cap. vnico, ipsis prohibemus tonsuram portare*, relatiuum *ipsis* refert illos, de quibus immediatè ante sermo habitus est *ibi*, scilicet illos, qui adiecti sunt coërtioni fori sæcularis, quales non sunt Religiosi.

8 Nota idem, quod de bigamis dictum est, dicendum esse de omnibus irregularibus, eadem ratione. Sic D. Anton *d. §. 6.*

9 At dubium est, an sit peccatum mortale conferre, vel dare ordinem sacrum, & recipere illum absque vila tonsura, id est, *sin llebar hecha la corona.* nam Sotus 4. *dist. 24. q. 2. art. 1. concl. 2.* dicit esse mortale, quia grauius est hoc, quàm post ordinem susceptum non deferre tonsuram. Sit tamen

10 Quinta conclusio. Non est hoc peccatum mortale, sed graue veniale, quia materia non est tam grauis. Sic nonnulli iuniores Magistri.

11 Sexta conclusio. Clericus minorum ordinum habens beneficium, peccat mortaliter non deferendo habitum, & tonsuram. Probatur, quia grauiter prohibetur oppositum, scilicet non deferre, *Clement. quoniam, de vita & honest. cleric.* & Trident *sess. 14. cap. 6. de reform.* & bulla Pij IV. & Pij V. & nouissimè in motu proprio Sixti V. de hoc, vbi grauissimas pœnas ponit. Sic tenent Angel. *clericus 4. num. 1.* Tabien. *clericus 2. quæst. 6.* Nauar. *in omnibus summis, cap. 25. num. 110 & 118,* Sylu. *clericus 2. n. 2,* & sic hunc si dimittat habitum, vocant apostatam Panorm. *cap. tuæ, de apost.* Armil. *verb. apostasia, n. 8.* vbi Angel. *n. 1.* Tabien. *quæst. 2.* & quòd sit mortale saltem, quando beneficium requirit clericale obsequium, tenet etiam Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 6. conclus. 1. ad fin.* Hanc etiam tenet Bannez 2. 2. *q. 12. art. 1. conclus. 3. fol. 677.* & idem etiam de præstimoniis dicit Nauarr. *cap. quando,* Latinè *cap. 21. num. 51.* imò de pensionario, cùm pensio constituta est à Papa titulo clericali, quòd teneatur habitum, & tonsuram portare, docet Nauarr. *cap. quando,* Latinè *cap 21. num. 53. & miscell. 50.* quod in operibus nouis sub duobus tomis contentis est 45. *num. 5.* & subdit, quòd in dubio præsumitur dare Papam pensionem animo clericali, nisi oppositum exprimat: & quòd peccat recipiens talem pensionem animo determinato non perseuerandi in statu clericali: secus si animo dubio, vel conditionali, scilicet perseuerandi, nisi

fœlicius

Universidad de Deusto
Biblioteca



solicitus aliquid accidat, & quòd solus Papa potest constituere alicui pensionem tanquam laico. Quæ omnia hodie magis constant ex dicto motu proprio Sixti V. vbi obligat pensionarios, imò habentes quodcunque ius ad beneficium portare habitum, & tonsuram, vnde cessat sententia Bannez *vbi suprà*, dicentis habentes regressum ad beneficium non teneri sub mortali portare habitum.

12 Maius verò dubium est de clericis in sacris constitutis, quidam enim dicunt non peccare mortaliter omittendo habitum, & tonsuram, si id faciant absque contemptu, & contumacia, erit tamen mortale, quando admoniti non reassumunt. Sic Caiet. *summa, verb. clericorum peccata, & verb. præcepti trangressio.* Bannez *suprà concluſ.* 4. dicit non esse mortale quando aliquo signo externo possit dignosci esse clericos.

13 Septima tamen conclusio sit. Multo certius est peccare mortaliter, quia id grauiter prohibetur Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de reformat. & Clement.* 2. *de vita & honest.* Item, quia talis clericus venit excommunicandus, vt patet ex *cap. si quis, dist.* 23. quod est D. Gregor. *& cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* & sic tenet *ibi* Panorm. *num.* 1. idem tenet *cap. tuæ, de apost.* Aragon 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. Angel. *clericus* 4. *num.* 1. *& verb. apostasia,* n. 1. Tabien. *clericus* 2. *quæst.* 6. *& verb. apostasia, quæst.* 8. Armil. *verb. apostasia, n.* 8. & *ibi* Sylvest. *quæst.* 2. *& clericus* 2. §. 2 Nauar. *in omnibus summis, cap.* 75. *num.* 110. Bernard. Diaz *pract. cap.* 76. *fine,* & quidam docti iuniores Magistri; & videtur tenere Caiet. *in summa, verb. interrogationes confessionis, paulo post principium, ante versic. tertia est.* vbi dicit clericos comatos prius esse tondendos, quàm audiendos in confessione. Et in hanc magis inclinat, licèt dubius, Armil. *verb. clericus num.* 11.

13 Nota limitandam esse hanc conclusionem, & præcedentem.

Primò, si excessus sit notabilis extra consuetum. Sic Sylvest. *clericus* 2. §. 2. Armil. *verb. clericus num.* 11.

15 Secundò limita, nisi habitus dimissio fiat propter necessitatem aliquam, v. g. tuendi vitam, honorem, diuitias proprias, vel proximi. Sic Bannez *ibi post quartam conclusionem.* Sylvest. *clericus* 2. §. 2. Palud. 4. *dist.* 24. *quæst.* 3. *num.* 17.

16 Tertiò limita, nisi hæc dimissio sit ad breue tempus, vt ad aliquem ludum exercendum, ad agendum aliquam personam. Sic Bannez *ibi*, Sylvest. *verb. apostasia, quæst.* 2.

17 Nota tamen, quòd si fiat animo vagandi, & occultandi personam, vt liberè possit per vicos, & plateas ambulare, ad perpetrandum aliquod malum, etiamsi id faciat ad breue tempus, peccat mortaliter. Ratio, quia ex natura rei sequitur graue scandalum, & sacramentorum irrisio ex tali dimissione. Sic Bannez *ibi concl. vltima, fol.* 679.

18 Quartò limita sextam conclusionem præcedentem, nisi beneficium esset tenue; quia licet dicatur in iure beneficium obligare ad horas, patitur exceptionem, nisi beneficium sit tenue; quia pro nihilo reputatur. Et licèt Pius V. obligarit beneficiatos ad non assistendum agitationi taurorum, adhuc excusamus habentes beneficium tenue, vt tenet Bannez *suprà concluſ.* 7. *fol* 677. & motus proprius Pij V. moderatus est per *Clementinam* 8. vt tantùm habeat locum in Religiosis, vt dixi *lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 31. *num.* 13.

19 Tandem ex dictis infertur minus benè Rebuffum *de priuileg. scholast. priuil.* 94. dicere clericis etiam Presbyteris in gymnasiis studiorum causa versantibus licere quouis habitu, & cuiusuis coloris vti, cùm peregrini videantur: & larè probat; sed meritò eum impugnat Menochius *de arbitrariis, lib.* 2. *centur.* 4. *casu* 392. *num.* 34. quia aduersatur *cap.* 2. *in fine, ne clerici, vel mon. in* 6.

20 An verò clerici, qui vi, vel metu ordinantur, recipiant verum ordinem, teneantúrque ad castitatem, & ad reliqua, ad quæ tenentur ordinati, dixi latè *lib.* 7. *de matrimonio disp.* 29.

### *De loco & tempore recipiendi ordines.*

### SVMMARIVM.

50. *Quo in loco sint ministrandi ordines.*
51. *Quo tempore ordines sacri celebrandi sint.*
52. *Quo tempore possint ordines minores conferri.*
53. *An omnes ordines possint simul vna die eidem conferri.*
54. *Quis possit dispensare in interstitiis seruandis inter Orceptionem duorum ordinum, quæ præcipit seruari Tridentinum* sess. 23. cap. 11. 13. & 14. de reformatione.
55. *An ad dispensandum in interstitiis requisitis inter ordinum receptionem exigatur causa.*
56. *An eadem causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ, quæ requiritur in Tridentino*, sess. 23. cap. 11. de reformat. & cap. 14. *requiratur in dispensatione in interstitiis inter ordinem minorem, & alium minorem, & inter Subdiaconatum, & Diaconatum: eadem (inquam) quæ ibi requiritur in dispensatione in interstitiis inter vltimum ordinem minorem, & Subdiaconatum, & inter Diaconatum, & sacerdotium.*

### DVBIVM L.

### *Quo in loco sint ministrandi ordines.*

1 PRimò dico, quòd ordines minores potest Episcopus vbi voluerit, conferre. Sic enim habet consuetudo. Sic Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 8. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. §. 17. Salazedo pract. Bernard. Diaz *cap.* 26. §. *minores verò.* Bartholom. à Ledesm. *dub.* 15. *de ordine.* Rebuffus *praxi tit. de clericis ad sacros ordines malè promotis, gloss.* 1. *num.* 5. Tabien. *Ordo* 5. *initio.* Glossa *cap. ordinationes, el.* 2. *distinct.* 75.

2 Nota aliquos dicere posse Episcopum tam in diœcesi sua, quàm extra diœcesim conferre primam tonsuram suis subditis, non petito consensu Episcopi territorij; quia collatio tonsuræ non est contentiosæ, sed voluntariæ iurisdictionis, quæ in aliena diœcesi potest exerceri. Sic Barbatius, & Albericus, quos refert, & sequitur Rebuffus *d gloss.* 1. *n.* 4. *& tit. de clericis à quibus, & quomodo creentur, n.* 12. *&* 13. *& tract. nominationum, quæst.* 14. *n.* 29. *&* 65. & Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. noui, cap.* 284. *fol.* 797. Couar. 3. *variar. cap.* 20. *num.* 9. Henriq. *lib.* 3. *de confirmat. cap.* 6. *n.* 6. cùm viderit Trident. At hodie hoc sublatum est per Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. *de reformat.* vbi prohibetur Episcopis in aliena diœcesi Pontificalia exercere absque Episcopi diœcesani licentia. Sic notauit Salzedo *cap.* 26. §. *extra tempora*; & Nauar. *lib.* 5. *consil. tit. de sentent. excommunic. consil.* 69. dicit esse suspensum Episcopum, qui in aliena diœcesi benedixit corporalia sine licentia. Vnde malè Henriquez post Tridentinum *suprà* dixit posse dare tonsuram, celebrare de Pontificali, & dare benedictionem solemnem; quia hæc omnia sunt Pontificalia; nec Doctores quos refert, aliquid conferunt, quia ante Tridentinum scripserunt.

3 Secundò dico ordines sacros ministrandos esse in Ecclesia Cathedrali. Sic D. Anton. *d.* §. 17. Glossa *d. cap. ordinationes*, Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 8. Angelus, & Tabien. *Ordo* 5. *initio*, imò de consuetudine possunt Episcopi ministrare ordines sacros, vbi volunt & testantur Hostiens. & Guiller. quos refert & sequitur Sylvest. Angel. Tabien. D. Anton. *ibidem*, Rebuffus *praxi tit. de clericis ad sacros ordin. malè promotis, glossa* 1. *num.* 5. At hodie non valet hæc consuetudo, sed standum est nouo decreto Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* vbi decernitur, vt ordines sacri in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibúsque ad id Ecclesiæ canonicis publicè celebrentur: si verò in alio diœcesis loco dignior semper Ecclesia



Ecclesia adeatur, quantum fieri poterit, & præsente clero. Sic Bartholomæus à Ledesma *d. dub.* 15. Salzedo *d. cap.* 26. §. *minores vero.*

### DVBIVM LI.

### *Quo tempore Ordines sacri celebrandi sint.*

1 CErtum est non posse celebrari, nisi in quatuor temporibus anni, quæ sunt post tertiam Dominicam Aduentus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis sanctæ Crucis, item in Sabbato sancto ante Dominicam in Passione; sic enim definitur expressè *cap. de eo, de tempor. ordinat. & cap. fin. dist.* 75. quod est Gelasij Papæ, quod præcipitur obseruari in Trident *sess.* 23. *cap.* 8 *de reformat.* & fatentur omnes Doctores citandi solùm Papam posse in hoc dispensare; & esse mortale tam in ordinante, quàm in ordinato extra tempora à iure statuta ordines recipere; quia est materia grauissima, & grauissimæ incurruntur censuræ, vt patet ex Extrauagan. Pij II. *cum sacrorum*, & ex motu proprio nouo Sixti V. & tenent D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. §. 16. Rebuffus *praxi tit. de clericis ad sacros ordines malè promotis, gloss.* 1. *num.* 14. Nauar. summa Latina *cap.* 25. *num.* 70.

2 At dubium est, an hi ordines celebrandi sint in Sabbato ieiuniorum quatuor temporum, vel in die Dominica sequenti: nam Hugo *cap. quod à Patribus, distinct.* 75. docet celebrandos esse die Dominica, nec opus esse continuari ieiunium Sabbathi cum Dominica, vt reputentur vna dies, Ratio, quia sacramentum ordinis, & Baptismi efficaciam habent ex Christi resurrectione, quæ fuit in die Dominica.

3 Cæterùm hæc sententia, vt omnino falsa est reiicienda: tum, quia generalis Ecclesiæ vsus habet, quòd fiant in Sabbato; & sic etiam iubetur in Pontificali fieri: tum etiam, quia sic colligitur ex testibus citatis; & sic tenent D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16 §. 16. Turrecrem. *cap. quod à Patribus, distinct.* 75. Palud. 4 *distinct* 25. *quæst* 2. *num.* 16. Salzedo pract. Bernardi Diaz *cap.* 26. §. *item sacri.* Bartholom. à Ledesma *dub.* 15. *de ordine.* Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 6 Rosella *Ordo* 2. *num.* 4. Armil. *verb. Ordo*, *num.* 7. Viguer. *lib. instit. cap.* 16. §. 6. *vers. sexto.* Panorm. *cap. literas, de tempor. ordin. num.* 3. Glossa *cap. de eo, eod. tit. vers. Sabbato.* Angel. *Ordo* 4. *num.* 2.

4 Nota primò, quòd in quodam casu fas est die Dominica sequenti post dictum Sabbatum sacros ordines conferre: nempe seruato, & continuato ieiunio Sabbati, cum Dominica sequenti ab ordinatore, & ordinato, tunc enim fictione canonica manè Dominicæ sequentis trahitur ad vesperam Sabbati præcedentis, & sic dicuntur conferri in Sabbato: non expedit tamen hoc facere, quia est magnum ieiunium, nisi adsit necessitas: vt quia Episcopus non potuit Sabbato ordinare, vel fuit tanta ordinandorum copia, vt non potuerint ordines die Sabbati perfici. Hoc colligitur ex *cap. quod à Patribus, distinct.* 75. & tenet *ibi* Turrecrem. glossa *cap. literas, de tempor. ordinat. versic. vno die, & vers. pertinere*, & *ibi* Panorm. *num.* 3. & *ibi* Hostiens. Innocent. & omnes. Salzedo *d. cap.* 26. §. *ista autem.* Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 6. D. Anton. *d.* §. 16. Barthol. à Ledesma *d. dub.* 15. Rosella *Ordo* 2. *num.* 5. Tabien. *Ordo* 2 *num.* 3.

5 Secundò nota aliquos ex his Doctoribus dicere ita seruandum esse dictum ieiunium continuatum ab ordinatore, & ordinato, quando die Dominica sunt celebrandi ordines sacri, vt non debeant comedere, nec bibere toto Sabbato, & nocte Dominicæ, adeò vt si Episcopus faciat die Sabbati sacrum, non debeat sumere ablutionem. Sic D. Anton. *d.* §. 16. Panorm. *d. cap. literas, num.* 4. Sed melius alij dicunt intelligi de ieiunio Ecclesiæ, quod per hanc ablutionem non tollitur. Sic Sylvest. *Ordo* 2. *quæst.* 6. Tabien. *Ordo* 2. *q.* 3.

6 Nota, quòd nocte Resurrectionis, vbi consuetum est quòd celebretur, possunt ordines sacri celebrari, continuato, vt dixi, ieiunio; aliis verò noctibus Dominicæ sequentis dicta Sabbata non licet, quia in illis non licet sacrum celebrare absque quo non possunt ordines sacri conferri. Sic D. Anton. *d.* §. 16 Sylvest. *ordo* 2. *quæst.* 6. Innocent. & Panorm. *supra num.* 3.

7 Tandem nota, quòd non potest Sabbato vnus ordo sacer conferri alicui, & die Dominica sequenti alius ordo eidem, etiam continuato ieiunio, vt expressè definitur *d. c. literas*, & tenent D. Anton. *d.* §. 16. Palud. *d. q.* 2. *n.* 17. Sylvest. *ordo* 2. *q.* 6. Panorm. *d. c. literas*, & omnes. Vtrùm autem Religiosi possint per sua priuilegia ordinari extra tempora, vide Man. *tom* 3. *q. regul. q.* 23. *art.* 5.

### DVBIVM LII.

### *Quo tempore possint Ordines minores conferri.*

1 SIt prima conclusio. Prima tonsura potest omni die conferri; quia nullibi est vetitum, & sic habet vsus. Sic D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16 §. 16. Sylvest. *Ordo* 2. *q.* 6. Palud. 4. *dist.* 24. *q.* 4 *n.* 7. *& dist.* 25. *q.* 2. *n.* 14. Salzed. pract. Bernardi Diaz *c.* 26. §. *extra tempora.* Hostiens. Ioan. Andr. Cardin. *c. pen. de tempor. ordin.* Barthol. à Ledesma *dub.* 15. *de ordine.* Rebuffus *praxi formula dimissoriarum, num.* 7. Angel. *ordo* 4. *initio.* Armil. *verb. ordo, n* 7. Rosella *ordo* 2. *num.* 4. Tabien. *ordo* 2. *q.* 3. & sic habetur in Pontificali, & tenet Henriquez *lib.* 10. *de ordine, cap.* 12. *n.* 1.

2 Secunda conclusio. Ordines minores possunt conferri vltra Sabbata quatuor temporum, & alia duo Sabbata, in quibus dixi *dub. præced.* posse celebrari ordines omnibus Dominicis & festis. Sic habetur expressè *cap. de eo, de tempor. ordinat.* & tenent omnes Doctores citati, & sunt conferendi ante prandium; & sic habetur in Pontificali, quòd sunt conferendi omnibus Dominicis, & festis manè, & docent Tabien. *ordo* 2 *q.* 3. Sylu. *ordo* 2. *q.* 6. Angel. *ordo* 4. *n.* 5. Barthol. à Ledesm. *d. dub.* 15.

3 Iam tamen vsu generali inductum est, vt die Veneris ante Sabbata dicta vesperi conferantur ordines minores; quia fæpè tot ordinandi confluunt, vt non possint dicto Sabbato conferri. Sic Henriquez *supra n.* 2. & idem dicit cum aliis posse dari feria quarta quatuor temporum.

4 Dubium tamen est, an in omnibus festis possint conferri ordines minores, quidam enim dicunt posse conferri Dominicis, & festis præcipuis; & non explicant quid intelligant per festa præcipua. Panorm. tamen *cap. literas, de tempor. ordinat.* explicat diebus solemnibus; & *cap. de eo, eod. tit. num.* 2. sequitur tanquam tutiorem sententiam Hostiens. qui, vt ex ipso refert Angel. *ordo* 4. *n.* 1. dicit, solùm posse conferri in illis festis, in quibus virgines sacrari possunt. Hæc autem festa sunt, teste Sylvest. *verb. consecratio virginum, fine*, dies Epiphaniæ, Pascha Resurrectionis, Natalia Apostolorum, dies Dominicæ, & sic forsan Doctores huius sententiæ; per *festa præcipua*, intelligunt hæc, & quòd tantùm festis præcipuis & Dominicis possint conferri, tenent D. Anton. 3 *p. tit.* 14. *cap.* 16. §. 16. Barthol. à Ledesm. *d dub* 15. Palud. 4 *dist.* 25. *q.* 2. *n.* 15. Sylvest. *ordo* 2. *q.* 2. Panorm. & Hostiens. *proximè citati.* Turrecrem. *cap. quod à Patribus, dist.* 75. Viguer. *lib. instit. cap.* 16. §. 6. *vers.* 6. Rosel. *Ordo* 2. *n.* 4.

5 At verius est posse conferri omnibus festis: sic enim indistinctè dicitur *d. cap. de eo*, & in Pontificali posse conferri omnibus Dominicis, & festis, sic videntur tenere Angel. *ordo* 4. *n.* 1. Tabien. *ordo* 2. *q.* 3. & indistinctè dicunt posse conferri Dominicis, & festis, Armil. *verb. ordo n.* 7. Salzed pract. Bernardi Diaz *cap.* 26. §. *minores.* Rebuffus *praxi tit. de clericis ad sacros ordines malè promotis, glossa* 1. *n.* 3 & refert *n.* 6 Præpositum.

6 Alterum dubium est circa hoc, an dictis Dominicis, & festis tantùm possit Episcopus conferre vni, vel duobus ordines minores: nam *cap. de eo, de tempor. ordinat.* dicit textus posse vnum, vel duos ad ordines promouere, & sic quòd tantùm possit vni, vel duobus conferre,

tenent

Universidad de Deusto
Biblioteca



tenent Palud.4.*dist.*25.*q.*2.*num.*18. Panorm.& Hostiens. *d.cap.de eo.* Angel. *Ordo 4.initio.*

7 Alij verò dicunt posse ex iusta causa pluribus ordines minores conferre; non tamen citra iustam causam, sic Barthol.à Ledesm.*d.dub.*15.Sylvest. *Ordo 2.quæst.6.*

8 At verius est posse his diebus ordines minores conferre multis, non tamen ita quòd videatur ordines genetales celebrare, & hæc fuit intentio *dict.cap.de eo*, cùm dicit textus, quòd vni, vel duobus conferat, id est, non tot quòd videatur ordinationem generalem facere. Sic Rebuffus *d.gloss.*1.*n.*6.Præpositus,& Turrecremata, *cap. quod à Patribus*,d75 glossa *dict.cap.de eo, vers. aut duos*, & *ibi* Innocent. Goffred. Rainer. Bernardus Pisana Supplementum,quos refert Sylvest. *suprà.* Viguer. *lib. instit. cap.*16.§ 6.*vers.*6.Rosella *ordo* 2. *num.*4 Tabiena *ordo* 2. *quæst.*3.& videtur tenere Armill.*verb.ordo,num.*7.& tenet Henriquez *d.num.*2.

9 Tandem nota quòd Abbates, quibus fas est conferre ordines minores, possunt etiam illos conferre Dominicis, & festis. Nec obstat quòd *dict. cap.de eo*, dicitur licere hoc Episcopis, quia nomine Episcoporum intelliguntur quilibet alij, quibus licet hos ordines conferre: facta est tamen Episcoporum mentio, quia iure ordinario Episcopis competit conferre ordines hos. Sic tenent Panorm. *d.cap.de eo,num.*1. *& cap.cum contingat,de ætat. & qualitat.n.*2.Hostiens.quem refert, & sequitur Sylvest. *ordo* 2. *quæst.*6.Armill. *verb.ordo,num.*7. Tabien. *ordo* 2.*quæst.*3. Angel. *ordo* 4.*num.*2.Henriquez *d.n.*2.Anton. *d. cap. de eo.*Imò addunt Hostiens. Sylvest. Angel. Tabien. melius esse, si Abbates his diebus conferant, ne videantur si conferant in Sabbathis quatuor temporum ordines generales, vt Episcopi faciunt, celebrare.

## DVBIVM LIII.

*An omnes ordines possint simul vna die eidem conferri.*

1 SIt prima conclusio. Duo ordines sacri non possunt eadem die vni conferri. Sic habetur *cap. literas,de tempor. ordinat.*& in Tridentin. *sess.*23.*cap.*13. *de reform.* & reuocat priuilegia Religiosorum contraria, & tenent omnes Doctores citandi, & quòd solus Papa in hoc dispensat.

2 Secunda conclusio. Quatuor ordines minores & Subdiaconatus, nequeunt eidem vna die conferri. Probatur ex *cap.*2.*de eo, qui furtiuè ordin. recepit.* & tenent Gutier. *quæst. canon.cap.* 26.*num.*31.*lex* 27.*tit.*6. *part.*1. Bartholom.à Ledesm.*dub.*15.*de ordin.* Viguer. *lib. instit. cap.*16.§.6.*vers*6.Sotus 4.*dist.*25.*quæst.*1.*art.* 3. Sylvest. *ordo* 2.*quæst.*7. Angel.*ordo* 6.*num.*2.Armil.*verb.ordo,n.*6. Tabien.*ordo* 2.*quæst.*2. D.Anton.3.*part. tit.*14.*cap.*16. §. 16.Paludan.4.*dist.*25.*quæst.*2.*num.*17. Rosella *ordo* 2.*n.* 3. Bernard. Diaz *pract-crimin.cap.*25.& *ibi* Salzedo §. *vna. glossa cap.*2.*de eo, qui furt.ordin.recep.*& *ibi* Panorm.*n.*1. imò nec vnum ordinem minorem & Subdiaconatum fas est eadem die recipere, vt benè Panorm.Palud. Tabien. *ibi.*

3 Nota primò non concedi Episcopo facultatem in Trident.ad dispensandum in hoc, sed tantùm ad dispensandum in interstitiis inter ordinem, & ordinem requisitis. Sic Salzedo *ibi.*

4 Hinc fit minus bene Rebuffum *praxi benefic. tit. de clericis ad sacros ordines malè promotis, gloss.*1.*num.*18. dicere posse recipi eodem die minores ordines, & Subdiaconatum, dummodo non remerario ausu, id est, absque Episcopi scientia, & examine intrudatur sic ordinandus; & sic explicat *d. cap.* 2. *de eo, qui furt.ord.recep.* sed fallitur, & sic omnes Doctores citati tenent contrarium.

5 Secundò nota, quòd limitanda est hæc conclusio, nisi alicubi esset consuetudo conferendi eadem die ordines minores, & Subdiaconatum: ea enim est valida, & seruanda. Sic D. Anton.*d.*§. 16.Rebuff. referens Cardin. *dict.num.*18.dicítque esse hanc consuetudinem.

6 At dubium est, an post Tridentin. hæc consuetudo sit valida. Quidam enim negant. Ratio, quia Tridentinum *sess.*23.*cap.*11.*de reformat.* iubet, ne detur Subdiaconatus, nisi transacto anno post vltimi ordinis minoris susceptionem; sic Salzedo *d.*§.*vna*, & videtur hoc sequi Maiol.*de irreg.lib.*4.*cap.*11.

7 Sed verius est valere, quia Trident.*d.cap.* 11. non derogat consuetudini, & quando voluit consuetudini derogare expressè hoc fecit, vt patet ex *eadem sess.* 23. *cap.*6.9. 10. *de reformat.* & ex pluribus aliis locis Tridentini. Sic tenent Nauarr.summa Latina *cap.* 25. *n.* 71. Gutier.*quæst.canonic.c.*26.*n.*31.*&* 32. Manuel Rodriquez in motu Pij V.*de censibus,expositione dub.*8.*fol.*32.*pag.*1.§. *quanto a lo tercero.* Et confirmatur amplius, quia Tridentinum *sess.*23.*c.*13. validam esse hanc consuetudinem innuit, quandoquidem tantùm *ibi* prohibet duos sacros ordines vna die eidem conferri, priuilegiis, ac indultis quibusuis non obstantibus, quasi velit, ac intendat consuetudinem in hoc casu in suo vigore permanere respectu quatuor ordinum minorum, & Subdiaconatus.

8 Maius autem dubium est, an per motum proprium Sixti V. contra malè conferentes, vel recipientes ordines abrogetur, & annullerur hæc consuetudo? Et videtur annullari, quia *ibi* decernit, vt seruentur interstitia à Tridentino statuta, non obstantibus quibuscunque contrariis. Et sic videtur tenere Manuel Rodriquez *d. dub.* 8.*fol.*34.*pag.*2.*ante* §.*empero veamos.*

9 At verius est adhuc valere dictam consuetudinem. Primò, quia illa clausula, *non obstantibus*, non cadit super omnia dicta, & contenta in illo motu proprio, sed ad clausulam immediatam, vt clarè liquet ex illo. Item, quia hic motus proprius nil aliud intendit, vt ex eo patet, quàm quòd seruetur Tridentinum, & ius commune circa ordines. Quod tamen consuetudini non derogat: ergo restringendus est ad terminos Concilij Tridentini, quia constitutio quæ fit ad interpretandam aliam, & ad eam roborandam, intelligenda est secundùm eam, & concludenda terminis eius, & sic non extenditur ad ea, quæ non sunt per illam prohibita. Auth. constitutio quæ innouat §.*vnde. vers.vt illis,collat.*3.& sentit glossa, quam reputat singularem Cardin. *ibi clement. statutum, vers. consuetudine,de elect.*Felin.*cap.*1.*de iureiur.num.*5.Nauar. *de datis, & promissis pro iust.vel gratif.notabili* 3. *num.* 7. Sic tenent Manuel Rodriq.*d.dub.*10.*fol.*32.*pag.*1.§. *quanto a lo tercero.* Sed quamuis per prædictum motum Sixti talis consuetudo fuisset abrogata, tamen ille motus reuocatus est per Clement.V III. præterquam in simoniacè promouentibus & promotis, vt *suprà* dixi.

10 Tertia conclusio. Hæc interstitia debent intercedere inter hos ordines, nempe inter vltimum ordinem minorem, & Subdiaconatum, debet intercedere annus vt decernit Trident. *sess.*23.*c.*11.*de reform. fine*, & alius annus intercedere debet inter Subdiaconatum, & Diaconatum, vt definit Tridentin. *ibi cap.* 13. & alius inter Diaconatum, & Presbyterium, vt definit Tridentinum *ibi c.* 14. & licèt longiora multo interstitia requirebantur iure antiquo, vt patet ex *cap.in singulis, dist.* 77. at vsu non seruabantur, vt benè docet Gregor. Lopez *part.*1. *tit.*6.*l.*27.*vers.*septe.

11 Quarta conclusio. De minoribus ordinibus, an possent omnes vna die eidem conferri, non constat inter Doctores. Quidam enim dicunt non posse de iure, nisi consuetudo iuri derogauerit, sicque colligi videtur ex *cap.quicunque,dist.* 77. & tenet *ibi* glossa *vers. Acolytus.& ibi* Ioannes,*l.* 26. *tit.*6.*part.*1. At probabilius erat posse de iure dari, nisi contraria consuetudo præualuisset, & sic colligitur ex *cap.*2.*de eo qui furtiuè ordin.recepit*, & tenet *ibi* glossa *vers.minores.* Panorm. *ibi, num.* 1. idem glossa *cap.de eo, de tempor.ordin.* & *ibi* Panorm. & Innoc. D.Anton.3.*part.tit.*14.*cap.*16.§.16.Sylvest.*ordo* 2. *quæst.*7. Rosella *ordo* 2. *num.* 3. Tabiena *ordo* 2.*quæst.* 2. Palud.4.*dist.*25.*quæst.*2.*num.*15.Barthol.à Ledesm.*de ordine,dub.*15.

Hodie



12 Hodie tamen Trident.*sess.* 23. *cap.* 11. *de reformat.* statuit vt minores Ordines per temporum interstitia conferantur, nisi Episcopo aliud magis expedire videatur. Vnde cùm Tridentinum horum interstitiorum tempus non designet, non est necesse vt inter ordinem minorem, & alium ordinem minorem, intercedat annus, sed hoc tempus arbitrio Episcopi relinquitur. Sic glossa *cap.quicunque,vers.vel habere,dist.*77. Menoch. *lib.* 2. *de arbitr.centuria* 5. *casu* 427. *num.* 28. Manuel Rodriquez *d.dub.*8.*fol.*32.*pag.*1.§.*digo lo segundo.*

13 Imò vbi erat consuetudo ante Concilium dandi omnes ordines minores simul, nulla requiritur modò dispensatio; quia, vt latè probaui, non derogat Trident. *in illo cap.* 11. consuetudini. Sic Manuel Rodriq. *d. dub.* 8.*fol.*32.*pag.*1.§. *quanto a lo tercero.*

14 Quinta conclusio. De prima tonsura, & minoribus ordinibus, quòd non possint eadem die de iure eidem conferri, nisi vbi hoc habet consuetudo, tenet communis,& videtur colligi ex *cap.in singulis, dist.*77. Sic Barthol. à Ledesm. *d. dub.*15. Host. Panorm. *cap. de eo, de temp.ordin. n.* 2. Angel.*ordo* 6.*n.*2. Armil,*verb.ordo n.* 6. Tabien. *ordo* 2. *quæst.* 2. Rosella *ordo* 2. *num.* 3. At vsus obtinuit, vt possit simul tonsura cum ordinibus minoribus dari, vt bene Armil. Tabien. Rosella *ibi.*

15 Vltima conclusio. Licèt aliqui dubitarint an interstitia inter ordinem, & ordinem præcepta seruari in Tridentino *sess.* 23. *cap.* 11. 13 14. *& de reform.* obligent Religiosos, quia *ibi* non facit Tridentinum mentionem de Regularibus: cùm tamen in aliis decretis exprimat ea etiam in Regularibus esse seruanda, & *d. cap.* 13. dum iubet duos ordines sacros eodem die non esse conferendos, addit *etiam Regularibus*: at certum est obligare etiam Religiosos, & ita seruatur in praxi. Nec obstat argumentum sumptum ex *dict. cap.* quia mens Tridentini *ibi* fuit, licèt concesserit Episcopis facultatem dispensandi in interstitiis, non tamen intelligenda est hæc facultas, vt possint eodem die duo sacri ordines recipi etiam à Regularibus, cum quibus erat maior dispensandi ratio. Sic Manuel Rodriquez *d. dub.* 8. *fol.* 27. *à pag.* 1.

## DVBIVM LIV.

*Quis possit dispensare in interstitiis seruandis inter receptionem duorum ordinum, quæ præcipit seruari Tridentinum* sess.23. c. 11. 13. & 14. de reformat.

1 CErtum est apud omnes posse Episcopũ, sic enim dicitur illis tribus capitibus expresè. Hic autem Episcopus non debet esse Episcopus, qui ordinat, quando est alienus, sed debet esse proprius Episcopus; quia licèt Tridentinum dicat absolutè posse Episcopum dispensare: at intelligitur de proprio; semper enim cùm aliquis actus iurisdictionis committitur Episcopo, intelligitur de proprio, quia alienus nullã habet iurisdictionem. Sic Manuel Rodriq.*in expositione motus Pij V. de censibus dub.*8.*fol.*29 *pag.*1 §. *digo lo segundo*, & patet ex dictis *suprà dub.*27.vbi ex Nauarro diximus quòd etiam quando proprius Episcopus dat dimissorias, vt suus subditus ordinetur ab alieno, non potest ille alienus dispensare in interstitiis, nisi proprius Episcopus hoc sibi committat.

2 An verò Episcopus ordinans suum familiarem post triennium possit cum illo dispensare in interstitiis, vide *suprà dub.*27.

3 Dubium tamen est de habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, ita vt Episcopus non habeat iurisdictionem in suos subditos, vt sunt quidam Abbates, & superiores Religionum in suos Regulares, an dispensare possint cum suis subditis in his interstitiis.

4 Quidam dicunt hoc solis Episcopis competere,& sic non posse Generales, & Prouinciales cum suis subditis Regularibus dispensare, sed debere petere ab Episcopis ordinantibus eos, vt dispensent, nec esse opus, vt Prælatus Regularis exprimat in specie causas ad dispensandum, sed sat esse in genere, vt quod necessitas, & vtilitas suæ Religionis, & ordinandi talem tum inclinant ipsum ad petendam dispensationem, vt possit Episcopus absque alia informatione dispensare. Probatur hæc sententia; quia Trident.*dict.c.*11.13.*&* 14.hanc dispensationem remittit Episcopis. Sic Manuel Rodriq.*dict.dub.*8.*fol.*29. *pag.*1.§.*quanto à lo segundo.& fol.*31.*pag.*2.§.*digo lo quarto*, & quod cum Regularibus dispenset tantùm Episcopus, in cuius diœcesi commorantur, tenet Henriquez *lib.*10.*de ordine,cap.*23.*num.*4.*litera L.*

5 Imò Manuel Rodriquez *ibi fol.*31.*pag.*1.*versic. digo lo quarto*, asserit quòd quando capitulum Sede vacante dat reuerendas, nequit dispensare in interstitiis, sed debet petere ab Episcopo ordinaturo, vt dispenset. Sit tamen

6 Prima conclusio. Capitulum Sede vacante, quando dat reuerendas ad ordines, potest dispensare in interstitiis. Probatur, quia hoc spectat ad potestatem iurisdictionis, at omnino spectantia ad potestatem iurisdictionis ordinariam Episcopi competunt capitulo Sede vacante, nisi iure expresè caueatur oppositum, vt dixi *lib.*8. *de matrimonio, disput.* 2.*num.* 10. Cùm ergo in hoc casu non caueatur expresè contrarium, poterit capitulum dispensare. Item, quia in Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* statuitur, vt nullus audiat confessiones, nisi approbatus ab Episcopo, & tamen capitulum Sede vacante approbat. Item, quia Tridentinum non dat licentiam alieno Episcopo ordinanti vt dispenset cum hoc in interstitiis: ergo si capitulum caret potestate iurisdictionis ad dispensandum, malè dicit Manuel Rodriq. debere petere ab Episcopo ordinaturo, vt dispenset, quia si ipsum capitulum non habet iurisdictionem hanc, non poterit eam alteri delegare.

7 Secunda conclusio. Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt dispensare cum suis subditis in interstitiis. Probatur ex dictis *suprà dub.*21. vbi de his & aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem latè probauimus posse omnia, quæ possunt Episcopi potestate iurisdictionis ad quem spectat hæc potestas; imò & posse dare reuerendas, licèt hoc videatur prohibitum in Trident. *ead. sess.* 23. *cap.* 10. quantò magis poterunt hanc dispensationem indulgere, quod nullibi videtur prohibitum,& sic practicatur, & ego vidi reuerendas Abbatis de Sahagun, in quibus cum quodam sæculari sibi subdito dispensabat in interstitiis.

8 Tertia conclusio. Prælati Regulares possunt dispensare cum Regularibus exemptis sibi subditis in his interstitiis, & nullo modo id possunt Episcopi. Probatur, quia Episcopi tantùm possunt dispensare cum suis subditis: at Regulares exempti non sunt magis subditi Episcopo, quàm sæcularis extraneus, cum quo est certum non posse dispensare. Item, quia hi Prælati habent iurisdictionem quasi Episcopalem in Regulares suos, & nullam habent in eos Episcopi iurisdictionem, cùm exempti sint, vt patet ex Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 21. vbi hæc dicit: *Abbas suus respectu Regularis exempti est suus ordinarius quoad reuerendas, & habet iurisdictionem quasi Episcopalem*; ergo. Item, quia hi Prælati dant reuerendas suis Regularibus, & nullo modo Episcopi, vt dixi *supra dub.* 21. ergo similiter dispensant in interstitiis, cùm hæc ambo sint iurisdictionis Episcopalis. Item, quia idem Manuel Rodriquez *ibi fol.* 31. §. *Digo lo tercero*, fatetur, quòd Abbates, qui possunt initiare minoribus Ordinibus suos subditos Regulares, possunt cum illis dispensare in interstitiis; sed hi non sunt Episcopi; sed tantùm habent iurisdictionem quasi Episcopalem ergo similiter id poterunt alij Prælati Regulares, cùm eandem iurisdictionem quasi Episcopalem habeant. Item, quia si hi debent petere ab Episcopo ordinaturo, vt dispenset, vt fatetur Manuel

Universidad de Deusto
Biblioteca



Rodriq. tunc vel Episcopus talis dispensat virtute Tridentini, & hoc non, quia, vt dixi *dub.praced.* tantùm potest dispensare quando ordinat sibi subditum, vel virtute licentiæ concessæ à Prælato per talem petitionem: ergo à fortiori habet talis Prælatus iurisdictionem dispensandi, aliàs non posset illam delegare. Item, quia sic habet ptaxis, communiter enim in dimissoriis ad Ordines, quas concedunt suis subditis Regularibus, dispensant in interstitiis. Sed de hac re vide, quæ latè & optimè docet Suarez *tom.4.de Religione lib.2.de prælat.Relig. cap* 12. *à num.* 21. *vsque ad* 23. vbi vtramque sententiam optimè conciliat, & declarationes Cardinalium explicat.

9 Tandem nota quòd in Societate Iesu hoc caret difficultate; quia Gregor.XIII. anno 1581.concessit bullam Societati Iesu, vt omnes præsentati à Generali, vel ab eius delegato, possint ordinari non seruatis interstitiis, & extra tempora, & assignat causam institutam, videlicet esse societatem ad discurrendum per quascunque mundi plagas ad fructificandum in vinea Domini, & prohibet communicationem huius priuilegij iis, qui sua priuilegia cum societate participant, & participare possunt; & Pater Generalis Societatis *in compendio priuilegiorum, verbo Ordines, num.*3. dicit, quòd hæc facultas communicatur omnibus Prouincialibus, excepta facultate extra tempora, quæ in Europa reseruatur Generali, & ita Religiosi Societatis non indigent alia causa, vt à suis superioribus possint præsentari ad Ordines, non seruatis interstitiis; quia ipse Pontifex hac sola causa dispensat, non enim dispensat Prælatus Societatis in interstitiis, nec Episcopus à quo ordinantur: sed supposito quòd Religiosi ipsius Societatis à suis superioribus præsententur, ipse Pontifex immediatè dispensat cum illis in interstitiis. Nec hoc priuilegium derogatur per motum proprium Sixti V. scilicet contra malè recipientes, vel conferentes Ordines, quia clausula, *non obstantibus*, quam *ibi*, tantùm fertur ad clausulam immediatam, vt ex eo constat, & ita Societas vtitur hoc priuilegio post dictum motum proprium, præterquàm quòd ille motus proprius iam fuit derogatur per Gregor. XIV. vt sæpè diximus.

## DVBIVM LV.

*An ad dispensandum in interstitiis requisitis inter Ordinum receptionem exigatur causa.*

1 HAc in re certum est requiri causam, vt dispenset Episcopus in interstitiis requisitis inter receptionem postremi Ordinis minoris, & Subdiaconatum, quia expresè dicit Tridentinum *sess.23.cap.11. de reformat.* quòd intercedat annus inter hos Ordines, nisi Ecclesiæ necessitas, aut vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat. Similiter est certum inter receptionem Diaconatus & sacerdotij, vt non intercedat annus ex Episcopi dispensatione requiri causam, quia dicit Trident. *d. sess. 23. cap.*14. vt intercedat annus, nisi ob Ecclesiæ necessitatem ac vtilitatem aliud Episcopo videretur. Vnde maior causa requiritur ad dispensandum in interstitiis inter Diaconatum & sacerdotium, quàm inter Ordinem vltimum minorem, & Subdiaconatum; quia in hoc casu requirit Tridentinum necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ disiunctiuè, in illo verò copulatiuè vtilitatem, ac necessitatem, vt patet ex verbis Tridentini citatis. Et ratio est, quia ministeria sacerdotij sunt multò aliis altiora, & sic valdè ponderatur collatio sacerdotij, *cap. cum sit ars artium, de ætat.& qualitate.* Sic Manuel Rodriquez *in expositione motus proprij de censibus, dub.* 8. *fol.* 33. *pag.* 2.

2 Nota, quod Sylvest. *Ordo* 3. *quæst.* 10. definit necessitatem & vtilitatem Ecclesiæ, allegans Host. Gosfred. & Vldaricum, quòd necessitas est quando nullus est alius minister præter hunc, qui debet ordinari, vtilitas verò est, quando non sunt alij idonei præter istum. Itaque quando Ecclesia indiget ministris, & nullus alius est, qui ordinetur, est necessitas; quando verò sunt alij, non tamen idonei, est vtilitas. Sed nimis rigidè loquitur, & in tractat in alio casu, valdè grauí, nempe quando possit Episcopus cogere aliquem ad suscipiendum ordinem sacrum, quòd tantùm potest facere propter Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem, vnde in nostro casu non tam strictè sumenda est Ecclesiæ vtilitas, vel necessitas: immò in casu, in quo Sylvest. loquitur, loquens D. Anton. 3. *part.tit.*14.*cap.*16.§. 18. dicit hæc verba: *Dicitur necessitas cum non sunt alij, qui ordinentur, & Ecclesia indiget; vtilitas autem, cum et si sint alij, & Ecclesia tamen indiget ordinatis.* Et sic in nostro casu dicendum est, quòd tunc erit Ecclesiæ vtilitas, quando sunt pauci ministri idonei, quos habet: tunc verò dicetur necessitas, quando non solùm desunt idonei, sed etiam desunt ministri idonei. & nõ idonei, iuxta ea quæ adduximus ex D. Anton. *d.* §. 18. & hæc necessitas, aut vtilitas non consistit in indiuisibili, sed debent Episcopi inspicere, & considerare, quòd multoties absunt, id est *hacen ausencia* ministri idonei, & non idonei alicuius Ecclesiæ, & aliàs in infirmitatem incidunt, & sic in Ecclesiis defectus committuntur, id est, *se hacen faltas.* Quapropter animaduerso, quòd hi defectus commuiter accidunt, defectu considerato, qui ministris potest accidere, in his casibus Episcopi dispensare possunt, quamuis in præsentiarum Ecclesia ministris non indigeat, siquidem verisimiliter casus accidere possunt, in quibus illis indigeat. Sic Manuel Rodriquez *supra* 3 imò aliqui dicunt iustam causam esse studiorum, quibus ille promouendus incumbit. Sic Horatius Lucius *tract. de priuilegiis schol.arium, priuileg.* 99. quem refert, ac sequitur Menoch. *lib.* 2. *de arbitrariis, centuria* 5. *casu* 427. *num.*31.& 32.

3 At dubium est, an requiratur causa ad dispensandum in interstitiis requisitis inter vnum ordinem minorem, & alterum minorem? & inter Subdiaconatum, & Diaconatum, videtur enim Trident. nullam exigere causam, sed meram Episcopi voluntatem, priori enim casu dicit Trident. *sess.* 23. *cap.* 11. *de reformat.* minores ordines per temporum interstitia conferantur, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur. Posteriori etiam casu dicit Trident. *ibi cap.* 13. ordinati in Subdiaconos non admittantur, nisi post transactum annum ad Diaconatum, nisi aliud Episcopo videatur.

4 Item, quia *c. relatum, dist.* 37. vbi Papa reprehendit quosdam interpretantes scripturas, vt sibi videtur: ergo, *vt videtur tibi*, non importat arbitrium iustum, & causa regulatum. Item, quia Bald. *in tit. de pace constantiæ, pag. penult. vers. in animam nostram*, inquit, qui potestatem habet faciendi, quòd sibi videtur expedire, habet voluntatis arbitrium.

5 Cæterùm vt respondeam, supponendum est, primò, quòd hoc distat inter arbitrium boni viri, & liberam voluntatem, quòd dum aliquid relinquitur liberæ voluntati alicuius, ille ad nil tenetur, nec indiget causa, & stabitur declarationi suæ, siue iustæ, siue iniustæ, siue dignæ, siue indignæ; quando verò fit commissio per verba importantia arbitrium boni viri, exigitur arbitrium rectè, & regulatione commensuratum, & sic exigitur causa, quia id dicitur arbitrium boni viri, quod bonus vir arbitraretur, *l. vir bonus, ff. iudic. solu.* Sic Bart. *super extrauag. ad reprimendum, verb. videbitur, n.* 2. Iason *Inst. de action.* § *in bona fidei. n.*14. Imola *in repetitione, quam ponit super Clement. sæpe, de verb. signif.* quæ incipit, *Habens expeditam. num.*34.

6 Secundò supponendum est, quæ verba importent liberam voluntatem, & quæ arbitrium boni viri, de quare latè Menochius *lib.* 1. *de arbitr. quæst.* 7. 8. 9. In primis hæc verba, *vt volueris, libuerit*, quia idem est ac liberè volueris. Item quando verbum *arbitrium*, ponitur cum dictione *plenum*, siue *liberum*, vt, committimus hoc tuo arbitrio, vel tuo pleno arbitrio. Exceptis autem his verbis omnia alia important arbitrium boni viri. Sic Bartolus *ibi à num.*3. Imola *d.num.*34.

7 Hinc fit, quòd hæc verba. *si tibi videbitur, æstimaueris, arbitratus fueris*, important arbitrium boni viri. Patet ex *l. fideicommissaria. ff. de fideicommiss. libert. post principium*, ibi *si tibi videtur*, explicat illa lex, id est, si tibi quasi viro bono videtur, & *l. fideicommissa*, §. *sic fideicommissum, vers. quemquam. ff. de leg.* 3. vbi dicit lex, quòd si fideicommissum sic relinquatur. *si volueris*, non debetur, quia plenum voluntatis arbitrium relinquitur: at verò si dicit sic *si fueris arbitratus, si putaueris, si existimaueris, si tibi visum fuerit, vel videbitur*, non plenum voluntatis arbitrium relinquitur, sed quasi viro bono, proinde si alter meruerit, debebitur, vbi glossa *vers. arbitrium*, dicit quòd in priori casu, scilicet, *si volueris*, relinquitur liberæ voluntati: at in posteriori casu tantùm permittitur, vt æquum videat, quod si est, non permittitur aliter interpretari. Idem tenent Bartol. *supra num.* 3. Imola *d.num.*34.& *cap.*1. *de constit.num.*18. Panormitanus *cap.* 1 *de constit.num.*13. vbi Felinus *num* 50 Buttrius *cap. cum ad sedem, de restit. spoliat.* Lapus *allegat.* 69. Domin. *cap. Catholica* 11. *distinct.* Nauar. *lib.* 1. *consil. titul.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 26. Roman. Caleaneus, Dominicus, Carolus Molinæus, Castro, Alexand. Socinus senior & iunior, Ruinus, Decius, Andreas ab Exea, Parisius, quos refert, & sequitur Menoch. *lib.* 1. *de arbitr. quæst.* 8. *num.*2.& Glossa *cap.*2. *de corp. vitiat. vers. visum fuerit*, explicat ita quòd idoneum sit & iustum, quod videbitur Gregor. Lopez *l.*54. *vers. en las calcadas, fine tit.* 6. *part.* 1. Gutierrez *lib.*1. *pract. quæst.*3. *num.* 7. Decisio Pedemont. 68. *num.*18.& 19.

8 Similiter important arbitrium boni viri hæc verba, *ad arbitrium tuum*, vel *arbitrio tuo committimus*. Sic Rebuffus *rubrica de collation.* §. 1. Glossa *ad arbitrium capituli. fol. mihi* 306. Felin. *d. num.*50. Menoch. alios referens *d. quæst.* 8. *num.* 29. Panormitanus *cap.*1. *de sequest.* Iason. *l. si sit. ff. de legat.*1. voluntas verò refertur ad absolutam voluntatem, non regulatam ratione, vt bene Rebuffus *ibi*. Bald. *l. voluntatis. C. de fideicommiss.* Panormitanus *cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte capit*, imò si dicatur, pro tuæ voluntatis arbitrio, importat arbitrium boni viri. Menoch. alios referens *dict. quæst.* 8. & 33. Bartolus *d. extrauag. ad reprimendum, verb. videbitur, num.*8.

9 Nota primò, hoc limitandum esse, nisi committatur arbitrium ei, qui aliàs illud habebat: tunc enim libera, & absoluta facultas tributa esse dicitur, vt verba aliquid operentur. Sic alios referens contra alios Menochius *d. quæst.*8. *n.*35.

10 Secundò nota, quòd quando apponuntur in contractibus hæc verba, *si visum fuerit, si æstimaueris, si iustum putaueris*, important meram voluntatem. Sic probans, & alios referens, Gregor. Lopez *lib.* 29. *vers. mi heredero, tit.*9 *part.*6.

11 Item important arbitrium boni viri hæc verba, *tuæ deliberationi mandamus.* Menoch. cum aliis. *d. quæst.* 8. *num.* 59. Idem, *dispositioni tuæ, ad nutum tuum.* Menochius cum aliis *ibi num.* 60. Idem, *ingenio tuo committimus*, vel *secundum mentem tuam, discretioni tuæ, prudentiæ tuæ, potestati tuæ committimus.* Idem *misericordiæ tuæ, conscientiæ tuæ.* Sic Menochius alios referens *ibi num.* 24. 26. 36. 40. 47. 57. 58.

12 De hoc autem verbo, *secundum iudicium tuum*, vel *iudicio tuo committimus*, quidam dicunt importare liberam voluntatem. Sic Glossa *l. Thais*, §. *Lucius, vers. iudicio, ff. de fideicommiss. liber.* Bartol. *l. si sit, in principio, ff. de legat.* 1. Sed verius est importare arbitrium boni viri, quia idem est, ac prius confer tecummet, & postea iudica, quod clarè arbitrium boni viri importat. Sic Bartolus se retractans, *d. extrauag. ad reprimendum, vers. videbitur, num.* 4. Imola *in receptione quam ponit post Clement. sæpe, suprà citata, num.* 34. Menochius alios referens, *d. quæst.*8. *num.*14.

13 Item important arbitrium boni viri hæc verba, *tuo videri facias.* Menochius *d. quæst.* 8. cum aliis *num.* 4. idem, *facias, vt placuerit*, Menochius cum aliis *num.* 7. Bartol. *d. extrauag. ad reprimendum, verbo videbitur, num.* 4. Imola *d. repetitione super Clement. sæpe, num.* 34. & *cap. de constitut. num.* 18. & *ibi.* Panormitanus *num.* 13. Limitat tamen Menoch. cum aliis *num.* 12. nisi dicat, facias quidquid tibi placuerit, quia tunc libera voluntas conceditur.

14 Item important arbitrium boni viri hæc verba, *facias ad tuum beneplacitum*, Menochius *num.* 10. Felinus *cap.* 1. *de constit. num.*50. secus (inquit Felinus) secundùm libitum tuum, quia liberam importat voluntatem.

15 Item important arbitrium boni viri, *facias, vt cupieris, vt desideraueris.* Menochius cum aliis *dict. quæst.* 8. *num.*51. Bartol. *d. extrauag. ad reprimendum, vers. videbitur, num.*4. Immola *d. repetit. super Clement. sæpe, n.*34. & idem dicendum est quando dicitur: promittimus stare dicto tuo; & idem quando dicitur: sit tibi licentia. Sic Menochius *ibi* 45. 49. & Bart. *l. alio, num.*8. *ff. de alim. & cib. legat.* Anchar. *cap. fin. de testam. in* 6. *numer.* 10. Matienzo *lib.*5. *recopil. tit.* 4. *l.*14. *glossa* 1. *num.*14. contra Innocentium. Similiter concedimus potestatem, aut quod possis, dicit arbitrium boni viri, quia id possumus, quod iure possumus. Bart. *ibi num.* 9. Matienzo *num.*15. Azeuedo *l.* 6. *num.* 30. *titulo* 4. *lib.*5. *recopil.* secùs si diceret, liberam potestatem; quia tunc est libera voluntas. Matienzo *num.*15. Bart. *num.*9. vbi idem dicit, si dicat plenam potestatem, & licentiam.

16 Item quando verba sunt dubia, & vnum, & alterum sensum habent, censendum est requiri arbitrium boni viri, & non committi liberæ voluntati. Sic Bart. *l. cum filius* §. *pater, ff. de legat.* 2. Alexand. Riminald. Decius, Andreas ab Exea, quos refert, ac sequitur Menochius, *lib.*1. *de arbitr. q.*9. *num.*1.

17 Item, si apponantur verba significantia vtrumque, vt facias, vt arbitratus fueris, & voluetis, requiritur arbitrium boni viri, quia vnum prædictorum inest alteri, & regula est, quòd quando ponuntur duo copulatiuè, quorum vnum inest alteri, vt contingit in præsenti, non enim est arbitrium sine voluntate, vnum resoluitur in alterum *l.* 1. *ff. de pactis*, ibi *in idem placitum & consensum*, id est, placitum consensum; ita in proposito, id est, volitione arbitratus sit. Sic Bartolus *dict. Extrauag. ad reprimendum, verb. videbitur, numero* 11.

18 His ergo suppositis respondetur ad dubium principale, requiri causam ad dispensandum in dictis interstitiis. Probatur, quia Trident. dicit esse seruanda dicta interstitia, nisi aliud Episcopo videatur, quæ verba (vt latè probaui) requirunt arbitrium boni viri, & ratione regulatum, & sic petunt esse causam. Sic tenent Nauar. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordin. consil.* 26. Menoch. *lib.*2. *de arbitr. centur.*5. *casu* 427. *num.* 28. 29. 30. & hos supponit Manuel Rodriquez *in expositione motus Pij V. de censibus, dub.*8. *fol.*31. *pag.*2.

19 Nec obstat *cap. relatum, distinct.* 37. in contra allegatum; quia *ibi* non ponitur absolutè, *vt tibi videtur*, sed adiuncta verba præcedentia, & subsequentia faciunt, vt stet *ibi* pro malo arbitrio.

20 Nota tamen quòd quando proprius Episcopus dispensat cum subdito in interstitiis, & remittit ad alium Episcopum, vt ipsum ordinet, non tenetur Episcopus ordinans examinare causam dispensationis, an fuerit legitima, quia ipse non dispensat, & patet etiam ex supradictis, quod scilicet Episcopus, ordinans alienum cum literis dimissoriis propriis, non debet examinare, sed acquiescere testimonio proprij Episcopi. Sic Manuel Rodriquez *eod. dub.*8. *fol.*30. *pag.*1. An verò idem dicatur, quando Abbas mittit suum Religiosum ordinandum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



& dispensauit, cum ipso in interstitiis, vel petit ab ipso, vt dispenset, asserítque esse causam, dixi *supra dub.* 54.

21 Sed quid si Episcopus nolit dispensare in interstitiis, intercueniente causa iusta ad dispensandum, potest ne appellare ad suum Archiepiscopum? Respondetur negatiuè, quia quando canon concedit iudici facultatem dispensandi, si nolit dispensare, non est appellatio. Sic Bald. *d. quicunque. C. de seruis fugit.* Felin. *cap. super his, de accusatio. n.* 12. qui *toto cap.* latè tractat, quando aliquid committitur arbitrio, potestati, vel voluntati iudicis, quando possit appellari ab eius definitione.

## DVBIVM LVI.

*An eadem causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ, quæ requiritur in Trident.* sess. 23. cap. 11. de reformatione, & cap. 14. *requiratur in dispensatione in interstitiis inter ordinem minorem, & alium minorem, & inter Subdiaconatum & Diaconatum, eadem (inquam) quæ ibi requiritur in dispensatione, in interstitiis inter vltimum ordinem minorem, & Subdiaconatum, & inter Diaconatum, & sacerdotium.*

1 RAtio dubitandi est, quia in his expresè dicit Trident. *d. cap.* 11. *fine, & d. cap.* 14. exigi necessitatem & vtilitatem Ecclesiæ in illis *d. cap.* 12. *initio, & cap.* 13. hanc causam non exigit, sed remittit arbitrio Episcopi, dicens, nisi aliud Episcopo videatur.

2 Nauar. *lib.* 1. *consil. tit.* 11. *de tempor. ordinat. consil.* 26. dicit requiri eandem causam, quia eadem ratio videtur omnia comprehendere; item quia vna pars dicti declaratur per aliam in rebus dubijs *l.* 1. *ff. de rebus dubijs*, & in vna parte eiusdem *c.* 13. exprimitur causa necessitatis, vel vtilitatis debere concurrere in hac dispensatione, ergo.

3 At verius est minorem causam requiri, & sat esse quamcunque causam, quia Concilium si eandem voluisset causam, facilè id diceret, sicut iterum dixit *d. cap.* 14. Item, quia non est eadem ratio: nam quando transitur ab ordine minori ad Subdiaconatum, recipitur nouus status, nouáque obligatio continentiæ & recitandi, & cùm à Diaconatu ad sacerdotium, recipitur potestas dignissima, & ideò maior exigitur causa ad dispensandum in interstitiis inter hos ordines requisitis. Sic Manuel Rodriq. in expositione motus Pij V. *de censibus, dub.* 8. *fol.* 31. *pag.* 2. *& fol.* 32.

## CAPVT II.

*De obligatione recitandi horas canonicas. ratione Ordinis.*

### SVMMARIVM.

Dvb. 1. *Quot sint horæ canonicæ, & quinam ad illas teneantur.*

2 *An clerici minorum Ordinum teneantur ad horas canonicas, vel saltem ad aliquam aliam orationem plus quàm laici.*

3 *An Religiosi professi, tam viri, quàm fœminæ in Religione approbata teneantur ad horas canonicas, & quo iure ad id teneantur.*

4 *An monachus professus ad chorum, qui extra suum monasterium viuit, vel ex iusta dispensatione, vel quia eiectus est, teneatur ad horas.*

5 *An equites, quos vulgò* Commendatores *appellamus, teneantur sub mortali recitare eas orationes, quas loco horarum canonicarum præscribit eorum regula, vt recitent, in illisque recitandis seruare interdictum.*

6 *An Nouitij teneantur horas recitare.*

7 *An qui hora 9. id est,* alas nuebe, *initiatur Subdiaconatus ordine, teneatur ad integras horas totius diei: & idem quæritur de eo, qui hora nona professionem emittit.*

8. *An qui tenentur ad horas canonicas, satisfaciant si sola mente dicant, vel teneantur voce alta dicere.*

9 *An qui Ecclesiæ præcepto tenentur ad horas peccent, si in peccato mortali eas recitent, quando priuatim recitantur.*

10 *An saltem clerici dicentes Horas publicè in choro peccent, si sint in peccato mortali.*

11 *An peccet mortaliter obligatus ad Horas canonicas, qui omittit aliquam horam, vel partem notabilem.*

12 *An qui ex negligentia, vel plena deliberatione omittit aliqua die septem horas canonicas contrahat septem peccata mortalia.*

13 *An qui alternatim recitat cum alio dicendo partem, & audiendo aliam partem, censeatur integrè recitare, siue sint Horæ canonicæ, siue sint preces ex pœnitentia sacerdotali, vel ex defuncti institutione.*

14 *An quando aliquis dicit officium diuinum in choro, & audit partem, quam canit alter chorus, & partem suam non canit, sed submissa voce dicit, satisfaciat præcepto.*

15 *An censeatur integrè recitare, qui dum dicitur diuinum officium in choro, occupatur occupatione necessaria ad ipsum diuinum officium, vt præuidendo lectionem, quam est cantaturus, vel mitttur ad thurificandum, vel ad comitandum thurificaturum altare, &c. nec repetit ea, quæ interim ab aliis dicuntur in choro, vel si aliquantulum ex causa necessaria cesset, vt quia sanguis è naribus effluit.*

16 *An censeatur integrè recitare, qui audit partem quam cantat chorus, & aliam partem organo pulsat, vel teneatur partem illam, quam organo dicit supplere, & similiter chorus satisfaciat, dicendo suam partem, & audiendo partem, quam pulsat organum, vel teneatur partem illam supplere.*

17 *An qui Horas dicunt sincopando, censeantur integrè recitare, & sic satisfaciant & famuli, qui cum his recitant.*

18 *An qui ex obliuione partem horæ omittit, vel quia intrat tardè chorum, vel exit ante finem Horæ censeatur integrè recitare, licet non repetat totam horam.*

19 *An qui Horam interrumpit, censeatur integrè recitare, vel potius teneatur, totam horam repetere.*

20 *An sit licitum diuidere Matutinum à laudibus, ita vt Matutinum dicatur vespere diei præcedentis, & laudes auroræ sequentis, & tunc sit dicenda oratio in fine laudum.*

21 *An cùm sacerdos solus recitat, debeat dicere ante orationem,* Dominus vobiscum.

## DVBIVM I.

*Quot sint Horæ canonicæ, & quinam ad illas teneantur.*

NOta Horam non dici ab orando, quia Hora scribitur cum aspiratione, non autem verbum *Oro*, sed quia certis horis sunt Horæ canonicæ deputatæ. Dicuntur autem canonicæ; quia secundùm canones, sic Nauar. *c. quando* Latinè *c.* 3. *num.* 26.

2 Circa numerum Horarum duplex est sententia. Prima docet Horas canonicas esse octo. Probatur, quia laudes possunt diuidi, & separatim dici à Matutinis: ergo sunt distinctæ horæ; quia vna hora non potest interrumpi. Item, quia habent distinctum initium à Matutinis, sicut reliquæ horæ. Item colligitur ex illo Psal. 118. *septies in die laudem dixi tibi*, & rursus *media nocte surgebã ad confitendum tibi.* Hanc tenet Rationale diuinorum officiorum *lib.* 5. *c.* 1. *litera B.* Archidiac. *c. presbyter, dist.* 91. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *c.* 12. §. 1. Nauar. *c. quando*, Hispanè, *c.* 3. *n.* 65. & Latinè *n.* 64. & 27. & *c.* 21. *n.* 5. & dicit Nauar. *illo num.* 64. in feriis, & in aduentu, & quadragesima cum diuiduntur Matutinæ à laudibus dicendum esse, *Miserere mei*, in fine Matutinarum, & non in initio laudum, quia succedit loco hymni, *Te Deum laudamus*, qui dicitur in fine Matutinarum. Item dicit in fine Matutinarum, cùm diuiduntur à laudibus, dicendum esse, *Pater noster*, &



& in principio laudum, *Pater noster*, & *Aue Maria*, quia id est regulare in omnibus Horis; & si Breuiarij rubricæ id in laudibus non aduertunt, id fit quia communiter non diuiduntur. Ex his etiam colligit Nauarrus posse laudes diuidi à Matutinis, quia sunt diuersæ Horæ.

3 Secunda sententia docet esse septem Horas canonicas, quod inde colligit; quia Matutinum, & laudes sub vna oratione terminantur: & cùm sit regulare in omnibus Horis initio dicere, *Pater noster*, id non aduertunt rubricæ Breuiarij in laudibus; etiamsi separentur à Matutinis in nocte Natiuitatis secundùm dictas rubricas. Quare euasio Nauarri nullius est momenti. Et quòd possint diuidi à Matutinis, non arguit esse diuersas Horas, sed ratione consuetudinis id licet; sicut olim nocturni Matutinarum diuidebantur, licèt essent vna Hora. Sic Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 1. paulò ante solutionem ad Turrecrem. *cap. presbyter. dist.* 91. *num.* 2. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. Sit

4 Prima conclusio. Licèt probabile sit esse octo Horas canonicas: at probabilius est esse septem; probatur ratione posita.

5 Secunda conclusio. Initio laudum, siue primam, siue secundam sententiam amplectamur, nec in fine Matutinarum est dicendum, *Pater noster*, quia vt dixi rubricæ Breuiarij id non aduertunt, nec *Miserere mei*, dicendum est in fine matutinarum. Quod patet, tum quia consuetudo oppositum habet, tum quia ponitur post, *Deus in adiutorium*, quod est initium laudum: at *Te Deum laudamus*, ponitur in fine Matutinarum ante initium laudum.

6 Tertia conclusio. Tria genera personarum tenentur ad Horas canonicas, scilicet clerici in sacris constituti *cap.* 1. *& cap. dolentes, de celebrat. Missar.* & licèt his iuribus tantùm inueniatur expressum de sacerdotibus: at communiter idem intelligunt omnes Doctores de reliquis sacro ordine initiatis, & est certum, & sic habet vsus, & definitur Concilio generali Basilienti *sess.* 21. Item tenentur ad horas Religiosi, vel Religiosæ ad chorum professi, vel professæ. Item omnes habentes beneficium ecclesiasticum *cap. Eleutherius, dist.* 91. *cap. fin. dist.* 92. de quibus generibus personarum sigillatim agendum est.

## DVBIVM II.

*An clerici minorum ordinum teneantur ad Horas canonicas, vel saltem ad aliquam aliam orationem, plusquam laici.*

1 TRiplex est sententia.

Prima docet tutiùs esse eos teneri ad Horas canonicas, quia cùm sint clerici, assumuntur in partem Domini. Sic Panorm. *cap.* 1. *de celebr. Missar.*

2 Secunda sententia docet eos non teneri ad Horas canonicas, quia nullo iure id probatur, nec ad recitandos Psalmos, nec canticum graduum, quia nullo etiam iure probatur; & licèt consuetudo possit habere vim iuris, non constat quod sit talis consuetudo obligans eos (vt optimè Sotus *vbi infrà*) at tenentur hi clerici ad aliquid indeterminatè, ad orandum, scilicet plus quàm meri laici. Probatur, quia per minores ordines diuino cultui asscribuntur. Sic Turrecr. *dist.* 91. *cap. qui autem, num* 4. & 5. Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5. Sylu. *verb. Hora. quæst.* 2. Nauar. *c. quando*, Hisp. *cap.* 7. *n.* 12. 13. 14. Latinè *n.* 13. & *cap.* 21. *n.* 8. & dicit hanc obligationem esse de iure naturali & diuino ad plus orandum pro populo: at tantùm obligare ad culpam venialem.

3 Tertia sententia docet, ad nil plus teneri quàm metos laicos. Sit

4 Prima conclusio. Initiati solis ordinibus minoribus non tenentur ad Horas canonicas. Probatur ex dictis, nec ad canticum graduum, nec ad aliud terminatum recitandum, vt ex dictis constat. Sic Turrecr. Palud. Sylvest. Nauar. *vbi suprà*, Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. Viguer. *lib. instit. c.* 5. §. 5. *vers.* 4. Angel. *verb. Hora, n.* 3. Armil. *n.* 6. Tabien. *num.* 9. Palacios *verb. Hora, & 4. dist.* 15. *disp.* 9. & est certa, & communis Doctorum conclusio.

5 Secunda conclusio. Ad nil plus orandum tenentur quàm laici, ita vt eius omissio aliqua sit culpa, sed honestum, & decens erit vt plus orent. Ratio, quia licèt sint assumpti ad partes Dei, non tamen sunt omnino determinati, & affixi diuino obsequio Ecclesiastico, quia possunt ducere vxorem. Item, quia officium horum terminatur in præparatione templi, & vasorum eius, & non attingit proximè Eucharistiam, sicut officium Diaconi, & Subdiaconi. Sic Sotus, & Tabien. *vbi suprà*, & quidam iuniores docti Magistri, qui dicunt esse communem Thomistarum.

6 Tertia conclusio: Non tenentur etiam ad recitandum Psalmos, vel alias preces, quas Episcopus in ordinatione ipsis recitandas iniungit, quia nullo iure hoc cautum est; & ideò Episcopus non potest eos ad aliquid recitandum obligare; sic Sotus *vbi suprà*, & Palacios *d. disp.* 9. & licèt Nauar. in summa Hispana *cap.* 25. *n.* 108. videatur oppositum docere: at *cap.* 28. addit: *ad eundem num. & cap* 25. Latinè *num.* 108. & *cap. quando*, Latinè, *c.* 7. *num.* 13. & 14. se explicat tantùm teneri, quando in ordinatione id promitterent, quare tunc non tenebuntur virtute mandati Episcopi, sed virtute promissionis. Eandem conclusionem tenent nonnulli recentiores docti.

## DVBIVM III.

*An Religiosi professi, tam viri, quam fœminæ in Religione approbata teneantur ad Horas canonicas, & quo iure ad id teneantur.*

1 NOta triplicem posse fingi titulum huius obligationis, scilicet professionem ipsam, vel aliquod præceptum Ecclesiæ in iure expressum, vel consuetudinem, & constat inter omnes Doctores nullum esse præceptum in iure ad hoc obligans professos: sed de aliis duobus titulis dubitatur.

2 Duplex est sententia.

Prima docet quòd sicut clericus ratione ordinis sacri tenetur ad Horas canonicas, ita & Religiosus choro mancipatus tenetur ratione professionis ad horas canonicas. Probatur, quia Religiones non tantùm sunt institutæ ad orandum pro se, sed etiam pro tota Ecclesia; sed orationes institutæ ad orandum pro tota Ecclesia, sunt septem Horæ canonicæ: ergo. Item, quia ratione professionis fit portio Ecclesiastici cœtus, & de bonis ciuium viuit. Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 13. *c.* 4. §. 1. Viguer. *lib. instit. c.* 5. §. 5. *vers.* 4. Nauar. *c. quando*, Latinè, & Hispanè *cap.* 7. *n.* 4. Sotus *lib.* 10. *de iust q.* 5. *art.* 3. *vers. agitur ergo.* Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5. Turrecrem. *dist.* 91. *cap. qui autem. n.* 13. Sylu. *verb. Hora, q.* 2. Tabien. *n.* 4.

3 Secunda sententia docet nullo modo teneri Religiosos ratione suæ professionis ad Horas canonicas, sed si aliqua ratione tenentur, id esse, vel quia id præcipitur ipsis in sua regula, vel ratione consuetudinis, quæ vim habet legis. Quæ sententia postea probabitur.

4 Nota iuxta hanc sententiam non satis constare, quòd sit culpa mortalis si professas, vel professa ad chorum, omittat Horas. Nam Cajet. Armil. Nieua *locis citandis*, dubitant, an talis sit consuetudo, & dicunt non obligari, nisi sit consuetudo: & Palacios *vbi infrà* dicit, rem hanc non esse adeò exploratam; quia si tenentur ratione regulæ, sæpè statuta regulæ ad nullam, vel solam venialem culpam obligant: si verò ratione consuetudinis, non constat qualiter hæc consuetudo apud eos intelligatur obligare; vnde ipsi (inquit) Religiosi consulendi sunt, qualis consuetudo sit apud eos, & qualiter obliget: & Ioannes à Metina *vbi infrà*, dubitat etiam, an sit talis consuetudo. Ledesma etiam *vbi infrà*, dubitatiuè loquitur de tali consuetudine, imò Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 8. *argum.* 2. dicit Moniales sanctæ Claræ non

Universidad de Deusto
Biblioteca



teneri sub mortali ad recitandum Horas; quia ad id non obligat eas regula, vnde videtur innuere, quòd nullus Religiosus tenetur ad Horas, nisi in quantum, & sub ea culpa, ad quam regula obligat Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *dub.* 4. dicit non peccare mortaliter, semel, vel iterum non dicentes Horas; secus quando crebrò omitterent. Sit

5 Prima conclusio. Probabilius est professos non teneri recitare ratione suæ professionis, sed si ob aliquam rationem tenentur, est ratione consuetudinis. Probatur, quia, loquendo per se de statu Monachorum, non incumbit illis dicere Horas canonicas, nec exercere aliquod aliud ministerium Ecclesiasticum, sed hoc conuenit clericis: Monachis verò, per se loquendo, intendere ad proprium spirituale profectum, & relicta sæculari cura soli Deo vacare, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. vltima art.* 8. *ad* 2. Item, quia ratione professionis tantùm obligantur ad id quod vouent, scilicet ad tria vota. Hanc tenent Caiet. *verb. Hora.* Armil. *ibi num.* 4. Nieua *in summa* 1. 68. Metina *q. de necessitate vocaliter orandi orat. publ.* Fr. Metina *lib.* 1. *instruct. c.* 14. §. 11. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 16. *art* 4. *dub.* 6. Ioseph Angles *vbi infra*, & quidam recentiores docti.

6 Secunda conclusio. Monachi professi ad chorum deputati (quos *choristas* vocant) tenentur sub peccato mortali ad Horas canonicas, ratione consuetudinis receptissimæ, quæ habet vim præcepti obligantis ad mortale. Probatur, quia timorati, & docti communiter sic iudicant, & damnant contrarium facientes. Hanc conclusionem quoad hoc quòd hi sub mortali teneantur ad Horas, docent omnes Doctores primæ sententiæ, & Fr. Metina *vbi supra*, & quidam iuniores, dicentes oppositum non esse probabile. Nec auctores, qui videntur contrarij, docent contrarium, sed tantùm, dubitant. Eandem conclusionem tenet Ioseph Angles *floribus. quæst. Teolog.* 1. *p. mat. de Horis canon. fol.* 366. Hinc

7 Infertur primò quòd si essent aliquæ Religiones, in quibus constaret sufficienti signo, & expresso suo instituto non esse talem consuetudinem; vt obligentur singuli priuatim ad Horas, quando non recitant in communi, non tenebuntur sub aliqua culpa. Patet, quia tantùm obligantur ratione consuetudinis: ergo vbi ea non est, non obligabuntur. Sic expressè colligitur ex Metina, Armilla, Nieua, Caietan. Ledesma *vbi suprà*, Palacios *suprà*, & ex Fr. Metina *vbi suprà*, & tenent aliqui iuniores docti.

8 Secundò infertur Religiosos, professos Societatis Iesu, non initiatos ordine sacro non teneri ad Horas canonicas: tum quia non profitentur ad chorum: tum quia opposita consuetudo, & praxis est in hac Religione. Sic Ioseph Angl. *vbi suprà*. Fr. Metina *d.* §. 11. & tenent Enriquez & viri doctissimi Societatis.

9 Tertiò infertur Religiosos, Commendatores Diui Ioannis non teneri ad Horas, quia non ad chorum, sed ad militiam profitentur, & talis est inter eos consuetudo. Sic Fr. Metina *d.* §. 11. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. *fol.* 147. Nauarr. *cap. quando, cap.* 17. Latinè & Hisp. *numero* 32.

10 Quartò infertur, Fratres, & sorores tertij ordinis D. Francisci non teneri ad Horas canonicas; quia eorum congregatio non est propriè Religio. Sic Caiet. *verb. Hora*, Nieua *in summa tit.* 68. Nauarr. *cap. quando, cap.* 7. Hispanè *n.* 33. Latinè *num.* 24 vbi optimè notat hoc non intelligendum esse de viuentibus in congregatione, & emittentibus tria vota, quia hi sunt veri Religiosi, vt colligitur ex duobus propriis motibus Pij V. incipientibus, *Ea est.*

11 Quintò infertur Iesuatas, Eremitas, & huiusmodi, licèt habeant votum, & non possint ad sæculum redire, non teneri ad Horas, nisi esset inter eos consuetudo, ex qua crederent se esse obligatos. Sic Armil. *verb. Hora, num.* 5. *verb.* licèt Tabien. *Hora, num.* 8. dicat teneri, si habeant illum viuendi modum cum Ecclesiæ approbatione: sed magis placet sententia Armillæ.

12 Tertia conclusio. Idem prorsus quod dictum est de obligatione professorum ad chorum quoad obligationem recitandi Horas; dicendum est de Monialibus professis ad chorum, scilicet teneri sub mortali ad Horas canonicas ratione consuetudinis. Sic Sotus *vbi suprà, vers. quod si hoc.* Fr. Metina *vbi supra*, Tabienna *verb. Hora, num.* 7. Armil. *num.* 5. Nauarr. *cap. quando. cap.* 7. Hispanè *num.* 22. & 23. Latinè *nam.* 21. Sandoual *lib. de officio canonico* 5. *p. cap.* 5. Idem Nauarr. *cap. quando*, Latinè *cap.* 21. *num.* 19. Iosephus Angl. *vbi supra.*

13 Vltima conclusio. Professi, vel professæ non ad chorum, sed vt sint conuersi, vel conuersæ, id est *legos o, legas*, non tenentur ad Horas canonicas, sed ad id quod sua regula eis præscribit: sicut ad alia præcepta regulæ, & secundùm quod eos regula obligauerit, talis erit culpa omissio. Ratio, quia licèt sint professi, non sunt diuino cultui dicati. Sic tenet Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst* 5. *art.* 3. Sandou. Palacios, Palud. *vbi supra.* Turrecrem 19. *dist.* 91. *cap. qui autem, num.* 13. Nauarr. *cap. quando, cap.* 7. Latinè, & Hispanè *num.* 22. & 23. Caiet. *verb. Hora*, Armil. *ibi num.* 4. Tabiena *num.* 6. Sylvest. *quæst.* 2. *dicto* 7. Nieua *summa tit.* 68. idem Nauarr. *cap* 25 Latinè & Hispanè *num.* 96. *in summa.*

14 Hinc fit minus bene sensisse Augustinum de Anchona, quem refert, & sequi videtur D. Anton. 3 *p. tit.* 2. 13. *cap.* 4. §. 1 & sequitur Vigerus *l. b. instit. c.* 5. §. 5. *vers.* 4. dicentem conuersos teneri ad Horas.

15 An si Professus ad chorum non initiatus ordine sacro fiat conuersus in illa Religione, id est laicus, eximatur ab obligatione recitandi Horas, dixi *lib.* 6. *summæ, cap.* 7. *num.* 80.

## DVBIVM IV.

*An Monachus Professus ad chorum, qui extra suum monasterium viuit, vel ex iusta dispensatione, vel quia ejectus est, teneatur ad Horas.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet Monachum sua culpa à Religione ejectum, licèt per ipsum non stet quòd non recipiatur, vt si sit perpetuò ad triremes damnatus, teneri recitare, licèt non habeat ordinem sacrum. Ratio, quia culpa sua nulli debet patrocinari. Sic Nauarr. *cap. quando*, Lat. *cap.* 21. *num.* 20. aut *cap.* 20. *num.* 21. & *cap.* 7. *num.* 20. Manuel *quæst. R gul. tomo* 1. *quæst.* 50. 19 & 2. *tomo summa*, 2. *edit. c.* 141. *num.* 14.

2 Secunda sententia uitiùs loquitur. Sit

3 Prima conclusio: Monachus dum per ipsum stat quominus ad Religionem admittatur, vt si ejectus sit tanquam incorrigibilis, & potest corrigi vt sic admittatur, tenetur ad Horas. Ratio, quia culpa sua nulli suffragari debet, & iste culpa sua est extra monasterium ad illudque si se correxerit, potest redire. Sic Nauarr. *loco citato*, & *cap. quando*, Latinè & Hispanè *cap.* 7. *num.* 20. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. *in solutione ad* 3. & multi iuniores docti Magistri.

4 Secunda conclusio. Si per ipsum non stet quominus ad Religionem admittatur, vt quia correcta vita ad claustrum rediens non admittitur, non tenetur recitare, nisi habeat ordinem sacrum. Ratio, quia hic non fecit votum expressum recitandi Horas, vel ieiunandi certis diebus, &c. Sed ad hæc tenebatur ratione Religionis, sed hic est expulsus à Religione, & per ipsum non stat quominus admittatur: ergo nō tenetur ad hæc. Hæc conclusio est contr. Nauar. *suprà*, sed eam tenet Sotus *suprà*, Aragon 2. 2. *q.* 88. *articul.* 3 *fol.* 997 Leonard. Less. *lib.* 2. *de inst. cap.* 37. *dub.* 9 *n.* 50. Philarc. *de officio sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. *fine.* Emanuel Sà *summa, verb. Religio n.* 40. Sayrus *thes. cas.* 1. *tom. lib.* 6. *c.* 9. *n.* 8. Corradus *in suis responsis* 1. *p q.* 285. Enriq. & alij iuniores docti.

5 Hinc



5 Hinc infertur, Monachum existentem in triremibus, si non habeat ordinem sacrum, non teneri recitare. Ratio, quia pro tunc per ipsum non stat non redire ad Religionem, siue in perpetuum, siue temporaliter sit damnatus ad triremes. Sic colligitur ex Soto *vbi suprà*, & tenent Enriq. & alij docti Magistri, & est contra Nauar. *loco cit.* & contra Azor. Quòd tenetur recitare, videtur insinuare Petrus de Ledesm. quia initio dicit quòd excusatur, si nullam commoditatem habet, & postea subdit, quòd videtur dispensare Papa eo ipso quòd auctoritate eius triremibus damnatur.

7 Tertia conclusio. Professus ad chorum, qui iusta dispensatione viuit extra monasterium, etsi semper sic viuat, tenetur ad Horas, modò cum ipso dispensatum non sit in aliquo trium votorum substantialium Religionis. Ratio, quia adhuc manet Religiosus, & chorus deputatus, sicut si esset intra monasterium, & ex licentia non iret ad chorum. Sic Nauar. *vbi suprà*, & nonnulli recentiores docti.

8 Vltima conclusio. Si cum Monacho degente extra Monasterium esset iustè dispensatum in voto castitatis, vt posset vxorem ducere, non teneretur recitare, quia iam mutat statum, & desinit esse choro deputatus, Sic Nauar. *cap. quando*, Hisp. *cap.* 7. *num.* 20. & alij, Sed ipsemet Nauar. *cap. quando*, Latinè *eod. cap.* 7. *n.* 20. hoc limitat, si dispensatio in voto esset talis, vt desineret esse Religiosus, quia per solam facultatem ducendi vxorem non desinit esse Religiosus, vt ipsemet docet in Apologia *ad lib. de redditibus, q.* 1. *monit.* 56. & *in propugnaculo, eius, n.* 14 & 15. sed mihi non placet hæc limitatio.

## DVBIVM V.

*An Equites quos vulgo* Commendadores *appellamus, teneatur sub mortali recitare eas orationes, quas loco Horarum canonicarum præscribit eorum regula vt recitent, in illisque recitandis seruare interdictum.*

1 ISla *in commento super Regulam Commendatorum Diui Iacobi cap* 6. *initio.* dicit teneri sub mortali, & *prope finem* dicit teneri in illis recitandis seruare interdictum, quia succedunt loco Horarum canonicarum.

2 Primò tamen dico non teneri sub mortali recitare, quia consuetudo generalis, quæ est fundamentum obligationis Religiosorum ad recitandum, tantùm obligat professos choro deputatos; hi verò tantùm deputantur ad militiam, & eorum regula non ponit verba ad mortale obligantia tantùm; etenim *cap.* 6. sic dicitur, *Quando no pudieren oyr las Horas del dia, digan los maytines esto*, &c. Et confirmatur, quia *cap.* 7. eodem tenore sic dicitur *Oygan cada dia Missa*, & tamen Isla *ibi* dicit non obligare ad mortale, & sic tenent Nauar. *cap. quando. c.* 7. *num.* 23. Palacios 4. *dist.* 15. *disp* 9. *fol.* 147. & aliqui iuniores docti.

3 Secundò dico non teneri in his orationibus recitandis seruare interdictum, quia tantùm hoc est seruandum in officio canonico secundùm omnes: at hoc non est officium canonicum.

## DVBIVM VI.

*An Nouicij teneantur Horas recitare.*

1 ALiqui dicunt eos teneri, quia gaudent priuilegio clericali, & sustentantur de elecmosynis ciuium. Sic Palud. 4. *dist.* 15. *q.* 5. Turrecr. *dist.* 91. *cap. qui autem, n.* 13. & Margar. confessor. *fol.* 162. videtur tenere sub peccato veniali hos obligari.

2 Alij dicunt non teneri ad Horas, sed ad aliquid indeterminatum. Sic Sylu *verb. Hora q.* 2. *dicto* 6. & in Rosa aurea *tract.* 3. *de q impertinentibus, casu* 19. hæc dicit *De Nouitiis fortè posset dici teneri naturali iure ad orationes, & Psalmos, vel aliquid huiusmodi, sed non ad Horas.* Sit

3 Prima conclusio. Nouitij nullo modo tenentur ad Horas, si non habeant ordinem sacrum. Ratio, quia de hoc non est ius, nec consuetudo, & satis constat ex iis quæ diximus *lib.* 6. *summæ, cap.* 10. *num.* 6. & 7. sic Nauarr. *cap. quando*, Latinè Hisp. *c.* 7. *n.* 23. Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. Armil. *verb. Hora, n.* 4. Tabien. *n.* 5. Sylu. *vbi suprà*, Sandoual *lib. de officio canonico* 5. *p. cap.* 5. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9.

4 Secunda conclusio. Ad nullas alias orationes plus quàm laici tenentur, nisi de consilio, & bene esse, quia non est ius oppositum probans; sic Vincentius, quem refert & sequitur Tabien. *num.* 4.

## DVBIVM VII.

*An qui hora nona, id est,* a las nuebe, *initiatur subdiaconatus ordine, teneatur ad integras Horas totius diei, & idem quæritur de eo, qui hora nona professionem emittit.*

1 VIdetur teneri ad integras Horas, quia obligatio recitandi Horas est pro tota die naturali: ergo iste tenebitur ad integras Horas, siquidem dies naturalis non transit.

2 Sit conclusio. Hic non tenetur ad integras Horas, recitandum, sed tantum ad Horas, quæ recitari solent ab illo tempore quo initiatus est, vel professionem emisit. Ratio, quia recitare Horas intra totam diem naturalem, est priuilegium fauoris, & non vinculum necessitatis: hoc est, præuenire possumus, vel postponere intra illam diem, sed non tenemur; cùm ergo illa pars diei, quæ restat ex quo iste initiatus, vel professus est, non sit destinata integro officio persoluendo, sed tantùm ab hora tertia, vsque ad completorium, non tenebitur iste ad totum officium, sed tantùm ab hora tertia. Vnde non tenebitur recitare Matutinum, nec Primam. Ita viri doctissimi ex societate à me consulti, & pro hac sententia est doctrina Magistri Cano *relect.* 5. *de pœnit. fol.* 170. *vers. Sed quid illo primo.* Vbi docet, eum cui solet hora 12. accidere quartana, & tunc non potest recitare vesperas, & completorium, non teneri manè hoc recitare, sed tantùm id officium, quod pro illo tempore antequam superueniat quartana debetur, & reddit rationem; quia facultas, quæ datur ab Ecclesia anteponendi diuinum officium, intra diem tamen naturalem, est priuilegium fauoris, non vinculum necessitatis.

## DVBIVM VIII.

*An qui tenentur ad Horas canonicas, satisfaciant si sola mente dicant, vel teneantur voce alta dicere.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit, etiam dum priuatè quis Horas recitat, tantam vocis expressionem requiri, vt ab astantibus, si attendant, & non sit impedimentum, actu percipiatur. Ratio, quia in Concilio Basilienſi *sess.* 21. sic dicitur, *Horæ non inter dentes, nec in gutture.* &c. Vnde dicit hæc sententia, quod si aliter recitet, qui tenetur ad Horas, non satisfacit præcepto de recitando. Sic Metina *q. de necessitate vocaliter orandi oratione publica in principio*, Ledesma 2. 4. *q.* 16. *art* 4.

2 Secunda sententia dicit id non esse necesse, sed sat esse taliter proferre, vt à se ipso audiatur. Sic Doctores citandi.

3 Sit prima conclusio. Non satisfacit qui tenetur ex præcepto Ecclesiæ ad Horas, si sola mente eas dicat, licèt maiorem in hoc deuotionem experiretur, sed tenetur voce eas dicere. Probatur ex Concilio Basilienſi *sess.* 21. vbi id cauetur. Item quia Ecclesia non præcipit actum merè internum, nec de illo iudicat. Hæc conclusio est omnium.

4 Nota quod Nauarr. *cap. quando, cap.* 19. *n.* 87. Hispanè, sentit esse probabile satisfacere præcepto recitandi, qui sola mente recitaret ea, quæ secretò iubentur recitari in regulis Breuiarij, saltem dicit, quod non damnaret eum, qui sic faceret, licèt id ipse non consuleret. Sed credo id non esse probabile, vt patet ex dicto Concilio, & ex ratione dicta, & ex communi omnium Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca



dorum absolutè dicendum teneri recitare voce, & ita tenuit quidam recentior Magister in suis scriptis, non esse probabilem sententiam Nauarri.

5 Secunda conclusio. Quando officium diuinum dicitur in communi, & publicè, tenentur ministri dicere alta voce, ita vt possit audiri à circunstantibus, & sic debet intelligi D. Thom. 2.2. q 83. art. 12. vbi dicit quòd debet dici alta voce. Ratio, quia tale officium dicitur publicè, vt possint circunstantes inuitari ad deuotionem; ergo oportet vt ita dicatur, vt possit à circunstantibus audiri. Sic Nauarr. cap. quando, Hisp. cap. 17 n. 41.

6 Hinc infertur peccare eos, qui Missas priuatas, ita submissa voce dicunt, vt percipi nequeant ab assistentibus, nisi quando coram aliis non celebrant, quia tunc sat est vt ab illo ministro sacri percipiantur. Sic Caier. 2 2. quæst. 83. art. 12. Nauar. cap. quando, Hisp. cap. 16 n. 54. & alij.

7 Tertia conclusio: quando quis recitat Horas priuatim, satisfacit præcepto Ecclesiæ, dicendo illas submissa voce, clara tamen, & articulata, ita vt ipsemet recitans audiat: nec oportet, vt tam alta sit vox, vt possit à circunstantibus audiri. Hæc conclusio est contra Doctores primæ sententiæ. Ratio, quia hoc officium non dicitur priuatim ob eam causam, vt audiatur à circunstantibus; ergo non oportet, vt vox sit tam alta, vt possit audiri. Item, quia sic habet communis recitantium consuetudo, & sic tenent Nauar. cap. quando, cap. 20. Hisp. num. 17. Latinè n. 14. Sandoual tract. de offic. Eccles. p. 6. c. 14. in principio, & tenent multi iuniores docti. Et quòd recitans teneatur sic recitare, vt possit se audire, docet etiam Armil. verb. oratio. n. 4.

8 Nota tamen hoc debere intelligi, quòd teneatur orans se audire, nisi adsit impedimentum: si quis enim esset surdus, vel esset strepitus, non teneretur ita altè recitare, vt se audiret; oporteret enim vociferari, sed sat esset ita altè recitare, vt posset se audire: nisi esset illud impedimentum, vt benè notauit Ledesma vbi suprà, & tenent multi iuniores docti.

9 An verò qui tenetur ad Rosarium ex voto, vel ex pœnitentia iniuncta, satisfaciat sola mente recitando, dixi lib. 4. summæ, cap. 11. n. 36.

## DVBIVM IX.

*An qui ex Ecclesiæ præcepto tenentur ad Horas, peccent si in peccato mortali eas recitent, quando priuatim recitant.*

TRiplex est sententia.

1 Prima docet clericum recitantem Horas de præcepto in mortali peccare. Ratio, quia quisquis in mortali exercet actum ordinis, peccat, sed huiusmodi est iste: ergo. Sic Adrian. quodlib. 8. litera B. fatetur tamen litera P. satisfacere præcepto.

2 Secunda sententia docet, quòd orans siue ex deuotione, siue ex præcepto, non peccat per hoc quòd est in peccato mortali, quia hic non est actus proprius Ordinis; at peccaret si actu peccans, vel actuale propositum peccandi habens oraret. Ratio, quia magnam Deo irreuerentiam facit, qui ab eo gratiam, & beneficium petit, cùm actu offendit eum, vel offendere intendit. Sic Metina C. de oratione q. de modis, quibus oratio depranari solet. Ledesma 2. 4. q. 16. art. 13. Corduba lib. 1. q. q. 50. in 3. & 4. puncto, vbi subdit hoc esse peccatum veniale.

3 Tertia sententia asserit, non peccare qui recitat etiam ex præcepto in peccato mortali, & cum proposito actuali peccandi mortaliter. Ratio, nam voluntas colendi Deum, & petendi aliquid ab eo, stat cum actuali peccandi proposito; sicut stat facere opus moraliter bonum vt ieiunare, cum actuali proposito peccandi, ita tenet Nauarr. reprobans sententiam Metinæ, cap. quando, cap. 6. Hisp. num. 40. 41. & cap. 20. Hisp. n. 32 Lat. num. 25. & hæc tenentia est verior.

## DVBIVM X.

*An saltem clerici dicentes Horas publicè in choro, peccent si sint in peccato mortali.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet hos non peccare, modò capitulum, & orationem non dicant; eum verò qui capitulum, & orationem in choro dicit in peccato mortali, peccare mortaliter. Ratio, quia hoc est actus proprius ordinis sacerdotalis. Sic Nauar. cap. quando cap. 6. Hisp. n. 43. Latinè num. 41.

2 Secunda sententia docet eodem modo censendum esse de his orationibus, quas sacerdos vestibus sacris indutus dicit in choro, ac de aliis Horis canonicis, & sic non esse peccatum mortale hos actus exercere in mortali in peccato. Ratio, quia hæc sunt sacramentalia quædam, non autem sacramenta, nec proprij actus ordinis sacri, licet per Ecclesiam solis sacerdotibus appropriati. Sic Metina C. de oratione, quæst. de modis quibus oratio depranari solet. Ledesma 2. 4. quæst. 16. art. 13. Corduba lib. 1. quæst. q. 50. puncto 3. vers. ad rationes, fauet Caier. in opusc. 2. tom. 9. de vsu spiritualium, vbi dicit sacerdotē, qui in peccato mortali dicit orationes in Missa non peccare per se mortaliter, sed per accidens ratione Missæ. Hanc etiam tenet Ludouicus Lopez instruct. conscientiæ, 1. p. cap. 10. & hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM XI.

*An peccet mortaliter obligatus ad Horas, qui omittit aliquam Horam, vel partem notabilem.*

1 HEnricus Anglicus, quem refert Angelus verb. Hora, n. 16. dicit quòd omittere Horas ex contemptu, est peccatum mortale; si verò citra contemptum vna die quis non dicat Horas, non audet dicere esse mortale: & in hanc sententiam inclinat Angel. dicit enim eam esse humaniorem: imò Sotus videtur esse dubius an sit mortale; dicit enim lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 7. vers. subtegitur, quòd fortè est mortale aliquam Horam non recitare. Sit

2 Prima conclusio. Peccat mortaliter qui tenetur ad Horas, si dedita opera, vel ex culpabili, & crassa negligentia prætermiserit aliquam ex Horis canonicis vna die. Probatur, quia transgreditur præceptū Ecclesiæ in re graui, & quæ præcipitur in virtute obedientiæ, c. dolentes de celebrat. Missæ. Sic Tabien. verb. Hora, n. 18. Sylu. q. 12. dicto 5. & 6. Palacios 4. dist. 15 disp. 9. Nau. c. quando, Lat. & Hisp. cap. 7. à num. 5. & in summa, cap. 25. Lat. & Hisp. n. 96. 97. D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 4. § 5. Turrecr. cap. Eleutherius, dist. 91. n. 5. Viguer. lib. de instit. Theol. cap. 5. § 5. vers. 4. Fr. Metina. lib. 1. instruct. cap. 14. § 11. Franciscus de los Sanctos lib. de Horar. canon. perfolut. impedim. 7. Sandoual lib. de offic. canon. 6. p. cap. 14. & multi recentiores docti Magistri.

3 Secunda conclusio. Similiter peccat mortaliter, si data opera, & ex crassa, & culpabili negligentia omittat partem notabilem vnius Horæ; si verò secluso contemptu omittat leuem partem vnius Horæ ex negligentia, peccat venialiter. Probatur prima pars; quia quantum attinet ad peccatum mortale; idem est relinquere totum, & partem notabilem illius. Patet secunda pars; quia est leuis materia. sic Nauarr. Sandoual vbi suprà. Pro eadem sententia sunt Caiet. 2. 2. quæst. 83. art. 13. fine, & Ledesm. 2. 4. quæst. 16. art. 6. dub. 4. vbi dicunt eum, qui voluntariè euagatur in parte notabili Horæ, peccare mortaliter, nedum qui omnino eam omitteret.

4 Vltima conclusio. Non peccat mortaliter, qui per inaduertentiam, vel obliuionem omittit aliquam Horam, sed communiter erit peccatum veniale, tanto grauius, vel leuius: quanto inaduertentia, vel obliuio fuerit magis, vel minus culpabilis, & si nulla interceßit, nullum erit peccatum. Sic Nauarr. c. quando, c. 10. n. 28. & in summa Latina cap. 25. num. 99. Sandoual vbi suprà, & alij.

5 Quæ



5 Quæ autem sit pars notabilis Horæ, vt eius omissio sit culpa mortalis, dixi lib. 1. summæ, cap. 4. n. 18.

## DVBIVM XII.

*An qui ex negligentia, & plena deliberatione omittit aliqua die septem Horas canonicas, contrahat septem peccata mortalia.*

1 ALiqui dicunt tot mortalia quemquam committere, quot Horas omittit. Sic D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 5. & videtur idem sentire Turrecrem. c. Eleutherius, dist. 91. n. 5. & Tabien. verb. Hora, num. 18. refert quosdam tenere hanc sententiam, & dicit esse probabiliorem, quam oppositam; quia quælibet Hora per se habet diuersam rationem ab alia Hora. Subdit tamen non multum differre hanc sententiam ab ea, quæ dicit esse vnum peccatum: nam quòd illa dicit esse plura, hæc dicit esse vnum cum pluribus circunstantiis necessariò detegendis in confessione. Sit

2 Prima conclusio. Si attendamus solam exteriorem omissionem, id est, quando deliberatio omittendi Horas non reperitur, sed semel quis deliberauit se non recitaturum septem Horas, & ampliùs non recordatur in illa die omittere omnes Horas vnius diei, est vnum peccatum mortale. Ratio, quia omnes septem Horæ præcipiuntur vnico præcepto, & sic omnes habent rationem vnius obiecti talis vnius præcepti. Sic Nauar. cap. quando, cap. 7. Latinè & Hisp. num. 6. vbi alios refert Palacios 4. distinct. 15. disp. 9. fol. 163. Sylueſt. verb. Hora, q. 10. Viguer. lib. instit. cap. 5. §. 5. vers. 4. & multi recentiores Magistri valde docti.

3 Nota exprimendum esse in confessione quot Horæ sint omissæ. Sic Tabiena vbi suprà, & colligitur ex Nauarr. quia dicit eo grauius esse peccatum, quò plures Horæ fuerint omissæ.

4 Secunda conclusio. Quoties quis in die deliberat se non recitaturum omnes, vel aliquam Horam, tot peccata mortalia perpetrat. Ratio, quia in re graui deliberat transgredi præceptum. Sic Nauar. Palacios, Sylueſt. vbi supra. Sandoual. lib. de can. 6. p. cap. 14. & nonnulli ex recentioribus docti Magistri.

5 Hinc infertur eum, qui quadam die, vel quodam anno non recitauit sæpiùs recordatus Horarum, & statuens omittere, non sat confiteri; si dicat *quodam anno non recitaui*, sed teneri aperire quoties recordatus statuerit non recitare, quia tot sunt peccata mortalia. Sic Nauar. ibi, & alij.

6 Vltima conclusio. Qui deliberat se non recitaturum hodie aliquam Horam, & postea recolens, & potens intra eundem diem recitare, non recitat illam, committit duo peccata, alterum commissionis, dum id deliberauit, alterum omissionis, dum scienter, & potens omisit. Sic Nauar. cap. quando, Latinè & Hisp. d. num. 6. Sylu. vbi suprà, & multi iuniores docti.

## DVBIVM XIII.

*An qui alternatim recitat cum alio, dicendo partem, & audiendo aliam partem, censeatur integrè recitare, siue sit Hora canonica, siue sint preces ex pœnitentia sacramentali, vel ex defuncti institutione.*

1 REspondetur affirmatiuè, vt latè dixi lib. 4. summæ, cap. 11. num. 37. & 38. Sed addendum est primò, quòd ad hoc vt recitans cum alio satisfaciat, oportet vt audiat & attendat ad partem alterius, aliter non satisfacit: quia non videtur ipse recitare, quod alius recitat, quando non attendit ad partem alterius. Sic Nauarr. cap. quando, Latinè cap. 11. numero 8. & cap. 19. Hisp. numero 79. Latinè num. 80. & in summa Hispana cap. 28. addit. ad n. 98 capitis 25.

2 Hinc infertur surdum qui partem, quam dicit socius, nequit audire non satisfacere, si recitet cum alio. Patet ex dictis. Sic Nauarr. cap. quando, cap. 19. Hisp. n 79. Latinè num. 80.

3 Secundò infertur, quòd id, quod iuxta rationabilem chori vsum vnus dicit, vt lectiones, &c. vel alio assotiatus, vt versiculos non tenentur alij recitare, sed sat est, si attentè audiant, quia illud reputantur omne dicere Ita Sylueſt. verb. Hora quæst. 7. dicens stultum esse de hoc formare scrupulum, Palud. 4. dist. 15. quæst. 5. Angelus verbo Hora, num. 17. Tabien. num. 17. Armill. num. 15. D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 5. Nauarr. cap. quando, cap. 10. Hisp. num. 20. 21. Latinè n. 16. Sandoual vbi suprà. Imò dicit optimè Nauar. non benè facere eos, qui ea, quæ secundùm communem chori consuetudinem aliquis solus dicit priuatim, voce submissa recitant, quia melius esse attentè audire. Similiter dicit sacerdotem celebrantem cum Diacono, & Subdiacono meliùs facere, si dum ipsi dicunt Epistolam, & Euangelium, attentè audiat quàm si secretò dicat.

## DVBIVM XIV.

*An quando aliquis dicit officium diuinum in choro, audit partem, quam canit alter chorus, & partem suam non canit, sed submissa voce dicit, satisfaciat præcepto.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit non satisfacere. Ratio, quia ideo recitans cum alio satisfacit, dicendo suam partem & audiendo aliam, quia communicat cum illo, at non cantans, sed submissè dicens suam partem, non communicat cum cantantibus: ergo. Ita Nauar. cap. quando, cap. 10. Hisp. numero 80. Latin. num. 81. & cap. 10. Hisp. num. 27. Latin. numero 47. Sandoual lib. de offic. canonico, 6. p. ca. 16. Caietan. lib. 17. responſ. responſ 8. & in summa, verb. Hora, in fine. Armil. verb. Hora, n. 22. Subdunt tamen Caiet. & Sandoual, quòd si viri timorati sic assuescerent facere, consuetudo esset optima legum interpres, & charitas, quæ omnia communia reddit, efficeret, vt versus auditus esset communis omnibus audientibus.

2 Secunda sententia tenet hunc satisfacere. Ratio, quia ille verè recitat in communi cum aliis, cùm choro sit præsens, & partem, quam alij canunt, attentè audiat, & suam reciter. Sic plures tenuerunt (vt refert Caiet. dict. responſ. 8.) idem quidam alij: vt refert, & sequitur Tabiena verb. Hora, num. 33. & tenent quam plurimi recentiores Magistri, valde docti, & hæc sententia est probabilior.

## DVBIVM. XV.

*An censeatur integrè recitare, qui dum dicitur diuinum officium in choro, occupatur occupatione necessaria ad ipsum diuinum officium, vt præuidendo lectionem, quam est cantaturus, vel mittitur ad thurificandum, vel ad comitandum thurificaturum altare, &c. nec repetit ea, quæ interim ab aliis dicuntur in choro, vel si aliquantulum ex causa necessaria cesset, vt quia sanguis è naribus effluit.*

1 SIt conclusio. Occupatio necessaria ad ipsum diuinum officium excusat, ita vt partem omissam non teneatur quis supplere. Verbi gratia, qui sunt in choro, & occupantur præuidendo lectionem, quam sunt cantaturi, vel legendo Psalmos, vel antiphonas, vel vt portent ignem ad thurificandum, exeunt, non tenentur supplere partem, quam non audierunt ob has causas. Ratio, quia cùm corpus vnum reputetur chorus, quod vnus dixit, censetur alter dixisse, qui detentus est occupatione necessaria ad ipsum chorum. Sic Nauarr. cap. quando, Hispanè capitul. 11. numero 14. Latinè numero 36. 37. Sandoual. libro de offic. canonic. 6. p. capitulo 9. & quidam iuniores Magistri.

2 Nota limitandam esse conclusionem, quando h ante officium diuinum non potuerunt, vel non debuerunt præuenire, quia hoc ipsis non incumbebat, & propter necessitatem repentè occurrentem, hæc tunc faciunt: tunc enim non tenentur supplere. Sic Nauarrus locis citatis, & alij, & per hoc venit limitandum quod dicit ipsemet Nauarrus cap. quando, Latin. capitulo

decimo,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*decimo, fine*; vbi dicit quòd non peccat, si interrumpat, quòd necesse est ad illud munium, & si omissa fuerint minima, non tenetur supplere; & si pars notabilis, tenetur sub mortali supplere; & si fuerint aliquantulæ quantitatis, tenetur sub veniali, ipse enim Nauarr. *cap. quando*, Latinè *cap.1. num. 36.& 37.* se limitat, quando debuit, & potuit, preuenire.

3 Hinc infertur primò recitantem, vel cantantem in choro, non oportere repetere, vel supplere, quod alij dixere, dum tussit, vel cruor è naribus defluit, vel quidquam decens loquitur, vel tantisper respirat, etiamsi chorum exeat, modò sit exiguum, licèt sit Psalmus integer, quia ratione societatis dictum ab vno, censetur dictum ab aliis. Sic Nauar. *cap. quando*, Hisp. *c.19. n.82.* Latinè *n 82.* & refert Maiorem *4. distinct. 12. quæst. 6.* idem Nauarr. *c. quando*, Latinè *c.21. n.36.& 37.*

4 Secundò infertur, eos, qui ex choro mittuntur ad thurificandum altare, non teneri Antiphonam, & *Magnificat*, quæ interim canuntur in choro, dicere. Ratio, quia nec coguntur memoriter scire, nec portare librum, & totus chorus pro illis supplet, cùm illi occupentur in celebritate eiusdem officij, quæ antea præueniri nequit: sic Sotus *libro 10. de iust. quæst. 5. art. 3. vers. pari modo qui sic.* Sandoual *vbi suprà*, Nauar. *cap. quando*, Hispanè *cap. 11. num. 14.* & multi ex recentioribus docti Magistri, & idem dicendum est de Capellanis, qui comitantur thurificaturum altare. Sandoual. *ibidem*, & alij, & patet eadem ratione.

## DVBIVM XVI.

*An censeatur integrè recitare qui audit partem, quam cantat chorus, & aliam partem organo pulsat, vel teneatur partem illam, quam organo dicit, supplere: & similiter chorus satisfaciat dicendo suam partem & audiendo partem, quam pulsat organum, vel teneatur partem illam supplere.*

1 NAuar. *cap. quando*, Latinè *cap.21. num.15.* dicit saltem rationi consentaneum esse respondentem organo excusari à recitanda ea parte, quam organum pulsat: at (inquit) non auderem excusare chorum, & singulos à recitanda illa parte secretò, quam organú pulsat. Sit

2 Prima conclusio; Ille qui organis choro respondet, non tenetur recitare eam partem, quam organum pulsat. Ratio, quia Ecclesia accipit sonum illum organorum, vt partem diuini officij. Sic Nauarrus *vbi suprà*, & multi iuniores docti. In idem propendit, licèt dubius, Sotus *lib.10. de institut. quæst. 5. artic. 3. versic. pari modo qui sic.* vbi hæc dicit, *Nescio an qui organis choro respondet, teneatur postea officium pendere.*

3 Secunda conclusio. Qui cantant in choro, non tenentur postea dicere versum, qui organis pulsatur. Ratio, quia sonus ille organorum accipitur ab Ecclesia loco vocum, & vt pars diuini officij. Sic aliqui ex recentioribus docti Magistri.

## DVBIVM XVII.

*An qui Horas dicunt syncopando, censeantur integrè recitare, & sic satisfaciant & famuli, qui cum his recitant.*

1 SIt conclusio. Qui notabiliter malè recitant syncopando, & contrahendo sæpè syllabas, deglutiendo dictiones, incipiendo suos versus antequam ij, cum quibus recitant, suos absoluant, peccant mortaliter, quando iudicio boni viri est res notabilis. Sed si in hoc parum exceditur, erit peccatum veniale; & quando est res notabilis, non satisfaciunt præcepto, sed tenentur iterare. Sic Nauar. summa Hispanè & Latina *cap. 25. num. 98. 99. & cap. quando, cap. 19. num. 9.* Syluest. *verb. Hora, quæst. 12. dict. 4.* D. Antoninus *3. part. titulo 3. cap. 4. §. 5.* Angelus *verbo Hora, ex num. 18.* Palud. *4. dist. 15. quæstione. 5.*

2 Hinc infertur recitare famulos, qui tenentur recitare siue ratione ordinis, siue ratione beneficij, vel alia ratione, si recitent cum his, qui toties syncopant, vel omittunt, vel non bene pronunciant dictiones, vel incipiunt versum nondum altero absoluto, vt prudentis iudicio sit notabilis confusio peccare mortaliter, ni propositum habeant iterum recitandi. Patet, quia non satisfaciunt præcepto recitandi Horas. Sic Nauar. *locis citatis.*

3 Nota tamen non oportere clericos nimis scrupulosos esse casu, quo putant se vel non integrè pronunciasse, vel aliqualiter syncopasse, vel verba aliqua non voce, sed gutture dixisse, dummodo defectus non sit valde notabilis, quia tunc satis erit de defectibus huiusmodi pœnitere. Sic Metina *C. de oratione, quæst. de Horis canon. reiterandis sub finem. §. an autem per Horarum interruptionem.*

## DVBIVM XVIII.

*An qui ex obliuione partem Horæ omittit, vel quia intrat tardè chorum, vel exit ante finem Horæ censeatur integrè recitare, licèt non repetat totam Horam.*

1 CIrca hoc Armill. *verb. Hora, n. 15.* & Tabien. *à n 17.* dicunt, quòd si est pars notabilis omissa ex obliuione, vel inaduertentia, non satisfaciet ni totam repetat Horam. Sit

2 Prima conclusio. Si quis recolat inter recitandum ex obliuione prætermisisse Psalmum, vel lectionem, non tenetur totam Horam repetere, sed sat est, quod suppleat omissum. Probatur, quia hic verè integrè recitat, siquidem nihil omittit. Sic Armil. & Tabien. *vbi suprà*, Syluest. *verb. Hora, quæst. 12. dicto 3.* Palud. *4. distinct. 15. quæst. 5.* D. Anton. *3. par. tit. 13. cap. 4. §. 5.* Angel. *verb. Hora, n. 18.* Nauar. summa Hisp. & Lat. *c. 25. n. 99. & c. quoniam*, Lat. *c. 10. n. 48.* Viguer. *lib. instit. Theol. c. 5. §. 5. vers. 5.*

3 Secunda conclusio. Idem prorsus dicendum est quando pars omissa ex obliuione, vel inaduertentia est notabilis; non enim tunc oporteret totam Horam repetere sed sat est partem illam omissam supplere. Probatur ratione posita; & hoc à fortiori tenet verum, amplectendo sententiam, quam *dict. seq.* amplectar. Sic Nau. *locis citatis.*

4 Tertia conclusio. Qui incepta Hora chorum ingreditur, & debet totam Horam cum choro absoluere & alias Horas, quas chorus absque interruptione recitat, & ijs finitis debet supplere omissum; & idem dicendum est de eo, qui ante finem Horæ ex aliqua causa egreditur, vel dormit, dum dicitur aliqua pas Horæ. Sic Nauarr. *cap. quando, cap. 16. num. 6.*

5 Quarta conclusio. Si chorú erret in aliqua Hora, vel parte notabili illius; non tenentur, in communi supplere cantantes, vel recitantes, sed sat est quisquis priuatim suppleat. Sic Nauar. *cap. quando, cap. 10. n. 38.*

6 Vltima conclusio. Quando quis priuatim cum alio recitat, & ex aliqua causa omittit dicere, vel audire versum aliquem, veluti ob tussim, vel loquutionem necessariam, & alius non expectat, non peccat venialiter, sed sat est si postea suppleat Nauarr. Summa Hisp. & Latina *cap. 25. num. 99.*

## DVBIVM XIX.

*An qui Horam interrumpit, censeatur integrè recitare, vel potius teneatur totam Horam repetere?*

1 HAc in re conuenit inter omnes licere Horam interrumpere ex causa aliqua rationabili, ad breue tempus, nec oportere postea Horam repetere, sed sat esse vlteriùs progredi. Ratio, quia tunc reputatur vnica Hora, vt quando occurrit necessitas aliqua naturalis, vel loquutio breuis, quæ non potest commodè differri, vel meditatio vtilissima circa id, quod recitatur, vel opus misericordiæ corporalis, vel spiritualis, quod differri commodè nequit. Sic Metina *l. de oratione. quæst. de Horis iteran.* Ledesm. *2. 4. quæst. 16. artic. 6. 2 part. dub. 4.* Gerson. *3. part. mat. de orat. litera F.* Gabr. *in canonem Missæ, lect. 62. litera M.* Nauar. *cap. quando. cap. 16. anum. 67. vsque ad 75.* Hisp. & Lat. *a num. 65. vsque ad 75.* & multi iuniores docti.

2 Vnde Nauar. *ibi* non damnat de peccato eum, qui interrumpit ad videndum in Doctoribus explicationem alicuius versus, quem recitat, vel ad audiendam concionem, vel Missam, quia hoc (inquit) aliquomodo pertinet ad Horas.

3 Secundò certum est, quòd si quis sine causa rationabili interrumpat officium incœptum, quando interruptio non est ad longum tempus, peccabit venialiter, non tamen tenebitur Horam repetere, sed potest vlteriùs progredi. Ratio, quia irreuerentia, & indecens est, vt incœptum sermonem cum aliquo absque causa intertumpamus: ergo à fortiori cum Deo. Sic Nauarr. *d. cap. 16. numer. 63.* & affert ad hoc concilium Toletanum *cap. nihil 7. quæst. 1.* Viennense *clement. 1. de celebrat Missar.* Idem tenent nonnulli docti Magistri.

4 Ardubium graue est, an quando interruptio est per magnum tempus, teneatur quis reincipere Horam? Duplex est sententia.

Prima dicit teneri recipere. Ratio, quia propter interruptionem, & discontinuationem dicta & dicenda non faciunt vnam Horam, Sic Metina & Ledesma *vbi suprà*. Idem Nauarr. *cap. quando*, Latinè *cap. 16. num. 75.* quando (inquit) est tam magna & tam impertinens interruptio, vt meritò censeretur Horæ recitationem facere adeò discontinuam, vt dicta & dicenda non facetent quid vnum. Angles *m. tr. de orat. in florib. quæst. theolog. 2. p. fol. 341.*

5 Secunda sententia docet quod licèt sine causa iusta interrumpat recitans Horam, & per magnum tempus, modò habeat animum supplendi intra eundem diem, non peccat mortaliter, nec tenetur sub mortali ad repetendum Horam: sed sat est supplere omissa, licèt ad vitandum veniale melius esset repetere. Ratio, quia licèt, physicè loquendo, quando est magna interruptio non sit eadem Hora continua, &, loquendo moraliter, propter intentionem quam hic habet supplendi quod deest intra eundem diem censetur integratio, & continuatio eiusdem Horæ, atque adeò impletio præcepti Horarum quoad substantiam. Et confirmatur, quia antiquitus diuidebantur Nocturni per magnum tempus. Item, quia qui tenentur ad Rosarium: vel Psalmum, ex voto, vel pœnitentia, satisfacient recitando dimidiam partem manè, & aliam vespere, vt dixi *lib. 4. summæ, cap. 11. num 39.* ergo similiter in Hora canonica. Hanc tenent multi ex recentioribus valdè docti Magistri, & potest probari ex doctrina Nauarri posita *dub. præcedenti*, videlicet quòd qui ex obliuione omisit aliquam partem Horæ, non tenetur totam repetere, sed illam partem omissam, quando intra eundem diem recordatur: ergo non est de essentia, & necessitate continuatio, alias esset tota Hora repetenda. Et hæc sententia videtur mihi probabilior, & eam tenent Aragon. *2. 2. q. 83. art. 12. fine*, & Manuel *1. tomo summæ, cap. 140. num. 3.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 37. dubio 10.*

6 Nota hanc sententiam etiam tenere verum, licèt quis faciat illam interruptionem cum proposito formali reincipiendi postea illam Horam; hoc enim non obstante poterit postea non reincipere, sed prosequi quod cœperat, licèt Nauar. *d. cap. 16. num. 73.* teneat oppositum. Probatur, quia vtraque pars dicta est cum intentione sufficienti adimplendi præceptum, & non requiritur continuatio; ergo sufficienter adimplet. Item quia (vt latè dixi *lib. 1 summæ, cap. 13. n. 9. vsque ad 17.*) non requiritur intentio implendi præceptum ad illud implendum: vt qui audiuit partem Missæ animo amplius non audiendi, satisfaciet audiendo aliam partem.

7 An qui tenetur dicere Rosarium, coronam, vel Psalterium Virginis Mariæ, vel coronam Domini nostri Iesu Christi, satisfaciat dicendo ea eodem die horis interruptis, siue ex voto, siue ex pœnitentia teneatur, dixi *lib. 4. summæ, cap. 11. n. 39.*

## DVBIVM XX.

*An sit licitum diuidere Matutinum à laudibus, ita vt Matutinum dicatur vespere diei præcedentis, & laudes aurora sequentis, & tunc sit dicenda oratio in fine laudum?*

1 SIt prima conclusio. Licitum est etiam absque causa diuidere Matutinum à laudibus. Probatur, quia licèt contra Nauarrum teneamus Matutinum & laudes non esse distinctas Horas, sed partes integrales eiusdem Horæ: at negari non potest, quin longè aliter sint partes, quam partes aliarum horarum: ergo propter hanc magnam diuersitatem potuerunt diuidi. Secundo probatur, quia ita solebat fieri in primitiua Ecclesia; Matutinum enim canebatur in tribus vigiliis noctis, & in quarta vigilia laudes. Tertiò probatur, quia nocte Natalis Domini inter Matutinum, & laudes mediat Missa: sic docet Nauar. *cap. quando, cap. 3.* Hisp. *num. 63.* Lat. *num. 64.* Toletus *in sum.* & multi docti iuniores.

2 Secunda conclusio. Quando diuiditur Matutinum à laudibus, non est opus dicere orationem post Matutinum, præter quam in nocte Natalis Domini, vbi id præcipit rubrica Breuiarij, quia nullo iure, nec auctoritate, nec ratione id probatur. Sic ex recentioribus multi viri docti.

## DVBIVM XXI.

*An cùm sacerdos solus recitat, debeat dicere ante orationem* Dominus vobiscum.

1 ALiqui, scilicet Mimatensis, Cosmas, & Albertus, quos refert Nauar. *vbi suprà*, videntur dicere quod non, & potest probari: tum quia est loquutio pluralis: tum quia hac ratione Soter Papa *cap. hoc quoque, de consecrat. dist. 1.* probat non esse faciendum sacrum, nisi saltem duobus præsentibus.

2 Sit conclusio. Sacerdos solus orans debet dicere *Dominicus vobiscum*. Ratio, quia salutat Ecclesiam, & generalis consuetudò derogauit decreto Soteri. Item, quia faciens sacrum coram vno dicit, *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres*, Item quia Pius V. in regulis Breuiarij nullam talem variationem docet: imò in gratias agendi post Missam forma, quas communiter quis solus agit, ponitur, *Dominicus vobiscum*. Hanc tenet Nauar. *cap. quando*, Latinè *cap. 22. num 86.*

## SVMMARIVM.

22 *Quam Breuiarij formam teneantur sequi, qui tenentur ad Horas canonicas?*

23 *An quando Religiones, vel Ecclesiæ cathedrales, seu collegiatæ, quæ ante ducentos annos habent Breuiarium, non acceptant hoc nouum, sed recitant iuxta suum Religiosi priuati, vel priuati clerici subditi talium diœcesum possint, vel teneantur recitare iuxta hoc nouum Breuiarium, vel potius iuxta Breuiarium suæ Ecclesiæ, vel Religionis.*

24 *An sit modo peccatum lethale recitare iuxta aliud Breuiarium, quam Pij Quinti?*

25 *An mutans qualitatem officij peccet mortaliter V.g. qui recitare tenetur Horas canonicas, si reciet de Sancto, quando debet recitare de Feria, vel econtra.*

26 *An possit Episcopus dispensare cum suo subdito, vt secundum aliud Breuiarium recitet?*

27 *An qui tenentur ad Horas, teneantur ad omnia officia, quæ sunt in Breuiario, scilicet ad Psalmos pœnitentiales, officium defunctorum, litanias, canticum Graduum, officium paruum Beatæ Mariæ?*

DVBIVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXII.

*Quam Breuiarij formam teneantur sequi, qui tenentur ad Horas canonicas?*

1 HOc dubium erat difficilius ante nouum Breuiarium Pij Quinti, propter multas, & varias Breuiariorum formas: at nunc post nouum Breuiarium quid sentiendum sit, colligitur ex motu proprio Pij Quinti, qui habetur *in principio Breuiarij*, & ex alio Gregorij XIII. qui habetur *in principio Festorum Hispaniæ*, & claritatis gratia resoluam aliquibus propositionibus.

2 Prima conclusio. Post sufficientem promulgationem huius Breuiarij tenentur omnes sequi eius formam, exceptis Religionibus, & Ecclesiis, quas constat habuisse specialem Breuiarium per ducentos annos ante institutionem huius Breuiarij. Ita habetur *in ipso motu proprio* Pij Quinti, vbi abolet, & reuocat Pontifex omnia alia quæuis Breuiaria, & obligat ad recitandum iuxta hoc nouum.

3 Nota quòd sufficiens promulgatio adimplenda est eo tempore; quod designatur in Bulla Pij Quinti, scilicet post eius promulgationem Romæ, qui erant Romæ habebant vnum mensem post editionem huius Breuiarij, qui verò extra Romam & erant intra montes, tres menses, qui verò vltra montes, sex menses, vt per illud tempus censeretur factam fuisse omnibus sufficientem Breuiarij promulgationem. Ex hoc verò non sequitur quòd statim omnes, qui post illud tempus signatum non recitarent Horas secundùm hoc Breuiarium, peccarent: nam licèt illa promulgatio fuit sufficiens ad obligandum omnes etiam distantes longissimè à Roma: at poterant aliunde excusari, vel quia non audierunt; vel non habuerunt copiam voluminum venalium. At secluſis his titulis non excusarentur à peccato mortali. Sic nonnulli iuniores valde docti.

4 Secunda conclusio. Qui ante tempus dictum sufficientis promulgationis nollent data opera emere Breuiarium hoc, & secundùm illius formam recitare, non peccarent. Ratio, quia Pontifex vt seruaret suauitatem cum omnibus, permisit aliquam temporis distantiam ad relinquenda antiqua Breuiaria: & licèt post tempus assignatum addat Pontifex, vel cùm fuerit copia voluminum venalium, sensus est si post illud tempus, non fuerit copia voluminum venalium, teneantur cùm primùm fuerit copia. Sic prædicti iuniores.

5 Tertia conclusio. Ecclesiæ & Religiones, quæ habent prædictam consuetudinem recitandi aliud Breuiarium ante ducentos annos ab huius editione, non tenentur acceptare hoc Breuiarium nouum nisi ex speciali voto, vel ex suo instituto tenerentur se conformare Breuiario Ecclesiæ Rom. Eiusmodi sunt Religiones D. Augustini, & D. Francisci; permittit tamen illis Pontifex, vt in choro possint recitare iuxta hos nouum Breuiarium, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiat. Sic iuniores prædicti.

## DVBIVM XXIII.

*An quando Religiones, vel Ecclesiæ cathedrales, seu collegiatæ, quæ ante ducentos annos habent Breuiarium, non acceptant hoc nouum, sed recitant iuxta suum Religiosi priuati, & priuati Clerici subditi talium diœcesum, possint, vel teneantur recitare iuxta hoc nouum Breuiarium, vel potius iuxta Breuiarium suæ Ecclesiæ, vel Religionis.*

1 QVidam iuniores docti posuerunt discrimen inter Religiosos, & Clericos, quod Religiosi non possunt vti hoc nouo Breuiario, nisi sua Religio acceptet, sed etiam priuatim recitantes tenentur recitare iuxta Breuiarum suæ Religionis. Ratio, quia Religiosi tenentur recitare iuxta Breuiarium suæ Religionis, nisi ad aliud habuerint speciale priuilegium: sed hoc Breuiarium non concedit eis posse illo vti, nisi sua Religio acceptet; ergo nisi sua Religio acceptet, non possunt Religiosi vti hoc nouo Breuiario: at Clerici tenentur sequi hoc nouum Breuiarium, licèt Ecclesia suæ diœcesis habeat Breuiarium ante ducentos annos, & iuxta illud recitet. Ratio, quia si rectè aduertamus verba Bullæ, quibus prædictis Ecclesiis datur facultas reseruandi antiquum Breuiarium, loquuntur quoad chorum; ergo quando Clerici illarum recitant priuatim extra chorum, tenentur sequi nouum Breuiarium.

2 Sed opposita sententia est verior, & tenenda, scilicet nullum esse discrimen inter Clericos & Religiosos, sed si Ecclesia cathedralis, vel collegialis habens Breuiarium ante ducentos annos non acceptat hoc nouum, clerici priuatim recitantes possunt licitè & liberè recitare secundùm Breuiarium suæ Ecclesiæ, vel secundùm nouum Breuiarium. Similiter etiam quando Religio habet Breuiarium ante ducentos annos, & non acceptat hoc nouum, possunt particulares Religiosi, quando priuatim recitant, recitare iuxta Breuiarium suæ Religionis, vel etiam iuxta hoc nouum, quantum attinet ad præceptum vniuersale Ecclesiæ recitandi, nisi in tali Religione sit aliquod præceptum particulare circa hoc. Probatur primò, quòd nulla sit differentia inter Clericos & Religiosos, quia Pontifex ex æquo & eodem modo loquitur de monasteriis, & de aliis Ecclesiis habentibus Breuiarium ante ducentos annos. Item, quia sicut Religiosi tenentur sequi in recitando consuetudinem, seu statutum Religionis; ita Clerici sæculares tenentur sequi ritum suæ Ecclesiæ matricis, vt benè docent Nauarr. *cap. quando*, Hisp. *cap.* 19. *n.* 220. Caiet. *verb. Horæ*, §. *quoad secundum*. Armil. *verb. Hora*, *n.* 7. Nieua *in summa*, *in* 65. Pedraza *in summa*, *cap.* 5. Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 4. Sandoual *lib. de offic. Eccles.* 6. *p. cap.* 18. Item, quia falsum est dicere, quòd tantùm Pontifex loquitur quoad, chorum quando permittit Breuiarium ducentorum annorum; imò expresè dicit, *non adimimus inueteratum illud ius dicendi suum officium*; & quando loquitur Pontifex de choro, & quando permittit illis vsum huius Breuiarij in choro, & ad hoc exigit consensum Capituli, & Episcopi. Vnde ad recitandum iuxta hoc Breuiarium extra chorum non exigit talem consensum. Secundò probatur alia pars huius sententiæ, scilicèt quod clerici, & Religiosi possunt extra chorum, & priuatim recitare iuxta Breuiarium suæ diœcesis, vel Religionis, quia Pontifex expresè dicit, *non adimimus illis inueteratum ius dicendi suum officium*. Tertiò probatur vltima pars, quòd possint, si volunt, recitare, iuxta hoc Breuiarium nouum, quia cùm Pontifex exigat consensum Capituli, & Episcopi ad recitandum iuxta hoc Breuiarium in choro, videtur concedere licentiam cuilibet priuato recitandi iuxta illud priuatim. Hanc sententiam tenuere recentiores docti, & est multo probabilior quàm opposita.

## DVBIVM XXIV.

*An sit modo peccatum lethale iuxta aliud Breuiarium, quam Py V.*

1 METina *in summa instruct. confess. lib.* 1. *cap.* 14 §. 11. dicit non esse peccatum mortale, si Monachus Franciscanus recitaret modò iuxta Breuiarium D. Dominici, vel aliud, modò non sit Breuiarium antiquum trium lectionum, quia iam omnino cassatum est. Et probatur, quia quòd recitetur officium canonicum, est in præcepto, & qualitas illius non, vt ex pluribus dicetur *dub. sequenti*; sed illud est officium canonicum: ergo. Potest etiam pro hac sententia adduci quòd ante Breuiarium Pij Quinti communis erat sententia, non esse peccatum mortale recitare iuxta aliud Breuiarium à Breuiario suæ diœcesis, vel Religionis: modò sit Breuiarium ex approbatis alicubi, sic Palacios *in summa verb. Hora*. Caiet. *in sum. verb. Horæ*. §. *quoad secundum*





Nieua *in summa*, *tit.* 65. Armil. *verb. Hora*, *n.* 7. vbi Sylu. *q.* 1. & *q.* 12. *dicto* 1. & refert Laurent. & Zabar. *clementin.* 1. *de celebrat. Missar.* Pedraza *in summa*, *cap.* 5. Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst* 5. *art.* 4. licèt non omnino asseueranter id dicat Sotus, & Nauarr. fatetur idem, quia vel altera vice recitat iuxta aliud Breuiarium, *cap*, *quando*, Hisp. *cap.* 19. *à numero* 223.

2 Nihilominus post Pij Quinti Breuiarium tenendum est esse peccatum mortale non recitare iuxta illud, licèt recitetur iuxta aliud Breuiarium, quod ex speciali indulto habet aliqua Ecclesia, vt quia habuit ante ducentos annos. Probatur, quia Pius Quintus in motu proprio, qui habetur *initio Breuiarij*, dicit sic, *statuimus quoscunque, qui tenentur ad Horas canonicas, teneri ad dicendum ex præscripto huius Breuiary*, & *neminem ex his, nisi hac sola formula satisfacere posse*. Ergo si reciter iuxta aliam formulam, non satisfacit præcepto recitandi: ergo tenetur iterare Horas, aliàs peccatum mortale contrahet contra præceptum recitandi. Et pro hac sententia videtur esse Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. *fol.* 152. vbi dicit id esse crimen, & disputans an talis beneficiarius, qui sic recitaret, teneatur restituere fructus, licèt priùs dicat non teneri; at tandem, propter rationem proximè dictam manet dubius, & videtur inclinare, quòd teneatur restituere. Item quia tale Breuiarium non continet absolutè officium canonicum, sed illis duntaxat Ecclesiis, quæ illo vsæ sunt ante ducentos annos: ergo si alius recitet iuxta illud, non recitat officium canonicum. Et sic quidam recentior Magister valdè doctus dixit esse sibi valde suspectam sententiam Metinæ.

3 Rogabis, an possit Religio recitare de Sancto, cuius habet notabilem reliquiam: at ignoratur quo die incidat: item quando nullius habetur notabilis reliquia, sed plurium minimæ, quæ omnes faciunt notabilem? Videtur in primo casu posse, quia mutare semel, vel iterum qualitatem officij est veniale, & ita ex iusta causa non erit culpa: at iusta causa est posse vti priuilegio recitandi de illo sancto, ne aliàs frustraneum sit. Deinde, quia principale est recitare de illo sancto: accessorium autem est, vt recitetur die, qua incidit; ergo ignorantia huius accessorij non debet vitare principale. Respondetur in neutro casu id licere, non in secundo, quia priuilegium est, quando alicuius sancti habetur notabilis reliquia, aut nullius habetur. Item quia non esset maior ratio, cur de vno ex illis sanctis, quàm de aliis recitaretur. Non etiam in primo, quia priuilegium est recitandi non quacunque die, sed illa, qua incidit: ergo hac ignorata cessat; sicut nemo posset frui indulgentia concessa die qua incidit, si dies ignoretur, nec dies est accessoria, sed pars principalis; nec est hæc modica peruersio, & alteratio sed in perpetuum pro tota illa Religione.

## DVBIVM XXV.

*An mutans qualitatem officij peccet mortaliter. V. g. qui recitare tenetur Horas canonicas, si recitet de sancto quando debet recitare de feria, vel econtra.*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit esse tantùm peccatum veniale, quando citra causam fieret, at iusta concurrente causa nullum esse crimen. Probatur, quia quòd recitetur officium, cadit sub præcepto, non verò qualitas officij, sed est quædam qualitas, & accidens. Sic Caiet. *verb. Hora.* §. *quoad secundum* Armill. *n.* 7. Sylvest. *quæst.* 10. *dict.* 1. Pedraza *in summa*, *cap.* 5. Nieua *in summa*, *tit.* 65. Metina *in summa instruct. confess. lib.* 1. *cap.* 14. §. 11. Victoria *in confessionario in* 3. *præcepto*, & addit Sylvest. non esse mortale, licèt id ex fraude faciat, scilicet recitet officium breuius: & refert pro hac sententia Laurent. & Zabar. *element.* 1. *de celebrat. Missar.* Idem, licèt dubius, tenet Sotus *lib.* 10. *de iust. p.* 5. *art.* 4.

2 Secunda sententia dicit, quòd recitare semel, vel iterum, & rarò mutando qualitatem officij absque causa, est tantùm peccatum veniale, & ex iusta causa nullum est peccatum: vt si occurrat necessitas repentina studendi, vel prædicandi, vel legendi, vel recitandi cum ægroto, vel defesso: at si toties id fieret, vt arbitrio prudentis existimaretur notabilis audacia, esset peccatum mortale. Probatur prima pars, quia est leuis materia. Probatur secunda pars, quia non tantùm in Breuiario præcipitur recitare, sed recitare secundùm formam, & modum ibi traditum, vt constat ex Bulla Pij Quinti posita in principio Breuiarij. Item quia quis non iudicet rem grauissimam esse communiter non seruare formam recitandi præscriptam à Pontifice, sicut esset res grauis, & peccatum mortale, non seruare communiter cæremonias traditas à Pontifice in Missa? Hanc tenet Nauarr. *cap. quando*, *cap.* 19. Hispanè *num.* 223. 224. & Latinè *cap.* 21. *num.* 23. & aliqualiter fauent Tabien. *verb. Hora*, *n.* 16. D. Anton. 3. *p. tit.* 9. *c.* 12. §. 3. vbi dicunt esse graue peccatum; at non explicant an sit mortale; & hæc sententia est multo probabilior.

## DVBIVM XXVI.

*An possit Episcopus dispensare cum suo subdito, vt secundum aliud Breuiarium recitet?*

SIt conclusio. Ante publicationem Breuiarij Pij Quinti poterat Episcopus dispensare, vt tenent aliqui, quos refert Nauarr. *vbi supra*; at post publicationem talis Breuiarij, nequit. Ratio, quia antea tenebantur clerici recitare iuxta formam à suis Episcopis præfixam, & ideo poterant Episcopi & suas mutare leges, & circa eas dispensare; vt modò tenentur omnes leges Papæ, quam Episcopus nec mutare, nec dispensare potest. Ita Nauar. *c. quando*, Lat. *c.* 11. *n.* 27. 28. & 29.

## DVBIVM XXVII.

*An qui tenentur ad Horas, teneantur ad, omnia officia quæ sunt in Breuiario, scilicet ad Psalmos pœnitentiales, officium defunctorum, litanias, canticum Graduum, & officium paruum Beatæ Mariæ.*

1 RAtio dubitandi est, quia in rubricis Breuiarij cauetur in aliquibus diebus esse dicendum canticum Graduum, in aliis Psalm. &c. Sit

Prima conclusio. Qui sequuntur hoc Breuiarium nouum Pij Quinti, recitando priuatim, non tenentur regulariter, nisi ad solum officium maius illius. Probatur, quia Pius Quintus sic expressit in Bulla, quæ habetur initio Breuiarij. Dixi *regulariter*, quia tribus diebus litaniarum ante Ascensionem tenentur omnes, qui tenentur ad Horas sub peccato mortali recitare litanias, & die commemorationis defunctorum tenentur sub mortali ad officium defunctorum. Probatur: quia talibus diebus ponuntur litaniæ & officium defunctorum vnà cum officio maioris, & in rubrica officij diei præcipitur, vt dicantur. Sic quidam iuniores docti, & tanquam verum tenendum est, licèt alij recentiores, quos refert Alcoholedo in rubricis Breuiarij dicant, litanias non obligare sub mortali.

2 At in die sancti Marci est difficultas, an teneantur sub mortali ad litanias, quia in fine Breuiarij, vbi ponuntur Psalmi pœnitentiales, habetur, vt dicantur litaniæ in die sancti Marci. At in rubrica officij diei, id non dicitur, vt dicitur in aliis. Nihilominus credo teneri sub peccato mortali, siquidem id præcipitur loco citato, saltem in prouincia, vel oppido, vbi fit processio generalis: at vbi non fit, non auderem damnare ad mortale non recitantes litanias in die sancti Marci, & tribus diebus ante ascensionem, quia rubrica Breuiarij videtur loqui vbi sunt processiones: sic quidam iuniores Magistri valdè docti.

3 Secunda conclusio. Officium paruum Beatæ Mariæ, & Canticum Graduum, & Psalmi pœnitentiales

Universidad de Deusto
Biblioteca



nunquàm obligant recitantes priuatim iuxta Breuiarium Pij Quinti. Probatur ex Bulla citata. Sic tenent Magistri præfati.

5 Tertij conclusio. Recitantes in choro, etiam Breuiarium Pij Quinti sequendo, tenentur ad officium paruum Beatæ Mariæ, vbi erat antea consuetudo dicendi, & eo modo, quo erat consuetudo, & secundùm quod talis consuetudo obligabat. At nullo tenentur ad Psalmos & officium defunctorum, vel Canticum Graduum, licèt ante hoc Breuiarium esset talis consuetudo. Probatur prima pars, quia expresè habetur in Bulla, vt dicatur Officium Beatæ Mariæ in choro, vbi erat antea consuetudo. Probatur secunda pars, quia Pius Quintus in illa Bulla eximit acceptantes hoc Breuiarium ab obligatione recitandi dicta officia; præterquàm ab officio Beatæ Mariæ in choro, vbi erat ea consuetudo: ergo eximit ab aliis etiamsi esset consuetudo. Sic tenent iuniores.

6 Vltima conclusio. Ecclesiæ, quæ non acceptarunt Breuiarium Pij Quinti, propter antiquam consuetudinem ducentorum annorum, tenebuntur ad officia dicta vbi erat consuetudo, vel aliquod præceptum speciale sui Breuiarij, quia hos nec ligat dicta Bulla Pij V. Sic quidam iuniores docti.

An verò dicens Horas non intendens satisfacere obligationi, satisfaciat, vel potius teneatur repetere, & idem est de auditione Missæ, & impletione aliorum præceptorum, dixi latè *lib.1.summæ.cap.13.*

SVMMARIVM.

28 *An attentio sit in præcepto in Horis Canonicis, & aliis precibus quæ ex præcepto dicuntur.*
29 *An sit præceptum orandi deuotè.*
30 *An qui recitat Horas absque intentione requisita, ita vt defectu attentionis peccet mortaliter, teneatur Horas repetere.*
31 *An in orationibus quas quis non ex præcepto, sed ex deuotione recitat, sit peccatum recitare sine vlla attentione actuali, & virtuali.*
32 *An qui tenetur ad Horas, possit sine peccato simul exercere aliquas operationes externas.*
33 *An dormientes, vel dormitantes inter recitandum satisfaciant præcepto recitandi.*
34 *An qui non recordatur se dixisse aliquem Psalmum, vel Horam, teneatur repetere.*

DVBIVM XXVIII.

*An attentio sit in præcepto in Horis canonicis, & aliis precibus, quæ ex præcepto dicuntur.*

PRIMÒ oportet aliqua prænotare. Primò nota hanc quæstionem tantùm habere locum in oratione vocali, in qua lingua potest dicere sine mente sonum: nam in mentali, cùm ipsa attentio sit ipsissima oratio, repugnat mente orare, & non attendere: vnde cùm primum euagari mens incipit, orare desinit. Sic Sotus *lib.10.de iust.q.5.art.5.* & aliqui ex recentioribus Magistri docti.

2 Secundò nota quòd differunt intentio, attentio, & deuotio; quia intentio est propositum recitandi: vnde est actus voluntatis. Attentio est aduertentia ad id quod recitatur, scilicet, vt quod lingua dicit, mens simul intus concipiendo loquatur: vnde est actus intellectus. Deuotio verò si sumatur propriè, est quidam actus voluntatis, quo aliquis est promptus, & paratissimus ad ea quæ pertinent ad diuinum obsequium: vt docet D. Thom. 2.2. *q.82.art.1.* Si autem sumatur deuotio communiter, vt vulgus sumit, significat refectionem illam spiritualem mentis, & dulcissimam recreationem, quæ prouenit ex ipsa oratione, & est quidam effectus eius D. Thom. *vbi suprà.*

3 Tertiò nota quòd triplex est attentio, quæ in oratione vocali potest adhiberi. Prima est, qua attenditur ad verba, ne in prolatione erretur. Secunda, qua ad verborum sensum attenditur. Tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & rem petitam. Et licèt Sotus *lib.10.de iust.q.5.art.5.* dicat non posse habere priorem attentionem, qui Latinum idioma ignorat, at melius dicit Nauar. *c.quando*, Latinè *c.21.n.34.* posse habere; quia hæc attentio principaliter consistit in aduertendo, vt verba rectè suo ordine pronuncientur. Istarum autem attentionum secunda est præstantior, & tertia præstantissima. Sic asserunt vniuersi Doctores citandi.

4 Quartò nota quod, vt colligitur ex D. Thoma 2.2. *q.83.art.13.* tres sunt orationis effectus. Primus est mereri; secundus impetrare: tertius est quædam refectio, & recreatio spiritualis ipsius animæ; quibus possumus addere quartum, scilicet adimplere præceptum recitandi, qui effectus distincti sunt, vt benè probat Nauar. *c.quando, cap.13.num.2.*

5 His positis, difficultas est, quæ attentio requiratur ad satisfaciendum præcepto de recitandis Horis canonicis; & obiter dicemus de attentione requisita ad consequendos alios effectus orationis.

Duplex est sententia.

6 Prima docet Ecclesiæ præceptum esse de Horis dicèdis attentè quoad attentionem exteriorem, id est, vt quis dum recitat, non se occupet scienter in actu exteriori, qui non compatitur secum attentionem orationis, non tamen quoad interiorem attentionem. Ex quo fit, quod si quis dum recitat Horas canonicas, diuagetur in opere externo contrario attentioni se occupans, peccat mortaliter: si verò diuagetur tantùm secundùm actum internum, licèt data opera id faciant, non peccabit mortaliter. Ratio, quia Ecclesia non potest præcipere actum interiorem. Sic Durandus 4 *dist.15.q.12.* Palud. *ibi q.5.* Glossa *clem.1. de celebrat Miss. vers. fructum labiorum*, Gerson. 3. *p. tract. de vita spirituali, lect.4. coroll.2.* Nauarra *lib.2.de restit. c.2. n.234.* modò inquit, non se exponat periculo errandi in verbis, sed diligentiam apponat, ne in hoc errer. Diuus Anton. 3 *part. titul.13. cap.4.5.7.* & 8. Rosella *verbo Hora, num.3.* Angel. *num.27.* dicens id tenere plures Iurisperitos. Idem apertè videtur tenere Syluest. *verb. Hora, q.11.* & *in Rosa aurea tract.3. de quæst. impertinentibus, casu 9.* Licèt Nauarr. *vbi suprà*, ipsum excusare nitatur; sed apertè id tenet *verb. Missa, 2.q.6.* Idem defendit problematicè Metina *C. de oratione, quæst. de potest. Ecclesiæ respectu actuum cordis.* hanc dicit esse probabilem Ledesma. 2 *4.quæst.16.artic.6.2.part.dub.4.vers. ad quintum.* & eam tenet *artic.7.* Et vltra rationem positam potest probari primò, quando aliquis recitat sine vlla attentione, oratio est actus Religionis quoad substantiam: ergo sufficit ad implendum præceptum, quod est de actu Religionis. Probo antecedens; quia in aliis virtutibus moralibus actus illarum quoad substantiam non requirunt attentionem, vt patet in actu fortitudinis, vel temperantiæ. Secundò probatur, quia si ex aliquo textu colligitur hæc obligatio sub mortali, maximè ex *cap.dolentes, de celebr. Missar.* sed hoc non, quia *ibi* etiam præcipitur in virtute obedientiæ, vt deuotè recitetur, quod tamen non obligat ad mortale.

7 Secunda sententia docet, attentionem interiorem esse etiam in præcepto. Ita Doctores citandi, Quæ sententia vt probabilior est amplectenda, & ideo explicabitur aliquibus conclusionibus. Sit

8 Prima conclusio. Quando occurrit præceptum diuinum de oratione, qui tunc orat absque attentione interiori, distrahens se data opera ad alia, peccat mortaliter. Hæc conclusio videtur certa, iuxta vtramque sententiam quia præceptum diuinum extendit se etiam ad actus internos, & ita tenet Palud. auctor primæ sententiæ, & Sotus *vbi suprà*. Nauarr. *cap. quando*, Latinè *cap.21. numero 39.*

9 Secunda





9 Secunda conclusio. Qui ex præcepto Ecclesiastico tenetur ad Horas canonicas, tenetur ad attentionem interiorem, sub peccato mortali. Quare si data opera mentem ad alia distrahat, peccat mortaliter. Probatur primò ex Concilio Lateranensi, quod habetur *cap.dolentes, de celebr. Missar.* vbi sic habetur. *Præcipimus in virtute obedientiæ, vt officium celebrent studiosè, & deuotè*; vbi non præcipitur recitatio, quia iam antea præcepta erat, *cap. Presbyter, eod. tit.* & Concilio Agathensi longè antiquiori. Secundò, probatur, quia Ecclesia, dum præcipit Clericis, vt orent, non præcipit aliquem actum ex sola imaginatione procedentem, vt sunt actus brutorum, sed præcipit actum humanum ex deliberato, & attento animo procedentem. Item quia omnino sine attentione non est oratio, sed est sine mente sonus. Hæc conclusio est contra auctores primæ sententiæ, & eam tenent Sotus *d.art.5.* Metina *lib.1.instruct.cap.14 §.11.* Palac. 4 *dist. 15.disp.10.* Adrianus *quodlib.8.littera 1.* Turrecrem. *cap. cantantes, dist. 92. n.6. & 7.* Gabr. *in canonem Missæ, lect. 62. littera N.* Manuel 1 *tom. summæ, cap. 141. num.1.* Aragon. 2 2 *quæst.83.art.3.fol.862.* Tabien. *verbo Hora, num. 30.31.32.* Armil. *n.19.* Nauarr. *sum. cap.25. num.105.106. 107. & cap. quando*, Hisp. *num.21.* Latinè *num.20. & cap. 21.* Latinè *num.39.* Pedraza *in summa, cap.5.* Nieua *in summa, tit.65.* Suarez vocans oppositam falsam, 1. *tomo de sacram. quæst.83 art.6.disp.88. sect.5.* Caiet. *in summa verbo Hora, vers. quoad tertium, & 2.2. quæst.83.art.13. fine*, Ledesma 2.4 *quæst.16.art.4.dub.4.* Sandoual *lib.de offic.canon.6.p.cap.9.* Angles *floribus q.theolog.1.p.mat.de orat.fol.334.* & quam plurimi ex neotericis admodum docti Magistri.

10 Circa hanc conclusionem nota primò, quòd modò quis incipiat Horam intentione attendendi, quoties dedita opera mentem ab intentione non dimouet, licèt sit per totam orationem distractus, satisfacit orandi præcepto, quia reputatur distractio illa inuoluntaria, & manet attentio virtualis, quæ sat est ad implendum hoc præceptum. Sic Sotus, Caietan. Suar. Nieua, Tabien. Turrecrem. Pedraza, Fr Metina, Gabriel. Armilla, Armil. la, Ledesma, Sandoual *vbi suprà*, Nauarr. *cap. quando, cap.13.* Hispanè *num.22.28.* Latinè *num.21. & cap.25.* in summa Latinè & Hispanè *num.106.107.* Metina *C. de oratione, quæst. de attentione in oratione habenda*, Gerson. 3. *p. tract. de orat. litera F, vers. elicimus, & vers. orationem*, vbi subdit non oportere, vt orans semper conetur tota sollicitudine continere cor suum intra verba, & sensum vocalis orationis, quin tolerari possit euagatio quædam ad refocillandum caput, vel cor. Idem tenet Margar. confeff. *fol.161.* & multi ex iuniotibus valdè docti Magri.

11 Secundò nota, quòd licèt recitans Horas vltrò, & aduertenter circa alia diuagetur, si non aduertat per hoc distrahi ab Horis, satisfacit huic præcepto. Ratio, quia hic non voluntariè distrahitur ab Horis, & ideo virtute remanet prima attentio. Ita Sotus, Caiet. Nieua, Armil. Suarez *vbi suprà*, Nauarr. *d. cap.25. num.106.* & iidem Magistri.

12 Tertiò nota non esse necessarium propositum formale attendendi, sed sat esse virtuale, vt optimè Nauar. *d.n.106.107.*

13 Quartò nota, quòd si aduertens se diuagari habeat mediocrem diligentiam, vt attendat, nullo modo peccat: at si non adhibeat saltem mediocrem diligentiam, est peccatum veniale. Ratio, quia attenta humana fragilitate impossibile est hominem retinere imaginationem semper actu aduertentem, iuxta illud Psal.39. *Cor meum dereliquit me.* Sic Nauarr. *cap.quando, cap.* Hispanè & Latinè *cum.20.* Caietan. 2. 2. *quæst.83.art.13. & in summa, verb. Hora, cap.3 fine*, & aliqui recentiores docti.

14 Quintò nota quòd Sotus *vbi suprà*, quem aliqui iuniores sequuntur, & Palacios *in summa verb. Hora*, & Manuel *suprà* inquiunt, quòd ex negligentia crassa men-tem diuagari permittere eodem relabitur, ac si consultò fierer. Vnde infert Palacios, quòd qui malè assuetus est animum distrahendo inter orandum, nec malæ consuetudinis remedium quærit, habet negligentiam crassam, ac proinde peccat, ac si consultò faceret; quæ doctrina, si vera est, esset seminarium multorum scrupulorum, & videtur esse contra dicta *notab. 1.* & 2. & contra Doctores *ibi* citatos, qui ad peccatum mortale contrahendum defectu attentionis exigunt, vt data opera, & aduertenter quis diuagetur, & aduertens diuagari ab Horis, imò Caiet. *dict. art.13.* expresè dicit, quòd voluntaria negligentia in attentione, tunc tantùm esset mortale, quando ex contemptu, vel ex industria, & *in summa, verbo Hora, cap.3.* dicit quòd negligenter se habens circa attentionem, peccat venialiter. Quod idem dicit Nauarrus, vt dixi *notab. 4.* Vnde licet in aliis materiis doctrina Soti sit admittenda, quòd negligentia crassa æquualet voluntario: in hac tamen materia non est admittenda, propter dicta; sic aliqui ex iunioribus valde docti Magistri.

16 Sextò nota, quòd licèt ad implendum præceptum Ecclesiæ, & ad consequendum duos effectus orationis, scilicet mereri & impetrare, sat sit attentio virtualis, scilicet in principio proponere intentionem, & adhibere mediocrem diligentiam ad illam. Sed ad consequendum tertium orationis effectum; scilicet ad sentiendum refectionem, & recreationem spiritualem mentis, non sat est attentio virtualis, sed est necessaria actualis attentio. Sic D. Thom. 2.2. *q.83.art.13.* Sotus *vbi suprà*, Nauarr. *cap. quando, cap.13.num.2.*

16 Vltima conclusio. Quæcunque trium suprà enumeratarum attentionum, scilicet ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum, est sufficiens ad satisfaciendum præcepto recitandi. Conclusio est omnium. Limitant tamen Caietan. 2.2. *quæst.83. artic.13.* & Nauarr. *cap. quando, cap. 13.* Hisp. *num.34.35.* Latinè *num.33.34.* Enriquez à me consultus, & alij, modò quæcunque harum attentionum eligatur sine præcisione melioris, id est, ita eam eligat recitans, vt nolit in ea sistere, sed vt medium sibi accommodatum ad perueniendum ad meliorem, si Deus eam dederit. Idem tenet Angles *vbi supra fol.137.*

17 Hinc infert Nauarr. cum Caiet. *ibidem*, quòd si meditaretur recitans inter recitandum, gesta Christi & passionem, ac finem vltimatum, & non pro medio ascendendi ad Deum, non satisfaceret, iuxta dicta. Quando verò acciperet vt medium, vel attenderet ad Deum, meditando eius bonitatem, licèt non haberet alias duas attentiones, satisfaceret; quia hæc attentio est omnium, præstantissima. Hoc tamen intelligendum est (vt benè aduertunt Nauarr. *cap.quando, cap.20.num.32.33.* & Metina *quæst. de attentione in oratione habenda*) modò orans ex præcepto attendat, ne erret in debita verborum pronunciatione, & ne omittat aliquid, & orans ex deuotione verbis, quæ ipse componit, attendat, ne verba inepta dicat.

18 Ad argumenta primæ sententiæ respondetur, ad argumentum, quod Ecclesia non præcipit actus internos verum est per se, & sine ordine ad actus externos: at præcipit mediatè, & vt modificant actus externos, vt latè probant auctores citati.

19 Ad aliud argumentum negatur consequentia, quia oratio, vt est in præcepto, includit modum attentionis vt patet ex *d. cap. dolentes.*

20 Ad vltimum respondetur, quod etiam deuotè recitare est in præcepto, vt dicam *dubio sequenti.*

DVBIVM XXIX.

*An sit præceptum orandi deuotè.*

1 SIt prima conclusio. Qui tenetur ad Horas canonicas, tenetur sub mortali deuotè eas recitare.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Probatur ex *cap. dolentes, de celebr. Missar.* vbi id præcipitur virtute obedientiæ. Sic Nauar. *cap. quando, cap.* 20. Hisp. *à num.* 4. *ad* 44. Latinè *num.* 26. & nonnulli ex recentioribus docti Magistri.

2 Secunda conclusio. Sicut sat est virtualis attentio ad satisfaciendum præcepto recitandi, ita etiam sat est virtualis deuotio, id est, propositum orandi deuotè. Vnde sicut non sequitur, quòd semper duret attentio, benè tamen quod semper duret propositum attendendi, ita non requiritur, quòd semper duret propositum recitandi deuotè. Sic iidem Doctores.

3 Vltima conclusio. Sufficiens propositum dicendi attentè Horas, est sufficiens dicendi deuotè. Ratio, quia licèt attentio ad intellectum, & deuotio spectet ad voluntatem, at velle attendere pertinet ad voluntatem, & qui vult attendere, vt decet, vult Deo seruire cum aliqua promptitudine voluntatis. Vnde solùm & semper quis peccat, eo quòd non recitat cum deuotione, quando peccat, eo quòd non attendit, & quando implet præceptum recitandi attentè, implet etiam recitandi deuotè. Sic iidem auctores.

## DVBIVM XXX.

*An qui recitat Horas absque attentione requisita, ita vt defectu attentionis peccet mortaliter, teneatur Horas repetere?*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit non teneri repetere. Probatur, quia diuersa videntur super hoc præcepta ab Ecclesia tradita. Primum est, vt Horæ integrè dicantur. Secundum *in cap. dolentes, de celebrat. Missar.* vt attentè dicantur: ergo si quis sine attentione dicat, satisfacit præcepto primo de Horis recitandis, & sic non tenetur repetere, sed agere pœnitentiam trangressionis secundi præcepti. Hanc tenent Metina *C. de oratione*, v. g. de Horis iterandis, Cord. *lib. 4. quæst. q. 13. fine*, Maior 4. *dist. 12. q. 3.* Gerson 3. *p. tract. de vita spirit. lect. 4. corol. 2.*

2 Secunda sententia docet hunc teneri repetere Horas. Ratio, quia *cap. dolentes*, non traditur nouum præceptum, sed vetus explicatur, & traditur modus, quo vetus obligat. Hanc tenent Turrecrem. *cap. cantantes, dist. 92. n. 6. 7.* Gabriel. *in Canonem Missæ, lect. 62. litera L, & N*, Nauarr. *cap. quando, cap. 13.* Hisp. *à num.* 18. Lat. *num. 46. & cap. 20.* Hisp. *num. 38. & 39.* Latinè *num. 31.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. art. 5. vers. supra hæc autem*, Sandoual *lib. de offic. canon. 6. p. cap. 9.* Enriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 2.* Palud. 4. *dist. 15. q. 5. vers. ad hoc ergo.* Manuel 1. *tomo summæ, cap. 141. n. 1.* Aragon. 2. 2. *q. 83. art. 13. fol. 864.* Ledesma 2. 4. *q. 16. art. 6. 2. p. dub. 2.* Idem apertè innuit Caiet. 2. 2. *q. 83. art. 13. sub finem*, vbi dicit, quòd euagari ex proposito in notabili parte horæ, perinde est, ac illam omittere; sed si omitteret, teneretur dicere: ergo. Idem innuunt Tabien. verb. hora, *n.* 30. 31. 32. & Adrian. *quodlib. 8. lit. I*, dicunt enim hunc non satisfacere præcepto: ergo secundum ipsos tenetur repetere, vt satisfaciat. Hanc etiam tenet expresè Angles *floribus, q. theolog. 1. p. mat. de oration. fol.* 338. & Nauarrus *lib. 2. de rest. cap. 2. n.* 231. & hæc sententia est multò probabilior.

## DVBIVM XXXI.

*An orationes, quas quis non ex præcepto, sed ex deuotione recitat, sit peccatum recitare sine vlla attentione actuali, & virtuali?*

1 DVplex est sententia.

Prima dicit recitantem ex deuotione, etiamsi ex proposito non attendat, nullo modo peccare. Ratio, quia talis oratio potest citra culpam omitti: ergo, & sine attentione dici. Sic Gabriel *lect. 62. in canon. litera I*, & Palacios 4. *dist. 15. disp. 10. fol. 159.*

2 Secunda sententia docet esse peccatum veniale recitare ex deuotione absque attentione data opera. Ratio, quia licèt non teneatur is recitare: at supposito quòd recitat, tenetur id facere cum debitis circunstantiis, vt patet in omnibus aliis actibus virtutum; sed vna ex debitis circumstantiis orationis est attentio, ipsa enim naturalis ratio dictat orare sine attentione esse contra reuerentiam Dei, cum quo agimus, sicut qui loqueretur cum Principe aliquo terreno, & non attenderet ad id, quod loquitur, faceret ei iniuriam. Hanc tenent Caiet. *verb. oratio.* Armilla *ibi numero* 1. Pedraza *in summa* 3. *præcepto*, Nieua *in summa, tit. 68.* Sandoual *lib. de offic. Ecclesiast. 6. p. cap. 1.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 83. art. 13. ad 3.* & ibi Caiet. Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 5.* Ledesma 2. 4. *q. 16. art. 6. dub. 2.* Metina *C. de orat. quæst. de attent. in orat. haben.* Nauar. *cap. quando, cap. 13. num. 39 & cap. 20. num. 32.* & Latinè *cap. 21. num. 39.* Aragon. 2. 2. *quæst. 83. art. 13. fol. 363.* Angles *florib. quæst. Theolog. 1. p. mater. de orat. fol. 334.* & aliqui iuniores docti. Et hæc sententia videtur mihi certa.

3 Nota tamen hanc sententiam debere intelligi de oratione per se, vt oratio est, id est quando aliquis intentione orandi orat. Cæterùm si quis cum manibus laborat, vult psalmos, aut alias preces recitare, vel canere, non animo orandi, sed vt caueat alias vanas cogitationes, vel recreationis gratia, non peccat, sed laudabiliter facit, licèt data opera non habeat attentionem. Ratio, quia ille non orat formaliter, sed materialiter. Sic Caiet. Armil. Pedraza, Nieua Sandoual *vbi supra*, & multi ex iunioribus docti Magistri.

## DVBIVM XXXII.

*An qui tenetur ad Horas, possit sine peccato simul exercere aliquas operationes externas?*

1 SIt prima conclusio. Qui ex præcepto tenetur ad recitandum, & aduertenter occupatur in rebus externis, quæ ex natura sua aduersantur attentioni orationis, & sunt incompatibiles cum illa; peccat mortaliter, vt si quis scribat, legat, vel pingat, vel faciat aliquid huiusmodi, quod totum animum ad se vocat. Sic Sotus *lib. 10. de institt. quæst. 5. art. 5.* Fr. Metina *in summa, lib. 1. cap. 14 §. 11.* Nauar. *summa Hisp. & Latina cap. 25. num. 106. & 107.* & *cap. quando, cap. 13.* Hisp. *à num. 21.* per plures. Latinè *à num. 47.* & omnes Doctores *supra* citati *dub. 28.* hi enim saltem requirunt attentionem externam. Idem tenet Iosephus Angles *floribus, quæst Theolog. 1. p. mater. de oration. folio* 339. & aliqui iuniores Magistri.

2 Secunda conclusio. Qui dum orat etiam ex præcepto occupatur in aliquibus rebus externis, quæ non sunt incompatibiles cum attentione, nec expostulant tantam animi aduertentiam, satisfacit præcepto recitandi, nec peccat mortaliter, vt si quis recitet induens se, vel calceans, vel deambulans per hortum & herbas perspiciens. Ratio, quia solus, & omnis ille actus coporalis ad implementum præcepti impedit, qui repugnat, & est incomparibilis attentioni habilitate eius, qui recitat inspecta: at faciens istos actus potest attendere; nec sunt tales, qui omnino impediant: ergo. Item, quia in aliquibus Religionibus est statutum, vt qui surgunt à lecto, dum se induunt, recitent: & id faciendum docebat D. Dominicus, & in Missali sunt orationes dicendæ, dum Sacerdos se induit, vt faciat sacrum. Sic Nauarr. *cap. quando, cap. 13.* Hispan. *num. 47.* Latinè *num. 49.* Maior 4. *dist. 12. quæst. 7.* Caiet. 2. 2. *quæst. 83. artic. 13. & quæst. 187. art. 3. ad 3.* Sotus & Fr. Metina vbi supra, & prædicti recentiores Magistri.

3 Tertia conclusio. Recitans aliquid ad quod non tenetur, faciendo prædicta, nullo modo peccat, imò meretur. Sic Nauar. *ibidem*, & paret ex dictis conclusione præced. & tenent *ibidem* Magistri.

4 Quarta conclusio: etiamsi sint Horæ ex præcepto faciens prædicta ex iusta causa, dum recitat, non peccat, nec venialiter. imò meretur, vt si cœpta hora veniat vir nobilis visiturus recitantem, & finiat Horam se componens, vt illum excipiat. Sic Nauarrus & Iosephus Angles *vbi supra*, & aliqui iuniores docti.



5 Quinta conclusio. Aliqui sunt actus corporales, tam parum repugnantes attentioni etiam Horarum debitarum, vt si fiant dum recitantur, etiam, absque vlla causa nullum sit peccatum, vt lenis deambulatio, itineris factio pedestris, vel equestris moderata, prospectio, vel collectio huius, vel illius herbæ. Sic Nauarr. *vbi supra, & prædicti iuniores.*

6 Sexta conclusio. Lauare faciem, & manus, induere, vel exuere se, vel se calceare, dum recitantur Horæ ex præcepto, si id fiat moderatè, & absque nimia festinatione, licèt fiat absque iusta causa, nullum est peccatum. Probatur, quia si ille illo modo recitaret illas orationes ex deuotione, non peccaret, vt dixi ex Nauar. *in tertia conclusione*, ergo idem est, quando recitat, non ex deuotione, sed ex præcepto, quia illæ actiones non magis impediunt reuerentiam, quando oratio est ex præcepto, quàm quando est ex deuotione. Sic colligitur ex Nauarro, & tenent iuniores præfati.

7 Septima conclusio. Quando quis exercet dictas actiones valde festinanter, dum recitat, peccat venialiter, quia vix fieri possunt, salua debita reuerentia, & attententione. Sic Nauar. *ibi num.* 50. & nonnulli recentiores docti.

8 Vltima conclusio. Si quis dum recitat, vagetur in opere externo ordinato ad officium, vt voluendo libros, &c. non per hoc recedit attentio virtualis, nec peccat. Sic Tabien *verbo Hora, n.* 30. Sylvest. *ibi q.* 11. Margarita confess. *fol.* 161. Sandoual *lib. de officio canonico, 6. p. cap. 9.* & patet ex *supra* dictis: diximus enim nec hunc teneri repetere, quæ interim dicuntur, quando non potuit præuenire opus illud ad ordinatum officium.

## DVBIVM XXXIII.

*An dormientes, vel dormitantes inter recitandum, satisfaciant præcepto recitandi.*

1 SIt prima conclusio. Qui vexatur à somno, sed adeò resistit, vt pronunciet suas Horas, vel audiat sacrum, ea attentione quòd saltem videt, quòd non omittit dicere, aut audire vllum versum, vel verbum, licèt propter grauitatem, & molestiam somni non attendat ad significationem, nec ad aliam meditationem, non peccat saltem mortaliter. Ita Nauarr. *cap. quando, cap. 9 num. 9.* & tenent aliqui iuniores docti; & patet, quia hic habet attentionem necessariam ad orationem.

2 Secunda conclusio. Qui dormit per notabilem partem Horæ, vel Missæ, non satisfacit præcepto, quia deest attentio necessaria, & sic tenetur sub mortali repetere; qui verò per partem non notabilem, peccat venialiter. Sic Nauar. *ibi num* 5. 6 & alij.

3 Hinc infertur peccare mortaliter eos, qui tenentur ad Horas, vel ad aliquid ex pœnitentia, vel voto recitandum, si recumbant in lecto ad recitandum eo tempore, & talibus circunstantiis concurrentibus, vt probabiliter attenta fragilitate sua, & dormiendi consuetudine credere possint se dormituros, & sic omissuros id ad quod tenentur. Ratio, quia exposuerunt se probabilissimo omittendi periculo. Sic Nauar. *ibi num.* 7.

## DVBIVM XXXIV.

*An qui non recordatur se dixisse aliquem Psalmum, vel Horam, teneatur repetere.*

1 METina *C. de oratione, q. de Horis iterandis*, & Ledesma 2. 4. *quæst. 16. artic. 6. 2. p. dub. 3.* absolutè dicunt dubitantem probabiliter teneri repetere eam partem, de qua dubitatur. Sit tamen

2 Prima conclusio. Quando quis habet aliquam rationem, vel coniecturam se dixisse talem Psalmum, versum, vel Horam, licèt in particulari non recordetur se illud dixisse, non tenetur repetere. Sic Nauar. *cap. quando, cap.* 20. Hispanè *num.* 49. Latinè *n.* 30. Sandoual *vbi infra*, Iosephus Angles *floribus, vbi infra*, & aliqui iuniores docti.

3 Hinc fit non teneri quempiam repetere quod non meminit se dixisse, modò non meminerit se non dixisse, & coniecturam iustam habeat credendi, quod dixerit, qualem habere videtur is, qui scit communiter se non errare in tali Hora. Sic Nauar. *cap. quando, cap. 13. n. 26. 27. 28. & 29.* Latinè *num.* 30 Maior 4. *dist. 12. q. 3.* Gerson 3. *p. mater. de oratione, litera F.* Iosephus Angles *floribus quæst. theolog. 1. p. mater. de orat. fol* 34. Sandoual.

Secundò infertur, quòd qui recordatur se incepisse talem Psalmum, vel lectionem, vel talem Horam, & postea non data opera distractus inuenit se in fine talis Horæ, vel legendo per librum, vel dicendo memoriter ea, in quibus ipse communiter non solet errare, iustè potest credere se totum dixisse, & vltra progredi. Sic Nauar. *d. cap 13. n. 29.* referens Maiorem, Iosephus Angles *vbi supra*, & alij.

4 Secunda conclusio. Qui habet rationem aliquam, vel coniecturam ad credendum se iam dixisse talem Horam, vel Psalmum, non tantùm non tenetur repetere, imò malè faciet si repetat. Ratio, quia est dare locum scrupulis, & acquirere repetendi habitum. Sic Nauarr. *d. cap. 13. n. 3.* Iosephus Angles *supra*.

5 An verò dum quis factum ex præcepto audit, possit simul recitare Horas, ad quas tenetur, vel alias preces, ad quas ex voto, vel pœnitentia tenetur, dixi latè *lib. 1. summæ, cap. 14. a num. 11.*

## SVMMARIVM.

35 *Quod sit tempus competens & legitimum ad recitandum Horas canonicas, siue in communi, siue in particulari.*

36 *An peccet, qui non recitat Horas canonicas priuatim debitis, & competentibus horis.*

37 *An matutinum, & laudes, & reliquæ Horæ diei præsentis, possint recitari vespere precedentis diei, & qua hora.*

38 *An teneatur sacerdos recitare Matutinum antequam faciat sacrum.*

39 *An facere sacrum conuentuale, seu maius, quod dicitur solemne, ante Matutinum recitatum, sit peccatum.*

40 *An sit peccatum facere sacrum antequam recitetur Prima.*

41 *An peruertens ordinem Horarum quando priuatim dicuntur, vt recitans Tertiam ante Primam peccet.*

42 *An non recitare Horas canonicas publicè in choro horis debitis, vel ibi ordinem Horarum peruertere, sit peccatum mortale.*

43 *An omittens, vel non potens recitare Horam canonicam tempore debito, teneatur intra eundem diem recitare illam, siue præponendo, siue postponendo.*

44 *Quo in loco sint dicenda Horæ canonicæ.*

## DVBIVM XXXV.

*Quod sit tempus competens, & legitimum ad recitandum Horas canonicas, siue in communi, siue in particulari.*

1 SIt prima conclusio. Singulæ Horæ canonicæ habent sua tempora, quibus debent dici, ea scilicet, ex quibus nomina sumpserunt; scilicet Prima debet dici hora prima diei, & tertia hora tertia, & sic de aliis. Hoc colligitur ex vsu, & ex communi sententia Doctorum: ex D. Thom. *quodlib. 5. articulo* 28. Sylvest. *verbo Hora, quæst. 9.* Caietan. *verbo Hora, §. 4* Nauarr. *cap. quando, cap. 3. num.* 38. & tenent ex recentioribus multi docti Magistri.

2 Nota quòd ad cognoscendum horam primam & tertiam diei, debemus numerare illas penes diem artificialem, & non penes naturalem; quia secundùm Astrologos attenditur ab ortu Solis, vsque ad occasum

Universidad de Deusto
Biblioteca



quem debemus diuidere in duodecim partes æquales, quas vocamus horas; ita vt sex partes, seu sex horæ numerentur ab ortu Solis, vsque ad medium diem, & reliquæ sex partes à medio vsque ad occasum: hoc modo prima pars dicetur prima hora diei artificialis, &c. Sic Nauarr. *d.c.3.à num.* 33. & consule Couar. 4. *variar. resolut. cap.* 20. *num.* 14.

3 Secunda conclusio. Licèt attento iure, & consuetudine antiqua, Horæ dicendæ sint dicto tempore; at in nostra ætate standum videtur consuetudini, & illæ erunt debitæ horæ ad recitandum Horas canonicas, quæ fuerunt constitutæ aliqua causa iusta, aut ordinatione vel consuetudine Ecclesiæ, vel Episcopatus, vel monasterij, vbi dicuntur. Ratio, quia cùm illud sit ius humanum, potuit consuetudine derogari. Sic Nauar. *vbi suprà num.* 39. Palud. 4. *dist.* 15. *quæst.* 5. Syluest. & Caietan. *vbi suprà*. Sandoual *tract. de offic. Ecclesiastico*, 3. *par. cap.* 5. & aliqui docti iuniores.

4 Tertia conclusio. Horæ debitæ ad recitandum officium priuatim, erunt, vel istæ, quæ fuerint secundum consuetudinem, vel statutum talis Episcopatus, vel etiam illæ, quæ antea erant constitutæ secundùm ius commune, iuxta dicta *in prima conclusione*. Ratio, quia licèt sit consuetudo præscripta, vel Horæ publicæ dicantur tali tempore, & vt priuatim possint dici eodem tempore: at non subinde præscriptum est, quin possint priuatim dici horis iure communi destinatis, cùm hæc diuersæ sint. Sic Nauar. *d. cap.* 3. *num.* 71. & 72.

5 Nota tamen, quòd hæ horæ debitæ, in quibus tenetur quis recitare Horas canonicas, non debent sumi ita punctualiter, scilicet, quòd prima dicatur, prima hora diei artificialis, &c. Sed debent sumi cum amplitudine, vel parum ante, vel parum pòst, ita vt, qui intra illud parum antè, vel parum pòst recitauerit, censebitur tempore competenti recitare. Sic Nauar. *d. cap.* 3 *num.* 73. & 74. Angel. *verbo Hora. num.* 22. & *ibi* Syluest. *quæst.* 9. & quidam doctus recentior Magister, qui cum Nauarro *d. num.* 74. arbitratur, hoc parum post, aut parum ante esse dimidiam horam, aut tres quadrantes, id est, *media hora*, *o tres quartes*, & ad summum vnicam horam antè, vel pòst.

## DVBIVM XXXVI.

*An peccet, qui non recitat Horas canonicas priuatim debitis, & competentibus horis.*

1 SIt prima conclusio. Quacumque diei hora recitentur Horæ canonicæ priuatim intra diem naturalem, qui constat ex viginti quatuor horis, scilicet à duodecima noctis præcedentis hora, vsque ad duodecimam noctis sequentis, non est peccatum mortale. Ratio, quia substantia præcepti consistit in hoc quod Horæ dicantur: at quod dicantur tali tempore, est modus quidam, & circunstantia non adeò necessaria. Hanc docent Nauar. *summa cap.* 25. *num.* 97. & *cap. quando, cap.* 3. *n.* 59. 60. 61. & 62. Latinè *num.* 56. Ledesma 2. 4. *quæst.* 16. *art.* 5. *dub.* 1. Sylu. *verbo Hora*, *q.* 9. Angel. *num.* 22. Armill. *n.* 17. Tabien. *num.* 26. Caiet. *summa verbo Hora*. Nieua *in summa tit.* 65. D. Anton. 3. *p. tit.* 13. *cap.* 4. § 4. & 2. *p. tit.* 9. *cap.* 12. *fine*. Gabriel *in canonem Missæ, lect.* 23. *litera* E. Margarita confess. *fol.* 162. Viguer. *lib. de instit. Theolog. cap.* 5. § 5. *vers.* 4. Sotus *lib.* 10. *de iustit. quæst.* 5. *art.* 4. Fr. Metina *summa lib.* 1. *cap.* 14. § 11. & nonnulli valde recentes Magistri.

2 Secunda conclusio. Si Horæ canonicæ iusta de causa non recitentur debitis horis, sed præponantur, vel postponantur, nulla est culpa: si citra causam iustam, est peccatum veniale. Ratio, quia præcipitur vt debitis horis recitentur, *clement. 1. de celebrat. Missar. & cap. 1. eod. tit.* & hoc non iam in fauorem recitantium, quàm ad agendum cultum diuinum, & vt diuturnior, & magis continua sit oratio. Sic Sotus, Tabien. Metina, Nauar. Caiet. Armil. Nieua, Angel. *vbi suprà*. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. & alij.

3 Nota causam iustam esse, & à culpa immunem reddere, si scholasticus differat Horas in vespertinum tempus, eò quòd matutinum est aptum studio; non autem vespertinum: hoc verò est aptum ad recitandum. Sic Nauarr. *cap. quando, cap.* 3. Latinè *num.* 55. Hisp. *num.* 56. Maior 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. & alij.

4 Tertia conclusio. Quando quis impedimentum timet, melius est, vt Horas præponat, quàm postponat. Ratio, quia primum est prouidentiæ; at secundum est negligentiæ. Sic Sotus, Nauar. Sylu. *vbi suprà*.

5 Quarta conclusio. Dum *c. solent, de consecr. dist.* 1. iubetur, vt Vesperæ dicantur in Quadragesima ante prandium; intelligitur de vesperis, quæ dicuntur in communi. Vnde priuatim recitans, potest ante prandium dicere, non tamen erit peccatum dicere post prandium. Sic Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 7. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 8. *fol.* 130. *pag.* 4. Nauar. *cap. quando, cap.* 3. Hispanè *num.* 42. Latinè *num.* 40. & Latinè *cap.* 22. *num.* 94. & 95. Nec obstat (inquit Nauarr. *in cap. quando*, Latinè *loco citato*) Rubrica Breuiarij noui *feria* 4. *cinerum*, qua dicitur Vesperas recitandas esse ante prandium, quia *ibi* non ponitur præceptum.

## DVBIVM XXXVII.

*An Matutinum, & laudes, & reliquæ Horæ diei præsentis possint recitare vespere præcedentis dici, & in qua hora.*

1 SVpponendum est, quòd licèt quoad contractus, & alia huiusmodi, dies incipiat à media nocte, tamen quantum attinet ad officium diuinum, & celebrandum Ecclesiasticas solemnitates, & incipit dies à Vesperis. Sic D. Thom. *quodlib.* 5. *art.* 28. *corpore*. Caiet. *verbo Hora, cap.* 4. & reliqui Doctores recitandi.

2 Hoc supposito circa horam recitandi Matutinum conuenit inter Doctores posse recitasi vespere Matutinum diei sequentis propter rationem dictam. Quod idem probari videtur ex generali consuetudine. Dicunt tamen plures Doctores esse peccatum veniale recitare vespere, nisi adsit iusta causa. Sic D. Thom. *quodlib.* 5. *art.* 28. Angel. *verbo Hora, num.* 21. Viguer. *lib. instit. cap.* 5. § 5. *vers.* 4. Syluest. *verb. Hora, q.* 9. *dicto* 3. Tabien. *verbo Hora, num.* 28. Nauar. sum. Latina & Hisp. *cap.* 25. *n.* 97. & quidam recentior valde doctus Magister, addens sufficere causam iustam, quæ inducat, non tantùm necessitatem, sed etiam commoditatem.

3 Circa horam verò dicendi Matutinum nil inuenitur expressum apud Doctores, præterquam quòd potest dici ante Solis occasum. Quod docet Nauarr. summa Lat. *cap.* 25. *num.* 107. & summa Hisp. *cap.* 28. *additione ad num.* 115. *capitis* 25. & *cap. quando, cap.* 3. *num.* 65. *sub finem*. Alij verò dicunt, quod si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat Matutinum, iam hoc pertinet ad diem sequentem. Sic Viguer. *vbi suprà*, D. Thom, *suprà in solut. ad* 1. Turrecrem. *cap. Presbyter, dist.* 91. *n.* 4. Nauarr. *cap. quando, cap.* 3. *num.* 62. & hi omnes cum Nauarr. etiam *duobus locis proximè citatis*, videntur sentire esse necesse, vt possint recitari matutinæ preces diei sequentis vespere præcedentis, vt sint iam recitatæ vesperæ & completorium, quia non videtur incipere dies sequens hodie vespere, nisi pensum horarum hodiernum sit integrè persolutum. Sit tamen

4 Prima conclusio. Si quis recitet hodie hora secunda post meridiem Matutinum diei crastinæ, satisfacit præcepto, nec peccat mortaliter: si verò hodie manè recitaret, non satisfaceret præcepto, & teneretur iterum sub peccato mortali recitare Matutinum. Probatur prima pars, quia iam illud tempus, cùm sit hora vesperarum, pertinet ad sequentem diem: ergo qui tunc recitat, censetur sequenti die recitare Matutinum, ergo non peccat mortaliter, si quidem recitat intra diem, & præuenire



uenire tempus intra diem non est mortale, vt dixi *dub. præced.* Probatur secunda pars, quia nondum censetur cœpisse dies sequens, & sic non recitat Matutinum intra suum diem. Hæc conclusio colligitur ex doctrina citata D. Thomæ, Viguer. Turrecrem. qui dicunt, quòd si post vesperas, & completorium dicat quis Matutinum diei sequentis, iam hoc pertinet ad diem sequentem. Eam etiam tenuerunt quidam recentiores Magistri, quorum quidam addidit, quòd si post medium diem hodiernum recitaret quis Matutinum diei crastinæ, saltem in Quadragesima, vbi vesperæ dicuntur ante prandium, videtur iam incœpisse dies sequens, & in rigore non videtur obligandus ad mortale, nec ad iterum recitandum.

5 Nota conclusionem hanc tenere verum, licèt quis quando recitat hora secunda Matutinum, nondum recitasset Vesperas, & completorium diei hodiernæ: adhuc enim non esset peccatum mortale. Ratio, quia illa peruersio horæ non videtur grauis, & horarum ordinem absque causa peruertere tantùm est veniale. Sic prædicti Magistri.

6 Secunda conclusio. Qui absque causa sufficienti recitaret Matutinum diei crastinæ hodie hora secunda post meridiem, peccaret venialiter; si verò ex causa sufficienti, nullo modo peccaret, quia, vt dixi *dub. præced.* qui absque causa recitat non temporibus debitis, peccat venialiter. Sic quidam iuniores docti.

7 Nota tamen quòd quo maior est anticipatio, eo maior causa requiretur, quia magis disceditur à regula. Sic Nauar. *cap. quando, cap.* 3. *num.* 68. & 70.

8 Tertia conclusio. Ad recitandum Matutinum per vnam horam ante Solis occasum, siue in hyeme, siue in vere, nulla causa requiritur, sed qui tunc recitat Matutinum, censetur debita hora recitare. Probatur suppositis duobus fundamentis. Primum fundamentum est: Ad dicendum Matutinum non est deputata tanquam hora debita media nox, vt aliqui falsò putant, quia nullum ius est id præcipiens, vel determinans Matutinorum horam: sed tantùm dicunt textus Matutinum esse officium nocturnum de nocte dicendum, vt benè dicit Nauar. *cap. quando, cap.* 3. *num.* 73. Vnde qui Matutinum recitant prima nocte, vel media, vel summo mane, debitis horis illud recitant, quia omnes nocte dicunt. Secundum fundamentum est, quod dixi, & probaui *suprà dub.* 35. *fine* scilicet quòd hora competens non debet sumi punctualiter, sed vna hora paulò plus, aut minus, antè, vel pòst, ita vt qui tunc recitat, censebitur debito tempore recitare. His suppositis probatur conclusio, quia hora debita, & competens ad recitandum Matutinum est post solis occasum: ergo qui per horam ante Solis occasum recitat, censetur debito tempore. Sic nonnulli iuniores docti, & videtur colligi ex Caietano *in summa, verbo Hora, cap.* 4. vbi absolutè dicit licere recitare Matutinum vespere præcedenti diei.

9 Vltima conclusio. Reliquas horas canonicas demptis precibus matutinis cum laudibus nullo modo licèt recitare vespere præcedentis diei, nec qui recitaret ante mediam noctem huius diei illas, satisfaceret præcepto recitandi Horas, sed teneretur sub mortali repetere. Ratio, quia licèt, vt dixi, dies incipiat à vespere quoad officium: at generalis consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita interpretata est, quòd solas Matutinas liceat dicere vespere præcedenti. Sic Caiet. *verb. Hora, cap.* 4. Nauar. *cap. quando, cap.* 3. *num.* 62. & hæc conclusio est omnium. Vnde benè infert Nauar. nullam ob causam licere dicere Horas hodiernas, demptis Matutinis, vespere præcedenti, vel etiam ante mediam noctem.

## DVBIVM XXXVIII.

*An teneatur Sacerdos recitare Matutinum antequam faciat sacrum.*

1 DVplex est sententia.

Prima docet esse peccatum mortale facere sacrum antequam quis reciter Matutinum. Probatur, quia generalis consuetudo approbata Ecclesiæ habet, vt recitetur Matutinum ante sacri celebrationem: & Pius V. *in Missali, in Rubrica de ritibus seruandis in Missa, cap. de præparatione sacerdotis celebraturi*, docet sacerdotem facturum sacrum priùs debere recitare Matutinum. Hanc tenent Gabriel *in canonem Missæ lect.* 13. *littera F*, Viguer. *lib. instit. Theolog. cap.* 5. § 5. *vers.* 4. Ledesma 2. 4. *quæst.* 16. *articulo quarto, dubio octauo*, Guillermus, quem refert, ac sequitur D. Anton. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 4. *num.* § 4. Angelus *verbo Missa, num.* 42. Tabien. *verbo Hora, num.* 27. & *verbo Missa, num.* 6. Rosella *verbo Missa, num.* 4 Verbecius per ipsum citatus, supplementum *verbo Missa, numero* 3. Idem videntur docere Polancus *in suo directorio, tit. de sacerdotibus, & aliis clericis*, & Pedraza *in summa, cap.* 5. vbi inter plura clericorum peccata, quæ apertè sunt mortalia, referunt hoc. Pro hac sententia citantur Host. & Palud. Sed malè, ille *tit. de consecrat. eccles. num.* 14. hic verò 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. non debere celebrari sacrum ante Matutinum, & Primam. Pro eadem sententia sunt alij, dicentes esse peccatum mortale, quando non fieret ob causam vrgentem, vt ad vitandum graue damnum, vel graue scandalum. Sic Nauar. summa Hisp. & Latina *cap.* 25. *num.* 83. & *cap. quando*, Latinè *cap.* 21. *numero* 30. Armilla *verbo Hora, numero decimo octauo, & verbo Missa, numero tertio*, Margar. confess. *fol.* 162.

2 Secunda sententia docet non esse peccatum mortale facere sacrum antequam recitetur Matutinum, etiamsi nulla causa interueniat. Probatur primò, quia (vt refert Syluester *vbi infrà*) viri doctissimi sæpe negarunt talem esse consuetudinem, & dato quòd esset, non omnis consuetudo obligat ad mortale. Secundò probatur, quia Missa non est Hora canonica, nec videtur vllum ordinem habere ad Horas. Item, quia Missa non dicit maiorem ordinem ad Horas, quàm ipsæ Horæ inter se, sed non seruare ordinem Horarum inter se, non est peccatum mortale: ergo. Ita Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 4. & 4. *sentent. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. *in fin.* Metina *in summa, lib.* 1. *cap.* 16. § 2. *fine*, Nauarr. *cap. quando*, Hisp. *cap.* 3. *num.* 67. licèt dicat se nunquam ausum fuisse hoc alteri consulere, vel sequi. Idem videtur apertè tenere Syluest. *verb. Missa* 1. *quæst.* 6. & ita refertur à Soto, licèt Nauarrus refert eum pro sua sententia. Idem Barthol. à Ledesm. *de sacram. mater. de Euchar. dub.* 39. Idem tenent nonnulli docti iuniores Magistri, & est modò communis sententia Neotericorum. Sit

3 Prima conclusio. Probabilior est hæc secunda sententia, vt patet ex eius rationibus.

4 Hinc infertur, quòd si quis propter morbum legitimam haberet excusationem dicendi Horas, posset facere sacrum, licèt nec dixerit, nec dicturus esset Horas. Ratio, quia sacrum non dependet ab Horis canonicis. Sic Sotus *locis citatis*, Barthol. à Ledesma *suprà*.

5 Secunda conclusio. Si causa iusta interueniat ad celebrandum nondum persoluto Matutino, vt quia Prælatus præcipit, vel aliquis eleemosynam offert alicui, vt statim celebret, & nondum recitauit Matutinum, nulla est culpa. Ratio, quia peruertere Horarum ordinem ex causa, nulla est culpa. Sic Sotus, Metina, Barthol. à Ledesma *vbi suprà*.

6 Tertia conclusio. Si non adsit causa iusta, est peccatum veniale sic recitare propter prædictam consuetudinem. Sic Sotus licèt sub dubio, Barthol. à Ledesma, & videtur tenere Metina.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DVBIVM XXXIX.

*An facere sacrum conuentuale, seu maius, quod dicitur solemne, ante Matutinum recitatum, sit peccatum.*

1 DVplex est sententia. Prima dicit esse peccatum mortale. Sic quidam Thomistæ cum Cano, quì licèt doceant cum Soto in Missa priuata; at in Missa solemni, dicunt esse mortale eam dicere ante recitatum Matutinum.

2 Secunda sententia docet non esse mortale propter rationes positas *dub. præced.* Sic quidam recentior valdè doctus Magister, dicens sic sensisse Sotum, & quosdam Thomistas, & hæc sententia est verior.

## DVBIVM XL.

*An sit peccatum facere sacrum antequam recitetur Prima.*

1 ALiqui scrupulosè loquuntur, dicunt enim posse celebrari antequam recitetur Prima, ex aliqua rationabili causa, quasi innuant, id non licere absque causa. Sic Tabien. *verbo Missa, num.* 6. Ledesma 2.4 *q.* 16. *art.*4. *dub.*8.

2 Alij verò dicunt non esse peccatum mortale celebrare antequam dicatur Prima, nisi sit contra præceptum, vel statutum. Sic Gabriel *in canonem Missæ, lect.* 13. *litera F*, Verbecius, vt refert, & sequitur Rosella *verbo Missa, num.*4. supplementum *verbo Missa, num.*3. D. Anton. 3. *p. tit.*13. *cap.*4 § 4.

4 Sit conclusio. Nullum est peccatum facere sacrum antequam recitetur Prima, etsi nulla causa interueniat. Probatur, quia nullum ordinem dicit Prima ad Missam, nec aliqua est in hoc consuetudo vim aliquam obligandi habens. Sic Armill. *verbo Missa, num.*3 Angel. *num.*42. Viguer. *lib. instit. cap.* 5. §. 5. *vers.* 4. Margar. confess. *fol.* 162. Nauar. *cap.*25. in summa Hisp. & Latina *num.*83. Sotus dicens in hoc nullum esse scrupulum *lib.* 10. *de inst. q.*5 *art.*4. Barthol. à Ledesma *de Eucharistia, dub* 39. & aliqui iuniores docti, & tenent communiter neoterici Thomistæ.

4 Nota, quòd si statutum, vel si consuetudo esset, vt ante Primam non celebretur, intelligeretur quoad Primam, quæ dicitur in choro, & non quoad priuatim recitantes. Sic Angel. & Nauar. *loco proximè citato.*

5 Ex dictis infertur scrupulosè satis loquutum fuisse Nauar. *cap. quando*, Latinè *cap.*3. *num.*70. vbi licèt dicat non esse mortale facere sacrum, antequam recitetur Prima: at subdit, numquam ausum fuisse aliis consulere, nec modò audere, nisi ex vrgenti causa. At iuxta dicta potest tutò consuli, etiam absque causa.

## DVBIVM XLI.

*An peruertens ordinem Horarum, quæ priuatim dicuntur, vt recitans Tertiam ante Primam, peccet.*

1 SIt prima conclusio. Peruertens ordinem Horarum quando priuatim dicuntur, etiam absque causa, non peccat mortaliter. Ratio, quia ordo Horarum non est in præcepto, sed qualitas quædam, & circunstantia non ita necessaria. Sic Sotus *lib.* 10. *de iustitia, quæst.*5. *art.*4. Ledesm. 2.4 *quæst.*16. *art.*4. *dub.*7. Nauar. *cap. quando. cap.* 3. Hisp. *num.*54. & 56. Latinè *num.* 54. & in summa Hisp. & Latina *cap.*25. *num.*99. Margar. confess. *fol.*162. Nieua *in summa tit.*56. Armill. *verb. Hora, num.*7. Caiet. *ibi.* Syluest. *ibi quæst.* 9. Pedraza *in summa cap.* 5. Fr. Metina *in summa lib.*1. *cap.*14. §. 11. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. & conclusio est omnium.

2 Hinc infertur, quòd qui sequenti Hora dicta recordatur se omisisse præcedentem, non tenetur dictam iterare, sed sat est recitare præcedentem. Sic D. Anton 3. *p. tit.*13. *cap.*4. §.4. Viguer. *lib. instit. cap.*5. §. 5. *vers.* 4. Paludanus 4. *dist.*15. *quæst.*5. *art.* 2. Turrecrem. *cap. Presbyter, dist.*91. *num* 7. Angel. *verbo hora, num.*18. Syluest. *quæst.* 9. Nauarr. summa Latina & Hispana *cap.* 25. *num.* 99. & *cap. quando* Latinè *cap.*3 *num.*54. & 67 Franciscus de los Sanctos *de Horarum persolutione, impedim.*7.

3 Secunda conclusio. Si ordo Horarum ex iusta causa, peruerteretur, nulla esset culpa, si scitra iustam causam, esset peccatum veniale: quia est recti ordinis absque causa peruersio. Sic omnes Doctores *præcedentis conclusionis.*

4 Nota iustam causam esse, si in choro, quando ego ingrediebar, inciperetur Tertia, vel alia Hora, & ego nondum recitassem Primam: tunc enim fas est mihi cum choro recitare illam Horam, & postea recitare præcedentem omissam. Sic Nauar. *cap. quando, c.*3. Hisp. *n.*65. & 66.

## DVBIVM XLII.

*An non recitatare Horas canonicas publicè in choro horis debitis, vel ibi ordinem Horarum peruertere, sit peccatum mortale.*

1 TRiplex est sententia. Prima absolutè dicit peccare mortaliter Prælatos, seu Præfectos, ex quorum negligentia non dicuntur Horæ canonicæ publicè in choro debitis horis. Probatur ex *Clement.* 1. *de celebrat. Miss.* ex Concilio Viennensi, vbi iubetur Prælatis, vt faciant dici Horas publicè debitis horis. Item, quia pergrauem ex hoc offensam patitur Ecclesia. Sic Sotus *lib.*10. *de iust. quæst.*5. *art.*4. *vers. sequitur de tempore*, Sandoual. *lib. de officio Canonico*, 3. *p. cap.*5. vbi & alios refert. Idem Nauar. *cap. quando*, *cap.*3. Latinè 63. Hisp. *nam.*64. Iesephus Angles *floribus*, *quæst. Theolog. mat. de Horis canonicis, fol.* 369. & aliqui neoterici, & idem dicit Sotus, quando peruertitur ordo.

2 Secunda sententia dicit peccare mortaliter Prælatos, si non faciunt publicè seruari debitas horas: limitant tamen hoc ad Prælatos Ecclesiarum Collegialium, Regularium, & Cathedralium; quia *dicta Clementina* his solis Prælatis id præcipitur. Et subdit hæc sententia horam debitam non esse punctualiter accipiendam. Sic Angel. *verbo Hora, num.*22. Tabien. *n.*25. Syluest. *quæst.*9. *dicto* 6. Armill. *num.*17. Margar. confess. *fol* 161.

3 Tertia sententia docet, quòd etiam in Ecclesiis collegialibus, & cathedralibus, non est peccatum non dicere Horas, non debitis horis, licèt quandoque negligentia magna interueniat, dummodo communiter seruetur consuetudo, & debitum tempus. Ratio, quia cùm hæ circunstantiæ ad substantialia materiæ præceptæ non spectent, in ipsis non incurritur peccatum mortale, nisi ex contemptu. Item, quia ratio, ob quam imponitur tale præceptum, est ad vitandum scandalum; sed vna, vel altera vice deficere circa hoc, non causat graue scandalum, ergo. Sic Caiet. *in summa verb. hora*, §. *quoad* 4. Nieua *in summa tit.* 65. & aliqui ex neotericis docti Magistri. Sit

4 Prima conclusio. Hæc tertia sententia videtur probabilior.

5 Secunda conclusio. Subditi Prælatorum Regularium, vel Præbendati in dictis Ecclesiis cathedralibus, collegiatis, quibus Prælatus iubet, vt horis debitis dicant Horas, peccabunt mortaliter, si tempus debitum prærmittant. Sic Angel. & Tabien. Quod tamen duplici limitatione intelligendum est. Prima, nisi per alios tempore debito dicerentur Horæ. Sic Nauarr. *d. cap.*3. Latinè *num.*63. Hisp. *vbi suprà*, Syluest. & Margar. confess. *vbi suprà.* Secunda est iuxta tertiam sententiam positam, & approbatam, quando communiter deficerent in hoc, secus quando semel, vel iterum.

6 Tertia conclusio. Licèt semel, vel iterum possit Episcopus dispensare, vt Horæ aliis temporibus, quàm constitutis dicantur, non tamen potest in perpetuum, etiam causa iusta interueniente. Ratio, quia est præceptum Concilij generalis, & in præceptis Concilij nequit Episcopus dispensare in perpetuum, sed ex causa ad tempus. Sic Nauarr. *cap. quando, cap.*3. Hisp. *n.*69. Latinè *num.*72. concordant Armil. *verb. hora, num.*13. Tabien. *num.*16. dicunt enim non posse Episcopum mutare aliquid circa officium, vt duret in perpetuum.

7 Vltima conclusio. Imò clerici vnius Ecclesiæ possunt semel, aut iterum ob aliquam causam tempus mutare, sed non in perpetuum. Sic Nauarr. *locis citatis*, licèt Iosephus Angles *vbi suprà*, dicat non posse absque Episcopi licentia.



## DVBIVM XLIII.

*An omittens, vel non potens recitare Horam canonicam tempore debito, teneatur intra eundem diem recitare illam, siue præponendo siue postponendo.*

1 EXempli gratia: patitur quis quartanam febrim manè vsque ad meridiem, & illo tempore nequit Primam, & reliquas Horas recitare, quæ manè recitandæ sunt; an teneatur vespere, si bona sit valetudine, recitare omnes Horas: similiter, hora duodecima meridiana solet accidere quartana, quæ vbi accidit, non potest recitare; dubitatur, an teneatur manè recitare omnes Horas.

2 Nota certum esse, quòd si transacta est integra dies, non tenetur altera die recitare, quo illa omiserat. Ratio, quia est onus diei, sicut ieiunium vigiliæ. Sic tenent omnes.

3 At dubium est, quando est intra eandem diem. Aliqui tenent, quod si tanta diei pars transacta est, vt in reliqua non consueuerit dici talis Hora, verbi gratia si dimisit quis Matutinas vsque ad meridiem, non tenetur tunc dicere, sed agere delicti pœnitentiam. Ita tenet Vmbertus, quem refert, & sequitur Turrecrem. *cap. Presbyter, dist.*91. *num.*6. Alexandrinus, & Cosmas, vt refert Nauar. *vbi infrà.* Pro eadem sententia est Petrus de Ledesma *summa sacramentorum, vbi de pœnitentia, cap.* 8. *fol.*491. Canus *in relect. de pœnitentia p.*5. *vers. sed quid illi primo*, vbi expresè *dub.*31. dicit idemmet Canus quòd si quis scit impedimentum sibi post meridiem superuenturum, si est voluntarium, tenetur Horas canonicas præponere, & manè integrè soluere. Ratio, quia reliqui temporis impedimentum, quantumlibet legitimum & necessarium, liberè præstat. Si verò est impedimentum à natura; vel violentia, vt ab ingruente morbo, verbi gratia, cùm hora duodecima pomeridiana soler accidere febris quartana, non tenetur præponere Horas, sed tantùm id officij persoluere, quod debetur pro tempore antequam superueniat impedimentum. Et ratio Cani est, quia (inquit) facultas, quæ datur ab Ecclesia anteponendi, vel postponendi Horas, intra diem tamen naturalem, est priuilegium fauoris, non vinculum necessitatis, id est, præuenire non tenemur, benè tamen possumus. Nihilominus sit

4 Prima conclusio. Multo probabilius est quando timetur impedimentum superuenturum, qualecunque sit illud, teneri præponere Horas, & quando impedimentum accidit summo manè, teneri vespere recitare integrè Horas. Ratio, quia terminus obligationis officij diuini est dies integer naturalis, & est circunstantia accidentalis, quòd tali, vel tali hora: ergo tenetur quis quando scit impedimentum venturum; præponere, & quando iam venit, postponere. Item dicendo nocte Primam, excusamur à peccato, quod aliàs committeremus, quia sine peccato possunt dici vsque ad mediam noctem: ergo tenemur. Sic Nauar. *cap. quando, cap.*11. Latinè *num.* 3. Hispanè *num.*4. & *cap.*3. Hisp. *num.* 75. Latinè *num.* 78. & *cap.* 10. Latinè 50. Hisp. *num.*30. 31. 32. & *in summa cap.* 25. Latinè & Hisp. *n.*100 Maior 4. *dist.*12. *quæst.* 3. & aliqui iuniores docti. Licèt contrariam dicat esse communem Enriquez, *lib.*1. *cap.*4. *num.* 7. & *liter. Q.* de *pœnitentia.*

5 Nota conclusionem esse intelligendam, quando in illa parte diei, in qua illum obligamus, est fortis & validus ad recitandum, vt constabit ex *infrà* dicendis.

6 Secundò nota conclusionem hanc habere verum de Horis, quæ priuatim dicuntur, nam quæ publicè dicuntur in choro, transacta notabiliter hora, possunt omitti, & in hoc tenet verum prior opinio. Sic Nauarr. *cap. quando, cap.*3. Hisp. *num.*75. Latinè *num.*8.

7 Secunda conclusio. Prior sententia, vt eam explicat Canus, scilicet quando impedimentum est à natura, vel violentia, est probabilis. Probatur, quia habet bonam rationem, & graues auctores.

## DVBIVM XLIV.

*Quo in loco sint dicendæ Horæ canonicæ.*

1 SIt prima conclusio. Quando Horæ canonicæ dicuntur in communi, & solemniter, debent persolui in Ecclesia: sic enim præcipitur *Clement.* 1. *de celebrat. Missar.* sic tenet Caiet. *in summa verb. Horæ, cap.* 5. Ex priuilegio verò possunt cani in aulis Principum, vel alibi. Sic Sotus *lib.*10. *de iust. q.*5 *art.*4 *fine*, & multi ex neotericis docti Magistri.

2 Secunda conclusio. Horæ, quæ priuatim dicuntur, possunt vbilibet recitari, modò non sit locus valde indecens. Ratio, quia nullus est textus obligans ad dicendum eas in Ecclesia. Sic Sotus *vbi suprà.*

3 Vnde infertur minus bene Hostiensem, & Innocentium, prout refert, & sequitur D. Anton. 3. *p. tit.* 3. *cap.*4 §. 1. dixisse beneficiarium priuatim recitantem Horas in cella, non satisfacere. Quos benè reprobat Sotus *vbi suprà.* Quando verò peccent canonici & beneficiarij non confluentes ad Ecclesiam ad cantandum diuinum officium, *infrà* dicetur.

4 Vltima conclusio. Recitantes Horas canonicas dum venter exoneratur, non peccant, modò aliæ circunstantiæ concurrant. Probatur, quia potest quis ibi mente orare, ergo & voce. Item qui alias orationes vocales potest quis ibi recitare ad eleuandum mentem in Deum, & distrahendum ab immundis cogitationibus, vt docent optimè Nau. *cap. quando, cap.* 5. *art.* 8. Iosephus Angles *floribus quæst. Theolog. mater. de oratione*, *fol.*329. ergo & Horas canonicas. Hæc conclusio colligitur ex Nauar. & Iosepho Angles *ibi*, & est contra Sotum *d. art.* 4. *fine*, dicentem hoc non carere culpa.

### SVMMARIVM.

45 *An infirmitas excuset ab Horis canonicis recitandis, & qualis esse debeat.*

46 *An cæci ita oculis caligantes, vt legere nequeant, teneantur ad Horas canonicas, vel memoriter dicendo si memoria retineant, vel eas memoriæ mandando, vt memoriter recitent.*

47 *An infirmus, qui nequit dicere omnes Horas, teneatur ad partem, quam potest.*

48 *An qui ager est ita vt solus recitare nequeat, teneatur adiuncto socio recitare.*

49 *An qui non potest dicere Horas canonicas, potest tamen ab alio audire, teneatur ad id.*

50 *An qui tenentur ad Horas, & nequeunt illas dicere, teneantur dicere, vel facere aliquid loco Horarum.*

51 *An ob carentiam Breuiarij excusetur quis à recitandis Horis canonicis.*

52 *An vrgens alicuius rei faciendæ necessitas excuset ab Horis Canonicis recitandis.*

53 *An dispensatio excuset ab Horis.*

54 *An excommunicatio, suspensio, degradatio, irregularitas excusent ab Horis.*

55 *An possit Subdiaconus dicere*, Dominus vobiscum.

## DVBIVM XLV.

*An infirmitas excuset ab Horis canonicis recitandis, & qualis esse debeat?*

SIt prima conclusio certissima apud omnes. Morbus, & imbecillitas corporis sufficienter excusat à recitatione Horarum. Sic apertè colligitur ex *cap. Clericus, distinct.*91. ex Concilio Carthaginensi, & ex *cap. vnico de clericis non resid. in 6.*

2 Sit

Universidad de Deusto
Biblioteca



2 Sit secunda conclusio. Illa est sufficiens infirmitas ad excusandum, quæ impedit, quominus attentè fiat oratio, vt sunt dolores graues. Item illa, quæ ingraueſceret ex labore posito in oratione arbitrio prudentis viri. In re tamen dubia consilium Medici, & auctoritas Prælati intercedere debet. Sic multi ex iunioribus docti Magistri. Idem sentit Sotus *lib.*10.*de iust.quæst.*5.*art.* 3. Sylvest.*verb.Hora,quæst.*4. & Armill.*ibi num.*16. vbi docent standum esse arbitrio Medici, vel prudentis viri, & Nauarr.*cap.quando,cap.*11.Hisp. *num.* 2. Latinè *num.* 1. vbi dicit standum esse arbitrio Medici, timorati tamen, & Sandoual *tract.de offic.eccles.*5.*p.cap.*3. vbi id relinquit arbitrio timorati, qui morbo laborat.

3 Tertia conclusio. Nec modicum damnum excusat semper ab orando, nec est necessarium semper graue damnum, sed in hoc est tenenda media quædam via, ita quòd qui æger est, si ex recitatione Horarum verisimiliter credat stomachi aliquam cruditatem, vel capitis grauedinem, vel virium lassitudinem, vel etiam credit febrim tardiùs remittendam, excusatur ab Horis. Ratio, quia huiusmodi damna, quæ in corpore valido sunt leuia, in ægroto sunt grauia mala. Et confirmatur, quia cùm omnia præcepta charitati deseruiant, quæ valde benigna erga infirmos est, non est verisimile, quod Ecclesia, quæ est pientissima mater, hominibus morbo affectis velit addere molestiam orandi, etiamsi non multum lædantur. Item quia *d.cap.clericus*, *distinct.* 91. habetur pro legitima causa non orandi inæqualitatis corporis, quæ non sonat morbum grauem, sed potiùs leuem. Sic aliqui recentiores docti, licèt Nauarr. summa Lat. & Hisp. *cap.*25.*num.*100.*& cap.quando,cap.*21. Hisp.*num.*2. Latinè *num.*1. dicit non excusare infirmitatem, nisi notabiliter noceat recitatio Horarum, & Sylvest. *verb. Horæ, quæst.*4.

4 Quarta conclusio. Etiamsi huiusmodi infirmi, dum febri, vel alio morbo laborant, bonam diei partem confabulationibus familiaribus expendant, atque etiam libros animi recreandi gratia legant, ac multa colloquantur, non inde sequitur teneri recitare Horas. Ratio, quia sermones illi, & lectiones voluptatem ægris afferunt, nec morbus inde ingraueſcit, quin potiùs decreſcit: at verò recitatio est res seria, ac suapte natura grauat caput, ac mœrorem, & molestiam infert. Sic multi ex iunioribus valdè docti Magistri; licèt Nauarr. *cap. quando,cap.* 11. *num.* 5. teneat oppositum, sed summa Latina, & Hisp.*cap.*25.*num.*100. explicat se magis, & dicit quòd si morbus colloquia grauia, ac rerum arduarum dispositionem non impediat, non excusat à recitandis Horis, & addit *d.cap.*25.Hisp.*num.*100. secus esse quando morbus non impedit loqui, aut audire res ad recreationem spectantes; tunc enim posset excusari ab Horis recitandis.

5 Quinta conclusio. Etiam postquam febris infirmum deseruit, dum adhuc vires sunt imbecilles, dumque homo conualeſcit, potest per aliquot dies non recitare. Ratio, quia illa imbecillitas adhuc censetur infirmitas. Item, quia valdè verisimile est Ecclesiam ægris post tot labores velle requiem aliquam concedere; imò potest esse quòd quis celebrare possit, non tamen recitare, propter infirmitatem. Sic prædicti iuniores Magistri.

6 Sexta conclusio. De habente febrim quartanam, aut aliam leuem, non potest dari certa regula, sed iudicandum est iuxta dicta arbitrio Medici, aut boni viri, vt bene docet Sylvest. *verb.Hora,quæst.*4 *dicto* 1. & potest contingere quòd quartana sit tam grauis, & secum talia accidentia afferat, vt vehementem capitis dolorem, vel eam corporis intemperaturam, vt meritò videatur notabilis infirmitas, & sic excusare. Vnde in his, quando fuerit dubium, est standum iudicio Medici, & Prælati, & si non adsit Medicus & Prælatus, qui bona fide se excusari existimans, propter dispensationem, quam experitur, omiserit Horas, non peccabit. Sic nonnulli docti recentiores Magistri.

## DVBIVM XLVI.

*An cæci, aut ita oculis caligantes, vt legere nequeant, teneantur ad Horas canonicas, vel memoriter dicendo, si memoria retineant, vel eas memoriæ mandando, vt memoriter recitent.*

1 HAc in re certissimè constat, hos excusari à recitandis Horis, dum eas memoria non retinent, quia nemo obligatur ad impossibile.

2 Cæterùm difficultas est, an teneantur eas memoriæ mandare, vel si memoriæ mandarunt, teneantur eas memoriter dicere. Circa primum Nauarr. *cap. quando, cap.*19.*num.*80.Hisp.Latinè verò *num.*81.*&* 82. videtur sentire, teneri cæcum memoriæ mandare Horas, dicit enim beneficiarium cæcum non excusari à choro, quia potest addiscere Horas. Vnde videtur obligare ad addiscendum; & Palud.4.*dist.*15.*quæst.* 5. dicit carentem Breuiario teneri addiscere Horas, vt memoriter dicat.

3 Circa secundum Sotus *lib.*10. *de iust.quæst.* 5. *art.* 3. *versiculo addiscere*, dicit se non esse certum, an cæcus si memoriter sciat Horas, teneatur eas dicere memoriter, quia tenacitas illa memoriæ est accidentaria, quamuis (inquit) tutius sit vt se obligatum censeat, & cum Soto tenuerunt aliqui Magistri docti, & addit quidam recentior Magister, quòd quantum ad restitutionem fructuum, certum est quòd non teneretur, si esset beneficiarius cæcus, & omitteret Horas, licet memoriter sciret. Sit tamen

4 Prima conclusio. Nemo tenetur memoriæ mandare officium diuinum, vt illud memoriter dicat. Ratio, quia est medium difficillimum. Sic Sotus, & multi iuniores valde docti Magistri, quorum aliqui dicunt hoc esse verum, licèt ille habeat tenacem memoriam.

5 Secunda conclusio. Si memoriter scit officium, multo probabilius est teneri memoriter dicere. Ratio, quia ille potest commodè implere præceptum recitandi, ergo tenetur. Item, quia si non habenti Breuiarium offerretur miraculosè, absque dubio teneretur recitare, licèt medium fuerit per accidens. Sic tenet Nauarr. *cap. quando, cap.*11. Hisp. *num.* 2. Latinè *num.* 16. 17. & Latinè *cap.*21.*num.* 14. & multi docti iuniores Magistri.

6 Nota quòd etiamsi totam Horam non sciat memoriter, si tamen scit magnam partem, tenetur ad illam, vt dicetur *dub. sequenti*, & docet Nauarr. *eodem cap.*21.*num.* 14.

7 Secundò nota idem dicendum esse de infirmo: si enim non posset legere officium, posset tamen memoriter dicere, teneretur. Sic Nauarr. *d.cap.*11. *numeris citatis.*

## DVBIVM XLVII.

*An infirmus, qui nequit dicere omnes Horas, teneatur ad partem, quam potest.*

1 VIdetur quòd teneatur, quia qui totum quod præcipitur, seruare nequit, tenetur ad partem: vt qui nequit ieiunare totam Quadragesimam, tenetur partem, vt qui post votum castitatis nupsit, quia non potest integrè seruare votum vt non reddendo, tenetur ad partem, scilicet ad non petendum.

2 Ex alia verò parte vrget, quia aliàs nullus æger excusaretur ab Horis dicendis; quia nullus adeò ægrotat, quin aliquam earum partem dicere possit.

3 Primò dico excusari quem ab Horis dicendis, propter quamlibet impotentiam dicendi partem earum: non enim quis excusaretur, eò quod propter defectum Breuiarij, vel alicuius partis eius, vel cæcitatem, non potest dicere aliquam partem hymnorum, Psalmorum, vel lectionem, quæ memoria non tenet: sicut non excusatur à ieiunando Quadragesimam, eo quòd excusatur à ieiunando aliquot dies, propter impotentiam, vel



vel infirmitatem. Sic Nauar. *cap. quando* Latinè, *cap.*11. *num.*15.

4 Secundò dico non esse dicendum non excusari quem ab Horis, ex eo quòd aliquam partem earum dicere possit, vt patet ratione posita. Sic Nauar.*ibi.*

5 Tertiò dico impotentiam dicendi maiorem partem Horarum excusare ab eis dicendis: tum quia regulariter maior pars trahit ad se minorem, *l.quod maiori pars.ff.ad municip.& c.*1. *de his, quæ fiunt à maiori parte*; tum quia non quælibet impotentia dicendi aliquam partem excusat, nec quælibet potentia dicendi aliquam partem obligat, nec iure quanta definitur: & ita relinquitur arbitrio prudentis, & non videtur occurrere posse aliud aptius arbitrium. Sic Nauar.*ibi.* Hinc

6 Infertur primò, eos qui tenentur audire sacrum, non teneri audire partem paruam, si reliquum Missæ nequeunt audire, sed tenentur ad illam partem, quam verisimiliter præcipiens intendit præcipere. Sic Nauar.*ibi num.*16.

7 Secundò infertur paucos eorum, qui diu Horas recitarunt, excusari ob carentiam Breuiarij, vel cæcitatem, quia pauci sunt, qui memoria non teneant Pater noster, Aue Maria, Credo, Hymnos, Antiphonas omnium Horarum, Psalmos, laudum, & Horarum minorum, & plures Matutinorum Psalmos, quæ faciunt magnam partem. Sic Nauar.*ibi num.*17.

8 Vltimò dico, cæcum consultiùs facturum, si nouit memoriter maiorem partem officij diei, & illam recitat, quàm si reciter integrum alterius diei officium, quod nouit memoriter. Sic Nauar.*ibi num.*23.

## DVBIVM XLVIII

*An qui æger est, ita vt solus recitare nequeat, teneatur adiuncto socio recitare.*

1 VIdetur non teneri, quia nullum ius obligat Ecclesiasticos ad dicendum Horas adiuncto socio, nisi cùm tenentur adire chorum, vel alij beneficiarij conueniunt.

2 Sit conclusio. Infirmus, siue cæcus, siue aliàs impeditus, qui solus nequit recitare, tenetur adiuncto socio recitare, si commodè illum habere potest. Ratio, quia hic potest commodè implere præceptum recitandi: illi enim satisfit recitando adiuncto socio, vt dixi *supra*; ergo tenetur. Sic Nauarr. summa Lat.& Hisp.*c.*25.*n.*100. *& cap.quando, c.*11. Hisp.*n.*2.Lat.*à n.*6.*&* c.21.*n.*14 Palac.4.*dist.*15 *disp.*9 *fol.*147. & multi iuniores docti Magistri.

3 Hinc infertur, quòd si clericus non habet redditus Ecclesiasticos, vel redditus patrimonij, ad cuius titulum est initiatus, quibus socium conducere possit, non tenetur illum conducere, licèt sit ditissimus aliis redditibus profanis. Ratio, quia sic non potest commodè recitare adiuncto socio, cùm nullo iure teneatur redditus merè prophanos in seruitio Ecclesiæ expendere: quare non tenetur hic recitare adiuncto socio, nisi cùm aliquis socius ei gratis se offerret. Sic Nauar. *d. c.quando*, Lat. *cap.*11. *num.*13.*&* 14.

4 Secundò infertur, quòd si hic habet redditus Ecclesiasticos, vel patrimonium, quo initiatus est, sufficiens ad alendum, & ad socium conducendum, qui cum eo reciret, tenetur illum conducere, quando solus nequit recitare. Sic Nauar.*c.quando*, Latinè *c.*21.*num.*14.

## DVBIVM XLIX.

*An qui potest dicere Horas canonicas, potest tamen ab alio audire, teneatur ad id.*

1 SIt conclusio. Certum est non teneri audire. Ratio, quia clericis non est præceptum, vt audiant Horas, sed vt dicant: ergo qui dicere nequit, non tenetur audire, contra quendam Giraldum tenet Nauar.*c.quando, c.*11.Lat.*num.* 6. Hisp. *num.*2.*&* 3 & summa Hisp.& Lat. *c.*25.*num.*100. Sylvest. *verb.Hora,quæst.*4.Palud. 4.*dist.* 15.*quæst.*5.

## DVBIVM L.

*An qui tenentur ad horas, & nequeunt illas dicere, teneantur dicere, vel facere aliquid loco horarum.*

1 DVplex est sententia.
Prima dicit, eos qui tenentur ad horas, & excusantur ob Breuiarij carentiam, vel cæcitatem, vel quia nesciunt legere, teneri ad recitandum aliquid loco horarum. Sic Sylvest. *verb. Hora, quæst.* 4. *dicto* 3. Angel. *n.*9. Armil. *n.*16. Tab.*n.*26. D Ant.3.*part.tit.*13.*cap.*4 §.5. Viguer.*lib.Instit. theolog.c.*5 §.5 *vers.* 4 Turrecrem. *cap. Eleutherius, dist.* 19.*num.*4. Palud.4 *dist.*15.*q.*5. Nauar. *cap.quando, cap.*11.Hisp.*num.*15.16.dicit tamen Sylvest. per minimam orationem hunc satisfacere. At Nauar. dicit teneri toties repetere orationem Dominicam, vel aliam, quoties vir prudens arbitratur: & quòd ipse de hoc consultus arbitratus est, vt per tantum temporis spatium recitaret hic Pater noster, Aue Maria, Credo, Salue Regina, quantum consumeret in horis recitandis.

2 Secunda sententia docet hunc ad nihil teneri. Ratio, quia Ecclesia solùm obligauit clericos, & beneficiarios ad horas canonicas: ergo quando legitimè excusantur ab horis, ad nihil tenentur; sicut qui legitimè excusatur ab audiendo sacro in die festo, ad nil tenetur. Sic Nauar. *c.quando*, Lat.*cap.* 11.*n.*19.*&* 39. Toletus *in sua summa*, & aliqui iuniores docti, & est verissimum.

3 Hinc infertur, accipientes beneficia, dum nesciunt legere, & addiscunt, non teneri ad horas, nec ad aliquid loco horarum recitandum. Sic Nauar. *ibi num.*38.

## DVBIVM LI.

*An ob carentiam Breuiarij excusetur quis à recitandis horis canonicis.*

1 SIt prima conclusio. Qui citra suam culpam caret Breuiario, vt quia illud amisit, &c.& nullo modo potest habere vel commodatum, vel emptum, vel cum alio, aut memoriter recitare, excusatur ab horis. Ratio, quia nemo tenetur ad impossibile. Sic Sotus *lib.*10.*de iust.quæst.*5.*art.*3. Nauar. *cap.quando, cap.*11. Hisp.*n.*15.*&* 16.Lat.*n.*38. Armil.*verb.Hora,num.*16.Sylvest.*verbo Hora,quæst.*4.

2 Secunda conclusio. Imò licèt culpa sua perdiderit Breuiarium, vt quia illud proiecit in mare, licèt tunc peccarit: at si postea pœnitet, nec medium habet, vt possit recitare, non peccat non recitando, quia iam est sibi impossibile recitare. Sic Nauar. summa Hisp. & Lat. *c.*25.*n.*102. Sandoual. *lib. de offic. canon.* 5.*p.cap.*5. Maior 4.*dist.*12.*quæst.*3.

3 Nota idem dicendum esse de eo, qui nesciens Latinè legere, vel recitare, acceptaret beneficium, vel ordinem sacrum, quod licèt acceptando peccarit, at supposito quòd iam acceperit, excusatur ab horis, quando adhibita debita diligentia non potest habere socium, quo cum recitet. Sic Nauarr.*cap.quando,cap.*11.Hisp.*num.*15.*&* 16.Lat.*num.*38. vbi addit idem esse dicendum, quando non tenetur quærere socium, iuxta doctrinam eiusdem Nauarri *supra* traditam *dub.*48.

4 Sed de carentia Breuiarij ob paupertatem dicunt plures excusari ab horis, quia reuera clericus non est emendo Breuiarium ob paupertatem, nec potest adiuncto socio recitare, vel habere accommodatum. Sic Palud. Turrecr. D Anton. Viguer. *vbi suprà.*

5 At Sotus *vbi supra* dicit non esse cur excusatio hæc admittatur, quia cùm nemo ad ordines sit promouendus, quin habeat patrimonium, vel beneficium, ad alimenta sufficiens, nemo clericorum excusatur, si Breuiarium non habeat; quia antequam haberet, non esset promouendus.

6 sit tamen vltima conclusio. Siue benè, siue malè fecerit, dum promotus est in clericatum, carens numis

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad Breuiatium emendum, hoc tamen est certum, quòd si hunc postea pœniteat, excusatur ab horis, dum manet dicta impossibilitas, quia nemo tenetur ad impossibile. Hæc conclusio patet ex dictis *conclus.* 2. & expressè eam docet Nauar. *cap. quando*, Lat. *cap.* 21. *num.* 13.

## DVBIVM LII.

*An urgens alicuius rei faciendæ necessitas excuset ab horis canonicis recitandis.*

1 SIt prima conclusio. Quando subitò superuenit aliqua occupatio, quæ non potuit præueniri, & nequit prætermitti sine scandalo, aut graui propria, aut aliorum iactura, & non compatitur horas recitare, excusat, vt si quis esset per totum diem occupatus in audienda confessione existentis in articulo necessitatis, vel in vitando magno scandalo, vel in componendis grauibus inimicitiis, vel rixis ad arma currentium, ita vt tantùm superesset tempus necessarium ad esum, & somnum. Ita Nauar. *cap. quando, cap.* 12. Hisp. *num.* 3. Lat. *num.* 34. & 35. Turrecrem. *cap. Eleutherius, dist.* 91. *n.* 7. Armil. *verb. Hora, num.* 16. Tabien. *n.* 21. Sylvest. *q.* 3. Maior 4. *dist.* 12. *q.* 3. Nauar. summa Hisp. & Lat. *cap.* 25. *num.* 101. & multi iuniores docti Magistri.

2 Secunda conclusio. Sufficiens etiam causa est ad excusandum ab horis, si quis ita esset impeditus circa infirmos, vel aliter, vt nullatenus superesset tempus ad commodè recitandum. Sic Sotus *lib.* 10. *de iustit. quæst.* 5. *art.* 3. & alij.

3 Tertia conclusio. Boni confessarij, quando est magna pœnitentium copia, vt instat dies vltima Iubilæi, vel præcepti Ecclesiæ, possunt licitè omittere horas, si non possunt recitare, nisi omittendo aliquas confessiones quorundam, qui non consequentur Iubilæum, vel non adimplebunt præceptum Ecclesiæ. Sic Nauar. *vbi supra*, & concordant Armil. *verbo Hora, n.* 16. & Tab. *n.* 21. vbi dicunt, quòd Prædicatores, & confessores, qui propter non impediendum magnum fructum non recitant, excusentur, nisi cùm potuissent præuenire, negligentes essent.

4 Vltima conclusio. Excusatur etiam defensurus actum, vel lecturus lectionem oppositionis, in qua re plurimùm interest, vel sua, vel reipublicæ doctum se præbere, si simul recitare non possit. Probantur hæ omnes conclusiones, quia non magis obligat hoc præceptum, quàm præceptum audiendi sacrum; sed hoc potest omitti ob prædictas causas: ergo. Item quia quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare. Sic Nauar. & Maior *locis citatis*, & idem Nauarr. summa Hisp. & Latina *cap.* 15. *num.* 101. quamuis hoc non facilè consulendum dicat. Idem tenet *cap. quando*, Lat. *cap.* 21. *num.* 7. & Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. *fol.* 148.

## DVBIVM LIII.

*An dispensatio excuset ab horis.*

1 ALiqui dicunt Papam non posse dispensare cum initiatis ordine sacro, nec cum beneficiariis, ne recitent, quia hæc obligatio est de iure diuino, iuxta illud Psalm. 7. *Septies in die laudem dixi tibi*, posse tamen dispensare in modo, scilicet vt hoc, vel illud officium recitent, quia hoc est ius positiuum. Sic Panorm. *cap.* 1. *de celebrat. Missar.* Angel. *verb. Hora, num.* 6. Resella *ibi*, Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. *fine*. Sit tamen

2 Prima conclusio. Papa potest dispensare cum clericis, & beneficiariis ne recitent. Probatur, quia hæc obligatio ex iure positiuo consurgit. Sic Laur & Lignatio, quos refert, & sequitur Syl. *verb. Hora, q.* 8. Margar. confess. *fol.* 162. Palacios 4. *dist.* 15. *disp.* 9. Nauar. summa Hisp. & Lat. *cap.* 25. *num.* 102. & *cap. quando*, Hisp. *cap.* 11. *n.* 8. & 9. Lat. *num.* 24. 25. & 31. & aliqui docti iuniores Magistri.

3 Secunda conclusio. Solus Papa potest in hoc dispensare, & non Episcopus, nec Abbas monasterij. Ratio, quia est præceptum Concilij generalis. Sic Nauar. *cap. quando, locis citatis*. At potest Episcopus, vel Abbas dispensare, vt aliquo tempore non recitet, Manuel 1. *tomo summæ, cap.* 142. *fine*, & patet ex his, quæ diximus *suprà*, vbi de ieiunio, *dub.* 5.

## DVBIVM LIV.

*An excommunicatio, suspensio, degradatio, irregularitas, excusent ab horis.*

1 SIt conclusio. Initiatus ordine sacro, quamuis fiat irregularis, suspensus excommunicetur, vel degradetur, non excusatur ab horis recitandis (de beneficiario verò an per hoc excusetur, latè dixi *lib.* 2. *c.* 2 *dub.* 48.) Ratio, quia hæc obligatio est annexa ordini, qui est indelebilis. Item, quia nemo ex suo delicto facit conditionem suam meliorem, sed id fieret, si hi excusarentur: ergo. Item, quia per hæc priuatur clericus commodis, non autem ab oneribus releuatur. Sic Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. Couar. 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. referens plures, Nauar. *cap. quando, cap.* 7. Latinè, & Hispanè *n.* 17. 18. 19. & summa Hisp. & Lat. *c.* 25. *n.* 102. Palacios *in summa, verb. Hora, &* 4. *dist.* 15. *disp.* 9. Corduba *summa, q.* 186. Sylvest. *verb. Hora, q.* 3. Angel. *n.* 5. Tabien. *n.* 14. Armil. *n.* 12. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 12. Nicolaus de Plouе *tract. de sacerdotali materia, de horis canonicis, vers.* 12. *quæritur*, Turrecr. *cap. qui autem, dist.* 91. *n.* 11. 12. & 13. Sandoual *lib. de offic. canon.* 5. *part cap.* 5. Briaret. *quodlib.* 4. *propos.* 5. & aliqui iuniores docti.

2 Nota primò, quòd excommunicatus non potest dicere officium cum aliis, quia tenetur alios vitare; sed illud debet dicere solus. Sic Doctores omnes citati, imò vt optimè Nauar. *cap. quando loco citato*, docet, Abbatissa excommunicata non potest recitare cum sua moniali, nec Abbas excommunicatus cum suo monacho.

3 Secundò nota excommunicatum recitantem non posse dicere, *Dominus vobiscum*, sed debere illud omittere, quia hoc spectat ad ordinem. Sic Nauar. *cap. quando. loco citato, & cap. quando*, Lat. 22. *n.* 86. & refert Comam, Albertum, Hostiens. Idem Turrecr. Sylu. Tabien. Armil. Angel. *vbi suprà*, Couar. *cap. alma mater*, 1. *p.* §. 3. *num.* 8. & refert Archidiaconum, & Præpositum, D. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 76.

4 Tertiò nota degradatum & suspensum non debere dicere, *Dominus vobiscum*, nec officiare in Ecclesia, quia his est priuatus, cùm sint actus ordinis. Sic Sylu. Angles, Tabien. Armil. Turrecrem. *ibidem*, at possunt hi cum aliis in choro officium soluere, quia hoc non spectat ad ordinem, & tantùm impediuntur ab administratione sacramentorum, & exequutione Ecclesiasticæ iurisdictionis, & à susceptione ordinum. Sic Sotus *vbi suprà*, Nauar. *cap. quando*, Latinè *cap.* 21. *num.* 17. & alij.

## DVBIVM LV.

*An possit subdiaconatus dicere*, Dominus vobiscum.

1 ALiqui dicunt, quòd quicumque tenetur ad horas, potest dicere, *Dominus vobiscum*, vt refert Nauar. *vbi infrà*.

2 Sit tamen conclusio. Non potest subdiaconus dicere, *Dominus vobiscum*, licèt enim non sit canon id prohibés: at generalis vsus Ecclesiæ sic habet, & Breuiarij Pij V. regula id docet in rubricis generalibus, *rubrica de oratione*. Sic Nauar. *cap. quando*, Lat. *c.* 22. *n.* 85. referens Guillerm.



# INDEX

## Rerum, quæ in hoc secundo Tomo Consiliorum moralium continentur.

*Primus numerus librum; secundus libri caput; tertius capitis dubium; quartus denique, & sequentes, eiusdem dubij sectiones margini adscriptas demonstrant: at vbi vnus solus est, numerus is intelligitur esse marginalis dubij proximè prænotati.*


A

ABBATES, vel alij habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, an possint cogere executores testamentarios, vel hæredes ad testamentum exequendũ. li. 4. c. 1. dub. 54. n. 1. 2. 3. 18. & 19

Abbates an possint conferre primam tonsuram, & ordines minores. 7.1.19.5.11. & 12

An verò sit benedictio de substantia, & essentia Abbatis. 6. & 9

Quid dicendum si sui Episcopi culpa non sit Abbas benedictus. 7

Abbatis beneficia quando vacent, vide *Beneficia*.

Abbas à quo debeat benedici, & quibus diebus. 10

Abbates in quo loco possint minores ordines, & primam tonsuram conferre. 13

Quibus verò personis. 14

An verò possint Nouitio ordines minores cõferre, & expediat quòd illis non dent ante professionem. 15

An verò tonsura collata Nouitio ab Abbate, valeat, si ante professionem exeat. ibid.

Et an si Abbates conferant hos ordines sibi non subditis, teneat factum. 17

Quid dicendum si conferant hos ordines sibi subditis extra suum monasterium. ibid. vbi an priuilegium concessum Abbatibus ad conferendum hos ordines, sit absolutum.

Abbas electus, & confirmatus Episcopus (non tamen confirmatus, vel datus administrator Ecclesiæ cathedralis vacantis) potest minores ordines conferre subditis illius Episcopatus. 18

An verò priuilegiũ Abbatibus conferendi ordines cõcessum sit sublatum per Trident. *sess.* 23. *c.* 10. *de reform.* vel possint adhuc post illud ordines conferre. 20. & 22

Abbas an possit dimissorias literas concedere, vide *Dimissoriæ*.

Quam potestatem habet Abbas iurisdictionem habens quasi Episcopalem, & an intelligatur diœcesani nomine, possitque cõpellere negligentes exequi testamentum. 7.1.21.3

An verò det licentiam in sua diœcesi ad audiendas confessiones, reseruet casus, ac possit auctoritatem interponere permutatione beneficiorum. ibid. multò post med.

Abbates, quibus fas est concedere ordines minores an possint illos Dominicis & festis conferre. 7.1.52.9

Et meliùs facient, si his diebus illos cõferant. ib. fine.

Abbates iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, an possint cum suis subditis in interstitiis dispensare, vide *Interstitium*.

Abbas an possit dispensare cum clericis beneficiariis ne recitent. 7.2.53.3

Abbas excommunicatus non potest cum suo Monacho recitare. 7.2.54.2

*Abbatissa* legens Monialium literas non peccat. 6.6.3.2

Abbatissa à quo debeat benedici, & quibus diebus benedici possit. 7.1.19.10

Abbatissa excommunicata non potest cum sua Moniali recitare. 7.2.54.2

*Absoluendi* potestas quando detur Sacerdoti, & an supponat essentialiter potestatem consecrandi, vide *Potestas*.

*Abstinentia* carnium an sit de essentia ieiunij. 5.1.29.1

*Accusare* delictum, quod quis sufficienter probare non potest, an sit licitum. 6.1.28.1

Accusare iterum, quod semel est accusatum an sit licitum. 2

Accusare an liceat facienti pactum, vel iuramentum de non accusando. 6.1.29.à 1. ad 4

Accusare quinam prohibeantur. 6.1.30.1

Quid quando crimen est priuatum, & nulla pœna debetur fisco. ibid.

Et quid quando contra bonum commune, vel contra aliquam legem, cuius violatio non est in iniuriam tertiæ personæ, & accusans est infamis, vel excommunicatus. 2

Quid de clericis in causa sanguinis, an saltem possint denunciare. 3

In quibus criminibus possint laici accusare clericos. 4

Subditi an possint accusare Prælatos, & serui dominos. 5

*Accusatio* vel denunciatio an fieri debeat in scriptis etiam quando crimina sunt leuia, vel notoria. 6

Accusatio quando sit sub præcepto. 6.1.26.3. & 4

Quòd discrimen sit inter denunciationem Euangelicam, & accusationem. 1

Quænam sint viæ cognoscendi crimina, & in iis procedendi. ibid.

Quomodo diffiniatur accusatio. 2

Quid dicendum est in causa priuata, vel quando crimen est contra bonum commune, vel quando nequit probari. 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

# Index Rerum.


An possit quis in causa propria compelli à iudice, vt declaret coram illo quis sit offensor, & reus. 5
Et quid si crimen sit homicidij. 6
Ad recuperandum damna quæ quis accepit an teneatur quis iudicè denunciare, præsertim si sit pauper, & alia via nequit sustentare familiam, nisi recuperando quod illi dabitur in recompensationem iniuriæ. 7
Accusationem an necessariò debeat præcedere secreta monitio. 6.1.27.à 1.ad 6
Quid quando accusatio sit ab homine in causa propria. 4
Et quid quando crimen est publicum, & iudex iubet accusari. 5
Quid quando est occultum, & contra bonum commune. 6
Et quid si quis extrusit quòd proficiet sua monitio, vel non sit omnino certus. ibid.
Accusationis via vt procedatur contra aliquem quidnam requiratur. 6.3.17.4
Accusationem abolere, vel accusatorem impedire, ne illã prosequatur, an possit Princeps supremus, siue sit accusatio de iniuria publica, siue de priuata. 6.4.16
*Accusator* quando non inuenitur, an possit adhuc iudex damnare, vide *Iudex*.
Accusatoris vicem quidnam habeat. 6.1.20 5.
Accusator an teneatur probare delictum. 6.1.26.1
Accusator an possit desistere ab accusatione de crimine Reipublicæ pernicioso, quod tenebatur accusare. 6.4.1.4
Quid si accusatio sit de causa propria. 5
Accusatoris vicem an, & quando habeat criminis quid, vide *Crimen*.
*Acolytus*, vide *Ordo*.
Acolyti munus quòdnam sit. 7.1.17.6
*Aduiteri* an gaudeant immunitate Ecclesiæ, ita quòd si ad illam confugiant, non possint abduci. 6.1.8.26
In Adulterio deprehensus an sit infamis infamia iuris ciuilis, vide *Infamia*.
*Aduocationis* officium an sit interdictum hæretico, Pagano, excommunicato, religioso, clerico, iudici, vel assessori in eadem causa, surdo, muto, cæco, furioso, minori 17. annis, seruo, fœminæ, sodomitæ, damnato capitali crimine, vel calumnia publici iudicij ei, qui suas operas locauit, vt pugnaret in arena cum bestia, vel si hoc faceret causa vires ostendendi infamibus, & amotis à senatu. 6.7.2.1
*Aduocatus* an teneatur sub mortali patrocinari pauperi constituto in extrema, vel in graui necessitate. 6.7.1.2.& 3
An teneatur Aduocatus ad subueniendum grauiter indigenti se expedire ab aliis negotiis, vel illud tempus consumere, quibus ad alendum se & familiam suam indiget. ibid.
Aduocatus an teneatur patrocinari pauperi quando alius sit in promptu, quis possit subuenire. 5
Aduocatus, vide *Patrocinari, Causidicus, Testis, & Peccatum*.
Aduocatus habens causam iustam, an possit aduersarium decipere, & cauillationibus vti. 6.7 8.1
Aduocato non licet pacisci de salario cœpta lite, sed tantùm in principio, vel fine. 6.7 9.1
An verò si fieret ab Aduocato pactum in medio litis, absque vi, & scandalo, & esset iustum, peccaret. 2
Aduocato non licet de aliqua parte litis sibi danda, vt medietate, tertia, &c. 3
Aduocato an liceat pacisci de certa re sibi danda super qua est lis. 5
Aduocato an liceat pacisci de aliquo dando, hac conditione, *si victoriam in lite obtinuerit*, vel de certa quantitate danda, siue vicerit, siue non. 6
Quid dicendum si esset quid paruum, quod promitteretur sub conditione, *si vinceret litem*. 7
*Ætas* requisita ad sacramentum ordinis quænam sit, vide *Ordo*.
Ad dignitatem habentem curam iurisdictionalem spiritualem in foro exteriori, vide *Dignitas*.
Ad canonicatus, & portiones, vide *Canonicatus, & Portiones*.
*Agricolæ* an possint in festis aliqua facere cessante necessitate. 4.2.11.11
*Alienatio* facta ab Ecclesia sine debita solemnitate, quãdo Ecclesia reuera non est defraudata, an sit in foro conscientiæ valida, ita vt is in quem res Ecclesiæ alienata est, non teneatur in conscientia rem illam restituere, antequam in foro externo ad id compellatur, vel possit illam retinere, donec sibi soluatur id in quo Ecclesia locupletior facta fuit. 4.1.15.6
*Alimenta* an sint danda spuriis secundùm naturæ necessitatem, vel etiam secundùm status decentiã. 4.3.34.3
An verò in his alimentis præstandis sit habenda consideratio ad omnes personas, quas spurius alimentandus tenetur alere. 4
Et an ad personam vxoris. 5
Et ad liberos spurij. 6
Et an ad ancillas, & seruos spurij, quibus iuxta suum statum indiget. 7
Alimenta filiis spuriis relicta an stando in iure communi pertineant ad eorum hæredes, vel tantùm spurij in vita sint vsufructuarij, & ipsis mortuis redeant ad patres, & eorum hæredes. 4.3.35.2
Quid verò dicendum stando in iure regio. 3
Alimenta an morte spurij finiantur, quando pater legat spurio quid annuum, vel annuos redditus ad alimenta. 4.3.36.3
Alimentis vtens, quibus homines communiter vtuntur, & in ea quantitate, quæ solet sat esse ad valetudinem conseruandam, an peccet, si percipiat ex hoc abbreuiare vitam notabiliter. 5.1.33.3
Alimenta præstanda ab Episcopo ordinante sine beneficio, vel patrimonio, vide *Episcopus*.
*Amens* perpetuò an possit ordinari, vide *Ordo*.
*Animarum* cura quotuplex sit. 7.1.33.10
*Animus* perpetuò habitandi absque decennali habitatione, an constituat aliquem naturalem. 4.2.19.2
*Aperire* alienas literas an sit mortale, vide *Litera*.
*Appellari* an possit à Petro si malè arbitretur, cùm testator dicit, dubius sum de aliquibus contractibus, quos iniui, an iusti sint, vel an aliqua debeam, iudicet hoc Petrus. 4.1.61.1
Appellare an liceat spe obtinendæ æquioris sententiæ quando dubitatur an inferioris sententia sit iusta, vel lata secundùm probabiliorem sententiam. 6.4.2.1
Quid si reus certò cognoscat se iustè esse condemnatum, vel secundùm probabiliorem sententiam. 2
Appellare, vide *Reus*.
Appellare an possint partes, quæ grauantur, si iudex recusatus assignet arbitris minus competentem terminum, & ad quem sit appellandum, si arbitri nollent pronunciare illo termino assignato, vel malè pronuncient. 6.8.3.29
Appellari an possit ad suum Archiepiscopum quando Episcopus non vult dispensare in interstitiis cum suo subdito, intercueniente iusta causa ad dispensandum, vide *Interstitia*.
*Appellatio*, & appellationis prosequutio, an possit fieri in festis. 5.3.27.4
Appellatio an admittatur ex communi consuetudine ad executionem pœnæ impediendam quando corporalis pœna est infligenda. 6.4.4.3
An sint aliqua crimina, in quibus appellatio non sit admittenda, siue quis sit confessus tantùm, siue conuictus tantùm. 4
Appellatio, vide *Societas, & Prælatus*.


An

# Index Rerum.


An verò quando causa committitur appellatione remota, intelligatur nisi sit grauis, & iusta appellandi causa. 6.8.2.24
Appellatio an sit reo concedenda si appellet à tortura, vide *Reus*.
Appellatio non est quando canon concedit iudici facultatem dispensandi, si dispensare nolit. 7.1.55.21
*Arbiter*, vel arbitrator electus à partibus an teneatur acceptare officium. 4.1.42.2
Et an peccet mortaliter, si non acceptet. 4.& 10
Quid verò dicendum si tacitè, vel expresè acceptauit. 6
Quando autem dicatur tacitè acceptare. 7
An verò compellatur acceptare si aliquid in testamento ei relictum sit, vel si non acceptet amittat legatum. 11
Et quid si testator motus ex hac causa legatum reliquisset. 12
Arbiter an possit esse infamis, vide *Infames*.
Arbiter nullam habet dignitatem, nec iurisdictionem, sed meram, & simplicem cognitionem. 6.3.5.11
Arbitros eligere quinam teneantur stando in iure communi, vt cognoscant de causa iusta suspicionis, ob quam iudex recusatur, & an debeant partes conuenire, vel sat sit vt vna eligat vnum, & alia alterum arbitrum: & an oporteat, vt arbitri sint ex eodé loco, vel sat sit ex alio, qui non sit remotior vltra vnam diætam, & an hi arbitri possint esse laici; ac sufficiat vnus arbiter de consensu partium. 6.8.3.22
An sint eligendi arbitri quando iudici opponitur aliquod vitium, quod eius personam afficiat. 23
An sint aliqui casus in quibus non recurratur ad arbitros. à 24.ad 28
Arbitri debent assignare terminum partibus ad probandum recusationis causam. 6.8.3.29
An verò si duobus arbitris discordantibus eligatur tertius, sit standum istius tertij sententiæ. 30
Arbitri an possint finita sententia super recusationis causa, cognoscere de causa principali. 31
*Arbitrium* boni viri, quid differat à libera voluntate. 7.1.55.5
Quæ verba importent liberam voluntatem, & quæ arbitrium boni viri. à 6.ad 17.inclusiuè
*Archiepiscopus* an differat à Papa, Episcopo & Patriarcha potestate ordinis & iurisdictionis, vide *Papa*.
Archiepiscopus in quo loco debeat consecrari, vide *Consecratio*, vbi multa alia circa hoc.
In quo loco debeat vti Pallio, vide *Pallium*, vbi alia multa.
An verò si Pallium non petat intra tempus legitimum, possit remoueri, si accusetur, & intra quod tempus illud debeat petere. 7.1.16.3
Et an possit ante Pallij receptionem delegare aliis Episcopis, vt consecrent Episcopum sibi suffraganeum. 14
Archiepiscopus electus, & confirmatus, si petat Pallium à Papa, à quo die incipiant illi currere tres menses absentiæ à Tridentino concessi. 15
Archiepiscopus an possit sibi non subditum ordinare in aliquo casu sine licentia proprij Episcopi. 7.1.20. 19.& 20
Quos familiares ordinare possit. 21
An verò possit ordinare suos subditos in diœcesi Episcopi suffraganei absque eius licentia. 30
ad Archiepiscopum an possit appellari quando Episcopus non vult dispensare in interstitiis intercueniente causa iusta ad dispensandum, vide *Interstitia*.
*Archimagistri* an peccent in diebus festis designantes in charta quomodo aliquid sit fabricandum ad instituendum aliquem de futuro opere. 5.2.6.7
*Arma* legibus vetita an possit auferre iudex à fugientibus ad Ecclesiam. 6.1.14.1
*Ascedentes*, vide *Testis*.
*Assessor*, vide *Aduocatio*.
*Assignatio* vnde solutio debeat fieri, an limitet dispensationem. 4.2.17.2
*Attentio*, intentio, & deuotio quid sint, & in quo differant. 7.2.28.2
Attentio quæ in oratione vocali potest adhiberi, quotuplex sit. 3
An peccet mortaliter orans absque attentione interiori, distrahendo se data opera ad alia quando occurrit præceptum diuinum de oratione. 8
An verò teneatur ad attentionem interiorem sub mortali, qui ex præcepto Ecclesiastico tenetur ad horas canonicas. 9
Attentio virtualis an sufficiat, vel sit necessaria actualis ad consequendos omnes orationis effectus. 13
An verò sufficiat quæcumque trium harum attentionum, scilicet ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum, vt satisfiat præcepto recitandi. 16
Attentio, vide *Horæ canonicæ*.
*Auditores* an possint recusari, vide *Iudex*.
Auditores Regij, qui futuri sunt iudices, quomodo sint informandi, vt iustitiam religionis tueantur quando ordinarius recurrit ad cancellariam, vel Regium senatum causa vim auferendi, quam sibi putat inferri. 6.9.5..8.& 9
*Auus* an possit instituere hæredem nepotem ex filio spurio. 4.3.45.2.& 10. quem omnino videas.
Quid verò dicendum si iste nepos sit etiam filius. 3
Vel sit in potestate patris spurij. 5
Et quid si talis nepos sit natus ex filio clerici. 7
Quid verò dicendum si auus habeat sobolem legitimam. 8
Vel filios legitimatos ex rescripto Principis. 9
Vel nepos ex filio spurio careat patre, vel illum habeat. 10
Auus quando censeatur. 11
*Auxilium* præstare vinctis ob aliquod delictum sine aliqua violentia, & sine ordine ad illam, an liceat iustitiæ ministris, vel aliis. 6.4.10.1. & 2. vbi limitatur.
Quòd si vincti non sint ob delicta, sed ob debita, vel ob aliam obligationem. 6


## B


*Baptismi* essentia an sit inuocatio Trinitatis. 7.1.1.9
*Barbitonsores*, vide *Ieiunare, & Chirurgi*.
Barbitonsores tondentes barbam in festis sartores perficientes vestes, sutores calceos circunscindentes, & textores instrumenta texendi præparantes, an excusentur à peccato ex consuetudine. 5.2.21.1
An verò ratione necessitatis. 2
Vel ex paruitate materiæ. 3.& 4
Vel propter aliquas causas. 7
Quid verò dicendum de barbitonsoribus qui residẽt in oppidis agricolarum, vel aliunde veniunt. 6
*Bellum* hostibus inferre an teneantur ciues, qui dubitant de eius iustitia Rege id præcipiente. 6.3.31.4
*Benedicere* an sit munus sacerdotis, Episcopi, vel Archiepiscopi. 7.2.17.10
*Beneficij* collatio facta infami infamia iuris, vel facti, an sit ipso iure nulla. 6.3.5.10
ad Beneficia Ecclesiastica an possint promoueri illi, quibus per Principes infamia est ablata. 6.3.6.27
Beneficia Episcopi, vel Abbatis quando vacent. 7.1.19.8
Beneficij impetratio est subreptitia si promotus ab alieno Episcopo cum spe ratihabitionis proprij imperret beneficium à Papa, non exprimens sic esse promotum. 7.1.20.16. post med.
Beneficia omnia an petant residentiam. 7.1.23.6

Universidad de Deusto
Biblioteca

# Index Rerum.

An verò sufficiat quodlibet beneficium, etiam residentiam non petens, vt ratione illius quis ordinari possit. 8
An ad acquirendum domicilium sufficiat quodlibet beneficium. 2.& 7
Beneficium habens in vna diœcesi subiectum Episcopo alterius diœcesis, an possit ordinari ab Episcopo in cuius diœcesi est beneficium. 12
Beneficiũ proximè habendum non sufficit vt quis possit ordinari ab Episcopo de cuius diœcesi non est. 13
Beneficium, vide *Domicilium*.
An requiratur beneficium ad ordines, vide *Ordo, Ordinari & Ordinandus*.
Beneficium impetrans, an sat sit, vt narret se esse clericum talis diœcesis, si in illa habeat solum beneficium residentiam requirens, & alibi sit oriundus. 16
Beneficij collatio ante ratihabitionem proprij Episcopi facta ordinato minoribus ordinibus ab alieno Episcopo sine licentia proprij, vel ordinato ante legitimam ætatem, an teneat stando in iure communi. 7.1.28.6
Beneficij an sint capaces ordinati minoribus ordinibus cum literis dimissoriis capituli sede vacante infra annum stando in Trid. *sess.7.c.10.de reform.* 13
Beneficium curatum, quam ætatem requirat. 7.1.33.10
Beneficij renuntiatio ad cuius titulum quis ordinatus est, an teneat, vide *Renunciatio*.
An liceat ad beneficium admittere nescientem recitare horas canonicas, vide *Horæ canonicæ*.
An verò requiratur eadem scientia ad beneficium simplex, ac ad primam tonsuram, vide *Scientia*.
Beneficio quotuplex possit annecti ordo, quando ille requiratur tempore collationis, vide *Ordo*.
Beneficium requirens ex fundatione, vel aliàs sacerdotium, non potest conferri initiato prima tonsura, nisi minores ordines habeat, & possit intra annum promoueri. 7.1.48.4
Quid dicendũ si beneficium simplex requirat ex fundatione sacerdotium actu, & Episcopus dispẽset cũ consensu patroni, vt detur nõ sacerdoti. ibid.
Beneficium habens aptitudine ordinem sacrum annexum ex priuilegio, consuetudine, vel statuto, quam ætatem requirat. 6
Beneficia collegialis, vel cathedralis Ecclesiæ, quibus varia onera exercendi sacrum ordinem sunt annexa, quam ætatem requirant. 8
Beneficia simplicia, quam ætatem requirant. ibid.
Beneficium, vide *Capellania*.
Beneficia accipientes dum nesciunt legere, & addiscunt, non tenentur ad horas canonicas, nec ad aliquid loco illarum. 7.2.50.3.
Quid dicendum de acceptante beneficium, dum nescit latinè legere, aut recitare. 7.2.51.3.
*Bigami*, vel *Clerici*.
*Blasphemus* non hæreticus an gaudeat priuilegio ne ab Ecclesia extrahatur. 6.1.8.1
Blasphemi publici an sint publicè corrigendi à personis priuatis. 6.3.42.3
*Bona* donare, vel ad libitum de eis disponere an possit qui donationem irreuocabilem fecit medietatis bonorum, quæ tempore mortis habuerit, apposita clausula, quòd ex tunc se desistit, & priuat dominio horum bonorum, seque constituit tanquam inquilinum. & vsufructuarium illorum. 4.1.29.2
Bona filiorum deducto tertio an sint legitima parentum. 4.1.35.3
Bonorum Ecclesiasticorum quænam pars sit fabricæ. 4.2.14.1
Bona fabricæ, vel legatum fabricæ relictum an possint expendi pro ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis. 4.2.14.3
Bona quæ pater reliquit hæredi sub fideicommisso, vt daret spurio an lata sententia per iudicem, vt restituantur, sint restituenda fisco Ecclesiastico, vel sæculari. 4.3.12.1
*Breuiarij* carentia an excuset ab horis canonicis, & quam breuiarij formam in recitando teneamur sequi, vide *Horæ canonicæ. & Recitare*, vbi alia.
*Bulla*, vide *Consecratoriæ literæ*.
Bulla quæ conceditur Religioni, vt possit conseruatorẽ eligere, & quòd habeat tantum facultatem, quam in literis inhibitoriis dicit se habere, an sit inserenda in literis inhibitoriis à conseruatore expeditis, & an etiam sit inserenda bulla exemtionis ipsius Religionis, & an bulla conseruatoria exhibita, sufficienter ostendatur Religionis exemptio. 6.9.5.4.& 6

## C

CÆcus an possit esse Aduocatus, vide *Aduocatio*.
An teneantur cæci ad horas canonicas, v. *Horæ canonicæ*.
*Canonicæ* Horæ, vide *Horæ canonicæ*.
*Canonicatus*, vide *Ordo*.
Quémnam ordinem sacrum habeat annexum, & quænam ad canonicatum requiratur ætas. 7.1.48.7.& 8
An requiratur ad illum actum sacer ordo ibid.
*Cantans* in choro, vide *Recitare*, & *Horæ canonicæ*.
*Canticum* graduum vide *Recitare*.
*Capellanam* habens Ecclesiæ collegialis, ex cuius cõstitutione tenetur Capellanus assistere horis, dimidium distributionis amittit, quas haberet assistens horis, si non promoueatur intra annum. 7.1.48.7.post.med.
Capellania non requirit actu ordinem sacerdotalem, sed potest dari non sacerdoti, si eam fundans ex propriis bonis petat, vt capellanus dicat tot Missas in hebdomada. 7.1.48.14
Quid dicendum si fundator nominauit non sacerdotem. ibid. post med.
Capellaniæ, quæ ex testatoris dispositione est conferenda illi, qui quotidie celebret, potest seruiri per alium. ibid.
Capellaniæ, vel beneficio facta sacerdoti annexio in dubio censetur per modum aptitudinis. 15
Quid dicendum si testator, vel fundator beneficij dicat velle, vt qui illud debet obtinere sit sacerdos, vel quòd ad illam præsentandus, sit Presbyter, vel quòd nõ præsentetur nisi Presbyter. ibid.
Capellania ex fundatione petens quòd ad eam præferatur agnatus in sacerdotio constitutus, & in eius defectu parochus, si collata sit parocho in defectu agnati sacerdotis, non est ab ea parochus expellendus, si postea agnatus sacerdos fiat. 17
Et idem est dicendum si appellauerit agnatus à præsentatione facta de Parocho, & appellatione pendente fuerit factus sacerdos. ibid.
*Capellanus* adstrictus ad facienda sacra, non tenetur, nec potest ab Episcopo compelli, sed potest per alium sacra facere. 13
Capellani comitantes thurificaturum altare an teneantur dicere Antiphonam, & Magnificat, quæ interim in Choro dicuntur, vide *Recitare*
*Capitulum* sede vacante an possit cogere executores testamentarios, & eis negligentibus, exequi testamentum 4.1.54.20
An verò hoc possit Capitulum Episcopo absente, vel infirmo. 21
Capitulum an possit sede vacante literas dimissorias concedere. 7.2.20.36
Quid dicendum si quis intra annum vacationis literis à capitulo obtentis initietur. ibid.
Quibus in casibus eas possit concedere. 30



# Index Rerum.

An ad titulum recipiendi gradum licentiati in Theologia. 38
Capitulum potest sede vacante ante annum lapsum licentiam concedere alicui Episcopo, vt in ea diœcesi ordinet alienos habentes dimissorias proprij Episcopi, aut sui Prælati regularis, vel personas eiusdem diœcesis habentes dimissorias Episcopi mortui, vel nuncij Apostolici, vt à quocumque Antistite ordinentur. 7.1.26.2
An verò capitulum sede vacante comprehendatur nomine ordinarij. ibid.
Capitulum an possit sede vacante dum concedit reuocandas, dispensare in interstitiis, vide *Interstitia*.
*Captura*, vide *Reus*.
*Captus*, vide *Carcer*.
Captus extra Ecclesiam si per illam ducatur ad carcerem poterit inuitus extrahi. 6.1.8.9.& 10
Captus extra Ecclesiam si à ducente ad carcerem se eximeret, & ad Ecclesiam confugeret, an possit abduci. 6.1.8.11
*Carcer*, vide *Fugere*, *Vinctus*, & *Consulere*.
in Carcere existens si obtineat licentiam exeundi præstito iuramento de redeundo, si ad Ecclesiam confugiat, an possit ab illa abduci. 7.1.8.12
Carcerem effringere, ac perforare, ac eius vincula disrumpere ad fugiendum an liceat, vide *Reus*, vbi alia.
Carcerem perforare nulli licet nisi reo. 6.4.10.3
ad Carcerem redire an teneatur iustè vinctus, si dimittatur sub iuramento, vel fide præstita de redeundo, quamuis verisimiliter sciat mortis periculo se exponere. 6.4.16.1
Quid si promittat redire absque iuramento, & carcer sit iniustus. 2
Et quid si carcer sit iniustus, & iuret se rediturum. 4
An hic possit petere relaxationem iuramenti ab Episcopo. ibid. ad fin.
Carceris custodes an liceat iniustè damnato occidere si aliter pœnam euadere nequeat, vide *Damnatus*.
*Cardinalium* officia quotuplicia sint. 7.1.10.5
An verò sit maior Cardinalis Presbytero, Episcopo, considerata potestate ordinis. 6
Et quid si consideretur potestas iurisdictionis. 7
Quid dicendum si consideretur Ecclesiæ vniuersalis regimen. 8
Cardinales Presbyteri conferunt ex consuetudine primam tonsuram, & ordines minores. 7.1.19.4
An verò hoc possint post Trident. *sess. 23. cap. 10. de reform.* 21
Cardinalium Collegium an possit sede vacante dimissorias concedere, vide *Dimissoria*.
*Cardinalatus* non est ordo, nec sacramentum. 7.1.10.2
Quo iure sit institutus. 3
*Carnes*, vide *Necessitas*.
Carnes non edere in extrema necessitate an possit qui votum emisit de abstinentia perpetua, vel solùm promisit nunquam edere carnes, ob bonum abstinentiæ. 5.1.34.9
Carnes edere an possit morbo laborans, qui vouit non edere carnes. 10
*Carthusienses* an habeant aliquod votum de abstinentia à carnibus in extrema necessitate, vel aliquod statutum ad id obligans. 2
An verò teneantur edere carnes in extrema necessitate. 5.& 6
Et an possint illas edere, & si edant, an possint puniri pœna statuti. 7
Quid verò dicendum si fecissent votum talis abstinentiæ. ibid.
An verò possint publicè illas edere. 8
*Caupones*, vide *Hospites publici*.
*Causæ* Ecclesiasticæ, an sat sit, si committantur personis in dignitate constitutis, vel canonicis, licèt post-
ea desinant esse. 4.1.26.4
Causa sufficiens ad absolutam dispensationem in ieiunio quænam sit. 5.1.6.2.& 5.1.1.16
Causa an requiratur maior ad dispensandum in esse carnium, quàm in lacticiniis, & ieiunio. 5.1.6.8
Causa, vide *Obseruatio omnium festorum*.
Causæ ob quas possit iudex remittere pœnam in lege statutam, vide *Iudex an possit dispensare*.
Causa iuridica, quænam dicatur, & an aliquando hæc causa appelletur iudicium, vel sententia. 6.3.8.1
Causa iudicialis quotuplex sit. 2. vbi quænam sit causa Ecclesiastica, quæ sæcularis, quæ ciuilis, quæ criminalis, quæ mixta.
An verò criminalis causa tantùm dicatur quando pœna est corporis, vel etiam quando pœna est pecuniaria, & applicatur fisco per modum pœnæ. & vindictæ publicæ. ibid.
Causæ fauorabiles quænam dicantur. 3
Causa indirecta quando imputetur ad culpam. 6.4.13.4. circa fin.
Causæ pertinentes ad forum Ecclesiasticum an in prima instantia cognoscantur dumtaxat coram ordinariis locorum. 6.9.5.12
Vbi explicatur c.20. Trident. *de reform.*
*Causidici* an possint in die festo vti scribentibus pretio dato, qui scribant iuris informationes, quas ipsi ordinant. 5.2.8.5
Causidicus, vide *Aduocatus*.
Causidicus qui nouit iustitiam, vel iniustitiam causæ, non potest vtramque causam tueri, actoris scilicet, & rei. 6.7.7.2
An possit in aliquibus casibus vtramque tueri vbi causa est anceps. 3
*Cautela* optima ad relinquendum aliquid filiis spuriis, vide *Pater*.
*Censura*, vide *Excommunicatio*.
*Character*, vide *Ordo*, & *Episcopalis*.
*Chirurgi*. & barbitonsores scindentes venas in die festo an peccent. 5.2.18.8
*Chorepiscopi* quinam, & quotuplices sint, & an possint subdiaconum ordinare. 7.1.18.11
*Cibum* condire, & igne parare an liceat in diebus festis. 5.2.18.2
Cibo nociuo vtens, vide *Inedia*.
Cibos porrigere reo damnato ad mortem famis an omnibus liceat, vide *Reus*.
*Citari* debet pars contra quam testificatur socius. 6.5.15.3.ad fin.& 6.5.19.2
*Citatio* facta die non feriata pro die feriata, an teneat. 5.2.27.8
Cum quadam limitatione. 9
Citatio facta die feriata pro die non feriata, vel præceptum de citando, vel actus factus virtute talis citationis, an teneat. 10
*Citatus* an teneatur comparere, quando est dubium, an teneat citatio. 27.11
*Clamorosa* insinuatio, vide *Fama*.
*Clausula* apposita in breuibus de capienda possessione, vt prouisus teneatur intra sex menses literas expedire, & iura Cameræ persoluere, quomodo sit intelligenda. 4.1.51.12
Clausula generalis Papæ an deroget conditioni appositæ à laico, vel clerico tempore fundationis. v. *Papa*
*Clericus*, vide *Exequutores*.
Clericus, vel quicumq; alius habens filiam spuriam, an possit maritum spuriæ instituere hæredem, vel ei donare, & similiter si habeat filium spurium an possit vxorem spurij instituere, vel ei donare. 4.3.42.2
Clericus, vide *Tutela*.
Clericus an possit reconueniri coram iudice sæculari in causis spiritualibus. 6.1.1.1
An verò criminaliter. ibid. in fin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# Index Rerum.


Et an in causis ciuilibus. 1.2.3.& 4
Clericus an possit reconueniri coram iudice sæculari in causis criminalibus. 6
An possit conueniri coram iudice laïco si ipse clericus consentiat cum sui Episcopi consensu. 7
Et quid si sæcularis apud suum iudicem queratur de Clerico quòd eum infamat, & petat vt eum liberet ab infamia orta ex alterius iactantia iniusta. 10
Clericus citatus à iudice sæculari an teneatur coram eo comparere ad allegandum fori priuilegium. 12
An verò peccet mortaliter respondendo coram iudice laïco. 13
Clericus captus à iudice sæculari an debeat remitti ad Ecclesiasticum iudicem pendente lite super clericatu. 17.ad fin.
Clericus, vide *Index sæcularis, Testis, Tutela.*
An verò clericus habeat domicilium ratione beneficij in eo loco, vbi beneficium habet, & an ob id amittat domicilium in aliis locis vbi de iure habebat, vide *Domicilium.*
Clericus in sacris constitutus, qui est laïci hæres, an possit vocari ad iudicium fori sæcularis, ratione illius hæreditatis. 6.1.2.1
Clericus an possit renunciare fori priuilegio, & se subiicere iudici sæculari iudicandum. 6.1.6.2
Quid dicendum si renunciet priuilegio. 3
An verò possit se subiicere iudicis arbitrio. 4
Clerici quomodo possint defendere reum ne extrahatur ab Ecclesia. 6.1.7.1
Clerici an habeant priuilegium ne ab Ecclesia extrahantur respectu iudicum Ecclesiasticorum. 6.1.8.6
Clerici in causa sanguinis an possint accusare, vel denunciare. 6.1.30.3
An verò possint laïci accusare clericos, vide *Laici.*
Clerici an teneantur ad denunciationem faciendam etiã in causa sanguinis. 6.2.10.2
Clericus denuncians crimina, quæ sunt in graue reipublicæ, vel alicuius priuati damnum, an incurrat irregularitatem. ibid.
Clericus, an possit esse Aduocatus, vide *Patrocinari.*
An verò peccet mortaliter clericus in sacris constitutus, vel in minoribus, cùm habeat beneficium si patrocinetur non semel, aut bis, sed sæpè ex professo præter casus concessos. 6.7.4.2
Clericus potest exercere tabellionis officium apud curiæ Romanæ Ecclesiastica tribunalia, licèt sit in sacris constitutus, & beneficium habeat. 6.7.5.6
An verò clericus in sacris constitutus esset tabellio in aliis tribunalibus Ecclesiasticis. 7
Quid dicendum si clerici sint in minoribus constituti, & beneficium Ecclesiasticum habeant. 8
Et quid si hi clerici beneficium non habeant. 9
Clerici etiam Presbyteri an possint torqueri. 6.8.2.11
An sint degradandi ante torturam. 13
Et an sit clericus mitius torquendus, quàm laïcus. 14
An requiratur infamia, vt clericus possit torqueri. § 8.& 9
Clericus non tenetur soluere gabellam de bonis patrimonialibus, ad quorum titulum sacerdos ordines recipit. 7.1.36.1
Clericus peregrinus malè faciet si celebret publicè in aliena diœcesi, absq; licentia Episcopi illius diœcesis, & literis commendatitiis sui Episcopi. 7.1.47.1
An incurrat aliquam censuram celebrando sine prædictis literis, & dicta licentia. 2
An verò si clericus sit notus, vel fuerint illi datæ à proprio Episcopo literæ dimissoriæ ad sacerdotium suscipiendum, indigeat literis commendatitiis sui Episcopi. 3
Et an indigeat prædictis literis ad hoc, vt possit secretè admitti ad celebrandum. 4
in Clericali habitu essentiale, & potissimum est tonsura, reliqua verò sunt comitantia, & velut extrinsecè annexa, & coniuncta cum statu. 7.1.49.1
Clericis quædam vestes sunt interdictæ. 2
Quæ vestes sint honestæ, & verè clericales. ibid.
Clerici minorum ordinum, qui beneficium non habent non peccant dimittendo omnino habitum, & tonsuram 3
Quænam his clericis liceant. ibid. prope med.
Quid dicendum si hi clerici velint clericaliter viuere. 4
An peccent venialiter contrafaciendo. 5
Clericis in minoribus ordinibus constituris non licèt portare tonsuram si velint publicè in statu sæculari clericatu repugnante viuere. 6
Clerici minorum ordinum si bigami fiant tenentur non deferre tonsuram, & habitum. 7
Quid dicendum si hi bigami sint Religiosi. ibid.
Et quid si sint irregulares. 8
Clericus minorum ordinum beneficium habens an peccet mortaliter non deferendo habitum, & tonsuram. 11.& 14
Quid si dimissio habitus fiat propter aliquam necessitatem 15
Quid si ad breue tempus. 16.& 17
Quid si beneficium esset tenue. 18
Clerici in sacris constituti an peccent mortaliter omittendo habitum, & tonsuram. 13.& 14
Quid dicendum si dimissio habitus fiat propter necessitatem. 15
Quid si ad breue tempus. 16.& 17
Clericis in gymnasiis studiorum causa versantibus an liceat quouis habitu, & cuiusuis coloris vti. 19
Clerici minoribus ordinibus initiati an teneantur ad horas canonicas, vel ad aliquid aliud, vide *Horæ canonicæ.*
Clericos recitantes an oporteat esse nimis scrupulosos casu, quo putant, se vel non integrè pronunciasse, vel aliqualiter syncopasse, vel verba aliqua non voce, sed gutture dixisse. 7.2.12.3
Clerici sæculares tenentur sequi in recitando ritum suæ matricis Ecclesiæ. 7.2.23.2. circa med.
Clerici vnius Ecclesiæ an possint semel, aut iterum vel in perpetuum horarum canonicarum tempus mutare. 7.2.42.7
Clericales vestes, vide *Clericus.*
*Coadiutor* beneficiarij, qui futurus est illius successor potest ordinari solo hoc titulo. 7.1.35.4
An verò hic coadiutor sit tam beneficiarius, & intitulatus, quàm principalis, & mittatur in possessionem sicut ille. ibid.
*Codicillus* nuncupatiuè factus quam solemnitatem requirat. 41.12.1
Et quid dicendum de codicillis in scriptis. 3
Codicilli priores an abrogentur per posteriores. 4.1.22.9
Codicilli, vide *Testis.*
*Collaterales*, vide *Subcessio ab intestato*, & *Legatum.*
*Collatio* an teneat, licèt non apponat substitutum, si Papa conferat alicui plura beneficia, dummodo in altera apponat substitutum. 4.3 20.9 ad med.
Collatio serotina an sit licita in dieb. ieiunij. 5.1.25.2
Et in qua quantitate sit licita. 3
Et cum quibus rebus debeat fieri. 4
An verò si aliquantulo maior sit collatio, sit peccatum mortale. 5
Collationem maiorem facere an liceat in vigilia Natiuitatis Dominicæ, quàm in aliis diebus ieiunij. 5.1.26.1
Ex quibus verò rebus maior hæc collationis quantitas debeat fieri. 2
Quid verò dicendum, si Natiuitas accidat feria secunda,


# Index Rerum


cunda, & in sabbato occurrat simul ieiunium quatuor temporum. 3
An verò ex fructibus liceat sumere quantamcumque collationem in hac vigilia. 6
Et quid, si quis vellet in hac vigilia collationem in meridie sumere, & prandium differre vsque ad mortem. ibid.
An verò liceat illa Natiuitatis nocte facere pluries collationem. 7
Collationem serotinam an liceat manè facere, & differre prandium in noctem. 5.1.27.2
*Collegiales* qui sint in collegio ad tempus, non possunt promoueri ad ordines in diœcesi collegij, si sint ex alia diœcesi. 7.1.23.19
Collegialis ex aliquo collegio maiori Salmanticensi, vel Complutensi, qui ad aliquem suscipiendum gradum Doctoratus, suos actus cum satisfactione defendit, an possit ad solum illorum titulum ordinari. 7.1.25.1
Collegiales, vide *Testis.*
*Collegium*, vel collegij Rector an possit recusari, vide *Recusari.*
*Commendatores*, vide *Equites.*
An verò teneantur commendatores D. Ioannis ad horas canonicas, vide *Horæ canonicæ.*
*Commissarius*, cui defunctus non dat potestatem constituendi hæredem, nec explicat ad quid illam det, sed tantùm absolutè testandi facultatem tribuit, quid possit & debeat facere. 4.1.27.1.2.& 4
Quid verò dicendum, si defunctus nominauit hæredem, & dedit potestatem commissario perficiendi testamentum. 5
Commissarius an possit quouis tempore facere testamentum nomine defuncti. 6
Et an teneatur acceptare officium. 7
An verò possit id testamentum in totum, vel in parte reuocare, vel aliquid addere, aut detrahere, aut codicillos facere. 8
Commissarius, vide *Exequutor testamentarius.*
Commissarius ad faciendum testamentum cum potestate meliorandi vnum ex filiis, vel descendentibus testatoris, an possit duos meliorari. 4.1.60.4
Commissarius cui in casu discordiæ exequutorum electio commissa est à testatore, an possit inconsultis Iurisperitis eligere quem maluerit, non habita ratione maioris, vel minoris propinquitatis, vel paupertatis. 4.1.62.8
Commissariis discordantibus an sit standum mandato maioris partis. 41.45.1.
*Commissio* an teneat, & quid teneatur commissarius facere cùm & per testatorem committitur, vt disponat de eius bonis. 4.1.65.5
Et quid si talis commissio fiat per verba importantia liberam voluntatem. 3
*Commutatio*, vide *Episcopus.*
*Compellere* partes ad concordiam, & compositionem an possit iudex, vide *Iudex.*
An verò possit iudex aliquem compellere, vt in causa propria declaret quis eum offenderit, vide *Accusatio.*
*Componere* partes per vim, an possit iudex, vide *Iudex.*
*Completorium*, vide *Recitare.*
*Compromissarius* ad eligendum an possit eligere clericum etiam externum. 4.1.60.4.post med.
*Compromissum* an videatur acceptare is, in quem præsentem compromittitur, si taceat. 4.1.42.8
*Concilij* generalis decreta an censeantur derogata si in specie non fiat eorum derogatio. 7.1.19.20
Concilium generale, vel prouinciale an possit recusari, vide *Recusari.*
*Concordare* partes per vim an possit iudex, vide *Iudex Condemnatus, Damnatus, Innocens,* & *Infamis.*
*Concubitus.* damnatus quinam dicatur. 4.3.4.1
*Conditio*, vide *Donator.*
*Confessarius*, quomodo se debeat habere cum pœnitentibus dicentibus se nolle ieiunare quando non inuenit causam certò excusantem. 5.1.6.3
Quid verò debeat aduertere. 5.1.7.8
Confessarius, vel paterfamilias an possit dicere pœnitenti, vel sibi subdito, quòd comedat lacticinia, & oua in die ieiunij. 5.1.6.7
Confessarius quid debeat facere quando ignorat quantus si labor alicuius artis. 5.1.7.5
Confessarius quid debeat facere quado aliquibus ieiunium sit difficillimum, & allegant aliquam debilitatem stomachi, vel capitis. 5.1.22.8
Confessarij & concionatores quid debeant docere pœnitentes, & populum circa excusationem à laborando in festis. 5.2.31.3
Confessarius tenetur admonere reum, vt prodat socios occultos, quando crimen est in damnum commune. 6.3.22.7
Confessarius an & quando teneatur compellere ad crimen iudici detegendum. 6.3.32.8
Confessarius an possit omittere horas canonicas, quando est magna pœnitentium copia, & instat dies vltima iubilæi, vel præcepti Ecclesiæ. 7.2.52.3
*Confessio*, vide *Reus.*
Confessio iudicialis an aliquando valeat pro sufficienti probatione, & sit multò efficacior, quàm aliæ probationes, & quid requiratur ad hoc. 6.3.13.3
An verò in aliquibus casibus non sufficiat iudicialis confessio ad damnandum reum, 2
An ad confessionem factam sponte in iudicio sit necessaria ratificatio, vel sit reus statim post confessionem damnandus. 3
in Confessione vtramque circunstantiam tenetur explicare, qui rogatus iuridicè mentitus est in re graui. 6.3.33.2
Confessio defuncti, qui est pars offensa, non sufficit ad torturam. 6.4.6.3. ad med.
Confessio regularis facta in tormento intra quod tempus debeat ratificari, vide *Prælatus.*
Confessio rei, vel testis in tormentis contra alium facta intra quod tempus debeat ratificari. 6.8.2.17
Confessio criminis extra iudicium facta an sufficiat ad torquendum reum, vide *Tortura.*
An verò confessio criminis sat sit ad inquirendum nulla præcedente infamia, vide *Inquisitio.*
in Confessione an sit exprimendum quot horæ canonicæ sint omissæ. 7.2.12.3
An satisfaciat dicendo, quodam die, vel quodam anno non recitaui sæpiùs recordans horarum, & statuens omittere. 5
*Confessus* vide *Reus*
Confessus in iudicio crimen, de quo si damnaretur incurreret infamiam, an sit infamis, vide *Infamis.*
*de Confirmationis* essentia an sit inuocatio Trinitatis. 7.1.1.9
Confirmatio data ante vsum rationis, tenet. 7.1.32.2
*Confugiens* ad Ecclesiam qui se exemit à ducente ad carcerem, vide *Captus.*
Confugiens ad Ecclesiam, vel ad sacerdotem Eucharistiam manibus portantem, an possit extrahi, vide *Loca gaudentia immunitate,* & *Reus confugiens.*
Confugiens semel ad Ecclesiam si postea exeat, & sic capiatur à iudice, an possit corporaliter damnari. 6.1.8.31
Confugiens ad Ecclesiam quinam possit extrahi, quinam verò non. 6.1.8.1.vsque ad 30
Confugiens ad Ecclesiam vt inde extrahi possit tanquam non gaudens, an requiratur plena delicti probatio ob quod non gaudet, vel sat sit semiplena. 6.1.11.1. & 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Coniugi* non habenti vnde decenter sustentetur an debeatur quarta pars bonorum. 4.1.28.1
An verò hæc pars deducenda sit de legitima filiorum, seu de quinto, vel si non habeat descendentes de tertio bonorum. 2
Et an sit extrahenda ante, quàm quintum. 3
*Coniunctis* mediante coniunctione spuria, vide *Ius succedendi.*
*Consanguinei*, vide *Successio ab intestato*, & *Legatum.*
Consanguinei quo iure computentur ad successionem intestatorum, vel legati. 4.1.24.17
Consanguineæ vsque ad quotum gradum excludantur si testator relinquat iuspatronatus, & iubeat certum redditum quotanis distribui pauperibus, ita vt consanguineæ, famulæ, patroni, &c. tribui non possit, ne ob affectionem patronatus moueretur. 18
Consanguineus an possit compelli acceptare officium exequutoris, & arbitri. 4.1.42.8
*Consecrandi* potestas, vide *Potestas.*
*Consecratio* Episcopalis facta antequam quis ordinetur sacerdos non tenet. 7.1.14.8
Quid dicendum si fiat alio ordine à sacerdotio non suscepto. 9
in Consecratione Episcopi quænam adhibeantur, & sint consideranda. 7.1.15.1
Quæ ceremoniæ adhibeantur in hac consecratione, 2
